50461 | D | 2

A xxx Syd

THOMAS SYDENHAM
MED. DOCT.
Londinensis Celeberrimus.

55450

THOMÆ SYDENHAM MEDICI DOCTORIS,

Ac Practici Londinensis celeberrimi,

OPERA MEDICA;

IN HAC NOVISSIMA EDITIONE

VARIIS VARIORUM PRÆSTANTISSIMORUM MEDICORUM OBSERVATIONIBUS, ET PLURIUM CONSTITUTIONUM EPIDEMICARUM RECENTIORUM DESCRIPTIONE QUAM MAXIME ILLUSTRATA:

Imo & Mechanica tum Morborum, tum Medicamentorum a JOANNE-BAPTISTA MAZINO; necnon COELESTINI COCCHII, & BARTHOLOMÆI BOSCHETTI Tractatibus Medicis rursus aucta,

UNA CUM ELENCHIS RERUM,

Atque alphabetico rerum, & verborum totius Operis Indice copiosissimo nunc recens confecto,

ADCEDIT IN FINE

LOCUPLETISSIMUM SUPPLEMENTUM PLURES NUNQUAM ANTEA EDITOS DOCTISSIMORUM MEDICORUM TRACTATUS COMPLECTENS.

VENETIIS,

MDCCLXII.

EX TYPOGRAPHIA REMONDINIANA.

SUPERIORUM PERMISSU.

T H O M Æ

SYDENHAM

MEDICI DOCTORIS,

Ac Tradici Londinensis celeberrimi,

OPERA MEDICA,

VENETIIS.

BENEVOLO LECTORI.

Ræclariſſimi Viri Thomæ Sydenham, Medicinæ Doctoris, & Practici quondam Londinenſis longe Celeberrimi, Opuſcula quotquot hactenus ſeorſum prodiere omnia, unico Volumine comprehenſa, Tibi, Lector Humaniſſime, ſub majore quam antea forma, præteritis Editionibus multo correctiora, atque Indicibus locupletiſſimis condecorata exhibemus. Hic proin habes & Obſervationes Medicas in Conſtitutionibus Epidemicis Londinenſibus annorum 1661. 1662. 1663. 1664. 1665. 1666. 1667. 1668. 1669. 1670. 1671. 1672. 1673. 1674 & 1675. occurrentes; quales illæ evulgatæ fuere in Nobiliſſimi Auctoris Noſtri Operum Londinenſi Editione, anni 1676. Et alias præterea quæ in Conſtitutionibus annorum 1676. 1677. 1678. 1679. 1680. imo etiam ex parte ad annum uſque 1684. ſe obtulerunt: Item Diſſertationes Epiſtolares ſuper Lue Venerea, Affectione Hyſterica, Podagra & Hydrope. Quales itidem in ejuſdem Doctiſſimi Auctoris Noſtri Editione Londinenſi quarta, anno 1685. ſuperadditæ ſunt. Imo Schedulam Monitoriam de Novæ Febris ingreſſu, & Febre Putrida Variolis Confluentibus ſuperveniente, cum Diſſertatiuncula de mictu Sanguineo a Calculo renibus impacto, & Proceſſibus integris in Morbis fere omnibus Curandis, a Feliciſſimo hoc Practico, ut credunt, adhibitis, annexo etiam de Phthiſi Tractatulo; qualia in Genevenſi Editione anni 1696. adjecta ſunt. Utinam Accuratiſſimus Auctor quicquid ad Medicam Praxim ulterius perficiendam, pari quam quæ ab ipſo perſcripta ſunt, diligentia adnotatum, typis mandaſſet! Sic abunde ſane inſtruerentur Medicorum Filii iis auxiliis, quibus ſecurius, magno Ægrorum ſuorum emolumento, in morbis curandis progrederentur. Verum cum tot tantaque ab unius Viri, etiam laborioſiſſimi, ævo quantumvis longius protracto, ſperare minime liceat: a Doctore Medico, nobis amiciſſimo, quique ea quæ jam propoſuimus ſignificavit, impulſi ſumus ut in eorum quæ deficiebant aliquale ſupplementum, ſelectiora plura, undequaque ex Accuratioribus Practicis conquiſita, ac ea præprimis quæ Methodo Sydenhamianæ maxime affinia forent, huic ipſi noſtræ Editioni inſereremus; quo ſcilicet, ſi non integram prorſus Medicam Praxim, illam ſaltem minus mancam, Tibi jam ſiſteremus. Cui Clariſſimo Viro, tanquam in hiſce materiis, ut ex ipſius multiplicibus Operibus con-

ſtat, verſatiſſimo, lubentes admodum annuentes, illud omne quod magis ad rem faciens præ manibus habebat, donec plura in ſequentibus per otium exquirere, aut etiam ex proprio, ut pollicetur, penu promere aliquando liceat, ab illo acceptum Tibi tradimus. Inter quæ non minima ſane commendatione digna videntur, quæ jam exhibentur ſuper Conſtitutionibus Epidemicis, in variis Europæ noſtræ Urbibus & Regionibus, variis annis ac temporibus graſſantibus; & ad normam quam olim Magnus Hippocrates ſuo ſuaſerat exemplo, quamque Sibi Excellentiſſimus Noſter Sydenham prudentiſſime in pleniorem Artis Medicæ perfectionem, a Syſtematicis Auctoribus forſan non parum retardatam, præſtiterat, eventilatis atque examinatis. Additamenta autem quod ſpectat, quibus in ipſo Operis decurſu Argumenta pro connexione quam cum ipſo Auctoris Textu habent indicanda præfiguntur; eorum ſpecialis Nota in ſubſequenti pagina reperitur. Circa quod rurſus obſervandum venit, quod Capita quædam Conſtitutiones Epidemicas particulares variarum Sacri Imperii Urbium ac Regionum ſpectantia eo ipſo ordine quo in prædicta indicantur Nota non exhibentur; quodque pars eorum ad hujus Operis Sydenhamiani calcem refertur propter rationes in Admonitione ibidem adjecta ſignificatas.

Atque hæc cum aliis, quæ huc uſque præceſſerunt, communia habet editio hæc noſtra. Verum quum nihil nobis potiori curæ ſit, quam litterariam ſupellectilem augere quotidie magis; optime conſultum ſtudioſis Medicinæ adoleſcentibus putavimus, ſi, quod fecimus, morborum & medicamentorum utramque Mechanicam Joannis Baptiſtæ Mazini, tum Antonii Cœleſtini Cocchii Epiſtolas Medicas, tum Bartholomæi Boſchetti de Mercuriali ſalivatione Diſſertationem ad calcem voluminis adderemus. Ea enim ſunt opuſcula ſingula, ut cum celeberrimis Sydenham ſcriptis tum rerum utilitate, tum dicendi gravitate, & nitore certare poſſint.

Præterea cum noverimus in nupera Genevenſi Editione plures Doctiſsimorum Medicorum Tractatus numquam antea editos Clariſs. Auctoris noſtri Operibus eſſe ſubnexos, ut editio iſthæc noſtra magis locupletaretur, & Doctorum virorum votis fieret ſatis, hos quoque Tractatus omnes ad calcem Operis Supplementi loco apponendos curavimus. Indicem denique rerum & verborum locupletiſsimum ſummo ſtudio nuper confectum Obſervationum Elencho nunc primum adjecimus. Vale.

CATA-

CATALOGUS TRACTATUUM ET DISSERTATIONUM

Huic THOMÆ SYDENHAM Operum Editioni adjectorum.

BErnardini Ramazzini, in Mutinenſi Lycæo Medicinæ Profeſſoris, *Diſſertationes tres, de Conſtitutionibus annorum* 1690. 1691. 1692. 1693. 1694. *in Mutinenſi Civitate & illius Ditione.*

Lucæ Schroeckii, Academ. Cæſar. Leopold. Natur. Curioſor. Præſidis, *Hiſtoria Conſtitutionis Epidemicæ Auguſtanæ, anni* 1695.

Michaelis Bernardi Valentini, *Conſtitutio Epidemica Haſſiaca, anni* 1693. & 1694.

Joannis Jacobi Harderi, *Conſtitutio Epidemica Baſileenſis, anni* 1695.

Guſtavi Caſimiri Garhliep, *Conſtitutio Epidemica Berolinenſis, anni* 1695.

Michaelis Bernardini Valentini, *Conſtitutio Epidemica Haſſiaca, anni* 1695.

Lucæ Schroeckii, *Conſtitutio Epidemica Auguſtana, anni* 1696.

Guſtavi Caſimiri Garhliep, *Conſtitutio Epidemica Berolinenſis, anni* 1696.

Conradi Bertholdi Behrens, *Conſtitutio Epidemica Hildeſienſis, anni* 1695. & 1696.

Lucæ Schroeckii, *Conſtitutio Epidemica Auguſtana, annorum* 1697. & 1698.

Joh. Jac. Harderi, *Conſtitutio Epidemica Baſileenſis, anni* 1698.

Guſtavi Caſimiri Garhliep, *Conſtit. Epidem. Berolinenſis, anni* 1697. & 1698.

Sylveſtri Samuelis Anhornii, *Conſtit. Epidem. Sangallenſis, anni* 1697.

Caroli Raygeri, *Conſtitut. Epidem. Poſonienſis, annorum* 1695. 1696. & 1697.

Lucæ Schroeckii, *Conſtitut. Epidem. Auguſtana, anni* 1699. & 1700.

Guſtavi Caſimiri Garhliep, *Conſtitut. Epidem. Berolinenſis, anni* 1699.

Joh. Jacobi Harderi, *Conſtitut. Epidem. Baſileenſis, anni* 1699.

Rudolphi Jacobi Camerarii, *Conſtitut. Epidem. Tubingenſis, &c. anni* 1699. & 1700.

Ambroſii Stegmanni, *Conſtitut. Epidem. Mansfeldiaca, anni* 1697. & 1698.

Guſtavi Caſimiri Garhliep, *Conſtitut. Epidem. Berolinenſis, anni* 1700.

Conſtit. Epidemica Vratislavienſis, annorum 1699. 1700. 1701.

Conſtit. Epidem. Berolinenſis, anni 1702.

Lucæ Schroeckii, *Conſtit. Epidem. Auguſtana, annorum* 1701. 1702. 1703. 1704. & 1705.

Ejuſdem, *Conſtitutio Auguſtana, annorum* 1706. 1707. 1708. 1709. & 1710.

Joh. Jacobi Harderi, *Conſtitut. Epidem. Baſileenſis, anni* 1700. & 1701.

Guſtavi Caſimiri Garhliep, *Conſtitut. Epidem. Berolinenſis, anni* 1701. 1703. & 1704.

Marci Gerbeſii, *Conſtit. Epidem. Labacenſis, anni* 1709. & 1710.

Joh. Georgii Hoyeri, *Conſtit. Epidem. Mulhuſina, anni* 1700.

Rudolphi Jacobi Camerarii, *Conſtitut. Epidem. Tubingenſis, anni* 1701. & 1702.

Joh. Guilhelmus Bayerus, & Bernardinus Ramazzinus, *de Frigore Hyemali anni* 1709.

Joh. Adami Genſelii, *Conſtit. Epid. Inferioris Hungariæ, ann.* 1711. 1712. & 1713.

Lucæ Schroeckii, *Conſtit. Epidem. Auguſtana, anni* 1711. 1712. 1713. 1715. 1716. & 1717.

Marci Gerbezii, *Conſtitut. Epidem. Labacenſis, anni* 1712. 1713. 1714. 1715. 1716. & 1717.

Joſephi Lanzoni, *Conſtitut. Epidem. Ferrarienſis, anni* 1715. 1716. & 1717.

Gualteri Harris, M. D. ac Celeberrimi Medicorum Londinenſium Collegii Socii, *de Lue Venerea, ejuſque origine, natura & curatione, Diſſertatio.*

De Contagioſa Epidemia quæ in Patavino Agro, & tota fere Veneta Ditione in Boves irrepſit, Diſſertatio, habita a Bernardino Ramazzino, in Patavino Lycæo Practicæ Medicinę Profeſſore Primario.

Davidis Hamilton, Equitis Aurati, Regalis Societatis Londinenſis utriuſque Socii, necnon Magnæ Britanniæ Reginæ Medici Ordinarii, *Tractatus de Febre Miliari, ſeu Veſiculari: adjecto ſuper eadem febris hiſtoriarum faſciculo.*

Caroli Drelincurtii, Lugduni in Batavis Profeſſoris Medici Senioris, *de Calculo Renum & Veſicæ, Diſſertatio.*

Martini Liſter, M. D. e Societate Regia Londini, *Diſſertatio Medicinalis de Calculo Humano.*

Caroli Leigh, Medic. Doct. *Phthiſiologia Lancaſtrienſis.*

Guilhelmi Muſgrave, M. D. Inclyti Medicorum Londinenſium Collegii, & Societatis Regiæ Socii, *de Arthritide Symptomatica, Diſſertatio.*

Ejuſdem, *de Arthritide Anomala, ſive Interna, Diſſertatio.*

Joannis Baptiſtæ Mazini *Mechanica Morborum, & Medicamentorum.*

Antonii Cæleſtini Cocchii, *Epiſtolæ Phyſico-Medicæ.*

Bartholomæi Boſchetti *de Salivatione Mercuriali, Diſſertatio Phyſico-Medico-Mechanica.*

Supplementum nunquam antea editum, continens tractatus ſequentes

Dn. D. Caroli Friderici Loevv *de Febre Petechiali* an. 1683. Poſonii graſſata, & cujus deſcriptionem in adverſariis paternis reperetat, Epiſtola ad clar. Dn. Franciſc. Frider. Poſſinger, Archiatrum Cæſareum.

Dn. D. Andreæ Loevv. *Hiſtoria Epidemica Hungariæ Annorum* 1688. 1697. 1699. 1700. 1701. 1702. 1703. 1704. 1705. 1706. 1707. 1708. 1709. ab ejuſdem filio Dn. D. Carolo Frider. Loevv perilluſtri Lucæ Schroeckio, Academ. Natur. Curioſ. Præſidi, &c. Anno 1726. communicata.

Dn. D. Joſephi Lanzoni *Conſtitutio Epidemica Ferrarienſis, ann.* 1729.

Dn. D. Caroli Frider. Loevv; *Hiſtoria Febris catarrhalis, quæ ann.* 1729. *menſe Novembri, & Decembri per Europam epidemice graſſata eſt; cui accedit Conſtitutio Epidemica an.* 1730.

Dn. D. Caroli Richa *Conſtitutio Epidemica Taurinenſis annorum* 1720. 1721. 1722.

AMICISSIMO VIRO

DOMINO

JOHANNI MAPLETOFT,

MEDICO DOCTORI,

IN COLLEGIO GRESHAMENSI

APUD

LONDINENSES PROFESSORI,

Necnon Societatis Regiæ ibidem Socio.

DUo omnino ſunt (Humaniſſime Vir) de quibus hic mihi tecum agendum eſt: primum ut cauſas exponam, quibus impulſus Tractatum hunc meum in publicum edo; alterum, quamobrem eundem Tuo potiſſimum nomini dicandum cenſeo. Primum quod attinet, triceſimus jam agitur annus, a quo *Londinum* petens, ut inde *Oxonium* denuo proficiſcerer (a quo primi belli calamitas me ad annos aliquot diſtinuerat) in virum doctiſſimum & maxime ingenuum Dominum *D. Thomam Coxe*, (qui per eos etiam annos, atque ad hunc uſque diem Medicinam magna cum celebritate factitavit) Fratri meo tunc ægrotanti conſulentem, auſpicato incideram; qui quidem Vir, pro nota ſua humanitate ſuavitateque morum me percontatus eſt, cui me demum Arti, interciſa jam repetens ſtudia, ſumptaque toga virili, pararem addicere. Ego vero incertus adhuc animi, & de medica Arte ne vel ſomnians quidem, tanti viri hortatu atque authoritate permotus, neſcio quo fato meo, me ad eam ſerio accinxi. Et ſane ſi quando hæc noſtra conamina vel minimum in publica commoda ceſſerint, illi grato animo accepta referenda erunt, quo Promotore atque Auſpice ea ſtudia primum ſum aggreſſus. Poſt annos aliquot in Palæſtra Academica inſumptos *Londinum* reverſus, ad Praxim Medicam acceſſi, quam cum intento admodum oculo omnique adhibita diligentia curioſe obſervarem, mox in eam veni ſententiam, quæ mecum ad hodiernum uſque diem crevit; hanc ſcilicet Artem haud rectius perdiſcendam eſſe, quam ab ipſius Artis exercitio atque uſu; veroque admodum eſſe ſimile, quod qui ad naturalia morborum Phænomena oculos animumque accuratiſſime maximeque diligenter adverterit, in eliciendis Curativis Indicationibus veris ac genuinis maxime pollere debeat. Huic itaque me Methodo totum tradidi, ſatis ſecurus, quod Naturam ſi ſequerer Ducem, etiam *Avia terrarum peragrans loca; nullius ante Trita ſolo*, nuſquam vel latum unguem a recto tramite diſcederem. Hoc me filo regens, primo ad preſſiorem *Febrium* obſervationem animum appuli, & poſt devoratum haud mediocre tædium, & moleſtiſſimas mentis agitationes, quibus me ad annos aliquot fatigandum permiſi, tandem in methodum incidi, qua iſtæ poſſent ſanari: quam etiam amicis flagitantibus, in lucem promendam jamdudum conceſſi. Cum vero ab illo tempore *novas* Febrium *ſpecies*, mihi hactenus incognitas, ſibi invicem jugiter ſuccedentes animadverterim, ſtatui apud me quæ ad eas pertinebant ſingula, vel ab eiſdem pendebant, ſumma qua poſſem diligentia in unum congerere: quo tandem aliquando prioris cœpti mei tenuitatem atque anguſtias paulo accuratiori ac magis abſoluta horum morborum Hiſtoria penſare valerem. Sed dum hæc animo verſarem, atque indagarem ſedulo, & proinde jam in eo totus eſſem, ut pro multifariis Naturæ mutationibus & verſatili ingenio medendi, Methodum, ceu gladium Delphicum, procuderem omnibns parem, ſtatim didici me ideo tantum aperuiſſe oculos, ut pulvere, haud quaquam vero Olympico, iidem complerentur, atque *his* quidem, proprii cerebri phantaſmata, *illis*, nullum me prorſus habere ducem plane viderer. Quamvis optaſſem Lucubrationes haſce meas non niſi annorum porro aliquot experientia auctas & confirmatas typis evulgaſſe, contumeliis tamen ac ſannis procaciſſimi cujuſque ardelionis tandem plus ſatis delaſſatus, amicis eo uſque morem geſſi (inter quos cum honore mihi ſemper nominandus eſt ſagaciſſimus Vir Doctor Dominus *Gualterus Needham*, tam Medicæ Artis, quam rei Litterariæ decus, & laus) ut mihi tandem conſulerem, ac juſtam pararem Defenſionem; ea nempe facta prodens ſcriptis publicis quæ ingenuos, quod ſpero, omnes mihi Patronos conciliabunt. Cæteros quod attinet; expectabo ſcilicet, quemadmodum acute Romanus Philoſophus, *ut quicquam Calumniæ ſit ſacrum, cui nec Rutilius ſacer fuit, nec Cato*? Si qui itaque reperiantur, quos præ immanitate quadam ac aſperitate naturæ convitiandi libido adhuc inceſſerit, rectene an ſecus ſcripſerim haud æſtimantes æqua lance, qui vitio

ſtatim

ſtatim vertunt, ſi quis novi aliquid, ab illis non prius dictum, vel etiam inauditum, in medium proferat, hujuſmodi ego homines æquo me animo laturum ſpero; certe convitiorum ſerram neutiquam reciprocabo. Illud tantum opponam, Viro Chriſtiano ſane perdignum, quod olim *Titus Tacitus*, obtrectanti *Metello* regeſſit: *Facile eſt in me dicere, cum non ſim reſponſurus: Tu didiciſti maledicere: Ego conſcientia teſte didici maledicta contemnere. Si tu linguæ tuæ dominus es, ut quidquid lubet effutias? ego Aurium mearum ſum dominus, ut quicquid obvenerit audiant inoffenſæ.* Atque hæc ſunt, quorum victus pondere Librum hunc luce donandum eſſe ſentiebam.

Tibi vero (Chariſſime Vir) eundem dedicatum volui, tum ob mutuam qua nos invicem complectimur Amicitiam Benevolentiamque; tum etiam quia nemo te melius judicare valeat, ſi quo in loco aut pretio habendæ ſint quas hic trado *obſervationes*, cum per ſeptennium, quod jam ultimo excurrit, plura e præcipuis atque inſignioribus, quæ ſequentes exhibent pagellæ, Tute etiam oculis uſurpaveris. Uti vero ea tu es morum integritate probitateque notiſſima, ut religio tibi ſit fictis inſinuationibus alios in errorem pellicere, (maxime ubi de corio humano agitur) ita ea etiam polles ſapientia atque eruditione, quæ tibi a me imponi, ſi id ſerio agerem, nullatenus paterentur, multo minus tu tibi impoſueris iſtis experimentis, quibus in tuis etiam ægris nonnullorum, quæ vel hic deſcripſi, vel tibi alias affirmavi, veritatem comprobaſti. Noſti præterea, quam huic meæ Methodo ſuffragantem habeam, qui eam intimius per omnia perſpexerat, utrique noſtrum conjunctiſſimum Dominum *Johannem Lock*, quo quidem viro, ſive ingenio Judicioque acri & ſubacto, ſive etiam antiquis, hoc eſt, optimis moribus, vix ſuperiorem quenquam inter eos qui nunc ſunt homines, repertum iri confido: pauciſſimos certe pares. Verum non opus eſt, ut ulterius tuam fidem ſollicitem, de qua jamdiu perſuaſiſſimus ſum. Cæteros quod attinet, jacienda alea eſt, quæ utcunque ceciderit, ſortem haud gravate feram. Cum enim jam ſenex ſim, &, ſummi Numinis favore, tantum mihi ſit viatici, quantum reſtat viæ, de reliquo dabo operam, ut nec ipſi mihi, neque aliis moleſtus eum aſſequar felicitatis modum, quem ita eleganter depinxit Vir magnus:

Felix ille animi, Diviſque ſimillimus ipſis,
Quem non mendaci reſplendens Gloria fuco
Solicitat, non faſtoſi mala gaudia luxus,
Sed tacitos ſinit ire dies, & paupere cultu
Exigit innocuæ tranquilla ſilentia vitæ.

Quod reſtat, exorandus mihi es, ut hoc propenſi in te animi, & quo te proſequor, honoris pignus æqui bonique conſulas; præſertim cum nullo jure tibi imputari poſſint quotquot in hoc Opere nævi ac σφάλματα comparuerint, quorum omnium in me ſolum cudenda eſt faba: nec tu plectendus, ſiqua ego forte deliravero. Quamlibet neque ejus, quem exantlavi, laboris omnis mihi fructus perierit, cum vel ex erroribus & hallucinationibus meis anſam nactus fuero, qua omnibus palam faciam, quanta te colam amicitia, & quod ex animo ſim:

Tibi ſemper addictiſſimus

THOMAS SYDENHAM.

PRÆFATIO.

QUemadmodum a natura ita comparata eſt humani corporis fabrica, ut nec præ jugi particularum fluxu ſibi ſemper conſtet, nec præ externarum rerum vi ſui juris ubique permaneat, unde multiplex ægritudinum cohors terris ab omni ævo incubuit; ſic procul omni dubio multis jam ſæculis ante natum non *Græcum* modo, ſed (qui mille annis hunc anteceſſit,) *Ægyptium Æſculapium*, hominum ingenia inveſtigandæ medelæ neceſſitas exercuit. Et profecto, ut quis primus ædificiorum, aut veſtimentorum uſum ad depellendam cæli inclementiam inſtituit, nemo facile dixerit, ita & *Artis Medicæ* natales, ut *Nili* fontem, indigitare nequimus; cum ars medica perinde ac cæteræ artes, in uſu nunquam non extiterit, licet nunc diligentius, nunc frigidus exculta, pro vario temporum ac regionum habitu. Quantum *Veteres*, ac inter primos *Hippocrates*, præſtiterunt, abunde notum eſt; quibus ſcilicet, ac eorum ſcripta compilantibus maximam *Therapeuticæ* ſolertiæ partem acceptam ferimus. Quin & ſuccedentibus deinde ſæculis emicuit nonnullorum induſtria, qui aut *Anatomiæ*, aut *pharmatiæ*, aut *Methodo* ἰατρικῇ operam navando, Medicinæ pomœria ampliare pro virili ſategerunt: ut taceam nec in hac noſtra *Britannia*, ipſoque hoc ſæculo defuiſſe, qui in omni ſcientiarum genere, quo res Medica adaugeri poſſit, optime meruerunt; quorum quidem laudes impari calamo non attingo. Cæterum quantacumque fuerint aliorum conanima, ſemper exiſtimavi mihi vitalis auræ uſum fruſtra datum fore, niſi & ipſe in hoc ſtadio verſatus, ſymbolum aliquod, utcumque exiguum, in commune *Medicinæ* ærarium contribuerem. Quocirca poſt diuturnam meditationem, ac diligentem fidamque annorum alioquin multorum obſervationem, tandem aliquando decrevi; Primo ſententiam meam in medium proferre, qua demum ratione Medendi ſcientia ulterius promoveri poſſit: Deinde meorum in hoc negotio conatuum ſpecimen aliquale in lucem dare.

Sentio autem noſtræ Artis incrementum in his conſiſtere, ut habeatur (1) *Hiſtoria*, ſive *morborum* omnium deſcriptio, quoad fieri poteſt, graphica & *naturalis*; (2) *Praxis* ſeu Methodus circa eoſdem *ſtabilis* ac *conſummata*. Sane morbos craſſe depingere ſatis obvium eſt: atqui Hiſtoriam eorum ita conſcribere, ut evitetur Cenſura, quam *Clariſſ. Verulamius* in nonnullos ejuſmodi Promiſſores vibravit, longe majoris eſt negotii: *Satis ſcimus* (inquit Vir Nobiliſs.) *haberi Hiſtoriam Naturalem, mole amplam, varietate gratam, diligentia ſæpius curioſam: Attamen ſi quis ex ea fabulas, & authorum citationes, & inanes controverſias, Philologiam denique & ornamenta eximat (quæ ad convivales ſermones, hominumque doctorum Noctes potius, quam ad inſtituendam Philoſophiam ſint accommodata) ad nil magni res recidet. Longe profecto abeſt ab ea Hiſtoria, quam animo metimur.* Similiter etiam & morborum curationes pro more facillime proponuntur; Atqui hoc ita præſtare, ut verba in facta tranſeant, atque eventus promiſſis reſpondeant, magis ardui moliminis illi judicabunt, qui vident haberi apud Scriptores Practicos morbos complures, quos nec illi Scriptores, nec quippiam hactenus Medicorum ſanare valuerunt.

Quod autem ſpectat ad *Hiſtoriam Morborum*, ſi quis rem attentius perdendat, facile videbit ſcribentem ad multo plura animum debere advertere, quam vulgo exiſtimatur. Quorum pauca hæc impræſentiarum attingere ſuffecerit.

Primo expedit ut morbi omnes ad definitas ac certas *ſpecies* revocentur, eadem prorſus diligentia ac ἀκριβείᾳ qua id factum videmus a *Botanicis* ſcriptoribus in ſuis *Phytologiis*. Quippe reperiuntur morbi, qui ſub eodem genere ac nomenclatura redacti, ac quoad nonnulla ſymptomata ſibi invicem conſimiles, tamen & natura inter ſe diſcreti diverſum etiam medicandi modum poſtulant. *Cardui* quidem nomen ad plures herbarum ſpecies extendi nemo neſcit: at vero parum accurate faciet rei herbariæ ſcriptor, qui generalem hujus plantæ deſcriptionem, qua ſcilicet a cæteris ſtirpibus diſcrepat, proponere contentus, propria interim & peculiaria cujuſque ſpeciei ſigna & characteres, quibus ab invicem diſcriminantur, contempſerit. Eodem plane modo nec ſatis eſt ſcriptori communes dumtaxat morbi alicujus πολυειδὲς apparentias annotaſſe. Eſto ſane non omnibus morbis eandem contingere varietatem; tamen complures eſſe, qui licet ab authoribus ſub eodem titulo citra ullam ſpeciei diſtinctionem tractentur, diſſimillima ſint indole, in ſequentibus pagellis, uti ſpero, palam fiet. Imo etiam ubi diſtributio in ſpecies reperitur, id fit plerumque, ut *Hypotheſi* alicui, quæ veris Phænomenis ſubſtruitur, ſuus reſervetur honos; ac proinde ejuſmodi diſcriminatio non tam ad morbi, quam ad Authoris ingenium, Philoſophandique theoriam accommodata eſt. Quantum Medicinæ obfuerit ἀκριβείας hac in parte defectus, oſtendunt multorum morborum exempla; quorum nempe curationes hodie non deſideraremus, ſi ſcriptores, dum Experimenta & Obſervationes Medicas benevolo ſaltem animo communicarint, unius ſcilicet ſpeciei morbus pro alio ſpeciei diverſæ ſubſtitutus non fefelliſſet. Atque hinc etiam arbitror profectum eſſe, quod materia Medica in ſylvam tam immenſam, ſed fructu perexiguo, excreverit.

Por-

Porro autem in ſcribenda morborum Hiſtoria, ſeponatur tantiſper oportet quæcumque *Hypotheſis Philoſophica*, quæ ſcriptoris judicium præoccupaverit; quo facto tum demum morborum *Phænomena* clara ac *naturalia*, quantumvis minuta, per ſe accuratiſſime adnotentur; exquiſitam *Pictorum* induſtriam imitando, qui vel nævos & leviſſimas maculas in imagine exprimunt. Enim vero dici vix poteſt, quot erroribus anſam præbuerint *Hypotheſes* iſtæ *Phyſiologica*, dum ſcriptores, quorum animos falſo colore illæ imbuerint, iſtiuſmodi Phænomena morbis affingant, qualia, niſi in ipſorum cerebro, locum nunquam habuerunt, debebant autem in conſpectum venire, ſi Hypotheſis, quam ipſi pro conceſſa ac rata habent, conſtaret veritas. Adde quod ſi quando ſymptoma aliquod, quod cum dicta Hypotheſi appoſite quadret, revera morbo competat, cujus typum delineaturi ſunt, tum illud ſupra modum evehunt, ac plane reddunt ἐκ μυὸς ἐλεφάντα, quaſi in hoc ſcilicet totus negotii cardo verteretur: ſin Hypotheſi minus congruat, aut prorſus ſilentio, aut levi ſaltem pede tranſmittere conſueverunt, niſi forte beneficio ſubtilitatis alicujus Philoſophicæ in ordinem cogi, ac quoquo modo accommodari poſſit.

Expedit autem tertio, ut in deſcribendo aliquo morbo peculiaria & *perpetua Phænomena* ſeorſim ab *accidentalibus* & adventitiis (qualia ſunt, quæ non tantum ob ægrotantium temperiem & ætatem, ſed etiam ob rationem medendi diverſam varie ſe habent) enarrentur. Nam ſæpe accidit, ut facies morbi variet pro vario medicandi Proceſſu, ac nonnulla ſymptomata non tam morbo quam Medico debentur; adeo ut eodem morbo laborantes, ſed varia methodo tractatos, varia etiam ſymptomata exerceant. Unde niſi cautela adhibeatur, neceſſe eſt, ut admodum vagum & incertum ſit circa morborum ſymptomata judicium. Prætereo, quod *Caſus oppido rari* ad morborum Hiſtoriam proprie non pertineant; quemadmodum & in deſcriptione *Salviæ*, v. gr. Erucarum morſus inter ſigna diſcriminantia iſtius plantæ neutiquam recenſentur.

Denique, *Anni tempeſtates*, quæ ſcilicet cuivis morborum generi potiſſimum faveant, diligenter obſervandæ ſunt. Non inficior nonnullos eſſe omnium horarum; alii tamen, nec pauciores, occulto quodam Naturæ inſtinctu, annorum tempora, non ſecus quam quædam aves aut plantæ, ſequuntur. Sæpe quidem ſubiit mirari hoc morborum quorundam ingenium, ſatis obvium, a paucis tamen fuiſſe hactenus obſervatum, cum quo ſydere ſtirpes, aut pecudes ſolemniter procreentur plurimi curiòſius adnotarent. Sed quæcumque ſit hujus oſcitationis cauſa, pro certo ſtatuo, tempeſtatum, in quibus ægritudines ingruere conſueverunt, notitiam multum Medico prodeſſe, tam ad ſpeciem morbi dignoſcendam, quam ad ipſum morbum extirpandum, atque horum utrumque minus feliciter evenire, ubi iſtiuſmodi obſervatio negligitur.

Hæc quidem etſi non ſola, ſaltem inſigniora ſunt, quæ in ſcribenda morborum Hiſtoria obſervari convenit. Cujus *Hiſtoriæ* utilitas ad Praxim, omnem æſtimationem excedit: ac præ qua ſubtiles Diſquiſitiones, ac argutiolæ, quibus Neotericorum libri ad nauſeam fere infarciuntur, nullo in numero ſunt habendæ. Qua enim aut compendioſiore aut etiam alia via, vel cauſæ morbificæ, quibus obviam eundum eſt, deprehendi, vel indicationes curativæ elici poſſunt, quam certa ac diſtincta peculiarium ſymptomatum perceptione? Neque enim ulla eſt circumſtantia tam levis aut exigua, quæ ſuos uſus ad utrumque non habeat. Nam ut demus aliquid varietati a temperamento individuorum, & tractandi ratione proficiſci, nihilominus adeo æquabilis ac ſi ubique ſimilis eſt naturæ ordo in producendis morbis; ut in diverſis corporibus eadem plerumque reperiantur ejuſdem morbi ſymptomata; ac illa ipſa, quæ in *Socrate* ægrotante obſervata fuerint, etiam generaliter ad *Hominem* quemcunque eodem morbo laborantem transferri poſſint; non ſecus ac univerſales plantarum Notæ ad omnia cujuſque ſpeciei individua rite ſe diffundunt. Qui v. gr. *Violam* accurate deſcripſerit quoad colorem, ſaporem, odorem, ac figuram, cæteraque id genus; omnibus ubique terrarum *Violis*, quæ ſub ea ſpecie continentur, Hiſtoriam illam in pleriſque fere omnibus convenire facile animadvertet.

Et quidem exiſtimo, nos ob eam potiſſimum cauſam accuratiori morborum Hiſtoria ad hunc uſque diem deſtitui, quia ſcilicet plerique eos pro confuſis inconditiſque Naturæ, male ſe tuentis & de ſtatu ſuo dejectæ, effectis tantum habuere, ac proinde laterem lavare crederetur is, qui juſtam eorundem enarrationem moliretur.

Sed ut ad rem revertamur. Non minus certo etiam a minutiſſimis morbi circumſtantiis Indicationes curativas poſſit Medicus deſumere, quam ab iiſdem ſumpſit Diagnoſtica. Atque adeo non ſemel mihi in mentem ſubiit, quod ſi morbi cujuslibet Hiſtoriam diligenter peſpectam haberem, par malo remedium nunquam non ſcirem adferre, variis ejuſdem Phænomenis viam, qua mihi incedendum foret, haud dubiam præmonſtrantibus; Quæ quidem Phænomena, ſi inter ſe ſedulo conferantur, manu quaſi ducerent ad Indicationes illas maxime obvias, quæ ex intimo naturæ ſenſu, non vero Phantaſiæ erroribus depromuntur.

Atque his ſane gradibus, & ut ita dicam, his adminiculis ad cælum aſcendit, ad medicinæ nempe faſtigium, Medicorum ille *Romulus*, nunquam ſatis laudatus *Hippocrates*, qui hanc Arti Medicæ inſuper ſtruendæ ſolidam ac inconcuſſam ſubſternens

ba-

baſin, *viz.* νόσων φύσεως ἰατροὶ, i. e. *Naturæ morborum medicatrices*, id egit, ut morbi cujuslibet Phænomena aperte traderet, nulla Hypotheſi adſcita, & in partes per vim adacta: ut in ejus libris *de Morbis*, *de Affectionibus*, &c. videre eſt. Regulas etiam quaſdam tradidit ex obſervatione methodi iſtius, qua utitur natura tum in morbo provehendo, quam in eodem amoliendo, natas; cujuſmodi ſunt *Coacæ Prænotiones*, *Aphoriſmi*, & reliqua id genus. Atque in his fere ſtetit magna illa Divini ſenis θεωρία, non ab irrito laſcivientis Phantaſiæ conamine deſumpta, ceu vana ægrorum inſomnia, ſed legitimam exhibens Hiſtoriam earum Naturæ operationum, quas in hominum morbis edit. Cum vero dicta θεωρία nihil eſſet aliud, quam exquiſita naturæ deſcriptio, par erat omnino, ut in praxi eo tantum collimaret, ut eidem laboranti, quibus poſſet modis ſubvenire contenderet; unde etiam non aliam Arti demandat provinciam, quam ut deficienti naturæ ſuccurrat, effrænem coerceat & in ordinem redigat; utrumque vero hoc, tum paſſu illo, tum etiam methodo, quibus natura morborum expellere ſatagit atque amovere: Animadverterat nempe ſagaciſſimus Vir, quod ſola Natura τὰς νόσους κρίνει, καὶ ἐξαρκέει τὰ πάντα πᾶσι. Atque hæc omnia peragit Natura pauciſſimis ſimpliciſſimiſque adjuta remediorum formulis, alicubi etiam prorſus nullis.

Altera ab hac Methodus, qua Ars medendi, ſi quid ego judico, poſſit ulterius provehi, in eo potiſſimum cardine vertitur; ut certa aliqua, & *conſummata* undique ac *fixa Methodus medendi* in publica commoda tradatur; eam intelligo, quæ ſatis magno Experimentorum numero corroborata ſuffultaque, huic vel illi morbo devincendo ſuppar invenitur. Neque enim ſatis eſſe arbitror, ut ſucceſſus particulares, ſive Methodi cujuslibet, ſive etiam Remedii, ſcriptis prodantur, ſi neque illa univerſaliter atque in omnibus ſcopum attingere deprehendatur, (poſitis ſaltem his vel illis circumſtantiis.) Contendo vero ego nos æque certo ſcire debere, hunc illumve morbum expugnatum iri, ſi huic aut alteri intentioni ſatisfecerimus, ac certo jam ſcimus, nos hoc aliove remedii genere huic aut alteri intentioni ſatisfacere poſſe: quod quidem licet non ſemper & ubique, frequentiſſime tamen, καὶ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ votis reſpondet exhibentium, ita *ſennæ foliis* v. gr. alvum ſubducimus, *Papavere* invitamus ſomnum. Non is ſum, qui negem, debere Medicum animum diligenter advertere ad particularia, tum Methodi, tum Remedii eventa, quibus eſt uſus in morborum curatione, & in uſus ſuos reponere, tam ad ſublevandam memoriam, quam ut anſas inde arripiat, quibus paulatim peritior evadat Medicus, tandemque poſt diutina, & repetita ſæpius experimenta, Methodum ſibi figat firmetque, a qua in hujus aut illius morbi curatione ne hilum ſibi recedendum putet. Obſervationes autem particulares in lucem dare, non ita magnam, me judice, adfert utilitatem. Nam ſi id tantum agit *Obſervator*, ut nos doceat hunc morbum ſemel, vel etiam ſæpius huic remedio ceſſiſſe, quid mihi, obſecro, profuerit, ſi infinitæ fere medicamentorum decantatiſſimorum copiæ, qua jamdiu obruimur, adhuc aliud mihi hactenus inauditum accreſcat? Quod ſi repudiatis cæteris omnibus remediorum formulis, huic me unice addixero, annon innumeris fere experimentis probanda mihi venit ejus vis, innumeræ etiam circumſtantiæ trutinandæ, tum ipſam Methodum ſpectantes, antequam ex obſervatione ſolitaria fructum aliquem queam decerpere? Si obſervatori nunquam non reſponderit Medicamentum, quare in particularibus verſatur, niſi aut ſibi diffidat ipſe, aut minutatim potius quam in ſolidum impoſuiſſe orbi videri præoptet? Quam vero in proclivi ſit denſiſſima hujus generis volumina conſcribere, nemo vel mediocriter in praxi verſatus ignorat; uti nec e contra quam ſit illud difficile, perfectam & confirmatam undique Medendi Methodum in quovis morbo condere ac ſtabilire. Si vel unus tantum per ſingula mundi ſæcula hoc modo unicum tractaverit morbum, Medendi Ars (quæ Medicorum eſt provincia) a multis retro annis ad ἄκμὴν perveniſſet, omnibus abſoluta numeris, ſaltem in quantum fert mortalium ſors. Quæ vero fundi noſtri eſt calamitas, jamdiu ab antiquiſſimo & peritiſſimo duce *Hippocrate*, & priſca Medendi Methodo, cauſarum conjunctarum (utpote quæ certo ſe prodant) cognitione ſuperſtructa, deſcivimus; unde eſt, ut quæ hodie exercetur, a Logodædalis conficta, confabulandi magis ſit Ars, quam Medendi. Sed ne hanc ego dicam temere impegiſſe videar, fas mihi ſit e via parumper deflectere, quo ſcilicet evincam Cauſas illas remotiores, in quibus aſſignandis & in lucem extrahendis hominum Curioſorum & φερέσοφων vanæ ſpeculationes unice deſudant triumphantque, prorſus eſſe ἀκαταλήπτους ac inſcrutabiles; ſolas vero proximas & conjunctas a nobis poſſe cognoſci, atque ab his ſolis indicationes curativas eſſe mutuandas.

Obſervandum eſt itaque, quod ſi Humores vel diutius, quam par eſt, in corpore fuerint retenti, (quia ſcil. Natura eoſdem concoquere nequeat, ac deinceps expellere) vel ab hac aut illa aeris conſtitutione labem morbificam contraxerint; vel denique contagio aliquo venenato infecti in ejuſdem caſtra tranſierint; his inquam modis & his ſimilibus, & dicti Humores in formam ſubſtantialem, ſeu *ſpeciem* exaltantur, quæ his aliiſve Affectibus cum propria Eſſentia convenientibus ſe prodit; quæ quidem ſymptomata, licet minus cautis videantur oriri, vel a natura partis, quam humor obſedit, vel a natura humoris ipſius, antequam hanc induerat ſpeciem, nihilominus revera Affectus ſunt ab eſſentia dictæ ſpeciei in hunc gradum recens evectæ, pendentes. Adeo ut quilibet *morbus ſpecificus* Affectio ſit ab hac vel illa ſpecifica Exaltatione, vel ſpecificatione ſucci cujuſdam in corpore animato ortum duceus. Sub hoc genere poteſt comprehendi maxima pars morborum, qui certum aliquem typum ac formam agnoſcunt.

Et

Et profecto haud minus ſe natura methodo aſtringit in his tum producendis, tum maturandis, quam in *Plantis*, ſive etiam *Animalibus*. Quinimo ut cuilibet ſive Plantæ, ſive Animali proprii quidam ac peculiares Affectus competunt, ita ſe res habet in qualibet ſucci cujuſcunque exaltatione, ubi ſemel in *ſpeciem* proruperit. Exemplum hujus rei ſatis luculentum quotidie nobis ingerunt, & ob oculos ponunt variæ iſtæ Excreſcentiarum ſpecies, quas Arbores, Fruticeſque emittunt, vel ob ſucci Nutritii perverſionem & depravationem, vel alias ob cauſas, in forma ſcilicet *Muſci*, *Viſci*, *Fungorum*, aliorumque id genus: quæ omnia *Eſſentiæ* ſunt ſive *Species*, a parente ſeu Frutice, diverſæ plane atque diſtinctæ. Et ſane qui ſerio atque ad amuſſim penſitaverit φαινόμενα illa, quæ Febrem v. g. *Quartanam* comitantur; Quod *viz.* fere ſemper ſub Autumno ingreditur; quod certum ordinem ac typum ubique ſervat, revolutiones periodicas quarto quoque die non minus certo repetens, quam ſuas repetit Horologium, ſive aliud quoddam ejuſmodi αὐτόματον, (niſi ab accedente aliquo extrinſecus adveniente hic ordo perturbetur) quod cum rigore ac notabili frigoris ſenſu aggreditur, quem excipit caloris perceptio non minus ſenſibilis, quæ tandem in ſudore effuſiſſimo terminatur; quod denique morbus hic, quemcunque demum invaſerit, vix ante *Vernum Æquinoctium* abigi poterit & fugari; qui hæc, inquam, omnia penſiculatius trutinaverit, haud minus firmis rationibus inducetur, ut credat, morbum hunc *ſpeciem* eſſe, quam ſunt illæ, ob quas credit Plantam eſſe ſpeciem, quæ parem ſemper ad normam e terra naſcitur, floret, interitque, atque in reliquis afficitur pro ratione Eſſentiæ ſuæ, neque facile comprehendi poteſt, qui fiat ut hic *morbus* oriatur a combinatione ſive principiorum, ſive qualitatum evidentium, cum *plantæ* ſubſtantia ac ſpecies diſtincta in rerum natura ubique agnoſcatur. Illud interim non diffitemur, quod cum ſpecies ſive Animalium, ſive Plantarum ſingulæ (demptis perpaucis) per ſe ſubſiſtant, iſtæ Morborum Species ab iis dependent humoribus, a quibus generantur.

Tametſi vero ex jam dictis conſtare videatur morborum plerorumque cauſas inſcrutabiles prorſus eſſe, ac ἀνεκδιηγήτους, non tamen inſolubilis erit illa quæſtio: *Quo pacto ſanari poſſint?* cum de cauſis remotioribus hoc aſſeramus. Nemo autem eſt qui non videat curioſos iſtos ſpeculatores in cauſis primo primis fere ac remotiſſimis indagandis, ac in lucem (ut ut invita Minerva ac reclamante naturæ ſenſu) protrahendis operam perdere; immediatas vero & conjunctas, ſeu ante pedes jacentes, contemnere, quæ tamen neceſſario debent cognoſci, & poſſunt etiam, ſine ſiculneis hujuſmodi adminiculis, cum Intellectui ſe aperte ſiſtant, vel proprii ſenſus teſtimonio, vel Anatomicis Obſervationibus ab aliis jampridem factis, retectæ. Atque ut impoſſibile plane eſt, ut Medicus eas morbi cauſas ediſcat, quæ nullum prorſus cum ſenſibus habent commercium, ita neque eſt neceſſe; abunde enim ſufficit, ut ſciat, unde immediate oritur malum, taleſque ejus effectus atque ſymptomata, ut inter hunc aliumque morbum hujus non diſſimilem, valeat accurate diſtinguere. In *Pleuritide* v. gr. diu atque incaſſum ſe fatigabit aliquis, nec tamen mente aſſequetur parvam illam Craſin & male cohærentem ſanguinis texturam, quæ prima eſt hujuſce mali origo; qui vero cauſam a qua immediate producitur recte cognoverit, & ab aliis morbis quibuſcumque rite valeat diſtinguere, non minus certo curandi ſcopum attinget, etiam neglecta otioſa iſta atque inutili remotiſſimarum cauſarum indagine. Sed hæc ὡς ἐν παρέδῳ.

Jam vero ſi quærat aliquis, an ad prædicta in Arte Medica deſiderata duo (Veram ſcilicet & Genuinam morborum *Hiſtoriam*, & certam confirmatamque medendi *Methodum*) non etiam accedat tertium illud, Remediorum nempe *Specificorum Inventio*? aſſentientem me habet & in vota feſtinantem. Etſi enim *Methodus* ſanandis morbis *Acutis* maxime accommoda mihi videatur, quibus exigendis cum natura ipſa certum aliquem Evacuationis modum ſtatuerit, quæcunque Methodus eidem fert opem in promovenda dicta evacuatione, ad morbi ſanationem neceſſario conferet; optandum eſt tamen, ut beneficio *ſpecificorum*, ſi quæ talia inveniri poſſint, æger rectiori ſemita ad ſanitatem proficeret; & (quod majoris etiam momenti eſt) extra aleam malorum, quæ ſequuntur aberrationes iſtas, in quas ſæpe invita dilabitur Natura in morbi cauſa expellenda, (ut ut potenter & docte ei ab aſſiſtente Medico ſubveniatur) poſſit collocari.

Verum quod ad morbos *Chronicos* ſanandos attinet, licet nihil dubitem ulteriores in medendo profectus vel a ſola *Methodo* poſſe ſperari, quam qui in primam ſtatim cogitationem incurrant, attamen plus ſatis conſtat deficere illam in curatione *Chronicorum* aliquot vel maxime ſpectabilium inter eos, quibus homines urgentur; quod ob hanc præcipue cauſam uſu venit, quia ſcil. Natura in hujuſcemodi morbis non habet Methodum tam efficacem, qua materiam morbificam foras ejiciat, (perinde atque in *Acutis*) quo nos cum eadem manus jungentes & ad debitum dirigentes ſcopum, morbum debellare valeamus. In vincendo itaque morbo Chronico is demum jure meritoque Medici nomen ſibi vendicat, penes quem eſt ejuſmodi medicamentum, quo morbi *Species* poſſit deſtrui: non qui id tantum agit, ut e primis ſecundiſque qualitatibus nova aliqua introducatur, & prioris ſubeat vicem; quod fieri quidem poteſt non extincta ſpecie; v. gr. calefieri poteſt, aut refrigerari; qui *Podagra* laborat, vigente adhuc podagra, necdum devicta. Methodo hac, qua diverſæ tantum qualitates introducuntur, morbi *Specifici* non magis immediate perdomantur, quam ignis gladio extinguitur. Quid enim, obſecro, Calor, Frigus, Humidum, Siccumve, aut e ſecundis qualitatibus, quæ ab his pendent, alia aliqua ad morbi curationem faciet, cujus eſſentia in harum nulla conſiſtit? Si quis hic objecerit, ſatis magnum

gnum Remediorum Specificorum numerum jamdiu nobis innoteſcere, hunc ipſum, ſi examen paulo diligentius inſtituerit, in oppoſitas partes facile tranſiturum confido, cum unicus *Cortex Peruvianus* a ſuis militet. Toto enim cælo diſtant, quæ huic aliive *indicationi Curativæ* ſpecifice reſpondent Medicamenta, cui ſi faciamus ſatis, morbus abigitur; & quæ hunc aliumve *Morbum* ſpecifice atque immediate perſanant, nullo habito reſpectu ad hanc aut illam Intentionem ſive Indicationem Curativam: v. gr. *Mercurius* & *Sarſæ radices* in *Lue Venerea ſpecifica* vulgo audiunt, quæ tamen pro ſpecificis propriis atque immediatis non debent haberi, niſi argumentis ſatis validis atque irrefragabilibus poſſit confici, *Mercurium* nulla excitata *Salivatione*, *Sarſæ* vero radices ſine motis *ſudoribus* tam egregiam operam præſtitiſſe. Ad hanc pariter normam alii etiam morbi aliis Evacuationibus curantur, cum tamen quæ adhibentur Remedia, non magis proprie competant immediatæ curationi iſtorum morborum, qui eis ſanantur Evacuationibus, quibus faciendis ejuſmodi remedia maxime proprie deſignantur; quam *Scalpellum Phlebotomum Pleuritidi*; quod tamen nemo opinor *Specificum* hujus morbi facile appellaverit.

Specifica proinde medicamenta, ſi ad hanc mentem noſtram reſtringantur, non cuivis homini contingunt, neque oſcitantibus temere ſe ingerunt; nullus tamen dubito, quin in exundanti illa plenitudine, qua turget Natura diffluitque, ita jubente *Optimo Maximo* rerum omnium *Conditore*, in ſingulorum præſervationem proſpectum pariter ſit de curatione malorum magis inſignium, quæ homines vexant; idque pro foribus, & in patrio cujuslibet ſolo. Et ſane dolendum eſt, *Plantarum* naturam nondum magis explorato nobis innoteſcere; quæ mihi videntur reliquæ omni, qua patet, Materiæ Medicæ palmam præripere, & quæ inveniendorum, de quibus jam diximus, Remediorum uberrimam nobis ſpem faciunt: Cum *Animalium* partes cum humano corpore nimium convenire videantur, nimium diſſidere *Mineralia*; unde eſt quod Mineralia Indicationibus potentius reſpondere, quam vel plantas, vel ex animalibus deſumpta, lubens fateor; at non ſpecifice tamen mederi, eo quo diximus ſenſu ac modo. Me quod ſpectat, non hic aliud mihi ſumo præter laborem ac tædium hæc atque hujuſmodi diu multumque jam per aliquot annos animo verſandi; necdum mihi tam feliciter ceſſit, ut cum prudenti fiducia, quæ de iis cogitaverim, in publicum dare auſim.

Quantumlibet vero mihi præ cæteris arrideant *Plantæ*, non tamen is ſum, qui eximia illa Medicamenta ex alia tribu deſumpta, quæ vel hoc, vel alio aliquo ſæculo hominum induſtria atque labore Intentionibus apte reſpondentia reperta fuere, contemnam. Inter quæ primum ſibi locum vendicant quæ nomine *Guttarum Doctoris Goddard* inſigniuntur, & a Viro *Doctiſſimo* & *ſolertiſſimo* tam Methodi quam Remediorum indagatore, *Domino Doctore Goodall* præparantur; quarum vim ac efficaciam in attingendo, ad quem vulgo diriguntur, ſcopo, cæteris quibuſque *ſpiritibus Volatilibus* jure præfero.

Coronidis loco, cum in hac introductione fuerim pollicitus, me daturum ſpecimen eorum, quæ in hujus Artis Augmentum utcunque conatus ſum; fidem liberare jam tentabo in tradendis Hiſtoria, Curationeque *Acutorum Morborum*. Qua in re licet ſatis advertam, me ſupinis atque ignorantibus fructum omnem eorum, quos per meliores vitæ annos corpore animoque exantlavi laborum, expoſiturum, malum tamen peſſimi hujus ſæculi genium ſatis habeo perſpectum, ut non aliam ex hac ſemente, quam convitiorum atque contumeliarum meſſem expectem: Meque famæ meæ longe melius conſuluiſſe, ſi inanem aliquam atque inutilem ſpeculationem commentatus fuiſſem. Hoc vero mihi perinde eſt: Mercedem aliunde præſtolor. Si quis hic objiciat alios æque in hac arte verſatos non idem mecum de his rebus ſentire; meum non eſt quid ſentiant alii, diſquirere, ſed meis obſervationibus adſtruere fidem, quod ut faciam, Lectoris patientiam deſidero tantum, non favorem. Res ipſa etenim brevi loquetur, an fideliter & ſincero animo hic egerim, an e contra ad inſtar ſceleratiſſimi hominis morumque profligatiſſimorum, homicidam me præſtiterim vel in terra defoſſus. Illam tantum mihi veniam peto, quod minus accurate quam propoſueram morborum Hiſtoriam ac Curationem deſcripſero; cum non tam metam figam, quam animos iis addam, qui feliciore ingenio præditi ad hoc opus poſthac ſe accingent, quod jam ego imperfecte molior.

Unum adhuc reſtat, de quo monendus eſt Lector, mihi in animo non eſſe, ſequentes paginas infinito particularium obſervationum numero diſtendere, quibus Methodo ibidem traditæ fidem adſtruam: fruſtra enim & cum tædio Lectoris repeterentur iſta ſingulatim, quæ in ſummas contraxi. Satis autem ad calcem Obſervationis cujuslibet Generalis (ſaltem quæ ad annos nuperos ſpectat) Particularem hic illic adnectere, qua Methodi præcedentis medulla continetur. Hoc interim ſpondeo, nullam a me Methodum Generalem fuiſſe evulgatam, quæ experientia reiterata non eſt ſtabilita, atque confirmata.

Sed & ſpe fruſtrabitur, qui ingentem Remediorum, ſeu formularum ſylvam hic expectaverit, cum Medici judicio permittatur, ut pro re nata iis utatur; mihi ſufficit innuiſſe, quibus Indicationibus ſatisfaciendum eſt, quo etiam ordine & tempore; Etenim in eo præcipue ſtat Medicina Practica; ut genuinas Indicationes quod exſpicari valeamus, non ut remedia excogitemus, quibus illis ſatisfieri poſſit; quod qui minus obſervabant, *Empiricos* armis inſtruxere, quibus Medicorum opera imitari queant.

Quod

Quod si quis objecerit, me in aliquibus non tantum medicamentorum pompæ renunciasse, sed ea insuper remedia proposuisse, quæ ad materiam medicam nix possint referri, adeo sunt simplicia atque inartificiosa; vulgaribus tantum opinor ac plebeiis animis hac in re displicebo. Norunt enim Sapientes, Bona ea esse omnia quæ sunt utilia, atque *Hippocratem*, dum Follium usum in *Ileo* sanando proponit, & in *Cancro* nihil prorsus agendum præcipit, atque ejusmodi alia quæ in singulis fere pagellis scripta leguntur, non minus bene de re medica meruisse, quam si pomposis remediorum formulis omnia impleviſſet.

In animo erat & *Chronicorum* morborum *Historiam* tradere, eorum saltem, quos frequentissime tractaveram, sed cum operosius id sit, cumque harum, quas jam edo, Lucubrationum fortunam experiri primum libuerit, impræsentiarum supersedendum mihi esse duxi.

AUCTORI
IN TRACTATUM EJUS
DE
FEBRIBUS.

Febriles æstus, victumque ardoribus orbem
Flevit, non tantis per Medicina malis.
Nam post mille artes, Medicæ tentamina curæ,
Ardet adhuc Febris, nec velit arte regi.
Præda sumus flammis; solum speramus ab igne,
Ut restet paucus, quem capit urna, cinis.
Dum quærit Medicus Febris causamque modumque,
Flammarum & tenebras, & sine luce faces;
Quas tractat patitur flammas, & Febre calescens,
Corruit ipse suis victima rapta focis.
Qui tardos potuit morbos, artusque trementes
Sistere, Febrili se videt igne rapi.
Sic faber exesos fulsit tibicine muros,
Dum trahit antiquas lenta ruina domos.
Sed si flamma vorax miseras incenderit ædes,
Unica flagrantes tunc sepelire salus.
Fit fuga, tectonicas nemo tunc invocat artes,
Cum perit artificis non minus usta domus.
Se tandem Sydenham *Febrisque Scholæque furori*
Opponens, Morbi quærit, & Artis opem.
Non temere incusat tectæ putredinis ignes;
Nec fictus, Febres qui fovet, humor erit.
Non bilem ille movet, nulla hic pituita: Salutis
Quæ spes, si fallax ardeat intus aqua?
Nec doctas magno rixas ostentat hiatu,
Queis ipsis major Febribus ardor inest.
Innocuas placide corpus jubet urere stammas,
Et justo rapidos temperat igne focos.
Quid Febrim extinguat, varius quid postulat usus,
Solari ægrotos qua potes arte, docet.
Hactenus ipsa suum timuit Natura calorem,
Dum sæpe incerto, quo calet, igne perit:
Dum reparat tacitos male provida sanguinis ignes,
Præluſit busto, fit calor iste rogus.
Jam secura suas foveant præcordia flammas,
Quem natura negat, dat Medicina modum.
Nec solum faciles compescit sanguinis æstus,
Dum dubia est inter spemque metumque salus;
Sed fatale malum domuit, quodque astra malignum
Credimus, iratam vel genuisse Stygem.
Extorsit Lachesi *cultros, Pestique venenum*
Abstulit, & tantos non sinit esse metus.
Quis tandem arte nova domitam miteſcere Pestem
Credat, & antiquas ponere posse minas?
Post tot mille neces, cumulataque funera busto,
Victa jacet parvo vulnere dira Lues.
Ætheriæ quanquam spargunt contagia flammæ,
Quicquid inest istis ignibus, ignis erit.
Delapsæ cælo flammæ licet acrius urant,
Has gelida extingui non nisi morte putas?
Tu meliora paras victrix Medicina, tuusque,
Pestis quæ superat cuncta, triumphus erit.
Vive liber, victis Febrilibus ignibus; unus
Te simul & mundum qui manet, ignis erit.

J. LOCK. A. M. EX ÆDE
Christi Oxon.

NOI
RIFORMATORI
dello Studio di Padova

CONcediamo Licenza a *Giambattista Remondini* Stampator di *Venezia* di poter ristampare il Libro intitolato *Thomæ Sydenham Opera Medica* : osservando gli ordini soliti in materia di Stampe , e presentando le Copie alle Publiche Librerie di Venezia , e di Padova .

Dat. li 27. Novembre 1761.

Marco Foscarini Cav. Proc. Rif.

Polo Renier Rif.

Registrato in Libro a Carte 106. al Num. 410.

Giacomo Zuccato Segretario.

SERIES TRACTATUM ET CAPITUM.

OBSERVATIONES Medicæ circa *Morborum Acutorum Historiam & Curationem*. Pag. 1.

SECTIO PRIMA.

CAPUT I. *De Morbis acutis in genere*. P. 1.
II. *De Morbis Epidemicis*. ib.
III. *Constitutio Epidemica annorum* 1661. 62. 63. 64. *Londini*. 3
IV. *Febris continua hujus Constitutionis*. ib.
V. *Febres intermittentes*. 7

SECTIO SECUNDA.

Cap. I. *Constitutio Epidemica annorum* 1665. & 1666. *Londini*. 11
II. *Febris pestilentialis & pestis*. ibid.

SECTIO TERTIA.

CAP. I. *Constitutio Epidemica annorum* 1667. 68. *partim etiam* 69. *Londini*. 15
II. *Variolæ regulares*. ib.
III. *Febris continua hujus Constitutionis*. 19

SECTIO QUARTA.

CAP. I. *Constitutio Epidemica partis anni* 1669. *atque integrorum* 70. 71. 72. *Londini*. 21
II. *Cholera Morbus*. ibid.
III. *Dysenteria*. 22
IV. *Febris continua hujus Constit.* 23
V. *Morbilli*. 24
VI. *Variolæ anomalæ hujus Constitut.* 25
VII. *Colica bilioſa*. 26

SECTIO QUINTA.

CAP. I. *Constitut. Epidem. partis anni* 1673. *atque integrorum* 1674. & 75. 28
II. *Febris continua hujus Constitut.* ibid.
III. *Morbilli*. 30
IV. *Variolæ Anomalæ hujus Constitut.* ibid.
V. *Tusses Epidemicæ cum pleuritide & peripneumonia supervenientibus*. 31
VI. *Anacephalæosis*. 33

SECTIO SEXTA.

CAP. I. *Febres intercurrentes*. 33
II. *Febris Scarlatina*. 34
III. *Pleuritis*. ibid.
IV. *Peripneumonia notha*. 35
V. *Rheumatismus*. 36
VI. *Febris Erysipelatosa*. 37
VII. *Angina*. ib.

THOMÆ SYDENHAM Epistola Responsoria *de Morbis Epidemicis* ab anno 1675. ad annum 1680. ad Robertum Brady M. D. 39

Bernardini Ramazzini, *Dissertationes tres de Constitutionibus annor.* 1690. 1691. 1692. 1693. 1694. *in Mutinensi Civitate & illius Ditione*. 44. 49. 54

Lucæ Schroeckii, *Historia Constitutionis Epidemicæ Augustanæ, anni* 1695. 59

Michaelis Bernardi Valentini, *Constitutio Epidemica Hassiaca, anni* 1693. & 1694. 60

Joannis Jacobi Harderi, *Constitutio Epidemica Basileensis, anni* 1695. ibid.

Gustavi Casimiri Garhliep, *Constitutio Epidemica Berolinensis, anni* 1695. ibid.

Michaelis Bernardi Valentini, *Constitutio Epidemica Hassiaca, anni* 1695. 62

Lucæ Schroeckii, *Constitutio Epidemica Augustana, anni* 1696. ibid.

Gustavi Casimiri Garhliep, *Constitutio Epidemica Berolinensis, anni* 1696. 63

Conradi Bertholdi Behrens, *Constitutio Epidemica Hildesiensis, anni* 1695. & 1696. ib.

Lucæ Schroeckii, *Constitut. Epidemica Augustana, anni* 1699. & 1700. 65

Gustavi Casimiri Garhliep, *Constitut. Epidem. Berolinensis, anni* 1699. 66

Joh. Jac. Harderi, *Constitutio Epidemica Basileensis, anni* 1699. 67

Rudolphi Jacobi Camerarii, *Constit. Epid. Tubingensis, anni* 1699. & 1700. ib.

Ambrosii Stegmanni, *Constit. Epid. Mansfeldiaca, anni* 1697. & 1698. 68

Gustavi Casimiri Garhliep, *Constit. Epid. Berolinensis, anni* 1700. ibid.

Constit. Epidemica Uratislaviensis, annorum 1699. 1700. & 1701. 70. 72. 73

Constit. Epidem. Berolinensis, anni 1702. 75

Lucæ Schroeckii, *Constit. Epidem. Augustana, annorum* 1701. 1702. 1703. 1704. & 1705. ibid.

THOMÆ SYDENHAM, Epistola Responsoria *de Luis Venereæ Historia & Curatione* ad Henricum Paman M. D. 77

Gualteri Harris, *de Lue Venerea, ejusque origine, natura & curatione, Dissertatio*. 81

THOMÆ SYDENHAM, Dissertatio Epistolaris ad Guilielmum Cole M. D. *De Observationibus nuperis circa Curationem Variolarum Confluentium; necnon de affectione Hysterica*. 83

Bernardini Ramazzini, *de Contagiosa Epidemia, quæ in Patavino Agro, & tota fere Veneta Ditione in Boves irrepsit, Dissertatio*. 95

THOMÆ SYDENHAM Tractatus *de Podagra & Hydrope*. 99

THOMÆ SYDENHAM *Schedula Monitoria de Novæ febris Ingressu*. 111. 112

Davidis Hamilton, *Tractatus de Febre Miliari, seu Vesiculari: accessit Febris miliaris Historiarum fasciculus*. 116

THOMÆ SYDENHAM, *De Febre Putrida Variolis Confluentibus superveniente*. 130

Ejusdem, *de mictu sanguineo a Calculo Renibus impacto*. 131

Caroli Drelincurtii, *de Calculo Renum & Vesicæ, Dissertatio*. 132

Martini Lister, *Dissertatio Medicinalis de Calculo Humano*. 135

THOMÆ SYDENHAM, *Processus integri in Mor-*

Morbi ve om. n gra-
phica iptoma: fracta-
tulo de Phthisi .o . 141.
151
Caroli Leigh, *Phthisiologia Lancastriensis*. 153
THOMÆ SYDENHAM, *de Podagra*. 157
Lucæ Schroeckii, *Constit. Epidem. Augustana*, *anni* 1697. 162
Ejusdem, *Constitutio Epidemica Augustana*, *anni* 1698. 159
Joh. Jac. Harderi, *Constitutio Epidemica Basileensis*, *anni* 1698. 161
Gustavi Casimiri Garhliep, *Constitutio Epidemica Berolinensis*, *anni* 1697. ib.
Ejusdem, *Constitutio Epidemica Berolinen s anni* 1698. ib.
Sylvestri Samuelis Anhornii, *Con. Epidemica Sangallensis*, *anni* 1697. ib.
Caroli Raygeri, *Constit. Epidem. Posonienſis*, *annorum* 1695. 1696. & 1697. ib.
Lucæ Schroeckii, *Constit. Epidem. Augustana*, *anni* 1701. & *sequentium*. 164
Joannis Jacobi Harderi, *Constitutio Epidemica Basileensis*, *anni* 1700. & 1701. 166
Gustavi Casimiri Garhliep, *Constit. Epid. Berolinensis*, *anni* 1701. ibid.
Ejusdem, *Const. Epidemica Berolinensis*, *anni* 1703. 167
Ejusdem, *Constit. Epidemica Berolinensis*, *anni* 1704. 168
Guntheri Christophori Schelhameri, *Constit. Epidem. Holsatica*, *anni* 1706. 169
Marci Gerbezii, *Constit. Epidem. Labacensis*, *anni* 1709. 170
Ejusdem, *Constitutio Epidemica Labacensis*, *anni* 1710. 171
Joh. Georgii Hoyeri, *Constit. Epidem. Mulhusina*, *anni* 1700. ib.
Rodulphi Jacobi Camerarii, *Constit. Epidem. Tubingensis*, *anni* 1701. 173
Ejusdem, *Schediasma ad Historiam Epidemicam*, *anni* 1702. 174
Joh. Guilhelmus Bayerus, *De Frigore Hyemali*, *anni* 1709. 175
Bernardini Ramazzini, *De Frigore Hyemali*, *anni* 1709. 176
Joh. Adami Genselii, *Constit. Epid. Inferioris Hungariæ*, *ann.* 1711. 1712. & 1713. 177. 178
Lucæ Schroeckii, *Constit. Epidem. Augustana*, *anni* 1711. 1712. 1713. 1715. 1716. & 1717. 180. 264. 265
Marci Gerbezii, *Constit. Epidemica Labacensis*, *anni* 1712. ibid.
Ejusdem *Const. Epidem. Labacensis*, *anni* 1713. 183
Ejusdem *Constitutio Epidemica Labacensis*, *anni* 1714. 184
Ejusdem *Constitutio Epidemica Labacensis*, *anni* 1715. ib.
Ejusdem *Constitutio Epidemica Labacensis*, *anni* 1716. 185
Ejusdem *Constitutio Epidemica Labacensis*, *anni* 1717. ib.
Josephi Lanzoni, *Constit. Epidem. Ferrariensis*, *anni* 1715. 186
Ejusdem *Constitutio Epidemica Ferrariensis anni* 1716. & 1717. ibid.
Guilielmi Musgrave, *De Arthritide Symptomatica*, *Dissertatio* 227
Ejusdem, *De Arthritide Anomala*, *sive interna*, *Dissertatio*. 246
Joan. Baptistæ Mazini *Mechanica Morborum*. 296
Ejusdem, *Mechanica Medicamentorum*. 334
Antonii Cælestini Cocchii *Epistolæ Physico-Medicæ*. 351
Bartholomæi Boschetti, *De Salivatione Mercuriali*, *Dissertatio*. 352
Novum Supplementum plures Clarissimorum virorum Tractatus ex nupera Genevensi Editione excerptos complectens. pag. 389

THO-

THOMÆ SYDENHAM

OBSERVATIONES MEDICÆ CIRCA MORBORUM ACUTORUM Hiſtoriam & Curationem.

SECTIO PRIMA.

CAPUT I.

De Morbis Acutis in genere.

DICTAT ratio, ſi quid ego hic judico, Morbum, quantumlibet ejus cauſæ humano corpori adverſentur; nihil eſſe aliud quam naturæ conamen, materiæ morbificæ exterminationem, in ægri ſalutem omni ope molientis. Cum enim hominum genus, ita volente ſupremo rerum omnium arbitro ac moderatore *Deo*, variis impreſſionibus, forinſecus advenientibus, excipiendis aptum natum ſit, fieri non poteſt, quin idem variis etiam malis fuerit obnoxium: quæ quidem partim ab iſtis aeris particulis naſcuntur, quæ cum corporis humoribus male convenientes in idem ſe inſinuaverint, nudo ſanguini permiſtæ, corpus omne morbifico afflant contagio; partim a variis fermentationum generibus, vel etiam putrefactionibus humorum, qui in corpore ultra juſtum tempus ideo ſunt commorati, quia ſcilicet iiſdem digerendis primum, dein excernendis, vel ob nimiam eorundem molem vel qualitatem incongruam, ſuppar idem non fuit. Hiſce rerum circunſtantiis ita intime eſſentiæ humanæ intertextis complicatiſque, ut nemo quiſquam ſe ab aliis inſolidum queat liberare, Natura de ejuſmodi methodo, ac ſymptomatum concatenatione ſibi proſpexit, quibus materiam peccantem atque alienam, quæ totius fabricæ compagem aliter ſolveret, e ſuis finibus poſſit excludere. Quamlibet autem frequentius longe quam fieri cernimus, illum, ad quem remediis hiſce ingratis collimat, ſanitatis ſcopum attingeret, niſi ab ignaris a recto, quem tenet, curſu detorqueretur; veruntamen cum ſibi relicta vel nimiopere ſatagendo, vel etiam ſibi deficiendo hominem letho dat, ferreæ illi atque inſolubili mortalitatis legi obſequitur, cui debemus nos noſtraque. Recte enim *Boetius*, atque ex rerum ſenſu

Conſtat æterna poſitumque lege eſt,
Conſtet ut genitum nihil.

Sed ut inſtantia una alterave jam dictorum veritatem aſſeramus; Ipſa *Peſtis*, quid obſecro, aliud eſt, quam ſymptomatum complicatio, quibus utitur natura ad inſpiratas una cum aere particulas μασμιώδεις, per emunctoria, apoſtematum ſpecie, vel aliarum eruptionum opera, excutiendas? Quid *Arthritis*, niſi naturæ providentia ad depurandum ſenum ſanguinem, atque expurgandum corporis profundum, ut cum *Hippocrate* loquamur? Poteſt & idem affirmari de pleriſque aliis morbis perfecte formatis.

Jam vero nunc hoc munere celerius fungitur natura, nunc vero tardius, pro varia methodo, qua cauſam morbificam deturbare nititur. Nam cum *Febris* opem depoſcit, qua adjutrice particulas inquinatas a ſanguine divellat, divulſaſque progreſſu adhuc ulteriori per ſudores, Diarrhœam, eruptiones, aut aliam iſtiuſmodi evacuationem expellat; cumque in ſanguinis maſſa corpore pertenui ac fluido res omnis peragatur, idque motu partium violentiore: neceſſe omnino eſt, non ſolum ut ſubito vel in ſalutem ægri vel in mortem determinetur (prout ſc. natura vel materiam morbificam critice norit ſolvere, vel ab eadem oppreſſa fatiſcat) ſed etiam ut pejora vehementioraque ſymptomata ſe ubique comites adjungant. Atque hujuſmodi plane ſunt morbi iſti, quos Acutos appellamus, qui velociter ſc. atque cum impetu & periculo ad ſtatum moventur. Quamvis, ſi minus accurate, haud tamen minus vere loquamur, iſti etiam morbi pro *Acutis* ſint habendi, qui, licet reſpectu paroxyſmorum, ſi omnes ſimul ſumantur, tardius moveant, reſpectu tamen paroxyſmi cujuslibet particularis, cito atque etiam critice ad finem perveniunt; quales ſunt febres intermittentes omnes.

Ubi vero continens morbi materia ejus eſt indolis, ut febrem in partes ſuas petrahere non valeat ad dictæ materiæ ſeparationem univerſalem; aut cum hujuſmodi materia parti alicui affigitur, quæ eidem explodendæ prorſus eſt impar, ſive ob propriam conformationem (uti ſe res habet in materia morbifica *Paralyticorum* nervis impacta; in materia item ſuppurata in cavitate Thoracis *Empyricorum*) vel ob defectum caloris naturalis, & ſpirituum, (ut cum pituita in pulmone decidit vel ſenio vel tuſſi diuturniore labefactatos) vel denique ob continuum materiæ novæ adfluxum, qua ſanguis vitiatus & ad ejuſdem eliminationem unice diſpoſitus, partem obruit gravatque: In his, inquam, caſibus, vel tarde admodum ad coctionem pervenit materia, vel non omnino; ideoque morbi ab hujuſmodi materia inconcoctibili provenientes *Chronici*, & nuncupantur & ſunt: A duobus his itaque principiis ſibi invicem contrariis, de quibus modo egimus, morbi alii *Acuti*, alii vero *Chronici* exurgunt.

Acutos quod ſpectat, quos impræſentiarum tractare mihi eſt animus, eorum alii a ſecreta atque inexplicabili aeris alteratione, hominum corpora inficientis, gignuntur, neque a peculiari ſanguinis, & humorum craſi omnino dependent, niſi quatenus occulta aeris influentia dictis corporibus eandem impreſſerit. Hi, durante arcana illa aeris conſtitutione, nec ultra pergunt laceſſere, neque alio ullo tempore invadunt. *Epidemici* hi dicti ſunt.

Acutorum alii, ab hac vel illa particulari corporum particularium ἀνωμαλίᾳ oriuntur, qui cum a cauſa magis generali non producantur, ideo neque plures ſimul corripiunt. Hi inſuper acuti quibuslibet annis, & quolibet anni tempore indifferenter invadunt; exceptis tamen iis quæ dicemus, ubi de genere hoc peculiariter agetur. Hos ego acutos *Intercurrentes* ſive *Sporadicos* appello, quia nullo non tempore contingunt, quo epidemici graſſantur. Ab *Epidemicis* primum exordium mihi ſumam, generalem eorundem hiſtoriam ante omnia proponens.

CAPUT II.

De Morbis Epidemicis.

NIhil quicquam, opinor, animum univerſæ qua patet Medicinæ pomœria perluſtrantem tanta admiratione percellet, quam diſcolor illa, & ſui plane diſſimilis morborum epidemicorum facies, non tam qua varias ejuſdem anni tempeſtates, quam qua diſcrepantes diverſorum ab invicem annorum *Conſtitutiones* referunt, ab iiſque dependent. Quæ tam aperta prædictorum morborum diverſitas tum propriis, ac ſibi peculiaribus ſymptomatibus, tum etiam medendi ratione quam hi ab illis diſparem prorſus ſibi vindicant, ſatis illuceſcit. Ex quibus conſtat, morbos hoſce, ut ut externa quadantenus ſpecie, & ſymptomatibus aliquot utriſque pariter ſupervenientibus convenire paulo incautioribus videantur, re tamen ipſa, ſi bene adverteris animum, alienæ admodum eſſe indolis, & diſtare ut *Æra Lupinis*. Haud equidem ſatis ſcio, an diligentius examen (quali rite inſtituendo vix unius hominis brevis ætas par eſſe videatur) nos edoceret, epidemicorum alios continua quadam ſerie, ſeu facto circulo, alios ſemper excipere; an vero omnes indiſcriminatim nulloque ſervato ordine, pro occulta aeris diatheſi, & inexplicabili temporum ratione, mortales inceſſere. Hoc ſaltem pro comperto habeo ex multiplici accuratiſſimarum obſervationum fide, prædictas morborum ſpecies, præſertim febres continuas ita toto, quod ajunt, cælo diſ-

.dem
emel
ɔecies
s (fa-
ngam,
quaque
anceps
m, ac
us animi ner-
vis, vix ac ne vix quidem poſſum efficere ne unus aut alter eorum, qui ſe primi meæ curæ commiſerint, vita periclitetur, donec inveſtigato jugiter tandemque perſpecto morbi genio, ad eundem perdomandum recto pede, & intrepidus denuo procedam.

Quamvis autem diverſas diverſorum annorum habitudines, quoad manifeſtas aeris qualitates, maxima qua potui diligentia notaverim, ut vel exinde cauſas tantæ epidemicorum viciſſitudinis expiſcarer, me tamen ne hilum quidem hactenus promoveri ſentio; quippe qui animadverto annos quoad manifeſtam aeris temperiem ſibi plane conſentientes, diſpari admodum morborum agmine inſeſtari, & vice verſa. Ita enim ſe res habet. Variæ ſunt nempe annorum *Conſtitutiones*, quæ neque calori, neque frigori, non ſicco humidove ortum ſuum debent, ſed ab occulta potius, & inexplicabili quadam alteratione in ipſis terræ viſceribus pendent, unde aer ejuſmodi effluviis contaminatur, quæ humana corpora huic aut illi morbo addicunt determinantque, ſtante ſcilicet præfaræ conſtitutionis prædominio, quæ exacto demum aliquot annorum curriculo faceſſit, atque alteri locum cedit. Unaquæque harum conſtitutionum generalium propria, ac peculiari ſibi febris ſpecie funeſtatur, quæ extra illam nuſquam comparet, cujuſmodi febres idcirco *Stationariæ* nobis audiunt.

Ad hæc ſunt, & particulares quædam ejuſdem anni, ut ita dicam, craſes, in quibus licet ſecundum manifeſtas aeris qualitates, ejuſmodi febres quæ generaliorem anni conſtitutionem ſequuntur magis minuſve epidemice graſſentur, vel ſerius ocyuſve ingruant; præ cæteris tamen ejuſmodi febres, quæ omnibus in univerſum annis competunt (quas ideo *Intercurrentes* voco) ab hoc, illove manifeſto aeris temperamento ortum ducunt; verbi gratia, *Pleuritis*, *Angina*, & reliquæ ejuſdem farinæ, quæ a ſubito calore, intenſius ac diuturnum frigus ſtatim excipiente, plerumque invadunt. Poteſt itaque fieri, ut ſenſibiles aeris qualitates ad illas quidem febres producendas faciant, quæ in qualibet conſtitutione ſe exerunt; non vero ad iſtas alias quæ certæ alicui conſtitutioni quaſi propriæ, ac peculiares exiſtunt: Fatendum tamen eſt, prædictas aeris qualitates corpora noſtra ad hujus illiuſve morbi epidemici generationem magis minuſve diſponere; quod, & de quocunque errore circa *ſex res non naturales* dictum volo.

Animadvertendum autem eſt, epidemicorum alios in hoc aut illo anno regulariter, & eodem ſemper modo ſe habere, iiſdem plane phænomenis, & conformi ſymptomatum agmine in pleriſque fere omnibus quos adoriuntur, ſtipatos, atque eadem prorſus via ſibi fugam, & exitum parantes. Ex his itaque tanquam in ſuo genere perfectiſſimis, vera, & certa morborum epidemicorum hiſtoria ediſcenda eſt atque tradenda.

Sunt vero alii aliorum annorum morbi, qui licet epidemicorum inſigniantur nomine, enormes tamen ſunt, & perquam *anomali*, utpote qui nulli ſe typo patiuntur aſtringi; & revera mali ſunt moris, tum quoad incertam ſymptomatum varietatem certiſſimamque diſſimilitudinem; tum quoad methodum, qua ſe ipſi expediunt, & amoliuntur. Hæc tanta illorum diſparitas exinde oritur, quod ſcilicet quælibet conſtitutio morbos parit, a morbis ejuſdem generis, qui alio tempore graſſabantur, multum abludentes, quod non tantum in febribus locum habet, ſed in pleriſque aliis epidemicis.

Neque hic finitur *Oreſtes*: reſtat enim & aliud paulo ſubtilioris θεωείας, luxuriantis, ſi fas eſt dicere, naturæ luſus; quod nempe idem morbus in ipſiſſima anni conſtitutione varia ſæpe, & diſſimili ſe facie oſtentat, quod ad tempora attinet principii, ſtatus, & declinationis; quod quidem tanti poteſt eſſe momenti, ut pro ejus arbitrio curativæ indicationes ponendæ, ſumendæve fuerint.

Porro obſervandum eſt, epidemicos quoſcunque in duo omnino ordines diſpeſci: *Vernos* dico, & *Autumnales*: & quamvis fieri poteſt, ut alia qualibet anni tempeſtate ſubnaſcantur, ad illam tamen ſunt relegandi, Ver Autumnuſve fuerit, quam proxime contingunt: Accidit enim nonnunquam, aeris temperiem cum epidemicorum aliquo in tantum conſpirare, ut, eo fautore, ante tempus ſibi debitum miſeros invadat, & e contra eſt, ubi tam parum illis inter ſe convenit, ut corpus prædiſpoſitum non niſi aliquandiu poſt aggrediatur. Cum itaque *Ver* dico, val *Autumnum*, non de ipſo ſtatim *Æquinoctio*, ſive *Verno* ſive *Autumnali*, ad amuſſim loquor.

Epidemicorum, qui *Verno* tempore graſſantur, alii mature admodum ſe ingerunt, menſe ſcilicet *Januario*, & exinde pedetentim increbreſcentes circa *Æquinoctium Vernale* ad ſtatum perveniunt, a quo ſenſim imminuti circa *Solſtitium Æſtivum* evaneſcunt, niſi quod pauciſſimi poſtea forſitan hunc illumve petant. In horum numero ſunt *Morbilli*, ut & *Febres Tertianæ Vernales*, quæ, licet ſerius aliquanto emergant, *Februario* nempe, tamen appetente *Æſtivo Solſtitio* pariter ſe ſubducunt. At vero alii *Vere* orti, & de die in diem invaleſcentes non niſi ſub *Æquinoctium Autumnale* ſtatum indipiſcuntur, quo præterlapſo paulatim cedentes, tandem adventante brumali frigore vertuntur in fugam, hujuſmodi ſunt *Peſtis* ipſa, & *Variolæ*, iſtis annis, quibus eorum utervis aliorum morborum prædominio fuerit potitus.

Cholera Morbus ex epidemicorum autumnalium familia menſe *Auguſto* exorſus intra anguſtos unius menſis cancellos concluſus percurrit ſua tempora. Sunt tamen alii qui eadem tempeſtate prognati uſque ad hyemem excurrunt, v. g. *Dyſenteria*, *Febres Quartanæ*, & *Tertianæ Autumnales*. Hi omnes, utut eorum aliquos quos ſemel invaſerint longiori, vel breviori tempore affligant, plerumque tamen intra duorum menſium ſpatium, & nomen, & epidemicorum naturam prorſus amittunt.

Febres autem ſpeciatim quod attinet, obſervandum eſt, maximam earum partem, quæ *Continuæ* ſunt, nulla hucuſque nomina, in quantum a conſtitutionis generalis influentia pendent, obtinuiſſe, appellationes autem quibus dignoſcuntur ab inſigni aliqua alteratione ſanguini impreſſa, vel evidentiori ſymptomate mutuari. Hac ratione *Putridæ* dicuntur, *Malignæ*, *Petechiales*, &c. Quandoquidem vero ſingula ferme conſtitutio præter has quas parturit febres, ad alium morbum aliquem magis Epidemicum eodem tempore propagandum proclivis eſt celebrioris nominis, cujuſmodi ſunt *Peſtis*, *Variolæ*, *Dyſenteriæ*, &c. non ſatis video, cur iſtiuſmodi febres non potius ſortirentur nomina a conſtitutione, quatenus horum morborum alterutri producendo favet, eodem illo tempore quo comparebant, quam a qualibet ſanguinis alteratione, vel ſymptomate particulari, quæ diverſæ ſpeciei febribus pari jure poſſunt competere. *Intermittentes* vero nomina ſibi deſumunt ab intervallo Paroxyſmi interjecto, atque hoc quidem charactere ſatis diſcriminantur, ſi variarum etiam anni tempeſtatum quibus contingunt, Veris ſc. & Autumni, habeatur ratio. Licet nonnunquam earum aliquæ de intermittentium natura revera participent, nullo charactere admodum viſibili eaſdem prodeunte. Ut cum præmaturæ, *Julio* menſe, v. g. intermittentes Autumnales ingrediuntur atque increbreſcunt, non ſtatim genuinum typum induunt, (quod intermittentibus Vernis quidem ſolemne eſt) ſed continuas febres ita per omnia imitantur, ut niſi caſtigatiſſimo utraſque examine trutinaveris, ab invicem diſcriminari non poſſint, ac retuſo paulatim conſtitutionis impetu, & frænata vi, jam in typum regularem migrant, atque exeunte Autumno, larva abjecta, intermittentes ſe eſſe, quales ab initio reapſe fuerunt, palam fatentur, ſive Quartanæ illæ fuerint, ſive Tertianæ, quod ſi non diligenter animadverterimus, cum magno ægrorum noſtrorum malo medicantes hallucinabimus, dum hujuſmodi febres, quæ ex intermittentium numero ſunt, pro continuis veris & genuinis habeantur.

Porro, quod ſedulo advertendum, cum plures aliquot horum morborum eundem fatigent annum, unus eorum aliquis reliquorum prædominio potitur, cæteris in ejus quaſi ditionem redactis, & parcius id temporis ſævientibus, ita ut illo augeſcente imminuantur hi, eodemque rurſus imminuto, mox recrudeſcant. Atque ita viciſſim mortales laceſſunt, prout anni genius & ſenſibilis aeris temperies huic aut illi magis ſuffragantur. Qui vero morbus circa Æquinoctium Autumnale maximopere furit & cumulatiſſimam edit ſtragem, totius anni conſtitutioni nomen impertit ſuum; quiſquis enim fuerit morborum, qui ea tempeſtate pro cæteris invaluerint, principatum omnium qui iſto anno invadunt, obtinuiſſe facile deprehendetur, cujus ingenio Epidemici, quotquot ſunt, σύγχρονοι ſe accommodant, in quantum eorum fert natura; v. g. cum *Variolæ* eo tempore latiſſime depopulantur, febris toto anno ſparſim oberrans ejuſdem plane inflammationis eſt particeps, quæ Variolas parit. Uterque nempe morbus ad eandem fere normam adoritur, maximaque inter maxima propria utriuſque ſymptomata intercedit cognatio, (excepta Variolarum eruptione, & reliquis, quæ ab illa pendent) ut ex ingenti illo tum ad ſpontaneos ſudores, tum ad ſalivam excernendam propenſione, in qua utrique convenit, abunde conſtat. Pariter, cum *Dyſenteriæ* dicto tempore præcipue fuerint graſſatæ, febris, quæ eo anno infeſtat, earundem indolem non leviter æmulatur, niſi quod illæ cauſam morbificam per ſedes eliminent, & pauca alia exinde naſcantur ſymptomata, quod tum a conſimili utriuſque morbi inſultu, tum etiam quod utroque malo correpti Aphthis ſimilibuſque invicem ſymptomatibus admodum ſint obnoxii, ſatis evincitur. Et ſane Dyſenteria, de qua agitur, ipſiſſima illa febris eſt; hoc tantum diſcrimine, quod introvertatur & in inteſtina ſe exonerans per eamdem viam ſibi faciat. Notandum autem eſt, Epidemicorum illum principem, qui ſub Æquinoctio Autumnali, ceu rupto aggere torrens, omnia ſtraverat, ingruente hyemis frigore intra ſuum ſe alveum condere: cum ex adverſo Epidemici inferioris ordinis, qui ſub eo merentur, tunc temporis præſertim ingraveſcant & rerum potiantur, donec dictus anni princeps eorum vires denuo frangat & deleat nomen.

Poſtremo obſervandum eſt, quoties conſtitutio aliqua varias Epidemicorum ſpecies parit, ſingulas has ſpecies genere ab illis differre, quæ cum idem plane nomen ſortiantur, alia tamen conſtitutione generentur; quotcunque ſint autem ſpecies illæ peculiares, quæ in una eademque conſtitutione invadunt, in communi una atque generali cauſa ſingularum productrice, omnes conveniunt, hac ſcilicet aut alia aeris diatheſi peculiari; & ex conſequenti, quantocunque ab invicem, quoad typum & formam ſpecificam, intervallo diſtent. Conſtitutio tamen omnibus communis ſubjectam ſingularum materiam ad ejuſmodi conditionem atque ſtatum effingit formatque, ut præcipua ſymptomata, quæ ad particularem evacuationis modum nihil attinet, omnibus paria ſint; ſingulis etiam in hoc conſpirantibus, ut eodem pariter omnes tempore & intendant ſævitiam & remittant. Notandum eſt inſuper, quibus annis variæ illarum ſpecies graſſantur uno eodemque tempore, eas omnes modo quo primum aggrediuntur, atque invaſionis ſymptomatis conſentire.

Hinc itaque cernere eſt, variam admodum & accuratam naturæ methodum, quam ad morborum generationem adhibet, quam nemo hominum, arbitror, hactenus pro rei dignitate ſatis obſervando eſt aſſecutus. Atqui ex pauculis hiſce omnino conficitur (cum ſpecificæ popularium morborum differentiæ, nominatim febrium, arcanæ annorum conſtitutioni innitantur) incaſſum deſudare illos, quotquot diverſarum febrium rationes a cauſa morbifica in humano corpore aggeſta deducunt; nam liquido patet, quemlibet, pancratice licet valentem, ſi certa quædam hujus noſtræ regionis loca adeat, febre ibidem graſſante intra dies aliquot laboraturum: vix autem credibile ſit, manifeſtam aliquam *mutationem* ab aere præfati viri humoribus tam brevi impreſſum iri. Neque minus difficile eſt, generales regulas febribus his debellandis accommodare, & certos aliquos limites figere, quos ultra citraque progredi, aut in iiſdem conſiſtere, non liceat. In hac itaque tam ſpiſſa rerum caligine, nihil mihi prius eſt, quam quando novæ febres graſſari incipiunt, cunctari pauliſper, & ad magna præſertim remedia non niſi ſuſpenſo pede ac tardius procedere; diligenter interim illarum ingenium atque morem obſervare; quibus itidem præſidiorum generibus ægri juventur vel lædantur, ut quamprimum his repudiatis, illis utamur.

Verbo dicam, Epidemicorum ſpecies omnes juxta Phænomœnon ſuorum varietatem in claſſes redigere, ac characteres cujuſque idiopathicos enucleare, nec non propriam medendi rationem unicuique ſigillatim accommodare, ut res eſt multi otii ac ſumme ardua, ita etiam cum nullo certo (aut ſaltem nondum explorato) annorum ordine emergant, ad juſtum de iiſdem obſervationum apparatum congerendum fortaſſe unius Medici ætas non ſufficerit. At vero hic labor, utut ſit improbus, prius eſt exantlandus, quam nos aliquid

memo-

memoratu dignum in extricanda tam multifaria horum m[illegible] serie præstitisse jure possimus gloriari.

At vero quibus demum modis, rationem reddemus dis[illegible] specierum *Epidemicorum*, qui non tantum, quatenus salte[illegible] quet, fortuito incurrant, sed etiam qui uno anno aut certa aliqua[illegible] annorum serie ejusdem sunt generis; anno alio specie ab aliis alii di[illegible] stiguuntur? Nulla hic mihi unquam methodus æque commoda est visa atque illa, quæ per sufficientem annorum numerum protensa, eodem illos ordine describeret, quo se invicem excipiebant & insequebantur. Quod ut jam pro meo modulo efficiam, historiam & curationes Epidemicorum, qui ab anno 1661. ad annum usque 1676. (per 15. videlicet annorum spatium) depopulabantur, ex accuratissimarum, quas mihi facere licuit, observationum fide orbi erudito tradam. Cum mihi impossibile plane videatur, effectum id dare, vel causas eorundem exortus assignando a manifestis aeris qualitatibus desumptas, vel multo etiam minus a particulari aliqua dyscrasia in sanguine atque humoribus, nisi in quantum secretæ aeris influente illa deberetur. Quin & magis adhuc, si fas est dicere, impossibile fuerit variorum epidemicorum species tradere, qui a specificis aeris alterationibus oriuntur, quantumvis in proclivi illud esse videatur, istis videlicet qui febrium nomina attexere norint notionibus, in speculatione istarum alterationum, quæ in sanguine humano, atque ejus humoribus per hanc illamve principiorum degenerationem fieri possunt, male fundatis. Quo quidem pacto, cum non naturam sequamur, optimam ducem, sed conjectandi libidini indulgeamus, tot nobis erunt morborum species, quot comminisci placuerit: Eam nobis interim arrogamus licentiam, quam nemo facile Botanico concesserit, a quo in describenda plantarum historia sensuum requiramus testimonium, ac fidem, non rationis commentationem, quantumlibet ista polleat, atque aliis longe antecellat.

Haud equidem tantum mihi sumo, ut me in his, quæ jam trado, omnem absolvisse numerum existimem, forte ne in recensenda quidem universa epidemicorum familia; multo minus in me recipio, ut qui morbi elapsis, de quibus nobis sermo est, annis, ordine infra dicendo se mutuo exceperunt, venturis sæculis eandem perpetuo servaverint. Unum hoc molior, ut qu[illegible] pacto hæc se res habuit nuper, astipulante paucorum aliquot [illegible]orum observatione, enarrem, quod ad has scilicet regiones spectat, & hanc in qua degimus urbem, ut meum, quale quale sit, symbolum conferam ad opus inchoandum, quod, si quid ego judicando valeo, in maximum humani generis emolumentum cedet, ubi tandem a posteris, quibus integrum epidemicorum curriculum venientibus annis sibi invicem succedentibus intueri dabitur, ad umbilicum perducetur.

CAPUT III.

Constitutio Epidemica Annorum 1661. 62. 63. 64. *Londini*.

ANno 1661. febres Autumnales intermittentes, quæ jam ab aliquot retro annis obtinuerunt, de novo vires redintegrabant (*Tertiana* præsertim *mali moris*) sub initio Julii, & quotidie increbrescentes, mense Augusto quam immanissime debacchabantur, inque multis locis, correptis fere integris familiis, maximam hominum stragem edebant; dein vero sensim decrescentes, superveniente hyemis frigore extinctæ sunt, perpaucos Octobris mense aggressæ. Quæ dictæ Tertianæ famulabantur symptomata, illa ab intermittentium Tertianarum aliorum annorum symptomatis, his præsertim discriminabantur. Ægri paroxysmus atrocior, lingua magis nigra siccaque, extra paroxysmum ἀπυρεξία obscurior virium, & appetitus prostratio major, major item ad paroxysmum ingeminandum proclivitas, omnia summatim accidentia immaniora, ipseque morbus quam pro more febrium intermittentium funestior. Si quando ætate provectiores, aut etiam Cachecticos invasisset, quibus pariter vena secta, aut aliæ quævis evacuationes minuissent vires, nunc ad duos, nunc ad tres menses perdurabat. *Quartanæ*, rariores licet, febres jam descriptas comitabantur, utrisque vero primum brumæ impetum non sustinentibus (neminem enim, ante intactum, feriebant) subsecuta est *Febris continua*, ab intermittentium Autumnalium genio in hoc tantum abhorrens, quod hæ statis solum temporibus, illa continenter urgebat. Etenim eodem ferme modo ægrotos adoriebantur; qui utrisque pariter vehementer la[illegible]bant, vomituriebant, cum partium extern[illegible]rum siccitate, siti, lin[illegible]æ nigredine; & sudoribus sub morbi fi[illegible] [illegible]ateria morbifica in [illegible]trisque promptissime exterminabatur. Q[illegible]io vel hinc liquebat, febrem hanc ad Autumnalium intermittentium classem attinere, quod raro admodum surgente anno compareret. Dicta itaque febris continua intermittentium quasi compendium quoddam, & e contra singuli earum paroxysmi compendium hujusce mihi videbantur; atque adeo discrimen in hoc maxime versari, quod *Continuæ* conceptam semel efferveseentiam συνεχῶς eodemque semper tenore perficerent; *Intermittentes* autem partitis vicibus ac diversis temporibus eadem defungerentur. Quanto autem jam tempore prædicta febris continua invaluerit dicendo non sum, cum mihi hactenus satis fuerit ad generalia febrium symptomata attendere; utpote qui nondum, vel juxta varias annorum crases, aut ejusdem anni varia tempora easdem distingui posse animadverteram. Hoc saltem scio, unicam fuisse *Continuæ* febris speciem usque ad annum 1665. ac *Intermittentes Autumnales*, quæ ad illum usque annum frequentes incursabant, jam deinceps rarissimas occurrisse.

Sed ut ad rem redeamus: *Febris* illa *Tertiana*, quæ dicto anno omnia longe lateque fuerat prædata, eodem elapso intra angustiores limites se continuit: insequentibus vero Autumnis *Quartanæ* Epidemicis reliquis prædominabantur, [illegible]nte hac aeris constitutione. Quartanis semper post Autumnum vela contrahentibus, *Febri continua* (quæ per hoc omne tempus, parcius licet se immiscuerat) jam inclementius debacchabatur ad usque Ver, quo tempore *Febres intermittentes Vernales* succedebant, quibus ad calendas Maji pariter satisscentibus, *Variolæ* hinc & inde sparsim se ostendebant, quæ denuo ad conspectum *Epidemicorum Autumnalium* (febrem continuam volo, & quartanas) terga dab[illegible]nt victoribus. Hoc ordine morbi epidemici integram hanc aer [illegible]onstitutionem pervadebant, & se mutuo insequebantur. De his n[illegible]ni sermo erit in specie, & nominatim tum de febre hac, tum etiam de intermittentibus, sive Ver, sive Autumnum attinerent, quibus hæc constitutio pro cæteris infamabatur.

Telam ordiar ab hac *Febre Continua*, quæ aliarum, quotquot sunt, omnium præcipua, & coryphæa mihi videtur, eo quod natura in

[illegible] intermitte[illegible]
[illegible] mu[illegible] sæpius recurrant,
[illegible], quæ [illegible] cæteros epidemicos faciunt, necessario sequitur, ut quæ illas comitatur febris continua frequentius accurset.

At præter symptomata, quæ cæteras stipabant, dicta febris sequentibus insuper urgebatur: Æger plerunque animam tantum non agebat, vomituriebat, lingua sicca, & nigra, ingens ac subitanea virium consternatio, & partium externarum siccitas, Urina ubique, vel crassa, vel tenuis, utraque ex æquo cruditatis indicium. In morbi declinatione, diarrhœa, nisi forte Medicus principio obstitisset, superjungebat, unde morbus pervicacior redditus diutius affligebat. Sed suopte ingenio ac propria indole vix ultra diem 14. vel 21. perdurabat, quo primum tempore, oborto sudore, vel potius leni madore, morbus solvebatur. Neque prius urinæ coctionis signa prodebant, quod jam ut plurimum evenibate. Quin, & alia superveniebant symptomata, quoties hic morbus minus perite tractabatur. At vero tum hęc, etiam tum omnis morbi genius clarius eluescens, ex peculiari methodo, quam olim huic febri accommodaveram, quam itaque huc transferam, (saltem quod ad rem nostram apprime faciat) prout jamdudum typis evulgaveram. Quo quidem tempore nondum mihi innotuerat, aliam aliquam febris speciem in rerum natura inveniri.

CAPUT IV.

Febris Continua Annorum 1661. 62. 63. 64.

1. PRimo quidem adverto inordinatam illam massæ sanguineæ commotionem febris hujus seu causam, seu comitem, a natura concitari, vel ut heterogenea qnædam materia in eadem concluſa, ac ipsi inimica secernatur: vel ut sanguis in novam aliquam diathesim immutetur.

Atque in hoc negotio magis arridet latius, & generalius *Commotionis* vocabulum, quam vel *Fermentationis*, vel *Ebullitionis*; quippe quod inanis λογομαχίας occasionem præscindat, quam fortassis istiusmodi voces (quæ etiamsi explicationem non incommodam admittant, tamen minus propriæ, ac non nihil duriores nonnullis videntur) haud satis caverent. Quamvis enim cruoris in febribus *commotio*, liquorum vegetabilium alias *fermentationem*, alias etiam *ebullitionem* æmuletur, non desunt nihilominus, qui eandem non uno modo ab utraque plurimum differre arbitrantur. De *Fermentatione* unum alterumve ab illis sumatur exemplum. Primo, licet fermentescentia liquida vinosam quandam indolem ita nanciscì soleant, ut spiritum ardentem ex iisdem distillatio eliciat, atque in acetum facile descisant, quod ipsum insigni acore pollet, & spiritum acidum distillando exhibet: neutram tamen ejusmodi mutationem in sanguine hactenus observatam fuisse contendunt.

Deinde adverti volunt, quod cum in liquoribus vinosis *fermentatio* & *depuratio* eodem tempore peragantur, & quasi paribus passibus procedant, *depuratio* tamen sanguinis in febribus ejusdem *æstuationem* non comitetur, sed consequatur, id quod in paroxysmo febrili per sudores soluto, vel oculorum testimonio, patere existimant.

Quod autem ad *Ebullitionem* attinet, difficilior illis hæc videtur analogia, quæque experientiam habet summopere refragantem, in multis nimirum casibus, quoties non adeo effrænis est cruoris orgasmus, ut *ebullitionis* appellationem mereri possit. Verum utut sit (neque enim hisce controversiis me ullatenus immiscerì patiar;) quandoquidem *fermentationis*, & *ebullitionis* vocabula apud recentiores Medicos plurimum invaluerunt, ego quoque eadem subinde usurpare non dubitaverim, dummodo ex jam dictis satis constet voces istas in hoc Tractatu clariori solummodo dicendorum explicationi inservire.

Porro febrilem hanc sanguinis commotionem ob materiæ cujusdam heterogeneæ, ipsique naturæ adversantis, secretionem ab eadem concitari, omne genus febrium, quæ eruptionibus stipantur, testatum facit, utpote in quibus istius ebullitionis sanguinis beneficio, fit excretio ad cutim excrementi in eodem latitantis, & prava qualitate affecti.

Quinimo nec, mea quidem sententia, minus liquet, febrilem sanguinis commotionem sæpe (ne dicam sæpius) non alio collineare, quam ut ipse sese in novum quendam statum, & diathesin immutet, hominemque etiam, cui sanguis purus & intaminatus perstat, febri corripi posse; sicuti in corporibus sanis evenire, frequenti observatione compertum est, in quibus nullus apparatus morbificus vel quoad plethoram, vel quoad cacochymiam, fuerit, nulla insalubris aeris anomalia, quæ febri occasionem subministraret. Nihilominus etiam hujusmodi homines, præcedente insigni aliqua aeris, victus, cæterarumque rerum non naturalium (ut vocant) mutatione, identidem febre corripiuntur, propterea quod eorum sanguis novum statum, & conditionem adipisci gestit, qualem ejusmodi aer aut victus postulaverint; minime vero quod particularum vitiosarum in sanguine stabulantium irritatio, febrim procreet. Etsi nequaquam dubitem materiam in sanguinis despumatione post febrilem commotionem, solemniter excretam, vitiosam esse, quamvis sanguis laudabilem antea diathesin obtinuerat (id quod vix magis mirandum est, quam quod esculentorum portiones aliquot corruptæ & fœtidæ evadant, postquam insignem in corpore alterationem subierint, ac jam a reliquis segregatæ fuerint.)

II. Secundo ita mecum reputo, Indicationes veras, ac genuinas, quæ in hoc morbo consurgunt, in eo versari, ut sanguinis commotio intra modum naturæ proposito congruentem, sistatur; ea nimirum ratione, ut nec hinc plus æquo gliscat, unde periculosa symptomata insequi solent, nec illinc nimium torpeat, quo pacto vel materiæ morbificæ protrusio impediretur, vel sanguinis novum statum affectantis labefactarentur conatus. Adeo ut sive materiæ heterogeneæ irritanti, sive cruori res novas molientis febris ortus debeatur, Indicatio utrobique eadem existat. Hisce positis fundamentis Therapiæ methodum hoc ritu instituo.

Quoties mihi cum ægris res est, quorum sanguis vel per se imbecillior existit, (uti fere in pueris) vel justa spirituum copia destituitur (ut in decliviore ætate, atque etiam in juvenibus diuturno aliquo morbo confectis) a venæ sectione manum tempero. Enimvero si Phlebotomiam his imperarem, sanguis etiamnum citra ejusmodi imminutionem plus satis debilis, despumationi suæ obeundæ prorsus impar redderetur; unde totius massæ perversio, ac proinde forsan ipsius ægri interitus sequeretur (quemadmodum si cerevisiæ aut alius cujusvis musti fermentatio intempestive sistatur li-

...cento inficere hau... ev...
non poteſt. Quanquam haud ni... ...
miſſione mulctatos, convenientum Cardiacorum uſu aliqua... ...
vari, ſanguinemque ad tenorem defecationi ſuæ peragendæ idoneum reſtitui poſſe. Sed præſtiterat plagam non infligi, quam ſanari.

Attamen ubi in contrariæ indolis ſanguinem incido, qualis in juvenibus athletico habitu & temparamento ſanguineo præditis reperiri conſuevit, primum in curatione locum Phlebotomiæ attribuo; quæ (præterquam in caſibus inferius memorandis) ſine ſalutis periculo hic omitti nequit. Nam alias non ſolum præ nimia ſanguinis ebullitione, Phrenitidum, Pleuritidum, aliarumque genus inflammationum periculum immineret, ſed præ copia etiam, impeditio omnimoda Circulationis, & totius maſſæ quaſi ſtrangulatus conſequeretur.

Menſuram quod attinet, mihi ſolemne eſt eam dumtaxat ſanguinis quantitatem detrahere, quantum conjicere liceat, quæ ægrum ab incommodis, quibus immodicam ejuſdem commotionem obnoxiam eſſe diximus, incolumem præſtet. Æſtuationem vero illam deinceps rego ac moderor, Phlebotomiam vel repetendo, vel omittendo, Cardiacis calidis vel inſiſtendo, ac denique alvum vel laxando, vel compeſcendo, prout motum illum vel efferari, vel languere animadverto.

Poſt Venæ ſectionem (ſiquidem ipſa juxta caſus præmemoratos neceſſaria fuerit) ſollicitus ſeduluſque inquiro, nunquid ægrum vel vomitus, vel inanis aliqua vomendi propenſio ſub Febris initium interturbavetit. Id ſi contigerit, omnino medicamen *Emeticum* præſcribo, niſi vel ætas tenella, vel inſignis aliqua debilitas ægri ab eo tempetandum ſuaſerit. Sane Vomitorium propinare, ubi iſtiuſmodi prægreſſa eſt vomendi proclivitas, adeo eſt neceſſarium, ut niſi humor ille expellatur, in ſentinam complurium malorum difficilium ſit abitutus, quę crucem figent Medico toto durante medicationis tempore, ægrumque in haud leve periculum conjicient. Ex horum præcipuis, & maxime ſolitis eſt *Diarrhœa*; quę ut plurimum in deferveſcentia Febris conſequitur, quotieſcumque Emetica, quando ea ſuadebat indicatio omiſſa fuere. In febris quippe progreſſu, ubi ... alignum in ventriculo humorem nonnihil ſubegerit Natura, & a... inteſtina amandaverit, illa ab acri humote ex hoc in ſtomachu... nte perpetim ſcaturiente uſque adeo corroduntur, ut non poſſit inſequi *Diarrhœa*. Obſervavi nihilominus in Febribus inflammatoriis, quę malignæ vulgo habentur omiſſionem Vomitorii, tametſi talis vomendi propenſio præceſſerit, *Diarrhœam*, quemadmodum in hac Febre, neceſſario non inferte; ſed de iſta re plura in ſequentibus.

Jam autem in eo verſatur iſtiuſmodi *Diarrhœæ* periculum, quod æger ſatis jam morbo debilitatus, enervatur ulterius, & præterea (id quod majoris eſt in ipſius noxam momenti) in febris declinatione, quo tempore contrahere ſe ſanguis, ac viam ſuam exerere debebat ad deſpumationis officium peragendum, penitus prępeditut hac emiſſione.

Jam vero ne quid dubites humorem hunc in ventriculo nidulantem niſi forte vomitu eliminetur, hanc Tragœdiam (*Diarrhœam* dico) quaſi ex inſidiis aliquanto poſt daturum, inquiſitione inſtituta nunquam fere non comperies, ſi quando Febrim hanc *Diarrhœa* comitetur, ægrum in morbi principio in vomitum proclivem fuiſſe, nec tamen Emeticum fuiſſe propinatum. Porro etiam compertum habebis, etiamſi proclivitas illa ad vomendum jampridem præterierit; Diarrhœam tamen quamprimum Vomitorium exhibueris plerumque ceſſaturam; dummodo Emetico ferendo pares fuerint ægri vites. Sæpius autem obſervavi, Diatrhœa ſemel oborta, medicamenta adſtringentia vel nihil omnino, vel parum admodum ad eandem ſiſtendam conferre, ſive intro ſumpta, ſive exterius applicata.

Emeticum, quale paſſim a me propinatur, hujuſmodi fere eſt: ℞. *Infuſ. Cr. Metall.* ℥vj. *Oxymel. Scillit. & Syr. Scabioſ. comp. aa.* ℥ß. *M. F. Emet.* Quod hauriri jubeo tempore pomeridiano, duabus horis poſt leve prandium. Vetum quo tutiùs, ac felicius vomitio ſubſecutura ſuccedat, illud etiam in mandatis habetur, ut *Zythogalæ* ℔vj. vel viij, ſint in promptu, quippe quod periculoſa ſint iſta medicamenta, niſi copioſe diluantur: Ideoque quoties vomuerit æger, aut alvum exoneraverit, e veſtigio ſumendus erit hauſtus: quo facto, & inania illa tormina præcaventur, & vomendi conatus auſpicato procedunt.

Sæpe mitatus ſum dum forte materiam vomitu rejectam aliquando curioſe contemplabar, eamque neque mole valde ſpectabilem, nec pravis qualitatibus inſignem, qui factum fuerit, ut ægri tantum levaminis exinde ſenſerint; Nempe vomitu peracto, ſæva illa ſymptomata (nauſea, v.g. anxietas, jactationes, ſuſpiria luctuoſa, linguæ nigredo, &c.) quæ & ipſos excruciarant, & adſtantes petterreſeceraut, mitigari ſolent ac ſolvi, quodque morbi reliquum eſt, εὐθύμως tolerari.

Illud hic loci non omittendum erit, ſi ægri conditio utrumque auxilium poſtulaverit (Venæ ſectionem intelligo, & Vomitorium) tutum omnino eſſe, ut Venæ-ſectio Emetici exhibitionem præcedat; alias enim dum vaſa ſanguine diſtenta ſunt, periculum imminet, ne ex violentis illis vomendi conatibus, vel rumpantur vaſa pulmonum, vel Cerebrum lædatur, affuſo cum impetu ſanguine atque effuſo, adeoque æger Apoplexia correptus pereat. Cujus rei quamvis hiſtorias aliquot commemorare poſſim, illis tamen hic ſuper ſedere viſum eſt, monuiſſe contentus maxima hac in re cautela utendum eſſe.

Si quis autem quærit, quo tempore Febris Vomitorium exhiberi velim, dico, *In* ipſo plane Febris initio, ſiquidem optio daretur, Emeticum propinarem: ita enim fiet, ut ab horrendis illis ſymptomatibus, ex homotum in ventriculo, lociſque vicinis deliteſcentium illuvie ortum ducentibus, ægrum præmuniamus; imo vero & fortaſſe in ipſis quaſi incunabulis opprimamus morbum, qui alias cum ægroti periculo grandeſcet, ac longævus evadet, nutritus nimirum dictis illis humoribus, qui vel ſubſtantia ſua in penitiores corporis partes tranſmiſſi cum ſanguinis maſſa commiſcentur, vel ex ipſa mora pejores facti, atque venenata pravitate inquinati, ex ſuo jugiter pertranſeunti ſanguini malignam auram afflabunt. ... rei (ne longius abeamus) Cholera morbus exemplum nobis ...; fit enim aliquando ut intempeſtiva opera vomitum in il... ...o cohibere ſatagentes (ſive illud Laudano fiat, ſive adſtringe... medicamentis) eo cohibito non minus periculoſam malorum catervam invehant. Humores enim acres corruptique, quorum excluſionem tantiſper permittere oportuerat ut ſatis evacuarentur, hoc pacto repulſi vires ſuas, ac ſævitiam in ſanguine exercent, febremque accendunt, quæ ut mali moris, & gravibus ſymptomatis ſtipata eſſe ſolet, ità niſi propinato Emetico, tolli vix potuerit, etiam ægro jam nequidem vomituriente.

Quod ſi nobis (ut ſæpe ſit) ſero accerſitis non licuerit Emeticum propinando, ægrotum ſaluti ſub febtis initium conſulere, certe tamen convenire exſtimaverim, ut quovis morbi tempore illud fiat, modo vites eo uſque morbus non attriverit, ut Emetici vim ferre jam amplius nequeant. Equidem ego die febris duodecimo vomitum imperare non dubitavi, etiam cum ægre vomiturire deſiiſſet, neque ſine fructu; Eo namque Diarrhœam ſuſtuli, quæ ſanguinem in peragenda deſpumatione impedivit; quin & ſerius idem facere minime dubitarem, niſi virium attritarum ratio prohiberet.

Veſperi, celebrata jam vomitione, ſemper illud ago, ut tumultum ab Emetico in humoribus excitatum conſopiam, & quietem conciliem; ideoque ſub noctem, vel hora ſomui Paregoricum quempiam hauſtum exhibere jubeo. Ex. g. ℞. *Aqu. papav. rhœad.* ℥ij. *aq. Mirab.* ℥ij. *ſyr. de mecon. & ſyr. papav. errat. an.* ℥ß. *M. F. Hauſtus.*

At ſi vel ob copioſam ſanguinis jacturam, quam curationis decurſu paſſus eſt æger, vel ex vomendi frequentia, dejectionibuſque in Emetici hujus uſu facti, vel ex præſenti ejuſdem ἀπυρεξία, vel ex debilitate ejus, vel ex Febris jam declinantis vetuſtate, nullum jam ſuperſit in poſterum concitandæ nimiæ Ebullitionis periculum; tum metu procul habito, vice hauſtus præſcripti, Diaſcordii ſatis largam doſin, vel impermixti, vel aquæ alicui Cardiacæ ſociati exhibere jubeo. Præclarum ſane Medicamentum, modo ea quantitate exhibueris, quæ remedii potius quam tituli menſuram impleat.

Hic autem loci, priuſquam de Emeticis dicendi finem faciam, prætereundum non eſt, omnino tutum non eſſe (ſaltem in hac Febre) Vomitoria ex infuſ. Croc. Metall. parata, puetulis, ulliſve infra adoleſcentiam conſtitutis vel minima quantitate exhibere. Optarem equidem, ut illius loco alia nobis tutiora, ſed ſatis interim efficacia ſuppeterent, quæ humorem hunc in febris declinatione fere ſemper Diarrhœam minitantem radicitus extirpare poſſent, vel ſaltem ut medicamento aliquo idoneo acrem iſtam materiam, ejuſque vim corroſivam ita mutare liceret, ac retexere, ut commovere Diarrhœam nequiret. Sæpius profecto mihi moleſtum illud accidit, quod ad infantes, puetoſque febre correptos accerſitus, indicationem conſpexi, quæ quidem medicamenti uſum ſuaſit, cujus ope extra periculum collocari potuiſſent, quod tamen exhibere, veritus infelicem exitum, non ſum auſus. Verum in adultis nullam inde noxam hactenus obſervavi, modo cum cautionibus prædictis Emeticum propinetur.

Vomendi exantlato negotio, illud mecum ulterius diſquirere ſoleo, utrum evacuationibus prægreſſis non obſtantibus, ſanguis etiamnum adeo exæſtuet, ut illius efferveſcentiæ limites adhuc ponendi ſint, ac ſufflamen addendum; an vero eo uſque elanguerit ut indigeat incitamento; vel denique, an Fermentatio ad gradum idoneum, ac debitum reducta permitti ſibi abſque ægri periculo poſſit. De horum ſingulis nonnulla mihi dicenda ſunt.

1. Itaque ſi ſanguis eo uſque exæſtuet, ut merito adhuc ſuſpicari liceat, ægrum vel Phrenitidi, vel alii alicui moleſto ſymptomati, ex nimia ſanguinis ebullitione prognato, obnoxium eſſe, poſtridie Emetici exhiberi *Enema* præſcribo. Ut ℞. *decocti communis pro Clyſtere* ℔j. *Syr. Violarum & Sacchari culinaris aa.* ℥ij. *M. F. Enema.* Idemque repeti, pro re nata jubeo, quo ſæpe fit ut ſanguine nonnihil ventilato refrigeratoque, illius efferveſcentia ſatis compeſcatur. Interdum tamen uſu venit, ut Venæ ſectionem etiam ſemel adhuc atque iterum repetere neceſſe ſit, nempe in temperamentis admodum ſanguineis, & ætate florentibus, aut in iis, qui nimio vini uſu inflammatoriam quandam diatheſin ſanguini ſuo impreſſerunt. Verum plerumque tanto, tamque inſigni remedio (quale quidem eſt repetita Venæ-ſectio) non opus eſt; ac proinde, ſi prædictos caſus exceperis, efferveſcentiam illam Enematum adminiculo ſatis reprimemus. Quare ſi ſanguis nimium æſtuet, atque efferveſcat, ſingulis, vel alternis diebus, prout res poſtulaverit, Clyſterem injici jubeo, idque ita fieri ad decimum uſque morbi diem vel circitet. Verum tamen ſi magna vis ſanguinis amiſſa fuerit, vel æger ſit ætate provecta, tunc temporis Enemata nulla impero, etiamſi ſanguis multum efferbuerit. In his etenim caſibus, uti metuendum non eſt, ne omiſſis Clyſteribus, ebullitio concepta eo uſque procedat, ut inſignis alicujus, & infeſti ſymptomatis periculum immineat; ita certiſſimum eſt, eorundem uſu ſanguinis robur, ac vim, atque (ut ita dicam, etſi minus proprie) tonum relaxari, eatenus quidem, ut in ſenibus præcipue (neque enim illis Enemata tam proſpere, ac juvenibus cedere ſolent) Naturæ opus interturbetur, atque impediatur. Quod ſi vena ſecta quidem fuerit, ſed non multum ſanguinis emiſſum, tunc, uti dixi, Clyſteres ad uſque decimum, plus minus diem impero; nonnunquam etiam ad uſque duodecimum; quod in illis præſertim obtinet, quibus ſanguinem demere non audeo. Sunt enim, qui poſt intermittentes Autumnales (ſive Tertianæ fuerint illæ, ſive Quartanæ) febribus continuis, ex purgationis, in præcedentis morbi fine, defectu, corripiuntur; His ſi ſanguinem miſeris, periculum eſt, ne ſedimentum illud, quod prægreſſa fermentatio depoſuetat, in maſſam ſanguineam reſorbeatur, novaſque turbas excitet. Venæ ſectionis itaque loco, rebus ita ſe habentibus, Clyſteribus utor, & quidem ad diem uſque duodecimum, modo æger ſit juvenis, atque fermentatio nimis exaltata.

2. Verum e contrario, ſive Venæ-ſectionem adhibueris, ſive omiſeris, ſi ſanguinis efferveſcentia nimis elangueſcat, adeoque ſtimulo egeat, ne Naturæ juvandæ impar fuerit, tunc equidem ſic Clyſteribus etiam ante diem decimum, multoque magis eo præterlapſo, prorſus abſtinendum arbitror. Quorum enim jacentem jam, & nimis elanguidam fermentationem ulterius compeſcere atque reprimere conaremur? Quod ſi vero poſt tempus illud, in morbi nempe declinatione, Clyſteribus

bus utaris, profecto non minus abſonum id fuerit, atque ab omni ratione alienum, quam ſi quis effervescenti cereviſiæ nimis amplum ſpiraculum aperuerit: Etenim aperto illo ſpiraculo præpeditur natura, quo minus ad morbificæ materiæ ſeparationem unitis viribus incumbat. Poſtquam igitur vel mediantibus evacuationibus idoneis, atque opportunis, æger ἔξω βελῶν poſitus fuerit, quantum ad illa ſymptomata attinet, quæ ex nimia ebullitione naſcuntur, vel morbus jam declinaverit, quanto magis aſtrictam illi alvum præſtitero, tanto magis eum extra periculi aleam colloco; nempe febrili materia ad ſui concoctionem ſuaviter, ac blande propendentem. Quocirca ſi præcedentes evacuationes, ſanguineæ maſſæ quaſi laxitatem quandam induxerint, vel inducere minentur, vel æger ante debitum tempus febre levatus fuerit, vel etiam febris ad ultimam ſuam periodum pervenerit, non ſolum Enemata procul haberi volo; ſed & Cardiacorum opem atque auxilium ſuggerendum arbitror, atque mox ad alvum adſtringendam memet accingo.

Cardiaca vero quod ſpectat, quoniam uſu mihi compertum eſt, eadem propere nimis exhibita non contemnendam noxam inferre (vena ſcilicet nondum ſecta metuendum eſt, ne materia cruda achuc exiſtens in cerebri membranas, *&c.* aut plenram decumbat) ideo curæ mihi ſemper eſt, ne Cardiaca exhibeantur, dummodo vel nihil omnino, vel parum ſanguinis emiſſum, nullaque alia inſignior evacuatio facta fuerit: aut æger ætatis vigorem nondum exegerit, neque enim video, quorſum ſanguis ejus per ſe ſatis locuples, ulterius in ipſius perniciem diteſceret: Locuples autem atque opulentus ſatis eſt, neque ſuccendicolis eget, quandiu evacuationes inſignes calorem ejus inſitum non protraxerint. Hujuſmodi ægris domi naſcuntur Cardiaca, & quæ foris adduntur, aut fruſtranea ſunt, aut etiam damnoſa: quapropter ego vel nulla omnino, vel ſaltem leviſſima permiſerim. Interim vero ſi æger ex profuſis evacuationibus laſſus & languidus, vel ætate fuerit provectus, ſolemne mihi eſt, Cardiaca vel in ipſo febris initio propinare, morbi autem die duodecimo, negotio tunc temporis ad ſecretionem vergente, medicamentis calidioribus liberalius indulgendum cenſeo, imo paulo maturius idem fieri poteſt, modo non metuendum ſit, ne febrilis materia in partes principes præceps agatur; Namque hoc tempore quo magis calefecerim, eo magis concoctionem acceleravero. Neque revera cogitando aſſequi poſſum, quid ſibi velint Medici, cum ſua præcepta toties ingeminant, de remediis ad promovendam febrilis materiæ concoctionem adminiſtrandis, id quod in morbi initio accerſiti ſæpe faciunt; nihilominus tamen eodem ipſo tempore medicamenta ejuſmodi imperare non dubitant, quæ febrim ſcilicet attemperare poſſint. Profecto enim eſt febris ipſa naturæ inſtrumentum, quo partes impuras a puris ſecernat: hoc illa modo plane imperceptibili præſtat ab initio, atque etiam in ἀκμῇ morbi, verum in ejuſdem declinatione apertius, atque manifeſtius idem opus aggreditur, id quod ex urina cernere licet. Materiæ febrilis *concoctio* nihil aliud revera ſignificat, quam peccantis materiæ a ſana ſeparationem. Hanc igitur ut acceleres, non ſatagendum neſcio quibus attemperantibus, ſed febris effervescentia tandiu permittenda eſt, quandiu ſalus ægrorum paſſa fuerit, cum autem finem ſpectet, atque declinationem, ſecretione jam conſpicua, tunc quidem calidioribus medicamentis illam a tergo inſequemur, ad rem eo celerius ac certius perficiendam. Atque hoc reipſa eſt, febrilis materiæ concoctionem promovere; cum evacuationes & refrigerantia moras nectant, & curationem impediant, ipſamque ſanitatem jam appropinquantem abigant, uti ſæpius a me fuit obſervatum.

Si fermentatio ſatis progrediatur, deſpumatio circa diem decimum quartum peragetur. Verum ſi refrigerantia quælibet ſerius adhibueris, atque ita eorum ope effervescentia ſufflaminetur, mirum non eſt, ſi febris ad diem viceſimum primum, quin & in effœtis corporibus male tractatis multo longius excurrat.

Illud porro obſervatu dignum eſt, quandoque accidere, ut æger clyſterum aliorumve catharticorum uſu circa declinationem morbi intempeſtive præſcriptorum, parum alleviari videatur, imo nonnnnquam apyrexia omnimoda frui, poſt diem autem unum alterumve ſenties, non tam priſtinam febrim vires ſuas redintegraſſe, quam novam accendi; rigor nimirum, atque horror ſubito invadet, quem mox excipiet calor atque febris, idem ſtadium (niſi forſan in intermittentium claſſem ſe reponat) decurſura, quod in præcedentibus monſtratum fuit. Cum ita ſe res habeat, non aliter tractandus eſt æger, quam ſi antea febri non detentus fuiſſet, verum quoad res agendas calcata jam veſtigia repetenda; deſpumatio enim, quæ cœptæ jam ebullitioni debetur, non niſi prædicti temporis, ſcilicet 14. dierum ſpatio peragetur, utcunque moleſtum fuerit ægro, a prægreſſo morbo ſatis jam debilitato, eouſque ſanitatem expectare.

Cardiaca, quæ adhibeo, paſſim ſunt ejuſmodi, quæ ſtatim ſubindicabo, quorum *moderatioribus* utor in morbi principio, æſtuatione maxime fervente; gradatim ad uſum calidiorum, juxta morbi progreſſum, vel ebullitionis gradus pergens; ſemper memor licere, ſiquidem multum ſanguinis miſſum, vel æger ſenex fuerit, ut Cardiaca fortiora adminiſtrentur, quam cum vel nulla præceſſerit venæ ſectio, vel æger ætate floruerit.

Moderata autem illa quæ dixi, Cardiaca fiunt ex aquis ſtillatitiis (*verb. gr.*) Borag. Citr. Scord. compoſ. fragor. Theriacal. cum admixtis Syrup. Meliſſophyl. Fernel. Caryophyl. & de ſucco Citr. &c. *fortiora* vero ex pulver. e Chel. Cancror. Comp. Bezoar. Confect. de Hyacinth. Theriac. Androm. aliiſve ejuſdem indolis. Quæ ſequuntur in frequenti uſu ſunt.

℞. *Aq. borag. citri, Scordii compoſ. & ceraſor. nigr. an.* ℥ij. *aq. cinamomi hordeati* ℥j. *margarit. præparat.* ʒij. *ſacchari chryſtallini q. ſ. Miſce, ſumat, colcl.* iiij. *ſæpius in die, præcipue in languoribus.*

℞. *Aq. totius citri, & fragor. an.* ℥iiij. *aq. cord. frig. Saxon.* ℥j. *ac. theriac. ſtillat. ſyr. meliſſophyl. Fernel. Caryophyl. & de ſucco citri, an.* ʒß. *Miſce f. Julapium, de quo capiat ſæpius.*

℞. *Pulv. e chelis cancrorum compoſ. lap. bezoardici Oriental. & Occidental. contrayervæ, an.* ʒi. *fol. auri n. j. Miſce, f. pulvis ſubtiliſſimus: Capiat ad quant. gr.* xii. *quoties opus fuerit, ex ſyr. e ſucco citri, & Caryophyll. an.* ʒij. *ſuperbibendo chocl. aliquot Julap. præſcript.*

℞. *Aq. theriac. ſtillat.* ℥iiij. *ſemin. citri* ℥ij. *contundantur ſimul & f. Emulſio Colatura adde ſacchari perlati q. ſ. ad gratum ſaporem, ſumat cochl. 2. ter in die.*

Plures vero formulas recenſere ſupervacaneum arbitror, quoniam & innumeræ ſunt, aut eſſe ſaltem poſſunt, & in morbi decurſu juxta varia ejus tempora, ac diverſa ſymptomata variandæ ſunt.

3. At ſi fermentatio neque nimium æſtuet, neque langueat, eam

in[illegible]tor, niſi ægrorum, vel
an[illegible]s a me aliquid extorqueat,
quod [illegible]raudem placeat.

Atque hoc loco non [illegible]æteri[illegible]me ſæpius ad *tenuis conditionis homines*, quorum crumena pr[illegible]o apparatu Medico ferendo non erat, accerſitum, nil feciſſe aliud poſt venæ ſectionem, & vomitionem peractam (ſiquidem eas poſtulaſſet indicatio) niſi quod ipſis præſcriberem, ut toto mobi tempore lecto defixi, non niſi juſcula avenacea, & hordeacea vel ſimilia hanrirent, tenuem cereviſiam (dempto frigore) moderate biberent ad ſitim ſedandam; Enema ex lacte ſaccharato ſingulis, vel alternis diebus uſque ad diem decimum, vel undecimum injici curarent; & verſus febris finem, cœpta jam ſeparatione, ſiquidem ſegnior eſſet, ad eam juvandam fortiorem ſubinde potum Cardiacorum loco, bibere ipſis permiſi: Atque ita ſine ulteriore aliquo apparatu, niſi quod leve Catharticum in fine morbi addere ſoleam, eos ſalvos, & incolumes dimiſi.

Sed ut ad inſtitutum meum revertar, ſi prædicta methodus ſollicite obſervata fuerit, uſitato circa 15. diem, tum ex laudabilis in urina ſeparationis ſignis, tum etiam ex manifeſta omnium ſymptomatum remiſſione, percipio tempeſtivum tunc eſſe potionem purgantem exhibere, quæ ſedimentum e prægreſſa fermentatione hic illic depoſitum ſubducat, quod niſi tempeſtive factum fuerit, periculum eſt ne in ſanguinis maſſam remigret, ejuſdemque febris recidivam conciliet, vel etiam ſua in partibus naturalibus, ad quas amandatum fuit, mora, in mineram tenacium deinceps in corpore malorum feracem abeat. Nimirum ſeparatione jam facta, humores craſſi ac impuri ex arteriis ſanguini in venis refluo immiſſi, regreſſum ejus facile impediunt, ex quo varia obſtructionum, ac tandem fermentorum genera naſcuntur.

Ubi tamen animadvertendum, non adeo plane neceſſarium eſſe poſt febres Vernales, atque poſt Autumnales purgationem celebrare; idque propterea, quod ſedimentum a Vernalibus depoſitum cum copia, tum qualitate terrea, indignaque ab autumnali ſuperetur. Quod ipſum etiam in Variolis obtinet, multiſque morbis aliis Verno tempore graſſantibus, in quibus purgantium omiſſio non tam grave periculum (quod ego quidem obſervaverim) quam in caſibus prius memoratis inferre ſolet.

Et ſane non multum is a veritatis ſcopo aberraverit, qui affirmaret ab hoc capite (purgandi ſcil. poſt morbos Autumnales omiſſione) plurium morborum colluviem, quam ab ullo alio, quo demum cunque cauſarum fonte, dependere.

Si valde debilis ſit æger, vel alioquin perfecta adeo depuratio facta non fuerit, ut audacter poſſim purgans exhibere die decimo quinto, rem differo ad decimam ſeptimam, quo tempore ſequentem, vel ſimilem, pro ratione ægri virium, potionem propino. ℞. *Tamarind. fol. ſennæ* ʒij. *rhabarb.* ʒiß. *Coq. ſ. q. aq. Colaturæ* ℥iij. *diſſolve mannæ, & ſyr. roſac. an.* ℥j. *Miſce, f. potio cap. mane.*

Purgatione peracta, ægrum, hactenus lecto, ex præſcripto meo defixum, ſurgere, & paulatim ad priſtinam victus rationem reverti jubeo. Ea quippe, quam ad hoc uſque præſcripſi, eadem propemodum eſt cum illa, quam modo commemorabam; Uti juſcula avenacea, & hordeacea, panatellæ ex pane & vitello ovi, in aqua cum ſaccharo confectæ; juſcula tenuia ex decocto pulli, cereviſia tenuis lupulata, cui quandoque æſtuante ardore febrili, immiſceri poteſt ſuccus Aurantiorum recens expreſſus, & ſuper ignem ad cruditatis tantummodo ſublationem coctus, & his ſimilia, quamvis juſcula avenacea ſint inſtar omnium. Negare vero cereviſiam tenuem, quæ ſubinde in mediocri quantitate ſumatur, ſeveritas eſt minime neceſſaria, imo ſæpenumero etiam detrimentoſa.

Accidit interdum (maxime in ſenibus) ægrum febri jam curata, & corpore ſatis jam ſuperque purgato, nihilominus valde debilem eſſe; & quandoque tuſſi, interdum etiam ſcreatu, magnam glutinoſi, viſcoſique phlegmatis copiam expectorare: quod ſymptoma non tantum ægro terrorem injecit, ſed & ipſi Medico, præſertim minus cauto, impoſuit, eumque in opinionem induxit, quaſi affectus Phthiſi viam ſterneret; licet obſervaverim ego, rem adeo periculoſam non eſſe. Hoc in caſu ægrum jubeo Vinum Malaganum, annoſum, vel Falernum, ſive Muſcatum, cum pane toſto ei immiſſo bibere, quod craſin ſanguinis multum prægreſſa æſtuatione debilitati (prindeque nuper ingeſtorum ſuccis aſſimilandis imparis) corroborans, ſymptoma illud paucorum admodum dierum ſpatio abigit, ut crebra experientia mihi conſtat.

Hac ipſa, quam propoſuimus ratione, ægrum a multis affectibus, ſymptomatibuſque, quæ malignitati tribui ſolet, tutum præſtabimus; cum nihil magis ſolitum ſit Medicis in arte ſua minus exercitatis, quam quando medicamentis nimis refrigerantibus, vel uſu Enematum intempeſtivo, craſin ſanguinis ita relaxarint, Naturamque in perficienda ſanguinis depuratione adeoque debilitarint, ut animi deliquia, aliaque ſymptomata (quæ genuina ſunt ejuſmodi impedimentorum arte poſitorum effecta) contingant, *malignitati* culpam tranſcribere: at ſi diuturnitas, in quam abierit morbus, eum ab hoc vitio vindicet, tum quicquid eos in medela deinceps fatigat, id *Scorbuto* acceptum referunt: quamvis reipſa neque ſymptomata, quæ accidebant, quandiu vigebat morbus, *malignitatis* erant effecta, neque ea, quæ contigerunt in declinatione ejus *Scorbuti*, ſed utcunque rei male geſtæ debetur, quemadmodum crebro id a me obſervatum eſt.

Non quod ego, aut quiſquam alius, qui morborum hiſtoriam vel delibaverit, neſcius eſſe poſſit, febres eſſe, quæ non intemperie ſola, aut putrido tantum calore, ſed etiam maligna qualitate (cujus ſigna evidentiſſima in ægris non poſſunt non apparere) conſtent: vel etiam quod inficias eam, complicari aliquando cum febre *Scorbutum*, & complures alios morbos poſſe: hoc tantum dico, has affectiones immerito ſæpe in litem vocari.

Si fermentatio ſanguinis rite proceſſerit, fiet omnino materiæ morbificæ deſpumatio intra tempus modo dictum. At ſi remedia refrigerantia, vel Enemata ſerius exhibita fuerint, multo longius excurret febris, præcipue in hominibus grandævis, male a Medico curatis, ad quos quandoque accerſitus, poſtquam febri per quadraginta dies & amplius laboraverant, nihil non expertus fui, quo deſpumationem ſanguini inducerem: ſed nempe uſque adeo debilitatus erat ſanguis, partim ſenio, partim Enematibus, & medicamentis refrigerantibus, ut neque Cardiacis, neque ullis aliis corroborantibus remediis ſcopum meum aſſequi poſſem; ſed vel illorum febris virium ſuarum tenax permanebat, vel alioqui, ſi adeſſe videretur ἀτυρξία, vires

ægrorum admodum proſtra[illegible]

Aliorum autem remedior[illegible] ev[illegible] n[illegible] ntu-
tere ſæpe coactus fui, cum ſi[illegible]m haud ſatis applicando. Nec eſt quod
lorum vivum vegetumque ca[illegible]nven[illegible]is, licet inuſitata, ægrum tanto-
quis multum miretur, hac methodo
pere corroborari, naturamque debilitatam juvari, ut ſemet a mate-
riæ ſecernendæ, eliminandæque reliquiis exoneret; cum proclive ſit
intelligere, inſignem effluviorum vegetorum copiam a ſano, & ath-
letico corpore in corpus ægri exhauſtum transfundi. Neque unquam
comperi iteratam calentium linteorum applicationem ullatenus id
præſtare valuiſſe, quod modo præſcripta methodus præſtitit, ubi ca-
lor applicatus tum magis eſt humano corpori congener, tum ſimul
blandus, humidus, æqualis, perenniſque. Atque hæc ratio, ſpiri-
tus, & halitus, forſitan Balſamicos, in ægri corpus immittendi, ex
eo quo ipſe illam adhibui tempore, licet aliena primum videretur, ab
aliis cum ſucceſſu felici fuit adhibita: neque profecto me pudet hujus
remedii meminiſſe, tametſi petulci quidam homines, atque arrogan-
tes, omniaque vulgaria ingenti ſupercilio contemnentes, me forſitan
hoc ipſo nomine aſpernabuntur. Ego enim proximi mei commodum,
ac ſalutem vanis illorum opinionibus longe anteferendam cenſeo.

Methodus hactenus enarrata, ſi quis illam prudenter, & cum
deſtinato animi conſilio obſervaverit, ægros, ſi non ab omnibus,
ſaltem a pleriſque moleſtis illis ſymptomatibus immunes præſtabit,
quæ hanc febrem vel comitari, vel eidem ſupervenire ſolent, quæ-
que Medicum animi ancipitem, atque ſæpe in curationis decurſu
conſilii pene expertem reddunt; imo & illius curæ commiſſos non
raro e medio auferunt, etiamſi morbi natura mortem non inter-
minari viſa ſit. Sed quandoquidem vel ægrorum culpa Medicum
non ſatis opportune accerſentium, vel ipſius Medici minori ſive pe-
ritia, ſive cautela, ejuſmodi accidentia ſæpiſſime oborta cernuntur,
non gravabimur peculiarem eorumdem curam ſummatim hic attinge-
re; verum ad ea tantum ſymptomata me reſtringam, quæ, tametſi
ſæpenumero præverti potuerint, modo via atque ordine prædicto
quis uſus fuiſſet; cum tamen ſemel acciderint, diverſam quandam,
ſibique propriam curam poſtulant.

Atque (ut hinc ordiar) ſi æger, vel calidiora medicamenta mi-
nus propere atque intempeſtive ſumendo, vel calido nimis tempera-
mento ſua natura fretus, in * *Phrenitidem* prolapſus ruerit; vel (quod
proxime illuc accedit) ſi non omnino dormiat, ſæpe exclamet, aut
inconditis vocibus utatur, ſi vultu ac loquela ferociat, ſi medica-
menta, potumve communem avide & quaſi raptim bibat, vel de-
nique urinam habeat ſuppreſſam; in hoc, inquam, caſu, liberalio-
ri manu, quam ſupra indulſi, ad venæ ſectionem, clyſteres, ac me-
dicamenta refrigerantia me accingo, verno tempore præſertim,
(quo etiam alias ſymptomate hoc non apparente, juvenes atque
vegeto calore præditi, ejuſmodi auxilia ſine multo diſcrimine ad-
mittunt) atque talibus remediis utens, ægrum eouſque ſuſtinere co-
nor, donec in diuturnitatem aliquam affectus excurrat, quo tempore
non admodum difficile erit eum, & a morbo, & a ſymptomate una
eademque opera liberare: id quod fiet *Narcoticum* aliquod medicamen-
tum in largiori paulo doſi exhibendo. Quamvis enim febre vigente, quæ
φρενήσεως vi prædita ſunt non omnino profint, neque deſtinatum a
Medico ſcopum feriant; tamen opportune, & in declinatione morbi adhibita, præclarce effectus edunt: antea vero prodeſſe non poſſunt,
partim quia fermentationem vi atque impetu procurrentem ſiſtere
nequeunt, etiam in maxima doſi exhibita; partim vero (quod quidem majoris adhuc momenti eſt) materiæ peccanti tunc temporis
maſſæ ſanguineæ æquabiliter admiſtæ, neque verſus ſeparationem ad-
huc vergenti ab exhibito hujuſmodi medicamento manus injicitur,
adeoque depuratio illa tantopere expetenda impeditur. Verum ſive
hæc ratio ſit hujuſce phænomeni, ſive alia aliqua magis abſtruſa,
judicent illi quibus animus atque otium eſt talia ſpeculari. Interim
ex fideli atque idoneo obſervationum plurimarum complexu rem ipſam
certiſſimam eſſe pronuncio, *Laudanum*, vel alia quævis Narcotica
in principio, augmento, vel ſtatu hujus febris ad ſymptoma hoc
levandum, vel non prodeſſe omnino, vel, quod ſæpe accidit, etiam
obeſſe; verum in ejuſdem morbi declinatione eadem mediocri doſi
adhibita non ſine ſucceſſu uſurpari. Semel equidem Narcotico die
morbi duodecimo uſus ſum, nec fruſtra; citius autem nunquam pro-
ſpere exhibitum novi. Quod ſi autem illius uſum ad decimum quar-
tum uſque diem diſtuleris, tanto magis proficuum evadet, ſepara-
tione nempe perfectiori tum facta. Neque vero hæc mora, tamet-
ſi forte aſtantes magnopere perterreſaciet horrendum hoc ſympto-
ma, mortem ſtatim ſubinfert; cum ſæpe obſervaverim, hanc rem
plerunque inducias ferre poſſe, ac ſolere, donec ad Narcotica de-
ſcendere fuerit opportunum; ſaltem ſi caveatur, ne *Cardiacis*, cali-
diſque medicamentis adhibitis, intemperies cœpta accendatur uhe-
rius, quo caſu ægri ſubito pereunt. Narcotica, quibus ego uti ſo-
leo, ſunt vel *Laudanum Lond.* ad gr. i. ʃß. vel ſequens. *Rec. fl. Pa-
ralyſ. M.* i. *Coq. ſ. q. aq. ceraſor. nigr. Colaturæ* ℥iij. *Diſſolve ſyr. de
meconio* ℥ß. *ſucci limonum Cochl.* ʃß. *Miſc.* vel *Rec. aq. ceraſor. nigr.*
℥iß. *aq. Epidemicæ* ℥ij. *Laudani liquidi gutt.* xvj. *Syr. Caryophill.*
℥j. *miſce.*

Illud unicum hic addere placet, quod ad hanc rem obſervaſſe non
inconſultum arbitror; nempe ſi ſymptoma hoc eouſque inducias fe-
rat, & febris adeo ut in diuturnitatem abeat, ut æger ante aſſump-
ptum Narcoticum commode purgari poſſit, medicamentum illud tan-
to felicius effectum ſuum editurum. Quocirca ego imperare ſoleo
Pil. coch. ma. ℈ij. in aq. Betonicæ diſſolut. atque hoc 10. vel 12.
horis ante Narcotici exhibitionem. Neque metuendum eſt a tumul-
tu illo, quem calidior illa maſſa pil. alias excitare ſolet: ſubſe-
quentis enim Narcotici vis penſabit illas turbas, & quietem ſua-
viſſimam, blandiſſimamque inducet.

Quod ſi vigiliæ ultra febrem excurrant, ceſſantibus aliis ſympto-
matibus, obſervavi, linteum in aqua roſar. immerſum, & frigide ſin-
cipiti, ac temporibus applicatum, plus quam Narcotica quævis prodeſſe.

Sæpe accidit ægrum per totum morbi decurſum * *tuſſi* moleſta di-
vexari; nimirum commota vehementer ac tumultuante ſanguinea
mole, omnibus jam ad ſeditionem, & partium ſtudia ſpectantibus,
fit, ut humores quidam ſoluti diffluenteſque e maſſa ſanguinis per va-
ſcula pulmonaria, vel etiam per diapedeſin in tracheæ membra-
nam interiorem, teneriore ſcilicet atque exquiſito ſenſu præditam,
transferantur: hinc *tuſſis* oboritur, quæ primo ſicca eſt, quoniam te-
nuis adhuc materia vim expultricem eludit; mox craſſeſcit, atque
expectoratu difficilis evadit, eo quod ſenſim febrili calore torrea-
tur, atque aſſetur: hinc fit, ut ſuffocationis metu percellatur æger,
utpote cui vires deſunt ad lentam hanc viſcidamque materiam tuſſi
eliminandam. Ego in hoc affectu raro alio aliquo medicamento
utor, præter *oleum amygdalarum dulcium* recenter expreſſum, niſi
forſan acciderit, (accidit autem aliquoties) ut ægrotus oleum pror-
ſus averſetur; tunc enim vulgaribus illis pectoralibus, ut licet,
opem ferre conamur. Interim oleum illud amygdalarum, ſi quidem
illo per ægrum uti licuerit, Bechicis aliis anteponendum cenſeo,
ob eam cauſam præcipue, quod cum neceſſe ſit hæc liberalius, &
majori quantitate exhibere, modo prodeſſe velimus, hoc pacto ven-
triculum jam ſatis ſuperque debilem, & ad nauſeam proclivem o-
neramus: nonnunquem etiam eadem opera præpedimur, ne reli-
qua, eodem ipſo tempore tranſigenda, procuremus. Neque vero ſa-
tis aut intellectu aſſequor, aut experientia eo ductus ſum, cur ab
hujus olei, quod jam diximus, uſu in febribus abhorreamus, eo
quod ſcilicet inflammabile ſit, adeoque metuendum, ne febrim a-
augeat. Fac enim illud ſua natura calidum eſſe, certe tamen calor
ille tantus non eſt, ut aliunde non abunde penſetur: præ cæteris
enim manifeſta vi pectori conducit, aperitque vias, ac lenit, ad-
eoque expectorationem promovet, qua (præſertim ſi copioſior ac-
ciderit) tum exoneratur ſanguis a moleſto humore, commode jam
excreto, tum eadem opera nonnihil refrigeratur, adeoque me non
admodum male habet, ſi quando viderim ſymptoma hoc intercur-
rere, cujus beneficio non parum etiam ægro beneficii accedit. Il-
lud unicum nunc moneo, una eademque vice tutum non eſſe, to-
tis cochlearibus hoc oleum exhibere; periculum enim eſt, ne &
ventriculum nauſeam, & alvo fluxum inducamus; parce itaque ſed
frequenter interdiu noctuque propinandum erit, quo non ſolum ex-
pectoratione facta tuſſim leniemus, veruni etiam, quod alicujus mo-
menti eſt, attritas ægri vires blando nutrimento nonnihil ſolabimur.

Fit nonnunquam, ut * *hæmorrhagia narium* ſuperveniat; ſive
quod medicamenta nimis calida in morbi initio fuerint exhibita,
ſive quod ebullitio non ſatis coercita fuerit, ægro nempe, vel in
florenti ætate conſtituto, vel anni tempeſtate coadjuvante. Hoc ſi
fiat, non admodum juvabunt ea quæ ad ſiſtendum ſanguinis motum
vulgo fieri conſueverunt, qualia ſunt venæ ſectiones, ligaturæ, me-
dicamenta adſtringentia, atque agglutinantia, vel etiam ſanguinis
acrimoniam contemperantia, &c. quamvis enim pro Medicorum con-
ſilio, ac prudentia, his atque hujuſmodi aliis uti liceat; in eo ta-
men cardo rei vertitur, ut idoneo aliquo medicamento ſanguinis
ebullitioni frænum imponatur, quod ſiſtat, figatque illius impetum
in præcipitia quæque ruentem. Verum quidem eſt, ſi ſymptoma
ſeorſim ſpectetur, ea quæ ſupra enumeravimus (ac venæ ſectionem
potiſſimum) accommoda ſatis eſſe, nec ego ipſe dubitarem iiſdem
uti; ſed nempe ſymptomatis hujus cauſam (ſaltem ſi phlebotomiam exceperis) non ſatis attingunt, quam profecto non majori
ratione per prædicta tollere, quam ſi gladio ignem extinguere ſa-
tageres. Ego itaque in hoc caſu, fruſtra aliis tentatis, tale quip-
piam adhibere ſoleo, quale nunc ſubnectam. *Rec. aq. portulacæ, &
papaveris erratici aa.* ℥iß. *ſyr. de meconio* ℥vj. *ſyr. paralyſeos* ℥ß.
M. f. hauſtus. Nolim autem hæc ita intelligi, quaſi hæmorrha-
giam quamlibet ita ſtatim curari velim, quin potius illa ſæpe per-
mittenda eſt, atque ægro plurimum prodeſſe poteſt, partim nimiam
ebullitionem reprimendo, partim etiam critice aliquando morbum
ſolvendo. Atque revera parum proderit huic ſymptomati frænum
prædictum aptare, priuſquam illud aliquantiſper excurrerit, vel et-
iam priuſquam vena in brachio ſecta fuerit. Illud diligenter ad-
vertendum eſt, hanc ipſam, atque alias omnes immodicas hæmor-
rhagias peculiare illud obtinere, quod quamprimum illæ quomodo-
cunque ſedatæ fuerint; niſi leniens aliqua purgatio celebretur, me-
tus eſt ne recidivam æger patiatur; proindeque purgandum erit,
quamvis (ſi febris tempora ſpectentur) ſerius aliquanto id fieri ſo-
leat, atque debeat, niſi ſymptoma hoc acceſſerit.

Hoc ſymptoma plerunque ſenibus accidit poſt copioſas evacua-
tiones, vel per ſeceſſum ex diarrhœa, vel maxime per vomitiones,
atque ſæpenumero mortem præ foribus adeſſe denunciat. Ingenue
fateor, me mihimet ipſi de * *Singultus* cauſa diſquirenti ſatisfacere
non poſſe: nihilominus obſervavi ſæpe illum ex turbis, ac tumultu
ab aſperioribus medicamentis in ventriculo lociſque vicinis excitato,
ortum ducere, quibus ſedandis atque in priſtinam pacem reducendis
cum naturæ vires non ſuffecerint, fit ut ingens periculum immineat:
proindeque conſentaneum exiſtimavi curam eo dirigere, ut quod na-
tura per ſe nequibat, artis adminiculo ſuffulta perficeret. *Diaſcor-
dium* igitur larga doſi exhibitum, nempe ad ℥ij. a ſcopo meo non
aberravit, cum *ſemine anethi*, aliiſque, quæ tanquam ſpecifica de-
cantantur, uſus nihil profeciſſem.

Si in morbi hujus decurſu * *Diarrhœam* obortam conſpexeris,
quæ (uti jam alicubi ſupra notavimus) accidere tum ſolet, cum
in morbi initio vomitorii propinandi indicatio ſe obtulit, neque
tamen illud propinatum fuit; dico in hoc caſu convenire, ut quo-
vis morbi tempore (niſi vires contra indicaverint) *emeticum* exhi-
beatur, etiamſi jampridem illa ad vomendum propenſio præterie-
rit. Quoniam autem hac de re ſatis opinor in ſuperioribus pagellis
a nobis dictum eſt, illud hoc in loco duntaxat annectam, quid fa-
cto ſit opus ſi exhibito licet Emetico nihilominus *Diarrhœa* ſuper-
venerit. Quod tamen oppido rarum eſt, niſi in febri inflammato-
ria, ubi vomitorium, hoc ſymptoma non ſolum non impedit, ſed
quandoque creat, quod notatu dignum eſt. Iraque cum ſic ſe res
habuerit, præ quibuſvis aſtringentibus hujuſmodi clyſterem profuiſ-
ſe comperi. *Rec. Cort. granator.* ℥ß. *roſ. rubr. p.* ij. *Coq. in lactis
vaccini ſ. q. Collaturæ* ℔ß. *diſſolve Diaſcordii* ℥ß. *M. F. Enema.*
Non ſuaſerim, ut majori quantitate clyſterem injicias, quamvis
enim propria vi adſtrictionem polliceatur, metuendum tamen eſt,
ne ſua mole laceſſat inteſtina, adeoque fluxum alvi, quem conſo-
pire animus erat, uberius provocet.

Sed forſitan objiciet his aliquis, magis e re videri, ut præſertim
declinante morbo, diarrhœam, ſi quidem acciderit, permitras potius
quam ſiſtas, quandoquidem fluxus ille alvi nonnunquam criticus eſt,

mor-

* *Phrenitis.*
* *tuſſis.*

* *Narium hæmorrhagia.* * *Singultus.*
* *Diarrhœa.*

morbumque solvit. Respondeo, me non inficias iturum, fieri aliquando, ut febris per hanc portam sibi viam faciat, atque effugiat; verum illud rarius accidit, quam ut illius spe quicquam moliamur: quin & ratio illa, qua de medela febrium universim locuti fluxus hujusce sistendi necessitatem ostendere conati sumus, etiam hic omnino locum obtinet. Nunc autem illud addendum est, mea quidem sententia animadversione non indignum, nempe ad genuinam sanguinis depurationem non tantum necessariam esse illam quarundam partium secretionem, quæ per *fæces* fit, sed requiritur etiam ut secernantur aliæ, tanquam *flores*, id quod in aliis etiam liquoribus opulentis atque heterogeneis quotidie cernimus. Itaque si diarrhœæ nimium indulseris, mediam solummodo depurationem, tantopere expetitam, procurabis, atque etiam forsan, quod postremo in loco rejiciendum erat, primo excernetur. Fateor equidem separatione illa per flores jam facta (quæ, ut obiter id attingam, sensim, & sine sensu peragi solet, atque plerumque paulo pleniori διαπνοῇ potius, quam sudore manifesto) diarrhœam, si forte acciderit, periculi non multum interminari: Sciendum tamen est, illam tum non aliunde accidere, quam quod purgatio subducendis fæcibus dicata, non opportune exhibita fuerit, quæ quidem fæces mora sua fermenti alicujus maligni indolem adeptæ, intestina jam ad excretionem irritant, stimulantque; ut omittam dicere, liquidissimam illam excrementorum consistentiam (tali enim forma plerunque visuntur) satis indicare ea pro critica morbi solutione habenda non esse.

Forsan etiam inter symptomata febribus supervenientia recenseri potest * *Iliacæ passio*, eo quod vomitus enormes qui initio febrium accidere solent, huic occasionem quandoque subministrent.

Horrenda hæc affectio est, & huc usque omnium fere judicio funesta, ex intestinorum motu inverso, ac præpostero originem ducens. Nimirum intestinorum fibræ, quæ a superioribus versus inferiora contrahi debent, contrahuntur ad superiora, & quæcunque in intestinis continentur non versus alvum, sed ventriculum protruduntur, & impetu facto ad os regurgitant; adeo ut Enemata, quantumcunque acria, Emetica evadant, ubi etiam Cathartica per os assumpta per vomitum subito excernuntur. Et, mea quidem sententia, exquisitus ille, ac intolerandus dolor huic morbo superveniens, non aliunde oritur, quam ex præpostero intestinorum motu modo dicto. Cum enim sinus illi, quos multiplices intestinorum circumvolutiones constituunt, ita a natura formati sint, ut ad descensum fæcum quam aptissime conducerent, cum ii, inquam, motui suis fibris contraria cedere cogantur, exoritur inde prædictus dolor; qui quidem uni parti instar terebelli infigitur, cum aut valvula quæ ad ini[illegible] coli apposita excrementorum ad ileon regressum impedit, alia quævis membrana ad sinum pertinens, vim hujus præposteri impulsus sola sustinet.

Hujus vero inversionis, unde dolor ille exoritur, duplicem causam assignare licet. Obstructionem nempe, vel irritationem.

Primo igitur quæcunque intestina vehementer obstruunt, ut nihil per infetiora descendere valeat, hunc contrarium in intestinis motum ut producant necesse est, & nemini non notum. In horum censum ab Authoribus referri solent fæces induratæ, flatus crassi magna copia collecti, ac intestina velut in nodum convolventes, constrictio intestinorum in hernia, inflammatio denique, aliique tumores magni, qui cavitatem internam intestini occludunt. Interim vero haud negandum, quod motus contrarius hisce causis originem debens, potius ingestorum, quam intestinorum motus habendus, neque hæc totius intestinorum ductus inversio est, sed illorum tantum, quæ supra sedem istius obstructionis sita sunt. Quam ob causam *affectio iliaca* hinc profecta a me *notha* appellatur.

Secundo vero opinor, quod in affectu iliaco causa inversionis periistaltici intestinorum motus ut plurimum ita se habet. Nimirum ex tumultuante sanguine in febri nuper concepta, in ventriculum, & proxima intestina deponuntur humores acres & maligni, ex quibus ventriculus primo motum suum invertere, ac violento impetu materiam molestam in eo contentam per os rejicere cogitur: Ventriculi tandem motui validiori intestina *tenuia* ipsi continua jam debilitata cedunt, & cum his demum *majora* in consensum trahuntur, vomiturience ventriculo quasi choream ducente. Hunc affectum *verum ileum* voco, & ille hujus loci est. Methodus eum curandi hactenus fere incognita fuit, quidquid nonnulli jactent de usu *argenti vivi*, *& globulorum*, quæ præterquam quod parum conducunt, noxam sæpe haud contemnendam inferunt. Ego cum felici successu hac methodo utor.

Quando liquet ex clysteribus per os rejectis, & aliis signis verum esse ileum, tunc in hæc tria enitor. 1. Ut contrarius iste ventriculi motus, qui similem motum in intestinis efficit, impediatur. 2. Ut intestina acri humore debilitata corroborentur. 3. Ut ventriculus ac intestina ab istis humoribus liberentur. Quibus indicationibus ut satisfaciam, curationem hoc ritu instituo. Primo *salis absinthii* ℈j. ex cochleari uno *succi limonum* mane, & sero sumendo præscribo, intermediis vero temporibus *aquæ menthæ stillatitiæ* sine saccharo, aliove quovis additamento cochlearia aliquot bis quaque hora propino, cujus vel solius repetito usu, & vomitus, & dolor ex eo natus subito evanescent. Dum hæc fiunt *catulum viventem* nudo ventri indesinenter accumbere jubeo. Postquam vero dolor cum vomitu per spatium bidui triduive omnino cessaverit, tum *pil. cochl. maj.* ℥j. *in aqua mentæ* dissolutam exhibeo, quam etiam aquam (quo certius vomitus recursum prævertam) toto catharseos tempore sæpius sumendam injungo. Neque catulus removendus, antequam usum pilularum æger aggrediatur.

Observavi frustra pilulas istas, vel quodvis aliud catharticum, utcunque forte propinari, donec ventriculo corroborato, atque adeo ad motum naturalem reducto intestina etiam ad proprium motum æque reducta fuerint. Alias enim cathartica omnia intus assumpta emetica evadent, & plus damni quam commodi inferent. Inde est, quod remediis purgantibus viam facere non aggredior, donec per spatium quoddam medicamentis istis ventriculum respicientibus usus fuerim.

Victum valde tenuem ægro præscribo, ita ut nonnisi cochlearia aliquot jusculi ex pullo Gallinaceo parati sorbenda bis vel in die permittam. Interim vero ut per totam ægrotationem in lecto decumbat jubeo, donec perfectæ sanationis signa appareant, ac etiam

Sydenham Opera Medica.

* *Iliaca passio.*

pos[illegible]im tempus in[illegible] aquæ usu persistere, & la[illegible]m a frigore bene [illegible]endere impero, quo minus rec[illegible]hic affectus præ omnibus aliis est obnoxius.

Pauca [illegible]niversam meam in curando hoc affectu methodum exhauriunt, quam a nemine consulto ob simplicitatem suam, & splendidioris sive verborum, sive pharmacorum apparatus defectum, aspernatum iri confido.

Atque hæc sunt illa symptomata, quæ in febre hac occurrere solent. Sunt autem & alia quædam, quibus memorandis nunc supersedebimus, partim quidem, quoniam ea minoris momenti sunt; partim vero, quod peculiarem nullam curationem postulent, febres enim rite tractatæ sponte sua cessant.

De *Febre continua* hujus constitutionis, ac de symptomatibus ejus hactenus.

CAPUT V.

Febres Intermittentes Annorum 1661. 62. 63. 64.

Quandoquidem, ut jam sumus præfati, quæ prædictos annos omnes constitutio pervasit, producendis omnium generum *Intermittentibus* tam egregie favit, quas tum de illis feci observationes haud indiligentes, hic impertiam. Addam insuper, & quæ de paucis illis intermittentibus observavi, quæ ab illo deinceps tempore sporadice contigerunt, quo minus orationis filum insequentium deinceps annorum historiam complectentibus, cogar intercidere.

Primo loco quo naturam illarum atque genium conjectura saltem assequamur, advertendum est, quod in paroxysmis febrium intermittentium hæc tria tempora spectanda sunt. 1. Tempus *Exhorrescentiæ*. 2. Tempus *Ebullitionis*. 3. Tempus *Despumationis*. Et quidem ad *exhorrescentiam*, quod attinet (ut de his rebus summatim loquar) ego illam exinde oriundam arbitror, quod materia febrilis, quæ nondum turgescens a massa sanguinea utcunque assimilata fuerat, jam tandem non solum inutilis; verum & inimica naturæ facta, illam exagitat quodammodo atque lacessit; ex quo fit, ut naturali quodam sensu irritata, & quasi fugam molita, *rigorem* in corpore excitet atque *horrorem*, aversationis suæ testem & indicem. Eodem plane modo, quo potiones purgantes a delicatulis assumptæ, aut etiam toxica incaute deglutita, horrores statim inferre solent, aliaque id genus symptomata. Natura itaque hoc pacto irritata (ut ad tempus *ebullitionis* jam transeamus) quo facilius hunc hostem a suis cervicibus depellat, *fermentationem* aggreditur, solemnem nempe machinam, qua in febribus, & quibusdam aliis acutis morbis uti consuevit, cum sanguinis molem ab intestinis inimicis liberare conetur: hujus enim efferveseentiæ beneficio disjunctæ peccantis illius materiæ partes, quæ sanguini æquabiliter admixtæ fuerant, aggregati quodammodo incipiunt, atque adeo leviori opera subigi possunt, ut ad despumationem opportunæ evadant. Et quidem ut hoc fiat vel ex eo plurimum referre constat, quod qui ex febribus intermittentibus moriuntur; siquidem in paroxysmo pereant, in primo illo tempore (*exhorrescentiæ* scilicet) fato fungantur; nam si ad tempus efferveseentiæ pertigerint, saltem pro illa vice non moriuntur. Atque per hæc duo tempora res ægrorum in angusto versantur; quibus elapsis, tertium tempus, quod *despumationi* dicatum est, insequitur, quo succedente symptomata omnia primo leviora fiunt, atque tandem plane evanescunt. *Dispumationis* autem nomine nihil aliud significatum volo, quam materiæ febrilis jam subactæ, & quasi devictæ, expulsionem, seu separationem; atque illud quod separatur, partim (ut in aliis liquoribus cernere licet) *florum*, partim *fæcum* rationem, & sortem obtinet.

His ita positis, videamus quomodo fiat, ut redeat paroxysmus, quandoquidem ægrorum sors in vado jam constituta videtur. Nimirum febrilis materia nondum tota emigravit, sed quemadmodum apum Embrya statis temporibus sensim succrescunt, ita latens hæc materia pro typorum ratione denuo caput effe[illegible] novum negotium naturæ faceſſit, idem stadium decurrens, quod in præcedentibus modo ostendimus. Nunc autem si quis a me causam quæsiverit, cur fomes ille delitescens efferveseentia præcedenti non satis subactus, ac proinde cum reliqua materia peccante non expulsus, proindeque novas tragœdias daturus, non eodem modo in omni febre intermittenti progrediatur (nam nunc unum, nunc duos, nunc tres dies exigit, priusquam ad maturitatem perveniat, novumque paroxysmum excitet) de hac re, inquam, si quis mihi negotium exhibeat, ego plane me nescire fateor. Neque vero quisquam alius, quod sciam, in hac causa tam præclare se gessit; ut arcanum hoc opus naturæ satis enarrasse videatur. Ego Philosophi nomen non ambio, & qui titulum illum se mereri existimant, atque me fortassis hoc nomine culpandum putabunt, quod in hæc penetralia non irrumpere conatus sim, moneo illos, ut in aliis naturæ operibus, quæ ubique nobis observantur, vires suas experiri velint, antequam aliis dicam scribant. Libenter enim quæsierim, cur *equus* ad ἀκμὴν suam pertingat septem annorum spatio, *homo* 21. cur in *plantarum* regno, hæc mense *Majo*, illa *Junio*, ista alio florere soleat, ut innumera alia nunc sileam. Quod si doctissimos quosque viros non pudeat suam ignorantiam in his rebus palam fateri, non video, cur mihi vitio verti debeat, si in re non minus difficili, atque forsitan prorsus inexplicabili, manus ab αἰτιολογίᾳ abstineam; quippe cum persuasissimus sim, naturam non minus hic loci quam in aliis quibuscumque, methodo quadam certa atque ordine progredi: *quartanosa* enim (ut sic dicam) ac *tertianosa* materia non minus naturæ legibus subjacet, iisque regitur, quam alia corpora qualiacunque.

Cum rigore atque horrore in universum *Intermittentes* omnes incipiunt, cui mox calor succedit, atque huic deinceps sudor; Per utrunque paroxysmum, tum illum quo riget æger, tum quo plus satis incalescit, vomiturit ut plurimum, vehementer ægrotat, cum siti, & lingua arida, *&c.* Quæ quidem symptomata, iisdem omnino gradibus recedunt, quibus provehitur sudor, quo, uberius prorumpente paroxysmus solvi videtur. Satis recte valet qui modo ægrotabat, donec paroxysmus periodo sibi consueta denuo recrudescat; in *Quotidiana* scilicet quolibet νυχθημέρῳ, in *Tertiana* alternis diebus, in *Quartana* tertio quoque die, calculatione videlicet facta ab unius paroxysmi initio, ad initium subsequentis. Licet haud raro ingeminentur posteriores duo, ita Tertiana quolibet die invadat, Quartana per duos dies continuos, tertio quidem ab insultu libero manente, quandoque etiam ter tribus diebus continuis infestet, cum *Triplex Quartana* est, morbo ab isto, quem primum assumpsit, Typo nomen sortiente.

Quæ ſane paro[illegible] reduplicatio[illegible] æ it-
brilis exceſſu activitat[illegible] nimia producit[illegible] oxyſ-
mus *adventitius primarium* antevertit; non[illegible] virium
proſtratione, cum in ægro nempe nimium illæ [illegible] jectæ, &
paroxyſmi vigor retuſus, ſive refrigeratione intenſiore, ſive etiam
evacuationibus præter modum effuſis: in hoc vero caſu cum paroxyſ-
mus adventitius primarium inſequitur, mitius inſuper, neque ita pror-
ſus diu atque alter ægrum affligit. In priore inſtantia, materiæ tur-
geſcentia ſive ὀργασμὸς tardius revertentem, & ſibi debitam periodum
nequaquam præſtolatur, ac proinde aliquanto præmaturius deſpuma-
tione ſua defungitur: in poſteriore autem cum ſanguis non jam ea vi
polleat, quæ materiæ febrili uno impetu excutiendæ ſufficiat, mox a-
lium de novo paroxyſmum ſubſtituit, quo ejus reliquias e ſinu ſuo ex-
turbet. Quinimo e duabus hiſce cauſis ſibi invicem adverſantibus for-
te etiam pendet tam paroxyſmorum anticipatio in febre intermit-
tente ordinaria atque regulari, quam eorumdem tardior acceſſio; qua-
rum utraque in his febribus frequenter occurrit, quæ νυχθήμερον o-
mne percurrunt, vel ſolitum paroxyſmi tempus anticipantes, vel
eo ſerius accedentes.

Febrium autem intermittentium quædam *Veris* ſunt, quædam *Au-
tumni*: quamvis enim in tempeſtatibus intermediis nonnullæ oborian-
tur, quoniam tamen illæ, & minus frequentes ſunt, & ad prædictas
reduci poſſunt (illas nempe quibus magis appropinquant,) idcirco
omnes ſub duobus hiſce generibus, *Vernalibus* nempe, atque *Au-
tumnalibus*, complectar. Tempora ad quæ particulariter ὡς ἐπὶ τὸ
πολὺ referuntur, menſes ſunt *Februarii*, atque *Auguſti*; licet quan-
doque maturius invadant, tardius etiam nonnunquam; prout ſcilicet
uberior parciorve in aere apparatus, vel ad eaſdem producendas fa-
cit, vel officit, & ex conſequenti magis etiam minuſve epidemice
deprædantur. Cujus rei exemplum habemus ſatis obvium in febribus
intermittentibus Autumnalibus anni 1661. quo anno memini fœminam
quandam ædibus meis vicinam primo Quartanæ ſuæ paroxyſmo, ipſo
ſcilicet *Joannis feſto* correptam fuiſſe. Et complures alii circa idem tempus
præmaturum febribus illis correpti fuere, quæ poſtmodum adeo epidemi-
cæ evaſerunt; quod argumento eſt magnum tum fuiſſe in iſta quæ
tunc obtinebat aeris temperie, ad iſtos morbos apparatum, qui de-
inceps procedente anno ſtipatiores graſſabantur.

Et quidem uſque adeo neceſſaria eſt hæc febrium diſtinctio, ut
niſi eadem in praxi ſedulo contemplemur, neque de earum dura-
tione prognoſtico aliquo rite facto quicquam pronunciare, neque quo-
modo regimine ægrorum corpora curare poterimus, habita tum tem-
peſtatum, tum naturæ febrium diverſæ ratione. Verum quidem eſt fe-
bres utriuſque tempeſtatis ingenium non plane diſſimile nanciſci,
ſive modum ſpectes primi inſultus, qui cum horrore primum incipit,
mox in calorem erumpit, ac tandem per ſudorem ſolvitur; ſive typo-
rum diſcrimina, quorum reſpectu quædam *Tertianæ* ſunt, tum *Ve-
re*, tum etiam *Autumno*. Interim tamen non dubito, quin febres
iſtæ tota ſua natura ſive eſſentialiter diſtinguantur.

Atque ut de **Vernalibus* primo dicam, illæ fere omnes vel *Quo-
tidianæ* ſunt, vel *Tertianæ*, & vel ſerius, vel ocyus ingruunt pro va-
rio tempeſtatis apparatu. Nam per brumale frigus ſpiritus concen-
trati vires in ſuo receſſu ſibi acquirunt, quos appropinquantis poſt-
ea ſolis calor jam vegetos evocat, qui cum viſcidis humoribus (mi-
nus tamen viſcidi ſunt hi, quam quos in Autumno prægreſſi fervores
excoxerunt ac torre fecerunt) commiſſi, quos durante hyeme natura
in ſanguinis maſſa congeſſerat, dum avolare nituntur, implexi deti-
nentur, & quaſi irretiti, adeoque vernam hanc ebullitionem concitant. Eodem plane modo, quo vaſa cereviſia repleta, atque in arena
vel cella frigida diutius repoſita, ſi igni admoveantur, tumultum
ſtatim concipiunt, & liquor ad volatum pronus eſt. Sanguis hoc mo-
do affectus purgationem ſui molitur, atque ſpirituum volatilium ope
negotium hoc ſat cito peragit, niſi forte nimia viſcidorum ſuccorum
vi inſtructus fuerit, qui fermentationem cœptam remorentur; & li-
cet hoc ipſum accidat, effervescentia tamen verna raro continua,
ſuique ſimilis manet, verum diſſilire atque in diverſos Paroxyſmos
quaſi findi ſolet. Sanguine enim opulentis hiſce ſpiritibus jam turgi-
do, natura negotium ſuum quaſi præceps aggreditur, & quarundam
partium ſecretionem ad modum perfectæ ſolutionis per Paroxyſmos
particulares peragit, priuſquam univerſali ſeparatione defungatur. At-
que hæc mihi quidem ratio non idonea videtur, quod verna tempe-
ſtate, præſertim illa, quæ æſtatem propius attingit, paucæ febres
continuæ occurrant, niſi forte conſtitutio fuerit Epidemica. Fermen-
tationes enim tunc temporis obortæ vel ſubito conſopiuntur, vel ad
intermiſſionem properant, vel denique partes humorum ad ſepara-
tionem proniores, præmature & cum vi quadam alio transferuntur, ex
quo mox *Anginæ*, *Peripneumoniæ*, *Pleuritides*, aliæque id genus pe-
ſtes ſuccreſcunt, quæ deſinente potiſſimum Vere caput ſuum exerunt.

Animadverti, *Febres Intermittentes Vernales* rariſſime fuiſſe diuturnas, ſemper vero ſalutares; ita ut vel maxime ſenex, vel debilis
quiſpiam, officioſiſſima damnoſiſſimaque imperitiſſimi cujuslibet πε-
ριεργίᾳ modo is probus fuerit, e medio vix queat tolli. Contigit
mihi tamen videre *Tertianas Vernales*, quæ ob Phlebotomiam, &
Catharſin indebite celebratas, & regimen inſuper cum morbo male
quadrans, moras traxere etiam uſque ad tempus illud, quo Autum-
nales ſolent invadere; quæ tempeſtas cum hujus morbi genio ſit ad-
modum contraria, eundum continenter extinguit; Ægro interim fre-
quenti Paroxyſmorum reduplicatione, & duratione longiore ita pene
confecto, ut in extremis verſari videatur: quæ nihilominus (quatenus
mihi hactenus obſervare licuit) ſemper eſt elnctatus. Neque in
convaleſcentibus ab hoc morbo mihi adhuc ſubiit videre graviſſima
illa ſymptomata, quæ, ut infra dicetur, intermittentes Autumnales
diuturniores ſequuntur; *Lethalem* intelligo *tonſillarum inflammatio-
nem*, *ventrem induratum*, *tumores Hydropicos*, *&c.* Plus ſemel tamen
adverti ægros a morbi diuturnitate, & Paroxyſmorum ingeminatio-
ne (accedentibus ad malorum cumulum evacuationibus repetitis) ad
ſummam debilitatem redactos, ut primum cœperint convaleſcere,
in *Maniam* incidiſſe, quæ pari cum illo paſſu receſſit, quo eorun-
dem vires de novo redintegrabantur.

Intermittentes vero *Autumnales* longe aliter ſe habent. Primo
enim *Tertiana*, licet quibus annis Epidemica non eſt, & ſanos in-
vadit, cito nonnunquam ſe proripit, neque pluribus ſtipatur ſym-
ptomatis, quam quæ Verno tempore contingere ſolent Tertianæ; ubi
tamen epidemice graſſatur, & ætate provectiores, aut pravo corporis
habitu præditos ferit, haud vacat periculo; quin etiam ad menſes
duos, vel tres, forte etiam in ſecuturum uſque Ver tyrannidem ex-
ercet. Deinde *Quartanæ* & periculoſiores ſunt, & obſtinatiores longe
quam ſunt illæ, de quibus ultimo diximus: Ubi enim natu grandio-
res impetunt, eoſdem paucis adhuc Paroxyſmis mulctatos quando-
que jugulant; quo in caſu æger tempore *exhorreſcentiæ*, ineunteque
adeo Paroxyſmo ut plurimum moritur, quod jam dictum. Quod ſi
æger in ſenectutis tantum fuerit confinio, nec dum ejus limen præ-
tergreſſus, licet non in eodem verſetur diſcrimine, ne inter Paroxyſ-
mos primo laceſſentes luce privetur, haud tamen facile a febre hac
elabetur, niſi vertente anno, appetenteque illo tempore, quo primo
corripiebatur. Nonnunquam etiam *hæret lateri lethalis arundo*, nec
niſi a morte, langueſcenti decutitur. Quartana interim Typum ſub-
inde variat, plurima etiam parit ſymptomata, *Scorbutum* v. gr. *Ven-
trem induratum*, *Hydropem*, *&c.* Juniores vero ferendo huic morbo
pares ſunt, a quo nonnunquam circa *Solſtitium Brumale* liberantur,
frequentius tamen non niſi adveniente *Verno Æquinoctio*, vel etiam
Autumno inſequenti, ubi ſc. venæ ſectionem aut Catharſin admiſe-
rint. Sæpe non ſine ſtupore ſum intuitus infantes tenellos cum hoc
morbo per totos menſes ſex commiſſos, nec oppreſſos tamen, ſed de
eodem, *Herculis* inſtar pueri, in cunis triumphantes.

Hic notandum, quod cujuſcunque demum ætatis aut temperamen-
ti fuerit is, qui Quartana corripitur, ſi quolibet alio vitæ tempore
(vel etiam ab hoc remotiſſimo) eadem ſemel laboraverit, non diu ad-
modum enm ſecunda hac vice fatigabit morbus, ſed poſt paucos ali-
quot Paroxyſmos ſponte ſua ſolvetur, quod ſcitu dignum erat.

* *Intermittentium* autem *Vernalium* curationem quod ſpectat, li-
cet illas ſuo ſemper arbitrio permittendas exiſtimaverim, & nihil
prorſus movendum, cum nemo quiſquam, quod ſciam, earum unquam
opera fatis conceſſerit, atque ex adverſo, qui illas abigere fategerunt,
remediis præſertim evacuantibus, id tantum egerint, ut morbus in-
de confirmatior pertinacius obſiſteret; ſi tamen importuna ægri im-
patientia Medici opem obnixe afflagitet, Intermittentes Vernales
variis modis, & quidem cum optato exitu aggredi licet, uti mihi
non infrequenti obſervatione abunde conſtitit.

Nonnunquam *Emeticum* tempeſtive propinatum, ut nempe ante
Paroxyſmum negotio ſuo defungi poſſit, feliciſſime ſucceſſit: præ-
ſertim ſi quantitatem mediocrem *Syr. de Meconio*, vel cujuſvis Nar-
cotici poſt finitam Emetici operationem, exhibueris immediate an-
te Paroxyſmi inſultum.

Eſt ubi ſanitatem videas reſtitutam per *diaphoretica*, quæ ſudorem
in Paroxyſmi ſolutione obortum promoveant, ægro interim optime
ſtragulis cooperto, id quod tantopere, ac tandiu faciendum eſt, quan-
diu vires ægri patiantur. Atque hoc in Veris intermittentibus, præci-
pue Quotidianis, ſæpe obtinuit: humoribus enim in hac tempeſtate
non admodum craſſis exiſtentibus, ſolutio alias imperfecta futura, in
perfectam adoleſcit, quod quidem in Autumno nunquam accidit.

Quid quod clyſteris in diebus intermittentibus per triduum, vel
quatriduum adhibiti beneficio, Tertianas aliquando curaverim.

Interim ſi ob Phlebotomiam liberiori manu celebratam (quo
tempeſtas ipſa parum cautos facile inclinat,) vel ob ægri debilita-
tem antecedaneam ſpiritus illi qui ſubito ad deſpumationem ſe ac-
cingerent, pauperiores facti minus valeant, accidere poteſt, ut hu-
juſmodi febres Vernales auxiliis quibuſcunque fruſtra tentatis, Au-
tumnalium diuturnitatem æmulentur. Sane non ſolent illæ eouſque
durare, quippe quæ vel ſponte ſua deſinant, vel leviori remedio-
rum ope facile in fugam vertantur.

* *Intermittentes* autem *Autumnales* non tam levi opera ſe amo-
veri patiuntur. De illis igitur nonnulla mihi dicenda ſunt. Si au-
tumnalis conſtitutio fuerit Epidemica, circa *Junium* adultum ſolent
invadere. Sin minus, *Auguſtum* præſtolantur, & *Septembris initium*:
in ſubſequentibus vero menſibus rarius occurrunt.

Cum earum ingens aliquod agmen ſimul invaſerit, obſervare lice-
bit earum paroxyſmos plerunque una eademque diei hora contingere,
acceſſionibus nunc prævertentibus, nunc poſtponentibus, ſimili pla-
ne modo, atque eodem tenore, niſi quod accidere queat, ut ordo
ille medicamentis adhibitis, quæ retardandi vel præcipitandi vi pol-
lent, in quibuſdam corporibus immutetur vel pervertatur.

Obſervandum eſt etiam quod in principio febrium intermitten-
tium (Epidemicarum præcipue quæ Autumno contingunt) haud ita
in proclivi eſt typum ſub primis invaſionis diebus rite diſtinguere,
quandoquidem febre continua adſcita primum adoriuntur, neque fa-
cile eſt aliquandiu, niſi diligenter adverteris animum, quicquam
aliud præter aliqualem morbi remiſſionem deprehendere, quæ ta-
men paulatim in perfectam deſinit intermiſſionem, & typum anni
tempeſtati apte reſpondentem.

Typorum ratione vel *Tertianæ* ſunt, vel *Quartanæ*. Atque de quar-
tanis quidem illud merito affirmari poteſt, eas genuinam eſſe Au-
tumni ſobolem. Utræque profecto ea affinitate inter ſe connexæ
ſunt, ut ſæpe numero vices permutare, ſaltem ad tempus, deprehen-
dantur, mox fortaſſis ad priſtinum genium redituræ. Sed Tertianæ
vernales quartanarum typos nunquam induunt, cum toto (ut ita
dicam) cælo a ſe invicem diſtinguantur. Neque porro obſervavi
unquam hac tempeſtate quotidianam contigiſſe, niſi quis Tertianam
duplicem, vel triplicem Quartanam hoc nomine cenſuerit ἀκυρολόγως
appellandam.

Has autem febres intermittentes eo fere modo ſuam originem nan-
ciſci arbitror, quem nunc ſummatim attingemus; Nempe anno ſur-
gente atque progreſſo, ſanguis etiam pro rata proportione exaltatur
(haud ſecus ac vegetabilia quævis augmentis atque declinationibus ſuis
anni curſum referuntur) donec ad ἀκμὴν ſuam, ultimumque vi-
gorem pervenerit; hinc parallelis motibus cum tempeſtatibus anni per-
gens, eo declinante relaxari tandem, & ipſe incipit; ac tum præcipue
cum ab accidentali aliqua cauſa promotus fuerit, puta ſanguinis
immodica jactura, frigore admiſſo, cibis crudis atque excrementis,
balneorum uſu intempeſtivo aliiſque non paucis. Jam vero ſanguis
in hoc decidentiæ ſtatu conſtitutus impreſſioni morbificæ cuicum-
que obnoxius eſt, quam in illum faciet quælibet aeris conſtitutio,
quæ hoc tempore dictis intermittentibus eſt Epidemica. Atque huc
ſpectat ebullitio mox inducta, qua liquorem ſanguineum quandoque
valde degenerem corripiente, febris inde oriunda mali moris eſſe ſo-
let,

* *Intermittentes Vernales.*

* *Intermittentium Vernalium curatio.*

* *Intermittentes Autumnales.*

let, & malignis, atque horrendis ſymptomatibus pleniſſima. Illud utcumque accidit, ut ſanguis ſpiritibus ſuis magnam partem exutus, & ab æſtate præcedenti plurimum aduſtus, ebullitione ſua non niſi tardiſſimis motibus defungatur, ſuæque deſpumationi longiſſimam periodum poſtulet.

Jam vero ut manifeſtum evadat, quam difficulter hæ febres (Autumnales puta) curationem admittant, hoc loco perpendendum eſt: Continuatum hujus tempeſtatis atque intermittentium diſcrimen in eo maxime verſari, quod *Continuæ* conceptam ſemel efferveſcentiam συνεχῶς unoque tenore perficiant; *Intermittentes* autem partitis vicibus ac diverſis temporibus eadem defungantur. Interim in utriſque fermentatio naturæ ductu peragitur horarum 336. aut circiter, neque enim citius aut tardius maſſa ſanguinea in humano corpore ordinario repurgatur, ſi negotium naturæ permiſeris: haud ſecus ac pomarium ſuam, vinum atque cereviſia ſuam, ac peculiarem habet periodum, qua depurentur. Quamvis autem in febribus intermittentibus ſanguis nonnunquam (ut in Quartana contingit) ſex menſium ſpatio deſpumationem ſuam moliatur, ac tandem perficiat; non tamen (ſi rite calculum ponas) plus temporis in eadem abſolvenda impenditur, quam quod in continuis impendi naturaliter ſolet; quatuordecim enim νυχθημέρια, ſive dies naturales efficiunt horas 336. tribuendo nempe horas quinque cum dimidia cuilibet paroxyſmo Quartanarum, habebis in Quartana valorem 14. dierum, h. eſt horas 436. Jam ſi quis dixerit Quartanam, verbi cauſa, (eadem enim reliquarum intermittentium ratio ſubintelligenda eſt) ultra ſex menſium ſpatium aliquando excurrere, antequam periodum ſuam abſolvat, reſpondeo, idem etiam non raro in continuis febribus hujus conſtitutionis ſpectari, quæ ſæpe ultra dies quatuordecim protrahuntur; in utroque nimirum caſu ſi efferveſcentiam (præſertim circa febrium finem) rite atque ordine decurrere, ac ſuſtineri vegetam curaveris, deſpumatio intra prædicti temporis ſpatium, hoc eſt, quatuordecim dierum, vel 336. horarum peragetur: quod ſi vero efferveſcentiam illam ſeu fermentationem refrigerantium medicamentorum, aut clyſterum uſu tunc temporis (ſcilicet verſus febrium declinationem) importune inhibueris, & quaſi frænum illi injeceris, mirum non eſt, ſi in longum evagentur, ordine quippe naturæ perturbato. Namque hoc modo laxatur quodam modo ſanguinis humani tonus, unde ſe ad deſpumationem accingere cum effectu nequit. Imo vero in corporibus debilibus, & effœtis aliquando, vel ſponte accidit, niſi Cardiacorum ope naturam in illis languentem adjuveris, quo ſanguini deſpumando par ſit.

Verum illud hic jam porro notandum arbitror, ea quæ de fermentationis ſpatio atque continuatione ſupra tradidimus, de illis ſolummodo febribus intelligenda eſſe, quæ ſtatam quandam naturam atque habitum nactæ ſunt. Sciendum enim eſt (neque me præterit) febres quaſdam eſſe, tum continuas, tum intermittentes, quæ tranſeuntis, & incerti genii ſunt, neque in ſuis efferveſcentiis ad deſtinatam periodum pertingunt. Hujus generis ſunt quæ a levi aliqua offenſa ex ſe rerum non naturalium, quas appellant, ut cibi, potus, aeris, & his ſimilium, abuſu, nonnunquam ortum ducunt, his enim morbis correpti ſubito ſæpe convaleſcunt. Idem etiam in adoleſcentulis, ſanguine puro, ac multis ſpiritibus referto præditis, aliquando accidit: nimirum febres illorum ſpirituoſa quadam ac niniis tenui, volucrique materia, fermentationes ſuas citius perficiunt, ac celeri gradu ſpatia ſua emenſæ evaneſcunt. Ad fermentationem enim illud primo requiritur, ut materia fermentiſcibilis, ſive illa ſanguis ſit, ſive vinum, aut alius aliquis liquor quilibet, ea tenacitate, & viſcoſitate polleat, ut ſpiritus implexos, atque irretitos eatenus detinere valeat, ut in liquoris maſſa moveri atque agitari poſſint, eodem fere modo, quo aves viſco captæ, aut muſcæ atque apiculæ melle detentæ, motitare quidem, & murmura ſua peragere poſſunt, avolare interim non valentes. Neque tamen, (ut obiter illud dicam) eam tenacitatem obtinere debent liquores memorati, ut ſpiritus prorſus obruant opprimantque, adeo ut non omnino moveantur.

His jactis fundamentis (quæ quidem neſcio an aliis, mihi certe ratione non contemnenda niti videntur) mirum non erit, ſi illis non aliam medendi methodum ſuperſtruam, quam quæ in febribus continuis ad deſpumationis debitum opus rite perficiendum, adhibenda videatur: cum nimirum illæ a continuis nullo diſcrimine ſejungantur, ſi ordinem ſpectes, quo natura earundem materiam expellere ſolet, ſcilicet per efferveſcentiam certa periodo comprehenſam. Etſi quod ad earum ſpeciem, atque naturæ proprietatem attinet, illas & a continuis, & a ſe invicem plurimum differre non diffitear. Itaque vel methodum, qua ſe natura liberare ab hoc morbo ſolet, caute ſoliciteque obſervando indicium ſumere oportet, quo fermentationem obortam acceleremus, atque ita ad ſanitatem ægros perducamus, vel in ipſam cauſam ſpecificam penetrando, danda erit opera, ut remediis efficacibus ac ſpecificis morbo obviam eatur. Ab horum alterutro indicationes ſumendæ ſunt. Ego utramque viam ingreſſus aliquando fui, atque illæſa (uti opinor) verecundia profiteri poſſum, non ſine ſumma cura atque attentione animi indefeſſa, ſed nondum eam felicitatem adeptus ſum, ut Autumni febres intermittentes certa aliqua praxi atque medicandi ratione tollere poſſim, antequam ſtatas illas fermentationes (de quibus ſupra locuti ſumus) peregerint, utcunque moleſtum hoc febricitantibus videatur; qui eouſque ſanitatem ſuam expectare inviti coguntur. Revera autem ſiquis inter mortales reperiatur, qui ſive methodo aliqua certa, ſive remedio ſpecifico adhibito, febrium harum intermittentium curſum non ſolum inhibere, ſed etiam omnino abrumpere novit, exiſtimo eum omni jure teneri, ut humano generi rem illam ſummopere expetendam patefaciat: quod ſi non fecerit, ego illum, nec boni civis, nec prudentis viri nomen mereri pronunciare auſim; neque enim civis boni eſt, illud in rem ſuam vertere, quod toti generi humano tam ingens beneficium apportet; nec viri prudentis, divina benedictione ſemetipſum privare, quam a ſumma bonitate liceret expectare, ſi ad publicum bonum promovendum ſe accingeret. Honoris autem ac divitiarum longe minor apud probos ratio habetur, quam virtutis, & ſapientiæ.

Quantumlibet autem fuerit difficile, intermittentes has Autumnales certo fugare, tradam tamen quicquid ad earundem curationem præ reliquis facere mihi viſum eſt.

* Intermittentium Autumnalium curationem non ſine ingenti diſcrimine per Catharſin tentari (niſi eo, quem mox dicemus, modo inſtituatur) præſertim vero per phlebotomiam, frequenti ni-

* *Intermittentium Autumnalium Curatio.*

mis obſe[illegible] maxime ſi ea conſtitu[illegible]epidemica) hac methodo ſanandis, niſi Chirurgi g[illegible], quo venam pertundit, ipſam etiam febrem confo[illegible]res, etiam in vegetioribus, & Athletice cætera valentibus, non niſi longo temporis tractu expugnari ſe patiuntur: in provectioribus autem diutinum febris cruciatum tandem etiam mors excipit, quam præ foribus jam eſſe haud raro denunciat lethalis illa tonſillarum inflammatio, cujus fecimus mentionem. Adde, quod venæ ſectio alia etiam ſymptomata illa maturius accerſivit, quæ febres Autumnales intermittentes in ſtatu declinationis, vel comitari diximus, vel a tergo ſequi. Quartanariis vero in tantum obeſt phlebotomia, ut juvenes, qui a morbo alias intra ſex menſes fuiſſent liberati, per ſex adhuc alios ab eodem detineantur: Ætateque provectiores, qui niſi ſanguinem detraxiſſent, intra annum poterant ſanari, morbum etiam ultra ſtatutum illud tempus alere periclitantur, ac denique ab eodem victi ſuccumbere. Quæ de venæ ſectione jam dixi, levi opera ad Catharſin poſſunt transferri, niſi quod hæc non uſque adeo pernicioſa ſit, niſi crebro repetita.

Intermittentes Tertianas Autumnales hoc pacto aggredior. Ægro in lectulo compoſito, & ſtragulis undequaque cooperto, ſudores provoco ſero lactis cereviſiato, cui ſalviæ folia incocta fuere, quatuor circiter horis ante paroxyſmi adventum; quibus jam obortis mox præcipio, ut devoret ℈ij. *Pillularum Cochiarum majorum* ſolutarum in ʒj. ſequentis mixturæ. ℞. *Aq. vitæ* ℔. j. *Theriac. Andromach.* ʒiij. *Croci. Angl.* ʒj. *M.* fiant ſimul pro uſu. Hæc ubi aſſumpſerit, in ſudoribus continuo eliciendis perſiſtat, donec elapſæ fuerint aliquot horæ ab illo tempore, quo paroxyſmus ingruere debuerat, magna cum cautela ſe muniens contra illas ſudationis interruptiones, quas illi forte creabunt dejectiones aliquot a medicamento cathartico profectæ. Sæpius mihi ex animi voto ceſſit medicamentum hoc in fugandis Tertianarum paroxyſmis, quam uſu receptum illud ad eundem ſcopum tendens, decoctum ſc. *Rad. Gentian. Summit. Centaur. &c.* cum pauca *Sennæ* atque [illegible]*rici* quantitate. Cum enim duos illos contrarios ſudandi ac de[illegible]endi motus eodem tempore excitet, eundem cum vulgari illo ef[illegible]m obtinet, ordinatum ſcil. paroxyſmi proceſſum confundendo [illegible]que interturbando: idque efficacius, nec tamen tuto minus. Atque hac ſane methodo intermittentes Autumnales Tertianas bene multas pepuli; necdum præſtantiorem alium experiri his annis mihi licuit.

In *Tertiana duplici*, quæ typum variavit, ob ægrum vel evacuationibus vel alio quovis modo debilitatum, ſudor pari etiam modo provocandus, & pari temporis intervallo a futura paroxyſmi invaſione, vel medicamento jam laudato (omittantur vero *Pillulæ Cochiæ*, cum nec tutum ſit, nec ad rem faciat, cathartico jam ab eodem fractas ægri vires amplius dejicere, & paroxyſmis ejuſdem ope ingeminatis ſuppetias ferre) vel diaphoretico alio aliquo δραστικωτέρῳ atque efficaci, quod etiam repeti poteſt paroxyſmo genuino proxime ſubſequente: In ſumma ægri debilitate a dicta paroxyſmi ingeminatione electuarium, quod jam ſequitur, præſcribo: ℞. *Conſerv. fl. Borag. Bugloſ. an.* ʒj. *Conſerv. Anthos.* ℈ß. *cortic. citri condit. Nucis Moſch. cond. Theriac. Andromachi a* ʒiij. *Confec. Alkermes* ʒij. *M. F. Opiata*, de qua capiat ad magnitudinem avellanæ mane, & veſperi, ſuperbibendo cochl. 6. ſequentis Julapii ℞. *Aquæ Ulmariæ, & Theriacalis ſtillat. an.* ʒiij. *Syr. Caryophil.* ʒj. *M.* vel hujus loco aquam aliquam epidemicam ſimpliciorem ſaccharo dulcoratam exhibeo, interdicto Enematum uſu; ægro juſcula e pullorum carnibus, avenacea, *&c.* concedo.

Quartanarum quod attinet curationem, nemo eſt, opinor, in hac arte vel mediocriter verſatus, qui neſciat quam parum votis reſpondeant methodi iſtæ omnes, quæ huic Medicorum opprobrio eluendo hactenus deſtinantur, ſi *Corticem Peruvianum* excipiamus, qui tamen inducias ſæpius impetrat morbo, quam eundem debellat, cum poſtquam ad ſeptimanas duas, vel tres deluerit, magno cum ægri emolumento, qui ab illo male mulctatus paululum interim reſpirat, mox de novo recrudeſcens haud ſegnius quam prius laceſſit; atque ut plurimum, quotieſcunque demum repetatur illud medicamentum, non niſi longo temporis tractu expugnatur. Referam tamen quicquid de methodo ejuſdem exhibendi habeo compertum.

Curandum eſt ante omnia ne præmature nimis hic cortex ingeratur, ante ſc. quam morbus ſuo ſe marte aliquantiſper protriverit (niſi collabeſcentes, & jam fractæ ægri vires eundem temporius ſumendum eſſe dictaverint) neque enim illud ſolum eſt metuendum, ne a præpropero ejus uſu ineficax iſte reddatur, & ſpem ægri fallat, ſed etiam ne de ægri vita agatur, ſi ſanguini omni fermentationis niſu ſe deſpumanti eam derepente injicianus remoram. Proximo loco, neque Catharſi, multo minus venæ ſectione, ſubducenda eſt materiæ febrilis pars aliqua, quo liberius cortex ſuo fungatur munere: cum enim ab utraque labefactetur quadantenus œconomia corporis, eo promptius certiuſque recrudeſcent paroxyſmi, evaneſcente ſemel pulveris vi. Mihi etiam magis e re fore videtur, ut ſanguinem dicto medicamine ſenſim, longioreque a paroxyſmis intervallo leviter inficiamus, quam ut uno omnino ictu paroxyſmum jam inſtantem tentemus confodere; hoc enim pacto, & plus temporis remedio conceditur, quo ſuum opus plenius abſolvat, & evitatur quicquid id eſt periculi, quod ægro poterit oriri ex ſubito iſto atque intempeſtivo nimis ſufflamine, quo paroxyſmum jam invaleſcentem, atque omni ſe ope exerentem conamur opprimere. Poſtremo brevibus iſtis temporis intervallis repetendus eſt pulvis, ut non protinus evaneſcat prioris doſis virtus, antequam altera exhibeatur: crebra enim repetitione iſta δύναμις tandem recuperabitur, profligato inſolidum morbo. His adductus rationibus hanc ego methodum cæteris antepono: *Peruviani corticis* ʒj. *cum Syrup. Roſar. rubr.* ʒij. miſceatur; æger vero quantitatem nucis moſchatæ majoris mane, & ſero quotidie devoret diebus a genuino paroxyſmo vacuis, donec confectionem omnem abſumpſerit. Repetatur porro ad tres alias vices, interjectis ſemper diebus quatuordecim.

Neque forte cum minori fructu uſurpari poterit cortex hic in Tertianis, qua Vernis, qua Autumnalibus, quam in Quartanis, adhibetur. Sed ut vera loquamur, nec artem ἀπροσδιονυσως oſtentemus; Si harum febrium alterutra correptus æger, vel infans ſit, vel ætate floreat, convenit omnino (quantum ego hactenus edoctus ſum) nihil medicamentorum quorumvis ope, aut aeris, ac diætæ mutatione moliri: Nihil enim hinc mali natum hucuſque intellexi, ſi modo totam rem naturæ permiſerim. Id quod ego non ſine admiratione, præcipue in infantulis, ſæpe obſervavi, ſanguine namque depuratione ſua

defun-

defuncto, febre... ...ua evan... ...m e con-trario, vel ſtrictiori aliquo regimine u... ...enta pur-gantia ſubinde adhibeas, (adhiberi ſcil... ...ætextu, ut obſtructiones expediantur, atque humores... ...is ſtabulantes exturbentur) vel ſi, quod præcipuum eſt, in conſtitutione epidemica venæ ſectio celebretur, fiet ut morbus in longiſſimum tempus procurrat, atque interim ut ægri mille ſymptomatibus, iiſque periculoſiſſimis exponantur.

Si vero febricitantes provectioris ætatis ſint, ex utroque morbo (Tertianas dico Autumnales, ac Quartanas) non ſolum diuturnitatis, verum etiam ipſius mortis grave periculum imminet. Hic itaque Medicum illud agere oportet, ſi neque cortice *Peruviano*, nec alia quavis methodo morbum ſubmovere valuerit, ut naturæ ſaltem ſuppetias ferat, eamque illis adminiculis ſublevet, quibus ad negotium ſuum peragendum opus habuerit. Certe enim in effœtis corporibus, niſi fermentatio Cardiacorum, & corroborantis diætæ, ut vini *abſinthitis*, ac id genus ſimilium, beneficio ſuſtineatur, illud accidet, ut ægri incertis atque fruſtraneis paroxyſmis divexati debilitentur, atque morbus eouſque duret, donec languida prius natura paroxyſmo aliquo graviore correpta, ad ebullitionis tempus pertingere non poſſit, adeoque in ipſo exhorreſcentiæ tempore diem ſuam obeant ægroti. Atque hoc in ſenibus non raro uſu venit, qui longa Catharticorum ſerie debilitati fuerunt, imo, ut aliquando viſum eſt, in ipſo vel primorum paroxyſmorum rigore penitus defecerunt cum exhibito Cordiaco ſaris forti ſaltem ad tempus aliquod ſuſtineri potuiſſent.

Cum ſanguis tempus illud exegerit, quod ad deſpumationem ſuam perficiendam requiritur, neceſſarium eſt, ut provectioris ætatis ægri eodem ipſo tempore, vel paulo antea inſignem aliquam aeris mutationem ſubeant, ſive (quod potius optandum eſſet, in calidiorem aliquam regionem commigrando, ſive mutando ſaltem locum, in quo primum hoc modo correpti ſunt. Mirum ſane eſt, quantum valeat hæc aeris mutatio ad morbum hunc prorſus abigendum. Interim ut ante hunc temporis articulum aer mutetur, non tantum non neceſſarium eſt ad ſanitatem ex hoc morbo reſtituendam: ſed & minus convenit. Etiamſi enim quis in regionem quantumcunque Auſtralem & calidam migraverit, ſanguis tamen ejus in morbido hoc motu ſemel conſtitutus, depurationem ſuam ut pergat neceſſe eſt; quod quidem beneficii fruſtra expectabitur ab inuſitato novoque aere, priuſquam procedente atque adulto jam ſanguinis motu, ſanitatis recuperandæ capax fuerit. Inſignis ergo illa aeris mutatio tum demum adeunda eſt, cum primum æger a paroxyſmo liberari poteſt. Exempli cauſa: In Quartana, quæ primum in Autumno invaſit, non citius aer mutandus eſt, quam circa Februarii initium. Interim ſi æger mutare locum vel nolit, vel commode nequeat, oportebit ut hoc ipſius temporis articulo, forti aliquo medicamento utatur, cujus eæ ſint vires, ut uno quaſi ictu langueſcentem illam depurationem potenter promoveat, & ſi fieri poterit, perficiat. Ad hanc rem conſulerem ego, ut *Electuarii de Ovo* vel *Theriacæ Andromachi ſeſqui drachma in aquæ Cæleſtis*, vel *aquæ Vitæ communis unciis duabus diſſoluta exhibeatur*, duabus ſcil. horis ante paroxyſmum. Id quod a me, cum ſucceſſu non infelici, in morborum hujuſmodi declinatione factum eſt. Licet agnoſcam calidiora hæc citius exhibita vel morbum duplicare, vel in febrim continuam permutare, quod a *Galeno* jamdudum obſervatum eſt. Idem in juvenibus hoc morbo detentis fieri poteſt, cautela adhibita. Ut autem in puerili ætate idem fiat, non tantum non convenit, verum etiam periculo non vacare dudum obſervavi.

Priuſquam huic argumento clauſulam addamus, illud monendum venit. Ea quæ de febrium Autumnalium intermittentium duratione, atque de tempore ad ſanguinis deſpumationem requiſito jam dicta ſunt, ita intelligenda eſſe, ut nos ſolum illud nunc ſpectemus, quod natura vulgaribus atque uſitatis tantum medicamentis ſuffulta, præſtare ſoleat. Nequaquam enim eo conſilio de his rebus ita locuti ſumus, ac ſi doctos ac ſolertes Medicos deſpondere animum velimus, atque vel de melioribus medendi rationibus excogitandis, vel nobilioribus remediis inveniendis ſpem totam abjicere, quorum ope hujuſmodi morborum ſanationem accelerent; tantum enim ego profecto ab hoc propoſito abſum, ut non deſperem, vel a me ipſo tale quippiam ſive methodi, ſive remedii aliquando repertum iri.

Sublato morbo, æger ſedulo purgandus eſt; incredibile enim dictu, quanta morborum vis ex purgationis defectu poſt febres Autumnales ſubnaſcatur. Miror autem hoc a Medicis minus caveri, minus etiam admoneri. Quandocunque enim horum morborum alterutrum paulo provectioris ætatis hominibus accidiſſe vidi, atque purgationem etiam omiſſam, certo prædicere potui periculoſum aliquem morbum eoſdem poſtea adoriturum, de quo tamen illi nondum ſomniaverant quaſi perfecte jam ſanati.

Omnino interim cavendum eſt, ne purgetur æger, niſi morbo penitus depulſo. Quamvis enim partes naturales illuvie iſta, quam in illas congeſſit febris, hoc pacto quadantenus ſublevari videantur: nova tamen materia derepente ſuccreſceret, febre ſcil. a Cathartici impetu, atque humorum agitatione jam revocata, eandem ſuppeditante; ac proinde id tantum a purgatione lucri fecerimus, ut morbus contumacior evadat. Quotidiana id nos docent eorum exempla, qui in morbi παροξυμῷ, ut *Theoriæ* iſti morem gerant, quæ in tollendis obſtructionibus, & evacuando humore melancholico, qui mali fons & origo vulgo habetur, curationis ſpem omnem ponit, repetitis purgationibus miſere plectuntur; quibus ſane, quicquid id demum eſt humorum, quod a corpore divellitur atque eliminatur, compertiſſimum eſt nobis febrim altiores exinde radices agere, & pertinacius ſtationem ſuam tueri, quam ſi non fuerit proritata. Quapropter religio mihi eſt Catharticum propinare ante tempus illud, quo non tantum paroxyſmi perceptibiles, ſed etiam alteratio iſta, qualis qualis ea fuerit, quæ diebus illis, in quos paroxyſmus incidere debuerat, perſentiſcitur, omnino evanuerint, atque unus inſuper menſis fuerit elapſus, quo quidem effluxo potionem aliquam ex lenitivis vulgaribus præſcribo, atque eandem ſemel in ſeptima ad menſes duos treſve ſubſequentes repetendam impero, addito etiam ſingulis vicibus hauſto aliquo Paregorico hora ſomni aſſumendo, finita jam medicamenti operatione; ut nempe paroxyſmo ſe de novo ingerendi anſam præſcindamus, quam aliter forte arriperet ex occaſione tumultus atque orgaſmi, quos vel mitiſſima excitant Cathartica.

Purgationibus inſtituendis idcirco ſpatia iſta ampla interpono, ut ſc. æger a recidivæ metu liberetur, quæ quidem a nimis crebra & confertim repetita ſanguinis atque humorum exagitatione, de facili poterat induci. At cum jam iſta res vacet periculo, Apozema ſequens frequenter uſurpari poterit. ℞. *Rad. Rabarb. Monachor.* ℥ij. *Rod. Aſparag. Bruſci, Petroſel. & Polipod. quer. an.* ℥j. *Cortic. Median. fraxini, & Tamariſci an.* ℥ß. *fol. Agrimon. Ceterach. & capill. Ven. an. M.* j. *Sennæ mund.* ℥iß. *vini albi*) *Epithimi* ℥ß. *agarici troch.* ℥ij. *ſem. fœnicul.* ʒiij. *Coq. in aqua ad* ℔ß. *ſub finem adde ſucci aurantiorum* ℥iij. *In colatura diſſolve Syr. Cichor. cum Rheo, & Magiſtral. ad melancholiam an.* ℥iß. *F. Apozema*, de quo capiat ℔ß. ſingulis matutinis per triduum, & repetatur quoties opus fuerit.

Ut tandem *Symptomata* illa memoramus, quæ febres inrermittentes in declinationis ſtatu comitantur, obſervandum eſt, Vernarum pauciſſima eſſe, ſi ad illa comparentur, quæ Autumnalibus accidunt, tum quia non ita diu hærent iſtæ, rum etiam, quia in humoribus non uſque adeo terrenis, & minus etiam malignis fundantur.

Primum hic ſibi locum vendicat, ſubinde occurrens **Hydrops*; unde primo quidem crura intumeſcunt, deinde etiam venter; qui exinde naſcitur, quod ſcil. ſanguis crebris illis fermentationibus, quas peperit morbi diuturnitas (præcipue in natu grandioribus) plures ſpirituum manipulos prodegit, unde ſumma eorundem inopia jam jam laborans, ſuccos cum alimentis ingeſtos non amplius valet aſſimilare, quorum cruda adhuc indigeſtaque moles in crura tandem deponitur, atque his jam diſtentis, neque ulterius quicquam admittentibus, in ventrem etiam, unde verus Hydrops formatur. Raro autem juvenes obſidet hæc malorum Ilias, niſi Catharticis per febris decurſum ſæpenumero iteratis eandem inconſulto nimis acceſſiverint.

Verum Hydrops ex cauſa memorata ſuperveniens aperientium & catharticorum uſu facile ſanatur, ſi modo recens fuerit. Neque mihi moleſtum eſt, quoties hunc natum morbum audio atque intelligo, nempe de rei exitu omnia bona tunc temporis animo concipiens: Nonnullos enim uſu Apozematis jam appropriati perſanavi.

Veruntamen obſervavi, fruſtra eſſe, ſi quis Hydropem ex febre intermittenti natum, medicamentis purgantibus tollere conetur, febre illa adhuc durante: Febris enim hoc pacto radices profundius agere deprehendetur, non autem amovebitur Hydrops; expectandum itaque, donec febris exulet, ac tum demum negotium proſpere ſuſcipiendum.

Verum enim vero ſi tam importune atque acriter inſtet ſymptoma hoc, ut ejus curatio non eo uſque videatur differenda, donec febris receſſus Catharticorum uſum permittat, aggredienda omnino illa eſt infuſionibus *rad. Raphani ruſticani*; *ſummitat. Abſinthii, & centaurii min. baccarum Jnniperi, Cinerum Geniſtæ*, &c. in vino factis; quæ non ſolum huic ſymptomati obſiſtunt, effœtas ſanguinis vires de novo inſtaurando, ſed naturæ etiam de morbo jam triumphaturæ tempori ſubveniunt.

* Infantes autem poſt febres autumnales cum continuas, tum intermittentes, Hectici aliquando fiunt. Ventres eorum inflati, tumentes, ac duri evadunt; ſæpe etiam tuſſis, aliaque tabidorum ſymptomata ſubnaſcuntur, quæ *Rachitidem* plane mentiantur. Hos ego ſequenti modo tractando conſultos. Paretur potio Cathartica, quam in febrium continuarum fine, aſſumendam præſcripſi. Hujus capiat infantulus Cochl. j. vel ij. plus minus pro ætate, mane per 9. dies, uno atque altero die, ſi opus fuerit, intermiſſo. Interim vero purgatio ita moderari debet ac regi, doſin vel augendo vel minuendo, ut ultra 5. vel 6. ſedes ſingulis diebus non procedat. Poſt finitam carharſin totus venter inungatur linimento aliquo aperitivo per aliquot dies. Sequenti uti ſoleo. ℞. *Ol. lilior. & tamariſci an.* ℥ij. *Succi rad. brioniæ & apii an.* ℥j. *bulliant ad ſuccorum conſumtionem, addendo unguenti de althæa & butyri inſulſi an.* ℥j. *gummi ammoniaci in aceto ſoluti* ℥ß. *ceræ q. ſ. f. linimentum*. Sane quamplurimi infantes, etiam vera Rachitide laborantes, hac methodo a me liberati ſuerunt.

Veruntamen (ut ante monuimus) cavendum ſedulo ne purgationem aggrediamur, niſi febre jam perfecte fugata; licet enim hoc pacto humoris in partes naturales amandati portio quædam evacuari non ſine cauſa videri poſſit, nihilominus ab ipſa febre nova ſubinde pravæ materiæ copia ſuggeretur, quæ non ſolum purgationem reddet fruſtraneam, verum & ipſum morbum diuturniorem præſtabit, ob rationes antea memoratas.

Obſervatu non indignum eſt, quod cum febres Autumnales teneram ætatem diu cruciarint, nulla ſpes ſit eaſdem abigendi, donec abdominis regio, circa lineam præcipue, indurari atque tumefieri occœperit; iiſdem enim gradibus quibus hoc ſymptoma ſupervenerit, febris etiam fugam meditatur. Neque forte ex meliori aliquo prognoſtico morbum hunc brevi abiturum dixeris, quam ſi ſedula animadverſione ſuboriri hoc ſymptoma perſpexeris. Idem porro in crurum tumoribus obtinet, qui in adultis aliquando ſpectantur.

Ventris tumor qui infantibus accidit poſt has febres, quibus annis aeris conſtitutio intermittentibus Autumnalibus progignendis epidemice determinatur, tangentis digitum haud aliter ferit, ac ſi materiam aliquam continerent viſcera in Scirrhum induratam; cum qui aliis annis, ſimili licet προφάσει, contingit, tactum ita afficit, ceu tenſio tantum foret hypochondriorum a ſubjectis flatibus. Hinc niſi annis quibus intermittentes Autumnales prædominium habent, veræ Rachitides rarius occurrunt, quod obſervatu dignum.

Tonſillarum dolor & *inflammatio* poſt febres ſive continuas, ſive intermittentes, cum deglutiendi primum difficultate & moleſtia, ſuperuenientibus, deinceps raucedine, oculis cavis, & Hyppocratitica facie, mortem certo imminentem prænonſtrant, interciſa plane omni redintegrandæ ſanitatis ſpe. Funeſto huic ſymptomati producendo evacuationes juſto copioſiores in ægris vi morbi jam fere attritis, ut & longiorem febris moram ſociam operam ut plurimum commodaſſe obſervavi.

* Multa alia ſunt accidentia quæ morbos hoſce conſequi ſolent ob purgationem vel non omnino, vel non rite celebratam, quibus impræſentiarum enumerandis ſuperſedebimus, cum curationis eadem fere ratio ſit utrobique, nempe ſedimenti ab efferveſcentia præcedanea depoſiti repurgatio, quod ſua mora malis hujuſmodi materiam præbuerit. Quanquam licet hic loci non contemnendum ſymptomatis genus referre; quod non tantum purgationibus & evacuationibus aliis quibuſcumque, venæ ſectioni præſertim, cedere dedignatur, verum & ab illis vires ſibi acquirit. Illud autem peculia-

ris

* *Hydrops.* * *Rachitis.* * *Maniæ ſpecies quædam.*

ris quædam eſt ac ſui generis *Mania* intermittentes diuturniores (Quartanas præcipue) nonnunquam excipiens, quæ communem medicandi rationem aſpernatur, & poſt evacuationes fortiores adhibitas in miſeram quandam ſtultitiam degenerans, non niſi cum ipſa ægrorum vita terminatur. Miratuſque ſæpenumero ſum, nullam hujus rei mentionem ab Authoribus factam fuiſſe, cum non raro accidiſſe viderim. Cum reliquæ amentiæ ſpecies copioſis evacuationibus, & venæ ſectione, & Catharſi ut plurimum perſanentur, hæc neutram poteſt ferre. Sed cum jam æger in ſanitatis limine eſt, ſi *vel* Enema ex lacte ſaccharato ſemel injeceris, ſtatim de novo recrudeſcet malum. Et ſi reiteratis purgationibus, venæ ſectioneque contra nitamur, ejuſmodi evacuationes morbi quidem ferociam poſſint domare, ægrum vero certiſſime non tantum fatuum, ſed & incurabilem omnino reddent. Quod quidem nemo mirabitur, qui ſecum reputaverit, alteram amentiæ ſpeciem a nimis exaltata & vivida ſanguinis craſi produci, hanc vero ab ejuſdem debilitate, & ut ita dicam, vapiditate a diuturna fermentatione quam invexit febris, qua mediante ſpiritus functionibus animalibus obeundis impares plane ſunt.

Huic malo ad hunc modum mederi ſoleo. Ægro ter in die Cardiacum aliquod e generoſioribus exhibeo doſi paulo liberaliori, e. g. *Theriacam Andromachi*. *Elect. de ovo*, *pulverem Comitiſſæ*, *pul. Gualtieri Raleigh*, *vel* ſimilem in *Epidemica*, *Theriacali*, vel alia. Poſſunt etiam in alia quavis forma exhiberi Cardiaca medicamenta: æger interim victu quidem moderato, Analeptico tamen, & potu generoſiore reficiendus eſt; foras ne exeat, in lecto ſe diu multumque contineat. Alvus ſub hoc regimine juſto erit aſtrictior, unde ut etiam a calidiorum medicamentorum uſu a febre quis ſibi metuat, ſed vano prorſus timore, cum ſpiritus antecedente morbo pene exhauſti novum deinceps non valeant accendere. Poſt aliquot ſeptimanas paulatim in melius proficiet, quo tempore omitti poſſunt Cardiaca ad dies pauculos. Diæta vero Analeptica jugiter inſtituenda, & poſt brevem intermiſſionem repetendus eſt denuo Cardiacorum uſus, atque in eo perſiſtendum donec integra ſanitate fruatur.

Dicta methodus *Maniam* etiam quæ has febres minime excepit, quandoque ſanavit, frigidiori ſc. atque infirmiori temperamento præditis. Anno nuper elapſo *Sarisburiam* accerſebat, ut cum Medico erudito & ſagaci, mihique conjunctiſſimo, Domino Doctore *Thoma* fœminæ nobili conſulerem, cui imaginatio haud parum fuit læſa. Verum adhibitis, etiam cum jam prægnans eſſet, remediis modo dictis, ad ſanam omnino mentem rediit.

Attamen *Mania communis*, quæ vegetis hominibus atque etiam nulla febre prægreſſa, accidere ſolet, alius ſane proſapiæ eſt, ac proinde longe diverſa, quoad evacuationes, methodo tractanda, tametſi vel in hac ſpecie, ea quæ cerebrum atque ſpiritus animales corroborant, haud omitti debent. Curationem autem ejus, etſi non ſit hujus loci, obiter tamen prædictæ ſpeciei ſubnectere non gravabor, ne quis forte præ ſimilitudine morborum in errorem illabatur.

In Junioribus ac ſanguineo habitu præditis, mittatur ſanguis ex brachio ad uncias octo vel novem bis vel ter, diebus tribus inter ſingulas venæ ſectiones interpoſitis: Deinde ſemel extrahatur ſanguis ex venis jugularibus. Ultra hunc modum repetitæ venæ ſectiones ægrum potius in *ſtultitiam* ducunt, quam curationem abſolvunt. Poſtea aggrediatur uſum *Pil. ex duobus*, quarum drachmam ſenis, vel ſcrupulos duos (pro ratione operationis) capiat ſemel ſingulis ſeptimanis ſtato die, ita ut ſi, verbi gratia, die lunæ primo pilulas aſſumpſerit, præciſe eodem ipſo die, nec frequentius, ſequentibus ſeptimanis eædem repetantur per longum tempus, uſque dum perfecte convaluerit. Hac methodo humores qui in hoc morbo mentis arcem impetere ſolerent, ſenſim in inferiores ſedes dilabentur, alia quaſi ῥοπὴ eis inducta.

Diebus a purgatione liberis per totum decurſum Electuario ſequenti, vel alio medicamento eadem virtute prædito utatur.

℞. *Conſ. Abſinth. Rom. Anthos, & Theriac. Androm. an.* ℥j. *conſ. flaved. Aurant. Angelic. condit. nuc. moſch. condit. an.* ℥ß. *cum ſ. q. ſyrup. Caryophyl. f. Electuarium*, capiat ad magnitudinem nucis moſchatæ bis in die, ſuperbibendo hauſtulum vini Canarini, cui fuerint frigide infuſi flores *Paralyſeos*.

Febris Continua atque *Intermittentes* quas ſupra deſcripſimus, ſoli ferme erant morbi Epidemici, qui durante illa conſtitutione quæ per annos 61. 62. 63. 64. regnabat, emicuere: quot retro annis eum obtinuerint principarum, non habeo dicere; id certo ſcio, quod ab anno 64. ad annum uſque 77. rariſſimæ omnino Londini comparuere.

Dicendum mihi etiam erat de *Variolis*, quales nam ſcilicet erant iſtæ quæ tum contingebant, reſpectu habito ad conſtitutionem illam; quandoquidem (ut jam ſubindicavi) vario admodum ſe habent modo pro varia conſtitutione qua inceſſunt: ſed cum non ſatis attente per id temporis animum ad eas adjecerim, miſſas jam facio: id tantum tradam illis peculiare, quod ſc. iis annis habentibus, ſub initio Maji conſertiſſime invadebant, ſupervenienti vero Epidemicorum Autumnalium cohorti (febrem volo continuam, atque intermittentes) locum dare ſolebant. In puſtularum ſummitate foveolæ quædam ad inſtar capitum acicularum minorum plerumque ſubſidebant; atque in *diſcreto* genere æger octavo maxime die periclitabatur, quo tempore, abrupto derepente qui hucuſque dimanaverat ſive ſudore, ſive madore, externa exareſcebant, nec revocari poterat ſudor Cardiacis quibuſcunque, æger phrenitide, atque anxietate inſigni corripiebatur, cum magno dolore & ægritudine, utinam frequenter, at in parva quantitate, reddebat, ac intra paucas horas de magna ſpe decidens, ad plures migrabat.

SECTIO SECUNDA.

CAPUT I.

Conſtitutio Epidemica Annor. 1665. & 1666. Londini.

PRægreſſa Hyeme frigidiſſima, & ſicco gelu in Veris uſque tempora indeſinenter perdurante, cum ex improviſo ſolveretur, fine ſc. *Martii*, ineunteque, ex Anglorum computo, Anno 1665. *Peripneumonia*, *Pleuritides*, *Anginæ*, aliique id genus morbi inflammatorii magnam derepente ſtragem edebant: quo ipſo tempore caput etiam extulit *Febris* quædam *Continua Epidemica*, a febrium continuarum genio, quæ præcedenti conſtitutione vigebant, longe diverſa; quarum vix ullæ ea anni tempeſtate ſolebant invadere. Dolor capitis quam in priore illa intenſior, & vomituritiones adhuc magis immunes ad hanc febrem accedebant; in pleriſque *Diarrhœa*, quam prius diximus aſſumpto Emetico præcaveri potuiſſe, jam ab eodem provocabatur, nec tamen ceſſabat vomituritio. Externa hic pariter ac in febribus conſtitutionis præcedentis ſicca reperiebantur; attamen, præmiſſa maxime venæ ſectione, æger in ſudorem ſolvi poterat, quo provocato leviora mox ſymptomata; atque hoc nullo non morbi tempore fieri potuit, cum in febre prægreſſa nec tuto ante diem 12. vel 14. id tentaveris, nec facile voti fueris compos, ſanguis ſæpe Pleuriticorum, & Rheumatiſmo laborantium ſanguinem colore referebat, non vero uſque adeo Gelatina illa albeſcente, qua illorum ſanguis pertexitur. Hæc primo erant Phænomena hujus morbi Διαγνωϛικά. Anno vero ſurgente ipſa *Peſtis* irrupit magno ſymptomatum Pathognomicorum numero ſtipata, *Carbunculis*, *viz. Bubonibus*, *&c.* Hæc indies magis ac magis invaleſcens, circiter Æquinoctium Autumnale ἀκμὴν attigit, quo jam inſtante unius ſeptimanæ decurſu octo plus minus hominum millia delevit; tametſi duo ad minimum Civium trientes ob metum contagii ſe in rus ſubduxerant; a quo tempore receptui canere cœpit, & urgente brumali frigore tantum non evanuit, niſi quod ſparſim unum atque alterum hinc inde feriret per omnem Hyemem, & in ſequentis Veris exordium, quo apparente & ipſa omnino eſt deleta, manſit tamen *Febris*, quamvis non ita Epidemica, excurrente integro anno ſequente, imo ad Ver uſque ortum Anni 1667. De his nonnulla hic ſubnectam.

CAPUT II.

Febris Peſtilentialis & Peſtis Annorum 1665. 66.

IN ſuperioribus obiter admonui e febribus nonnullas in malignarum claſſe vulgo reponi, cum indomita ſymptomatum ſævitia, quæ huic opinioni patrocinari videntur, non a venenoſa morbi indole, ſed a therapeja perperam adminiſtrata proficiſcatur. Nam cum ad morbi ſolutionem a natura deſtinatam haud ſatis attenditur, ſed alia medendi ratio temere inſtituitur, hinc perturbata totius corporis œconomia, ac omnibus ſuſque deque converſis, non modo triſtiſſima rerum facies ultra conſuetum morbi morem inducitur, verum morbus jam a ſeipſo alius etiam anomalis accidentibus velut alienigenarum ſatellitio ſtipatur. Atqui *Febris vere maligna* non eſt omnium dierum morbus, utpote quæ ab aliis febrium ſpeciebus ob ſymptomatum anomaliam ea nomenclatura utcunque inſignitis, tota ſua idea ac ingenio diſſideat. Revera enim cum ipſiſſima peſte ſpecie convenit, nec ab ea, niſi ob gradum remiſſiorem, diſcriminatur. Quocirca utriuſque affectus ortum ac curationem in eodem capite complectar.

Aetis maſſæ occultam ejuſmodi ſive craſin ſive texturam obtingere, quæ diverſarum diverſis tempotibus ægritudinum anſa atque pararia exiſtat, nemini obſcurum eſt, qui modo animadvertit unum eundemque morbum certa aliqua tempeſtate infinitam mortalium vim corripere, ac Epidemicum fieri, alias tamen unum alterumve hominem afflixiſſe contentum, ulterius non graſſari. De Variolis, ac in primis de peſte, hujuſce capitis argumento, res eſt ſat ſuperque manifeſta.

At vero quæ qualiſque ſit illa aeris diſpoſitio, a qua morbificus hic apparatus promanat, nos pariter ac complura alia, circa quæ vecors ac arrogans Philoſophantium turba nugatur, plane ignoramus; quicquid ſit, hoc ſaltem nomine Dei Opt. Max. clementiam ac bonitatem meritiſſimo jure veneramur, quod aeris conſtitutiones, λοιμώδεις, id eſt, peſtem malorum omnium immaniſſimum, ac humano generi maxime internecinum inferentes, rarius evenire voluerit, quam quæ cæteris affectibus minus exitialibus ſuſcitandis inſerviant. Unde fit quod hunc orbem noſtrum *Britannicum* peſtis vix frequentius quam poſt annorum circiter triginta vel quadraginta intervalla (ſummo ſc. perniciei vigore, ac tota furiarum acie) adoriatur. Quæ per annos aliquot peſtem inſigniorem ſubſequentes, ſparſim occurrunt peſtiferorum funera, paulatim imminui ac evaneſcere ſolita, peſtilenti aeris diatheſi etiamnum ex parte perſeverandi, nec dum in aliam ſalubriorem penitus immutatæ attribuenda ſunt, quippe quæ antegreſſæ meſſis duntaxat ſpicilegia reputari debeant. A quibus etiam nuperæ luis reliquiis fit, ut febres quæ anno poſt graviorem peſtem uno aut altero paſſim graſſantur, peſtilentes eſſe ſoleant, & licet aliquibus veræ peſtis notis deſtitutæ, tamen ejuſdem naturam ac indolem quamplurimum referant, nec non conſimilem medendi rationem ſibi vindicent, quemadmodum inferius oſtendemus.

Verum præter iſtam aeris conſtitutionem, ceu cauſam communiorem, accedant oportet & alia procatarctica, nimirum μιάσματος ſive ſeminii a peſtifero aliquo corpore, vel immediate ac proprie conſortio, vel mediate, ac per fomitem aliunde tranſmiſſi, ſuſceptio. Hoc enim ſi inſtante qualem diximus aeris diatheſi fieri contingat, ab exigua primum ſcintilla mox horribile erumpit incendium, ac denſatis undique funeribus, univerſo aeri per iſtum terræ tractum a peſte, tum laborantium halitibus, rum mortuorum cadaveribus, labes & contagium inducitur; adeo ut ad triſtiſſimæ ægritudinis propagationem jam non amplius vel fomite, vel perſonali conſortio opus ſit, verum quemcunque hominem, vel ſumma cura a peſte correptis ſemotum, ipſe aer cum ſpiritu intro ſubiens per ſe ac ſuo marte inficere valeat, modo ille corpus habeat humotibus, ad afflatum excipiendum paratis, refertum.

Quanquam autem hic morbus, cum duntaxat ſporadicus exiſtit, nullo tempeſtatis diſcrimine paucos aliquot, tradito quaſi per manus contagio, affligat, tamen ubi adeſt etiam Epidemica aeris conſtitutio, exoritur circa eam anni partem quæ inter Ver ac Æſtatem ambigit, utpote quæ ad producendam ægritudinem, cujus eſſentia in humorum φλογώσει ſive inflammatione, ut poſtea oſtendemus, in primis conſiſtit, maxime idonea atque incommodata ſit. Porro & ſua habet incrementi ac declinationis tempora, non ſecus ac cætera rerum naturalium ſpecies. Naſcitur eo quo diximus tempore, creſcente anno adoleſcit, eodemque vergente collabaſcit, donec tandem aetem in diatheſin huic morbo adverſantem, glacialis bruma tranſmutet.

Quod ſi tempeſtatum anni viciſſitudines in hunc affectum nihil

imperii

imperii exercerent, verum seminium pestilentiale, nulla aeris mutatione domabile de alio in alium perpetua propagationis serie transmitteretur, fieri non posset, quin ubi in frequentiorem aliquam Urbem semel pedem intulisset, continuata strage funera usque & usque densaret, donec tandem nemo supereresset, in quem pestilentis miasmatis labes impingat. Atqui contrarium sæpe evenisse animadversum est numero extinctorum, quos unica mensis *Sextilis* septimana ad aliquot millia extulerat, sub *Novembris* exitum valde imminuto ac propemodum nullo. Nec tamen difficeor fieri posse, quod & nonnulli auctores factum prodiderunt, ut pestis aliis etiam anni tempestatibus caput primum exerat; hoc autem rarius accidit, nec ejusmodi lues in populum admodum drbacchatur. Interea, aeris dispositionem quantumvis λοιμώδη pesti suscitandæ per se imparem esse vehementer suspicor, quin pestilentiæ morbum alicubi semper superstitem aut per fomitem, aut per pestiferi alicujus appulsum, e locis infectis in alios deferri; ibidemque non nisi accedente simul idonea aeris diathesi popularem fieri. Alias enim non assequor, qui fiat, ut in eodem cæli tractu dum unum aliquod oppidum peste gravissime affligitur, aliud non longe dissitum, omnem commercii necessitudinem cum loco contagioso caute inhibendo, prorsus immune se præstiterit; quemadmodum non ante multos annos pesti per universam fere *Italiam* immaniter grassanti, *Magni Ducis* cura atque prudentia aditum in *Hetruriæ* fines penitus intercluserit.

Primus insultus rigorem ac horrorem, quemadmodum & febrium intermittentium accessiones, fere perpetuum habet comitem. Mox vomitus enormes, dolor circa cordis regionem, ac si torculari premeretur, febris ardens usitata symptomatum συμφορμῆ stipata, indesinentur ægros divexant, donec aut mors ipsa, aut benigna *Bubonis*, vel *Parotidis* eruptio, quæ materiam morbificam foras ablegat, eos ab luctuosissimo discrimine liberet. Rarius quidem accidit, ut citra ullam febris præsensionem ingruat, ac homines de improviso e medio tollat, *maculis purpureis*, præsentanei interitus nunciis, etiam dum in foro versantur, erumpentibus. Quæ repentina examinatio (quod animadversione dignum) nisi in pestis admodum funestæ exordio vix contingit, remittente ac refracta jam lue, aut in annis, in quibus non existit popularis, nunquam observata est. Fit etiam nonnunquam, ut tumores prorumpant, nec febre, nec graviore aliquo symptomate prægresso, quanquam suspicor rigorem, & horrorem leviusculum, ac minus perceptibilem semper præcessisse. Quibus autem hoc obtingit, iis integrum est per publicas plateas pro lubitu obambulare, ac communia vitæ munia, sanorum more, spreta omni regiminis cura, obire.

Cæterum quod ad morbi essentiam spectat; eam enucleate definire in me non suscipio. Nec fortasse hominibus cordatioribus rem minus importunam ille facere videbitur, qui a me postularit, quid hanc aut illam ægritudinis speciem constituat, quam ego etiam facerem, si ab illo idem de *Equo* v.c. inter animalia, vel de *Betonica* inter stirpes vicissim scisciterer. Nimirum certissimis ubique legibus, ac artificio sibi soli intellecto rerum omnium generationes natura parens exequitur, quæque uspiam e causarum gremio in actum ac quasi in lucem educit, eorum essentias, quidditates, ac differentias constitutivas, altissimis tenebris obvelat. Hinc unaquæque morborum non minus quam animalium aut vegetabilium species, affectiones sibi proprias perpetuas, ac pariter univocas ab essentia sua promanantes, sortita est. Neque interim magnopere urgebit ista Quæstio, Qui demum morborum medela administrabitur, dum causæ ipsorum nos latent? Quandoquidem non causarum, sed methodi convenientis atque experientiæ comprobatæ cognitione, affectuum plurimorum curatio absolvitur. Sed ut ad rem redeamus. Quoniam similarium omnium morborum ortus a qualitatum vel primarum, vel secundarum vitio (quod solum in hac rerum caligine nobis licet) deducere solemus, prope est ut credam pestem peculiarem ac sui generis febrim esse, quæ a particularum sanguinis spirituosiorum *inflammatione*, originem ducit, utpote cujus naturæ subtilissimæ, præ tenuitate sua, maxime proportionatæ ac adæquatæ videntur. Quod si subtilitate qua potest maxima pollet (ut in principio & statu constitutionis Epidemicæ videre est) subito ac quasi ex improviso calorem nativum dissipat, & ægrum e medio tollit. Cadaveribus interim hujus morbi ferocia tam subito extinctorum maculis purpureis undequaque conspersis, atque fœdatis; nempe fibris cruoris præ intestini conflictus violentia dissilientibus, & compage ipsius prorsus dissoluta. Atque hæc tragœdia præ hujus quasi flammæ subtilitate eximia, etiam sine aliqua sanguinis febrili ebullitione, vel alterius ægritudinis præsentione, cietur. Secus quam utplurimum accidit, ubi causa morbifica minus subtilis existit, & quasi obtusiori telo vitam impetit. Discriminis modus pinguiori exemplo sic adumbretur. Si acus vel quid aliud cuspide graciliori præditum pulvinari supponatur, ac vi adigatur, illud, æque ac ab obtusiore instrumento similiter adacto, in sublime non attollitur, sed perforatur. Verum ejusmodi subitanea extinctio rarius occurrit, nec nisi (ut supra innuimus) circa initium pestis, vel incrementum. Etenim, ut in aliis febribus, plerunque rigor atque horror primum invadit, quem calor mox excipit, & tantisper excurrit, donec particulæ cruoris inflammatæ provido naturæ ductu ad emunctoria amandentur, ac ibidem ad instar phlegmonum communium in pus vertantur. Jam si inflammatio adhuc remissior existat, febres, quas pestilentes vulgo appellant, producere solet; ut in fine pestilentis constitutionis sæpenumero accidit, ac forsitan etiam uno alterove post anno, donec ista febrium species prorsus dispareat.

Certe, me judice, in inflammatione ista, quam Latini *Ignem Sacrum* appellant, quamdam pestis imaginem non obscuram intueri licet. Est enim morbus hic apud saniores Medicos febris continua a sanguinis parte tenuiori corrupta ac inflammata originem ducens, a qua natura se liberet, eam in corporis aliquam partem externam expellit, in qua tumor, aut potius (cum tumor adeo notabilis sæpe non appareat) macula rubra, lata, dispersa, quam *Rosam* appellant, oritur. Solvitur autem ista febris, postquam uno atque altero die ægrum afflixit, critice per hunc tumorem, & proinde aliquando in glandulis sub alis, vel in inguinibus dolor, ut etiam in peste fieri consuevit. * Et fere invadit hoc malum ut pestilentia, cum horrore & insequenti calore febrili, ita ut qui ipsum ante non sunt passi, existiment lue pestifera se corripi, donec tandem in crure, aut alio loco sese affectus prodat. Quibus accedit, quod & ligni aliquid huic morbo inesse nonnulli Authores suspicantur, ac proinde curationem in sudoriferorum atque alexipharmacorum usu constituunt. Hæc quidem flamma, ubi ebullitionem commoverit, cujus ope particulæ sanguinis leviuscule ustulatæ ac quasi syderatæ brevi spatio foras ablegantur, sponte sua, nec ulteriorem noxam molita, extinguitur.

Veruntamen Ignis noster isto *Sacro* longe *divinior* est, ut qui summa qua pollet substantiæ tenuitate intimiores corporis recessus ad instar fulgetri permeare aptus natus sit, spiritibus cruoris derepente profligatis, ipsiusque compage nonnunquam citius dissoluta quam natura præcipiti malo oppressa, ebullitionem febrilem (solemnem nempe machinam qua quicquid sanguini infestum est, suis e finibus amovere satagit) concitare valeat.

Quod si quis mihi hic litem paret de eo quod huuc morbum ab inflammatione oriri existimem, is attendat non modo febris præsentiam, sed & complura alia huic sententiæ suffragari, nempe sanguinis detracti colorem, qui Pleuriticorum ac Rheumatismo laborantium sanguinem plane æmulatur; ádustam *Anthracum* faciem, Pyrotici actualis impressioni non absimilem; nec non *Bubones* ipsos, qui inflammationem æque solemniter excipiunt, ac eandem alii cujuscunque generis tumores consequi solent, uti, & inflammationes pleræque omnes in abscessum terminantur. Quin & anni tempestas, qua Epidemica pestis ut plurimum exoritur, ad hanc rem symbolum suum conferre videtur. Eodem enim tempore, nimirum quod inter vernum æstivumque medium est, *Pleuritides*, *Angina*, aliæque inflammati sanguinis affectiones popullariter ingruere consueverunt: quemadmodum etiam nunquam frequentiores mihi visæ sunt, quam per aliquot septimanas, quæ nuperæ *Pestis Londinensis* exortum antecesserunt. Nec vero nullius est momenti illum ipsum annum tot millium strage funestum, alioquin mitissimum ac saluberrimum extitisse; omnesque qui a peste immunes perstiterunt, nunquam meliori valetudine usos fuisse; quin & eos qui ab eadem convaluissent, cachexiæ aliisque affectibus a residua priorum morborum labe provenire solitis, non magis obnoxios deinceps vixisse. Quibus accedit, quod & quantæcunque latitudinis *Apostemata & Carbunculi*, postquam inflammatæ particulæ una cum sanie decessissent, Chirurgicis auxiliis, iisque, non admodum conquisitis, facile sanata fuerint.

Verum perquirat hic fortasse aliquis, si pestis in inflammatione quadam consistat, qui fiat ut medicamenta calidioris census, qualia sunt *Alexipharmaca* prope omnia, tam ad hujusce affectus Therapejam, quam Prophylaxin tanto cum fructu usurpentur. Cui respondeo, illa duntaxat per accidens auxilium præstare, nempe Diaphoreseos quam suscitant, beneficio, quo particulæ sanguinis inflammatæ difflantur, atque exterminantur. Quod si forte exhibita sudores commovere non valeant (ut persæpe accidit) mox sanguinis incendium ab addititio calore magis efferatum, eorum noxam palam proclamat. Prophylaxin ut verbo attingam, non sum nescius etiam ad illam *Antidotalium* calidorum usum passim deprædicari, at quo emolumento adhuc probandum restat. Imo vinum liberius ingurgitatum, aliquaque fortiora præservativa statis horis dietim assumpta, complures, qui alias salvi intactique verisimiliter permansissent, in hunc affectum conjecerunt.

Quod ad harum Febrium *Theraphejam* attinet, erunt fortasse, qui me temeritatis atque arrogantiæ eo nomine insimulabunt, quod ab Urbe, dum nupera pestis grassaretur, maximam partem complurium milliarium intervallo semotus, adeoque observationum copia minus instructus, de hac re tamen differere sustineam. Verum tum Medicis illis longe peritioribus, quibus per totum calamitosæ luis decursum inter media pericula & mille mortis imagines commorandi animus ac fiducia non defuisset, tamen ea, quæ crebriori usu de hujusce morbi ingenio annotassent, in lucem edendi voluntas hactenus defuit, mitiorem, uti spero, de consilio meo sententiam laturi sunt omnes boni, quod meam de truculentissimo affectu sententiam, paucis quidem, sed propriis observationibus superstructam, in medium expromam.

Ac primus quidem locus *Indicationibus curativis* debetur, quæ eo in universum ditigendæ sunt, aut ut naturæ ductum in exterminando morbo accurate sequentes, eidem subsidiariam porrigamus manum; aut ut methodo, qua natura in intestino hoc hoste debellando uti solet, minime fidentes, diversam ac tutiorem ex nostro penu atque artificio vice illius substituamus. Nisi forte hic aliquis regerat rem etiam satis feliciter per pestifuga alexiteria geri posse, quorum ingentem apud practicos copiam reperire est. Verumenim vero an non auxilium quod præstent hujusmodi medicamenta, potius manifestæ ipsorum facultati, qua sudores affatim proliciendo simul materiæ morbificæ exitum aperiant, quam occultæ cuidam indoli, qua a natura ad pestilentis malignitatis labem delendam donata fuerint, referri debeat; magnam atque ancipitem habet disceptationem. Nec de hisce tantummodo, sed & de aliorum morborum alexiteriis dubitare fas est; utrum evacuationem aliquam solicitando, potius quam virtute quadam specifica ægrotantibus non succurrant. Qui enim, v. g. in *lue Venerea* (vel *Mercurium* vel *Salsaparillam*,) veneni in isto morbo reperti alexipharmaca abjiciat, adducenda sunt ei enrationum exempla, in quibus ille sine sputo aut secessu, hæc vero sine sudoris suscitatione sanitatem aliquando restituerit, quod ego quidem credo ei admodum difficile futurum. Mihi autem verisimile est, peculiare pestis remedium, propriumque ipsius perniciei alexiterium adhuc in naturę sinu abditum delitescere, nec eandem nisi rationem quadam mechanica tolli posse.

Quocirca ut intentionem illam priorem paulo plenius expendamus, quæ eo spectat, ut naturæ in materiæ morbificæ exterminatione suo more & modo auxilium suppeditetur; advertendum venit, quod in vera peste natura, dum neque sponte sua aberrat, neque vi aliqua transversim agitur, per *abscessum* aliquem in emunctoriis erumpentem, unde materiæ exitus patescit, negotium suum exequitur. Atqui in febre, quam pestilentem nuncupamus, mediante diaphoresi per universam corporis superficiem idem efficitur. Unde colligere est, pro diversa, quam natura in utroque morbo præmonstrat, via ac ordine etiam diversam medendi rationem instituti debere. Nimirum si quis materiam veræ pestis, ope sudoris amoliri satagat, is diversa a natura via insistit, utpote quæ id per apostemata molitur. Contra vero qui alias quam per sudores febris pestilentis materiam eliminare tentat, is cursum instituit cum naturæ ductu ac ῥοπῇ nequaquam convenientem. Cæterum

in

* *Vide Sennertum, lib. 2. c. 26. de febr. Sympt. contin.*

in peſte vera, quoniam idoneo ac certo remediorum genere naturalis morbificæ materiæ ejectio, id eſt, apoſtematum eruptio promoveri poſſit, nondum conſtat, niſi quis forte victum corroborantem atque Cardiaca ad illud conferre poſſe exiſtimet (quæ tamen multum dubitarem, ne ægrum, jamjam plus æquo caleſcentem, in majorem æſtum conjiciant. Certe ſudores in hoc caſu fruſtra eſſe compertiſſimum habeo; quanquam haud inficior poſt magnos ſudores ad trium quatuorve horarum ſpatium productos, ac deinde abruptos tumorem ſe in conſpectum dare, quem ego a ſudore proficiſci minime arbitror, utpote quo vigente, nullum appareat eruptionis indicium, finito quidem, veluti per accidens conſequatur, nimirum cum jam aliquam ſarcinæ partem, quæ naturam plus ſatis gravabat, ſudores abſtulerint, ac corpus a Cardiacis ad Diaphoreſin ſuſcitandam propinatis vehementius incaleſcat. Verum quam fallax & infida ſit hæc peccantis materiæ per apoſtemata a ſudoribus foras evocatæ exterminatio, teſtor funeſtos eorum exitus, qui hoc modo tractati fuerunt, e quibus vix tertius quiſque (ut modeſtiſſime dicam) medicationis ac morbi periculum evaſit. E contra vero multi, quibus laudabili ritu tumores eruperunt, etiam dum negotiis ſuis intenti verſarentur, nec ullius ſive naturalis, ſive denique animalis facultatis læſione percepta, ſanitatem brevi recuperarunt, niſi qui malo ſuo fato in medicaſtrum aliquem incidentes, ejuſque monitu, quantumvis corpore pariter ac animo optime valentes, ad ſudandum in cubilibus compoſiti, ab eo ipſo tempore deterius ſe habere incœperint, ac demum ingraveſcente ægritudine, inauſpicati conſilii noxam ſuo interitu comprobarunt. Verum lubricam atque aleæ plenam in ſe eſſe hujuſce morbi per tumores judicationem ex eo manifeſtum eſt, quod interdum *Rubo* qui primum laudabiliter ac cum ſymptomatum remiſſione protuberavit, poſtea ex improviſo diſpareat, ejuſque loco *Maculæ purpureæ*, certiſſimi mortis indices, ſuccedant; cujus retroceſſionis cauſa magnis illis ſudoribus ad eruptionem promovendam deſtinatis, jure tribuenda videtur, ut qui bonam materiæ partem, quæ tumoris molem infarcire ac ſuſtentare debuerat, alioverſum per ambitum corporis diſtrahendo ac diſſipando leves in auras diſflaverint. Utut ſit, hoc ſaltem planiſſime conſtat, cæteris effectibus, a Dei Opt. Max. benignitate certam amoliendæ cauſæ morbificæ rationem, huic autem, enormium delictorum flagello, nonniſi lubricam admodum & verſatilem adjunctam eſſe. Atque hinc fortaſſe non minus commode, quam a *malignitate*, ut loqui amant, eximiæ perniciei cauſa atque origo peti poſſit. Nam & in *Arthritide* aliiſque morbis, qui exiguam habent malignitatis ſuſpicionem, materiæ morbificæ recurſus non minori certitudine fatum accerſit. Ex quibus omnibus manifeſte conſequitur, Medicum, qui in aliorum morborum medicationem, naturæ ductum ac propenſionem preſſim, ac paſſibus æquis ſequi tenetur, hic ejuſdem auſpiciis renunciare debere. Cujus effati veritatem, quia pauciſſimi hactenus perſpexerunt, hinc numerus eorum, quos tumulo peſtis intulit, haud paulo auctior evaſit.

Quare cum minime ſecurum ſit in exterminando hoc morbo naturæ veſtigiis inſiſtere, proximo loco diſpiciendum venit, qua demum arte ſecundæ quam diximus intentioni ſatisfiat, nempe aliam atque a naturali diverſam, hujuſce morbi ſolutionem aggrediendi. Hoc autem dupliciter omnino fieri poſſe exiſtimo; ſcilicet vel per ſanguis miſſionem, vel per ſudores. Priorem quod attinet, non ſum neſcius, ſacram apud plerosque audire in hoc morbo venæ ſectionem. Verum vulgi præjudicia parum moratus, rationum in hac quæſtione momenta, qua par eſt æquitate atque candore, pauliſper expendam. Ac primum quidem Medicorum, qui graſſante nupera lue in Urbe perſtiterunt, fidem appello. Numquis eorum, Phlebotomiam larga manu ac repetitis vicibus, necnon tumore nullo adhuc protuberante celebratam, peſte laborantibus funeſtam eſſe animadvertit? Parcam quidem, vel tumore jam conſpicuo, ſanguinis detractionem ſemper damnoſam eſſe, neutiquam mirandum eſt. Siquidem cum mediocris tantum quantitas cruoris adimitur, hinc naturæ, quæ tumori protrudendo totas intendit vires, rei adminiſtratio e manibus eripitur, nec interea alia ſatis efficax materiam morbificam evacuandi, ratio ſubſtituitur. Apparente autem jam tumore, celebrata venæ ſectio, cum a peripheria ad centrum trahat, mortui naturæ, qui fit a centro ad circumferentiam, inducit motum plane adverſantem. Nihilominus vix quicquam frequentius factitatum videas, quam Phlebotomiæ perverſo ritu adminiſtratæ, noxam, a contrariæ ſententiæ patronis univerſim ac in genere adverſus ſanguinis in hoc morbo detractionem validiſſimi argumenti loco torqueri; uti in *Diemerbroeckio* aliiſque obſervationum ſcriptoribus paſſim videre eſt. Quod ad me attinet, equidem eorum ratiocinationi aſſentire non poſſum, donec intellexero, quid Quæſtioni ſuperius propoſitæ reſpondeant. Sane venæ ſectionem in peſte convenire, complures, iique graviſſimi ſcriptores jampridem ſenſerunt, quorum præcipui ſunt *Ludovicus Mercatus*, *Joannes Coſtæus*, *Nicolaus Maſſa*, *Ludovicus Septalius*, *Trincavellius*, *Foreſtus*, *Mercurialis*, *Altomarus*, *Paſchalius*, *Andernachus*, *Pereda*, *Zacutus Luſitanus*, *Fonſeca*, aliique. Verum qui totum curationis negotium in copioſa, qualem nos poſtulamus, ſanguinis detractione collocaverit, unus, quod ſciam, repertus eſt *Leonardus Botallus*, Medicus ſuperioris ſæculi celeberrimus, quem, ne ſolus in hac palæſtra verſari videar, Lector accipiet ſuis ipſius verbis de hac re differentem. * *Ego* (inquit) *ut uno verbo dicam, nullam peſtem eſſe puto, cui hæc non poſſit eſſe ſalutaris ſupra omnia remedia, modo opportune & quantitate convenienti uſurpata ſit, propterea quod aut tardius aut parcius quam opus eſſet, aut quod utroque modo circa eam uſurpandam peccatum ſit.* Et paulo poſt hæc ſubjungit: *At in tanta timiditate & parca detractione qui fieri poteſt, ut quis recte poſſit judicare quantum ea in peſtilenti morbo prodeſſe valeat, aut obeſſe? Non enim morbus pro cujus curatione requirebatur detractio librarum quatuor ſanguinis, in quo una tantum detrahitur, ſi hominem interficiat, ideo interficit, quia ſanguis eſt miſſus, ſed quia non juſto modo miſſus eſt, nec forte etiam opportune. Verum nebulones nequiſſimi & ignaviſſimi in id ſemper culpam convertere ſatagunt, non quod nocuit, ſed quod per fas & nefas a cunctis vituperari exoptant. Aut ſi id nequitia non faciat, ignorantia tamen pravæ diſpoſitionis efficiunt: utraque certe perniciosa, ſed illa magis.* Quæ omnia experientia confirmaturus, paulo inferius ſic pergit: *His obſervatis nemo rationis capax jure in his morbis vituperare miſſionem ſanguinis poteſt, ſed mirifice & tanquam divinum auxilium commendare, extollere, & confidenter uſurpare, quod ipſe profecto ab annis quindecim facio. Ideo in morbis peſtilentibus, in obſidione Rupellarum, & montibus Hannoniæ ab hinc quadriennium, & Pariſiis toto hoc biennio, & Cameraci anno proxime acto, in omnibus meis ægrotis (qui innumeri fuerunt) nullum præſentius ac ſalutarius reperi ipſa larga & tempeſtiva ſanguinis miſſione.*

Deinde ad curationum exempla deſcendit, quæ brevitati ſtudens, huc transferre ſuperſedeo. Libet tamen rei in hac noſtra *Britannia* ante aliquot annos geſtæ hiſtoriam oppido raram ac a propoſito noſtro non alienam, hic loci opponere.

Cum inter cæteras belli civilis calamitates, quæ patriam noſtram miſerrime afflixerunt, peſtis etiam multis in locis graſſaretur, ac forte in Caſtrum *Dunſtar*, quod in provincia *Sommertonenſi* ſitum eſt, aliunde invecta, aliquot præſidiariis cum macularum efflorescentia derepente examinatis, complures etiam alios corripuiſſet, Chirurgus quidam qui a longa in regionibus exteris peregrinatione redux tunc temporis ſtipendia inter alios faciebat, a præſidii Præfecto enixe rogat, ut ſibi liceret commilitonibus ſuis truculento morbo correptis pro virili ſuccurrere; quo annuente, ſingulis ægris, ſtatim a primo morbi inſultu, atque nullo adhuc tumore conſpicuo, ſanguinem ingenti copia detraxit, donec pedibus deficere inciperent, nam ſtantibus ac ſub dio vena pertuſa eſt, nec aderant vaſcula quæ cruoris in terram effluentis menſuram definirent. Hoc pacto eos in tuguriola ſua ad decumbendum dimiſit. Et quanquam a Phlebotomia nullum omnino remedium adhibuit, tamen ex complurimis iis, quos hoc modo tractaſſet, mirum dictu, ne unus quidem deſideratus eſt. Vir Nobiliſſimus juxta ac morum probitate atque fide ſpectabilis *D. Franciſcus Windham*, militum Tribunus, ac prædicti caſtri tunc temporis Præfectus, mihi hæc retulit, & etiamnum in vivis eſt, pro ea qua eſt humanitate rei geſtæ veritatem cuilibet dubitanti confirmaturus.

Quid mihimet ipſi circa hanc rem ſingulare ac memoratu dignum aliquando obſervare contigit, Lector inferius accipiet, ubi pauca ea, quæ deſæviente nupera peſte *Londinenſi* a me uſu atque experientia annotata fuerunt, inferius oſtendam.

Hujuſce autem praxeos utilitatem etſi non mente tantum ac judicio aſſequor, verum etiam reipſa atque editis experientiis dudum exploravi, tamen peſtilentis fermenti per diaphoreſin diſſipatio, pro ejuſdem per venæ ſectionem evacuatione mihi multis nominibus arridet, utpote quæ nec ægrorum vires æque proſternat, nec Medicum infamiæ periculo objiciat. Atqui & hæc difficultatibus ſuis non vacat; primo enim, multis, ac præſertim calidioris temperamenti juvenibus, ſudores ægrius proliciuntur; cujuſmodi ægrotos, quo hydroticis fortioribus, ac cumulatiori tegumentorum pondere diaphoreſin conciere ſatagas, eo in manifeſtius phrenitidis periculum adduces; aut quod triſtioris adhuc ominis eſt, vana ſpe aliquantiſper lactatus, tandem pro ſudoribus *Exanthemata peſtilentialia* elicies. Cum enim præcipua hujuſce mali labes in ſpirituoſiori maſſæ ſanguineæ parte reſideat, unde craſſiorum particularum exagitatio nonnihil languidior, quam in aliis inflammationibus plerumque exiſtat, tenuior illa portio novi caloris acceſſione in majorem rabiem acta, impetu demum facto omnes cruoris fibras ultra texturæ modum diſtenſas prorſus frangit ac comminuit. A qua fibrarum ſanguinearum diſſolutione macularum peſtilentialium cauſam petendam eſſe cenſeo, quippe non ſecus ac *vibices* a plaga fortiore in partem aliquam corporis muſculoſam inflicta, primo intenſius rubicundæ in cute efflorescunt; ac brevi poſt tempore livorem quendam aut nigredinem induunt.

Deinde vero, in corporibus quæ ſatis prompte in ſudorem ſolvuntur, ſi diaphoreſis juſto præmaturius (nempe tota materia morboſa nondum penitus diſſipata) abrumpatur, bubonum, qui laudabiliter quidem ſub finem ſudoris prodire incæperant, poſtea deterior evadit conditio. Nam ſubducta quæ eos in molem attollere deberet materiæ parte, aut de facili intro remeant, aut ſaltem ad legitimos abſceſſus nunquam perducuntur (quemadmodum etiam in Variolis accidere ſolet, quoties æger per primos dies impenſius ſudavit) recepto autem denuo intra muros hoſte ferali, in ſanguine commotio excitatur, cujus opera eo, quo ſuperius innuimus, modo, ſæpe ecthymata imminentis lethi indicia foras propelluntur.

Verum quibuſnam modis his aliiſque difficultatibus obviam iri poſſit, ut luculentius pateſcat, quid in hoc morbo a me pro modulo meo factum obſervatumque fuerit, initio a nuperæ luis primordiis ducto, ſumma fides ediſſerere lubet.

Nobilem fœminam ineunte *Majo* anno 1665. ætatis circiter 21. annorum, ac temperamento ſanguineo præditam inviſi. Præter febrim ardentem, quæ paulo ante invaſerat, vomitiones importunæ, aliaque ſymptomata febrilia ægram excruciabant. Curationem a venæ ſectione auſpicatus, poſtero die ad præcavendam Diarrhœam, (quæ, ut in hujuſce Tractatus initio monuimus, ob omiſſam, quod poſtulabat in principio morbi vomendi propenſio, Emetici exhibitionem, deferveſcente febre ſupervenire conſuevit) Vomitorium imperavi, quod ſatis commode ventriculi ſaburram elicuit. Poſtero mane, cum ægram iterum adirem, ei alvum profluere intelligo, quæ res ab aliquot annorum uſu inſolentior viſa, mihi non levem ſolicitudiem injecit. Exinde autem febrim non vulgaris generis eſſe judicavi, (quemadmodum etiam eventus docuit) proindeque aliam ab ea quæ ſuperius tradita eſt, quæque conſtanti ſucceſſus ſerie hactenus a me uſurpata fuiſſet, medendi rationem ſibi vindicare. Quocirca adſcito in negotii ſocietatem Medico alio ſeniore, venæ ſectio, quam ægrotantis ætas, temperamentum, ac inordinata ſanguinis ebullitio flagitare videbantur, ex communi noſtro conſilio iterum celebrata eſt: etiam Cardiaca moderate refrigerantia propinata, ac denique clyſmata alternis diebus injecta ſunt. Sub finem ægritudinis, quoniam ſymptomata valde anomala ac inconſueta (malignitatis egregiæ indicia vulgo habita) ingruebant, ex Alexipharmacorum claſſe fortiora aliquot præſcripſimus. Quibus tamen omnibus nequicquam proficientibus, ægra circa diem decimum quartum e vivis exceſſit. Inſolitum hujuſce febris ingenium per aliquot poſt dies animum meum varie exagitabat, ac tandem in memoriam revocans, ſummum ardorem etiam poſt reiteratam venæ ſectionem in prædicta ægra perſeveraſſe; ruborem genarum adfuiſſe, enormis aliquot guttulas panlo ante mortem e naribus fluxiſſe; nec non ſanguinem ipſius in acetabulis refrigeratum, ei qui a Pleuriticis detrahitur, non abſimilem fuiſſe, quin & tuſſim aliquam & obſcuros quoſdam in partibus vitalibus dolores emicuiſſe; porro & eam anni tempeſtatem incubuiſſe, quæ finem veris ac initium æſtatis complectitur, quæque febribus continuis producendis minus eſſet idonea, (illæ enim hoc tempore ſua ſponte quaſi diffiliunt, & in intermittentium claſſem ſe reponunt, vel in Pleuritides atque id genus alias inflammationes præcipites ruunt) denique Pleuritides eo ipſo tempore

* *Cap. 7. de curatione per venæ ſectionem.*

pore admodum populares fuiſſe: His inquam omnibus rite perpenſis, in eam deveni ſententiam, ut febrim hanc, etſi pathognomicis Pleuritidis, aut etiam Peripneumoniæ ſignis deſtitutam, tamen ſymptomatis rationem habuiſſe judicarem, inflammationis cujuſdam reſpectu circa partes ſpiritales deliteſcentis, etiamſi nullus aderat lateris dolor, nulla inſignis ſpirandi difficultas. Ut rem contrahani, eo tandem deveni, ut eadem omnino mihi methodo procedendum fuiſſe in prædicto caſu arbitrarer, qua in Pleuritide ſæpius cum ſucceſſu ſingulari uſus fueram. Quæ ſententia deinceps feliciter atque ex voto ceſſit. Vocatus enim non multo poſt ad hominem conſimili prorſus modo ægrotantem, reiteratis venæ ſectionibus, quales ad Pleuritidem ſupra laudantur, curationem commiſi & abſolvi. Circa menſis modo memorati exitum atque initium *Junii*, complures operam meam implorantes ab eadem febre (quæ jam valde populariter graſſabatur) prædictæ praxeos beneficio convaluerunt. Ab hoc tempore immanitet debacchari cœpit calamitoſa illa peſtis, quæ eo tandem tinculentiæ devenit, ut ſeptem dierum ſpatio totidem animarum millia in hac una urbe extinxerit.

Febri autem illi, de qua modo loquebar, an peſtis appellatio attribui mereatur, non auſim definite pronunciare. Hoc tamen explorate cognitum habeo, omnibus, quos illo & aliquanto poſt tempore ipſiſſima peſtis cum univerſo ſymptomatum ſibi peculiarium apparatu, in mea vicinia afflixit, eandem tam in primo morbi inſultu, quam in decurſu, accidentium *συνδρομὼ* adfuiſſe. Cæterum cum proximo pariete ardente propius ædibus meis immineret periculum, ego tandem amicorum ſuaſu numeroſiſſimis fugientium turbis me adjunxi, familia etiam mea ad aliquot ab Urbe lapides ſubducta. Eo tamen vicinis meis maturius redii, ac dum calamitoſæ illius luis in tantum perſeveraret ſævities, fieri non potuit, quin meliorum medicorum penuria ad peſtiferorum auxilium advocarer. Nec multo poſt complures febricitantes inviſi, quorum febrim, illius quæ ante deceſſum meum tam proſperis ægrorum rebus, a me tractata fuiſſet, morem atque genium æmulari non ſine magna admiratione deprehendi. Ideoque propria experientia fretus ceu duce, quibuſcumque præceptis umbratilibus anteponendo, Phlebotomiam ſimiliter adminiſtrare non dubitavi.

Hunc autem ritum imminuendi liberalius ſanguinem (cui etiam Ptiſanæ ac diætæ id genus refrigerantis uſus acceſſit) in multis ægris miro profectu continuavi, donec tandem in nonnullorum tractatione ſolito ſucceſſu deſtitutus præ adſtantium protervia, qui præjudiciis inanibus occupati debitam ſanguinis quantitatem auferri non patiebantur, (magno ægrotantium malo, quibus, ſaltem dum in hoc cardine curandi ſcopus verſaretur, ſanguis aut ſufficienti quantitate, aut non omnino detrahendus fuerat) inſignem obicem conatibus meis oppoſitum ſenſi, ac proinde alium a venæ ſectione huic morbo occurrendi modum reperiri, magnopere ex uſu futurum judicavi. Nocumenti quod aliquando inſons dedi, non ex eo, quod ſanguinem ademerim, ſed quod ex voto eundem adimere impeditus fuerim, exemplum hic adducam. Vocatus ad juvenem quendam, temperamento ſanguineo ac habitu athletico præditum, quem febris vehementior cum doloribus capitis vertiginoſis, vomitu enormi, aliiſque id genus ſymptomatibus a biduo corripuerat, cum nullum adeſſe tumoris ſignum inrerrogatus reſponderet, ſtatim liberali manu ſanguinem emitti imperavi, cujus refrigerati ſuperficies puriformem Pleuriticorum ſanguinem referebat, præſcripta etiam ptiſana cum juſculis ac julapiis refrigerantibus. A meridie pro ſecunda vice parem ſanguinis jacturam ſubiit, qua etiam ſequente aurora ſimiliter mulctatus eſt. Sub hujus autem diei exitu ægrum meum inviſens, eum quidem multo melius ſe habere, & nihilominus amicos ejus adverſus ulteriorem venæ ſectionem animis vehementer obſtinaſſe deprehendo; quam tamen ego denuo celebrandam eſſe enixe contendi, ſupereſſe alteram duntaxat venæ ſectionem dictitans, quæ ægrum in ſicco collocaret; ſin contra niti pergerent, ſatius fuiſſe, ut nullo omnino ſanguine detracto curatio per ſudores inſtituta fuiſſet; uno verbo, ægrum certo certius interiturum. Præſagium eventus confirmavit; nam dum hæc alteratio rei agendæ occaſionem corripuiſſet, maculæ purpureæ poſtridie eruperunt; nimirum materiæ peccantis reliquiis, quas radicitus evacuari oportuit, cum jam omnem abſceſſus ſpem Phlebotomia toties repetita abſtuliſſet, mora ſua univerſam cruoris maſſam pervertentibus, ejuſdemque compagem ſubtilitate eximia diſrumpentibus. Æger autem poſt aliquot horas ſatis conceſſit. Cum ergo frequentior hujuſmodi obſtaculorum occurſus mihi moleſtiam faceſſeret, magna cogitandi ſolicitudine mecum agitavi, ecquis demum reperiri poſſit medendi modus, qui morbum non minus efficaciter abigeret, nec hominum offenſionem æque incurreret. Re diu multumque apud animum meum deliberata, tandem in hanc methodum incidi, quam nunquam non proficuam, ac omnibus numeris abſolutam deinceps expertus ſum.

* Primo, ſi quidem tumor nondum protuberaret, ſanguinem pro ægrotantis viribus ac temperamento, moderate detraxi, quo facto, diaphoreſis, cujus alias ſolicitatio in nonnullis corporibus non modo ſummam habebat difficultatem, verum etiam majoris incendii, proindeque ecthymatum purpureorum periculum minitabatur, facilis erat atque expedita. Atque hanc ſanguinis jacturam, quæ utut exigua alias graviſſimum incommodum attuliſſet, diaphoreſeos immediate inſequentis beneficium abunde compenſavit. Poſt venæ ſectionem (quam in lecto celebrandam curavi, cum jam omnia ad ſudores proliciendos in promptu eſſent) ne vel minima interpoſita mora ſtragulis ægrum obrui, ac laciniam laneam ſincipiri alligari juſſi, quæ quidem capitis obtectio ad ſudorem ciendum plus proficit, quam quis facile crediderit. Deinde, ſi vomitus non adeſſent, hoc & ſimilia hydrotica exhibui. ℞. *Theriac. Androm.* ʒß. *Elect. de ovo* ℈j. *pul. e chel. cancror. comp.* gr. xij. *cochinell. gr.* viij. *croci gr.* iv. *cum ſ. q. ſucci hermes, f. bolus, quem ſumat ſexta quaque hora, ſuperbibendo Cochl.* vj. *ſeq. Julapii.* ℞. *Aq. Card. benedicti & ſcord. comp. an.* ʒiij. *aq. theriac. ſtill.* ʒij. *ſyr. Caryophyll.* ʒj. *miſc. f. Julap.*

Quod ſi vomitio interpellaret, ut in peſte ac febribus peſtilentialibus ſæpiſſime accidit, medicamentum ſudoriferum tantiſper propinare diſtuli, donec ſolo tegumentorum pondere (niſi quod linteaminis pars ſubinde ad colligendos halitus vultui ſuperinduceretur) ſudor promanare inciperet. Nam (quod quidem obſervatu ſumme dignum eſt) cum materiæ morbificæ radii verſus ambitus corporis ſeſe exporrigant, illico alvi profluvium & vomitiones, ab eiſdem introrſum reflexis, ac in ventriculum & inteſtina decumbentibus provenientes, ultro ſedantur: Adeo ut quantacunque ſtomachi ſubverſio præceſſerit, aſſumpta deinceps medicamenta probe retineantur, ac ad ſudores ex voto proliciendos conducant.

Memini cum me aliquando Pharmacopola quidam ad fratrem ſuum ex febre peſtilentiali graviter ægrotantem vocaſſet, atque ego de medicamento ad ſudorem ſuſcitandum exhibendo, ſermonem injicerem, retulit ſe jam varia eaque fortiora ſudorifera incaſſum propinaſſe, ſiquidem æger omnia vomitu rejecerat. Cui ego, adduceret, inquam, ex omnibus iis quæ antea exhibuiſſet vel ingratiſſimum ac ſumme faſtidioſum, me facile effecturum, ne illud deinceps evomeretur. Promiſſi fidem eventus liberavit, quippe æger, ubi a ſola ſtragulorum mole paululum maduiſſet, largiorem *Theriacæ Venetæ* bolum deglutivit ac retinuit, cujus beneficio in copioſiorem ſudorem conjectus incolumitatem recuperavit.

Sed ut ad inſtitutum redeam, incœptam jam diaphoreſim hauſtibus *Zythogalæ ſalvia alteratæ*, vel *cereviſiæ, cui macis aliquantulum incoxerit*, ſubinde repetitis, ad naturalis diei ſpatium continuari præcepi, abſterſione interim omni religioſe interdicta, imo nec infra quatuor ac viginti horas a ſudoribus finitis induſium utcunque madidum ac immundum mutari permitto: Id quod ſumma cautela obſervari velim. Quod ſi ſudatio anguſtiori temporis limite circumſcribatur, recrudeſcit illico ſymptomatum ſævitia, atque ægroti ſalus, quam prolixior diaphoreſis extra aleam conſtituiſſet, in acie novaculæ relinquitur.

Et profecto *Diemerbroeckium* alioſque nequeo ſatis mirari, quoties adverto eos tam levi prætextu ad diaphoreſin interpolandam adduci, ut ſcilicet ægrotantium viribus conſulatur. Primo enim ægrum ſudore diffluentem viribus melius quam antea conſtare, nemini in hujus morbi medicatione vel tantillum verſato non poteſt eſſe animadverſum. Qui me in hac re uſus atque experientia docuit, palam eloqui ac etiam propugnare non verebor. Multi me authore in 24. horarum diaphoreſim conjecti tantum abeſt, ut ſe exinde debiliores factos quererentur, quin potius quantum ſupervacanei humoris ſudando deceſſiſſet, tantundem novi roboris ſibi accreviſſe profiterentur. Circa horas autem aliquot poſteriores, ſæpe non ſine ſtupore obſervavi erumpere ſudorem quendam, priore illo, quem vis medicaminum expreſſerat, magis naturalem, genuinum, copioſum, quique multo plus levaminis afferret, plane ac ſi vere criticus foret ac totius morbi eradicativus. Porro in ſummo ſudoris vigore juſculis ac ſorbilibus conſortativis ægrum reficere, quid ſecum trahat incommodi non video; ideoque ad nihilum recidit illa objectio de virium ad longos ſudores perferendos impotentia. Si qua igitur defectio ſub finem imminere videatur, juſculi ex pullo tantillum, vitellum ovi, vel his ſimilia ſorberi permitto; quæ cum cardiacis & hauſtibus ad ſudorem continuandum ex more deſtinatis, virium labefactationi abunde ſuccurrunt. Cæterum in re adeo manifeſta non opus eſt, ut plura argumenta adducam. Etenim, quod hujus praxeos utilitatem palam proclamat, videre eſt, quod quando æger ſudore diffluit, bene ſe habere exiſtimet, neque minus ex aſtantium judicio res tota in vado conſtituta videatur: Atqui quam primum corpus areſcere incipit ac ſudor abrumpitur, omnia in pejus ruant morbo quaſi poſtliminio redeunte.

Per horas a finito ſudore viginti quatuor, moneo, ut frigus caute vitetur, induſium ſponte ſua in corpore areſcere permittatur, potulenta omnia calidiuſcule hauriantur, & Zythogalæ ſalvia alteratæ uſus etiamnum continuetur. In ſequenti luce commune Cathartico exhibeo, *ex infuſione ſc. tamarin. fol. ſenna rhabarb. cum manna, & ſyr. roſar. ſol.* Atque hac medendi ratione, anno a peſte proximo, complurimis febre peſtilentiali correptis ſanitatem reſtitui adeo ut ne unus quidem ex eo morbo mihi deſideratus ſit, poſtquam eamdem exercere incœperam.

Verum ubi tumor jam enatus fuerit, venam aperire, etiam in corpore ad fundendum quantumvis inhabili, hactenus non ſuſtinui, veritus ne materia morbifica in depleta vaſa confertim remeante, ſubitaneus ægri interitus deſtinatam diaphoreſin anteverteret. Nihilominus fortaſſe ſatis tuto adminiſtrari poterit Phlebotomia, modo confeſtim ab ea peracta, ac nulla mora interjecta eliciantur ſudores; qui ad ſpatium ſuperius requiſitum producti, omnem tumoris molem paulatim abſumere ac diſſipare valeant, idque longe minore ſalutis periculo, quam ſi legitima apoſtematis maturatio, quæ in præcipiti affectu admodum incerta ac fallax exiſtit, ſerius expectaretur.

Denique, ut ad calcem tandem perveniam, ſicubi circa Theoriam me hallucinatum fuiſſe Lector deprehendat, errori veniam peto; verum quod ad praxim attinet profiteor me omnia ex vero tradidiſſe, nihilque uſpiam propoſuiſſe, niſi quod probe exploratum habeam. Sane cum ſupremus vitæ meæ inſtabit dies, confido mihi ad futurum alacrem in præcordiis teſtem, me non ſolum ægrorum omnium, cujuſcunque demum ſortis, qui ſeſe curæ meæ concrediderant, ſumma fide ac diligentia ſalutem procuraſſe (quorum interim nemo a me alias tractatus eſt, quam ego memet tractari cuperem, ſi mihi ex iiſdem morbis ægrotare contingeret) verum etiam pro ingenii modulo omnes animi nervos in hoc intendiſſe, ut ſi quo modo fieri poſſit, morborum medela poſt cineres meos majori cum certitudine adminiſtraretur, ratus quantulumcumque in hoc ſcientiæ genere acceſſionem, etſi nihil magnificentius, quam *odontalgiæ* aut *clavorum pedibus* innaſcentium curationem edoceat, longe maximi faciendam eſſe, præ inani ſubtilium ſpeculationum pompa, ac levicularum rerum notitia, quæ fortaſſe Medico ad abigendos morbos non magis ex uſu futura eſt, quam *Architecto* ad conſtruendas ædes *Muſicæ* artis peritia.

Unicam hanc annotatiunculam, ne quis forte ſiniſtra interpretatione mentem meam detorqueat, aut eam ſaltem non ſatis aſſequatur, poſtremo loco ſubjungam. In præcedenti nempe Diatriba, *Naturæ* nomine ſæpius utor, illique varios effectus attribuo, perinde quaſi rem aliquam ſingularem & ſeorſim ſubſiſtentem, ſed per totam hanc Mundi machinam ubique diffuſam ſub hoc titulo mihi repræſentarem, quæ ratione aliqua & conſilio freta corpora quævis regeret, ac moderaretur quale quidpiam de *Mundi Anima* nonnulli Philoſophorum cogitaſſe videntur. Verum ad me quod attinet, uti nec rerum, ita nec verborum novitatem affecto, adeoque antiquam quidem vocem, ſed ſenſu (ni fallor) & ſobrio, & a ſanis omnibus non intellecto ſolum, verum etiam uſitato, in hiſce pagellis uſurpavi. Ego enim, quoties *Naturam* nomino, toties *cauſarum naturalium complexum* quen-

* *Curatio.*

quendam significari volo, quæ quidem causæ brutæ licet, atque omni consilio destitutæ, non tamen sine summo consilio reguntur, dum suas quæque operationes edunt, suosque effectus exequuntur. Nimirum supremum illud Numen, cujus vi producta sunt omnia, & a cujus nutu dependent, infinita sua sapientia sic disponit omnia, ut ad opera destinata se certo quodam ordine atque methodo accingant, neque frustra quicquam molita, neque nisi quoad optimum est, ac toti rerum fabricæ, suisque privatis naturis maxime accommodum, exequentia perinde atque *automata* non pro suo, sed artificis consilio moventur.

SECTIO TERTIA.

CAPUT I.

Constitutio Epidemica Annorum 1667. 1668. *partim etiam Anni* 1669. *Londini.*

ANno 1667. appetente Æquinoctio Verno, *Variolæ*, quæ durante illa, quæ proxime est prægressa, constitutione pestilentiali, vel prorsus delituerant, vel rarissime comparuerant, caput cœperunt attollere, jamque in dies latius grassantes sub Aurumno Ἐπιδημικώτατοι factæ sunt, a quo tempore paulatim imminuta vi, superveniente brumali frigore parcius lacessebant; at proximo Vere adolescente, postliminio invalnit hic morbus viguitque, donec ab insequentis hyemis gelu, uti prius, retuso impetu coercetur. Posthæc tertio demum cum Vere surgente increbuit, ac jam languidior, & succiso quasi poplite, minus late dominabatur, quam duabus quæ præcesserant æstatibus. Mense vero Augusto 1669. penitus intercidit, Dysenteriæ Epidemicæ locum cedens. Labente primo illo biennio, quo hæc constitutio regnabat, Variolæ plures in Urbe aggrediebantur, quam unquam alias, quantum ego memini, seu antrorsum spectes, seu retro: Quo non obstante, cum genuinæ per id temporis fuerint, neque mali moris, paucos jugulabant, si ingentem laborantium numerum reputemus.

Quo primum tempore Variolæ incessebant, & novum quoddam febris genus exortum est, a Variolis, quales se tum gerebant, non multum abhorrens, si pustularum eruptionem demas, & quæ ab illa pendent, de qua in sequentibus speciatim agemus, *Febris* hæc, licet multo pauciores invaderet quam Variolæ, easdem tamen durationе æquabat: Hyeme vero cum jam illæ minuerentur, invaluit, atque illis Vere novo invalescentibus, recessit, prædominium Epidemicorum hujus constitutionis hoc pacto illis relinquens; Nihilominus per hæc tempora non plane desiit unquam, donec tandem cum Variolis mense Augusto 1669. omnino disparuit.

Binos hosce morbos Epidemicos & tertius comitabatur, ultima præsertim æstate, quam dicta constitutio desamabat, *Diarrhœa* scilicet, aeris constitutione jam tum ad subsequentem *Dysenteriam* vergente: Utut vero hæc se res habuerit, id saltem constabat, morbum hunc febrim quæ tunc regnabat, ita proxime attingere, ut nihil aliud esse videretur, quam ipsa febris introversa & viscеribus incumbens.

De tribus hisce morbis, qui soli in hac *Constitutine* Epidemicorum nomen sibi jure vendicabant, sigillatim jam agam, a *Variolis* initium faciens: quas idcirco paulo fusius tractabo; quoniam per hos annos regnabant, mihi genuinæ pro cæteris & *Regulares* maxime videbantur, utpote eadem prorsus exhibentes φαινόμενα, & parili symptomatum agmine omnes, quotquot adoriebantur, ubique impetentes, & a quibus proinde, tanquam in suo genere perfectissimis, tum vera morbi Historia, tum etiam medendi methodus est desumenda. Notandum enim est, non tantum febrim quandam propriam & peculiarem cuilibet peculiari constitutioni competere, sed peculiare etiam Variolarum genus, quæ hanc quidem speciem referunt, durante hac annorum serie, aliam vero annis sequentibus, quantumlibet inter se convenire videantur quoad certa φαινόμενα omnibus communia. Ita ludit natura morborum Epidemicorum generatione! Sed ut ad rem redeam: Variolarum hujus generis Historiam ante omnia præscribam; quas ideo *Regulares* mihi licebit indigitare, ut ab *Anomalis* subsequentium annorum valeam dispescere: Tum etiam methodum adjiciam, quæ mihi in earundem θεραπείᾳ ex animo votoque maxime cessit.

CAPUT II.

Variolæ Regulares Ann. 1667. 68. *& partis* 69.

VAriolæ, quibus annis epidemice grassantur, si *Regulares* etiam sint atque mitiores, circa *Æquinoctium Vernum* (ut hæ, de quibus sermo nobis est) ingrediuntur; quibus vero annis non tantum grassantur epidemice, sed & *irregulares*, atque periculosioris sunt generis, maturius nonnunquam mense puta *Januario*, invadunt. Integras familias contagio suo afflantes, nemini parcunt, cujuscunque demum ætatis is fuerit, nisi prius hoc morbo laboraverit; Neque tamen eximuntur illi, quos adulterinum Variolarum genus aliquod, ad hunc morbum nihil attinentium, prius obsederit. Duplex est harum species, (ut & Variolarum, quæ quibuslibet annis infestant) vel sunt enim *Distinctæ*, vel *Confluentes*; quæ licet essentialiter, ut ajunt, non differant, per illustriora tamen quæ *hanc* comitantur speciem, *illam* vero non item haud difficulter ab invicem discriminantur.

1. *Interstinctæ* vel Discretæ cum rigore atque horrore invadunt, quos mox excipiunt calor intensus admodum, capitis & dorsi vehemens dolor, vomituritio, ingens in sudores propensio (quod de adultis dictum volo, neque enim in infantibus hujusmodi διάθεσιν mihi unquam observare contigit, vel ante pustularum eruptionem, vel etiam post) doloris sensus in partibus, quæ scrobiculo cordis subjacent, si manu premantur, stupor etiam & somnolentia, in infantibus præsertim, nonnunquam & Paroxysmi Epileptici: Qui si infantes Dentitione jam perfunctos corripuerint, suspicor ego ubique, Variolas in procinctu stare, quæ intra pauculas horas se exerente Prognostico ut plurimum fidem conciliant, & authoritatem, ita ut si forte infans insultum Epilepticorum sub vesperam, quod fieri solet, patiatur, Variolæ sequente aurora in conspectum se dederunt, & (quod sæpe sæpius observavi) quæ Variolæ infantes statim ab hujusmodi paroxysmo aggrediuntur, pustulas emittunt magnitudinis conspicuæ, mites etiam sunt, atque boni moris & rarissime confluunt. Atque hæc fere sunt illa symptomata, quibus hic morbus sub initio stipatur, quæque eruptionem pustularum ut plurimum antecedunt. Quamvis interim hoc loci consentaneum fuerit subindicasse, in sanguine laxiori atque ὑμεταβλήτῳ nonnunquam accidere, ut separationis periodus sensim atque gradatim sine insigni aliqua ægritudine transigatur, priusquam expulsio materiæ pustularum eruptione se prodat.

Variolæ discretæ quarto ut plurimum die, (si primum etiam incluseris) ab evasione erumpunt, nonnunquam serius aliquanto, ante illum vero rarissime, quo quidem tempore, vel minuuntur admodum symptomata, quod plerumque fit, vel eriam penitus evanescunt, ac proinde is affectus satis pulchre sibi videtur valere, nisi quod adulti in sudores propensi vix ab illis cohiberi, utut levirer tegantur, quæ quidem διάθεσις nonnisi pustulis jam mutationem attingentibus ægrum deserit, idque sua demum sponte. Eruptionem quod spectat, hoc se fere habet modo. Primo pustulæ subrubræ, renuissimarum acicularum puncta æquantes magnitudine, sparsim se produnt, faciem in primis occupantes, vel etiam collum & pectus, dein corpus universum. Per id temporis & fauces dolor infestat, qui una cum pustulis surgentibus augetur, quæ in dies grandescentes, & in majus fastigium elevatæ cutem carnesque vicinas rubore afficiunt atque inflammatione.

Circiter enim *octavum* a primo insultu diem (quam in hoc morbo Epocham ubique servo) intervalla, quæ prius subalbebant, pro pustularum, quibus obsidentur, numero, rubere jam incipiunt, atque in molem attolli, non sine partium dictarum dolore tensivo & lancinante, qui in horas auctus inflammationi & tumori prædictis viam sternit; ita ut progrediente morbo palpebræ usque adeo impleantur extendanturque, ut æger luce quandoque privetur, qui quidem palpebrarum tumor vesicam inflatam ac resplendescentem per easdem extensam non male refert. Est etiam ubi temporius oculis capiunt ægri, si nempe major pustularum vis a prima eruptione se in illos effuderit. Proxime a facie intumescunt manus, digitique pro pustularum numero distenduntur. Usque ad hunc diem pustulæ, quæ faciem obsederant, læves ad tactum fuere atque rubræ, jam vero asperiores evadunt (quod quidem primum est incipientis mutationis indicium) & subalbidæ; paulatim insuper succum quendam luteum, colore a flavo non abludentem, evomunt. Faciei interim & manuum inflammatio ad summum evecta apicem, colorem exhibet in pustularum interstitiis satis floridum, & Rosarum Damascenarum æmulum. Et sane quo mitiores sunt Variolæ & genuinæ magis, eo etiam magis tum ipsæ pustulæ; tum & cutis in earundem interstitiis dictum colorem ad vivum exprimunt, qualem jam descripsi. Uti vero quæ faciem occuparunt pustulæ, asperiores quotidie ac magis flavæ pro maturationis ratione; ita e contra, quæ manus & reliquum corpus, minus asperæ, albæque magis conspiciuntur in dies.

Die *undecimo*, faciei tumor atque inflammatio satis aperte recedunt, & pustulæ tam faciei quam reliqui corporis jam maturitatem, & justam magnitudinem adeptæ, (quæ his annis ad pisum grandiusculum ascendebant) exarescunt deciduntque; atque, in hac variolarum specie, die *decimo quarto* vel *decimo quinto* ut plurimum funditus pereunt. Veruntamen manuum pustulæ, cæterarum partium pustulis pertinaciores plerumque, recentes adhuc albæque, diei unius aut alterius mora, illas vincunt. Faciei & reliqui corporis pustulæ desquamatione, at vero manuum quæ sunt, diruptione abitum sibi parant. Pustulis faciei succedunt squamulæ furfuraceæ, quas aliquando excipiunt foveæ cutis. Etenim ubi primum decidunt pustulæ, nulla adhuc in cute cernitur inæqualitas; at vero hujusmodi squamulis exurgentibus recedentibusque vicissim; tandem excavantur foveæ istæ, quæ sæpenumero in convalescentibus ab hoc morbo diu visuntur, quamvis rarum admodum *Variolæ Interdistinctæ* ulla sui linquant vestigia, atque illæ ferme solæ, quæ sex postremis anni mensibus invasere, cum quæ hos præverterint, nullas cuti notas imprimant, nisi forte confluxerint, ut postea dicetur. Decurrente morbo omni, æger vel constipatam prorsus habet alvum, vel saltem rarissime dejicit. Atque hæc de Variolis *Discretis* dicta sunto.

2. Symptomata cum Discretis communia habet & illa Variolarum species, quas *Confluentes* appellavimus, nisi quod hic atrociora sint omnia: Febris scilicet, anxietas, atque ægritudo, vomituritio, &c. immanius affligunt, quibus signis Medico sagaci etiam ante eruptionem *Confluentes* se produnt. Nihilominus non ita prompte hic in sudores dissolvitur æger, ac in illo genere jam supra descripto, ubi magna, ut fit, ad eosdem propensio ur plurimum prænunciat Variolas, quæ mox erumpent, minime confluxuras: Diarrhœa insuper nonnunquam eruptionem præcedit, & ad diem unum alterumve post illam protrahitur; quod quidem in *Discreto* Variolarum genere nondum mihi contigit observare.

Tertio ut plurimum die erumpit species hæc, *ante* illum aliquando, vix unquam *post* illum; cum *Discretæ* vel ipso die *quarto* inclusivo a primo insultu morbi, vel postea, ante illum raro admodum se monstrent. Quantoque magis quartum illum diem præverterint Variolæ, tanto etiam confluent magis. Quamvis autem, ut generaliter loquamur, *confluentes* diem quartum vix præstolentur unquam; fit tamen, licet oppido raro, ut ob atrocius aliquod symptoma, ad quartum vel quintum usque diem differatur eruptio. Verbi gratia, acutissimus dolor nunc in regione lumborum, Paroxysmi Nephritici æmulus; nunc in latere, qualis Pleuriticos vexat; nunc in artubus, ut in Rheumatismo; nunc denique in ventriculo cum ingenti ægritudine & vomitu enormi ante eruptionem ægrum fatigat angitque. Hisce in casibus, licet infrequentes sint, Variolas solito serius erumpere animadverti, utpote ab immani sympromatum dictorum violentia constrictas atque impeditas: Quæ quidem symptomaua solitis vehementiora, cum agmen ducant, mihi satis aperte indicant secuturas Variolas, & e *Confluentium* genere esse; & periculo minime vacare.

At veto (quod jam proxime dicendum) licet in *Discretis*, mox ab eruptione (uti dictum est) quæ morbi insulrum comitabantur symptomata, nullum jam amplius facessant negotium, in *Confluentibus* longe aliter se res habet: cum tam Febris, quam alia symptomata etiam ad multos dies a pustularum eruptione ægrum discrucient.

Variolæ dictæ nunc Erysipelatis ritu, nunc Morbillorum, erumpunt, a quibus nonnisi a Medico in his morbis versatissimo distinguuntur, saltem quoad faciem externam: Nam qui ad dispar in utroque morbo eruptionis tempus, aliasque circumstantias, quas utriusque

histe-

hiſtoria longe ad invicem diſcrepantes exhibet, ſedulo animum advertit, haud difficulter hunc ab illo diſcriminaverit. Creſcente morbo non in molem aliquam ſpectabilem, uti *Diſcretæ*, attolluntur, quæ faciem præſertim occupavere; at ſibi invicem implicitæ primo ſe habent inſtar veſiculæ rubræ vultum omnem contegentis, quem maturius etiam in tumorem elevant, quam ſolent *Diſcretæ*: dein ad inſtar pellicula albæ vultui agglutinatæ, ſolitam cutis ſuperficiem non multum ſuperantes. Præterlapſo die *octavo*, pellicula alba quotidie paulatim magis exaſperatur indice digito, & ad colorem fuſcum, non vero flavum, ut in *Diſcretis* accidit, intenduntur indies tum aſperitas, tum etiam cutis color, donec tandem pellicula dicta latioribus laminis deſquamatur, quod in quibuſdam faciei partibus, ſi morbus truculentior fuerit, non niſi poſt viceſimum diem ſolet contingere. Quando atrociores fuerunt Variolæ, tanto magis puſtulæ matureſcentes ad colorem ſubfuſcum vergunt, tanto etiam lentius, ſi ſuo utantur genio, abſcedunt, ut econtra quanto minus confluxerint, tanto magis & flaveſcunt, & ſe ocyus proripiunt. Pellicula hæc ſeu ſcabies omnia pervadens, ubi primum deciderit, nulla quidem ſcabritie vultum afficit, at vero mox illam excipiunt ſquamulæ furfuraceæ indolis perquam corroſivæ, quæ non modo patentiores excavant foveas, quam ſolent Variolæ diſtinctæ, ſed etiam faciem cicatricibus fœde deturpant. In *Confluentium* genere, ſi admodum ſævierit morbus, humerorum etiam & dorſi cuticula nonnunquam deperditur, nudatis partibus ſubjectis expoſitiſque.

Animadvertendum eſt autem, Morbum hunc magnum æſtimari, non pro Variolarum frequentia, quæ reliquum corpus, ſed pro earum numero tantum, quæ faciem obſedere, quæ ſi iis tanquam injecta arena ubique contegatur, utut paucæ atque Diſcretæ ſint eæ, quæ in reliquo corpore cernuntur, haud minus periclitatur æger, quam ſi membra omnia denſo agmine pervaſerint. Atque ex adverſo quantumlibet ſpiſſe truncum & artus occupaverint, ſi in facie rariores comparuerint, magis invado res eſt. Quod de numero diximus, & de Variolarum more poteſt affirmari, maluſne ſcilicet is fuerit, an ſecus, vultus aperte indicat.

In *Confluentium* genere ubique obſervavi puſtulas manuum atque pedum majores fuiſſe, quem reliqui corporis, & quo altius ab artuum extremitate truncum verſus aſcenditur; eo ſenſim minores & contractiores ſemper extitiſſe. Atque hæc de *Puſtulis* cenſui dicenda.

Sunt vero & alia ſymptomata duo, quæ Variolis *Confluentibus* accidunt, haud minoris momenti, quam vel puſtulæ ipſæ, vel tumor, vel aliud quodlibet e prædictis; *Salivatio* nempe in adultis, atque in infantibus *Diarrhœa*. Horum prius ita perpetuum ſe comitem adjungit, ut unicum tantum viderim Variolis *Confluentibus* laborantem, nulla ſuperveniente Salivatione: Poſterius autem, nempe Diarrhœa, Infantes hac ſpecie laborantes non ita certo diſcruciat. Utrum providens natura has evacuationes idcirco ſubſtituerit, quod in puſillo hoc ac humili genere materia morbifica ita penitus nequeat exterminari, ac in puſtulis iſtis majoribus ac magis faſtigiatis generis *Diſcreti*, nullus definio, cum Hiſtoriam tantum ſcribam, non ſolvam Problemata. Hoc certo ſcio, quod non ſolum Variolas *Confluentes* plerunque comitantur, ſed etiam quod quæ per illas fit evacuatio, tam eſt neceſſaria, quam ſunt vel puſtulæ, vel faciei & manuum intumeſcentia.

Dicta *Salivatio* nonnunquam ſub primum eruptionis tempus ſe prodit, nonnunquam non niſi poſtridie, biduove præterlapſo. Materia primo tenuis excernitur, ac facile ad tempus aliquod rejicitur, ægro interim multa lintea eadem nocte conſpurcante. Neque ſane multum cedit Ptyaliſmus hic alteri illi qui ope *Mercurii* excitatur, niſi quod non ita male oleat. Die autem fere *undecimo* ſaliva viſcidior jam facta, ægerrime excreatur; ſiticuloſus eſt æger, tuſſit ſubinde inter bibendum, & potus per nares revertitur, atque ab hoc die ceſſat ut plurimum Salivatio, licet aliquando (rarius tamen id accidit) ubi per diem unum alterumve omnino ceſſaverit, tandem poſtliminio recrudeſcat. Dicto autem die, undecimo ſcilicet, tumor faciei una cum Salivatione imminui incipit, ac tunc primum ejus loco manus intumeſcere ſolent, aut debent.

Diarrhœa non ita mature infantes ſolet invadere, atque adultos *Ptyaliſmus*, quocunque vero tempore ingruerit, niſi ante ſiſtatur, ſingula morbi ſtadia decurrit.

In utraque Variolarum ſpecie Febris a primo ſtatim inſultu ad eruptionem uſque præcipue dominatur, qua peracta inducias fere dat uſque ad puſtularum maturationem, & tempus in quo pus conficitur, quo demum elapſo prorſus deſinit.

Obſervavi ſemper in morbo vehementiori, ægrum ſub veſperam quaſi Paroxyſmo laboraſſe, & funeſtiora ſymptomata veſpertinis præſertim horis ſe oſtendere, atque exacerbari.

En juſtam Variolarum hujus generis Hiſtoriam; vera ac genuina hujuſce morbi Phænomena, prout ſcilicet naturaliter ſe habet complectentem: De *Accidentibus Anomalis*, quæ eidem, ubi minus recte tractetur, ſuperveniunt, jam proxime diſſeremus.

Animadvertendum eſt itaque, iſta quæ die *octavo* in genere *Diſtincto* occurrunt Symptomata Anomala, & quæ *undecimo* die in *Confluente*, (facto ſemper a primo morbi inſultu computandi initio) maximum ad ægri ſive vitam, ſive interitum pondus habere, magiſque ad amuſſim expendi debere, cum liquido conſtet, maximam eorum partem qui utrolibet morbi (ſc. *jam deſcripti*) genere intereunt, præfatis ſingulatim diebus defuncti. Primo enim qui *Diſcretis* Variolis laborat æger, cum ſatis prompte ſudoribus diffluat, (quo hic in adultis fieri ſolere jam diximus) ac ſibi omnia bona promittat, ſi morbi, ut ſperat, virus per cutis poros hoc pacto amandaverit; diligenter ideo huic methodo inſiſtit, tum remediis Cardiacis intro aſſumptis; tum regimine calidiore, ut par eſt, adhibito (atque hæc eo facit lubentius, quod tum ab hac Methodo in principio ſibi melius videatur habere, tum etiam ad male fundatam Adſtantium opinionem propius accedat.) Tandem vero eliminatis per διαφόρησιν particulis iſtis quæ ad puſtularem elevationem, atque intumeſcentiam faciei debuerant facere, die *octavo* quæ turgeſcere, & per interſtitia puſtulis interjecta inflammari debuerat facies, flaccida e contra reperitur, & albeſcunt interſtitia, licet interim rubeſcant puſtulæ atque eleventur, poſt ægri morrem. Qui ad hanc uſque diem nullo negotio manaverat ſudor, jam ſubito ſuaque ſponte evaneſcit, neque remediis ullis Cardiacis, vel etiam calidiſſimis, revocari poteſt. Æger interim Phrenitide corripitur, anxietate, jactatione, ægritudine vehementius; urinam parce reddit, ac frequenter; ac tandem pauciſſimarum horarum ſpatio amicorum ſpem fallit, & ad plures migrat. Veruntamen hic eſt notandum, quod, ſi paucæ compareant Variolæ; hyems ſi fuerit, æger ætate provectior, aut venæſectio fuerit celebrata, regimen illud calidius in quod jam animadvertimus, non ita certo faciei turgeſcentiam impedit, & proinde mortem accerſit, atque ubi confertæ Variolæ, Ver æſtaſve fuerit, æger ætate florens, neque ſanguis detractus.

At vero in *Confluentibus* maxime periclitantur ægri, & plerique etiam moriuntur die *undecimo*; nam cum hoc fere tempore *Salivatio*, quæ ægrum hactenus in tuto poſuit, ſoleat deſinere ſponte ſua, niſi faciei intumeſcentia, adhuc aliquantulum perſiſtens, ac manuum inſigniter jam incipiens ejus vicem ſubeat, neceſſe eſt ut pereat æger: Id enim eſt perpendendum, quod in hoc Variolarum genere, ubi puſtulæ tam ſunt exiguæ, non Salivatio tantum, ſed faciei inſuper & manuum intumeſcentia ad materiam morbificam rite eliminandam omnino requiruntur, quarum utralibet, ſi vel non adſit, vel ante juſtum tempus recedat, ægro protinus moriendum eſt. Jam vero nimio ſæpius evenit in morbo calidiori, ut ſanguinis craſi a regimine præfervido disjecta fractaque; atque eo uſque accenſa, ut particularum inflammatarum exterminationi ſenſim faciendæ non amplius competat, (ut quæ ſudoribus importune extortis debentur mala jam taceamus) hinc vel non omnino intumuerint facies manuſque, vel tumor ille una cum ſalivatione evanuerit, quamvis enim faciei tumor ipſo hoc die aliquantiſper debeat remitti, non debet tamen niſi poſt diem unum alterumve omnino recedere, manuum interim tumore perſiſtente vigenteque, quo quidem vix aliud eſt minus fallax Convaleſcentiæ προγνωστικὸν, uti neque contrario certum magis imminentis periculi indicium.

Sed utut id ſit, materia Ptyaliſmi quæ ad hunc uſque diem cruda fuit, tenuis, & facile excreabilis, viſcida jam facta & tenax, ægro ſuffocationem intentat; Potus quem aſſumit in pulmones fere dilabitur, unde cum tuſſi violenta per nares rejicitur, voce eſt rauca, ſomnolentia & ſtupore corripitur ingentibus, oppreſſus undique vi morbi, atque in hujuſmodi agone ut plurimum extinguitur, eo quem jam diximus die.

Sunt & alia adhuc ſymptomata, quæ in quolibet morbi ſtatu occurrunt; tam *Diſcreto* Variolarum generi, quam *Confluenti* pariter communis.

Phrenitis, v. g. a nimia ſanguinis ebullitione nonnunquam ægrum corripit, & caloris tam parum eſt patiens, ut magnis viribus, ac furibundo niſu injectas prehendentium & lecto incarcerantium manus eludere conetur.

Aliquando eadem cauſa effectum longe diverſum, ſeu contrarium, ut videtur, producit, Affectum ſc. *Comatoſum*; ita ut æger nunquam ferme evigilet, niſi continuo pulſu excitatus.

Eſt etiam ubi in hoc morbo, perinde atque in peſte, laxata, inflammationis vi, ſanguinis compage, *maculæ purpureæ* ſe oſtentant puſtulis interſperſæ, mortis fere ſemper prænunciæ. Frequentius hoc evenit, ubi aeris Conſtitutio morbo iſti Epidemico graſſanti præ cæteris favet. Aliquando in puſtularum ſummitate maculæ nigræ exiguæ, acicularum capita vix æquantes, in medio vero ſubſidentes, ſe produnt variis in locis, quæ cum nimio fervori ortum debeant ſuum, tandem beneficio regiminis magis temperati fuſcum colorem acquirunt, poſteaque pedetentim ſubflavum illum, qui variolis genuinis, ac ſuum morem obtinentibus, naturaliter competit, quod ſatis liquido cernitur in illa quæ circa morbum hunc verſatur praxi, in quo omnia Symptomata eo ſunt mitiora, quo magis puſtulæ maturitatem adeptæ ad dictum colorem accedunt, atque e contra.

Adoleſcentum porro, & ætatis flore vigentium, (præcipue ſi vicino, aut alio quovis liquore ſpirituoſo ſe nimium impleverint) uſque adeo in hoc morbo nonnunquam ſanguis accenditur furitque, ut per arterias & veſicam viam ſibi faciat, & qua data porta ruat; quo quidem *mictu ſanguineo* vix aliud ſymptoma pejoris notæ atque ominis invenire licet, per omnem hujus morbi tragœdiam.

Ab eadem inſuper cauſa nonnunquam, licet rarius, ſanguis e pulmonibus ejicitur. Utraque vero Hæmorrhagia hæc ſub morbi initio plerunque contingit, puſtulis nondum erumpentibus, vel ſi in quibuſdam locis ſe oſtendant, in pleriſque tamen aliis adhuc ſub cute denſæ latent, atque ejus ſunt generis, quæ in maxime *Confluentes* adoleſcerent, niſi jam dictum ſymptoma ægri morte morbum finierit.

Aliquando etiam *Urinæ ſuppreſſio* totalis ad malorum cumulum accedit, in juvenibus præſertim, idque in ſtatu, vel etiam declinatione *Diſcreti* generis.

Sunt & alia ſymptomata, quæ a προφάσει aliqua jam dictis contraria interdum oriuntur, ſi nempe æger a frigore nimis intenſo fuerit læſus, vel ſi præter jus faſque vena fuerit pertuſa ad ingentem ſanguinis amiſſionem, aut alvus nimia Catharſi ſubducta, unde puſtulæ nonnunquam faſtigiis cedunt & derepente conſidunt, ſuperveniente inſuper *Diarrhœa*, a qua ægro (adultus ſi fuerit, ut ſupra innuimus) ingens eſt diſcrimen, & anceps morbi exitus, materia ſc. Varioloſa intro verſa, ita ut natura eidem per cutis poros debite exterminando impar prorſus inveniatur. Huc accedit, quod faciei manuumque tumor ab his retunditur, qui non minus in boni ægri rebus eſt cenſendus, quam ipſa puſtularum eruptio, niſi eæ fuerint *perpaucæ*.

Quæ vero a ſuſcepto frigore pendent ſymptomata, raro admodum occurrunt, ſi cum illis conferantur quæ a contrario, calidiori nempe regimine, naſcuntur; Cum enim morbus hicce inter calidiſſimos jure optimo habeatur, longe minus ab hac parte peccatur, quam ab altera.

Qualis vero ſit hujus morbi eſſentia, ob naturalem & communem mihi cum reliquis hominibus intellectus defectum, neſcire plane me fateor; veruntamen prædicta ſymptomata penſiculatim trutinata mihi videntur ſubindicare, *Inflammationem* eam eſſe (a cæteris tamen Inflammationibus ſpecie diverſam (tum ſanguinis, tum reliquorum humorum, in qua ambolienda, per dies priores duos treſve id agit natura, ut particulas inflammatas digerat coquatque, quas poſtea in corporis habitum ablegatas maturat adhuc, & ſub Abſceſſulorum forma ſuis demum finibus expellit. Quapropter ut fundamento alicui medendi methodus ſuperſtruatur, notandum eſt, duo eſſe hujus morbi tempora, quorum primum *ſeparationis* eſt, ſecundum *expulſionis*. Atque primum quidem illud tempus plerunque cum febrili ebullitione tranſigitur, quod tribus vel quatuor primis diebus peragi ſolet, quorum decurſu natura id ſatagit, ut partes ejuſmodi inflammatas ſeligat congregetque quæ ſanguinem laceſſunt, atque etiam ut illas in carnoſas corporis partes relegatas ibidem deponat, quo facto

cto priſtina quiete fruitur, ſedato jam tumultu, qui, dum hoc ageretur, in ſanguine ciebatur. *Separatione* ſic ope ebullitionis, in ſanguine peracta, *Expulſio* jam locum obtinet, quæ per reliquum morbi tempus, mediantibus parvis illis *abſceſſibus*, in carne perficitur. Sicut enim a natura abſceſſuum ſua ſpecie non abludunt, ita parem cum aliis, cruditatis, maturationis, atque exareſcentiæ ſtatum percurrere ſolent; quæ omnia ſi rite atque laudabili modo abſolvant & exequantur, in tuto res eſt, cum exinde curationis ſumma dependeat; ſin minus, omnia peſſum ruitura ſunt. Et quidem poſtremum hoc negotium, priori illo *ſeparationis* opere, tanto plus temporis ſibi vendicat, quod prius illud in tenui fluidoque corpore tranſigatur, atque in ipſo (ut ſic dicam) naturæ foco; poſterius autem denſo ſpiſſoque theatro, atque a vitæ fonte paulo remotiori, partes ſuas exequi cogatur.

His ita præmiſſis, Indicationes exurgunt. 1. Ut æquabilis ille tenor ebullitionis in ſanguine conſervetur, qui neque nimis propere ſeparationem nimia ſua vi perficiat, neque tamen torpido nimis motu eandem remoretur, vel non ſatis idoneam præſtet. 2. Ut abſceſſuli, puſtulæve ſumma cura ſuſtineantur, quo debita tempora percurrentes, tandem contentam in ſe materiam omnino avehant, ipſæque etiam evaneſcant.

Ut itaque paucis de *primo* agamus, ſolicite in primis cavendum eſt, hoc tempore præſertim, ne nimium aſſurgat ebullitio, ſive id fiat ex congeſtis ſtragulis, ſive ex aere loci in quo decumbit æger, igne nimium excalefacto, ſive ex calidiorum medicamentorum & cardiacorum uſu; præcipue vero ab his cavere oportet, ſi æger in ætatis flore conſtitutus fuerit, vel ſanguinem habeat generoſiori potu nimis exaltatum, vel anni tempeſtas, aut verna ſit, aut ſaltem ultra æſtatis initium non proceſſerit. Hinc enim fiet, ut ſeparatio, quæ ſenſim lentiſque gradibus peragi debebat, ut ad univerſalem quandam deſpumationem opportunius pergat, præcipiti curſu feratur, atque ita vel non ſatis idoneus partium numerus congregetur, vel (quod forte contingat) nonnullæ partes ad ſecretionem damnentur, quas alias Natura illam ſubire noluiſſet; niſi quod ultra debitos limites excurrere coacta, noxam hanc ſibi creet: ſecretis enim illis, quæ ad ſeparationem minus opportunæ ſunt, aliorum illuc propendentium motus, eorum commixtione impeditur, adeoque redduntur expulſioni minus accommodæ. Mihi quidem rationi conſentaneum videtur, ut quo diutius natura *ſeparationem* molitur, ac perficit; dummodo ebullitio non omnino torpeat, eo certius atque univerſalius eadem *ſeparatio* abſolvatur. Atque ex illa ſic abſoluta, curationis inſequentis ſucceſſus potiſſimum ut dependeat neceſſe eſt, uti ex methodo contraria, contrarius plane rei exitus; ex calido enim iſto regimine nihil boni naſcitur, ſicut ex præcoci fructu, nihil frugi; cum frequenter uſu veniat, ut vel in Phrenitidem æger prono lapſu ruat; vel (quod pejoris notæ eſt) ſudores ingentes oboriantur, ex quibus partes non ſecerni aptæ, neque *puris* naturæ reſpondentes (quod ipſum tamen pus genuina ſoboles eſt hujuſce excretionis) eliminentur, vel ex Cardiacis illius adminiſtratis, calidaque cuſtodia, Variolæ nimis protuſæ in unum confluant, fœdo certe ſpectaculo, triſtemque eventum interminanti.

Atque hæc & hujuſmodi ſymptomata ex his erroribus progigni ſolent, cum ex altera illa methodo nihil unquam mali obſervaverim. Natura enim ſibi permiſſa negotium ſuum ſuo tempore exequitur, materiamque debito ordine ac via tum ſecernit, tum etiam expellit, ut (in junioribus præſertim vegetiſque temperamentis) noſtra ope, noſtris artificiis, atque auxiliis non indigeat, ſuis viribus optime inſtructa, ſuis opibus locuples, ſuo denique ingenio ſatis edocta. Neque ſane vel ipſe vidi, vel fando accepi, quemquam ex eo periiſſe, quod Variolæ primo non eruperint, niſi nimis multi perierint, quorum Variolæ primum landabiliter, & cum ſumma ſpe erumpentes, poſtea recedentibus puſtulis præmature detumuerunt.

Quemadmodum autem inconſultum eſt atque periculoſum, calidioris regiminis vel Cardiacorum ope cœptam ebullitionem nimis evehere; ita e contrario non minus vacat periculo mediantibus venæ ſectione, clyſteribus, emeticis, catharticis, aut id genus aliis eandem minuere, cum hoc pacto partium ſeparabilium commoda ſecretio plurimum impediatur. Licet enim vulgare illud atque tralatitium argumentum, quo adverſus Phlebotomiam, aliaſque evacuationes utuntur (nempe quod non liceat a circumferentia ad centrum movere humores, cum natura in hoc morbo contrarium affectare videatur) nullarum plane virium ſit; eo quod ex earundem uſu contrarius omnino effectus, ſubitanea ſcilicet Variolarum eruptio, ſæpiſſime conſequi deprehendatur; aliæ nihilominus rationes in promptu ſunt, quæ vehementer ſuadent, ut, ſiquidem ullo modo vitari poſſit, ab hac praxi manus abſtineamus. Namque (ut earum præcipua paucis attingamus) per haſce evacuationes, non tantum ebullitio nimis imminuitur, cujus interim ope partes deſpumandæ accurate ſecerni debuerant; verum etiam illud ipſum ſubducitur, quod cœptæ ſecretioni quaſi pabulum continenter ſuppeditaret; unde ſæpenumero contingit, ut Variolæ primum laudabili impetu erumpentes (eoque fortaſſe melius, quod evacuationes jam dictæ præceſſerant) paulo poſt ex improviſo quaſi repercuſſæ detumeſcunt, idque ob eam potiſſimum cauſam, quod materia deſit, quæ quaſi a tergo præeuntem inſequeretur, atque agmen clauderet. His vero non obſtantibus, ſi vel minimum ſuſpicari licet Variolas mox erumpentes e Confluentium genere futuras eſſe, utile prorſus erit, ut non ſolum ſanguis quam primum mittatur, ſed & Emeticum propinetur, ob rationes alio in loco fuſe dicendas.

Tandem ut ad ſecundam illam Indicationem pedem promoveamus ad tempus *expulſionis* accommodatam; quo tempore materia ſeparata, parvorum abſceſſuum ſive puſtularum ope, amandatur atque expellitur; nempe illud hic agendum eſt, ut puſtulæ debito modo ſuſtineantur quo rite atque ordine deſtinatam periodum aſſequantur.

Sicut itaque ſupra ſatis, ut opinor, oſtenſum eſt, imprimis periculoſum eſſe, ſi æger præſenti febre, at puſtulis vix dum apparentibus, in ipſo *ſecretionis* tempore nimium calefiat, ita etiam non minori periculo plena res eſt, ſi idem quovis morbi tempore fiat, atque illo præſertim quod ad expulſionis initium vergit, crudis adhuc exiſtentibus puſtulis: Quamvis enim ſanguis, peracta jam *ſeparatione*, atque relegata ad carnoſas partes materia, ab inteſtino tumultu magnam partem immunis ſit, interim tamen tenet adhuc, recenſque, ac vix novo ſtatu & quaſi textura indutus, εὐπαθὴς eſt, facileque vi caloris immodici undecunque appellentis afficitur, atque adeo leviſſimo mo-

mento irritatus flammam concipit, & in novam ebullitionem proclivis eſt; quæ quidem nova ebullitio, non, uti prior illa, *ſeparationem* jam molitur (illam quippe peractam ſupponimus) verum illius loco non tantum ſymptomata ſuperius memorata excitat, ſed & cœptam per puſtulas *expulſionem* interturbat, & contentam materiam exagitando noxam parit. Vel itaque partes jam ſecretæ, atque in corporis ἕξιν depoſitæ, vehementi illo rapidoque ſanguinis ebullientis curſu abreptæ in ejuſdem maſſam reſorbentur; vel partes carnoſæ ultra gradum ſuppurationi debitum excalefactæ, minus commode illam exequuntur; vel denique fortaſſis oborta hac nova ægritudine, ſanguinis œconomia, ipſarumque carnium tonus pervertitur, uſque adeo ut materiam illam expulſam vincere, eamque ſolemni more abſceſſuum coquere nequeant.

Interim non uſque adeo nos illuc intentos eſſe oportet, quo ebullitionem nimiam in ſanguine prævertamur, ut ægrum frigoris injuriis exponendo, puſtularum eruptio impediatur. Gradus ille caloris ad harum expulſionem promovendam accommodatiſſimus, naturalis ſit oportet, atque ejuſmodi, quæ carnoſarum partium temperiei conveniat, quique hunc excedit, aut ab eodem deficit, utrinque periculoſus eſt.

Ex dictis itaque ſatis manifeſtum videtur, in quam incerto lubricoque ſit loco, tum morbus ille, de quo loquimur, tum praxis medica, quæ eidem accommodanda eſt. Atque etiam exinde pronunciare auſim, illius famam, qui in medicando hoc morbo frequenter ſeſe exerceret, in anguſto verſari; quandoquidem non vulgus ſolummodo mortis cauſam fatagenti nimis Medico tranſcribere paratum ſit, verum etiam ejuſdem artis profeſſores calumniandi anſam inde cupide arripiant, atque coram iniquis Judicibus cauſam dicentes, ſeveriſſimam ſententiam facile eliciant; eo ſcilicet conſilio, ut ipſi pluris æſtimentur, & ſuper aliorum ruinis viam ſibi ſternant ad famam: id quod viris literatis indignum prorſus eſt, imo & vilioribus artificibus, modo probitatem colant. Hinc porro cernere eſt, quod minus mirum ſit, ſi nutricibus, per ſe nimium plerunque officioſis & fatagentibus, res male ſæpenumero ſuccedat; Nempe res ardua eſt, & quæ muliercularum ingenium atque judicium ſuperat, gradum caloris huic requiſiti definire, præſertim cum anni tempeſtas, ægrorum ætas, & vitæ ratio, aliaque huc ſpectantia ſimul penſanda veniant, id quod prudentem profecto atque ſagacem Medicum omnino poſtulat.

Si contigerit, ut vel Phlebotomia minus opportune celebrata, vel admiſſo frigore puſtulæ reciderint, vel facies ac manus detumuerint, Cardiacis utendum eſt. Sed cavendum tamen, ne in his exhibendis nimii ſimus: Quamvis enim ſanguinem ademeris, fieri tamen poteſt, ut virium inde jacturam metuens, adeoque Cardiacis aut fortioribus aut ſæpe repetitis utens, novam ebullitionem ex improviſo ſuſcites. Nimirum ſanguis adhuc tenuior eſt, & vim calidioris ſtimuli facile ſentit; unde fit, ut ſæpe repetitæ ebullitiones in eodem excitentur, quibus ægrorum mors majori jure tribuenda eſt, quam prægreſſæ venæ ſectioni. Atque hæc generatim de iis, quæ primariis Intentionibus ſatisfacere poſſint, dicta ſunto.

* Jam ut calcata veſtigia repetam, ac ad praxin propius accedam: Quamprimum manifeſta hujus morbi indicia ſe produnt, ægro aura liberiore, vino, ac carnium eſu interdico, cereviſiam vero tenuiorem pane toſto leviter tepefactam pro potu ordinario, ac ſubinde pro arbitrio hauriendam concedo; pro victu etiam juſcula avenacea, hordeacea, poma cocta, aliaque, quæ neque frigoris, neque caloris vim aliquam egregiam obtinent, aut ventriculo concocturo moleſtiam exhibent, injungo. Nec vulgarem illam ruſticamque diætam admodum improbo, nempe ut lacte cum pomo cocto & contuſo veſcatur, modo cautum ſit, ut eo per vices utatur, & modice, dempto etiam lactis frigore. A regimine calidiore protinus inhibeo, ut & ab uſu medicamentorum Cardiacorum quorumcunque, quibus Variolas in cutem ante diem *quartum* qui eruptioni proprius eſt ac naturalis, temere propellere nonnulli fatagunt. Cum pro certo habeam, eo magis univerſalem fore materiæ Varioloſæ ſeparationem, quo tardius iſtæ prorumpunt, proinde & ſecuriores poſſumus eſſe, ne ſe denuo intro condant, & rectius matureſcent, cum ſi ante tempus extrudantur, præcipitatur materia cruda adhuc atque inconcocta, quæ ad inſtar fructuum præcociorum inani ſpe lactat. Adde, quod ab hac nimium feſtinata diligentia periculum eſt (in calidioribus præſertim temperamentis ac vegetioribus, quorum principia activa plus ſatis Cardiacorum ſupplent vicem) ne natura nimis incitata coactaque, univerſam pene corporis ſubſtantiam in Variolas effundat; ita ut jam *confluant* illæ, quæ, niſi plus æquo properaſſes, in *diſtinctarum* ordine lætiori omine ſubſtitiſſent. Porro non ideo ſtatim foras propellendæ ſunt Variolæ, ubi primum aliqua morbi hujus ſuſpicio oritur, quia ſc. æger ante eruptionem vehementer ut plurimum laborat angiturque, cum ne vel una quidem inſtantia poſſit oſtendi, quempiam ideo interiiſſe, utut graviter ægrotaverit, quod non mox prodirent Variolæ, vel naturam iiſdem ſerius ocyus extrudendis defuiſſe, niſi ſicubi regimine calidiore & remediis Cardiacis, præmature ingeſtis, fuerit impedita. Etenim non ſemel obſervavi in junioribus & temperamento ſanguineo præditis, regimen calidius, & Cardiaca eo animo exhibita, ut Variolas ante juſtum tempus exturbent, ita parum eruptionem acceleraſſe, ut eidem e contra obicem ponerent: Sanguine enim his modis excalefacto, & in motum violentiorem, quam qui materiæ Varioloſæ ſeparationi rite peragendæ par eſſet, concitato, certa tantum quædam morbi indicia ſe prodidere, latentibus intra curim puſtulis, neque ſe ultra efferentibus, quibuſcumque demum Cardiacis ſolicitarentur, donec tandem ſanguine ad moderatam debitamque temperiem redacto, conceſſa ſc. cereviſia tenuiori, demptoque partim ſtragulorum, quibus torrebatur onere, puſtulis exiturientibus commodam viam ſtravi, atque ægrum in tuto, favente Numine, collocavi. Neque magis, ſi quid ego judicando valeo, ab illis ſtat ratio, qui ægrum ita pertinaciter ante diem *quartum* lecto addicunt, modo cubiculi ambitu ſe contineat, quam ab his, qui adeo præmature atque intempeſtive Cardiaca ingerunt; Etenim *Sanguinis mictus*, *maculæ purpureæ*, & reliqua ſymptomata lethalia, (de quibus ſupra) eo tantum nomine, præſertim ætate florentibus, ſuperveniunt, quod nempe lectulo præpropere nimis affigantur. *Quarto* vero die lectulo ægrum adjudico, ac tum temporis, ſi eruptio parum pro votis ſuccedat, recte exhiberi poteſt

* *Curatio.*

Cardiacum aliquod blandius, unica ſaltem vice, quo exigantur puſtulæ. Inter iſta quæ huc faciunt medicamenta; *Paregorica*, dicta, qualia ſunt *Laudanum liquidum*, *Diaſcordium*, *&c.* ſi in pauca quantitate aquis Cardiacis appropriatis admiſceantur, cæteris prælucent. Hæc enim cum ſanguini æſtuanti frænum injiciant, natura materiam morbificam opportunius atque liberius ejicit, atque emolitur. Neque etiam conſulerem, Cardiacum ante hunc diem propinare vel urgente *Diarrhœa*, atque illud, ut videtur, indicante. Licet enim, quod antea innuimus, nonnumquam Variolarum *Confluentium* eruptionem præcedat *Diarrhœa* (quæ oritur ab halitibus inflammatoriis vel humoribus a maſſa ſanguinis per primos dies exagitati atque æſtuantis, in inteſtina exoneratis) non tamen hic magis deerit natura dictis materiæ Varioloſæ halitibus in corporis habitum propellendis, (quo facto, ſua jam ſponte ſiſtetur Diarrhœa) quam ſolet in halitibus iſtis extravertendis eliminandiſque, qui in ventriculum inverſi ſub initio morbi vomitum provocant.

Animadvertendum vero eſt, quod ſi ad adoleſcentem vegetiorem accerſor, & qui inſuper liberaliore ſive vini, ſive liquoris, cujuſcumque ſpirituoſi compotatione morbo anſam dedit, non ſatis habeo ad frænandam ſanguinis ebullitionem, ut tam lectulo, quam Cardiacis abſtineat, niſi ad hæc ſanguis e brachio mittatur: Quod ſi non concedatur, obtinente vulgi præjudicio, miſſionem mihi ſaltem eſſe petendam exiſtimo. Superinducta enim inflammatione iſta, quam ſanguini impreſſit liquorum ſpirituoſorum fervor, intenſo illi calori, quem hic morbus naturaliter comitem habet, ita furit ſanguis, ut non raro in veſicam vaſorum ductu irruat; vel maculas pariat purpureas, aliaque ejuſmodi ſymptomata, quæ per omnem morbi decurſum crucem figunt Medico, atque ægrum e medico tollunt. Atque hæc de illis quæ ante puſtularum eruptionem ſunt peragenda.

Ubi primum eruperint puſtulæ, jam proxime diligenter mecum perpendo, an *Diſcreti* fuerint generis, an vero *Confluentium*; cum longo hæc intervallo ab invicem diſtent, quantumlibet conveniant quoad ſymptomata quædam utriſque communia. Si itaque ex puſtularum magnitudine, & paucitate, tardioreque eruptione, tum etiam ægritudinis, aliorumque ſymptomatum graviſſimorum, quæ in *Confluentibus* etiam poſt eruptionem fatigant, evaneſcentia, de genere *Diſcreto* mihi conſtet; ægrum cereviſia tenuiori, juſculis avenaceis, hordeaceis, &c. reficiendum curo, modo quem ſupra deſcripſimus. Atque ſi tempore æſtivo eoque calidiſſimo Variolæ non ita multæ obtingant, quorſum attineat ægrum in lecto jugiter ſtratum obrutumque detinere, ego quidem non video. Quin potius ſingulis diebus, per aliquot horas de toro ſurgat, ea lege, ut tam loco, quam veſtitu, frigoris pariter ac coloris nimii incommoda præcaveantur. Quid quod ægroto a cubili quandoque abſtinente, morbus minori cum moleſtia, ac etiam breviori ſpatio tempora ſua peragat, quam ſi eidem continenter affigatur, quod non modo ægritudinis tædium adauget, verum etiam febrilem æſtuationem fovet, & prodeuntibus veſiculis dolorificam inflammationem conciliat. Quod ſi aut frigidior anni tempeſtas, aut copioſior Exanthematum eruptio perpetuo decumbendi neceſſitatem ægrotanti imponat, proſpicio, ut non intenſiore coloris gradu, vel adiectis pluribus ſtragulis in lecto decumbat, quam quibus in proſpera valetudine uti ſolebat, accenſo interim nonniſi hyeme incumbente, mane & ſero foco mediocri. Neque etiam exigo, ut in eodem loco ſemper jaceat, nempe ne ſudores erumpant, quos ego tum rationibus ſupra allatis, tum ipſa experientia fretus, fidenter affirmo non abſque ingenti periculo moveri poſſe.

Determinante morbo, cum halituum a materia jam in pus converſa prodeuntium eruptio liberior a puſtulis tandem cruſtoſis ac duriuſculis impediatur, abs re non erit *Vini Canarini ſemicocti cochl.* 5. *vel* 6. vel aliud medicamentum Cardiacum temperatum exhibere, ne ſcilicet halitus illi putridi in ſanguinis maſſam poſtliminio revertantur. Et ſane jam nunc, neque prius, Cardiacis locus eſt. Eodem pariter tempore diæta paulo calidior & Cardiaca magis poteſt concedi, juſcula v. g. ex pane & cereviſia ſaccharata, e farina avenacea cum cereviſia & ſaccharo, &c. Neque aliis omnino erit opus, in genere ſcil. *Diſcreto* ac leniori, ſi æger hac methodo ac diæta, utriſque moderatis, ſe tractari patiatur; niſi forte an inquietudo, vigiliæ, aut alia ſymptomata phrenitidem minitantia, paregorici uſum ſubinde ſuadeant.

Hæc ſane reclamante licet immani iſto ac male fundato hominum præjudicio, quod ex adverſo militat, vera eſt ac genuina methodus huic Variolarum generi medendi, & obtinebit demum, me vita functo. Et licet non negem, multos regimine admodum oppoſito tractatos nihilominus convaleſcere, fatendum eſt tamen, (& ſane dolendum etiam, ſi nobiſcum reputemus, quam omni prorſus periculo vacat ex ſua natura hoc *Diſcretum* genus) plurimos etiam interire, quin & alii complures ſatis pariter concederent, niſi vel a frigidiore tempeſtate, in quam incidit morbus, vel a Phlebotomia (aliter ſupervacanea atque inutili) nuper celebrata ſervarentur. Quo nomine, ſi vel obſtinatio amicorum, vel ægri diffidentia prædicto regimini interceſſerit, tutius mihi videbatur ſanguinem detrahere; quod quidem, licet in hac ſpecie per ſe officiat (quatenus ſcil. & ſeparationem perturbat confunditque, & pabulum inſuper tum puſtulis, tum tumoribus elevandis deſtinatum ſubducit) aliquantiſper tamen ſecuturum regimen calidius penſat, ac proinde hanc, quam nonniſi coacti uſurpamus, methodum, non uſque adeo periculoſam atque ancipitem reddit.

Ex dictis (ut obiter attingam) facile erit vulgare illud Problema ſolvere; qui fiat ſc. ut perpauci adeo e plebe hoc morbo pereant, ſi ad eos comparentur, qui inter divites eodem trucidantur? quod quidem vix ad aliam cauſam poteſt referri, quam quod ob rem domi anguſtiorem, & agreſte vivendi genus, vix illis fiat copia ſibi nocendi regimine magis accurato ac delicatiori. Quinimo & plures inter vulgus jugulavit hic morbus, ex quo *Mithridati*, *Diaſcordii*, *Decocti* C. C. *&c.* uſum didicere, quam in ſæculis *indoctioribus* quidem, at magis *ſapientibus*: cum in ſingulis ferme ædibus reperiatur ſtolida aliqua ac ſciola muliercula, quæ in hominum perniciem, quam non didicit, artem exerceat. Atque hæc de Variolarum, quas *Interſtinas* appellavimus, curatione.

At ſi *confluant* Variolæ, periculoſæ plena res aleæ eſt; arbitror enim ego, genus hoc non minus ab altero illo diſcrepare, quam ab hoc ipſa peſtis, licet apud hominum vulgus, quibus nomina & verba pro rebus ſunt, utriuslibet curatio ex æquo prædicetur. In hac morbi ſpecie, cum intenſioris ſanguinis inflammationis proles ſit, major pariter adhibenda eſt cura, ne calefiat æger, ut in prioris curatione jam dictum eſt. Quamvis autem ſpecies hæc ex ſua natura majorem ſibi vendicet refrigerationem, quam altera iſta, ad promovendam tamen faciei ac manuum intumeſcentiam, (ſine qua de ægro actum eſt) & puſtularum elevationem atque augmentum, tum etiam, quia æger ob exulcerationes dolorificas lecto abſtinere nequeat, expedit, ut in eodem contineat & ſe, & manus etiam ſuas, modo ſtragulis modice contectus ſit, & conceſſa fuerit venia ab hac in illam lecti partem corpus pro arbitrio ſuo transferendi, ut in genere *Diſcreto* innuimus. Præſertim vero morbo exeunte, cum jam appetat *Febris Maturatio* non tantum hac libertate non privandus eſt æger, ſed monendus etiam, ut ea utatur, quin & verſandus perſæpe nocte atque interdiu, ut ingens calor contemperetur, & evitentur ſudores, quibus amandatur lenis iſte humor, quo diluendæ ſunt Variolæ, ut miteſcant.

Quandoquidem vero, ut diximus, *Ptyaliſmus* hanc ſpeciem jugiter comitatur, qui cum e præcipuis ſit naturæ evacuationibus, atque hic in ejus locum, quæ per puſtulas fieri debuit, ſubſtituatur, (quæ quidem per puſtulas evacuatio in hac ſpecie humili ac depreſſiore non æque atque in altera procedit) ſummopere annitendum eſt, ut dicta ſalivatio in vigore perſtet & conſervetur, nec ante diem ſuum ſiſtatur, vel remediorum calidiorum uſu, vel a cereviſia tenui aut ſimili alio liquore liberaliter hauriendo, ægrum arcendo. Jam cum Ptyaliſmi mos ſit naturaliter ſe habentis, ut cum prima eruptione incipiat, & die *undecimo* minuatur, neque tamen niſi poſt diem adhuc unum aut alterum omnino deſinat, ſi ante diem illum penitus ceſſet, in lubrico ſunt ægri res. Nam cum faciei tumor (per quem nonnihil materiæ morbificæ evacuatur) nunquam non eo ipſo die diſpareat, ſi ſalivatio eodem pariter tempore ſe ſubducat, æger materia varioloſa jam putreſcente, ceu veneno, inficitur, cumque nulla amplius detur porta, per quam evacuari poſſit, in buſti limine conſtituitur, niſi forte (quod fit nonnunquam) manuum intumeſcentia, quæ ut ſerius quam illa faciei ſe oſtendit, ita tardius recedit, ejus ſit molis ac momenti, ut ab Orci faucibus illum eripiat. *Salivatio*, quæ tanti hic eſt tamque neceſſaria, admodum promovetur, ſi ægro affatim propinetur cereviſia tenuis, vel liquor alius quilibet, qui nec illum calefaciat, nec ad ſudores provocet.

Præter hæc vero, ut conſopiatur vehemens illa ſanguis ebullitio, qua hæc Variolarum ſpecies alteram illam longe ſuperat, & ſuſtentetur *Ptyaliſmus*, (neceſſaria nempe hujuſce morbi evacuatio) conveniunt medicamenta *Narcotica* præ aliis quibuſcumque: quæ licet ob vim, qua donantur, incraſſantem, educendæ ſalivæ videantur officere, jamdiu tamen ego me iſto liberavi præjudicio, atque eadem in hoc morbo adhibui, adſtipulante ubique rerum eventu, modo æger pubertatem exceſſerit. Sanguis enim infantium puerorumque (qui per integrum morbi ſtadium plerumque ſatis bene dormiunt) cum mitius ferveat, minus hujuſmodi eget ſufflamine; atque inſuper horum uſu *Diarrhœa*, quam in hoc morbi genere infantibus evacuationem natura inſtituit, cum ægri damno ſiſtitur. Adultis vero *Paregorica* medicamenta, ſi frequenter uſurpentur, hæc adferunt commoda. Primo, ſomnum moderate conciliando, efferam minus ſanguinis ebullitionem, ac proinde Phreneſin cohibent, præcaventque. Dein, ab eorum uſu faciei & manuum intumeſcentia, qua inſignem in hoc morbo natura habet evacuationem, rectius procedit. Quin etiam, quod non parum facit ad ægri ſecuritatem, cum non raro juſto citius detumeſcat facies cum malis ægri rebus, tumor Narcoticorum ope ad debitum uſque naturæ terminum ſuffulcitur & protrahitur; mitigato enim ſanguinis fervore, radii inflammati opportune ad manus, faciem atque omne corporis ſuperficiem pro morbi ingenio feruntur. *Ptyaliſmus* denique hiſce propagatur, qui licet vi medicamenti ita fortiter incraſſantis ad horas aliquot ſiſtitur in quibuſdam, mox tamen aucto novis hiſce ſuppetiis robore, inſurgit denuo natura, & cœptum opus feliciter peragit. Quin etiam animadverti *Salivationem*, quæ circa diem *undecimum*, aliquando etiam citius, cum ingenti ægri periculo minui ſolet, exhibitis plus ſemel *Paregoricis*, de novo fuiſſe redintegratam, nec ante diem *decimum quartum*, alicubi etiam & poſt illum, deſiiſſe. Propino ego ut plurimum vel *Laudani liquidi* guttas 14. aut circiter, vel *Syr. de Meconio* ℥j. in *Aq. flor. Paralyſ.* vel ſimili ſtillatitia ſolutam: Quæ ſi adultis poſt plenam eruptionem ad morbi uſque finem ſingulis noctibus propinentur, non modo incommodi nihil, ſed & magnum inde emolumentum capient, quod frequenti experientia didici. Expedit vero, ut cenſeo, paulo temporius quam aliter fieri ſolet, *Paregoricum* exhibere; facile enim obſervatu eſt in Variolis peſſimi moris, *caloris*, ut ita dicam, *Paroxyſmum* veſperi plerumque ægrum inquietudine, anxietate, aliiſque ſymptomatis laceſſere, quæ ſi *Paregoricum* hora ſexta ſeptimave veſpertina ſumatur aliquatenus præcaveri poſſint.

Proximo loco, cum in Variolis *Confluentibus* haud minus certo *Infantes Diarrhœa* comitetur, quam *Adultos Ptyaliſmus*, natura, ut ſupra oſtendimus, alterutram harum evacuationem materiæ morbificæ eliminandæ ubique conſtituente, ut nec hic *Ptyaliſmo*, ita neque iſtic *Diarrhœa* frænum injicio, cum utrumque ex æquo ſit abſurdum. Male locata interim imprudentium aliquot mulierculorum opera in ſiſtenda hujuſmodi Diarrhœa, multa infantium millia letho dedit, dum falſo ſecum reputant, Diarrhœam par in *hac* Variolarum ſpecie atque in *Diſtincta* diſcrimen apportare; neſciæ ſcilicet, *illic* tantum officere Diarrhœam, ubi per puſtulas fit evacuatio, *hic* vero naturæ opus illam eſſe, morbo effugium quærentis. Miſſa itaque Diarrhœa, καὶ τῇ φύσει ex præcepto Divini ſenis συμπράπτον, quo cœpi pede pergo, in cunis tunc jaceant infantes, ut nunc iſtinc auferantur, conſulto; & ſi fuerint ablactati, eandem, quam ſuperius adultis, diætam iſtis concedo.

Ultimis morbi diebus, cum facies ob puſtulas cruſtoſas, duras, aridaſque ferme riget, eandem *oleo Amygdal. dulc.* inungo perſæpe, tum ad mitigandum dolorem a rigiditate ortum, tum ut effluvia calidiora liberius exhalent.

Facies ne cicatricibus deturpetur, nihil quicquam molior: cum *Olea*, *Linimenta*; *&c.* id tantum agant, quo tardius evaneſcant albi iſti furfures, quibus, ſe invicem pellentibus excipientibuſque, poſtquam æger jam lecto ſurrexerit ac mediocriter valet, paulatim ſuccedunt fœdæ illæ cicatrices. Sed ab his non valde metuendum eſt ægro, ubi ob regimen moderatius puſtulæ minus exacerbatæ nullam qualitatem Cauſticam contraxere.

* Jam

* Jam vero, licet methodus hæc (si caute scil. ac prudenter circumstantiis particularibus accommodetur) prædicta illa a natura abhorrentia atque periculosa symptomata præoccupet, & securum atque perbenignum morbum reddat; a quacumque tamen causa exorta sint hæc, me nondum accersito; necesse habeo in aliquibus, quæ hic subnectam, alia via insistere, eadem ut submoveam atque debellem.

In primis igitur, si in *Discreto* genere ob regimen justo calidius, & continuos sudores, ægri facies die *octavo* non intumescat, (pustulis interim satis dense se exerentibus) sed flaccida sit, & palleant pustularum interstitia, in casu posito, ultra quod ad temperatum magis regimen, & compescendum sanguinis ὀργασμὸν velis remisque contendo, *Paregoricum* aliquod medicamentum e vestigio hauriendum præcipio; quod quidem somnum blande conciliando (nisi plus nimio cerebrum incaluerit) & mitigando proinde effrænem sanguinis ferociam, sanguinem una cum calore ad faciem, prout morbi ratio postulat, tempestive determinat. Quod si eo usque processit malum hac προφάσει ortum, ut sudor, qui huc usque copiose manavit, sponte sua defecerit, æger Phrenitide corripiatur, de vehementi queratur ægritudine, urinam paucam at frequenter reddat; jam non aliis auxiliis (cum in propinquo mors sit) ægro subveniri posse autumo, quam vel Narcotica affatim exhibendo, vel sanguinem liberaliter extrahendo, corpusque auræ exponendo. Et profecto haud ita temerarium, atque ἄτοπον videbitur, quod jam proposui, si ad illos animum advertamus, qui ob copiosas narium Hæmorrhagias subito ingruentes, ferreas imminentis lethi manus salvi evasere. Illud insuper est perpendendum, quod in extremo hoc agone non idcirco instat mors, quod pustulæ intro recedant, (extant enim hæ eminentque cum insigni rubore, etiam animam agente ægro) sed quod facies non turgescat: ad promovendam vero hanc faciei intumescentiam, quicquid id demum est, quod ad sanguinem contemperandum facit (venæ sectionem autem & modicam refrigerationem eam vim obtinere nemo, opinor, negaverit) necessario æque ac Paregoricorum usus, atque ob easdem plane rationes, debet conferre.

Non hæc ita velim intelligi, ac si in qualibet *Phrenitide*, Variolis superveniente, (cum nullum hic symptoma frequentius occurrat) venæ sectionem statim suaderem, sed in illa tantum, quæ ideo accidit, quia facies non turgescit, in *distincto* sc. genere, & pustulis copia satis magna comparentibus; vel ubi ob regimen admodum calidum, & Cardiacorum usum, sanguis adeo efferus est, atque ultra omnem modum evectus, ut inducias ferre nequeat, donec medicamentis *Paregoricis*, & reliquis eodem facientibus, ad debitam temperiem reduci possit. Cum enim ita se res habent, Medicus ad conscientiam suam potius, quam ad incertam famam se componens, vel sanguinem, ut ante dictum, detrahere debet, vel ut æger aere liberiori refocilletur, præcipere: Quod ut satis efficeretur, sæpe mihi visum est in tali agone phrenetico, ut æger lecto aliquantisper exurgeret, quo facto plures a morte liberavi. Præter ista vero quæ oculis ipsis usurpavi, innumera sunt illorum exempla, qui his modis quasi Orci faucibus erepti sunt. *Phreneticorum* enim nonnulli nutricum curam fallentes (miris sc. artibus utuntur homines ita affecti) atque e lecto dilapsi aeris frigori semetipsos etiam noctu exposuerunt: Alii frigidam vel furtim, vel raptim nacti, vel etiam precibus a nutrice emendicatam hauserunt, adeoque felici errore salutem jam plane desperatam consecuti sunt.

Unicam hic loci historiam adscribere non gravabor, quam ab eo ipso accepi, cujus res agebatur. Is nempe *Bristolium* profectus, juvenis adhuc, inque ipso ætatis flore, circa mediam æstatem Variolis correptus est, iisque paulo post phrenitis accessit: Nutrix in urbem ingressa, interim ægrum suum aliorum curæ commisit, mox nempe reditura. Verum dum paulo diutius moratur, ægrotus (ut astantibus visum est) interea moritur. Astantes, & anni tempestatis, & habitus ægri, crassi sc. atque corpulenti, rationem habentes, ne oleret cadaver, e lecto sublatum ac nudum mensæ imponunt, linteo superstrato. Nutrix tandem rediens, accepto nuncio, cameram intrat tristissimo spectaculo interfutura; mox amoto linteo, vultuque conspecto, subobscura quædam vitæ indicia conspicari sibi visa est, ac proinde statim projectum corpus in lectum reposuit, adeoque sub manu consilium capiens, ac nescio quid satagens, ægrum suum in vitam revocavit, atque diebus aliquot interpositis sanum conspexit.

Sed ut ad propositum revertar; Proximo loco, si in Variolis *Confluentibus* saliva eo usque excocta sit & viscida ob calorem præcedentem, ut tantum non suffocetur æger, (quod *undecimo*, ut supra diximus, die non insolens est) *Gargarisma* necessario in usum trahatur, &, ut sæpe die nocteque siringa in fauces sedulo injiciatur, serio imperandum. Componatur vero illud e cerevisia tenui, vel aqua hordei, cum melle rosarum. Vel sequens usurpari poterit: ℞. *Cort. Ulmi* ℥vj. *Rad. glycyrrhiz.* ℥ß. *Passular. enucleat. n.* xx. *ros. rubr. p.* ij. *coq. s. q. aq. ad* ℔j ß. *colatura dissolv. Oxymel. simp. & mel. ros. an.* ℥ij. *M. s. f. Gargarisma.* Quod si æger rite fuerit tractatus, *Ptyalismus*, etiam cum jam cœperit imminui, ita pulchre suo fungetur munere, ut hoc remedio opus non fuerit. Et profecto ubi eo res rediit, ut æger singulis momentis a suffocatione periclitetur, stupore obrutus, & spiritu fere undequaque præcluso, non satis tuto huic remedio fiditur: Ægro ita ad incitas redacto *Emeticum* per-opportune ac feliciter nonnunquam exhibui ex *infusione Croci Metallorum*, sed dosi paulo majori, sc. ad ℥j ß. quando, ob eximiam, qua laborat æger, stupiditatem, minor dosis haudquaquam operabitur, atque interim eos exagitando humores, quos nequeat educere, ægrum in magnum vitæ discrimen conjiciet. Sed neque huic remedio satis fidere possumus, atqui (quod vere dolendum) aliud adhuc certius desideratur ad truculentissimum hoc symptoma debellandum, quod solum ac suo marte eos fere omnes jugulat, quotquot in hac Variolarum specie *die undecimo* intereunt.

Cætera quæ in hoc morbo accidunt symptomata, ut *præcaventur* ope regiminis moderati, ita ab eodem pleraque etiam *tolluntur*: e. g. ut *Phrenesis* antedicta, a nimia cerebri excalefactione prognata, sanguine quovis modo paululum ventilando curatur, eadem methodo & *Comati* (quod alteri contrarium prorsus videtur symptoma, & ab obstructione corticis cerebri fit, dum halitus calidiores a sanguine regiminis ac medicamentorum calidorum usu attenuato, magna copia ac vi illic impelluntur) facile occurritur.

Sydenham Opera Medica.

* *Curatio Symptomatum.*

Eadem hac sanguinis contemperatione & *Maculas Purpureas* vidi sublatas: Sed neque hac, neque alia methodo quacunque, vel *mictum sanguinis*, vel violentam ejusdem e pulmonibus eruptionem adhuc sufflaminare potui; utraque vero Hæmorrhagia hæc, quatenus mihi hactenus observare licuit, indubie mortem prænunciat.

In *Urinæ suppressione*, quæ juniores ac vegetos nonnunquam incessit (a confusione sc. magna & spirituum ἀταξία, ejusdem excretioni subservientium, ob sanguinem & humores nimio fervore agitatos) omnes *Diureticorum* tribus in auxilium accersivi, sed nihil æque feliciter hic mihi cessit atque e lecto eximere ægrum, qui postquam adstantium manibus suffultus cubiculum bis terve circumambulaverit, mox urinam satis copiose reddet, haud parvo cum levamine. Testes hic possim compellare Medicos quosdam e familiaribus meis, qui in hoc casu ex meo consilio idem fieri præceperunt, neque eos fefellit eventus.

At vero quæ a materiæ varioloſæ repercussione ob frigus extremum, vel evacuationes indebite factas, proveniunt symptomata, usu Cardiacorum & conformi regimine sunt tollenda, qui tamen non ultra spatium, quo ista perstant, continuandus. Horum præcipua sunt pustularum depressio seu procidentia, & *Diarrhœa* in Variolis *Discretis*. Neque enim in *Confluentibus*, vel pustularum depressio mali quidquam ominatur, cum ea sit morbi natura; neque *Diarrhœa* infantium iisdem laborantium, cum salutem ista adferat, non periculum. In utroque hoc casu potio Cardiaca ex *Aquis stillatitiis* appropriatis, cum *Diascordio*, *Laudano liquido*, &c. jure optimo concedetur, idque non tantum ad dicta symptomata submovenda, sed quolibet morbi tempore, si æger de cordis dolore atque ægritudine conqueratur. Sed ut verum loquamur, symptomata hujus generis oppido rara sunt, si cum illis conferantur, quæ extremorum alteri, exitiabili magis, licet minus culpato, debentur. Et quidem opinor, rumorem illum, qui de crebra pustularum retrocessione invaluit, ex eo natum esse, quod qui earundem depressionem in genere *Confluentium* observaverint, illam pro materiæ varioloſæ ob susceptum frigus recessu habuerint, cum nihil sit hic præter morbi morem: Atque in genere *Distincto* idem suspicantur, quia sc. pustularum eruptionem atque augmentum ante diem expectant, cum non satis attenderint ad tempus illud, quo natura fructum hunc ad maturitatem solet perducere.

Ægro jam convalescente pustulisque deciduis, ubi per dies aliquot carnes idem degustaverit, circa diem nempe *Primum & vicesimum*, sanguinem e brachio extrahendum censeo, si morbus fuit vehementior, cum inflammatio, quam sanguini impresserunt Variolæ, sive adultus fuerit æger, sive infans, non minus venæ sectionem indicet, quam colluvies, quæ eidem accrevit, Catharsin: quod satis liquet, *tum* a sanguinis colore, qui post atrociorem morbum educitur, Pleuriticorum sanguini omnino similis, *tum* etiam a magnis istis inflammationibus, quæ post morbum hunc in oculos decumbunt, aliisque diris sanguinis excalefacti & a morbo depravati effectibus, unde etiam, qui antea pancratice valebant, postea cum humoribus calidis acribusque in pulmones, aut aliam aliquam partem depluentibus, per reliquam vitam omnem confligunt. At si pauciores extiterint pustulæ, Phlebotomia non opus erit. Post venæ sectionem Catharticum exhibeo ad tres vel quatuor vices.

Ad hæc, ægro a *Confluentibus* Variolis jam diu liberato, & e lecto quotidie surgenti nonnunquam accidit *Crurum tumor* ferus ac molestus; qui tamen vel sponte facessit post venæ sectionem & Catharsin, vel usu herbarum emollientium ac discutientium, (quales sunt *Malvæ*, *fol. Verbasci*, *Sambuci*, *Lauri*, cum *flor. Chamomillæ & Meliloti*) in lacte coctarum, facile fugatur. Atque hæc de Historia Variolarum, quæ hosce annos grassatæ sunt, quas, ut ab aliis speciebus, quæ insecutæ sunt, dirimam, *Legitimas* appellare libuit.

CAPUT III.

Febris Continua Annorum 1667. 68. & partim 1669.

JAm ut de *Febre* illa dicam, quæ durante *Varioloſa* hac *Constitutione* dominabatur, & cum Variolis ingressa, stetit cum iisdem, ceciditque: Ita se hic res habuit; Doluit æger in regione, quæ cordis scrobiculo subjicitur, nec sustinuit, ut manu illa premeretur; quod quidem symptoma non memini me observasse in alio morbo præter hanc febrem, & hanc speciem Variolarum. Capitis dolor, & calor totius corporis, ut etiam Petechiæ, satis manifesto indicio se prodebant. Sitis interim non urgebat. Lingua sanorum similis non raro comparuit, nisi quod quandoque albida, sicca rarissime, nunquam vero nigra. Æger in spontaneos eosque effusissimos sudores ab initio morbi solvebatur, sed cum nullo levamine; quinimo ubi calidioribus medicamentis & regimine provocabantur isti, periculum erat, ne mox Phrenitide corriperetur. Petechiarum insuper numerus augebatur, atque alia symptomata adhuc efferebantur omnia. Urinæ separatio, quæ satis videbatur laudabilis, *vel* ab initio, spem faciebat salutis; neque tamen æger magis exinde in melius proficiebat, quam post διαφόρησιν, de qua prius diximus. Si minus recte tractaretur hic morbus, diutissime protrahebatur plerumque, neque crisi aliqua facta, nec sponte more aliarum febrium desinens, sed vehementibus symptomatis miserum excrucians ad septimanas sex vel octo, nisi mors intercederet. *Ptyalismus* quandoque satis copiosus sub finem accedebat, si nempe nulla insignior præcesserat evacuatio, atque ægro Julapia refrigerantia imperata fuerant; quo quidem, si neque vacuationibus, neque usu medicamentorum calidorum fuerit interceptus, morbus ultra spem omnem fugam sibi quærebat.

Ut vero febris hæc ab ista aeris constitutione epidemica pendebat, quæ eodem tempore Variolas producebat, ita profecto dicta febris, si non eadem plane esset, ejusdem fere cum illis naturæ atque indolis per omnia videbatur, demptis solummodo symptomatis istis, quæ eruptionis vel consequentiæ, vel effecta erant necessaria: Nam eodem modo uterque morbus aggrediebatur, dolor idem in partibus, quæ cordis scrobiculo subjacent, si manus admoveretur, linguæ item color, urinæ consistentia, &c. Sudores spontanei copiosi ab initio oborti ubique respondebant. Propensio itidem quam habebat hic morbus, quoties in flammam vehementiorem assurgeret, se per *Ptyalismum* exonerandi, eadem prorsus erat atque in Variolis hisce, quoties scilicet *confluebant*. Cum insuper hæc febris eo præcipue tempore sæviret, quo latius quam unquam alias, quantum ego observavi, hic locorum grassaban-

bantur Variolæ, nemini dubium eſſe poteſt, quin ejuſdem omnino ſint proſapiæ. Id certo ſcio, Phænomena practica omnia, quæ curationem reſpiciebant, eadem plane fuiſſe in utroque morbo, exceptis iſtis, quæ Variolarum eruptio, ejuſque effecta in iſto morbo indicabant, quæ cum nulla eſſent in hac febre, indicari proinde non potuere; quod quidem mihi abunde conſtabat ex accuratiſſimis illis obſervationibus, quas feci, dum utroque morbo laborantes tractarem. Quapropter danda mihi eſt venia, (non quod nova rerum nomina affectem, quæ perinde mihi ſunt inviſa, atque illi cui maxime, ſed ut hanc febrim a cæteris diſtinguam) ut iſtam a ſimilitudine, quam cum hac Variolarum ſpecie habet, *Febrem Variolosam* inſigniam.

Utut vero febris dicta Variolas referebat, nemo tamen ſanus eadem illam methodo debere curari facile ſibi perſuaſerit, cum in his mediantibus abſceſſulis particulæ inflammatæ in habitum corporis amandentur, eliminenturque; in hac febre autem non niſi per ſalivationem ejiciantur: Quia enim in morbi principio manabant *ſudores* profuſi, *Symptomatici* erant, non *Critici*; cum natura non aliam hic evacuationem videretur deſignaſſe, quam *Salivationem*, quam tamen ipſa eadem natura pervertit ut plurimum, vel *Diarrhœa*, quæ ſæpiſſime a radiis inflammatoriis per arterias meſentericas in inteſtina delatis, atque eadem ad excretionem ſolicitantibus, exoritur, (quod etiam in *pleuritide* uſuvenit, aliiſque febribus inflammatoriis, ob ſanguinis, particularumque fervidarum orgaſmum, ut eventilentur, ſatagentium) vel immenſis etiam *ſudoribus*, qui morbum hunc pariter cum Variolis ex naturæ præſcripto ubique comitabantur: quibus cum ſymptomatici eſſent ipſi, *Salivatio*, quæ critica alias erat futura, alio derivabatur; ita ut niſi evacuationem aliam ſuggereret Ars, ad ſeptimanas aliquot perſeveraret morbus, nec aliarum febrium more concoctionem ſubiret.

Sed ut paulo ulterius progrediamur, quo & febris hujus naturam rectius capiamus, & ea pariter ſubſternamus, quibus *Indicationes Curativæ*, tanquam immobili fundamento, ſuperſtrui poſſint, omnino animadvertendum eſt, quod in *Febre* illa, quæ in *Conſtitutione Intermittentibus Epidemica* vigebat, materia, quæ a ſanguine erat ſejungenda, tantæ erat craſſitudinis, ut ſeparari nequiret ſine prævia digeſtione, qua ad debitam evacuationem diſponeretur, (determinato ſc. ad hoc tempore,) idque vel διαπνοῇ paulo pleniori, vel dejectionibus criticis; ita ut id tantum negotii Medico daretur, ſic ſe ad morbi genium accommodare, ne ex una parte in ſymptomata periculoſa aſſurgeret, atque ebulliret, neque ex altera ita parum efferveſceret, ut materiæ inimicæ exterminandæ impar prorſus eſſet, cum febris naturæ inſtrumentum fuerit, ad hujus ſecretionis opus debita opera fabricatum. Quin & in *Peſte* materia aliqua reperiebatur a ſanguine ſegreganda; ſed cum ſubtiliſſimarum fuerit partium & maxime inflammabilium, (ita ut quandoque ubi ſumme exacuerentur, ſanguinem, fulguris inſtar, pervaderent, nec ebullitionem quidem in eodem ciere valerent) ictu oculi per eum trajiciebat, nec niſi in glandula, aut parte aliqua externa ſiſtebatur; ubi irretita carnes circumjacentes primo in inflammationem, poſtea in Apoſtema, pertraxit. Eſt autem *Apoſtema* naturæ machina, qua iſta, quæ carnibus infeſta ſunt, amolitur, ſicut *Febris* ejuſdem eſt machina, ad difflanda ea, quæ ſanguinem male habent. Quo in caſu Medicorum eſt, evacuationem materiæ peſtilentialis, quam per hos abſceſſus natura molitur, prout decet, regere; niſi forte quis magis conſultum eſſe putaverit, aliam aliquam evacuationem ſubſtituere, quæ magis penes illum fuerit, ejuſque arbitrio certius obtemperaverit, quam illa naturæ. Eodem etiam modo procedit natura in expellenda *Variolarum* materia, licet ea ſpecies ſit inflammationis pinguioris ac magis craſſæ, quæ per puſtulas ubique ſparſas ejicitur. *Carbunculorum* loco ac *Bubonum* &c. Atque in hoc etiam caſu indicationes curativæ eo ſunt dirigendæ, ut naturalis per puſtulas evacuatio rite adminiſtretur. Jam vero cum in hoc *Febris inflammatoriæ* genere, de quo nunc agimus, non inveniatur craſſior illa materia, non niſi prævia digeſtione egerenda, ſicut in febre ſuperius deſcripta, incaſſum ebullitioni obſecundamus ad obtinendam hujuſcemodi digeſtionem; quinimo econtra, haud leve eſt periculum, ne huic viæ inſiſtentes, ſtimulos addamus morbo, cujus *eſſe* in inflammatione plus ſatis violenta conſiſtit: atque porro, cum natura nullam huic febri evacuationem per modum eruptionis conſtituerit, quod in febre peſtilentiali & variolis fieri cernimus, (utut rebus aliis poſteriori huic morbo reſpondeat) neceſſario in hoc ſtabit rei ſumma, ut ſedetur *inflammatio* evacuationibus & medicamentis contemperantibus. Hunc mihi proponens ſcopum, hujuſce febris curationem aggreſſus ſum, quæ methodo hac haud difficulter expugnata fuit.

* Ad ægrum accerſitus, mox ſanguinem e brachio educendum curavi, modo nimia debilitas, præſertim vero provectior ætas, non contra indicaret; & venæ ſectionem inſuper alternis diebus ad duas adhuc vices repetendam juſſi, niſi redeuntis ſanitatis ſigna aliter ſuaderent. Diebus interjectis *Enema* e lacte & ſaccharo, vel ſimile injiciendum præcepi; præſcripſi & Julapium ſequens, vel aliud ejuſmodi, frequenter per omnem morbi decurſum aſſumendum; ℞ *Aq. Portul. Lactuc. fl. Paralys. an.* ℥iv. *Syr. de Limon.* ℥j ß. *Syr. Violacei* ℥j. *Cap.* ℥iij. quater vel quinquies in die, & ad libitum; ſerum lactis, aquam hordei, & ſimilia ejus farinæ pro potu ordinario conceſſi; pro victu juſcula etiam hordeacea, avenacea, panatellam, poma cocta, *&c.* juſculis vero e carne pullorum, vel alia quacumque interdixi.

Præ reliquis omnibus edixi, ne ſe in lecto aſſidue contineret, ſed illo abſtineret bonam diei partem, idque quotidie; quando obſervaverim in hac febre, (uti etiam in *Pleuritide*, *Rheumatiſmo*, aliiſque omnibus morbis inflammatoriis, in quibus abigendis venæ ſectio & refrigeratio primas obtinent) medicamenta ſumme refrigerantia, & repetitam ſæpiſſime Phlebotomiam ne hilum prodeſſe, dum interim æger lecto indeſinenter affixus ejus calore torreatur, æſtate præſertim. Quocirca nec ſudores, quibus ſubinde diffluebat æger, ab hac methodo refrigerandi, tum medicamentis exhibitis, tum jugem lecti uſum vetando, me deterrebant: Etſi enim, ſumpta a plerumque juvantibus *Indicatione*, magnum ſibi quis inde emolumentum haud injuria pollicitaretur, refragabatur tamen ubique experientia, qua magiſtra didici, ægrum non modo nihil exinde commodi capere, ſed e contra vehementius incaleſcere; ita ut non raro *Phreneſis*, *Petechiæ*, cæteraque peſſimi ominis ſymptomata mox hujuſcemodi ſudores exciperent, quæ non tam a morbi *malignitate*, quam *ſiniſtro regimine* oriri videbantur.

* *Curatio.*

Si e contra dicatur, jam laudatam febrium curandarum methodum Authorum Theoriæ omnimode adverſari, qui omnes uno ore pronunciant, febrim per διαφόρησιν rectiſſime, ac maxime naturaliter expediri; hæc habeo, quæ pro me militant, præter certiſſimæ ac conſtantis experientiæ teſtimonium mihi in hujus particularis febris curatione nunquam non ſuffragantis. Suppono ante omnia viros doctos, qui ſudorum provocationem ad tollendam febrim efflagitant, eos velle ſudores, qui a prævia digeſtione humoris alicujus in ſanguine ſtabulantis excernuntur, in quo humore elaborando, præparandoque, ut per διαφόρησιν eliminentur, natura certo aliquo ac determinato tempore fuerit occupata. Verum enim vero longe aliter hic ſe res habet; æger enim a primo ſtatim morbi impetu in ſudores uberrimos ſolvitur, qui ſoli morbi hujus pars magna ſunt, & ſi Phænomenis omnino omnibus ſit habenda fides, morbus hicce a nudo potius calore & ſanguinis æſtu, quam ab humore aliquo delitescente, & poſt debitam concoctionem e ſanguine per ſudores expellendo, pendere videtur. Quod ſi demus, hujuſmodi humorem digeſtione maturandum in hac febre pariter, atque in multis aliis reperiri, quorſum attinet, Naturæ (cujus enormiora molimina in ordinem redigere opis eſt noſtræ) plus nimio ſatagenti morem gerere, hujuſmodi ſudores vel Cardiacis provehendo, vel regimine calidiore, cum non minus ſudores reſpiciat, quam dejectiones, tritum illud Axioma, *Cocta, non cruda, ſunt medicanda.*

Stante hac conſtitutione, accerſebar ad virum doctiſſimum D. D. *Morrice* (qui tum temporis *Londini*, jam *Petworthiæ* Medicinam cum laude facit) hac febre cum effuſiſſimis ſudoribus, & frequentibus Petechiis laborantem; Conſentientibus aliis aliquot Medicis, utrique noſtrum familiaribus, vena ſecta fuit, ſurrexit e lecto, abſterſo primum ſudore, medicamentis, & diæta refrigerantibus uſus eſt, præſentiſſimo cum levamine, multis malis atque periculoſis ſymptomatis mox diffiatis, &, cum eidem methodo inſiſteret, intra paucos dies ſanitati reſtitutus eſt.

Sed ad rem: Neque etiam *Diarrhœa*, quæ febrim hanc ſæpiſſime comitabatur, me a dicta methodo vel latum unguem dimovit; quinimo expertus ſum (cum ſcil. ab halitibus inflammatoriis e ſanguinis maſſa per arterias meſentericas in inteſtina excretis, atque eadem vellicantibus, illa naſceretur) nihil huic profluvio ſiſtendo æque conducere atque venæ ſectionem, & ſanguinis contemperationem, *aquæ Hordei*, *ſero lactis*, atque aliis ſupra nominatis procurandam.

Hæc ſane methodus optime mihi ceſſit in hujus morbi curatione, ad quam quidem apta nata præ cæteris mihi videtur. Non quod ego nunquam via longe contraria incedentibus ſpectator interfuerim, adhibitis ſc. Cardiacis, & calido regimine, ægro nihilominus a morbo ſæpe liberato, ita tamen, ut mihi ſemper videretur is non mediocre diſcrimen adiiſſe, nulla id ſuadente neceſſitate. Etenim *Petechiæ*, quæ aliter perpaucæ erant, his modis numeroſiſſimæ ſcatebant; ſitis, quæ ut plurimum vix moleſtabat, jam intenſius urgebat; lingua, quæ alias humida ſolebat eſſe, neque a ſanorum lingua, niſi quod, ut diximus, ſubalberet aliquantiſper, multum abhorrens, ſicca in hoc regimine, arefactaque, quin & nigra ſæpe comparebat. Poſtremo illi ipſi ſudores, quos Cardiacorum uſu extorquere ſatagebant, tandem eorumdem ope penitus interci dere: Exacta enim per corporis habitum nimis larga ſeri copia, ſanguis humori iſtiuſmodi ulterius ſuppeditando par non erat, cumque iſta, qua dilui debuerat, humiditate in ſolidum jam ſpoliaretur, exareſcebat protinus æger; atque in externis partibus conſtringebatur, omnino præter naturæ morem, quem in hac febre obſervare ſolet, donec tandem ſanguis humiditate ab abſumptis mutuata denuo repletus, partim medicamentorum, partim etiam febris vi, ſerum hoc recens ingeſtum, ac cum illo febrim, a finibus ſuis pelleret. Quæ quidem criſis erat coacta nimis, & nimis periculoſa, & (quod adhuc pejus) rarius etiam contingebat.

Jam vero, ut ſupra monuimus, febris hujus ſolutio, ut etiam Variolarum, (quæ ſoror ejus germana merito audiunt) per *Salivationem* non raro fiebat; quæ quidem nunquam non ſalutaris fuit, ita ut eadem liberalius prodente tam maculas revera purpureas, quam Febrim ipſam evaneſcere oculis viderim meis. Oborta itaque *Salivatione*, nulla omnino evacuatio convenit, nec quæ vena pertuſa, nec injecto quæ fit Enemate; cum ab utraque periculum ſit, ne humor alio divertatur. At ſerum lactis, atque alia refrigerandi vi pollentia neceſſariam in *Salivatione* elicienda operam navabant, ut e contra Cardiaca, & quæcumque alia caleſaciebant, materiam inſpiſſando ejuſdem eductioni officiebant.

Superſtite adhuc febre hac, necdum extincta penitus, anno maxime 1668. * *Diarrhœa*, ſine manifeſto aliquo febris indicio, epidemice graſſabatur: Jam enim *Conſtitutio* ad *Dyſentericam* illam accedebat, quæ inſequenti anno invaluit, ut jam proxime dicemus. Hanc nihilominus eandem ego cenſui febrim eſſe cum *Varioloſa* adhuc regnante, forma tantum diverſa, atque alio ſe ſymptomate efferentem. Cum enim mihi conſtaret, rigorem, atque horrorem hanc etiam *Diarrhœam* præcedere ſolere, atque illam inſuper ut plurimum ex eadem προφάσει invadere, ex qua ſolebat iſta, quæ tum depopulabatur, febris, veriſimile mihi eſt viſum, febrem hanc ortum ſuum debere radiis inflammatoriis in inteſtina inverſis, atque eadem ad expulſionem hanc ſolicitantibus; cum interim ſanguinis maſſa, ope hujus diverticuli a malis, quos aliter radii iſti attuliſſent, effectibus integra maneat, atque illæſa, nullo febris viſibiliter ſigno exterius ſe prodente. Ad hæc æger partes cordis ſcrobiculo accumbentes manu premi non tulit (quod quidem ſymptoma, & *Variolis*, & *febri* hujus *Conſtitutionis* accidiſſe jam pridem oſtendimus.) Idem etiam dolor, atque eadem carnium teneritudo ſæpenumero externe in Epigaſtrium protendebatur; nonnunquam etiam inflammatio, quæ in Apoſtemate, atque ægri morte demum terminabatur. Quæ omnia luce clarius indicabant, *Diarrhœam* hanc ejuſdem omnino naturæ fuiſſe atque eſſentiæ cum illa, quæ tum dominabatur, febri. Sententiam hanc meam magis adhuc ratam faciebat felix eventus, quem venæ ſectio, & medicamentorum, diætæ, atque regiminis refrigerantium uſus, quæ in *Febris Varioloſæ* curatione uſurpaſſe nos ſæpe diximus, in ſananda etiam hac *Diarrhœa* perpetim habuere, utpote quæ huic methodo prompte ceſſit: Cum vero alia longe diverſa tractaretur, ſive exhibitis *Rhabarbaro*, aliiſque *Catharticis lenitivis* (ad deturbandos ſcil. mordaces iſtos ſuccos, qui inteſtina ad hujuſmodi excretiones putabantur irritaſſe) ſive etiam aſtringentibus; ex levi, ſua natura,

morbo

* *Diarrhœa.*

morbo in exitialem sæpissime evasit; ut, qui eo anno concinnabantur *Diem obeuntium Indices*, plus satis testantur. Atque hæc dicta sunto de *Morbis Epidemicis*, qui ab hac *Constitutione* pendebant.

SECTIO QUARTA.

CAPUT I.

Constitutio Epidemica partis Anni 1669. atque integrorum 1670. 1671. 1672. Londini.

INeunte *Augusto* * An. 1669. *Cholera Morbus*, immania *Ventris tormina sine Dejectionibus*, uti etiam *Dysenteria*, quæ per decennium jam parcius comparuerat, grassari cœperunt; *Cholera Morbus*, quem nunquam antehac ita fuisse Epidemicum animadverteram, hoc non obstante, eo etiam anno, uti semper, intra *Augusti* cancellos stetit, vix in priores *Septembris* hebdomadas evagatus. Ventris autem *Tormina absque dejectionibus* ad *Autumni* exitum usque perseverabant, & *Dysenterias* comitabantur, quibus etiam latius spargebantur *illa*: Superveniente vero hyeme tormina ista sine dejectionibus penitus disparebant, nec deinceps infestabant per sequentes Annos, quibus vigebat hæc *Constitutio*, qua nihilominus dysenteriæ ἐπιδημικωτάτως sæviebant. Cujus rei hanc ego causam fuisse arbitror, quod scilicet *Constitutio* ista nondum ita perfecte in *Dysentericam* transierat, ut symptomata illa omnia quæ dysentericos affligunt, in singulis valeret producere. Etenim insequente Autumno cum jam redirent tormina, nullo non symptomate Pathognomico stipatus incessit morbus. Inter *Tormina* hæc dejectionibus cassa, & *Dysenterias* jam memoratas quæ ubique populabantur, exoriebatur & novum *Febris* genus, utrique morbo comes, quæ non eos tantum invadebat, qui priorum alterutro laborabant, sed etiam illos, qui ab utroque adhuc immunes perstabant; nisi quod nonnunquam (at rarius id quidem) ventris tormina admodum levia accederent, nunc soluta alvo, nunc vero adstricta; quæcum illam febrem quadantenus referret, quæ morbis præfatis non infrequenter adhærebat, *Febris Dysentericæ* nomine ab aliis distinguenda est, maxime cum, ut mox docebimus, a *Dysenteriæ* genio atque indole in eo tantum recederet, quod *Dejectionibus* istis caruerit, quæ in *Dysenteria* indesinenter molestabant, cæterisque iis effectibus, quæ huic evacuationi necessario debebantur. Appetente jam Brumali frigore *Dysenteria* ad tempus se subduxit; *Febris* autem *Dysenterica* magis grassabatur; *Variolæ* etiam, at mitiores, & fractis admodum viribus quibusdam in locis impetebant.

* Anno vero subsequente vix dum ingresso, ipso nempe *Januario*, succesere *Morbilli*, qui in dies auctiores facti, nullam ferè familiam, nullos saltem infantes intactos sinebant, atque ad *Vernum* usque *Æquinoctium* sensim invalescentes, ab illo tempore iisdem ferme quibus insurrexerant gradibus paulatim referrebant pedem, & *Julio* mense evanuere, non amplius visi per eos annos omnes, quibus dominabatur *Constitutio* hæc, nisi quod proximo anno ea ipsa tempestate, qua in præcedente, eruperant, rari hac illac dissiparentur.

Morbilli isti *Variolarum* generi, mihi hactenus non cognito, viam sternebant, quas, ut a cæteris distinguam, ob Phænomena irregularia inusitataque a me observata (quæ postea in earundem Historia tradentur (a præcedentis *Constitutionis* Variolis longe distantia, *Variolas Anomalas Constitutionis Dysentericæ* compellare lubet. *Variolæ* hæ, licet morbillis longe infrequentiores, non paucos tamen aggrediebantur, donec inchoante mense *Julio*, *Febres Dysentericæ* prævalerent, epidemice incursantes; approximante vero Autumno, *Augusto* scilicet, *Dysentericæ* postliminio revertebantur, atque omnia pervastabant, etiam inclementius quam prægresso anno desævientes. Hyberno tamen frigori terga dederunt, ut prius. Verum enim vero his fugatis *Dysentericæ Febres* & *Variolæ* hyemem omnem funestabant.

At circa initium *Februarii* * Anni insequentis, substitutis *Tertianis Intermittentibus*, uterque morbus rarior prodibat. Dictæ *Intermittentes*, licet non admodum epidemicæ, frequentiores tamen erant, quam quovis alio tempore observasse me memini, a quo sc. expiravit *Constitutio* ista, quam sibi adeo faventem illas habuisse supra notavimus. Atque hæ, pro more *Intermittentium Vernarum* Solstitio æstivo vix præterlapso omnino evanuere. Incipiente mense *Julio*, *Dysentericæ Febres*, quam præcedentibus annis obtinuerant stationem, de novo repetebant; Autumno vero aliquantum provectiore, *Dysenteria* jam tertio regressa est, sed contractior quam anno ultimo elapso, quo ad ἀκμὴν perveniisse videbatur, supervenienti autem Hyemi tertium etiam cessit, *Febre Dysenterica*, & *Variolis* reliquam eam tempestatem iterum contristantibus.

* Cum vero, ut jam monuimus, sub ingressu utriusque anni præcedentis morbus aliquis valde epidemicus invalesceret, *Morbilli* sc. exoriente Anno 1670. *Intermittentes* autem *Tertianæ* Anno 1671. inchoato, quorum prædominio ita intercidebantur *Variolarum* copiæ, ut fines suos, prædictis annis ineuntibus, longe lateque propagare nequirent: Hac, inquam, de causa remoto jam obice, (nempe initio Anni 1672.) cum solæ dominarentur Variolæ, *Epidemice* admodum ex consequenti grassabantur, donec subintrante rursus *Julio*, *Febres Dysentericæ* denuo invaderent, quæ redeuntibus jam quarto *Augusto Dysenteriis* mox facessebant; *Dysenteriæ* vero non pauciores tantum quam prioribus annis fuerant, sed mitiora insuper apportabant symptomata. Porro *Variolis* hinc indeque simul sparsis, haud facile erat dictu, quis morbus præpolleret. Existimo quidem ego, *Constitutionem* aeris ad *Dysenterias* progignendas minus facientem, Variolis eam subministrasse facultatem, qua pari passu procedere valerent; secus atque iis annis quibus *Dysenteriæ*, *Augusto* mense confertim magis trucidabant. *Hyems*, ut solebat, *Dysenterias* ablegavit, sed neque *Febrem*, nec *Variolas:* Variolæ hic etiam pro more suo, exulantibus *Dysenteriis*, rerum denuo potiebantur, & per omnem reliquam brumam regnabant. Quinimo subsequente *Vere*, ut etiam *æstatis* initio huc atque illuc deferebantur, longe tamen mitiores quam pro hoc genere.

Verum enim vero quando assero, *Epidemicorum* alterum ab altero, ut clavum a clavo, pelli, non statim dico, eum qui pellitur ac cedit, morbum insolidum evanescere, at vero rarius invadere. Durante enim hac *Constitutione*, uterque morbus reperiebatur, etiam illa tempestate, qua cum minus ei conveniebat; ex. gr. *Dysenteria*, etsi morbus *Autumno* maxime proprius, unum fortasse aut alium, licet raro admodum, *Vere* incessebat.

Satis itaque evicimus, quod per integram hanc *Constitutionem*, subintrante *Julio* (qui mensis certissima est *Febrium Autumnalium Epocha*, uti *Vernarum Februarius*) *Febres Dysentericæ* grassabantur; Autumno vero jam se propius admovente, *Dysenteriæ* (morbus, si accuratius loqui velimus, vere Autumnalis) iisdem succedebant, quas ab hyeme difflatas excipiebant *Febris Dysenterica* & *Variolæ*; quæ quidem Variolæ non eam tantum hyemem, sed & subsequens etiam ver, nec non æstatem illis conjunctam peragrabant, donec reverso *Julio*, *a Febribus Dysentericis* epidemice prædantibus ejicerentur: Atque hæ rerum erant vices dum vigeret prædicta *Constitutio*.

Observare insuper est, quod sicuti epidemicorum quilibet in subjecto particulari suas habet periodos, *Augmenti* sc. *status*, & *Declinationis*; ita etiam *Constitutio Generalis* quæcunque, quæ huic alterive morbo epidemice producendo favet, pro ratione temporis quo dominatur suas etiam periodos habet, quatenus scil. in dies magis ac magis epidemice grassatur, donec ἀκμὴν attigerit suam, atque exinde iisdem fere gradibus decrescat, donec tandem penitus exoleverit, alteri *Constitutioni* locum cedens. Symptomatum enim quod attinet vehementiam, atrociora sunt omnia ubi primum se ostendit; quæ quidem paulatim mitescunt, & in constitutionis catastrophe tam sunt benigna atque εὐφόρητα, quam patitur morbi natura, in quo fundantur; quod satis demonstrant *Dysenteriæ*, & *Variolæ* hujus *Constitutionis*, ut mox fusius declarabimus. Hujus *Constitutionis* morbos particulariter tractandos aggredior, eo, quem ipsi servarunt, ordine.

CAPUT II.

Cholera Morbus An. 1669.

MOrbus hic, qui, ut antea diximus, Anno 1669. se latius diffuderat, quam alio quovis anno, quantum ego observaveram, eam anni partem, quæ Æstatem fugientem atque Autumnum imminentem complectitur, unice ac eadem prorsus fide, qua veris primordia Hirundines, aut insequentis tempestatis fervorem Cucullus, amare consuevit: Qui ab ingluvie ac crapula nullo temporis discrimine passim excitatur affectus, ratione symptomatum non absimilis, nec eandem curationis methodum respuens, tamen alterius est subsellii. Malum ipsum facile cognoscitur, adsunt enim vomitus enormes, ac pravorum humorum cum maxima difficultate & angustia per alvum dejectio; Ventris ac intestinorum dolor vehemens, inflatio & distentio; Cardialgia, sitis. Pulsus celer, ac frequens, cum æstu & anxietate, non raro etiam parvus & inæqualis, insuper & nausea molestissima, sudor interdum diaphoreticus, crurum & brachiorum contractura, animi deliquium, partium extremarum frigiditas, cum aliis consimilis notæ symptomatibus, quæ astantes magnopere perterrefaciant, atque etiam angusto viginti quatuor horarum spatio ægrum interimant. Est etiam & *Cholera sicca* a spiritu flatuoso supra & infra erumpente, idque sine vomitu, vel secessu; cujus unicum duntaxat exemplum me vidisse memini, ineunte hujus anni Autumno, quo tempore prior illa species mihi creberrime, & facto quasi agmine fece obtulit.

* Sedula mentis applicatione, & multiplici etiam experientia edoctus, quod si hinc acres istos humores, fomitem morbi, catharticis expellere conarer, idem agerem, atque is, qui ignem oleo extinguere satagit, cum cathartici, vel leniissimi operatio omnia magis perturbaret, & novos insuper excitaret tumultus. Et si ex adverso medicamentis Narcoticis aliisque astringentibus in ipso statim limine primum humoris impetum compescerem, dum naturali evacuationi obsisterem, & invitum humorem detinerem, æger, inimico visceribus incluso, bello intestino indubie conficeretur. Has, inquam, ob causas, media mihi via insistendum esse duxi, ut partim scilicet humorem evacuarem, partim etiam diluerem; morbum itaque hac arte mihi a multis retro annis comperta, ac comprobata, toties quoties in ordine coegi.

Pullus tenerior in tribus circiter aquæ fontanæ congiis elixatur, adeo, ut carnis saporem vix perceptibilem liquor referat; hujus decocti (vel defectu ejus, liquoris possetici) capaciores aliquot cyatos æger tepide exhaurire jubetur, eodemque tempore bona ejusdem quantitas pluribus *Enematis* successive injiciendis inservit, donec qua per superiora, qua per inferiora, tandem omne jusculum absumptum, ac denuo rejectum fuerit. Hisce haustibus, pariter ac clysteribus, syruporum *Lactucæ*, *Violarum*, *Portulacæ*, *Nymphææ*, eorumve alicujus, uncia subinde admisceri poterit; quanquam, & citra ejusmodi additamenta, jusculum ipsum per se rem satis commode exequatur. Ita ventriculo insigni liquoris quantitate sæpius onerato, atque, ut sic dicam, subverso, ac reiterata enematum injectione, humores acres vel foras eliminantur, vel retusa acrimonia ad debitam temperiem revocantur. Exantlato hoc eluvionis penso, quod tres, vel quatuor horas sibi vendicat, medicamentum aliquod *Paregoricum* curationi coronidem imponit: Mihi hoc crebro in usu est. ℞. *Aq. Paralyf.* ʒj. *Mirab.* ʒij. *Laudani liquidi gutt.* xvj. cujus loco Narcoticum quodvis officinale succenturiari poterit. Atque hæc quam proposui diluendi humores via multo tutius ac expeditius, quam quæ vel per evacuantia, vel per adstringentia vulgo instituitur, periculosissimo affectui occurrit, quippe cum ab *illis* tumultus concitatior, & ferocior evadat, ac omnia susque deque vertantur; hæc e contra hostem in mediis visceribus detineant, ac ex advena reddant plane inquilinum; ut taceam, protracto in longitudinem morbo præter periculum ex ejusmodi mora, qua in massam sanguinis tandem humores vitiosi irrepunt, atque mali moris febrim facile accedunt, etiam ægris gravissimi mali tædium procreari.

At vero diligenter est animadvertendum, quod si non accesserit Medicus, nisi postquam æger vomitu ac dejectionibus ad horas aliquas multas continuatis, puta 10. vel 12. fuerit exhaustus, & jam frigescant extrema membrorum; hoc, inquam, casu, omissis aliis quibuscunque auxiliis recto cursu ad sacram hujus morbi ancoram, *Lauda-*

* 1669. * 1670. * 1671. * 1672.

* *Curatio.*

danum intelligo, confugiendum eſt, quod non tantum exhibendum eſt urgentibus ſymptomatibus, ſed etiam ceſſantibus vomitu ac diarrhœa mane, & ſero quotidie repetendum, donec priſtinas vires æger, ac ſanitatem tandem receperit.

Hic morbus, quantumlibet epidemicus, rariſſime tamen (quod ſupra dictum eſt) *Auguſti*, quo primum cœpit menſe, terminos exceſſit, ex quo mihi ſubeſt contemplari elegantiſſimum illud ſubtiliſſimumque artificium, quo utitur natura in epidemicorum natalibus atque ortu; licet enim eædem prorſus maneant cauſæ, undè plures ſub finem *Septembris* æque ac menſe præcedente, hoc morbo poſſunt corripi, nimia ſcil. fructuum horariorum ingeſtio; eundem tamen non ſequi videmus effectum. Quiſquis autem *Choleræ morbi legitimi*, quo cum ſolo nobis impræſentiarum res eſt, phænomena ſtudioſe collegerit, fatebitur morbum iſtum, qui quovis alio anni tempore invadit, quamvis ex eadem occaſione prognatum, atque eorundem ſymptomatum nonnullis ſtipatum, ab hoc noſtro toto cælo diſtare, haud aliter ac ſi in aere peculiaris menſis hujus lateat reconditum, ac peculiare quiddam, quod ſpecificam hujuſmodi alterationem ſoli huic morbo adaptatam, vel cruoris, vel ventriculi fermento valeat imprimere.

CAPUT III.

Dyſſenteria partis Anni 1669. *atque integrorum* 1670. 71. 72.

VEntris *tormina ſine dejectionibus* initio *Auguſti* 1669. ut ſupra innuimus, invadere cœperunt, & excurrente eo Autumno, *Dyſſenterias*, quæ cum iiſdem ingrediebantur, æquabant numero, ne dicam exuperabant. Febris nunc iis acceſſit, nunc aberat. Dyſenteriarum per id tempus graſſantium torminibus dicta ventris tormina omnino reſpondebant; atrociſſima nempe hæc erant, & per intervalla cruciabant, nullæ vero ſequebantur dejectiores, vel *Stercoroſæ*, vel *Mucoſæ*. Pari paſſu cum *Dyſſenteriis* per *Autumnum* hunc omnes procedebant, ſed, ut jam docuimus, non cum iiſdem per annos ſequentes hujus *Conſtitutionis* epidemice amplius invadebant. Cum vero tormina hæc ſine dejectionibus neque natura ſua, neque illa, qua promptiſſima ſopiebantur methodo, a *Dyſſenteriis* multum diſſideant, ad has me confero.

Animadverti, morbum hunc uti nunc, ita fere ſemper, *Autumni* initio invadere ſolere, & appropinquanti hyemi pro tempore cedere, cum vero annorum ſeries eidem epidemice producendo nimium faveat, unum alterumve, etiam quovis alio tempore poteſt ferire; quin & circa *Veris* ingreſſum, forte etiam maturius, (ſi nempe aura calidior intemperantiori gelu de repente ſoluto mox ſupervenerit) plures aliquos inceſſere. Unde, perpauci licet fuerint, qui hoc corripiantur morbo, cum tamen id tempore ita alieno contingat (ſatis ſcio illam *Conſtitutionem* haud mediocriter huic morbo ſuffragari.) Atque ita ſe res habuit per eos annos, quibus *Dyſſenteriæ* ita late depopulabantur; quandoque enim circa finem hyemis aut Veris initium, uti dictum, hic morbus hunc illumve vexabat.

Nunc cum rigore horroreque aggreditur hic morbus, quos ſequitur totius corporis calor (ut in febribus ſolemne eſt,) atque hunc brevi poſt ventris tormina; iſta vero dejectiones: Sæpe vero nulla antecedit febris præſenſio, agmen autem ducunt tormina, dejectiones ſubſequuntur. Semper tamen adeſt ingens cruciatus, & inteſtinorum depreſſio cum dolore, quoties exoneratur avus, cum crebris itidem dejectionibus, & moleſtiſſimo viſcerum omnium quaſi deſcenſu. Dejectiones *mucoſæ* ſunt omnes, non *ſtercoroſæ*, niſi quod nonnunquam ſtercoroſa interponitur, idque ſine dolore inſigni. Mucoſis hiſce dejectionibus intertexuntur ſanguinis quædam lineamenta; quandoque tamen ne minimum quidem ſanguinis per omnem morbi decurſum iiſdem admiſcetur; quo non obſtante, modo frequentes ſint dejectiones, cum ventris torminibus, & colluvie mucoſa, morbus haud minus recte *Dyſſenteriæ* vocabitur, quam ſi una manaret ſanguis. Interea temporis æger, ſi vel ætate floreat, vel cardiacorum ope incaleſcat, febricitat, lingua ſubalbida quadam mucilagine denſe obſita, & ſi vehementius fuerit excalefactus, nigra etiam atque ſicca: Proſternuntur admodum vires, diſſipantur ſpiritus, nullum non adeſt febris male moratæ indicium. Non dolores tantum ſummos atque ægritudinem adfert hoc malum, ſed, niſi perite tractetur, ingens etiam in vitæ diſcrimen ægrum perducit: cum enim jam imminutæ caloris vitalis ac ſpirituum copiæ a crebris hiſce dejectionibus ante exhauriantur, quam peccans materia poſſit e ſanguine exturbari, manuum ac pedum frigore ſuperveniente, a morte periclitabitur, etiam intra morborum acutorum periodos oppetenda; quod ſi intentatas *Parcarum* manus hac vice eluſerit, plura tamen diverſi generis ſymptomata miſerum expectant: v. gr. nonnunquam progreſſo morbo, loco filamentorum ſanguineorum, quæ eodem incipiente dejectionibus permiſta conſpici ſolebant, *ſanguis ſincerus*, ne muco quidem intermixto, largiori quantitate ſingulis conatibus egeritur, quod, cum corroſionis majorum aliquot vaſorum quæ inteſtina perreptant, argumentum ſit, ægro interitum minatur. Nonnunquam etiam inteſtina a magno illo incendio, quod excitavit materiæ calidæ atque aeris ad partes læſas affluxus copioſior, *Gangræna* inſanabili afficiumur. *Aphtæ* inſuper exeunte morbo oris interna fauceſque ſæpenumero obſident, in primis ubi corpus diu fuerit excalefactum, & materiæ peccantis evacuatio medicamentis aſtringentibus impedita, non exacto prius per cathartica morbi fomite. Atque hæ quidem mortem imminentem ut plurimum denunciant. Quod ſi prædicta ſymptomata ſuperaverit æger, & morbus in longum trahatur, tandem inteſtina ordine quæque ſuo deorſum verſus affici videntur, donec in *rectum inteſtinum* malum omne detrudatur, & in *Teneſmum* deſinat, quo facto, longe ſecus atque in dyſenteriis dejectione *ſtercoroſæ* vehementiſſimum inteſtinis dolorem inferunt, alvi ſc. fæcibus teneriora adhuc inteſtina inter deſcendendum radentibus; cum dejectiones *Mucoſæ* eo tantum tempore inferiori inteſtino, *Recto* nempe, moleſtias creent, quo materia in eo ſolo conficitur atque inde excernitur. Hic autem morbus licet *Adultis*, maxime *grandævis*, haud raro exitialis, *Infantibus* nihilominus perbenignus reperitur, qui ad menſes aliquot ab eodem quandoque afficiuntur ſine quovis incommodo, modo res naturæ permittatur.

Quantum cum hac, quam deſcripſimus, affinitatem habeat *Endemia* iſta *Hybernorum Dyſenteria*, non ſatis ſcio, cum nondum ea mihi innotuerit; quin & in his, quas incolimus, regionibus quomodo ſe habeat *Dyſenteria*, quam jam depinximus, ſi ad illas referatur quæ aliis annis infeſtabant, mihi pariter incompertum eſt, cum fieri quidem poſſit, ut variæ enaſcantur *Dyſenteriarum* ſpecies, ut ſunt *Variolarum*, & epidemicorum aliorum, diverſis *Conſtitutionibus* propriæ, & quæ proinde medendi methodum in aliquibus diverſam ſibi ſuo jure vendicent. Neque eſt, cur hos naturæ luſus in re tantopere demiremur, cum in confeſſo apud omnes ſit, quod quo profundius in quæcunque naturæ opera penetremus, eo luculentius nobis affulgeat ingens illa varietas, & divinum pene artificium operationum ejus, quæ captum noſtrum longiſſime ſuperant. Adeo ut quiſquis ille fuerit, qui in ſe receperit hæc omnia mente aſſequi, & multifarias naturæ operationes indagare, partim magnis auſis excidit, neque voti per omnia compos reddetur: Convitia interim, (ſi quid judicando valet) pro repertorum, vel utiliſſimorum quam fecit ſemente, certo certius ſibi metenda proponet, idque eam tantum ob cauſam, quod primus invenit.

Porro obſervandum eſt, quod *Epidemici* omnes ubi primum e naturæ ſinu emergunt exiliuntque, quantum ex eorum phænomenis licet conjicere, principio magis ſpirituoſo ac ſubtili videntur inhæreſcere, quam ubi jam magis adoleverint, quoque magis ad occaſum vergunt, eo magis in dies craſſi atque humorales fiunt: Etenim quales quales demum fuerint inimicæ iſtæ particulæ, quas aeri intime permixtas *Conſtitutionem Epidemicam* formare opinabimur, omnino par eſt, ut eaſdem majori agendi potentia per ea tempora pollere exiſtimemus, quibus primum eruperint, quam poſtquam earum vires fuerint refractæ. Ita primis menſibus, quibus graſſabatur *Peſtis*, nullo fere non die ejus contagio afflati, dum in triviis verſarentur, inopinanter extincti ſunt, nihil prorſus mali præſentientes, cum, ubi morbus magis adoleverat, neminem, niſi febre atque aliis ſymptomatibus præcedentibus, unquam proſtravit: Ex quo abunde conficitur, morbum hunc in ipſis incunabulis magis efferatum atque acutum fuiſſe, quam poſt principia, licet pauciores prima acie jugulaverit, acto jam ſc. habebat in humana corpora influxu. In *Dyſenteriis* pariter, de quibus jam agimus, omnia univerſim ſymptomata atrociora ſub primo morbi ingreſſu comparebant, & licet, ſi ad ægrorum numerum reſpexeris, latius in dies malum ſerperet, donec tandem ad ſtatum perveniſſet, in quo ex conſequenti plures interibant, quam ineunte morbo; ſymptomata tamen ſub initio ſæviebant magis quam in *ſtatu*, ac multo adhuc magis quam in *Declinatione*, & cæteris paribus plures pro ægrorum numero Ἐλαβε πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κράτει. Adde quod quo diutius perſeverabat morbus, eo magis humoralis etiam videbatur; v. g. primo quo invaſit autumno, quamplurima nullis omnino dejectionibus moleſtabantur; torminum vero quod ſpectat atrocitatem, febris intenſionem, ſubitam virium proſtrationem, aliaque ſymptomata, inſequentium annorum dyſenterias longo intervallo poſt ſe reliquit. Quinimo dyſenteriæ cum dejectionibus, quæ primæ inceſſebant, principio magis ſpirituoſo ac ſubtili videbantur inhærere, quam quæ illas ſequebantur. Etenim in primis dyſenteriis, & conatus & ad deſidendum irritatio majores erant, tum etiam frequentiores; ipſæ vero dejectiones, ſtercoroſæ præſertim, & minores, & magis inſoleutes: Quibus autem gradibus morbus in genere ſe promovit, iiſdem etiam imminuebantur tormina. Dejectiones vero magis ſtercoroſæ erant, donec tandem ſatiſcente *Epidemica* hac *Conſtitutione* tormina vix perciperentur, dejectioneſque *ſtercoroſæ* magis eſſent, quam *mucoſæ*.

* Ut ad curativas indicationes tandem procedamus, cum variæ quæ huic morbo accidunt ſymptomata diligenter ac mature mecum penſitaſſem, *Febrem* eam eſſe (ſui ſcil. generis) in inteſtina introverſam deprehendi, cujus ope humores calidi atque acres in maſſa ſanguinea contenti atque eandem exagitantes, per arterias meſaraicas in dictas partes deponuntur: unde a vehementiori ſanguinis atque horum eo contendentium impetu patefactis vaſorum orificiis, ſanguis per ſedem effunditur. Interea temporis importuno inteſtinorum niſu, quæ omnem adhibent operam, ut humores acres continuo infeſtantes expellant, mucus iſte quo naturaliter obducuntur, ſingulis ſedibus, nunc parcius, nunc copioſius, una egeritur. Proinde ultro ſe *Indicationes* offerre videbantur, neque mihi aliud quippiam incumbere exiſtimavi, quam ut primum acres iſtos humores ſecta vena immediate revellerem, quo facto inſuper reliquam maſſam contemperarem, tum etiam dictos humores per cathartica ſubducerem.

Hac itaque methodo ſum uſus; Quo primum accerſebar die, venam cubiti tundendam ſuaſi, eadem nocte, & *Paregoricum* propinavi, & ſequenti aurora potionem hanc catharticam lenitivam, mihi familiarem. ℞. *Tamarid.* ℥ß. *fol. Sennæ* ℥ij. *Rhei* ℥jß. *Coq. ſ. q. Aquæ, Colaturæ* ℥iij. *diſſolve Mann. & Syr. Roſ. ſolut. an.* ℥j. *m. f.* Potio ſumenda ſummo mane. Hanc ego potionem electuario cuilibet cuithei pauca quantitate parato, ſoleo præponere; licet enim *Rhabarbarum* choleræ atque acrioribus quibuſque humoribus evacuandis ſit dicatum; attamen niſi *Mannæ* aliquid, aut *Syrupi Roſacei*, vel aliud ejuſmodi, ea quantitate admiſceatur, ut ad pleniorem catharſin aſſurgat, in dyſenteriis *curandis* non admodum condùcit. Quandoquidem vero ſatis eſt obvium medicamenta cathartica etiam leniſſima, & tantum Ἐκκοπρωτικὰ, ventris tormina intendere, ſpirituum etiam dejectionem, atque ἀταξίαν univerſalem ægro inferre, adventitio nempe illo tumultu, quo ſanguinem ac humores commovent inter operandum: eapropter ſolemne mihi eſt *Paregoricum* temporius aliquanto ſubjicere quam poſt cathartica conſuevimus, hora ſc. pomeridiana quacumque, modo catharticum ſuo defunctum munere videatur; quo ſcil. quem concitavi motum denuo ſufflaminare valeam. Deinceps ad duas adhuc vices dictum catharticum præſcribo, alternis ſcil. diebus hauriendum; paregoricum etiam poſt ſingulas purgationes, quo ſupra monuimus tempore. Hoc inſuper diebus a purgatione vacuis tam mane, quam ſero exhibendum curo, quo ſc. ſymptomatum ferociam debellem, atque inducias impetrem, dum cum humore peccante exterminando mihi res eſt. *Anodyno* autem utebar maxime *Laudano liquido*, guttis nempe 16. vel 18. in aqua qualibet cardiaca, pro doſi una.

Poſt venæ ſectionem, & catharſin ſemel celebratam per totum morbi decurſum cardiacum quodvis e temperatioribus, et *aq. epidem. aq. ſcord. comp.* & his ſimilibus ſubinde deguſtandum conceſſi. *Ex. gr.* ℞. *aq. ceraſor. nigr. & fragor. an.* ℥iij. *aq. epide. ſcordii comp. & cin-*

* *Curatio.*

& cinnamomi hordeat. an. ℥j. *margarit. præparat.* ℥j ʃʃ. *Sacchari Cryſtallini q. ſ. adde aq. roſarum Damaſc.* ℥ ʃʃ. (ad guſtum ſc. gratiorem) *miſ. de quo cap. coch.* iv. *vel* v. *in languoribus, vel ad libitum.* Hæc autem in primis in ſenioribus ac phlegmaticis uſurpavi, quo nempe ſpiritus magna dejectionum vi, quod in hoc morbo uſu venit, proſtratos erigerem quadantenus, & reſarcirem : Potus erat lac coctum cum aquæ triplo; aut *Decoctum album* (quod appellant) *ex* C. C. *& micæ panis albiſs. an.* ℥ij. *coctis in aq. font.* ℔iij, *ad* ℔ij. *& poſtea ſ. q. ſacchari albiſs. edulcoratum:* aliquando etiam lac cerevifiatum; vel, ubi dejectio virium id poſtulaverit, *Aq. font.* ℔ij. *cum Vini Canarini* ℔ ʃʃ. *ſimul coctæ* pro potu ordinario frigide aſſumebantur. Panatella item nonnunquam veſcebatur, nonnunquam juſculo e carnibus ovinis macilentioribus. Grandæviores lectulo magis addixi; Aquam item cardiacam illis familiarem liberalius indulſi quam infantibus aut junioribus par erat. Laudata methodus omnibus, qui mihi hactenus innotuere, in hoc morbo vincendo facile palmam præripuit, qui perraro ultra tertiam purgationem duravit.

Quod ſi morbus præfractior his non cederet, dictum *Paregoricum* ægro exhibui ſingulis diebus mane, & hora ſomni, donec omnino convaleſceret; immo quo certius adhuc hic affectus debellari potuerat, Laudanum prædictum octava quaque hora *i. e.* ter ſpatio diei naturalis, propinare non dubitavi, idque in majore doſi quam ſupra recenſui, nempe ad gutt. xxv. ſi prior doſis fluxui cohibendo haud par fuerat. Inſuper *Enema ex lactis vacc. libra dimidia, & Theric. Androm. ſeſquiuncia* ſing. diebus injiciendum curavi, quod quidem in quibuſcunque alvi dejectionibus mire confert. Nec vel minimum quidem incommodi a tam frequenti medicamenti Narcotici repetitione mihi adhuc videre contigit (quantamlibet noxam inde ſecuturam comminiſcantur inexperti) licet plures noverim qui in morbo contumaciori idem ad ſeptimanas aliquot continuas quotidie uſurpaverint. Hic autem admonendum, quod cum alvi fluxus ad *Diarrhœam* tantum aſſurgat, ſatis erit ut (phlebotomia ac catharſi fortiori omiſſa,) *Rhabarbarum* ſolum ſingulis matutinis exhibeatur, nempe ejuſdem *pulv.* ℥. ʃʃ. (plus minus pro ægri virium ratione) *in Bolum ſ. q. Diaſcordii concinnata, addendo ol. Chym. cinnamomi gutt.* ii. noctibus autem inſequentibus *Paregoricum ex aq. Cynnamomi hordeatæ* ℥j. *& laudan. liquid. gutt.* xiv. Diætam interim obſervando qualem in curatione dyſenteriæ ſupra deſcripſi, atque etiam ſingulis diebus, ſi opus fuerit, clyſterem injiciendo ibidem laudanum. Sed hoc obiter.

Ut unica inſtantia (neque enim pluribus convaleſcentium exemplis, nulla cogente neceſſitate, lectori tædium creabo) methodum jam a me propoſitam commendatam faciam; vir pietate atque eruditione inſignis *Th. Belke* S. T. P. & *Comiti Sancti Albani* a Sacris Domeſticis, durante hac conſtitutione *Dyſenteria* acutiſſima laborans, me in ſubſidium accito, ipſiſſima hac methodo reſtitutus eſt.

Infantes hoc morbo correpti eodem plane modo erant tractandi; ſanguinis tamen extrahendi quantitate, tum etiam medicamentorum, tam Cathartici, quam Anodyni viribus pro annorum ratione imminutis, ita ut v. g. Narcotici guttæ duæ infanti unius anni ſufficerint.

Laudanum Liquidum, quod in quotidiano, ut dictum, uſu mihi erat, hanc ad normam ſimpliciorem præparavi. ℔. *Vini Hiſpanici* ℔j. *Opii* ℥ij. *Croci* ℥j. *pulv. Cinnamomi, & Caryophyllorum an.* ℥j. *infundantur ſimul in B. M. per duos, vel tres dies, donec liquor debitam conſiſtentiam acquirat; Colatura ſervetur pro uſu.* Hanc noſtram præparationem *Laudano* officinarum *ſolido* anteferendam virtutibus quidem non cenſeo, ſed ob formam ſaltem commodiorem, & majorem doſis certitudinem, eidem antepono; cum ſc. vino, aquæ diſtillatæ, aut liquori alii cuicunque inſtillari poſſit. Et profecto non hac mihi tempero, quin gratulabundus animadvertam, Deum Omnipotentem *παντων δωτηρα ἑαων* non aliud remedium, quod vel pluribus malis debellandis par ſit, vel eadem efficacius extirpet, humano generi, in miſeriarum ſolamen, conceſſiſſe, quam ſunt *Opiata*, medicamenta ſc. ab aliqua *Papaverum* ſpecie deſumpta. Et quamlibet ſint nonnulli, qui credulis perſuadere velint, omnem fere Narcoticorum, *Opii* præſertim ipſius, virtutem ab artificioſa ac debita, quam ſoli adhibent, præparatione pendere; qui tamen experientia judice certaverit, & tam ſimplicem ſuccum a natura oblatum, quam ejus præparata cum diligenti obſervatione in uſum frequenter revocaverit, nullum fere diſcrimen intercedere comperiet, & mirandos illos effectus, quos edit, nativæ ipſius plantæ bonitati atque excellentiæ, non vero artificis polydædali ſolertiæ deberi certo ſciet. Quinimo ita neceſſarium eſt in hominis periti manu organum, jam laudatum medicamentum, ut ſine illo manca ſit ac claudicet medicina, qui vero eodem inſtructus fuerit, majora præſtabit, quam quis ab uno remedio facile ſperaverit. Rudis enim ſit oportet, & parum compertam habeat hujus medicamenti vim, qui idem ſopori conciliando, demulcendis doloribus, & diarrhœæ ſiſtendæ applicare tantum novit, cum ad alia plurima, gladii inſtar *Delphici*, accommodari poſſit, & præſtantiſſimum ſit remedium cardiacum, unicum, pene dixerim, quod in rerum natura hactenus eſt repertum.

Hac methodo erant tractandæ *Dyſenteriæ* in genere. Obſervandum eſt autem, quod cum primo quæ ingrediebantur anno, indolis magis ſubtilis, uti dictum, ac ſpirituoſæ eſſent, quam quæ ſequentibus annis infeſtabant, idcirco non ita prompte cathartick parebant medicamentis, atque illis, quæ tam ſanguinem diluebant contemperabantque, quam acres iſtos humores, qui ex eodem in fiſtulam inteſtinalem excernebantur. Quamobrem primo autumno, quo *Tormina ſicca*, & *Dyſenteriæ* invadebant, methodum ſequentem conſtanter ad utrumque morbum abigendum adhibui, eventu ubique ſtipulante; donec appetente frigore eandem etiam anno eodem minus efficacem eſſe ſentirem, atque annis ſequentibus, cum jam magis a ſubtilitate recederet morbus, prorſus inutilem.

Ita vero proceſſi, ſi æger ætate florens febricitaret, cubiti venam tundendam præcepi, atque elapſa hora una aut altera, eundem ingeſto affatim liquore diluendum, ut in *Cholera Morbo*, factitatum; non vero, ut illic, juſculo e carnibus pullorum, aut lacte cerevifiato: at lactis ipſius ſero, quod eadem qua illic copia frigide propinandum, tepide vero inferius injiciendum curavi, nec ſaccharo adjecto, nec alia re quacunque. Tormina, & dejectiones ſanguine permiſtas, rejecto jam quarto enemate ſemper evaneſcere animadvertebam. Hoc labore exantlato, & tranſmiſſo ſero lactis omni (quod duarum trium ve horarum ſpatio fiet, ſi diligenter operam navaverit æger) lectulo protinus eum commiſi, ubi brevi ſponte ſua in madorem ſolvebatur (a ſero lactis ſanguini immixto) quam ad horas 24. continuari, minime provocari jubebam; nihil interim concedens præter lac crudum paulo tepefactum, quo etiam utebatur ſolo ad dies tres vel quatuor poſtquam e lecto ſurrexerat. Si vel ob lectuli, vel lactis uſum nimis præmature intermiſſum, recidivam pateretur æger, eadem veſtigia denuo repetenda erant. Hæc methodus, ſi certa atque expedita fuerit, non ideo a viro quolibet prudente repudiabitur, quod faſtuoſo remediorum apparatu non ſe venditet.

Hujuſmodi *Febrem* ſympromatis, qualia ſupra deſcripſimus, ſtipatam iis in locis, & temporibus reperiri, quibus *Dyſſenteria* epidemice regnat, & methodum hanc quam delineavimus, eidem omnino deberi, teſtimonio viri probi atque eruditi Doctoris *Butler* amplius confirmabitur, qui Nobiliſſimum D. D. *Henricum Hovvard.* a S. Maj. Regia *Britannica* ad *Moroccenſem* in *Africa* Legatum comitabatur; quibus in regionibus, ut mihi ipſe retulit, obſervavit *Dyſſenteriam* per ea tempora, uti ſemper, epidemice graſſari, & *Febrem*, quæ cum illa jungebatur, omnino illi ſimilem quam depinximus; quibus ille medebatur tam in urbe *Tingitana*, quam aliis in locis, ſive *Noſtrates* eſſent ægri, ſive *Mauri*, dicta methodo, felici ſemper exitu. Quam quidem neuter alteri debemus, ſed pari fortuna in eandem diſſitiſſimi incidimus. Profitebatur autem, optime iſtic ſibi ceſſiſſe in illius morbi curatione methodum illam, qua liquoris diluvio ſubmerguntur *Dyſſenteriæ*. Atque exiſtimo ego, omnino par eſſe ut in calidiori iſto climate longe rarius ſucceſſu careat hæc methodus, quam in noſtra *Britannia*.

Primo illo autumno, quo vigebat hæc *Conſtitutio*, *Daniel Coxe* M. D. vir ingenio, & eruditione ornatiſſimus, *Dyſſenteria* acutiſſima laborans, me quem conſuluit ſuadente, ope methodi jam laudatæ, cito, tuto, & jucunde ſanatus eſt; poſt tertium ſc. quartumve enema, dum lecto aſſideret, & tormina, & dejectiones ſanguineæ evanuere: nec qualibet re alia, præter lecti ad dictum ſpatium patientiam, & lacteam diætam, ad ſanitatem redintegrandam opus habuit. Eodem plane modo, & idem poſtea alios quam plurimos hoc malo affectos reſtituit exeunte eo Autumno. Anno autem proximo, illum etiam idem molientem ſpes fefellit.

Jam olim diximus, quod ſæpenumero hic morbus, ſi diutius excurrat, inteſtina ſeriatim omnia deorſum verſus afficiat, donec tandem omnis ejus vis in *Rectum* decumbat cum aſſidua deſidendi cupiditate, qua nihil præter mucoſum quiddam, & ſubcruentum excernitur. Hoc ſi fiat, fruſtra erit, me judice, qui medicari ſataget, vel quavis methodo prædicta, vel clyſteribus abſtergentibus, glutinantibus atque aſtringentibus, quæ pro variis ulceris, ut ſopponitur, temporibus injici ſolent; vel etiam fotu, & infeſſu, ſuffumigiis, ac ſuppoſitoriis dictos ſcopos reſpicientibus. Liquet enim, hoc ab ulcere *Recti* non procedere, ſed ex illo potius, quod *Inteſtina* quibus gradibus vires reſumpſerint, iiſdem etiam materiæ morbificæ reliquias in *Rectum* deturbaverint, quod quidem indeſinenter proritatum ſingulis ſedibus mucoſam illam materiam, qua ex naturæ providentia inteſtina duplicantur, elidit. Corroboranda eſt itaque pars affecta, quo poſſit, aliorum inteſtinorum exemplo, jam ſatiſcentes mali reliquias funditus eliminare. Hoc autem ea ſola præſtabunt, quæ corpori in genere vires adjicere apta nata ſunt. *Topicum* enim, qualecumque id demum fuerit, parti dolenti applicatum, cum alienum quid ſit, contactu moleſto debilitatem magis adferet, quam robur ſubminiſtrabit. Tolerandum itaque eſt ægro, donec diæta analeptica, & liquore aliquo cardiaco, qui palato arridet maxime, pro libitu ingeſto, revocari poſſint vires, quibus redeuntibus pari paſſu ſuaque ſponte proripiet ſe hoc *Teneſmi* ſymptoma.

Accidit etiam nonnunquam, licet raro admodum, ut *Dyſſenteria* ſub initio non rite curata, particulare ſubjectum ad annos aliquot diſcruciet, integra ſanguinis maſſa craſin quaſi dyſſentericam jam indepta, unde acres calidique humores inteſtinis continuo ſuppeditantur, ægro interim ſingula vitæ munia mediocriter bene obeunte. Hujus ſpecimen ſe mihi obtulit non ita pridem in muliere quadam meis ædibus vicina, quæ per tres annos hujus *Conſtitutionis* poſtremos hoc malo continenter exercebatur. Cum remedia quamplurima eſſet experta antequam ad me accederet, venæ ſectionem tantum, miſſis cæteris præſidiis quibuſque, celebrandam cenſui, quam ut ſæpius repeterem, longioribus tamen intervallis, tum ſanguinis color, pleuriticorum ſanguinis æmulus, tum inſigne illud, quod, poſt ſingulas vices magis, ac magis auctum ſentiebat levamen, mihi addebant animos; cujus ope tandem priſtinam ſanitatem conſecuta eſt.

Antequam finiam, hoc eſt notandum, quod tametſi in his annis quibus dyſſenteriæ adeo epidemicæ graſſarentur, evacuationes prius memoratæ prorſus neceſſariæ erant antequam ad uſum Laudani deventum fuiſſet; attamen in *Conſtitutione* quavis huic morbo minus faventi, iſtæ tuto omitti poſſint, ac curatio compendioſiori via, ſolo nempe uſu Laudani, abſolvi, eo quem deſcripſimus modo. Atque hæc de *Dyſſenteriis* dicta ſunto.

CAPUT IV.

Febris Continua partis Anni 1669. *atque integrorum* 1670. 71. 72.

EO ipſo tempore, quo ſæviebat *Dyſſenteria*, & *Febris* quædam illi ſimillima, quæ dyſſentericis accidere ſæpe ſolebat, una exorta eſt, quæ quidem non eos tantum, quos jam ſauciaverit dyſſenteria, ſed ab illa prorſus immunes, (niſi quod ſubinde, at raro, tormina haud quidem atrocia, nunc *cum* dejectionibus, nunc *ſine* illis, paterentur ægri,) pariter inceſſit: Eaſdem enim ubique *προφάσεις* ſeu cauſas manifeſtas, & apparentes habuit, quas *Dyſſenteria*, eadem etiam per omnia ſymptomata, quæ dyſſentericorum febrem comitabantur. Ita ut, ſi evacuationes per alvum dyſſenteria laborantium excipias, & quæ ab iſtis neceſſario pendebant ſymptomata, dicta febris ejuſdem prorſus naturæ cum ipſis dyſſentericis videretur; & deinceps per hujus *Conſtitutionis* decurſum omnem, parem cum illis ſubiit ſymptomatum quorumlibet alterationem, eiſdem ſcilicet differentiis, quoad augmentum, ſtatum, & declinationem, affecta, quibus afficiebantur in genere *Dyſſenteriæ*. Hæc itaque *Febris Dyſſenteriea* mihi audiebat.

Memorata *Febris* nonnunquam, uti dictum, cum alvi torminibus, ſed mitioribus, ingrediebatur (prioribus annis maxime, quibus invaſit) vel iſta ad eam poſt accedebant, ſæpius vero nulla erant. Sudores, qui in febre *Conſtitutionis* prægreſſæ copioſiſſimi erant, ut ſupra notavimus, in hac rari ac pauci, ſed capitis dolor in hac quam in illa ſpecie immanior: Linguæ ægrorum, licet humidæ atque albæ, ut in altera ſpecie, craſſa inſuper pellicula oblinebantur. Rarius hæc per *Ptyaliſmum* ſibi fugam quærebat, quod in alia non erat infrequens. Ad *Aphthas*, cum jam diſceſſum meditaretur, erat propenſior, quam vel prior iſta, vel alia quævis febris ſpecies, quam mihi hactenus contigit videre, huic etenim perquam familiare fuit (uti, & febri etiam illi, quæ dyſſenteriis ſupervenit) cum jam fere deſineret, materiam ſœdam atque acrem e ſanguine in os atque gulam deponere, unde naſcebatur dictum ſymptoma, in iis præſertim, quos contumacior morbus diutius maceraverat, & regimen juſto calidius amplius infirmaret.

Eodem etiam morbo generabantur *Aphthæ* iſtæ, quæ *Dyſſenteriis* pervicacioribus cum febre conjunctis nullo non die accidebant, præſertim ſi præter regimen calidius evacuationes etiam per alvum medicamentis aſtringentibus prius fuerint coercitæ, quam morbi fomes e venis plebotomia, & catharſi exigeretur.

Hæc erant certiſſima hujuſce febris κριτήρια; reliqua ſymptomata variabant quotannis, & pro manifeſtis aeris qualitatibus certis quibuſdam temporibus, & pro dyſſenteriæ in genere progreſſu, tum etiam vario ejuſdem ſtatu. Sed, ut hæc clarius intelligantur, cum hoc præſertim artificio in *Epidemicorum* productione triumphet natura, rem paulo altius repetam. Notandum eſt itaque, quod, licet aeris *qualitates manifeſtæ* non eam vim cuilibet *Conſtitutioni* imprimant, ut cauſæ ſint epidemicorum, qui ad illam proprie referuntur productivæ, (cum a recondita atque inexplicabili ejuſdem conditione fluant iſti,) pro tempore tamen in eos habent poteſtatem, & proinde intromittuntur *Epidemici*, aut etiam excluduntur, prout illis favent qualitates manifeſtæ, vel adverſantur; *Univerſalis* autem *Conſtitutio* eadem prorſus manet, ſive eam promoverint iſtæ, ſive quadantenus retardarint. Unde etiam eſt, quod, cum varii *Epidemici* in eandem incidant *Conſtitutionem*, hic aut ille morbus particularis ea potiſſimum tempeſtate ſe exerat, ad quam ſenſibiles aeris qualitates eundem deſtinaverint, atque alteri demum *Epidemico* locum cedat, quem ſc. diverſæ ſubſequentis temporis qualitates advocarint. Ex quo fit, ut febris *Stationaria*, quæcumque demum illa ſit, quæ ad *Epidemicum* eo anno regnantem attinet, *Julio* menſe potiſſimum ſæviat, cujus initio plures hominum catervas ſimul aggreditur; *Autumno* vero appropinquante, magno illi epidemico, a quo annus inſignitur, rurſus invaleſcenti decedit, & parcius infeſtat, ut quilibet ſemper annus ſatis docet. Excaleſacta enim a prægreſſa æſtate hominum corpora febres, *Conſtitutioni Generali* propriæ quæ ſunt, promptiſſime eo tempore invadunt, appetente vero *Autumno*, quo qui prædominatur *Epidemicus*, faſces reſumit, iſtis omnino recedendum eſt.

Sicuti vero nominatæ *Febres* ſenſibili aeris qualitati acceptum referre debent, quod jam hoc menſe exoriantur; ita etiam ſymptomata varia, a ſua natura, quatenus ab ejuſmodi *Conſtitutione* generali pendent, prorſus aliena; a manifeſtarum qualitatum, quæ in illum incidunt *menſem*, peculio ſumunt mutuo. Hinc eſt, quod quibus annis dictæ febres hoc menſe turmatim ingrediuntur, variis ſymptomatibus novis ſtipantur, præter illa, quæ eis ſunt propria, quatenus ab ejuſmodi *Conſtitutione* generali procreantur, eædem tamen ipſæ maneant, licet apud vulgus ob φαινομένων diverſitatem *Novæ* quotannis *Febres* audiant. Ad pauças vero tantum ſeptimanas perſeverant ſymptomata hæc magis peculiaria, quibus elapſis propria ſolummodo ſymptomata, quæ eis accidunt, quatenus febres ſunt *Stationariæ* talis *Conſtitutionis*, reperiuntur per reliquum annum.

Hoc tum in aliis liquebat febribus, tum magis peculiariter in *Dyſſentericis* menſis *Julii* 71. & 72. in quarum *priore* vehemens ægritudo, & bilis ærugineſa, cum magna in diarrhœam propenſitate ſub morbi finem, continuo obſervabantur. In *poſteriore*, doloris ſenſus in partibus corporis muſculoſis, artubus maxime, ad rheumaticorum fere dolores accedens: Faucium inſuper inflammatio, mitior tamen quam in angina laborantibus. Utraque tamen hæc in eadem *Febre ſpecifica* coibant; & eadem plane medendi ratione utraque profligabantur, differebant autem reſpectu tantum qualitatum ſenſibilium, quibus donabantur tempora illa, in quæ incidebant. Improviſa vero ſubitaneaque harum febrium circa dicti menſis initium eruptio, & nova ad tempus aliquod peculiarium ſymptomatum facies (licet neque ſpecie diſtarent, neque methodo medendi, quam poſtulabant, a febre illa, quæ integrum percurrebat annum.) Hæc, inquam, plus ſatis evincunt, quam ſit difficile certam febris ſpeciem omni tempore e phænomenis elicere, licet eam ſatis recte poſſit dignoſcere, qui ad alios morbos eodem anno ingruentes diligenter attenderit, & propria inſuper febris ſymptomata, quæ ad hunc vel illum *Evacuationis* modum ſpectant, rite obſervaverit. Neque parum facit ad inveſtigandam febris ſpeciem conſideratio, ſive methodi, ſive medicamenti, a quibus eadem minimo cum negotio expugnatur.

Quod ad reliquas ſymptomatum, febres *Stationarias* comitantium, differentias ſpectat, *varia* conſtitutionis *tempora* eæ tantum reſpiciunt, atque eo nomine vel ſunt intenſiora, vel remiſſiora, illa prout intendunt, vel etiam remittuntur, ſymptomata aliorum epidemicorum, ad quos ipſa pertinent.

Sed ut ad rem revertamur, *Febris* hæc, quæ cum *Dyſſenteriis*, ut ſupra dictum eſt, ingreſſa, parem cum iis paſſum tenuit, niſi quod ſe paululum ſubduceret, dum alii horum annorum epidemici prævalerent; perſiſtebat tamen illa, nunc plures, nunc pauciores petens, durante hac *Conſtitutione*.

* Pro hujuſce *Febris Curatione*, cum obſervaſſem, uti prius dictum, phænomena *Febris Dyſſenticorum* quamplurium eadem plane eſſe cum illis, quæ hujus anni *ſolitarias* comitabantur, conſentaneum mihi videbatur ſanatos iri ægros meos, ſi evacuationem illam quadantenus imitarer, quæ natura materiam illam corroſivam atque acrem, quæ & ipſius Dyſſenteriæ, & ſupervenientis febris cauſa *Continens* eſt, ſolet ablegare. Ac proinde eadem ipſa methodo; tum quoad venæ ſectionem, tum repetitas purgationes, febrem hanc aggreſſus ſum, quam in Dyſſenteriæ curatione ſupra fuſius deduximus; niſi quod *Paregorica* purgationibus interjecta non hic juvare, ſed & obeſſe deprehenderim, (ſecus atque in *Dyſſenteria*) cum ab his detineretur materia illa, quæ catharſi eliminari debuerat. Pulticula avenacea, hordeacea, panatella, & ſimilibus ſub primis morbi diebus victitabat æger; potus erat cereviſia tenuis tepefacta. Poſt celebratam vero ſemel iterumve catharſin nulla ſuadebat neceſſitas pullorum carnibus, aut ſimilibus eupeptis ægro interdicere; cum hæc per purgationem medicatio ea indulgeat, quæ non poterant concedi, ſi aliæ viæ inſiſteretur. Tertia ut plurimum purgatio, interpoſito ſemper die, morbum abſolvit; neque tamen perpetuum id fuit, ſed aliæ inſuper nonnunquam inſtituendæ erant. Si febre jam pulſa, fractiores adhuc eſſent ac magis effœtæ ægri vires, atque is tardius convaleſcere (quod *Hyſtericis* frequentiſſime accidebat) *Laudano* in parva doſi exhibito eaſdem reſtaurare, & ſpiritus transfugos ac diſſipatos in deſertas ſtationes revocare conabar: raro autem remedium illud repetebam, neque unquam præſcripſi, niſi biduo triduove a poſtrema catharſi. Nihil vero æque ad renovandas vires refocillandoſque ſpiritus faciebat, atque auræ liberior uſus mox ut febris receſſerit.

Anſam autem ad praxim hanc inſtituendam hinc primum arripui, quod nempe, naſcente ferme *Conſtitutione* hac, dum irrequieto ſolicitoque animo novæ hujus febris naturam volutarem, ad juvenculam mihi vicinam advocabar, febricitantem quidem illam atque acerbiſſimo ſincipitis dolore fere enectam, aliiſque ſymptomatibus, quibus *Febrem Dyſſentericam* onerari jam diximus: Hæc cum a me interrogaretur, & de modo, quo febris primum invadebat, & de ejuſdem duratione, faſſa eſt ſe a *Dyſſenteria*, quæ tum ubique fere graſſabatur, a quatuordecim retro diebus fuiſſe liberatam; cui ſive ſua ſponte diſcedenti, ſive medicamenti ope depulſæ protinus ſucceſſit dicta febris cum dolore capitis. Quibus ego me rectiſſime occurrere poſſe conjectabam, ſi *Dyſſenteriæ* loco aliam evacuationem ſubſtituerem, ejus ſimillimam, qua præcluſa febris oborta eſt; ac proinde methodo ſupra laudata eandem reſtitui; Atque huic quidem ſe promptiſſime debebant hujus *Conſtitutionis* febres. Semper enim rebar, non ſufficere ad comprobandam in *Acutis* medendi rationem, ut feliciter ea cederet, (cum ab imperitiſſimarum muliercularum temeritate ſanentur nonnulli) ſed requiri adhuc, ut morbus nullo negotio victus quaſi ſuopte genio cedat, atque abitum affectet, quantum ejus fert natura. Sed hæc obiter.

Ineunte *Junio* 1672. Vir nobiliſſimus, ac prudentiſſimus Dominus Comes *Salisburienſis* hac febre laborans cum torminibus (alvo tamen non ſoluta) accerſiri me juſſit, & methodo propoſita ſanitati redditus eſt. Neque alia mihi ulla re fuit opus, dum hæc ſtaret febris.

In adoleſcentibus, aliquando & in paulo provectioribus, febris hæc caput nonnunquam petebat, unde delirabant, non quidem ut in aliis febribus phreneticorum more, ſed quaſi ſtupore, ad *Carum* proxime accidente, perculſi. Hoc illis præ cæteris accidebat, qui ſub morbi principio in ſudoribus quoquo modo extorquendis operam inauſpicato collocarant. Non id mihi contingebat felicitatis, ut his ſublevandis par tunc temporis eſſem, licet nullum non moverem lapidem, nullumque non e remediis hactenus notis in ſuppetias advocarem. Atque hæc de febre hujus *Conſtitutionis* poſſint ſufficere.

CAPUT V.

Morbilli Anni 1670.

SUb initio *Januarii* 1670. (ita ut ſolent) præmature *Morbilli* ſunt ingreſſi, atque indies magis invaleſcebant, donec inſtante *Verno Æquinoctio* ἀκμὴν adepti, exinde iiſdem gradibus imminuti tandem *Julio* ſequenti penitus extinguerentur. Horum jam ego hiſtoriam (cum omnium, quos hactenus vidi, in ſuo genere perfectiſſimi illi mihi videantur,) certam atque exquiſitam, quatenus mihi tum obſervare licuit, literis conſignabo.

Ortum habet hic morbus, atque occaſum temporibus ſupra notatis. *Infantes* plerumque aggreditur, omneſque adeo ex illis, iiſdem mœniis concluſos. A rigore atque horrore, caloriſque, & frigoris, quæ ſe mutuo *primo* die expellunt, inæqualitate tragœdiam orditur; tandem affulgente *ſecundo* die in febrim conſummatam deſinit, vehementi ægritudine, ſiti, inappetentia, lingua alba, (non vero ſicca) tuſſicula, capitis atque oculorum gravedine, & ſomnolentia perpetua ſtipatam. Plerumque etiam e naribus atque oculis ſtillat humor; atque hujuſmodi lacrymarum in oculos effuſio certiſſimum eſt ſignum morbillorum ingruentium. Cui & hoc addendum haud minus certum, quod etſi in facie, exanthematum ſpecie, hic affectus ut plurimum ſe prodit, in pectore tamen non tam exantemata quam maculæ latæ, & rubræ ſuperficiem cutis non ſuperantes, conſpiciuntur, ſternutat æger tanquam a ſuſcepto frigore, intumeſcunt palpebræ (paulo ſc. ante eruptionem) vomit, ſæpius tamen laborat *Diarrhœa* cum dejectionibus coloris ſubviridis. Dentientibus autem maxime id convenit. Infantes etiam per hunc morbum ſolito ſunt moroſiores. Ingraveſcunt ut plurimum ſymptomata ad *quartum* uſque diem, quo tempore plerumque (licet ad diem *quintum* aliquando differantur) circa frontem, & reliquam faciem maculæ parvæ rubræ, pulicum morſibus perſimiles, prodire incipiunt, quæ tam numero, quam magnitudine auctæ, racematim coaleſcunt, & faciem maculis rubris majuſculis variæ figuræ, interſtinguunt. Quæ quidem maculæ rubræ e parvulis quibuſdam papulis rubris haud longe ab invicem diſſitis, ſupra cutis ſuperficiem paululum elevatis, conflantur, quarum protuberantia, digito leviter admoto, tactu poteſt deprehendi, licet oculorum longius remotorum aciem fere effugiat. A facie, quam primo ſolam occupant, ſenſim ad pectus ventremque, crura deinde ac tibias ſe diffundunt hæ maculæ, licet truncum atque artus rubore inficiant tantum, nulla eminentia ſenſibilis cutis æquabilitatem tranſgreſſæ. Eruptione *Morbillorum* non perinde deliniuntur ſymptomata, atque *Variolarum*; Vomitum tamen poſt eruptionem nunquam obſervavi; tuſſicula nihilominus, febriſque intenduntur, cum ſpirandi difficultate, oculorum debilitate defluxioneque in eoſdem decumbente, ſomnolentia perpetua, atque inappetentia, uti prius adhuc perſeverantibus. Die *ſexto* aut circiter, frons, & facies aſpereſcunt, emorientibus puſtulis, ruptaque cuticula, & per id temporis maculæ per reliquum corpus, & latiſſimæ ſunt, & maxime rubeſcunt. *Octavo* circiter die maculæ in facie evaneſcunt, & vix in reliquo corpore cernuntur, *nono* vero nullæ ſunt prorſus, facie atque artubus, quandoque, & toto corpore quaſi fa-

* *Curatio.*

ſi farina conſperſis, particulis ſcilicet diſruptæ cuticulæ paulum elevatis, & vix cohærentibus, quæ morbo jam abituriente in fruſta diſtrahitur, & poſtea a toto corpore ſquamularum forma decidit. Evaneſcunt itaque *Morbilli* die fere *octavo*, quo tempore vulgus (a ſpatio quo perdurare ſolent Variolæ, deceptum) eoſdem introverti affirmat, licet revera illi curſum a natura deſtinatum abſolverint, & ſymptomata quæ iiſdem recedentibus ſuperveniunt ex eo nata autumat, quod juſto citius ſe intro *Morbilli* receperunt. Obſervare enim eſt, febrim atque ſpirandi difficultatem tunc temporis augeri, importunius urgere tuſſiculam, ita ut nec interdiu, nec etiam noctu fere ſomnus poſſit obrepere. Infantes præſertim ſub regimine calidiori, aut, qui calidioribus uſi ſunt medicamentis ad promovendam morbillorum eruptionem, huic malo ſunt obnoxii, quod morbillis jam faceſſentibus ſe oſtendit, unde in *Peripneumoniam* conjiciuntur, quæ plures jugulat, quam aut Variolæ ipſæ, aut ſymptoma quodcunque ad eum ſpectans morbum, licet omni prorſus periculo vacent *Morbilli*, ſi modo perite tractentur. His etiam non raro accidit *Diarrhœa*, quæ vel morbum ſtatim excipit, vel etiam ad plures ſeptimanas excurrit poſt morbi, omniumque ejus ſymptomatum fugam; haud ſine magno ægri diſcrimine, in quo abhinc orta ſpirituum profuſione continua, verſatur. Aliquando etiam poſt regimen intenſe calidum exanthemata liveſcunt primo, mox nigreſcunt; id vero *Adultis* tantum contingit, de quibus conclamatum eſt, ubi primum nigredo iſta conſpicitur, niſi phlebotomia, & temperatioris regiminis refrigerio iis actutum ſubveniatur.

* *Morbillis* ut natura, ita & medendi, quam ſibi poſcit hic morbus ratione, cum *Variolis* ſatis convenit: Medicamenta, & regimen calidiora periculi pleniſſima ſunt, utut frequenter in uſum revocentur ab ignaris ægrorum curatricibus, eo animo ut morbus a corde procul ſubmoveatur. Feliciter præ aliis mihi ceſſit methodus illa, qua æger ad dies binos ſolum ternoſve ab eruptione lecto adſtringebatur, quo ſanguis leniter pro morbi genio particulas inflammatas facile ſeparabiles, a quibus offendebatur, per cutis ſpiracula diffla-ret, nec lodicibus, nec igne, præter modum, quem ſanus tenebat, adjectis: A carnibus quibuſcumque arcebam, juſcula avenacea, hordeacea, & ſimilia, nonnumquam, & pomum coctum concedebam; Potus, vel erat cereviſia tenuis, vel lac cum aquæ triplo coctum. Tuſſim, quæ huic morbo fere aſſidua eſt, decocto aliquo pectorali ſubinde hauſto delinitam volui; uti etiam eclegmate aliquo eundem ſcopum artingente. At præ reliquis *Diacodium* omni nocte ab ipſo morbi inſultu per totum ejus decurſum exhibendum curavi. Ex gr. ℞. *Decoct. pectoral.* ℥j ß. *Syr. violac. & capill. Veneris an.* ℥j ß. *miſ. f. Apozema. Cap.* ℥ij. *vel* iv. *ter vel quater in die.* ℞. *ol. amygdal. dulc.* ℥ij. *Syr. violac. & capill. Ven. un.* ℥j. *Sacchari cand. albi q. ſ. miſc. eclegma, de quo ſæpius lambat, præcipue quando tuſſis urget.* ℞. *aq. ceraſor. nigr.* ℥iij. *Syr. de meconio* ℥j. *miſ. f. hauſtus, ſumendus ſing. noctibus.* Si vero infans fuerat æger, minuenda erat tam pectoralium, quam Narcotici doſis, pro ratione ſc. ætatis.

Rariſſime perit qui hoc utitur regimine, nec præter neceſſaria atque inevitabilia morbi ſymptomata, novis inſuper malis atteritur. Tuſſis præ reliquis fatigat; a qua tamen nihil eſt periculi, niſi morbo jam prætergreſſo, cumque adhuc per ſeptimanam unam aut alteram perſiſtat, auræ liberioris uſu, ac remediis pectori dicatis, haud difficulter fugatur; quinimo ſponte ſua, & paulatim decreſcit, & tandem fatiſcit.

Si autem æger a cardiacorum, vel regiminis juſto calidiorum uſu, poſt eorum diſceſſum (quod valde eſt familiare) febre vehementi atque *Dyſpnœa* aliiſque accidentibus, qualia *Peripneumonicos* ſolent affligere, in vitæ diſcrimen adducatur, feliciſſimo ſemper eventu, *vel* tenerrimorum infantum venas in brachio ſecui, educta ea ſanguinis quantitate, quam ætas vireſque indicarent. Quandoque etiam, urgente morbo, phlebotomiam iterare haud ſum veritus. Profecto haud paucos infantes hoc ſtatim ſymptomate enecandos, benedicente ſummo Numine, miſſo ſanguine eripui. Infantibus autem accidit illud poſt *Morbillorum* receſſum, quibus ita eſt exitiale, ut inter præcipuos *Parcarum* miniſtros jure habeatur, plures jugulans, quam vel ipſæ Variolæ; nec dum mihi viſus eſt, qui certa alia methodo eidem potuit occurrere. Quin & *Diarrhœa*, quam *Morbillos* excipere diximus, venæ ſectione pariter ſanatur; cum enim halitibus inflammati ſanguinis in inteſtina ruentibus ortum ſuum debeat (quod etiam in *Pleuritide*, *Peripneumonia*, aliiſque qui ab *inflammatione* creantur, morbis uſuvenit) a quibus illa ad excretionem ſtimulantur, ſola venæ ſectio levamen adferet, a qua tum revelluntur acres iſti humores, tum etiam ſanguis ad debitam redigitur temperiem.

Neque eſt, cur quis miretur me in teneris infantibus venæ ſectionem inſtituendam ſuadere, cum ſanguis, quantum ego hactenus potuerim obſervare, haud minus tuto ex eorum venis, quam ex adultorum extrahatur. Et profecto ita eſt illa neceſſaria, ut nec ſymptomati memorato, nec aliis quibuſdam quæ infantibus accidere ſolent, omiſſa phlebotomia certo mederi valeamus. Exempli gratia, quo pacto puerorum *Dentientium Convulſionibus*, quæ *nono decimoque* menſe ſuperveniunt, (cum gingivarum intumeſcentia doloreque, a quibus comprimuntur nervi atque irritantur, unde etiam paroxyſmi iſti naſcuntur) ſine venæ ſectione opem feremus? Quæ ſola in dicto affectu *ſpecificis* quibuſcumque, *vel* decantatiſſimis, quæ hactenus innotuere, longe eſt anteferenda; quorum nonnulla adventitio calore nocent etiam, & dum occulta aliqua proprietate morbo adverſari creduntur, manifeſto calore eidem militant, atque ægrum ad plures deducunt. Prætereo impræſentiarum ingens illud ſolatium, quod adfert venæ ſectio infantum *Pertuſſi*, (quam noſtrates vocant *Hooping Cough*) in qua remedia quælibet pectori dicata longo poſt ſe linquit intervallo.

Quod de horum ſymptomatum *Morbillis* decedentibus ſupervenientium, curatione jam diximus, nonnunquam etiam eiſdem florentibus poteſt competere, ſi nimirum artificiali, ſi fas eſt dicere, atque adſcititio calori ea debeantur. Hoc anno 1670. famulam Dominæ *Annæ Barington* hoc morbo laborantem, una cum *Febre*, *Dyſpnœa*, *Maculiſque purpureis* corpus omne deturpantibus, aliiſque ſymptomatibus quam plurimis periculoſiſſimis, Medicus inviſebam; cum regimini, & medicamentis, quæ ſatis multa uſurpaverat, calidioribus iſta omnia tribuerem, ſanguinem a brachio extrahendum curavi, & Ptiſanam pectoralem atque refrigerantem ſæpe aſſumendam præſcripſi, quorum ope, & regiminis ſimul temperatioris, & maculæ, atque alia omnia ſymptomata pedetentim evaneſcebant.

Hicce morbus menſe *Januario*, ut dictum eſt, natus ad *Æquinoctium* uſque *Vernum* creſcebat indies, a quo tempore imminuta paulatim vi, ſequenti *Julio* plane deſiit; nec eſt reverſus per omnes annos, quibus hæc *Conſtitutio* dominabatur, niſi quod in ſequenti vere, nonnullibi, licet rarius, ſe oſtenderet. De *Morbillis* hæc dicta ſunto.

* *Curatio.*

CAPUT VI.

Variolæ Anomalæ Annorum 1670. 71. 72.

Morbilli prædicti, (quod jam ſupra innuimus) *Variolarum* ſpeciem ab illa quam prærogaverat *Conſtitutio* præcedens, diverſam introducebant, eodem fere cum illis tempore ingredientem, initio ſcil. *Januarii* 1659. 1670. quæ licet non uſque adeo epidemica atque ipſi Morbilli, eoſdem tamen comitabantur per omne illud tempus quo dominabantur, atque iis etiam fatiſcentibus, per reſiduos hujus Conſtitutionis annos perſeverabant, *Dyſſenteriis* nihilominus primas concedebat, ſub auſpiciis *Autumni* iiſdem faventis atque amiciſſimi, graſſantibus; *Hyeme* vero, *Dyſſenteriis* aliena tempeſtate preſſis, denuo recrudeſcebat hæc, de qua agimus ſpecies. Atque hunc ſervabant ordinem per ſingulos hujus *Conſtitutionis* annos, niſi quod poſtremo quo illa vigebat *Autumno*, Anno ſc. 72. (langueſcente jam iſta *Conſtitutione*, & Dyſſenterias jam exoleſcentes ſegnius promovente) *Variolæ* præter ſolitum hoc quoque tempore graſſabantur, atque ita pares *Diſſenteriis* concurrebant, ut haud facile eſſet dictu, quis morbus plures occuparet; licet quantum ego conjectando valui, prævalere *Dyſſenteria* adhuc videretur. Quin & hæ etiam *Variolæ*, ad exemplum Epidemicorum aliorum quorumlibet, primo ſtatim inſultu atrociores erant, atque indies increbreſcebant, donec ad ſtatum perveniſſent, quem ſemel tranſgreſſæ, tum quoad ſymptomatum vehementiam, tum ægrorum numerum, ſenſim imminuebantur.

Sed ut particularia eorum Phænomena referamus; haud parum præter opinionem mihi primum comparebat hoc *Variolarum* genus, cum animadverterem iſtud quamplurimis Phænomenis inſignioribus ab eo differre quod produxerat *Conſtitutio* præcedens, & in quibus obſervandis me operam ſatis ſedulam olim collocaſſe rebar. Hæc tantum *earum* Phænomena alterius generis Phænomenis diſſidentia, impræſentiarum tractabo, prætermiſſis iis, quæ cum Variolis ita prolixe ſupra deſcriptis habebant communia.

Diſcretum Variolarum genus *his* tantum a genere *Diſcreto communi* alterius *Conſtitutionis*, diſterminabatur. Primo, quod cum in iis, quoties erant *interſtinctæ*, Eruptio diem *quartum* prævertere non ſoleret, hic in *tertium* plerumque incidebat; quod *Confluentibus* ſolemne quidem eſt. Deinde non ad eam magnitudinem, procedente morbo, hic aſſurgebant puſtulæ atque in alio genere; magis autem exaſperabantur in minori mole, & ſub diebus ultimis ubi jam maturuerant *nigræ* frequentius viſebantur. Illud etiam addam, quod nonnunquam, licet rarius, ægrum etiam panciſſimis notatum puſtulis, *Ptyaliſmus*, haud ſecus atque in *Confluentibus*, exerceret. Ex quibus conficitur, *Diſtinctas* hujus *Conſtitutionis* Variolas, ad *Confluentium* naturam propius accedere, atque *Inflammationis* magis intenſæ eſſe participes, quam quæ in *Diſtincto* genere uſuvenire ſolent.

Confluentes vero ab aliis, quas per alios annos ego obſervaveram, *Confluentibus*, in multis, quæ jam recenſebo, diſcrepabant. Nunc *ſecundo*, nunc *tertio* die ſe primum monſtrabant, ſpecie tumoris ſubrubri, atque uniformis, vultum omnem contegentis *Eryſepelate* quidem denſioris, nullo fere viſibili puſtularum diſcrimine; reliquum corpus congeries quædam (ceu panni latiores) ex infinitis propemodum puſtulis rubris efferatis in unam conflatæ variegabant, inter quas ſparſæ, in femoribus præcipue, veſiculæ quædam ſatis conſpicuæ, ambuſtorum ad inſtar, ſero limpidiore diſtentæ eminebant, quod quidem diſrupta ſubinde pellicula copioſe effluebat, ſubjecta carne nigredine & ſphacelo quaſi affecta. Rarius autem occurrebat hoc tam virum ſymptoma, idque primo tantum menſe quo hæc ſpecies regnabat: Quo tempore inter alios ita male mulctatos, ineunte *Januario* 1669. 1670. accerſiri me curavit vir probus, nomine *Collins*, Zythepſa in Parochia S. *Ægidii*, cujus filius adhuc infans veſiculas habuit in femoribus Juglandem nucem exæquantes, ſero limpidiore repletas: quibus diſruptis ſubſtrata caro quaſi mortificata omnino comparebat, atque non ita diu poſt æger fatis conceſſit; quæ & eorum omnium ſors fuit, quos hoc tam funeſto ſymptomate correptos vidi unquam. Die *undecimo* circiter, pellicula alba reſplendens tumori ſubrubro, variis faciei partibus, & paulatim vultui omni obducta eſt. Pellicula hæc alba brevi poſt materiam quandam cruſtoſam ſplendeſcentem eructabat, calore quidem neque flavo, neque fuſco, (qui duo in aliis Variolarum ſpeciebus reperiuntur) ſed rubro ſaturato, concretum ſanguinem imitante, qui matureſcente poſtula ad nigrorem indies magis accedebat, donec tandem facies integra nigredine, fuliginis omnino æmula, tingeretur; Cumque in alia Variolarum *Confluentium* ſpecie dies *undecimus* in maximum vitæ diſcrimen ægros adduceret, & pleriſque emorientium ſupremus eſſet; in hac ſpecie æger niſi regimine immoderate calido oppreſſus mortis rifrigerium maturius præoccupaſſet *decimum quartum* ut plurimum diem, aliquando etiam *decimum ſeptimum* expectabat, quo demum elapſo, ſalva res erat. Notandum eſt tamen, quod qui lethalibus iſtis veſiculis ac mortificatione, quæ nonnullis primo menſe, quo hæc ſpecies invadebat, accidiſſe memoravimus, Libitinæ deſtinabantur, intra paucos dies ab eruptione interibant.

Et febris, & ſymptomata alia omnia quæ vel præcedebant, vel comitabantur hoc Variolarum genus, graviora erant quam in præcedente, & inflammationis adhuc majoris manifeſta dabant indicia. Ægri ad ſalivationem erant procliviores; Puſtulæ & efferatiores, & mole longe minores; ita ut non facile, ubi primum apparebant, ab *Eryſipelate* quis eas diſcreverit, vel etiam a *Morbillis*, niſi quod hi ex die eruptionis, & aliis ſignis in hiſtoria morbillorum ſupra recenſitis, certo innoteſcant. Puſtulis decidentibus furfures diutius hærebant, fœdioraque ſtigmata inurebant cuti.

Ope-

Operæ pretium eſt & illud adjungere, quod durante hac anni *Conſtitutione*, qua tam epidemice ſæviebant Dyſſenteriæ, *Variolæ* regimine juſto calidiore provocatæ per Dyſſenteriam nonnumquam viam ſibi facerent, quod ne ſemel accidiſſe hactenus quidem animadverteram.

Obſervare autem convenit, *Variolas* haſce non ita diris ſymptomatibus per omnia ſua tempora fuiſſe ſtipatas; poſtquam enim binos exegerant annos, tertio, ſc. 1672. miteſcere cœperunt, & exuto nigro colore, paulatim ad flavum illum, *& favarum* ſimilem, accedebant, qui *Variolis Legitimis* matureſcentibus eſt proprius, ita ut poſtremo hujus *Conſtitutionis* anno, benignæ plane eſſent & boni moris, habita generis ratione. Quo non obſtante, ſatis liquebat illas ad aliam prorſus claſſem relegandas eſſe, ex puſtularum nimirum exiguitate, tam eximia ad ſalivationem diſpoſitione, atque aliis.

Quamlibet ob cauſarum differentiæ cujuslibet ſpecificæ qua immergimur, ignorantiam, impoſſibile fuerit *rationem* harum Variolarum *formalem* comprehendere, quatenus ab illis, quas alia promit *Conſtitutio*, contra diſtinguuntur, mihi tamen liquido conſtabat ex ſingulis Phænomenis *inflammationem* in his, quam in illis longe immaniorem fuiſſe, ac proinde omnem medendi rationem in eo ſtare, ut pluribus adhuc repagulis ſiſteretur effrænata ſanguinis ebullitio. Idem autem maxime efficiebatur (poſt *Hynoptica* dicto modo exhibita) regimine temperato, indulgendo ſc. ægro uſum liberaliorem liquoris alicujus, qui non eam excaleſaceret, ſed potius ferviditſimum illum æſtum (quo hic morbus, puſtulis maxime ad maturitatem jam pervenientibus, miſeros præ ceteris quibuſque morbis fatigat atque exurit) illico commitigaret. *Decoctum Album* dictum, ex *pane ſc. & C. C. C.* exigua quantitate in multa aqua factum, & ſaccharo dulcoratum hic juvabat; ad Hydrogala e tribus aquæ partibus & lactis una ſimul coctis, & ægri palato & votis magis ut plurimum, refrigerando reſpondit; nec eo tantum profecit ingeſti liquoris copia, quo inſignem calorem, cum *Maturationis* febre præcipue vigentem, reſtingueret, ſed quatenus Ptyaliſmum etiam promoveret, atque eundem diutius protraheret, quam poterat fieri, ſi æger nimio æſtuaret calore. Præter hæc omnia; ſæpenumero ita bene ceſſiſſe liquores hoſce affatim hauſtos obſervavi, ut eorum uſu *Variolæ*, quæ cum peſſimis *Confluentiæ* ſignis exibant, progrediente morbo *Diſtinctæ* ſint factæ, puſtulæ quæ matureſcentes rubram primum, mox nigram materiam aliter evomuiſſent, flaviſſimæ comparerent; pro efferatis inſuper atque minutulis, *benigni* atque optimi moris haberentur.

Neque etiam *Fluxus Menſium*, qui fœminis hoc morbo laborantibus haud infrequens accidit, liberalem horum liquorum uſum quicquam prohibet; imo vero & ſuadet, ſi tempore non ſolito iſti fluant. Etenim non jam alia de cauſa periclitantur fœminæ, niſi quod ſanguis ab immodico morbi calore plus juſto attenuatus, qua data porta ruat, naturæ ductus ſequens; præſertim ubi noxia Curatricum temeritas, regimine calidiori, & *Decocto C. C. cum floribus Calendulæ, &c.* adhibitis, oleum igni affuderit. Quicquid autem ſanguinem potenter diluit contemperatque, licet non immediate; in quantum tamen ejuſdem fluxum cohibet, tum puſtulis, tum faciei manuumque tumori in ſtatu conſervandis neceſſario conferet: cum ex adverſo remedia calidiora; licet ad hunc ſcopum rectius videantur collimare, cum tamen jugem hunc ſanguinis fluxum promoveant, longiſſime aberrent. Quinimo nec dubium mihi eſt quamplurimas mulieres hoc errore periiſſe, dum ſc. aſſiſtentes, ne puſtulæ ob ſanguinis fluxum conſiderent, veriti, malo huic Cardiacis medicamentis, & regimine adhuc calidiori adhibitis occurrere niterentur, quo facto miſellas certius peſſundederunt; quantumlibet *adſtringentia* varia Cardiacis admiſcentes Hæmorrhagiam ſiſtere, atque puſtularum una tumoriſque debitam elevationem tueri ſategerint.

Haud ita pridem *Dominam* tam virtutibus quam ſtirpe prænobilem, *Variolis* nigris & mali moris laborantem, tractavi. Quamvis autem ab initio iis omnibus illi interdixeram, a quibus ſanguis exagitari poterat, cum tamen temperamento eſſet admodum ſanguineo, viridi juventa vegetaque, fervida etiam anni tempeſtas accederet, derepente, tertio ſcilicet die ab eruptione, ita largo *Menſium profluvio*, tempore illis non debito, correpta eſt, ut aſtantes mulieres eam jam abortiviſſe ſuſpicarentur. Licet hoc ſymptoma ad dies multos importune urgeret, non tamen idcirco exiſtimavi lactis & aquæ uſum a me præſcriptorum, intermitti debere: quid quod magis jam neceſſarium illum eſſe, & liberalius adhuc indulgendum cenſuerim? quod etiam per omnem morbi decurſum factitavimus, præſertim cum appeteret *Febris Maturatio*. Quo quidem tempore Medicus Doctiſſimus, Candidiſſimuſque, Dominus *Do. Millington*, ejuſdem mecum olim *Collegii Socius*, jam amiciſſimus, ad ſociam operam invitabatur; qui cum omnia ſatis bene reſpondere, pro hujus morbi genio animadverteret, mihi lubens aſſenſit, ut pergeret ægra dictos liquores affatim haurire, quos ipſa ſibi gratiſſimos, & tam ad ſalivam facere, quam ad refrigerium & refectionem ſæpe affirmabat. Cum vero jam indurari facies cœperit, & cruſta obduci, ab halitibus putridis a materia purulenta, quæ in hoc peſſimo *Variolarum* genere male olebat, intromittendis ægræ noſtræ metuentes, vini Canarini ſemicocti cochlearia paucula, ſemel in die aſſumenda, vel quoties in ventriculo ægritudinem aliquam perſentiſceret, conceſſimus. Pauculis hiſce, niſi quod hauſtulum etiam *Paregoricum* hora ſomni quotidie imperavimus, convaluit; neque delirio neque alio quovis ſymptomate, præter dictam Hæmorrhagiam, grave aliquod periculum minitante. Facies manuſque ſatis intumeſcebat; puſtulæ, quantum tulit morbi ſpecies, ſatis magnæ erant; ſalivatio copioſa & facilis ad metas uſque; poſtremo quantumlibet puſtulæ, quæ faciem obſidebant, cum matureſcerent, nigredinem affectare viderentur, in pleriſque tamen ejus partibus flaveſcebant.

Quibuſcumque vero caloris atque inflammationis gradibus *Variolarum* ſpecies, huic *Conſtitutioni* peculiaris, alias aliarum *Conſtitutionum* ſpecies ſuperaverit, cum tamen *diſcretæ* eſſent puſtulæ, vel ſaltem *paucæ*, docuit experientia, non opus eſſe tanta prædictorum liquorum quantitate ingerenda, ſatis autem fuit, ut æger pro ſitis modo atque imperio cereviſiam tenuem potaret, juſculis avenaceis, panatella, & pomo cocto ſubinde veſceretur, & ſi ex Ephebis exceſſerat, *Paregoricum ex Syrupo de meconio*, cum vel ægrotaret, vel ob nimias vigilias delirare inciperet, aſſumeret. Neque aliud quicquam tentabam (niſi quod ægros lecto addicerem) ubi puſtulæ *raræ* comparebant. Atque hac ſola methodo Chariſſimus mihi filius, *William Sydenham* diſtincto hujuſcemodi Variolarum genere laborans menſe *Decembri* 1670. favente Numine, reſtitutus eſt.

De Variolis hujus *Conſtitutionis* nihil ſuperaddam, cum jam aliam ſpeciem fuſius tractaverim, a quibus hæ in eo tantum diſcrepant, quod naturæ ſc. calidioris fuerint, & magis *inflammatoriæ*; unde ſequitur, diligentiorem adhuc operam fuiſſe navandam, ut reſtingueretur intenſior iſte calor, qui tam iis naturalis erat, & ægro ita certum minitabatur incendium.

CAPUT VII.

Colicæ Biliosæ Ann. 1670. 71. 72.

PEr omnes hujus *Conſtitutionis* annos, cum ſanguis ad humores chlericos fervidoſque in viſcera deponendos propenſior eſſet, *Colica Biliosa* præter ſolitum plures invaſit; qui morbus licet *Cronicis* annumerari debeat, ac proinde extra oleas mihi ſit, cum tamen ab eadem ſanguinis indiſpoſitione penderet hoc tempore, a qua & *Epidemici* plerique qui tum graſſabantur, vel eo nomine hic mihi veniet tractandus, præcipue vero quia animadverti, morbum huncce eadem plane præceſſiſſe ſymptomata febrilia, quæ *Dyſſenteriam* per illa tempora regnantem præcedere ſolebant; atque eundem, etiam aliquando (quod ſupra notavi) *Dyſſenteriam*, quæ poſt diuturnos cruciatus ægro tandem valedixiſſe videretur, fuiſſe inſecutum. Ubi vero *Dyſſenteriam* diutinam non excipiebat, plerumque a febre ordiebatur, quæ per horas aliquot tantum affligens, in hunc morbum ſolebat deſinere. Juvenes ut plurimum temperamento calido ac bilioſo præditos, æſtate præſertim adoritur. Inteſtinorum dolor atrociſſimus eſt, & præ cæteris omnibus, quibuſcum mortalium calamitoſiſſimi committuntur, maxime intolerabilis. Inteſtina nonnunquam quaſi injecta faſcia conſtringit, nunc in punctum contractus quaſi terebello perforat: ſubinde remittitur dolor, mox recrudeſcit paroxyſmus, quem æger præſentiens, vultu miſerabili atque ejulatu ceu præſentem exhorret, & averſatur. Sub initio hujus morbi non ita certo ad unum aliquod punctum determinatus dolor atque in ejuſdem progreſſu; neque tam crebra eſt vomituritio, neque alvus ita pertinaciter *Catharticorum* vim eludit; quo autem magis augetur dolor, eo obſtinatius in puncto figitur; vomituritio ſuccedit frequentior & major alvi adſtrictio; donec tandem ab ineluctabili horum ſymptomatum vi *totalis Periſtaltici inteſtinorum motus inverſio* (niſi maturius quis tulerit ſuppetias) atque *Iliaca paſſio* procurantur; in quo morbo *Cathartica* Medicamenta omnia in *Emetica* ſtatim tranſeunt: Enemata etiam injecta, una cum alvi fæcibus, per omnem inteſtinorum ductum ſurſum lata, vomitu ejiciuntur. Quæ hoc modo excernitur materia, ſincera ſi fuerit atque ἀμιγὴς, viridis aliquando, aliquando etiam flava, aut inſoliti cujuſdam coloris ſpectatur.

Cum ſingula hujus affectus phænomena, eum ab acri aliquo ſive humore ſive halitu, e maſſa ſanguinea in inteſtina excuſſo, naſci aperte doceant, Indicatio curativa primaria mihi hæc eſt, ut ſc. evacuetur dictus humor, tam *Antecedens* in venis, quam *Continens* in viſceribus concluſus; altera vero ab hac, ut Anodynorum uſu & compeſcatur humorum eo tendentium impetus & mitigetur immitiſſimus dolor.

* Sanguinem itaque e brachii venis paulo liberalius educi (ſi nempe id fuerit hactenus intentatum) & poſt horas 3. vel 4. Anodynum exhiberi curo. Poſtero die Catharticum aliquod lenitivum præſcribo, interpoſito die uno repetendum, ad tertiam etiam nonnunquam vicem, prout humoris reliquiæ plures mihi videntur, aut pauciores. Obſervandum eſt autem, quod ſi malum hoc ſive fructibus horariis nimis avide ingeſtis, ſive alii cibo cuicunque δυσπέπτῳ originem ſuam debeat, unde ſc. ſucci pravi corruptique primum in ſanguinem tranſmittebantur, atque ex eodem poſtliminio in viſcera; rebus, inquam, ſic ſtantibus, ventriculus ante omnia eluendus eſt. Lacte cereviſiato affatim hauſto, & per vomitum rejecto, quo exantlato, Anodynum propinandum eſt; ſequenti autem die primum vena ſecanda, & in cæteris eo, quem jam docuimus, ordine procedendum.

At vero cum & doloris vehementia, & vomituritio, ob quam inteſtina ad inverſionem quaſi feruntur, Catharticorum operationi obſiſtant, intendendæ ſunt eorundem vires, neque Leo ſubere excipiendus, fruſtra enim mitius Catharticum exhibueris, niſi forte æger alvo ſit facile ſolubili, quod diligenter inquirendum eſt: Cum enim hujuſmodi medicamen viam ſibi facere per inteſtinorum canales non valeat, æger ab eo læditur magis, dum ſcilicet ab ejuſdem inefficaci agitatione & vomitus & dolor augentur. Potio Cathartica lenitiva ex infuſione *Tamarind. fol. Senn. & Rhei*, in qua diſſolvi poſſunt *Mannæ*, *& Syr. Roſuceus*, Catharticis aliis anteferenda, cum humores minus exagitet & commoveat. Cum tamen ſive ob ægri averſionem medicamenti formæ liquidioris, ſive vomituritionem, in ventriculo retineri vix queat, pilulæ neceſſario in ſubſidium vocandæ; inter quas *Cochiæ* mihi præ cæteris ſemper placuere, utpote certiſſimo pede quam cœperunt viam inſiſtentes, tum in hoc caſu, tum in aliis pleriſque. Ubi vero tanta eſt ſive ventriculi debilitas, ſive etiam vomituratio, ut nec pilulæ poſſint detineri, ibi remedium primo *Anodynum* impero, & paucis horis elapſis *Catharticum*, eo temporis ſpatio interjecto, ut *Catharticum* a *Narcotico* tanto diſtet intervallo, ut ab eo non vincatur & pereat, eas autem in ventriculo moras trahat, quæ ad virtutem purgativam eidem communicandam ſufficiant, ut ſuam demum exerat operationem, ceſſante altero. Licet *Cathartici* modo id poſſit fieri, diu poſt *Anodynum* rectiſſime propinetur, cum etiam ad horas duodecim ab hoc aſſumpto, alvus iſti ægrius reſpondeat, atque nonniſi operoſius ſolvatur.

Cum autem huic uti in aliis pleriſque morbis, in quibus indicantur *Narcotica*, *Catharticum* ſemper dolorem intendat (ſaltem finita jam operatione, qua quidem vigente mitius nonnunquam cum ægro agitur) idcirco ſolemne mihi eſt *Anodynum* ingerere, ubi primum expiravit *Cathartici* ἐνέργεια. Quale quidem mane etiam & ſero quotidie hauriendum impero, ſpatio ſc. omni inter purgationes medio, quo certius dolorem conſopiam, donec Catharſis debite fuerit celebrata.

Peracta *Cathartici* operatione humorum ὀργασμὸν compeſcere (quod jam ſolum reſtat agendum) *Anodyno* mane & veſperi jugiter exhibito, contendo; quod etiam ſæpius aliquando eſt repetendum:

* *Curatio.*

dum: nec unquam mihi contigit, dolores vehementiores sedare posse, nisi dosi largiori & reiterata, quæ enim alteri malo debellando par esset, ab hoc vincitur, violentia doloris remedii vires frangente. Tutissime autem repetuntur *Narcotica* urgente hujusmodi dolore, non item ubi ille desierit. Quamobrem doloris indicium secutus, *Narcoticum* repeto, donec vel cessaverit ille, vel admodum fuerit mitigatus; eo nihilominus interjecto temporis spatio, ut compertum mihi sit, quid a dosi præcedente sperari debeat antequam alteram superaddam. Plerumque vero, nisi ubi summe viget dolor, *Paregoricum* mane & sero exhibitum sufficiet. *Anodynum* mihi familiare *Laudanum* istud *liquidum* est supra descriptum, cujus *guttæ* XVI. in aqua Cardiaca stillatitia solvuntur, vel augetur dosis pro doloris magnitudine.

Simplicissima hæc methodus, qua primum humor peccans venæ sectione & purgatione evacuatur, deinde *Narcoticorum* ope conciliatur quies, semper mihi felicissime cessit præ aliis quæ mihi hactenus innotuere omnibus. Cum *Enemata* Carminantia, eo fine injecta, ut humores acres exterminent, crabrones irritent tantum, & concitato humorum tumultu diuturniorem reddant morbum. Hic autem in primis animadverti volo, quod licet tam Phlebotomiam, quam Catharsin huic sedando morbo necessario esse præmittendam affirmavero, nonnumquam tamen, re ita postulante, ea utraque omissa a *Paregoricis* ordienda tela est. Exempli gratia, ubi ob prægressam ægritudinem aliquam evacuationes copiosiores non ita diu ante *Colicæ* adventum institutæ fuerint; (non raro enim ob viscerum debilitatem; maxime si accedat major caloris gradus a vino, vel spirituoso liquore alio immodice hausto, qui nuper ab alio convaluere morbo in hunc præcipitantur) hoc, inquam, in casu non modo non necessarium, sed & noxium esse censeo, alia insuper adjiciendo Cathartica novos excitare tumultus, atque omnia denuo perturbare, Illud jam taceo, quod in hoc affectu æger ut plurimum, prius quam consulatur Medicus, repetito *Enematum* usu intestina satis proluit; ita ut partim hac de causa, partim ob diuturniorem morbi moram *Narcotica* fere sola in usum videantur revocanda.

Mense *Augusto* 1671. Nobilissimus Dominus Baro *Annesly Colica Biliosa* laborans cum cruciatu intolerabili, & frequenti vomituritione, jam ab aliquot diebus ad Castellum de *Belvoir* accersiri me jussit, nullum non Enematum genus, atque alia insuper remedia a Medicis doctissimis experientissimisque eo locorum degentibus præscripta jam tentaverat. Ego nullis usus ambagibus, repetitum Narcoticorum usum ad normam jam traditam suasi, quorum ope propediem convaluit, & mecum ad urbem sanus rediit.

Quandoquidem autem dolor hic præ ceteris quibusque ex sua natura reciduus sit, omnis ei revertendi ansa *Anodyno* bis quotidie ad aliquot dies exhibito præscindenda est. Quod si, quoties intermittitur Narcoticum, dolor subinde recrudescat, (ut nonnunquam fit) nihil a me hactenus excogitari potuit, quod ad persanandum ægrum ita certo faceret atque *Equitatio*, vel in curru vectio, quo longiora itinera confici debuere, Anodyno interim mane & sero indesinenter propinato. Hujusmodi enim exercitiis materia morbum committens in corporis habitum deducitur, & sanguis perpetua agitatione comminutus de novo quasi depuratur; ipsaque demum intestina caloris nativi excitatione haud parum corroborantur ac refocillantur. Nec pudet fateri, me dicto exercitio in partes adscito morbum hunc, cui alio quovis modo devincendo par non fui, plus semel penitus expulisse. Neque vero illud tentandum est, nisi post evacuationes debitas sufficienter celebratas, neque ab eo nisi post dies aliquando multos desistendum.

Pauper quidam mihi vicinus, qui & adhuc est superstes, *Colica Biliosa* vehementissima per hos annos laboravit, quam *Catharticis*, *Clysteribus*, *Globulisque plumbeis* devoratis expugnare, diu, sed frustra erat conatus: Hic *Ego* ad frequentem Narcoticorum usum confugi, neque pœnitenda opera, quandiu enim ista repeterentur, satis recte habuit, sed cum his palliaretur tantum malum, non extirparetur (revertebatur enim ut primum erat exhausta Narcoticorum vis) Ego hominis misertus, & gravi morbo, & re angusta afflictissimi, equum ex meis commodabam, quo iter dicto jam modo peragendum aggrederetur, eoque ad dies pauculos continuato, viscera eas vires recepere, ut morbi reliquiis excutiendis paria jam essent, & sine Anodynorum præsidio omnino convalesceret.

Et, ut quod res est loquar, non in hoc tantum casu, sed in morbis alis *Chronicis* quampluribus hoc exercitii genus nunquam non cum uberrimo fructu usurpatum memini, modo quis in illo improbius perseveraret. Si enim nobiscum reputemus ventrem inferiorem, in quo disponuntur organa secretoria, hoc maxime exercitio vibrari, eaque succussationibus aliquot mille uno in die exagitari solere, facile credemus, eadem succum quemlibet recrementitium ibi impactum ope dicti exercitii posse excutere, & (quod majoris adhuc momenti) validioris ista caloris nativi excitatione ita corroborari, ut munere, quod iis mandavit natura, in sanguine depurando recte defungantur.

Diætam, si junior fuerit æger & calidioris temperamenti, refrigerantem atque incrassantem impero, puta hordei cremorem, panatellam, *&c.* & tertio quoque die, si latret adhuc stomachus, pullum teneriorem, merulamve piscem coctum; Potum non alium concedo, quam cervisiam tenuem mitemque, vel lac cum aqua coctum, neque ulterius quidquam indulgeo, nisi equitatio ad redintegrandam sanitatem necessaria, pleniorem victum & generosiorem postulet liquorem, quibus rependantur spirituum exercitio exhauriendorum damna.

Quinimo observatione constat, quod ubi hic morbus perite tractatus diutissime fatigaverit, ita ut viscera elanguescerent, atque æger extrema jam macie atque debilitate tantum non esset confectus, in hoc, inquam, casu liberalior sive *Aquæ Epidemicæ*, sive *Mirabilis*, sive alius demum cujuscunque, qua sanus maxime delectabatur, usus, hoc tempore eundem ultra spem omnem juverit; hujus enim ope pauciissimæ istæ caloris nativi spirituumque reliquiæ excitabantur, & fermentum præternaturale visceribus adhærens, & novis paroxysmis fomitem subinde ministrans, a liquoribus magis spirituosis extinguebatur.

Porro ut in morbi curatione, ita etiam & eodem jam depulso, Diæta illa tenuis, de qua diximus, adhuc aliquandiu est observanda. Cum enim morbus hic recidivam præ aliis omnibus affectet, atque insuper sedem sibi delegerit præcipua coctionis instrumenta (*viscera* intelligo, jam ab eodem infirmata) vel leviissimus hujus generis error malum haud leve confestim apportabit. Quocirca tam in hoc, quam in cæteris omnibus viscerum affectibus dici δύσπεπτοι cane pejus & angue sunt vitandi; & qui conceduntur, εὔπεπτοι ea tantum quantitate sumendi, quæ ad vitam sustinendam possint sufficere.

* Fœminarum nonnullas vexat *Affectus Hysterici* species quædam, *Colicam Biliosam* ita ad unguem referens, tam doloris acerbitate, quam situ, tum etiam humoribus coloris flavi viridisque vomitu rejectis, ut mihi obiter tractanda veniat, ne a quopiam pro jam dicto morbo hæc habeatur.

Quæ habitu corporis laxo crudoque sunt mulieres cum hoc malo præ cæteris conflictantur, quæque alio aliquo affectu Hysterico jam pridem laboravere, aut, (quod sæpenumero fieri solet) quæ a partu difficili ac laborioso ob natum infantem grandiusculum, qui vires & naturam maternam nimis exhausit, vix evasere. Regionem ventriculi, nonnunquam & paulo inferiorem, dolor haud mitior quam in passione Colica Iliacave primum obsidet, quem vomitiones sequuntur enormes, nunc viridis materiæ, nunc vero flavæ. His accedit (quod sæpe observavi) major animi dejectio desperatioque, quam in morbo alio quocunque. Post diem unum alterumve facessit dolor, qui post paucas septimanas revertitur, nihilo lenius sæviens quam antequam solveretur Paroxysmus, *Icterum* quandoque satis spectabilem, comitem, sibi adscivit, intra dies pauculos sponte evanescentem. Cessantibus jam symptomatibus omnibus, ubi ægra sibi satis valere videatur, leviissima animi commotio, sive ab ira, sive a dolore ea fuerit excitata (quibus hoc in casu promptissime afficiuntur fœminæ) dolorem fere revocat; quod etiam & de ambulatione, & de alio exercitio quolibet præmature nimis suscepto dicendum est; cum ab hujusmodi causis eleventur vapores in habitu corporis laxo atque imbecilliori. *Vapores* cum vulgo dico, cum sive istiusmodi sint, sive *Convulsiones* particularum partium, utrovis pariter modo solventur φαινόμενα. Hi vapores, sive convulsiones hæ, ubi hanc illamve corporis regionem invaserint, pariunt symptomata, ei, quam invasere, parti accommoda, ac proinde licet unum atque eundem ubique morbum faciant, plerosque tamen quibus miseri cruciantur affabre simulant, quod vel ex hoc liquet affectu, qui cum partes *Colo* adjacentes insederit, *Colicam Biliosam* adamussim imitatur. Neque minus id patet in multis aliis corporis partibus eodem morbo tactis; v. g. nonnunquam *Renum* alterum vehementissimo dolore afficit, unde vomitus immanis; atque etiam per ureteris ductum persæpe delatus, *calculum* simulat, & cum ab Enematis aliisque medicamentis Lithontripticis & calculo exturbando dicatis exasperatur, uno eodemque tenore diutissime affligit subinde etiam (præter morem suum, cum per se omni vacet periculo) ægrum ad plures deducit. Vidi insuper & symptomata ab eodem prognata, quæ *vesicæ calculum* omnino referebant. Non ita diu est, a quo noctu excitabar, ut Comitissæ mihi vicinæ, dolore in vesicæ regione admodum violento & urinæ suppressione derepente correptæ, consulerem; Cum ego illam affectibus Hystericis variis obnoxiam certo scirem, atque ex eo augurarer, non isto eam, quem putabant, laborare morbo, Enemata, quæ parabat ancilla, injici non patiebar, ne ab iis cresceret morbus, at horum loco, atque emollientium, v. g. *Syr. de Althæa*, *&c.* quæ adferebat Pharmacopola, *Narcoticum* exhibui, quod symptoma illud subito compescuit. Neque sane *vel* una aliqua pars corporis ab hujus mali insultibus penitus eximitur, sive interna ea fuerit, sive externa, ut sunt fauces, coxæ, crura, in quibus omnibus dolorem excitat intolerabilem, atque, ubi discesserit, teneritudinem quandam quæ tangi recuset, relinquit, perinde ac si carnes multo verbere fuerint emollitæ.

Quemadmodum autem quædam ad *Colicæ Hystericæ* historiam pertinentia obiter tradidi, ne scil. illa pro *Biliosa* falso haberetur; ita & quædam etiam alia ἐκ παρόδῳ attingam, ad *Symptomatis* doloris, qui eam comitatur, curationem facientia: *Curatio* enim *radicalis*, quæ *morbum* sublata causa tollit, alterius omnino est & speculationis, & loci.

Venæ sectio, & repetitæ purgationes, quæ in *Colica Biliosa* incipiente apertissime indicantur, hic locum non habent nisi in casu infra dicendo. Docet enim experientia, & exasperari dolorem, & invalescere symptomata alia omnia, a tumultu, quem ista cient, adjuta; atque adeo plus semel animadverti, *Enematum*, vel leniissimorum, repetitionem, continua symptomatum seriem invexisse. Experientiæ ratio etiam adstipulabitur, quæ morbum hunc a spirituum potius ἀταξίᾳ atque inordinato motu, quam humorum vitio aliquo produci dictabit, si expendamus nempe circumstantias illas, quibus ut plurimum originem suam debet: Hujusmodi sunt, magnæ atque indebitæ sanguinis profusiones, motus animi uti etiam & corporis violentiores, & alia id genus. Quæ omnia, remedia illa suadent proscribenda, a quibus major spirituum perturbatio possit excitari, atque eorum loco *Anodyna* esse usurpanda, licet *viridis* ac pravus materiæ vomitu rejectæ color contrarium indicare videatur: Subtilior enim est atque minutior colorum speculatio, quam ut evacuationibus, quas ipso facto nocentes deprehendimus, authoritatem conciliare valeat. Nullusque dubito, morbum hunc (qui licet acerbissimum dolorem, nullum tamen vitæ discrimen apportat) ob errores hoc nomine commissos, lethalem sæpenumero evadere. Adde, quod si quis *Emeticum* vel fortissimum hodie propinaverit, ut sc. eam, quam putat, morbi mineram exhauriat, ægra postero die materiam æque viridem aut pravi alterius coloris, atque erat prior illa, evomet.

Observandum est tamen, eam quandoque sanguinis atque humorum copiam reperiri, quæ *Narcotici* operationi eo usque obsistat, ut, quamlibet sæpissime repetatur, orgasmum tamen cohibere nequeat, nisi secta prius ægræ vena, aut alvo subducta; quod in fœminis temperamenti magis sanguinei atque viraginibus mihi subiit notare. Si ita se res habeat, vel Phlebotomia, vel Catharsi, forte etiam utraque, *Anodyno* via aperienda est. Celebrata enim harum utravis, *Narcoticum*, quod prius summa licet dosi exhibitum nihil quicquam profecit, jam etiam in mediocri dosi, effectum obtinebit, cui destinabatur. Raro autem hoc contingit, neque tum reiteranda sunt hæc remedia. Quibus præmissis, ubi opus iis fuerit, in *Anodynis* ea methodo, quam in *Colica Biliosa* proposuimus exhibendis progrediendum est, quæ crebrius parciusve sunt ingerenda pro doloris recedentis ratione. Quæ quidem methodus præsens atque instans vehementissimi doloris *symptoma* tantum respicit; cum non hic loci illam, qua morbi *causæ* occurritur, tractandam in me receperim.

Cum

* *Colica Hysterica*.

Cum veto hic morbus tam in Hypochondriacis, quam Hyſtericis (nam in utroque , ut alio loco dicetur, par eſt ratio) ſæpiſſime in *Icterum* deſinere ſoleat, atque iiſdem paſſibus, quibus hic ingreditur, iſte ſe proripiat; obſervandum occurrit , quod in hac Icteri ſpecie curanda Cathartica omnia, vel omnino omittenda, ve ſi adhibenda fuerint, *Rhabarbaro* ſolum, vel leni quovis medicamento utendum. Etenim metuendum, ne a Catharſi novi tumultus cieantur, ac proinde ſymptomata omnia poſtliminio recurrant. In hoc itaque caſu nihil omnino agendum, cum Icterus huic occaſioni originem debens, ſenſim ſponte ſua faceſſat, ac tandem brevi temporis ſpatio penitus evaneſcat: Sin autem Icterus longas moras nectat, atque non niſi ægre diſcedere videatur, ad Remedia confugiendum. Hoc uti ſoleo, ℞. *Rad. Rub. Tinctor. & Curcamæ an.* ℥j. *Chelidon. maj. cum toto, & ſummitat. Centaur. min. an. M.* i. *coq. in æqualibus partibus vini Rhenani & aquæ font. ad* ℔ij *Colatura diſſolve ſyrup. de quinque Radicibus* ℥ij. *M. ſ. f. Apozema; capiat* ℔ß. calide mane & ſero uſque dum convaluerit. At ubi Icterus per ſe invadit, Colica neutiquam prægreſſa, omnino oportet, ut præter alterantia jam dicta, etiam *Cholagoga, i. e.* quæ per alvum bilem ſubducunt, ægro exhibeantur, nempe ſemel vel bis antequam aggrediatur uſum præſcripti Apozematis, & poſtea ſemel ſingulis ſeptimanis durante ejuſdem uſu. Ut ℞. *Electuar. e ſucco roſar.* ℥ij. *Rhabarb. ſubtiliſſ. pulv.* ℥ß. *Cremor. tartari* ℈j. *cum ſeq. ſyr. Cichor. cum Rheo f. Bolus, Sumat ſummo mane, ſuperbibendo vini Rhenani hauſtulum.* At ſi vel his diu continuatis morbus adhuc obſtiterit, ad *Aquas ferreas*, quales ſunt iſtæ *Tunbrigenſes*, adeundum, quæ ex ipſo fonte bibendæ ſunt ſingulis matutinis dum convaluerit. Atque hæc de morbis hujus *Conſtitutionis*.

SECTIO QUINTA.

CAPUT I.

Conſtitutio Epidemica partis Anni 1673. *atque integrorum* 1674. 1675.

CIrca initium menſis * *Julii* 1673. alia quædam *Febris* ſpecies eſt ingreſſa, *Conſtitutione* vero, necdum ita ad eam unice diſpoſita, ut penitus excluderentur *Conſtitutionis præcedentis* morbi, non admodum fuit Epidemica. Nondum enim deſierat iſta *Variolarum* ſpecies, quæ Anno 1670. primum cœperit invadere, licet jam & rarius occurreret, & mitiora eſſent ſymptomata; ita ut bini hi morbi pari fere paſſu procederent, neuter vero multum graſſaretur: *Priori* conſtitutione nondum ita prorſus evaneſcente, ut nullos proferret morbos veteris proſapiæ, (*Dyſenteriæ* enim perpaucæ adhuc reperiebantur) neque *Nova* ita adhuc confirmata, ut eos produceret, qui alios exterminarent omnes.

Et per Autumnum hunc & Hyemem omnem *Variolæ* pari cum hac *Febre* incedebant paſſu, neutro tamen morbo admodum graſſante, atque interim tantum non extinguebantur *Dyſenteriæ*. *Novembri* autem tum currente, poſt acerrimum gelu ad dies aliquot perdurans, ſuccedente inſperato tempeſtate calidiori, quam ego me per iſtud anni tempus unquam obſervaſſe memini, pauculæ Dyſenteriæ & paulo ante, & circiter Feſtum *Nativitatis Domini* hic illic ſpargebantur: Hæ autem extremum morientis lucernæ conatum referebant, mox enim morbus hicce (iſta ſaltem ejus ſpecies) omnino intercidit.

* Præmature admodum ſequente Anno, menſe ſcil. *Januario*, invadebant *Morbilli*, haud minus Epidemici atque erant iſti, qui eodem ferme tempore Anni 1670. fuerant ingreſſi. Etenim in nullam non fere familiam ſe inſinuabant, infantes præ cæteris omnes adorti. Non autem perinde regulares erant, neque typum ita ad amuſſim ſervabant, atque iſti, qui prædicto anno inſeſtabant. De hac autem illorum ab invicem diſcrepantia plura dicam, ubi de illis agam particularius. Hi magis indies magiſque graſſabantur ad *Æquinoctium* uſque *Vernale*, a quo tempore iiſdem gradibus decreſcebant, donec paulo poſt elapſum *Solſtitium Æſtivum* tandem evaneſcerent.

Sicut autem *Morbilli Epidemici*, qui invadebant initio anni 1670. *Variolas nigras* ibidem deſcriptas introducebant, hi pariter haud minus Epidemici, qui initio hujus anni comparebant, *Variolarum* ſpeciem introduxere iſti perſimilem. Cum enim (quod prius eſt notatum) *Variolæ* præcedentis *Conſtitutionis* poſt priores annos duos puſtulas emitterent minus nigricantes, majores inſuper ſenſim & majores donec ſub finem anni 1673. pro ſpeciei ratione, mites eſſent & benignæ, jam recepta priſtina feritate; & peſſimis ſymptomatibus ſtipatæ revertebantur. Invaluit hæc Variolarum ſpecies Autumno proximo, longius etiam in Hyemem excurrens, quæ, cum ſolitis calidior multo eſſet, morbo favebat; appetente vero tempeſtate frigidiore imminuta eſt, febri jam graſſanti mox locum cedens.

* *Febris* hæc, quæ per annum perſeverarat omnem, initio *Julii* 75 longe lateque depopulata eſt; ſed *Autumno* jam appropinquante in viſcera cœpit converti, nunc *Dyſenteriæ* ſymptomatibus, nunc *Diarrhœa* ſe prodens, licet quandoque neque hanc haberet comitem, neque illam, ſed caput magis tentabat, ſtupidiores reddens ægros. *Variolæ* interea, quæ jam pauculos hinc inde affecerant, ſub *Equinoctium Autumnale* penitus diſparebant, vix unum alterumve jugulantes. Jam enim *Febris* alios vincens Epidemicos, anni prædominio potiebatur. Obſervandum eſt nihilominus, quod cum proclivior eſſet febris hæc materiam morbificam in viſcera deponere, quæ Dyſenteriam quandoque, ſæpius autem Diarrhœam excitabat, ex hac occaſione ventris tormina eam edidiſſe ſtragem vulgo putabantur, quæ febri huic revera fuerat imputanda; licet nemo, qui ægrotos hoc Autumno tractaverit, neſciat, quantum invalnerit hæc febris; ut nec etiam, *Dyſenteriam* dictam & *Diarrhœam* pro *ſymptomatibus* magis quam *morbis* eſſentialibus ac *Primariis* haberi debuiſſe.

Hunc febris iſta curſum tenuit per omnem Autumnum, nunc caput petens, nunc viſcera, ubique ſæviens ſub perſona ſymptomatum iis partibus accidentium, ad finem uſque *Octobris*; Quo tempore, quæ eo uſque tepida atque ad inſtar æſtatis placida fuerat tempeſtas, derepente in frigidam humidamque eſt mutata; unde etiam *Catarrhi & Tuſſes* increbuere magis quam alio ullo, quod memini, tempore. Quod autem maximi erat momenti, tuſſibus hiſce ſupervenire ſolebat *Febris* hujus conſtitutionis *Stationaria*, quæ anſa hinc arrepta & magis graſſabatur, & quædam etiam ſymptomata variabat. Cum enim paulo ante inſultus, ut jam dictum, in præfatas partes plerunque fierent, nunc in pulmones & pleuram præ cæteris detorquebatur, unde ſymptomata naſcebantur *Peripneumonica*, & *Pleuritica*, licet eadem omnino febris eſſet, quæ *Julio* 1673. ingreſſa ſine quavis ſymptomatum alteratione progrediebatur, donec *Catarrhi* iſti accederent.

Hi *Catarrhi* & *Tuſſes* uſque ad exitum *Novembris* perſeverabant, quo elapſo derepente minuebantur. Febris autem eadem plane manſit, atque erat antequam Catarrhi ſe oſtenderent, licet nec ita prorſus Epidemica, neque iiſdem ſymptomatibus ſtipata, cum horum utrumque per accidens a Catarrhis penderet. Quin etiam recedentibus Catharris *Variolæ* hinc inde ſpargi cœperunt, ejuſdem plane generis cum *Variolis* anni præcedentis; ſed cum jam ſecundum ferme annum expleviſſent, non ita atrocia erant ſymptomata, ac ubi primum invaderent. Quandiu adhuc ſtabit hæc *Conſtitutio*, dicere non habeo; id certo ſcio illam perquam *Anomalam* atque irregularem hactenus fuiſſe, atque morbos omnes per eam natos ejuſdem omnino indolis.

De hujus *Conſtitutionis* Epidemicis, eo quo ſe invicem ordine excipiebant, jam agam.

CAPUT II.

Febris Continua An. 1673. 74. 75.

HÆc, perinde atque alii Epidemici, mox ab ingreſſu ſocia habebat ſymptomata, quæ indicia haud obſcura dabant majorem & ſpirituoſam magis tunc eſſe inflammationem, quam ubi morbus magis adoleverat. Etenim primo quo invadebat anno, uti & *Vere* inſequente, ſymptomata Pleuritica febri ſuperveniebant, & ſanguis e venis extractus (ſaltem pro prima & ſecunda vice) *Pleuriticorum* referebat ſanguinem, at morbo jam provectiori ceſſabant ea ſigna inflammationis intenſioris.

Præter ſymptomata febribus *univerſis* communia, *hanc* febrem iſta ſequebantur: Ut plurimum afficiebatur æger dolore capitis & dorſi ſatis atroci, ſtupore item, & dolore articulorum, artuumque tenſivo, imo & totius corporis; at mitiori aliquanto quam Rheumatiſmo laborantes. Primis diebus calor & frigus ſibi invicem ſuccedebant, quandoque etiam ineunte morbo æger in ſudatiunculas erat propenſior. Lingua, ubi febris ſuo genio erat permiſſa, nec ſicca, nec a colore naturali multum recedens, niſi quod magis alberet, neque ſitis multum urgebat: Quod ſi excalefieret æger ultra ordinariam febris ſortem, lingua aridiſſima erat cum flavedine ſubfuſca, ſitis etiam intendebatur; Urinaque, quæ aliter colorem fere naturalem ſervare ſolebat, inteuſe rubebat.

Febris his tantum gravata ſymptomatibus, ſi perite tractaretur, die *decimo quarto* ægro valedicebat; pertinaciſſima, *primo poſt viceſimum*.

Inter hujuſce febris ſymptomata eminebat affectus quidam *Comati* haud diſſimilis, quo correptus æger obſtupebat delirabatque, imo ad ſeptimanas aliquot dormitabat nonnunquam, nec niſi valido clamore expergiſcebatur, a quo ægre excitatus oculos aperiebat tantum, & poſt ingeſtum ſive medicamentum, ſive potum, cui aſſueverat, mox in ſtuporem dilabebatur ita quandoque profundum ut in Aphonia deſineret abſolutiſſima.

Qui ſic fuerat affectus æger ubi ad ſe rediit, die *vigeſimo octavo*, vel *trigeſimo* cœpit convaleſcere; cujus primum ſignum erat, quod cibi aut potus genus aliquod inſuetum aut abſurdum deperiret. Convaleſcentis caput ad dies aliquot debile atque infirmum, nunc verſus hanc partem, nunc illam nutabar; aliaque aderant ſigna, quæ caput plurima fuiſſe paſſum oſtenderent. At quo paſſu vires reſtituebantur, eo ipſo diſceſſit dictum ſymptoma.

Quandoque non tam dormitabat æger, quam tranquille delirabat, incongrua tamen ſubinde effutiens ceu iratus, ac mente motus; at non eo excandeſcentiæ & furoris aſcendebat, quo ſolent ii, qui a Variolis atque aliis febribus phrenetici fiunt; a quibus hic in eo etiam diſcriminabatur, quod per intervalla abrupte dormiebat, ſtertebat etiam profundius. Adhæc non ita erat acutum hoc ſymptoma atque illud, ſed erat diuturnius. *Pueris* etiam hoc plerunque accidebat, aut iis, qui nondum adoleverunt, illud *Adultis* maxime. In utriſque vero ſi ingererentur calidiora remedia, & ſolicitarentur ſudores, malum in caput facile transferebatur, & dictis ſymptomatibus anſam præbebat.

Ubi vero ſymptoma hoc nec ſponte ſua acceſſit, nec medicamentorum vi coactum, morbus intra diem *decimum quartum* terminabatur ut plurimum, nonnunquam etiam intra tertium quattumve, quod factum vidi.

Autumno 1675. ut ſupra innuimus, febris hæc per dyſenteriam ſibi fugam quærere, nonnumquam & per diarrhœam affectabat: Harum poſterior præcipue ſæpe excurrebat, ſtupore adhuc manente. Utraque vero quantum diligenti obſervatione aſſequi poteram, nihil erat aliud, quam febris ſymptoma.

* Curationem hujus febris quod attinet, ſub primum introitum, nempe *Julio* 1673. tum ex variis phænomenis ab iſtis longe diverſis, quæ præcedentem comitabantur, tum ex eo quod Catharticis minus pareret, quibus feliciſſime febres omnes conſtitutionis prægreſſæ deviceram, ſtatim didici, febrem hanc eſſe alterius plane familiæ, & diutius, quam ſolebam alias, in ejus ſpecie inveſtiganda hærebam, & ex conſequenti anxius dubitabam, quem mihi curationis ſcopum proponerem. Quo enim tempore primum erupit hæc febris, nullum habuit alium Epidemicum ſibi *σύγχρονον*, cujus perſpecto genio de hujus natura veriſimile aliquid conjectare poſſem, cum Variolæ, uti dixi, quæ illam comitabantur nigrarum iſtarum, quæ anno 1670. invaſerant, reliquias omnino referrent, jamque & mitiſſimæ eſſent, & tantum non exolerent. Nihil itaque aliud jam reſtabat, niſi ut in hunc morbum nudum & ab aliis ſepoſitum accuratiſſimo examine inquirerem, atque oculo ad *Juvantia & Lædentia*, quam diligenter maxime potui, ſemper intento, viam pro virili, exploratoris inſtar, prætentarem. Atrox capitis dolor, propenſioque quam habebat hic morbus ad dolores lateribus infigendos, tum etiam ſanguis Pleuriticorum ſimilis, me ſtatim edocebant, inflammationem haud mediocrem huic febri ſubeſſe, nec tamen eam poſſe ferre largiorem iſtam evacuationem, quæ Pleuritidi convenit: Sanguis enim poſt primam aut ſecundam ſaltem vicem detractus glutinis colorem, quo tegebatur ſuperficies, protinus amiſit, nec repetita adhuc venæ ſectione levabatur

* 1673. * 1674. * 1675.

* Curatio.

batur æger, nisi forte morbus in Pleuritidem veram transiret; quod nonnunquam accidebat post regimen justo calidius, præsertim primo *Vere* quo invadebat, sc. *Anno* 1664. quo tempore a Solis accessu occasionem nactus (cum etiam nondum adolesceret morbus & principio magis spirituoso inniteretur quam postea) ad genus Peripneumonicum videbatur accedere. Cum vero & experientia & exemplo a repetita Phlebotomia deterreret, licet luce clarius esset febrim hanc, præcipue sub primum ingressum, haud parum inflammatoriam fuisse, nihil jam restabat, quo ejus calor restingui posset præter *Enemata* sæpius repetenda, & medicamenta refrigerantia. At præter hos affectus inflammationem aperte prodentes, illud *stuporis* phænomenon, febri huic quam alii cuilibet familiarius, omnino indicabat, continuo repetenda esse Enemata, quibus materia febrilis, quæ ita prompte caput petebat, ab eo divertetur; quin & venæ sectioni repetitæ, quam ægre tulit propria hujus morbi natura, substituebantur illa, atque ejus pensabant defectum, sanguinis fervorem placide ac sensim contemperantia, & causam eliminantia morbificam. Porro judicabam emplastra *Epispastica* satis ampla cervici posteriori applicita in hac febre potius ex usu fore quam in aliis, quibus materia febrilis haud ex æquo caput tentabat; Etenim a cruciatu & fervore vehementibus, quos dicta Epispastica parti, cui imponuntur, solent imprimere, materia, quæ secus in caput ascenderet, in locum affectum corrivatur. His, & regimini ad eumdem refrigerandi sanguinis scopum facienti, tandem morbus quasi naturaliter sponteque sua cedebat, quantumlibet sæviret, si methodo ab hac diversa eum quis aggrederetur; quod mihi ab experimentis plus satis frequentibus abunde liquebat.

Hunc itaque cursum instituì: Sanguinem e brachii venis mittentium, ea quantitate, quæ ægri viribus, ætati, aliisque circumstandis convenire mihi visa est, ante omnia curabam, atque eodem fere tempore emplastrum Epispasticum bene largum nuchæ applicandum. Die proximo clysterem lenitivum ita tempori injiciendum præcepi, ut ante noctem sedari posset tumultus, qui ab eo inter operandum excitaretur, hora scilicet secunda tertiave post meridiem. Repetebatur Enema illud singulis diebus, donec imminueretur morbi vis. Quo quidem tempore ab eo cessandum esse duxi, imo & maturius, si nempe febris diem quartum & decimum excessisset, jamque inveterasceret, quo in casu licet ab Enematis præcedentibus debellata non fuerit, eadem tamen post elapsos hos dies supervacanea esse comperi: Morbi enim acie per ebullitionem prægressam jam retusa, atque ægro ἐξω βέλους constituto, & a symptomatibus violentioribus, quæ ab eo pendebant, securo, nihil prius erat, quam ut morbum suo utigenio, & quasi sensim deflagrare, ac suis viribus ruere sineremus. Quod mihi semper cessit melius quam evacuationem qualemcumque violentiorem hoc tempore moliri. Ægro interim carnibus interdixi, cerevisiam vero tenuem ad arbitrium concessi.

Restat & aliud, quod, quia multiplici experientia astipulante ægris optime solebat vertere, in describendo hujusce morbi regimine mihi minime prætereundum fuit, nempe ut æger quotidie lecto abstineret, saltem ad horas aliquot; vel si id vetaret major ejus debilitas, vestes saltem indueret, & supra lectum cubaret, capite paulo elatiori. Etenim cum magnum illum impetum, quo febris in caput ferebatur, & inflammatoriam simul sanguinis diathesin contemplarer, subiit mihi in mentem, ægrum a corporis positura nonnihil emolumenti capere posse; si nempe ea talis fuerit, ut a circumambiente nullatenus augescret calor (quod omnino fieri necesse est, si in lecto se jugiter contineat) neque sanguinis in capitis arcem tendentis impetus promoveretur, cum illinc cerebri fervor intendatur, proindeque spiritus animales calefiant atque exagitentur, a quibus & vehementior cordis vibratio & febris augmentum.

Quantumlibet autem ægris conducat in febribus omnibus, quæ inflammationis intensioris sunt participes, ut non semper lecto incarcerentur, animadvertendum est tamen, eosdem, si diutius, quam par erat, pro una vice a lecto abfuerint, declinante præsertim morbo, in dolores vagos, qui in *Rheumatismo* desinere possint, nonnunquam de facili incidere, nonnunquam etiam superficiem corporis *Ictero* deturpari; quæ si cui contingant, lecto addicendus est, quo apertis cutis spiraculis commode diffiari possint istiusmodi particulæ, quæ malorum alterutri fomitem præbent, hoc vero ad diem unum aut alterum tantum, sudore non provocato: Hujusmodi autem accidentia oppido rara sunt, nec nisi in febris declinatione comparent unquam; quo tempore cum jam morbus mitior est, longe tutius ægro permittes, ut in lecto assidue decumbat, quam vel initio, vel in statu; quinimo per hoc tempus id magis confert ad materiam febrilem digerendam, quæ, si æger maturius lecto affigatur, efferatur magis atque incenditur.

Hic si quis objecerit, dictam methodum, licet ad sanguinis impetum a capite emolliendum reficiendumque ægrum, satis commodam, minus tamen expedire, eo quod evacuationi per sudores, qua materia febrilis jam concocta eliminanda omnino erat, officiet: Respondeo, nihil agere contra sentientem, nisi prius argumentis confecerit hujusmodi evacuationem omni febri deberi, quod haud ita in proclivi atque facile est. Docet enim experientia, non autem ratio, quænam febrium species per Diaphoresin, & quæ per Catharsin sit exterminanda, &c. Quinimo est cur arbitremur, dari quasdam febrium species, quas natura methodo sibi peculiari, sine visibili aliqua evacuatione, ablegat, reducendo scil. in sanguinis massam eique assimilando materiam illam morbificam, quæ cum eodem minus quadrabat. Qua ego nixus ratione, sæpenumero tam in hac febrium specie, quam aliis, modo intermittentes non essent, mox a primo insultu, totoque sanguine nondum inquinato, easdem in ordinem redegi, imperato tantum cerevisiæ tenuissimæ, quoties ac quantum desiderarent, potu, esuque tam jusculorum, quam aliorum, cujuscunque generis sint, ægris interdicto; Præmissis interim & exercitii consueti usu, & aura liberiore, nullaque prorsus evacuatione vel semel instituta. Sane omnimoda solum hujusmodi per biduum triduumve abstinentia liberos meos, ac amicitia mihi conjunctissimos, curavi; Verum hoc remedio non nisi in junioribus ac temperamento sanguineo præditis est utendum.

Quod si demus, naturam non alia methodo quam per diaphoresin morbum vincere posse, an non eos volumus sudores, qui morbo jam fatiscente prorumpunt, & prævia digestione fluunt, non vero istos, qui primis morbi diebus protrusi, ab interrupta furentis naturæ œconomia nascuntur; Hujusmodi, opinor, sudores non erunt promovendi, at compescendus potius tumultus ille, cui ortum suum debent. Istiusmodi autem sudores multas febrium species, licet non omnes, solent comitari. Neque enim sum nescius, quasdam febrium species ejus esse indolis, ut in παραχμῇ sudorem hunc criticum sibi postulent; Tales sunt particulares intermittentium paroxysmi, magna item & frequentissima naturæ febris ab illa pedens constitutione, quæ ad intermittentes epidemice producendas unice faciat. In his enim, si cui methodo insistatur, quæ non eo tendit, ut materia morbifica digeratur primum, dein per sudores eliminetur, augebitur morbus: Quo circa nullæ hic evacuationes locum habere debent; nisi quatenus morbi impetum primis diebus, quibus aggreditur, sufflaminare valent, ne inter medentium operas æger fato succumbat. Quin & febris pestilentialis causa, cum tenuissima sit & perquam subtilis, vel primis morbi diebus, sudoribus diffiari potest, suffragante ubique experientia.

Istis autem in febribus, in quibus ordinario symptomatum ductu, & si suo genio uti permittantur, nusquam videmus, naturam materiam morbificam jam præparatam tempore præfinito evacuare solere; nescio an non plus satis temerarius is fuerit, qui sudore provocando vim morbo inferre cogitet, atque ægrum ea sola methodo restituere, cum ut docet divinus senex, τῆς φύσεως ἀντιπραττούσης κατὰ πάντα: Atque illud quidem usu venire autumo in febre hac particulari, de qua hic agimus, quam, multiplici experientia edoctus, satis scio sine sudoribus fugari posse; ægrum etiam, dum eosdem importunius solicitamus, sepenumero nulla cogente necessitate in manifestum vitæ discrimen conjici, a materia morbifica in caput sursum lata: Attamen neque in hac febre, neque in alia qualibet, vel ex eis, quæ sudore critico solvi non solent, si forte hujuscemodi sudor morbo jam imminuto sponte supervenerit, quem symptomatum omnium remissione debitæ concoctionis sobolem esse arbitremur, Medicorum prudentissimus quisque eum contemnet; ubi vero non ita sponte exit, qui certo scire possumus, an non hominem e medio tollamus, dum humores regimine & cardiacis calidioribus ad ejusmodi sudores disponere nitimur? Si quis forte in thesaurum inciderit, nisi desipiat, humo tollet; stultus autem sit oportet, qui hac fretus fortuna omnem adhibet operam, ut alium ejusmodi cum vitæ periculo adipiscatur. Quo vero cunque modo hæc se res habeat, mihi abunde constat, solam febrem calorem eum secum adferre, qui materiæ febrili ad coctionem præparandæ possit sufficere, neque eo intensiorem a regimine fervido forinsecus accersendum.

Præfatam methodum per venæ sectionem atque Enemata in hujusce febris curatione quam felicissime succedere comperiebam; eam vero, quoties a diaphoreticis lacesseretur, non solum mali moris symptomata, sed etiam dubium semper exitum habuisse; Inter symptomata eminebat tacitum illud delirium, quod non tam insana loquacitate se prodebat, quam *stupore* coma æmulante, quod, uti diximus, huic febri frequens solebat accidere. Hoc symptoma, (licet nonnunquam sponte sua ortum illud viderim) a nimia tamen curatricum diligentia in provocandis sudoribus male posita, ut plurimum invitabatur: Hoc enim pacto materia morbifica, quæ in hac febris specie sudoribus morem gerere recusabat, vehementer exagitata in caput tandem elevabatur cum ingenti ægrorum discrimine.

Jampridem animadverti in curatione febris constitutionis alterius, quod per ultimos annos hujusmodi *Stupor* pueros maxime, atque eos, qui ex exphebis vix excesserant, subinde invadebat, sed nec ita profundus, nec perinde epidemicus atque erat is, qui hanc febrem comitabatur. Neque tamen illum, licet huic inferiorem, multo minus hunc, ubi primum ingrederetur morbus, edomare potui; licet nullum non lapidem moverim, repetitis venæ sectionibus, non in brachiis tantum, sed cervice etiam & pedibus, emplastris vesicatoriis, cucurbitulis, enematis, diaphoreticis omnis generis, &c. in partes adscitis. Tandem statui, post sanguinem e brachio eductum, Epispasticum cervici applicatum, atque enemata duo vel tria e lacte & saccharo injecta primis morbi diebus, nihil quicquam amplius moliri nisi quod ægrum & a carnibus, & a liquoribus spirituosis quibuscunque arcerem: Ad naturæ methodum interim attendebam, cujus ego vestigiis inhærens symptoma hoc superare tandem discerem. Morbus interim cui invigilabam, tuto licet tarde recedens, tandem evanuit. Huic itaque methodo insistendum mihi esse duxi in febribus, quas deinceps tractavi universis; quod quidem, si & symptomatis magnitudinem & eventum ubique votis respondentem spectamus, haud parvi momenti mihi videtur.

Et sane mihi nonnunquam subiit cogitare, nos in morbis depellendis haud satis lente festinare, tardius vero nobis esse procedendum, & plus naturæ sæpenumero committendum, quam mos hodie obtinuit. Errat enim, sed neque errore erudito, qui naturam artis adminiculo ubique indigere existimat. Nanque id si fieret, parcius humano generi eo prospexisset, quam postulat speciei conservatio; cum ne minima sit proportio inter morborum ingruentium frequentiam, & facultates, quibus pollent homines ad eosdem fugandos, *vel* iis sæculis, quibus medendi ars maxime caput extulit, & a quampluribus exculta est. Aliis in morbis quid hoc profecerit nescio. Illud satis scio ex diligenti observatione mihi adstipulante, quod in febre, de qua jam egimus, dictum symptoma post usurpatas evacuationes generales, venæ sectionem dico, & enemata, solo tempore feliciter solebat vinci.

Antea diximus, convalescentiæ prænuncia signa ut plurimum ad diem usque *Tricesimum* differri solere, (*in stupore* scilicet paulo confirmatiori) ægro nonnunquam etiam *Aphonia* correpto: quibus elapsis, incongruum aliquod atque absurdum sive cibi, sive potus genus importune flagitabat, ventriculi fermento a morbo diuturniore impense vitiaro. Hoc in casu, quandoquidem jam exhaustæ corporis vires refectione omnino indigerent, lubens ea etiam concessi, quæ minus ægro convenire viderentur, modo palato magis arriderent.

Mense Septembris 1674. filium novennem Librarii cujusdam ædibus meis vicini, nomine *Not*, hac febre una cum symptomate jam sæpe memorato laborantem tractabam: Extracto e brachio sanguine, & clysteribus per primos aliquot morbi dies continuos injectis, importunissimæ matri obstabam, quæ rem ocyus expedire acriter urgebat, quam ego cum salute filii stare posse arbitrabar. Datis itaque induciis, nulloque medicamento alio propinato præter Julapium aliquod e vulgaribus, quod pacandæ quidem matri potius destinabatur, quam filio restituendo, trigesimum circiter diem melius habere cœpit;

pit; edulia varia etiam abſurda miſere diſcupiens, quorum pars aliqua concedebatur, licet nullo alio nomine concedi debuiſſet; atque ita tandem prorſus convaluit.

Quamvis autem *Stupor* hic ad *Comatis* accedens naturam, huic febri aliis ſymptomatibus frequentius ſuperveniebat, quandoque tamen, at rarius, *Phreneſis* abſque ſtupore nonnullos invadebat, in qua æger inſomnes dies noctesque agebat, nulla ratione poterat regi, aliaque patiebatur ſymptomata iis ſimilia, quæ vel ab aliis febribus, vel a Variolis in phreneſin actos infeſtabant. Inducias non tulit ſymptoma hoc, ut ſolebat affectus comatoſus jam memoratus, donec fieret digeſtio, ægrum vero intra paucos tollebat, niſi inflammatio cohiberetur. Atque hic mihi ſuppetias præ cæteris tulit *Vitrioli ſpiritus*, quem poſt venæ ſectionem atque enematis unius alteriuſve injectionem cereviſiæ tenui inſtillatum pro potu ordinario conceſſi: Qui intra dies paucos & ſomnum conciliabat, & ſanitatem, ſuperatis ſymptomatibus, ægro reddebat; quod quidem nulla alia methodo efficere valebam. Atque hoc reiterata ſæpe experientia mihi abunde conſtabat.

Febri huic, Autumno 1675. & *Dejectiones Dyſentericæ* ſuperveniebant, quandoque & *Diarrhœa*. Iſtas ego ſtatim perſpexi *Symptomaticas* fuiſſe huic febri, non vero, ut in conſtitutione præcedenti, *originales* & primo ortas. Quo non obſtante, cum morbi cauſa in ſanguinis maſſa clauderetur, venæ ſectionem ea indicabat; quæ quidem, propinato etiam poſt Narcotico ad duas vices ſymptomati huic debellando par erat.

Septembri 1675. Domina *Conysby* juxta Equilia Regia habitans me accerſivit; laboraverat ea hac febre, ventris torminibus derepente jam correpta, quæ deinceps excipiebant dejectiones ſanguineæ ac mucoſæ: Licet protritæ jam ab aliquot diebus, ob morbum diutinum, vires eſſent, maxime vero a dejectionum frequentia, quæ nocte prægreſſa multum fatigaverant, ſanguinem tamen e brachio ſtatim educendum curavi, & paulo poſt Narcoticum exhibendum, quibus peractis ea ipſa nocte dejectiones ſtercoroſæ conſpiciebantur. Mane & veſperi ſequentibus Narcoticum repetebam prædictum, imperato etiam medicamento cardiaco moderatiori, quo ſpiritus refocillarentur, atque ab his ſtatim convaluit.

Diarrhœam quod attinet, quæ eodem fere anni tempore huic febri haud raro accidebat, minus adhuc iſta faceſſebat negotii, cumque ea neque ægro prodeſſet, neque etiam officeret, quantum mihi obſervare licuit (ſive adeſſet ſtupor, ſive etiam abeſſet) nullam ab illa indicationem curativam elicere valebam, modo intra eos ſtaret limites, ut æger ab ea de vita non periclitaretur: quo in caſu Narcoticum ſine dubio indicabatur, atque in eo ſolo probandus anodynorum uſus per omnem morbi hujus decurſum: ingens enim illa propenſio qua hac febre laborantes in ſtuporem ferebantur, ab his intendebatur, ac proinde niſi urgente neceſſitate in uſum nunquam erat revocanda.

Notandum eſt haud raro accidere tam ab hac febre, quam febribus aliis convaleſcentibus, iis maxime quos illæ diutius maceraverant, nec niſi poſt longas magnaſque evacuationes tandem dimiſerant, (præſertim ſi invalidiori eſſent corporis habitu) ut noctu in lecto cubantes incaleſcerent primum, mox ſudore diffluerent, a quibus vehementer infirmabantur, & vires tardius recipiebant, nonnulli etiam præcipitabantur in tabem. Cum ſymptoma hoc non aliunde naſci exiſtimarem quam a ſanguine ob morbum contumaciorem eo uſque depauperato debilitatoque, ut ſuccos, quos recenter advectos nequiret aſſimilare, per ſudores ejicere moliretur, ita affectis author ſemper fui, ut ſingulis auroris noctibuſque cochlearia quinque vel ſex vini Malacenſis annoſioris haurirent, cujus uſu ægri vires creſcebant jugiter, & evaneſcebant ſudores. Atque hæc de febre hujus conſtitutionis continua, quam ob inſignem ſtuporem eam fere ſemper comitantem, lubet *Comatoſam* appellare.

CAPUT III.

Morbilli Anni 1674.

ORiente anno, menſe ſc. *Januario* 1673. 1674. ingreſſa eſt *Morbillorum* ſpecies quædam ab ea diverſa, quæ eodem menſe Anno 1669. 1670. invaſerat; neque tamen minus epidemice ſæviebant hi atque iſti, ſed non perinde erant regulares, neque ita conſtanter typum obſervabant: Nunc enim citius, nunc ſerius erumpebant; cum in alia ſpecie, eruptio in diem ab invaſione *quartum* ſemper incideret. Adhæc humeros, & cæteras trunci partes, primum occubabant; cum iſti alteri faciem primum peterent, & in reliquum corpus paulatim ſpargerentur. Nec hac in ſpecie obſervare licuit, niſi rariſſime, eas cuticulæ deſquamationes ad inſtar farinæ inſperſæ, quoties recederent morbilli, quæ in alia ſpecie haud minus certo conſpiciebantur, quam poſt febris ſcarlatinæ deceſſum conſpici ſolent. Plures inſuper e medio tollebant, quoties imperite tractarentur, quam priores illi. *Febris* enim & *Diſpnœa*, quæ morbillis abiturientibus ſolebant accidere, vehementiores erant, & *Peripneumoniam* hic propius referebant, quam in altero genere. Quantumlibet autem fuerint *Anomali* atque irregulares hi *Morbilli* quoad jam memorata ſymptomata, in præcipuis tamen ſatis iis competebat hiſtoria, quam de morbillis tradidi, cum morbos An. 1670. epidemicos deſcriberem, quæ idirco impræſentiarum repetenda non erit. Hi, uti etiam priores iſti, ad Vernum uſque æquinoctium invaleſcebant, a quo tempore decreſcentes, appetente ſolſtitio, aut non diu poſt, evanuere.

* Curatio, cum nulla ferme in re ab illa differat, quam in morbillorum hiſtoria jam fuſe tradidi, exinde petenda eſt. Unicam tantum hic, pro meo more, inſtantiam adferam methodi, qua illas aggrediebar.

Februario 1674. Domina virtutibus ornatiſſima, atque in exemplum nata, Comitiſſa *Satisburienſis* me accerſivit: Infantium unus tantum tum temporis ægrotabat, mox reliqui (5 autem vel 6 erant) quos omnes eadem methodo tractavi. Lectulo eos addixi ad dies binos ternoſve ante eruptionem, ut ſanguis, pro ſuo genio, particulas facile ſeparabiles morbum comittentes, per cutis poros eliminaret. Neque autem vel ſtragulis, vel igni quibus ſani aſſuerant, quidquam adjici patiebar, ab eſu carnium arcebam, juſcula avenacea, hordeacea, ac ſubinde pomum coctum concedens, cereviſiam tenuem inſuper, vel lac cum aquæ triplo coctum pro potu: Urgenteque pro more tuſſi, ptiſanam pectoralem ſæpe aſſumendam præſcripſi. His peractis, omnino convaluere, brevi illo ſpatio quod hic morbus ſolet percurrere; neque vel per ejus decurſum, vel eodem fatiſcente, ſymptomate quovis morbo huic non familiari, tentabantur.

Duobus primis menſibus, quibus hæc morbillorum ſpecies ſe prodebat, intercurrebat & *Febris* quædam *Morbilloſa* hic illic ſparſa, in qua ἐξανθήματα nonnulla per truncum corporis, colli præſertim poſteriora, atque humeros erumpebant, ecthymata morbillorum imitantia, a quibus in illo ſaltem diſterminabantur, quod non univerſum corpus pariter occuparent, quas diximus partibus contenta, febris etiam (licet ejuſdem plane generis) immanior erat, & ad dies 14. nonnunquam etiam plures, protrahebatur. Nec venæ ſectionem tulit hæc febris, nec enemata, ab utriſque irritata; at methodo quæ morbillis ſuperius dicata eſt, lubens conceſſit. Atque hæc de morbillis fuerunt dicenda.

CAPUT IV.

Variolæ Anomalæ An. 1674. 75.

QUemadmodum morbilli epidemici initio anni 1670. incurſantes *Variolas nigras* ibidem delineatas introduxere, ita etiam hi, qui haud minus epidemice graſſabantur initio Anni 1674. Variolarum ſpeciem introducebant tam earum ſimilem, ut eædem iſtæ revixiſſe omnino viderentur, non aliæ ſubnaſci: cum enim (uti jam diximus) in priora illa Variolarum ſpecie poſt elapſos priores annos duos, puſtulæ minus in dies nigræ comparerent, & grandiores etiam pedetentim conſpicerentur, donec exeunte anno 1663. morbus jam mitis, habita generis ratione, ac benignus eſſet, jam priſtina ferocia, & infauſto malorum ſymptomatum agmine ſtipatus denuo revertebatur. Etenim puſtulæ fuliginem nigredine æquabant, ubi nempe confluxerint, & æger non prius extingueretur, quam ad maturitatem iſtæ pervenerint; immaturæ enim fuſco tantum erant colore. Puſtulæ quin etiam perpuſillæ erant, ſi numeroſæ, (paucæ enim ubi fuerant tantum, haud erant minores, quam in aliis Variolarum generibus, nigræ vero rariſſimæ) verbo dicam, iſtas quas anno 1670. deſcripſimus ſatis referebant; licet non in omnibus cum iis quadrarent, diſtarent autem pauculis quibuſdam, quæ quidem majorem ſub his quam illis aliis putredinem latere, naturæque eas eſſe magis craſſæ & incoctilis oſtendebant. Maturæ enim pejus olebant, ita ut iiſdem graviter laborantibus præ fœtore vix quirem accedere. Tardius etiam periodum abſolvebant, hærebantque diutius, quam ulla ſpecies alia, quam mihi adhuc videre contigit.

Notatu interim eſt perdignum, quod quanto mitior eſt morbi ſpecies, tanto citius puſtulæ ad maturitatem, atque morbus ad finem perducitur. Ita in ſpecie iſta regulari Variolarum confluentium, quæ anno 1667. ingreſſa eſt, dies *Undecimus* maximum adferebat vitæ diſcrimen, quo ſemel elapſo, non amplius ut plurimum ægro metuendum erat. In proxime ſequenti ſpecie anomala confluentium, quæ initio anni 1670. cœperunt invadere, æger die *Decimo quarto*, vel ad extremum *Decimo ſeptimo* maxime periclitabatur, quos ſi æger ſuperaverit, ſalvus omnino erat, nec quenquam poſt hunc diem ab hoc morbo interemptum hactenus obſervavi. At vero in hac ſpecie confluentium, æger etiam poſt diem *Viceſimum* contrucidabatur, nonnunquam & ſi convaleſceret, quæ paucorum ſors erat, non tantum tibiæ intumeſcebant, (quod quidem in Variolis confluentibus quibuſque familiare eſt) ſed brachia inſuper, humeri, crura, parteſque aliæ; qui quidem tumores ab intolerabili dolore *Rheumaticorum* per omnia æmulo, tragœdiam ordiebantur; poſtea haud raro ſuppurabantur, & in ſinus ingentes & partium muſculoſarum apoſtemata deſinebant, ægro in vitæ periculo etiam ad multos dies a diſceſſu Variolarum adhuc verſante. Adeo ut mihi luculenter conſtaret de gradibus, quibus hic ſe epidemicus promoveret per tres haſce conſtitutiones, quarum poſterior priorem ſemper exuperavit, tum quoad majorem putredinem, tum quoad morbi materiam minus coctilem.

Videntur autem mihi hæ quas jam tracto *Variolæ*, nova quædam Variolarum ſpecies, e priore jam inveteraſcente ſuborta. Quamvis pro aeris diatheſi eum producente epidemicum, Variolæ nigræ, quæ initio anni 1670. primum ſe oſtendebant, ad παραχμὴν ſuam uſque progrederentur, tamen ad inſtar recidivæ alicujus morbi a materia priſtina denuo fermenteſcente, aer rurſus ad Variolarum productionem faciens, ex veteri penu eaſdem deprompſit; qui quidem morbus redintegratus ſumptiſque de novo viribus, reviviſcere plane & quaſi rejuveneſcere videbatur. Tanto autem magis anomalæ hæ erant, tantoque magis intenſam redolebant putrefactionem, quanto materia, e qua generabantur, iſta craſſior erat atque fæculentior, ad quam præcedentes primum ortum referebant. Quod ut magis eluceſcat, exiſtimandum omnino eſt, nullam ejuſmodi diatheſin in ipſo aere ſupponi debere, quæ hunc hoc in loco epidemicum propaget, alium vero longe diverſum in alio non ita multum diſtante; hoc enim ſi fieret (fit autem ſubinde) quilibet ventorum motus conſtitutionem diffiare valeret; vero autem ſimilius mihi videtur hunc vel illum particularem aeris tractum effluviis repleri a minerali aliqua fermentatione, quæ aerem, per quem feruntur, particulis nunc huic animalium generi, nunc alteri exitialibus, contaminantia, morbos variis terræ affectibus appropriatos eo uſque propagant, donec expiraverit ſubterranea illa halituum minera; quæ pariter in novam denuo fermentationem agi poſſit, ex reliquiis nempe materiæ exoleſcentis, uti in caſu jam memorato. Mihi vero, qui non ultra, quam res ipſa loquitur, ſapere audeo, perinde eſt, an hæc, an alia aliqua hypotheſis phænomena rectius ſolvat. Id ſaltem pro comperto habeo, quas jam tractavi Variolas, præcedentis conſtitutionis Variolis fuiſſe ſimillimas, niſi quod & craſſiorem naturam, & putredinem longe intenſiorem redolere viderentur. Quibus etiam de cauſis duabus, ubi admodum *confluerent*, plures orco dabant, quam ſpecies alia quælibet, quam mihi hactenus videre contigit; &, ſi quid meo judicio tribuendum ſit, peſtem ipſam, pro numero ſc. ægrorum, pernicie æquabant, licet, ubi *Diſcretæ* invaderent, haud certius intentarent periculum, quam alia quævis ſpecies, & tam puſtularum magnitudine, quam colore, aliiſque circumſtantiis boni ſe moris eſſe faterentur.

* Curationem quod attinet; jam a multis annis miratus ſum indi-

* *Curatio.*

* *Curatio.*

indicationes plane contrarias, quas hic mihi morbus subinnuere videbatur. *Hinc* enim luce clarius fuit, a calidiori regimine symptomata, quæ a nimia inflammatione pendent, statim produci, febrim scilicet, phrenesin, maculas purpureas, & similia, quibus hic morbus præ cæteris quibusque est obnoxius, *inde* vero regimen justo frigidius faciei manuumque intumescentiæ, quæ hic apprime est necessaria, officere, & pustulas flaccidiores reddere. Postquam hæc diu multumque apud me satis anxie revolveram, intellexi tandem, utrique huic incommodo eodem simul tempore posse occurri. Usum enim aquæ cum lacte coctæ, cerevisiæ tenuis, aut liquoris alterius similis liberaliorem concedendo, penes me erat internum sanguinis ὀργασμὸν frænare; atque ex adverso ægrum in lectulo jugiter detinendo, ne brachio quidem exerto, blando ejus calore pustularum elevationem & faciei manuumque intumescentiam valebam promovere. Neque hæc secum methodus pugnare videtur; sanguis enim, eruptione jam finita, particulas inflammatas in corporis habitum eructasse putandus est, neque jam stimulis ad ulteriorem materiæ secretionem indigere: Ita ut, cum tam in habitu corporis, maturandisque absessulis rei cardo vertetur, id tantum sit agendum *sanguinis* nomine, ut sc. sanguis ab halitibus calidis, a carne pustulis obsessa retro agendis, sartus tectus conservetur; *Pustularum* vero, ut blando partium externarum calore ad maturitatem illæ perducantur. Jam vero, ut ut feliciter mihi cesserit hæc methodus, uti prius docui, in Variolis aliis *Confluentibus*, in istis tamen hujusce constitutionis illa me fefellit, ita ut eorum plerique, qui vehementius laborabant, interirent, sive methodo jam a me laudata, sive regimine & cardiacis calidioribus uterentur. Omnino itaque intellexi, desiderari adhuc aliquid præter ista, quæ vel ad compescendam sanguinis ebullitionem, vel ad pustularum elevationem, manuumque atque faciei intumescentiam facerent, desiderari sc. aliquid, quod putrefactioni magis intensæ, quam in his Variolis præ cæteris quibusque observaram, vincendæ par esset. In mentem mihi tandem venit *Vitrioli Spiritus*, quem existimabam utrique intentioni, tum putredini oppugnandæ, tum perdomandæ caloris ferociæ, satisfacere posse. Quamobrem ægro sibi relicto donec & dolor & vomituritio, quæ eruptionem præcedere solent, jam desinerent, & Variolæ conferto agmine prodirent omnes, tandem die *quinto sextove* dictum *spiritum*, cerevisiæ tenui ad levem aciditatem instillatum, pro potu ordinario concessi ad libitum sumendum, liberalius vero, cum appareret febris maturatio, quem potum, donec perfecte convalesceret, imperavi usurpandum quotidie.

Hic spiritus, ceu morbo revera specificus, symptomata omnia ad miraculum fere compescebat. Facies & maturius, & longe altius intumescebat. Variolarum interstitia, ad calorem magis rubrum, & rosæ Damascenæ æmulum magis accedebat: Pustulæ quoque minutissimæ grandescebant, saltem quantum ea species pateretur: Pustulæ etiam quæ aliter nigræ comparuissent, hic materiam quandam flavam & colorem flavum referentem eructabant. Facies deinceps, pro nigra, colore flavo saturato ubique tincta conspiciebatur; Celerius maturescebant, atque tempore alia omnia diei unius aut alterius spatio, citius percurrebant. Hæc autem accidebant omnia, si liquorem nempe laudatum liberalius haurirent: Quapropter, quoties ægrum copiam subjugandis symptomatibus debitam respuere animadverterem, spiritum istum, vel syrupo aliquo in cochleari permistum, vel aquæ destillatæ cum syrupo junctæ additum, subinde ingressi quo pensaretur scilicet liquoris parcior usus.

Varia hujus medicamenti commoda recensui, incommodi ne minimum quidem ex eo natum hactenus potui deprehendere: Licet enim salivatio die undecimo decimove fere ab eo sistatur, cujus vicem per id temporis dejectiones aliquot subire solent; tamen ab his minus ægro erit periculi, quam ab ista fuit; Quandoquidem, quod plus semel diximus, qui Variolis *Confluentibus* laborant; eo præcipue urgentur discrimine, quod saliva his diebus viscidior reddita fauces præcludat, cui quidem symptomati hoc in casu diarrhœa succurrit, quæ vel sponte sua desinet, vel saltem, nullum amplius a Variolis periculum est, lacte & aqua mistis, & Narcotico assumptis facile compescetur.

Ægro interim in lecto jacenti, inclusis quoque brachiis, stragula præter solita adjici non patiebar; concessi etiam, ut ab hac in illam lecti partem se pro arbitrio transferret, ad sudores arcendos, in quos procliviissimus erat, hoc non obstante remedio. Jusculis interim avenaceis atque hordaceis victitabat, nonnunquam & pomo cocto. Ultimis diebus, si vel langueret æger vel ægrotaret stomacho, vini Canarini cochlearia tria quatuorve indulsi. Haustum vero paregoricum jam a quinto sextove die singulis vesperis temporius propinandum adulto (infantibus enim eo non erat opus) præscripsi; *Laudani Liquidi* sc. *guttas* 14. *in Aq. fl. Paralys.*

Die decimo quarto ægrum e lecto surgere permisi, vicesimo primo sanguinem e brachio educendum curavi, catharticum deinde ad duas vel tres vices exhibui; quibus peractis ægri facies coloratior ac magis vivida conspiciebatur, quam solebat eorum, quos hic morbus ita male mulctaverat: Adde, quod methodus laudata vix patitur faciem cicatricibus deturpari, quæ ab humoribus calidis efferatisque proveniunt cuticulam rodentibus.

Die *Julii* 16. 1675. Vir nobilis mihique amicus Dominus *Elliot* Regi a cubiculo, domesticum e suis meæ curæ commisit, fera hac Variolarum *Confluentium Nigrarum* specie propediem laboraturum: Habebat is annos octodecim circiter, temperamento erat admodum sanguineo, & in hunc morbum a nimia compotatione recens inciderat: Confluebant pustulæ densiore agmine quam alias vidi unquam, ita ut nulla fere inter eas intercapedo linqueretur, qua distingui possent. Remedii hujus δραστικωτάτου confisus viribus, venam nullus secui, licet tempus quo accersebar, id liberum faceret; atque etiam secare debuissem, cum a nimia vini ingurgitatione invitaretur morbus. Post eruptionem finitam, die vid. quinto vel sexto, *Spiritum Vitrioli* in lagenas aliquot cerevisia tenui repletas jussi instillari, atque hunc potum ordinarium concessi pro arbitrio sumendum. Die octavo ea sanguinis quantitas e naribus fluxit, ut Nosocomia hoc symptomate territa, me ocyus accersendum putaret: Advenienus ego, cum ab immodico sanguinis calore & impetu inusitato illud oriri animadverterem, cerevisiam tenuem dicto spiritu imprægnatam uberius adhuc hauriendam imperavi, quo facto hæmorrhagia dicto citius est coercita. Salivatione satis copiosa, faciei & manuum intumescentia, pustularumque augmento rite procedentibus, morbus se satis feliciter expedivit; nisi quod ultimis diebus dejectiones aliquot mucosæ sanguinem æque interpellarent, quæ forte nullum facessissent negotium, si venam, eo quo diximus nomine, mox accersitus aperuissem. Nihilominus nullo alio præsidio dysenteriam adoriebar, quam Narcotico illo, quod alias etiam, si hoc symptoma non ursisset, singulis noctibus fuisset assumendum, quo vis ejus retusa erat donec evanescerent pustulæ; posteaque extracta e brachio sanguinis quantitate satis larga, lacteque atque aqua affatim hausti, subito convaluit.

Eodem fere tempore quidam e meis vicinis Dominus *Clench* duos mihi liberos sanandos tradidit, quatuor annos habebat alter, alter adhuc lectebat, nec dum sextum mensem attigerat. Pustulæ utriusque perpusillæ erant, *Confluxiles* admodum, & ad erysipelatis modum prodiebant, generisque nigri dicti. *Vitrioli spiritum* utrisque in potu omni instillandum curavi, quem non obstante ætate, junioris præsertim, tenellula, nihilum averssabantur: quin & nullo symptomate graviori affecti convaluere illico. Amicissimus mihi vir, Dominus Doctor *Mapletoft*, utrosque mecum invisens, ætate majorem jam convalescentem reperit, minorem vero in cunis adhuc laborantem.

Animadvertendum est autem, quod, sicuti Variolæ, hujus constitutionis quæ non confluebant, satis erant benignæ, ita neque remedio jam præscripto opus habebant; satis vero erat ista eas methodo tractare, quam generi *Distinctio* jam supra deberi docuimus.

Habes jam, lector, quæ de *Variolis* mihi erant dicenda omnia; quæ licet non nemo fortasse parvi penderit pro sæculi genio, scio tamen ego haud parvo mihi labore, cura atque industria, per multos annos continuos ea stetisse; neque jam a me fuisse evulganda, nisi vicisset charitas in proximum, & studium aliis benefaciendi, vel pretio existimationis propriæ, quam satis intelligo a subjecti novitate gravandam fore. Neque tamen video, cur aliquem male habeat nova methodus ei morbo medendi (cujus nec apud *Hippocratem* vestigium ullum, nec apud *Galenum* invenitur, nisi quis forte locus difficillima ratiocinatione torqueatur) cum quæ a modernis adaptantur curationes, a magnis illis rei medicæ luminibus non institutæ, æquo jure ab his negliguntur, atque ab illis magnifiunt.

Quin a pari ratione nemini mirum debet videri, si quid immutavero in ea methodo, qua expugnandæ sunt istæ febres, quæ ab iis pendent constitutionibus, quæ Variolis epidemicæ sunt; Etenim si in prioribus illis mundi sæculis Variolæ nusquam gentium comparuerint, sequitur neque istiusmodi febres uspiam locorum extitisse unquam. Vero autem simillimum est, ne quid dicam audacius, Variolas nondum tunc temporis in rerum natura fuisse repertas: si enim per anriquiora tempora perinde atque nunc dierum hic morbus invaluisset, sagacissimum *Hippocratem*, opinor, is nunquam latuisset, qui cum morborum historias & clarius intellexerit, & descripserit accuratius quam post natorum quispiam, & hujus etiam descriptionem genuinam, atque simplicem pro suo more nobis reliquisset. Quocirca opinari mihi fas sit, morbos certas habere periodos pro occultis illis atque adhuc incompertis alternationibus, quæ ipsius terræ accidunt visceribus, pro varia sc. ejusdem ætate ac duratione: quodque, sicuti alii morbi jam olim extitere, qui vel jam ceciderunt penitus, vel ætate saltem pene confecti exolevere; & rarissime comparent (cujusmodi sunt *Lepra* atque alii fortasse nonnulli) ita qui nunc regnant morbi aliquando demum intercident, novis cedentes speciebus, de quibus nos ne minimum quidem hariolari valemus. Hæc se ita res habere potest, quicquid de ea videatur nobis βραχυβίοις, qui heri tantum nati sumus, cras forte interituri, neque quas de morbis authores, vel antiquissimi, congesserunt rationes, ævi multo productioris, si cum antiquissima mundi Epocha conferantur.

CAPUT V.

Tusses Epidemicæ Anni 1675. cum Pleuritide & Peripneumonia supervenientibus.

CUm tempestas placida ac tepens, imo vero æstatis simillima, præter solitum ad postremos usque *Octobris* dies perseveraret, Anno 1675. eam vero mox exciperet alia multum diversa, frigida scilicet atque humida subito ingruens, *Tusses* ubique numerosiores grassabantur, quam alio quovis, quod memini, tempore, nemini fere parcentes, cujuscunque is fuerit sive ætaris, sive temperamenti, integras vero simul familias pervadentes. Neque numero tantum erant spectabiles (cum quælibet hyems haud paucas nobis generet) sed etiam ob anceps illud periculum, in quod eos, quos affecerant, per accidens conjiciebant. Cum enim *Constitutio*, & jam, & per Autumnum omnem modo elapsum, in producenda febre epidemica supra descripta omnes nervos intenderet, cumque jam nullus existeret morbus alius epidemicus, cujus contranisu hujus vires aliquantisper possint refringi, tusses istæ febri sternebant viam, atque in eam quam libentissime commigrabant. Interea, quemadmodum tussis constitutioni opitulabatur in febre producenda, ita etiam febris occasionem ex tussi natam arripiens, jam pleuram ac pulmones haud aliter invadebat, ac caput invaserat vel septimana illa, quæ hatum tussium exortum fuerat prægressa; Quæ tam improvisa symptomatum mutatio nonnullis, qui minus diligenter adverterant animum, ansam præbuit, febrem hanc pro *Pleuritide Essentiali*, aut *Essentiali Peripneumonia* habendi, licet eadem omnino illa maneret atque fuerat per integram hanc constitutionem. Nunc enim, uti prius semper, cum dolore capitis, dorsi, atque artuum quoslibet aggrediebatur; quæ symptomata omni ubique hujusce constitutionis febri conveniebant. Materia tantum febrilis, cum stipulante tussi in pleuram ac pulmones uberius deponeretur, symptomata dictas partes attinentia excitabat; attamen febris quantum mihi licuit observare, eadem prorsus cum illa fuit, quæ ad eum usque diem fuerat depopulata, quo hæ tusses primum comparebant; quin & remedia quibus promptissime parebat, idem plane demonstrabant. Et quantumlibet lateris dolor punctorius, respirandi difficultas, color detracti sanguinis, & reliqua signa pleutitidi familiaria, *Essentialem Pleuresin* subesse innuerent, non aliam tamen medendi methodum postulavit hic morbus, quam quæ febri hujus *Constitutionis* quadrabat, ab illa vero quæ *Veræ* pleuritidi conveniebat, abhorrebat admodum, ut ex infra dicendis liquebit. Addo, quod cum Pleuritis, quoties est morbus primarius, eo plerumque anni tempore soleat invadere, quod inter

Ver

Ver atque Æſtatem ambigens, utriuſque quaſi fibula eſt, hic morbus alieno prorſus ſydere natus, pro ſymptomate tantum febris, quæ iſti anno propria fuit, ducendus eſt, atque accidentalis tuſſis ſobole.

* Ut ad eam methodum rite procedam, quam hujus anni tuſſibus, tum etiam iſtis quæ aliis contingunt, (modo ab iiſdem cauſis naſcantur) deberi monuit experientia, animadvertendum eſt, effluvia iſta, quæ a ſanguinis maſſa per inſenſibilem tranſpirationem ablegari ſolent, a frigore cutis ſpiracula ſubito contrahente introverti, & in pulmones deponi, quos irritando, tuſſim mox excitant. Cumque hoc pacto detineantur calidæ iſtæ & recrementitiæ ſanguinis exhalationes, quo minus per cutis poros exeant, febris in ſanguinis maſſa facile accenditur; ubi ſcilicet vel tanta eſt halituum copia, ut pulmones iis eliminandis haud ſufficiant, vel calore adventitio ſive remediorum, ſive regiminis juſto calidiorum quaſi adjecto oleo ignis augetur, & qui in febrim jam plus ſatis erat proclivis, in eandem præceps agitur. Verum enim vero, qualiſcunque fuerit febris *Stationaria*, quæ illum annum funeſtat, atque per id temporis dominatur, nova hæc febris ſtatim in ejus nomen ac familiam adoptatur, eiuſdem ubique genio obſequens, licet ſymptomata quædam adhuc retineat a tuſſi, quam habuit parentem, pendentia; ac proinde ſatis conſtat in tuſſi qualibet ex hac προφάσει nata, non tantum ipſi morbo, ſed & febri, quę tuſſi huic paratiſſima accedit, occurrendum eſſe.

Hac innixus baſi, iis qui meam implorant opem hoc modo ſuccurrere conabar. Si tuſſis nondum febrim, atque alia ſymptomata, quæ ut plurimum ſe adjungere ſolere diximus, accerſiverat, ſatis eſſe arbitrabar, ægrum a carnibus & liquoribus ſpirituoſis quibuſcunque arcere, hortabar item ut exercitiis uteretur moderatis, & frueretur aura liberiore, ptiſanam pectoralem refrigerantem ſubinde hauriens. Sufficiebant nimirum paucula hæc & ad tuſſim perdomandam, & febrim, aliaque ſymptomata quæ illam comitari ſolebant, prævenienda. Sicut enim abſtinentia a carnibus, & liquoribus ſpirituoſis, tum etiam refrigerantium uſu ita contemperabatur ſanguis, ut impreſſioni febrili ineptior eſſet; ita etiam exercitii opervida illa ſanguinis effluvia, quæ, quoties corporis pori a repentino frigore occluderentur, intro acta tuſſim excitabant, via ſibi naturali ac genuina exhalabant opportunius, & cum bonis ægri rebus difflabantur.

Tuſſim quod ſpectabat ſedandam, haud vacabat periculo Narcoticis atque Anodynis illam aggredi; nec minus periclitabatur, ſi quis liquoribus ſpirituoſis calidiſque medicamentis idem moliretur, cum utroque modo inviſcata, atque indurata tuſſis materia, halitus iſti, qui a ſanguine placide ac ſenſim diſcedentes tuſſiendo in auras invaneſcerent, jam exitu negato, in cruoris maſſa præclud febrim ibidem ciebant. Atque hoc ſæpenumero non paucis e vulgo inconſultioribus peſſime ceſſit, qui cum ſpiritu vini uſtulato aliiſque calidis liquoribus tuſſi obicem ponere niterentur, affectus pleuriticos & peripneumonicos invitabant, atque inſana hac ſapientia morbum ſua natura leviſſimum & facile ſanabilem, in periculoſum ac ſæpe lethalem transformabant: Nec minus hallucinabantur (licet magis cum ratione inſanire viderentur) qui provocatis ſudoribus morbi cauſam exterminare volebant: Quamvis enim non diffiteamur, ſudores ſponte prorumpentes haud raro præ cæteris quibuſcunque præſidiis cauſam morbificam expellere, liquet tamen, nos, dum in iis extorquendis ſumus, ſanguinem incendere, & quem ſervare volumus ægrum letho dare poſſe.

Quandoque vero, non tantum ubi minus rite tractaretur morbus, quo ſcil. ſupra deſcripſimus modo, ſed etiam nonnunquam ſua ſponte (maxime in delicatioribus ac tenellulis) nunc ſtatim ab initio, nunc poſt diem unum aut alterum, tuſſi ſuperveniebat caloris ac frigoris viciſſitudo quædam, capitis, dorſi, atque artuum dolor, ad ſudores nonnunquam propenſio, noctu maxime (quæ omnia pariter ſymptomata febrim hujus *Conſtitutionis* plerunque ſequebantur) quibus ſæpe adjungebatur lateris dolor, nonnunquam etiam pulmonum quaſi conſtrictio coarctatioque, unde difficulter reſpirabat æger, inhibebatur tuſſis, excitabatur febris vehementior.

Febri, & peſſimis ejus ſymptomatibus rectiſſime, (quantum accurate facta obſervatione mihi conſtitit) occurrebatur venæ ſectione in brachio, & epiſpaſtico nuchæ applicato; clyſtere item quotidie injiciendo. Ægrum interim monebam, ut ſingulis diebus ad horas aliquot lecto abſiſteret, abſtineret a carnibus, nunc cereviſiam tenuem, nunc lac aquæ permiſtum, nunc ptiſanam aliquam refrigerantem ac lenientem ſorberet. Elapſo jam biduo triduove, ſi nondum minueretur dolor lateris, ſed adhuc vehementer urgeret, ſanguinem ſecundo detraxi, & ut in uſu enematum perſiſteret adhuc, ſuaſi. Enemata autem quod attinet, diligenter advertendum eſt (tam in hac, quam in aliis febribus) ea, jam fractis morbi viribus, & retuſa acie, non diu & continuo repetenda eſſe, maxime in fœminis paſſioni hyſtericæ obnoxiis, aut vis hypochondriacis; cum talium ſanguis atque humores εὐμεταβλητοι ſint, ac nullo fere negotio exagitentur atque æſtuent, unde perturbatur corporis œconomia, & ſymptomata febrilia etiam ultra ſolidam periodum ęgros diſcruciant.

Sed ut ad rem revertamur, dum hoc pacto ſpatium morbo concederemus, quo ſanguis calidas illas particulas, quæ in pleuram ac pulmones impegerant, ſenſim excuteret, ſymptomata univerſa placide ſolebant evaneſcere; cum qui morbum ferocius atque hoſtili manu aggrediebantur, ingenti remediorum molimine bellum inferentes, vel ſuos ægros amitterent, vel ſaltem phlebotomia ſæpius repetita quam vel poſtulabat morbi genius, vel etiam tuto ferebat; eorundem vitam redimere cogerentur. Cum enim in vera pleuritide venæ ſectio repetita omnem numerum abſolvat, ſolaque ad curationem ſufficiat, (modo non obſtiterint medicamenta & regimina calidiora, quæ contra militant) ex adverſo in hoc ſymptomate ſatis erat ſemel, vel ut plurimum bis veniam ſecaſſe, modo ægro concederetur ut e lecto exurgeret, & potu refrigeranti uteretur. Nulla autem cogebat neceſſitas, ſi bene obſervaverim, ſanguinem ſæpius educere, niſi ubi a calore foris accedente admodum intenderetur dictum ſymptoma; neque etiam in hoc caſu periculo id omnino vacabat.

Hanc jam nactus anſam, paucula de eo dicam quod omnium ore tritiſſimum eſt, *Pleureſin* ſcilicet quandoque ita *Malignam* reperiri, ut per eos annos phlebotomiam ferre neſciat, ſaltem toties repetitam, quoties hic morbus communiter depoſcit. Cenſeo quidem *Pleureſin* veram atque *Eſſentialem*, quæ, ut poſthac dicetur, omnibus annorum omnium conſtitutionibus indifferenter infeſta, omnibus indifferenter annis venæ ſectionem pariter repetitam indicare; aliquando tamen accidere ut febris ejus anni proprie epidemica, a repentina aliqua manifeſtarum aeris qualitatum alteratione, materiam morbificam in pleuram aut pulmones libenter deponat, ipſaque febris nihilominus eadem prorſus maneat. In hoc caſu, etſi venæ ſectio poſſit concedi, ut huic ſymptomati, ſi multum ſæviat, occurratur; generaliter tamen ſi loquamur, non multo plus ſanguis ſymptomatis ratione educendus eſt, quam febris nomine debuerat educi, a qua pendet iſtud ſymptoma: Namque ſi hæc ejus ſit indolis; ut a repetita venæ ſectione non abhorreat, poteſt ea repeti in pleuritide quæ ejuſdem ſymptoma eſt; at vero ſi febris repetitam venæ ſectionem reſpuat, neque juvabit iſta, imo & nocebit in pleuritide, quæ cum febre ſtabit cadetve. Hoc autem modo ſe res habuit, me ſaltem judice, in *Pleuritide ſymptomatica*, quæ febrim comitabatur hoc in loco graſſantem, quo tempore ſubingrediebantur *Tuſſes*, hac nimirum hyeme 1675. Atque hoc quidem mihi ideo reticendum non erat, quod exiſtimem dubio illum tramite errare, atque incerto duci filo, qui in febrium curatione non continenter ob oculos habet anni *Conſtitutionem*, quatenus huic aut alteri morbo epidemice producendo favet, ceteriſque morbis omnibus una concurrentibus in ejus ſimilitudinem ac formam detorquendis.

Novembri anni præfati, Dominum *Thomam Windham*, Domini *Franciſci Windham* Equitis filium natu maximum, hac febre laborantem tractabam. Querebatur is de lateris dolore, aliiſque ſymptomatibus, de quibus cæteri hoc morbo affecti. Venam haud plus ſemel tundendam curavi, epiſpaſticum nuchæ apponi, enemata quotidie injici; nunc ptiſanas atque emulſiones refrigerantes, nunc lac aquę immiſtum, nunc cereviſiam tenuem propinavi, ſuaſi ut lecto abſiſteret quotidie ad horas pauculas, qua methodo intra paucos dies reſtitutus eſt, & celebrata catharſi omnino convaluit.

Notandum autem eſt, quod tametſi ſymptomata hæc, quæ tuſſi ſupervenire ſolerent, ea prope eſſent, quæ hanc hyemem funeſtabant, attamen tuſſis ipſa ſine illis ſola invadens, ea tempeſtate magis dominabatur. Hujus autem medela neque venæ ſectionem, neque clyſteres ſibi vindicabat, modo febris a regimine vel medicamentis calidioribus non excitaretur. Cum ſatis erat ad eam compeſcendam ægro liberioris aeris foras uſum concedere, & carnis eſum, ut & vinum ac id genus liquores ſpirituoſos, qui febri anſam præbeant, omnino interdicere. Potro *Tabellas* ſequentes ſæpiuſcule devorandas imperavi; quæ quidem ad tuſſes a frigore ſuſceptas coercendas omnibus aliis, quæ mihi adhuc innoteſcunt, longe præcellunt. ℞. *Sacchar. Cand.* ℔ii ß. *Coq. ſ. q. aq. communis uſque ium adhæreſcat extremis digitorum, tum adde pulv. Liquirit. Enul. Campan. ſem. aniſi & ſem. Angelic. an.* ℥ ß. *pulv. Irid. & flor. Sulphur. an.* ℈ij. *ol. chym. ſem. aniſi* ℈j. *f. ſ. a. tabellæ, quas ſecum continuo portet, ac earum unam frequenter aſſumat.*

At priuſquam his quæ de morbis epidemicis diſſerui, ultimam imponam manum, objectioni, quam contra eorum nonnulla adferendam prævideo, occurrendum mihi eſt, quod nempe non ſatis cum *malignitate* iſta pugnare videantur, quæ pluribus horum morborum adhæret. Non is ſum, qui receptam a viris doctiſſimis ſive hujus ſæculi, ſive antiquioribus, de malignitate opinionem convellere aut poſſim, aut etiam velim, cum iſta indiciis plus ſatis ſe prodat manifeſtis, in epidemicis pleriſque. Liceat mihi tantum quæ de ejus natura ſentio in medium proferre, quo hæc noſtra praxis minus a ratione abhorrere videatur. Ipſe enim cum eruditiſſimo *Scaligero*,

Non mihi, ſed rationi, aut quæ ratio eſſe videtur,
Milito; ſecurus quod mordicus hic tenet, aut hic.

Cenſeo itaque ego *malignitatem* eam omnem, quæ epidemicis competit, (qualiſcunque tandem fuerit ſpecifica ejus natura) particulis calidiſſimis ac ſpirituoſiſſimis, humorum in humano corpore contentorum naturæ plus minuſve adverſantibus, conſiſtere ac terminari, quia ſolæ iſtiuſmodi particulæ humores ita ſubito alterare valent, atque in morbis malignis fieri videmus. Cenſeo item calidas illas & ſpirituoſas particulas aſſimilando maxime agere: Cum ex naturæ lege quodlibet principium activum ſui ſimile procreare ſatagat, & quęcunque ei obſiſtunt ad propriam indolem inflectere atque accommodare. Ita ignis ignem generat, & maligno infectus morbo ſocium inficit, ſpirituum ſc. emiſſione, qui humores mox inficiendos ſibi aſſimilant, & in naturam ſuam perducunt, trahuntve.

His pręmiſſis, omnino ſequitur nihil eſſe prius, quam ut dictæ particulæ ſudore eliminentur; hoc enim modo morbus conſeſtim funditus extirparetur: At hic reclamat experientia, docetque hoc in omni *malignitatis* ſpecie fieri non poſſe. Quamvis enim in ipſa *Peſte* particulæ peſtilentiales, tum quod admodum fuerint ſubtiles, tum etiam quod ſanguinis partibus maxime ſpirituoſis inſideant, diſſipabiles ſint, atque excitato ſudore non interrumpendo ejici queant; in aliis tamen febribus, ubi particulæ aſſimilantes non in eam ſubtilitatem ſunt evectæ, atque etiam humoribus magis craſſis incorporantur, minera illa maligna non tantum ſudoribus diſſlari non poteſt, ſed ſæpenumero etiam augetur, quibus iſti ſolicitantur, diaphoreticis. Quanto enim magis uſu calefacientium actuantur particulæ hæ calidæ ac ſpirituoſæ, tanto magis intenditur ea quam habent aſſimilandi facultas, quantoque etiam magis excalefiunt humores iſti, in quos agunt, tanto libentius in aſſimilantium caſtra migrant, earundem impreſſionibus cedentes. Cum ex adverſo ratio dictare videatur, medicamenta illa quæ contrariæ ſunt naturæ, non tantum particularum calidarum atque acrium vim inhibere, ſed etiam humores condenſare obfirmareque, quo ſpirituum morbificorum fortius ſuſtineant impetum, vel etiam frangant. Atque appellanda hic mihi venit experientia, qua magiſtra edoctus ſum & purpureas febrium maculas, & Variolarum puſtulas nigras, eo promptius ſumpſiſſe incrementum, quo magis calefieret æger, eaſdem vero pro ratione moderationis regiminis, quod iis omnino debetur, decreſcere ſolere ac minui.

Jam ſi quis me roget, qui fiat ut, cum *malignitas* in ejuſmodi particulis calidis ac ſpirituoſis conſiſtat, haud raro ita parca febris ſigna conſpiciantur, etiam in morbis ſumme malignis; reſponderem percontanti, primo in præcipua illa, & maxime inſigni malignitatis inſtantia, ipſa *Peſte*, abunde conſtat particulas νοσηρὰς ita ſupra modum ſubtiles eſſe atque aculeatas, (præſertim ubi primum incipit graſſari) ut auræ ad inſtar ſanguinem pervadant, ac ſyderatis quaſi ejus ſpiritibus, ne in ebullitionem quidem illum attollant, unde æger ſine febre perit.

At

* *Curatio*.

At vero in minori isto malignitatis gradu, qui in aliis epidemicis reperitur, symptomata febrilia ita parum conspicua redduntur, nonnunquam a confusione in sanguine, atque humoribus excitata a particulis inimicis eorum in gremio conclusis; unde natura quasi oppressa non potis est symptomata illa magis regularia exercere, quæ morbo competunt, at anomala sunt, φαινόμενα, fere omnia ob οἰκονομίαν penitus eversam, dirutamque, quo in casu deprimitur sæpe febris, quæ, obtinente genuino naturæ ductu, omnino vigeret. Quandoque etiam pauciora se ostendunt febris indicia, quam pro morbi genio, ob metastasin mineræ malignæ, vel in genus nervosum factam, vel in alias partes corpotis, vel etiam humores extra sanguinis pomœria, dum turgeret adhuc materia morbum committens.

Quicquid vero id fuerit, ne hariolari quidem possum, quænam alia medendi methodus *malignitati* qualicunque adhibenda sit, præter eam, quæ epidemico, cui inhæret, debetur: Ita ut sive epidemicus de eorum numero sit, qui primo concoctionem materiæ febrilis, mox ejusdem rite dispositæ eliminationem per sudores sibi vendicant; vel eorum, qui per eruptionem aliquam fugam sibi quærunt; vel etiam eorum, qui ab artis præsidio viam sibi aperiendam præstolantur; in singulis his, inquam, generibus, *Malignitas* morbi comes, ipso cum morbo stabit, cadetque, pari usa fortuna, & pari etiam passu recedens; atque ex consequenti, quæcunque evacuatio febri in genere competit, eadem & malignitati debetur: quantumlibet evacuationes istæ sibi invicem fuerint contrariæ. *Malignitati* itaque isti, quæ *Febres Autumnales Intermittentes* comitatur, uti & *Febrem Continuam*, quæ ejusdem est indolis, medebitur diaphoresis, quæ concoctionem subsequitur, ceu ejus effectum. *Variolarum malignitati* subveniet tempestiva absessulorum maturatio, atque ita de reliquis: in quibus omnibus, peculiaris *malignitatis* species istis præsertim modis, ac methodo illa optime superatur, quibus libentissime cedunt peculiares isti morbi, ad quos illa spectat, sive hac methodo procedendum fuerit, sive altera. Hoc mihi dictat ratio, nisi pro Junone nubes, atque huic etiam experientia jugiter suffragatur.

CAPUT VI.

Anacephalæosis.

ATque ita demum animadvertimus, spatium illud annorum, quo finiuntur prægressæ observationes, geneta *Constitutionum* omnino *Quinque* peperisse; Quinque nimirum peculiares aeris Diatheses, totidem *Epidemicorum* species peculiares, febrium nominatim, producentes: febrium autem harum prima, quæ iis annis infestabat, quibus *Intermittentes Autumnales* maxime grassabantur, unica mihi videtur, (quantum observatione diligenti, fidaque hactenus assequi potuero) in qua natura ita omnia symptomata moderabatur, ut materiam febrilem debita coctione præparatam certo suo tempore ad exitum disponeret, vel per justam διαφόρησιν, vel διαπνοὴν paulo liberaliorem, (quæ idcirco *Febris Depuratoria* mihi audit). Et profecto facile adducor, ut credam, præcipuam hanc esse, atque *Primariam* Naturæ *Febrem*, tum ob regularem illam methodum, qua utitur in promovenda materia morbifica, eademque præfinito tempore digerenda; tum etiam quia hæc febribus aliis quibuslibet frequentior occurrit, cum credibile sit *Febres Intermittentes* epidemice sæpius grassari, quam alios morbos quoscunque, si illis nempe habenda sit fides, qui de earum frequentia in sæculis jam elapsis tot & tanta scripserunt; quicquid demum in causa fuerit quod ita raræ comparuerint, a quo *Pestis* hanc urbem est depopulata: Enim vero *Febris* hæc *Pestilentialis Inflammatoriis* iis omnibus, quæ post invasere, se ducem præbebat, ac πρόδρομον. *Febri* autem isti *Primariæ*, de qua supra, adaptantur, ni fallor, illustria illa, atque necessaria Axiomata, quæ tradiderunt *Hippocrates*, aliique Medici antiqui; quorum ope ita est regenda, ut præparetur materia febrilis ad crisin per sudores rite faciendam: neque enim satis video, qui possint accommodari dicti aphorismi subsequentibus istis febrium speciebus, quæ diversam longe habent indolem; & raro ejusmodi methodo aliqua solvi solent, qua nos adjuti, si ad eam accedamus scilicet, eamque perficiamus, morbos hosce subjugare possumus. Utut vero hæc se res habeat, notatu dignum esse autumo, quod cum febris hæc, quæ ab illa *Constitutione* pendebat, qua Intermittentes cæteris prædominabantur, (si vel diutius persisteret, vel æger nimiis evacuationibus fuerit exhaustus) subinde in Intermittentium castra de facili transiret; istæ febres quæ sequentes funestabant annos, etiamsi diutissime cruciarent, rarissime tamen Intermittentes fierent; indicio satis manifesto eam *Febrem Continuam atque Intermittentes* istas, vel natura quadantenus convenire, vel non multum ab invicem abhorrere.

Jam si quis a me percontetur, quo demum pacto *Febris Continuæ* speciem ex notis in febrium descriptionibus a me traditis queat expiscari, cum plerumque singulæ iis implicentur symptomatibus, quę omnibus in genere competunt febribus, (cujusmodi sunt calor, sitis, inquietudo, &c.) Huic ego responderem, difficile id quidem esse, at non plane impossibile, modo quis serio, atque adamussim exegerit circumstantias eas omnes, quas in historia præcedenti indigitavimus; maxime si in urbe aliqua, aut loco alio hominibus referto, examen instituat. Ponamus enim Medicum ad febre continua laborantem accersiri, id primo habet adminiculi ad judicium rite formandum, quod vel ex observatione propria, vel aliis indicantibus facile rescisçat, quinam alii morbi præter hanc febrem, & cujus demum generis, eo locorum epidemice grassantur; quo cognito, non amplius dubitabit cujus generis esse debeat febris ista, quæ huic alteri epidemico regnanti famulatur. Quamvis enim fieri possit ut febris iis tantum se prodat symptomatibus, quæ omnibus omnino febribus sunt communia, (præsertim si in ἀταξίαν & confusionem agatur e methodo, quæ ab ejus curatione prorsus aliena est) alii tamen epidemici characteres naturæ, atque indoli suæ proprios ac peculiares apertissime agnoscent. Verbi gratia, qui *Variolas* inspexerit, facile conjectabit, (modo ejus morbi historiam probe calleat) vel a die quo primum erumpunt pustulæ, vel ab earum magnitudine, atque colore, &c. ad quodnam Variolarum genus species illa particularis fuerit referenda: atque ubi semel cognoverit, quænam sit illa Variolarum species, quæ eo anno atque per loca ista increbrescit, satis illi constabit de specie febris cujusvis per id temporis, atque eo locorum grassantis. Et sane si morborum historias ad unguem perdidicissem (quam ego mihi laudem minime arrogo)

Sydenham Opera Medica.

sicuti epidemico quovis conspecto non dubitarem de febris tum regnantis genere pronunciare, licet ne unam viderim quidem; ita *Febris* quælibet conspecta, quisnam ei jungeretur morbus epidemicus, me satis doceret, an *Variolæ* scilicet, vel *Morbilli*, vel *Dysenteria*, &c. Cum tam peculiare aliquot horum genus, quam febris peculiaris, particularem quamlibet constitutionem jugiter comitetur.

Secundo autem, præter indicia illa, quæ epidemicorum una invadentium consideratio nobis suggeret, & ipsa cujuslibet febris symptomata ad ejusdem speciem dignoscendam, haud obscuram lucem fœnerantur. Quamlibet enim, ut supra innuimus, febres in universum omnes quædam habent symptomata omnibus communia, sunt tamen & certæ aliquæ distinctionis notæ, quas singulis speciebus sigillatim impressit natura; quæ cum subtiliores sint ac magis reconditæ, non nisi a cautissimis, & minutissima quæque pensiculatim trutinantibus erui solent, aut investigari. Inter hæc signa distinguentia semper existimavi ego, ægri sive sudationem, sive siccitatem in hoc, vel illo morbi tempore, febris speciem præcipue ptæ cæteris demonstrare, modo illa a statu naturali ac suo, methodo minus congrua non fuerit dejecta. Atque hoc ipsum liquido mihi constabat in febribus omnibus epidemicis, quotquot observationes hæ nostræ hactenus complectuntur. Exempli gratia, iis in febribus, quæ vigebant exolescente *Intermittentium Autumnalium* prædominio, ægri externa arescebant, nec vel minima sudoris præsignatio ante materiæ febrilis concoctionem, quæ die decimo quarto plerumque perficiebatur, in conspectum se dabat. Neque etiam cieri hic poterat sudor sine ingenti ægrorum discrimine, qui in phtenesim, aliaque symptomata periculosissima mox a coacto sudore præcipitabantur. In *Febri Pestilentiali*, quæ hanc quidem subsecuta est, (*Inflammatoriarum* autem omnium, quæ ab illo tempore invasere, chorum duxit) nulli sudores sponte sua prorumpebant, at a sudorificis excitari poterant, vel primis morbi diebus, atque iis semel obortis æger nullo non symptomate levabatur. Febre proxime succedente, quæ *Variolas* iis annis comitabatur, quibus illę *Regulares* erant, æger sua sponte effusissimis sudoribus totus dimanavit, vel a morbi initio; at qui istis indulgebat æger, intendebat illico symptomata omnia, haud mitigabat. In binis febribus, quæ duabus *Variolarum Anomalarum* speciebus, atque *Dysenteriis* se comites adjungebant, & sudores anomali etiam fuere; at plerumque solis primis diebus exeuntes, licet qui primam febrem comitabatur sudor, quam qui posteriorem, aliquantisper esset copiosior, sed in neutra emolumento fuit ægro, cum non a prævia concoctione, sed a confuso patticularum noxiarum motu is eliceretur.

Arduum vero id mihi in primis videtur, novæ febris speciem, vertente primum anni *Constitutione*, indagare, cum necdum specimen ejus aliquod quis oculis usurpaverit, nec dum resciverit, qualesnam demum sint futuri morbi epidemici, quos ut plurimum febris prævertit. Molestum esset singula enumerare, quæ iis annis, de quibus egi, occurrebant, quo liqueret ansas haud obscuras a natura nobis suggeri, quibus adjuti hoc præstare valeamus; ac proinde cognitio hæc a perdiligenti atque accuratissima circumstantiarum omnium observatione necessario pendebit. Quantumlibet autem difficile id fuerit, imo si & impossibile plane supponamus, novæ febris, ubi primum ingreditur, speciem certo distinguere; tamen ad curationem quod attinet, Indicatio a *Juvantibus* & *Lædentibus* sumenda, nobis saltem relinquitur; cujus ope viam paulatim prætentantes ægrum in tuto possimus collocare, modo ne plus satis properemus; qua quidem *festinatione* nihil ego quicquam exitialius esse autumo, nec re ulla alia febricitantium plures vita spoliari. Neque pudet fateri, me non semel in curandis febribus, ubi nondum constaret quid mihi agendum esset, nihil prorsus agendo, & mihi, & ægro consuluisse optime; dum enim morbo invigilarem, quo eum opportunius confodere valetem, febris vel sponte sua sensim evanuit, vel in eum se typum redegit, ut jam mihi innotesceret, quibus armis esset debellanda. Sed, quod dolendum omnino est, ægrorum quamplurimi, haud satis guari, quod perinde sit Medici periti quandoque nihil agere, atque alio tempore efficacissima adhibere remedia, probitatis, atque fidei fructum hunc capere nolunt, sed vel negligentiæ vel ignorantiæ id imputant; cum Empiricorum insulsissimus quilibet medicamenta medicamentis adjicere æque novit, ac solet magis, quam Medicorum prudentissimus.

Hæc sunt fere quæ hactenus observavi, saltem quæ ad normam aliquam reduci potuerint, de *Morborum Epidemicorum* speciebus, atque ordine illo quo invasere ab anno 1661. ad finem usque anni 1675. Quo quidem tempore *Variolæ*, & *Febres Continuæ* earum comites, quæ ferme a biennio dominatæ sunt, mitiores jam factæ videntur exolescere. Qui post sequentur morbi, solus novit, qui novit omnia.

SECTIO SEXTA.

CAPUT I.

Febres Intercurrentes.

OBservationes annorum, quos jam descripsi, satis arguunt febrium alias *Stationarias* merito audire; ejusmodi febres intelligo, quę, cum a particulari quadam, ac nondum satis cognita hujus aut alterius anni *Constitutione* pendeant, singulæ suo ordine invalescunt, grassantur admodum, & quasi cæteris dominantur per continuam illam annorum seriem. An dentur etiam aliæ species præter jam dictas: An etiam exacto quodam annorum curriculo, aliæ alias certo ac constanti ordine excipiant, an secus se res habeat, nondum mihi licuit deprehendere. Sunt vero & aliæ *Febres Continuæ*, quæ licet jam parcius, jam inclementius sæviant & depopulentur, tamen cum Stationariarum quibuslibet, ut etiam & secum invicem eodem anno indifferenter commiscentur, quas idcirco *Intercurrentes* appellandas censeo. Quid tam de illarum ingenio, quam de methodo medendi eisdem adhibenda, hactenus observando didici, in sequentibus tradam. Sunt vero, *Febris Scarlatina*, *Pleuritis*, *Peripneumonia Notha*, *Rheumatismus*, *Febris Erysipelatosa*, *Angina*. Et forte aliæ quædam.

Jam vero cum universos hosce morbos vel adhuc comitetur febris, vel saltem fuerit comitata, donece xonerata in partes, sive has, sive

illas, pro morbi ratione, materia febrili, ſibi exitum invenerit; nullus dubito febrem ipſam pro morbo primario habendam, reliquoſque affectus a quibus ut plurimum morbi iſti nomen mutuantur, ſymptomata eſſe, quæ vel peculiarem κρίσεως modum, vel partem, in quam ruit morbi vis, præcipue ſpectant. Verum modo de re conveniat, nullam de nominibus movebo litem; mihi integrum fuerit morbum hoc vel illo nomine deſignare, pro arbitrio meo.

Animadvertendum eſt, quod ſicuti *Febres Stationariæ*, de quibus ſupra egimus, magis minuſve epidemice infeſtant, quod jam diximus, ptout annorum conſtitutio in ſecreta atque inexplicabili aeris temperie ſundara, eiſdem favet, ita etiam *Intercurrentes* hæ nonnunquam, licet non ita frequenter atque iſtæ, epidemice graſſantur. Quamvis enim plerunque oriantur ab hac vel illa particulari corporum particularium ἀνωμαγία, qua ſanguis atque humores quoquo modo vitiantur, aliquando tamen originem debent ſuam mediate quidem cauſæ alicui generali in aere manifeſtis qualitatibus hominum corpora ita diſponente, ut exinde tales taleſve ſanguinis atque humorum dyſcraſiæ generentur, quæ *Intercurrentium* ejuſmodi *Epidemicarum* cauſæ fuerint immediatæ. Uti cum gelu acrius diu perſeveraverit, ſe in Veris uſque pomœria longius extendens, de repente autem calidior tempeſtas ſuccedat, *Pleuritides Anginæ* ſimileſque morbi alii ſolent invadere, qualiſcunque demum fuerit *Conſtitutio* annorum *Generalis*. Et quoniam hi nonnunquam epidemice graſſantur perinde atque alii iſti, idcirco ut hos ab illis febribus diſpeſcam, quæ ad certam annorum ſeriem determinantur, omnibus indifferenter annis communes *Intercurrentes* appellare libet.

Quanto autem a ſe invicem intervallo diſſideant duo hæc febrium genera, quantum ad cauſas aere ſubminiſtratas, quoad alias tamen cauſas externas, ad procatarcticas ſpectat, ſæpenumero conveniunt, Ut enim jam mittamus contagium, quod quidem nonnunquam febrium Stationariarum aliquibus anſam exporrigit, & crapulam taceamus, qua matre proſeminantur tum iſtæ febres, tum hæ etiam, de quibus jam ago; cauſa evidens externa febrium quamplurimarum inde petenda eſt, quod quis ſcilicet vel præmaturius veſtes abjecerit, vel ab exercitio incaleſcens ſe frigori incautius expoſuerit: unde poris ſubito occluſis, retentiſque iis halitibus, quibus alias per cutis ſpiracula patebat exitus, hæc vel illa febris ſpecies in ſanguine ſuccenditur, prout vel generalis conſtitutio, quæ tum temporis obtinet, vel particulares humorum dyſcraſiæ in hanc vel illam febris ſpeciem potentius determinaverint. Et ſane exiſtimo plures modo jam deſignato, quam *Peſte*, *Gladio*, atque *Fame* ſimul omnibus perire: Etenim ſi quis ægrum Medicus de prima morbi occaſione paulo minutius interrogaverit (modo ex acutorum iſtorum numero ſit quos ſupra tractavimus) audiet quaſi ſemper, vel eum veſtem aliquam temere depoſuiſſe, cui pridem aſſueverat, vel corpus motu excaleſactum ſubito frigori permiſiſſe, atque ex alterutra harum προφάσεων incidiſſe in morbum. Quam ob cauſam familiares meos ſemper moneo, ut nullo alio anni tempore quicquam veſtium, quibus aſſuevere, ſibi detrahant, niſi menſe uno ante *Solſtitium Æſtivum:* Nec minori cum ſtudio eoſdem hortor, ut ab exercitio caleſcentes frigus ſedulo evitent.

At vero diligenter hic loci notandum eſt, quod licet morbi iſti, qui ſub intercurrentium titulo jam mihi tractandi veniunt, plerique, ſi non omnes, *Eſſentiales* fuerint morbi, ſepenumero tamen affectus quidam, tum eos quoad phænomena referentes, tum eodem etiam inſigniti nomine, iſtis febribus ſuperveniunt quas *Stationarias* appello, & ſunt nuda earum *ſymptomata*: Quo in caſu non jam illa methodus adhibenda eſt, quæ iis debetur, quoties morbi ſunt eſſentiales, aſt iſta potius quam ſibi poſtulat febris, cujus nunc ſunt ſymptomata, ad quorum quidem curationem ea leviter tantum inflectenda eſt: In genere autem ad anni febrim ſerio attendendum eſt, inveſtigandumque quo illa pacto facillime expugnari poſſit, venæ ſectione, an ſudoribus, vel alia methodo qualibet. Hoc ſi ſuſque deque habeatur, cum ingenti ægrorum diſcrimine perſæpe errabimus. Si quis objecerit hos ipſos affectus, quos ego eſſentiales voco, & de quibus jam ago, revera ſymptomata tantum eſſe, reſpondeo, ſymptomata ea forte eſſe reſpectu febris ad quam proprie ſpectant, ac ſymptomata ſunt ſaltem febrium, quæ illa ſemper ac neceſſario producunt. V. gr. in *Pleuritide* eſſentiali febris ejus eſt indolis, ut ſemper materiam morbificam in pleuram deponat; in *Angina* eſſentiali ejus indolis eſt, ut eadem ad fauces ſemper amandet, atque ita ſe res habet in cæteris: Cum ubi affectuum memoratorum utervis febris ſuperveniat, quæ ad hanc illamve annorum conſtitutionem ſpectat, atque ab ea pendet, idem per accidens tantum, neutiquam vero neceſſario producitur. Quo nomine haud parum a ſe invicem diſterminantur.

Jam autem, ut affectus *Eſſentiales* mihi dicto ab iis qui *Symptomatici* tantum ſunt, rite diſtinguamus, multum confert nobiſcum perpendiſſe, quod qualia ſint ſymptomata quæ invaſionem febris hujus alteriuſve *Stationariæ* comitantur, talia omnino erunt ſymptomata quæ inſultum ſive *Pleuritidis*, ſive *Anginæ* ſequuntur, quoties ejuſmodi febris accidentia ſunt tantum. Quod quidem cernere erat in *Pleuritide ſymptomatica* prædicta, quæ febri per hyemem graſſanti, anno 1675. ſuperveniebat. Quotquot enim hac laborabant pleuritide, ubi primum corripiebantur, capitis, dorſi, & artuum patiebantur dolorem; quæ certiſſima erant & maxime vulgaria febrium earum omnium ſymptomata, quæ & antequam ingrederentur Pleuritides, invadebant, atque illis expirantibus adhuc durabant. Cum quoties uterlibet horum intercurrentium morbus *Eſſentialis* eſt, omnibus indifferenter annis pari modo aggreditur, nihil prorſus habens commune cum febre Stationaria per id tempus regnante. At hæc ſymptomata omnia quæ poſt emergunt magis perſpicua ſunt, cum non obſcurentur ac confundantur ab aliorum φαινομένων, quæ naturæ ſunt diverſæ, & ad aliam ſpectant febrem, admixtione. Præter hæc, Anni tempus, quo eſſentiales intercurrentes plerique, non tamenomnes, ſolent infeſtare, haud raro ſubinnuit ad quam claſſem hujuſmodi affectus referendi ſint. At vero ad morborum, tum horum, tum aliorum etiam omnium Diagnoſin, iis demum inſtructiſſimus accedet, qui obſervatione hac diligenti ita intime eorum phænomena rimando perſcrutatus fuerit, ut ubi eos inſpexerit, genus ſtatim norit diſtingnere; licet differentiarum characteriſticarum aliæ ita ſint fortaſſe ſubtiles ac delicatæ, ut eaſdem alteri verbis nequeat exprimere.

Quandoquidem autem variæ hæ febrium ſpecies, (quantum quidem aſſequi poſſum ex phænomenis, quæ tum morbos ipſos, tum medendi rationes attinent, ſedulo penſitatis) peculiari, ac cuilibet morbo propriæ ſanguinis inflammationi ortum debent ſuum, in eodem refrigerando contemperandoque omnis mihi fere curationis vertitur cardo: Methodo interim pro morbi genio variata, & cui, experientia jugiter ſuffragante, ea ſpecies libentiſſime concedit, materiæ morbificæ eliminandæ ubique ſatago. Et profecto in febrium quarumlibet curatione omne punctum tulerit, qua porta excludenda venit materia febrilis, qui certo norit; venæ ſectione v. gr. ſudoribus, catharſi, aut ſi qua eſt alia magis appoſita.

CAPUT II.

Febris Scarlatina.

S*Carlatina Febris*, licet nullo non tempore poſſit incidere, ut plurimum tamen exeunte æſtivo ſe prodit, quo quidem integras familias, infantes vero præ cæteris infeſtat. Rigent, horrentque ſub initio, ut in aliis febribus, qui hac afficiuntur, neque vehementer admodum ægrotant; poſtea cutis univerſa maculis parvis rubris interſtringitur, crebrioribus certe & multo latioribus, magiſque rubentibus, at non perinde uniformibus, ac ſunt illæ quæ *Morbillos* conſtituunt. Ad duos treſve dies perſiſtunt hæ maculæ, quibus demum evaneſcentibus, decedenteque ſubjecta cuticula, reſtant furfuraceæ quædam ſquamulæ ad inſtar farinæ corpori inſperſæ, quæ ad ſecundam aut tertiam vicem ſe produnt, conduntque viciſſim.

* Cum hic morbus nihil aliud mihi videatur, quam mediocris ſanguinis efferveſcentia a prægreſſæ Æſtatis calore, aut alio aliquo modo excitata, nihil quicquam molior, quo minus ſanguis ſibi deſpumando vacet, & materiæ peccanti, quæ ſatis prompte adjungitur, per cutis poros ablegandæ. Quamobrem tum hinc & a venæ ſectione, & ab Enematum uſu mihi temperans (quibus remediorum formis facta evulſione particulas ſanguini infeſtas cum eodem intimius permiſceri, & motum naturæ magis congruum ſufflaminari autumo) tum ex altera parte ab exhibendis Cardiacis, quorum æſtu impetuoſius forte exagitabitur ſanguis, quam prorogata & leni illa ſeparatione in qua jam totus eſt; (Quid quod & vehementior febris hoc fomite poſſit accendi?) ſatis habeo ut æger a carnibus inſolidum abſtineat, & a liquoribus ſpirituoſis quibuſcunque, tum ut neque uſque foras prodeat, neque ſe perpetim lecto affigat. Cute jam penitus deſquamata, & ceſſantibus ſymptomatibus, e re fore exiſtimo, ut purgetur æger leni aliquo medicamento, ætati atque viribus accommodo. Simplici hac & naturali plane methodo hoc morbi *nomen*, (vix enim altius aſſurgit,) ſine moleſtia, aut periculo quovis facillime abigitur. Cum econtra ſi plus negotii ægris faceſſamus, vel lectulis continenter incarcerando, vel Cardiacis aliiſque remediis ſupervacaneis nimis docte, & (ut vulgo videtur) ſecundum artem ſupra modum ingeſtis, morbus ſtatim intenditur, & æger non raro nulla alia de cauſa, quam nimia Medici diligentia ad plures migrat.

Veruntamen hoc animadvertendum volo. *Si Convulſiones Epilepticæ* vel etiam *Coma*, huic morbo ſub initium eruptionis ſupervenerint (quod quandoque accidit in pueris ac junioribus hoc morbo laborantibus) omnino oportet, ut *Epiſpaſticum* amplum ac forte poſteriori cervici applicetur; atque porro ut *Paregoricum* e Syrupo de Meconio ſtatim exhibeatur, repetendum ſingulis noctibus uſque dum convaluerit; imperando interim ut æger bibat pro potu ordinario lac cum triplo aquæ coctum, & a carnis eſu abſtineat.

CAPUT III.

Pleuritis.

HIc morbus, quo nec alius frequentior, nullo non tempore infeſtat, potiſſimum vero anno inter Ver & Æſtatem ambigente. Nam per id temporis ſanguis a nova ſolis vicinia calefactus in efferveſcentias & inordinatos motus effrænatius ruit. Temperamento ſanguineo prædictos præ reliquis aggreditur, ſæpe etiam ruſticos, *& duro jam fractos membra labore*. A rigore plerunque atque horrore orditur, quos excipiunt calor, ſitis, inquietudo, & cætera febrium ſymptomata plus ſatis nota. Elapſis pauculis horis, (licet aliquando multo ſerius ingruat ſymptoma hoc) æger vehementi dolore, eoque punctorio, in laterum alterutro circa coſtas corripitur, qui nunc verſus omoplatas, nunc ſpinam, nunc ex adverſo verſus anteriora pectoris ſe propagat. Tuſſi etiam crebra affligitur, quæ magnum adfert cruciatum, a partium inflammatarum contentione ortum, unde ſpiritum ſubinde reprimit, ut prima tuſſiendi molimina coerceat. Quæ ſingulis vicibus *Anacatharſi* rejicitur materia, ſub initio morbi pauca & tenuis conſpicitur, & ſæpe ſanguinis particulis intermiſta; ſed procedente morbo copioſior eſt, & magis concocta ſanguine etiamnum permixto. Febris interea pari paſſu incedit, quin & vires ſumit a ſymptomatibus illis, quæ ab ipſa naſcuntur. Atque dicta febris cum funeſto comitatu omni, (*Tuſſi* ſcilicet, *ſputo ſanguinis*, *dolore*, &c.) pro ratione liberioris materiæ morbificæ expectorationis, ſenſim minuitur. At materia hunc morbum committens, non ſemper, eodem procedente, concoctionem expectorationi debitam attingit: fit enim non raro, ut materia paucula adhuc & tenuis, ſicut in principio morbi, tuſſiendo educatur, & conſequenter febris cum reliquis ſymptomatibus ne hilum remittat, donec ægrum jugulaverit. Æger interea nunc alvo eſt nimis adſtricta, nunc ſoluta nimis, dejectionibus crebris & liquidiſſimis. Eſt ubi morbo admodum invaleſcente, & venæ ſectione non celebrata, æger ne tuſſire quidem valeat, ſed immani dyſpnœa laborans, tantum non ſuffocetur inflammationis vi; quæ tanta aliquando reperitur, ut pectus ne ad ſpatium quidem reſpirationi debitum ſine exquiſitiſſimo dolore queat expandi. Eſt etiam ubi poſt ingentem inflammationem, & omiſſam phlebotomiam, quæ naſcente morbo fuerat imperanda, mox ad apoſtema res redit, *pure* in thoracis cavitatem ſubinde depleto; quo in caſu, quamvis primaria febris vel omnino ceſſat, vel minus ſaltem urget, attamen in vado non eſt æger, ſed *Empyemate*, atque *Febre Hectica* ſuccedentibus, miſer *Tabe* extinguitur.

Jam vero licet *Pleuritis* propriæ illi atque ſpecificæ ſanguinis inflammationi, quæ eam, quando affectus primarius exiſtit, producere ſolet, originem ſuam debeat, per accidens tamen aliis febribus quan-

* *Curatio.*

quandoque ſupervenit, cujuſcunque demum generis eæ ſint, ex præcipitatione ſcilicet materiæ febrilis in pleuram, vel muſculos intercoſtales. Atque illud quidem in ipſo fere febris initio accidit, cruda adhuc exiſtente materia febrili, nondumque per idoneam ebullitionem ſubacta, adeoque nec ad ſeparationem debitam per loca magis conferentia præparata. Hoc autem incommodi ſæpiſſime ex intempeſtivo, ac præpoſtero calidorum medicamentorum uſu inſertur, qualia a nobilibus quibuſdam fœminis exhiberi ſolent; quarum interim benevolentia, charitaſque multo melius in paſcendis pauperibus, quam in iiſdem medicandis, collocaretur. Atque illæ quidem eo conſilio (ſi tamen ullo utantur) id faciunt, ut in primo ſtatim febris inſultu provocetur ſudor; parum cogitantes, quam inconſulte atque infeliciter idem tentent. Natura enim hoc pacto, turbata, humores adhuc crudos exiſtentes expellere, qua data porta, cogitur; atque adeo nunc in cerebri meninges impetu fertur materia febrilis, indeque *Phrenitis* naſcitur; nunc ad membranam coſtas ſuccingentem idem malum appellit, ex quo *Pleuritis* oboriri ſolet; præſertim ubi ægrorum ætas ac temperamentum, annique tempeſtas inter Ver atque Æſtatem ambigens, ſua etiam ſymbola ad hanc rem contulerint; Certe enim tempeſtate illa febres in Pleuritidem tranſire proclives ſunt.

Pleuritidem autem ejuſmodi quam diximus præcipitationi ortum ſuum debere, evacuati per venæ ſectionem cruoris color ſubindicare videtur. Nimirum ſanguis (ſaltem ille qui poſt primam vicem extrahitur) ubi refrixerit, ſevi liquati præ ſe ſert ſpeciem ad craſſitiem ſatis conſpicuam, ac ſuperficiem habet veri *puris* æmulam, & tamen ab eo longe diverſam, utpote quæ fibris, inſtar reliqui ſanguinis, arcte contexitur, nec ad modum puris defluit, quin a reliquo divulſa diſcolor illa pars, formam cuticulæ tenacis, & fibris refertæ exhibet; & fortaſſe nihil aliud eſt quam fibræ ſanguineæ, quæ rubicundo ac naturali ſuo integumento per præcipitationem exutæ, ambientis aeris frigore in membranam hujuſmodi ſubalbidam concrevere. At vero (ut id obiter attingam) animadvertendum eſt, quod ſi ſanguis e ſecta vena non recto flumine verſus Horizontem proſiliat, ſed per cutim repens perpendiculariter dimanet, utut celeri ſe propipiat gradu, ſæpe tamen ad dictum colorem non accedit, cujus ego me cauſam neſcire fateor: Neque æger ab iſtiuſmodi ſanguinis miſſione perinde levatur, ac ſi modo primum deſcripto fluat: Quinimo cum hoc ipſo modo extrahitur, ſive orificium anguſtius, ſive quid aliud obſtiterit, quo minus pleniori exeat gurgite, neque hic ſanguis Pleuriticorum ſanguinem colore æmulatur, neque æger par exinde commodum capit. Obſervavi etiam, quod ſi ſanguis recens extractus, quocunque demum modo fluxerit, immiſſo digito agitetur, ſuperficie rubenti, ac florida, ut in aliis morbis quibuslibet, ſpectabitur.

Utut vero ſanguis ſe habet, morbus hic tametſi infamis, & pleriſque aliis ſuapte natura periculoſior, tamen ſi perite tractetur, facile vincitur; & quidem non minus certo, & conſtanter, quam alii Medicorum conatus ad homines ab orci faucibus liberandos, morboſque averruncandos, perduci ad exitum felicem ſolent.

Variis hujuſce morbi Phænomenis diligenter perpenſis, nihil aliud illum eſſe arbitror, quam febrim a propria, & peculiari ſanguinis inflammatione ortam, qua natura materiam peccantem in pleuram deponit, nonnunquam & in pulmones, unde *Peripneumonia* ſuboritur; quam a priore, gradu tantum, & pro majore ejuſdem cauſæ intentione, extentuque latiori differre autumo.

* Hunc itaque in dicto morbo pellendo mihi ſcopum propono, ut ſcilicet ſanguinis inflammationem reprimam, & particulas ejuſdem accenſas, quæ in membranam coſtas ſuccingentem vim fecerunt, & incendio collabefactarunt omnia, per evacuationes debitas revellam.

Quamobrem in venæ ſectione ſpem ponens maximam, ut primum accerſor, ſanguinem e brachio lateris affecti ad *uncias decem* aut circiter mittendum curo. Potionem deinde ſequentem ſtatim a venæ ſectione primum celebrata ſumendum præſcribo.

℞. *Aq. Papav. Rhœad.* ℥iv. *Sal. Prunell.* ℈j. *Syr. Violar.* ℥j. M. F. Hauſtus. Eodem tempore ſequentem emulſionem præſcribo.

℞. *Amygd. dulc. N.* vij. *Sem. Melon. & Pepon. an.* ℥ß. *Sem. Papav. alb.* ℈ij. *contundantur ſimul in mortario marmoreo, ſenſim affundendo Aq. Hord.* ℔. j ß. *Aq. Roſar.* ℥ij. *Sacchar. cand.* ℥ß. *M. F. Emulſio; Cap.* ℥iv. *quarta quaque hora.* Pectoralia etiam impero frequenter uſurpanda, e. gr.

℞. *Decoct. Pectoral.* ℔. ij. *Syr. Violar. & Capillor. Ven. an.* ℥ij ß. *M. F. Apozema; Cap.* ℔ ß. *ter in die.*

℞. *Olei Amygdal. dulc.* ℥ij. *Syr. Violar. & Capill. Ven. an.* ℥j. *Sacch. cand.* ℥ß. *M. F. ſ. a. Eclegma, de quo lambat ſæpius in die. Oleum* etiam *Amygd. dulc.* per ſe, vel *Oleum Sem. Lini* recenter extract· magno ſæpe cum fructu aſſumuntur.

Diætam qu· ·pectat, carnibus omnino interdico, atque inſuper earundem deco· ·uamlibet limpidiſſimo. Conſulo, ut juſculis veſcatur hordeace· ·venaceis, & panatella, & pro potu utatur ptiſana ex decocto ·ordei cum rad. acetoſæ, liquirit. &c. ac nonnunquam cereviſia l· ·ulata tenui.

Porro, ſequens unguentum præſcribo. ℞. *Ol. Amygd. dulc.* ℥ij. *Ung. Pomati, & Dialthææ an.* ℥j. *M. F.* Linimentum, quo inungatur latus affectum mane & ſero, ſuperimponendo folium braſſicæ. Jubeo item, ut in dictorum remediorum uſu perſiſtat per omnem morbi decurſum.

Eodem ipſo die, quo primum accerſor, ſi dolor vehementer urget, ſanguinis eamdem quantitatem rurſus detrahi præcipio, vel nihilominus die ſequenti, ut etiam tertio die; atque hoc modo ad quartam uſque vicem, continuis quatuor diebus, (niſi prius æger convaluerit) venæ ſectionem repeto, ubi ſcilicet dolor, atque alia ſymptomata admodum ſæviunt: At vero, ſi vel morbus remiſſior, & minoris periculi, patiatur, ut lentiori pede progrediar, vel etiam dejectæ ægri vires non facile ferant venæ ſectionem poſt tam brevia intervalla repetitam; Phlebotomiam jam bis celebratam non deinceps repeto, niſi interjecto die uno aut altero inter ſingulas vices. Qua quidem in re normam mihi ſtatuo contra indicantia; hinc nempe morbi violentiam, inde vero imminutas, fractaſque ægri vires ad invicem trutinatas. Et quanquam in curandis morbis integrum mihi eſſe volo, ut plus, minuſve ſanguinis pro rei ratione demendum præcipiam, raro tamen obſervavi *Pleureſin* confirmatam in adultis minori quam 40. circiter *unciarum* ſanguinis impenſa ſanatam: licet in pueris ſemel tantum aut bis ſecuiſſe venam ut plurimum ſufficerit. Neque, quæ nonnunquam ſupervenit, *Diarrhœa*, repetendis jam dictis venæ ſectionibus obicem ponit, quæ quidem ipſa hac methodo brevi ſiſtetur, etiam non adhibitis medicamentis reſtringentibus.

Enemata vel in ſolidum omitto, vel maxima, qua fieri poteſt, inter repetitas venæ ſectiones intercapedine curo injicienda, eaque non niſi ſimpliciſſima illa e ſaccharo in lacte ſoluto.

Durante morbo id ago, ne æger nimis exæſtuet, ac proinde liberum illi facio, ut lecto quotidie eximatur, idque ad horas aliquot, prout vires ſuaſerint; quod quidem tanti eſt in hoc morbi genere, ut ſi æger lecto jugiter affigatur, neque hæc tam larga ſanguinis evacuatio, neque remedia alia utcunque refrigerantia, ad dicta ſymptomata perdomanda vel minimum aliquando proficiant.

Mox ab ultima venæ ſectione, niſi forte prius id contingat, ſymptomata omnia miteſcent, & æger (qui per aliquot adhuc dies, & a liquoribus ſpitituoſis quibuſcunque, & a craſſioribus cibis arcendus eſt) priſtinas vires non ita diu poſt reſumet: quo quidem tempore non abs re erit, ut alvus tenuiori aliquo Cathartico ſollicitetur.

Jam vero ſi quem moveat, quod huic viæ inſiſtentes *Expectorationem* vix quidem attingamus, nedum, quibus illa rationibus per varia morbi tempora ſit promovenda, operoſius diſſeramus; ſciat ille hæc non per incuriam nobis excidiſſe, ſed dedita opera, diuque ſatis cogitata, neglecta tandem fuiſſe & præterita: Cum ſemper exiſtimaverim in ſummo diſcrimine verſari illos, qui morbum hunc expectorationi eliminandum committerent. Nam ut tædium hujus methodi, qua natura materiæ morbificæ ejiciendæ ſatagit, omittamus, nimium periculoſæ inſuper res eſt aleæ, cum non raro eveniat, parte aliqua materiæ jam concocta, forte etiam per ἀναχάθαρσιν rejecta, reliquam adhuc crudam manere, idque ſucceſſive, præſtantiſſimis quibuſque remediis maturantibus, expectorantibuſque incaſſum uſurpatis, cum expectoratio nunc quidem ſatis auſpicato procedat, nunc penitus ſupprimatur; ægro interim uſquequaque periclitante, atque pro meo in expectorationem imperio (quod ſane nullum prorſus eſt) ſive vivis, ſive etiam mortuis adjudicando: Cum e diverſo, mediante venæ ſectione, morbifica materia penes meum ſit arbitrium, & orificium a Phlebotomo inciſum tracheæ vices ſubire cogatur. Quinimo conſtanter aſſero, huncce morbum, qui, ſi juxta præcepta a nobis damnata tractetur, inter patentiſſimas orci januas merito recenſetur, æque certa ac tuta methodo jam a me præſcripta (ut de breviſſimo quo jam profligatur tempore nihil jam dicam) ac alium quemlibet morbum debellari. Nec dum mihi innotuit vel minimum damni a tam larga ſanguinis (ut imperitis videri poteſt) detractione cuiquam fuiſſe illatum.

Sæpe quidem aggreſſus ſum in tractando hoc affectu, Στασιάζας rationem aliquam ſtabilire, quæ citra ingentem hanc ſanguinis jacturam ſubſiſteret: nempe vel humorem reſolvendo, vel expectorationis promotione illum evacuando: Sed nondum ea ſors mihi contigit, ut huic ipſi, ſupra memoratæ praxi, parem aliquam reperire potuerim, cujus beneficio (non obſtante triſti illa apud Hippocratem de *Pleuritide ſicca*, prognoſi) ægrum etiam non moratus expectorationem ab inſultu morbi vindico; per ipſum ſectæ venæ orificium, & Pleuritidi fugam parans, & ſanitati reditum.

Quandoquidem vero hujus morbi curatio in repetita venæ ſectione fere tota ſtat, quæ tamen ab imperitis Chirurgis, & neſcio quibus Medicaſtris in locis ab oppidis populoſioribus longe diſſitis celebrata, miſeros a *punctura Tendinum* in artus amittendi, atque adeo in vitæ magnum diſcrimen ſæpiſſime conjicit; non e re fore duxi, rationem huic malo ſuccurrendi, ſi forte fortuna impingatur, hic ſubnectere. Qui vero punctura hujuſmodi plectuntur, dolorem non ſtatim ſentiunt, ſed duodecim horis poſt Phlebotomiam ſe eodem affici conqueruntur, non tam in orificio nuper facto, quam in partibus ad axillam tendentibus, ubi tandem dolor ſe figit, & tunc maxime percipitur, cum brachium extenditur; attamen læſa pars tumore admodum inſigni non afficitur, eodem avellanæ magnitudinem vix ſuperanti, ſed ex orificio humor aqueus, vel ichor quidam jugiter deſtillat, quod quidem præcipuum punctura tendinis diagnoſticum eſt habendum. Ita curatur, ut & propriis oculis ipſe obſervavi.

℞. *Rad. lilior. albor.* ℥iv. *Coq. ad teneritudinem in lactis vaccini* ℔ij. *Deinde* ℞. *farin. lini, & avenac. an.* ℥iij. *Coquantur farinæ ad Cataplaſmatis conſiſtentiam in ſeq. lactis a radicibus prædictis colati, & radicibus contuſis miſceantur f. Cataplaſma, parti affectæ calidæ applicandum mane & veſperi.*

CAPUT IV.

Peripneumonia Notha.

HYeme ingruente, at ſæpius ſub ejuſdem exitum, Vereque adhuc naſcente, quotannis emergit febris *Symptomatibus Peripneumonicis* haud paucis conſpicua. Paulo habitiores, ac craſſos ea præ cæteris aggreditur; virilem ætatem vel aſſecutos, vel etiam (quod ſæpius accidit) prætergreſſos, liquoribus ſpirituoſis (vini maxime ſpiritui) plus æquo addictos. Cum enim in hujuſmodi hominibus ſanguis humoribus pituitoſis, brumæ tempore congeſtis, fuerit oneratus, atque idem ab ineunte Vere in novum motum cieatur; tuſſis hanc nacta occaſionem, mox ſubingreditur, qua miniſtra dicti humores pituitoſi in pulmones irruunt: quo tempore ſi forte æger nullo vivens conſilio, liquores ejuſmodi ſpirituoſos adhuc liberalius hauriat, craſſeſcente jam fere quæ tuſſim excitabat materia, & ab ea præcluduntur pulmonum aditus, & febris omnem ſanguinis maſſam depaſcitur. Primo febris inſultu nunc incaleſcit æger, nunc friget: Vertiginoſus eſt, de capitis dolore queritur lancinante, quoties tuſſis importunius fatigat. Potulenta omnia vomitu rejicit, nunc ſine tuſſi, nunc illa vexatus. Urina turbida cernitur, & rubens intenſe. Sanguis detractus Pleuriticorum ſanguinem refert, anhelus ſæpenumero ſpiritum crebro ac celeriter ducit. Si moneatur ut tuſſim provocet, haud aliter dolet caput, ac ſi in partes mox diſſiliret (quæ loquendi formula ægri ut plurimum utuntur.) Dolet & thorax omnis, vel ſaltem pulmonum coarctatio adſtantium auribus percipitur, quoties tuſſit æger, pulmone non ſe ſatis dilatante, præcluſis adeo ab intumeſcentia, ut videtur, meatibus vitalibus, unde intercepta circulatione, ſanguineque quaſi præfocato, nulla fere, præſertim in habitioribus, febris indicia ſunt; licet hoc accidere etiam poſſit ob materiæ pituitoſæ copiam, qua horum ſanguis gravatus in plenam ebullitionem nequit aſſurgere.

* In curanda hac febre id mihi negotii dari ſentio, ut ſanguinem iſtum, qui ad pulmonum & ſuffocationem & incendium facit, Phlebotomia revellam; ipſos pulmones remediis pectoralibus deobſtruam atque eventilem; & diætæ refrigerantis ope, totius corporis calorem compeſcam. Cum vero *hinc* materiæ pituitoſæ ſaburra in venis contenta, pulmonum inflammationi fomitem quotidie ſubminiſtrans, venæ ſectionem ſæpe repetitam videretur indicare; *illinc* vero obſervatio, quam facere potui diligentiſſima, me doceret Phlebotomiam ſæpe repetitam febricitantium iis qui craſſiore eſſent corporis habitu (præſertim ætatis florem prætergreſſis) peſſime ceſſiſſe, atque adeo ab ejuſmodi repetitione haud minus abſterreret; *Catharſin* ergo celebriorem venæ ſectioni ſuccenturiabam, quæ ei ſatis recte ſubſtituitur, in illis qui a largiori & iterata ſæpius Phlebotomia abhorrent.

Ad hunc itaque modum progreſſi; ſanguinem e brachio in lecto jacentis extrahendum præcepi, nec paſſus ſum ut eo ſurgeret ad duas treſve horas; cum omnis ſanguinis eductio, quæ univerſam corporis compagem labefactat quadantenus concutitque, hoc pacto facilius toleretur; ita ut mitius cum ægro agatur, cum in lecto cubanti unciæ decem fuerint detractæ, quam ſi ſex ſeptemve tantum amiſerit, poſtquam e cubili ſurrexerit, die ſequenti potionem ſequentem mane ſumendam propono.

℞. *Caſſiæ extract.* ℥j. *Glycyrrhiz.* ℥ij. *Ficus pingues N.* iii. *fol. Senn.* ℥ij ſ. *Agarici trochiſcat.* ℥j. *Coq. ſ. q. Colat.* ℥iv. *diſſolve Mannæ* ℥j. *Syr. Roſ. ſolut.* ℥ſ. *Miſ. f. potio.*

Poſtridie ſanguinem ſecunda vice mittere ſoleo, atque interjecto die uno potionem Catharticam modo præſcriptam iterum exhibeo, diebus alternis jugiter repetendam, donec omnino convaluerit æger. Diebus a purgatione vacuis, *Decocto Pectorali*, *Oleo Amygdal. dulc.* ac id genus aliis, ut utatur conſulo.

A carnibus & earum juſculo, maxime vero a liquoribus ſpirituoſis quibuſcunque, ægrum interim inhibeo, quorum loco ptiſanam ex hordeo & liquiritia, (Cereviſiam item tenuem, ſi eam efflagitet) pro potu ordinario concedo.

Atque iſta quidem methodo vincenda eſt *Peripneumonia* hæc *Notha*, orta ab exundanti colluvie pituitoſa in ſanguine aggeſta ob Hyemis analogiam, & in pulmones exploſa; in qua tantum iterata venæ ſectio, ſed & Catharſis etiam indicabatur, ſecus atque in *Vera Peripneumonia*: quam ego ejuſdem plane indolis cum *Pleuritide* eſſe arbitror, atque ab illa in eo tantum differre, quod *Peripneumonia* pulmones univerſalius afficiat. Quin & utrinque morbo pari omnino methodo medemur, venæ ſectione ſc. præ cæteris, & medicamentis refrigerantibus.

Notha hæc *Peripneumonia*, licet ad *Aſthma ſiccum* aliquantulum accedat, tum quoad ſpirandi difficultatem, tum etiam alia quædam ſymptomata, ab illo tamen ſatis dignoſcitur, cum in iſta manifeſta febris atque inflammationis ſigna ſe prodant, quæ in hoc nuſquam comparent, quamlibet in hac ſpecie minora ſint longe ac obſcuriora illis, quibus inſignitur *Vera Peripneumonia*.

Diligenter autem animadvettendum, quod ubi vini ſpiritui aut aliis id genus liquoribus, cum hoc morbo conflictantes ſe olim addixerint, minime tutum erit eos ſtatim ac derepente ab iis depellere; ſed ſenſim id agendum, quo minus *Hydropi* tam repentina mutatio ac abrupta viam ſternat. Quod etiam in morbis quibuſcunque ab hac προφάσει oriundis, obſervari debet. Cum vero de *Spiritu Vini* mentio fuerit facta, hic obiter dicam. Optandum ſane eſſet, quod aut idem omnino exulet, aut ſaltem ſpiritibus reficiendis, non vero iiſdem extinguendis uſurpetur: niſi quis internum ejus uſum prorſus abdicandum maluerit, proindeque a Chirurgis ſolum ad *Ulcera digerenda* fotubus immiſcendum, aut *Ambuſtis* extus admovendum: quo poſtremo caſu omnibus remediis, quotquot adhuc inventa fuere, hic liquor facile palmam præripit, cum cutem ſubjacentem ab omni putrefactione tueatur ac vendicet, atque eo nomine curationem, quam cito abſolvat, *digeſtionem*, quæ non niſi admodum tarde ſua tempora percurrit, etiam non moratus: nempe ſi lintea ſpiritu vini imbuta partibus ab aqua ferventi, pulvere pyrio, vel ſimili læſis, quam primum hoc infligitur malum, applicentur, eademque ſpiritu dicto madefacta ſubinde repetantur, donec dolor ab igne penitus evanuerit, & poſtea ſolum bis in die.

CAPUT V.

Rheumatiſmus.

NUllo non tempore inceſſit hic morbus, maxime *Autumno*, & præ cæteris annis florentes & οἷς γόνυ χλωρόν. Hac ut plurimum occaſione naſcitur, æger ſc. ſive exercitio aliquo vehementiori, ſive alio modo excalefactus, mox repentinum frigus admiſit. A rigore atque horrore orditur tragœdiam, quos ſtatim excipiunt calor, inquietudo, ſitis, & reliqua illa infelix ſymptomatum caterva, quibus ſtipantur febres. Elapſo die uno alterove, (eſt & ubi citius) æger atroci dolore, nunc in hoc, nunc in illo artu infeſtatur, in carpis, humeris, genubus præſertim, qui locum ſubinde mutans, viciſſim illos occupat, rubore quodam & tumore in parte quam poſtremum affecit adhuc reſiduis. Primis aliquot diebus, febris, & ſymptomata jam memorata quandoque coincidunt; febris autem ſenſim evaneſcit, manente dolore, quin & nonnunquam immanius ſæviente, materia ſc. febrili in artus translata; quod ſatis argnit febris ipſa ſæpius recrudeſcens ob materiam morbificam ab intempeſtivo externorum uſu repercuſſam. Morbus hic quoties a febre ſejungitur, *Arthritis* ſæpe audit, quamvis eſſentialiter ab illa diſtinguatur, prout cuivis facile conſtabit, cui uterque morbus intimius fuerit perſpectus: unde forſan petenda eſt ratio, cur tam ſicco illum pede tranſiverint ſcriptores Medici: Niſi forte arbitremur, hanc morbi ſpeciem ad reliquam malorum Iliada de novo acceſſiſſe. Utut ſe res habeat, jam plus ſatis graſſatur hic morbus; & licet rariſſime hominem e medio tollat, febre ſemel depulſa, tamen & vehementia doloris & diuturnitas eum prorſus contemni non ſinunt. Etenim ſi minus perite tractetur, non ad menſes tantum, ſed ad annos etiam aliquot, imo per omnem adeo vitam miſerum haud infrequenter diſcruciat; quamvis in hoc caſu, non eodem ſemper vigore, ſed paroxyſmis quibuſdam periodice repetitis, ad inſtar arthritidis, ſubinde laceſſit: imo vero poteſt fieri, ut ubi diu multumque vexaverint dicti dolores, tandem ponte deſiſtant, atque intetim æger omni membrorum motu ad mortem uſque privetur, digitorum articulis quaſi inverſis, & protuberantiis, ut in arthritide, nodoſis in interna magis quam externa digitorum parte ſe prodentibus: ſtomacho nihilominus valeat, & cætera ſanus vitam toleret.

Eſt & alia hujus morbi ſpecies, licet non hujus eſſe proſapiæ vulgo credatur, quæ *Lumbago Rheumatica* aptiſſime dicetur: immanis dolor, ſcil. idemque fixus circa lumborum regionem, ipſumque aliquando ad os ſacrum ſe demittens, *Paroxyſmum Nephriticum* mentitur: niſi quod æger non vomituriat; nam præter dolorem atrociſſimum, & vix ferendum circa ipſos renes, aliquando & ureteres per omnem eorum ductum ad veſicam uſque, eodem licet mitiori, tentatur. Qui & mihi olim impoſuit, tanquam a materia aliqua fabuloſa in iis partibus hærente penderet; cum revera materiæ *Rheumatiſmi* peccanti & inflammatæ ortum ſuum debeat, quæ quidem partes illas jam ſolas urit, intacto reliquo corpore. Immanis hic dolor, niſi abigatur eodem modo, quo prior ſpecies pariter etiam perdurat, pari ſævitia excrucians; adeo ut miſer nequeat procumbere, ſed vel lecto exiliat, vel ſuper eodem ſedeat, corpore interim perpetua agitatione nunc verſus anteriora, nunc poſteriora inclinato, reductoque.

* Cum utraque hæc morbi ſpecies ab inflammatione videatur oriri, quod tum jam dicta arguunt phænomena, tum præſertim ſanguinis venæ ſectione educti color, utpote qui pleuriticorum ſanguini tam eſt ſimilis, quam ovum ovo, neque quiſquam reperiatur, qui hos inflammatione laborare vel quidem dubitaverit; his, inquam, ita ſe habentibus, cenſeo ego, curationem non aliunde quam a Phlebotomia debere ſumi, ſanguine interim contemperato, ejuſque nimio fervore repreſſo, tum medicamentis refrigerantibus atque incraſſantibus, tum etiam conveniente regimine.

Ac proinde ut primum accerſor, ſtatim ſanguinis ℥x. e brachio lateris affecti mitti jubeo, & Julapium refrigerans incraſſanſque ad hanc fere normam præſcribo. ℞. *Aq. Nymph. Portulac. & Lactuc. an.* ℥iv. *Syr. e limonibus* ℥j ſ. *Syr. Viol.* ℥j. *M. f. Julap. de quo bibat ad lubitum*: vel etiam emulſionem in curatione morbi laterali jam deſcriptam. Ad dolorem ſedandum, *Cataplaſma e mica Panis ſiliginei, & lacte croco tincto*, vel *fol. braſſicæ* parti affectæ appplicandum, & ſæpe renovandum curo. *Diætam* quod ſpectat, carnibus prorſus interdico, quin & eorum juſculo, quantumlibet tenui limpidoque; quibus ſubſtituo juſcula hordeacea, avenacea, panatellam, & ejuſmodi. Cereviſiam tenuem mitemque pro potu tantum concedo, vel etiam (quæ magis ad rem facit) ptiſanam ex hordeo, rad. Liquirit. Acetoſæ, &c. in aqua fontana incoctis. Volo interim, ut per aliquot horas ſingulis diebus lecto ſe abſtineat, cum calor, qui a jugi decubitu, morbum promoveat intendatque.

Die ſequenti ſanguinis tantundem detrahi præcipio; atque intercalato die uno alterove, pro ægri viribus, tertio; dein interjecto trium quatuorve dierum intervallo (prout ægri vires, ætas, conſtitutio, aliæque circumſtantiæ ſuadent monentque) quarto, atque ultimo, ut plurimum, venæ ſectionem repeto; raro enim uſuvenit, ut ultra quartam vicem venam incidamus, niſi vel regimen juſto calidius præceſſerit, vel medicamina calidiora ægro præter neceſſitatem fuerint ingeſta. Quin & Anodyna ſive Paregorica dicta remedia effuſiorem ſanguinis miſſionem poſtulant: Quamobrem utut ſæviat dolor, per omnem hujus morbi decurſum, religioſe mihi ab his temperandum exiſtimo, modo mihi animo ſit curationem a ſanguinis miſſione ſolum petere, cum illorum uſu figatur morbus, neque tam facile venæ ſectioni cedat, quæ ideo ob hæc ipſa medicamenta officioſe nimis exhibita, ſæpius quam erat opus, celebranda eſt. Quid quod & in morbi ſtatu, neque eam, quam titulo pollicentur, ἀναλγεσίαν valeant præſtare?

Interim dum prædicta remedia, diætaque ſedulo uſurpantur, *Enema* e lacte ſaccharato ſubinde injici curo, diebus ſcilicet a Phlebotomia vacuis. Porro ut hæc omnia ad dies minimum octo ab ultima venæ ſectione diligenter obſerventur, ſerio hortor moneoque; quibus elapſis, *Potionem Catharticam*, e lenitivis præſcribo mane hauriendam, & inſequenti veſperi doſin paulo liberaliorem *Syr. de Meconio in Aqua fl. Paralyſ.* quo ſc. ſanguinis orgaſmus, unde & recidivæ periculum aliter intentari poterit, penitus reprimatur. Quibus rite peractis, ut in priſtinum vitæ genus, quoad victum, exercitia, atque aerem, pedetentim ſe recipiat, lubens patior, ita tamen ut neque vinum, neque liquorem ſpirituoſum quemlibet, neque etiam cibos, ſive ſale, ſive aromatis conditos, ſive etiam δύσπεπτα quæcunque, niſi diu poſtea deguſtare liceat.

Poſt venam, quoties ſupra innuimus, pertuſam, ægri dolores admodum imminuentur, neque tamen adhuc prorſus evaneſcent; at vero reſarcita, quam fecerat ſanguinis detractio, virium jactura (ſuperveniente maxime proximo illo anni tempore, quod magis faciet ad redintegrandum corporis robur, quam id, quo primum decubuit æger) ſymptomata ad unum omnia ceſſabunt, atque æger pancratice impoſterum valebit.

Jam vero, tametſi prædicta methodo, aut alia huic ſimili, tempeſtive atque ſub ipſo morbi ingreſſu adhibita eum, quem jam dixi, finem ut plurimum ſortiatur; non raro tamen accidit, ut ubi æger per errorem contrario plane modo fuerit tractatus, doloribus vagis, nunc quidem mitioribus, nunc vero atrocioribus, per omnem vitam miſere diſcrucietur: qui quidem minus cautis nullo negotio imponunt, & pro *Scorbuti* ſymptomatibus vulgo habentur. Hic enim obiter, ſed & libere tamen dicam, quod licet nullus dubitem, quin *Scorbutus* in his plagis Borealibus revera inveniatur, tamen eum morbum non tam frequentem, quam fert vulgi opinio, occurrere perſuaſum mihi habeo; multos autem ex iis affectibus (ne pluribus dicam) quorum nomine *Scorbutum* incuſamus, vel morborum *Fientium*, nondum vero *Factorum*, quique nullum adhuc certum induerunt typum, effecta eſſe; vel etiam infelices *reliquias* morbi alicujus nondum penitus devicti, a quibus cæterique humores contaminantur: Verbi gratia, quibus in corporibus materia aliqua *Arthritidi* producendæ apta recens geratur, nondum tamen in artus depluit, varia ſe oſtendent ſymptomata, quæ *Scorbuti* ſuſpicionem facient, donec *Arthritis* jam formata, atque actu ſe exercens, nullum amplius dubitandi locum relinquat. Neque ignoramus, non pauciora ſymptomata *Scorbutum* mentientia, *Podagricos* jam a paroxyſmo liberatos infeſtare (dum ſcilicet vel intempeſtivus evacuantium uſus, vel

ægri

* *Curatio.*

* *Curatio.*

ægri effœta ætas, vel alia aliqua causa naturam interpellaverit,) quo minus materiam omnem Arthriticam in artus exonerare valuerit; quæ adhuc retenta, cum τι ανεπιτηδειον existat, totam sanguinis massam inquinat, & confertissimo pessimorum symptomatum agmine hominem lacessit. Quod quidem non de *Arthritide* tantum, sed & *Hydrope* adhuc incipiente dictum volo; de quo morbo licet vulgo jactetur, *Ubi desinit Scorbutus, ibi incipit Hydrops*, hæc tamen regula sæpe sæpius non aliter est accipienda, quam quod, ubi primum se *Hydrops* manifestis prodit indiciis, præconcepta de *Scorbuto* opinio statim collabascit. Potest & idem hoc affirmari de quamplurimis aliis morbis Chronicis, vel adhuc in corpore humano nascentibus, quique proinde nondum certum aliquem sibi cuderunt typum; vel etiam de illis, qui licet partim fugati sint, nondum tamen penitus debellati exterminatique videntur. Et sane nisi hoc concedamus, *Scorbuti* nomen, uti hodie fit, in immensum crescet, & omnem fere morborum numerum absolvet. Cum, si id sedulo agamus, ut abdita cujusque morbi penetralia perlustremur, eumque post irregularium symptomatum vela latentem eruamus, sua se mox specie sit prodituros, & ad illam ad quam attinet familiam haud difficulter relegandus. Quin & methodus, qua hujusmodi morbi sunt abigendi, non adulterinis illis symptomatibus, sed ipsi morbo, qualisnam is demum fuerit, ceu perfecte formato, jamque actu existenti accommodanda.

Sed hic notandum, non adeo consultum esse, quando *Rheumatismus* aliquot annorum diuturnitate altas radices egit, sanguinem tam brevibus ac sub ejusdem primordiis fiebat, intervallis mittere; quin præstare, septimanarum aliquot intercapedine repetitas illas venæ sectiones disterminare; quæ tandem vel penitus materiam morbificam averruncabunt, vel saltem eo conducent, ut fontanella in crurum alterutro excitata, & spiritu quovis volatili in vino Canarino mane & sero exhibito, reliquiæ ejus extirpentur.

Jam vero quantumcunque discriminis inter verum Rheumatismum, ut supra innui, & Scorbutum intercedat, aliam tamen speciem esse Rheumatismi, quæ ad Scorbutum quam proxime accedit, omnino confitendum est, utpote quæ insigniora hujus morbi symptomata æmulatur; & pariter eadem ferme remedia sibi vendicat, ideoque mihi *Rheumatismus Scorbuticus* audit. Dolor nunc hanc, nunc illam partem obsidet, sed eadem in tumorem ac in alia specie raro attollit, neque febrim sibi comitem adjungit. Insuper non adeo fixus manet, sed indolem magis vagam ac incertam refert, cum anomalis inconditisque symptomatibus stipatus. Nunc hunc vel alium artum discruciat, mox internas solum partes afficit, proindeque ægritudinem parit, quæ, redeunte externarum partium dolore, iterum se proripit; ita ægrum alternatim divexans, ac in diuturnitatem longam se protrahens, ad instar morborum, qui vel maxime Chronici habentur. Fœminas præ reliquis adoritur, ut & viros, qui imbecilliori natura sunt; adeoque ad affectuum hystericorum classem referri debere plane suspicarer, nisi quod iterata experientia comprobassem, eum remediis hystericis minime cessisse. Illi etiam, qui longum & repetitum *Corticis Peruviani* usum experti sunt, huic malo sunt obnoxii; quod quidem (ut obiter attingam) unicum est incommodum, quod ex hoc remedio illatum novi unquam. Sed utut id sit, hic affectus sive ex hac occasione, sive ex alia quacunque causa originem ducit, quam facillime debellatur vinciturque usu sequentium, quæ nisi privato commodo publicum prætulissem, prorsus mihi reticenda essent. Etenim his solis quam multos, eo quo descripsimus modo laborantes, sanavi, quibus venæ sectiones, quantumlibet repetitæ, Cathartica, diæta lactea, pulveres testacei, &c. ne hilum profecerunt. Atque hæc sunt.

℞. *Conserv. Cochlear. horten. rec.* ℥ij. *lujul.* ℥j. *pulv. Ari Comp.* ℥vj. *cum J. q. syr. Aurant. f. Electuar. Capiat.* ʒij. *ter in die per mensem integrum, superbibendo aquæ sequentis* ℥iij.

℞. *Cochlear. hortens. M.* viij. *Beccabung. Nasturt. aquat. salviæ, mentæ, an. M.* iv. *Cort. Aurant. n.* vj. *nuc. Moschat. contus.* ℨß. *Infundantur in Cerevisia Brunsvicensi* ℔xij. *ac distillentur organis communibus, & eliciantur tantummodo Aquæ* ℔. xij. *pro usu.* Atqui præcisa dosis *pulv. Ari comp.* observetur, aut saltem eadem non minuatur.

CAPUT VI.

Febris Erysipelatosa.

NUllam non corporis partem, idque nullo non tempore incessit hic morbus, at præ reliquis faciem, exeunte præsertim æstate, quo tempore sæpe dum subdio versatur, corripitur æger. Facies siquidem ex improviso in tumorem attollitur, qui subito exorsus cum dolore ruboreque summis, denso minimarum pustularum ordine distinguitur, quæ aucta magis inflammatione in vesiculas subinde facessunt: hinc per frontem ipsumque caput latius serpit, oculis interim tumoris magnitudine plane obrutis (rusticis *Syderatio* audit) neque multum profecto abludit, nisi quod adsunt pustulæ, ab iis symptomatibus, quæ inflicta ab apum vesparumque aculeis comitantur vulnera. Hoc se habet modo *Erysipelatis* notissima species ac vulgaris.

At vero quamcumque corporis partem hoc vitium obsederit, ut etiam quocunque anni tempore rigor atque horror, nisi præcesserint (quod nonnunquam pridie, aut nudius tertius solet contingere) huic se inflammationi ut plurimum adjungunt, sitis insuper, inquietudo, ac reliqua febrium indicia, procedente morbo, uti primum febris dolorem, tumorem, atque alia peperit symptomata, (quæ indies ingravescentia nonnunquam in *Gangræna* terminantur) ita hæc invicem haud mediocrem ad febris augmentum conferunt operam, donec remediis idoneis utraque restinguantur.

Est & alia hujusce morbi species, licet rarius occurrens: Hæc quolibet anni tempore invadit, idque hac utplurimum προφάσει, quod scilicet æger vinorum subtilium magis magisque attenuantium potationi paulo liberalius indulserit, aut liquoris similis spirituosi. Febriculam, quæ in agmen ducit, mox excipit: pustularum per universum fere corpus eruptio, quæ urticarum punctura referunt, & nonnunquam in vesiculas attolluntur, mox recedentes tuberculorum more sub cute se condunt cum pruritu mordacissimo & vix tolerando, at quoties leviissimam scalpturam subeunt, rursum apparent.

* Hic ego materiam peccantem sanguini permixtam rite evacuandam, ejusdemque sanguinis ebullitionem remediis illam contemperantibus sufflaminandam censeo; eam denique, quæ jam partibus impacta est, materiam evocandam, discutiendamque.

Hæc ut fiant, ubi primum accedo, satis largam sanguinis quantitatem e brachio extrahi præcipio, qui quidem pleuriticorum sanguinem fere semper æmulatur. Die sequente blandam illam potionem Catharticam mihi in praxi familiarem exhibeo, & hora somni (si paulo frequentius dejecerit æger) haustum aliquem Paregoricum, e. gr. *Syr. de Meconio in Aq. fl. Paralys.* vel alium ejusmodi. Peracta Catharsi, partem affectam sequenti decocto foveri jubeo. ℞. *Rad. Alth. & Lil. an.* ℥ij. *fol. Malv. Sambuc. Verbasc. an. M.* ij. *flor. Melilot. summit. Hyper. & Centaur. min. an. M.* j. *Sem. Lini & Fœnugr. an.* ℥ß. *Coq. in f. q. aq. ad* ℔iij. Coletur liquor & tempore usus adde singulis libris decocti, *Spir. Vin.* ℥iij. Stupæ e panno laneo levis texturæ hoc decocto immersæ ac expressæ calide, admoveantur parti bis in die, quæ post forum quotidie illiniatur seq. mixtura ℞. *Spir. Vin.* ℔ß. *Theriac. Androm.* ℥ij. *pulv. Piperis longi Caryophyl. an.* ℥j. *M.* Charta emporetica hac mixtura madefacta parti circumvolvatur.

Æger insuper ut jusculis tantum hordeaceis atque avenaceis, cum pomis assatis vescatur, volo; tum etiam cerevisia utatur tenuissima, & per horas aliquot singulis diebus a lecto sibi temperet. Hac methodo tum febris, tum alia symptomata citissime utplurimum fungatur. Sin aliter, rursus venam seco; quod & tertium nonnunquam fieri debet, interposito semper die uno, si parva nempe adsit sanguinis diathesis, & febris intensior. Diebus a venæ sectione liberis *Enema* e Lacte cum Syr. Violaceo, & Julap. refrigerantia ex Aq. Nymph. &c. in *Rheumatismi* curatione jam dicta, qualibet hora diei usurpanda præscribo. Ut plurimum vero unica venæ sectio & subsequens Catharsis, si tempore adhibeantur, rem expediunt.

Quæ urticarum punctura, cum pruritu, refert species, pari modo est amolienda, nisi quod hæc remediis ab extra applicandis minus egeat.

Hic obiter dicam, quod licet non solum hic affectus, de quo jam loquimur, sed & plerique eorum, qui cutim impetunt, & eruptionem aliqualem comitem sibi adjungunt (modo Chronici ii non sint) facile huic methodo cedant, ac proinde sanguinis missione Catharsi iteratis brevi se proripiant, eorum tamen aliqui via plane diversa tractandi sint, nec evacuationes modo dictæ quantumlibet repetitæ, nec *pulveres testacei* sanguini edulcorando destinati quicquam proficiunt, cum recrementa quædam pravam diathesin adepta intimius cuti impingantur, non nisi remediis, quæ sanguini robur ac vim conciliant, proindeque cutis spiraculis deobstruendis apta nata sunt, ullatenus amovenda debellandaque: Cum successu itaque non vulgari sequentem methodum aggressus sum in *Pruritu ferino*, atque inveteratis id genus cutis eruptionibus. Ut.

℞. *Theriac. Andromach.* ℥ß. *electuar. de ovo* ℈j. *rad. serpentar. Virg. subtiliss. pulverat. gr.* xv. *lapid. Bezoard. Oriental. gr.* v. *cum s. q. syr. e Conditura Citri f. Bolus, sumendus mane & hora somni per dies* 21. *superbibendo Cochl.* vj. *seq. Julapii.*

℞. *Aq. Card. Benedict.* ℥. vj. *aq. epidem. & theriacal. stillat. an.* ℥ij. *syr. Caryophyl.* ℥j. *m. f. Julapium.*

Singulis matutinis post assumptum medicamentum sudet horæ unius vel alterius spatio, vel potius pluribus stragulis quam soleret coopertus in lectulo levi madori indulgeat per dictum tempus. His finitis, si pustulæ adhuc non evanuerint, sequenti linimento partes affectæ inungantur. ℞. *Unguent. ex oxylapatho* ℥ij. *unguent. pomati* ℥j. *flor. sulphuris* ʒiij. *ol. Rhodii* ℈ß. *f. linimant.* Verumtamen medicamenta præscripta haud usurpentur, nisi venæ sectione atque catharsi rite præmissis, quæ tametsi solum adhibitæ curationem non absolvunt, ægrum tamen contra febrim præmuniant, ob usum medicaminum calidorum alias occursarum.

Est & alia *Eruptionis* species, etsi minus frequens, ad cujus medelam nullæ prorsus evacuationes conferunt. Hæc tametsi in aliis quandoque partibus, ut plurimum tamen in pectore apparet, ac loco aliquo determinato se figit, vix cutim supereminens, atque latiorem maculam præ se ferens, nisi quod aliquando porriginosa, ac quasi furfuracea, cum squamulis colore ad flavum vergente tinctis, cernitur. Hac sive *macula*, sive *impetigine* vigente, æger bene se habet, eadem vero evanescente, ut sæpe fit, leviculam ægritudinem patitur, atque urina ejus turbidior, & rubicundior, sed ad flavedinem accedens redditur. Io hujus etiam affectus curatione eadem via atque iisdem, post evacuationes universales, plane remediis insistendum ac in pruritu ferino modo dicto, ac proinde, quod non omittendum, vini, ut & carnium ὀπτῶν usus omnino concedendus, cum refrigerantia omnia magis officiant quam prosint. Atque ita hæc postrema eruptionis species curatur, quæ tamen aliquando non nisi *Aquis ferreis* diu epotis cedet.

CAPUT VII.

Angina.

QUolibet anni tempore aggreditur, maxime tamen illo, quod Ver atque Æstatem interjacet, juvenes præ cæteris, & temperamento sanguineo præditos; Rufos etiam, quod non semel observavi, præ reliquis omnibus. Rigent horrentque mox a primo morbi insultu, sequitur febris, & paulo post dolor, & faucium inflammatio, cui nisi mature succurratur, æger statim nec deglutire valet amplius, nec spiritum per nares ducere, sed cum sensu quodam strangulationis præcluduntur fauces ab inflammatione & tumore Uvulæ, tonsillarum, laryngis, ita ut tantum non suffocetur. Ingens ab hoc morbo periculum, utpote qui paucis nonnunquam horis hominem jugulat; quoties scilicet magna vis materiæ febrilis in prædictas partes conjicitur, neque satis tempestive convenientium remediorum usu, ingruenti occurritur procellæ.

* Opem laturus, sanguinem cum primis e brachio copiose detraho, mox ex ranula utraque; dein, ut partes inflammatæ *melle Rosaceo spiritu sulphuris* ad summum acorem permixto, tangantur, author sum: mox *Gargarisma* sequens præscribo, non vulgari modo usurpandum, sed ita ut in ore sine ulla agitatione contineatur, donec incalescat, dein expuatur, & repetatur subinde. ℞. *Aq. Plantag. Ros.*

* *Curatio.*

* *Curatio.*

Roſ. rubr. & Sperm. Ranar. an. ℥iv. *Album. ovorum in aquam agitando redact. N.* iij. *Sacch. cand. Alb.* ℥iij. F. Gargariſma. Jubeo etiam ut de emulſione in cura *Morbi lateralis* præſcripta vel ſimili, in dies ſumat.

Sequenti mane, niſi febris & dolor inter deglutiendum perceptus aliquantulum remiſerint, venam in brachio rurſum ferio, Catharſi in diem poſterum rejecta. At ſi utraque hæc minuatur, *Cathartic-um* lenitivum ſtatim exhibeo; quod quidem poſt ſanguinis miſſionem præ omnibus aliis perutile, ac apprime neceſſarium eſſe multiplici experientia comperii. Si forte an, quod quidem oppido rarum eſt, febris, aliaque ſymptomata, etiam poſt Catharſin, bellum minentur, iterata, ut prius, venæ ſectione perdomanda ſunt, ut & *Epiſpaſtico* amplo ac forti, poſteriori cervici applicando. Per integrum hujuſce morbi decurſum, Enema refrigerans emollienſque omni mane, dempto illo, quo Catharſi vacat, injiciendum, atque ægrum hoc pacto reficiendum quotidie præcipio. Carnes, cujuſcunque demum generis, & juſcula ex iis parata ſacra ſunto; juſculis vero hordeacis, avenaceis, pomis coctis ac id genus aliis veſcitor, ptiſana ex hordeo, vel cereviſia tenuiſſima utitor. Lectulo interim per horas aliquot quotidie abſiſtat: cum hujus tepor tum febri, tum reliquis ſymptomatibus, quæ hac methodo expugnare ſatago, vires addat. Animadvertendum eſt autem, quod iſtiuſmodi *Angina*, quæ febris, mihi *Stationariæ* dictæ, ſymptoma tantum eſt, illa ipſa methodo curari amat, quam febris ea ſibi vendicat, ac proinde vel per *διαφόρησιν* & cutis ſpiracula exterminanda eſt, vel per aliam qualemcunque methodum, quæ febri primariæ, cui inhæret, debetur, quod ſedula obſervatione dignum.

Sunt & aliæ febres *Intercurrentibus* jure merito annumerandæ, quæ, quoniam alio aliquo modo immediate abitum ſibi parant, & in hoc vel illo ſymptomate deſinunt, vulgo febres non habentur; licet tales ab origine vere fuerint, atque affectus ille, a quo morbus nomen mutuatur, febris tantum ſit *Symptoma*, quæ in illo demum terminatur. Impræſentiarum duas tantum, *Hæmorrhagiam* ſcilicet *Narium*, *ac Hæmeptoen* leviter perſtringam.

* *Hæmorrhagia Narium* quavis anni tempeſtate infeſtat, præcipue ſanguine præfervido, temperamento vero debiliore præditos; idque magis ætate ingraveſcente, quam adoleſcente. Primo ut plurimum appulſu febris præ ſe fert indicia, qua de repente ſibi per nares, qua data porta, faciente viam, dolor & calor ſinciput adhuc torquent. Sanguis ad horas aliquot profluit, dein aliquandiu ſiſtitur, mox denuo erumpit, atque hæc viciſſim: donec tandem vel remediorum uſu, vel ſponte ſua ob imminutam copiam deperditamque cohibitus, omnino ceſſat; ita tamen, ut ægro ſingulis annis a recidiva metuendum ſit, ſi vel a liquoribus ſpirituoſis, vel alia occaſione qualibet æſtuare contingat.

Eum hic mihi ſcopum propono, ut ſanguinis fervor nimius atque ebullitio, unde oritur dicta præter naturæ modum extravaſatio, frænis omnibus compeſcatur, ejuſque impetus alio vertatur. Ea proprer frequenter brachii venas tundo, & ſanguinem liberaliter extraho, *Pleuriticorum* ſanguini colore ſemper reſpondentem. Victus rationem refrigerantem atque incraſſantem injungo. Ut aq. fontan. partes tres, lactis ſimul coctas, & frigide hauriendas, poma cocta, juſcula hordeacea, & ſimilia a carnibus abhorrentia. Julapia inſuper refrigerantia atque incraſſantia, una cum emulſionibus, in morbis inflammatoriis ſupra deſcriptis. Lectulo item ut abſiſtat per aliquod ſpatium quotidie, nec vel ſemel quidem omittatur. Hauſtu quin etiam hora ſomni Paregorico e Diacodio, ceu catena conſtrictus ſanguinis furor coerceatur. At vero cum hujuſmodi Hæmorrhagias non raro comitetur lympha acrior, quæ ſanguini permiſta ejus motum adjuvat, venarum orificia reſerando, præter revulſionem, & refrigerationem, ſolemne mihi eſt Catharticum blandius, vel in ipſius morbi *ἀκμῇ* propinare, cujus operatione finita, Anodynum exhibeo præter ſolitum viribus auctum; & ubi ſymptoma penitus evanuerit, aliud demum Catharticum.

Quoad externas applicationes, lintea quadruplicata immerſa aquæ frigidæ, in qua *Sal prunellæ* diſſolvatur, & poſtea leviter expreſſa admoveantur nuchæ ac utrinque cervici ſæpius in die. Item poſt univerſas evacuationes peractas liquor ſequens applicetur. ℞. *Vitriol. Hungar. & Alumin. an.* ℥j. *Phlegmatis Vitriol.* ℔ß. *Coq. tandiu, donec omnia fuerint diſſoluta. Liquorem frigefactum filtra, & a Cryſtallis ſubinde natis ſepara. Liquori reſiduo adde Ol. Vitriol. duodecimam partem. Turunda ex linteo raſo liquore hoc probe humectata, nari ex qua ſanguis ſtillat indatur, per dies duos iſthic relinquenda.* Quo etiam liquore linteamina imbuta & applicata ſanguinem ſiſtunt ex quacunque demum parte externa idem defluat.

* *Hæmoptoe* etiam, quæ in æſtatis ac veris confinio homines calidioris temperamenti, ac minus robuſti adoritur, & quorum pulmones minus recte valent, præ ſenibus item juniores, ejuſdem fere indolis cum Hæmorrhagia jam tractata mihi eſt, cum & hæc quoque febris ſit, quæ tam nomen, quam eſſentiam exuit ſuam illa quæ ſoluta eſt criſi; hoc fere tantum diſcrimine, quod in morbo *priori* ſanguis nimium agitatus in narium venulas, in *hoc* vero in pulmones impetum facit; utque in illo, durante fluxu dolor & calor ſinciput jugiter lancinant, ita in hoc pectus uterque obſidet cum debilitate quadam. Quin & hoc vitium eandem fere quam Hæmorrhagia methodum medendi ſibi vendicat, niſi quod Catharſin minus ferat, a qua, præſertim repetita, æger facile in tabem conjicitur. At Phlebotomia crebro celebrata, Enema quotidie injectum, Diacodium hora ſomni propinatum, diæta inſuper, ad medicamenta, tam incraſſantia, quam refrigerantia, opus pro voto abſolvent.

Atque hæc ſunt, quæ hactenus obſervavi de numeroſa iſta morborum tribu in varias familias diſpertita, qui *Febrium* ſub nomine cenſentur, atque de iis ſymptomatibus, quæ ab illa pendent, in quibus id ſerio egi, ut nullas purationes meas, nulla imaginaria cerebri commenta orbi venderem, animo vero ſincero candidoque, nullique adeo hypotheſi adſtricto, eorum hiſtoriam & naturalia Phænomena aliis traderem; curationes etiam pari fide, & cautela pari ſubnecterem. Quod ſi vehemens deſiderium methodum certiorem minuſque lubricam, in utiliſſimo tuendæ mortalium vitæ negotio, expiſcandi conſtabiliendique, me in ſemitas nullo antea pede calcatas pertraxerit; nemo eruditorum, uti ſpero, mihi imputabit, quod vel ſpretis aliorum judiciis meo nimium fidam, vel rebus ſtudeam novis; cum & non ſpernendus rerum eventus mihi hæc inveſtiganti ingentes hucuſque animos dederit, & poſterorum experimenta ſine dubio meam fidem ſint liberatura. Et profecto haud oſcitanter impugnandum eſt hoc morborum tam peſtiferum agmen, quod nullo non die cum genere humano bellum gerit internecinum, atque *ἀστονδον*, & cujus telis duo ad minimum hominum trientes, ſi eos demas, qui violenta morte perimuntur, conſoſſi quotannis occumbunt. Indeſinentes horum morborum impetus, & quotidianæ, quas etiam de viris robuſtiſſimis & ætate maxime florentibus reportabant, victoriæ (non obſtantibus ſuppetiis iis omnibus, quas nobis hactenus attulere ſpecioſæ iſtæ methodi in ſpeculativorum libris ſatis fidenter deſcriptæ) animo meo hæc primum agitanti minus ſatisfaciebant, cum reapſe cernerem, ludrica iſta cerebroſorum commenta ita parum ad reintegrandam ægrorum ſanitatem conferre, ut qui ad aſyla hæc confugerant, quicquid pollicitarentur Thraſones Dogmatici, haud meliori in loco eſſent, quam qui neglecta arte ſe totos naturæ permiſerant. Si quid ego hic egero, quo vel periculi, vel etiam difficultatis, quæ in his morbis perſanandis plerumque occurrunt, pars aliqua levetur (quod ſalva verecundia, me mihi polliceri poſſe ſaltem ſpero) ſcopum quadantenus aſſecutus ſum, & dulciſſimum improbi laboris in bono proximi quærendo recte collocati, fructum fero. Hæc præcipua fere ſunt quæ jam habeo comperta, (vel ſaltem ad methodum aliquam novi reducere) circa *Febres* & *ſymptomata*, quæ ab eiſdem pendere ad hunc uſque 30. Decembris diem, Ann. 1675. quo hæc conſcribo.

* *Hæmorrhagia Narium.*

* *Hæmoptoe.*

EPI-

EPISTOLÆ RESPONSORIÆ DUÆ
A THOMA SYDENHAM M. D.

I. De Morbis Epidemicis *ab Anno* 1675. *ad Annum* 1680. ad ROBERTUM BRADY, M. D.

II. De Luis Venereæ Hiſtoria & Curatione ad HENRICUM PAMAN, M. D.

CLARISSIMO VIRO

THOMÆ SYDENHAM, M.D.

NEMO *uſpiam Medicorum, Vir eruditiſſime, adhuc vim aeris & influentiam in humana corpora attente perpendit, nec in vita noſtra perennanda quas agit partes, eorum quiſpiam conſideravit ſatis, vireſque quas exerit in fermentando, & circumducendo ſanguinem, aut in motibus animalibus quibuſcunque peragendis cujus ſit energiæ, & efficaciæ, horum non aliquis notavit; neque ejuſdem temperiem naturalem, alterationes multiplices & mutationes, quas* Conſtitutiones *haud perperam indigitas, ne leviter quidem, vel Medici, vel Hiſtoriæ Naturalis Scriptores attigerunt, multo minus perſcrutari ſategerunt. Fieri ſane nequit, cum in omnes corporis partes, etiam reconditiſſimas, aer ſeſe inſinuet, quin quas ſubit alterationes & mutationes a rebus quibus impregnatur eaſdem ſanguini & ſuccis communicet, & imprimat; unde ut plurimum ab hac vel illa prava aeris conſtitutione oritur hujus vel illius indolis prava ſanguinis Diatheſis. Optimo itaque conſilio obſervationes Medicas circa morborum acutorum hiſtoriam & curationem juxta varias annorum & eorundem partium conſtitutiones inſtituiſti, cum in iiſdem, aeris actiones in ſanguinem, ſuccos, & ſpiritus præſertim (ſi ipſe non ſit ſpirituum materia) conſpiciantur. Et nullus dubito quin Febrium indoles ab annorum temperie, in quibus graſſabantur, obſervata utiliſſimam, ſi non unicam, methodum conſtituit ad praxim ſtabiliendam. Perge itaque, & ſi quæ adhuc reſtant Obſervationes Febrium annorum nuperrime elapſorum, fac ut palam fiant, qua in re quam maxime humani generis ſaluti proſpicies.*

In Sectione prima, Cap. quinto *libri tui, paucis egiſti de uſu* Corticis Indici, *& ejuſdem exhibendi methodo. Equidem ſcio, quoſdam haud infimi ſubſellii Medicos, qui in magna quantitate & doſi ſæpius repetita eum exhibent; alios item qui ex eodem extracta, infuſiones, & ex infuſionibus julapia, & emulſiones conficiunt, quibus modis ſe non tantum intermittentes, ſed & continuas quaſdam certo curare affirmant: Magnum procul omni dubio in curandis intermittentibus eſt remedium. Ego quidem per 20. plus minus annos dictum Corticem varia forma & multiplici præparatione maximo cum ſucceſſu exhibendum curavi. Si vero peculiare quippiam de uſu hujuſce Corticis noſti, vel quid melius progrediente experientia fueris edoctus, id ne graveris precor in lucem proferre.*

In curatione Rheumatiſmi *frequentem Phlebotomiam, & larga manu celebratam tanquam neceſſariam propoſuiſti. Quærerem Ego an non rejecta tam ſevera & crudeli methodo, alia non humani ſanguinis adeo prodiga, nec minus certa inveniri poſſit. Dum hæc agis, Digniſſime Vir, malevolorum jurgia, & invidorum ſtigmata atque calumnias ſat ſuperque perſenties; neque nunc minus quam olim nomini tuo aut famæ parcent, licet ingenuis fere omnibus diſpliceant, & candidioribus, apud quos ſolemne eſt iſtiuſmodi detractores deſpicere. Iſti vero, ſi Febrium hiſtoriam longo uſu comprobatam, vel earundem eſſentias, cauſas, & differentias, vel veram tandem medendi methodum expiſcari volunt, Te Ducem & viam præmonſtrantem ſequi neceſſe habent; cum vix, aut ne vix quidem, alia, vel earum naturam inveſtigandi, vel curandi ratio poſſit aſſignari. Macte itaque eſto, & ſperne ſciolorum dicteria; ſciolorum hominum ingenia excita; tu methodum monſtraſti, & ſi tua non placet, qui carpunt, dent politiorem & magis firmam. Vale, Vir integerrime, qui hiſce peragendis totam Medicorum turbam merito devincies, inter reliquos vero,*

Tibi jure meritoque amiciſſimum,

Cantabrigiæ,
30. Decembr. 1679.

R. BRADY.

Ampliſſimo Doctiſſimoque Viro

ROBERTO BRADY, M. D.

Collegii Cajo-Gonevillenſis Cuſtodi, nec non Regio in Medicina apud Cantabrigenſes Profeſſori longe celeberrimo.

ME certe, Vir Humaniſſime, ſi quid in morborum curatione profecero, ad omne id cuivis efflagitanti impertiendum præ cæteris qui nunc ſunt homines facillimum eſſe omnino par eſt: ſi enim ea tantum mihi innoteſcant quæ & reliquis mortalibus, (quod mihi, plus ſatis conſtat) nullo pacto mihi obſuerit levidenſia iſta & e triviis deſumpta evulgare; ſin autem aſſecutus ſim aliquid quod e re medica ſit, & ad certiorem morborum Therapejam faciat, non tam mihi laudi dabitur, quam aliis daretur quibuslibet, ea in lucem expromere; Qui & a podagra jam ab annis plus minus triginta, & calculo diu male mulctatus, facile mecum reputo, quam ſerio gauderem, ſi quod meis malis levamen aliorum indicio poſſit aſſerri. Cum autem pauciſſimis ingens illud privilegium a Deo Opt. Max. concedatur, ut publico commodo hac in re inſervire queant, iiſque tantum, quibus *e meliore luto* quam mihi *finxit præcordia Titan*, votis agendum eſt, quod reapſe effectum dare non ſatis eſt virium. Semper enim exiſtimavi, neque ſine ratione, majoris eſſe felicitatis certam vel leviſſimi alicujus morbi debellandi methodum ægris mortalibus prodidiſſe, quam vel *Tantali*, quod ajunt, vel *Cræſi*, theſauros accumulaſſe. Feliciorem hoc illum dixi; dicam & meliorem, ſapientioremque: quod enim uberius & ſapientiæ & bonitatis ſuæ ſpecimen quis poteſt edere, quam, cum ſe e communi generis humani natura deciſum animadvertat, ea quæ molitur omnia ad publicam magis omnium utilitatem, quam ad ſuam ipſius, qui tam exilis totius particula & contempta res eſt, jugiter referre? *Ut enim* (loquor cum maximo illo dicendi ſentiendique magiſtro *Cicerone* meo, ſui ſæculi, ne dicam univerſæ hominum naturæ Genio) *leges omnium ſalutem ſingulorum ſaluti anteponunt, ſic Vir bonus & ſapiens & legibus parens & civilis officii non ignarus utilitati hominum, pluſquam unius alicujus, aut ſuæ conſulit. Cicero de fin. bon. & mal.* Quinimo ſatis liquet, quod cum facinoroſi ſit hominem jugulare, boni viri erit eundem vel conſervare, vel alios iis inſtruere præſidiis, quibus adjuti eum ab interitu vindicent, etiam authore vita jam functo. Et vox illa plane inhumana, & ſcelerata audit eorum, qui negant ſe recuſare, quo minus ipſis mortuis terrarum omnium deflagratio conſequatur.

His autem impræſentiarum miſſis factis, fatendum eſt, debere me ea, quæ de his morbis, de quibus percontari libuit, animo volutavi, ut ut exilia, tibi plane aperire, Tibi, inquam, eximio viro, & *Sparta* quam ornas digniſſimo; cujus ego & eruditioni & probitati, animique candori ea tribuo encomia, quæ reliqua Togatorum gens, inter quos nites. Prætereo etiam, quantum tibi debeo gratiarum, quod te tam male habeant immerita illa, quibus a nonnullis proſcindor convitia; de quibus hoc habeo dicendum, quod ſi vita innocua hominis, qui neminem neque facto neque dicto læſerat, me ab illis ſartum tectum reddere valuiſſet, nunquam in me detonuerant. Cum autem nullo id meo crimine evenerit, neque, ut ſpero, eveniet unquam, ſtat ſententia non me ideo plectere, quod alii deliquerint, id tantum ratus ad me attinere, ut viri probi ſcilicet officio defungar, & boni Medici, quantum patitur tenuitas noſtra.

Morem itaque geram in tradendis obſervationibus, quæ mihi in morbis, de quibus ſciſcitabaris, occurrebant. Primum autem agam de *Febribus intermittentibus* nunc apud noſtros Epidemicis. Quo nomine non abs re fore arbitror annos iſtos ordine, ſed breviter percurrere, qui illum excipiebant, quo claudebatur *Hiſtoria Acutorum Morborum* (qualis illa demum fuerit) qui per præterlapſos annos 15. graſſabantur, & quædam obiter perſtringere in eorundem curatione a me pridem notata. Quo facto melius innoteſcet, quo tempore & quibus gradibus, quæ jam obtinet febrium *conſtitutio*, nobis obrepſerit.

* Annus 1676. eoſdem peperit morbos quos genuerat conſtitutio poſtremo loco commemorata in dictis obſervationibus, *viz.* Annor. 1673. (in cujus Autumno ea ſe primum exeruit) 1674. & 1675. At vero exoleſcente ferme hac craſi, mitiores erant, quam pro ſuo genio, qui ſubpullulabant morbi, & minus inſuper Epidemici; non obſtante peculiari ejus anni indole, quantum ad manifeſtas aeris qualitates, quibus ab annis præcedentibus perquam abludebat, cum & æſtatis fervor, & frigus hyemis omnes ferme annos, quorum memoriam habemus, longo intervallo ſuperaverint. Et cum tam ingens tempeſtatum diſcrepantia ſimiles tamen morbos produceret, ſatis hinc liquet, non tam manifeſtam quam occultam aeris temperiem Epidemicis morbis favere. At vero fatendum eſt, morbos eoſdem quoad ſymptomata quædam aliquando a manifeſta aeris diatheſi pendere, quod & *Morbillii* & *Cholera Morbi* hoc anno invadentes teſtatum faciunt, de quibus breviter agam.

Morbilli enim naſcenti anno coorti, licet non admodum Epidemici, id tamen eximii habebant, quod ſolito longius procurrerent; nam cum pro more ſuo menſe primum Januario comparentes, ad Æquinoctium uſque vernum ingraveſcerent, dein paulatim imminuti cum Solſtitio fere expirarent, hoc anno ad Æquinoctium ferme Autumnale pertingebant, ab æſtatis calore, niſi fallor, aucti viribus, quo diutius obſiſterent. Neque tamen methodum medendi ab uſitata illa diverſam poſtulabant.

Exeunte æſtate *Cholera Morbus* epidemice jam ſæviebat, & inſueto tempeſtatis calore evectus, atrociora convulſionum ſymptomata, eaque diuturniora ſecum trahebat, quam mihi prius unquam videre contigerat. Neque enim ſolum abdomen, uti alias in hoc malo, ſed univerſi jam corporis muſculi, brachiorum crurumque præ reliquis, ſpaſmis tentabantur diriſſimis, ita ut æger e lecto ſubinde exiliret, ſi forte extenſo quaquaverſum corpore eorum vim poſſet eludere.

Quamlibet autem hic mobus non aliam a recepta medendi rationem ſibi vendicabat, *Anodyna* tamen fortiora, eaque ſæpius ingerenda quam alias ſolebam, omnino indicabantur. Ex. gr. Ad quendam vocatus per id temporis truculentiſſimo illo, quod modo deſcripſi, ſymptomate tantum non enectum, (me autem comitabatur *Carolus Goodall* M. D. cujus animi candor, probitas illibata, ſummus in me amor, labor improbus in morbis dignoſcendis curandiſque una cum nomine mihi ſemper occurrunt) & enormi vomitione, ſpaſmorumque violentia animam agentem, cum ſudore frigido, & pulſu vix micante, guttas 25. *Laudani liquidi*, a me jam olim publicati, in cochl. 1. *Aq. Cinnamomi fortis* exhibendas curavi,

* *Anno* 1676.

veritus sc. ne vehiculum paulo copiosius medicamento rejiciendo (quod in vomendi tam impenso conamine persæpe fit) ansam daret: dein lecto assidens quasi ad semihoram, & expertus remedii vires nec Vomituritioni compescendæ, nec sedandis convulsionibus adhuc pares esse, toties illud ipsum repetere, & dosin in tantum augere cogebat (interposito tamen spatio, ut quid a jam ingesto mihi foret sperandum prius ediscerem, quam novas adferrem suppetias) donec tandem pervicacissima illa symptomata sub jugum victoris mitterentur, quod tamen vel minimo corporis motu excitata denuo excutere satagebant. Serio itaque imperavi, ut & corporis quieti modis omnibus indulgeret ad paucos dies, & medicamentum jam dictum, sed in minori dosi, subinde assumeret, etiam postquam convaluerit, ad *Ἕξιαν* sc. confirmandam, quod nobis ex animo cessit.

Neque est cur me quispiam justo audaciorem pronunciet, eo sc. nomine, quod tantam Laudani liquidi vim ægro infundere non dubitaverim; cum judice experientia certo constabit, quod in quibus affectibus ex *Opio* parata indicantur (sunt autem tres; *vehemens dolor, vomitus vel dejectio enormior, & insigniores spirituum animalium ἀταξίαι*) in iis & remedii dosis & repetendi vices cum simptomatis magnitudine omnino sunt conferendæ. Quæ enim dosis remissiori symptomati coercendo par est, ea ab alio fortiore superabitur, & quæ alias ægrum in manifestum vitæ discrimen conjiciet, eundem impræsentiarum ab orci faucibus liberabit.

* Atque hi sunt morbi isti, qui hoc anno populabantur, iidem sc. ut jam innui, cum morbis trium annorum præcedentium. Quales autem fuerint, qui annum sequentem *viz.* 1677. funestaverint, non habeo dicere. Cum enim molestissimo sanguinis mictu, a motu vel levissimo, sub anni initio male mulctarer, neque ita diu postea podagra etiam, quæ non jam tam artus, quam viscera sævissimo dolore excruciabat, accedentibus insuper virium & appetitus prostratione, crurum tumore, aliisque symptomatibus non minus periculosis (quem si tum fuerim extinctus, mors certe non tam a bonis quam a malis abstraxisset, haud equidem repugnantem) me domi meæ ad menses tres continere, deinde redintegrandæ sanitatis causa per idem fere spatium rusticari cogebar. *Autumno* reversus ad meos, febres intermittentes hinc inde sparsas esse (quarum tamen pars maxima ægros non in urbe primum invaserat) ab amicis didici; cum autem mihi per valetudinem non liceret ægros invisere, de hoc anno nihil melius silentio possum adferre.

* Proximi anni (*viz.* 1678.) *Constitutio* prorsus immutata *Febribus Intermittentibus* (quæ jam ab anno 1664. ad tredecim sc. annos urbe fere exulaverant, nisi quod nonnullos sporadice occuparent, vel ex agris forte comitarentur) usque adeo favebat, ut Epidemicæ rursus audirent; neque eum tamen gradum hodie tuentur, quin & fines latius proferent, donec hæc, a qua pendent, aeris *διάθεσις* suam *ἀκμὴν* attigerit. Quamtumlibet autem dictæ intermittentes pauciores aliquot etiam tempore Verno fuerint adortæ, eo usque tamen exeunte Æstate, & Autumno subeunte præ cæteris sæviebant, ut nulli amplius morbo Epidemici nomen relinquerent. Hyeme vero paululum fatiscente *Variolis* locum cedebant, atque aliis insuper Epidemicis, qui per omnia dominabantur, donec intermittentibus apta tempestas in orbem rediret.

Sed ut jam ediserem, quæ de harum febrium & natura & causis sedula observatione assecutus sum; in primis notandum est, quod licet olim *Quartanæ* frequentius occurrerent, nunc dierum aut *Tertianæ* erant, aut *Quotidianæ*, (nisi quis postremas has *Duplices Tertianas* malit appellare) & pariter quod licet Tertianæ Quotidianæque aliquando cum rigore atque horrore invadentes, subsequente primum calore, mox etiam sudore, tandem in omnimoda *ἀπυρεξίᾳ* desinerent, atque post statam periodum ægros de novo lacessèrent; ne hunc quidem jam morem servabant ultra tertium quartumve paroxysmum, maxime si æger lecto addiceretur, & assumptis cardiacis calidioribus oleum camino, quod ajunt, addiderit. Postea vero febris hæc eo usque etiam præter indolem suam incrudescebat, ut *Intermissionis* loco *Remissionem* tantum ægro concederet, & magis in dies ad *Continuarum* speciem accedens, tacto cerebro tandem haud paucos extingueret.

Curationem quod spectat, jam a multis annis mihi innotuit, quam sit periculosum eam in tertianis & quotidianis (quæ cum recentes sint nullumque typum indutæ in continuitatis vicinia adhuc hærent) per sudorifica moliri: quamvis enim notissimum sit simul cum sudore prorumpente inquietudinem atque alia symptomata statim evanescere, & *ἀπυρεξίαν* succedere, & ex consequenti huic paululum esse indulgendum, saltem non esse obsistendum paroxysmo fatiscente, tamen est compertissimum, quod si justo copiosius eliciatur sudor, quæ intermittebat, febris jam fit continua, ægerque tanquam incerto aleæ casu in vitæ discrimine versatur, hic servatur, perit ille. Ratio est hæc, nisi mea me fallit conjectura, quod sc. istiusmodi profusus sudor; cum materiæ febrilis, paroxysmi calore eo usque evectæ, ut jam per despumationem ejici possit, modum exuperet, exterminata ea parte, quæ unico paroxysmo respondet, de reliquo sanguini incendendo impenditur. Hujus itaque methodi inefficaciam; & aliarum evacuationum, venæ sectionis v. gr. & catharseos incommoda (quarum utraque relaxando tonum sanguinis morbum protrahunt) dum mecum perpenderem, *Peruvianus Cortex* certissimam mihi spem fecit, de quo vere affirmare possim, non obstante tam vulgi, quam perpaucorum e doctis præjudicio, me nihil mali ægris accidisse ab ejus usu vidisse unquam, vel cum ratione suspicari potuisse, nisi quod illi, qui longum & repetitum corticis Peruviani usum experti sunt (ut in *Capite de Rheumatismo* præmonstraverim) in speciem quandam *Rheumatismi Scorbutici* nonnumquam incidunt. Hoc autem malum perquam raro ex hac occasione nascitur, & quando accidit, facillime remediis ibidem descriptis cedit.

Et profecto si tam effectorum durationem, quam corticis hujus innocentiam exploratam haberem, principem illi locum inter omnia quotquot sunt remedia deferre nullus dubitarem; cum non tantum in hoc morbo insignium esse virium deprehendatur, sed & in uteri & ventriculi etiam affectibus: Tantum abest, ut de ejus insalubritate merito quis conqueratur.

His autem potissimum de causis, nisi fallor, dictus cortex male audit. Primo, quia plurima illa horrendaque symptomata, quæ febres intermittentes jam diutius ægrum cruciantes comitantur, etiam ubi ne minimum quidem corticis degustaverit, cortici, vel semel assumpto, imputantur. Secundo, quia cum occulta vi, & non per sensibilem aliquam evacuationem morbum averruncet, statuunt plerique materiam morbum comitantem quæ propelli debuerat, tanquam hostem intra mœnia vi corticis astringente inclusam latere, novos naturam tumultus, atque ægrum non penitus evasisse cum adhuc catenam trahat. Ast hi non satis attendunt sudores paroxysmum finientes id omne quod in lucido sanitatis intervallo accumulabatur prorsus eliminasse, manere tantum morbi seminium tempore maturandum; quodque cortex fugientem paroxysmum a tergo urgens, & intercepto qui debuerat submministrari morbi commeatu sive fomite, non potest in sanguine retinere, quod jam in illo non nisi tanquam in embryone reperitur; ac proinde neque strangulationum, neque obstructionum, quæ vulgo objiciuntur, reus est peragendus.

Quo autem pacto deprehendemus corticem vi sua adstrictoria febres fugare? Qui id probare velit, necesse erit prius alia adstringentia pari virtute prædita in medium afferat; mihi certe vel eorum fortissima adhibendi in experimentum nondum e voto cessit. Quid quod illos etiam sanat, qui ab ejus usu tanquam a cathartico assumpto (quod nonnullis accidit) frequenter alvum deponunt? Id verò demum est recte sapere suo se quemque pede ac modulo metiri. At si quis fucum sibi faciens, aliis se præditum esse facultatibus existimaverit, quam quæ inserviunt percipiendæ vel *Naturali Theologiæ* (ut Deo scil. rerum omnium Architecto & Moderatori debita veneratio cum profundissima animi prostratione jure merito exhibeatur) vel *Philosophiæ Morali* (ut virtutem exerceat, & mores tam ad privatum quam publicum societatis humanæ bonum accommodet) vel denique *Arti Medicæ*, *Mathematicæ*, *& Mechanicæ* (quibus vita communis adjuvatur.) Hic primum Hypothesin aliquam e schola *Naturalis Philosophiæ* depromat, qua vel unicam differentiam specificam rerum in natura possit enodare; ex. gr. rationem reddat, quare *Gramen* omne viridi ubicumque colore, nusquam alio cernitur infectum; *&c.* Hoc si effecerit, in ejus castra haud invitus transeam; sin aliter, non verebor dicere quod Medici cura omnis atque industria, in expiscanda morborum historia, iisque remediis adhibendis, quæ experientia indice ac magistra eosdem valent depellere, debent collocari; observata tamen ista medendi methodo, quam recta ratio (non speculationum commentis, sed trito & naturali cogitandi modo innixa) ei dictaverit. Dicam itaque paucis quod usu didici de methodo, qua cortex nobis usurpandus venit.

Cortex Peruvianus, cujus *Pulvis Patrum* vulgo nomine insignitus, annis abhinc quinque & viginti (si bene memini) apud Londinenses nostros in exterminandis febribus intermittentibus, maxime quartanis, primum cœpit inclarescere. Idque optimo sane jure, cum hujuscemodi morbi rarissime ab ullo alio sive remedio sive methodo medendi antea expugnarentur, unde etiam opprobria Medicorum & erant & audiebant. At vero non ita multo tempore elapso, duabus de causis, non quidem levibus, damnatus in desuetudinem prorsus abiit. Primo, quia paucis horis ante adventum paroxysmi, pro recepto id temporis more, exhibitus ægrum nonnumquam e medio tolleret; quod & civi cuidam Londinensi eidemque Senatori Urbano, *Underwood* nomine, & Capitaneo nomine *Potter* in vico vulgo dicto *Black Fryars* Pharmacopolæ memini accidisse. Funestior hic pulveris exitus, quamvis oppido rarus, Medicos tamen paulo cordatiores ab ejus usu merito retraxit. Secundo, quia æger ope pulveris a paroxysmo alias invasuro liberatus, quod plerumque eveniebat, tamen intra dies 14. recidivam ut plurimum pateretur. In morbo scilicet recenti, necdum temporis cursu suoque marte commitigato. Maxima pars hominum his permota rationibus spem de hoc pulvere jam pridem conceptam protinus abjiciebat: Neque enim tanti æstimabant paroxysmum ad paucos dies protelare, ut se eo nomine in vitæ discrimen a pulvere intentatum induci paterentur. Ego vero jam ab aliquot retro annis haud vulgarem hujus corticis vim serio perpendens, animoque revolvens, non alio magis quam hoc Herculeo medicamento febres intermittentes debellatas iri confidebam, si qua par erat cura accederet, & diligentia. Diu itaque multumque apud me agebam, ut & *Periculo* a pulveris usu impendenti, & *Recidivæ* intra paucos dies subsecuturæ (quæ duo erant amolienda incommoda) possem occurrere, atque ægrum hujus ope ad perfectæ sanitatis gradum promovere.

Primo, *Periculum* quod minitabatur, non tam ex ipso cortice natum arbitrabar, quam ex eo quod minus opportune ægro ingereretur; cum enim vix ingens materia febrilis diebus a paroxysmo vacuis in corpore fuerit aggesta, pulvis prædictus, si immediate ante paroxysmum deglutiatur, facit quo minus materia morbifica ipsa naturæ methodo, paroxysmi scilicet impetu, possit eliminari, quæ proinde præter fas inclusa ægrum in vitæ discrimen solet conjicere. Hoc ego me malum propulsare posse existimabam, materiæque pariter febrili de novo generandæ obicem ponere, si ubi primum paroxysmorum unus affligere desierit, confestim pulverem exhiberem, quo insecuturus inflammaretur, & diebus intermissionis statis subinde vicibus eundem repeterem usque dum novus invaderet paroxysmus, atque ita paulatim tutoque proinde sanguinis massam salutifera corticis virtute penitus inficerem.

Secundo, cum *Recidiva*, (quæ intra dies 14. plerumque accidebat) ex eo mihi videbatur nasci, quod sanguis non satis exsaturaretur virtute febrifugi, quod utut efficax, una tamen vice morbo penitus exterminando par non fuit, idcirco autumabam nihil ad eam præcavendam æque posse conducere, atque methodum repetendi pulveris, etiam devicto ad præsens morbo, justis semper intervallis, antequam scilicet vires præcedentis dosis prorsus elangueścerent.

His itaque rationum momentis innixa mens eam, qua jam utor, mihi methodum dictabat. Ad ægrum *Quartana* febre laborantem accersitus (*die Lunæ* v. g.) si paroxysmus eodem die sit invasurus, nihil prorsus moveo, sed id tantum ago ut spem faciam, eum a proxime venturo liberatum iri. Ac proinde binis diebus intermissionis (*Martis* sc. *& Mercurii*) corticem exhibeo hunc in modum. ℞ *Cortic. Peruv. subtiliss. pulverat.* ℥j. *cum s. q. syr. Caryophyl. vel de Rosis siccis, f. Electuar. dividendum in* 12. *partes, quarum unam capiat quarta quaque hora, incipiendo immediate post paroxysmum, superbibendoque haustum vini cujuslibet.* Vel, si *Pilulæ* magis arrideant. ℞ *Cortic. Peruv. subtilisſ. pulv.* ℥j. *cum s. q. syr. Caryophyl. f. Pil. mediocris magnitudinis, quarum capiat* vj. *quarta quaque hora.* Sed minori cum molestia, eodem tamen fructu, hujus *Pulveris*

uncia

* *Annus* 1677. * *Annus* 1678.

uncia una admiſceri poterit *libris duabus Vini Clareti*, atque ejus *cochl.* viij. vel ix. exhiberi iiſdem quæ dicta ſunt temporis inrervallis. *Die Jovis*, quo metuitur paroxyſmus, nihil impero, cum utplurimum nullus accedat, reliquiis materiæ febrilis per ſolitos ſudores, qui præcedentem paroxyſmum abſolvunt, deſpumatis ejectiſque e ſanguine, atque interciſa novæ mineræ ad fomiris accumulationem repetiro pulveris uſu, diebus paroxyſmos diſterminanribus adhibiti.

Verum enim vero ne morbus denuo recrudeſcat (quod e prædictis incommodis erat alterum) *die octavo* præciſe, a quo poſtremam doſin æger aſſumpſit eandem præfati pulveris quantitatem, (*Unciam &c. in partes* 12. *diviſam*) eadem qua prius methodo, certo certius exhibeo. Quamvis autem repetita hoc modo ſemel medicatio perſæpe morbum conficiat, non tamen prorſus in tuto collocatur æger, niſi Medico tertio quartove eandem methodum eodem temporis intervallo iteranti parere non gravetur; maxime ubi ſanguis a prægreſſa aliqua evacuatione fuerir debilitatus, aut ſe æger incautius auræ frigidiori feriendum expoſuerit.

Verum etſi hoc remedium nulla purgandi vi polleat, tamen ob peculiarem quorundam corporum temperiem atque idioſyncraſiam perſæpe accidir, ut ab ejus uſu tanquam a cathartico fortiori aſſumpto æger violenrer expurgetur. In hoc caſu omnino oporter, ut *Laudanum* cum eo exhibeatur, quo minus hanc operationem, tam ſuæ naturæ, quam morbo plane contrariam, ciere valeat, neque pulvis juſto citius per alvum expulſus diſperdarur, antequam ſuo fungererur munere. In hoc itaque caſu *Laudani* ejuſdem *gut.* x. vino inſtillari jubeo, & poſt alternam pulveris doſin aſſumi, modo diarrhœa perſtiterit.

Dicta methodus uſu mihi venit in cæreris intermittentibus ſive *Tertianis*, ſive *Quotidianis*; utraſque enim ſtatim a finito paroxyſmo aggredior, & reperito per jam commemorata paroxyſmorum interſtiria medicamine (quantum ſcilicet earum fert indoles) urgeo atque a tergo premo; hoc tamen diſcrimine, quod cum quartana rariſſime niſi *Uncia una* in doſes diſpertita, reliquæ *ſex Drachmis* poſſint ita expurgari, ut inducias ſaltem concedant.

At vero rertianæ, quotidianæque, etſi poſt unum alterumve paroxyſmum omnino videantur intermirtere, tamen non ita raro (quod & a me anre eſt notatum) poſtea ad conrinuarum fere ſpeciem vergunr, & ad *Remiſſionem* tantum, etiam diebus, quæ *Intermiſſionem* pollicebantur, accedunt; præſertim ubi æger lecto defixus regimine juſto calidiore, aut medicamentis febri per ſudores ejiciendæ dicatis fuerir mulctarus. Hoc in caſu a remiſſione quantumlibet exigua (id enim mihi unum ſupereſt) anſam arripiens, pulverem quam proxime a paroxyſmo (quantum conjectura valeo) ingerendum propino, nempe quarta quaque hora, ut modo dixi, ne quidem ipſum morans paroxyſmum, cum aliter in ſpatio interjecto plus ſatis brevi alexeteria corricis vis ſanguini impertiri nequeat.

Tum autem febres quædam apud nos graſſantur, etſi poſt ſecundum tertiumve paroxyſmum reponere ſe in claſſem continuarum nitantur, tamen ad intermitrentes debeant referri; nulla mihi eſt religio *Corticem* vel in maxime *Continuis* hujus ſpeciei ſumendum proponere, qui dicto more iteratus ad apyrexiam certo ægrum perducet; modo aſſiduus lectuli calor, & intempeſtivus cardiacorum uſus continuitatem febri non conciliaverint; quo in caſu Peruvianum corticem nihil quicquam profeciſſe plus ſemel obſervavi. Neque mihi unquam contigit, ut viderem vinum in quo propinatur cortex (quod jure quis poſſit ſuſpicari) febricitanti obfuiſſe; e conrra vero, calor, ſitis, cæteraque febris ſymptomata ut plurimum poſt aſſumptam hujus remedii quantitarem ſufficientem, mox evaneſcens, vino haud obſtanti. Hic autem obſervandum, quod quo magis febris ſive ſponte ſua, ſive regimine calidiori ad continuitatem accedat, eo major corticis quantitas exhibenda; ita ut nonnunquam viderim morbum hunc non niſi ſeſquiunciæ, vel unciis ejuſdem duabus ceſſiſſe.

Cum vero ſint aliqui qui corticem hunc nec in pulveris forma, nec electuarii, nec randem pilularum ferre queant, his ejuſdem infuſum in frigido factum propino, ℥ij. *ſc. Corticis groſſe pulverati in Vini Rhenani* ℔ij. aliquandiu macero. Liquor hic per manicam Hippocratis ſæpiuſcule trajectus, colore limpidus adeo non officit, ut vel delicatulorum palato arrideat; ac dictæ infuſionis unciæ quatuor ad dies aliquot factæ, virtutem drachmæ unius corticis in pulvere exhihiti videntur continere. Quæ cum nec ingrata ſit, nec ventriculum premat, duplo frequentius uſurpari poterit, quam reliquæ ejuſdem remedii formulæ, nempe donec paroxyſmi terga dederint.

Quandoque accidit, ut in hoc morbo male formaro, nec dum in typum regularem evecto, æger ob vomituritionem fere continuam corticem deglutitum, quacunque demum forma exhibeatur, retinere nequeat: In hoc caſu vomitio prius eſt compeſcenda, quam cortex propinetur. Ad quem ſcopum collimans jubeo, ut ſexies vel octies ſpatio duarum horarum *ſucci limonum recens expreſſi Coch.* j. *cum ſalis Abſint.* ℈j. *aſſumat*. Deinde *Laudan. liquid. gut.* xvj. *cum aq. Cinamom. fort. Coch.* j. Ac brevi poſt, ſi vomitus ceſſaverit, uſum Pulv. Peruv. aggrediatur.

Pro infantibus, quorum ætas tenella vix feret ut alia forma hoc remedium aſſumatur (ſaltem ea quantitate qua devincarur morbus) ſequens Julapium præſcribere ſoleo. ℞. *aq. Ceraſor. nig. & Vini Rhenani an.* ℥ij. *Cort. Peruv. ſubtiliſſime pul.* ℥iij. *ſyr. Caryophil.* ℥j. *miſ. f. Julap. Cap. Cochleare unum alterumve pro ratione ætatis, quarta quaque hora, donec paroxyſmi non amplius diſcrutient; inſtillando alternis doſibus, ſi Diarrhœa adfuerit, Laudani liquidi gutt.* j. *vel* ij.

Obſervandum eſt inſuper, quod cum breviora paroxyſmorum interſtiria in rertianis & quotidianis intermitrentibus non ſaris temporis concedant ad ſanguinem febrifuga corticis virtute plene exſaturandum, fieri non poteſt, ut æger proximum a prima medicatione paroxyſmum, nti in quartana ſolet evenire, certo effugere valeat, ſed in his medicamentum ſæpe non niſi poſt biduum promiſſam curationem abſolvet. Animadvertendum autem quod ſi æger, non obſtante abundanti cautela ſuperius rradita, nihilominus recidivam patiatur (quæ in quartana ipſa rarius accidit, quam in tertianis, vel quotidianis) ramen prudentis Medici erit non nimium pertinaciter inſiſtere methodo corticis per dicta intervalla exhibendi, ſed pro ſuo judicio aliis modis curationem aggredi, cui præ cæteris *Decoctum amarum*, quod appellant, magnopere conducere vulgo creditur.

Diætam quod ſpectat cæterumque regimen, nec a cibo nec a potu arcendus eſt æger, qualis qualis is demum fuerit qui ad ſtomachum facit, fructibus tamen horariis & liquoribus frigidis (utpote & infirmandæ ſanguinis maſſæ & febri poſtliminio reducendæ admodum conferenribus) ſemper exceptis. Veſcatur itaque carnibus eupeptis & euchimis, & vino modice utatur pro potu ordinario; qua re ſola ægros nonnunquam reſtitui, etiam eos, quorum corpora ob frequentem febris recurſum conrra corticem quaſi communita, ſalutiferam ejus vim perpetim eludebant.

Neque vero ſe temere auræ frigidiori committere debet æger, donec ſanguinis priſtinum vigorem de novo obtinuerit.

Hic autem advertendum, quod cum de febribus intermittentibus olim agens ægrum ſublaro morbo ſedulo purgatum iri admonuerim, hoc intelligi velim de iis ſolum febribus quæ vel ſponte ſua, vel alio ſive medicamento ſive methodo præter corticem Peruvianum erant debellatæ. Etenim curatio, cum huic remedio, de quo jam loquor, innitatur, purgatione nec eget, nec eandem plane ferr. Ita potenter dictus cortex ſine ope catharticorum non ſolum *Paroxyſmis*, ſed & *Dyſcraſiæ* quam corpori iidem inflixerunt, ſubvenit. Vitandæ itaque ante omnia evacuationes qualeſcunque, cum vel blandiſſima catharſis, quinimò enema a lacte ſaccharato in morbi diſcrimen certiſſime, forte in morbum ipſum denuo ægrum conjicier.

Hic autem commemorare libet, quod ſub primos hujus conſtitutionis annos ſymptoma quoddam inſigne febribus intermittentibus quandoque ſupervenerit. Nempe earum paroxyſmi non cum rigore & horrore, quas poſtea febris excipit, invadebant, ſed æger iiſdem plane ſymptomatibus tentabatur, ac ſi *Apoplexia* vera laboraſſet; quæ tamen nihil aliud eſſet, utcunque hunc affectum æmularerur, quam ipſa febris caput impetens; ut ex aliis ſignis, ita ex colore urinæ ſatis liquebat; quæ in intermittentibus ur plurimum rubore ſaturato extat, qualis cernitur in urina eorum qui ictero laboranr, etſi non adeo inrenſe rubet, & pariter ſedimentum deponit pulverem laterum fere ferens. Hoc autem in caſu quanrumlibet evacuationes omnes, cujuſcunque demum generis ſint, indicari videntur, ad revellendos ſcilicet ex cerebro humores, ut in apoplexia primaria fieri ſolet; eædem tamen omnino omittendæ ſunt, utpote quæ originariæ hujus ſymptomatis cauſæ, febri nempe intermittenti prorſus adverſentur, ac proinde mortem accerſant: quod & ipſe novi. Ar e contra expectandum donec paroxyſmus ſponte ſua evanuerit, quo tempore cortex, modo citius idem ingeri non poterir, quamprimum eſt exhibendus, & inrervallis ab ejuſmodi acceſſionibus liberis idem ſedulo repetendus, uſque dum perfecte convaluerir æger.

Nonnunquam accidit, etſi perquam raro, ur ſenes qui diu hoc morbo antea laborarunt, ac interea venæ ſectionibus & catharticis imperite fuerint mulctati, in *Diabetem* incidant, etiam febre jam perfecte fugata. Etenim cum ſanguis eorum abhinc debilitatus aſſimilandis ſuccis ei illatis prorſus impar reddatur, iidem per vias urinarias crudi adhuc & inconcocti exitum ſibi quærunt, proindeque præ ingenri urinæ copia, quoties eam reddunt, excreta ſenſim vires labefactantur, & quaſi ſubſtantia corporis per hanc cloacam exinanitur. In hoc affectu, uti & in omni *Diabete*, ex quacunque προφάσει originem ducat, curativæ indicationes ad ſanguinem invigorandum corroborandum, ac pariter ad fluxum urinæ præternaturalem reſtringendum, omnino dirigendæ ſunt. Ut ℞. *Theriac. Adrom.* ℥iſ. *conſerv. flaved. Aurant.* ℥j. *Diaſcordii* ℥ſ. *Zinzib. condit. & nuc. moſch. condit. an.* ℥iij. *pulv. e chelis Cancr. compoſ.* ℥iſ. *Cort. exterioris Granator. rad. Angelic. Hiſpan. Coral. rubr. præp. & trochiſc. de terra Lemnia an.* ℥j. *boli Arm.* ℈ij. *Gum. Ar.* ℥ſ. *cum ſ. q. ſyr. de roſ. ſiccis f. Electuar. de quo ſumat ad magnitudinem nuc. moſch. maj. mane hora quinta pomerid. & nocte per menſem integrum, ſuperbibendo ſeq. infuſionis Cochl.* vj. ℞. *rad. Enul. Campan. Imperator. Angelic. & Gentian. an.* ℥ſ. *ſol. abſinth. Rom. marrub. alb. Centaur. min. & calaminth. an. M.* j. *Baccar. Juniper.* ℥j. *Incidantur minutim, & infundantur Vini Canarini* ℔v. *ſtent ſimul in infuſione frigida, Coletur tantummodo tempore uſus.* Veſcatur cibis εὐπέπτοις, *vix.* Carne vitulina, vervecina, *&c.* Abſtinear ab eſu olerum & fructuum qualiumcunque, & ſingulis paſtibus bibat vinum Hiſpanicum.

Eadem fere methodo atque iiſdem remediis contumax iſte & diuturnus affectus, *Fluor* ſc. *muliebris*, ſanatur ac *Diabetes* modo dictus, nam utrobique indicationes curativæ eædem ſunt, quantumcunque inter ſe hi duo morbi diſſidere videantur. At in *fluoris muliebris* curarione venæ ſectio celebrara, ac poſtea catharſis ex *Pil. Coch. maj.* ℈ij. tribus vicibus repetita *Corroborantium* uſui præmitti debenr, deinde vero per totum proceſſum omnino omitrendæ; cum quælibet evacuatio everrar quicquid corroborans ſubſtruxerit. Sed hæc obiter.

Hæc habui de Peruviani corticis uſu ſummatim dicenda: Neque enim remediorum pompæ libuit indulgere: Cum ſane qui aliquid cortici adjiciunt præter vehiculum eidem in ventriculum tranſmittendo neceſſarium, aur ex ignorantia peccant, ut mihi videtur, aut dolo malo, a quo vir probus ex animo abhorrebit, qui cum pars ſit ejuſdem communis naturæ, ut ὁμοφύλοις fraudem faciat, nullo unquam privato ſuo commodo poterir adduci. Quod ſupereſt, ſi ætati placuiſſet ad ea animum advertere, quæ annis abhinc quatuor in hiſtoria acutorum morborum rradideram (quæ & ante illud rempus mihi innotuiſſe omnino eſt credibile) quo pacto ſc. cortex in interjectis paroxyſmorum ſpaciis debuerit miniſtrari, rum poſtea repeti ægro jam convaleſcente: viverent fortaſſis haud pauci eorum, quos jam rerra tegit, ut ur homines vilipendant tenues, ſane illos conatus noſtros communi omnium bono dicatos, & monita ſpreverint ibidem dictata verbis inſequentibus, quibus ea breviter continentur, quæ hic fuſius explicare viſum eſt, *viz.*

Curandum eſt ante omnia, ne præmature nimis hic cortex ingeratur, ante ſcil. quam morbus ſuo ſe marte aliquantiſper protriverit (niſi collabeſcentes & jam fractæ ægri vires eundem temporius ſumendum eſſe dictaverint) neque enim illud ſolum eſt metuendum, ne a propero ejus uſu ineſficax iſte reddatur & ſpem ægri fallat, ſed etiam ne de ægri vita agatur, ſi ſanguinem omni fermentationis niſu ſe diſpumanti derepente injiciamus remoram. Proximo loco, neque Catharſi, multo minus venæ ſectione, ſubducenda eſt materiæ febrilis pars aliqua, quo liberius cortex ſuo fungatur munere: cum enim ab utraque labefactetur quadantenus œconomia corporis, eo promptius tetriuſque recrudeſcunt paroxyſmi, evaneſcente ſemel pulveris vi. Mihi enim magis e re fore videtur, ut ſanguinem dicto medicamine ſenſim longioreque a paroxyſmis intervallo leviter inficiamus, quam ut uno omnino ictu paroxyſmum jam inſtantem tentemus confodere; hoc enim pacto & plus temporis remedio concediur, quo ſuum opus plenius abſolvat, & evitatur quicquid ibi eſt periculi, quod ægro

poterit

poterit oriri ex ſubito iſto atque intempeſtivo nimis ſufflamine, quo paroxyſmum jam invaleſcentem atque omni ſe ope exerentem conamur opprimere. Poſtremo brevibus iſtis temporis intervallis repetendus eſt pulvis, ut non protinus evaneſcat prioris doſis virtus antequam altera exhibeatur: crebra enim repetitione iſta ἐνεξία tandem recuperabitur, profligato inſolidum morbo. His adductus rationibus hanc ego methodum cæteris antepono. Peruviani corticis ℥j. cum ſyrup. Roſar. rub. ℥ij. miſceatur; æger vero quantitatem nucis moſchatæ majoris mane & fere quotidie devoret diebus a genuino paroxyſmo vacuis donec confectionem omnem abſumpſerit. Repetatur porro ad tres alias vices, interjectis ſemper diebus quatuordecim. Morb. Acut. Sect. 1. Cap. V.

Quantumlibet autem cortex ſupra laudatus in febribus hiſce medendis, omnibus aliis, quotquot adhuc inventa fuerunt, palmam facile præripiat, attamen in *Tertianis Vernalibus*, ſi modo æger ſanguineo temperamento præditus eſſet, atque etiam ætate floreret, remedia ſequentia curationem abſolviſſe obſervavi. Ex. gr. Mittatur ſanguis e brachio die a paroxyſmo libero, & poſt aliquot horas eodem die exhibeatur *Emeticum ex infuſione Croci Metallorum;* ita tempus præfigendo, ut vomitorium opus ſuum abſolvat ante invaſionem paroxyſmi inſequentis, quo elapſo immediate aggrediatur uſum ſequentium. *2f. Extracti gentian. Abſint. & Centuar. min. an. ℥ij. Miſceantur ac dividantur in* ix. *doſes, quarum unam capiat quarta quaque hora, ſuperbibendo decocti amari ſine purgantibus & vini albi an. ℥iij.* eſt & altera methodus curandi has tertianas, in pauperibus, ſcil. quorum facultas prolixo apparatui Medico ferendo non ſit. Ut *2f. Serpentar. Virginian. ſubtiliſſ. pulv. ℈j. vin. alb. ℥iij. Miſ. ſumat duabus horis ante paroxyſmum, & ſtragulis bene coopertus ſudet per tres vel quatuor horas, idem faciendo per duas alias vices paroxyſmo ingruente.*

* Sequenti anno (nempe 1679.) ſub initio Julii eædem febres de novo vires redintegrabant, & quotidie increbreſcentes menſe Auguſto quam immaniſſime debacchabantur, ac magnam ſtragem edebant. Cum autem de his jam fuſius egerim, nil amplius adjiciam, niſi, quod *Novo Epidemico* a manifeſta aeris craſi pendenti ſub menſe Novembris prorſus locum cedebant.

Etenim una cum *Novembri* ſubingrediebantur *Tuſſes* cæteris quas mihi contigit obſervare annis ἐπιδημικώτερα, cum in ſingulis fere familiis univerſi laborarent. Harum aliæ opem medicam non magnopere deſiderabant; aliæ vero pulmones ita vehementer agitabant, ut æger ventriculi contenta per os ejicere ſubinde cogeretur, vertigine inſuper correptus, a niſu violentiori & laborioſo. Primis fere diebus tuſſis, ſiccam æmulans, nullam materiam ſpectabilem exantlavit; mox ætate auctior nonnihil; atque ut verbo expediam, tum in eo quod parcius expectorarent ægri, tum etiam conatu vehementiori, & paroxyſmorum duratione ad *Tuſſim puerorum Convulſivam* mihi propius accedere videbatur, niſi quod mitius aliquantum ſæviret. In hoc ſaltem convulſivam ſuperabat, quod & febre, & ſolitis ejus ſymptomatibus ſtipata ægrum invaderet, quæ in tuſſi puerorum nondum me vidiſſe memini.

Solemne ſit licet tuſſes ſub hyemis adventum affligere, mirabantur tamen omnes eas hoc anno ita præter ſolitum increbreſcere: quod quidem hac præcipue de cauſa arbitror contigiſſe. Cum menſis *Octobris* crebrioribus quam ſolebat, & ferme continuis permaduiſſet imbribus, & ſanguis hominum tempeſtati conſentiens particulas crudas atque aquoſas affatim imbibiſſet tranſpiratione per cutis ſpiracula a primo frigoris inſultu prohibita, natura colluviem hanc ſeroſam vel per ramos venæ arterioſæ, vel, quod alii volunt, aſperæ arteriæ glandulas eliminare ſategit, & tuſſis ope explodere.

Curatio rite ut inſtitueretur, quoties ſcil. Medico fuit opus, tam per venæ ſectionem, quam catharſim evacuandum eſſe nullus dubitavi: Neque enim alia aliqua methodo æque commode ejiciuntur redundantes ſeri particulæ, ac per phlebotomiam & cathartica, quæ tam inſigniter vaſa emulgent. Remedia *Pectoralia* quod attinet, (præter quam quod eorum uſu gratificamur ægris) non intelligo quo pacto amolliendæ tuſſis cauſæ queant conferre, cum omnis eorum actio, vel in incraſſanda materia, quoties juſto tenuior vim expultricis facultatis eludit, vel in eadem attenuanda, quoties ob viſciditatem ægrius expuitur, poni videatur. Id certo ſcio inutiliter in his tantum temporis impendi; nonnunquam etiam ſanguinis maſſam eo uſque debilitari a retentis particulis ſeri naturæ inimicis, pulmoneſque inſuper tuſſi irritatos ita conquaſſari motu violento ac fere continuo, ut non raro via ſternatur ad *Tabem*; a cujus inſidiis celeritate curationis æger vindicari debuerat. Neque multo tutius adhibentur ſudorifica, a quorum uſu æger nonnumquam in febrem incidit, nonnumquam etiam particulæ ſanguinis facile inflammabiles ita pleuræ impinguntur, ut accendarur *Pleureſis*, quod per decurſum dictæ tuſſis epidemicæ ingenti vi hominum cum ſuo magno periculo contigit.

Sanguinis itaque e brachio eduxi quantitatem moderatam: *Epiſpaſticum* ſatis amplum ac forte poſteriori cervici applicandum curavi, quo materiæ peccantis pars aliqua alio derivari poſſit. Poſthæc *Catharticum* e lenioribus, infuſionem ſcilicet *Senæ*, *Rhei*, cum *Manna*, & *Syrup. Roſaceo Solutivo* quotidie exhibui, donec vel prorſus convaleſceret æger, vel admodum imminuerentur ſymptomata. Vel, ſi potio minus ægro arrideret, *Pilul. Coch. Majoran. ſcrupuli* ij. quotidie devorandos imperavi; hora ſcilicet quinta matutina ſuperdormiendo.

Hac etiam methodo, phlebotomia ſcilicet & repetita catharſi, eaque ſola expugnatur *Tuſſis Puerorum Convulſiva;* malum alias pertinaciſſimum & pene inſuperabile. Alii quid valeant hic præſtare plane neſcio, me in variis atque omnis fere generis remediis operam non ſemel perdidiſſe ſatis ſcio. Sed leniora tantum cathartica hic conveniunt, eaque cochleatim ſunt ingerenda pro ratione ætatis. Quæ quidem κατ' ἐπιχρόσιν evacuatio eo nomine, ut arbitror, dictæ tuſſi medetur, quod ſcilicet, licet non multum humoris ſeroſi in pulmonibus inveniatur, fervidiores tamen & ſpirituoſi halitus e maſſa ſanguinis in pulmones ſtatis temporibus tranſmiſſi atrociores illos tuſſiendi paroxyſmos in tenellis excitent; horum autem in pulmones impetus haud alia methodo æque ſiſti poſſe videtur & præcaveri, atque hac qua motus priori contrarius (per viſcera ſcilicet) morbi cauſæ conciliatur.

Verum in morbis *Epidemicis* cujuſcumque demum generis ſint, (ſi modo recens adhuc ægrum corripuerint) ſummopere cavendum, ne alvus ei ducatur, niſi miſſo prius ſanguine. Qui enim morbi a conſtitutione aeris epidemica pendent, aut jam febres ſunt, aut in earum claſſem leviſſima de cauſa tranſeunt; cum ex tumultu in ſanguine, & humoribus a catharſi, vel leniſſima excitato, & ſubſequente calore facile accendatur febris, quam alias natura propulſaſſet conſuetis materiæ morbificæ evacuationibus; *gravedine* ex. gr. aut *Tuſſi* in hoc, de quo jam agimus, Epidemico, aut *Diarrhœa*, quoties febris cum illa faciens epidemice graſſatur. Idem poteſt dici de quacumque alia aeris conſtitutione, qua corpus ad certum aliquod febris genus determinatur; quæ quidem non ſemper actu invadit, ſed benignioris naturæ ductu morbi fomes e ſanguine, mediante evacuatione aliqua ejus genio accommodata, exturbatur. Hoc conſtanter aſſero, quamtumlibet mos jam obtineat exhibendi cathartica ante celebratam venæ ſectionem, vel quod adhuc eſt periculoſius, ea penitus omiſſa. Licet enim objiciatur fæculentias in primis viis ſtabulantes toties in vacuas venas propelli, quoties detrahitur ſanguis, alvo non prius ſubducta, certiſſimum tamen eſt evacuationem, quam iſti præmitti volunt, nullo modo reſarcire poſſe injuriam ſanguine illatam a tumultuante cathartico phlebotomiæ præmiſſo. Atque negari non poteſt catharticum mox a dempto ſanguine aſſumptum longe mitius vim ſuam exerere, neque perinde ſanguinem, vel caleſacere, vel exagitare, atque idem ſolet ſi phlebotomiam præcedat. Nequę paucos, ex infantibus maxime, vel ob ignoratam hanc rem, vel neglectam periiſſe exiſtimo.

Atque hoc mihi ſuffragante experientia multiplici compertiſſimum eſt. *Experientia*, inquam, optima duce & magiſtra, ad cujus leges, & normam niſi exerceatur Medicina, eam prorſus exulare ſatius eſſet. Luditur enim, quod ajunt, de corio humano plus ſatis, cum hinc Empirici, neque morborum hiſtoriam, nec methodum medendi callentes, & Receptis tantum freti, iſthinc ſciolorum vaniſſimi ſpem omnem in affectato artis ambitu, & ſpeculationibus utrinque pari fere momento diſceptatis ponentes, quaſi junctis viribus majorem edunt ſtragem, quam ederent morbi eorum deſtituti auxilio. Ea demum praxis, eaque ſola ægris mortalibus opem feret, quæ indicationes curativas ex ipſis morborum phænomenis elicit, dein firmat experientia: Quibus gradibus magnus *Hippocrates* ad cælum aſcendit. Et ſi dicta methodo ars medica a quoquam traderetur, licet morbi unius aut alterius curatio cuilibet e vulgo poſſit innoteſcere, integra tamen ars, quaqua patet, homines prudentes, & peritos etiam magis exquireret, quam in ſtatu hodierno, neque, vel minimum Artis honori exinde decederet. Cum enim ſubtilitas longe accuratior in naturæ operationibus (in quarum obſervatione vera praxis medica fundatur) quam in arte aliqua, hypotheſibus etiam luculentiſſimis ſuffulta, inveniatur, medendi ars; quam præcipit natura, rude vulgi ingenium longiori intervallo ſuperabit, quam iſta, quæ a Philoſophia docetur. Fidem hic mihi facient *Febres*, quæ duas e tribus in medicina facienda partes occupant, & quemvis mihi arbitrum conſtituo, vel mediocriter cogitationibus indulgere ſolitum, vera dicam necne. Quis enim, vel ex inſulſiſſimis Empiricis eſt, qui ſe huic morbo curando imparem fatebitur, ſi id tantum agendum eſt, ut duabus iſtis indicationibus curativis, quę vulgo obtinent, fiat ſatis? Nempe ut ſudoriferorum ope exterminetur materia morbum committens, & ſymptomatibus eatur obviam, quæ ejuſmodi evacuationibus ſuperveniunt. Certiſſimum enim eſt, *Theriaca Andromachi*, *Pul. e chelis Canor. comp. Aq. Epidem. &c.* intro aſſumptis, una cum regimine calidiori ſudores poſſe propelli, quem ſibi ſcopum unice propoſuit in hujus morbi curatione, maxime ſi forte *Malignitatis* nomen auribus uſurpaverit. Et ad mitiganda quod attinet ſymptomata, *Diacodium* in promptu eſt, quo ſomnus invitetur, quoties urgent vigiliæ, *Enema* quoties alvus non reſpondeat, & ſic de cæteris. At nec ipſe valet comprehendere ſuo marte, nec e Medicorum præſcriptis ediſcere, quæ demum illa ſit febris ſpecies, quam debellare ſatagit; ſi modo credamus (credent ſaltem forte poſteri) varias dari febrium ſpecies, quarum ſingulæ ſuam ſibi methodum medendi a reliquis diverſam fere poſtulant; Unam inſuper eandemque febrem, cujuſcumque ſit generis, uno modo ubi primum aggreditur, atque alio paululum diverſo per ſingulos gradus quouſqūe graſſabitur, tractandam eſſe. Quo pacto indicationes curativas ab hoc vel illo phænomeno minus inſigni mutabitur, naturalem morbi hiſtoriam ignorans (quæ ſola veram medendi rationem indigitare poterit) cum nequeat dijudicare, an hoc vel aliud phænomenon a curandi quam adhibet methodo, an ab ipſo naſcatur morbo? Dies deficeret enumerantem varia & ſubtiliora illa minutioraque, quæ in hoc atque in aliis morbis curandis obſervanda occurrunt: quæ cum tot ſint & tanti momenti ad liberandos a morte homines, ſemper licebit poſteris & ſeris nepotibus aliquid adjicere iis obſervationibus, quibus traditur varietas pene infinita operationum naturæ in morborum productione, & curativæ indicationes ex eo fonte depromendæ enumerantur. Non itaque vileſcet ars, ſi quid hujuſmodi lucem aſpiciat, quin potius illuſtrabitur, & difficilior reddita nonniſi ſapientes & ſubacti judicii viros in filiorum numerum cooptari ſinet. Sed hæc obiter.

Tuſſes modo dictæ, ſi imperite tractarentur, *Febrem* accendere ſolebant ei haud abſimilem, quæ Hyeme Anni 1675. adeo epidemice graſſabatur, & cujus hiſtoriam tradidi *Sect. quinta Cap. quinto* libri de *Morbis Acutis*. Sed num febris hæc ſoboles tantum eſſet an effectus tuſſis epidemicæ, eadem ipſa methodo febrem, felici ſemper cum ſucceſſu, aggreſſus ſum, quam in tuſſis curatione ſupra deſcripſi; nempe *Venæ ſectione*, *Epiſpaſtico* cervici appoſito, & *Cathartico* deinde tribus auroris exhibito. Quamlibet enim in tuſſi ſine febre nullum præſiniebatur tempus, quandiu æger purgandus eſſet (utpote quæ continuari deberet, ut ſupra notavi, donec vel prorſus convaleſceret, vel admodum imminuerentur ſymptomata) in febre tamen, quæ a tuſſi pendebat, purgatio per tres dies inſtituta ei prorſus debellandę par erat; quod in conſtitutione, de qua jam agimus, ſæpiuſcule obſervavi.

Hic autem notandum occurrit, licet hanc febrem, quando ſe primum exerebat, comitarentur defluxiones in pulmones moleſtiſſimæ; poſt menſem tamen unum vel alterum, cum colluvies iſta ſeri ſenſim e ſanguine eliminaretur, febris ejuſdem plane indolis hinc inde ſine tuſſi aliqua infeſtabat (non penitus deleta, ſed manente adhuc in ſanguine malæ craſis impreſſione) ac proinde haud diverſam curationem ab ea, quam tuſſis comitabatur, ſibi vindicabat.

Ve-

* *Annus* 1679.

Verum eodem, quem dixi, modo hæc febris ſe extendebat uſque ad initium anni 1680. quo hæc conſcripſerim; quo tempore etiam cum anno ſurgente *Febres Intermittentes* modo dictæ apparere incipiebant. * Exinde vero ad initium uſque anni 1685. quo *ſecundam* hanc noſtram *Editionem* jam conficio, eædem adhuc perdurarunt. Etenim tametſi in hac urbe non adeo epidemice nunc temporis invadunt ac in quatuor primis annis, & mitiores etiam ſunt, in aliis tamen locis, nunc his, nunc illis, non minus graſſantur ac ſæviunt. Atque etiamnum generalis conſtitutio intermittentibus producendis adeo favet, ut ad hunc uſque diem affirmare poſſim, me ne unicam quidem febrim per hos dies vere *Continuam* vidiſſe unquam, niſi forte re male geſta in earum claſſem fuerit evecta, vel una eſſet *Intercurrentium* mihi dictarum, quod ſcilicet omni fere anno invaderent. Ita pertinaciter hæc conſtitutio hujuſmodi intermittentibus conducit, cujus certe acies prius eſt retundenda quam *Continuæ depuratoriæ* mihi dictæ, epidemice graſſari fuerit integrum. Etenim in intermittentium ſpecie natura plus ſatis feſtinare videtur, & agendi vehementia juſto citius tempora materiæ morbificæ ſubigendæ, mox etiam deſpumandæ, debita percurrere: Quod in depuratoria ſecus accidit, in qua non niſi poſt dies 13. vel 14. apparent ſigna materiæ febrilis tandem concoctæ, per ſudores ſubinde, vel potius per διαπνοὴν paulo pleniorem, eliminandæ. His rite perpenſis nullus dubito quin febres iſtæ *Depuratoriæ*, quæ annis 61. 62. 64. regnabant, quaſi fæces fuerint *Intermittentium* quarundam, quæ ante id tempus per ſeriem annorum certam ſeviiſſent, (quanto autem tempore hæ invaluiſſent haud equidem ſcio) Cum enim conſtitutio quæ ad intermittentes faciebat ſævitiem ſuam deponens jam ferme exoleviſſet, febres quas poſtea parturiebat, magis humorales erant ac terreæ, unde non niſi lente ac pedetentim ſanguinem depurare ſategerit, quæ in primis conſtitutionis annis ſubtilioribus principiis innixæ, atque adeo intermittentium typo indutæ, celeri paſſu ſuis temporibus defungi ſolerent. Quod ſi res ita ſe habeat, veriſimile mihi videtur, hanc febrim (*Depuratoriam* volo) poſtliminio reverſuram quam primum præſens conſtitutio aliquantulum remiſerit, eandemque ſerie quadam annorum permanſuram, antequam *Peſtis* eam exceperit. Per annos autem omnes, quotquot demum ii fuerint, quibus febris hæc graſſabitur, *Intermittentes* etiam ſubinde ſe exerent, ac forſan nonnunquam pro brevi tempore epidemicæ evadent; quando ſcilicet manifeſta aliqua aetis temperies ad id ſymbolum ſuum confert. An huic febri *Cortex Peruvianus* æque medebitur ac nunc dierum febribus intermittentibus ſolet, non habeo certo dicere. At in *Peſte* atque *Epidemicis Continuis*, quo eandem ordine excipient, debellandis, non alios effectus ex ejus uſu expectare licet, quam eos, quos hodie in *Pleuritide*, *Peripneumonia*, *Angina*, ac id genus *Febribus inflammatoriis* videmus, quibus non tantum non prodeſt, ſed & plane obeſt. Sed utut id fuerit, eo quem diximus modo in poſterum epidemicorum alii alios excipient, ſiquidem natura eundem ordinem, ac per 24. annos ultimo præterlapſos, obſervaverit.

Atque hæc fere ſunt omnia, Vir plurimum honorande, quæ de morbis epidemicis annorum nuperrime elapſorum obſervavi. In *Rheumatiſmi* vero curatione (nam & de illo etiam morbo quærebas) ſæpenumero mihi ſubiit tecum dolere, quod non niſi ingenti ſanguinis vi repetitis venæ ſectionibus educta, ea poſſit perfici; unde non tantum ægri vires pro tempore franguntur, ſed ſi paulo fuerit natura debilior, aliis etiam morbis ad annos aliquot obnoxior fere redditur; cum poſt illos elapſos materia rheumatiſmum prius committens jam in pulmones depulat, ægro ſcilicet frigore perculſo, vel alia aliqua προβάσει leviori diatheſis latens in ſanguine jam foras in actum protrudatur. His de cauſis experiri ſtatui, an nulla alia methodus daretur a reitetata toties phlebotomia diverſa, qua hic morbus poſſit debellari. Serio itaque perpendens, quod affectus iſte (ut jampridem in *Acutorum Hiſtoria* ſubinnui) ab inflammatione videatur oriri, quod tum cætera arguunt phænomena, tum præſertim ſanguinis e pertuſa vena color, utpote qui *Pleuricorum* ſanguini per omnia ſimilis eſt; tandem vero ſimile eſſe judicabam morbum hunc diæta ſimplici, admodum refrigerante, & mediocriter nutriente, ægro imperata, æque feliciter atque repetitis venæ ſectionibus profligari poſſet; etiam evitatis, quę alteri methodo adjungebantur, incommodis: neque me fefellit *Diæta e ſero lactis* phlebotomiæ loco ſubſtituta.

Prægreſſa æſtate Pharmacopola mihi in vicinia nomine *Malthus* (vir probus, & ingenio non vulgari) me accerſebat. Rheumatiſmo autem miſere cruciabatur his ſymptomatis ſtipato. Coxendice primo ad biduum claudicabat, exinde pulmones dolore tentabantur gravativo cum dyſpnœa, quæ poſt aliud ferme biduum evaneſcebat; dein caput vehementer cœpit dolere, mox etiam coxendix dextri lateris, quæ omnium primo laborabat; poſteaque, pro morbi indole, omnes fere tam brachiorum quam crurum articuli per vices moleſtabantur. Cum debiliori eſſet & ſicco corporis habitu, veritus ne minus firmas jandiu vires & labeſcentes dempto copioſius ſanguine prorſus exſolverem (maxime cum æſtas eo uſque adoleverit, ut jam metus eſſet, ne ſuperveniens hyems redintegrandis viribus frequenti venæ ſectione attritis intercederet) imperavi, ut ſolo *lactis ſero* ad dies quatuor veſceretur æger, quibus elapſis, præter ſerum lactis pro victu ordinario panem ſimilagineum conceſſi loco prandii ſemel nempe in die, donec penitus convaleſceret.

Tenui hac diæta contentus, ad dies octodecim perſeverabat, niſi quod poſtremis eorum alium inſuper panem pro cœna indulgerem. *Serum* autem *e lactis libris octo* domi paratum quotidie inſumebat, quo ſatis bene nutriebatur. Poſt hos dies cum non amplius urgerent ſymptomata, & jam ſub dio verſaretur, carnes etiam permiſi, pullorum ſcilicet elixorum, cæteraque εὔπεπτα. Tertio autem quoque die ſolo lactis ſero victitabat, donec tandem pancratice valeret; incommodis quæ ſupra memoravi hac methodo cluſis, quibus decimo abhinc anno peſſime excipiebatur, venæ ſectione ex meo præſcripto in curationis ſubſidium tunc adhibita ac ſæpe repetita.

Si quis hanc methodum tanquam rudiorem & artis laude carentem contempſerit, ſciat is velim, primo leviora tantum ingenia res quaslibet vilipendere, quod ſimplices fuerint & apertæ, deinde, vel imminutæ exiſtimationis pretio, publico hominum bono inſervire paratiſſimum. Quibus edico quod niſi obſtarent præjudicia vulgi, nullus dubitarem methodum jam dictam aliis etiam morbis, quorum impræſentiarum nomen reticere liber, accommodare. Quod ſane magis ægris prodeſſet, quam ſolemnior illa remediorum pompa, quæ in jam moribundis, tanquam beſtiis, ut mox immolentur, coronatis, male collocatur.

Quod vero etiam iſta, quæ pro viliſſimis habentur, & nullius ſunt pretii, accedente ea, quæ in Medico quæritur, ſolertia, & ἀγχιν οίᾳ hominibus ab orci faucibus liberandis queant inſervire, exemplo docebo: quod licet ad morbum, de quo jam agimus, nihil pertineat, non tamen prorſus eſt ἀπροσδώνυσον, nec ab eo quem mihi propoſui ſcopo alienum. Duobus abhinc menſibus quidam in vicinia me rogabat, ut ſervum inviſerem, qui haud modicam *Mercurii Sublimati corroſivi* quantitatem deglutiverat, ſive, ut poſtea audivi, ex amore μελαγχολῶν. Hora fere elapſa erat, a qua venenum hauſerat, cum ad eum accederem, jamque os & labia valde intumeſcebant, vehementer ægrotabat, ardente ventriculi dolore, caloreque tantum non confectus: Ego tres *Aquæ tepidæ congios* repetitis hauſtibus ſumma qua potui celeritate & diligentia ebibendos imperavi; atque ut toties nova ingereretur copia, quoties ventriculus jam ingeſtam per vomitum ejecerat: volui etiam ut eluerentur inteſtina, aqua tepida ſine ullo additamento copioſe per ſedem injecta, ubi primum ventris termina admonerent venenum jam per inferiora exitum quærere. Paruit miſer, jam vitæ avidus, & plures etiam aquæ libras, quam præſcripſerim, abſorpſit. Amici, qui ægro, utpote in caſu inſolito, aſſiderent, ab eo didicerunt, quas primum evomuit aquas guſtu perquam acres fuiſſe, ſale ſcilicet venenato plenius exſaturatas; ſingulis autem vicibus rejectas aliquam ſemper acredinis partem amittere, donec tandem nihil prorſus ſaperent. Quæ mox urgebant tormina, ſola aqua injecta ad modum Enematis leniebantur. Hoc tam nullo rerum apparatu, benedicente Numine, intra paucas horas convaluit æger, niſi quod labia non ſtatim detumeſcerent, ore etiam a veneni particulis, quæ aquam, quam evomuerat penitius infecerant, adhuc exulcerato. Quæ ſymptomata *Diætæ a lacte* ſolo ad quatriduum adhibita mox evanuere. Aquam *Olea* (quod hic una cum opere ignari ſolent perdere) atque aliis omnibus liquoribus ideo prætuli, quod cum ea magis eſuriret, exinde magis idonea mihi videretur devorandis ſalinis hujus veneni particulis, quam alius quilibet liquor, qui vel craſſior eſſet, vel patticulis alieni corporis jamdiu prægnantior.

Sed ut ad *Rheumatiſmum* revertar. Utut e ſero lactis diæta conveniat juvenibus, atque iis, qui temperate & cum conſilio vixerunt; tamen inconſultum fuerit virilem ætatem prætergreſſos, vel vino ac aliis liquoribus ſpirituoſis jam a longo tempore plus æquo addictos hac methodo tractare; utpote quæ in hujuſmodi hominibus ventriculum labefactet, & pariter præ inuſitato frigore ſanguini inducto viam ſternat ad Hydropem. In hoc igitur caſu omnino par eſt, ut eo fere modo, quem Libri noſtri *de Morb. Acut. Sect. VI. Cap. V.* tradidi, curetur æger: Tametſi ex quo eum ſcripſi, experientia didicerim, ſatius eſſe poſt ſecundam vel ad plurimum poſt tertiam venæ ſectionem *Cathartica* ſæpe ſæpius exhibere atque repetere, donec ſymptomata omnia penitus ceſſaverint, quam Phlebotomiæ rem totam committere. Etenim ob Catharſin ſuppetias ad averruncandum morbum Phlebotomiæ ferentem, citra ingentem iſtam ſanguinis jacturam ſubſiſtere fas erit: atque porro locus relinquetur *Paregoricis*, a quibus alias, utut ſæviret dolor, ægro temperandum eſſet, cum illorum uſu figatur morbus, neque tam facile venæ ſectioni cedat. Purgativa vero iſta e *Lenitivis* ſolum conſtent, ut *Tamarindis*, *Senna*, *Rheo*, *Manna* & *Syr. Roſ. Sol.* cum alia, quæ ex *Scamonio*, *Zalapio* &c. parantur, tumultum cieant & dolorem exaſperent. At ſingulis veſpertinis poſt peractam Catharſin *Syr. de meconio* ℥j. aliquantulum temporibus, quam id fieri ſolet, propinetur.

Hic autem commemorare libet, me per conſtitutionem inſtantem obſervaſſe affectum quendam modo *Rheumatiſmum* æmulantem, modo etiam a *Nephritico dolore*, quoad ſæviſſimum lumborum cruciatum non multum abludentem, qui cum febres intermittentes excipere ſoleret, translationi materiæ febrilis in muſculoſas corporis partes originem ſuam debebat. Hoc ſymptoma haud diverſam medendi methodum poſtulabat ab illa, quam morbus ipſe, cui adhæret, febris nempe intermittens, ſibi vindicabat; cum a frequenti Phlebotomia & quibuſcumque aliis evacuationibus exaſperaretur illud, atque æger in vitæ diſcrimen conjiceretur. Quod ut nemini imponat, id attingere volui.

Atque hæc ſunt, Spectatiſſime Vir, quæ in his affectibus, de quibus ſciſcitari libuit, ſedula obſervatione habeo comperta: quæ ſi aut tibi placuerint, aut profuerint aliis, mihi cedent ex animi ſententia; me ſaltem pro tenuitate mea debitum tuæ claritati obſervantiæ ſpeciem exhibere conatum mihi ſerio gratulabor.

Tibi ſemper Addictiſſimus,
THO. SYDENHAM.

* *Anni* 1680. 81. 82. 83. 84.

HActenus vidimus *Clariſſimum Authorem noſtrum Conſtitutiones Epidemicas Londinenſes Annor.* 1661. 1662. 1663. 1664. 1665. 1666. 1667. 1668. 1669. 1670. 1671. 1672. 1673. 1674. 1675. 1676. 1677. 1678. 1679. 1680. *imo ex parte uſque ad annum* 1685. *magna curâ deſcribentem. Utinam alii plures eidem ſtudio incubuiſſent! Hiſtoria morborum ſic minus manca foret, & iiſdem recurrentibus conſtitutionibus in ſubſequentibus annis, apertior, ac multo facilior daretur via ad morborum per ea tempora vigentium medelam. Verum pauci admodum diligentioris obſervationis negotium, non parum ſane difficile, in ſe ſuſcipere dignati ſunt; inter quos ſi inſigniores aliquot ſeligeremus, atque hic inſertos traderemus, ut ſic aliquatenus plenior fieret Conſtitutionum Epidemicarum Hiſtoria, Docto Lectori perutile quid nos facturos opinati ſumus. Sunt autem Præclariſſimi illi Obſervatores, quos in Scenam jam producimus, Bernardinus Ramazzini, Lucas Schrochius, Michael Bernardus Valentinus: Johann. Jacob. Harderus; Guſtavus Caſimirus Gabriel; Conradus Bertholdus Behrens: Rudolphus Jacobus Camerarius: Ambroſius Stegmannus; & Medici Uratislavienſes.*

BER-

BERNARDINI RAMAZZINI

in Mutinenſi Licæo Medicinæ Profeſſoris

DISSERTATIONES TRES DE CONSTITUTIONIBUS

Annorum 1690. 1691. 1692. 1693. 1694. in Mutinenſi Civitate & illius Ditione.

Diſſertatio Prima.

DE CONSTITUTIONE Anni 1690.

SOlemnis Aſtrologorum, quos Judiciarios appellant, fere ubique eſt conſuetudo, nt cum annus extremo ſenio confectus eſt, & ad ſui finem properat, illico ſucceſſuri anni geneſim in anteceſſum deſcribant, & ex aſtrorum poſitu illius indolem, genium, mores, num ſalubris, an inſalubris, num frugifer, an ſterilis futurus ſit, ſuas Ephemerides evulgando prænuncient. Contraria quidem, ſed tutiori methodo mihi viſum eſt incedere, ſiquidem anni jam exacti naturam, ac temperiem, qui morbi graſſati fuerint, quæ remedia praxis ſalutaria deprehenderit; quæ noxia, compendioſe enarrare conſtitui, quod inſtitutum poſthac ſingulis annis proſequi mihi in animo eſt, donec Operis filum abrumpat

—— *Mors ultima linea rerum.*

Id autem ingenuis profeſſoribus nec injucundum, nec praxi prorſus inutile futurum credidi, quando ars Medica ſolis obſervationibus ortum ſuum, ac progreſſum debet, majorem quoque in dies habitura, ſi ea quæ in morborum curationibus nova, & inſolita quotidie accidunt, accuratius obſervarentur. Erit tamen, non ſecus ac in Aſtrologorum Ephemeridibus, hic quoque divinationi locus; non enim ea ſolum quæ hoc anno apud noſtrates acciderint, referre ſatis duxi, ſed penſum meum exiſtimavi, ulterius cauſas diſquirere, undenam tam copioſa morborum ſeges in agris noſtris prodierit, ac ſi non philoſophari, ſaltem divinare, quem exitum habitura ſit hæc epidemica affectio. In rebus autem abſtruſis, & alta caligine involutis vaticinari quoque humanam imbecillitatem pudere non debet, multoque minus in arte Medica, quando ipſe Divinus Præceptor tradidit, *Medicinam, & Vaticinationem eſſe valde cognatas, cum amborum Artium unus ſit Apollo Progenitor.*

II. Exacte perdiſcendam *Temporum Conſtitutionem & quemque morbum, & qui morbus ſit bonus, & qui periculoſus, aut in Conſtitutione aut in morbo*, verba ſunt, immo Oraculum Hippocratis in libro de diebus Judicatoriis; nam ut ibidem ait, *Plerunque Hominis Natura Univerſi poteſtatem non ſuperat.* Nomine autem Univerſi procul dubio divinus ſenex aeris poteſtatem nobis deſignavit, ex cujus vitio omnes fere epidemiales affectus ortum ducunt. Plurimum autem momenti, tum ad prænoſcendos futuros morbos, tum ad eoſdem profligandos, & rectam victus rationem inſtituendam, quæ a morbis vulgaribus optima præſervatrix dicitur, plurimum inquam momenti habere, non ſolum præſentem temporum conſtitutionem, ſed etiam anteactas diligenter obſervare, nemo non videt, cum ex iis, tanquam ex ſua radice variæ, & inſolentes aeris alterationes progerminent, quæ modo hanc, modo illam morbi popularis ſpeciem quandoque inſerant. Antequam ergo Epidemici affectus, qui colonos noſtros, & Ciſpadanæ Regionis humiliorem partem afflixit, deſcriptionem aggrediar, operæ pretium duxi, prægreſſas conſtitutiones paulum perpendere.

III. Quatuor, aut quinque annos non vulgaris ſiccitatis in tota pene Italia præceſſiſſe jam ſatis conſtat, quo tempore uberrimus fuit frugum omnium proventus, & ſatis proſpera valetudine in univerſum uti conceſſum fuit; adeo verum deprehenſum eſt vulgatum illud, quod *in ſiccitatibus omnia ſint ſalubriora.* Anno vero huic præcedenti circa Vernale Æquinoctium ingentes pluviæ cecidere, quæ identidem repetentes totum Veris tempus horridum, & ignavum reddidere. Æſtas ſubſecuta, & ipſa fuit magna ex parte pluvioſa. Circa Solſtitium ſigna rubiginis in frugibus obſervari cœpta, quæ rubigo ſenſim augeſcens triticeam ſegetem maxime corripuit, frumenti culmos uſque ad ariſtam maculis veluti ſanguineis adſpergens. Eadem peſtis fabas quoque, ac reliqua legumina obſedit, adeo ut ſpem præconceptam de anni fertilitate pauci dies eluſerint: ſolabatur tamen annorum antecedentium felix ubertas, ut venturis temporibus proviſa ſufficerent. Sub initium Septembris, ac multo magis ſub Æquinoctium ipſum largiores pluviæ delapſæ, quæ per totum Octobris menſem perſeverarunt, ut flumina immenſam aquarum vim intra ſuos aggeres non niſi improbo labore continuerint. Poſtremi duo menſes fere impluvii fuerunt, & annum 1689. ſatis placide clauſere. In prædictis conſtitutionibus non niſi morbi Sporadici obſervati ſunt, nec multa funera annum infeſtarunt.

IV. Ineunte autem anno 1690. (quem rubigalis lues, fruges & quodcumque fructuum genus depaſcendo, & febrium Ilias primo ruſticanam gentem, mox urbanam quoque corripiendo, neſaſtum reddidere) conſtitutio pluvialis poſtliminio, ſed gravior recurrens, ac fere continua, omnium animos obnubilavit. Sic hyemem humidam, nimboſam cum exiguo frigore, nivibus vix delapſis illico tabeſcentibus ægre tranſegimus. Martius menſis porro ſine pluviis præter morem, & magna aeris tranquillitate uſque ad Æquinoctium exactus animos erexerat, cum Cælum denuo omnes, quas in ſinu ſuo contineret aquas, viſum eſt ſuper nos effudiſſe. Unius Nyctemeri ſpatio aquis oppleta ſunt omnia, ut hæc Civitas Inſulæ ſpecimen præferret. Horret animus agricolarum calamitates in hac magna eluvione referre, qui

Ducebant remos illic ubi nuper ararant.

Neque id ſolum viſum eſt in Mutinenſi agro, ſed etiam in Finalenſi, Mirandulano, & Ferrarienſi, qui ſitus pars olim fuit antiquæ Vallis Paduſæ, in quam omnia flumina ex Apennino deſcendentia a Placentina Urbe uſque ad Adriaticum Mare, Strabone teſte, exonerabantur, antequam ſtructis aggeribus Padum ſubire cogerentur; quare in his locis ad longum tempus ſtagnarunt aquæ, non admittente Pado ad ſatietatem pleno, non ſolum circumjacentes aquas, ſed per Scultennam, & Gabellum proprias aquas in agros noſtros eructante. Perſtitit deinde eadem pluvioſa conſtitutio non ſolum toto Veris tempore, ſed per totam fere Æſtatem, ut nulla pene dies ſine pluvia viſa fuerit. Hinc factum, quod una cum pluviis flante ut plurimum Borea, nulla unquam Æſtas noſtro in hoc climate extiterit, in qua remiſſior fuerit caliditas, ut patuit ex Thermometris, unde nunquam ſerior fuit frugum maturitas, meſſe Julio menſe peracta. In Barometris quoque obſervatum eſt multo elatiorem quam alias fuiſſe Mercurium, aere craſſo, & nebuloſo exiſtente, cicadæ hoc anno ut plurimum aphonæ obſervatæ ſunt, illarum loco per totam fere Æſtatem coaxantibus ranis; ſic pro Vere hyemem, & pro Æſtate Ver ſortiti ſuimus.

V. Nullus annus in his Regionibus piſculentior unquam fuit, quare cum piſces ubique pretio viliſſimo proſtarent, plebs urbana hoc alimenti genere familiariter uſa eſt, multoque magis plebs agreſtis, quæ facili negotio propriis in agris, & in ipſis laribus piſces captabat. *Neptuno pro Cerere victum ſubminiſtrante*, ut de Ichthyophagis ſcripſit Diodorus Siculus, donec ſuper cibo iſto leviſſimo nauſeante ruſticano ſtomacho, ſicut olim gens Hebræa in deſerto, allia, & cœpas appeterent. Ab amico mercatore fide digno, qui Manruanum agrum hiſce temporibus peragravit, ut ſericum emeret, accepi, ruſticos illos ægrotis ſuis febricitantibus, & nauſeabundis allia, & cœpas coctas pro ferculo præbuiſſe, quod cum in aliquibus feliciter ceſſiſſet, paſſim exinde hoc remedii genus, tamquam elixir proprietatis, quo mirifice recreabantur, valde ex uſu fuit.

VI. Sub initium Junii denuo, ſicut anno ante acto apparuere ſigna rubiginis. Vim rubigalis morbi prima perſenſit Morus, nec illi quidquam proſuit ipſius prudentia, cujus ſymbolum in cenſu plantarum audit. Mox eadem rubigo, peſſimus omnium frugum morbus, & paulatim augeſcens frumenta, & omnia legumina, ſed præſertim ſabas occupavit, neque ſolum in locis humilioribus, ubi computruerant aquæ, ſed etiam in editioribus, ut ſupra viam Æmiliam, & in ipſis Collibus. Luctuoſum ſane, ac deplorandum ſpectaculum omnium oculis fuit, campos circumquaque non virentes, ſed atratos, & fuliginoſos intueri; ſicut enim anno huic præcedenti hæc lues rubro colore fruges infecerat, ita hoc anno, *non Creta, ſed Carbone notando*, eaſdem magna atredine reſperſerat. Sic frumentatio peſſum ivit, frumento partim a rubigine abſumpto, partim ob aquarum colluviem in lolium converſo. Sed neque plantarum fructibus, qui Æſtatis principio, vel ſub Opora matureſcunt, peſtis hæc pepercit. Nunquam in tota Eſtenſi ditione uvarum, ſicuti rerum omnium maxime ſerace, parcior fuit vindemia, botris ab eadem peſte paulatim exeſis. Nucibus tantum, quarum præter morem ante actis annis magna penuria fuerat, hæc rubigalis lues non nocuit. At neque hortenſis familia vim hujus morbi cuncta depaſcentis effugit, nam olera fere omnia ſydereo velnti afflatu uſtulata ſunt; adjecta quoque altera clades, nam erucæ, & bruchi hortos omnes depopulati ſunt, nudis ſtolonibus relictis. Melonum, ſicuti & reliquorum fructuum, magna fatuitas, ut & ipſa animalia illorum eſum quandoque reſpuerent.

VII. Vix riſum ſorſan tenebit aliquis, quod res tam minutas adeo curioſe perſequar; at is ſciat, quod magnarum calamitatum non raro exigua ſunt ſigna, &

Sæpe exiguus mus
Augurium tibi triſte dabit.

Quemadmodum in re nautica ex levi nebula magnæ tempeſtatis ſigna captantur, ita & in re Medica ab exilibus indiciis magni morbi impendentes non raro providentur, quare Hippocrates: *Nihil negligere.* Sic non immerito Cleombrotus apud Plutarchum, Demetrium dicentem, ridiculum eſſe ex rebus minutis de grandibus facere indicium, arguebat his verbis: *Artem Medicam peſtilentem æſtatem ex aranearum frequentia prænunciare, atque ex foliis ficulneis, quando Vere Cornices pedem referunt, quis confitebitur qui res puſillas ſtatuat veſtigia non eſſe magnarum.*

VIII. Pluvioſam conſtitutionem quæ ab anni principio uſque ad totum Julii menſem obſtinate perſtiterat, magna poſtmodum ſiccitas per duos fere integros menſes excepit: hujuſmodi tamen ſiccitatem non multa caliditas comitata eſt, & qualis cæteris annis apud nos perſentiri ſolet, præſertim cum *Procyon furit*,

Sole dies referente ſiccos.

Poſt æquinoctium vero cœperunt denuo apparere pluviæ, ad quarum primum aſpectum nemo non expavit, fuere tamen valde moderatæ, & quantum ſufficerent ad terram ſtrigioſam ac veluti ſaxeam ob prægreſſam ſiccitatem emolliendam, adeo ut colonorum votis pro deſiderata frumenti ſatione reſponderit. Ultimi duo menſes, ſicuti priori anno cum perpetua fere ſerenitate, & modico frigore quantum prima pars hyemis poſtulabat, anni curſum abſolverunt.

IX. Hæc itaque fuit hujus anni conſtitutio, omnium non ſolum vegetabilium, ſed etiam animantium naturæ, ut modo videbimus, valde infeſta. Quamvis ergo hyems adeo intempeſtiva fuerit, nihil tamen contigiſſe ſcio, quod ad Medicam lancem trutinari debeat, neque id mirum, nam tunc temporis cudebantur morbi ſuo tempore, & loco erupturi. Epidemicos affectus, non præſentium conſtitutionum, ſed præcedentium eſſe productum, & ſobolem ſcite annotarunt Montanus, & Valleſius, duo clariſſima Medicinæ lumina, idque apertis verbis ipſe quoque Hippocrates aſſeruit: *Cum fieret autem*, inquit ille, *totus annus humidus, & frigidus, & Borealis. per hyemen quidem ſalubriter degebant maxima ex parte, ante Ver autem multi quidem degebant morbide.* Succedente itaque Verno tempore, ac circa medium Aprilis menſem magna febrium ſeges in Mutinenſi agro intra viam Æmiliam, aliiſque proximis locis, ubi diu ſtagnarant aquæ, ex improviſo caput extulit. Tertianæ omnes intermittentes ab initio fuerunt, & neminem novi, qui in principio hujus epidemici affectus alio febris genere tentatus fuerit. Indiſcriminatim ruricolæ omnes, cujuſcunque ſexus, ætatis, temperamenti, vitæ generis corripiebantur, cum magno horrore, frigore, & tremore, interdum quoque vomitione accedebant hæ febres; copioſi quidem ſudores in principio hujus epidemici affectus ipſas comitabantur, qui poſtea in morbi progreſſu remittebant; pauci integre judicati ſunt, ſed omnes fere, qui evaſiſſe videbantur, experti ſunt recidivas; neminem tamen hujuſmodi febrium genus, licet tam populariter graſſatæ fuerint, quod ſciam, ſuſtulit. Multoties accidit, ut cum in die intermiſſionis celebraretur phlebotomia, eadem die febris corriperet, & de ſimplici tertiana duplex fieret. Nec id

ſolum

solum ruri observatum est, sed etiam in oppidis, & in hac civitate, cum eodem tempore oppidani quoque & plebs urbana iisdem tertianis febribus intermittentibus exercerentur, sed longe inferiori numero, ac gens rusticana.

X. Perseverarunt itaque hujusmodi febres per totum Veris tempus cum ejusmodi typo; accedente vero Æstate, in duplices tertianas omnes conversæ, & quæ de novo accesserunt, hujusmodi typum servarunt. Duplici tertiana igitur omnes fere agricolæ eodem tempore laborarunt, quæ quidem ut plurimum intermittens erat, sed valde protracta, ut paucæ horæ pro apyrexia numerarentur. Vespere ut plurimum exacerbabantur, illas stipante magno symptomatum satellitio, veluti vomitione, anxietate, capitis dolore, vertigine, in nonnullis stupiditate, in aliis mentis emotione; quod autem non raro mihi observatum est, magna erat virium nocturna prostratio, ac interdum cum asphyxia, ut proximi Silicernio viderentur, mane cuncta hæc remittebant oriente Sole, ad cujus matutinos radios, e lectulis exurgentes se exponebant, ac vitales spiritus ex inexhausto illo luminis, & caloris fonte veluti potabant. Cum hoc anno curiosius rusticatione, quamvis parum tuta, oblectatus fuerim, non semel admiratus sum, quo modo ægri, qui tota nocte eum morte luctabant, mane sub porticibus, velut angues ad solem cutem currantes, erecti starent, ac tantum virium iis superfuisset, ut campos etiam peragrarent; perstitit tamen in omnibus satis commoda cibi appetentia, quin persæpe non paucos audivi de nimis parca alimonia conquerentes, ac revera hujusmodi febres, quantum observare licuit, fuere magis famelicæ, quam siticulosæ.

XI. Verminatio nunquam alias major fuit, nec solum in pueris, sed etiam in provectioris ætatis hominibus. Memini me vidisse rusticum quendam annorum circiter 40. sub porticu ad solem ex febris accessu rigentem, atque una valde singultientem, a quo cum sciscitatus essem, num vermes rejecisset, ac ille respondisset, se aliquot vermes inferius, ac superius dejecisse, singultum, a cujus molestia se potissimum liberari instabat, a vermibus stomachum lacessentibus fieri asserui; cum autem forte pulverem Chinæ Chinæ sibi a Medico forensi præscriptum in promptu haberet, permisi ut illum assumeret. Siluit pertinax singultus una cum febre, quæ tamen paucis post diebus rediit, sed sine tam molesto symptomate. Alias postea expertus sum hujusmodi remedii genus in lumbricis puerorum enecandis, quod mihi feliciter cessit.

XII. Sanguis, qui in hac constitutione secta vena educebatur; ut plurimum crassus, & subpallidus apparuit; in nonnullis etiam Icterodes observabatur, quamvis exterius in corpore similis color non floreret. Alvi excrementa in omnibus fere febricitantibus crassa erant, & compacta. Quæ per os rejiciebantur, subacida potius erant, quam amara. Urinæ ut plurimum crassæ, ac turbidæ multumque lateritii sedimenti habentes reddebantur, ac persæpe in febribus, in quibus nulla erat cacoethiæ suspicio; hypochondria in omnibus dura, ac distenta.

XIII. Quibusdam, postquam illos hujusmodi tertianæ febres diu exercuissent, apparuere parotides, quæ ut plurimum suppurabant; at neque hoc pacto contumaciissimæ febres summovebantur. Curavi mulierem utero gerentem, quæ, cum per integrum Septembris mensem febricitasset, obhortida parotide, ac feliciter suppurata, & ad longum tempus perpurgata, nondum tamen, cum jam anni finis imminet, a febre immunis est; adeo contumax, ac pene indomabilis erat fomes; cui hærebant hæ febres. Cæterum nunquam visæ contumaciores febres ad recidivandum magis pronæ, & quæ magis Medicorum industriam eluderent; siquidem nec repetitæ phlebotomiæ, nec purgationes, nec mille alexipharmaca, quæ pleno gutture tanquam manus Deorum Receptariorum Chorus adeo celebrat, quicquam profuere. Immo observatum, citius ac tutius restitutos, quibus nec sanguis ductus, nec purgantia exhibita, nec ullum aliud remedii genus administratum, toto salutis negotio naturæ morborum medicatrici commisso. Felicius tamen cessit, quibus purgationes, & vomitiones præscriptæ, quam quibus pluries secta est vena; ii nanque in deterius semper labebantur. Vidi pauperem agricolam a duplici tertiana ad longum tempus conflictatum, & jam in magno discrimine versantem, cui nec detractus fuerat sanguis, nec ullum aliud remedii genus adhibitum, solo vini generosi potu meo consilio propinati feliciter convaluisse; sic multos alios novi hoc solo cardiaco restitutos, aquæ usu, ac cæteris remediis ablegatis.

XIV. Cum autem hujusmodi tertianæ febres non solum colonos, sed etiam oppidorum majorum, & Urbium incolas, si non tam populariter, saltem eadem contumacia fatigarent, ac usu potius remediorum exasperarentur, quam mitescerent, mihi visum est hoc anno apud nos contigisse id quod apud Plutarchum legimus in libro de Oraculorum defectu, quod nempe in hac constitutione, quædam Medicæ artis Oracula obmutuerint, dum causam ignorarent, quare præconceptæ opinioni de magna medicamentorum supra morbos quoscunque potestate tertianæ febres intermittentes, ut plurimum citra malignitatis suspicionem, minime auscultarent; quare locum habuit Virgilianum illud:

cessere Magistri,
Phillydrides Chiron, Amphtoniusque Melampus.

XV. Major itaque pars medentium apud nostrates, ut vulgi calumniis, & assiduis ægrorum querimoniis se subducerent, in hac tempestate Peruviani corticis sacram anchoram confugere, at parum prospere; nam in periculosiores scopulos ægrotantes suos persæpe deduxere. Usu febrifugi per aliquot dies equidem sub doloso cinere latebat ignis, verum postliminio violentior recrudescebat. Qui tamen peritiores erant, ac rebus ægrotantium magis, quam propriæ ambitioni consultum volebant, *Nabant sine Cortice.*

XVI. Hoc itaque tenore processit febrilis acies per totam Æstatem, ac totum Autumnum, rura, & oppida infestando, frustra *Quartanam sperantibus ægris*, & intervallum aliquod a quotidianis paroxysmis expectantibus; nam pauci hoc anno visi sunt quartanarii; sicuti nec observare contigit synochas illas, vel febres ardentes, sed solum tertianas, quæ quidem sub finem Autumni, & prima parte Hyemis rariores fuere, sed graviores, intermittentes quidem in principio, sed quæ tandem in continuas, & lentas migrarent, ut plurimum cum solita periodo circa vesperas ægris horrescentibus.

XVII. Febrili huic exercitui, qui stativa castra posuerat inter Padum, & viam Æmiliam, quam transgredi ausus non est (cum in toto illo tractu, qui colles, & hanc viam interjacet, inculpata valetudine, & secura rusticatione uti concessum fuerit) multi alii morbi junxere se comites, qui sporadice vagantes multas prædas agebant, ut alvi profluvia, Icteri, Apoplexiæ, Hydropes, Catarrhi præfocativi, aliique affectus. Qui dysenteria hoc anno laborarunt, citius, ac felicius evasere, quam qui diarrhœa.

XVIII. Vim hujus constitutionis viri robustiores, & adulti facilius tolerarunt, minus fœminæ, ac pueri, quorum qui infra trimatum erant, fere omnes periere. In solo Finalis oppido plus quam tercentum pueros referunt extinctos, ut ex ejusdem oppidi Necrologio constat. Magna quoque fuit infantilis strages in Mirandulano agro, & Novellariensi. Ad dies aliquot febriles paroxysmos tolerabant, postmodum fiebant Icterici, ac paulo post Epilepticis insultibus correpti occumbebant. Cæterum præ multitudine hominum decumbentium pauci sunt extincti, ac potius ex diuturnitate morbi, & frequentibus recidivis, quam ex febris vehementia succubuere; qui tamen fuere superstites magna ex parte facti sunt Icterici, Lienosi, & Cachectici.

XIX. Vim hujus male moratæ constitutionis experta quoque sunt cujuscunque generis animalia, quæ in magno numero interiere; sicut autem in eam quam describit Silius Italicus, quæ sicca fuit, & præfervida, *Vim primi sensere Canes*, ita in hac frigida, & præhumida clades pecudum fuit, quibus, postquam per dies aliquot ægrotassent, veluti per crisin apparebant Variolæ in capite, & collo, ac plerunque ab iisdem excæcabantur; sic quæ ex vehementia morbi non perierant, tandem ex inedia contabescebant. Sues quoque turmatim suffocati moriebantur. Vidit etiam persæpe infelix arator concidere

Inter opus Tauros, medioque recumbere sulco.

Nunquam parcius nobis mellificarunt apes, vel propriis in sedibus extinctæ, vel alio migrantes; Bombyces quoque initio quidem catervatim peribant; qui vero superstites fuere in ipso opificio semianimes, & ignavi concidebant. Nimius essem si cuncta singillatim recensere vellem. Extispicium aliquod, pecudum præcipue, quarum major fuit strages, identidem celebrare, ac hariolari quænam esset talium morborum causa, non abs re fuisset, si per tempus licuisset.

XX. Scio non defuturos qui me coarguant, quod ad Veterinariam transgrediar; oblatrent quantum velint, quod talia observare Medicam artem profitenti indecorum nequaquam crediderim. Egit id Medicorum Maximus, quem non puduit scrutari, quare bobus facilius quam cæteris animalibus excidant femora, hæc autem sunt illius verba, nemini, quod sciam, observata; *Bobus tunc magis excidunt femora, cum tenuissimi existunt, fiunt autem tenuissimi Boves ad finem hyemis. Tunc etiam maxime luxantur, si tamen, & hujusmodi quiddam in Medicina scribere convenit. Verum convenit utique.* Atqui si celebriores Anatomici tot sectiones, tot experimenta per mortes brutorum agunt, ut anatomiam in hoc genere comparatam, quam in Medicina desiderari dictum erat Sapientissimi Bacconis, jam habeamus, cur non licebit quoque illorum morbosos affectus observare? Quin Medico Chirurgo licere interdum absque artis dedecore bestiis mederi ostendit Eruditissimus Vir Carolus Patinus in sua elegantissima Oratione in Archi-Lycæo Patavino anno 1682. habita.

XXI. Atque hæc sunt quæ in morbida hujus anni constitutione magna ex parte ipsemet observavi, & quæ ab ingenuis Professoribus, & fidis Amicis mihi communicata sunt, quæ quidem referre prout obvenerint, non magni negotii est, at illorum causas rimari, ac in medium proferre, quæ Jatrosophorum, & eruditorum hominum palato sapiant, hoc opus; audendum tamen pro viribus, ac

—— *Tentanda via est, qua me quoque possim*
Tollere humo ——

XXII. Communes morbos, quos populares, & epidemicos appellant a communibus causis progigni extra omnem controversiæ aleam est; Communes autem causæ sunt potissimum aer nobis circumfluus (aliunde tamen, sive ex superioribus, sive ex inferioribus infectus) communia alimenta mali succi, & aquæ corruptæ. Ex his omnibus, sed promptius ab aere, tanquam e communissimo fonte, e quo nemo non potare cogitur, morbos quosdam derivari, qui multos eodem tempore afficiant, omnium pariter est consensus. Ad hanc vero nostram ruralem epidemiam excitandam in unum conveniisse & aerem vitiatum, & prava alimenta ingesta, fas est arbitrari. Primum quidem locum aeri a sua naturali temperie non solum secundum anni tempora recedenti, sed particulis humanæ naturæ incongruis ad satietatem pleno, concedendum putarim; secundum autem locum pravis alimentis, & aquis vitiatis. Quamvis autem de miasmate contagioso aliqua posset esse suspicio, dum uno in aliqua familia a febre correpto, cæteri paulo post ex eadem febre decumberent, id tamen potius in communem diathesim ad maturitatem eodem tempore evectam, non secus ac cum Autumno fructus eodem tempore maturescunt, referendum duxerim, quam in effluvium aliquod contagiosum, quod e primo ægrotante expirans cæteros afficerent.

XXIII. Quanti autem referat ad bonam valetudinem in aere puro, & fœdis exhalationibus maxime remoto degere, nemo non novit; nam sicuti pisces felicius degunt, ac esca salubrior sunt, si in aqua pura, ac sincera vivant, secus vero si in aqua fœda, & corrupta; ita homines feliciorem vitam, ac longæviorem ducunt, si aer sincerus sit, secus autem si crassus, & nebulosus; Nec abs re vulgatum dictum illud, quod tales sint corporis nostri humores, ac spiritus, qualis sit aer; hinc iis in locis ubi aer tenuior est ac defæcatior, vividiora, & acutiora ingenia florere solent, ubi vero crassior, hebetiora, ac stolidiora, quare Bœotii, & Batavi antiquitus male audiebant, unde Horatius:

Bœotum in crasso jurares aere natum.

XXIV. Non vacat hic disquirere, quare ad vitam perennandam adeo necessarius sit aeris usus, quomodo in vascula pulmonum se insinuet, quid in massa sanguinea efficiat, dum illi permiscetur; circa id insudarunt doctissimi viri ac ultimo Etmullerus in elegantissima sua Dissertatione de abstruso respirationis negotio; solummodo circa illa examinanda immorabor, quæ insignem aeri mutationem inferre possunt, ac illum a sua naturali mediocritate dejicere. Certum est enim, quod si aer respirationi idoneus esse debet, & consequentet ad vitalia munera, necesse est, ut quandam servet mediocritatem, ut neque supra modum crassus sit, nec nimis tenuis; nam si tenuior sit, ac rarior quam par est, respirationi inidoneus evadit, ut Machina Boyeliana satis evincit, ac testantur qui in editissimis montibus difficiliorem experti sunt respirationem, quam in imis vallibus, id annotante Thoma Cornelio; si vero crassior sit, & ad saturitatem vaporibus, & exhalationibus oppletus, ad respirationis munus obeundum minime aptus est, immo suffocationis periculum infert,

ut ex

ut ex eadem Machina Pneumatica patet, & metallorum foſſores in fodinis ſæpenumerò experiuntur, qua de cauſa Hippocrates *Somnum in frigore cooperto*, ut ipſe ait, commendabat, nimirum, ut Valeſius, & Ballonius interpretantur, dormiendum eſſe in amplo conclavi, ſed corpore ſtragulis bene contecto, qua ratione facilior eſt anhelitus, nec a frigido aere partes ſentientes pungente interturbatur ſomnus.

XXV. Notabiles autem in aere alterationes (non de iis loquor, quæ ſecundum naturæ leges, & varia anni tempora ex neceſſitate fiunt, ſed de intempeſtivis) venti potiſſimum, & imbres copioſi efficiunt: Solares enim radii ob æqualem Solis ad noſtrum verticem acceſſum aerem ſemper æqualiter calefacerent, ſi is aliunde alterationem non ſuſciperet. Haud ſecus terræ exhalationes, ex paludibus, & ſtagnis, ſeu nimis uliginoſo ſolo eundem non raro contaminant. In noſtro vero aerem a copioſis imbribus, & lutulenta conſtitutione vitiatum fuiſſe, exiſtimandum eſt, ſicuti etiam a ventis Borealibus intempeſtivum reditum, qui cum Verno tempore, ac per totam fere Æſtatem numquam ſiluiſſent, Solarium radiorum vim hebetando, vaporum a leni calore elevatorum diſcuſſionem prohibuerint, & volatiles ſpiritus, quos in ſuo ad noſtrum verticem acceſſu Sol quaquaverſum diffundit, verſus Auſtralem plagam retro pulerint. Ex quo factum, ut iis in locis, ubi ſtatariæ fuerant aquæ, aer circa Veris principium tepeſcens, multos vapores, & tetras exhalationes in ſinu ſuo exceperit; aer vero ſic pollutus, ac partibus volatilibus, quæ a Sole promanant, ulterius deſtitutus, dum intra corpora eorum, qui his in locis degebant, admitteretur, totius maſſæ ſanguineæ craſin, & cæterorum fluidorum ſyſtaſim naturalem perturbarit.

XXVI. Reor itaque a naturali ſuæ dulcedinis, & fluiditatis ſtatu maſſam ſanguineam deſciviſſe, & craſſiorem conſiſtentiam, quam par eſt, acquiſiviſſe; ſicuti, & proportionem ablatam inter bilem, & ſuccum Pancreaticum, illa quidem languidiori, hoc fortiori reddito. E Cælo potiſſimum volatiles ſpiritus in terram defluere, e terra vero, utpote ſuccis mineralibus referta, continuo acidas particulas ſurſum efferri, ingenioſum eſt clariſſimi Sylvii excogitatum, ſed rationibus, & experimentis confirmatum. Quare cum in hujus anni pluvioſa, & frigida conſtitutione aer partium volatilium, & ſpirituoſarum magna penuria laboraret, aliaque ex parte acidis particulis e terra lutulenta, ac veluti fermentata elevatis maxime abundaret, mirum non eſt, ſi poſtmodum intra vitæ hoſpitia exceptus talem diatheſim induxerit, e qua tam magna febrium propago emanarit. Acidam vero dyſcraſiam potius, quam bilioſam, & alchalinam in univerſum prævaluiſſe, duo potiſſimum evincunt; primum, quod hoc anno in tam ampla febrium ſegete nullam ſynochum, nullam febrem ardentem obſervare contigerit; alterum, quod hujuſmodi febres, ut plurimum, veluti ſuperius annotavimus, potius famelicæ fuerint, quam ſiticuloſæ.

Nec miretur quiſpiam, quod tertianæ febris naturam ex prædominio acidæ mineræ potius deducam, quam alchalinæ, qualis cenſetur bilioſus humor; nam ex quanam materia, quæſo, in hac conſtitutione tam horrida, procelloſa, ac media Æſtate frigida, poſt uſum ciborum pituitoſi ſucci, ex quanam materia, inquam, tanta bilis copia gigni debuit, quæ ſufficeret ad procreandam tam numeroſam febrium ſobolem, ac illam tandiu alendam? Nec deſunt Profeſſores celeberrimi, qui ab hoc non multum diſſentiunt, inter quos Etmullerus, qui pro cauſa proxima tertianæ febris intermittentis ſtatuit fermentum ſalino acidum, in legitimis quidem magis volatile, & activum, minus autem volatile, & ſubjecto viſcido irretitum in nothis.

XXVII. Præter aeris malam conſtitutionem, tanquam hujus epidemici affectus communiſſimam cauſam, aliæ quoque, nec parvi momenti in idem conſpirarunt, ſcilicet ut humores ad acidam dyſcraſiam diſponerent; nimirum prava alimenta ingeſta, ut fructus horrei a rubigali lue vitiati, nimia piſcium ingurgitatio, edulii genus noſtris agricolis inſolens, in quorum ſtomacho cibis fortioribus aſſueto facile putreſcebat, hoc eſt facile aceſcebat, cum nullo evidentiori ſigno putreſcentia ſe prodat, quam per acorem; his addi poſſunt puteales aquæ ex nimia illuvione cœnoſæ, & ſemiputridæ, ac denique Boreales venti, qui acidi nitroſi Promuſcondus appellantur. Ex his itaque communibus cauſis, ceu fontibus, harum febrium originem probabilius, quam a quacumque alia deduxerim; neque enim ad cæleſtes influxus recurrendum, quaſi aſtra maligniori lumine ruſticanam gentem potius, quam urbanam, veluti innocentiorem aſpicerent, cum præter id, improbabile ſit, quod cæleſtes influxus tam arcto ſpatio potuerint circumſcribi, ſicuti neque ſubterraneæ exhalationes culpari poterant, cum terræ motus nullus præceſſerit, neque in hac noſtra magna planitie Ciſpadana, & Tranſpadana extent antra, & terræ hiatus charonei, e quibus pernicioſa effluvia poſſent erumpere, & aerem inquinare.

XXVIII. Quod ſpectat ad cauſam internam, quam conjunctam appellant, hæc non niſi craſſam, & viſcidam pituitam, cui acidum fermentum hæreret, referenda erat, vel ſtabulantem in ſtomacho, ut placet Etmullero, vel ductus laterales Pancreatis obſtruentem, ut ſtatuit Sylvius, quæ materia in venas transfuſa, & partibus ſpirituoſis ſanguinis permixta febrilem efferveſcentiam excitaret; ut ut enim cruoris maſſa effœta ſit, & vapida, ſemper tamen aliquid oleoſi, & ſulphurei continet, quod ad flammulam vitalem alendam ſufficiat. Focus itaque febrilis hoſpitabatur extra vaſa ſanguinea, quemadmodum in febribus omnibus periodicis, cum alioquin perdifficile ſit intermittentes febres ab iis quæ vere continuæ ſunt diſtinguere, cujuſmodi febres ignis nomine divinus Præceptor inſignire conſuevit, ut ex variis hiſtoriis in libris Epidemicorum videre eſt. Non enim concipi poteſt, ajebat ſcientiſſimus Carteſius, quænam poſſit eſſe circuitus cauſa, niſi materia quædam, quæ maturatione indigeat, antequam maſſæ ſanguineæ miſceatur, quæ per venas ad cor delata potis eſt tot excitare turbas, & febrilem tempeſtatem ciere, quæ non alio pacto ſedetur, quam eadem hoſtili materia ſub forma ſudoris per corporis ambitum diſcuſſa, vel per urinarias vias ablegata.

XXIX. Rarum quidem eſſe, quod tertianæ febres epidemice ex aeris vitio obſerventur, ait Doctiſſimus Etmullerus, ac revera febres, quæ alicujus pravi ſeminii in aere latentis ſoboles ſunt, nullum certum ordinem ſervare ſolent, multoque rarius eſt, quod ſint de genere intermittentium: hoc anno tamen hujuſmodi febrium genus in hiſce Regionibus populariter graſſatum fuiſſe, tam ruri, quam in oppidis, (quamvis poſtea ob diuturnitatem in continuas, & lentas migrarent) ſat perſpectum eſt. Haud abſimilem conſtitutionem, quæ in Anglia anno 1658. ac magis per rura, & pagos, quam per oppida, & Urbes deſæviit, Doctiſſimus Willis in ſuo Tractatu de febribus deſcribit; ſuæ tamen febrilis epidemiæ originem, & cauſam procatarcticam non in aeris vitium Vir ille peritiſſimus refert, ſed potius in prægreſſam conſtitutionem nimis æſtuoſam, & illi climati inſolentem, febrem tertianam intermittentem epidemiam obſervavit quoque Celeberrimus Batholinus Hafniæ, anno 1652. ſed & ipſe illius cauſam calidiſſimæ, & ſicciſſimæ Æſtati, præter morem, & conſuetudinem illius Cæli adſcribit; hanc vero noſtram ruralem epidemiam lubet referre in conſtitutionem præhumidam, ac frigidam huic Cælo inſolitam, ac ſimul in aerem ob cœnoſam colluviem vitiatum. Si enim hujus epidemici affectus cauſa eſſet ex totius anni intempeſtiva conſtitutione, quæ frigida, & procelloſa toti pene Italiæ communis fuit, non ſatis conſtat, quare hic popularis morbus, in humilioribus tantum locis, ac ubi ſtagnarint aquæ, ſedem fixerit, & non amplius ſpatia occuparit; cum tamen Incoiæ cæterarum regionum, quæ ab hujuſmodi atmoſphæra remotiores erant, (ut totus tractus ſupra viam Æmiliam verſus colles) nunquam alias a febribus magis ſecuros ſe vixiſſe meminerint.

XXX. Qua de cauſa porro, a conſtitutionibus tantæ ſiccitatis, quales, ut dixi, ad plures annos experti fuimus, ad conſtitutionem imbrium adeo feracem talis factus fuerit tranſitus, certe hic mihi *hæret aqua*, ut dici ſolet, & ad hanc veritatem eruendam *Delio natatore* opus eſſet. Nullus profecto Aſtrologorum, qui ex imaginariis aſtrorum configurationibus futuros rerum eventus prædici poſſe exiſtimant, tam magnam illuvionem prædixit, neque poſtquam facta eſt, rationem ullam attulit, cur ita fieri deberet. Sint utique aſtrorum in hæc inferiora influxus, quos velle negare magnæ dementiæ eſſet; at modus quo agant, id omnino indeprehenſibile eſt. Recte quidem Ptolomæus in libro qui *Aliarba* inſcribitur, ſtellarum effectus incertos eſſe, & varios pronunciavit, quoniam incertum eſt qua ratione materia ſubjecta influxum recipiat. Obſervandas quidem magnas temporum mutationes, Æquinoctia ſcilicet, & Solſtitia, ut in illis *neque medicamenta exhibeamus, neque uramus, neque ſecemus*, pluribus in locis monuit Hipp. ſicuti etiam conſiderandos exortus Canis, Arcturi, & Plejadum occaſum, nam ut idem ait, *morbi his maxime diebus indicantur, aliis perimunt, aut in ſpeciem aliam tranſmutantur;* quare vero tam magnæ altercationes, tum in magno, tum in parvo Mundo dictis temporibus fiant, ſcrutari velle, id eſſet mere divinare. Satis ſit igitur quoad rem noſtram, quod hoc anno tam magna, & inſolita aquarum inundatio morboſam hanc conſtitutionem invexerit, contrario prorſus modo, quo in Ægypto votiva Nili inundatio, miraculi ad inſtar, ſolet peſtem abigere, quamvis Alpinus mutationem illam aeris in ſalubriorem ſtatum ad Nili incrementum ſubſequentem in eteſias videatur potius referre, quæ tunc temporis Sole ſignum Cancri ſubeunte, & ſeptentrionali plaga fumigante, flare incipiant, & Campſinos ventos peſtis vectores repellant. Quæcumque ea cauſa ſit ob quam Nilus, Ægypti Pincerna, ſalubritatem invehat, certum eſt tamen, ad illius incrementum morbos populariter graſſantes decreſcere, & in magna illa inundatione demergi, adeo verum eſt illud Celſi: *Differre pro natura locorum genera Medicinæ, & aliud opus eſſe Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Gallia.* Annus jam agitur centeſimus, ex quo haud abſimilis inundatio Ciſpadanam, & Tranſpadanam Regionem occupavit, unde poſtea ſubſecuta eſt ſumma annonæ caritas, tritico in lolium converſo, ut refert Paulus Craſſus Corrigienſis in doctiſſimo ſuo libello de Lolio; Inchoarunt autem tunc temporis circa Maji principium pluviæ, quæ poſtea per totam Æſtatem obſtinatiſſime perdurarunt. Obſervantur itaque per intervalla quædam eædem temporum conſtitutiones recurrere, ſive in aſtrorum vim nobis ignotam id referamus, ſive in juſtam Dei vindictam, qui ſicut olim Univerſali Diluvio totum Orbem puniit, ita particularibus eluvionibus quaſdam particulares Regiones aliquando plectat.

XXXI. Rubigalem luem non exiguam operam ad morboſam hanc conſtitutionem contuliſſe ſuperius dixi; at ne id gratis, ac veluti dictatorie pronunciaſſe videar, libeat in diſquirenda, & examinanda rubiginis natura paululum immorari. De rubigine multa quidem veteres ſcripſere, at de illa ſecundum ſuæ Philoſophiæ ſyſtemata ratiocinati ſunt; In ſacris quoque Codicibus rubiginis fit mentio, cum aliquando hac, velut iræ ſuæ miniſtra, Deus populo ſuo fruges, & fructus omnes ademerit, ut illum ad bonam frugem perduceret; nonnulli vero ex recentioribus de hac peſte aliquid ſcripſere, ut Ruvellius, Levinus Lemnius, Ludovicus Vives, Langius, ſed ea quæ a veteribus ſcripta fuerant recoxere. Vegetabilem itaque familiam ſuis morbis laborare, iiſque diverſi generis, multoſque graviſſimos Auctores de iis ſcripſiſſe, ut Varronem, Plinium, Columellam, alioſque jam ſatis perſpectum eſt. Rubiginem vero, frugum omnium, & fructuum communem morbum, ut illam Theophraſtus appellat, adeo exhorruerunt antiqui, ut ad avertendam hanc peſtem ſibi Deum finxerint, quem Rubigum, teſte Varrone, appellabant, unde Rubigalia feſta emanarunt, quæ a Numa Pompilio Regni ſui anno XI. referente Plinio, inſtituta ſunt, & ad 7. Cal. Maji celebrabantur. Mactabant autem lactentem Catulum in hujuſmodi ſacrificio, unde Columella:

Hinc mala rubigo virides ne torreat herbas,
Sanguine lactentis catuli placatur, & extis.

Litabant autem lactentem catulum eo quod a Rubigali Numine, mediante maligno Canis ſyderis influxu putarent hanc labem in terras immitti; quare cæca ſuperſtitione ac non niſi habita ratione nominis, id agebatur ſacrificium, ut ingenue Ovidius:

Pro Cane ſydereo canis hic imponitur Aræ,
Et quare id fiat, nil niſi nomen habet.

XXXII. Rubigalia itaque ſacra, ſicut & Floralia, ut cuncta bene defloreſcerent, inſtituta ſunt, ac celebrari ſolita, ſub finem Aprilis, propterea quod hujuſmodi tempore a rubigine frugibus, & fructibus valde metuerent, occidente tunc temporis Cane, ſydere per ſe vehementiſſimo, qui occaſus ex Plinii obſervatione tunc in 4. Cal. Maji incidebat. Obſervabant autem veteres multa attentione Canis occaſum, ubi nos vix ortum, qui perſæpe credimus eodem tempore ubique inchoare dies caniculares, veluti non raro doctos alioquin, & celebres Profeſſores, ita quidem, ſed turpiter ſentientes, audire contigit, cum tamen juxta diverſam latitudinem, quam variæ regiones habent, varii ac diverſi ſint aſtrorum ortus & occaſus, quod non ignotum Galeno, qui tradidit, eodem quidem tempore omnibus

in

in plagis fieri tum Æquinoctia, tum solstitia, astrorum vero ortus, & occasus communes esse iis solum qui sub eodem vertice habitent.

XXXIII. Hanc pestem Græci Ἐρυσίβην Latini Rubiginis nomine appellavere, sive a rodendo, ut Varroni placet, seu quod rubro colore fruges inficiat; Uredinem quoque seu Carbunculatem morbum vocavit Plinius, quod fruges exurat, veluti hoc anno contigit, cum fruges, & plantæ omnes carbunculatent, ut Pliniano vocabulo utamur. Hos equidem rubiginis noxios effectus observare, & contemplari licuit; at quænam sit hujus pestis natura, & indoles, non tam facile est decernere. Sapere ignis naturam, seu acrimoniam lixivialem, & alchalinam ex sale acri, & volatili, proclive quidem esset asserere; ac multa obstant, ne in hanc sententiam eam. Gigni rubiginem ex rore, sed vitiato, serenis noctibus, vel in plenilunio, vel interlunio; quibus temporibus luna frigidius lumen ad nos reflectit (cum in plenilunio, Æstivo tempore a nostro vertice multum absit, in interlunio vero totum lumen, quod a Sole recipit, eidem regerat) antiquorum fuit opinio; cui recentiorum quoque non pauci subscripsere, inter quos Ludovicus Vives in doctissimis suis Commentariis in librum D. Augustini de Civitate Dei, ubi scripsit, *Rubiginem esse Rorem putrefactum, fruges tenues corrumpentem, & friantem.* Generari utique rubiginem ex rore, serenis noctibus, (cum ros non decidat nisi sereno Cælo) & silente luna, veritati valde congruum videtur; nam re vera sub initium Junii prope interlunium, signa rubiginis observari cepta in frugibus, plantarum foliis, quæ parvis maculis nigricantibus distincta, puncticulari morbo laborare videbantur; argumentum evidens hujusmodi stigmata a roris guttulis, ubi diu hæserant, fuisse insusta.

In rore (quem lunæ, & aeris filium Alcmon dixit, & raritate ita appellatum Isidorus tradidit, eo quod non sit crassus ut pluvia) multum liquoris volatilis salini, ratione cujus abstergit, & alvum solvit, omnes docent Chymici, qui pro egregio menstruo ipsum commendant ad extrahendas omnium vegetabilium tincturas: ex eodem quoque tradunt elici spiritum, qui ad metalla dissolvenda efficax sit, quo spiritu utebatur Cnosellius ad parandam coralliorum tincturam, ignita corallia in roris spiritum projiciendo. Vim hujus salis sentiunt, qui manibus rorem tractant, aut nudis pedibus per campos, & prata rorulenta incedunt; nam manus, & pedes scabræ fiunt, idque ob salinas, & nitrosas particulas, quæ cutim arrodunt. Vi quoque pollere graciliora reddendi corpora tradit Plutarchus, ac propterea mulieres habitiores illius usu nimiam polysarciam emendare. Sale saccharino pariter divitem esse rorem ut multis morbis opituletur per analysim, & per ignis examen se deprehendisse testatur Helmontius. Multa de roris viribus scripsit in doctissimis suis Animadversionibus Excellentissimus D. Joseph Lanzonus, Medicus Ferrarienſis, cui non parum debeo, quod ea quæ in hac constitutione ipse observavit, mihi per literas benigne communicarit.

XXXV. Hæ sunt nativæ dotes matutini roris, ac præsertim Majalis, in salubri tamen constitutione, ac solo minime uliginoso, nec palustri; at si ex malis temporum constitutionibus, & noxiis afflatibus, seu pravis e terra exhalationibus ros vitietur, in rubiginem degenerat malum, quo nullum noxius est, & cui ait Plinius, *non comparantur grandines, neque procellæ, quæ nunquam annonæ intulere caritatem.* Gigni rubiginem itaque ex rore existimo, dum multa nitrosa, & acida corpuscula e solo elata, & per aerem undequaque dispersa, salinis particulis, quibus naturaliter ros abundat, sociantur, quæ simul in magno aeris receptaculo fermentata, & exhalata, modo nobis imperceptili, in liquorem coeant, qui postea sub forma roris deciduus & plantis inhærens, easdem maculis diversi coloris sugillet, uti apud nos factum his duobus annis cum in priori, plantæ omnes, & fructus rubris veluti peticulis, hoc anno vero nigris laborare viderentur. Præpollere aquæ in rubigine acrimoniam acidam, & corrosivam, haud absimilem aquis stygiis, & spiritibus nitri, & vitrioli, longe verisimilius, quam alchalinam ex sale acri, & caustico, quando nulla causa animo fingi possit, quæ in tam remissis caloribus hujus constitutionis ustionem, & acredinem accersere potuerit.

XXXVI. Neque huic meæ opinioni quicquam refragari S. Scripturæ auctoritatem crediderim, dum apud Amos Prophetam fit mentio rubiginis his verbis. *Percussi vos in Vento urente, & in Ærugine, multitudinem fructuum vestrorum, & Vinearum vestrarum, Oliveta vestra & ficeta comedit Eruca.* Cum non magis Austrini flatus sua caliditate, quam

----- *Boreæ penetrabile frigus adurat.*

XXXVII. Displicet quidem, quod eo tempore quo sæviit rubigalis lues, aliquando experimento non pertentarim, ut certius illius naturam explorarem; siquidem nimis sero animum subiit cogitatio de hac rurali epidemia, & rubigali peste describenda. Non destiti tamen, quin postmodum variis experimentis pervestigarim, num ea quæ mente excogitaram veritati congruerent; expertus itaque sum variis liquoribus modo acidis, modo alchalicis, & lixivialibus, plantarum folia, flores, & fructus aspergendo, attente observans, qui inde color emergeret; folia itaque recentia fabatum, quæ apud nos circa finem Octobris seri solent, spiritu vitrioli irroravi, & non multo post flaventes maculæ, ubi guttulæ liquoris hæserant, apparuere; placuit autem magis in fabis experiri, tum quia in hoc leguminis genere vim suam magis exercuit rubigo, tum quia Theophrastus testatur, *Fabam inter legumina magis æruginem sentire.* Fabarum itidem folia liquore alchalico, & urinoso, ac lixivio acerrimo adsperſi, neque notam ullam alicujus coloris inuri deprehendi. In aliis quoque plantis, ac variis oleribus, ut foliis lactucæ, brassicæ idem pertentavi, & ab acidis spiritibus seu vitrioli, seu nitri, flavas maculas prodire, nunquam tamen nigras, observare contigit. Rubiginis itaque naturam in acida potius acrimonia quam alchalica lubet statuere. Congruunt autem huic meæ opinioni ea quę in strage animalium evenere; nam, præter malam aeris diathesim brutis quoque noxiam, ob pascua rubiginosa sanguine acidiori reddito, ac in motu suo præpedito, vel subitæ mortes integros greges pecorum sustulere, vel obortæ sunt Variolæ, quas ex sanguinis stagnatione fieri, dum in orbem agitur, communis est recentiorum opinio. Tubercula autem illa quæ in capite, collo, & cruribus pecudum visebantur, revera Variolas fuisse, licet profecto asserere, quando nec figura, nec colore, nec liquore in illis contento, nec magnitudine, nec modo quo solvebantur, post suppurationem nigra crusta superstite, quicquam a puerorum variolis discrepabat. Nihilo secius eadem pascua infecta cæteris animalibus cladem intulere. Sic apes haud amplius ex florum calicibus nectareum laticem, sed acidum delibantes, partim extinctæ sunt, vel alio suas colonias transtulerunt. Pariter neque mirum, quod hoc anno cicadæ ut plurimum taciturnæ fuerint, cum, præter remissum æstatis calorem, qui illas ad cantum nequaquam cieret, vel nutritum rorem nactæ non fuerint, (si tamen verum quod rore pascantur) vel quod majori ex parte perierint. A cicadarum obmutescentia malas temporum constitutiones prænunciari, scripsit Doctissimus Mercurialis, qui anno 1577. observavit in Agro Patavino, aut nullas, aut rarissimas cicadas ceciniſſe, unde postea gravis subsecuta est epidemia. Cicadas autem reipsa rore nutriri fabulosum non esse reor, etenim non in arboribus pernoctare, sed super solum ipsum, & in aprico loco ad rorem facilius excipiendum, mane autem ad solis ortum super arbores evolare ex agricola quodam didici; a quo cum scisitatus essem, quare in villa quadam, quæ Roboretum dicitur, penes Gabellum flumen, tanta sit æstate cicadarum copia, ut illic hujusmodi insecti genus suum habere videatur emporium, id fieri dixit ille, quia solum illud arenosum sit; in quo facilius quam in solo argilloso parva foramina efficiant, in quibus deponant ova pro fœtura in secuturam æstatem.

XXXVIII. Hæc omnia itaque rubiginis naturam satis in propatulo statuere videntur, luem mehercle, & animalibus, & plantis valde pernicioſam. Quare autem solæ nuces rubiginis noxam non senserint, id fortasse in causa fuit, vel quod hujusmodi fructus gemino operimento sit munitus, vel quod corticalis substantia multo sale volatili abundet, qui diversam indolem ab acido possidet. Succum e viridi cortice nucis juglandis, tanquam remedium a se repertum, & magnæ virtutis ad faucium phlegmonas tollendas, multis laudibus extollit Galenus; putabat autem ille, talem effectum præstare hunc succum, eo quod vi adstrictoria polleret, & simul tenuium esset partium, ex tinctura pene ineluibili, qua manus tractantis inficit, partim tenuitatem deducens, vim autem adstringendi a salubri effectu, quem observabat, dum inflammationi moderetur; pro rato enim, ac veluti lege habebatur, quod in principio phlegmonis utendum esset repellentibus, & adstringentibus, ne pars ob laxitatem fluentem humorem tam facile reciperet, quod etiamnum apud non paucos Professores frequenti in usu est, quod num recte, an perperam fiat, non est hujus loci disquirere. Hujus succi efficaciam ad inflammationes sanandas agnoscunt quoque recentiores, vim autem adstrictoriam prorsus negant, imo vim dissolventem ipsi adscribunt, inter quos Leonardus e Capua, qui corticem nucum viridium multo sale volatili divitem esse ait, & qui potis sit grumos sanguinis dissolvere, & illius acetositatem emendare, quo pacto non sanguinis fluxum in partem adstringendo prohibet, sed sanguinis refluxum per venas ad cor referendo promovet. Sicuti autem priscis ignoscendum, si ob ignoratum sanguinis circularem motum, non aptas interdum naturalium effectuum ætiologias afferebant, ita nostro huic sæculo gratulandum, de quo verius pronunciare libeat id quod de suo ævo scripsit Plinius, scil. *Non minus ingeniosam fuisse antiquitas observationem, quam nunc rationem.* Ex nucum viridi cortice parari decoctum in Anglia expertæ virtutis ad luem Gallicam perdomandam, quam Recentiores omnes in acidi prædominio statuunt, nuper accepi a Cl.D. Nathan Lacy Medico Anglo, & insigni Anatomico. Cum itaque nucum putamen multo sale volatili abundet, mirum non est, si rubigini obstiterit, & inclusum nucleum a communi lue præservarit. Atque hęc de Rubiginis natura, & indole.

XXXIX. Modo supereſt, ut symptomatum, & quarundam observationum perquirantur causæ. Adnotatum, vespertinis horis has febres exacerbari consueviſſe, una cum virium nocturna prostratione, ut ægri morituri viderentur, mane vero oriente sole, velut redivivos tantum virium habuiſſe, ut e lectulis exurgentes deambularent. *Quale est vesperi exacerbari, tale ipsius morbi, & cujuscumque constitutionis ad se mutuo* ajebat Hipp. Vespertinæ itaque exacerbationes morbi naturam superius descriptam, & causas morbificas satis indicabant. Virium autem dejectionem noctu factam, & matutinam earum veluti redintegrationem in solis recessum & accessum, & acidæ dyscrasiæ prædominium referendum putarim; Sole namque occumbente, & volatiles spiritus per aerem dispersos secum trahente, spiritus vitales sanguinis ab acido coagulante figebantur; unde facultatum omnium torpor, qui porro ab iisdem solaribus radiis matutinis discutiebatur, non secus, ac quando a brumali frigore fluentium aquarum cursus noctu intercipitur, qui postea a sole novo lumine terras lustrante, restituitur. In hac rerum universitate nihil esse utilius sale, & sole scripsit Plinius; sic Celsus Leucophlegmatia laborantes soli subjici oportere ajebat, utendumque frictione manibus aqua madefactis, cui sal, & nitrum, & olei paulum esset adjectum. Mirum itaque non erat si in casu nostro a blando solis calore liquato veluti pituitæ gelu, cruor solitum cursum per sua vasa repeteret, & consopitæ facultates ad consueta munia exercenda revocarentur.

XXXX. Præ cæteris notatu dignis observavimus inexpugnabilem harum febrium contumaciam, ut non solum omnem Medicorum industriam eluderet (cum neque venæ sectionibus, neque purgationibus, neque cardiacis quicquam auscultarent) sed usu remediorum magis exasperarentur, quod factum existimo ob malam aeris diathesim, quæ morbum aleret; quare licet etiam opportuna remedia quandoque adhiberentur, nihil remittebat morbus, imo sæviebat magis, ac satius profecto fuisset multis hanc Camarinam non movere; tanti est Oraculum illud Hippocratis, quod initio hujus Dissertationis attuli, nempe *Hominis Natura interdum universi potestatem non superat*, quæ Hippocratis verba si medentes attente perpenderent, tot medicamentis ægros non fatigarent, in epidemicis præsertim effectibus, quorum vera curatio non innotescit, nisi cum busta plena fuerint.

XXXXI. Venæ sectio profecto in his febribus non fuit saluberrimum remedium, nec quemquam novi, de quo dici potuerit cum Galeno, quod illius febris sanguinis missione jugulata fuerit, quin ubi pluries celebrata est phlebotomia, magis attritæ sunt vires, & febres magis protractæ ægros vel ad mortem, vel ad cachexiam deduxere. Cur autem in his febribus tam improspere cesserit sanguinis detractio, obviam est arbitrari, massam sanguineam sale volatili, & particulis spirituosis ob malam aeris diathesin, & diætæ errores effectam, per venæ sectionem pauperiorem redditam, unde

ma-

major acidi præpollentia, & bilis depreſſio conſequeretur, febriſque exinde protractior fieret. Venæ ſectionem febribus intermittentibus non eſſe per ſe aptum remedium, cum de foco febrili, qui extra vaſa ſanguiflua larem habet, nihil detrahat, commune eſt recentiorum aſſertum, ſed ſolummodo per accidens convenire ajunt, quatenus obviam iri poſſit multis ſymptomatibus, ac periculis, quæ in corpore præſertim plethorico nimiam efferveſcentiam ſubſequi poſſent, ſcilicet inflammationes, & vaſorum diſruptiones, qualis fuit caſus a Ballonio memoratus de quodam nobili viro, cui tertiana febre laboranti ob neglectam ſanguinis detractionem ruptæ ſunt venæ in quarto paroxyſmo, & tanta foras ſanguinis excretio eſt conſecuta, ut eo ipſo die illi obeundum fuerit. In hac vero noſtra rurali epidemia ſanguinis efferveſcentia non adeo magna fuit, ut de ejuſmodi periculo metuendum eſſet, imo potius lenta, ex acidi prædominio, & propter bilem enervatam, quæ in confluxu cum ſucco pancreatico, & cum lympha minus efferveſceret: propterea V. S. non adeo proficuum fuit remedium, ut in prægreſſis præcedentium annorum conſtitutionibus, quas valde ſiccas, & æſtuoſas eſſe diximus, quare cum in iis valde turgeret bilis, & ſanguis facile exardeſceret, mirum non erat ſi tunc adeo conferret V. S. & a periculis percaveret, quæ nimiam ſanguinis efferveſcentiam, & rarefactionem comitantur; aſſueti autem Profeſſores venam facile tundere ubi conſtaret eſſe febrem, ac nullum alium ſcopum ſibi præfigentes, quam ſolam caloris febrilis attemperationem, in hac conſtitutione a cæteris toto Cælo diverſa, repetita venæ ſectione utentes, ægros perſæpe in extremam perniciem præcipitarunt. Nollem equidem quod quis me inter hæmophobos recenſeat, ſed nec inter hæmatochitas numerari velim. Eſt ubi liberaliter ſanguinem demamus, eſt ubi parce, eſt ubi nihil, licet ſit eadem affectus ſpecies. In Stymargi famula uſque ad animi defectum ſanguinem detraxit Hipp. licet frigido affectu laboraret: rationem autem addidit; *Oportet enim*, inquit ille, *devenire ad occaſionem, & occaſionis initium*. Cauſa morbi nimirum eſt attendenda, ex qua potiſſimæ deſumuntur indicationes. *Similitudines parere errores etiam bonis Medicis, contrarium autem facere cauſam*, monitum eſt ejuſdem Hippocratis, nam re vera cognita cauſa, non tam facile a recto tramite, & legitima curatione deflectitur.

XXXXII. Quærit idem Ballonius, Practicus olim Celeberrimus Pariſienſis, cur phlebotomia febres quaſdam miraculi ad inſtar tollat, alias potius exaſperet? Paucis quidem reſpondet, at illius verba ponderanda ſunt, non numeranda. *Febres*, ait ille, *aliæ ſunt venoſæ, aliæ gaſtricæ, id eſt quædam phlogoſim ſequuntur potius venoſi generis, quam vitium humorum in præcordiis contentorum; quæ venoſi ſunt generis, hæ primo quoque tempore per phlebotomiam ceſſant, quæ alii ſunt generis non facile phlebotomia ſolvuntur, contra potius cathartico egent*. Tales erant tertianæ iſtæ intermittentes hujus noſtræ conſtitutionis, erant enim potius gaſtricæ, quam venoſæ, ac propterea ad venæ ſectionem magis exacerbabantur, & contumaciores fiebant, attamen proſpere ceſſerunt purgationes, & vomitiones uſu emeticorum, quibus non raro penitus avulſus eſt febrilis fomes. Claudam hunc locum digna animadverſione ejuſdem Ballonii in eos, qui ut nil non agant, ex quacumque re occaſionem captant mittendi ſanguinis. *Nam ſi induxerint in animum* (inquit ille) *venam reſerare, & id cunctanter faciunt, ſi guttula ſanguinis e nare fluat, tunc quaſi trophæum reportantes, clamant oblatam legitimæ phlebotomiæ occaſionem; ſi luculenta ſit hæmorrhagia, audacius ſecant, quia naturam copia gravari ajunt, ſi infra modum ſanguis fluat, compenſandum iſtum defectum aperitione venæ contendunt*.

XXXXIII. Non minus diſquiſitione dignum eſt cur in hac conſtitutione tam ſæpe contigerit, quod tertiana ſimplex in duplicem migrarit ea ipſa die, qua ſecta eſt vena. Id olim obſervarunt Amatus Luſitanus, & B. Caſtellus, nec quenquam ſcio, qui præter hos hujuſmodi phænomeni, quod aliquando in praxi obſervatur, mentionem habeat; refert autem Amatus cuidam juveni 25. annorum tertiana febre laboranti, cum venam die intermiſſionis ſecuiſſet, veſperi febrem ex ſimplici factam fuiſſe duplicem, hujuſce rei rationem reddit his verbis: *Nec enim credere eſt, ob ſanguinis extractionem, ex ſimplici duplicem factam fuiſſe, cum dubio procul niſi ſanguis extractus eſſet, in tertianam continuam futurus erat morbus:* hujuſmodi excuſationis genus plerique Medicorum noſtris etiam temporibus in promptu habent, quotieſcumque ex aliquo male adminiſtrato remedio pejus æger ſe habeat; ſtatim enim obtrudunt, quod multo deterius ſe haberet, niſi tali remedio uſus fuiſſet; meliorem itaque Æthiologiam, & ævo noſtro accommodam perquiramus; puto ergo in illo caſu (ſicuti & in noſtra conſtitutione) culpandam potius venæ ſectionem, quam febrem, quæ ex ſui natura proclivis eſſet, ut in tertianam continuam migraret. Refert Amatus juvenem illum vigente Autumno ægrotaſſe, ſanguinem in prima pelvicula exceptum atrum fuiſſe, in ſecunda rubicundum ſine ulla aquoſitate; & rationi congruum eſt igitur in illo juvene ob prægreſſos æſtatis calores, partes magis ſpirituoſas, & volatiles ſanguinis abſumptas, ac poſtea maſſam ſanguineam Autumnali tempore in acidam dyſcraſiam degeneraſſe, eo prorſus modo, quo vina poſtquam per æſtivos calores ebullierint, Autumno facile aceſcunt (ut ex atro ſanguine primæ pelviculæ, nam ſanguis ſecundæ rubicundior erat, quia arterioſus) ſecta itaque vena, & ſyſtaſi cruoris magis debilitata, ac depauperata, mirum non fuit ſi acidum prævalens, ac veluti ſine adverſario licentius inſultaret, ex quo tertiana ſimplex in duplicem tranſierit. Convaluit autem Juvenis illé poſt bonam purgationem ex pharmaco, nam febris illa fortaſſe fuit potius *Gaſtrica, quam Veno-ſa*. In hac vero conſtitutione non ab exhauſtu ſpirituum ob nimium æſtum maſſam ſanguineam acorem contraxiſſe arbitror, ſed potius ob frigidam anni conſtitutionem ac diætæ errores, obruta bile, & concentratis partibus cruoris magis ſpirituoſis, acidum ſtomachi fermentum, & ſuccum pancreaticum magis viguiſſe, & poſt celebratam phlebotomiam vim majorem acquiſiviſſe, unde febris ſimplicis in duplicem tertianam fieret converſio.

XXXXIV. Culpanda itaque potius in his caſibus eſt venæ ſectio tanquam non aptum remedium, quam quicquam aliud, quod idem ſenſiſſe exiſtimo B. Caſtellum (ſi recte memini, & in Adverſariis meis bene adnotavi) in aureo ſuo libello de Abuſu venæ ſectionis, quem libellum mihi olim Romæ oſtendit D. Antonius Maria Rubeus, Præceptor meus, Vir Doctiſſimus, & immenſæ Eruditionis, aderatque Excellentiſſ. D. Hieronymus Braſavola nunc Romæ Profeſſor celeberrimus & mihi conjunctiſſimus, cum tunc in Urbe ageretur, quare interdum contingat, quod tertianæ ſimplices, ſanguine die intermiſſionis detracto, duplices evadant. Opponet, ſcio, aliquis harum febrium propenſionem ut in duplices tranſirent, cum ſponte, ut ſuperius dictum, ſub initium Æſtatis tertianæ omnes ſimplices duplices factæ fuerint; at regeram ego, nullas fere duplices tertianas toto Veris tempore viſas eſſe, tum ruri, tum in hac urbe, niſi eas quas venæ ſectio geminarit, quare non video, quomodo ab hoc crimine phlebotomia tanquam innocens poſſit abſolvi.

XXXXV. Eandem ob cauſam, nihilo ſecius quam venæ ſectio, noxius fuit in hac conſtitutione aquæ uſus; etenim in frigida, & humida tempeſtate, bile valde refracta, & acido exuberante, quid opis expectandum erat in his febribus ab aquæ potu? non niſi mehercle, ut aqualiculo infracto, & diſtento, Cacochylia cumularetur, ſanguis pigriori lapſu per ſua vaſa flueret, ac tandem Cachexiæ, & Hydropes ſuccederent. Novi juvenem in hac Civitate, qui in Hydropem aſcitem incidit, cum illi tertiana febre laboranti ſuaſiſſet Medicus, ut biberet quantum vellet, imo interdum coegiſſet. Succurrit mihi in hanc rem Terentianum illud, ubi Medicus in ſcenam inducitur.

Quod juſſi ei date bibere, & quantum imperavi date.
Mox huc revertar.

Multoque magis noxius fuit hoc anno aquæ uſus, ac ruri præſertim, quod ob pluviarum aſſiduitatem, aquæ cœnoſæ, & graveolentes eſſent; in hac vero urbe non adeo gravem noxam intulit aquæ uſus; hæc enim civitas puriſſimos habet fontes, & admirandæ originis, quorum fontium hiſtoriam brevi editurum me ſpero. Invaluit autem apud noſtrates opinio, quod venæ ſectioni, & aquæ potui, tanquam duabus ſolidiſſimis columnis, tota curandarum febrium moles innitatur. At num id recte? Profecto in hac conſtitutione neutrum ex uſu fuit. Haud ſum neſcius ſcripſiſſe Hippocratem, *Aquam non præſtare bonum alimentum igni*; at nomine ignis intellexit Hippocrates febres continuas, & eſſentialiter tales, non vero intermittentes, ſummatim *Venoſas, non Gaſtricas*. At forſan aliquando ſi otium ſuppetet, de aquę abuſu in febribus aliquid conſcribam.

XLVI. Verum quali potu, inquiet aliquis, utendum erat in his febribus? Ego certe vini uſum raro, quod ſciam, interdixi, imo ſuaſi, ut modico vino uterentur, eoque non olygophoro, ſed mediocriter generoſo, multoſque ab orci faucibus hoc ſolum cardiacum eripuit; Bilis enim erat potius acuenda, quam ſufflaminanda; & partes ſanguinis ſpirituoſæ in motum ciendæ, quod præſtare poterat vini uſus, & ea remedia quorum vis in alcahali volatili ſita eſt, quod ſolo naturæ ductu in agro Mantuano fecere agricolæ, qui ſuis febricitantibus allia, & cæpas cum ſalubri eventu præbuere. Morbos quoſdam chronicos, pravis eduliis (ſed quæ vere in cenſu medicamentorum, caſu potius, quam arte repertorum reponi debeant) aliquando ſanari compertum eſt; ſic diuturnas quartanas allii uſu cum multo meraco ſanatas obſervarunt Antonius Benivenius, & Amatus Luſitanus. Vino autem generoſo, potius quam tenui, utendum duxi, nihil metuens a febrili efferveſcentia; in hoc enim ſæpius peccatur, quod rem agi ſine periculo creditur, ſi vinum tenue in diuturnis febribus, & chronicis morbis permittatur; at hujuſmodi vina ut plurimum acidiuſcula ſunt, & acorem ſanguinis exaltando, morbi cauſam deteriorem efficiunt; quem errorem notavit olim Crato, qui in podagra ſicuti vinum meracum, ſed in modica quantitate commendat, ita vina tenuia improbat, quæ venas multa ſeroſitate impleant, quod idem ſentit Willis: ſicut enim a vini ſpiritu dulcificantur ſpiritus ſalis ac nitri; ita quoque a vini generoſioris temperato uſu ſanguis ad acorem vergens dulceſcit. Variantibus itaque temporum conſtitutionibus varianda eſt methodus, & ut ait Sulmonenſis Poeta.

Nam quoniam variant morbi, variabimus artes,
Mille mali ſpecies, mille ſalutis erunt.

XLVII. Sic neque Peruviani corticis uſus hoc anno, ut ſuperius adnotavimus, admodum ſalubris fuit: immo in extremum vitæ diſcrimen ægros non raro deduxit. Id ego in non paucis obſervavi, ſed præcipue in nobili virgine, quæ cum ad 40. dies duplici tertiana conflictata fuiſſet, & poſt ſolita remedia adminiſtrata, ex meo conſilio, aſſentiente quoque Excell. D. Antonio Abbate Sereniſſimi Ducis noſtri Archiatro, Chinam Chinam ſub forma boli aſſumpſiſſet, cum in vino infuſam reſpueret, poſtmodum ſtupida, & comatoſa evaſit, cum pulſu adeo exili, ut vix perciperetur, ac trium dierum ſpatio in tali ſtatu perſtitit, donec ſoliti paroxyſmi redeuntes ſtuporem diſcuſſerint. Inſalubrem autem fuiſſe hujus remedii uſum crediderim, eo quia, cum maſſa ſanguinea multis cruditatibus ſcateret, ac craſſiorem haberet conſiſtentiam (ut ex ſanguine per venam ſectam educto ſatis patebat) ideoque ſegnis eſſet ad motum, quotidiana illa febrilis efferveſcentia eſſet loco remedii, qua ceſſante, fieret quædam veluti in vaſis ſtagnatio, & congelatio, unde functionum animalium torpor, & vitalium quoque interceptio; adeo verum eſt illud Celſi, quod febrem lentam interdum augere oporteat, *fortaſſe enim*, ait ille, *curationi opportunior fiet*.

Scio equidem, hujuſmodi doctrinam non ſolum pleriſque Medicorum, ſed etiam aliis, qui artem Medicam non profitentur, eſſe ſuſpectam, ut ipſi Senecæ, qui beneficium ſanationis levioris morbi factæ a graviori morbo exprobrat his verbis: *Multi quos auxerant morbos, & irritaverant, ut majori gloria ſanarent, non potuerunt diſcutere, aut cum magna ægrorum vexatione vicerunt*. In hac tamen conſtitutione experientia ipſa ſatis evicit, febrilem eſſerveſcentiam ſtimulandam potius fuiſſe, quam frænandam, & uſum calidorum magis profuiſſe, quam frigidorum; ſicuti in hiſtoria Polycratis, vice verſa, frigida magis, quam calida juviſſe ſcripſit ſcripſit Hippocrates, innuens hoc dicto Divinus Præceptor, non tanti faciendum præconceptum de natura morbi judicium, ut illud ipſimet experientiæ in contrarium reclamanti velimus præferre. Obſervatum eſt tamen feliciori eventu exhibitam Chinam Chinam agreſtibus, quam oppidanis, & urbium incolis; Gens enim ruſticana ubi tantillum a morbi falce levata eſt, illico laboribus, & exercitiis ſe dedit; quare non erat metuendum, ut tam pernicioſi effectus in iis conſequerentur, quales in urbanis obſervabantur. Sic Doctiſſimus Ettmullerus tradidit: non tam facile pati recidivas poſt aſſumptum hoc febrigium homines exercitiis, ac laboribus deditos; ſicuti deſidioſos, & otio innutritos. De hac noſtra itaque conſtitutione libet proferre id quod olim de quadam ſimili ſcripſit Hippocrates ingenua certe confeſſione, more tamen magnorum virorum,

rum, & magnam rerum fiduciam habentium. *Nihil memorabile proderat, non ventris turbatio, non venæ sectio, neque quæcumque alia tentavi.*

XLVIII. Nullas febres synochas, vel ardentes hoc anno, quod sciam, observatas diximus, sicuti paucas quartanas: de prioribus quidem non est quod miremur, nam partibus spirituosis, & ad conflagrationem aptis non adeo turgebat massa sanguinea, imo crassis & frigidis succis abundabat: sic vina tenuia, & acidiuscula non tam facile fervorem concipiunt, veluti vina generosa, ubi æstivum calorem senserint; magis quidem mirum est, quod in tanta febricitantium frequentia tam pauci visi quartanarii, idque magis, si verum esset quod nonnulli asserunt: non nisi ex majori visciditate materiæ differre quartanas a tertianis, consuetam itaque febris quartanæ genesim animadvertens, & hujusmodi febrem, tanquam fructum Autumno matureſcentem, considerans, cujus uberior est proventus, cum Æstas magis fervida ac torrida præcesserit; præterea rationi congruum est, quod in hac constitutione frigida, & humida, in qua non multa fieret partium serosarum per cutis poros difflatio, succum pancreaticum ad eum fixitatis gradum, qui ad quartanarium circuitum requiritur, evehi non potuisse, seu quidquam aliud defuisse, quod humana imbecillitas assequi nequit, cum nihil sit quod ipsos medicinæ proceres magis transversos agat, quam pervestigatio causæ, cur statis horis recurrant febriles paroxysmi, ac tam exacte, ut ipsa automata aliquando superent.

XLIX. Verminationem in his febribus satis familiarem, & præsertim in rusticana gente superius recensuimus, cujus rei causam fuisse reor, tum prava alimenta putrefactioni obnoxia, qualia fuere pisces, & fructus horæi; tum ventriculi fermentum ex mala constitutione vitiatum, & improportionatum ad cibum recte subigendum; quare vermium seminibus, seu ut lubet ovulis, quæ in alimentis ipsis laterent, integris manentibus, & a tenui calore fotis, mirum non fuit si facile in magna copia prodierit verminosa soboles. Usum Chinæ Chinæ valde proficuum ad necandos vermes expertus sum, quod præstare ob insignem amarorem, quem possidet hic cortex, non absre crediderim, si tamen tutior est praxis, quæ verminosos affectus curat per aloetica potius, quam per saccharata, & mellita. Haud sum nescius apud nostrates quoque facta fuisse experimenta, & observatum, quod lumbrici in aqua ubi dissolutum fuerit mel, vel saccharum, citissime moriantur, in amarissimis vero liquoribus ad integros dies vixerint; ast ab iis quæ extrinsecus apparent, medicamentorum vires metiri velle, non adeo tutum existimo, quin errandi periculum subsit. Suspicari enim licet, quod medicamenta propinata, quæcunque ea sint, iis quibus armantur viribus cito spolientur, dum primo cum stomachico fermento, cujus vim transmutativam nemo non novit, mox in intestinis cum bile, qui humor suapte natura ferox est, & cum succo pancreatico spiculis armato congredi debent; quod si ulterius pervadant, cum lympha quoque in communi receptaculo iisdem sit concertandum. Sic crocus Martis, qui aperitivus dicitur, ut notat Junchen, nisi acidum superfluum reperiat in ventriculo a quo solvatur, adstringens evadit. Id ipsum quoque testatur Chirurgia Infusoria, qua constat, quod liquor purgans in venas canis infusus magnam excitat purgationem, nullam vero, vel paucam si per os idem liquor, vel in majori dosi, injiciatur, idque ob acidi copiam quo caninus stomachus abundat, quod acidum vim catharticam, & emeticam potenter infringit. Hanc ob causam venena quædam, ut ait Celsus, non gustu, sed vulnere nocent, & psylli e serpentum morsibus venenum innoxie exugebant. Quot vero, & quantas subeant mutationes medicamenta per os assumpta, dum varias corporis regiones præterlabuntur, ingeniosissime explicat Bellinus, ut nihil præstantius. Reor itaque ex medicamento assumpto, & succis quibus commiscetur, gigni novum concretum, e quo illæ operationes, quæ postea consequuntur, promanant, & quæ solius medicamenti efficaciæ solent adscribi.

L. Postquam hujusmodi febres miseros ægrotantes diu fatigassent, diximus nonnullis apparuisse parotides, quibus licet suppuratis, eadem tamen pervicacia febres perstabant. Id equidem magnam humorum cruditatem in toto venoso genere significabat; sed hanc non esse potissimam harum febrium causam, & fomitem satis demonstrabant, qui fomes, in ventriculo, & pancreate præcipue sedem fixerat. In nonnullis pariter post multos febriles paroxysmos supervenerunt diarrhœæ, ac dysenteriæ, irritata ad expulsionem natura, tum a copia, tum a pravitate succorum; neque enim hæsitationi locus, quin etiam aliquando malignum quid subesset in his febribus, quamvis intermitterent; plures tamen sustulit diarrhœa, quam dysenteria, eo quod forsan in iis qui diarrhœa laborarent communicata esset labes massæ sanguineæ, quæ serum acre per glandulas intestinales excerneret; in iis vero qui dysenteria vexarentur, mali fomes esset extra venas, viscida nempe, & acida pituita intestina abradente, & excoriante. Frequentes porro fuere recidivæ non solum ob diætæ errata, sed ob communem causam, aerem nempe vitiatum, qui febrile miasma ad aliquod tempus consopitum in novos motus, & exorbitantias cieret; eandem quoque ob causam adeo contumaces fuerunt hæ febres, cum nihil sufficeret ad abstergendam labem illam, quam aer continuo inspiratus fere ineluibilem redderet; adeo gravis est morbus, quem Cælum fecerit. Sic pacari non visa est affectio, nisi cum sub anni finem humidæ, & nebulosæ tempestati sicca, & serena succesſit: quare sicuti ex Hippocrate: *Quicumque morbi Æstate augescunt, Hyeme desinere solent*, idque non nisi ob naturalem temporum mutationem; ita in hoc epidemico affectu optimi remedii loco esse cœpit aeris in vitalem temperiem restitutio.

LI. Præ multitudine ægrotantium tam ex genere agresti, quam urbano paucos interiisse superius monuimus, quod sane præter opinionem medentium contigit, qui majorem stragem pertimescebant. Duas potissimum ob causas in epidemicis affectibus pereunt homines, vel ob humorum διάχυσιν vel ςάσιν ut ipsis vocibus Hippocraticis utar, id est vel ob massæ sanguineæ diffusionem a sale acri, & alchalico factam, vel ob ejusdem concretionem, ab acido exuperante, frequentiora tamen funera sanguinis διάχυσις, quam ςάσιν soler inferre; propterea, grassante pestilentia, ut plurimum acida primas tenent. Cum ergo in hac nostra constitutione acidum quidem præpolleret, sed non earum esset virium, reluctante præsertim febrili effervescentia, ut potis esset lethalem stagnationem inducere, ac fluxum, & refluxum sanguinis prohibere; hinc est quod, licet hominum myriades eodem tempore decumberent, pauci in libitinæ census venerint. Sic mirum non est, quod fœminæ, & pueri ob molliorem habitum, & vitam minus actuosam, hujus epidemiæ vim magis senserint, ac multo magis lactentes pueri, in quorum venis, ob lac vitiatum, & ad coagulationem aptum, facilius sanguinis statio succederet, sic narrat Hippocrates in quadam constitutione, *ex laborantibus mortuos esse maxime pueros, adolescentes, vigentes ætate, glabros, subalbidos, & qui in socordia vixerint.* Fiebant autem pueri icterici ob hepar obstructum a viscida pituita redundante, ac a febrili calore in motum concitata, quæ in hepatis substantia defixa, bilis secretionem prohiberet, cujus signum erat, quod in omnibus tensum, ac durum hepar persentiretur; sero autem acri, & acido in cerebri membranas transfuso, convulsi moriebantur, morbo alioquin pueris familiari, sed huic constitutioni magis proprio, utpote valde aptæ ad acorem massæ sanguineæ conciliandum.

LII. Si vero quærat aliquis, cur hæc mala constitutio agricolas magis, quam oppidanos, & urbium incolas vexarit, videtur satisfieri posse dicendo, potissimam causam fuisse aerem a fœdis exhalationibus vitiatum ob nimiam illuvionem, quæ campos, & agricolarum domos inundarit, non sic urbes, & oppida in editioribus locis posita; huic causæ addi poterit victus pravus, & insalubris, ac præsertim nimia piscium ingurgitatio, alimenti genus colonis nostri insuetum, & quod in illorum stomacho facile putresceret. Scio equidem a non vulgaribus Medicis pisces ægris quoque exhiberi solitos, tanquam laudabile alimentum, ac multo magis sanis corporibus, verum, ut ait doctissimus Plempius, illorum usus *Athletis non convenit, non castra sequentibus*, non agricolis addam ego, quibus utilior est caro bubula, & suilla. Id ipsum testatur Galenus, qui piscium usum in hominibus otiosis, senibus, & ægrotis commendat, non sic vero in iis qui corpus exercent; his addendum, quod sicuti pisces, qui in rapidissimis fluviis capiuntur, ex Athenæi sententia, omnium sunt optimi, ita hi essent omnium pessimi, quod in aquis stagnantibus fieret illorum captura.

LIII. His quoque causis accenseri possunt labores, & exercitia sub assiduis imbribus, unde pororum cutis constrictio, sudoris parcitas ob frigidam, & humidam anni intemperiem, cum alias per Æstatem sub assiduis laboribus copiosissime sudare consuevissent, quas causas in oppidanis, & civibus, qui meliori victu utuntur, nec aeris injuriis sunt ita expositi, non tam facile quis reperiat. Sedes præterea hujus ruralis epidemiæ e civitatibus, & oppidis majoribus circumscribi videbatur; quare Mutina, & Regium, eo quod essent veluti in circumferentia, & apennino proximiores, minus hanc labem senſere; magis autem Ferraria, & oppida Mantuanæ ditionis, Pado proximiora, ubi major fuit infantilis clades, quemadmodum a variis Professoribus, ac aliis per literas accepi. Magna vero hæc planities his locis circumscripta, & tota colonis oppleta, in cujus sinu ad longum tempus stagnarunt aquæ, hujus epidemici affectus sedes, ac domicilium fuit.

LIV. Circa cæterorum affectuum examen, qui has febres comitati sunt, quales fuerunt apoplexiæ, epilepsiæ, catarrhi præfucativi, cachexiæ, & hydropes, non multum immorabor; ejusdem enim constitutionis soboles fuerunt, & acidi prædominium significabant, vel sanguinem, & reliqua fluida coagulantis, vel nervosum systema occupantis; hæc omnia itaque verissimum esse Divini senis oraculum comprobarnnt, quod *Morbi in pluviarum multitudine magna ex parte fiunt, febres longæ, alvi profluvia, putredines, morbi comitiales, apoplexiæ, & anginæ.*

LV. Ut autem circa res venturas Conjectoris quoque partes agamus, superest videndum, num sperare liceat, postquam pacata est non parum hæc affectio, an in totum ea desitura sit, an potius hæc eadem, vel deterior exsuscitari possit. Sperare licet utique, malam hanc constitutionem emendandam, cum postremi hi duo mensis cum perpetua fere serenitate, & aeris tranquillo statu annum jam clauserint; nam, ut ait Montanus: *Tempora consequentia secundum naturam existentia corrigunt vitia præcedentium præter naturam existentium*; at metus subest ne ob aliquam annonæ caritatem infelices coloni, qui ad sedandam latrantis stomachi rabiem atro pane, & confusaneo uti cogentur.

(*Nam tener, & niveus, mollique siligine factus*
Servatur Dominis)

Metus inquam subest, ne proximo Vere, & Æstate novis calamitatibus vexentur. Sic in Æno Civitate Thraciæ, ex Hippocrate, *usu leguminum continenter utentes Fœminæ, & viri, crurum impotentes fiebant*, quam historiam citat Galenus, aitque sæpe evenire, ut ob caritatem annonæ exitiales morbi oriantur. Vox Λιμὸς, quæ famem significat, nonnisi per solam diphthongum discrepat ab ea quæ pernicioſam epidemiam denotat, unde effluxit dictum illud Ἐκ Διμὸς Λοίμος. Quamvis enim edulia mali succi videantur aliquando sat bene concoqui, attamen ut egregie monet Galenus, *Nobis non advertentibus, pravus succus ex ipsis post longum tempus in venis colligitur, qui postea exiguam ad putredinem occasionem nactus febres malignas accendit.* Quodcumque malum avertat Divina Clementia, & priorem salubritatem huic Cælo restituat.

Talis fuit Anni MDCXC. apud nos Constitutio, atque hæc indoles Epidemici Affectus, qui Colonos nostros, & Urbanos quoque afflixit, divinarint jam Astrologi pro suo lubitu, & ex syderalibus schematismis Anni, qui modo succesſit, præsagia deduxerint, quod ego ejusdem, postquam cursum suum absolverit, si fata dabunt, medicam historiam conscribam.

BERNARDINI RAMAZZINI

Dissertatio Secunda.

DE CONSTITUTIONE Anni 1691.

RUralem epidemiam, quæ præcedenti anno Mutinensis agri, & proximarum Regionum colonos graviter afflixit, urbana epidemia hoc anno excepit, quæ nihil urbanitatis, immo insolentiæ plurimum in infelicem plebeculam potissimum exercuit. Instituto itaque meo inhærens prægressam constitutionem, qualiscunque ea fuerit, in fine cujuslibet anni describendi, eo libentius id exequar, quod hæc constitutio ab ea, quam superiori anno experti fuimus, toto cælo differens satis uberem materiam suggerat mentem exercendi, quando in

Sydenham Opera Medica.

re medica nil foret utilius, quam ſuccedentes ſibi ad invicem conſtitutiones conferre, ut recta medendi methodus inſtitui poſſet, quoties eadem tempora, ac iidem morbi recurrerent. Quæ ſi attentius a profeſſoribus obſervarentur, non eſſet forſan, quod medicina comparata deſideraretur, ſicuti anatomiam comparatam deſiderari ajebat ſapientiſſimus Verulamius, quæ ſi haberetur, ut ille ait, & individuorum interiores ſtructuræ ad invicem componerentur, non tam pro morborum cauſis culparentur humores, quam mechanicum viſcerum artificium, quod cum ut plurimum inemendabile ſit, omnem medicam opem, & magnos promiſſores ſæpiſſime eludit.

II. Superioris anni conſtitutio, ut in mea Diſſertatione ſuper illam edita, ob aſſiduos, & copioſos imbres impenſe humida, & lutulenta in univerſum extitit, unde gravis epidemia una cum annonæ caritate effluxit; hujus anni vero conſtitutio ex oppoſito maxime ſicca, & pulverulenta, primo quidem ob aquilonares ventos, poſtmodum vero ob continuum, & flagrantem æſtum merito audiit. Sicuti autem prima pars hyemis, quæ antecedentem annum clauſit, ſtatum ſatis placidum, ac ſerenum, ut diximus, ſortita eſt, ita pars altera, quæ huic anno fores aperuit, eandem ſerenitatem, ac tranquillitatem ſecum invexit, donec Januario menſe ad finem vergente, flantibus ventis ſeptentrionalibus, frigora adeo intenſa fieri cœpta, ut illico conglaciatis fluminibus cuncta præ nimio gelu horreſcerent. Cum autem nullæ prorſus nives decidiſſent, hyemem non ſolum algidiſſimam, ſed ſicciſſimam exegimus, ita ut in tota Ciſpadana, & Tranſpadana Regione pulverulentæ eſſent viæ, non ſecus ac Auguſto menſe, cum inſana Canicula campos torret, quod apud nos prorſus inſolens eſt, ex quo factum, ut Boreæ penetrabile frigus ſata conſueto nivali vellere deſtituta mirum in modum exureret.

III. Morbi qui hiſce temporibus vagabantur erant apoplexiæ, pleuritides, peripneumoniæ, catarrhi ſuffocativi, anginæ, eryſipelata; præ cæteris tamen affectibus morbi pectoris graſſabantur magis, ac buſta implebant. Sanguis qui ſecta vena educebatur multum pituitæ, & polypoſæ concretionis præferebat. In noſtro hoc Noſocomio variis cadaveribus diſſectis, præcipue in cachecticis, ac demortuis ex morbo pectoris reperti ſunt polypi, non ſolum intra cordis ſinus, ſed etiam intra ipſam Aortam. Remedia quæ magis ex uſu erant, & quibus promptius morbus auſcultaret, ea fuere, quæ vi pollerent craſin ſanguinis compactam reſerandi, & fluxibiliorem reddendi, ut ſpiritus ſalis armoniaci, ſal volatile, cornu cervi, ſperma ceti, & ſimilia. Non deerant tamen qui cum alioquin ſcirent, quod ſulphur balſamum pulmonum paſſim audiat, in hujuſmodi affectibus ſpiritum ſulphuris exhiberent cum ſuis aquis pectoralibus; at num recte, & ex arte id agerent, ipſi viderint: indubium tamen eſt, quod partes integrales concreti longe diverſas poſſident qualitates ac ipſum concretum, ſicuti vero verius, ſpiritum ſulphuris alterius eſſe indolis ac ipſum ſulphur. Repetita ſanguinis miſſio non adeo felicem ſortiebatur eventum, ut alias. In hac tam rigida, ac horrida conſtitutione magis exercebatur plebs urbana, quam agreſtis, ac ſenes valde periclitabantur, quare Medicis ſæpenumero nil tale cogitantibus morbus plus habens in receſſu quam in fronte facile imponebat; nam ex improviſo, cum prius ſatis commode cœnaſſent, tanquam confecto ſilicernio, paulo poſt occumbebant, ac citius quibus detractus fuiſſet ſanguis.

IV. Horum affectuum tam multiplex, ac diſcolor ſylva ab eadem prorſus radice ſuccreverat, ac propterea eodem modo averruncanda; omnium itaque unam, ac eandem eſſe theoriam, ac praxim dictabat ratio; veram autem, ac potiſſimam cauſam fas erat referre in pravam diatheſim quam ſanguis haberet ad concreſcendum. Cum enim ex præcedentis anni frigida, & lutulenta conſtitutione, nec non ex pravo victu ob rei annonariæ auguſtiam, talis eſſet in univerſum maſſæ ſanguineæ diſpoſitio, mirum non fuit, ſi ſuccedente poſtea hyeme tam rigida, ac ſumme Aquilonari, majorem promptitudinem ad grumeſcendum adſciverit, unde pullularint morbi, qui ex ſanguinis ſtagnatione variis partibus, ob retardatum illius circularem motum, geneſium ſuam deduxerint.

V. Apoplexias autem, pleuritides, peripneumonias, catarrhos ſuffocativos, eryſipelata, ac reliquos memoratos affectus a ſanguinis ſtagnatione, ob prædictam ad concreſcendum diſpoſitionem generari, unanimis eſt recentiorum omnium conſenſus, quidquid circa horum affectuum theoriam in contrarium ſenſerint antiquiores Medici, qui in hujuſmodi affectibus partem aliquam mittentem robuſtam, & aliam recipientem imbecilliorem imaginabantur. Duplicem fluxionum cauſam commentus eſt Galenus: unam in qua pars ipſa humorem ad ſe traheret: aliam in qua humor a parte robuſtiori ad debiliorem tranſmitteretur. Hujuſmodi doctrinam primus forſan cœpit convellere Helmontius, nullam enim in fluxionibus partem mandantem, dirigentem, nec ſagittarium, aut ſcopum agnoſcit hic Auctor; qui tamen exemplo ſpinæ digito infixæ, & indignantis Archei, non ſatis expoſuit ob ignoratum ſanguinis circulum; quomodo fiant humorum decubitus, quod ſolum accidit eo quia præpedito, & intercepto ſanguinis per venas refluxu, vel propter fibrarum criſpaturam (ut in vehementi dolore) vel propter maſſæ ſanguineæ nimis craſſam ac denſam texturam, humores circa vaſorum extremitates, vel in carnium poroſitatibus detineantur; quare ſi congrue loqui velimus, detentiones potius, quam fluxiones ſunt appellandæ.

VI. Neque interdum exiguus labor mihi impendendus fuit, ut aliquibus a præjudiciis occupatis perſuaderem erroneum prorſus eſſe comminiſci, quod cum pars aliqua inflammatur, ac in tumorem aſſurgit, tunc humores majori impetu ad eam partem ferantur, quam ad alias; ſi vera eſt, non commentitia lex circularis motus ſanguinis, qua ſtante, ſtant ac ſtabunt perpetuo tot clariſſima recentiorum excogitata, quot in dies intercidunt antiquiorum placita; nam revera ſi mentis aciem intendamus, pigriori lapſu ſanguis movetur ad partem quæ inflammatione tentatur, quam ad alias ubi expeditæ ſunt viæ, ac nullum repagulum, quod ſanguinis curſum remoretur. Quidam autem res in cute ſolum, non intus reputantes, cum vident partem brevi temporis intervallo minorem attolli, ut in phlegmone, putant ſanguinem pleno fluento eo confluere, quod ſane locum habet, cum vas aliquod ſanguiferum diſruptum eſt, & in aliquam cavitatem ſanguis decidit, vel extra corpus effunditur; non ita vero in phlegmonum, & aliorum tumorum generatione, qui non aliam ob cauſam fiunt, quam quod, præpedito circulari ſanguinis motu, plus ſit quod arteriæ ad partem deferant, quam quod venæ referant, ſive id fiat ob lutulentam ſanguinis craſin, ſive ob fibrarum motricium criſpaturam ex vi dolorificæ paſſionis, ut in vulneribus, ac nervorum puncturis. Huic autem veritati fortaſſe manus darent, ſi cum brachio vinculum injicitur ad celebrandam phlebotomiam, veram cauſam perpenderent, quare infra nexum tumeant venæ una cum mole carnea, quod non fit, quia tunc temporis ſanguis eo rapidius moveatur, (multo enim velocius ante eo propellebatur ubi nullus erat obex, ac minor reſiſtentia ſuperanda) ſed quia ibi detinetur ob interceptum ejuſdem per venas ad cor refluxum.

VII. Haud abſimilis quoque eſt catarrhi generatio, de cujus natura ac ortu inter Medicos non ſatis convenit. Popularis, ac vetus opinio eſt, caput catarrhi fontem, ac ſcaturiginem eſſe; unde frequens proluvium in fauces & pectus, ac etiam uſque ad extremos artus. Opinionem hanc de catharri ortu, ac deſcenſu, ex quo etymon deſumpſit (cum non niſi deſcenſum, ac defluxum hæc vox ſonet) unde voces *καταῤῥόπος* & *ἀναῤῥόπος* a Galeno uſurpatæ, ut humorum deſcenſum, vel aſcenſum innueret, hanc, inquam, opinionem eliminarunt e ſcholis recentiores omnes Anatomici, ut Williſius, Richardus Louver, Stenon, Rolfincius, Etmullerus, Blancardus, ac inter Italos noſtros Doctiſſimus Bellinus. Hi omnes ad Anatomicum Tribunal, omnibus indiciis, quibus caput hujus criminis Auctor inſimulatur, diligenti examine perpenſis, nullaque apparente via, per quam caput ſordes ſuas in fauces, ac thoracem expuat, ipſum plenis ſuffragiis abſolvunt. Non deſunt tamen adhuc qui

Obſtipo capite, & figentes lumine terram,

Antiquorum placitum veluti mordicus tueri, nec deſinant in morbis pectoris caput non ſolus pharmacis, ſed ferro, & igne tanquam reum plectere. Per quos porro ductus cerebrum ſuperfluitates ſuas, quibus procul dubio diffluit, poſſit excernere, inter quærenda eſſe ait celeberrimus Stenon, niſi tamen per obſervatos a Blancardo ductus in jugulares venas fiat ejuſmodi excretio.

VIII. Catarrhi fontem non veriti ſunt alii aſtruere eſſe ipſum vitæ fontem, cor ſcilicet, quod per arteriarum ductus circumquaque catarrhi materiam deferat; hinc rheumatiſmi & tumores, & quidquid nomine fluxionum venit; quod aſſertum eſt Rolfincii, cui conſentiunt Schneiderus, Wedelius, & alii, qui catarrhum a maſſæ ſanguineæ ſero prodire variis obſervationibus teſtantur. Sat celebre eſt experimentum Richardi Louver de Cane, cui cum arcte venas jugulares vinxiſſet, partes omnes ſupra ligaturam tumefieri, nec non copioſas lacrymas ex oculis & plurimam ſalivam ex ore profluere obſervavit; quo tandem tanquam ex angina ſuffocato ac diſſecto, nullæ partes ſanguine perfuſæ repertæ ſunt, ſed ſolum muſculi omnes, & glandulæ ſero limpido diſtentæ apparuere. Ab hac opinione non multum diſſentientes alii glandulas catarrhi fontes ſtatuunt, ut Stenon, Etmullerus, & alii; ſi enim glandularum ſtructuram accuratius perpendamus, conſtabit eas eſſe faſciculum arteriarum, venarum, nervorum, & vaſorum excretoriorum; ideoque in illarum ſinum deponi ſerum ab arteriis, & ſuperflui aliquid a nervis: quæ opinio valde probabilis eſt, & uſibus glandulis a natura deſtinatis magis congrua.

IX. Hanc tamen doctrinam de catarrhi origine ex ſanguinis latice in glandularum ſubſtantiam rejecto ex Helmontio habemus, qui primus forſan caput inſons a catarrhi infamia vindicavit, ob quam tam ſæpe inurebatur. Hic enim Auctor, licet motum ſanguinis circularem ignoraret, mente tamen concepit, id quod credebatur e cerebro depluere nil aliud eſſe quam laticem ſeroſum huc, & illuc delatum *a ſpiritu impetum faciente, ac initio vitali*, ut ipſe ait, nimirum e corde, tanquam primo impulſore, quin & ad glandulas ipſas ablegari, quas non ut vaſorum pulvinaria eſſent, a natura conſtructas fuiſſe aſtruit, ſed ad emunctionem laticis e maſſa cruoris; ac re vera hic latex ſeroſus Helmontii, præter alios uſus hunc habet potiſſimum, quod ſanguini ſocius, ac totum corpus pervadens ad variarum partium culinas everrendas inſerviat, & ſales diſſolutos combibendos, ut exinde per glandulas excretrices extrudatur, & ſic tota cruoris maſſa defæcatior evadat. In hunc finem in palato, lingua, faucibus, & naribus copioſas glandulas natura conſtruxit, ut ſanguis arterioſus, qui per carotides ad cerebrum deferri debet pro nervoſi ſucci, & ſpirituum animalium elaboratione, ſincerior reddatur, mucoſa parte per has glandulas repurgata in ſtatu etiam naturali, quando alia ex parte conſtat, eos qui ſunt emunctæ naris, nec multum deſputores, lubricæ ſanitatis eſſe, ut referunt de Franciſco Galliarum Rege, qui cum eſſet *ἀμυξώδης*, aurium ulceri obnoxius fuit dum vixit.

X. Atque hæc quidem quotidiana per nares, & ex faucibus muci excretio iis etiam qui ſatis commoda valetudine fruuntur familiaris eſſe ſolet; cæterum ubi corpus cacochymum ſit, ac ſeroſus latex luxuriet, qui ſuopte genio promptus eſt ad concreſcendum, mirum non eſt, ſi accedente Boreali conſtitutione, qualis fuit, de qua hic ſermo, tunc temporis graſſentur populariter tuſſes, rheumatiſmi, & quodcunque aliud morbi genus, quod in fluxionum cenſu reponitur, detenta in glandulis vitiata, ac ſuperexcedente lympha, non ex naturæ providentia, quæ ſe hoc faſce levare ſatagens noxium humorem ad extrema detrudat, ſed ex mechanico partium artificio, ac particulari humorum textura, juxta varias aeris alterationes, ea lege, ut decubitus ibi fiant, ubi major eſt diſpoſitio ut humores detineantur. Neque id fieri in noſtris corporibus magis mirenur, quam in automate alioquin bene conſtructo, quod interdum ad quaſdam aeris alterationes a ſolito ſuo munere aberrat, & ab ignaro popello tanquam inſanum ridetur. Mira eſt autem, ac pene divina vis ventorum in aere alterando; talem enim affectionem aer poſſidet, qualem ventus qui perflat; ac talis eſt ſanguinis diſpoſitio; qualis eſt aer quem ſpiramus. Sic ut refert Vitruvius, apud Mitylenem (quæ Urbs in Lesbo erat quidem magnificenter extructa, ſed non prudenter poſita) cum flabat Auſter, homines ægrotabant; quando Corus, tuſſiebant; cum Septentrio, reſtituebantur in ſalutem. M. Varro quoque cum Romana Claſſis Corcyræ eſſet ac tota pene ægrotaret, *immiſſo feneſtris novis Aquilone, & obſtructis peſtilentibus, ſuos incolumes reduxit.*

XI. At quorſum tot ſpeculationes, inquiet aliquis? Ut juxta veram horum affectuum theoriam congrua medendi methodus inſtituatur, regeram ego; Ubi enim ingruunt hi morbi, qui non capite decidui, ſed ab humorum ſtagnatione pendent, illico ad vehementia cathartica, inuſtiones, phænigmos, cucurbitulas, ad narcotica quoque, ac mille alia remedia ad materiam fluentem revellendam, intercipiendam, derivandam, ſuſpendendam quoque, ut putant, ceratis capitalibus, confugiunt; Interim neglecta manet vera morbi cauſa, ad quam oppugnandam ſerio, ac omnibus nervis eſſet incumbendum,

ut

ut postquam sufficiens evacuatio est facta, usu alterantium, ad naturalem sanguinis texturam restituendum, fluidæ substantiæ æquabili tenore per suos ductus cursum repeterent. Quot vero modis per venæ sectionem peccatur? Jam phlebotomus veluti gladius Delphicus passim tam in magnis, quam in levibus morbis stringitur ad innocentes victimas sæpius mactandas, quam graves effectus jugulandos.

XIII. Postquam Mundo innotuit circularis sanguinis motus, scopi equidem quos in morbis, qui ab humorum fluxione pendere supponuntur, sibi proposuerant Medici, non tanti sunt ponderis ut creditur. Certe intercipientia locum nullum habent; quomodo enim quis intercipiat materiam ad partem per arteriam fluentem nisi arteriam ipsam vinciat? neque enim jure postliminii, aut redhibitionis actione redire potest humor unde est egressus nisi per circulum. Revulsio vero per V. S. de throno suo jam decidit; imo si stricte loquamur, fere nulla est, qui enim fiat, ut humor per arteriam fluens per eandem possit revelli? Profecto si qua fit per V. S. revulsio, per id solum tempus fit quo vena est aperta; tunc enim sanguis per venam sectam, ac pariter per proximam arteriam quæ illi humorem suggerit, majori velocitate movetur, quam per alia vasa; illa vero clausa, cessat hæc in velocitate inæqualitas, ut ingeniosissime ad demonstrationem usque explicat Bellinus. Non ibo tamen inficias, quin diminuta sanguinis copia minor humoris portio ad partem laborantem deferatur, & minus sit sanguinis stagnantis incrementum. Quanti autem sit facienda per V. S. revulsio, & quam facile quibusdam imponat, qui hoc nomine insicitiæ suæ velum præcedunt, explicat egregie Andreas Cnoffellius in quadam sua consultatione pro Jo. Casimiro Poloniæ Rege, cui ob immodicum hæmorrhoidalis sanguinis fluxum laboranti cum magni nominis Medici frequentem sanguinis missionem e brachio suaderent ad revellendum sanguinem fluentem ac ipse acriter renueret, hæc scripsit verba, quæ utpote elegantissima, & magni ponderis hic libuit apponere. *Et quomodo sanguini ad peremptoriam medicæ revulsionis citationem, dicam, & locum, scribere possumus, qui privilegio speciali vitalitatis in circulum, & in se ipsum rediens cum spiritu suo hospite nullius loci, & temporis leges respicit, neque locum standi ullum in universo corporis foro agnoscit?*

XIV. Revellenda itaque esset ex quorundam animis, quibus alte insedit hæc de vi revulsionis per V. S. opinio, cum revera non nisi ad demendam plenitudinem conferat venæ sectio. Condonandum quidem aliquid Æmilio Patisano, & Primirosio, qui non aliam ob causam, ut ait Leonardus e Capua, in Harvæum stylum acuerunt; nisi quia stante sanguinis circuitu viderent revulsionem, per tot sæcula adeo celebre præsidium, fere penitus corruere, non ita vero nostrorum temporum Professoribus in tam clara luce cæcutientibus. Multum profecto *Hippocrates* revulsioni in fluxionibus detulit, ut passim in illius operibus videre est; locus tamen insignis apud eundem extat, qui revulsioni videtur parum favere. Ad sistendum immodicum mensium fluxum jubet ille ut vincula injiciantur supra genua; verum quidem est, quod præcipit quoque ut eodem tempore vinciantur brachia; nodum hunc solvere annisi sunt Rotarius, & Fonseca, sed non plane satisfaciunt; meum sane non est hujusmodi scrupulos dissolvere, meliori enim vindice dignus est hic nodus, proferam tamen quod sentio. Quidquid sit de efficacia hujus remedii, & num eventui respondeat, videtur *Hippocrates* mente attigisse motum sanguinis perennem per suos ductus; multis enim in locis mentionem habet de sanguinis stasi, & interceptione venarum, quam φλεβῶν ἀπόλειψιν appellat; ut ergo fluxum catameniorum cohiberet, sanguinis stationem, seu saltem remoram aliquam humoribus impetrandam curabat, tam in partibus supra, quam infra cor, vinculis ad brachia, & femora injectis, nihil veritus quod ligaturæ supra genua ad uterum quicquam traherent. Ac re vera quid magis ex improviso hæmorrhagias sistit, quam supervenions animi deliquium, cui necessario consectaria est cordis a motu feriatio, ac eodem tempore sanguinis stasis?

XV. Sic autem ratiocinari nos cogit Divinum prorsus inventum circularis motus sanguinis, quod unicum φαννόχιον innumeras discussit errorum tenebras, effecitque ut humani corporis, cæterorumque animantium, quibus præcordia finxit Divinus Opifex, vera, ac genuina œconomia innotuerit. Cor enim nectaris vivifici, quo corpus universum sustentatur, promus, & condus est, habens ad latera arterias, & venas administras; Arteriæ e sinistro penu alimoniam depromunt, ac partibus omnibus, vel remotissimis dispensant. Venæ assidentes quod a nutritione reliquum fuit suis radicibus, tanquam manibus, recolligunt, & ad dexterum cordis condum comportant. Iisdem venis medio in itinere succenturiant venæ lacteæ, quæ novum commeatum sanguini sub forma candidi laticis refundunt, qui postea in pulmonibus admirando artificio purpurascit. Hæc est vitalis facultatis vera, & naturalis œconomia, cui non parvas suppetias fert animalis potestas, quæ pro beneficio purioris sanguinis ad cerebrum delati uberem spirituum influxum per nervos cordi suppeditat ad illius motum perennandum. Sic binæ istæ potentiæ, licet sedibus, & regimine distinctæ, tanquam fœderatæ Provinciæ, sibi invicem collata beneficia rependunt. Sicuti autem in civitate bene constituta, quousque legibus suus vigor præstat, summa tranquillitate degitur, iis autem pessundatis, turbarum plena sunt omnia, ita in humano corpore circularis motus sanguinis lege servata sarta tecta valetudo est, ea vero infracta, susque deque aguntur omnia, ac intestinæ seditiones subsequuntur.

XVI. Quamvis autem lex ista, quam primus tulit Harvæus, vel cujus prima fundamenta jecere Itali nostri, ut Andreas Cæsalpinus, Realdus Columbus Cremonensis, pro rata, immo sacra habeantur, non defuit tamen qui nuper legem hanc abrogare contenderit; is fuit Homobonus Piso Medicus Cremonensis, qui edito libello sub titulo *Ultionis Antiquitatis* circularem sanguinis motum tanquam recentiorum commentum traduxit. Hic mihi non vacat ejusdem rationes, ac fundamenta expendere; solum hoc innuam, quod illius primum argumentum ab hujus legis inobservantia petitum (eo quod Medicorum quotidiana praxis, præcipue circa usum V. S. suppositæ doctrinæ de sanguinis circuitu quicquam non respondeat) Professoribus incuriam exprobrat, quod equidem verum est; ac maxime dolendum, cum innumeri pene sint, qui passim crepent hunc circularem sanguinis motum, sed postmodum, vel ob insicitiam, vel oscitantiam, non bene pensitatis iis, quæ ex tali principio consequuntur, operibus tollant quod magnifico verborum apparatu statuerant. Verum cum huic malo medelam aliquam apponere sit necesse, Professor in hac Civitate mihi jamdudum conjunctissimus Opus jam molitur, cui hunc vult esse titulum. *Rationarium Medicum Sæculare, quo summatim, ac veluti facta supputatione apparet quid lucri ex celebrioribus Inventis Anatomicis hujus sæculi Arti Medicæ, tam quoad theoriam, quam quoad praxim accesserit.* Habent mercatores sua rationaria, sicuti & diligentes œconomi, habent & Principes, ut olim Augustus, qui diuturnæ valetudinis tædio rationarium Imperii Senatui tradidit; non abs re forsan erit si Medica Respublica rationarium suum habeat, quod monstret quantum Medicinæ pomœria ampliarit hoc nostrum fortunatissimum sæculum, & quod simul pro saniori medendi methodo inserviat. Hujus operis editionem usque ad finem hujus sæculi animus illi esset differre, spe forsan quod novo aliquo invento sæculum hoc coronetur, cum adhuc vivant multi egregii viri novarum rerum repertores, inter quos Celeberrimus Malpighius, qui Romæ nunc degit ad Pontificiæ valetudinis custodiam, verum ego non desino collegam hunc meum urgere, ut ad meditata serio incumbat, ac utinam eo usque illi fata vitæ lineam protendant, ut opus hujusmodi ad umbilicum deducat. Verum e diverticulis in viam.

XVII. In iis ergo affectibus, qui ab humorum fluxione fieri supponuntur, iterata V. S. ad tot scopos implendos totum corpus depeculatur, & morbi causam persæpe deteriorem efficit. Ubi enim vasorum plenitudini quæ vires premit, factum fuerit satis, seu ad humorum orgasmum sufflaminandum si adsit, sanguinis sufficiens copia detracta fuerit, satius profecto esset iis hærere remediis quæ sanguinis debitam crasin restituere nata sint. Certe in hac hyemali constitutione catarrhis obnoxia repetita V. S. non adeo salubriter cessit. Multos pleuriticos certo scio inopinato periisse, postquam bis, vel ter secta fuisset vena. Præ cæteris pius Sacerdos firmi alioquin habitus ex pleuritide laborans, postquam tertia vice extractus est sanguis, eadem die interiit. Non solum autem turpis est calamitas, ægrum epoto medicamento occidere, ut ajebat *Hippocrates*, sed etiam si detracto sanguine paulo post intereat. Senioribus vero in hac tam rigida tempestate periculosum fuit sanguinem etiam semel detrahere. Nobilis mulier nonagenaria, ex pleuritide spuria decumbens, cum instaret, ut sibi tunderetur vena, ac ego renuerem, alter Medicus accersitus illi morem gessit, & citissime eam sustulit.

XVIII. Ut constet quali cautione in senum regimine sit procedendum quotiescumque ab aliquo rheumatico affectu premantur, in Boreali præsertim constitutione, insignem oppido, ac notatu dignam *Hippocratis* historiam hic lubet apponere. *Halicarnassensis qui in domo Xantippi diversabatur aurem hyeme dolebat, & caput non mediocriter; erat autem annorum circiter 50. Vena secta est juxta Mneximachum, læsum est caput evacuatum, ac perfrigeratum, non enim facta est suppuratio. Phreneticus factus est, & mortuus.* Tot circumstantias hic apposuit *Divinus Præceptor*, ut credi possit, historiam hanc plus continere in recessu, quam in fronte; raro fit, nec scio, quod alibi in ullo ægrotante annorum numerum definierit *Hippocrates*, considerandæ igitur erat ætas ad senectutem vergens, anni tempus hyemale, humor peccans, crassus nempe, ac frigidus, ætati ac tempori congruens, qui obstructionem faceret, ac tensionem in parte, atque hinc dolor, ex alieno præscripto (mentionem enim facit curantis Medici, quod illi non adeo familiare) missus est sanguis, at quonam eventu? perfrigeratum est cerebrum, subsequente caloris nativi necrosi, ac prohibita est suppuratio; neque enim tanquam parergon, ut ait Vallesius, adjecit *Hippocrates* illa verba, *non facta est suppuratio*, pernicioſum enim effectum ex intempestiva V. S. secutum innuere voluit, prohibitam scilicet humoris maturitatem. Lethargicum autem potius, quam vere phreneticum factum fuisse interpretatur Vallesius; cum in libris Epidemiorum quoscunque delirantes phreneticos senex Cous appellare consueverit.

XIX. Sæpius quoque mihi advertere obtigit, quod in hac rheumatica constitutione, si febre superveniente missus fuerit sanguis, deterior factus fuerit affectus, ac etiam quandoque cum funesto eventu. Ut plurimum ubi catarrhi urgent, vel in pectore, vel quacunque alia parte, si febris superaccesserit, multis ex professoribus solemne est ad phlebotomiam, tanquam ad sacram anchoram, confugere. An tum navis securior? Periti nautæ ventis etiam adversis aliquando utuntur, ut portum fortiter occupent: Febris autem non tam horrendum est monstrum, quod etiam a perito artefice sub jugum mitti nequeat, nec sine aliquo emolumento. Est ubi febris sanguinis missionem hortetur, est etiam ubi dehortetur; sed opus est diorismo. Si nimis densam compagem sanguis adsciverit, & ad stasim aptus, vel in pectore, vel in capite restagnet, si febris postmodum accendatur, vel parce, vel nullo modo sanguis mittendus; sæpe etenim naturæ ipsi manu gladium abripimus, quo morbum se sola potuisset conficere; si vero contrariam diathesim sanguis habeat, & ob orgasmum aliquem ad διαχύσιν, seu diffusionem promptior sit, febris superaccedens V. S. hortatur. Locus est insignis apud *Hippocratem*, quem hic referre non abs re fuerit. Quicunque *derepente obmutescunt, si sine febre fuerint, ipsis Venam secato.* Solemne est *Hippocrati* in libris Epidemicorum illud verbum adjicere ἀπύρετος, magni enim ponderis ad rectam curationem est hæc consideratio, num affectus sit cum febre, vel sine febre; non solum enim a febris præsentia, sed etiam ab ejusdem carentia desumendæ sunt indicationes, ut in hoc loco *Hippocrates*, qui tamen interpretandus, ubi crassi humores naturam onerent, ac periculum sit ne calor innatus suffocetur. Videant ergo quantum a via, quam trivit *Hippocrates*, deflectant, qui a febre alicui affectui superveniente illico oblatum sibi scopum tundendæ venæ ad ravim usque conclamant.

XX. Præ oculis itaque semper habenda anni conditio; etenim sicuti in maxima frugum abundantia, *Annus est, non Terra quæ fructificat*, ut ait Theophrastus, ita in quibusdam temporibus non particularis corporum dispositio, sed anni constitutio ea est quæ morbos progerminat; attente idcirco observandum quam diathesim sanguis ascisçat, sive id in sensibiles qualitates, sive in insolita effluvia e terra expirantia referre placeat, & quænam remedia prosperum sortiantur eventum; sæpe etenim fit, quemadmodum scite advertit Tho. Sydenham, morborum epidemicorum accuratissimus Scriptor, ut qua methodo quis morborum quasdam species feliciter curaverit, veriente anno, eadem methodo deteriores reddat, quare idem Auctor ingenue fatetur, se nunquam satis caviſſe, ne qui primi se illius curæ commisissent, vita periclitarentur, donec multiplici obser-

vatione, ac perſpecto morbi genio, ad veram curationem recto pede procederet. Sic phlebotomia, quæ alias in memoratis affectibus ſalubris eſſe conſueverat, in hac conſtitutione non inſignem operam præſtitit, quod procul dubio referendum erat in prægreſſam antecedentis anni conſtitutionem frigidam, ac nimboſam, & ſubſequentem hyemem nimis horridam, ob quam adeo craſſam compagem ſanguis contraxerat, ut ſi plus æquo detraheretur ſanguis, & calor innatus labefactaretur, humores ad motum ineptiores redderentur, ac facilius concreſcerent. Talem autem fuiſſe ſanguinis texturam ejuſdem ſanguinis conditio multam pultem in ſuperficie præ ſe ferentis, nec non multi polypi in diſſectis cadaveribns ac deuatis ex catarrho intra cordis ſinus, & ipſa vaſa ſanguifera reperti, ſatis demonſtrarunt.

XXI. Frequens autem hiſce temporibus in demortuis ex repentino caſu polyporum obſervatio, ſi non aliud, id ſaltem præſtat, quod vera quorundam affectuum cauſa innoteſcat, & culpa vacare credatur Medicus, ſi monſtret quam mala beſtia cubet in præcordiis. Id præterea conſequitur, ne diverſa morborum nomina nobis imponat; Syncope enim cardiaca, catarrhus ſuffocativus, & apoplexiæ ſpecies quædam non aliam perſæpe agnoſcunt cauſam, quam polypoſas concretiones in corde, vel in vaſis ſanguiferis ſtabulantes. P. Salius particulare caput de ſyncope cardiaca inſtituit, aitque illam fieri ex ſanguine in venis, & arteriis coaleſcente, ſic caſum refert puellæ ſubita morte extinctæ, cujus cadavere diſſecto, ex arteria magna ſanguis concretus eductus eſt, non aliter quam gladius e vagina extrahi ſolet. Refert quoque Riverius puerum 5. annos natum ex catarrho decumbentem, poſtmodum lypothymia correptum ſubito interiiſſe, aperto vero cadavere, in ſiniſtra cordis auricula materiam craſſam, & compactam repertam fuiſſe, quæ, ut ipſe ait, laridum coctum referret, cui polypi nomen non indidit hic Auctor, cum nondum in Microcoſmico Erythræo polypos expiſcata eſſet Anatomicorum ſolertia. Nuper apud nos vir ſexagenarius, præpinguis habitus, ſubita morte oppetiit, diſſecto cadavere ad explorandam mortis cauſam, ex pericardio fere duæ libræ concreti ſanguinis extractæ ſunt, ac in trunco arteriæ magnæ aſcendentis inventus polypus lacertulæ longitudinem, & magnitudinem referens. Intercepto itaque ob hujuſmodi extranea corpora ſanguinis in orbem itu, ac reditu, & mutuo inter cor, & cerebrum interrupto commercio, non ſuggerente corde ſanguinem cerebro per arterias pro ſpirituum animalium generatione, nec cerebro cordi ſpiritus animales ad perennandum illius motum (quando cordi a motu nullæ ſunt feriæ) neceſſe eſt, ut ſubitus ſubſequatur interitus. Caſus autem hujuſmodi, vel a ſyncope cardiaca, vel a catarrho ſuffocativo, vel etiam ab apoplexia fieri dicamus, parum refert. Binas apoplexiæ ſpecies ſtatuit Heurnius, unam quam parvam appellat, ac ait fieri ob φλεβῶν ἀπόλειψιν, ideſt ob prohibitum ſanguinis in cerebrum influxum, alteram magnam ob interceptum ſpiritum animalium e cerebro effluxum. Tres vero apoplexiæ ſpecies ex *Hippocratis* doctrina tradit Martianus, quas tamen in eſſentia convenire, & a ſanguinis στάσεως pendere autumat, quæ quidem ſanguinis ſtatio a polypoſo craſſamento induci poteſt, cujus generatio, ut ut non ſit momentanea, accedente tamen aliqua cauſa, quæ ſanguinem in motum rapidiorem cieat, & præexiſtente prava totius maſſæ ſanguineæ diſpoſitione ad grumeſcendum, mirum non eſt, ſi ſanguinis ſtagnationes ex improviſo contingant, ac interrupto ſpiritum vitalium radio, qui a corde jugiter influunt, cerebrum, lunare ſydus microcoſmi, eclypſim patiatur. De hac apoplexiæ ſpecie, in qua morbi cauſa eſt extra cerebrum, pluribus in locis agens *Divinus Præceptor*, in libro de morbis hæc abet ipſa verba, quæ utpote notatu digna, ſanguinis circuitum adumbrantia ex nativo fonte hic transferre placuit. αἱ φλέβες ἐπὴν ἐς ἑαυτὰς ἐρύσωσι φλέγμα, ἀνάγκη ὑπὸ ψυχρότητος τοῦ φλέγματος, τὸ αἷμα ἐς ὄναι μᾶλλον ὑῶ..... μὴ κινεῦμένου δὲ τοῦ αἵματος ἐχ οἷοιτε μὴ ἔχι, ὢ τὸ σῶμα ἀτρεμίζειν, ναὺ κεκοφῶσθαι. id eſt, *poſtquam venæ pituitam in ſe ipſas traxerint, neceſſe eſt præ pituitæ frigiditate ſanguinem tunc magis ſiſti.... dum autem ſanguis non movetur, fieri non poteſt, ut non etiam corpus quieſcat, ac torpeat.*

XXII. In apoplexia, ac præſertim ubi in paralyſim degenerat, ſæpius obſervavi, modo loquelam amitti, voce ſuperſtite, modo utrumque, quod quidem obſervatione dignum, tum ad prognoſim, tum ad curationem, non enim idem ſunt deſtitui loquela, ac voce deſtitui, αὐδὴ loquela ſignificat, φωνὴ vocem, quæ duo diverſis organis perficiuntur, ſermonis enim lingua eſt dædala, vocis autem larynx, & trachea. Obſervatio doctiſſimi Wiliſii eſt, ad gravis vocis efformationem truncum aſperæ arteriæ deprimi, ad vocem autem acutam efformandam ſurſum attolli, quem motum alternum præſtari ait a ramulo nervi recurrentis cartilagineos annulos deorſum trahente, & a nervo altero a plexu paris vagi eoſdem ſurſum attollente; ſic exolutis nervis ad linguam pertingentibus ἀναδία ſubſequitur, ἀφωνία vero ſi exolvantur qui ad laryngem, & tracheam dimittuntur: poterit ergo aliquis eſſe ἄναυδος, & non ἄφωνος, ut muti, ac infantes recens nati, qui ſonos edunt licet non articulatos, non tamen e converſo poteſt eſſe quis ἄφωνος, & non ἄναυδος. Quare *Hippocrates* in hiſtoria Pythionis, qui poſtea die 10. mortuus eſt, ſcripſit hæc verba: *Circa veſperam omnia exacerbata ſunt*, ἄναυδος, ἄφωνος. Loquela deſtitui malum quidem ſignum eſt, pernicioſius vero etiam voce privari, idcirco *Divinus Præceptor* ut peſſimum Pythionis ſtatum indicaret, has binas voces appoſuit. Æque vero tam aphonia, quam anaudia fieri poſſunt, tum ob exolutionem, tum ob convulſionem; procul dubio Pythione aphonia convulſiva erat, nam die 6. dolores vehementes ipſum tenebant; in hoc itaque diſtinguuntur, quod aphonia quæ intenſione conſiſtit, fatalis eſt ad crudeliſſimam mortem; quæ vero in exolutione, moriendi ſenſum adimit, ut ait doctiſſimus Duretus. Cum itaque ob nervorum, & muſculorum vocalium tenſionem, quam ob laxitatem fieri poſſit aphonia, quotieſcunque illa appareat, diligenter advertendum num convulſoria ſit, vel exolutoria, ut apta remedia præſcribantur, τάσις enim, & λύσις contrarii ſunt affectus. Sæpe autem fit, ut ſi in maligna febre aphonia ſuperveniat, ad aliquam excuſationem apud vulgum aucupandam ſoleant nonnulli magna utique confidentia pronunciare, ægrum apoplectico inſultu correptum fuiſſe, cum tamen aphonia illa convulſiva ſit; perraro enim in acuta febre aphonia apoplectica ſuccedit, quod tamen aliquando obſervatur, & qualem caſum nuper habui præ manibus. Vir enim robuſti alioquin habitus, poſt 12. paroxymum tertianæ febris factus eſt ἄναυδος, ἀ ἄφωνος, reſoluto eodem tempore brachio, & crute dextro; ac jam vocem ex integro recuperavit, ſed nondum perfectum ſermonem. Narrat Foreſtus, textorem quendam ob leve vulnus in extremitate pollicis in dextra manu obmutuiſſe, quem veluti linguæ paralyſi affectum a ſe curatum ait; ego autem pace hujus celeberrimi viri, crediderim obmuteſcentiam illam ortam fuiſſe potius ex convulſione linguæ: nam æger ille & nutu, & ſcripto, ut idem Auctor refert, indicabat ſibi linguam tamquam filo conſtringi.

XXIII. Atque hi quidem vagabantur affectus ob ſuperius memoratas cauſas, quibus addendum, quod cum anni prava conſtitutione conſpiraverat rei annonariæ penuria, quæ ſola potis eſt craſſis humoribus corpora infarcire, ob prava alimenta, ac præcipue ob uſum leguminum, quæ ſuapte natura ægre coquuntur, unde cacochymia; propterea urgente frugum inopia, caute uſurpanda magna remedia, præſertim in popularibus, quod in praxi diligenter obſervandum. Sicuti enim ex *Hippocrate* difficulter ferunt purgationes qui pravo utuntur cibo, eo quod illorum corpora, ut Galenus interpretatur, cito exolvantur, vel ob ſyncopem ſtomachicam, in quam facile incidunt cacochymici ubi purgantur, ut Heurnius, haud ſecus per V. S. quoque in ſummum diſcrimen adducuntur, uti frequenti obſervatione mihi compertum. In quibuſdam oppidis hujus ditionis, ac præcipuæ Caſtrovitti, & Scandiani, idem accepi, quod apud Ænum civitatem Thraciæ ob annonæ caritatem eveniſſe ſcripſit *Hippocrates*, ut multi ob uſum leguminum, acervi præſertim, in crurum exolutionem inciderint. In hujuſmodi ergo calamitatibus cautum eſſe oportet Medicum, nec adeo liberalem in profundendo humano ſanguine, uti quibuſdam aliis temporibus. Ad has itaque circumſtantias, & præcipue ad anni conſtitutionem, tanquam ad verſoriam, mentis acies potius convertenda, quam ad decerpendum ex libris generales morborum curationes, ne vetus parœmia obtrudatur, *Nauta ex libro*.

XXIV. Quare autem plebs urbana in hac conſtitutione prædictis affectibus magis obnoxia fuerit, quam agreſtis, id forſan factum crediderim, quod ruſticana gens vitam actuoſiorem degens, ſanguinem magis fluxilem haberet, ac minus aptum ad ſtagnationem, ſeu quod in rurali epidemia in altera mea Diſſertatione deſcripta, febres diuturnæ, quæ agreſtem populum exercuerunt, vicem Criſos ſuppleverint, ſanguinis fæculentiam ſenſim repurgando, ac ad meliorem craſin totam maſſam humoralem perducendo.

XXV. Circa æquinoctium cœpit frigus miteſcere, ac tam ſubita facta eſt permutatio ab intenſo frigore ad immoderatum æſtum, ut ab æquinoctio uſque ad Martii finem calor haud multum diſtaret ab æſtivo, ſole in occaſu flammeo apparente, non ſecus ac Auguſto menſe; ſubſecuta quidem poſtmodum Aprilis menſe aliqua caloris remiſſio, ſed firma ſemper, & conſtans perſtitit ſiccitas, ſereno, ac præſudo cælo; cum itaque nulli prorſus imbres per totum Aprilis menſem decidiſſent, non lenis timor omnes corripuit de anno parum frugifero, non modici tamen ſolaminis erant plantæ omnes fructiferæ floribus paſſim albeſcentes, quæ fructus tum præcoces, tum horæos abunde pollicebantur, uti revera contigit, hoc anno laboranti Cereri ſuccenturiante Pomona. His addebatur, quod calor non proportionate ad ſolis acceſſum augeſcens ſiccitatem in dies auctiorem reddebat, quare toto Vernali tempore terra non minus arida, ac dehiſcens viſebatur, quam cum *findit Canis æſtifer arva*. Perſeverante pariter Majo menſe hac arida conſtitutione, niſi identidem, ac ſporadice modicis imbribus delapſis, magna herbarum inopia hoc anno laboratum eſt; fabis quoque ac omnibus fere leguminibus ob humidi defectum arefactis, exigua quoque ſpe ſuperſtite, quod eandem ob cauſam triticea meſſis ad bonam frugem perduci poſſet.

XXVI. In hac Vernali tempeſtate, ac præcipue in prima Veris parte, iidem pectoris morbi, non adeo tamen graves, ut hyeme, perſeverarunt. Sub finem autem Veris tertianæ febres, tanquam ſpicilegium prægreſſæ meſſis, caput denuo extulerunt. Nunquam apud nos annus ſcabioſior viſus eſt, omnibus fere urbanis, ac ruricolis quoque, fœda ſcabie laborantibus, quæ neque ad iteratas purgationes, neque ad repetitas phlebotomias quicquam miteſcebat; Sanguis qui ſecta vena educebatur, multum ſeri flavi præferebat, ac urinæ valde coloratæ apparebant. Haud ſecus quam anno elapſo magna fuit animalium ſtrages, ac pecudum præcipue, ita ut ovillus grex totus pene deletus fuerit.

XXVII. Quoniam nullus morbus adeo popularis eſt ac ſcabies (ſi tamen illam in morborum claſſe licet reponere, quando Hippocrates ſcabiem turpitudinem potius, quam morbum appellat, & Plato malum vocat mixtum ex dolore, & voluptate, ac propterea græce dicitur πάθως γλυκύπικρος) quoniam inquam, nullus affectus adeo familiaris eſt, & qui medicos conatus magis eludat, ut hinc anſam captarit Helmontius vulgarem Medicorum praxim traducendi ſub titulo *Scabiei*, & *Ulceris Scholarum*, perfricemus paululum, ſi licet, hoc ulcus. Ingenuo pudore profecto fateri licet, nihil fere laudis medicinæ profeſſoribus ex ſcabiei curatione accedere; imo non raro iis palmam præripi a ſuperveniente vetula, quæ ſolo linimento interdum præſtat, quod magna remediorum ſupellectile præſtitiſſe non potuerunt qui morbos Herculeos ſe perdomuiſſe deprædicant, quin interdum, ut ait Poeta:

Inque ipſos ſæva medentes
Erumpit clades, obſuntque Auctoribus artes.

Quam labem omni ſtudio, ac juxta omnes Policitæ regulas a ſe debet arcere ex Galeni conſilio quiſquis Medicus; nam ſcabies, ut idem ait, cum deformes reddat quoſcunque tenet, multo magis Medicum Clinicum deformem, & hortendum efficit, cui hac fœditate laboranti obtrudi poſſit dictum illud Poetæ Tragœdi, quod affert Plutarchus:

Ἀλλ' ἄν ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων;

id eſt *Aliis medens, at ipſe ulceribus ſcatens.*

XXVIII. Scabiei curationem ſolis topicis eſſe perficiendam, ablegatis omnibus internis remediis, quæ corpora incaſſum fatigant, vult Helmontius: obſervans enim quam facili negotio corpus exacte ſanum ex ſolo contactu alicujus ſcabioſi infici poſſit, credidit ſcabiem pendere a pravo cutis fermento, quod ejuſdem alimentum corrumpat, nequaquam vero ab interno viſcerum vitio, quare ſolis topicis ſuadet abigendam; aſt hujuſmodi opus periculoſæ plenum aleæ merito cenſetur. Balloni itaque celeberrimi Practici conſilio hærere placet, qui cum diorismo procedens explicat ex mente Hippocratis, quando ſcabies ſit morbus, & quando abſceſſus, hoc eſt rectam ſemitam indigitat, qua Medicus certo pede ad ſcabiei curationem procedat. Lubet autem hic ipſum Hippocratis locum afferre: *Impetigines*,

nes, & lepræ, & vitiligines albæ, quibus quidem Juvenibus horum factum est, aut paulatim conspectum multo tempore augescit, his non putare oportet abscessum esse, eam papularum eruptionem, sed morbum, quibus vero horum aliquid est factum multum, & derepente, hod sane fuerit abscessus. Hunc locum pariter observans doctissimus Mercurialis, *Quid sit*, ait, *abscessum esse, & non morbum, atque e converso, non omnes intelligunt.* Scabies itaque, aliique cutanei affectus in morborum classe sunt recensendi quando paulatim fiunt; quando vero confertim, ac præcipue post gravem aliquam ægritudinem, non morbi nomine, sed Ἀποστάσεως insigniri debent; est ergo in scabie, ubi liceat solis topicis incumbere, ait Ballonius, cùm nimirum scabies est solius cutis morbus, est etiam ubi necesse sit internis partibus prospicere usu purgantium, & alterantium, ac nefas sit solis topicis scabiem exterminate velle, hoc est cum scabies est alterius morbi soboles, ut in cachexia.

XXIX. Chronicorum affectuum eam esse naturam, ut qui *hyeme augescunt, æstate desinere soleant, qui vero æstate, hyeme finire debeant*, scripsit Hippocrates. Hanc autem esse scabiei indolem, ut hyeme luxuriet, ac magis sæviat, æstate vero evanescat, vere saltem mitescat, jam norunt omnes. Quando igitur scabiosus aliquis curandus suscipitur, libere protestandum esset, non institui curationem, nisi ut facilius æstivo tempore tam fœdus morbus extirpetur, atque hanc esse hujus pestis naturam, apud nos saltem (de lepra non loquor morbo Ægyptiis endemio, ut refert P. Alpinus, ob aquam cœnosam, & salinos pisces, quorum usus apud illos valde familiaris est) ut æstivi caloris beneficio facilius, quam cicoraceis abigatur; satis abunde testante experientia, quod nulla prævia purgatione, vel phlebotomia, ulloque alio remedio, quotquot agrestes per hyemem scabie laborarint, superveniente æstate, non secus ac angues, psoræ exuvias deponant, ac illis niteat *assiduo curata cuticula Sole*. Verum hujusmodi protestatio ad avertendam calumniam quandoque non satis est. Laborabat olim F. Petrarca sicca scabie, ut ipse refert, ac postquam a medicamentorum diuturno usu se frustra exhaustum videret, Medicos, quibus ex sua natura infensus erat, objurgare cœpit, ac iis respondentibus, expectandam esse Æstatem, ira percitus eosdem dimisit his verbis: *Ego autem neque Medicis credo, neque ab Æstate spero quicquam, sed ab illo, de quo scriptum est: Æstatem, & Ver tu plasmasti.* Psoræ itaque potissimum remedium ab æstivo calore pendet, qui potis est novam crasin in massam sanguineam invehere, ac illam particulis spirituosis saturare, quo pacto acidum illud luxurians, quod cutem exarabat, infringitur. Purgationes itaque ut ut repetitæ, iteratæ V. S. illitiones, Balnea, & omnis medicus apparatus persæpe præstare nequeunt quod solus aer æstivus. Cum hoc Vere cuidam docto Amico meo levem purgationem ad sanandam scabiem, qua vexabatur, præscripsissem, nec ideo melius haberet, ac illo urgente quid agendum supereesset, per jocum remedii loco dictum illud Satyrici adduxissem:

Durate, atque expectate Cicadæ. Ille ad me convetsus; & Tu quoque, inquit, ad græcas Calendas honorarium expecta.

XXX. Utriusque casus duo habemus notatu digna exempla apud *Hippocratem* in libris Epidemiorum, quæ hic lubet afferre. *Latæ pustulæ non valde pruriginosæ, quales Simon habebat hyeme, qui ubi ad ignem inungeretur, aut calida lavaretur, opem sentiebat. Vomitus non proderat.* Manifestum specimen hinc habemus scabiei cum morbus est; nam ex facta inunctione, vel in ipsa hyeme, opem sentiebat; si enim scabies illa fuisset abscessus, ac alterius morbi productum, non solum ex intempestiva unctione nil opis sensisset, sed gravem noxam expertus fuisset. Observanda quoque illa verba: *Vomitus non proderat;* signum evidens, corpus illud fuisse sanum, ac totum vitium in externis corporis partibus extitisse. Corpora sana difficulter ferre purgationes effatum est ejusdem *Hippocratis*, qui pariter ubi fauces ægrotant, aut tubercula in corpore nascuntur, præcipit ut dejectiones inspiciantur, quæ si sint similes sanis, ait, tutum esse corpus alere, sin minus, purgationem instituendam; fieri enim potest, ac sæpenumero contigit, ut corpore sano intus existente tubercula in cute progerminent,

XXXI. Exemplum aliud scabiei, prout abscessus dici meretur, sequens est: *Homo quidam Athenis prurigine toto corpore vexabatur, & cutis crassa erat & velut lepra aspectu: huic nemo opitulari potuit: transgressus ad Melum, ubi sunt calida Balnea, a pruritu quidem, & cutis crassitudine liberatus est, sed hydropicus factus mortuus est.* In hoc casu certe affectio illa pruriginosa abscessus erat, ac fructus morbosæ radicis in viscera implantatæ; vel immoderate, ut putat Vallesius in Commento, aquis illis thermalibus usus fuerit homo ille, ut suffocato innato calore cessarit illa peccantium humorum excretio ad cutem ablegari solita, vel ut verisimilius interpretatur Martianus noster, aquæ illæ sulphuratæ essent, ac propterea, ut idem ait: *Densata a balneo cute humores præritum excitantem ad hepar retrocedentes scyrrhum induxerint*, ex quo factus fuerit hydropicus, satis sit quod illi magis consultum fuisset, prospexisse ad id quod latebat intus, quam quod in cute apparebat.

XXXII. Ut ad rem nostram hactenus dicta applicemus, popularis hæc scabies in classe abscessuum profecto erat collocanda, utpote productum præcedentis constitutionis nimis pluviosæ, nec non & pravi victus ob annonæ caritatem; sic refert *Galenus* sua ætate cum plurimas Romano imperio subditas gentes vexaret fames, ac frigus omnibus in urbem asportatis, agrestes, quibus relicta fuerant solum ὄσπρεια καὶ χέδροπα, ac etiam in exigua copia, ut fruticum germinibus, & bulbis vesci cogerentur, omnes sub Veris finem a variis cutaneis affectibus conflictatos fuisse, quorum alii erysipelas referrent, alii herpetem, & alii psoram, impetiginem, & lepram. In hac itaque nostra populari scabie solis topicis fidere tutum negotium non erat, & quotquot sive sponte, sive alieno consilio scabiem unguentis antipsoricis abigere tentarunt, id suo periculo sunt experti. Rem oppido notatu dignam hac occasione mihi observare obtigit. Novi multos, qui tædio hujus fœdi morbi unguentis scabiem exterminare etiam in ipso Vere tentarunt, sed postmodum scabie retropulsa febre correptos, urinas nigras, & suliginosas illico reddidisse; cum autem usu remediorum humores ad cutem propellentium reproduceretur scabies, urinæ sanis similes reddebantur; denuo autem retrocedente scabie, vel rursus erumpente, hæc reciproca in urinis apparebat mutatio; quamvis autem hujusmodi urinæ cum parva febre, quæ malignitatis speciem aliquam præferret, me suspectum non parum haberent, solicitus tamen circa scabiei reproductionem semper bonam spem alui, & quotquot habui præ manibus, vidi tandem a morbo superstites. Animo autem versans quare ad scabiei retrocessionem urinæ redderentur suliginosæ, id fieri posse credidi, quod acidum in cute luxurians, & psoram efficiens, ob factas illitiones haud amplius expirans, & venis resorptum, & cum alchali sanguineo permixtum serum sanguinis acredine infuscarit, non secus ac quando limpida vitrioli solutione cum infusione gallæ permixta, atramentum conficitur. Pro regeneranda vero scabie non semel, nec sine prospero eventu usus sum remedio a Zacuto Lusitano proposito, & ab Etmullero commendato, jubendo, ut æger, cui retrocessisset scabies, decumberet in linteis ab aliquo scabioso infectis. Remedia porro quæ magis ex usu fuere, si non ad scabiem extirpandam, saltem ad eam moderandam, ut superveniente æstate facilius aboleri posset, fuere præsertim ea quæ ex viperis parantur, quibus multos vidi feliciter sanatos. Ubi liceat igitur internis remediis uti ad scabiem radicitus extirpandam, nihil profecto consultius quam ad diaphoretica confugere, non secus ac fit in lue gallica; sicuti enim inter hos duos affectus magna est cognatio, ita eadem fere methodo curandi. Sic Heurnius ad psoram debellandam, purgatis prius noxiis humoribus, ligni Indici, ac salsæ decoctum valde commendat; ait enim quod hoc remedio facile expirat concepta in habitu corporis contaminatio.

XXXIII. Horrent nonnulli in scabie, aliisque cutaneis affectibus, cane pejus & angue viperina remedia, veriti ne excedens caliditas & ustionis nota hepati, & toti massæ sanguineæ imprimatur; ast ego magis horreo nimium refrigerantium usum, nec quenquam novi, qui exhaustis integris ptisanis, seu post diuturnum seri, & cicoraceorum usum a scabie, ut ut sicca, & arente, liber evaserit; scio equidem pene assiduas esse scabiosotum querelas de nimio calore, tum interna, tum externa perurente, at iis præbendæ non sunt aures; graviter quoque pueri, quibus perniones ob violentum frigus oborti sunt, de nimio calore in pedibus conqueruntur, nec sine ratione, ob subsecutam aliquam inflammationem, an ideo in pernionibus applicanda refrigerantia? Cordati Medici ergo erit morbi causam animose aggredi, sanguinis vitiosam crasin emendando, remediis potissimum quæ illius acorem temperent, qualia sunt ex viperis parata, quæ sale volatili abundant. Quidquid sit de viperæ temperie, de quo consulatur Jo. Baptista Spontonus in sua Echidnologia, experientia satis planum facit, nihil esse ad psoram, ac lepram quoque perdomandam efficacius, quam viperina medicamenta (quando tamen id agere liceat, nec satius sit hunc hostem inquilinum alere) nec adeo nos solicitos esse debere, ne plus æquo inclalescant viscera, dummodo tam fœdi morbi eminium penitus restinguatur. At nunquam cessaret scalpendi libido, tam ferax est observationum hæc materia, nisi ad alia festinaret calamus.

XXXIV. Exacto Vere, Æstas successit adeo fervens, ut nunquam huic similis visa fuerit, idque præsertim Canicularibus diebus, quo tempore præter modum aer excanduit caliditatis excessu supra reliquos annos, ut Thermometri loquebantur, ad multos gradus ascendentes. In hisce ardoribus identidem cecidere pluviæ, sed nihilo secius remittebatur æstus, qui constans perstitit per totum fere Septembris mensem; hac Æstate nullatenus spirarunt etesiæ, unde a continuo æstu nullum levamen, hanc ob causam multa animalia, ac præsertim canes, agebantur in rabiem. Nunquam alias cecidere crebriora fulmina, a quorum uno ictus est agricola, indumentis omnibus perustis, præter lora coriacea; is ad nonnullos dies attonitus jacuit, sed postea sine ullo remedio in se rediit, & adhuc superstes est. Hisce temporibus febrium cohors derepente incubuit, ac passim per vulgus grassabatur, ut integræ familiæ eodem tempore febricitarent, densiorque erat ægrotantium numerus ea in parte civitatis, ubi magis patulæ sunt viæ, ac humiliora tecta. Quotquot milites in arce reperti sunt, simul ex febre decumbebant, ut rusticanam militiam accersere oportuerit ad illius custodiam. In septo Hebræorum, ubi vici angusti, ac ædes altissimæ, caliganteque fenestræ, nulli fere hoc saltem tempore ægrotarunt, cum tamen cæteris annis primi sint recutiti, qui æstivarum ægritudinum impetum sustineant. Ruricolæ, licet diurnis laboribus ad solis radios fere in sudores solverentur, cum tamen sub dio suis in plaustris per noctem somnum captare soleant, immunes ut plurimum degebant; sola itaque plebs urbana, & omnes, quibus & domus, & res angusta domi esset, exercebantur; salubris tamen erat morbus; nam febres istæ tertianæ intermittentes erant, ac ut plurimum exquisitæ, & quæ die septima, ac etiam citius, post unam vel alteram phlebotomiam per sudores judicarentur. Nullus annus Medicis quæstuosior, & glorioſior unquam fuit, cum ægri omnes ferme incolumes evaderent; medicum tamen parumper temperavit Autumnus θανασίματος; nam protractiores erant febres, & aliquando in malignas degenerabant. Remedia cordatis Medicis erant venæ sectio, & frigidæ usus, hæc enim utranque paginam, ut dici solet, implebant, qui vero parva attollentes, ut plura viderentur præstitisse, vel ut Septasiarios benevolos haberent, cardiacis calidioribus usi sunt, tanquam camino oleum addentes, ægros in extremam perniciem præcipitarunt. Limonum succus, spiritus vitrioli, sulphuris, & similia erant egregiæ cardiaca; diversis itaque artibus, ac diverso telorum genere, cum hoc febrili exercitu congrediendum fuit. Anno superiori hostis irritandus erat ad pugnam; hoc vero illius impetus parumper sustinendus, & acutis telis frangendus, qualia sunt acida omnia. Sanguis qui secta vena educebatur, spumeus erat, & croceus, urinæ similiter multa bile saturatæ. Multis ex febricitantibus papulæ apparebant in cute, ac præsertim pueris, quales efflorescentiæ Variolarum erant veluti prodromi. Variolæ quidem per æstatem paucos sustulerunt, ast autumno, & in prima parte hyemis paucis perpecerunt, ac minus iis quibus detractus fuisset sanguis. Multis tertianæ febres in quartanas migrabant; sicuti autem præcedenti anno Peruviani corticis usus in quartanis, ac diuturnis febribus improspere cessit, ita hoc anno saluberrimus fuit, & ii qui passi sunt recidivas febres mitiores postmodum experti sunt, ac antequam Hyems accederet, perfecte convaluerunt. Ubi primum æstus cœpit mitescere, quod circa Æquinoctium contigit, visa est pacata febrilis tempestas, quæ sensim in summam tranquillitatem cessit, adeo ut duobus postremis decedentis anni mensibus in foro Medico pene continuæ essent feriæ.

XXXV. Hujus febrilis tempestatis causam saltem occasionalem in immodicum aeris æstum referre placuit, qui potis fuerit bili nimiam acrimoniam adscisere, ut cum succo pancreatico, minus apte, quam par est, ebuliret, & in massa sanguinea febrilem efferveſcentiam

tiam cieret. Neque mirum ſit, quod exiguo tempore adeo permutata fuerit ſanguinis, & omnium fluidorum craſis: magna eſt enim vis caloris, quidquid Helmontius dixerit, calorem qualitatem Rerollæam appellans. Multa quæ ſuapte natura dulcia ſunt, ad ignem amareſcere, alia vero magis dulceſcere quotidie obſervamus; ſic ut ait Gal. Lac coctione eam dulcedinem acquirit, quam mel deperdit. Vinum quoque per totam hyemem, ac etiam Vernum tempus, nativam dulcedinem ſervans, ubi Æſtatem ſenſerit auſterum fit, niſi in hypogæis, & frigidioribus locis aſſervetur. Calor itaque ac frigus, ſive ſint cauſæ immediatæ, ſive excitantes, & occaſionales, ſubitas mutationes, in noſtris corporibus parere poſſunt & humorum texturam, citius quam quis putet, invertere. Narrationem oppido curioſam apud Lucianum habemus de febre quadam Tragœda (ſic enim illam appellare liceat) quæ Abderitas temporis fere momento invaſit. Egerat Archelaus Poeta Tragicus media Æſtate, multoque æſtu, apud Abderitas, Euripidis Andromedam, ex quo factum, ut multi ex Theatro febricitantes exierint, ac univerſi poſtmodum febre graviſſima correpti fuerint, quæ die ſeptima plurimo ſudore erumpente, nec non ſanguine e naribus profluente, ſolvebatur, ſuperſtite tamen ridicula quadam mentis perturbatione; nam ut refert Auctor, *omnes quaſi ad Tragœdias agendas impellebantur, & jambica perſonabant, multumque vociferabantur, maxime autem Euripidis Andromedam canticis referebant, plenaque adeo Civitas erat pallidis, ac macilentis illis Tragœdis ſeptimanis.* Haud aliter apud nos immodicus æſtus plebem urbanam inter anguſtias ſuarum ædicularum concluſam in febres agebat, aſpectu quidem terribiles, nec ſine mentis emotione, ſed quæ poſtea die ſeptima, oborto ſudore poſt celebratam liberali manu phlebotomiam ſolverentur. Hac de cauſa eos qui circa urbis pomœria lares habebant, ſeu ubi magis patula, & ampla ſunt viarum ſtrata, ut in ea parte quæ *Herculea Additio* appellatur, facilius febres adoriebantur; ubi vero urbs magis conferta eſt, & vici anguſti, & anfractuoſi, minus a febribus populares exercebantur. Neque fortuito urbium conditores, anguſtas, & anfractuoſas vias eſſe voluiſſe cenſendum eſt, ut in iis urbibus, quæ adhuc aliquid antiquitatis retinent, qualis eſt Mutina, ut nempe magis ſalubritati, quam pulchritudini conſulerent. Sic Nero poſtquam flammis Romam abſumpſit, intentus poſtmodum illius reparationi, dimenſis viarum ordinibus, ac latis ſpatiis, ſplendidiorem quidem urbem pro Imperii majeſtate, ſed minus ſalubrem reddidit, nam, ut ait Tacitus, compertum eſt *veterem illam formam ſalubritati magis conduxiſſe, quoniam anguſtiæ itinerum, & altitudo tectorum non perinde Solis vapore perrumperentur.* Hanc ob cauſam opulentiores cives, qui in amplis Conclavibus a tecto remotioribus degebant, ſicuti etiam populus Apella, vim febrilis hujus tempeſtatis minus ſenſere. Magni profecto momenti eſt ad præſervationem a morbis æſtivis in amplo, ac frigido Conclave degere, ac ſomnum capere, ut a diurno calore attritæ vires per nocturnum ſomnum reparentur. *Somnum in frigore cooperto* commendat *Hippocrates*, quem locum in altera mea Diſſertatione expoſui; ſi ergo vel in ipſa hyeme præſtat quieſcere in loco ubi ſit aura frigidior, idque in gratiam reſpirationis, dummodo totum corpus ſtragulis ſit coopertum, ne a frigore carne pungente interturbetur ſopor, multo magis æſtate præſtabit in frigido Conclavi ſomno indulgere.

XXXVI. Hic autem immoderatus aeris fervor ſi febrem hanc popularem excitavit, viam quoque aperuit, ut citius reſeratis poris, per ſudorem febrilis materia evaneſceret, idque beneficii ſecutum, ut exterminata radicitus ſcabie, plebs nitidior, ac vegetior apparuerit. Ac profecto gravis hæc morborum tempeſtas omnino deſiiſſet, ni Variolæ, quo magis ambientis calor tepeſcebat, eo ferocius ſæviiſſent, cum non ſolum puellarem ætatem demeterent, ſed etiam grandævos, ac præcipue utero geſtantes, quotquot hoc morbo laborarent. De Variolarum natura, & cauſis, cum tot extent doctiſſimorum hominum ſcripta, nil addam, niſi quod in hac varioloſa conſtitutione, quæ circa Autumni finem vim ſuam magis exercuit, facilius evaſerint ii quibus nec detractus fuit ſanguis, nec ullum adminiſtratum remedium, toto curationis negotio naturæ commiſſo. Neque mirum quod V. S. noxia fuerit; ſi enim ex Hippocrate *Autumno pauciſſimus ſanguis ſit in homine* ob prægreſſam Æſtatem, quæ corpora exhaurit, id certe apud nos hoc anno locum habuit, quare virtus jam debilis ab exhauſtu ob præcedentem æſtivum fervorem, ſecta vena illico labaſcere videbatur, ac fieri minus apta ut noxium humorem ad cutim protruderet.

XXXVII. Sicuti in ſuperioris anni conſtitutione noxius fuit Chinæ Chinæ uſus, ut aduotatum, ita in hac ab illa toto cœlo diverſa, valde ſalubris compertus eſt; & multi quidem quartanarii hoc autumno per urbem vagari viſebantur, ſed quotquot ad hoc remedium confugere, vel integre ſunt reſtituti, vel ſi nonnulli recidivas paſſi ſunt, paulo poſt convaluere; hinc practicam cautionem, ulteriori tamen obſervatione confirmandam, elicio, ſecuriorem eſſe Chinæ Chinæ uſum, quando humores fræno potius egeant, quam ſtimulo. Anno elapſo ob frigidam, & humidam conſtitutionem tota humoralis maſſa, utpote craſſa, ac ſegnior fluens ſtimulanda erat, ac ad motum cienda, hac Æſtate vero, ad orgaſmum prona, ac neſciens ſtare loco, erat potius ſufflaminanda, quod mire præſtabat Peruvianus cortex, humorum impetum compeſcendo. Eandem ob cauſam aquæ uſus in altera conſtitutione adeo noxius, in hac ſaluberrimus fuit, ſicuti pariter acida omnia, quæ celebrioribus cardiacis palmam præripuere, ut quæ partium Alchalinarum vim frangerent. Hermeticorum enim effatum eſt, Alchalia per acida, & acida per Alchalia emendari.

Atque hæc pauca de hujus anni conſtitutione, tumultuarie fateor, ac inter armorum ſtrepitus, viſum eſt conſcribere, hyemantibus apud nos Germanorum copiis, quæ hac Æſtate in Pedemontana Regione adverſus Gallos militarunt, cæterum, urgente adhuc rei annonariæ anguſtia, vereri licet, ne venturo quoque anno popularium morborum nova ſeges ſuccreſcat, quod omen deſpuo.

BERNARDINI RAMAZZINI

Diſſertatio Tertia.

DE CONSTITUTIONE Annotum 1692. 1693. 1694.

INtermiſſam varias quidem ob cauſas, ſed potiſſimum ob parum proſperam valetudinem, Operis incœpti texturam reſumens, morbos qui hiſce tribus annis apud noſtrates populariter vagati ſunt, nec non ratiora quædam, quæ peculiari obſervatione digna credidi, compendioſe referam haud dubia ſpe quod apud cordatiores Medicos veniam ſim impetraturus, ſi minus apte, quam par eſt, res exponatur, modo fideliter (quod in hiſtorica narratione potiſſimum expetitur) id fiat, quod me præſtiturum ſancte polliceor. Horum vero trium annorum conſtitutiones non ſejunctim, ut priores duas, exponere, ſed unico faſce ſimul complecti libuit, ne eadem chorda, cum riſu oberrans res eaſdem repetere deberem, quando unica & eadem fere morboſa Tragœdia totum hoc triennale ſpatium abſumpſit, nec exordium obtinuit, donec cœli temperies in ſtatum cœlo diverſum permutata novos morbos in ſcenam produxerit.

II. Ut ergo a conſtitutione anni 1692. exordiar, Hyems ſatis regularis fuit, ac legitima, nec quid inſolens habuit quod noſtro huic climati non congrueret; primo quidem Boreales venti ad aliquot dies ſatis valide perflarunt, terra nondum nivali vellere adoperta, unde metus erat ne ſata exurerentur; ſed ventis poſtmodum ſilentibus, ac modicis nivibus delapſis, Hyems propriam temperiem, & eas conditiones obtinuit, quas in libro de aere, Aq. & Loc. *n.* 25. recenſuit Hippocrates, nimirum ut ſit *moderata, neque valde clemens, neque frigiditate exceſſat.* Morbi itaque hyemales obſervati ſunt, ut tuſſes, pleuritides, eryſipelata, apoplexiæ, ac in iis præcipue qui præcedenti anno a gravi aliquo morbo conflictati fuerant; major tamen pars eorum qui ægrotarunt, evaſit, demptis paucis quibuſdam e ſenioribus, & ſilicernio jam proximis. Nihil itaque hyemali tempore obſervare licuit quod τὸν ἐπιδήμιον redoleret.

III. Neque vero ſibi debita temperie multum deſcivit Vernale tempus; ſatis enim moderatæ fuerunt pluviæ, ac interpolatæ, quales agricolarum votis reſponderent, ſicuti Æſtas quæ ſucceſſit non admodum fervida, ut præcedenti anno, neque nimis ſicca extitit, ſed pluviis identidem labentibus, ac eteſiis ſuo tempore flantibus, talis fuit, qualis noſtro cœlo congrueret; quare meſſem ſi non plane frugiferam, qualem publica neceſſitas optabat, non improbam tamen exhibuit. Haud ſecus Autumnus ſtadium ſuum regulariter percurrens, cum prima parte hyemis non admodum rigida, annum clauſit. Sic totum annum ſatis placidum, ac auſtrinum quoad primam qualitatum temperiem exegimus.

IV. Non ea vero moderatione ſequens annus proceſſit, illum enim totum intemperatum, ac prorſus exlegem experti ſuimus. Hyemem totam cum perpetua cæli ſerenitate, & mitiſſimis frigoribus tranſegimus ſine pluviis, ac ſine nivibus, neque ſolum in hac planitie noſtra, ubi ſedet Mutina, ſed neque in editiſſimis Apennini jugis, quæ alias per totam hyemem, & vernum quoque tempus albeſcunt, Mari ſupero, & infero canum verticem oſtentantes, ſic neque Gabellus, & Scultena (inter quæ flumina urbs hæc poſita eſt) glaciem, ut cæteris annis, ſenſere, quod multum contulit ad annonæ caritatem levandam, cum tota hyeme per hæc flumina frumentatores e proximis regionibus commeatus ad nos abunde conveherent, ad plebem noſtram, & Germanos milites alendos, qui hoc anno quoque apud nos hybernarunt. Sic veris ſpeciem Hyems tota Auſtrina exhibuit, cui poſtmodum Ver ſucceſſit hyemis naturam, veluti mutatis vicibus, referens; ab Æquinoctio verno etenim uſque fere ad ſolſtitium perpetua fere fuerunt frigora cum ventis Aquilonantibus, ac perennes fuere pluviæ, eæque adeo ingentes, ut paſſim flumina ruptis aggeribus campos inundarint.

V. Jam nefaſtum annum, & inſalubrem nemo non prævidebat, tum ob pluviarum vim magnam, quæ morborum ſunt ſeminarium, tum ob apparentia in Mororum foliis ſigna rubiginis, quæ ſterilitatis prodroma eſt, ut annis ſuperioribus ſumma totius Ciſpadanæ, & Tranſpadanæ regionis calamitate experti fuimus. Eodem modo ſubſecura Æſtas uſque ad Caniculares dies Veris ſpeciem exhibuit, quo tempore ſatis curioſum fuit, apud nos ſaltem, luſcinias audire pro cicadis arbuſta rumpentes. Sic ventum eſt ad Æſtatem cum mitiſſima aeris temperie, nobis tamen impropriam, pluviis identidem magno impetu delabentibus; hinc ob ſolum valde uliginoſum, & ſatis blandam caloris temperiem ad tantam altitudinem, ac denſitatem omne frugum genus excrevit, ut metus anni parum frugiferi ex omnium animis fere exciderit; at improviſa rubigo, cujus non obſcura indicia, ut dixi, apparuerant, ſpem omnium repente eluſit; illico enim frumenta, fabæ, & quæcunque leguminum genera ſydereo affluxu veluti percuſſa exaruere. Inopinus itaque caſus cum agricolas, tum urbanos quoque perculit; ſummam enim frugum penuriam non ante viſam impendere præſentiebant omnes, quando ex præcedentium annorum ſterilitate exhauſta eſſent tum publica, tum privata horrea, nec aliunde commeatus, ut ex Mantuano, & Ferrarienſi agro, poſſent ſuppetere, cum eadem rubigalis contagio totam Ciſpadanam, ac Tranſpadanam Regionem pervaſiſſet.

VI. At non ſolum Cereales opes abſumpſit hæc peſtis, ſed omne etiam ſubſidium, quod pomifer Autumnus ſolet ſuggerere, eodem tempore ſuſtulit; ſolum enim acerbis adhuc fructibus paſſim reſperſum ſpectabatur, quin & plantæ ipſæ honore frondium orbatæ media æſtate viſebantur. Uvarum quoque proventus, qui ab initio aureus ſperabatur, ob eandem cauſam non niſi parciſſimus prævidebatur: Mœrore itaque cuncta plena erant, dum agricolæ in agris non tererent niſi leves culmos, ſtipulaſque volantes, quare ſine Cereris, & Bacchi muneribus in omnium præcordiis frigebat ſanguis. Harum calamitatum cauſa potiſſima frigida, & pluvioſa conſtitutio paſſim culpabatur, quoties enim in hiſce Regionibus Æſtas ſicca, & fervens præceſſit, nunquam frumenti inopia laboratum eſt, ut apud nos Oraculi loco Virgilianum *Geo.* 1. illud coli poſſit:

Magnaque cum magno veniet tritura calore.

VII. Autumnus porro Æſtatis vicem ſupplens ſummis fervoribus & obſtinatiſſima ſiccitate totam humiditatem, quam terra poſt tam ingentes pluvias ad ſatietatem hauſerat, abſumpſit, nec calor remiſit niſi circa primam partem adventantis hyemis, quæ & ipſa leges ſuas nullatenus ſervans, verum ſatis placida, & mitis decedenti anno Vale dixit. Sic in hujus anni 1693. conſtitutione nulla ex illius partibus legitimam, ac propriam temperiem ſervavit, ſed una alterius vices ſubeunte, omnes extemporaneæ fuerunt.

VIII. Sicuti autem prima pars hyemis, quæ præcedentem annum clauſit, ſatis placida, ut modo dixi, extitit, ita pars altera quæ An. 1694. fores aperuit, aſperrima, ac rigidiſſima facie apparuit; per totum enim fere Januarii menſem flarunt Boreales venti cum perpetua cœli ſerenitate, ut ſqualidum, ac pulverulentum ſolum undequaque

que viseretur, non secus ac æstivis mensibus, quod apud nos prorsus insolens est, sic totam hyemem serenam sine aquæ guttula e cœlo decidua traduximus: apparente autem Verno Æquinoctio cœlum votis communibus respondit largis imbribus effusis, qui usque ad Aprilis initium perdurarunt, quibus postea, flante Austro, ingens caliditas successit, ut die quinta Aprilis in meo Thermometro liquor 70. gradum pertigerit, quo interdum neque Junio mense devenire consuevit. Reliquum porro Veris, ac totam Æstatem cum pertinacissima siccitate, & immoderato calore transegimus. Autumno quoque eundem tenorem, quod siccitatem spectat; servante: quare annum signare licuit præ ceteris valde siccum, & squalidum, colonis tamen non prorsus ingratum, cum, frugum, & vini proventum non improbandum suppeditarit.

IX. Fusius forsan, quam res ipsa videatur exigere, horum trium annorum constitutiones me prosecutum fuisse putabit aliquis, cum in cujuscunque anni constitutionibus sigillatim nihil eorum, quæ ad rem medicam spectant, & quod meum institutum est, attigerim, quasi πάριργον ἔργῳ præmiserim; verum id consulto egisse me fateor, siquidem, cum ex superius memoratis pateat quam dissimilis, & discolor fuerit harum trium constitutionum facies, & alia ex parte cum eadem prorsus Epidemia per totum hoc tempus. plus minus, grassata fuerit, satis liquere potest quam parum firmo talo stet illorum opinio qui ex manifestis aeris qualitatibus, caloris scilicet, frigoris &c. putant satis explicari posse Epidemicorum affectuum genesim, ac indolem, ut etiam ex prægressis constitutionibus prænunciari possint ægritudines, quæ populariter vagari debeant.

X. Egit id equidem divinus Præceptor, ut ex Sectione tertia Aphorismorum, *Aph.* 11. & libro de Aere, Aq. & Locis satis liquet, nam prægressa Hyeme sicca, & Aquilonia, & Vere pluvioso, & Australi pronunciavit *necessum esse*, ut Æstate acutæ febres fierent, lippitudines, & intestinorum difficultates; sicuti ex hyeme Australi pluviosa (& serena) Vere autem sicco, & Aquilonio, mulieres gravidas abortivos fœtus edituras: cæteros vero montales difficultatibus intestinorum, & siccis lipitudinibus obnoxios fore: Verum Galenus, 3. *de difs. Resp. c.* 1. licet Hippocraticæ doctrinæ ita addictus, ut Hippocratis libris etiam spuriis usurum se scripserit, asserere non est veritus in citati Aphorismi commentario, Hippocratem usum potius fuisse rationali methodo quam observatione, & experientia. Huic Galeni interpretationi nullatenus assentiens doctissimus Marcurialis ait nil tale de sapientissimo Viro, qualis fuit Hippocrates, credendum, qui non tam audacter pronunciasset *necessum esse*, ut posita tali constitutione temporum tales ægritudines emergere debeant, nisi ratione, & multiplici experientia fuisset abunde instructus. Celeberrimus Lucas Tozzius in nuperis suis Commentariis in Hippocratis aphorismos asserit observationibus potius, & iteratis experimentis, quam confictis argumentis, Hippocratem ita pronunciasse, nulla ratione apparente, quæ suadeat isthæc eventura; ingenue enim fatetur vir egregius sibi observatum, quod post hybernam tempestatem siccam, & Ver pluviosum subsecutæ non fuerint acutæ ægritudines.

XI. Quot porro disceptationes inter ipsos medicinæ proceres pro genuina Aphor. 13. tertiæ sect. *Si vero hyems Australina, & pluviosa, & serena fuerit &c.* (cum tot sint interpretationes quot interpretes) jam satis constat. Menardus enim *l.* 9. *Epid.* 1. vocem illam εὔδιος volebat expungendam, tanquam supposititiam, cum intelligi nequeat quomodo vox illa εὐδιος, quæ serenitatem ex illius interpretatione significat, aliis cohæreat quæ hyemem pluviosam, & Australem repræsentant; Leonicenus vero in omnibus antiquis codicibus vocem illam reperiri ait, ac pro placiditate, & clementia interpretatur. Hinc inter illos celeberrimos viros pro simplici vocula talia orta sunt dissidia, adeo ut, referente Brasavola in citati aphorismi commento, *Seniores illi alioqui reverendi apud multos pro re tam levi prælliantes in derisum venerint, cum a rationibus ad jurgia devenerint.*

XII. Abundet quisquis in suo sensu ut lubet, & ex anni temporum in manifestis qualitatibus exorbitantiis tanquam ex fonte morbosas constitutiones derivet; ego sane ex quo ad Epidemicorum affectuum naturam contemplandam animum adverti, his quæ tam confidenter, & magnifice proferuntur, experientiam respondere non video, & quod me angit, in hac Provincia quotannis hospitem me agnosco; licet enim videam quo passim itur, non satis tamen video qua sit eundum, nisi postquam a via longe aberraverim. Profecto si rem accuratius perpendamus, quilibet annus semper affectus aliquos secum infert, qui τὸν ἐπιδήμιον sapiunt, nec tales putantur, quia aliquando leves sunt, licet propterea epidemicam naturam non exuant; demiror autem non parum, quomodo insurgente aliqua populari tempestate medentum plerique nullatenus affectus ingenium perpendentes, nec qua methodo natura ipsum sponte expugnet, illico totis viribus, & vulgari methodo ob analogiam quam habeat ad congenerem morbum, ad illius oppugnationem insurgens, & remediorum multitudine indiscreta, & frequenti visitatione muneri suo satisfactum existiment. Mundus autem, qui vult decipi, intempestivam hujusmodi solicitudinem magis commendat, quam prudentem cunctationem, magnisque muneribus, & encomiis eos cumulat, qui, ut ait Sinonius, *parum docti, satis seduli, multos ægros officiosissime occidunt.*

XIII. Affectus ergo Epidemicus, qui tribus hisce annis in suis constitutionibus inter se tam dissimilibus cum urbem, tum villas, & vicina oppida multis funeribus infestavit, fuit febris purpurata, seu petechialis, ut appellant, quæ aliquando quidem post multam stragem editam visa est velle receptui canere, sed postmodum auctis veluti viribus violentior irruebat, ac populariter grassabatur. Circa Æquinoctium Vernale anni 1692. hæc febris primo caput extulit, ac sub initium levi quadam velitatione discurrens, mox per totum Veris tempus, & partem æstatis usque ad Canis exortum sub peticulari larva sævitiem suam exercuit. Ubi ergo æstas incanduit, febris hæc purpuram deposuit, nec illam resumpsit donec calor æstivus cœperit remittere, circa nimirum Arcturi exortum, quem morem annis quoque sequentibus rite servavit, vestem quidem, sed mores, ac genium haudquaquam mutans. Febres enim quæ in summo æstu sine periculis visebantur, haud secus malignæ erant indolis, quam vibices post mortem apparentes satis demonstrabant.

XIV. Observatione vero dignum fuit, quod post plenilunium, ac multo magis silente luna ferociebat febris, quæ postea ad novum ejusdem lumen mitescebat; nec mea tantum, sed aliorum quoque professorum constans fuit observatio, quod non parum contulit ad hujus febris prognosim, & curationem; num vero super epidemicos affectus peculiare jus aliquod habeat lunare sydus, ut illius mutationibus, & variis phasibus auscultent, non indignum est observatione.

XV. Admirandum certe fuit id quod die 21. Jan. 1693. contigit; facta enim per noctem lunari eclypsi, major pars ægrotantium obiit, ac eadem pene hora, qua nimirum luna laborabat, quin & nonnulli repentina morte occubuere; unde per totam sequentem diem magno strepitu, ut hic vetus consuetudo obrinuit, personantibus campanis, non levis horror omnes perculit. Tunc mecum ipse novitatem hanc perpendens admirari cœpi, quomodo Hippocrates tam diligens rerum omnium ac præsertim cœlestium observator, qui in libro de Aere, Aqu. & Loc. *n.* 30. periculosissima ambo solstitia pronunciavit, maxime vero æstivum, sicuti & utrunque æquinoctium, edicto veluti cavens ne hujusmodi temporibus medicamenta exhibeamus, neque curemus, neque secemus, sicuti astrorum ortus, & occasus, ut Canis, Plejadum. Arcturi observandos esse præcepit, ut ex pluribus locis illius Operum *De Med. Purg. n.* 5. 1. *in* 6. *Epid. de Diæt. num.* 2. 4. *Epid. num.* 11. videre est, & cometis a se observati mentionem facit, quem subsecutus est terræmotus, luminarium porro defectus alto silentio transegerit. Quin & practici fere omnes solis, vel lunæ defectus non pluris faciunt, quam eorundem syderum oppositiones, & ordinarias coitiones. Unus, quod sciam, Guilelmus Ballonius lib. primo suorum Epidemiorum insignem casum refert; ait enim Parisiis accidisse, quod dum plures Medici apud illustrem mulierem ægrotantem consulturi simul convenissent, ac tunc temporis solis defectus contigisset, illique ad contemplandum solis defectum in vase aqua pleno, ut solet fieri, sublimiorem ædium partem conscendissent, illico ad ægram decumbentem revocati fuerint, quæ dum solis defectus perduravit animam agere visa est, neque e gravi periculo evasit, nisi postquam sol in apertum erupit, claraque in luce refulsit.

XVI. Alterationem in aere oppido insignem in solis defectu observare mihi licuit anno 1694. die 27. Junii, ut in Ephemeridibus meis Barometricis eodem anno editis annotavi; nam in ipso solaris eclypsis tempore Mercurius ad duas lineas in meo Barometro se extulit, hoc est aer temporis fere momento gravior est redditus, ac idoneus propterea ad subitas in microcosmo alterationes producendas; quare si ex divini Præceptoris sententia ad æquinoctia, & solstitia advertere oportet, ne quid magnum in illis circa ægros moliamur, non incongruum quoque erit, si medentes Clinici ad luminarium defectus, oculos non solum, sed mentis aciem intendant. Nollem tamen quis crederet velle me quod rerum agendarum scopi ex corporum cœlestium vario situ, & configuratione desumi debeant; nam ubi morbi sævities urget, lotium potius, quam astra contemplari necessum est, ut ajebat Menardus, & opportuna remedia, vel reclamante cælo, sunt adhibenda, quando *omnis dilatio est Animæ periculum*, in morbis tamen popularibus, qui non raro a causis superioribus natales suos deducunt, & in quorum curatione non tam facilis, ac certa methodus habetur, non prorsus alienum est talia respicere; nam ubi agitur de humano corio, *Nihil timere, nihil negligere*, ex divini Præceptoris 2. *in* 6. *Epid.* Oraculo.

XVII. Verum e diverticulis in viam; Symptomata quæ febrem hanc malignam comitabantur, antequam pericula apparerent, erat ingens totius dorsi lassitudo, capitis dolor, aurium surditas, fancium ardor, mentis stupiditas, præcordiorum anxietas, & totius corporis segnities; dorsi vero, & regionis lumbaris lassitudo adeo certum erat febris peticularis signum, ut raro falleret: quin sub initium hujus pravæ constitutionis, antequam febres istæ palam grassarentur, mulieres quæ ad morborum symptomata aliquando attentiores sunt quam medentes ipsi, ex hujusmodi suorum ægrorum querela febris naturam prænunciabant, & Medicos monebant, cautos opus esse, nec temere celebrandam phlebotomiam; quarum dictis, ac præsagitionibus cum persæpe medentes non auscultarent, apparentibus postea maculis, multa probra ab iisdem cum artis dedecore perferre cogebantur. Si vero faucium ardor cum genarum rubore accessisset, hostem detectum clamabant, nec amplius hæsitandum de febris natura, jam in faucibus prodentibus se periculis. Profecto in hac malignarum febrium pertinaci constitutione quæ per triennium sæviit, Medicis non minus cum mulierculis, quam cum febre luctandum fuit, adeo ut (quod fateri non pudet) necesse fuerit, sicuti inferius exponam, illarum consiliis, & monitis morem gerere, non tam ad illarum importunitatem declinandam, quam quod re vera experientiæ rerum magistræ esset obsecundandum.

XVIII. Pulsus parvi erant, & valde compressi, una cum magna virium prostratione primis etiam diebus quæ morbo augescente languidiores fiebant, adeo ut ægrotantes veluti statuæ in lectulis decumbentes jacerent, integro fere carnium, & totius corporis habitu, quodque admiratione dignum fuit, quotquot hujus febris violentiæ succumbebant, pleni, ac succulenti veluti pingues mortis victimæ libitinariis tradebantur; fortiores autem, ac robustiores cum fœminas, tum viros adortæ sunt hæ febres, non ita vero seniores, nec eos qui vitam degebant valetudinariam. Urinæ vero vel in ipso hujus febris principio perturbatæ, plus minus, apparebant, prout major, vel minor morbi esset sævities, nec nisi in fine morbi in iis qui evasere, ad naturalem statum redibant.

XIX. Peticulæ vero, ut plurimum quarta die, & septima erumpebant, & ii quibus primis diebus apparuere, omnes fere sublati sunt, primum autem in collo, dorso, & pectore visendas se præbebant; observatumque neminem evasisse, nisi tandem ad extremos pedum ungues maculæ ille se expandissent, in superioribus partibus paulatim evanescendo, quibus autem pectoris, & dorsi fines non transilierunt peticulæ, mortem obtigisse: variæ autem, ac diversi colores erant, prout varii, ac diversi erant ægrotantium habitus, aliæ erant rubræ, aliæ pallidæ, aliæ fusci coloris, aliæ parvæ, aliæ latæ, aliæ in summo, aliæ in profundo, & quas nonnisi oculis transversa tuentibus liceret inspicere: quod genus peticularum fuit valde ominosum.

XX. Faucium inflammationem comitem hæ febres ut plurimum sibi junxere, quæ inflammatio in morbi vigore in crustam albam, & ulcerosam degenerabat, quod non minus negotium Medicis facessebat, quam febris ipsa, cum ægri ob id omnem cum cibum, tum medicamentum aversarentur, & multi, qui cæteroquin pacata aliorum symptomatum tempestate evasuri credebantur, in ipso veluti portu naufragium perpessi fuerint. Sitis porro in his febribus non adeo ingens erat, ut in aliis acutis febribus assolet, nec multæ querelæ exaudiebantur, sive non sitirent, sive mens obscure ægrotaret.

XXI. Quicunque ex hac febrili incurſione fati ope, vel Medici evaſere, nulli excretioni vel per ſudorem, vel per urinam, vel alias vias, per quas natura criſes ſuas moliri ſolet, ſalutem acceptam referre poterant, ſed ſolum peticularum ſuo loco, & tempore apparitioni, & earundem per totum corpus expanſioni, lentæque evaneſcentiæ, ſalutis beneficium debebant; quin iis quibus alvi fluxus ſupervenere funeſtum fuit; Alvi fluxus autem anno præcipue 1693. hiſce febribus peticularibus per Autumnum ſupervenere; quo tempore dyſenteriæ graves Hebræos potiſſimum exercuerunt; culpabantur fructus horæi, quibus gens recutita numquam ſatis impletur, ſed aliæ cauſæ altiores ſubeſſe poterant.

XXII. Satis frequens fuit in his febribus ſingultus, quamvis parvæ febres viderentur, ſymptoma quidem non minus moleſtum, quam ferale, & funeſtum; quotquot enim in hac febre ſingultuoſi comperti ſunt, omnes in libitinæ cenſum devenere. Vix obtinui, ut ſingultuoſi cadaver diſſecaretur, ac ventriculus nigris notis ſparſim compunctus repertus eſt. Verminatio quoque multa paſſim extitit, & ii, quibus ab initio vermes per os prodiere, omnes fere extincti ſunt.

XXIII. Nonnullis ſuppreſſa eſt urina, vacua prorſus exiſtente veſica, præcipue vero id obſervatum in iis quibus pulſus erant parvi, ac pene obliterati, ut contigit in juvene quodam Hebræo, qui cum aſphyxia, ac totus gelidus vixit ad quatuor dies, nec urinæ quicquam reddidit; antequam autem infelix iſte obiret, quamvis toto corpore perfrigefactus (nullibi arteriis micantibus) adeo robuſtus erat, & ad motum expeditus, ut etiam ipſa die, qua e vivorum ſtatione deceſſit, a lectulo ſurrexerit, & ſuas veſtes induerit.

XXIV. Non pauci poſt exantlatum morbum veternoſi fiebant, ac ſtupidi, rerumque peractarum prorſus immemores, nec niſi poſt multos dies ſibi reddebantur; idem infortunium iis obtigit qui in his febribus gravem ſurditatem perpeſſi fuerant. Mercator quidam cum ex peticulari febre præter omnium opinionem convaluiſſet, ſurdus omnino ad 40. dies perſtitit, ac poſtmodum paulatim ex aſſe reſtitutus eſt.

XXV. Frequentiora in urbe quam in proximis agris fuere funera, ac felicius plebs ruralis ſine ullo ut plurimum remedii genere vim morbi eludebat, ſive quod in aere ſalubri degerent, ſive quod Medicis carerent; non ſemel idcirco mentem ſubiit Virgilianum illud, *lib. 2. Georg.*

O fortunatos nimium ſua ſi bona norint
Agricolas.

Ac urinam medentes, cum aliquis popularis morbus debacchatur, curioſius ſcrutarentur a ruſticana gente, quæ magis fidit Parocho, quam Medico, quali methodo natura uſa fuerit in ſanandis morbis eorum qui evaſerint; ſic enim naturam tanquam optimum ducem ſequentes, minus a recto tramite aberrarent, ac tutiori methodo ad curandos ægros ſibi commiſſos procederent. Cum autem in his caſibus ſibi quiſque pro ingenii ſui modulo regulam confingat, ſecundum quam opus ſuum moliatur, & in communi morbo tot, ac tam diverſa remediorum genera in uſum revocentur, merito cum Celſo *l. 7. in Proœm.* cum quis convaluit, *dubitare poteſt ſecunda valetudo Medicinæ, an corporis beneficio contigerit.* Indubium tamen eſt, quod in communi morbo, ſicuti communis eſt cauſa, ita communia, & eadem fere deberent eſſe præſidia. Quotquot autem ex viris agreſtibus, quos e peticulari febre evaſiſſe novi, & interrogare potui, non alio modo convaluiſſe referebant, quam macularum circa ſeptimam diem per totum corpus, & uſque ad extremos artus expanſione, & earumdem lenta evaneſcentia ſine ulla ſenſibili humorum excretione.

XXVI. Quo tempore in hac urbe, & in tota campeſtri regione, quæ circumjacet, ferociebat hæc febris, in vicinis collibus, ut in Saxolenſi, & Scandianenſi ditione, nulli fere ægrotantes viſebantur, neque eo pervaſit maculoſa hæc febris, quæ tantum in editioribus locis, & in ipſis Apennini jugis (veluti ſaltu quodam exiliens) vim ſuam pariter ac in noſtra planitie exercuit.

XXVII. Sanguis porro, qui ſecta vena, vel cucurbitulis ſcarificatis, ſive venis ſedalibus apertis, educebatur, in univerſum ſatis laudabiles notas præferebat, quantum oculorum acie licebat aſſequi, ſatis enim floridus, ac rubicundus apparebat, multoque magis qui a natura per narium hæmorrhagiam profundebatur, neque in ullo ægrotante cujuſcumque temperamenti ſanguinem extractum videre datum eſt, qui glutinis ſpecimen aliquod præferret.

XXVIII. Profecto mihi fateri neceſſe eſt in hac peticularium febrium conſtitutione, adeo improſpere venæ ſectionem ceſſiſſe, ut omnes ægri exhorreſcerent quoties ſanguis miſſio per venæ ſectionem præponeretur, eam vero fuiſſe popularem confidentiam in uſu cucurbitularum ſcarificatarum, ut ægros interdum decipere oportuerit, quoties urgeret neceſſitas ſanguinem ex vaſis majoribus ob plethoricam diſpoſitionem educendi, ſinendo ut ægris cucurbitulæ dorſo, & ſcapulis applicarentur modicum ſanguinem extrahendo, deinde paucas poſt horas ſanguine ex vena largiori manu educto; Ea enim hæſerat opinio, nec ſolum apud vulgus imperitum, ſed etiam apud ſapientiores, quod ubi præmiſſæ fuiſſent cucurbitulæ ſcarificatæ, nullus amplius eſſet timor de peticularum retroceſſione, quamvis poſtmodum non ſemel ex vena mitteretur ſanguis; ſic curioſum erat Chirurgos paſſim videre cum ſacculis cucurbitularum plenis per urbem curſitantes; dum inconſultis Medicis plebeculæ hoc remedii genus adminiſtrarent. Suſpectam itaque, ne dicam infamem, ut ſcopulos Acroceraunia, venæ ſectionem in hiſce febribus fuiſſe fateri lubet, ſicuti ex adverſo glorioſam cucurbitularum tum ſcarificatarum, tum ſiccarum appoſitionem, ſive id fieret ob confirmatam in omnium animis opinionem de hujus remedii efficacia, ſive quod revera in illo aliquid abditum eſſet, quod Medicos lateret.

XXIX. Reliqua porro remedia, quibus hujus febris oppugnatio tentabatur, eo collimabant, ut humorum motum ad corporis ambitum promoverent, qualia ſunt quæ ſale volatili abundant; ſic nullum non ex diaphoreticis in uſum revocatum, nihilo felicius tamen prodibant maculæ, ni forſan hoc pacto, oleum camino addendo, ut dici ſolet, febrilis incandeſcentia augebatur (quæ ſibi relicta humorum fugam maturaſſet) & diſtrahebatur natura, quæ non tam propere depingebat in cute quod intus moliebatur. Ego mehercle parum profici obſervans, per alcalica ad acida confugi, monente Hippocrate, *De loc. in hom. n. 20.* quod *ſi quis non profuerit, ad contraria ſe convertat*, nec improſperum ſucceſſum ex illorum uſu adverti, ſuffla minato aliquantiſper humorum orgaſmo. Non auſim tamen aſſerere, vi hujus, vel illius remedii evaſiſſe, vel periiſſe quenquam, cum Andabatarum ritu neceſſe fuerit cum hac febre dimicare, neque magis felices in ſuis curationibus fuiſſe Medicos ſeniores, & longo uſu expertos, quam juniores, ac e ſcholis nuper egreſſos, cum in tenebris tam videant cæci, quam oculati.

XXX. Ad ſolicitandam peticularum eruptionem paſſim frictiones humidæ ex unctione Aetii ex uſu erant, ſicuti & veſicantia brachiis, & cruribus appoſita; ſed hæc magis Medicorum exiſtimationi apud vulgus, ne quid inauſum, aut intentatum fuiſſet, conducere viſa ſunt, quam ægrotantium ſaluti, quibus acuebatur febris, nec propterea facilior contingebat peticularum eruptio, niſi forſan ob id retardabantur, facta ſeroſæ materiæ per vias urinæ profuſione. Sic in hac febrili incurſione omnibus remediis tum internis, tum externis parum proficientibus ſatius erat lente feſtinare, & humorum matureſcentiam opperiri, ſpretis querelis adſtantium, qui urgebant, velis, & remis, ut dici ſolet, ingruenti tempeſtati occurrendum & prolatando magnas corrumpi opportunitates, quibus adverſis clamoribus medentes non anſi obſiſtere, intempeſtiva, & incerta remedia præſcribendo, ſibi e manibus victoriam eripi viderunt, non ſecus ac Pompejus M. qui cum tergiverſando hoſtem commeatuum inopia laborantem facile vinci poſſe cognoſceret, militibus tamen, & ſociis moram increpantibus, prælium miſerabili eventu commiſit, oblitus ſolitum *ſe laudare eos Medicos, qui nihil unquam ægroti cupiditatibus quicquam indulſiſſent.*

XXXI. Cum primum graſſari cœpit peticularis hæc febris, nec dum ſuſpicio eſſet de populari affectu (febribus diverſæ indolis intercurrentibus) purgationes, ut hic fieri aſſolet, in morborum principio, per medicamenta minorativa dicta inſtituebantur; ſed paulo poſt prodentibus ſe peticulis, ſuadebant medico tacita præcordia culpa, ob metum ne hujuſmodi purgatio Exanthematum eruptioni impedimento foret, humoribus ad interna retractis, peticulis tamen poſtmodum feliciter erumpentibus, & ſtadium ſuum abſolventibus, profeſſores, qui attentius res obſervabant, experientia edocti a blanda purgatione non abhorrebant; Ego ſane ubi tempeſtive accerſitus fui, & ſtomachum impuritatibus oneratum eſſe conjectavi, quamvis certus de peticulari febre, levem purgationem præſcripſi, neque non ſolum ullam noxam exinde proficiſci, ſed facilius Exanthema apparere obſervavi. Similem caſum refert Ballonius, qui *l. 1. & 2. Epid.* ingenue fatetur, in febribus, quas de genere peticularium non putarat, medicamentum purgans, & venæ ſectionem præſcripſiſſe, & innocuum utrunque remedium reperiſſe. Id eſt quod monebat Divinus Præceptor, *lib. 1. de Morb. num. 1. & 7.* obſervandum eſſe *quæ bona per fortuitum ſucceſſum Medici ægrotos curantes faciunt.*

XXXII. Ad oppugnandam vero tam infenſi hoſtis pervicaciam in ſubſidium quoque accitus eſt Peruvianus cortex, qui cæteris remediis ſuccenturiaret; præcipuus autem illius uſus fuit in iis qui evaſerant ex morbo non bene, ut par fuiſſet, judicato per debitam ſuo loco, & tempore peticularum eruptionem, & evaneſcentiam; iis enim diuturnis febribus vexatis febrifugum iſtud exhibebatur, cujus uſus non multum contulit ægris ſubinde in ſtupiditatem, & ſoporem delapſis.

XXXIII. Dyſenteriis porro, quas anno 1693. per Autumnum peticulari febri ſuperveniſſe ſuperius dixi, egregie contuliſſe opiatorum uſum obſervavi; nec forſan ulla eſt affectio in qua ſecurius, & liberaliori doſi exhiberi poſſit hoc remedii genus quam in hujuſmodi morbo, fractis licet, ac pene attritis viribus. Cuidam acerrima dyſenteria laboranti pluries exhibui laudanum opiatum ad 3. & 4. grana, ſed parvo levamine; vixerat hic ad plures dies omnino gelidus, ac ſine pulſu, vires tamen non erant adeo languidæ, ut huc, & illuc ſe jactare non poſſet; verebar ne largiori doſi exhibitum laudanum, reliquum flammæ vitalis, quæ ſupererat, reſtingueret; Laudanum rurſus ad grana 5. exhibui, ex quo æger placide dormivit, & excalefactus eſt, quod non tam doloris, qui dyſenterias comitatur, ſedatione factum crediderim, quam propter virtutem opii diaphoreticam. Cum ſatis obvium eſſet in hac conſtitutione (ac præſertim graſſantibus dyſenteriis, & verminoſa affectione) hujuſmodi in toto corpore perfrigerationem, una cum pulſus abolitione, obſervare, non ſemel ſubiit admiratio quare in ventriculi, & inteſtinorum affectibus, tam frequens ſit talis perfrigeratio, ac pulſus obſcuratio, non ita vero in morbis pectoris ut in pleuritide, cum tamen hæ partes, & ipſæ membranoſæ ſint, & cordi proximiores, ni forſan id fiat quod numeroſior nervorum ſoboles in inteſtinis, & ventriculo implantetur quam in pleura, & pulmonum membrana, & ob doloris ſenſum acutiorem, tracto in conſenſum cerebro, ſpirituum animalium ad cor influxus intercipiatur, unde poſtea ſilente pulſo totum corpus perfrigeretur.

XXXIV. Talis fuit hujus purpuratæ febris indoles, ac talia ſymptomata, quæ multam habent convenientiam cum iis, quæ apud Fracaſtorium *De morb. Contag. l. 2. cap. 6.* leguntur deſcripta, qui Auctor caput particulare inſtituens de lenticulari febre, quæ anno 1528. in Italia primum graſſata eſt, mentionem expreſſam habet de laſſitudine, & fractione, ut ipſe ait, in toto corpore, ſenſuum hebetudine, oculorum rubore, pulſu humili, urinæ ſuppreſſione (quod peſſimum ſignum fuiſſe ait) macularum circa quartam, & ſeptimam eruptione, ſit pauca, ac fere nulla; hocque præcipue annotat, ſenes pauciſſimos febre hac laboraſſe, ſed pueros multos, ac juvenes robuſtos. Mihi ſane dum caput illud perlegerem non parvæ admirationi fuit, quod febris lenticularis a Fracaſtorio deſcriptæ, & petechialis noſtræ (ut communi utar vocabulo) tam ſimilis fuerit facies, ac ingenium, ut hanc eſſe veluti ſobolem alterius, vel priorem illam redivivam caput extuliſſe arbitrari quodammodo liceat. Advertens tamen febrem illam eaſdem pene Regiones, & populos eodem fere victu utentes infeſtaſſe, multaque alia perpendens, quæ refert Vir ille doctiſſimus, circa illius febris cauſas, ut Padi, & Atheſis inundationes, fructus, & olera a rubigine exuſta, mirari deſii. Si enim major diligentia in conſcribendis morborum annalibus a Medicis adhiberetur, iiſdem temporum viciſſitudinibus recurrentibus, eoſdem pene morbos recurrere, & naturam eundem morem in illis abigendis ſervare facili negotio obſervaremus; nam ſicut in Politicis, ut ait Tacitus, *potius alii homines, quam alii mores*, potius aliud hominum, quam aliud morborum genus.

XXXV. Sicuti autem magnæ tunc temporis fuerunt inter Medicos Diſceptationes circa cauſas illius febris, & rectum curationis modum, ut pene ludibrio haberentur, veluti ipſe Fracaſtorius refert, cum non ſolum circa præſidia chirurgica, & pharmaceutica adminiſtranda, ſed etiam circa victus regimen diſſiderent, ut apud eundem Auctorem, non ſine riſu primo, ſed poſtea non ſine commiſeratione legi poteſt;

potest; sic pariter inter nostrates professores non minores fuerunt controversiæ, publicis ob id disputationibus habitis, &, quod magis dolendum est, inter celeberrimos nostri ævi Scriptores magnæ sunt dissensiones citca febris purpuratæ causam, & genuinum curationis modum; ex quo satis constat quam parum post tot glorioſa inventa a Fracastorii ævo usque ad nostra tempora Ars Medica profecerit, cum nondum quicquam certi constet de malignarum causis, & illarum rationali curatione.

XXXVI. Verum his omissis, quæ Medicæ artis infirmitatem satis in propatulo ponunt, experiamur num detur conjectare saltem, si non statuere, quæ fuerint hujus febris germanæ causæ, & qualis esset in febrientium corporibus sanguinis, & aliorum liquidorum status, & conditio, quod ex habitis observationibus, & morborum eventu elici posse arbitror, quidquid Poeta dixerit, successus improsperos iis ominando, qui ab eventu facta notanda putant. Etenim cum in re Medica a juvantibus, & nocentibus securius quam aliunde potiores petantur indicationes, eventum & experientiam, tamquam optimos duces, sequi oportet, siquidem illorum vestigiis inhærendo, tutiori, & compendiosiori via veritatem attingimus.

Quid norunt homines, nisi quantum lumina possunt
Tendere?

XXXVII. Cum ergo isthæc maligna febris promiscue cujuscumque sortis homines adorta fuerit, tam egenos, quam divites, otiosos pariter, ac negotiosos, & in omnibus idem pene drama luserit, communem fuisse illius causam, procul dubio statuendum est, eamque ex aliqua ex sex rebus non naturalibus licet deducere. Alimenta quæ terra suggerit, ut cereales fruges, olera, plantarum fructus, carnes animalium (cum ex herbis, & terræ fructibus alantur) a rubiginosa lue vitiati potuisse, & hoc pacto in massam sanguineam pravos succos invehere, ut exinde malignis febribus primus fomes succreverit, non prorsus a ratione alienum videtur. At cum in constitutione ann. 1690. unde labor hic meus exordium sumpsit, sævissima rubigo fruges omnes, & fructus pestifero afflatu absumpserit, neque per totum annum illum, ne unam quidem malignam febrem, sive peticularem, sive sine peticulis, mihi saltem, observare licuerit, sed tantum ruralis epidemia tertianarum febrium intermittentium per totam Estensem ditionem, & proximas Regiones oberrarit, ac talis, ut nullus ex ruricolis pene fuerit, qui tertianæ febri intermittenti non litarit, ego non satis video quomodo corrupta alimenta a rubigali peste pro potissima causa culpari debeant; neque pariter caritatem annonæ, quæ ad multos annos Regiones istas exerceret, incusare licet; quamvis enim ex Hippocrate 4. *in* 2. *Epid.* in Æno ob esum leguminum crura, & genua multis vitiata fuerint, penes nos tamen tam qui pane optimo, quam qui confusaneo vescebantur eadem peticulari febre cum iisdem symptomatibus premebantur.

XXXVIII. Multo minus aquas (quarum usus tam necessarius est ad hominum vitam sustentandam) causari licet: quamvis enim aliquando aquæ corruptæ, & vitiatæ populares morbos invexerint, hoc tamen de aquis nostris suspicari nequaquam licet; Regiones enim istæ aquis salubribus abundant, ac præsertim urbs ista, quæ Divino munere non aliis dato, fontes habet, qui purissimam aquam, non temporariam, sed perennem æquo semper tenore profundunt, ut in Tractatu meo de admiranda fontium Mutinensium scaturagine satis exposui.

XXXIX. Cum ergo inter sex res non naturales nullam aliam communiorem causam reperire sit præter aerem, quo nihil communius, & æque necessarium (cum unum, & eundem locum incolentibus diversa esse possint ciborum, & potionum genera) aer vero ejusdem fere sit naturæ, ad occultam aliquam aeris labem, & inquinamentum recurrendum est, quod in massam sanguineam tales invexerit dispositiones, ut ad excitandam hanc malignam febrem satis virium habuerint. Quænam vero, & quales essent hujusmodi aeris dispositiones non adeo obvium est exponere; profecto in solas qualitates elementares pravam illius diathesim referre non adeo tantum est; nec animus veritatis avidus tam facile acquiescit, multoque minus cum per totum hoc triennium, ut superius annotavi, tam dissimiles fuerint cujusque anni Constitutiones, ac nihilo secius purpurata febris eodem fere tenore tyrannidem suam exercuerit. Pro re indubia tamen habendum, aerem hunc quem inspiramus, ac totam armosphæram varias, ac diversi generis particulas, tum ex superioribus, tum inferioribus corporibus in sinum suum suscipere, cælum nempe, seu astra, ut solem, lunam, & reliqua sydera, lumine suo potissimum, quod inficiari non possumus, in aere profundere, & ejaculari, ut ex solarium macularum evanescentia licet conjicere, ac globum terraqueum eodem modo in ejusdem gremium omnigenas substantias eructare, non tam vi solaris luminis, quod illum plus minus modo in hac, modo in illa parte calefacit, quam vi caloris centralis, & ignium, quos ipsa terra intra sua viscera recondit, ex quo conjicere est (quamvis oculorum acie id percipi nequeat) nihil esse in hac rerum universitate quod sit magis heterogeneum, utpote particeps terrestrium impuritatum, & cælestium effluviorum, quam aereus Oceanus.

XL. Hinc ergo expiscari licet hujus nostræ Epidemiæ causam, ex aere nimirum ab heterogeneis, ac omnigenis particulis hinc inde, ac præcipue ab Australi plaga susceptis vitiato, cum hisce annis Australi flatus dominatum obtinuerint, silentibus ut plurimum Borealibus ventis, qui nubila detegerunt, & aeris impuritates eo repellunt, unde decesserant, ad Australes scilicet plagas, ex quibus omne malum ad nos profectum suspicari fas est. Quod vero in hac Tragœdia præcipui Actores fuerint Australes flatus, hinc conjectare licet, quod dum in hac urbe, & in campestri regione grassaretur hæc febris, villæ, & oppida ad collium radices posita satis salubriter degerent, ac veluti in portu aliorum spectarent naufragium, utpote ab Apennini jugis protecta ne ab Australibus flatibus adeo infestarentur, non ita vero loca in sublimiori parte Apennini sita, sicut & urbs nostra cum tota planitie iisdem flatibus magis exposita.

XLI. Quam male autem apud nos, ac fere ubique Auster audire soleat, nemo non novit, cum non solum Medici, sed populares quoque, tanquam morborum pestilentium parentem Austrum deprædicent. Quid vero secum ad nos comportet ventus iste, num gravis sit, ac noxius ob nimiam humiditatem, unde nomen sumpsit (Auster enim Νότος græce dicitur) an quia Lybiæ deserta venenatis animalibus infecta transgrediens, ut putat Langius *l.* 1. *Ep.* 19. collectum virus ad nos deferat, non tam facile est decernere; id certum tamen, ac ipsis sensibus obvium, nihil magis, ac temporis pene momento aeris statum immutare posse, quam flantem Austrum, ut aer ex ponderoso levior reddatur, ac ob id forsan nobis infensus, & vitalibus muniis minus idoneus, veluti sat manifestis notis testatur Barometer; nam, ut in Ephemeridibus meis Barometricis hoc anno 1694. editis annotavi, quoties ex Australi plaga flant venti, illico Mercurius e sua sublimitate ad infimam usque stationem decidit, qua minor in Barometro non observatur. Cum autem Australiana constitutio aerem leviorem efficiat, dum cuncta tunc temporis nimia humiditate diffluunt, quæsita quidem mihi est ratio, num vero reperta fuerit, ut verum fatear, mihi hæret aqua, ut dici consuevit.

XLII. Australem ergo constitutionem aerem vitiantem, magis quam quodcumque aliud culpare licet, ita tamen ut a causis procatarcticis hujus peticularis febris non excludam alimenta a rubigali lue vitiata, tanquam communem causam cuicumque hominum generi, illegitimas anni temporum vicissitudines, ac intemperantias, pluviarum multitudines, verbo, complurium causarum syndromem, unde humoralis massa a naturali sua temperie degenerans talem dispositionem nacta fuerit, ut hæc maligna febris emerserit, quæ eo utique perdurarit, donec aere in contrarium statum migrante sanguis, ac spiritus crasin priori contrariam adsciverint.

XLIII. Qualis porro grassante hac febre fuerit sanguinis, & aliorum liquidorum status, num ad fluorem, vel ad concretionem potius vergerent, mihi quidem non satis constare visum est. Revera si tum recentiorum, tum antiquorum Medicorum Oracula consulamus, tam varia, ac dissidentia inter se responsa pro statuenda genuina, ac vera febrium malignarum causa referentur, ut quilibet ex librorum lectione animo potius distractus, quam instructus abscedat. Hic mihi non vacat, nec multum refert, longa nomenclatura nostri ævi Scriptores in binas acies divisos, tanquam ex adverso dimicantes recensere, quorum alii proximam, & immediatam malignitatis causam in sanguinis promptitudine, ob acidi præpollentiam, & Gorgonios spiritus, ut ajunt, ad concrescendum constituunt, alii in sanguine nimis dissoluto, & ad fluorem evecto ob sal volatile, & alchali acerrimum illi permixtum, adeo ut in hoc bivio, in quam partem quis se dedat magnos habiturus sit Patronos, quibus causam suam tueatur, non ex voto res successerit. Sic in re tanti momenti, qualis est maligni morbi cognitio, tam parum inter ipsos Medicinæ Antesignanos convenit, ut post tot glorioſa Anatomica, & Chymica inventa adhuc nesciatur quid sit sentiendum, nec qua sit eundum.

XLIV. Despicatui tamen nequaquam duxerim notionem illam malignitatis, quam experimenta ex Medicina infusoria desumpta nobis suggerunt; siquidem acidis liquoribus in vena animalium vivorum injectis, & iisdem animalibus post mortem dissectis, sanguis in venis, & in ipso corde concretus, & grumefactus, sat manifeste conspicitur, sicuti liquoribus lixivialibus, & alchalis similiter infusis sanguis sine fibris, ac totus dissolutus observatur, adeo, ut ex hujusmodi observatione omnia venena tam externa, quam intus genita ad alterutra ex his classibus satis commode referri possint. Debemus hoc sane Medicorum nostræ ætatis solertiæ, qui hujusmodi experimentis, & sensuum ministerio, lucem aliquam mentibus nostris affundunt, quomodo scilicet, & quibus spiculis armentur in nostris corporibus humores alibiles cum venenatam naturam accersunt, & malignas febres accendunt, ut potis sint modo sanguinem coagulare, modo fundere, atque dissolvere, quod non parvi momenti est, ut in morbis malignis (acri judicio re prius pensitata) recta curatio institui possit, nec indiscriminatim Alexipharmata exhibeantur, alchalicis stimulis equum currentem interdum incitando, cum acidorum fræno opus esset.

XLV. Quamvis autem venenorum naturam, tum eorum quæ propinantur, seu ab animalibus per morsum, vel alio modo inferuntur, tum illorum quæ in corporibus nostris progigni solent, & malignos morbos excitant, revera felicius explicent recentiores Medici, quam priores, qui ad publicum occultarum qualitatum asylum provocabant, ac meliori methodo credantur curari maligni morbi quam olim, corrigendo nimirum per acida enormitates ab alchali productas, & per alchalica quæ ab acido ortum duxerint, id tamen antiquiores Medicos non prorsus latuisse censendum est. Ab hisce duabus oppositis in sanguine dispositionibus, nimia scilicet laxitate, & adstrictione morbos omnes deduci, opinio fuit Asclepiadis, ut pluribus in locis refert Galenus, 2. *de Elem. cap.* 3. quod idem sensisse visus est Vegetius in Arte Veterinaria *l.* 1. *c.* 28. pro medela sanguinis nimis adstricti venæ sectionem commendans. Extat apud Hippocratem 7. *Epid. n.* 39. sat insignis historia, vere memoratu digna; ex qua satis liquet, priscos illos in malignis morbis, non quæcumque antidoti nomine insignita essent præscripsisse, ut etiamnum a nonnullis factitari video, qui ubi constiterit febrem esse malignantis naturæ, cælum terræ miscent, nullum non Alexipharmaci genus præscribendo. Maligna febre laboravit Nicoxenus, *lingua ardebat*, ait Hippocrates, *calor forinsecus non valde fortis, exolutio corporis vehemens, vox fracta, ut operosum esset exaudire, clara tamen, tempora collapsa, oculi cavi, pedes molles, ac tepidi, juxta splenem distensio, urina clara, decubitus supinus, crura diducta, ac disparata ob exolitionem, penitus vigil.* Et quid non ut maligniſſimæ febris ideam quis concipiat? Superstes tamen evasit; at quonam remediorum apparatu, ac molimine Domitor ille morborum febrem hanc adeo mortiferam subegit; *Potus erat aqua de farina crassa in ipsa macerata, sed, & de pomis simulque mali punici succus, & lentis torrefactæ, & farinæ lotura cocta.* Verba sunt divini senis; quibus autem remediis nostra hac ætate tentaretur hujusmodi febris curatio novit Deus; certe timendum esset, ne id contingeret quod apud Plutarchum reprehendebat Erasistratus, ut scilicet ὁμοῦ μεταλλικὰ, καὶ θηριακὰ, τὰ τε ἀπὸ γῆς, καὶ θαλάττης εἰς τὸ αὐτὸ συγκεκραικότας. At quæso Vallesii egregii Commentarios, sive expositionem audiamus, *Animadvertendum*, ait ille, *aliquando febrem malignam cum Exanthematis pituitosam, aliquando biliosam, aliquando etiam atrabilariam, & curationem ita variare; huic non tam crassorum, quam acrium, & tenuium humorum fuisse redundantiam indicavit ustio, & pervigilium. Ob id contulerunt illæ potiones, quæ aliis fuissent adversissimæ; fuisset tamen huic adversissimum Theriaca uti, aut decoctis, & herbis calidis, quamvis essent Alexipharmacæ, ut Dictamni, & Scabiosæ, & Cardui benedicti, quod aliis talia solent esse usui.*

XLVI. Sicuti autem in determinanda malignarum causa in genere adeo inter se dissentientes sunt Medicinæ Proceres, sic multo minus in explicanda febris peticularis natura, & causis consentiunt; neque recentes ac nostrorum temporum tantummodo sunt controversiæ,

etenim

etenim An. 1528. grassante per Italiam lenticulari febre, ut Clarisſ. Fracastorius *l.* 2. *de Contag. Morb. c.* 6. refert, tanta fuit pro hujus febris curatione inter Medicos discordia, ut pene ludibrio haberentur, cum ob ignoratam febris causam, & morem, neque in victu instituendo, neque in alio remediorum genere administrando convenirent, adeo ut, eodem referente, inter has controversias *magna Mortalium pars, & Nobilitas perierit*. Nostra hac ætate, tanquam in binas acies oppositas, Medicinæ Scriptores divisos observo peticularis febris naturam, vel per sanguinis coagulationem, vel per ejusdem dissolutionem exponentes. Celeberrimus Willis, Simon Pauli, Auctores Zod. Med. Gallici, aliique plausibili sane ratiocinio putant in hujusmodi febre naturalem systasim sanguinis in crassam, ac nimis lentam secedete ob acidi prædominium, adeo ut, dum sanguis in orbem agitur, illius particulæ fixiores a venarum extremitatibus, haud rite absorbeantur, & captivæ detentæ picturatam cutim efficiant. Et mullerus, Sylvius, Menjotius, aliique hujus febris naturam, & peticularium generationem a fibris sanguinis dissolutis a sua statione dimotis, ob sal acre, & volatile sanguinem ac fusionem disponens deducunt, quo pacto similiter cruore ab arteriolarum osculis effuso illius partes tenuiores, tanquam transfugæ, a circulari motu exorbitant, ac sui erroris notas in cute designant.

XLVII. Ne vero in recensendis aliorum placitis ulterius immorer, arbitrari licet in hac febre nostra peticulari cruoris massam ad fluorem potius, quam ad concretionem pronam fuisse, cujus asserti præcipuam conjecturam stabilire licet super manifestas notas, quas sanguis eductus præferebat, semper enim roseus ac purpureus, nihilque glutinosi præsens, mihi aliisque Professoribus apparuit, tam æstivo tempore, quam hyemali. Cum sanguis ergo emissus toto cælo differret ab eo qui solet educi in quibusdam morbis, ut pleuritide, peripneumonia, erysipelate, aliisque affectibus interdum popularibus in quibus sanguis colore, & lentore vitium suum prodit, mihi visum est, *Oculis magis, quam opinioni credendum* (ut ipsius Hippocratis 1. *de Diæta n.* 5. verbis utar) & accensionem quandam partium tenuiorum sanguinis, & præcipue seri e vasis diffusionem, ex qua tot symptomatum enarratorum diritas ortum duceret. Talem autem massæ sanguineæ adfuisse dispositionem multa alia attestabantur, ut primo quidem quod truculenta hæc febris juvenes habitiores, & succulentos corriperet, ut superius annotavimus, valetudinarios vero, & seniores præteriret, non secus ac *Præterit imbelles ira Leonis oves*. Seminium enim illud intus per inspiratum, vel quomodocumque ab aere susceptum, & quod multum alchalicæ acrimoniæ occuleret promptius diathesim suam exerebat in iis in quibus sanguis optimus esset ac particulis spirituosis refertus, quam in valetudinariis, & senibus, quibus sanguis est effœtus, ideoque aptior ad retundenda acuta spicula, quibus armatum erat malignum miasma, quæ forsan est ratio, cur senes *Pestilentiam minime sentiant*, ut scripsit Plinius, *l.* 7. *H. N. c.*50. seu pesti minus sint obnoxii quam juvenes, de quo Zarotus in Martialem. Sicuti enim vina generosa æstivo tempore facilius putrescunt quam dilutiora (saltem in hac urbe, quæ ob aquarum subterranearum copiam Hypogæis caret) cum vina meraca, & generosa sub aere æstuante ob copiosos spiritus quibus turgent facillime in Zymosin corruptivam urgeantur, non ita vero vina Olygophora ob partes aquosas quibus abunde scatent. Talem quoque sanguinis diathesim testabantur virium subita prostratio, pulsus parvi, quæ duo satis constant, ac vigent in iis morbis, (ut in affectibus pectoris) in quibus sanguis per venam sectam emissus manifestam præbet concrescentiam. Usus præterea acidorum salubrior compertus quam alchalium, sicuti, & vesicantium applicatio minus prospera, ut quæ sanguini ad fluorem prono stimulos adjicerent, idem confirmare videbantur, quibus accenseri poterat V. S. parum salutaris, a qua ægrotantes cane pejus, & angue abhorrebant.

XLVIII. Nec mirum improspere cessisse venæ sectionem perstite hujusmodi humorum dispositione, quod ut plurimum in Epidemicis, & pestilentibus constitutionibus evenit, in quibus phlebotomia non admodum bene audit (cum perraro contingat ut ejusmodi temporibus ad fixitatem humores vergant, ni potius ad liquationem tendant ob aereum venenum satis tenue, partibus sanguinis spirituosioribus nimis hostile. Eandem ob causam in omnibus malignis febribus suspenso pede ad venæ sectionem progredi solet ob metum ne una cum sanguine collabascant vires; idcirco Celsus de febris pestilentis cura *l.* 3. *c.* 7. ajebat, *Sanguinem non facile mittere, Alvum non facile ducere*, ac valde rationabiliter Doctissimus Vir Jo. Baptista Scaramuccius Urbini Medicus Primarius in Theorematibus suis Physico-Medicis *Theo.* 1. Sanguinis missionem improbat, ubi sales lixiviales præpolleant, a quibus aliqua dissolutio possit emergere.

XLIX. At cur talia e cucurbitulis scarificatis vereri non licebat, inquiet aliquis, quasi sanguis per eas emissus non ex eodem fonte prodiret, ac is qui per venam sectam educitur, ni forsan floridior etiam sit is, qui per cucurbitulas extrahitur sectis multis arteriolis? Non ibo certe inficias sanguinem per cucurbitulas eductum vividiorem esse. fuisse tamen proficuum cucubitularum usum, quam phlebotomiam, non popularis confidentia, sed experientia quæ ratiociniis nostris persæpe illudit, satis evincit. Neque suarum rationum fulcimento carebat hoc præsidii genus. In hac enim febre, in qua humores a natura ab intimis ad extima propellebantur, hoc pacto magis promovebatur ad corporis ambitum illorum motus, ac variis in locis incisa cute expirabat aliquantisper occultum illud venenum quod ad cutem protrusum inibi hærebat ab aere ambiente repercussum.

L. Huic præposterо, ut rebar, cucurbitularum usui & ipse sub initium hujusce popularis morbi non parum obstiti, urgebamque levandam prius per venæ sectionem naturam eo quo premebatur fasce, nec intempestiva cucurbitularum appositione solicitandum humorum motum, tempore præsertim ebullitionis; reclamabam sanguinis missionem nullatenus trahere a circumferentia ad centrum, imo toto eo tempore quo aperta sit vena, majori nisu ad eam partem quam ad reliquas sanguinem moveri, fidendumque potius rationi quam eventui, quem stultorum Magistrum esse ajebat Q. Fabius M. apud Livium *l.* 22. At sors melior eorum qui hoc præsidii genere, vel in ipso morbi principio, utebantur, vellebat aurem, monebatque vertendum stylum, nec tanti faciendas esse rationes confictas, quanti experientiam ipsam. Extant sane multa apud Auctores de cucurbitularum usu, ac si placet etiam de abusu (ut Hippolytus Obicius in suo libro de multiplici in Medicina abusu *c.* 7.) ac revera omnes fere in acutorum morborum principio (nisi prius per V. S. plenitudini provisum fuerit) illarum usum improbant, Fracastorius tamen in febre lenticulari, quæ ipsius ætate, ut superius memoravimus, pervagata est, venæ sectioni parcendum volebat, ubi præsertim valde sparsa contagio esset, & cucurbitularum appositionem commendabat, nisi magna adesset plenitudo. Quanti porro faceret in hac febre cucurbitularum usum P. Alpinus ex solo capite quod in libro de Medicina Ægyptiorum *l.* 2. *c.* 16. instituit, dignosci potest; disquirit enim, *An errent Ægyptii Medici non utentes cucurbitulis pro adjuvanda Exanthematum eruptione;* ex recentioribus vero P. Borellus annotavit anno 1648. febres malignas epidemicas purpuratas cum magna clade grassatas fuisse, & frequentem cucurbitularum usum valde profuisse.

LI. Hinc mihi visum est considerandas non esse peticulas ut simplex malignæ febris signum, veluti communis fert opinio, nec a criticarum excretionum censu excludendas, quod ex Clar. Diemetbroechii observatione, qui peticularum historiam egregie absolvit, confirmari potest; refert enim hic Auctor sibi observatum in denatis ex purpurata febre partes omnes internas peticulis obsitas esse, quod tamen multo ante, si non oculorum, saltem mentis acie, pertigerant Vallesius in historia Simonis; Ballonius in suis Epidemiis, Fernelius in libro de Febribus. Mihi quidem cadaver ullum dissecare non licuit, ut ex autopsia peticularis hujusce diffusionis per interiora corporis certior fierem, (quando apud nos nullo pretio quisquam ex plebecula cadaver aliquod ex suis domesticis pro simplici inspectione permitteret) constans tamen observatio, quod ii qui ex hac tempestate evaserunt, per nullam sensibilem humorum excretionem convaluerint, ut superius annotavi, sed per solam peticularum suo loco, & tempore apparitionem, ac per totum corpus expansionem, lentamque earundem evanescentiam, ad credendum compellit, naturam post factam primis diebus justam humorum ebullitionem virulentum illum ichorem despumasse, ac illum primo quidem in partibus internis, mox in externis quoque depositisse, ut hoc pacto per mille arteriarum oscula retro illo miasmate exantlato tota massa sanguinea pristino suo nitori redderetur. Curiosum autem est id quod Diemerbroechius refert sibi in cadavere ex hac febre extincto observatum, nimirum, maculas hasce ab ipso perioslio initium ducere, & lata basi instar fumi lampadis recenter extinctæ.

LII. Non tam modicum igitur esse illud quod in peticulari febre e sanguineo penu secernitur censendum est, imo toto eo tempore quo hujus morbi historia absolvitur, talem esse diacrisim, quæ in criticarum censu reponi possit, quamvis non adeo sensibilis sit, ut reliquæ evacuationes criticæ, tum ob materiæ tenuitatem, quæ insensibiliter expirat, tum quod illius pars major per interiora corporis diffundatur, in cute pyramidis tantum apice apparente: Sic non inepte explicari posse crediderim superius enarrata symptomata, quæ febrim hanc comitabantur, sicuti & modum quo natura harum febrium curationem moliebatur; dorsi enim, ac totius corporis lassitudo, qualis in febribus, quæ κοπιώδεις dicuntur, non aliunde quam ab ichore illo ab arteriarum osculis in membranas, & musculorum fibras refuso ortum ducebat, sicuti & præcordiorum anxietas, faucium ardor, aurium surditas, mentis stupor, ab eadem materia pendebant ad partes transmissa, ubi functiones animales, & vitales exercentur. Cum enim natura totum venosum genus a pravo illo miasmate expurgare vellet, non unam sibi viam eligebat, quo noxios humores eliminaret (ut aliquando per vomitum, alvi fluxum, urinarias vias, cutis poros solet efficere) sed tot sibi fores aperuit quot sunt arteriarum oscula, idcirco omnes fere corporis partes noxam sentiebant, donec rejectamentis illis discussis priorem tonum recuperarent. Cum hoc modo itaque in hac febre expugnanda natura procederet, mirum non est, si suspenso pede ad venæ sectionem, aliaque remedia administranda procedendum erat, ne distraheretur natura, & cur felicius res cesserit Medicis sanguinis absteniis quam philematicis, quam ob causam pagani facilius evadebant, quam urbani, qui persæpe medendo ægrescebant.

LIII. Ubi vero malignum illud virus præpollebat ad internecionem usque spirituum animalium, & vitalium, cuncta in pejus citissime ruebant, peticulis seu vix se prodentibus, seu subito evanescentibus, quibus præsto aderant summa virium prostratio, asphyxiæ, totius corporis perfrigerationes, singultus, & ischuriæ spuriæ, quæ satis frequentes fuerunt; cessante enim spirituum animalium influxu, & feriante corde a naturali motu, nullus fiebat arterioſi sanguinis ad renes appulsus, & consequenter nulla seri secretio; qui autem ex hac febre occumbebant pleni, & succulenti, ut diximus, efferebantur, eo quod non ingens esset calor, qui febres istas comitaretur, (quam ob causam non admodum sitirent) & quia pertenue esset quod per transpiratum exhalaret. Cur vero decrescente luna, ac eadem silente, magis sæviret hæc febris (si in re tam abstrusa licet aliquid conjicere) id fieri potuisse crediderim, eo quod sicuti in Microcosmo dicitur luna gubernatrix tenebrarum, & mobilis undæ, cum illi uni æquor obtemperet, sic super Microcosmi limpham dominatum obtineat, & quemadmodum *omnia in Plenilunio Maria purgantur*, ut ait Plinius *l.* 2. *H. N. cap.* 98. ita in hac febre, dum luna pleno lumine vigeret, sanguineum serum in motum cieret, unde promptius macularum eruptio, & totius massæ humoralis repurgatio contingeret, ejus vero lumine deficiente, ac per totum tempus illud, segnius moverentur humores, ideoque minus apti ad exitum, & sic concluſi febrem augerent.

LIV. Quoad reliqua symptomata, quæ hisce febribus in progressu superveniebant, ut singultus, alvi fluxus, verminosa soboles, hæc non solum morbi sævitiam prodebant, sed primam regionem crudis humoribus oneratam fuisse demonstrabant, propterea blanda purgatio, non Mochlica, in principio harum febrium peticularium non prorsus fuit incommoda, quamvis casu instituta, nec credita febribus hujus prosapiæ multum conferre; leniter enim educta humorum saburra in stomacho contenta, natura exinde ad perficiendum opus suum pro massæ sanguineæ a pravo miasmate expurgatione per macularum diffusionem ad cutem usque facilius procedebat. Hoc documentum blandæ purgationis in principio vel neglectum, vel parum salutare creditum, non levi damno ægrotantibus fuisse crediderim, præpeditis enim, ac conspurcatis primis viis, cardiacis remediis, quibus oppugnanda erat febris, præcludebantur fores, vel iis non licebat cruoris sedem, & cordis penetralia nonnisi deturpata facie subire. Hanc ob causam suspecta sunt alexipharmaca in malignarum principiis, nisi ab obstructionibus expeditæ sint viæ, ut apud Galenum, 5. *de San. tu. cap.* 6. Septalium, *Caut. Med. lib.* 5. *num.* 47.

lib.

lib. 2. cap. 13. & alios videre est, quidquid in contrarium sentiat Manelphus in libro suo de febribus.

LV. Haud me latet non adeo probari a multis in principio harum febrium purgationem hanc per medicamenta Syrmesma dicta, ut P. a Castro in aureo suo Opusculo de Puncticulari Febre, ubi in specie electuarium lenitivum improbat, Antonio Ponce a S. Cruce, Vallesio in commento historiæ Simonis apud Hippocratem, ac inter recentiores Etmullero, qui suspectos habet in purpuratis febribus clysteres ipsos, nedum purgantia; non desunt tamen qui levem purgationem admittant, ut Septalius qui Galenum *lib. 5. Anim. num.* 47. ipsum testem adducit in famosa historia Simonis, *cui lata Exanthemata erant*, purgationem aliquando commendantem.

LVI. Usus porro Peruviani corticis parum salutaris compertus est, vel quod tunc temporis exhiberetur, cum stimulo opus esset non fræno, dum remedium istud, ut diximus, præscriberetur in febre lenta peticulari febri non bene judicatæ superstite, vel quod tale præsidii genus febribus hujus prosapiæ non conveniret. Varie profecto audit, ac variam experitur sortem, vel in iisdem locis, ac regionibus, famosum istud febrifugum, ut eodem tempore laudetur ab his, culpetur ab illis, & modo probrosius, modo magnificis titulis vocetur, medicinam dolosam Peruvianum corticem vocat Willisius *de Febr. cap. 6.* Richardus vero Mortonus Medicus Anglus *in Pirethologia*, plantam e qua detrahitur cortex iste, arborem vitæ appellat; num id contingat ob remedii inefficaciam, quod non omnibus febribus, nec in quolibet temperamento conveniat, an ob medentium incuriam, qui non rite suo loco, & tempore illud exhibeant, merito ambigi potest. Mehercle omne febrium genus tam magnas, quam parvas, intermittentes pariter, ac continuas gladio hoc Delphico jugulare velle summa dementia est, & funesti casus ubique memorantur, in quibus China China inauspicato assumpta ægrotantes vel inopinato sustulit, vel ad insanabiles ægritudines sensim deduxit. Cautiones certe notatu dignas pro recto Chinæ Chinæ usu videre est apud celeberrimum Etmullerum in Dissertatione de usu, & abusu Præcipitantium, ubi spiritum salis armoniaci proponit ad excitandam febrem a China China sopitam, quotiescunque, abdominis dolores, artuum ostocops, alvi occlusio, nocturni sudores, aliaque mala supervenerunt; refert enim observatum spiritum salis armoniaci febres ab hoc cortice fugatas prompto revocasse. Non est hujus loci in usum, & naturam tam celebris febrifugi altius inquirere; solum hac occasione memorare libeat, annotasse me in prima mea Dissertatione de constitutione Anni 1690. (quod ulteriori observatione confirmatum comperi) in frigidis & humidis constitutionibus quæ corpora nostra crassis humoribus infarciunt, parum salutarem esse corticis Peruviani usum; in calidis vero, & siccis constitutionibus, in quibus humores aliquo egent sufflamine, remedium istud egregiam operam præstitisse.

LVII. Quamvis autem in hac mea Dissertatione præcipuam curam impenderim, ut hujus malignæ febris, quæ tandiu pervagata est, indolem, ac genium explorarem, & exponerem quibus præsidiis illius oppugnatio tentata fuerit, non ideo tamen inficias ibo multas alias graves ægritudines sporadicas eodem tempore hunc vel illum afflixisse, ac etiam sustulisse, quales sunt morbi particulares secundum varia anni tempora, ut Æstate choleræ; Autumno febres erraticæ, & Quartanæ, & modo morbi Hyemales, & Vernales, sed quia in iis nil Epidemici annotare licuit, eos propterea silentio transigere volui, quando illorum Theoria, & Therapeja apud Practicos Scriptores satis vulgata est, nec illorum curatione quicquam magis desideratur quam medentis judicium, & prudentia. Quia vero in morbis vulgaribus (qui ut plurimum satis vulgari diligentia tractari solent) memorandum illud τὸ θεῖον Hippocratis delitescere video, in illorum indagine potissimum mihi desudandum fuit, nec unquam desistam quin Professores exhorter, ut in hunc campum pedem immittant ubi non spicilegium, sed segetem amplissimam contemplationum semper invenient, & quæ ipsis decori, & ægris saluti futuræ sint.

LVIII. Ad duos fines nos militare scripsit divinus senex, *in Epist. ad Cratenam*, *unum Hominis*, *alterum Artis*; nostra vero hac ætate nescio quo genio, medentum Primores in rebus quæ decus quidem aliquod arti, sed nullum pene ægrotantibus præsidium possint inferre sunt occupatissimi, cum enim toti sint in minis explorandis, ac tanquam in haruspicina ad extispicia intenti, ex viscerum fibrillis naturæ opera, ac magisteria alioquin deprehensibilia divinare præsumant, ad gloriam, & nominis celebritatem aucupandam solum incumbunt, quasi eo res deducta fuerit, ut in re medica non nisi professoribus, exercendi ingenii, & famæ comparandæ locus relictus fuerit. Quid si Aristophanes hodie viveret? quibus salibus, curiosam hanc diligentiam non perfricaret? liceat referre illius versiculos, qui in sua puritate plus habebunt leporis, & energiæ; interrogatus ergo Socratis discipulus a Therpsiade per quamnam viam canerent culices, num per superiora, an per inferiora.

ἔφασκεν εἶναι τοὐτερον τῆς ἐμπίδος
στενὸν διαλέπτου δότος αὐτῇ τῷ τυοὴν
βίᾳ βαδίζειν ἀϑὺ τὸ ὑρρόπυγίου.
ἔπειτα κοίλον πρὸς στενῷ προσκῆμενον,
τὸν βρωχτὸν ἦχεῖν ὑπὸ βίας τῇ πνεύματος.

Idest ex versione Andreæ Divi Justinopolitani.

Dixit esse intestinum pulicis
Augustum, per parvi autem existentis ipsius spiritum,
Ut ire recta in podicem,
Postea concavum ad angustum adjacentem
Podicem sonare a vi spiritus.

LIX. Absit tamen quod anatomicam indaginem tanquam laborem improbum traducam; solum dolendum videtur, quod cum Spartam hanc satis ornatam, & excultam esse pateat quantum praxis medica exigit, omnes fere qui ingenio magis præstant in id usque ad temporis dispendium incumbant, cum ad alia magis usui futura mentem ac vires possent intendere, inter quæ non postremum sane locum meretur Epidemicorum affectuum historia, qua nihil in re medica forsan magis desideratur, & minus excolitur.

HISTORIA EPIDEMICA GERMANIÆ.

Constitutio Epidemica Augustana Ann. 1695.

DN. D. LUCÆ SCHROCKII,

Academiæ Cæsareo-Leopoldinæ Naturæ Curiosorum Præsidis.

PRæclarum institutum, quo singulorum annorum Epidemias erudito calamo conscribere nuper incepit Italiæ suæ ornamentum, Illustr. *D. Bernardinus Ramazzinus*, Archiater & Professor Mutinensis meritissimus, insigni utilitate cum sese commendet, simile quid etiam in Germania nostra moliri, & breviores de Epidemica annorum constitutione relationes exhibere dum intendimus, idem circa dilectam Patriam meam, Augustam, vicinumque districtum, quantum observare mihi datum fuit, simplici historia fideliter tentare, simulque Nobilissimos meos Dn. Collegas naturæ curiosos ad similem, observata possibili brevitate, præstandam operam humaniter invitare libuit. Eo majorem autem ad hoc persensi stimulum, cum nostri quondam *Nestoris I.* celeb. *Dn. Georgii Hieronymi Welschii* manuscriptus libellus, quem *Epidemica Vindelica* inscripsit, ab anno Christ. usque ad 1677. in manus meas devenerit; quem laborem mihi hucusque continuare placuit. Quamvis autem hæc in publicum emittere nunquam animus mihi fuerit; Welschianis illis partim nimis succinctis, partim & imperfectis exsistentibus, meis autem collectaneis in propriæ solum memoriæ subsidium destinatis, si tamen vel tantillum utilitatis in rem medicam ac posteritatem inde resultare posset, publico, qualecumque demum fuerit, haud denegabo.

Ut autem anni 1695. statum exordiar, postquam solstitium hyemale frigore intenso annum 1694. terminavit, non minus insequens annus, multis nebulis comitatus, frigore molestus intravit; & quamvis paulo post temperatior aura, Zephyro flante, quin & pluvias adducente, redderetur, euro tamen & austro circa finem Januarii St. Greg. nives spargentibus, insignes frigoris molestias denuo persensimus, easque, licet post bacchanalia mitior aura per aliquot dies spirasset, usque ad æquinoctium vernale perferre coacti fuimus. Unde in hac aeris anomalia non potuit non insignis in sanguine mutatio contingere, & cumprimis lympha non tantum ab intromissis ex pluviosa constitutione copiosioribus aqueis moleculis multum augeri, sed calidiorem etiam ob aurani magis rarefieri, quam tamen frigidior superveniens denuo condensare, inque liberiore transpiratione impedire, ac passim stagnationem inducere valuit; quo in statu cum nec digestiones aut debitæ secretiones sufficienter celebrari, nec sanguinis motus placide promoveri, spirituumve puritas aut vigor conservari queat, facile colligere datur, quam variæ in œconomia animali & vitali turbæ excitentur, eo graviores futuræ, si una impuriores, salsæ, sulphureæque lateant particulæ, quæ hinc fermentatione concepta malignam vel venenatam quasi naturam induant, aut etiam latentem antea malignam auram suscitent. Cum vero aliquot jam per annos tale quid in urbe nostra sedem fixisse comperiamus, ut licet cessare nonnumquam per unam alteramve septimanam videatur, mox tamen exserere se denuo incipiat, quin & contagio se haud obscure propagare nitatur, experientia nos edocuit, toto hoc tempore febres continuas fuisse obortas, quæ majori ex parte malignitatis notas, tum consuetis symptomatibus, tum maculis peticularibus ostendebant, quibus aquosæ pustulæ, ut plurimum dum morbus ad declinationem vergeret, cum nova caloris symptomatumque exacerbatione, in multis superveniebant: pauciissimi erant, qui per morbum delirabant; in plurimis pleuritidem primo vel catharrum mentiebatur morbus, quamvis etiam tum temporis, præter arthritides vagas, pleuritis non infrequens esset, & aliquos graviter; quin & pustulis illis miliaribus malignis simul affligeret. Dira etiam intermittentium febrium, quotidianarum, erraticarum, & tertianarum cohors urbi incubuit. Quæ morborum facies, remissiore quidem in vere, frigida cum mitiore aura semper reciprocante, continuabat; quibus, ex ejusdem seri hic ibi stagnantis, & glandulas inundatis ad coagulum pronitate, catharri pectori infesti, & nonnullos cum febrili effervescentia occupantes, accedebant, quotidianæ vero & erraticæ febres, hecticarum fere æmulæ, magis magisque se diffundebant, atque ægrotos in juvenili ac teneriori ætate constitutos graviter affligebant, Medicisque ob mali pertinaciam multum negotii, fere usque ad autumnale Æquinoctium faciebat, aderat in omnibus circa orificium ventriculi superius præcordiorum compressio, appetitus prostratus, virium lassitudo, corporis extenuatio, caloris intensio, vespertino tamen ut plurimum tempore exacerbatio; in quibusdam exiguus hujus, in aliis fere continuus sensus, sudoris rara eruptio; ardor vero & dolor tensivus manuum ac pedum ægros admodum torquebant: nec pauci erant, quos, perseverante adhuc morbo, loquela, sine deperdito tamen linguæ motu, destituerat, aliquibus etiam surditas, & aliquibus sensuum internorum stupor, per plures dies, vel duas treve hebdomadas accesserant; malo hoc postea, recedente febre, sponte quasi iterum cessante. Medicamenta autem quæ acorem præternaturalem atque lentorem lymphæ, non negligendo ea, quæ genus nervosum ac spiritus confortare &c. poterant, ex. gr. specificum antihecticum Poterii, gammarorum lapillos, elixirium proprietatis beat. nostri Clauderi, essentiam corticis Peruviani &c. proficua deprehendi; sicut tincturam bezoardicam D. Mich. sal cornu cervini volatile, essentiam mumiæ Clauderianam, Diascordium Fracastorii, theriacam cœlestem Greiffianam, pulverem Sabaudicum, rubeum Pannonicum, cum antimonio diaphoretico, unicornu fossili & marino, pro subjectorum & symptomatum varietate, in tempore & provide propinata, non inefficacia in malignis fuisse, experientia docuit.

Cum sol Gemellorum signum ingrederetur, & crebrioribus pluviis perfunderemur, catharri frequentes esse cœperant, tonsillarum in primis intumescentiam inducentes, (consuetisque seri coagulum externe & interne resolventibus medicamentis obtemperantes) præcipue cum frigus insolitum, de quo alibi locorum non minus passim conquerebantur, æstatem subinde odiosam reddidisset.

Circa Æquinoctium autumnale, itidem frigore molestum, humorosum convulsivum asthma in puerilem ætatem sæviebat, aliquos etiam

etiam trucidabat. Postea tamen, licet haud clementior esset aeris, pluviosa nempe & frigidiuscula ut plurimum temperies, imo post medium Octobrem, totum insequentem mensem, nec non dimidium Decembrem frequentissimæ nebulæ, ac per plures sæpe dies continuæ aerem occuparent, Morbo attamen magnas dabat inducias; quæ vero collecta interea ex vaporosis istis halitibus novo infirmitatum apparatu & serosa colluvie, eo acrius insurgebat, & sole Scorpionis signum egressuro, arthritides vagas, rheumatismos, in quibusdam intenso dolore nucham, frequentissime autem pectus tussi graviori excruciantes, in senibus quoque apoplexias fortes lethales accersebat; quin & febres denuo malignæ, petechiis & pustulis stipatæ, hactenus rariores observatæ, majori jam impetu pluribus insultabant, cephalalgia in principio morbi vehementi, brevi tamen recedente, intensis dorsi doloribus, præcordiorum compressione, tussi, alvi constipatione molestæ; cuni interea urinæ color non multum a statu naturali recederet, vel justo dilutior compareret, nec pulsus admodum irregularis esset. Frigore autem ultimum anni mensem, satisque intenso ejusdem exitum comitante, pacatiora rursus tempora, atque popullariter grassantibus morbis liberiora sequebantur, postquam febrium malignitas supradictis remediis, rheumatismi autem infusi thee, aut analogi veronicæ, betonicæ &c. succinatorum, saliumque volatilium urinosorum, non neglecto, ubi opus erat, moderato opiatorum, in primis pilularum de cynogloss Nic. usu; arthritides denique cinnabarinis, antimoniatis, lumbricatis, quin &, cum in quibusdam febrilem aliquem insultum alteruis diebus deprehenderem, kina-kina, quibus subinde blandior ex pauco scammonii sulphurati & antimonii martialis fixi pulvere alvi laxatio interponebatur, atque dolorum sævitia per demulcentia in primis cataplasmata (spirituosis & oleosis eam magis exasperantibus) mitigabatur, essent devicta.

Cum etiam Excellentissimorum Dominorum collegarum curiosorum aliqui petito meo, in simili materia submittenda, benevole subscripserint, eorundem historias subnectere, & ordine, quo fuere transmissæ, adducere lubet.

Constitutio Epidemica Hassiaca Anni 1693. & 1694.

DN. D. MICHAELIS BERNARDI VALENTINI,

Missa d. 5. Aprilis Ann. 1695. Gissa Augustam Vindelicorum.

PRæcedente hyeme pluvioso, sed in fine gelidissimo, sub primo Vere & insolitus aeris fervor ingruebat, qualis & per omnem æstatis cursum observabatur: quæ mutatio subitanea non poterat non inæqualem & præternaturalem humorum & spirituum motum causare, quem & hominum & brutorum strages insecuta est. Boves sane & vaccæ catervatim succumbebant, cujus rei causa statuebatur inter alia ros corrosivus, lintea maculis plus minus luteis conspurcans, & omnino corrodens, de cujus ætiologia elegantissime D. Ramazzini. Ex carnificum observatione plerunque phtisi pulmonali necabantur, ad quam sine dubio haustus frigidæ copiosior post æstum intensissimum multum contribuere poterat. Hominibus præter dysenteriam & febres malignas sub finem Junii & initium Augusti hic locorum infensa erat febris quædam intermittens, ut pluriumum tertiana, sive simplex, sive duplex, solo fere calore molesta, ut a plurimis ab acutis vix distingui potuerit. Præcedenti enim levi frigusculo calor intensissimus, virium summa prostratio, anorexia &c. accedebant, quæ præmisso vomitorio, corticis Peruviani usu plerunque curabantur, cui regulus antimonii medicinalis quandoque præmittebatur, venæ sectio, quam vel ipsi urgebant aliquando ægri, nunquam noxia erat, morbumque protrahebat, aut ad minimum summam, fugata licet febri, virium debilitatem inducebat.

Hanc sequebatur paulo alia

Constitutio Anni 1694.

In qua hyemem satis inclementem calor Veris extraordinarius excipiebat, ut arbores brevi admodum in flores se induerent, qui tamen omnem, quam primum injecerant, spem eludebant, postquam frigore subito superveniente prorsus emarcuerant. Sequebatur Æstas summe calida, qua ultra hominum memoriam vix siccior observata fuit, sub cujus cursu morbilli, sed benigni fere moris grassabantur, aut sponte aut bezoardicis & expellentibus solitis cedentes, in quibus tussis & asthma præprimis erant molesta, quæ spiritu salis armoniaci anisato, seu ut hic locorum audit, spiritu pectorali anisato optime sistebantur. Annonæ summa fertilitas, duplicato modium infarciens, qua frumentorum caritas hic subito sublata fuit. Autumnus & Hyemis initium pluviis crebrioribus madebant, variisque catharris, pleuropneumoniis & febribus malignis a milite e castris ad hyberna redeunte fere allatis, plurimisque funestis erant molesta, quæ omnia frigus horrendum sub cœpti modo anni 1695. initia excepit.

Constitutio Epidemica Basileensis Anni 1695.

DN. D. JOANNIS JACOBI HARDERI,

Missa die 20. April. Ann. 1695. Basilea Augustam Vindelicorum.

MOrbi, qui cum hyemali tempore, tum eodem jam finito, epidemice fere grassabantur, sunt colicæ passiones pertinaces: apud infantes vomitus, ceu variolæ essent erupturæ, præcedente horrore, inde icterus cum dejectionibus verminosis; apud adultos quoque febres verminosæ: jam vero præter febres continuas ac intermittentes, pleuritides, & pleuropneumoniæ: singuli aeris variam constitutionem, & subitaneam immutationem, pro secunda matre agnoscentes.

Constitutio Epidemica Berolinensis Anni 1695.

DN. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP,

von der mühlen,

Missa d. 5. Januarii Ann. 1696. Berolino Augustam Vindelicorum.

DN. Præside me ad id excitante, 1. Januar. 1695. (22. Decembr. 1694.) cœpi dietim mutationem aeris ac tempestatum notare, ac observavi a plenilunio die proxime præcedenti 31. (21.) Decembr. illucescente frigus, quod hactenus satis temperatum fuerat, paulatim invalescere, nivibus subinde permixtum. 8. Januarii (29. Decembr.) autem, sub ultima quadra aere nimboso rursus parumper remittere. Sequentibus vero diebus denuo ingravescere, moderato tamen adhuc ad usque novilunium 14. (4.) Januarii ingruens. Quod subitam gelu remissionem cum nivium ac ventorum copia, postea nubilo cælo gelu iterum moderatum biduum circiter durans ad meridiem usque 18. (8.) induxit. A quo soluta rursus glacie vix medii diei inducias dedit; Nam redintegratis viribus revertens primam lunæ quadram in 22. (12.) incidentem cum pertinentibus illuc diebus, rigoroso gelu transegit, ut & plenilunium 30. (20.) lucens, sicque primum hunc mensem finiit.

Alterum eodem vigore inchoans ultimamque quadram 7. Febr. (28. Jan.) orientem ad 13. (3.) usque transiens, atque remissionem sic unius, viginti quatuor dierum, nonnunquam tamen paulum mitigato, rigore pensans duravit. Tum vero accedente eodem die 13. (3.) novilunio, rursus aliquantulum remittens pluviis glaciem, quam tot diebus gelu pepererat, unica die liquans, ac parum quod ejus restabat, copiosa nive intermixtis quoque procellis tegens, mox insequenti mane ad ingenium rediit; perque biduum gelando continuavit. Mox vero 17. (7.) rursus remisit; Ast sequenti die denuo redintegrato vigore, prima quadra 20. (10.) apparente, nec quicquam obstante ad 23. (13.) usque perrexit. Quo die remisso paululum rigore pluvias nivibus succenturiavit unica tantum die: Graviori enim impetu interpolatis subinde sereno cælo nivibus ac quandoque ventis irruens, quatriduum ad 28. (18.) usque hujus secundi mensis adeoque ultimum perstitit.

Quo die a violentia priori desciscens nivibus ac grandini pluvias interspersit; sed sequenti 1. Martii (19. Febr.) cum plenilunio denuo vim pristinam induens non modo pristinum exerüit robur, sed & auxit. Verum vix biduum servavit ab illa sævitia. 3. Martii (21. Febr.) deficiens, ac nocturnum frigus, & quandoque gelu diurnis pluviis ac nivibus temperans, reliquum illius quadræ & sequentis postremæ 8. Martii (26. Febr.) apparentis ad novilunium usque 15. (5.) accedens vario & mutabili cælo transiit. Tum priorem indolem Borea flante induit, sereno cælo gelu, nocturnum præcipue, satis validum reducens ad post primam quadram 22. (12.) radiantem ad 24. (14.) usque continuando. Inde viariam cælo faciem sumente, nunc serenam, nunc nubilam, nunc undosam, nunc siccam, nunc tranquillam, nunc turbidam cum plenilunio 30. (20.) lucente & sequenti die 31. (21.) Martium cum trimestri primo terminante, ad ultimam usque quadram etiam 6. Aprilis (26. Martii) subsequentem, die noctuque alternando frigus moderatum calore temperavit.

Morbi hujus primi trimestris initio reliquiæ fuere præcedentis varii & inconstantis autumni, diarrhœæ, dysenteriæ, febres variæ, & quartanæ præsertim & duplices tertianæ, erraticæ nonnullæ. Quibus sese junxere pleuritides, peripneumoniæ sed raræ, tusses siccæ & humidæ, harumque soboles phthisis, ut & hecticæ, sed paucæ, malignæ item febres variolis præcipue, morbillis, purpura nonnunquam, rarius tamen petechiis, sic satis adhuc benignis, intermixtis. Tertio mense accessere prioribus etiam apoplexiæ subito quosdam perimentes, & paralyses quandoque reparabiles, catharri contumaces ac tusses implacabiles, arthritides vagæ valde contumaces, & dolores ac defluxiones aliæ scorbuticæ pertinaces; plerique tamen horum morborum præter variolas sporadici fuerunt, non Epidemici.

Secundi trimestris exordium a prima Aprilis (22. Martii) ad prædictam ultimam quadram 6. Aprilis (27. Martii) accedentem usque de amœnitate præcedentis mensis participans ac veris verum initium exhibens, cum prædicto ultima quadra degeneravit, ac ingratum denuo frigus nocturnum, aerem tempestuosum, nives, grandines, pruinas, similesque inacceptos Veri hospites advexit, ad 10. Aprilis, (31. Martii) usque, qui æthere mitius paulo aspirante pluvias lenes, frigidas tamen adhuc, sparsit. Sequentes duo pluvias vento impetuoso ac frigori haud usque quaque grato miscuere, atque aeri turbulento, non tamen plane gelido, ac novilunio 13. (3.) Aprilis tranquilliori cælo, moderatiorique frigore placide ingruenti præmisere. Verum 14. (4.) ad pristinum statum tetricum, turbidum, frigidum & immitem rediens 15. (5.) gelu nocturnum ac serenius paulo cælum induxit. Cui mox gravius gelu nocturnum sudo interdiu mitigatum per biduum, huicque rursus aer temperatus ac serenus alterum biduum durans succesit. Quod nubilum rursus & frigidum excepit, succedentibus nocte sequenti nivibus, quas primæ quadræ 21. (11.) appropinquantis prodomos mane pluviæ sunt subsequutæ, a meridie cælum relinquentes nubilum, in pruinosam noctem declinans, inque temperatum insequens mane ac vernum tandem de die aerem desinens. Qui post noctem placidam, ac mane ventos nonnullos pluviolis madentes, amœnum postera die produxit 24. (14.) per biduum durans, tandemque tertia 26. (16.) die in æstivum fere solis ardorem, pluviæ admodum fertilis prænuncium transiens. Cui gratum succesit sequentibus diebus sudum pluviis nonnullis irrigatum ad 29. (19.) usque plenilunio tum lucente, ac ventorum aliquid blandorum, eteias dixisses, intercalante. Sequens dies serenus tonitru pomeridie inexpectato, & mature nimis pluvia copiosa stipatum, prima hoc anno vice submisit, sicque finem primo huic secundi trimestris mensi imposuit.

Sequens 1. Maji (21. April.) amœna serenitate inclytus, successorem habuit sui fere similem, paulo tamen magis nubilum & frigidum, perinde ut & reliquos temperato & verno cælo soleque calente abblandientes ad 5. Maji (15. Aprilis) ultimæ quadræ dicatum. Cui nubiloso & sparsis subinde pluviis ab amœnitate illa de-

degeneranti, procelloſum & frigore pluviis ac nivibus inacceptum acceſſit biduum. Illique rurſus ad 10. Maji (30. Aprilis) ingratum frigidum, udum ac pluvioſum cælum. Donec 13. (3.) Maji appropinquans novilunium poſt temperatum ſereno magis aere unicum diem inconſtantem & variam, pluviis, ventis, frigore, moderato tamen, intermixtam tempeſtatem induxiſſet, nubilum æther rarius ſolaribus radiis perviumi ad 17. (7.) uſque continuavit, ſudo tandem ſemet rurſus & calore moderato biduum durante commendantem. Quem pluviæ demum ingratæ triduum continuantes, & in grave tandem tonitru deſinentes 21. (11.) ipſo primæ quadræ die, ſecutæ. Haſque rurſus ſudum in pluvias ac tonitru a meridie terminans. Atque iſtas denuo ſequenti mane ſereno aere, frigus, hoc pluviæ lenes, clementiori paulo cælo exceptæ, illud denique ſereni aliquot rurſus dies aeris clementiæ ac vernæ amœnitatis poſtliminio quaſi cum plenilunio 28. (18.) radiante reducis, ac ad 31. (21) uſque menſis hujus Maji terminum perdurantis, mox tamen in pluvias denuo ac ventos fatiſcentis quaſi præcurſores.

A primo enim Junii (22. Maji) ingrata pluviis, ac nimbis tempeſtas, noctes gelidæ ac pruinoſæ, venti Boreales, dies a nocturno gelu rigidi, nec niſi a meridie paulum a Sole culminante degelantes ſucceſſere, ad ultimam uſque quadram 5. Junii (26. Maji) apparentem ſævientes. Hæc commodiori rurſus tempeſtati locum dedit cælo ſereno & amœno, calore grato pluviolis lenibus ac fœcundis ad 7. Junii (28. Maji) uſque durantibus ; Mox vero ab illo, vario & turbulento, frigido & pluvioſo ad novilunium uſque 11. (1.) accedens perſeverantibus permutatæ. Hoc inſequens dies ſolis radios ſereniore cælo, frigore tamen moleſto admiſit 13. (3.) denuo in pluvioſum priſtinum ac nubilum ſtatum tranſiit, 14. (4.) Nubilum ſudo temperavit, ſubſequentibus hunc aliquod ad primam uſque quadram 19. (9.) illuceſcentem & comites ejus (25.) (15.) ſolo, qui frigidior, nubilus ac pluvioſus, excepto ſerenis ac paulo mitioribus. Ipſo etiam plenilunio his accenſendo ut & reliquis, præter 30. (20.) qui menſem hunc, ſimulque trimeſtre ſecundum tonitru ac imbre clauſit.

Cujus trimeſtris primus menſis catarrhis, rheumatiſmis, tuſſibus, febribus catarrhalibus, aliiſque diverſorum generum, tertianis ſimplicibus ac duplicibus ſatis frequentibus, paucis quartanis, affectibus ſcorbuticis, hic endemiis, variis varios varie affligentibus infeſtus.

Alter, qua morbos, priori fere affinis, niſi quod in hoc variolæ nonnullæ & purpureæ febres, pleuritides veræ & ſpuriæ, petechiæ febrium ardentium malignarum nonnullarum comites, colicæ & hyſtericæ paſſiones, hypochondriaci affectus, anginæ ſeſe quandoque parcius tamen offerrent.

Tertius, præter præcedentium nonnullos, menſtrua inordinata, cachexias, ventriculi imbecillitates & cruditates, hypochondriorum dolores, colicas, diarrhœas &c. tulit.

Menſis Julii, qui tertii trimeſtris primus, initium præcedentis Junii fini poſtremum ſi exceperis diem, ultima quoque quadra 3. Julii (23. Junii) lucente, computata ad 7. Julii (27. Junii) uſque aeris ſerenitate, & ſic ſatis jucunda tempeſtate reſpondit. Hic vero nubilus fuit ac turbidus, cujus morem ſequentes ex parte imitati mane ſereno cælo, pomeridie turbidum nubilum ac pluvioſum ſubjunxerunt. Excepto 10. Julii (30. Junii) qui rurſus totus turbidus, frigidus, nubilus, & pluvioſus adeoque extreme ingratus fuit, ſubſequenti 11. (1.) Julii novilunium nubilum cælum ſudo correxit, hacque ratione reliquis quatuor ad 16. (6.) uſque commoda ſatis tempeſtate exemplo quaſi præivit. Ille autem a præcedentium more deſciſcens nubilus, frigidus ac pluvioſus ſucceſſores habuit ſeipſo meliores ac mitiores, æſtivo calore, ac ſæpius de die ſudo, noctu quandoque pluvia moderata commendabiles, ad primam quadram 19. (9.) lucentem, ut & plenilunium 25. (15.) fulgens perſeverantes & uſque 29. (19.) qui, inſolito hoc tempore, frigore, pluviis ac circa veſperam tonitru varius, ſimiles ſui ſequaces habuit, præſertim 31. (21.) frigidum valde, breveque ſudum imbre copioſo penſantem, ſicque menſem hunc ingrato epiphonemate terminantem.

Succeſſit eodem fere tenore 1. Auguſti (22. Julii) primam quadram adveheus, ſimulque aerem inſtabilem frigidum ventoſum, tonitru & pluviis quibuſdam mixtum ; Huic æqualis fere 2. Auguſt. (23. Jul.) ſudum frigidum pluviis ac ventis ſubinde varians 3. Auguſt. (24. Jul.) ad meridiem uſque 4. Auguſt. (25. Jul.) amœnam reduxit ſerenitatem, ſed inſtabilem ac imbre pomeridiano dilutam. 5. Auguſt. (26. Jul.) turbidus mane & imbribus udus, a meridie ſiccior, ſed frigore horridus. 6. Auguſt. (27. Jul.) totus pluvioſus & imbribus madens, perinde uti & ſequens 7. Aug. (28. Jul.) ingrato, turbido & pluvioſo aere fœdus. Omnes hi & præcedentes nonnulli, quod Julii potiorem partem & Auguſti initium inſolito hoc anni tempore frigore, ſereno licet nonnunquam intercedente cælo, æſtivam alias his temporibus debitam amœnitatem deturparint, ſimulque ſatorum proventum, incrementum & maturitatem impediverint, ſicque annonæ caritatem induxerint, infames merito audiunt & infauſti dies. 8. Auguſt. (29. Jul.) novilunii 9. Auguſt. (30. Julii) apparentis anteſignanus, & ſequentes gratam ac æſtate dignam, ſed heu! ſero nimis reduxerunr tempeſtatem, præter 13. (3.) qui eam a meridie pluvia vento, ac tonitru paululum turbavit ; ſtabilem aliquando, ac niſi quod amœnitati pluviolam quandoque interſpargerent, ad ultimam uſque quadram, ſimulque terminum hujus menſis 31. (21.) nempe ejus, paulo prioribus frigidiorem diem percurabilem.

Septembris exordium 1. Sept. (22. Aug.) præcedentis tempeſtatem æmulatum cum tonitru pluviam admiſit, ſic temperato aere ac ſereno ut plurimum cælo lenibus nonnumquam pluviis a meridie præſertim alterato, reliqui ſubſequentes ad novilunium 8. Sept. (29. Aug.) incidens, quod temperatum alias udam imbribus junxit veſperam, hacque ratione 15. (5.) addendo etiam procellam ad primam quadram 16. (6.) orientem paulo præcedentibus frigidiorem procedendo, varioque ſequentibus diebus cælo 20. (10.) temperando nubila ſerenis, moderato quandoque quoque frigore & pluviis ad plenilunium 22. (12.) radians, imo ipſam ultimam quadram exiguo diſcrimine a præcedaneis diſcrepantes perrexerunt, ſic ſimul 30. (20.) & hunc tertium tertii trimeſtris menſem abſolverunt.

Morbi hujus trimeſtris primo menſe ; Julio nimirum præter ſcorbuticos affectus & hypochondriacos alii non adeo frequentes fuerunt, febres fortaſſis nonnullæ, tertianæ & continuæ, pleuritide quandoque tam vera, quam ſpuria ſtipatæ, colicæ paſſiones, hemicraniæ, catarrhi.

Secundi, Auguſti nimirum febres variæ ardentes præſertim acutæ & continuæ cum & ſine delirio, cephalæa enormi, & ſimilibus febrium ſymptomatibus comitatæ, nonnunquam & diarrhœa contumaci, quædam etiam cum exanthematis variis purpura, petechiis raro tamen nec uſquequaque malignis. Nec defuerunt ſcotomiæ, lipothymiis nonnumquam complicatæ.

Tertii, Septembris febres rurſus variæ, catarrhales præſertim vario typo luxuriantes, tertianæ tamen pleræque, continuis quandoque combinatæ, rheumata, leucophlegmatiæ, vertigines, cephalææ graves & continuæ, febrium præcedentis menſis ardentium & continuarum affectæ & pediſſequæ, pleuritici dolores ſpurii.

Primordium ultimi trimeſtris menſis Octobris triſte fuit 1. Oct. (21. Sept.) cælo exiſtente frigido, turbido ac pluvioſo. Sequentes & quidem 2. Oct. (22. Sept.) frigida ac ſerena, 3. Oct. (23. Sept.) mane frigida & pluvioſa, a meridie ſiccior & mitior, 4. Oct. (24. Sept.) mane nebuloſa & frigidula, a meridie ſerena & amœna 5. Octob. (25. Sept.) cum prima quadra conſtantem ad 10. Octob. (30. Sept.) uſque tempeſtatis amœnæ ſerenitatem induxit. Hæc decima nebuloſa ac turbida tota fuit 11. (1.) & 12. (2.) plenilunio inſignis mane nebuloſæ, a meridie ſerenitate aerem temperaverunt, quas ſequentes ad 26. (16.) imitatæ. Hæc vero a præcedentibus turbidiore paulo calidiore ac udo aere diverſa, ſocias ſibi ſequentes duas aſcivit, 29. (19.) a meridie ſerena, 30. (20.) ultimæ quadræ dicata, tota nubiloſa. Sequens 31. (21.) ſicque menſis hujus poſtrema mane præcedenti ſimilis, a meridie undoſa fuit.

Morbos hic menſis paucos habuit, eoſque ſcorbuto ut plurimum & hypochondriis originem debentes, præter febres nonnullas tam intermittentes, quam continuas, malignas rarius, diarrhœas, haud tamen frequentes, dyſenterias pauciſſimas, epilepſias infantum quaſdam, dentitioni plurimum imputandas, arthritides vagas, ſed & has ſcorbuticas, hyſtericas paſſiones.

November ſecundus quarti trimeſtris menſis a 1. Nov. (22. Oct.) ad 4. Nov. (25. Oct.) a pluvia immunes, nubilos tamen dies præbuit, quarta ſerena quidem magis, ac frigida quoque magis fuit. Eam nebuloſi, turbidi, frigidi & ingrati excepere dies, quos inter & 6. Nov. (27. Oct.) Nova luna diſtinctus, tempeſtate cæteris æqualis, ad 8. Nov. (29. Oct.) ejuſdem tenoris, 10. Nov. (31. Oct.) nebuloſum, turbidum & frigidum tulit aerem, ſic & ſequentes ad primam uſque quadram 13. (3.) lucentem continuarunt, 14. (4.) præter nebulam, quam dedit matutinam, prioribus ſimilis fuit. Cujus defectum ſequens 15. (5.) pluvia penſavit. 16. (6.) & 17. (7.) prioribus incommodis ventos addidere frigidos & immites. 18. (8.) a pluvia immunis, frigidus tamen adhuc & turbidus fuit. 19. (9.) ad ingenium undoſum rediit. 20. (10.) cum plenilunio mitiorem paulo reduxit, ſed turbidum etiamnum aerem ad noctem uſque radiis illuſtrem, quam frigidus, pluvioſus ac procelloſus ſecutus 21. (11.) in gelu primum hoc anno deſinens ac 22. (12.) ut & 23. (13.) continuans. 24. (14.) a ſerenitate præcedentium duorum deficiens pluvias turbido frigori miſcuit. A quo diſſimilis 25. (15.) gelidus fuit atque ſerenus. 26. (16.) perinde cœpit, ſed in pluviam deſiit. 27. (17.) amœna & ſerena tempeſtate, 28. (18.) ultimæ lunæ quadræ, ſudo, miti ac ſereno cælo, exemplo admodum hoc hyberno tempore ut raro, ſic grato præivit. Sed æmulum nullum nec imitatorem invenit, 29. (19.) a ſerenitate illa mox deſcivit, temperatus tamen adhuc, & ſiccus noctem habuit pluvioſam, a ſequente 30. (20.) ac hactenus ultimo hujus menſis die ſicciore, mitiore, paululum tamen turbido hac in parte diverſam.

Morbi ; quos hic menſis aluit, haud frequentes fuerunt ſcorbutici plerique, defluxiones nimirum, externas potiſſimum partes paſſim invadentes febribus catarrhalibus complicatæ, catarrhi quoque alii, ac tuſſes, eæque valde contumaces, arthritides vagæ, cephalææ, quartanæ nonnullæ, colicæ paſſiones & nephriticæ, ut & pleuritides, tam veræ quam ſpuriæ, paucæ tamen. Cardialgiæ, anginæ, diarrhœæ ſed parcæ, dyſenteriæ adhuc parciores. Id quod hic annus peculiare his locis habuit ob fructuum proventum valde conciſum ; frigus enim ab ineunte vere calore frequentius arborum floribus infeſtum, ne in fructus erumpere poſſent, obfuit, ac quicquid etiam hujus offenſam effugerat, a frigore æſtatis inſolito & autumni, ne vel adoleſceret vel matureſceret impeditum fuit, hinc ſublata cauſa ſublatus quoque fuit effectus.

Poſtremus hujus ut quarti trimeſtris, hic anni menſis December prima die (21. Nov.) turbibus fuit, procelloſus ac frigidus. 2. Dec. (22. Nov.) ſerenior cum frigore gelu reduxit ſequentibus diebus ad novilunium 6. Dec. (26. Nov.) apparens & ſequentes eriam uſque ad 9. Dec. (29. Nov.) continuans. Qui glacialis initio in pluviam ſubito liqueſcens, pluvias lenes per biduum durantes addidit, donec 11. (1.) primæ quadræ 12. (2.) lucentis anteambulo cum ſerenitate gelu moderatum reddidit, ac eodem tenore ad 15. (5.) veſperam uſque perdurans, 16. (6.) gelu mitiori aere turbido temperavit. Hanc vero inſequens 17. (7.) mane gelu rigidus a meridie auſtro ſatis auſtere flante degelavit. 18. (8.) primas hoc anno nives plenilunii 19. (9.) appropinquantis præcones ſparſit, reſpirante ſimul aliquatenus gelu. Cui tamen rurſus dies noctesque gelidæ, & quidem nonnullæ ſatis intenſæ ſucceſſere, nivibus quandoque 21. (11.) & 22. (12.) præſertim, qui denſam mane adjecit nebulam, in aerem tandem elevatam ac nivis raræ ſpecie ſtellulatum adinſtar recidentem, nec non 25. (15.) & præcipue 26. (16.) ubere illarum proventu fœcunda, ut & 27. (17.) ultima quadræ præcurſor gelu moderatum nivibus intertexens. Ultima quadra 28. (18.) ſplendens copioſa nives primum leni cum gelu tulit, mox flante circa veſperam Favonio plane eas colliquans : Quas tamen nos ſequens rurſus gelida quadantenus conſtrinxit ; Sol vero 29. (19.) denuo ſolvit ac leniter degelavit 30. (20.) gelu priſtinum recuperavit vigorem, ac ſatis intenſo rigore 31. (21.) menſem hunc ſimul annum ipſum terminavit.

Morbos hic ultimus menſis genuit adinſtar præcedentis febres ſporadicas, primum varias intermittentes & continuas, & ex his quoque mixtas, catarrhales, malignas etiam, purpura, morbillis, variolis quoque variegatas, defluxiones, catarrhos, eryſipelata, cephalæas, anginas, ophthalmias graves, diarrhœas nonnullas & tuſſes contumaces.

Con-

Conſtitutio Epidemica Haſſiaca Anni 1695.

DN. MICHAELIS BERNARDINI VALENTINI.

Miſſa d. 27. Aprilis An. 1696. Giſſa Auguſtam Vindelicorum.

COnſtitutionem epidemicam anni 1695. quod attinet, illa hic iocorum tolerabilis, quæ DEI eſt clementia, benigna fere fuit, ita quidem ut plures, qui ob tempeſtatum varietatem & Proteiformes temporum mutationes morbos nobis ſonticos prædixerant, in admirationem rapuerit. Licet enim hyemem habuerimus variam & inconſtantem, mox frigore, mox pluvils moleſtam, ſuccedente Vere præmaturo quidem, ſed pariter inconſtante: Licet quoque æſtas cum autumno pluvia utplurimum & uliginoſa fuerit, interpoſitis æſtibus quibuſdam ſolis ſubitaneis, affectus tamen leviuſculos, ſenſibus magis, quam vitæ incommodantes obſervavimus. Si enim ullus hic anni curſus ſenſoriis externis ſummopere infenſus erat. Sub æquinoctio enim verno ophthalmiæ epidemicæ graſſabantur, interpoſitis vero Martio & Aprili pleuræ collique inflammationibus a ventis inclementioribus præmaturum Veris calorem ſuffocantibus, & humorum ſtaſes promoventibus, ſine dubio exortis, quæ tamen ſuetis medicamentis diaphoreticis & diſcutientibus facile cedebant. Poſt ſolſtitium æſtivale menſe Julio ulcera aurium quamplures infeſtabant, ſuppurata plerunque, quæ vel ſponte vel ſudoriferis & balſamicis curabantur. Tandem ſub æquinoctio autumnali Auguſto decrepito inflammatio gingivarum, linguæ & oris in hominibus, in brutis vero pedum inflammationes obſervavi hinc inde, quarum priores, præmiſſis præmittendis, tinctura ligni ſancti feliciſſime ſuſtuli, poſterioribus Veterinariis relictis.

Conſtitutio Epidemica Auguſtana An. 1696.

Dn. D. LUCÆ SCHROCKII,

Academiæ Cæſareo-Leopoldinæ Naturæ Curioſorum Præſidis.

QUamvis anni hujus ingreſſus aerem ſerenum, nebulis tamen matutinis & veſpertinis utplurimum comitatum, cum acri frigore oſtenderit, mox tamen temperatior ac ſerenus, quem ſubinde frigidiuſculus, ut & mutabili ſub euri zephyrique flatu pluvioſus, rarius nivoſus intercedebat, fuit ſubſecutus; a Solis præcipue in Piſces ingreſſu, uſque dum Arietis ſignum attingeret, blanda adeo ſpirabat aura, ut arbores conſueto citius gemmas protrudere inciperent, ac præmaturum Ver adeſſe videretur. Quæ tamen conſtitutio varias in corpore alterationes produxerat, atque latentia in eo morborum ſemina ſuſcitaverat: unde ineunte mox anno ſeri in faucibus ſtagnationes catarrhoſæ, tuſſeſque pertinaces, ultra æquinoctium vernale plures civium infeſtantes, ut & poſtea febres purpureæ, variolæ, intermittenteſque febres oboriebantur. Quas tuſſes, præter pilulas de cynogloſſa, vel ſtyrace, nocturnam quietem, ſerum acrius contemperando, ſpirituſque agitatos ſopiendo, parva doſi ſumptas, feliciter conciliantes, variis temperatioribus pectoralibus, aquis, ſirupis, pulveribus, electuariis, tincturis, fibras partium ſpiritualium irritatas demulcentibus, pungentia acris lymphæ ſpicula obtundentibus, ejuſve viſciditatem reſolventibus, interpoſitis blandiſſimis laxativis, præſertim infuſo thee vel veronicæ, aut hydromelite, foliis ſennæ imprægnatis, profligare datum fuit. Phthiſicos tamen aliquot citatiori gradu ad ſepulchrum deductos vidimus. Febres purpureæ in adultum uſque Ver non puerilem ſaltem ætatem, ſed provectiorem quoque, adoleſcentes æque ac ſeniores, paſſim invadebant; aliquos mitiſſime habebant, ut nec lecto ſe committere opus haberent, neque etiam liberiori aeri expoſiti læderentur, ac ſine ullo medicamento, intra biduum vel triduum convaleſcerent; in nonnullis vero gravius inſurgebant, & cum notabili calore, debilitate, ac præcordiorum compreſſione, vigiliiſque lecto per octiduum, vel longius affigebant; temperatioribus tamen diaphoreticis, antimoniatis, cinnabarinis, &c. efferveſcentiam impuriorum maſſæ ſanguineæ particularum refrænantibus, coagulationem ejus inhibentibus, illarumque per cutis poros eliminationem promoventibus, cedebant; nec deerat in quibuſdam contagium, quod uxori a marito, & vice verſa communicatum obſervavimus: oriebantur, præcedaneo utplurimum horrore, primo per univerſum corpus parvæ rubræ maculæ, ſenſim dein majorem in amplitudinem ſe dilatantes, ac tandem aliquibus in locis, dorſo in primis, ſquamularum inſtar cuticula decidebat; aderatque in omnibus oculorum pruritus, in nonnullis rubedo, tuſſis moleſta, corporiſque pruritus. Quibuſdam eryſipelatis nomine donabatur, mihi febris purpureæ benignæ ſpecies, quæ Dom. Thomæ Sydenhamio in obſ. med. circa morbos acut. ſect. 6. c. 2. febris ſcarlatina audit, commodiſſime appellari poſſe videbatur; quamvis hanc ipſam commode quoque ad morbillos referri potuiſſe, cum Dom. Richardo Mortono Pyretolog. part. 2. exerc. 3. c. 5. non negaverim; quo etiam nomine vulgo noſtro communiter appellabatur. Variolæ puerili ſaltem ætati infeſtæ, primo mitiſſimæ comparuerunt; quamvis enim pro more ſuo ante eruptionem calore præternaturali, capitis, oculorum, ventriſque dolore, vomitu, levioribus convulſionibus, atque deliriis, timorem in quibuſdam incuterent, ubi tamen prodire inceperant, cuncta pacatiora fuerunt reddita, atque inter paucorum medicamentorum, v. gr. antimonii diaphoretici, cornu cervini philoſophice præparati, lapillorum gammatorum, &c. vitioſæ lymphæ turgeſcentiam moderantium, & acriores ejus particulas abſorbentium uſum, tempus ſuum abſque inſigni moleſtia decurrerunt, in primis ubi primæ corporis viæ prius lenioribus laxativis fuerunt mundatæ a qua luſtratione vidi, qui, ſigna imminentium variolarum, cephalalgia, dolor ventris, & calor febrilis licet jam comparaverint, ipſique in eodem cum aliis varioloſis loco decumberent, ſine iis convaluerunt. Poſtea tamen vere adulto, quoſdam vehementius, & non ſine malignitatis nota affligere cœperunt, quin & trucidarunt; quos inter puella ſeptennis facile earum eruptionem ferens, erat, in qua tamen, præſertim in facie, die quinto, poſt iteratos aquæ frigidæ potus, quaſi ſubſiſtentes, cruſta ſaltem quaſi aliqua depreſſione eandem obducebant, ſanguinis alvo crebro excernebatur, & hinc inde, in faucibus potiſſimum, nigræ puſtulæ comparebant; cæterum mente ſibi conſtans, nec alias male ſe habere adſtantibus viſa, die ſeptimo obiit; poſtquam ejuſdem ſororcula, paucis ante diebus, ſine ulla fere cura medica decumbens, depreſſioribus etiam variolaceis cruſtis ubique obducta, itidem eſſet demortua. Febres intermittentes non quidem in adeo multis obſervabantur; quos tamen invadebant, in iis ſine intenſo calore aut ſiti, nulloque ut plurimum cum horrore, alternis, aut ſingulis diebus recurrebant: in omnibus, paroxyſmo præſente, maxime de præcordiorum compreſſione, atque in regione dorſi his oppoſita, uſque ad nucham ſe extendente dolore querelæ audiebantur; ab auſteriori lympha, quæ in glandulis ſtomachicis, & cœſophagi colligebatur, ſpaſmodicaſque fibrarum nervearum corrugationes excitabat, inductæ; & varia alia ſymptomata concurrebant. Virum conſiſtentis ætatis curandum habui, qui, poſt ſuperatam feliciter febrem continuam, paulo poſt altera illa, non tantum die recurrentem, & tertio paroxyſmo terminatam, intenſiſſima cum pectoris, & præcordiorum compreſſione, pulſu debili, reſpiratione tamen libera, correptus fuit; cujus etiam uxor, ſeptimo menſe gravida, poſt unicum talem eodem tempore perpeſſum vehementem paroxyſmum, immediate partus doloribus prehenſa, ſæviſſimiſque totius corporis convulſionibus exagitata, fœtum vivum, pauculos poſt dies demortuum, inſcia excluſerat, ſenſimque denuo convaluerat. Cæterum pro morboſo auſtero viſcidoque humore attenuando, & enervando, præter urinoſa volatilia, cortex Peruvianus ſuo hic egregie fungebatur officio; ita tamen ut alvus ſimul ſolicitanda, partitiſque vicibus excrementitii humores lenioribus pharmacis educendi.

Nec hyſterici affectus multum diverſa a cauſa oborti, atque loco tantum, in quo ſedem fixerat illa, fortaſſe diſcrepantes, hic reticendi erunt, qui hoc tempore aliquot maritatas fœminas, non gravidas, tum quæ menſtruæ ſanguinis evacuationi erant expoſitæ, tum quæ per ætatem eadem deſtituebantur, vehementer excruciarunt, dolores nempe in lumbis ardore moleſtiſſimi, verſuſque pubem ſe extendentes, ac incertis periodis quotidie fere affligentes, quos tepidæ, & uterinis herbis alteratæ aquæ balnea multum demulcere, eſſentiaque caſtorii volatilis opio immixto, profligare poterant.

Poſt æquinoctium vernum horridior magis conſtitutio amœnitatem priorem exceperat, mutabiliſque primo aeris temperies, mox frigore, & euri inclementia moleſtior fuerat, quam ſole in Tauro verſante, calidior, pluviis tamen ſubinde comitata, exceperat; & poſtquam die 11. 21. Maji hora decima veſpertina levior terræmotus, quem poſt quinquehorium vehementior ſubſequebatur, urbem concuſſiſſet, atque mane denſior nebula (utrum a vaporibus motu illo ex terra in auram emiſſis elevata? neſcio; quamvis per integros duos menſes, neque ante, neque poſt hanc terræ conquaſſationem ulla alia urbem noſtram ambierit) a ſole tamen orto facile diſcuſſa, ſucceſſiſſet, frigidiorem ſubinde Jovem, & ubi ſereno calore mitiorem quandoque ſe præberet, mox a tempeſtate ingruente denuo defervescentem, crebriſque pluviis terram madefacientem, perſenſimus; interea vero, præter dictas purpuras, tuſſes, variolaſque, pleuritides etiam veræ, cum deliriis, febre, ceteriſque conſuetis ſymptomaribus, exerere ſe cœperunt, a venæ ſectione, ubi dolor urgebat, diaphoreticiſque abſorbentibus dictis, & expectorantibus auxilium expertæ.

Nec deerant, cum ſol ad Gemellos accederet (præter tertianas, & leviores ad guttur catarrhos, ac uvulæ prolapſus) febres petechiales, in ſuperiori fere civitatis parte tantum, qua meridiem ſpectat, in primis etiam in Xenodochio publico, ſtragem multorum e plebe edentes; quarum contagium ex vicinia a famulitio Xenodochii allatum credibile erat. Mihi quamvis pauciſſimi talium ægrorum tractandi occurrerint, deprehendi tamen, hos, qui in morbi principio alvum adſtrictam antimonii diaphoretici largiori doſi, pauciſſimis diacrydii ſulfurati granis permixti, multis inde excretionibus ſubſequentibus, expurgarant, evaſiſſe; aliis duabus fœminis, quæ ſine tali medicamento fuerant, mortuis, quamvis utranque diu morbum celaſſe, & nonniſi extreme ab eo coactas, lecto ac medicamentis ſe commiſiſſe, ſicque morbi periculoſi principia neglexiſſe, fatendum ſit.

Toto fere menſe Junio, & Julii principio, zephyri fere ſemper inclementiam experti fuimus; qui præterquam quod terram, pluviis equidem multoties madefactam, plurimum exſiccaret, frigore etiam ingratiſſimo corpora noſtra offendebat, ſicque a natura ſua plane deſciviſſe videbatur, cum alias humidam calidioremque temperiem nobis conciliare ſoleat. Euro e contra, ſerenitatis alias, & ſiccitatis nobis indice non fallaci, in menſis Junii initio pluvias præter morem, accumulante. Sed ante ſolis in Leonis ſignum ingreſſum, poſteaque ad ejuſdem uſque inde egreſſum, calores hnic tempori convenientes ſatis inſignes perſenſimus; quos tamen continua fere ventorum zephyri in primis ſpiratio, pluviis ſubinde intermiſtis, nunquam diuturnos eſſe permittebat. Interea Morbona magnas dabat inducias, niſi quod circa Caniculæ occaſum variolæ, & morbilli (qui poſteriores per reliquam ſubſequentem anni partem in aliquibus paucioribus ſparſim efflorescere pergebant) denuo puerilem ætatem majori numero, admodum tamen benigne invaderent, ut major ægrotorum pars levioribus remediis, ſine Medici opera convaleſceret.

Et quamvis, a lymphæ, ob turbatam inſenſibilem tranſpirationem, viſcidioris coacervatione, & hinc in varias ſtagnationes pronitate, atque ex admixtis heterogeneis particulis aliis depravatione, quatuor poſtremis menſibus, vagi articulorum dolores, prima in aliquibus invaſione coxæ tantum infeſti; Menſe Septembri inſuper, poſt frigidos ſiccoſque zephyri impetus, diarrhœæ, & dyſenteriæ, Octobri, tolerabiliorem aeris temperiem uſque ad Decembris finem, qui frigore intenſo nivibuſque ſtipato comparuit, educente, præter febres petechiales, immaturæ æque ac provectiori virginum ætati, neſcio quo fato, in primis infeſtas, catarrhi, qui tuſſis moleſtiam excitabant, aut etiam in apoplexiam fortem, levioremve deſinebant, obſervarentur; quin & adultus Autumnus indolentes genarum tumores œdematoſos, tuſſem humidam, aſthma, in quibuſdam febre intenſa comitatum, & catarrhos ſuffocativos produceret, non adeo multi tamen hiſce epidemice, morbiſve aliis ſporadice ægrotare deprendebantur, tamque otioſa alcyonia nobis norabantur, ut non leves ad nauſeam uſque, aliquorum, quibus ex morboſo aliorum infortunio lucrum capere volupe eſt, querelæ ſubinde exaudirentur, cum interea, quæ lymphæ ſtagnanti debitam fluiditatem conciliare, abundantemque ex corpore eliminare valebant, medicamenta ſalutarem operam navarent.

Con-

Conſtitutio Epidemica Berolinenſis An. 1696.

DN. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP,

Miſſa die 25. Februarii An. 1697. Berolino Auguſtam Vindelicorum.

ANni 1695. menſis ultimus vario variatus æthere, temperatum rigido miſcuerat gelu. Hoc ipſo tenore, in gelu tamen adhuc quam calore magis propenſo, Januarius ſequentis milleſimi ſexcenteſimi nonageſimi ſexti anni initium, ſtylum Gregorianum ſi ſequaris, ad 10. ejuſdem uſque perſeveravit, a 1. 10. ſt. Juliano ad ultimum ejuſdem ſeu 22. 31. aeri udo, pluviis ac nivibus quandoque intermixtis, paucis tantum ſparſim intercalatis diebus gelidis, ac paucioribus adhuc ſerenis, remiſſo fere pene penitus frigore delens, hyemis, alias ordinariæ hoc menſe, loco Veris primordia ſubſtituens, integrum ſui dimenſum abſolvit.

Succeſſit hinc Veri quaſi prænuncius Februarius, quem, ſi paucas noctes exceperis, aliquatenus gelidas, nonnulloſque dies nubilos ac pluvioſos, ſerenitate atque amœnitate, prolectis etiam in hortis, meo quoque floribus, colchico, croco vernali, & ſimilibus præcocibus, cum Vere certantem, Majum potius, quam Februarium dixiſſes.

Quem Martius excepit frigus, noctibus præſertim gelu rigentibus, ac diurnis nivibus, pluviis, & grandine quandoque, cum ſolis ſplendore ſed rariori alternantibus, florum ulteriorem proventum intercipientibus ad 17. 27. uſque qui cum ſequentibus verno ſudo ac tepore gratus hunc primum anni quadrantem terminavit.

Venti uti in hoc, ſic in ſequentibus fuerunt pro ætheris varietate varii, nec ullo ordine enumerandi.

Januarii morbi fuerunt præcipui, febres ardentes, ac malignæ diverſis ſymptomatibus ſtipatæ, ac malignitatem, nunc hujus, nunc alterius generis exanthematis prodentes, præſertim variolis, epidemice graſſantibus, partim malignis, & confluentibus, partim benignis, quæ a ſubſequentibus poſtea morbillis exceptæ nonnunquam, & petechiis mixtæ.

Februarii febres variæ, catarrhales, ardentes, malignæ etiam, petechiis & morbillis ſuſpectæ, ut & pleuritides nonnullæ fuerunt.

Martio menſe rariores fuere febres, moleſtæ tamen, ac quædam malignitatis non expertes: præterea, & intermittentes nonnullæ, tertianæ potiſſimum, raræ quartanæ. Ophtalmiæ denique, & oculorum inflammationes, tam hoc, quam præcedentibus, & ſequentibus menſibus frequentes, contumaces valde, ac quædam etiam periculoſæ. Defluxiones ut plurimum a capite ad partes ſubjacentes, pro cauſa agnoſcentes.

Febrium illarum epidemiarum occaſionem præter ætheris, & aeris perpetua varietate turbati, varia contenta cum aere hauſta, ac in corporibus continua illa aeris mutatione, accedente diætæ nonnunquam inordinatæ vitiis, ſic vel aliter prædiſpoſitis, humores fermentando moventia, & in orgaſmum illum præter naturalem cientia, ſicque nunc hac, nunc alia ratione exagitantia, atque ad ſeparationem, & expulſionem particularum noxiarum ipſis communicatarum, ſed iiſdem infeſtarum ſtimulantia. Qualia autem ſint illa miaſmata, cujus naturæ, ſubſtantiæ, materiæ, formæ, quarumve qualitatum, & accidentium, aut, ut cum modernis loquar, cujus configurationis, texturæ, motus, activitatis &c. determinare meam tranſcendit, ut ipſum æther, ingenii mediocris, & ob ætatem quodammodo jam torpentis, ſphæram, hujuſmodi ſubtilitatibus neutiquam quadrantem.

Aprilis a primo die ſtyli Gregoriani aut 22. Martii Juliani pauciſſimis ſparſim intercedentibus diebus pluviis uti 31. 10. Martii hujus circa veſperam, ac quibuſdam ventoſis uti 5. 15. 8. 18. 9. 19. 10. 20. 13. 23. & ſequenti ad meridiem uſque, omnes fere a frigore nocturno, diurno vero tepore remittentes, ad æſtivum calorem paulatim, & ſerenitatem tranſeuntes, æſtatem pene loco veris induxit.

Quo prope tenore Majus etiam, variato licet nonnihil, & aucto dierum ab æſtiva amœnitate deflectentium, frigidorum, turbidorum, & pluvioſorum numero, & ordine proceſſit ac tranſiit.

Junius magis fuit Majo, & quotidie fere, ſerenitate tamen nonnunquam, ſed tranſitoria intercedente, pluvioſus & quandoque nimboſus.

Morbi Menſe Aprili pauci fuerunt, pauciſque funeſti, præter enim continuantes adhuc oculorum inflammationes illas contumaces, ſparſaſque hinc inde febres, tam intermittentes, & inter eas, & quartanas ſimplices, & duplices, ſed raras, quam continuas, immo & quaſdam malignas eryſipelatodes, pleuriticas, & morbilloſas, vix alii occurrerunt hoc menſe morbi.

Majus paulo copioſiores morbos tulit, ſed epidemicum nullum, niſi prædictas ſæpius ophthalmias, & inflammationes oculorum, febreſque, quas cum Aprili fere communes ac convenientes habuit.

Junio menſe, pauciores adhuc, ſcorbutum, præcedentibus quoque menſibus non rarum, & veneream luem ſororios illos, illam malignitatis pravæ, hunc pravitatis ſpurcæ, ſed ſub illius larva ſæpius latentis, ſtigmate notatos, nimis hic, proh! omni tempore frequentes, ſi dempſeris, fuerunt.

Cum pauci hi, qui hoc trimeſtri fuerunt morbi, cum priori trimeſtris morbis genio, & moribus fere convenerint, cauſæ quoque eædem aut parum diverſæ procul dubio eos produxerunt, inſolitus præſertim his locis hoc anni tempore calor æſtivus fere; Quod vero rariores fuerint, aeris æquabilitas, & perpetua fere calori moderato juncta temperies, ſerenitas, & amœnitas. Talis enim cum fuiſſet Aprilis, nec Majus ab ea admodum deflecteret, paulo quidem plures, ſed ejuſdem fere farinæ morbos aluit: Prædictos ſi exceperis, qui omnium hic temporum dici merentur, ſicque ex parte endemii. Qui etiam Junio menſe magis, ob aeris majores turbas, friguſque cum cælo pluvioſo quandoque recrudeſcens, illis affectibus præcipue infeſtum malitiæ ſuæ, & infamiæ notas exeruerunt, ac Medicis proinde plus atque Chirurgis negotii faceſſerunt.

Julii initium, turbido prima die cælo, tonitru ſecunda ſuperaddidit. Succedente æſtivo unius alteriuſve diei æſtu, pluvias tandem ſudo ac tranquillo temperatoque aeri nonnunquam interſparſit ad Caniculæ uſque ortum, qui aliam aeri faciem frigidam procelloſam, ac nimboſam induit, ſudo tamen ſequentibus diebus interpolatam, ac æſtu gratis ſubinde eteſiis, ac pluviolis ſuavibus temperato emendatam.

Auguſtus Julio, variato tamen nonnihil mutationum tam aeris quam æſtus ordine, amœnitate, ac temperamento reſpondit.

September 22. Aug. ſt. v. 1mo. die mox procelloſo, & nimboſo ab æſtivo aliquatenus calore, ſimulque amœnitate præcedentium menſium gratia receſſit, atque frequentiores aeris turbas, ventos, pluvias, temperamento præcedentium addidit.

Morbi menſe Julio, præteriti Junii morbos tam paucitate, quam motibus æquarunt, propter affinitatem forte temperiei aeris. Niſi quod catarrhi, ac tuſſes ob repentinam cum Canicula ingruentem caloris æſtivi præcedentis in frigus, pluvias, & nimbos mutationem, ac effectus alii ſcorbutici paulo frequentiores hoc menſe, quam præcedenti fuerint, pleuritides quoque nonnullæ, & anginæ ſatis frequentes a defluxionibus ſcorbuticis ortæ, valdæ contumaces ac periculoſæ, eo præſertim ſymptomate, quod ut plurimum in tumorem grandem ac apoſtema tandem junctura, ac proceſſus maxillæ inferioris occupans, idque cum cruciatibus inſignibus, donec nimirum maturuerit, ac interne ſponte crepuerit, maxillam immobilem reddens, ſicque oris aperitionem, ac cibi aſſumptionem plures dies præcluderent fame fere pereundum fuerit affectis, deſierint. Quod tamen incommodum, & periculum nonnulli impoſito mature emplaſtro reſolvente, & diſcutiente, ſicque diſcuſſo tumore evaſerunt.

Cauſam hujus ſymptomatis ſane peculiaris, ſi quis præter communem omnium phlegmonum ac tumorum, affluxum nimirum & ſtagnationem incraſſati aere prædicto frigido ac uvido ſanguinis, deſideraverint, ac cur junctura illam potius quam illam faciei aut colli partem affecerit? quæſierit & flagitarit e principiis mechanicis eruendam juxta hodiernam medicinæ theoriam, hunc ad perſpicaciores me, nondum in his apicibus ſatis exercitato, & veterum adhuc placitis quadantenus inhærente remittere cogor.

Auguſtus, ut & ex parte September ſequens, quaſdam adhuc affectus ſervavit reliquias, in cæteris quoque Julio menſi morborum varietate ac febrium præter catarrhales nonnullas, raritate conformis.

September prædictis febres quaſdam, etiam ardentes, aſthmata, anginas, rariores tamen, inflammationes oculorum, aliaque ſimilia ſymptomata ſuperaddidit, aeris proculdubio ab æſtivo fervore in autumnale frigus, & udum ætheris temperamentum jam degenerantis, ſoboles.

Octobris primum biduum Septembris æquavit exordium frigore, aere turbido, ac pluviis. Alterum biduum ſudo ac temperate calido æthere acceptum, ſequens triduum pluviis, vento frigido, ac aere turbido incommodum, quatriduo tandem amœniori rurſus penſatum. Cæteri ad 10. 20. uſque, vario cælo, ſi frigus autumnale, moderatum tamen exceperis, temperati, pruina nocturna ſequentis gelu nocturni prænuntia, hyemem præcocem minata, dubiam reliquis diebus ſerenitate ſatis ſtabili ventis rarius pluviiſque interpellata, cæli faciem, ac frigoris intenſioris aliqualem tandem metum fecerunt.

November a primo, excepto ſolum 27. 7. Octobris, qui totus udoſus, ad 5. 15. uſque ſerenitate ac amœnitate aeris, Verni fere commendabilis, frigore poſtea auctiori, & intercalatis diebus nubilis, ventoſis atque pluvioſis paulo inamœnior, temperatus tamen adhuc, hyemis exordium ſatis tolerabile, ad ipſum uſque ſui finem effecit.

A Decembri non minus, qua initium tolerabili, exceptus, ad 30. 10. Novembris uſque ſerenum ac gelidum. Qui mutata facie nivem primam pluviis nonnullis intermixtam, ſequenti mane tulit, cui gelu poſtea, ad ipſum uſque ſui ipſius & anni finem, remiſſis quidem nonnunquam, ac nivibus paucis interpolatum continuans ſucceſſit.

Morbos October præter prædictam in guttur, & maxillæ junctura febri cararrhali junctam, & defluxionem nondum plane deſævientem, arthritidem vagam ſcorbuticam, nephritim, hypochondriacos quoſdam affectus & ſcorbuticos aluit. Præterea diarrhœas nonnullas, parcas tamen, choleram: Dyſenteriæ vero, utut proventus hoc anno fructuum arboreorum ſatis fuerit, gula adhæc non otiante, oppido raræ, id quod admiratione non indignum.

November pleuritides frequentiores, ut & affectus nonnullos hyſtericos, colicos, ſcorbuticos, oculorum inflammationes, catarrhos, tuſſes, & id genus alios, autumno frigido, & pluvioſo, nimboſo, & alias variato ætheri debitos, febres præterea catarrhales, continuas initio, mox acceſſionibus & paroxyſmis interpolatas, in ardentes quoque quandoque eaſque malignas degenerantes induxit.

December præter enumeratos hæmoptoen quandoque, etiam non præſente aut præcedente pleuritide, rheumatiſmos, aliaſque defluxiones varias, ſcorbutis nonnunquam mixta prodidit.

Cauſas horum morborum, & ſymptomatum eos ſtipantium, præter diætæ vitia, & obnoxiam hinc forte aut ob nativitatis ſtigma, corporum ad recipiendas varias tum ab aere frigido, & humido autumnali, frigido vero & ſicco hyberno injurias, tum ab exorbitantibus animi pathematis moleſtias ac viciſſitudines prædiſpoſitorum diatheſin, indeque naſcentes humorum alterationes, fermentationes, ebullitiones, alias aſſignare aut determinare vix auſim. Quod ſi vero quis certa quædam, ſed vix præcognita aut dignoſcenda, nedum definienda ætheris miaſmata, occultis, ſed nunc in exilium actis, qualitatibus valde affinia, accuſare velit, huic haud difficulter aſtipulabor.

Cæſareo Leopoldinæ Naturæ Curioſorum Academiæ Præſidi, Perilluſtri ac Generoſo Domino Dn. LUCÆ SCHROKKIO, Sac. Cæſareæ Majeſtatis Archiatro, ejuſque Perſonæ Imperialis Medico, S. R. I. Nobili, Aulæ Cæſareæ, Palatii Lateranenſis, & Conſiſtorii Imperialis Comiti, Academiæ Patavinæ Recuperatorum Collegæ, ac Reip. Auguſtanæ Phyſico ordinario, Patrono ac Fautori Magno,

Salutem Officioſam

CONRADUS BERTHOLDUS BEHRENS.

CUm nullas unquam ab illuſtri generoſitate tua literas accipiam, in quibus non ſubinde, continuatione hiſtoriæ Epidemicæ ſemel cœptæ, hortaris: Tum in primis ſingulare illud Societatem noſtram

noſtram exornandi, ac medicam rem promovendi ſtudium, ex proximis luculente apparet. Ego vero, quamvis hactenus urgentibus viris magnis, & quorum juſſa capeſſere fas eſt, Genealogicis edendis occupatus ſim, non tamen par erga hæc, tanto apud me loco ſunt, ut res, quibus totum me dedicavi, artis ſcilicet noſtræ, ſive apud ægros faciendæ, ſive ſcriptis illuſtrandæ iis poſiponam; Ac propterea multo citius generoſa tua magnificentia me officio meo defunctum vidiſſet, modo materia hiſtoriæ Epidemicæ conſignandæ apta ſe obtuliſſet.

2. Poſt ſolſtitium enim vernum anni elapſi, & luctuoſiſſimam patriæ noſtræ variolarum luem, vix cum media æſtate deferveſcentem, quin adhuc ſporadice graſſantem, parum dein ea æſtate circa morbos accidit, quod quidem epidemici nomen mereri, aut ſcriptioni anſam ſuppeditare poſſet; Neque enim quod unus atque alter inordinatæ diætæ uſus, animique affectibus abreptus, tertiana ſeu duplici, ſeu ſimplici, colico dolore, vel ſi ſexum attendas hyſterico corripiatur, hic ſanguinem ſpuat, iſtum calculus torqueat, hypochondriaci aere nubilo, & circa ſolſtitia magis angantur, alius alio modo laboret, epidemium ſtatim eſt, ſi quidem nec adeo multi eodem tempore, & ex cauſa communi uno dictorum morborum affligebantur. Pleuritides quidem nothæ, & peripneumoniæ pituitoſæ uti apud nos omnium temporum morbi ſunt, ita & ſubinde iis quidam tam adultæ quam minoris ætatis decumbunt, verum nec illæ ſingulari aliquo ſymptomate, ſeu ut vulgo in conſtitutionibus epidemcis fieri ſolet, ſtipatæ erant, nec cauſæ alicujus univerſalitas accuſari poterat, inter ſporadicos affectus tum potius numerandæ.

3. Illud vero forte huc referri poſſet, quod mulieribus, quales ego intra duorum circiter menſium ſpatium non paucas novi, circa æſtatis declinationem frequentes effluxus eſſent; cum menſibus per duos treſve circuitus ſubſiſtentibus, & nauſea quadam comitante, ut & aliquali ventris intumeſcentia ſuperveniente, gravidas ſe arbitrarentur; poſtea vero obortis derepente dorſi lumborumque doloribus, parturientium haud abſimilibus, cum maxima anxietate, hyſtericaque ſyncope, grumi ſanguinis enormes, maſſula informis, ſubſtantiam modo veſicalem, modo pinguedinem membranoſam referens in medio tamen cava, humoremque mephitin olentem continens, excideret, ac ſanguis primo fœtidus, grumoſus, dein vero floridus in magna copia excerneretur, & ægræ, veluti puerperæ, per aliquot ſeptimanas lecto affixæ decumberent, donec ſenſim reſtitutæ, priſtinæ ſanitati redderentur. Forte autem quis dubitaret, an circa generationis pariendi negotium epidemici quippiam accidere poſſet, egoque ipſe primo anceps hæſi. Cum vero annum hujus ſeculi octuageſimum quintum gravidis valde noxium & pernicioſum exſtitiſſe, & haud abſimiles abortus proveniſſe diverſis in locis, Excellentiſſimi Viri *Hannæus* & *Mullerus*, in Decuria ſecunda, anno quarto & ſexto Miſcellaneorum noſtrorum, notarint, expedita res eſt, nec video quo pacto & effluxus ejuſmodi epidemice contingere poſſe quiſpiam negare poſſet; Ab aere vero ſanguineam maſſam concitante eoſdem dependiſſe non arbitror, namque eo modo & alios ejuſmodi fermentativos effectus, diarrhœas ſc. contagioſas & dyſenterias habuiſſemus, de quibus tamen illo autumno vix quippiam apud nos auditum, ſiquidem unum atque alterum junioris ætatis viridia dejicientem, aut colicas quaſdam adultorum excretiones exceperis. Nec malum cibum potumque, quamvis alias ad conſtitutiones morborum epidemicas ſuum ſymbolum conferant, hic quippiam attuliſſe opiner, alterius enim ſexus tantum labes erat, & perſonarum in ſtatu certo conſtitutarum. Arbitror vero ejuſmodi mulieres, iudividuali, ſi ita loqui liceat, ſua corporis maſſæque ſanguineæ conſtitutione ac effectus hujuſmodi concurriſſe. Cum enim pleræque illarum circa tempus vernum febriles inſultus perpeſſæ fuiſſent, ac ab eo tempore ventriculi imbecillirate laborarent, hinc maſſa ſanguinea nondum debite reſtaurata, nec ſpiritus animales vigoroſos ſuppeditante, ovula quoque muliebria debite conſtituta eſſe non potuerunt, ut ea propter, quamvis a ſemine virili fœcundata, & ad uterum promota; tamen contentorum ſtaminumque expanſionem pro corpuſculo fœtus ſenſim effigurando, adipiſci non potuerint, ſed in informes maſſulas excreverint, ac mora putredinem contrahentia partes uterinas ad excretionem ejuſmodi & effluxus ſtimularint, conferente ſymbolum ſuum ſanguine matris ichoroſo & acriori. Rem certe ita ſe habuiſſe, vel inde palam evadit, quod quædam eo malo affectarum in cachexias lethales delaberentur, aliis cum tempore ad ſtatum naturalem devenientibus. Cum vero debilis ejuſmodi conſtitutio a cauſa communi, febribus ſc. vernalibus dependerit, hinc quoque ratio epidemica effluxuum magis pateſcit. Uti enim recte obſervat Illuſtris *Ramazzinus* in Diſſertatione prima, epidemici morbi non conſtitutionum præſentium, ſed præcedentium producta ſunt.

4. Et hæc quidem ante ſolſtitium hyemale; Illo vero ingruente, ac aere magis boreali exiſtente, juniores, qui circa æquinoctium vernale variolis laboraverant, maxime infeſtabant tuſſes acres & convulſivæ, peripneumoniæ, febreſque, forte eandem ob rationem, quod digeſtione ſcilicet ab eo tempore imbecilliori exiſtente, ſenſim ſenſimque exhalantibus ſc. per æſtatem partibus tenuioribus multa viſcida ac acris pituita in præcordiis ſe accumularit, & ſuperveniente aere boreali, acorem contraxerit, ſimilique modo ſanguinem infecerit, ut dein cuncta hæc quaſi in peripneumonias & pleuritides notas, aut quoque ſimplices diaphragmatis irritationes, quarum producta convulſivæ tuſſes ſunt, collimarent. Atque uti in tuſſi nihil magis conducebat ac lenientia, acrimoniamque demulcentia, ita quoque plurimi laxativorum in primis beneficio in integrum reſtituebantur, non pauci tamen convulſionibus ſupervenientibus ante primum ſeptendium ſuffocabantur.

5. In adultis vero eo tempore præ cæteris quoque affligebant peripneumoniæ, pleuritides, phthiſes, arthritides vagæ. Peripneumoniæ, pleuritideſque, poſt ſolſtitium hybernum in majori copia, pituitoſæ magis, ac tunc quidem ſenibus maxime lethales. Incipiebant cum dolore ventriculi tenſivo, dorſi quoque ac cordis anguſtiis. In quibuſdam pleuritide notha decumbentibus, & quaſi alias hypochondrii ſiniſtri dolores moleſti erant, diarrhœa quædam ſeroſa, ramentis interdum ſanguineis comitata, cum levamine ſuperveniebat.

6. Phthiſes quidem omnium annorum circa autumnum morbi ſunt, tum tamen vitio magis præcordiorum exiſtere videbantur, cum eorundem, hypochondriique in primis ſiniſtri dolores frequenter concurrerent, flatulentiæ vomituſque eruginoſi, nec ſputum cruentum eſſet, quod ipſum tamen, ſiquidem phthiſes hæ primario a pulmonum ulcere dependiſſent, continuo cruentum eſſe debuiſſet. Non autem novum, dari phthiſicos toto morbi decurſu nihil omnino cruoris ejicientes, notavitque poſt alios id anno nono Decuriæ primæ miſcellaneorum noſtrorum Excell. *Dn. D. Scharſius* in juvene phthiſi ex ſputo ſenſim poſt nimium opiatorum uſum ſuppreſſo, exemplo licet huc non admodum quadrante, illud tamen, quod volo, abunde probante. *Zacutus Luſitanus* ejuſmodi phrhiſes incruentas aſthmaticas vocat; quæ ipſa tamen denotatio apud ægros noſtros locum non invenit; non enim memini, quoſdam ex iis aſthmate ſimul laboraſſe, nec in iis qui forte obierunt, vomicas ſimul adfuiſſe ſuſpicor. Phrhiſes enim noſtræ pleræque vel ex catarrhis exiſtebant, vel ab humoribus in præcordiis corroſivam fere aciditatem contrahentibus, ſimilique qualitate ſerum ſanguinis, ſputi materiam imbuentibus, dependebant. Hinc etiam in non uno ſputa æruginoſa notabantur, in aliis etiam bilioſa. Non tamen adeo ſemper lethales erant, quin aliquot ab omnibus pro deploratis habitos, ſolo lactis caprilli potu, utpote optimo & nunquam ſatis laudato, corroſivam ejuſmodi ſuccorum ſanguiniſque acrimoniam corrigente, partim reſtitui, partim adhuc ſervo, cum reliqua auxilia acori oppoſita, modo ignea ſua volatilitate febrem comitem augerent, modo ſalinis ſpiculis tuſſim magis irritarent, decocta autem pectoralia tonum ventriculi admodum laxarent, & ægris appetitum omnem auferrent. Lac vero ipſum, methodice tamen uſurpatum, notante id ſimul Illuſtri *Wepfero*, Medico quondam nulli ſecundo, in Epiſtola ad Verzaſcham, hypochondria emendet, febri lentæ reſiſtat, habitum firmiorem, colorem nitidiorem, vireſque robuſtiores conciliet, quin novos plane homines efformet, methodice dico uſurpatum; namque in bilioſis complexionibus, aut ructibus jam exiſtentibus acidis aſſumptum, per vomitum inſtar materiæ caſeoſæ rejectum vidi, quique in prandio piſces, aut alios cibos inconvenientes ſubjungebant, iis febris de nocte augebatur.

7. In febribus rertianis quartaniſque, quæ tamen admodum paucæ, magis ac alias inſignis dorſi dolor notabatur, & vomitus in paroxyſmis moleſti erant. Quartanæ tamen non admodum rebelles exiſtebant, & aliquot vulgatiſſima methodo, & remediis fere domeſticis abſque corticis Peruviani uſu fugavi.

8. Arthritides autem vagæ præludia erant ſcorbuti cum novo anno ſecuturi. Dolores modo totum corpus corripiebant, de membro in membrum, aura citius, deſilientes, in quibuſdam etiam turbercula ſubito erumpebant, mox iterum evaneſcentia, cum ſubſequente leviore paralyſi. Inter conſueta contra hunc morbum remedia mixturam ſimplicem ſatis laudare nequeo; quæ uti alias divinum remedium in plurimis morbis exiſtit, ita & hic debita cum circumſpectione uſurpata, nunquam me, quod ſciam, fefellit.

9. Cum novo vero anno aer, rariſſimo valde, nec ſenibus obſervato exemplo, plane æſtivus, tepidus, ac humidus ultra duos menſes conſtanter perſtitit, ita ut ne pruina quidem noctu terras obtegeret, & ranæ coaxare inciperent. Sub ipſum æquinoctii tempus nix iterum & hyems per aliquot ſeptimanas valde aſpera, unde, & morbi tum majori numero ingruebant, ceu fieri conſuevit temporibus anni debitam ſuam conſtitutionem non ſervantibus. Ex iis vero erant apoplexiæ, defluxiones, febres varii generis, cachexiæ, ſcorbutus.

10. Apoplexiæ, non ſenibus tantum, quorum alias morbus eſt, ſed & iis, qui vegetæ adhuc ætatis, contingebant; ægri ſubito animo linqui videbantur, quibuſdam per ſomnum obveniebat malum. Non tamen adeo lethales erant, ſed lympha nervoſarum partium obſtructionem extravaſatione ſua cauſante, ſeu ope ſudoriferorum volatilium, ſeu quoque propter febrim interdum una ſupervenientem reſoluta, inque motum iterum comitata, circa diem octavum plerunque terminabantur, abſque remanente paralyſi. Quibuſdam rubedo in parte quapiam externa, altero ab inſultu die ſuperveniebat, quæ tamen topicis reſolventibus facile cedebat. Nec tamen omnes qui ſubito ita interibant apoplexia proprie dicta extinctos opiner. Quidam non infimæ ſortis vix trigeſimum ætatis annum excedens, & ex frequentiori eryſipelate ſiniſtrum pedem tumidiorem gerens, per octiduum de gravitate cordis ac oppreſſione ejuſdem, ut & punctione in latere dextro querebatur, cui ut levamen daret, venam in brachio aperit, ſanguine nimis largiter educto. Altero veſperi inter choreas ſubito animo defecit, ſtertit & dicto citius exſtinguitur; cadaver mane apertum, & quantum in tumultuario iſto caſu licuit, perveſtigatum, viſcera parteſque omnes, præterquam pulmones, ſanas retulit. Ex his enim lobus dexter undique annatus, & parenchyma ejuſdem per tranſverſum diſſectum, abſceſſibus ſinuoſis obſeſſum ſe præbuit, haud abſimilem in modum quem notarunt in Miſcellaneis noſtris Excellentiſſimi Viri, & quidem Decade prima, anno ſecundo *Dn. Winclerus*, Decade ſecunda, anno octavo, *Dn. Dolæus*, & anno decimo, *Dn. Hartmannus*. Præterea attactu diffuebat pulmo, nigriorque erat, ut adeo ſanguis per choreas ejuſmodi concitatior redditus, per illum pulmonis lobum, juxta porportionem motus acquiſitam, moveri non potuerit, atque hinc in dextro cordis ventriculo, in quo magna ejus grumeſcentis copia exiſtebat, ſufflaminatus fuerit, illeque quaſi ſyncope correptus, momento citius expirarit. Nulla interim in cute livoris macula, aut ſanguinis ex naribus, ore vel auribus eruptio, eoque modo pleroſque extinctos arbitror, qui circa æquinoctium illud paſſim ſubitanea morte obibant; Vix octiduo poſt, alius ſubito inter eundum in platea expirabat, veſperi, ſexagenarius fere, & colicis doloribus obnoxius. Animo ſenſim defeciſſe, & ſe deficientem de momento in momentum percepiſſe ſupervenientes notarunt. Poſt mortem pars illa ſiniſtri lateris a collo ad coſtarum notharum extremitatem livida deprehenſa, quod etiam ſanguinis in corde & vicina regione grumeſcentiam arguit.

11. Febres varii generis erant ſine dubio juxta temperamentorum, conſtitutionumque in individuis varietates ita diſcrepantes. Aliquibus ephemeræ, ſed adhuc ſemel poſt unum alterumve diem repetentes. Quædam primis diebus intermittentes erant, & remittere videbantur, dein vero evadebant continuæ. Vere vero intermittentes, quo magis vernum tempus appropinquabat, eo minori numero. Quæ vero primo ſtatim inſultu continuæ apparebant, in iis modo calor, modo frigus, de cætero acutæ valde, cum dolore nuchæ invadentes, & levi delirio primis ſtatim diebus, circa diem nonum pleræque ſeu ad ſalutem, ſeu ad mortem terminabantur. In quibuſdam petechiæ apparebant, quas a malignitate ſcorbutica haud erronee quiſpiam deduxerit. Aliis vermes in principio, præcedentibus magnis cordis anguſtiis, & comitante delirio, proveniebant, quorum tamen aliquot, quamvis ætate provectos, ſervatos memini, cum alias in malignis pro peſſimo ſigno vermium in principio excretio habeatur. Quorum vero ſanguis per venam ſectam eductus in ſuperficie

inſtar

inſtar pultis albæ concreſcebat, ſis quamvis in principio nulla pleuritica, aliave pectoris affecti ſymptomata adeſſent, tamen circa ſeptimum calore remittente tuſſis & phlegmatum expectoratio ſuperveniebar. Maligniras vero major, quo magis ad æquinoctium accedebant. Quibuſdam in locis adeo acutæ & contagioſæ, ut ægros altero die obiiſſe, ſuperveniente puſtula magna & nigra in femorum altero fama referret. Alio in loco junioribus bubonum in inguinibus tumor ſuperveniebat. Quidam circa diem octavum melius habentes, & ſanorum ſimillimi, in primis quibus urina poſt quartum diem apparebat citrina, circa duodecimum maligne relabebantur, maximo cum delirio, & generis nervoſi ſymptomatibus, in quibus deſperata res erat. Video hoc ipſum ab Excellentiſſimo *Ridlino*, anno primo Linearum medicarum, vocari, febrium malignarum inducias, nec ineleganter, noſtri tamen ægri in medicamentorum uſu continuabant; & nihilominus cum fœtore redibat malignitas. Alii, qui videbantur reſtituti, levi circa res non naturales commiſſo errore recidebant. Certa vero methodo omnes ii, qui continuo ægrotabant, tractari non poterant, citius vero evadebant, qui temperato ram medicamentorum, quam aliarum rerum regimine tractabantur, in primis vero acidorum medicamentorum uſui, ſi quidem pectoris conſtitutio eadem concedat, facile cedebant.

12. Defluxiones; neque enim vox adeo abſurda ſemper, ut non interdum retineri queat, cum catarrhorum in extetnis partibus deſcenſus omnino accidat, & evidenti exemplo a generoſa tua magnif. anno tertio, decuriæ ſecundæ Miſcellaneorum noſtrorum probatus, & a me quoque circa initium Februarii, in quodam Societatis Jeſu Profeſſore obſervatus, cui poſt acerbum ſcapulæ ſiniſtræ dolorem juxta tractum ſpinæ dorſi humor ſenſibiliter deorſum rubeat, ad os ſacrum uſque, ubi per aliquot dies ſubſtitit. Exin tam diaphoreticis internis, quam topicis reſolutus quaſi, ſeu potius mobilis factus, per femur iſtius lateris & pedem ad plantam uſque deſcendit, & de nocte magis affligens, donec tandem remediis convenientibus plane diſcuteretur. Defluxiones inquam, magno numero circa id tempus occurrebant, ad oculos, aures, maxillus, uvulam, cum ejuſdem & ſaucium eroſione interdum, ad pectus, ſcapulas, & quorſum non? Interdum ſubito, ut ita loquar, recedebant, calore aliquo febrili & laſſitudine per octiduum ſubſequente, in quibuſdam vero membrorum contractura, aliiſque latentis ſcorbuti ſymptomatibus. In primis quoque frequens humorum feroſorum ad ſiniſtrum ſcrotum decubitus, præcedente quadam quaſi horripilatione, ſiniſtri hypochondrii dolore, & in inguine tenſione. Ad hydroceles vero pertinebant, hydragogiſque internis, & topicis his in caſibus conſuetis curabantur.

13. Cachexiæ pedumque tumores in primis circa æquinoctium vernum notabantur, præſertim in iis, qui aſthmati & catarrhis obnoxii erant. In pleriſque cum diminuta urinæ excretione, eaque modo viſcidum, & album, modo rubrum ſedimentum referente. Etiam in puerperis quibuſdam obſervatum hoc malum, quibus alias nihilominus lochia rite fluebant. Cauſa vero imminutæ hujus excretionis, cum nulla circa veſicæ regionem gravitas deprehenderetur, hinc in maſſa potius ſero ſanguinea nimis viſcoſa & tenaciori quærenda, cui etiam curatio conſentit: namque ægri a nullis remediis melius habebant, quam ab attenuantibus incidentibuſque, ſalibus ſcilicet diureticis fixis cum volarilibus combinaris.

14. Reſtat ſcorbutus, qui ipſe quamvis endemium apud nos malum ſit, non memini tamen intra aliquot annorum ſpatium, adeo frequentem extitiſſe, ac poſt ſolſtitium hyemale. Non quidem me fugit, prudentes Medicos interdum ejuſmodi affectus, quorum genuinas appellationes ac cauſas ægri aut horrent, aut propter terminorum artis ſubtilitatem capere nequeunt, ſcorbuti nomine efferre, nec minus & illud commune dicterium me latet, ſcorbutum eſſe aſylum ignorantiæ medicæ, plurimoſque affectus, quorum nomine eum incuſamus, vel morborum fientium nullumque adhuc certum typum adeptorum effecta eſſe, vel etiam infelices reliquias exiſtere morbi alicujus nondum penitus deſtructi, a quibus ſanguis & cæteri humores contaminentur, ceu utrumque recte animadvertit *Sydenhamius*. Cum tamen ſuperioris ævi Medicis placuerit ejuſmodi dyſcraſiæ maſſæ ſero ſanguineæ, in qua partes nitro ſulphureæ cum quadam viſcoſitate, præ cæteris magis exaltatæ, & ſpiritus vitales (utor termino communi) ſimul depreſſæ exiſtant, ſcorbuti nomen imponere, & verba uſu valeant, ceu nummi, hinc quoque præſente ejuſmodi ſanguinis ſtatu, ac ſymptomatibus ab eodem dependentibus, voce hac uti nolle, neſcio quæ animi ſingularis opinio exiſteret. Et certe non apud adultos ſolum, ſed & qui junioris adhuc ætatis erant, & in infantia conſtituti, frequentia ejus generis ſymptomata notabantur. Morbillorum enim radices haud incommode quis in diatheſi ſcorbutica quæſiverit, in aliis laſſitudines, hæmorrhagiæ qualem inſignem in puella octo annorum deprehendi, quam ſuppreſſam maculæ magnæ ſanguineæ in pectore & pedibus ſequebantur, cum vermium excretione. Supervenit dein brachiorum pedumque contractura, & horum circa veſperam intumeſcentia; In adultis vero non modo morbis ſupra enumeratis comitem ſe adjungebat ſcorbutus, ſed & inſuper aliis ſymptomatibus moleſtus erat. Hinc frequentes de laſſitudine cum appetitu proſtrato, ſudoribus nimiis, ptyaliſmo, doloribus membrorum nocturnis, immobilitate, contracturis querelæ, alii tuberculis infeſtabantur, maculiſque, quidam vero tantum, quando in lecto incaleſcerent, gingivæ plurimis ſanguinolentæ, & in iis qui alias per totam vitam nec quicquam de ſcorbuto perceperant, quique dicetæ malum hoc cauſanti non aſſueti erant. Aliis phlogoſes eryſipelatoſæ in facie partibuſque externis, quibus ceſſantibus, punctiones in præcordiis cum febre erratica ſuperveniebant, phthiſin minantes, niſi præventum fuiſſet. Singulare in vitriario quodam, alias arthritidi ſcorbuticæ obnoxio, linguæ ſymptoma initio hujus menſis deprehendi. Hic cum per aliquot dies ptyaliſmus præceſſiſſet, ſubito palpitatio tremula apicis linguæ cum aphonia ſupervenit, ſectione venæ raninæ ſublata. Exemplo *Auguſtini Thonneri* ſymptoma hoc ad ſcorbutum refero, qui haud abſimilem linguæ convulſionem, in quodam arthritide ſcorbutica laborante obſervavit. Ex ſola certe lingua excoriata, puſtuliſque in eadem valde dolentibus latentis ſcorbuti indicia deſumpſit Excellentiſs. *Ridlinus*, Linearum medicarum anno primo, medela opinionem comprobante. Ad ſcorbuticam quoque claſſem ſymptomata a ſpirituum defectu exiſtentia referas, uti vertigines, oculorum caligines, lipothymias, melancholias, ſive illis inordinatæ dicetæ, animique alterationes progreſſæ, ſive in altero ſexu menſes ſuppreſſi, & graviditas anſam darent. Denique nec illius obliviſcendum arbitror, nullo anno majores de ventriculi imbecillitate querelas apud illos fuiſſe, quibus ex ſui cœtus inſtituto rempore quadrageſimæ piſcium eſus incumbit, quam digeſtionis debilitatem, an ad ſpirituum propter diateſim ſcorbuticam defectum, & fermentum ventriculi proin non ſatis exaltatum recte referam, penes alios judicium eſto. In curatione vero ſymptomatum ſcorbuticorum illud in primis magni momenti deprehendi, cujus etiam in aureis ſuis obſervationibus meminit Illuſtris *Pechlinus*, acidiuſculos liquores, amaritudine balſamica delibutos, palmam obtinere. Siquidem ſi quopiam in morbo, certe in ſcorbuto ebullitionis tempora, a reliquo ejus motu, maſſæque ſero ſanguineæ ſtatu probe dignoſcenda, & medicamenta juxta varianda.

15. Er hæc quidem de conſtitutione morborum apud nos a ſolſtitio æſtivo anni ſuperioris communicare potui; Non quidem talia ſunt, quæ ab aliis conſignari non potuiſſent, ſed quorum continuationem a me fieri poſſe illuſtris rua magnif. cenſuit, ego vero maxime vellem, quod ſupereſt, neque enim ulterius progredi termini Epiſtolares patiuntur, Te, Magnifice Domine Præſes, ut in præſidium ac incrementum artis ſocietatiſque noſtræ, quin & totius Reip. litterariæ in multos annos quam feliciſſime ſuperſtitem Deus ſervet, ex animo voveo, & nemo non ex ſocietate mecum, quo ſummas ingenii dotes, atque elegans in primis maximeque ſubactum judicium practicum in lectiſſimis ſcholiis ulterius demirari liceat. Ipſe ego profecto tota vita mihi gratulabor, quod ILLUSTRI SCHROCKIO PRÆSIDE, eam felicitatem nactus ſim, qua in SOCIETATEM LEOPOLDINAM, recepto, impoſterum cum exercitatiſſimis in arte viris conferendi occaſio mihi ſuppeditetur. Scripſi Hildeſii d. xxviii. Aprilis anni CIↃ IↃC LXXXXVI.

Conſtitutio Epidemica Auguſtana Ann. 1699. & 1700.

DN. D. LUCÆ SCHROCKII,

Academiæ Cæſareo-Leopoldinæ Naturæ Curioſorum Præſidis.

UTi anni proxime præcedentis exitum zephyri, pluvioſi & tepidi, vehementia comitata fuit, ita præſens annus 1699. ſimili cum auſtrina temperie incepit, atque tam conſtans venti hujus, cum Auſtro tamen & Africa ſubinde reciprocantis, ferocia uſque ad ſolis in Aquarii ſignum acceſſum notabatur, ut incolarum nemo tam diu horum impetum continuaſſe recordaretur, & rariora ac breviora hyemis indicia intercurrerent. Et quamvis auſtrina conſtitutio alias peſſime Medicis, ipſi etiam Hippocrati Sect. 3. aph. 5. non bene audire ſoleat, hic tamen vires exerere ſuas non valuit, ventorum potentia atomos morbificos, quæ in putredinem proclives, & aerem inquinare aptæ fuerant, feliciter ubique diſcutiente; impedire tamen eadem non prorſus poterat, quo minus ex collectis jam antea, & porro hucuſque coacervatis lymphæ ſuperfluitatibus, aereque interdum frigido inſenſibilem tranſpirationem retardante, pleuritide aliqui corriperentur; Catarrhi autem in prægreſſo Decembri faucibus infeſti, nunc magnam incolarum partem, gravius mitiuſve, & modo fauces ſolas, ſed rarius modo, ſimul & frequentius pectus, ſive glanduloſam aſperæ arteriæ texturam ex improviſo, cum horrore occuparent; concomitante utplurimum capitis dolore, & febrili intenſo calore ſubſequente (ſed diaphoretico ſumpto paucas intra horas denuo recedente) nec non diuturniore, dum reconvaleſcentes aeri citius quam decebat ſe exponebant, tuſſi humida ſuperſtite, qua multum craſſi ſputi expellebatur. Et hæc anginæ nothæ ſpecies hyemali tempore quod epidemica evaſerit, quæ alias inter vernales morbos ab Hippocrate Sect. 3. aph. 20. refertur, minus mirari licuit, cum præſens hyems naturam primi veris induerit, ſicque prægreſſum menſibus prioribus frigus viſcoſi ſeri collectioni anſam cum dediſſet, mitior illa ſuccedens temperies fluxionem ejuſdem ſive liquationem promoverit. In ipſa morbi invaſione, quæ ſuffocationis metum ſæpe incutiebat, aliquot olei amygdalarum dulcium, aut olivarum cochlearia præſentaneo cum emolumento fuere propinata, reliquum autem curæ blandis diaphoreticis, cephalicis temperatis, expectorationem promoventibus, aliiſque pro circumſtantiarum & ſymptomatum diverſitate, externis etiam, emplaſtro de meliloto, malactico ſimplici, & officinis noſtris dicto filii Zachariæ, non inanes ſuppetias ferentibus, abſolutum fuit. Qui ipſi catarrhi, faucibus, pectori, dentibus infenſi, in vernum uſque tempus, mitiores tamen utplurimum, epidemice graſſari continuarunt. Præter hos morbilli quoque plurimos in puerili in primis ætate, licet nec adultioribus parcerent, invaſerant; & per aliquot, vernales etiam, menſes ſe exeruerant, benigni tamen & facile iterum diſſipati, quamvis intenſo utplurimum calore incipientes, quin & capitis eryſipelas in multis notabatur, moleſta quidem febrili incaleſcentia, tumore & pruritu periodum ſuam decurrens, aſt cum cuticulæ deſquamatione, moderatoque ſub caloris externi regimine non difficulter admodum iterum evaneſcens.

Erant eodem, & ſubſequo tempore, quibus febricula, hecticæ fere æmula, & quotidie calore quodam præternaturali, vel præcordiorum, circa ventriculi ſuperius orificium compreſſione, incerta periodo recurrens, cum appetitu imminuto, ſiti vel nulla vel tolerabili, & virium laſſitudine, infeſta fuerat. Tinctura autem bezoardica bis in die, ſine ſudoris coactione, ſumpta, interpoſitoque pillularum noſtratibus Immanuelis nominis venientium uſu, citiori vel tardiori circuitu, prout cauſa morbifica, viſcoſa, in glandulis fortaſſe minoribus ventriculi vicinarumque partium hærens, incuneata magis vel minus erat, ſine periculo finita. Licet & hecticæ febriculæ puerili ætati infeſtæ eſſent, a collectis viſcidis acidiſque in ſanguine particulis, & glanduloſas in primis viis partes obſtruentibus oriri a me creditæ, eſſentiiſque alchalicis & abſorbentibus terreſtribus medicamentis, poſt laxativorum uſum, mature propinatis, non admodum difficulter abigendæ.

Dehinc eurus, penetrante quidem frigore, ſerenos tamen dies comirante, nos aliquandiu infeſtabat, cum ſol in Aquarii ſigno eſſet conſtitutus, quo tamen dimidio emenſo, novas zephyri, ab Africo ſæpius intercurrente adjuti, impetus ingruebant, ac nives plures ſpargebat, quæ vero brevi, cum aeris temperies utplurimum ad temperatiorem ſtatum inclinarer, iterum liqueſcebant; uſque dum aer

non multum amplius a ventis agitatus, aliquot ante æquinoctium vernale diebus copioſam nivem demitteret, atque exin frigoris inclementia per longum tempus nos afficeret, ſub potiori zephyri dominio, qui poſt calendas Majales vehementia ſua vernalium deliciarum proventum tardabat, tandem in longiores pluvias reſolvebatur; cui cum circa ſolis in Geminos ingreſſum eurus ſuccedens ſerenitate grataque calidiore temperie nos refeciſſet, lætior terræ facies vernantes ſuas amœnitates eo liberalius protruſerat. Sub vario deinde, modo pluvioſo, modo ſereno Jove, præter reliquorum ventorum reciprocationes, zephyri potiſſimum nova violentia concuti aer cœpit, uſque dum euro leniori ſpirante, calor æſtivus menſe Julio conſtantior ingrueret, Siriuſque campos exſiccaret, meſſem quidem ita maturiorem nec illaudabilem reddens, ſuccum tamen granis cerealibus, ut juſto macriora exiſterent, ſubduceret. Interea febres continuæ petechiales, quandoque inſuper puſtulis miliaribus aquoſis ſtipatæ, interdum vero malignitate equidem non carentes, ſine tamen iſtiuſmodi efflorescentiis periodum ſuam abſolventes, cum horrore, virium proſtratione, cephalalgia, dorſi dolore quandoque & ſiti non admodum moleſta, nec appetitu prorſus proſtrato incipientes, per urbem, uſque dum Virginem ſol accederet, notabantur: non paucis, inter ſuccedentia in morbi progreſſu deliria, & faucium ariditate, exitiales factæ, ubi vel ab imperitis tractatæ, vel per initia neglectæ, aut etiam decumbentes immorigeri monitis Medicorum fuerant, quam ipſam ob cauſam habitantibus in pagis viciniæ noſtræ Hebræis non levem cladem in Majo attulerant: Laniorum etiam familias in urbe, quas præ aliis invaſerant, crebris funeribus contriſtaverant: aſt in principio ubi ex arte tractabantur, non admodum refractarias eas notare licuit, ita ut etiam in prima, quod dicitur herba, oppreſſas, paucoque alexipharmacorum, tincturæ bezoardicæ, theriacæ cæleſtis cum chinchinæ extracto &c. uſu abactas non una vice notaverim; ſicut etiam reliqui ſub tepidiori per morbi decurſum corporis cuſtodia, per continuatum diaphoreticorum uſum haud difficulter evaſerant. Alvus in nonnullis obſtructa per plures dies nullum incommodum attuliſſe, nec ſomnolentia in mordi decremento diutius inſtans nocuiſſe obſervabatur.

Sole in Virgine verſante, cælum, euro crebrius perflatum, humidius & frigidiuſculum primo, poſtea conſtanti radiorum ſolarium præſentia animatum, denuo excalefactum cum eſſet, diarrhœæ ſimplices, paucioribus cruentæ tenellam præſertim puerilem ætatem, immo vix dum in lucem editos fœtus, hoc æſtivo tempore infeſtarunt, excretione aquoſa, pituitoſa, acidum redolente; quorum ægrotulorum magnam partem, ob parentum, & qui curam puerorum agebant, negligentiam, remediorumque intempeſtionem trucidarunt; quibus enim medicæ manus prudenter adhibitæ, non infeliciter evaſiſſe, atque coraliorum in primis aut terræ ſignatæ pulverem, cum theriacæ cæleſtis tantillo maritatum, aliaque ſtomachi fibras roborantia conduxiſſe notavi, cauſam vix aliam fuiſſe ſuſpicatus ſum, quam pulmentorum ex farina cum lacte coctorum eſum, quæ ipſa farina ex tritico ante annum tempore humido cælo collecto, atque exactam maturitatem non adepto parata, plurimas crudiores particulas abſconditas, non infrequenter mucidam, quod ſapor odorque teſtabatur, corruptionem expertas habuit, quæ dein tenero in pulſionem ventriculo in liquorem acido viſcidum abeuntes, digeſtionem vitiarunt.

Interea etiam magna illa Solis eclipſis d. 23. Septembr. comparuit, quam multi noſtratum ex plebe, vana perſuaſione ſeducti, licet multum reformidaſſent, ut ſanitatis inde jacturam ſi feciſſent, haud mirari quis potuiſſet, quamvis nec tunc temporis, nec poſtea ullos morboſos effectus obſervare datum fuerit; quæ enim in Octobri & Novembri lymphæ ſtagnationes in plurimis odontalgias, & catarrhos leviores produxerant, aeris potius, quæ eclipſin a d. 27. Septembr. uſque ad d. 27. Octob. inſecuta fuit, inclementiæ, nebulis crebris, pruinis, pluviis, frigore horridę debebantur. Ipſa ſolis obumbratio, quam cælo prius admodum ſereno, nubium ſparſarum ob orientali plaga progreſſus anteceſſerat, cum ſenſim increſceret, remiſſioremque caliginem induceret, eurus ſubito exoriens, non tamen impetuoſus, horridiuſculam auram reddidit, campique, ex nonnullorum relatione, quaſi rore maduerunt; quæ tamen cuncta tum obnubilatione ceſſante, & ipſa receſſerunt.

Sol in Scorpionis ſignum ubi pervenerat, & eurus præſertim, ad meridionalem tamen plagam quandoque inclinans ſpirabat, plures ſerenos frigidiuſculos numeravimus dies, matutinis tamen crebris nebulis turbatos. Novembre autem ineunte, zephyrus (qui altero poſt ſolis in Sagittarium ingreſſum die vehementiſſimus erat) temperatiores eos, varieque conſtitutos, utplurimum tamen ſerenos reddidit, & tandem ſub multivaria in Decembris aeris alteratione, atque cum reliquis ventis, videlicet primum cum euro frigido, circa medium menſem Auſtro, temperato, & tandem Borea frigido alternatione, in nives, & frigus deſpumabat. Nec ſingulares morbi notabantur, niſi quod in dicto menſe ultimo puerilem ætatem, non quidem admodum multos, Variolæ beniguiſſimæ, quas noſtrates aureas dicunt, quibus vero majores puſtulæ, longiori quam priores decurſu finitæ, in nonnullis interſperſæ fuerant, occuparent; omnes tamen abſque ſingulari periculo paucis temperatioribus remediis, & blando externo regimine facile abigerentur; inſuper febres quotidianæ, quales jam circa anni principium infeſtæ fuerant, repullulaſcerent: quæ majori cum calore, ſine horroris utplurimum ſenſu ingruebant, & facile in hecticam declinabant, difficilioremque in multis curam reddebant, tandem tamen, cum interpolato laxativorum uſu, pulveribus abſorbentibus, nitratis, chinchinatis, martialibus medicamentis cedebant.

Principium anni 1700. ſerenitate, frigori juncta, cum ſe commendaſſet, paulo poſt varia cœli facies, nebuloſa, nubila, nivoſa, pluvioſa, ſerena, frigida, temperata comparuit, quin & d. 28. Januarii tonitru ac fulgure tempeſtuoſa exſtitit, cum per aliquot dies zephyrus, hucuſque ſemper, niſi quod ad ſemimeridionalem plagam ſæpius inclinaret, ſe exſerens aerem multum prius concuſſiſſet; qui etiam venti M. Februario continuarunt, & hyemale frigus conſtans inter nives ſæpius delapſas, induxerunt; quod circa ſolis in Piſces ingreſſum ab euro incrementum ſumpſit, niveſque, in M. Martio ſenſim liquatas, ſubinde ſpargere non intermiſit. Interea Januarius febres quotidianas in fine præcedentis anni memoratas producere non prorſus ceſſabat, & nonnullos apoplexia, diverſo fato terminata, alios rheumatiſmo artuum ſuperiorum, qui uſque in Aprilem, juxta cum febribus nominatis notabatur, atque a repetitis ſudoribus, præcipue quos Laconicum coriariorum proliciebat, ſoluto, infeſtabat, Infantes autem in glandulis faucium ipſiſque pulmonum veſiculis, non ſine febrili incaleſcentia invadens, atque grave aſthma inducens ſtagnatio periculo non levi expoſuit, multoſque eorum, præſertim aut ſerius, aut negligentius curæ commiſſos in ſepulchrum præcipitavit, cum reliqui orgaſmum iſtum refrænantium abſorbentium, & viſcoſam colluviem blande per alvum ſputumque educentium uſum ſalutarem experirentur. Quæ cuncta ſicut inæqualitati aeris, lympham modo incraſſantis, modo in fluorem iterum eliquantis deberi, arbitror; ita ejuſdem etiam aeris effectum fuiſſe non dubito, quod diverſas puerperas abdominis præcipue in hypogaſtrica regione tormina corriperent, eaque lochiorum evacuationem non ad votum ſuccedentem, & hinc ex ſanguinis ſtagnatione nervoſam fibrarum tenſionem inducentem comitem habereut; quæ ipſa medicamentis caſtorinis, aliiſque fluorem ſanguini debitum blande reſtituentibus, ac viſcoſas impuritates una per alvum eliminantibus ideo cedebant. Ab eadem aeris inæqualitate etiam, antequam æquinoctium vernum adveniſſet, Icteri, Martialibus remediis debellati, & febres petechiales continuæ, cum cephalalgia ingruentes, in quibuſdam pleuritide comitatæ, cæterum nihil ſingulare oſtendentes, nec admodum lethales, uſque in Aprilem, frigidum, & primo quidem ab euro ſerenum; poſtea ſuccedente zephyro, cum ſemimeridionali vento alternante pluvioſum, ſparſim ut vix epidemicos inter morbos referri mererentur, notabantur, ſed Majus, crebros zephyri flatus expertus, gratiori cæli amœnitate illuxit, in fine tamen frigidus evaſit, morborumque ſeminia (præter Variolarum, nunquam uti hactenus, ita per totum reliquum anni decurſum plane ceſſantium) prorſus ſuppreſſiſſe viſus eſt; quos nec poſtea repullulare variorum ventorum, aerea, ſi quæ ingruerent, inquinamenta ex omni mundi plaga diſſipantium viciſſitudo, ſub grata calidioris, nec non temperatioris auræ alternatione, permiſerat. Quamvis poſtea per æſtatem febres quotidianæ, & rheumatiſmi ſubinde denuo caput extollere conarentur, inque menſe Auguſto dyſenteriæ aliqua veſtigia notarentur, vix tamen memorari hic merentur. Poſt caniculares dies primo frigidiuſcula aura ſpirabat, poſtea longior aeris ſerenitas non levem terræ ſiccitatem inducebat, uſque dum poſt æquinoctium autumnale zephyri vehementia, ab aliis ventis ſæpe interrupta, crebras pluvias ſuſcitaret, tepidioremque utplurimum auram redderet, quæ auſtrina conſtitutio, paulo poſt non tantum Variolas in plures infantes diffuderat, ſed etiam tuſſes contumaces in multis, & febres petechiales in quibuſdam produxerat; & has quidem non ſine contagii nota, ut integræ etiam domus alicubi inficerentur, & non pauci ſuccumberent, quos tamen non tam morbi violentia, quam quod negligenter, & imperite, præſertim a ſtupida fœdi carnificis temeritate, quæ neſcio quo infortunio plures dementaverat, tractarentur, mortis prædam fecerat, cum alii rite & mature curati, paucis aſſumptis alexipharmacis, primos morbi impetus prorſus, vel intra biduum retunderent, vel ſalvi tandem evaderent. Omnes præcedaneo horrore, ſubitam virium proſtrationem & præcordiorum oppreſſionem patiebantur; nonnulli cephalalgia per initia torquebantur; deliria vero & inquietudines interdum ſubſequebantur, ſitis rarius urgebat, nec caloris præternaturalis externa indicia aderant; urina ut plurimum & pulſus non multum a naturali ſtatu recedebant. Talia etiam civis cujuſdam uxorem cum filio 17. annorum invaſerant, qui empiricæ etiam illius imperitiæ expoſiti mortui ſunt. Filia autem 19. annorum eodem malo correpta in morbi augmento vermem duas ſpithamas longum mortuum vomitu excreverat, motibuſque membrorum convulſivis & continuis deliriis agitata, nil cibi & medicamentorum ulterius aſſumere voluerat, quin & potum omnem, quamvis fauces aridæ eſſent, & muco viſcidiſſimo incruſtarentur, per biduum reſpuerat; quæ tamen, cum utrique humero veſicatoria applicare curaſſem, tumque ipſa deglutire iterum aliquid inciperet, ſicque cephalica alexipharmacis mixta admitteret, mentem paulatim & membrorum tranquillitatem reſumpſerat, & circa tertiæ hebdomadis a decubitu finem ſuborta diarrhœa evaſerat. Altera filia duodecennis tertio, & quarto morbi die vomitu crebro agitata, nil cibi, potus vel medicamentorum retinere poterat, data theriaca cæleſti cum chinchinæ extracto motus ille ventriculi perverſus ſedatus eſt, die autem decimo caput intumeſcere, & immenſum dolere cœpit, ſed propinatis ibidem cephalicis, & alexipharmacis, nec non veſicatoriis utrique humero impoſitis, parotidiſque ſiniſtræ tumore ſuborto, poſtquam ille a cataplaſmatis uſu diſcuſſus fuiſſet, atque diarrhœa ſuperveniſſet, convaluit. Filia 15. annos nata, & filius undecennis parem morbi inſultum paſſi, intra octiduum ſanitatem recuperarunt. In omnibus his ſudor fere nullus prolici poterat; maculæ etiam puncticulares lente, nec ſatis ad votum prodierant. Pater prima morbi indicia ſentiens, ſumpta bis tinctura bezoardica, ejus violentiam eliſit, inter medicamenta etiam pulveris noſtri alexipharmaci officinalis, qui ex terr. ſigill. C. C. phil. præp. rad. angel. Zedoar. corr. citr. & myrrh. componitur, repetitum uſum in primis proficuum expertus ſum; qui non tantum lymphæ viſciditatem corrigere, ejuſque coagulum reſolvere, ſicque ad diaphoreſim diſponere, ſed etiam balſamicis ſuis partibus ſanguinem a corruptione præſervare valuit, tuſſes magna vehementia adultis æque ac pueris infeſtæ, convulſivi aliquid alere viſæ fuerunt, & magnam humoris viſcidi copiam excreverunt; quibus vero, ut alia taceam, continuatum herbæ thee vel veronicæ, cum radice liquiritiæ infuſæ uſum præcipuam medelam attuliſſe obſervavi. Quo ſub Morbonæ dominio reliquum anni, varias cæli mutationes, temperatiorem in primis auram producens, tranſegimus.

Conſtitutio Epidemica Berolinenſis Ann. 1699.

DN. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

von der mühlen.

JAnuarii prima dies tota pluvioſa, veſpertino tonitru ſexies ſatis vehementer reboante inſolito, & hoc ſaltem tempore raro phænomeno tremendum edidit oſtentum. 2da inconſtans mane ex parte ſerena, & ſicca, reliqua nimbis ingrata. 3tia mane pluviis moleſta in Caurum a meridie valde impetuoſum deſiit. Sequentes ad decimum varii utplurimum pluviis, quandoque nivium flocculis mixti, nonnunquam frigore temperato in grave tandem gelu degenerante diſtincti; ſuccedente demum nive, hiſque pluviis, vernam fere cum ſudo

tem-

temperiem ad 19num uſque reducentes, cælo nimirum de die ſereno; noctu vero gelido, revertente ſic paulatim fortiori gelu, triduum durante; tum vero rurſus in pluvias ac temperiem aeris leniorem per quatriduum declinante, ac ſuccedente denuo 28vo gelu ſatis acri ſed ephemero, in nebuloſum, & pluvioſum quatriduum una cum menſe terminante.

Februarius eodem typo cœpit, mox vero 2do, ſuccedente gelu ad 11mum uſque continuavit, in pluviolam veſperi ſolutum, ſed 12mus mane rurſus gelidus, cælo quidem obſcuro & flocculos ſubinde niveos ſpargente, octiduum continuavit; 29nus tandem remiſſior toto biduo pluvioſus ac nimboſus. Verum 22do poſt mane obſcurum ſequens 23us ſereno cælo pluvias ac grandinem miſcuit, ſuccedente poſt pacatiori 24to, rurſuſque nimboſo, ac nivoſo, 25to, tandem a modico mane gelu in amœnum triduum 28vo & ultimo tranſiit.

Martius a pauca nive, ſereno mox rurſus cælo exorſus variis, & inter ſe alternantibus tempeſtatum viciſſitudinibus, Aprilem potius referens, nivibus pluvias, gelu deliquia miſcens ad 12mum uſque perrexit. Conſtantiori poſtmodum frigore, ſereno ut plurimum cælo, nivibus, nonnunquam parvis interpolatum ad 24tum uſque continuavit. Inde remittens, poſt biduum pluviolis quibuſdam aſperſum, veſperam verſus clareſcens, 27mo in amœnam ſerenitatem, ſequenti tamen 28vo turbida tempeſtate, nimbis, pluviis, ac grandine fœda interceptam, mox vero tolerabilioti biduo redditam, 30mo una cum trimeſtri hoc primo in vernam amœnitatem deſiit.

Morbi hujus trimeſtris initio frequentiores ac epidemicæ fuerunt præcipue febres peculiares catarrhales, malignitatis non expertes, difficiles, periculoſæ, & quibuſdam exitioſæ, quibus ardentes poſtea ſucceſſere, pleuritide ut plurimum comitatæ, eaque acuta quandoque, & maligna, nonnullis lethali, tandem variolæ. His ob varium adeo cælum Februario menſe ſubſtitutæ febres acutæ ardentes, & continuæ intermittentes, aut ſubinde potius exacerbatæ, malignitate ac petechiis infames, aliæque paulo mitiores quidem, ſed variis exanthematis, purpura, morbillis malignitatis latentis indicibus fœtæ, quæ & ſequenti Martio, totoque adeo trimeſtri, & ultra duraruntac haud paucos ad plures miſerunt.

Aprilis primus cœptam ſub finem menſis præcedentis amœnitatem vernam, quibuſdam 4to præſertim, 6to & 8vo cum æſtivis de ſerenitate, & æſtu certantibus, ad nonum uſque ſerie vix interrupta, niſi nubilum, utut rarius, horis potiſſimum pomeridianis intercedens, cælum variationis inſimulaveris, continuavit. Sequens quatriduum a nono ad 10mum ſerenitati pluvias induxit leves ac fœcundas. Inde ad 18vum euro in aquilonem paulatim deviante, aer quandoque ſerenus, ut plurimum turbidus, ſiccus tamen, ſimulque frigidus, nonnunquam ventoſus, 18vus ſerenus fere totus, circa veſperam fœcundam ſparſit pluviam. Succedente hinc cum ſudo temperato, & ameno octiduo, 21mum procelloſum, & ſubfrigidum ſi exceperis, ad vigeſimum ſeptimum uſque, qui varius, mane turbidus a meridie tonitru, pluvia ac grandine horridus, circa veſperam demum ſerenus, triduo comitatus, turbido tandem in pluviolam ſub ipſo menſis exordio delituit.

Majus tota, & amœna ſerenitate ver initiavit, ſed a ſucceſſore paulo aſperiore, aquilone nimirum afflante, deſtitutus, zephyro tandem ſubeunte in pluvioſum tranſiit quatriduum a biduo ſereno denuo exceptum, ſed 10mo ſub veſpera pauca aſperſum pluvia. 11mus mane ſerenus a meridie ſudus, ſucceſſore 12mo ſereno ac ſicco interſerto, pluvium & circa veſperam tempeſtuoſum ſubſtituit triduum. Cui biduum æque turbidum, ſed præcedenti ternario ſiccius acceſſit, donec 18vus ſerenus & amœnus vernam gratiam ac jucunditatem, quindecim dierum continua ſerie ad ipſum uſque menſis terminum durantem redintegravit.

Junius eodem quidem tenore inchoavit ac biduo ad veſperam uſque ſereno continuavit, in pulviam vero ſatis grandem aut imbrem potius & tonitru circa hanc defecit, 4tus nubiloſus, & frigidulus, ſiccus tamen ſucceſſorem tota die Cauro impetuoſius flante nimboſum habuit, triduum tamen ſerenius & amœnius accerſentem, ad nonæ (quæ pentecoſtes prima erat) uſque meridiem in pluvias fatiſcentem, 10mo ſuccedenti vario turbido ac ſubinde madido, 11mo mane nubiloſo a meridie claro, 12mo ſereno, amœno ac temperato toto. Huic 13us mane ſerenus ac ventoſus, a meridie pluvioſus, Iride bis apparente, ac biduanam ſerenitatem nunciante, notabilis ſucceſſit. Quæ tamen a biduo inconſtante excepta, quatriduum addidit paulo conſtantius, mox tamen in biduum e ſudo & pluviis mixtum deſciſcens 21mum totum pluvioſum ad meridiem uſque 22di a meridie clareſcentis ſuccedaneum habuit, 23tius ſudo & æſtivo calore gratus. 24tum ejuſdem amœnitatis ad occaſum uſque ſolis imbre degenerem, ſocium ſibi aſcivit, ut & triduum ſequens, & pluviolis tamen quandoque madens, 28vus pluvioſus a 29no ſicco & a meridie ſereno correctus, cum 30mo toto æſtu ac ſudo acceptiſſimo ultimum ſecundæ hujus anni quadræ menſem clauſit. Trimeſtre hoc ſecundum morbos haud adeo frequentes aluit præter ſcorbuticos nonnullos aliis utplurimum complicatos, utpote arthritidi vagæ, nephritidi, colicæ. Febres quaſdam catarrhales, quandoque, utut rarius malignas. Majus ſcorbuticis prædictis hypocondriacos quoſdam, &, at raro maniacos junxit. Hiſque epilepſias infantum præſertim & puerorum diarrhœas, ſubinde & dyſenterias hoc anni tempote alias inſolitas, febres quaſdam cum colica ſcorbutica aut hyſtericis paſſionibus combinatas accenſuit. Junius his malignas nonnullas cum pleuritide, quandoque & in peripneumoniam degenerante concurrentes, exanthematum quoque miliarium peculiari quodam genere, ut & petechiis, iiſque periculoſis ac quibuſdam lethalibus, infames ſuperaddidit.

Julii primus dies ſudum ultimo Junii inchoatum per quatriduum ad 5tum uſque propagavit, cujus veſpera pluviolam ſparſit raram. Sextus mane ſerenus, rorantibus ſubinde tamen pluviarum guttulis, aſperſus a meridie imbrem fudit valde largum, ſequentes ſeptem nubilo, aliquando & imbribus & nimbis turbato cælo varii fuerunt. 14tus æſtivum redintegravit ſudum, ac excepto 19no tonitru & pluviis circa veſperam turbido, & 20mo pluvia veſpertina madente, ad 28vum uſque jugi ſudo & æſtu gaviſus eſt; Hic tandem ſerenitati huic ſatis durabili triduum tonitruoſum, pluvioſum ac quandoque grandinoſum ſuccenturiavit, ac 31mo demum ſereno & amœno finiit.

Auguſto a triduo ſic ſatis ſereno, pluviis tamen quandoque interpellato exorſus, 4to ſudum produxit amœnum, ad veſperam uſque ſequentis durans, tum vero tonitru horrendo ac imbre valde largo turbatum, 6to ſudo ſubinde pluvias miſcuit, 7mo tonitru ſuperaddidit, ſubſequente vatio quandoque ventoſo, turbido ac pluvioſo ad 20mum uſque cælo, poſtea vero ſereniori ac tranquilliori, non tamen omnino a pluviis immunis ætheri abblandavit ad 28vum uſque; una cum triduo ſereno toto, ac æſtivo calore amœno, menſem hunc claudentem.

September ſudum æſtivo fervore jucundum primo die continuavit, 2do a meridie pluviolas quaſdam miſcuit, ſequens nubibus id ſubinde temperavit. 5tus idem reparavit, a meridie pluviolam aſperſit, 6tus a pluviis immunis, 7mus & 8vus raras ſereno pluvias intercalavit; A nono ad 18vum æther æſtivum, ſudo rurſus & temperato calore amœnum affulſit, 18vus pluviæ pauxillo aſperſo, 19no & 20mo redintegratum ſed frigidulum, 21mo & ſubſequente biduo paulo mitius, 24to nebuloſum, ſed mox rurſus ſerenum cum ſucceſſore toto 26to ſudum pluvia matutina modica, ac nubilo poſtea interpolatum ad 30mum uſque adeoque poſtremum reduxit, ſicque trimeſtri huic tertio gratum reddidit terminum.

Tertii hujus trimeſtris a priori haud multum abludentis Julius hypochondriacas nonnullas & ſcorbuticas affectiones variis comitatas ſymptomatibus, & hæc inter præcordiorum præcipue oppreſſionibus & angoribus moleſtas; febres continuas ardentes, aliaſque paroxyſmis ſubinde vehementibus graves, nec omni malignitate vacantes ſymptomata periculoſa, pleuritides, hæmoptoes, deliria, ad phreneſin durantia, inducentes. Epilepticos inſultus frequentiſſime, adeoque epidemice diarrhœas nonnumquam & dyſenterias periculoſas, a tergo trahentes. Auguſtus eodem fere tenore tranſiit, niſi quod febres continuæ ardentes, malignæ admodum, frequentiores adhuc ac petechiis quoque ſtipatæ ſucceſſerint, atque Septembri quoque continuarint, in hecticam haud raro, tuſſes contumaciſſimas, colicas quoque paſſiones, diarrhœas & dyſenterias tranſeuntes, periculoſas, raro tamen lethales, purpura ſæpius, variolis raro, morbillis frequentius notatas.

October autumno congener a primo ad 19num uſque vario cælo ſæpius pluvio, raro ſereno, ſemper horridulo tranſiit; Hic ſerenus, præter parum pluviæ 23tio ſparſæ octiduum adduxit ſerenum & 25to præſertim æſtivo ſudo fere compari, a biduo paulo nebuloſiori exceptum, 29no nebuloſo turbido ac pluviis raris tamen interpolatum, biduo alio ſereniori, ſed euro afflante frigidulo ſurrogata compenſavit, tandem poſtremo biduo in primam glaciem ſub ipſo exitu diriguit.

Novembris primus, ejuſdem cum prædictis poſtremis genii, ſerenus nimirum & gelidus, 2dus gelidus adhuc, ſed nubiloſus ac turbidus ſequenti nocte primas ſparſit nives, remittente parum gelu, noctu rurſus pruinam, tum mane nebulam in pluviolam deliqueſcentem tulit. Subſequentem 5to ſicco, mitiori æthere grato, tum pluvioſa nocte ad meridiem uſque ſequentis interſerta, inde clareſcente rurſus aere poſt turbidum 7mum, triduum ſubſecutum ſudo temperato valde amœnum ad veſperam uſque 11mi pluvia rorantem, cui quatriduum rurſus ſerenum ſucceſſit, ac 18vum mane pluviolam ſpargentem, ſi exceperis, ad 21. uſque a meridie pluvia quoque rara cum ſequentibus duobus madentem. 24tus ejuſque ſucceſſor nimboſi aſſeclas habuere turbidos ac pluvioſos, ſolo 30mo menſis nimirum ultimo ſereno ac temperato excepto.

Decembris primus & ſecundus alternatim pluvias ſerenitati, ille mane, hic veſperi ſubordinarunt, 3tius in gelu pronus a nocte gelida, meridie nivoſo, reliquo ſereno in triduum brumali frigore rigens tranſiit; 7mus mitior, cum 8vo toto nives addidit; 9nus temperato gelu ſerenus; 10mus totus nivoſus a procelloſa nocte in ſerenum ac temperatum gelu migravit, quod 11mo fortius; 12mo ſubturbido cælo per triduum ſubſequens ſatis rigoroſum, in gelicidium tandem deſiit, 16to nebuloſo cum ſequente, cælo etiam ſereno paululum remittens, biduum ſubſtituit penitus degelaſcens, ſed redintegrato 20mo gelu ac meridiem uſque mitiorem, 21mo & 22do nebuloſis ac pluvioſis 23. a nocte ſerena gelicidium a meridie adduxit ad 24ti uſque ſequentis meridiem, in pluviam tandem fatiſcentem. 25tus nebuloſus ac nubiloſus totus mite reſtituit gelu, cælo ſereno cum nivibus quandoque alternante; ad 31mum uſque & poſtremum hujus ut trimeſtris ſic anni totius, robur ſucceſſive validius acquirens.

Poſtremum hoc trimeſtre, perinde uti priora, febres obtulit varias ſatis ſequentes ſatiſque vehementes, acutas & ardentes nonnullas ſimulque malignas pleuritide, & peripneumonia quandoque, ut plurimum funeſtis, diarrhœa, cholera, ictero, catarrhis cum defluxionibus moleſtis in dentes, tonſillas, guttur, pulmones &c. depluentibus contumacibus; cephalæa, cardialgia, palpitationibus cordis intenſis, purpura ſubinde, morbillis, variolis & haud raro petechiis ſtipatus. Præcipue autem colica quædam ſcorbutica valde frequens fuit, prima facie levis, ac haud magni momenti viſa, mox vero nunc diarrhœæ, nunc dyſenteriæ, nunc pleuritidis in peripneumoniam ſæpe degenerantis, contumacis, periculoſæ & haud raro lethalis, Protei inſtar larvas induens.

Conſtitutio Epidemica Baſileenſis Anni 1699.

Dn. D. JO. JACOBI HARDERI.

PRincipium Januarii fere ad uſque hujus medium, varia tempeſtate eaque ſubita dyſcraſia ac mutatione, novi anni auſpiciis prælufit: imminente paulatim novilunio cælum læta ſerenitate, aerque deſiderato pruinæ incremento ac ſiccitate ad uſque finem hujus menſis favere perrexit: inde vero obſcurior aer ingruit, Februariique initium nunc nebuloſum fuit, nunc pluvioſa cum nive mixtum, ventis per intervalla fortiter ſpirantibus: Pleuritides & pleuropneumoniæ cum febribus continuis jam frequenter homines invadebant: neque catarrhi ferini iiſdem pepercerunt, variolis teneriori infantiæ ſubinde infeſtis.

Martii principium pluvialis nix ingratum reddidit, quæ inſtante plenilunio, magna & inſolita cohorte, arva monteſque adeo obſedit, ut itinerantibus non parvo fuerint obſtaculo: inde blandiore accedente aere, nix paulatim fundi, & fertilis tempeſtatis ſpes major affulgere cœpit: uſque tamen interpolatæ circa finem hujus, & Aprilis initium nivales pluviæ, eandem rurſum extinguere cœperunt. 8. 9. & 10. April. interdiu calore blando terræ gremium reficiente, noctu vero pluvia cum tantilla nive idem irrigante, febres continuæ hoc tempore ſatis adhuc infeſtabant.

Dies 12. April. calidiuſculæ pluviæ fugata in arvis, montibuſque adhuc dum hoſpitans nix maxima ſui parte, affulgente deinceps

ſerena tempeſtate, cum exoptato calore ſolis, florum fructuumque fœcundo parente, tantum non prorſus evanuit.

Maji initium multa pluvia comitabatur, in montibus hic illic nive per intervalla interſperſa, inde optata tempeſtas ingruit, ſoli deſiderato calore ſingulis terræ fructibus & ſeminibus, in vitam excitatis, cujuſmodi in Junium uſque & ultra fœcundiſſime continuavit: Julius, quem canicula promittit fervorem minus largum, ſenſit frequentibus pluviis præter votum illum attemperantibus: neque ejus defectum Auguſtus majori calore, quem ab hujus medio ad finem uſque demum experti ſumus, ſarcire potuit: unde uvarum maturitas quam Septembri mortales præſtolantur, verſus finem uſque hujus a nobis deſiderata fuit; & quamvis dies calidi interpolate alluxerint, noctes tamen frigidiuſculæ, eandem non parum ſufflaminarunt. Sub finem Octobris nivalis tempeſtas jam ingruere cœpit, quæ ſubſequentibus hinc Novembri & Decembri menſibus, in primis circa medium finemque hujus cum multa Brumæ ſævitia, ingruit; præter febres continuas & in quibuſdam locis ſatis malignas, alii morbi rarius frequentes erant.

DN. D. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII,

Academici Naturæ Curioſi,

Schediaſma Tubingæ miſſum ad Hiſtoriam Epidemicam,

Anno 1699. & 1700.

LAudabile eſt inſtitutum hiſtoriæ epidemiæ Germanicæ, in appendicem ephemeridum ab annis aliquot referri ſolitæ, quod ex multitudine obſervationum per diverſas provincias collectarum progreſſu temporis acquirendam ſpondet notitiam meliorem & pleniorem de ſubdolis, alias & occulte, utut populariter, graſſantibus morbis. Hanc ego collectaneorum ſupellectilem hac quidem vice non venio locupletatum, nec plenam deſcriptionem conſtitutionum utriuſque anni hic inſerere neceſſe duco; Quoniam qui ſuis temporibus graſſari ſolebant catharri & inflammatorii pectoris morbi, quæque intercurrebant variolæ, cum aliis levioribus, tanti momenti non videbantur, epidemicarum autem febrium priſtina frequentia & malignitas ab aliquot retro annis per Dei gratiam in urbe dominium non obtinebat: Sed ea fata, quæ per triſtes olim annos communiter plures experiri ſolebant, jam paucis & vel uni atque alteri ſolum obtigere, idque modo quodam ſporadico potius quam epidemico, hoc annotare cum licuerit, communicare etiam operæ pretium viſum fuit.

Exemplum quod huic rei fidem faciat ſingulare pro an. 1699. ſuppetit in una domo, ſcilicet Aprili menſe primus in familia pater, vir robuſtus, idemque hactenus ſanus bibliopegus, febre maligna plane ex improviſo modoque acuto abripitur. Hunc poſt breve tempus, liberis interim etiam correptis, evadentibus omnibus, intra menſem ultima ſequitur in familia mater; ſic viduata domus, cum altum de ſimili malo in urbe eſſet ſilentium, nec per hunc annum ante & poſt ita acute abriperetur quiſquam. Nihil etiam contagii hinc retulerunt vicini, aut qui alias triſtes illas ædes viſitarunt. De cauſa illa manifeſta non conſtabat. Audiebantur quidem tum temporis hinc inde varii pauperum morbi ſub annonæ caritate ob diætæ vitia, vertigines, tormina, alvi fluxus, ſed hæc in pagis potiſſimum, minus in urbe; Conſtitutio autem aeris per iſtum menſem, utut ſæpe blanda, mitis, velut æſtiva, hinc & leviter tempeſtuoſa, in principio tamen & fine fuit frigida, humida, cum & vicinis alpibus diu inhærceret nix, quin nova ſub medium & finem ibi caderet.

Pro anno 1700. duo ſuppetunt exempla, notata in binis ædibus: ubi principium continuæ non communis febris iterum deducendum eſt a menſe Aprili, qua ſub ejus finem correptus fuit ſartoris filius, abſque omni, quantum quidem conſtat, cauſa evidenti, nec ab alio quocunque infectus. Hunc ſequitur ſoror major, hanc minor natu; omnes medico nullo conſulto vel abſque vel cum medicamentis, ut ajunt, domeſticis evadunt, ita tamen ut ad quinque & ſex ſeptimanas protenderetur apud ſingulos plena convaleſcentia. Quarta in ordine mater demum die ſeptimo vel octavo Junii (non enim ſimul tres priores perſonæ decubuerant; ſed una fere reſurgente dejecta fuerat altera) cum male habere circa præcordia inciperet, ſumit purgans, neſcio quale aut cujus ſuaſu, & movetur fortiter, ſed abhinc ſtatim lecto affigitur, alvum ad tredecim dies habet clauſam, tunc ſuppoſitoriis & enemate tarde & parce motam, jacet ſoporoſa, omnium negligens, excitata & interrogata ſibi non male eſſe dicit; tandem ſubdelira, nullis uſa medicamentis, in tertia demum ſeptima die vigeſimo quarto Junii moritur, livide poſt mortem nigricans. Ipſo die ſepulturæ frater defunctæ, lanio robuſtus, quinquagenarius, tabellarius, poſt varios quidem errores diætæ, largos certe in vino exceſſus, ægrotare incipit, ſc. prævio horrore maligne dejicitur die vigeſimo ſexto Junii; Dicitur autem turbatus & veſtibus indutus die manſiſſe extra lectum, ludens, garriens, cum pulſus præ ſpaſmis jam explorari vix poſſet, &, ut ajunt, pleuriticus. Quidquid ſit de ipſo, quem non vidi, moritur ſatis acute manè diei ſecundi Julii, convulſus. Abhinc terrore perculſa alterius fratris uxor etiam dejicitur, ſed evadit; Cum vero inſuper binæ perſonæ aliis in ædibus, quibus cum iſta familia nihil interceſſerat commercii, febre, ſed mitiore & remittente, corriperentur, caderetque vir ſanus hactenus ex improviſo apoplecticus lethaliter, imo de ſubitaneis per patriam caſibus triſtes hinc inde advolarent nuncii, magna utique tum pavidorum commotio. Sed redeundum ad ædes ſartoris. Die altero poſt ſepulturam matris, filia annorum ſeptendecim nondum menſtruata, mane circa horam octavam ægrotare incipit, friget, a meridie incaleſcit, atque ita hinc continenter febricitat, ut extra lectum plane non degere, quin ſæpe in eo ne quidem ſe erigere poſſet, pleriſque tamen diebus horas matutinas experiretur meliores, pomeridianis autem ſentiret exacerbationes omnium ſymptomatum, quorum præcipua erant dolor capitis, & ut ajebat cordis, cum levi tuſſicula, alvo tarda, pauca, ſiti non nimia, appetitu nunquam plene abolito, lingua mucoſa, moleſtia quadam deglutitionis, abſque maculis, (uti & priores omnes) abſque ſingulari delirio, mittens urinam nunquam rubram, cum nebula poſt moram craſſa albide pallida. Hæc filia poſt dies quatuordecim evadit feliciter, uſa decocto raſur. corn. cerv. rad. glycyrrhiz. ſem. fœnicul. pulveribus pannonico, alexipharmaco, cervino, (prout hic in officinis juxta deſcriptionem B. Parentis in gratiam pauperum proſtant minus pretioſi) bis in die aut ter, alternis enim noctibus dabantur grana quatuor extracti bezoardici, deſcriptionis ejuſdem, cum vehiculo & mixtura aquarum meliſſæ, card. bened. ceraſor. tiliæ, Syrup. acerofit. citr. cui addebantur cornu cervi uſtum, antimonium diaphoreticum, & tinctura bezoardica, cum pulveres illos porro ſumere recuſaret. Tandem ultimus in domo pater, die duodecimo Julii languere viſus, ſibique metuens, ne ordo jam ipſum tangeret, a deglutitis noctu ſeptem piſulis bezoardicis, & drachma dimidia theriacæ Andromachi mane in vino hauſta, largiter ſudans præſervatur, nilque ultra mali paſſus, finem ita imponit malæ febri, inducias hinc iterum urbi noſtræ (utinam bene longas) concedenti.

Hæc de hac familia. Interim alibi in urbe lotrix, cum prioribus non communicans, circa idem tempus cum iſta muliere, ſc. die octavo Julii, poſt loturam linteorum, ſub horam veſpertinam ſeptimam horrore gravi correpta, hinc ob æſtum, ſitim, acutum capitis dolorem, cardialgiam, tuſſim fruſtraneam, dolores coſtarum pleuritidem æmulantes, die decimo Junii mane venam ſecari jubet in brachio (unde ſanguis extractus mora temporis nullam contraxit cruſtam, ſed mundam ſervavit ſuperficiem) decurſu dierum mane & meridie melius, a veſpera in noctem ſemper pejus habet, tum dyſpnoica ſubinde & ſubdelira; Die decimo tertio menſis obſervantur in collo ipſius & pectore maculæ minutæ rubentes, die decimo octavo per collum efflorescentes veſiculæ milliares; Alvus die decimo quarto ante meridiem ſponte novies non torminoſe ſoluta per morbi decurſum manet lubrica, laxior communiter ſub exacerbationibus; Urina mittitur nunquam tincta, plerunque turbida, cum ſedimento poſt moram laxo, craſſo, pallido. Sic afflicta fœmina ſub uſu prædictorum medicamentorum, quibus hic acceſſerat decoctum pectorale alexipharmacum, electuarium diaſcordium, & cortex Peruvianus, evaſit feliciter; equidem in ſexta ſeptimana jam iterum lotricem agens, notabile adhuc ſub declinatione emergens narravit phœnomenon, pruritum ſcilicet fere univerſalem, valdeque moleſtum, quo ad fricandum vehementer corpus urgebatur, unde & in ſquamulas elevata & ſiccata cuticula abſceſſerat paſſim. Cæterum hæc non uti prior, infecit quenquam, ſive nemo ab ea laboravit ſimiliter, niſi quod filiola annorum quatuor eam videretur ſequi, febricitabat enim per dies quatuordecim continenter, cum exacerbationibus veſpertinis, ſine maculis; convaluit autem abſque medici ope, cum poſt longam anorexiam & abſtinentiam appetitu ferebatur in lac acidum eoque ſatiaretur.

Hæc ſunt fata familiarum, quas in alta velut pace ſecuras hoſtis improviſus diverſimode aggreſſus graviter exercuit, modo unam & alteram in domo eligens perſonam, reliquis parcens, alias nulla prætermiſſa paucas fataliter abripiens; Ibi in una domo perſiſtens, decurſu intra breve tempus abſoluto, hic extra domum ad conſanguineos & affines ſeſe extendens, diu tamen protracta ſucceſſione in eadem, ad menſem ſc. uſque tertium. Illum alias novimus morem talium febrium, quod cum epidemicam minantur invaſionem, accedentes ſubdole & ſparſim ſe prodant, & cum finis earum adeſt, recedentes ſubinde tamen, cum minime credis, recurrant; Hic autem neutrum locum habere videtur, ſed alia ratione triſtem ſui memoriam renovaſſe malignitas; idque non tam hyberno, quo major olim communiter notabatur, quam æſtivo potius hac vice tempore, quo Mars apud nos (utinam per Dei gratiam diu) quieſcit, & qua mediocre fuit annonæ pretium. Addendum hac occaſione poſt hyemem inconſtantem, ventoſam, lutulentam & gelidam, non minus varium ſucceſſiſſe vernum tempus, nive iterum alpibus diu, ad finem uſque Aprilis, inhærente; Junium in ſpecie ſæpe, ipſo die ſeptimo fuiſſe pluvioſum, ad exundationem fluviorum in utraque circa urbem valle. Reſpondebant interim tali conſtitutioni morbi varii, inter quos præcipue hybernæ variolæ, vernæ ſcabies, pleuritides, peripneumoniæ, ſub initium Maji perquam frequentes: Abhinc autem inter benignos nec multos morbos obſervabatur ſingularis illa malignitas, ad paucas determinata perſonas. Quibus ſub finem pro declaranda temporum iſtorum de cætero bonitate addi poteſt, quod a quo tempore fama de novo remedio antidyſenterico percrebuit, nullus obſervatus inter nos fuerit æger, quo cum ejus periculum fieri potuerit.

SERIUS MISSA

Dn. D. AMBROSII STEGMANNI

Hiſtoria Epidemica Mannsfeldiaca Anni 1697.

CUM temporum inæqualitas, Hippocrate & experientia teſte, plurimos pariat morbos, nec minima utilitas, judice perillustri Domino Præſide ex epidemica annorum conſtitutione, diligentique illorum obſervatione reſultet in rempublicam Medicam, operæ pretium duxi & Ego, ut circa Comitatum Mannsfeldiacum ex epidemica conſtitutione propullulantes morbos, quantum mihi obſervare datum fuit, annotarem & ephemeridibus adderem. Ab anno itaque 1697. bono cum DEO, initium faciam: Cujus Menſis Januarius incepit gelu rigoroſo congelare aquas, & nive conſpergere terram ad quintum uſque diem, quem inconſtans, ingruente ultima lunæ quadra, aeris tempeſtas excepit, & per reliquos hujus menſis dies mox pluviis, mox nive, mox turbinibus continuavit.

MORBI. Per hunc menſem tumores inſoliti hominum capita occuparunt, ut tertio majores extiterint, quos tamen ſudorifera & veſicatoria optime diſſiparunt. Sicut & pleuritis notha in gravidas nimium quantum ſæviit. Nec non catarrhi ſuffocativi primæ, mediæ & ultimæ ætatis homines invaſerunt, qui affectus tamen appropriatis ſuis remediis auſcultarunt.

FEBRUARIUS, inconſtante aeris temperie, multis comitatus nebulis matutinis & veſpertinis ad nonum uſque diem continuavit, quo frigus intenſum ingruit & ad 24. Septembris ſc. diem duravit, reliquos hujus menſis dies rurſus aer pluvioſus, udoſus & nebuloſus excepit.

MORBI. Menſe hoc morbus Hungaricus, ſuperveniente ut pl. 7timo die angina, febreſque petechiales multis exitiales fuere. Petechiæ in pleriſque abſque ullis datis medicamentis 2do ſtatim & 3tio die maxima cum virium proſtratione & malignitate eruperunt. Et licet multi his laborantes ſanis ſimiles viderentur, tamen præter omnium opinionem die ſeptimo extincti ſunt. Die 5to ut pl. in ſexu nobiliori hæmorrhagiæ narium, in ſequiori menſtrua cum infallibili lethalitatis indicio, erumpebant. Quibus mox ab initio delirium

ſuper-

ſuperveniebat, morbo abſolvebantur ſic, & diverſos ex pauperioris ſortis hominibus vidi ſuperſtites, qui negligentius vivebant, in frigore jacebant, nec ullam ſui corporis curam habebant. Ex decumbentibus etiam quidam recidivam ſunt paſſi, ita ut intra menſem bis fuerint petechiis inſigniti, qui tamen omnes vita privati ſunt. In quibuſdam febre hac demortuis, facies vivorum ſimillima & ſudore guttatim conſpicua, deprehenſa eſt. Admirationem etiam ſubii, quod bubones peſtilentiales, in quibuſdam peſte, tempore ultimæ contagionis, olim infectis, hoc menſe rurſus intumuerint, purulentamque materiam de ſe dederint. Optima bezoardica lege artis & ſummo ſtudio adhibita reſpuebat omnia hæc febris; Itidemque vomitoria & venæ ſect. in principio etiam adminiſtrata erant de nihilo. Sola veſicatoria, quæ tamen plurimi recuſabant, primis ſtatim diebus in diverſis corporis partibus ſimul applicata, multos eripiebant e faucibus mortis.

MARTIUS & APRILIS mox pluviis & tonitru, mox nive, mox turbinibus mutarunt ſuos dies.

MORBI: Catharri & tuſſes nimium quantum infeſtarunt homines, in his Pillul. de Succin. Craton. it. de Cynogloſſ. aſſociatis Elixeriis pectoralibus multum profuerunt.

MAJUS inſolito aeris fervore & tonitru ingruit, & uſque ad X. diem continuavit. Reliqui hujus menſis dies pluvioſi & ventoſi, nocles vero ob flantem Boream ſumme frigidæ extiterunt, ut exinde fructus & fruges ob glaciem obductam frigore ſint tactæ & læſæ.

MORBI. Hoc menſe pleuritis, hæmoptiſis, arthritis vaga ſcorbutica, & in primis febres catharrales multo infeſtarunt.

JUNIUS intravit rurſus inſolito aeris fervore, cujus XI. diem Boreas excepit & uſque ad XX. diem duravit, quo rurſus aeris fervor cum tonitru ingruit, & menſem ſiniit.

MORBI. Hoc menſe melancholia multos utriuſque ſexus homines invaſit, qui truculentas manus ſibi ſuiſque intulerunt, ſupervenit & quibuſdam melancholicis epilepſia paucas poſt horas lethalis.

JULIUS crebrioribus pluviis, flante Borea, per totum menſem ita moleſtus, ut Vulcanus tunc temporis ſuperbiret in noſtris fornacibus.

MORBI. Hoc menſe febres tertianæ & quartanæ, it. Partus difficiles ſequiori ſexui periculoſi fuere.

AUGUSTUS, SEPTEMBER & OCTOBER pluvioſi & ventoſi flante Borea & Euro extiterunt.

MORBI. Catharri, tuſſes, & pleuritis vagarunt hinc inde.

NOVEMBER & DECEMBER maxime inæquales fuerunt, & mox pluviis, mox nive, mox frigore mutarunt ſuos dies.

MORBI. His menſibus icterus in quibuſdam cum diarrhœa, in aliis cum vomitu, in plurimis cum tumore ventris obſervatus eſt, & totas familias infecit, paucos tamen intra dies pillulis meis Martialibus & ſale cachectico Ludovici profligavi hunc morbum. Sic & arthritis vaga ſcorbutica & podagra multos infeſtavit.

Epidemia Mansfeldiaca, Anni 1698.

JANUARIUS frigore intenſo per 4. dies ſpirante ſubſolano continuavit, 5to die aer nebuloſus ingruit, 6to & 7timo Aquilo nivem, d. 12. 13. 14. zephyrus pluvias protulit, d. 15. 16. 17. 18. 19. 20. Euro notus nivem & intenſum frigus reddidit. Reliqui menſis dies, flante zephyro, rurſus pluvioſi extiterunt.

MORBI. Tuſſis, catharri, & pleuritis notha multis moleſti fuere.

FEBRUARIUS pluvioſo & auſtrali aere uſque ad ſextum continuavit diem, 7mo frigus intenſum, ſpirante euro-noto, ingruit, & per reliquos hujus menſis duravit.

MORBI. Pleuritis, tumores ſub anxillis & morbilli admodum familiares fuere hoc menſe omnis ætatis hominibus.

MARTII primi VI. dies, flante zephyro, pluvioſi extiterunt, VII. frigus, ſpirante Euro-noto, intenſum rurſus ingruit, & uſque ad XX. continuavit, quos reliquos menſis hujus dies aer meridionalis cum pluviis & tonitru abſolvit.

APRILIS totus pluvioſus, ſpirante aere meridionali, extitit.

MAJUS eodem aere & pluviis uſque ad 18. diem continuavit, d. 19. Subſolanus radiis ſolaribus terram ſiccavit, quam tamen d. 27. pluviæ & grandines rurſus humectarunt, & ad finem uſque hujus menſis perdurarunt.

JUNIUS, JULIUS, AUGUSTUS, SEPTEMBER & OCTOBER mox pluviis, mox radiis ſolaribus & aere validiori, mox frigidiori, variante Aquilone & Auſtro, admodum moleſti extiterunt.

MORBI. Licet maxima aeris inæqualitas per totum ferme annum extiterit, minimi tamen morbi has oras viſitarunt. Nam præter melancholiam, maniam & furorem uterinum, plane nullus alius in Comitatu Mansfeldiaco per menſem Julium, Junium & Auguſtum obſervatus eſt morbus. Hi autem affectus permultis familiares fuerunt. Nam XV. melancholia, VII. mania, & octodecim furore uterino laborantes meam ſolummodo implorarunt opem, quibus etiam ad unum omnibus appropriatis ſuis remediis & inprimis veſicatoriis & venæ ſect. Deo auxiliante priſtinam reddidi ſanitatem. Nymphamaniacæ in primis mira paſſæ ſunt ſymptomata. Quædam nil niſi obſcœna proferebant verba, veneremque intendebant. Quædam inſomnia phantaſtica recitabant, & modo hunc, modo illum Sanctum, I. Principem, I. alium Magnum pro ſponſis habebant. Aliæ cantabant, ſaltabant, & modo in caput, modo in pedes ſe conjiciebant, variaque abſurda immiſcebant. Aliæ rhythmos componebant, totas paginas e Bibliis recitabant, & chiliaſtas ſe profitebantur. Extitit autem, quod mirandum, furor uterinus contagioſus, nam iiſdem in ædibus ſæpe 2. 3. & plures decumbebant mulieres hoc affectu. Vidi etiam oculis meis: Quod præfecti cujuſdam uxor in paroxyſmo ejuſmodi furente conſtituta, ex adſtantibus mulierculis ruſticam quandam virginem ad oſculandam manibus arriperet, recuſantique colaphum impingeret, ex quo terrore ruſtica hæc, altero die poſt, eodem affectu infecta fuit.

NOVEMBRIS initium frigidum fuit, reliqui vero ejuſdem dies mox pluviis, mox nive rurſus moleſti extiterunt.

DECEMBER mox frigore, mox pluviis, mox nive, mox turbinibus annum abſolvit.

MORBI. Hiſce menſibus variolæ ſuis maculis primæ, mediæ & ultimæ ætatis homines ſignarunt. Vidi enim vetulam ſeptuagenaria propinquiorem, & virum ſexagenariorem, variolis abſque vitæ jactura decumbentes. Sic & bruta a variolis non immunia fuere, ex quibus pennata, utpote anſeres & gallinæ, tum domeſticæ, tum Indicæ, hiſce infecta perierunt ferme omnia. Oves & porci vero, quibus expellentia (utpote cineres ex ſtipitibus fabarum, vel frumento ſecalino cum urina humana, vel rob. Sambuci &c.) ab Œconomiis curioſis propinata ſunt, ut pl. evaſerunt ſuperſtites.

Conſtitutio Epidemica Berolinenſis Ann. 1700.

DN. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

von der muhlen.

JAnuarii 1mus ſt. Greg. gelu quod annum præcedentem finierat, cum degelaſcente tepore imbribus ac nivibus mixto commutavit, & ad feſtum Apparitionis ſ. ut vulgo vocant trium Regum uſque continuavit; ſequenti feſtum die gelu cælo ſereno vires recuperavit; ac per triduum ſervavit, 10mo rurſus & ſequentibus; 12mum gelu aliquali & nivibus diverſum, cum 16to, 17mo & 18vo blandum gelu nocturnum, cælo nubiloſo a meridie pluviis rorantibus, ſi exceperis ad 25tum uſque remittens, 26tus priorem vigorem reaſſumpſit, illique nives ſuperaddidit; eoque tenore ſequentibus 20no excepto, ad 30mum uſque duravit, tandem 31mo ac ultimo illius menſis, pluvioſo, a meridie vario deſiit æthere.

Februarius temperato quidem frigore cœpit, ſed nivibus, quandoque alias pluviis, utut raris interpolato varius fuit ad 22dum uſque, a quo redintegrato per triduum brumali rigore, ſereno interdum cælo, 25to ſenſim remittente, 28vo circa veſperam pluviam tandem delicuit.

Quam primus Martii ſerenus excepit dies, huncque ſequentibus gelu nocturnum, ſubinde & diurnum, nivibus 3tio & 4to opertum. ſuccedentibus a 5to ad 11mum ſatis rigidum, remittens 12mo ad 25tum uſque Cauro impetuoſius flante noctu valde gelidum, & hujus ſequaces ad finem uſque menſis, Cauro licet ab Aquilone repulſo ac hinc 30mo ſuccedente Euro eodem fere tenore perdurantes.

Morbi hoc anni quadrante præter ſcorbutum fere endemium ejuſque aſſeclas, ut & cognatum malum hypochondriacum, fuere frequentiores catarrhi, tuſſes, febribus, quandoque catharrhalibus, variis defluxionibus, in genas, dentes, maxillas, guttur, ſcapulas, ipſum quoque pectus & pulmones, pleuritide item tam vera, quam ſpuria, indeque ut plurimum pullulante hæmoptoe, hancque nonnunquam excipiente aut phthiſi, aut hectica, haud raro etiam nephriticis doloribus complicatæ. Præterea febres quoque aliæ variæ, interque illas quædam malignitate non vacantes, morbillis & variolis & purpura ſeſe prodentes.

Aprilis primis diebus Euro-noto ſpirante paulo remiſſior, 6to vernæ amœnitatis prænuntio, variantibus ſubinde ventis & nonnunquam ſatis aſpere flantibus, ſereno tamen plerunque cælo, rarius pluvias rorantes ſpargens, ad extremum uſque diem temperatus fuit.

Cui majus fere totus reſpondit, frigidior equidem paulo præter 12mum & 17mum ſudo & tepore verno amœnos, ad 22dum in pluvias comite tonitru circa veſperam cum ſequenti toto & 24to mane udo ſolutum, ſuccedente biduo ſereno ac temperato, poſtque 27mo mane pluvio, tandem ad 31mum adeoque ultimum ſerenus & amœnus.

Junius ſerenitatem & amœnitatem vernam Majo cœptam ad 6ti uſque veſperam cum pluvia tonitru advehentem continuavit, 7mus & 8vus præcedentibus nubilioſiores, circa veſperam rurſus pluviis fuerunt, reliqui ad 12mum obſcuri & frigidi, ſicci tamen; a 12mo vero, 20mo mane pluvioſo, veſperi tonitruoſo excepto, ad 22dum & 23. ſerena & amœna temperie commendabiles, ac hos inter 14tum, 15tum, 16tum & 17mum æſtivo fere æſtu graves fuerunt, ſubſequentes pluvioſi, quandoque tota die ac nubili ad 30mum uſque & ultimum mane nubilum, poſtea præcedentibus ſereniorem.

Morbos hoc trimeſtre præter prædictum ſcorbutum & ab illo dependentes cacheſiam, dolores, tumores id genus alia ſymptomata, febres genuit omnis generis, communes, ephemeras, intermittentes varias, etiam ſeptiduanam, paroxyſmo ſeptimo quoque die recurrente, rarius, ſi unquam antehac in praxi occurrentem, continuas, ardentes, cum & ſine exacerbationibus, catarrhales, malignas haud raro, pleuritide, arthritide, catarrhis aliiſque variis defluxionibus, tuſſi, doloribus præcordiorum & hypochondriorum, aſthmate, interdum convulſio infeſta, purpura, morbillis atque variolis aliiſque exanthematis fœdas, paſſiones item hyſtericas, nephritides, diarrhœas, hæmorrhagias etiam uteri, &c.

Julii prima dies ſerenitatem ultima Junii cœptam continuavit. Verum frequentes menſe fere toto alternis diebus ſudum cum pluviis nunc parcioribus, nunc copioſioribus alternando, æſtivum ſereni cæli æſtum ſic imbribus & pluviis temperarunt.

Auguſtus a primo ad 7mum fere pluvioſus, triduum ad 10mum uſque ſerenum intercalavit, ſequens triduum mane ſiccum veſperi pluvia maduit, 14tus vento nubes diſſipante ſerenas, 15tum ſucceſſorem habuit totum udum & imbroſum, 16tum mane pluvium, poſtea ſerenum, ſerenitate triduum continuante, bidnum rurſus mane nebuloſum poſt raras ſpargendo pluvias vidimus. Sudo 22do interſerto 23tio nubilo, tonitruoſo ac pluvioſo in ſerenitatem tandem declinanti, 24tus ſucceſſit ſerenus & amœnus, atque huic frigidulum pluviis ſubinde madens ad finem uſque menſe ſeptendium.

September facie a primo rorante nonnunquam alias ſereno, in ſudum æſtu ſæpius grave mutata, ad 13tium uſque mane ſerenum, licet a meridie poſt tonitru grave imbrium, commendabilis, triduum accivit varium pluviis ſerenitati interſperſis, ac frigore, moderato tamen, non uſquequaque gratum; triduo alio ſudo gratiori exceptum, biduo rurſus interpolatum vario, 22do ſicco 23tio toto fere pluvio ac frigido 24to mane nebuloſo ac nubilo, a meridie ſereno, ſubſtituti triduum ejuſdem fere tenoris frigidum tum ſerenitas bidui poſtremi menſem nunc ſimulque trimeſtre hoc abſolvit.

Quoad morbos id præcedenti fere compar, niſi quod frequentiores adhuc fuerint febres, præſertim ardentes & malignæ, petechiales quoque, pleuritides in phthiſin quandoque declinantes, quædam veræ, quædam etiam nothæ, dyſenteriæ, & diarrhœæ, æſtui partim & inordinatæ, in potu præſertim & fructuum horariorum ingurgitatio-

gitatione, diætæ originem debentes nonnunquam lethales variæ, febribus interdum comitatæ defluxiones cum tumoribus artuum, præcipue genarum valde contumacibus.

Octobet a primo ad 4tum uſque nubilum & a meridie rorantem, indeque ad 8tavi uſque veſpertinam pluviam ſerenus, temperatus ac ſudo fere jugi veris inſtar amœnus; Noctu inter 8vum & 9num tonitru horrendo terribilis, nono ſparſis a meridie pluviis paulo horridior, 10mo ſine pluvia nubilus, 11mo ſudum redintegravit, biduo ſuccedente vario ac quandoque pluvio, 16to veſperi pluvia madens, cætera cum ſequentibus quinque ſerenus, 21mo nubilus ſubindeque rorans ac Auſtro flante frigidus, 22do mane pluvius ac nubilus cum ſequentibus quinque ſiccus, 27mo nubilus totus ac imbroſus, 28vo Vulturno aſpirante nebuloſus mane, poſtea cum inſequentibus ad 31mum ac menſis hujus poſtremum, paululum rorantem & frigidum, ſerenus atque ſiccus.

Novembris primus, durante adhuc Vulturno, gelu induxit, & per biduum continuavit, quod tertio rorante mane parumper cælo remiſit, ſuccedente 4to toto pluvioſo; cum biduo turbido ſicco tamen, mane præſertim atque huic ad 12mum uſque varia, quandoque nubila, alias ſerena, ſicca ſubinde, rurſuſque pluvia tempeſtate; tandem Cauro aſflante gelu 13tio ſerenum acceſſit, ac ſequenti mane turbido & a meridie nive prima comitato, uſque ad 19num a rigore remittentem & pluviis madentem duravit. Tum poſt biduum pluvium, biduum ſucceſſit gelidum, procelloſum & grandinoſum; huic demum nix mane pluviis mixta, a meridie ac ſequenti 24to in imbres deliqueſcens, ſequenti vero nocte Auſtro flante, rurſus gelaſcens, diurno ſuccedente per quatriduum ſudo, veſperi vento paulatim ad eurum regrediente in nivem reſoluto, ac biduo ſubſequente toto pluvioſo, nebuloſo, ac inamœno menſem terminante.

Decembris primus gelu reduxit ac nives, quod ad 5tum uſque circa veſperam pluvia ſparſa remittentem duravit, hunc ſequens biduum adhuc remiſſius prima die pluvias veſpertinas tulit, altera ſiccius fuit, 8vus mane nebuloſus valde ac pluvius, poſtea ſiccior, 9nus, totus nebuloſus & zephyro aſpirante imbroſus, 10mus mane paulo ſerenior, veſperi pluvioſus, 11mus mane turbidus, poſt ſerenior, tandem nubilus & udus, 12mus blandum gelu, nonnumquam nivibus, nonnunquam gelicidio interpolatum reduxit, ad uſque 20mum, qui rigorem majorem addidit ac quatriduum continuavit, circa veſperam 24ti remittens ac vario cælo, utplurimum tamen uvido, ad 31mum uſque perſeverans; ſicque hoc trimeſtre ſimulque annum ipſum temperato, at ingrato frigore claudens.

Ultimum hoc trimeſtre morbos produxit prioribus nec frequentia, nec varietate, nec gravitate cedentes, paſſiones hypocondriacas, iliacas, colicas, hyſtericas, nephriticas, febres varias, præſertim acutas, ardentes, continuas, catharrales, pleuriticas, malignas quoque variolis & petechiis infames, & quandoque funeſtas. Defluxiones & catharros, ſuffocativos quoque, in genas, guttur, pulmones &c. depluentes. Aſthmata convulſiva quoque nonnunquam & anginas cauſantes. Diarrhœas & dyſſenterias, cephalgias, hemicranias, cardialgias, odontalgias, hemiplegias, apoplexias, elepſias, præſertim infantum. Tumores varios & dolores utplurimum contumaces, & innumera alia ſcorbuto præſertim & Veneræ lui familiaria ſymptomata, brumali frigori, cœlique frigidiori ac humidæ conſtitutioni variabili & inconſtanti ex parte tribuenda.

Conſtitutio Epidemica Uratislavienſis

Anni 1699. 1700. & 1701.

EXcellentiſſimi Domini Uratislavienſes uti hactenus inter naturæ curioſos ſolertiæ & curioſitatis palmam non paucis aliis dubiam reddere allaborarunt, ita laudabili inſtituto, circa conſcribendam morborum in Germania epidemicorum hiſtoriam, & ipſi favere, ac Patriæ ſuæ celeberrimæ ſimilem ſtatum delineare decreverunt; Cujus priores tres anni de morbis, qui anno 1699. 1700. & 1701. Uratislaviæ graſſati ſunt, publicis typis jam deſcripti legantur, & pro hoc noſtro volumine paulo prolixiores ſint, ſynopſin eorum hic dare libuit, omiſſis iis morbis, qui epidemicorum cenſum haud ingrediuntur.

Cum Anni milleſimi, ſexenteſimi, nonageſimi noni Januarium horridum Uratislavienſibus reddidiſſent nebulæ & venti, variis viciſſitudinibus, potiſſimum intercurrente pluvia, ſubinde tamen & frigore, quamvis remiſſiore, graves; initium quoque, imo majorem fere partem Februarii ſub eadem cæli inconſtantia tranſegerunt, niſi quod alterna frigoris vis majori impetu corpora concuteret, & aer circa pleniluniun ſerenus languentes animos excitaret; quæ cæli inclementia, ineunte menſe Martio, continuavit, non raro tamen effuſis ad pleniluniun uſque, quæ illico tabeſcebant, nivibus, & terra pruinis horrente; cum e contra mollior aer, vergente ad finem menſe, ac ſudum, tellurem foveret. Primus ergo hic anni quadrans toto fere decurſu exceſſit in humida conſtitutione, quam etiam accuratæ tam barometricæ, quam thermometricæ obſervationes confirmarunt. Quo tempore, cumprimis ſub Januarii principium, dolores ſpaſmodici ſanguineo-cholericos, & melancholico-phlegmaticos affligebant, frequens erat arthritis, prædominabantur tamen in ſubjectis iracundiæ obnoxiis & diætæ aromaticæ ac vinoſæ deditis, præcipue liberaliori vini Hungarici, a ſolo calce viva fere penitus ſubſtrato infecti, potui inhiantibus. Plures intempeſtivo frigidi & humidi aeris accurſu admiſſo, pleuritis notha occupabat, temperatioribus diureticis magis, quam diaphoreticis cedens. Multi de dolore lumbos infeſtante conqueſti, pro nephriticis promiſcue a Medicis non ſatis exercitatis, & vulgo habiti fuerunt, cum tamen non ſemper renes, ſed plurimas etiam alias partes in illa corporis regione latentes, affici poſſe, ſagaciores Medicos fugere nequeat.

Sub finem ejuſdem menſis in ſcenam prodibat febris petechialis, quæ licet poſt 14. Aprilis diem conticeſceret, menſe tamen Majo iterum ferocire, & quidem cum catarrho ſuffocativo, præprimis in ætate teneriori incipiebat, ac non æque in infantes, pueros & ſenes, ſed in fœminas, & frequentius in mares ſanguineos & ſanguineo-phlegmaticos ſæviit, ac præprimis iis gravis ac infeſta incubuit, qui vino atque ſpiritu vini ſe obruerant, ac corpus cacochymedium prava victus ratione contraxerant; cæterum prævio horrore, cum quadam gravedine, tuſſi, imo & faucium inflammatione & tumore invadebat, aderat præceps ſubita virium proſtratio, pulſus exilior & imbecillior, frequens tamen & inæqualis; calor qui horrorem ſequebatur, in ſanguineis intenſior totum corpus occupabat, maxime vero caput, unde in fluidioris habitus corporibus, cephalgia acutior, rubor faciei, oculi ſcintillantes, vigiliæ, deliria furioſa, jactatio corporis, ſiris &c. In ſanguineo phlegmaticis, quorum ſanguis ſero viſcido abundat, color multo mitior apparebat, qui non paucis imponere ſolet ægris & Medicis, ut parum periculi ſubeſſe, cum magno ſuo diſcrimine credant, a quo fallaci calore forte febris illa maligna vocari meruit, ſumpta metaphora ab hominibus malignis, qui aliud fronte promittunt, aliud in intimiori cordis receſſu premunt: in his calori reſpondebat ſitis tolerabilis, & quies corporis ſine manifeſta jectigatione, ſed debilitas gravis ac continua in ſomnum propenſio, ac non conſulta antea taciturnitas, cardialgia, lingua modo lento ſucco obducta, modo fiſſuris aſperis & ſcabris dehiſcens, aut retorrido calore cum vicinis faucibus arebat. In hominibus melancholici temperamenti, quorum tamen non nimis multi hac infirmitate detenti fuerunt, ſtatim ab aſſumpto alimento vel medicamento flatus & hypochondriorum murmura. Cholerici loquacitate ſua aliorum aures obtundebant, & calore acriori tangentis manum urebant. Omnes cujuſcunque complexionis, graviter nauſea cibi & appetitus dejectio infeſtabat. Senſim deinde æſtus invaleſcebat, ut luculentus calor in partibus externis deprehenderetur. Exerebant ſe etiam dolores varii, modo pungentes, modo mordicantes. Circa quartum, ſeptimum, imo etiam undecimum diem, in pectore, dorſo, brachiis, lumbis & cruribus, maculæ rubentes, puncturis pulicum ſimiles, ſine levamine erumpebant, aliquando etiam majores lenticularum magnitudinem æquantes; rubræ illæ meliores, deteriores vero citrinæ, lividæ, violaceæ, in primis ſi hæmorrhagia gingivarum circa dentes inciſorios ſuperioris maxillæ enormior juncta fuerit, nigræ, præprimis majores omnium peſſimæ. Urina non uno modo comparata erat, nec alvi excretio; hæc liberalior ſalutaris admodum poſt diem ſeptimum obſervata, & accedente ſudore ſolutionem morbi promittebat; cum e contra ſiccitatem alvi hæc febris peſſime tulerit. Vermes per alvum cum ſedibus aliquoties rejecti. Pejus cum iis agebatur, quos vomitus partim humorum variorum, partim quorumvis aſſumptorum, aut etiam inanis cum nauſea, & cardialgia affligebant, præſertim ſi ſingultus iis ſe comitem adjungeret. Sudores primis ſtatim morbi temporibus ſine levamine, ſed poſt quartum morbi diem, circa ſeptimum, undecimum &c. felicioris indices erant: cadaveroſus erat funeſtus. Cum hæmorrhagiis quidam evaſerunt, morbus nequaquam intra quatuordecim dies finiebatur, ſed ad 21. imo & ultra ad 40. uſque extendebatur. Solvebatur rariſſime per hæmorrhagiam, aliquando per abſceſſum, frequenter per ſudores, ſæpiſſime autem tum per hos, tum per diarrhœam; quandoque etiam per tumores in variis corporis partibus, cumprimis in ano, per exanthemata miliaria, pedum ſcabiem, icterum &c. Cura ſine V. S. (qua ſanguis eductus in ſuperiori parte, cruſta alba ſpiſſa, tenaciſſima obductus, in inferiori vero, modo floridus & fluidus, modo concretus & coagulatus fuit deprehenſus) peracta felicius ſucceſſit. Quibus ſtatim ab initio mite evacuans datum, facilius morbum ſuperarunt, quale fuit potio Sydenhamiana in doſi aliquantum minori, pulvis ex Antimon. & Nitro depur. Tart. Vitriolato ac grano ij. vel ij. ſcam. ſulphur additis apud ditiores granis paucis auri fulminantis, vel etiam quæ ſimul ad malignitatem habent reſpectum. Vomitoria in principio hominibus phlegmaticis aut melancholicis robuſtis & nauſeantibus, præſenri conatu vomendi, interdum cum ſucceſſu data. Cæterum fere tota cura per placidum ſudorem, ſeu potius madorem, bezoardicis, pulv. Bez. Sennerti, *Rumbaum*, *Doring*. Pannon. rub. &c. Miſt. ſimpl. Eſſentia ſcordii ſaturatiori, myrrha, diaſcordio, abſoluta; fortiora, volatilia ſalia, bezoardica calida ac ſpirituoſa omiſſa, quia obfuerunt: camphora plane præterita, cum vis ejus alexiteria non niſi nuda traditione & opinione hominum nitatur, & interne plus detrimenti quam auxilii ſpondeat. Diarrhœam, niſi eſſet colliquativa, aut inflammationi inteſtinorum ſuperveniret, nequaquam ſupprimere ſtuduerunt, quinimo non raro laxans ordinarunt, ac interne per totum morbi curſum nitroſa cum ſufficienti potus quantitate ea intentione ægris propinarunt, ut ventriculus & inteſtinorum volumina rite abſtergerentur, & materia bilioſa acris ac urens e corpore proſcriberetur, alvi tamen profluviis modum excedentibus nitro in exigua doſi exhibito, interpoſitiſque terreis pulveribus, aut diaſcordio Fracaſt. frænum injecerunt, reliquis etiam ſymptomatibus convenienter obviam iverunt.

In Januario odontalgia ſeu hemicrania laborabant iſtæ potiſſimum mulieres, quibus negotium menſium magis impeditum, nec nulli erant, qui ophthalmia vexarentur. Illis tinctura odontalgica Mynſ. & Wedelii &c. his decoctum cort. granator. &c. profuit. Occurrebant etiam quos icterus fœdabat, & Martialia liquida præcipue cum ſalinis, aliiſque juvabant.

Menſe Februario, præter Variolas & morbillos, aliæ quoque maculæ cum febre ſub noctem ingraveſcente, & tuſſi ferina, corpora infantum occuparunt, latæ rubeæque, morbillis non admodum diſſimiles in facie, minutiſſimæ vero & puniceæ in dorſo, lumbis & pectore; nonnullæ elevatiores ad naturam Variolarum accedebant, ac pruritu & fervore moleſtiſſimæ, tandem per abſceſſionem epidermicis in ſquamulas reſolvebantur. Graſſabantur etiam aliæ mitiores Variolæ, a forma acuminata *die Spitzbiattern* vocatæ, nec non quas *Schaafs Blattern* nominant, puſtulæ ſc. latiores minuſque acuminatæ. Graviores ob intenſiorem æſtum erant rubeolæ, diaphoreticis fixis curatæ.

Fuere etiam qui difficulter admodum reſpirabant, & de gravedine ſolum quadam ventriculi conquerebantur, paratam in ſcorbuticis medelam invenientes, acetoſa, acetoſella, rad. ari, helenii &c. non in cochlearia, ſi maculæ fervidioris intemperiei indices deformabant.

Infantes tuſſis convulſiva fatigabat ſatis frequenter, in qua pulvis antepilepticus Ludovicianus utilis.

Alii, lactentes æque ac ablactati, omni hyeme atrophia corripiuntur, cum febricula circa veſperam ingruente, inquietudine & ſiti nocturna, fame, torpore, abdomineque tumente; a ductuum lacteorum & glandularum, viſcerumque glandulоſorum lenta ac viſcida obſtructione, in qua tinctura ♂ operitiva vitriolata, arcanum duplicatum &c. proſunt.

Erant etiam quidam hæmoptoici, atque inter hos pauci, qui ſine noxa evaſerunt, in lentam tabem & phtiſin præcipue prolapſi; V. S. malum hoc ceſſiſſe compertum eſt, nec non largiori nitri exhibitioni.

Non

Non paucos quoque malum hypochondriacum torquebat, ſolis ſtipatum ſymptomatibus, hypochondriorum diſtenſione, ventriculi concoctione languida, ructibus acidis, vomitu, rugitibus, ſputatione crebra, alvo ſegni, duritie, tumore in regione lienis, anxietatibus præcordialibus, cordis palpitationibus, vertigine, pavoribus in ſomno, aurium tinnitu, doloribuſque variis. Cura eorum in craſſis humoribus attenuandis erant, per nodulos aperientes, martialia, urinoſa volatil. myrrham, crocum, mixturam ſimpl. tincturam vitriol. o —— tart. D. L.

Illuceſcente Martio turmatim ſcabioſi occurrerunt curandi; id quod, præter externa, blandis diaphoreticis in primis fuit præſtitum.

Circa idem tempus non paucos tantum non exanimabat moleſtiſſimus pruritus, præprimis ſenibus & cœlibibus graviſſimus, ac inter hos hominibus ſiccioris conſtitutionis. Conducebant iis medicamenta nitroſa, & diuretica ſaponaria, quæ ſalſos & acres atomos ad vias urinarias deducunt.

Primus Aprilis dies ſerenus illuxit, & calore ſuo Veris delitias ſperare juſſit. Non diuturna tamen hæc felicitas fuit; nam nebulæ & pluviæ a meridie primis diebus gratum ſolis aſpectum ad breve tempus ademerunt. Qui ſicuti dies, vernali tepore ad plenilunium omnia brumali aura quaſi rigentia blande vegetabant. Deinde cælum varium erat, interdum ſerenum, interdum nebulis obductum, nimbos ac pluviam effundebat. Majus, quo alias omnia rident & eſt formoſiſſimus annus, nebulis, pluviis & ventis, ſi paucos amœniores dies excipias, rigidus erat. In Junio iterum amœnior ac ſerenior aer, cujus jucunditatem etiam vergente ad finem Majo deguſtare licuit, comparuit; neque tamen ad finem proceſſit ſine imbribus quorum iram proximi Uratislaviæ accolæ, perruptis aggeribus, gravem, cum damno ſanitatis & facultatum experti ſunt. Graſſabantur tum morbi plerique ab Hippocrate enumerati, ubi de vernalibus ei ſermo, furores, melancholiæ, epilepſiæ, fluxiones ſanguinis, anginæ, gravedines, raucedines, exanthemata varia, & articulorum dolores; febres inſuper intermittentes: in ætate puerili & adoleſcentia ſanguinis excretiones e naribus, hæmoptyſes juvenibus magis familiariter evenere, quemadmodum vomitus cruenti viris & fœminis, vitæque ſedentariæ deditis, hæmorrhoidales autem depletiones paulo annoſioribus acciderunt; mictus quoque cruenti exempla notata. Circa loca illa corporis, quibus ſanguis erumpit, ingenioſiſſimum D. Stahlium, Hallenſium Practicum, & Profeſſorem ſecuti, ſpaſmodicas paſſiones, ſanguinis congeſtionem, vaſorum & pororum tenſionem, atque turgeſcentiam, cum ſenſu ardoris, lancinationis & pulſationis obſervarunt, quin etiam fere ad ejus mentem, curam felici cum ſucceſſu inſtituerunt: violentioribus vero ſanguinis depauperationibus, efficaciſſimis remediis occurrerunt. Inſolita uteri hæmorrhagia ſeptuagenariis proximas, quæ nullo remediorum genere cohiberi potuit, in mortem præcipitavit.

Typus febrium intermittentium non unius generis erat: nonnullis paroxyſmi omni die, aliis tertio quovis moleſti erant, quibus quovis die duo paroxyſmi erant ſuperandi. Nec infrequentes tertianæ duplices, in quibus paroxyſmo primo non reſpondet ſecundus, ſed tertius, ſecundo quartus, tertio quintus, quarto ſextus &c. ita tamen, ut non tantum tertio die, ſed etiam intercalari febricitarent. Semitertiana paulo quidem rarior: at non prorſus defuere, qui omni die quidem febre corriperentur, ſed tertio quovis die duorum paroxyſmorum impetum ſuſtinerent. Vigebant quoque febres erraticæ, quæ incertis recurrebant diebus & horis. Ambigebatur, an in cenſum febrium intermittentium referri debeant etiam illæ, quæ contra communem intermittentium indolem, tragœdiam a calore ſatis intenſo auſpicabantur; nam utut ἀπυρεξία, quæ initio adeſſe videtur, genium intermittentis redoleat, languor tamen magnus, pulſus aliqua agitatio, & cætera ſymptomata continuatis opinionem confirmabant. Eadem fere mens erat de illis quibus malignitas conjuncta eſt, & tamen remiſſione quadam non carent, ſc. doloſo intermiſſionis cineri primorum dierum ſuppoſitum fuiſſe ignem continuatum, elucet ex eo, quod ſequentibus exacerbationem quidem caloris & ſymptomatum, non item veram remiſſionem obſervare liceat. V. S. omiſſa, vomitoriorum tempore intermiſſionis frequentior uſus fuerat; nec purgantia omiſſa. Quoniam vero hæ febres focum habent in primis viis, incidentibus cura fuit peracta, præſertim tartaro vitriolato, arcano dupl. ſale lixiv. abſinth. centaur. min. card. ben. &c. quæ cum acria ſint, incidunt, diſſolvunt pituitam, & reluctantur acido, addita iis, præprimis poſt aliquot febrilium paroxyſmorum decurſum, ſubinde præcipitantia; in exanthematica, antiſcorbutica; in contumacioribus cortex Peruvianus; in pulvere vel electuario, cum eſſentia ſegnior ſit; in vino generoſo albo maceratus rariſſime ſpem expectationemque implevit; in febribus cum inflammatione quadam conjunctis nunquam non noxius deprehenſus; in febribus etiam aliis calidioribus obſcure remittentibus funeſtus fuit, quibus non alia, quam quæ malignis debetur, ratione medendum: & eximiæ prudentiæ medicæ ſtatuitur, etiam vere intermittentes, epidemice graſſanti aliqua maligna febri, alexipharmacis & bezoardicis oppugnare, ne ægri in prædominantem epidemiam prolabantur.

Vehementius eodem anni tempore dentientes laborabant, ob turgeſcentes nutricum, & ipſorum infantium humores.

Sæviebant quoque pathemata ſpaſmodica, ac epilepſia paſſim puſillorum corpora hoc menſe torquebat, multoſque jugulabat: In ſymptomatica, ſomitem in pituita viſcida & acida habente, reſolventia, incidentia, & modeſte evacuantia omne ferunt punctum; in idiopathica, quo te vertas, vix apparet, ſpecificis voto non reſpondentibus.

Multis negotium faceſſere viſa eſt cardialgia: alii morſus, punctiones & lancinationes: alii roſiones ſeſe percipere ajebant: nonnulli de tenſivo & compreſſivo tantum dolore, ad utrumque latus pertingente, & cinguli alicujus inſtar conſtringente conquerebantur: plurimi vero gemitibus & alte ductis ſuſpiriis, anxietatis interpretibus, adſtantium aures obtundebant. Inanes vomitus ut plurimum cardialgiæ erant comites, quos imperiti emetica indicare credebant; ſæpe etiam in fœminis, paſſionibus hyſtericis obnoxiis, deliquia ſuperveniebant; ſingultus etiam jungebatur.

Nonnulli bubonibus infeſtabantur; alii tumoribus aliis; præprimis parotidibus, quæ iis, quorum vires violentia morbi fractæ erant, mortem denunciabant; profuerunt autem emollientia, diſcutientia, his vero non ſatisfacientibus, ſuppurantia.

Sydenham Opera Medica.

Frequens erat illis diebus coryza, conjuncta cum κεφαλαίᾳ, dolore capitis, ſternutatione; nec non depravata auditio, modo enim erant, qui ſonum talem quod tintinnabulum pulſatum edit, ſibi percipere viderentur, modo qui de ſibilo quererentur; nec nulli, qualem, qui pulſationem intra aurem ſentirent; pulſus autem ille exacte cum pulſu arteriæ convenit, nec aliunde, niſi ab arteria dilatata pendere veriſimile eſt; ſenes nonnulli ſonum fluctuum alliſioni ſimilem, vel ſtrepitus varios in auribus ſuis excitari ajebant: ubi ſane aer aliis fœtus corpuſculis in ejuſmodi ſonitu non tantum organum immediatum auditus, ſed & partes cerebri, in quibus filamenta nervi auditorii terminantur, concutit, ac eo ipſo varios ſonos excitat. Varia contumaci huic malo, & aliquando in omnimodam ſurditatem abeunti oppoſita, non ſemper optatum eventum conſecuta fuerunt.

Raucedo etſi hyberno tempore maximopere ſoleat eſſe frequens, ac facile curetur; quia fortaſſis tantum ab exaſperatione ſuperficiei glottidis a frigore aut acribus ſalſiſque humoribus inducta, dependet, occurrerunt tamen aliquot etiam in Majo exempla raucedinis omnem artem eludentis.

Menſe Junio aliquot anginæ exempla oblata fuere, i. e. laryngis ſeu pharingis inflammationis, in juvenibus potiſſimum ſanguineæ conſtitutionis, poſt motus corporis impetuoſiores, aut nimias ſpirituoſorum potuum ingurgitationes; horrorem ingens æſtus cum ſiti Tantalea excipiebat, pulſus erat frequens, durus, inæqualis, urina ſaturatiſſime rubra, magna aderat reſpirationis difficultas, apertoque ore anxium ægri ſpiritum ducebant, & creſcente malo ſtrangulationis periculum inſtabat; deglutitio tantopere impedita, ut potus faucium anguſtias vix ſuperaret, quin ſæpe in nares refunderetur; in faucium iſthmo interdum apparebat tumor, interdum autem in externo collo, ubi morbus mitior eſt, vel oculis cernebatur, vel manibus palpabatur, in iis vero, quorum vita in majori periculo, nullus plane tumor deprehendebatur. Non tantum iſthmus ita exurebatur, ſed ſpectabatur ſimul in ore rubor flammeus, urgebat dolor acutus pulſatorius & punctorius, lingua tumida, obſcure rubra canum inſtar exerebatur, fauces arebant; ſi ægrotantium os aperias, omnia tenſa videbantur; venæ infarctæ, oculi prominentes, & ſanguine ſuffuſi; præterea aderat jacendi difficultas, ac frequens ſedendi cupiditas. Ingens præ foribus periculum, cum articuli gelido torpore rigebant, vultus liveſcebat, vox intercipiebatur; & ſtridor quaſi in gutture & pectore audiebatur; inexorabilis mors inſtat, deficiente pulſu & voce quaſi in caninam mutata, apparente etiam ſubinde ſpuma oris. Omnia vero ſymptomata ſunt mitiora in notha angina. In vera, poſt venæ ſectionem, leniorem purgationem, reſolventia ſeu diſcutientia, & in ſanguine viſcidiori etiam attenuantia profuere, non neglectis leniſſimis aſtringentibus; ſi vero conatus diſcutiendi eſſent irriti, & dolor pulſatorius quarto vel quinto die ſuppurationis admoneret, eadem fuit debite promota. Notha purgantibus mercurialibus, & blandioribus diaphoreticis, poſt venæ ſectionem in plethoricis, feliciter intra paucos dies fuit ſublata.

Occurrerunt etiam eo tempore quidam alii inflammatorii affectus, quorum ſedes an in hepate, an in pleura, an in membrana pulmonum quærenda, dubium, ſignis vulgo traditis fallacibus; cum e contra curandi eos methodus una eademque obſervari tuto poſſit; quæ in ſtaſi ſanguinis diſcutienda conſiſtit, per V. S. in plethoricis, & diaphoretica fixa, non excluſis in phlegmatico ſanguineis volatilibus in doſi valde mediocri; externe vero per vini ſpiritum camphoratum.

Julius naturam ſuam plane exuerat, ac majori ex parte imbribus, procelloſis aeris agitationibus ac frigore ſqualidus erat; benignior Auguſtus, non tamen abſque pluviis curſum abſolvit. Æſtiva amœnitas vero denuo in Septembre affulſit.

Menſe Julio vagabantur iidem propemodum morbi, qui præcedentibus menſibus ſtragem ediderant; ſed præ reliquis ferociebant catharri, qui difficillime medicamentis compeſcebantur, ac præprimis admodum rebelles erant illi, qui ſedem in artubus, & potiſſimum in ſuperiori brachii parte fixerant, ac ex dolore gravativo motu partis impedito, imo etiam tunore aliquo, ſine inflammationis ſignis, ex decubitu feroſæ materiæ oriundo cognoſcebantur; Unde lympham ſtagnantem vel motui ſuo reſtituere, vel ex corpore, ac præcipue paribus laborantibus evacuare decuit.

Catharralis quoque proſapiæ alii morbi notati, otalgia ſcilicet & tumores palati; nec non diarrhœæ frequentiores comparuerunt, quas rhabarbarum toſtum, c. nuce moſch. & bolus Thockavienſis ac caryophyllata compeſcuerunt.

Obvenere etiam quædam melancholicæ fœminæ 30. ætatis annum ſupergreſſæ, mœſtæ, alta ſuſpiria ducentes, taciturnæ, a communi hominum conſortio ſe ſubtrahentes, & ad neſcio quem ſtrepitum expaveſcentes, ac mirabilibus ſuſpicionum procellis jactatæ, levique cauſa in epilepſiam hyſtericam devolutæ. Cum vero dyſcraſia humorum, ac impeditior eorundem motus in vena portæ, ac excretionis menſtruæ mora adeſſet, poſt venæ ſectionem, vomitoria, pedilavia, ſanguinis attenuatio procurata fuit per volatilia, ſudorifera, martialia &c.

Menſe Auguſto nonnulli laborabant febri, quam veteres dixerunt bilioſam (quæ ſubinde in lipyriam abit,) cum gravitate & anguſtia in ſcrobiculo cordis, conjuncta, non raro cum nauſea incipiens; aderat horripilatio non nimia, ſed frequenter recurrens, capitis turbatio, & ſanguineo-cholericis etiam dolor. Exacerbabatur quotidie horis matutinis, ſubſequis vel vomitu vel ſedibus; quæ ſi deeſſent, æſtus gravior, fauces aridæ, & ſub finem deliria comatoſa, ſemper fere funeſtum minabantur exitum; hypochondria tendebantur & acerbiſſimis puncturis infeſtabantur. Juſcula tenuiſſima, nitroſa, theriaca, optimo cum ſucceſſu adhibita; locum etiam habebant acida temperatiora, decoctum hordei &c.

Nonnulli etiam patiebantur febrem, quam ſynochain Scholæ Medicorum antiquæ, alii cauſum nominant; ſcilicet plethorici hæmorrhagiis vel venæ ſectioni aſſueti, ante ſolis ortum horrore quodam corripiebantur, ſubſequente æſtu valde gravi, reſpiratione anheloſa & ſuſpirioſa, lipothimia ac ἐφυδρώσει; dolores capitis lancinatorii, ac tinnitus aurium, ut & vertigines indivulſi comites erant; tenſiones dorſi & artuum non minori moleſtia afficiebant, ſitis premebat maxima, ejus defectus non ſemper malus, in junioribus circa diem ſeptimum hæmorrhagia narium largior morbum ſolvebat, in paulo annoſioribus die 14. copioſis ceſſabat ſudo-

ribus; calamitoſa autem horum ſors, ſi ſoporoſi ſupervenirent affectus. Eximius uſus V. S. in principio hujus febris, modo illa non ortum trahat a nimiis laboribus, aut quod neonuptis aliquando accidit, abuſu veneris; Cæterum bezoardica & diaphoretica, analeptica & diaphoretica in uſum venerunt.

Spectatæ inſuper fuere aliæ febrium ſpecies, aſſodes, elodes ſyncopales.

Menſe Septembri ophthalmia frequentius occurrit; cui interdum venæ ſectio, purgantia fere omnibus aliquod auxilium attulerunt, diaphoretica apprime juvarunt.

Diarrhœæ ſatis erant frequentes, neque tamen niſi ad medium menſis durabant, ac locum deinceps cedebant redeuntibus febribus continuis, cum doloribus capitis, nuchæ, faucium, orificii ventriculi, laſſitudine ulceroſa &c. quæ bezoardicis fixis & temperatis optime curabantur.

Plurimæ fœminæ de menſium perturbatione & ſuppreſſione conquerebantur, quæ cum ab ingurgitatione ciborum inſalubrium proveniat, emetica, in quibus malum nondum egerat radices, cum ſalutari effectu data ſunt; reliquis vero lenioribus purgantibus, ac incidentibus, & aperientibus ſubveniendum erat.

Nec nulli erant, quos tum vexabat dyſenteria; de qua prolixum diſcurſum Excellentiſ. Dn. D. Helwichii in ipſo tractatu legere licet.

Initia menſis Octobris æſtiva amœnitate abblandiebantur, & a novilunio ad primum Cynthiæ quadrantem demulcebat ſudum, quod reliquis hujus menſis diebus, ventis, nebulis, ac pluviis ſæpe obſcurabatur, donec luna denuo naſceretur menſe Novembri, ubi iterum benignior aeris temperies, ſed ad breve tempus; nam primus lunæ aſpectus ad plenilunium uſque rigido frigore horreſcebat, quod quidem iterum minuebatur, ac inſigniter remittebat, ſed ut tanto major vaporum copia ex terra humida aſcenderet, ac craſſiores inde naſcerentur nebulæ, ſæpe propter admixtiones ſulphureas, tetrum ſpirantes odorem, ac nubes huc illuc agitatæ, donec in pluviam reſolverent. Sub exordium Decembris tempeſtas varia, ac inconſtans erat; circa medium menſis, & anno in finem vergente intenſius frigus dominabatur.

In Octobri, præter febres tertianas, etiam quartanæ occurrebant: horis pomeridianis homines melancholici temperamenti, ac ſegnioris naturæ, qui jam ætatis provectioris erant, adoriebantur, aut etiam febres male curatas, aut diarrhœas ab Empiricis ſuppreſſas ſequebantur in cujuſvis temperamenti & ætatis hominibus, ne infantibus quidem & pueris exceptis. Præter vomitoria in robuſtionibus, aliis vero leniſſima evacuantia, aperientia in primis data; quorum uſu cum impetus febris quodammodo fractus eſſet, cortex Peruvianus (ad quem ab initio nonnulli malo conſilio confugiunt) plerumque ſubjugavit.

Ferax quoque erat Autumnus febrium lentarum & hecticarum, quæ partim quartanis male curatis, partim hæmorrhagiis, per adſtringentia interna & frigida externa cohibitis, aliiſve morbis ſuccedebant; quæ, cauſam earum per reſolventia, mundificantia & balſamica tollendo, & excedentem corporis calorem debite temperando, exturbatis acribus recrementis per abſorbentia lenia diaphoretica, & diuretica, in primis nitroſa, nec non corpora vix oſſibus hærentia commode reſtaurando, curatæ fuerunt.

Eodem menſe Variolæ infantibus erant infeſtæ, quas aphthæ ac tuſſis pertinaciſſima comitabatur. Adultos febres continuæ cum levi rigore, æſtu mitiori, dolore capitis & pleuræ, lumborum & artuum infeſtabant, ſub finem vero in remittentes mutabantur, ac diarrhœis quaſi criticis, non tamen ſine omnibus torminibus, finiebantur.

Fœminis ſolito frequentius hæmorrhagiæ uteri erant moleſtæ. Longe autem communiſſima erant apoſtemata ac ulcera, quæ non tantum calloſa, varicoſa, & ſinuoſa, ac cum carie oſſium conjuncta, aut quæ circa articulos erant, aut partes glanduloſas, membranoſas obſidebant, Chirurgis crucem figebant; ſed alia benigniora in iis etiam corporibus, quæ cacochymicis humoribus non adeo turgebant, aut ex cachexia languebant, difficulter curabantur. Nam & ſymptomata, ſingulis autumnis, plura eaque graviora, curam alio tempore facilem, plerumque reddunt difficiliorem.

In Decembri tumores circa latus ſiniſtrum (quos antiſcorbutica, reſolventia, & diſtentionem ac flacciditatem fibrarum reſpicientia juvant) in hypochondriacis, ac minime raro in mulieribus hyſtericis ſpectati; molles ii & fungoſi, in non paucis fere univerſam ſiniſtri abdominis partem obſidebant, fere ſub coſtis nothis incipiunt, & quando ſupini jacent ægri, lineam albam aut tranſcendunt, aut proxime attingunt, & vacuum ſpatium inter coſtas & ſpinam illi implent; tactu interprete non obſcure conſtabat, quod tumefactus lien ſupra meſcentium, inteſtina, ventriculi partem, ac in mulieribus ſupra uterum emineat. Phlegmatici & plegmatico-melancholici, inter 20. & 30. ætatis annum, catharro correpti, quotieſcumque prioribus quinque diebus ex bronchiis rejectio non rite procedebat, in febrem incidebant cathárralem, ſeu continuam periodicam quotidianam veterem; ſcilicet poſt quartam pomeridianam, horrore & frigore levi tentantur fere per horam unam, ſuccedit calor acris, & ferme per noctem durat; lingua eſt albo & lento humore abducta; non urget magnopere ſitis, pulſus eſt frequens, non adeo magnus; urinæ colorem aurantiorum æmulantur, ac poſt brevem moram parietibus vitri inducunt cutem ex albo rubentem; laſſitudo artuum gravis eſt; torquet & anorexia ac agrypnia, cum cephalalgia gravativa, aurium ſuſurro, ut & tuſſi, quæ tamen nec patientes nec Medicum terrere debent, aliquid tamen monſtri alunt pleuritides & deliria; periculum autem maximum denunciant anginæ & aphthæ, ſi quando cum ea complicantur. In qua medicamenta facultate reſolvendi mucum, & ſalia diuretica commodo tempore exhibita votis ægrotorum ſatisfecerunt.

Nephriticæ paſſiones etiam, fere in ſanguineis, & hæmorrhagiis antea aſſuetis, obſervatæ, ſive renum inflammationes, quas non ſolum dolor & ardor vehemens comitatur, ſed & dyſuria, fibrioſæ excretiones, arenoſæ cum ſanguine aliquo, ſubſequa ordinario lithogeneſi. In quo affectu in primis decoctum Foreſti, & pulvis famigeratiſſimi noſtri quondam Præſidis Volckmeri laudantur.

Nec minus podagrici dolores illo tempore ſatis erant communes; quibus in paroxyſmo, horis matutinis, lenia diapnoica, cum nervinis, ſine ſudore coacto; pomeridiano aperientia, ac ſub noctem pulveres nitroſi, cinnabarini &c. exhibita; externe camphorata omnibus præferri merita fuerant.

Conſtitutio Epidemica Uratislavienſis Anno 1700.

IN Januario frigus uſque ad lunam παυσέληνον ſatis erat remiſſum, quod nec nerveas fibras ſpaſmodice corrugare, nec glandularum ſubcutanearum meatus conſtringere, aut poros cutis coarctare aptum; reliquis vero ejuſdem menſis diebus uſque ad interlunium nebulæ corporis infeſtæ, aerque humidus, & ſeri copiam accumulare hujuſque inter glandulas laxiores ſtagnationi anſam præbere, tonumque relaxare, ac enervare potis erat.

Februarium jam gratum ſolis jubar illuſtrabat, jam pluviis & nivibus expoſita torporem corpora ægre declinare poterant; frigus vero per aliquot dierum intervalla quodammodo adurebat, cum luna tota nocte luceret. Uſque ad medium fere Martii perpetuæ frigidi & tepidi aeris viciſſitudines notabantur, quas ad finem menſis uſque turbida ventis ac pluviis moleſta tempeſtas excipiebat.

Præter morbos ſuperiori Anno enumeratos Variolæ graſſabantur, & quidem multo frequentius diſtinctæ quam confluentes. Primis ab invaſione diebus, ſeu tempore ebullitionis, nunquam non febris acuta aderat; cujus exacerbationes ſatis incertæ, niſi quod tertio die recurrentes aliquibus tertianæ febris ſuſpicionem moverent: præcedebant fere laſſitudo & gravitas corporis, pandiculationes & oſcitationes, dorſi lumborumque dolores, pulſus ad ſpinam dorſi, & ſenſus pruritus ac punctionis in cute, ſed horror & rigor, præſertim recurrens, rarius vulgo; frequenter vomitus a primo morbi inſultu fatigabant, iique interdum immanes, aut ſi hi abeſſent, præcordiales anxietates graviſſimæ cum inani vomendi conatu conjunctæ ægris negotium faceſſebant, alvi fluxus rariores obſervati; in pluribus alvus ſine damno ad aliquot dies adſtricta; in pauciſſimis etiam utina ſuppreſſa; vix viſi qui ſæpe ſe ad reddendam utinam urgeri conquererentur. Urina varia erat, quorundam flammea, & intenſe rubra, nonnullorum turbida, & opaca, qualis jumentorum eſſe ſolet, quæ poſt eruptionem variolarum interdum clarior reddebatur; interdum vero per aliquot dies a protruſione adhuc turbida excernebatur; aliorum autem pallida, in uno alterove cruenta; nares frequenter ſanguinem ſtillabant. Propenſio in ſudorem ingens; nonnulli, præprimis qui erant temperamenti phlegmatici, dormiturieabant, alii de turbulentis conquerebantur inſomniis, ac ſæpe expaveſcebant, ac altos ſubinde in illis tollebant clamores; capitis dolores jam gravativi, jam punctorii, cum temporum pulſationibus moleſti; facies tumebat, atque maxillæ rubebant, oculi prurientes, rubentes ac ſplendentes, quinimo aqua ſuffuſi; palpebræ ac nares dolore pruriginoſo vexabantur; anhelitus difficultas; vox rauca, tuſſis ſicca, cordis palpitationes & tandem etiam deliquia non raro obſervabantur; in aliquibus habitu corporis denſiori præditis etiam ſaliva in majori quantitate rejiciebatur; pars magna ægrorum corpus varie jactitabat; in genere muſculoſo ſubinde motitationes; minime etiam raro teneriores invaſerunt motus convulſivi, iique vel particulares in labiis, oculi, vel magis univerſales, in multis deliria. Ordinatio die quarto prorumpebat, in quibuſdam tardius vel citius, ſubruptæ puſtulæ tenuiſſimarum acicularum puncta æquantes, ſenſim dein ſubeunte humore agebantur in altum, & evadebant faſtigiatæ ac diſtinctæ, quæ multo erant tutiores, ſi in baſi eſſent rubræ, ſupra autem albæ, eminentes & molles, quam illæ quæ in latum exporrigebantur; mali ominis erant, quanquam non adeo frequentes, lividæ, violaceæ; certi vero lethi prænunciæ, quæ macula nigra in medio deformabantur. In quibuſdam cacochymicis corporibus notatæ fuerunt in interſtitiis variolarum petechiæ, aliæque maculæ, nonnunquam etiam veſiculæ aqueæ, cum funeſti utplurimum eventus præſagio. Nonnulli etiam poſt eruptionem nihilominus febri, difficultate ſpirandi, anxietate, cruciatibus inſignibus circa lumbos vexabantur; atque hi non erant extra periculum conſtituti; evaſere nihilominus plerique, modo abeſſent inexpugnabiles vigiliæ, phrenitis, crebra deliquia, palpitationes cordis, motus convulſivi; utina nigra, vel hæmorrhagiæ enormes, alvi profluvium. In aliquibus admiſſo frigore, alioque incommodo regimine, retrocedebant, non ſine ſummo diſcrimine vitæ. Circa octavum diem in facie intervalla puſtularum prius alba rubere incipiebant, in tumorem attolli, & dolore tenſivo affici; extendebantur palpebræ, & ut veſica inflata, haud raro oculos claudebant; proxime dein intumeſcebant manus, digitique diſtendebantur. Calamitoſum, ſi puſtulæ ſubito iterum concideren. Tandem pus fundebant ſatis coctum, quod ſenſim exſiccabatur, variolæque circa diem 14. decidebant. Variolis exſiccatis, majores tumores & abſceſſus ſubinde in artubus obſervati, pus acerrimum plorantes, & niſi in tempore occurreretur, venas exedentes, carnes conſumentes, ac ipſa oſſa vitiantes, membriſque omne robur adimentes. Oniſſis calidioribus remediis, ſi motus & agitatio ſanguinis jam ſatis magna in corporibus calidioribus deprehenderetur, ut & V. S. ac purgatione, victus refrigerans, & moderatiſſime calidus aer fuit commendatus; in efferveſcentia juſto minori lenis & blanda diaphoreſis cardiacis moderatis, matre perlar. coral. ☿ diaphor. C. C. lap. bezoar. utroque, emulſionibus, ægris phlegmaticis etiam calidiora, Tinct. bez. Eſſ. myrrh. ſcordii &c. exhibita: appetente exulcerationis tempore, & puſtulis non debite ſe attollentibus, pulveres bezoardici tantillo myrrhæ, & croci grano uno alterove remixti, ſuppetias tulere exoptatas: plane maturæ & pure acriori turgentes quibuſdam non male apertæ: dum exareſcerent, pulveribus ſupra dictis lapides cancr. additi: In macularum veſtigiis certo tutoque ſapo Neapolitanus balſamicus profuit.

Variæ morborum ſpaſmodicorum ſpecies eodem tempore, ac convulſionum non unum genus viſum. In ſpaſmo cynico topica non tantum in principio nervorum, ſed & bono cum ſucceſſu muſculis in latere oppoſito applicata. Satis communis erat in fœminis hyſtericis ac ſpleneticis illud deliquium, quo omnium ſenſuum ac motus exercitio privabantur & concidebant, quod vulgo audit epilepſia uterina, & curabatur methodo a Practicis præſcripta. E contrario interdum corpus variis motibus concuſſum, ſenſuſque maximam partem fuiſſe integros, notatum fuit, ita ut omnium, quæ circunſtantes egerant, recordarentur, finito paroxyſmo.

Erat etiam hiſce diebus odontalgia non paucis moleſta, quemadmodum etiam aliis anni temporibus eſſe ſolet, quando aer frigidus, tumidus, & pluvioſus exiſtit, quanquam & plurimis aliis a cauſis eadem alias oriebatur. Unde etiam varia opponenda ſunt remedia.

In Aprili terra blando tepebat calore, quæ aliquando etiam cali-

calidis fovebatur pluviis, de cætero fere ſemper grato ſolis jubare illuſtrabatur.

In Majo major aeris inconſtantia erat, viſus poſt nubila phœbus, ac poſt phœbum fulgur, & nonnunquam tonitrua audita.

Ineunte Junio calor ſolis temperatus refocillabat, qui etiam in procedente menſe non tamen abſque intermixtis pluviis recreabat; circa finem vero turbida fuit tempeſtas, ac frequentes imbres.

Sub initium hujus trimeſtris febres petechiales quadantenus remittebant, ac in quotidianas, tertianas, aliquando etiam utut paulo rarius, quartanas degenerabant.

Paſſim vero tum temporis eryſipelate infeſtabantur, præprimis ſanguinei, & ſanguineo cholerici, rarius ſanguineo phlegmatici, & tanto magis, ſi conſuetæ ſanguinis evacuationes ad tempus ſuppreſſæ, aut patientes terroribus, aliiſve animi pathematibus concuſſi fuiſſent: Præcedit fere horripilatio, ſequitur vero calor præternaturalis totius, æquabilis & fere vaporoſus, cum aliqua tamen acredine & morſicatione conjunctus, ac cætera adſunt, quæ alias in inflammationibus obſervantur, rubor, dolor, febris, aliqua partis intumeſcentia. Cura ſine V. S. & purgatione abſolvi poteſt, ſolis diaphoreticis, & externe diſcutientibus.

Purpura alba ſolito frequentius hiſce diebus infantes, pueros ac fœminas, & in primis puerperas cholerico ſanguineas &c. corripiebat. Ultimas quidem omni tempore poſt lochia ſuppreſſa invadere ſuevit; at vero ſi hæc cauſa abſit, nec iracundia gravior, ac illa quidem fere ſuppreſſa præceſſerit, aliis anni partibus non æque multis infeſta eſt: Typus morbi ſequens eſt: Initio quidem mediocri corripiuntur horripilatione, quam excipit æſtus non adeo vehemens; magis moleſta eſt anguſtia præcordiorum, quam dolor capitis, qui non acutus, ſed fere turbulentus exiſtit; adeſt etiam faucium dolor & ardor; ſomnus propemodum omnis ceſſat, & paucæ ſunt quæ ſub initium morbi, per unam alteramve noctem ſomno non interrupto fruantur; alvus plerumque officio non ſatisfacit; pulſus celer eſt & quaſi oppreſſus; urina cruda ineunte morbo, ſub exitum ſatis copioſum deponit ſedimentum, appropinquante die quarto, quamquam interdum etiam citius illud fiat; in artubus, collo, pectore, elevantur & extuberant pori cutis cum robore, inſtar cutis anſerinæ, ac ſenſim oriuntur numeroſiſſimæ puſtulæ magnitudinis exiguæ, pellucentes, aquea quadam humiditate gravidæ, quæ in ſiccioribus ſatis mature fere intra 24. horas exſiccantur; In humidioribus & junioribus aliquanto diutius, eroſa cute, aliquid humoris extillant, non ſine aliquo corporis pruritu & ardore, qui ab initio vix obſervabatur. Conveniunt nitroſa & ſalina aliquoties per diem exhibita, & præmiſſis mane diaphoreticis & bezoardicis fixioribus, aut etiam decoctis ex fumaria, ſambuco cum ſero lactis caprini paratis.

Satis etiam communis erat fluor albus uterinus in fœminis quibuslibet ultra pubertatem annis, frequentius tamen paulo provectioribus ætate; cujus mali non ita facilis eſt cura, quippe in qua & viſcerum chyli ſecretioni, & ſeri depurationi inſervientium, & lymphæ ratio habenda; ut nempe abundantia ſeri excrementitii ac viſcoſi ex corpore eliminetur, materiæ fluxum hunc conſtituentis pro ventus impediatur, & uterus corroboretur, in primis per nodulos ex ſtomachicis, uterinis ac purgantibus, & diuterica, ſuccinata, terebenthina &c. per diaphoretica, ♀. ♂. lignorum decocta ſalivatio generoſum illud remedium eſt, quo etiam inveterati fluxus debellari poſſunt &c.

Qui iſto tempore in ætate puerili fuerant immunes ab exanthematibus, ſub finem Veris, achoribus & tinea infeſtabantur; ubi optime conducunt, quæ alias in ſcabie proſunt: non ſine fundamento Nicotiana laudatur, at camphoratorum uſus noxius, & tantum excitant dolorem, ac ſi carbones vivi capitibus impoſiti eſſent.

In Julio terra per totum menſis curſum benigno ſolis calore animabatur, ac ſimul calidis fovebatur pluviis, ſubinde tamen etiam tonitrua audiebantur. Per Auguſtum eædem gratæ inter phœbum & nubila vices durabant. Nec alia aeris in Septembri conſtitutio, niſi quod frigidior aura poſt benignum ſolis calorem allaberetur corpori ac aliquam ei afferret moleſtiam.

Hoc tempore graſſabantur febres continuæ intermittentes, cum dolore hypochondrii dextri, pleuritides ſpuriæ, in infantilibus corporibus excretio miliaris notabatur. Multos cholere, diarrrhœa ac dyſenteriæ fatigabant. Multi catarrhis obnoxii degebant, ac pertinaciſſimis tuſſibus concutiebantur.

Vidimus etiam in æſtate motus quoſdam febriles, qui nullum typum obſervabant, neque ſtatis exacerbabantur periodis. Mirabilis in iſtis viciſſitudo eſt, eaque ſatis crebra: qui hac hora ex anguſtia cordis gemit & trepidat, de fatigatione ſumma conqueritur, poſt unius alteriuſve horæ ſpatium, erecti animi eſt, & frontis exporrectæ. Propemodum autem febriles ejuſmodi excandeſcentias experiuntur homines ſcorbuticis maculis, modo rubicundis, modo lividis deformes. Hæ quando numeroſiores in corpore comparent, fere abeſt ejuſmodi ebullitio; ſed quando pauciores adſunt præprimis in loco minus conſueto, tum ejuſmodi alterationes ſentiuntur, præſens quoque eſt manifeſta coloris macularum mutatio. Non carent hæ inordinatæ febres ſuis ſymptomatibus; nam & anxietates graviſſimæ præcordia premunt, languor totius corporis & oſſifraga omnium membrorum laſſitudo invadit, ac interdum alii graves impetus ac tumultus corpus affligunt; partes autem maculis obſideri ſolitas dolor tenſivus, gravativus, imo & rigor occupat, adeſt vertigo, non raro æſtuantem caloreni ſequuntur horripilationes; pulſus fere magnus eſt, interdum aliquo modo inæqualis & parvus; urina fere craſſa eſt, & ſtatim, poſtquam reddita eſt, conturbatur, ac deponit corpora rotunda, inſtar arenularum & ſuperior ſubſtantia nihilominus craſſa manet, & quaſi pinguendo quædam vitri parietibus adhæret; vix poſt ſumpta cathartica, ut alias fieri ſolet, clareſcit, ſed turbida manet. Prodeſt excretionem macularum promovere, aut materiam earum ſubigere & corrigere, cum antiſebrilia ſola non ſufficiant.

Viciſſim eodem tempore excruciantur aliqui dolore artuum, ſtatis horis, ſingulis diebus per aliquot ſeptimanas redeuntibus, ſine ullo febris ſigno. In cortice Peruviano inventum eſt remedium.

Viri quidam & mulieres fervido cælo detormentis pruritus, interdum ad lypothymiam uſque, interdum certis tantum in partibus, præſertim ano & pudendis fuerunt conqueſti. Quædam gravidæ cum aliquibus ex anthematibus tortorem hunc per multas ſeptimanas ſuſtinuerunt. Qui non tam ab humoribus acribus, quam a vermium morſu excitatus fuiſſe videtur, præſertim quod remedia anthelmintica præ cæteris conduxerint, ut topica amara in vino decocta &c.

Cælo ſereno & calenti frequentiſſimę erant ſternutationes, & jungebantur hæ etiam morbis tum graſſantibus. Præter hydragoga, ſuus ſudorificis hic conſtat honos; eximie vero præ cæteris juvant frictiones & ligaturæ extremorum, ut V. S. nec non ſpiritus retentio.

Octobris initia benigno calore grata, reliqui autem menſis hujus dies turbidiores, & propter pluvias ac frigus inamœniores erant. In Novembri temperatus erat aer, uſque ad plenilunium; poſtea autem nebuloſus ac pluvioſus, menſe ad finem vergente, inconſtans ingruebat frigus, ut plurimum tamen ſatis remiſſum. December inter nebulas, ventos & pluvias tranſactus. Multi ſub hac aeris conſtitutione tuſſi infeſtabantur. Regnabant etiam febres cum mordaci calore, doloribus hypochondriorum, dorſi, ſiti immodica, exanthematibus ſeroſis, purpura, pleuritide, ictero, & diarrhœa, ſingultuque conjunctæ; & bezoardicis fixis & volatilibus, intermixtis anodynis, oppugnatæ fuerunt. Jungebantur etiam paralyſes linguæ, & inſultus apoplectici, ſine evidenti periculo. Circa ſolſtitium hybernum etiam aſthma convulſivum, aliquando parotides ſupervenerunt.

Parturientes in autumno experiebantur dolores & ſpaſmodicas vellicationes ac contorſiones in diverſis locis, quas ex fructuum ingurgitatione ortas, ſuſpicio fuit, iiſdem autem Eſſent. carm. D. Mich. D. Wedel. &c. obviam ibatur.

Creber affectus erat inflatio ventriculi, interdum ſatis enormis, quam ructus, difficultas deglutiendi comitabantur per evacuantia, & carminantia non nimium calida facile curabilis.

Alii lienteria corripiebantur, & egregie ſtomachicis ſublevabantur, præprimis ex mentha & abſinthio paratis, niſi quod aliquando eveniebat, cum ictero, hydrope, febribus tertianis lentis eadem complicaretur. Quidam cœliaco laborabant fluxu, atque iiſdem remediis ſanabantur. Exempla etiam aſthmatis ſtomachalis offerebantur, ſive cruditates in flatus reſolutæ diaphragma comprimerent, ſive ventriculus a contentis ſuis in ſpaſmum concitatus, contiguum ſibi diaphragma ſimul afficeret; imo unum alterumve datum fuit exemplum febris anheloſæ & aſtmaticæ, quam deſcribit Sylvius l. 1. prax. c. 30. Cura in eumetis, ubi circumſtantiæ permittunt, vomitorio expediri poteſt.

Conſilium Medicorum hoc tempore a Chirurgis non minus requiſitum fuit, quomodo in ulceribus ſinuoſis inveteratis interne ortis & oblongis, exterius vero calloſis, rite ſeſe gerere deberent. Hæc enim ulcera tum aliis temporibus Uratislaviæ, tum maxime in Autumno Chirurgis crucem figunt. Ubi totum in primis ductum diſcindere, calloſam cavitatem ſepticis tollere, conſolidationem balſamicis promovere &c. conſultum fuit.

Omni quidem etiam tempore gummata Gallica obſervantur, maximopere tamen circa autumnum ſæviunt, quæ poſt ſanguinis depurationem, eorumdem par emplaſtrum diachyl. c. Gum. & mercur. &c. putreſactione, per cauſticum apertione, unguento baſilico, mundificatione, in primis curata fuerunt.

Conſtitutio Epidemica Uratislavienſis Anni 1701.

IN Januario variæ erant ratione frigoris viciſſitudines; modo enim aer liqueſcere & quodammodo diffluere, ac in ampliora ſpatia ſeſe diffundere videbatur; modo autem frigore conſtipatus in anguſtum cogebatur; finem vero menſis imponebant nebulæ illæ inſalubritatum fomites. Februarius tum his, tum etiam nivibus, & variis ventorum mutationibus horridus erat, nonnumquam tamen quodammodo placidus & æquabilis aeris fluxus obſervabantur. Sub initium Martii frigidiuſcula aura ſubito cum blandiori aere commutabatur; nec tamen menſis ad finem ſine nimbis, grandine, variis ventorum tumultibus decurrebat, ſic tamen, ut blandus ſolis calor in his aeris varietatibus nonnunquam Sileſiæ incolas exhilararet.

Menſe Januario febres continuæ periodicæ, variis ſtipatæ ſymptomatibus præprimis autem cardialgia, vomitu, ſpaſmis, hypochondriacis &c. non paucis erant moleſtæ. Graſſabatur etiam pleuritis ſpuria; erant quos eryſipelas capitis in periculum vitæ conjiciebat. Lumbago quoque iis, qui Baccho & Venere delectabantur, moleſtiam creabat. Nec minus febres petechiales ſatis erant frequentes, quæ etiam ad domeſticos incaute cum ægris converſantes, præprimis ſi hi eſſent meticuloſiores, per contagium propagabantur. Tractati fuerunt hi morbi non ſine felici ſucceſſu, methodo ſuperius adumbrata.

Catarrhi, tuſſes ferinæ &c. etiam graſſatæ ſunt; in quibus hoc tempore opiata minime profuerunt.

Menſe Aprili admodum inclemens erat aeris conſtitutio, & mitis ventorum, frigoris, grandinum, nebularum, nivium, pluviarum viciſſitudinibus, etſi ad teporem nonnumquam inclinaret, ingrata. Nec in Majo Veris dabatur frui deliciis, ſed ſubturbido & nebulis obducto ac pluvio cælo major menſis pars agebatur, eoque gratior erat blandus in Junio ſolis calor, qui tamen & ipſe pluviis & tonitru ſubinde turbabatur.

Hoc tempore omnis generis febres graſſabantur, præprimis crucem figebat illa, quæ typum talem obſervabat: primo die horror ſatis gravis homines catarrho obnoxios & craſſiori victui aſſuetos, aeriſque injuriis crebrius expoſitos, aut ad tabem pronos invadebat, horrorem ſequebatur calor valde inæqualis, pulſus autem fere debilis erat; æſtus per horas modo pauciores ſeptem, novem, modo plures, v.gr. 12. 14. &c. perſeverabat, poſt quem aliquibus ſudores effluebant quibus manantibus, utut febris remitteret, plane tamen non ceſſabat. Erant qui poſt calorem nondum ſopitum, eodem die denuo horrore & frigore concuterentur, ac illis jam dicto die vomitus erant moleſti; iis præprimis horis, quibus febris intendebatur, die ſecundo perſeverante adhuc calore, denuo propemodum eadem hora, qua primo, miſeros opprimebat alius horror, aliudque frigus, & tandem etiam calor, qui ſenſim angebatur, ſed tamen longe adhuc aberat a ferocia ejus, qui primo die ægros exurebat, ſed neque tot horis, quam illic continuabat; tertio die eadem, quæ primo, ludebatur fabula; quarta iterum ſecundo reſpondebat, verbo: ſemper uno die febris erat gravior & quaſi compoſita ex tertiana & quotidiana, altero autem erat levior, typum unius quotidianæ referens. Solvebatur intra 14. aut 20. dies per diarrhœam, mutabatur etiam in tertianam duplicem, in aliquibus ſcabies ſuccedebat per totum corpus diffuſa. Cedunt etiam hæ febres adhibita ordinaria methodo curandi ſuperius adumbrata. Lenia evacuantia eximie profuerunnt ſecundo

aut

aut quarto die, imo & aliis diebus paribus, etiam repetitis vicibus exhibita. Omnia ſymptomata erant leviora, ſi illis diebus, quibus unus tantum affligit paroxyſmus, ſub declinationem blanda dabantur alexipharmaca. Ante paroxyſmos præcipitantia cum ſalibus alchalinis & nitro recte etiam morbo huic opponuntur, omiſſa venæ ſectione.

Præter has febres occurrebant etiam, quæ itidem tertio quoque die ut priores ingraveſcebant, ſed abſque rigore & horrore ſtata obſervantes tempora, niſi quod rigore ἀτάκτως ἢ πεπλανημένως inordinate & erratice, non una cum paroxyſmo invaderent. Non mali videbantur eſſe moris ab initio, ſed procedente morbo fere in pejus ruebant, ac criticis præſertim diebus excandeſcebant; aderat morſus ventriculi, aliaque ſymptomata maligna, in his lethargus, in aliis vigiliæ cum deſiriis conjunctæ; impedirus erat urinæ fluxus eo tempore, quo rigebant. Satis erant contumaces, nec nullos interimebant. In cura nihil peculiare obſervatum, niſi quod e re fuerit, ſuperato rigore, ad æqualem ſanguinis diſtributionem obtinendam diaphoretica & alexipharmaca propinare.

Cæteræ febres fere omnes conjunctæ erant cum ontalgia, quæ certe & ægris & Medicis faceſſit negotium. Omiſſis emeticis, purgantibus, & V. S. fuerunt interne exhibita, quæ alias in viſcerum & menyngum inflammationibus præſcribi conſueverunt; externe vero potiſſimum linimenta ſpirituoſa, & hæc quidem camphorata & crocata ſæpius applicata: aliquod etiam in pediluviis ſolatium, ſi dolor ille, quod tum temporis obſervatum, ſolitarie abſque febri affligat.

Primiparæ habitiores lautioris conditionis, imo & aliæ puerperæ partus doloribus defunctæ, hiſce diebus fere omnes conquerebantur de dolore compreſſivo ſatis vehementi in dorſo, quem nec mulierculæ ſuis remediis domeſticis, nec Medici ſelectis etiam pharmacis depellere poterant. Acerbiores erant cruciatus earum, quæ juſculis conſummatis, ut vocant, lapſas reponere vires geſtiebant, præprimis ſi infantes eſſent debiliores, & in uberibus ſolicitandis negligentiores. Nihil æque his profuit, quam victus tenuior, & evacuatio lactis ex mammis liberalior, evidenti certe argumento, dolorem hunc non aliunde pendere, quam ex vaſorum lacteorum, ipſiuſque ductus thoracici chyloſam materiam pro lactis generatione advehentium repletione ac nimia diſtenſione.

Præcipue autem hoc tempore communes de vertigine, tinnitu aurium comitata, querelæ audiebantur. Occurrebant ſatis multi, quibus caput & viſus objecta circumagi videbantur. Nec nulli erant, quorum oculis tenebræ, aut intra tenebras ſplendida quædam obſervabantur, & caput in turbinis modum circumduci videbatur. Hoc autem malo vexabantur, qui in otio viventes liberalius ſubinde ſe vino invitarunt, aut qui antea hæmorrhagiam narium, vel fluxum hæmorroidalem experti his evacuationibus per tempus aliquod carueraut; aut qui alias catharſi fuerunt aſſueti eandemque omiſerant. In cura V. S. in primis, frictiones etiam, ligaturæ & pediluvia fuerunt adhibita; poſt V. S. purgantia, raro emetica in phlethoricis data; inter ſudorifera tinctura bez. D. M. omnium minime expectationi ſatisfecit, ut & ſpirituoſa aromatica, aliaque plura. Aliquanto major virtus fuit in Succin. Spec. de hyacinth. maxima autem inter uſitatiora in cinnabari nativa.

Præterea multorum infantum corpora hiſce diebus motibus convulſivis concutiebantur, quorum non pauci a parentibus ſuis per mortem avellebantur; nec infrequens in illis erat Ramula.

Sub illud tempus, quo fraga & ribium baccæ paſſim apponebantur, & avide, ut fit, ingerebantur, alii diarrhœa corripiebantur, alii autem cholera, præprimis ſi vinum in glacie refrigeratum ingurgitarent. Cholerici non tantum ſurſum & deorſum magno cum impetu humores bilioſos egerebant, ſed & ingenti ſiti torquebantur, & aſſidua corporis jactigatione fatigabantur; mens eorum percellebatur, aderant vigiliæ & partium extremarum refrigerationes; quę ſymptomata, niſi ſtatim ab initio blanda data abſtergentia aut leviſſima evacuantia ac præcipitantia, cum diaphoreticis & diſcutientibus, ipſa mors excipiebat.

Varii oculorum affectus tunc etiam occurrebant. Nonnulli laborabant epiphora, & tenuis humor calidus & mordax, lacrymarum ſpecie in oculos irruebat. Ex his aliqui in febres intermittentes lapſi non modo moleſtiæ levamen ex febre ſuperveniente non ſenſerunt, ſed & dolorem augeri, eo quod forte acerrimum remaneret, diſſipatis humidis & aquoſis particulis, crebro conqueſti ſunt. Alios acres & ſalſi humores cum rubore & palpebrarum exulceratione, gravi afficiebant tædio. Inflammationes quoque oculorum aliæ aliis erant pertinaciores. Interdum oculi erant ſatis ſqualidi, & vaſa ſupra modum extumeſcebant, & tamen totum malum remediis debitis facile tollebatur. Nonnunquam vero inflammatio multo minor erat, & tamen, quicquid etiam ageretur, fruſtra tentabatur. Erat autem hoc in caſu cum ophthalmia dolor capitis diuturnus indiſſolubili nexu conjunctus, qui ſatis oſtendit, in conſortium mali menynges & intimas cerebri partes trahi, quod etiam ſubinde in aliis fieri morbis patet ex Cl. Baglivi ſcripto de Fibra motr. Viſus autem eorum, qui ita affecti erant, in dies magis obſcurabatur, nec in minimo cæcitatis ſecuturæ periculo verſabantur. Id creberrima docuit experientia, alvi profluvium, ſive ſponte natura motum, ſive pharmacis excitatum, ophthalmicis eſſe admodum utile.

Porro ſæviebant maximopere brachiorum dolores, qui omnem remediorum applicationem eludebant.

Mulieres etiam ſanguineæ conſtitutionis, quæ paulo liberalius vinum bibunt, dolebant hypochondrium dextrum. Spirandi aderat difficultas ſine tuſſi, quæ in horas increbreſcebat; accedebat nonnumquam febricula, quæ dolorem, modo is eſſet mediocris, ne ad claviculam aut ilia pertingeret, ſolvebat; de quo ipſo dolore loqui videtur Hippocrates l. 6. aph. 40. Nihil æque profuit, quam primo quovis tempore ſanguinem liberaliter ex venis in pede detrahere, id quod argumento eſt, aut hepar phlogoſi in hoc dolore corripi, aut ſanguinem in trunco venæ portæ viciniſque ramis ſtagnare. Difficilior eſt cura, ſi dolor hic ſit conjunctus cum tuſſicula inani, ex hoc enim non vane colligi poteſt, etiam diaphragma in ſocietatem doloris rapi, id quod fit, cum gibba hepatis pars inflammatur, utpote quæ propius diaphragma attingit. Si paulo gravior ſit inflammatio, ne digitorum quidem pulſum ægrotantes ferre poſſunt, jactantur plurimum, lingua arida & ſcabra eſt ob ingens in ſanguine incendium.

Menſis Julius erat amœniſſimus, nam & gratum ſolis jubar exhilarabat, ac tepidis aliquando pluviis terra reſocillabatur. Major æſtus erat in principio Auguſti, & crebra audiebantur tonitrua; eoque gratiores erant, quæ ſubſequebantur pluviæ. Eteſiæ quoque grate ſpirantes nimium temperabant fervorem. Nec minus blanda & grata erat aeris conſtitutio in Septembri, niſi quod circa noviluniuni rigidior aer corporibus eſſet moleſtus.

Præter morbos æſtivales in præcedenti enumeratos, ſcenam hoc tempore ingrediebantur dejectiones dyſentericæ, quas in corporibus cacochymis, tum etiam quando ſymptomata remittunt, & ſcybala minus ſunt cruenta, nec ſedes adeo torminoſæ, ſed ad legem naturæ accedentes, nec non ſomnus recurrit, & denuo alimenta appetuntur, adeoque in portu ægri ſunt, ex improviſo ſequebatur diarrhœa, quæ corpus variis humoribus repletum deplens, nihil ſiniſtri portendebat, ſed, etiamſi vires aliquo modo dejiceret, firmiorem impoſterum ſanitatem pollicebatur; conf. Hipp. ſect. 7. aph. 77.

Poſt propulſas ejus temporis febres, in diverſis hinc inde corporis partibus, præſertim autem in volis manuum & plantis pedum, reconvaleſcentibus epidermis diſcedebat, & quaſi per ſquamas abradebatur.

Alias iiſdem diebus multi ex egenis cacochymi deformabantur porrigine, præter blandam catharſin, diaphoreſin, & diureſin, juxta cum diæta laudabili, topicis abſtergentibus circumſpecte adhibitis curata.

In hac ipſa æſtate paſſim etiam audiebantur querelæ de doloribus artuum & infimi ventris: crurum dolor potiſſimum multis infeſtus erat: hunc alii tenſivum, alii obtuſum, alii mordicantem, alii autem pungentem & erodentem in profundo circa os experiebantur, qui in motu corporis graviter efferebatur. Alii dolorem hunc ita deſcribebant, ut dicerent, malleolis ſibi quaſi crura contundi: Nec minus brachia graviſſimis torquebantur doloribus, qui non ſecus ac a lue venerea oriundi nocturno tempore ingraveſcebant. Alii per intervalla luctabantur cum doloribus & lancinationibus inteſtinorum intolerabilibus, qui exhibitis carminantibus & anticolicis remediis magis intendebantur. His autem aliiſque variarum partium cruciatibus obnoxii illi erant, qui cibis craſſis, ſalitis, pane non bene a furfuribus purgato, cereviſia craſſa, turbida, & fæculenta, aut vino nondum ſatis bene defæcato, vel neſcio quibus mangoniis corrupto utebantur. Hic unice antiſcorbutica cum rad. chinæ, ſalſaparillæ, & lignis exoticis decocta aliquo modo ægris erant ſolatio; quibus ipſis etiam remediis ſublevabantur ii, qui de languore, nullo etiam præſente morbo, laſſitudine totius corporis cum aliqua oris ſiccitate conqueſti fuerunt.

Multi in teneriori ætate conſtituti, circa dies caniculares, etiamſi nulla dyſenteria aut diarrhœa eſſent correpti, aſſidua deſidendi cupiditate cum torminibus quibuſdam conjuncta vexabantur. Poſt fruſtra adhibita enemata, lenia evacuantia, humorem acrem demulcentia, balnea, tandem cum ab aſcaridibus malum foveri ſuſpicio eſſet, majori cum ſucceſſu anthelmintica enematibus addita, atque per os data fuerunt.

Initia menſis Octobris blando calore grata, ſed plerique ſequentium dierum ventis, pluviis & variis aeris mutationibus horrida erant. In Novembri modo pluviæ decidebant, modo nives; & utut aura ſubinde eſſet ſatis temperata, nonnumquam corpora frigore rigebant; hoc autem in Decembri erat intenſius, præprimis circa plenilunium; at paulo poſt & intercurrentes nebulæ & pluviæ ſoliſque jubar violentiam frigoris mitigabant.

Inter varios hujus temporis morbos, non raro occurrebat gonorrhœa virulenta, quæ ab omni tempore Veneris amaſios mulctat, autumno tamen, qui exulcerationibus omnibus minus favet, inclementius ſævit.

Porro inter communiores morbos erant febres, quæ nec ſtatum tempus ſervabant, nec eodem modo ſemper invadebant, ſed modo diebus ſingulis, diverſis tamen horis, modo alternis homines opprimebant; jam diuturno, jam nocturno tempore ingraveſcebant; hoc die cum horrore notabili aut rigore, alio autem ſine ſenſu frigoris paroxyſmus ingruebat; hodie immanis cardialgia moleſta erat, cras ventris tormina affligebant; jam hoc ſymptoma, jam aliud miſeros magis fatigabat. In cura placuit Hippocratis conſilium lib. de rat. vict. in acut. *inconſtantes & erraticos morbos curare non expedit, priuſquam conſliterint*, ſeu certum typum & periodum obſervaverint, quod circa ſeptimum diem hic evenire ſolebat; nam tum vel in tertianas vel in continuas degenerabant, & methodo convenienti curabantur.

Quartanæ quoque autumnalium morborum numerum augebant, in quarum cura plebejis quibuſdam illa non male ceſſit temeritas, qua febricitantes ſubito terrore graviter percellunt, ſi vel ſedes, ut fit, vel deinceps ſudores copioſi, aut alia quædam evacuatio largior ſuccederet. Nec methodus illa, quæ has per anodyna, præmiſſis lenibus evacuantibus, febres tollit, inutilis deprehenſa eſt.

Præterea urinæ ſtillicidia, vel ab humorum ad renes per arterias delatorum acrimonia, aut, quod veriſimilius, a renum ulcere oriunda exaſperabantur. Trichiaſis in quibuſdam notabatur, incidentibus & purgantibus lenioribus curatæ tabidi pejus habebant. Graſſabantur etiam iterum iſchiatici dolores. Multi qui cælo pluvio ſub dio laboraverant, aut etiam in aquis ac paludoſis locis manuum opera exercuerunt, difficili reſpiratione & orthopnœa ſine conchis vexabantur, quibus non tam expectorantia, quam evacuantia, diuretica & ſudorifera conducebant. Magnus etiam inter egenos epilepticorum numerus erat. Aliquos paſſio iliaca horrendo modo affixit.

Conſtitutio Epidemica Berolinenſis Anni 1702.

JAnuarius biduo gelido paucis nivibus, ventoque valido turbido, 3tium remiſſiorem nivibus aſperſis degelantem ſubſtitutis, 4tus gelu rigidum redintegravit, ſed ſequente 5to poſt gelicidium matutinum in deliquium ac pluvias frequentes nunc uberiores, nunc parciores, 19no tantum & 22do moderato gelu ut & 29no poſt pruinam matutinam ſereno exceptis, ſolutus toto menſis reliquo degeneravit.

Februarius 1mus frigidus præcedentibus paulo ſerenior, circa veſperam in pluviam 2do toto durantem & 3tio ſerenitate aliquali interpolatam deſiit. 4tus ſerenus ac frigidus. 5tus totus pauca intercedente ſerenitate pluvioſus. 6tus & ſequentes (11mo & 17mo mane pruinoſis exceptis) ad 18vum uſque verna ſerenitate fere & temperie amœnum quatto compares. Reliqui ad finem uſque menſis varii, alii uti 19nus & 20mus ante meridiem ſicci & frigidi, circa veſperam

pluvii

pluvii ſereni uti 21mus, alii turbidi & frigidi, uti 22dus, alii uti 23ius cum frigore mane ſereni, poſt turbidi, alii uti 24tus mane udi, a meridie ſereni, alii uti 25tus poſt pluvias rorans mane ſicci & turbidi, & alii mane nebuloſi, poſt ſereni, a meridie pluvii, ut 26tus, & 27mus ſuccedente procella & 28vo adhuc continuante & admixta nive grandine & gelu, reddita tandem cum meridie ſerenitate menſem terminante.

Martius frigus cum nive continuatum primo biduo, interſperſis de die ſerenitati nivibus interpolavit, 3tio in pluviam matutinam deſcivit, recuperata tamen a meridie ſerenitate, 4to quoque continuante ad veſpertinam uſque pluviam, 5tus ſerenus quidem ſed algidus, grandines nonnunquam Favonio flante ſparſit, quatridui ſereni gelidi, & prunoſi prodromus, 10. biduum ſucceſſit, Africo tumultuante turbidum, procelloſum, grandinoſum ac nimboſum, 12mus ſerenitatem reſtituit matutinam nivibus a meridie comitatam atque biduum ſequens gelidum & ſerenum induxit, moxque intercalato 15to remiſſiori, ſereno tamen adhuc, gelu ſatis hactenus rigidum cælo ſereno Borea aſpirante, ac ſuccedente huic poſt Euro, ad 23tium uſque ſerenitate verna cum ſequente biduo commendabilem reduxit, 26tum mane turbidum algidum ac ventoſum cum triduo ſuccedente turbulento, ſecutus pluviolis quidem ſparſis a prioribus diverſis, 30mus 31mo ſocio mane quidem pruinoſo, ſerenitate tamen commendabili biduo menſem huc finiul ac trimeſtre finiit.

Morbi hoc trimeſtri præter ſcorbutum endemium febres intermittentes nonnullas ardentes quoque & cephalæa ac hemicrania valde moleſtas continuas, malignas paucas, variolis ac purpura notata; catharrales & pleuriticas ſporadicas, epidemici fere nulli fuere, niſi catharros & thuſſes hæmoptoes, quaſdam & pleuritides, ut & arthritides præſertim vagas ſcorbuticas ob hybernas aeris varias turbas indeque naſcentia ſanitatis incommoda, ſatis frequentes iis annumerare velis.

Aprilis primum biduum frigidulum cætera ſerenum leni gelu cœpit ad tertii meridiem uſque nubilum in pluviolas circa veſperam ſolutum, cui 4tus compar, 5tus noctu pluvius, de die procelloſus ac nimboſus, 6tus nivibus ſereno cælo mixtis varius & inconſtans ſucceſſit. Huic congener 7timus, octavus nocte a nivibus fœta frigidulus & potiſſimam partem turbidus, poſt noctem gelidam, nonum frigidum & ſerenum, poſt quæ nocturnas denuo nives biduum degelaſcens ac pluvioſum induxit. Sequentes, præter 12mum ſic ſatis ſerenum, veſperi tamen adhuc ſpecade rorantem, eique ſimilem 23ium & 24tum totum ſerenum omnes ad finem uſque menſis genio illius conformes, varii, turbidi, frigidi, nivoſi, nimboſi, quandoque & procelloſi fuerunt.

Maji primus verna ſerenitate commendabilis, frigidulus tamen adhuc Euro noto flante, triduum ſequens turbidum paucis aſperſis pluviolis udum ac horridum adduxit, ſuccedente verna amœnitate integrum menſem reliquum, paucis 11mo nimirum mane turbido a meridie ſpecade grato 17mo vento, 23tio procella 25. pluvia vento miſta 27. grandine ac imbre, ut & 31mo ſeu poſtremo paululum ventoſo exceptis durante.

Junii primus ultimo Maji compar, a biduo ſereno ac temperato exceptus, 4tum obſcurum in veſperam & noctem pluviam deficientem, cum ſubſequente biduo ſibi non abſimili ſucceſſorem habuit, quos biduum aliud ſerenum ac temperatum correxit; ſucceſſit huic 9nus totus turbidus in pluviam veſpertinam deſinens, quem temperatus ac ſiccus 11mus atque 12mus ſudo æſtivo inſignis ſecutus. Huic biduum rurſus obſcurum ac frigidum in pluviam tandem fatiſcens ſucceſſit, eique quatriduum ſudum ac æſtivo ardore fere moleſtum, ſubſequente 19no tonitru temperatum, 20mum pluvia nocturna quandoque & diurna fœcundum, triduum verſus ſerenum ac temperatum ſecutum in pluviolam veſperi 23tio ſolutum, quod 24to imber nocturnus, tandemque, 27mum mane obſcurum a meridie ſerenum, & 29num frigidulum ſed ſerenum, ſi exceperis, reliqui vario cælo aliquando & nimboſo rarius ſereno inamœni, menſi triſtem addidere colophonem.

Morbos hoc trimeſtre epidemios præter morbillos & paucas variolas nullos aluit: Sporadici fuerunt febres varii generis, intermittentes tertianæ nonnullæ, & continuæ ardentes cephalalgia & cardialgia infeſtæ, catarrhales tuſſi & aſthmate moleſtæ, quandoque & angina, oculorum & gutturis ac tonſillarum inflammarionibus; His hæmorrhagiæ narium, hæmoptoes, arthritides univerſales, & vagæ quoque ſcorbuticæ, cachexiæ & cacochymiæ paſſionibus hypocondriacis & hyſtericis, pleuritide, imo & paralyſi & apoplexia nonnunquam ſtipatæ acceſſere.

Julii dies quinque priores æſtivo calore inſignes, 3tius præſertim ſervore æſtuoſo moleſtus; Quibus biduum ſucceſſit ventoſum ac ſubinde pluvioſum, huic 8vus obſcurus ac frigidulus, ut & 9nus ſudo & temperato calore amœnus, 10mus poſt pluvias nocturnas cum ſeptem ſubſequentibus ſudo ac æſtu genium hujus menſis exprimentibus 16to ſub veſperam, ac 18vo a meridie, 19no, mane pluvio a meridie tonitru addidit. Sequens triduum ſudo pluvias miſcuit, ſuccedente quatriduo imbroſo. Unde ad finem uſque menſis ſereni & æſtivo ſudo grati ſucceſſere dies.

Auguſti primus ſudo æſtuoſo gravis, veſperi tonitru leve cum pluvia moderata, ſequenti vero triduo poſt pluviam matutinam modicam temperiem amœnam ſubſtituit. Quæ triduo alio ob temperatum ſudum commendabili ſuccedente, ac octavo ante & poſt meridiem lene ſtillicidium intercalante a biduo pluvioſo excepta. Cui aliud rurſus biduum vere æſtivum ac ſerenum ſucceſſit, atque huic 13tius mane ſpecade rorans, 14tus præter tonitru breve imbre comitatum cætera ſerenus, 15tus mane ſerenus, circa veſpera tonitru horrendum procelloſum ac nimboſum tulit, 16tus mane ſerenus poſt fuſas a meridie pluvias frigidior, 17mus ſerenus ac temperatus, 18vus a pluvia matutina ſeptem ſubſequentes dies ſerenos, ac nonnunquam ſatis æſtuoſos, ſi 25tum excluſeris mane pluviolis madentem, adduxit, 27. cæteroquin ſerenus pluviam veſpertinam in noctem uſque intempeſtam protraxit, 28vum frigidulum, licet ſerenum, 29num totum pluvium & imbroſum ac ſubfrigidum, 30mum pluviolis, quandoque rorantem; tandemque 31mum & poſtremum menſis ſiccum quidem & ſerenum, ſed frigidum pariter ſucceſſores habuit.

Septembris primordium 1. & 2da ſerena & amœna temperie acceptum circa veſperam in tonitru horrendum & imbrem degeneravit; a 3tio ad 24tum vario, quandoque ſubfrigido, quandoque æſtivo calore, plerunque ſudo pluviis ac ſpecade interpolato, temperatoque æthere continuavit, 25to ventoſiori paulo & pluvio biduum ſucceſſit procelloſum & nimboſum, atque huic aliud ſedatius, ſed ad veſperam uſque pluvioſum; inde ſerenitas grata comitata temperie 31mum ſimulque menſem & trimeſtre rerrium abſolvit.

Morbos æſtiva ætheris cum temperie cambiens ſubinde inremperies præcedentis æſtatis frequens æſtus præter endemios pene ſcorbutum, illique affinem veneream luem, epidemios genuit varias febres rari intermittentes, quam continuas, aliaſque ardentes paroxyſmis interpolatas, quaſdam plane inordinatas nullum typum ſervantes, catharrales nonnullas, malignas quoque exantematibus variis, miliaribus præſertim ſemet prodentes, pleuriticas inſuper, alia cephalæa, cardialgia, colica, hæmoptoe, defluxionibus in buccam, gulam, dentes, ut & inflammationibus oculorum indeque ophthalmiis, gutturis tuſſibus porro variis, quibuſdam etiam ex illarum numero, quas convulſivas Williſius appellat: Præterea epilepſias præſerrim infantum, arthridites tam univerſales quam particulares, unius lateris, iſchiadicas, vagas ſcorbuticas ſatis frequentes, omnium tamen frequentiſſimas ob fructuum immaturorum ingluviem inremperantem, & immoderatum aliarum illecebrarum gulæ uſum, choleras, diarrhœas, lienterias & dyſenterias copioſiſſimas, eaſque ſatis vehementes; pertinaces, periculoſas ac ſæpe numero lethales.

October poſt pluviam 1mo matutinam, triduo ſereno ac grata temperie amœno æſtu ſucceſſit, triduum nimboſum ſubinde grandinoſum, tandem & pluviis, nivibus, pruina vacuum ac frigidum. Illi rurſus quatriduum, autumnalis tempotis ratione ſatis temperatum ac gratum, 14tus mane ad meridiem uſque nebuloſus, inde ſerenus fuit, 15tus ſerenus ac temperatus a meridie paucas ſparſit pluvias. A 16to ad 20mum æſtivo fere calore ſerenum & amœnum quatriduum, a 20mo, 28vo ſereno, ac temperato excepto, obſcuri ac frigiduli, interſperſi 23tio, 24to, 26to, utut rarius pluviis ad 31. adeoque extremum uſque menſis, dies ſecuti menſem terminarunt.

November a ſiccitate ac frigore aliquali auſpicatus, ad ſerenitatem ac rigorem ſatis validum ſed ephemerum tranſiit triduum obſcurum, ac ſpecade ſubinde udum inducens. Quod quatriduum a ſiccitate ac temperie ad aliqualem algorem, mox & gelu ſatis rigidum pergens, ſecutum. Cui 9nus nivem copioſam aſperſit, perſeverante 10mo adhuc gelu atque poſt denſam 11mo nebulam; & ſubſequentem ſerenitatem, ad 14tum uſque paulo mitiorem in perſecadem a meridie fatiſcentem continuante, 15tus præcedenti fere ſimilis ſpecade pariter udus, 16tus ad veſperam uſque ſiccus, poſtea pluvioſus 17mum procelloſum & nimboſum aſcivit, 18vus a pluvia modica matutina in ſerenitatem, 19no adhuc ad veſperam uſque pluviam tranſiit ſuccedente 20mo ſereno ac temperaro, in turbidum temperatum tamen adhuc nunc ſiccum, ut 21mo & 23tio, nunc pluviis & nivibus quibuſdam, ut 22do 24to & 25to mutato cælo, ſuccedente biduo paulo gelidiore & nebuloſo, aſperſa tandem quoque nive, alioque rurſus biduo pluvioſo totæ ad veſperam uſque 29ni a pluvia inclareſcentem, ſicque 30mo æthere ſic ſatis ſereno & frigido menſem ſimul claudentem.

December ſubfrigido, verna tamen fere temperie præter morem accepto biduo orſus 3tium mane pluvium, cætera turbidum ſed ſiccum, poſteaque triduum temperatum attulit, ſub veſpera 6ti nive parca aſperſum, 7timus a gelu nocturno ſerenus triduum ſibi quadantenus excepta ſerenitate nivibus & nubibus interpolata conforme adduxit, 11mo obſcuro in pluvias deliqueſcenti, ac 12mo ſereno poſt ſpecades ſubſtituenti, biduum turbidum ac algidum ſucceſſit, mox poſt 15tum mane pluvioſum, poſtea triduum, a nive ac gelu moderato & æthere ſereno in horridum mutatum ſubſtituit; ſed 19no ac 20mo rurſus poſt gelicidium & nivem cælo ſereno remirtente, 21mo mage ſpecade rorante a ſerenitate aeris 22do in gelu ſatis rigidum abiit; rurſuſque 23tio poſt gelicidium matutinum in plivias 24to a procella; aere turbido ſicco, tamen ad veſperam in pluvias, 25tum totum durante fatiſcentem, 27mo nivem noctu diuque ſpargit, 28vum moderatum gelu & circa veſperam nix pauca excepit, 29nus tota die gelu rigidus fuit, 30mus a gelu in nivem, a nive in gelicidium, de gelicidio in pluviam toto fere 31mo durantem, ſicque æthere nimboſo hunc menſem ſimulque trimeſtre ultimum, adeoque annum hunc 1702. dum finientem deſiit.

Morbi hoc ultimo trimeſtri occurrerunt ſatis frequentes, febres intermittentes variæ, continuæ, hæque ſæpius intermittentibus ſociatæ, ſimulque ardentes, malignæ quoque exanthematis varii generis conſpicuæ; præterea catarrhales, pleuritide nonunquam comitatæ, eryſipelatodes, aliæque diverſis & periculoſis nonnunquam ſymptomatibus, alia inter paralyſi linguæ, aliarumque partium, inflammatione gutturis, rheumatiſmo, cardialgia, cephalæa periodica nonnunquam; hemicrania, hœmorrhagia narium vehementi & periculoſa comitatæ. Præterque uteri quoque hæmorrhagiæ graves & pertinaces ſolirariæ aut aliis morbis ſociatæ, diarrhœæ, & dyſenteriæ malignitatis nonnunquam participes exceſſuum autumnalium reliquiæ: Colicæ & hyſtericæ paſſiones ſcorbuto ſæpius complicatæ, tandem & epilepſiæ cum primis infantum, nonnunquam & adultorum hemiplegiæ & apoplexiæ vehementes & ut plurimum lethales.

Conſtitutio Epidemica AUGUSTANA. Ann. 1701. 1702. 1703. 1704. & 1705.

LUCÆ SCHROCKII.

Licet initium Anni 1701. *frigidum comparuiſſe &c. &c. &c. In hiſce quoque deprehenſum fuiſſe animadverto.*

QUalem anni præcedentis exitus habuit aeris conſtitutionem, talis per biduum etiam primum anni 1703. continuavit; & quamvis zephyrus prædominium porro obtineret, ac tolerabiliorem utcunque temperiem redderet, ſæpius tamen ab iis diverſis ventis excipiebatur, euruſque inprimis ante ſolis in Aquarium ingreſſum, a die 18. Januarii uſque ad d. 26. frigore intento moleſtus erat, multis ſubinde interea nebulis, & nive, paucioribus ſerenis diebus obſervatis, a quo dein tempore inconſtans admodum aeriis ventorumque, auſtro tamen prævalente, alternatio, uſque dum ſol in Piſcium ſigno verſaretur, ubi poſt nivoſum boream zephyrus remperatiorem ut plurimum & pluvioſam auram redderet; quæ poſt æquinoctium vernale variis mutationibus, præſertim frigidis humidiſque obnoxia, vernali amœnitati multum obſtitit, ac tardiorem plantarum vegetationem effecit:

effecit: Quæ eo felicior poſtea ſucceſſit, cum grata temperies fertilitatem admodum promoveret. Interea morbi, præter tuſſes in hyeme non inſolitas, & omnibus fere aliis morbis ſe complicantes, multas inducias concedebant; Arthriticis tamen doloribus obnoxii novas invaſiones contumacioreſque patiebantur, nec non febres quotidianæ, & non intermittente calore ſuo, continuas ſæpe in principio æmulantes, pauciores etiam tertianæ (poſt ſumptum vel purgans, vel vomitorium, quod ſolum quandoque febrilem ſomitem expellebat) arcano duplicato ubi bilioſa impuritas, unicornu foſſili ubi acidæ particulæ, chinachina vero dum viſcidior pituita prævalebant, utræque facile curabiles, in primis menſibus deprehendebantur; in pueris potiſſimum, vermium ſuſpicionem ob victum prægreſſum, colorem faciei luridum, ventris morſicationes, deliria nocturna &c. Sæpe præbentibus, & præter medicamenta recenſita, cinnabaris nativæ, terræ ſignatæ, mithridatii &c. uſum ſalutarem ideo expertis. Subinde quoque continuæ catarrhales notatæ fuerunt, majori vehementia, poſt horrores, magno calore circa veſperam increſcente, nec non cephalalgia & virium languore periodum ſuam decurrentes, ſed continuato blandorum diaphoreticorum & alexipharmacorum uſui cedentes. Intermittentes illæ præſertim tertianæ, in æſtate ſe in plures utriuſque ſexus, omniumque ætatum diffundebant; imo in autumnum uſque paſſim ſe exerebant; nec deerant in diebus canicularibus, calore non admodum moleſtis, ſed per primum decendium in primis frigidiuſculis & humidis, poſtea ſerenis & calidis, circa finem autem pluvioſis, quos malignæ, puſtulis cryſtallinis ſtipatæ, & niſi alexipharmacis mox atque ſedulo obviam ipſis iretur, lethales invaderent.

Poſt caniculares varia aeris temperies, zephyrique & euri alternatio, illo autem circa d. 8. Septembris prævalente, plurima pluvia & horridiuſcula aura per aliquot dies infeſta erant; cui fortaſſe dyſenteria tum ingruens non male adſcribenda fuerat; quanquam & metum ex turbis bellicis, quæ urbem ubique cingebant, & ultimam incolis internecionem minitabantur, incuſſum, quin & cereviſiæ recenter coctæ nec ſatis defæcatæ potum contuliſſe ſuum ſymbolum, ſit credibile; quibus tonum ventriculi atque inteſtinorum labefactari, ſuccoſque naturales viſciditatem & acorem contrahere, non eſt dubium. Quamvis illa raro graviori inſultu noceret, atque ex chyli acrioris vellicatione potius inducta videretur, cum ſine prævio vel notabili calore aliiſve ſymptomatibus, præter tormina tolerabiliora & ſtomachi gravitatem, mox in principio cruentæ dejectiones contingerent; facile etiam, poſt rhabarbari toſti (quod ſolum quandoque curæ ſufficiebat) & moderatum ſtypticorum, vel traumaticorum, catechu, tormentillæ &c. cum pauculo opii acceſſu, uſum recederet: in nonnullis, ubi ſtomachus cruditatibus oneratus indicabatur, unicum lene vomitorium, quale vel unicum tartari emetici granum ſuppeditabat, opem tuliſſe obſervatum fuit. Præter hunc cruentum fluxum, poſtea diarrhœa quoque frequenter ingruebat, eadem fere methodo curata. In Autumno inſuper morbilli frequentiſſimi, & ſolitis ſymptomatibus febrili nempe, quandoque ad delirium uſque intenſa ſanguinis effervescentia, tuſſi, oculorum inflammatione ſtipati, cæterum ſine magno diſcrimine (ita ut non pauci etiam ſine decubitu, & pharmacis eaſdem paterentur) ſuum decurſum intra breve tempus, octiduum ut plurimum, ſub pulveris Pannonici, antimonii diaphoretici &c. uſu feliciter abſolverant, adultiores etiam ac juvenilem ætatem frequenter pari, ſed intenſiori inſultu tractaverant.

Æquinoctium autumnale cum zephyro auſtrinam utplurimum conſtitutionem adducebat, uſque ad Novembris initium, ubi eurus crebrior ſerenos ac nebuloſos dies aliquandiu interponebat; quem poſt medium Novembrem excipiens auſter plures ſerenos dies quoque producebat. Tandem vero December multas nebulas & magnos zephyri impetus, cum vario aeris, nebuloſo tamen potiſſimum ac nubiloſo ſtatu adferebat; poſt ſolſtitium autem hyemale eurus horridiorem auram ac frigus intenſum pariebat, ſicque cum anni fine præſentiam hyemis oſtendebat. Interea febres malignæ ſuperius indicatæ in plures ſe diffundebant, multoſque trucidabant, præcipue cum urbs diuturna quaſi e longinquo obſidione cincta, vario infortunio quin & poſtea hoſtili inſultu (ubi cives inſueta continua per aliquot dies ſub Jove frigido & humido in excubiis ſtatione plurimum defatigabantur) atque fatali præcipue igne graviſſimo premeretur, ac ſubſequa infelici deditione multivaria torqueretur ac enervaretur: quanta vero ab externa hac aeris & fati iniquitate ſanguini labes fuerit impreſſa, vix opus erit pluribus exprimere: Omnes maligna febri decumbentes, atque ut pyrobolorum periculum evaderent, in tutiorem urbis partem deportati, quantum ſcio, perierunt; infantes etiam morbilloſi eandem ob cauſam ignis metui ſubducti, diuturniori poſtea tuſſi & hecticæ diſcrimine ſalutem hanc ſuam redemerunt.

In Anno 1704. hyemali frigori continuando eurus multum perrexit, uſque dum poſt ſolis in ſignum Aquarii ingreſſum zephyrus, pluviis crebrioribus, cum nive tamen & ſerenirate alternantibus, gravidus, temperatiorem auram produceret; quæ equidem temperies ita continuavit, ut vernalis conſtitutio deinde citius, quam pluribus aliis præcedentibus annis, compareret, atque cum aeris ac ventorum non adeo ingrata mutatione diu, uſque in menſem Junium perduraret: quamvis circa ſolſtitium æſtivum pluviæ frequentiores eſſent, major tamen ſerenitas, ſilentibus utplurimum ventis, cum ineunte Julio redibat; quæ ipſa continuans, caniculares dies admodum caſſidos, grato tamen pluviarum interventu ſubinde mitigatos efficeret; uſque dum occidente Sirio, a d. 19. Auguſti ad finem uſque ejuſdem menſis, Solis nunquam a nubibus interrupti radii fervorem intenderent; ſed cum d. 2. Septembris acrior inſurgens zephyrus frigidiuſculum ac pluvioſum aerem per quintiduum produxiſſet, & ſuccedens ipſi eurus quatriduum ſerenitate ornaſſet, zephyrus tamen mox iterum dominio potitus, frigidos ac pluvioſos dies (ſerenis tamen quandoque intercurrentibus) reproduxit. Interea febrium punctilariuni malignitas (horrere, virium lapſu appetitu proſtrato capitiſque ac dorſi dolore primo ſe prodens, in nonnullis amaritie oris, anxietate præcordiorum, fluxu alvi ſeroſo, bilioſo, quandoque ſanguinolento, tuſſi &c. concurrente) magnam circa anni principium incolarum ſtragem dare continuavit, ut quinque primis menſibus ultra mille ducentos homines, (quos inter equidem plures quam centum & quinquaginta milites Galli fuerant) tum aliis morbis, tum hac febri potiſſimum demortuos numerare licuerit, cum alias per integrum annum tota urbs non videbat. Ubi quidem tantæ cladis cauſam non tam morbi atrociam, quam ægrotorum in prima morbi invaſione ab ipſis parum æſtimati negligentiam, atque ob prægreſſas ac indies renaſcentes, quin majores ſubinde ab infenſiſſimo inquilino hoſte pertimeſcenda calamitas, vitalium ſuccorum enervationem ac depravationem accuſare poſſum. Quæ ipſæ etiam miſeriæ aliis morbis, ictero in primis, verno tempore multos invadenti, anſam ſuppeditare, bilemque juſto viſcidiorem, atque ita ad obſtructiones excitandas proniorem reddere potuerunt; prout non minus eodem ex fonte tertianas ac quotidianas febres frequenter tum, & reliquis etiam anni partibus ſe exerentes profluxiſſe credibile eſt: Unde etiam haud differentibus remediis ut plurimum, & quidem facile tolli potuerunt; quæ inter arcanum duplicatum non ſaltem vi qua pollet incidendi & aperiendi, ſed quoque correctas hac ratione bilioſas impuritates in multis per alvum educendi, egregie profuiſſe expertus ſum. Cæterum menſe Junio dyſenteriæ in ſcenam prodire, & uſque in Octobrem obſervari, in Auguſto in primis plures invadere cœperunt, ut non facile domus, quæ immunis ab ea foret, inveniretur; atque licet malignitate carere viderentur, plurimos tamen, minoris æque ac provectioris ætatis homines trucidarunt, ut defunctorum numeros, qui menſe Junio & Julio nonnihil decreſcere inceperat, in Auguſto & Septembri admodum augeretur, quod equidem non morbi truculentiæ, ſed incauto in cura regimini adſcribendum arbitror; cum variis domeſticis, ut vocant, præter rationem propinatis remediis unice confidens incauta plebecula, vel etiam multivarie diætam negligendo, aut juſto tardius Medici opem implorando, vehementer peccaverit; neque tamen negari poteſt, aliquot ægrotantes brevi tempore, deglutito ex. gr. cochleari ſpiritus vini cum pulvere nucis moſchatæ, morbi primordia eluſiſſe; ubi nempe non tam dyſenteria, quam ſimplicior diarrhœa, a ventriculo cruditatibus labefacto, adeſſet; prout etiam non paucos ſumpto mox rhabarbaro nonnihil toſto, vel ſibi relicto, immunes eſſe factos ſcio. Quod etiam rhabarbarum in principio curæ, vel durante morbo, ubi ſtomachus gravari ſentiretur, profuit. Radice Ipecacoanha non fui uſus, neque ejuſdem vi emetica opus habui; aliquibus vero, quibus vomendi conatus erat moleſtus, cum convulſivi quid adeſſe oſtenderet, præter externa calefacientia ſpirituoſa, idem rhabarbarum in pauca quantitate ad gr. xij. xx. cum coraliis rubris, vel terra ſig. &c. mixtum, felici cum ſucceſſu propinavi. Reliquum curæ per abſorbentia, & acredinem humorum temperantia potiſſimum fuit peractum; ubi præter dictam terram ſigillatam, coralia, flores ferri, cryſtallus in primis montana egregiam opem attulit, quibus ubi nimiæ dejectiones moleſtæ erant, adſtringentia ex catechu, radice tormentillæ &c. in pulvere, electuario, pilulis, tinctura, doſi non nimis larga, ſed ſæpius repetita, & quando dolores admodum urgebant, laudanum cydoniatum, extractum opii, vel theriacæ cæleſtis moderate addita, profuerunt: potum eadem radix tormentillæ, caro cydoniorum ſicca, cum pauco cinnamomo & ſaccharo in aqua cocta, convenientem præbuit; neque vinum Neccarinum, aut Tirolenſe antiquum rubrum noxam attulit, cum raro febrilis calor jungeretur. Undenam vero origo hujus mali ſit deducenda, anceps hæreo. Fructuum horreorum immoderatum eſum multis nocuiſſe non dubito; cereviſiæ haud probe defæcatæ potum plurimos in hunc morbum præcipitaſſe, eo magis eſt credibile, cum non paucos jam convaleſcentes, vel cum malo adhuc conflictantes, unico etiam hauſtu cereviſiæ in recidivam lethalem incidiſſe, aut doloribus auctis, gangræna inteſtinorum obiiſſe noverim; contagium inſuper non raro ægrorum numerum auxiſſe, ſucceſſiva in una eademque domo invaſio ſuadere poſſet; bellicæ vix tolerabiles adverſitates, cum fœtoribus ex varia militis Galli ſpurcitie, & excrementis equinis ſtramini ſemiputrefacto immixtis, quorum copiam inſignis equorum multitudo indies publice in plateis, nec non in ædibus cumulaverat, quid efficere valuerint, neminem fugere poteſt; intenſus ille aeris calor, ſpirituum & ſanguinis vigorem minuendo, quantum obeſſe queat, in me ipſo ſum expertus, qui nullo in cibo potuve errore commiſſo, ob continuas tamen per integros dies Sirio urente, ægrotorum viſitationes, & ſudorum inde largiores effuſiones, defatigatus, poſt biduanam levem diarrhœam, eundem cruentum fluxum pati coactus fui: qui licet magnopere me non affligeret, vires tamen mox adeo debilitaverat, ut diuturniori earum recollectione opus habuerim, ad roſcidas nempe & balſamicas lymphæ particulas reſtituendas, ac ſegnius per vaſa circulantes vitales humores ad naturalem motum reducendos, cum lymphæ depauperationem & craſſitiem ex variis ſignis colligere licuerit, unde ſalinæ acriores in ea particulæ concentratæ per tubulos minimos inteſtinales ſegnius moveri, ſpiculiſque ſuis pungendo nocere potuerunt. Erant quibus inconſutæ muſcarum multitudini cauſam adſcribere placuit, quarum nempe excrementis cibus potuſve contaminatus turbas haſce in corpore concitaverit, quod ſuis domeſticis ut perſuaderet curioſior aliquis paterfamilias, carnem ſpurcitie tali imbutam cani devorandam dederat, qui ipſe mox fœdo iſto morbo correptus fuerat. Neque tamen alii etiam morbi per æſtatem & autumnum aberant: Ut Variolas pueris æque ac adoleſcentibus magis moleſtas quam periculoſas, adultiores etiam non paucis in exigua copia & fere ſine morbi ſenſu invadentes, febres inſuper petechiales, nec non puerorum verminoſas, & cum uterinis malis ſociatas M. Julio obſervatas taceam, M. Auguſto arthritis vaga maſculinum præſertim ſexum ſatis obſtinata, multos etiam angina notha prompte, remediis cedens, excruciaverant. In adulto autem Septembri, nec non Octobris initio febres continuæ puſtuloſæ plurimos in adulta æque ac puerili ætate conſtitutos cum præcordiorum anguſtia, inquietudine, deliriis, angina ſpuria, puſtulis albicantibus univerſam corporis peripheriam occupantibus, rarius inferiorem ſaltem abdominis partem occupantibus, invaſerunt, in cuticulæ tandem deſquamationem, prævio tædioſo pruritu, abeuntes. Quas (præter ictcrum, martiatis remediis, acidulis præſertim & eſſentiæ Martis D. Ludovici haud ægre cedentem) tertianæ & quotidianæ irregularibus paroxyſmis Medicorum exercentes patientiam, exceperant; ibi alexipharmacis temperatis, hic pro diverſa morbi natura, bilioſam tamen intemperiem ut plurimum oſtendente, arcano duplicato & cortice Peruviano officium ſuum egregie præſtantibus.

Reliquum anni, ſub moderato aeris & ventorum alternantium ſtatu, tranquillius fuit peractum, morbis epidemicis ceſſantibus, ac reliquis etiam, quos ſporadicos vocamus, rarius occurrentibus; cum cæli non tantum clementia, ſed etiam ob hoſtes ex urbe profugos, totaque vicinia expulſos, civium animi novo vigore animali, morboſas diſpoſitiones feliciter averterent.

Cum zephyrus, Anno 1705. illuceſcente, moderatis nivibus terram conſperſiſſet, eurus ſuccedens, die duodecimo frigus hyemata induxit, aeremque per biduum ſerenavit, mox tamen iterum nubibus texit;

qui-

quibus circa finem primi menſis denuo diſcuſſit, d. 8. Februarii; poſt nebulas, cum zephyro crebriores nives deciderunt; & aliis, quandoque ventis, euro noto in primis, auſtro, & zephyro borea interpolatus zephyrus diverſas aeri temperies impreſſit, donec circa finem menſis eurus ſerenitati favens nivium liquationem ſucceſſive promoveret? Quæ ſerenitas ad vernale uſque æquinoctium continuavit rarius nebulis, & ſemel nive interrupta, frigore autem comitata.

Poſt æquinoctium variæ ſubinde ventorum mutationes, & frequentiores pluviæ vernalem gratiam retardarunt, atque Aprilem potiſſimum (cujus dies decimus nonus veſperi, alta, ſed paulo poſt rurſus liquata nive, ſine Cereris & Pomonæ noxa, terram oneraverat,) nec non Majum valde inamœnum atque frigidiuſculum reddiderant, ſicque morboſas corporibus humanis diſpoſitiones, & tertianas præcipue febres procrearunt; quæ licet jam in Januario ſparſim comparerent, in Martio tamen, & Aprili & Majo plures invadere cœperunt, gravi cephalalgia & præcordiorum preſſione, rarius præcedaneo horrore moleſtæ, ſed poſt cholagogi aut emetici uſum, chinchinatis medicamentis ut plurimum non difficulter ſuperari potuerunt; quod obſervare etiam licuit, cum circa finem Maji vires ſumendo, plurimos in urbe, quin & vicino agro invaderent, poſt horrorem magno atque ſæpe ad deliria uſque intenſo calore ægros torquentes. In Martio quoque pleuritides veræ, non admodum vehementes & exquiſitæ, blandioribuſque diaphoreticis & pectoralibus, ſine venæ ſectione, interdum etiam abſque ſuppuratione, curabiles; circa Aprilis autem finem apoplexiæ lethales paſſim obſervatæ fuerunt. Febris porro ſcarlarina in Aprili, Majo & Junio in plurimos variæ ætatis, ſexus & conditionis homines, quin totas etiam in familias ſeſe diffudit, poſt exiguum, aut nullum horroris ſenſum, faciem primo inflans & rubore ſuffundens, poſtea univerſam cutem maculis vel tuberculis rubris, crebrioribus, latioribus, interdum magis, quandoque minus, quam in morbillis rubentibus, interdum quoque totam cutem unica quaſi macula tingens, ad duas treſve potiſſimum dies perſiſtens, quin diutius quandoque & per octiduum durans, modo in ſquamulas abiens, modo inſenſibiliter diſcuſſa. Nullum equidem vidi qui periculoſe ex ea ægrotaret; nonnullis tamen, ob majorem ſanguinis efferveſcentiam, diaphoreticis temperatioribus, antimonio diaphor. terra ſigillata unicornu foſſili &c. ſuccurrere opus fuit; aliquibus libero ſe expoſuiſſe aeri, & ſine medicamentorum uſu, nunquam decubuiſſe haud nocuit. Quo in morbo licet Clariſſ. *Th. Sydenham in obſer. med. circa morb. acut. hiſtoriam ſect. 6. cap.* 2. omnem medicamentorum uſum intermittat, in libello tamen, qui ejus nomen præ ſe fert, & *Proceſſus integros in morbis curandis* ab eo conſcriptos exhibet, atque Londini typis prodiit, medicamenta ſupra memoratis ſimilia non improbari deprehenditur; cujus eo lubentius mentionem facio, cum Libellus iſte in *Ephemeridum noſtrar. Dec.* 2. *Ann.* 10. *Appendice* recuſus cenſuram acerbiorem cujuſdam Anonymi ſubierit, qui anno 1693. Londini eundem denuo impreſſum publicare voluit, noſtrum *inepta mole inutilem*, neſcio quo jure vocans, cum tamen idem omnino cum Anonymi ſpecimine ſit, atque juxta exemplar (cujus viginti circiter tantum Londini primo fuerunt impreſſa) ab Exc. *D. D. Mic. Fauſto*, Argentoratenſi, jam Medico Francofurtenſi ad Mœnum dexterrimo, Acad. N. Curioſo, cum ex Anglia redux Norimbergam tranſiret, beato noſtro Præſidi, incomparabili D. *Volckamero*, tunc temporis in edenda prædicta appendice occupato, communicatum, ingenue recuſum fuerat, ut ita quo pacto non irrepſiſſe, ſed acceſſiſſe ephemeridibus noſtris dicendus ſit, Lector benevolus inde cognoſcere valeat.

Menſis Junius multam ventorum omnium viciſſitudinem oſtendere pergens, ſerenitate quidem ut plurimum gaudens, crebriori tamen frigore inamœnus comparuit; elapſo autem primo octiduo, conſtantior zephyrus, poſt pluviarum frequentiam, temperatiorem auram reddidit, quam ante ſolſtitium æſtivum, calores, circa finem menſis remiſſiores facti, inſequebantur; cum interea ſerenos dies pluvioſi ſæpius interpolarent, ideoque tolerabili ſæpius temperiei ac telluris fœcunditati faverent; uſque dum una cum Sirii ortu calores ingraveſcerent, & uſque poſt ejus occaſum continuarent, multamque terræ ſiccitatem adferrent; niſi quod ſextiduum ante occaſum caniculæ deciduis cum tonitru & fulgure pluviis eadem refocillarent, quas eo uberiores poſtea per Septembrem zephyrus adduxerat, poſt intenſiores illos calores temperiem admodum humidam & frigore horridiuſculam reddiderat, ſimulque catarrhis glanduloſas in primis & muſculoſas colli exterioris partes obnoxias fecerat, temperatiori tamen aeris regimini non difficulter cedentibus.

Poſt æſtivum æquinoctium continuante ventorum varietate, ſerenos dies plures uſque ad Novembris initium vidimus, quos dein multa hyemis indicia ſunt ſecuta, & juxta cum aura frigida, nubibus & nebulis aer turbidus, atque modo in pluvias, modo nives reſolutus, humidam admodum conſtitutionem effecerat, uſque dum tandem poſt hyemale ſolſtitium, prævalente cæteris ventis Auſtro, quæ ab ea denominatur auſtrina temperies ſuccederet. Interea lymphæ viſcidæ & ſalſæ (ab humida aeris poſt magnos æſtivos calores intemperie probabiliter coacervatæ) ſtagnationes non deerant; Odontalgiæ præcipue, ſed tolerabilis, in pluribus ob conjunctam cephalalgiam magis moleſtæ; quin & tuſſis humidæ contumacioris, nec facile ſine abſorbentibus abigendæ feraces. A qua etiam hæcticæ febres, quæ nonnullis inſidiabatur, & non minus medicamentis potiſſimum acredinem temperantibus haud difficulter cedebant, origine derivare licebat.

EPISTOLA RESPONSORIA SECUNDA
A THOMA SYDENHAM, M. D.
DE LUIS VENEREÆ HISTORIA, ET CURATIONE
AD HENRICUM PAMAN, M. D.

Doctiſſimo, Amiciſſimoque Viro

THOMÆ SYDENHAM, M. D.

Magnum rei medicæ exortum eſt & lumen, & commodum, Vir Clariſſime, ex conſummata tua de Morbis Acutis hiſtoria, eaque ſedula obſervatione, & fida experientia ſtabilita, non lucri aut famæ aucupio ſcripta, ſed ſincera fide & mente honeſta; Cum tibi amplum ſatis theatrum ſit officium feciſſe, & præſenti ſæculo quovis modo profuiſſe. Ipſe hactenus celavi penitus quod volui, at fortaſſe quid jam parem tibi e longinquo ſubolet. Qui laudat quod facis, urget ut facias quod adhuc laudetur. De morbis Acutis ſcribere ſumma difficultas eſt, utpote quos tam rapida volvit rota, ut niſi opportuno ſiſtatur ſufflamine, in præceps ruat vita, nullis in poſterum auxiliis, nullis ſuppetiis redimenda. Tu ſingula eorum momenta notas, & quid quovis temporis articulo fieri neceſſe ſit. Opus quidem perfectum, & abſolutum, cui nihil addi poterat, niſi majus promiſeris, De Morbis ſcilicet Chronicis. Hi inducias ferent, & tutiores examinandi, & judicandi moras.

Sæpe nobis incidit ſermo de propudio illo Morbi Venerei, cujus ignominioſam originem Gentes Europæ a ſe invicem ſedulo ſatagunt propellere, & ut ejus magis adhuc occultentur veſtigia, ad ipſos Indos remotiſſimos amandant. Scortatorum audit flagellum, furioſæ, & indomitæ libidini aptiſſime reſpondens pœna, eo fortaſſe fine tardius remota, ut tanti conſtet pœnitere. Et humanitatis, & peccati ſimul ſenſu tactus videbatur, qui palam optavit impuriſſimam hanc luem ſemel tantum curari poſſe. Cum jam autem ad Agyrtas, Tonſores, & infimos quoſque ſciolos ejus ſæpe devoluta ſit curatio, illi aut fraude, aut imperitia magno eam ſumptu, majori etiam moleſtia tamdiu differunt, & protollunt, ut vitæ plane tædeat inter carnificum tormenta, & longiſſimas Medicinæ moras protractæ, & fere levius ſit ægrotaſſe, quam ſanari. Jus igitur promiſſi, amice tamen, exigo; præmittas oro, in arrhabonem reliquorum, ſi quid habes hanc in rem confectum. Humaniter, & ſincere explices qua methodo, quibus auxiliis hoc morbo captus ſe redimat quam queat minimo. Satis eſt ut æger ſub Deo, non etiam pejus ſub Medico vapulet. Hoc gratum pluribus fiet, & ad me aliqualis ſaltem pars gloriæ redibit, utpote cujus precibus deſideratiſſimum hoc opus in lucem dederis.

Tibi omni officio addictiſſimus.

Ex Ædib. Lambeth.
12. Febr. 1679. 80.

H. PAMAN.

Ornatiſſimo, Eruditiſſimoque Viro

HENRICO PAMAN, M. D.

Divi Joannis Cantabrigienſis Socio, Academiæ Oratori Publico, & in Collegio Greshamenſi apud Londinenſes in Medicina Profeſſori.

QUamquam eum, quem de *Acutis Morbis*, Vir Spectatiſſime, nuper edidi Tractatum, quæ eſt tua tam humanitas, quam animi in me propenſio, ceu opus undique conſummatum deprædicare digneris; uſque adeo tamen tenuitatis tum mea, tum iſtius opellæ mihi ſum conſcius, ut me nihil aliud egiſſe exiſtimem, quam viam præmonſtraſſe, qua qui ingenio magis valent, dictorum morborum & hiſtoriam & curationem queant inveſtigare.

Fungor vice Cotis, Acutum
Reddere quæ ferrum valet, exors ipſa ſecandi.

Et profecto ita multiplex, incerta, & delicata, ut ita dicam, eſt natura, atque ita ludit in his morbis producendis, ut unius non ſit hominis, utut vivacis, varia eorum φαινόμενα, & curationes iiſdem accommodatas graphice depingere. Unum hominem dixi? quid quod vel decem quidem homines per tot ſæcula ſibi inviceni ſuccenturiati, atque iidem tum maxima ingenii vi, tum indefeſſa induſtria præditi, tum etiam in praxi quæ numeroſas obſervationes ſuppeditaret verſatiſſimi, perpulchre hic operam ſuam collocare poſſunt? Tantum abeſt, ut ad artem medicam vel pervenerim ipſe, vel me putem perveniſſe.

Mecum habito, & novi quam ſit mihi curta ſupellex.

Morbos iſtos *Chronicos* quod attinet, quorum hiſtoriæ perſcribendæ ſpem tibi feceram, ita penitus animo meo inſedit ejus rei ſtudium, ut non tam alia de cauſa, ſi bene me novi, vitam mihi prorogari exoptem, quam ut iſtiuſmodi aliquo conamine communi hominum utilitati inſerviam. At vero ſinguli me dies docent, quam ſit arduum cœptum id, & quam periculoſæ plenum aleæ (mihi præ cæteris qui iſto ingenii acumine atque ſolertia, quibus hic eſt opus, non ſatis valeo) cum apud Scriptores rei Medicæ (Divinum *Hippocratem* ſi demas, atque alios pauciſſimos numero) vix ulla deprehendi queant veſtigia, quibus adjutus per rerum avia ſpinis & ſentibus impedita iter faciam; cum quæ promittunt ſubſidia Authores & lumina oſtentant, magis Ignes Fatui ſint, quam veræ faces, & in ſalebras potius ac præcipitia ſequentem agant, quam mentem fideliter & recte dirigant in genuina naturæ methodo indaganda atque invenienda, utpote quorum ſcripta fere omnia *Hypotheſibus* innituntur, quas peperit laſcivientis ingenii & phantaſiæ luxuria; ipſaque adeo morborum Phœnomena (in quibus eorundem hiſtoria vertitur) prout ab iis deſcribuntur, ex eadem Hypotheſeon officina prodeunt; quin & ipſa praxis, qua morbos aggrediuntur (quod humani generis peſtis eſt certiſſima & pernicies) ad hujuſmodi poſtulata componitur, non ad rei veritatem. Uſque adeo graſſantur, & regnant fere in ſingulis paginis cerebroſorum hominum commenta, jacent interim naturæ judicia. Quibus non obſtantibus, ſi vitam Deus atque otium conceſſerit, experiar fortaſſis aliquando quid valeant humeri. Impræſentiarum agnoſcas in tui obſequia paratiſſimum, en tibi offero, ceu ejus quod molior operis ſpecimen, Diſſertationem hanc, brevem illam quidem de *Lue Venerea*, & quam ſolam adhuc prælo adornavi.

Primum autem id attingere volo, me haud paucos conveniſſe, qui ſive præ ſtudio honeſto quidem eo, incontinentiores a peccato coercendi metu ſecuturæ pœnæ, ſive ut caſtimoniæ laudem ſibi arrogarent, non dubitabant aſſerere *Luis Venereæ* curationem docendam non eſſe. His ego non aſſentior, utpote qui exiſtimem nullum fere locum charitati atque operæ mutuæ relictum iri, niſi ea quæ ſibi ſua ipſorum culpa improvidi acciſunt mala, humaniorum officiis

farcian-

ſarciantur. Omnipotentis Dei eſt fontes caſtigare, noſtrum vero miſeris pro virili ſuccurrere, atque ægris opem ferre; non autem curioſa cauſarum indagatione illos acrius urgere, aut cenſorio vexare faſtu. Tradam itaque quæ in hoc morbo obſervavi atque expertus ſum: non quo hominum animos deteriores efficiam, ſed ut corpora (quod mihi negotii datum eſt) reddam ſaniora.

* *Lues Venerea* ex *India* primum *Occidentali* An. Dom. 1493. *Europam* appulit; cum ante id tempus, ne quidem nomine tenus, quantum ſcire licet, noſtro orbi innotuerit. Unde etiam morbus vulgo cenſetur iis tractibus *Americæ Endemius*, in quos nos primi Colonias deduximus. Mihi vero potius e regione aliqua *Nigritarum Guineæ* conterminorum originem traxiſſe videtur; cum a plurimis noſtratium, iiſque fide dignis, qui *Inſulas Caribes* dictas incolunt, didicerim, mancipia recens a *Guinea* allata, etiam antequam in terram deſcenderint, tum alia ibidem degentia hoc morbo tentari, nulla copula impura prægreſſa; ita ut non raro univerſam aliquam eorum familiam, viros ſcilicet, mulieres, liberoſque male mulctet. Neque iſta lues, quæ afflictiſſimos hoſce ſæpe ſæpius invadit, vel hilum a *Venerea* nobis dicta, quantum ego quidem intelligo, quoad ſymptomata, *Dolores* ſcilicet, *Ulcera*, *&c.* habita nempe diverſorum climatum ratione, videtur diſcrepare, licet nomine prorſus abludat, cum *The Yavus* ab illis dicatur. At nec medendi methodus, qua utuntur illi, a noſtra abhorret: utrobique enim *Salivatio* ex *Hydrargyro* utramque facit paginam, non obſtante eo, quod hic apud nos dicitur de eximia *Gudiaci*, & *Sarſaparillæ* vi, quam in natali ſolo exerant, quæ ex longo ad nos itinere tantum non exhauſta putatur. Probabile itaque mihi videtur, *Hiſpanos*, qui in Europam primi hunc morbum traduxere, eodem infectos fuiſſe ex contagio *Nigrorum* emptorum in *Africa*, quorum genti alicui (multi enim ſunt populi *Guineæ* confines, apud quos invaluit mos ille barbarus homines Europæis mercibus permutandi) *Endemius* eſſe poteſt. Ut ut ſit, contagioſa iſta lues paulatim ſerpens, has orbis terrarum partes eo uſque inquinavit, ut ſi ea celeritate graſſaretur adhuc, qua primum invaſit, intra ſæcula aliquot actum eſſet de genere humano, vel ſaltem Noſocomiis de cætero addictum, prorſus impar eſſet iis rebus gerendis, quibus continetur hominum ſocietas: niſi quod vegetabilium inſtar in alienum a patrio ſolum quaſi tranſplantata, Europæo noſtro non perinde lætatur, ſed languet in dies, & mitioribus phænomenis ſatiſcit. Novus apud nos hoſpes cum eſſet, ſi quem arripuerat, mox omnem ſanguinis maſſam contaminabat, & diris capitis atque artuum doloribus, tum etiam ulceribus variis in partibus ſe prodebat. At vero centum retro annis *Gonorrhœæ Virulentæ* ſpecie ſe primum oſtendebat, oſtenditque adhuc, hac ſibi porta exitum quærens; nullo alio manifeſto ſymptomate, niſi quod in perpaucis ulcuſculum in pudendo (vulgo *a Shanker*) primum morbi eſt indicium; cujus virus cum per gonorrhœam non ejiciatur, ſanguinis maſſam dicto citius pervadit inficitque.

Propagatur autem Venerea hæc lues vel per *generationem*, unde miſellus infans ab inquinato parentum altero mala ducit ſtamina vitæ, vel per *contactum mollioris alicujus partis*, quo virulentia, atque inflammatio corpori inſinuantur ex occaſionibus hoc in loco dicendis. Primo in lactatione v. g. vel *Infans* nutricem per rariores mamillarum poros, vel *Nutrix* infantem per os tenerum inficere poteſt. Secundo infantes, ſi nudi cum inquinatis in eodem lecto dormiant. Licet enim adulti, quorum caro jam firmior ætate obduruit, vix niſi intercedente impuro coitu, quamvis ſimul dormiant, poſſint infici, infantium tamen laxior caro, & texturæ rarioris venenum facile excipit, quod non ſemel obſervavi infantibus a genitoribus, quibuſcum dormiebant, infectis contigiſſe. Tertio autem, partis mollioris contactus maxime in coitu impuro fit, ac proinde eo pro cæteris modo ſerpit lues; cum ſcilicet penis ſpiritibus generationi dicatis turgidus, a Venereo ſive ulcere, ſive etiam puſtula in uteri vagina ſtabulante noxam de facili haurit, quorum alterutro intus latente mulier nihilominus ſana videri poteſt; veneno nempe vel iſtarum partium illuvie ita detento, ut ſegnius invadat ſanguinem, vel per menſtruas purgationes diluto ſæpius, & quadantenus exterminato. Contagio hæc carnoſam virgæ ſubſtantiam, quantum ego judico, primum adoritur, quam quidem corrumpens, eidemque primo inflammationem, mox ulceroſam *διάθεσιν* ſenſim inducens, efficit ut ſanies, qualem in *Gonorrhœa* cernimus, in urethram lente extillet: quod ut credam, hac ratione promoveor, ipſe ſcilicet vidi virulentam hujuſmodi materiam per ſubſtantiam glandis poroſam exudare, non per urethram ejectam, nulloque ulcere vel glandem occupante, vel præputium. Tandem vero altius penetrans, glandulas *Proſtatas* efferato ulcere ſolet depaſcere; quod haud raro cernitur in eorum cadaveribus, quos hic morbus e medio ſuſtulit.

Gradibus mox dicendis procedit hic morbus. Æger, (ocyus, aut ſerius, prout mulier, quacum conſuevit, magis, minuſve fuerit inquinata, pro ratione etiam temperaturæ *μιάσματι* excipiendo magis minuſve idoneæ) primum dolore genitalium inſolito cruciatur cum quadam ratione quaſi teſticulorum; poſtea, ſi recutitus non ſit, macula primo morbillum jam erumpentem magnitudine & colore æmulans glandis partem aliquam invadit. Statim ab hujus maculæ exortu liquor quidam lente extillat, ſeminis inſtar, qui quotidie a ſeminis tam colore, quam conſiſtentia recedens, flaveſcit tandem aliquanto dilutius ovi vitello; & in lue virulentiore intenſioreque non modo vireſcit, ſed & aqueo humori permiſcetur ſanguine affatim tincto. Puſtula jam dicta *ulcus* tandem fit, primo haud abſimile *Aphthis* infantium ora obſidentibus, quod in dies latius & profundius depaſcatur, ſupervenientibus orificii callo & duritie. Animadvertendum eſt autem quod memorata puſtula raro gonorrhœam comitem habet in iis, qui aut jam pridem gonorrhœa laborarunt, aut recutiti ſunt; utpote quorum glans tum ab aere, cui expoſita eſt, tum a frequenti linteorum attritu indureſcens, noxam non ita facile ſuſcipit. Hujuſmodi Verpi igitur glandis ulcere fere non tentantur, ſola *Gonorrhœa* dicto modo naſcitur. Hanc alia mox ſymptomata excipiunt, ut primo magnus doloris ſenſus in pene, quoties erigitur, perinde ac ſi valida manu tranſverſus fortiter conſtringeretur, qui noctu præcipue urget, quoties in lecto æger cœpit incaleſcere: quam quidem conſtrictionem penis dolorificam morbi hujus in hoc ſtatu exiſtentis ſignum *παθογνωμονικώτατον* exiſtimo. Incurvatur etiam veretrum a fræno jam contractiore, quod cum in erectione extenditur pro natura ſua, acutiſſimum dolorem affert. Accedit etiam *ardor urinæ*, qui plerumque inter mingendum vix percipitur at vero æger jam a mictu ceſſans per omnem urethræ ductum acriter admodum uritur, maxime qua in glandem deſinit. Nonnunquam etiam eroſa, atque excoriata urethra jugi puris acrioris fluxu, natura in carne nova vice jam deperditæ juſto occupatior laxam quandam & ſpongioſam ſubſtituit; quæ mole quotidie aucta, & ſenſim indurata *Caruncularum* excreſcentiis ita meatum urinarium infercit, ut tandem lotio non detur exitus; quæ quidem carunculæ nihilominus ex ulceribus ſibi adnatis ichorem quendam evomunt, & tum Medico crucem figunt inter curandum, tum ægro magis ipſa morte timendum malum. Quinimo ſæpe accidit, ut ſanies, quæ per gonorrhœam depellenda erat, vel a motu violentiori, vel adſtringentium uſu in ſcrotum depoſita, acrociſſimum dolorem, & ſcroti inflammationem acceſſat, nunc alterutro, nunc utroque ejus latere in molem ingentem elato; Gonorrhœa interim progreditur tardius, at vero urinæ ardor non mitius urget. Atque hæc ſunt communiora morbi hujus ſymptomata, manente hoc ejus ſtatu.

At vero quoties ſive morbi diuturnitate, & in dictis partibus mora, contagio ſurſum fertur, & ſenſim ſanguini labem imprimit, aut materia virulenta indebito adſtringentium uſu in corpore retenta humores putreſcunt, *vera Lues* exoritur, in qua tumores, ſive *Bubones* ſæpe in inguine comparentes primum ejus gradum conſtituunt. *Dolores* tum caput, tum artus in articulorum interſtitiis, humores ſcilicet, brachia, & talos crudeliter laniant, nullo ordine invadentes, & per intervalla, licet noctu ægrum lectuli calore perfuſum rariſſime deſtituant, nec niſi ſub auroram libenter evaneſcant, cruſtulæ etiam & *porrigines* varias corporis partes deturpant. Flaveſcunt hæ ferme ad inſtar favi, quo ſigno a cæteris omnibus queant internoſci. Quandoque ſuperficie latiore varia occupant corporis ſpatia ad eum modum, quo *Lepra* in Medicorum ſcriptis depingitur. Quanto autem magis ſcabies hæc diffunditur, tanto minus æger diſcrutiatur. Univerſa ſymptomata pedetentim incrudeſcunt, dolor præ reliquis, qui tandem eo uſque exacerbatur, ut ſe nequeat miſer diutius in lecto continere, ſed protinus exiliens, huc illuc in cubiculo curſitet irrequietus ferme, donec illuceſcat. Adde quod præ doloris vehementia cranium atque oſſa tibiarum brachiorumque hinc inde attolluntur in perdura tubera, *Exoſtoſes* dicta, excreſcentiæ oſſeæ in equorum tibiis (vulgo *a Spavin*) haud abſimilia: quæ quidem oſſa tuberculis obſeſſa jugi dolore ac inflammatione tandem carioſa redduntur & putreſcunt. *Ulcera* etiam *Phagedænica* varias corporis partes depopulantur, quæ fauces ut plurimum primo aggredientia, ſenſim per palatum in naſi cartilaginem propagantur, quam mox abſumunt, ita ut is jam fulcro deſtitutus plane concidat. Creſcentibus in dies ulceribus, & dolore aucto, æger partim indefinenti carnificina enectus, partim ulceribus confectus & putredine, vitam trahit cruciatu, fœtore, carie, opprobrio moleſtiſſimam, & quavis morte longo intervallo miſeriorem, donec tandem, pereuntibus per vices membris, lacerum cadaver, & jam ſuperis grave, humo condatur.

Intrinſecam hujus morbi naturam, eſſentialem quam vocant, niſi quatenus ea ex iſtis, quæ jam depinximus, ſymptomatibus eluceſcat, non mihi magis perſpectam eſſe arbitror, quam eſt eſſentia ſive plantæ cujuslibet, ſive animalis: Quicquid vero de ea ſit, certo mihi conſtat, humorem hunc committentem inflammationis haud mediocris participem eſſe, unde hæc tot malorum Ilias: conſtat etiam dictum humorem evacuandum eſſe, idque iis mediis, quorum efficaciæ experientia, Medicorum magiſtra, ſuffragatur. Cum nondum inveniatur immediatum aliquod *Specificum*, cujus ope ſine evacuatione prægreſſa lues debellari queat. Neque enim vel *Mercurius*, vel *Ligna Exſiccantia* dicta, Specificorum titulo ſunt donanda, niſi exemplis in medium allatis probare quis poſſit, vel Mercurium abſque ſalivatione, vel lignorum decoctum, nullo ſubſequente ſudore, luis Venereæ curationem quandoque abſolviſſe. Utque experientia didici, ſudorifica vulgaria haud minus proficiſſe in hoc morbo, quam lignorum decoctum, ita nullus dubito, quin ſi reperiri poſſit aliud quid, ſive in regno vegetabili, ſive animali, quod in excitanda ſalivatione pares cum Mercurio vires haberet, pariter etiam ad ſanandam luem valeret. Quandoquidem autem hic morbus adhuc intra gonorrhœæ limites ſubſiſtens, longe ab eadem diſtat, cum jam omnem ſanguinis maſſam contaminaverit, & venereæ luis nomen præciſe mereatur: ita etiam evacuatio, qua gonorrhœæ materia ejicitur, alia prorſus eſt, atque illa, qua lues jam formata eliminanda eſt.

* *Gonorrhœam* itaque quod attinet, de qua primo agemus, in remediis *Catharticis*, quantum hucuſque uſu comperimus, curationis omnis cardo vertitur, quorum auxilio vel educitur humor peccans, vel procuratur diverſio ſuccorum corporis naturalium, qui aliter hoſti in pabulum cederent. Quamvis autem tum ratio, tum experientia mihi dictant hunc morbum quolibet demum cathartico ſæpe diuque exhibito ſanatum iri, ea tamen cæteris *δραστικώτερα* mihi videntur, quæ bilem, maxime vero quæ ichorem ſeroſum fortiter e ſanguine expurgant & ſubducunt. Ac proinde ſola *Jalapii radice* pauperibus aliquoties ſubveni, quorum tenuitati, & rebus domi anguſtis conſulendum erat. Cum vero & morbus conſpicuam ſecum trahat inflammationem, & medicamenta purgantia, quibus expugnandus is eſt, calida etiam ſint, *Diæta refrigerans* omnino eſt imperanda a carceribus, quod dicitur, ad metas.

Sic itaque ſoleo præſcribere. ℞. *maſſ. Pilul. cochiar. maj.* ℥iij. *Extract. Rudii* ℥j. *reſin. Jalap. & diagryd. an.* ℈ß. *cum ſ. q. Opobalſami f. Pil. e ſingulis Drachm.* vj. Quatuor ex his ſingulis auroris deglutiendæ ſunt hora quarta vel quinta (ita ut æger ſuperdormiat) ad dies 12. vel 14. vel etiam plures, donec ſc. urinæ ardor, & materiæ ſeminiformis color flavus admodum imminuantur; quæ cum pro voto ſucceſſerint, ſatis eſſe autumo, ſi æger interjecto ſemper die uno, eaſdem repetat ad ſeptimanas adhuc duas, quo tempore elapſo, ſufficit, ut bis in ſeptimana ſumantur pilulæ, donec humor ex urethra ſtillare ſolitus prorſus evaneſcat, quod ut plurimum non niſi poſt multos dies contingit. Quamvis enim vulgo affirmetur, quod ejuſmodi ichor, qui ardore urinæ, & flavo materiæ extillantis colore diſparentibus, mane præſertim, in ſummitate colis digitis compreſſi ad guttulam unam alteramve cernitur, a debilitate tantum, & a laxitate partium ob diutinam viroſi ſomitis in eis moram oriatur; miſeri tamen experiuntur magno ſuo malo reliquias has eſſe contagii non penitus deleti; quod licet quadantenus ſubactum ex leviſſima quaque occaſione (a potu ſcilicet nimio, aut exercitio quolibet vehementiori, aut ſimili alia) novas excitat tragœdias, gonorrhœa poſtliminio recru-

recrudescente, si nempe æger catharseos molestiam defugerit, nondum extirpato radicitus morbo.

Si post hujusmodi purgationem gonorrhœa nondum cedat, ex usu erit loco pilularum, maxime in iis, qui difficilius purgantur, potentius aliquod medicamentum subinde intercalare, cujusmodi est potio sequens, quæ semel tantum hausta magis aliquando fecit ad sistendam gonorrhœam, quam leniora cathartica sæpenumero ingesta. ℞. *Tamarind.* ℥ß. *fol. sen.* ʒij. *Rhei* ʒß. *Coq. f. q. aq. Colaturæ* ʒiij. *diss. Mannæ, & syr. Rosar. solut. an.* ʒj. *syr. de spina Cervin. & Electuar. e succo Rosar. an.* ʒij. *M. f. f. potio.* Vel curatione tardius procedente detur *Turbith. minerale ad gr.* viij. tantum bis vel ter, idque interposito debito temporis spatio, ne forte oboriatur ptyalismus, quod quidem remedium in eradicanda gonorrhœa pervicaciori facile primas fert. Vel bis in septimana pil. sequentes exhiberi poterunt. ℞. *pil. ex duobus* ʒß. *Mercur. dulc.* ℈j. *cum s. q. Opobalsami f. pil.* iv. *sumendæ summo mane.*

Est autem ubi æger a catharsi dicto modo repetita usque adeo abhorret, ut ne conspectum quidem, vel odorem solum remediorum ferre queat. Est etiam ubi corpus ex *ἰδιοσυγκρασίᾳ* quadam pertinaciter purgantibus refragatur, ut debita peccantis humoris quantitas nequeat educi; atque ita dum impensius in hoc laboratur nullo cum fructu, lues tandem obrepit, quæ eos sæpissime ægros adoritur, quorum corpora catharticis fortius obsistunt: cum ita se res habeat, *Enematis* agendum est, quibus injectis utrique indicationi, humoris scilicet tum expurgandi, tum ab affecta parte derivandi satis fieri potest. Quin etiam hæc methodus expeditior est nonnumquam præmemorata ista, at non æque tuta, me judice, cum prior illa licet diuturnitate molestior, minus tamen habeat periculi, ne qua contagiosi fomitis particula in visceribus hæreat, novos datura tumultus. Hoc vero incommodum facillime evitatur, si cathartica per os assumpta diebus ab usu clysterum liberis, mutuam iis operam commodent.

Hac itaque via incedo, *Pilulas* jam prædictas, aut alias ejusmodi duabus tribusve auroris continuis exhibendas curo; postea *Enema* sequens mane, & hora quinta pomeridiana quotidie injiciendum, donec penitus cessaverint symptomata; nisi quod semel aut bis in hebdomade catharticum impero, misso die isto clystere. ℞. *Electu. e succo Rosar.* ʒvj. *Terebinth. Venet. vitello ovi solut.* ℥ß. *dissolvantur in aq. Hordei* ℔j. *Colaturæ adde El. Diacathol.* ʒij. *m. f. Enema.* Singulis etiam noctibus *Opobalsami* vel *Balsami e Mecha gut.* xxv. sacchari frustulo exceptas concedo, sub lecti ingressu, quod quidem medicamentum, cum *Terebinthinæ* quoddam genus sit liquidum ac purum, iisdem quibus illa facultatibus pollet, & ulcerosæ genitalium diathesi apprime succurrit; hujus itaque defectu *Terebinthina Cypria* ad quantitatem avellanæ dictis temporibus devoranda substitui possit.

Procedente curatione, quacumque ea demum methodo tentetur, ægro cibis omnibus sale conditis, vel alias dyspeptis (quales sunt carnes bovinæ, porcinæ, pisces, caseus, radices, olera) & fructibus horariis quibuscumque interdico, quibus substituo carnem vervecinam, vitulinam, pullorum, cuniculorum, & cætera *εὐπεπτα*. Volo etiam ut vel his parcissime utatur, tantum ut ægri vires non labascant. *Potus*, vino in genere abdicato, ut & liquore omni sive spirituoso, sive acescente, *Hydrogala* esto, ex tribus aquæ coctæ partibus & lactis una, nisi quod in prandio & cœna cerevisia tenuis in parva quantitate possit indulgeri. Ad contemperandam insuper inflammationem, & mitigandum ardorem urinæ, refrigerantem aliquam *Emulsionem* ad sequentis normam compono, in purgationum interstitio frequenter potandam. ℞. *Sem. Melon. & Pepon. an.* ℥ß. *sem. Papav. albi* ʒij. *Amygdal. dul. excoricat. n.* viij. *contund. simul in mortario marmoreo, sensim affundendo aq. Hord.* ℔ iß. *Colaturæ adde sacchari Crystallini q. s. m. f. s. a. Emulsio.*

In temperamento admodum sanguineo, & affectu pertinaciore, post mensem catharsi datum, aut circiter, ut plurimum *sanguinis Uncias octo vel novem* e brachio dextro detrahendas suadeo, ut maturius celebretur venæ sectio author non sum, ne hac *προφάσει* contagium penitius inferatur. *Injectiones* in uretrham non magni facio, utpote quæ sive acrimonia sua mordaci, sive stipticitate non raro magis officere soleant, quam prodesse; verumtamen sub morbi exitu *Aquæ Rosacea* in pauca quantitate potest injici.

Hac methodo, quæ mihi semper pro voto cessit in gonorrhœa sananda, meliorem nondum comperi; maxime in iis qui facile purgantur. In iis enim qui purgantur ægrius, curatio, licet numquam falax, tamen non nisi post longum temporis spatium perficitur. In his itaque sanguis iterum mittendus, & acuenda sunt cathartica, tum etiam repetenda sæpius, atque in eorum usu diutius est perseverandum, aut clysteres modo jam signato usurpandi. Etenim *Catharsis* hic ad instar omnium est. Atque in hoc affectu, si in alio quopiam, vere asseritur, quod qui mundificat bene, bene sanat: modo ab *Aquis Mineralibus* sibi temperet, quas certo mihi constat morbi reliquias e corpore eliminandas vi astringente & plus satis sanativa arctius constringere, & quasi clavo figere trabali; unde quod sæpius observavi, *Scroti tumores* enascebantur quoties in morbi principio, vel statu, pejoraque adhuc symptomata ut *Catunculæ*, si quando sub ejus exitu potarentur. Quod quidem ego sidenter assero, quantumlibet ex more hodie recepto aquæ minerales in dicto casu haud raro præscribantur.

Neque sum nescius, quantum se venditent Practicorum nonnulli in hujus symptomatis curatione, qua breviore temporis spatio, qua remediis magni nominis & tituli absolvenda; interim observatione plus satis frequenti certo deprehendi, materiam, quæ eliminanda fuit, astringentium vi in corpore detentam maximum ægris dedisse malum, ex quo persæpe sanguinis massam de novo subiens ipsam demum luem parit. Nec majore cum fructu, licet periculo minore decoctum *Lignorum exsiccantium* usurpatum comperi; quo scilicet, sub prætextu *Specificorum*, tum universum ægri corpus, tum præ cæteris affecta pars jampridem nimis incalescentia ulterius adhuc inflammabantur; nonnumquam etiam *Gonorrhœa* quæ paulo ante evanuerat, quod me observasse memini, denuo in conspectum prodiit.

Animadvertendum est autem, quod si ægri glans præputio undequaque contegatur, atque ejusdem ora præ inflammatione usque adeo tumida, dura, ac callosa reddatur, ut nullo modo queat reduci; laterem lavat quisqus gonorrhœam remediis purgantibus, fortissimis licet, & quotidie ad nauseam repetitis, aggreditur, nisi eodem tempore id agatur, ut pars ita affecta ad statum sibi naturalem redeat, sublatis & duritie & tumore, unde gonorrhœæ novus utique fomes subministratur. Quod quidem ego admolior *Fotu* sequente. ℞. *Rad. Althææ, & liliorum an.* ℥iß. *fol. Malv. Verbasc. Sambuc. Hyoscyam. flor. Chamæmel. & Melilot. an. M. j. sem. lini & Fœnugræci an.* ℥ß. *Coq. f. q. aq. font. ut f. Fotus, parti affectæ admovendus per horæ unius spatium bis vel ter in die.* Peracta fomentatione partem affectam *Oleo e semine lini* recenter extracto perungendam curo, deinde *Emplastrum e Mucilaginibus* alutæ agninæ inductum labiis præputii tumidis circumponendum. Quod si *Ulcus* vel in ipsius præputii labiis, vel in subjecta glande hærens sua callositate facit, ut illud non nisi ægre possit retrahi, præter fotum jam dictum sequens etiam *Linimentum* præscribo. ℞. *Unguent. Basilici* ʒvi. *Unguent. e Nicotiana* ʒij. *Præcipitat. ac. acq. Ros. lot. & optime lævigat.* ʒß. *m. f. Linimentum, quo lintei rasura imbuatur, & ulcusculo admoveatur semper post Fotus præscripti usum.*

Ubi vero sive quod justo maturius gonorrhœa sistatur, sive ab exercitio vehementiori, aut alia quacumque de causa, scrotum jam morbi sedes ab eadem in tumorem insigniorem attollitur, prædictum *Fotum* bis in die parti affectæ admoveo, modo non imminuantur & dolor & tumor *Cataplasmate* vulgo noto *ex Oxycrato* & *farina Fabarum*. Hæc dum foras peraguntur, non desino remediis & catharticis, & refrigerantibus, quæ modo præscripsimus, intro sumptis, tum e iam diæta supra dicta hostem urgere; neque mihi religio est quovis hujusce mali tempore sanguinis ʒix. vel x. e brachio isto detrahere quod testiculo tumefacto respondet, si tumoris magnitudo & vehementia doloris id mihi suadeant. Atque hæc hactenus de *Gonorrhœa*.

* Cum vero eo usque invaluerit morbus, ut jam *Venerea Lues*, vel *Lues confirmata* præcise dici mereatur, alia omnino porta quærenda est, & duriori huic nodo cuneus itidem durior est adhibendus: quandoquidem nullum adhuc experimentum, quod sciam, adferri possit extirpati hujusce morbi, nisi per *Salivationem* ab *Hydrargyro* excitatam: quicquid tam doctorum nonnulli, quam indoctorum de aliis sanandi modis satis temere & audacter effutiverint. Cum itaque *Salivatio* omnem hic numerum absolvat, id tantum mihi incumbit, ut quæ in ea excitanda, tum etiam regenda, & ratio (qualis qualis ea demum fuerit) & observatio rationi suffragata mihi dictaverint, edisseram.

In principio autem ne conjectura quidem assequi possum, quid sibi velint crebra ista monita, quibus de corpore remediis *Catharticis* & *Digerentibus*, balneo puta & cæteris id genus, rite præparando, ita serio cavetur; Ut de venæ sectione jam taceam, cui nonnulli hic loci primas deferunt. Cum enim, si veritati sit litandum, eo res redigatur, ut *Veneno* salivatio procuranda sit, (neque enim adhuc innotescit salubre aliquod medicamentum, quo possit excitari, neque æger sine ejus ope in tuto collocari potest) quæritur utrum corpori constantibus adhuc viribus, vegeto & valenti, ac proinde frangendis inimicis conatibus haud impari; an eidem missione sanguinis & tenui diæta jam debilitato rectius committatur venenum. Haud dubie satius esse duxerit æquus rerum æstimator nihil agere, quam ita importune satagendo nocere. Quid quod experientia testatur, nullis evacuationibus, aut alio modo infirmatos salivationis impetum multo melius sustinere, quam eos, quorum quasi ante prælium incisi sunt nervi?

Misso itaque damnoso omni hujusmodi præludio, statim atque accersor, *Unguentum* præscribo ex *Axungiæ Porcinæ* ʒij. *& Mercurii crudi* ʒi. Neque oleum aliquod e calidioribus, neque aliud quid admisceo: cum deterius fiat unguentum, si quod adjecta ista frænum injiciant, & nihilo efficacius, si nihil prorsus agant: Et fortasse additamenta ejusmodi sub nomine *Correctivorum*, idem hic præstant (si quid tamen præstant) quod *Catharticis* adjuncta judice experientia, solent præstare; tormina nempe excitant, & catharsim reddunt laboriosiorem, a lucta scilicet inter antidotum & catharticum, cujus vis omnis purgans in eo posita est quod naturæ hominis inimicetur. Verum ut *tertia parte* dicti *Unguenti* brachia, crura, & tibias ad tres noctes continuas (primam qua accersor includendo) manibus suis æger perungat injungo; ita tamen, ut neque axillas, neque inguina attingat usquam, & abdomen panno laneo tenuiore circumposito & posterius consuto, a linimenti contactu diligenter muniat. Post tertiam inunctionem gingivæ ut plurimum intumescunt, & *Ptyalismus* suboritur. Si vero intra tres dies post ultimam inunctionem idem haud procedat, tum gr. viij. *Turbith. Mineral. in Conserv. ros. rubr.* exhibeantur ægro; qui post singulas vomitiones aut sedes sumat haustum liquoris possetici calide. Cum expuere inceperit, id jam medico negotii tantum est, ut gradum salivationis scrupulose expendat, ne invocatis temere suppetiis, salivationem eo usque evehat, ut æger de vita periclitetur. Ubi jam ptyalismus statum debitum fuerit adeptus (in quo expuuntur ut plurimum libræ quatuor spatio nycthemeri) vel symptomata, etiamsi parcius expuat æger, evanuerint (quod plerumque contingit post quartam diem a statu salivationis) & indusium & tori lintea aliis, quæ a quo ultimo lavabantur, usurpata aliquandiu fuere, sunt permutanda: cum priora ista unguento infecta salivationem & magis quam erat opus intendere, & longius protrahere, quam ægro expediat, apta nata sint. Quod si forte prius elanguescat salivatio quam symptomata penitus disparuerint, extimulanda subinde est *Mercurio dulci ad* ℈j. pro dosi exhibito.

Nonnumquam accidit, præsertim in corporibus *συμεταβλήτοις*, quod post unam vel alteram inunctionem (nempe simul ac hydrargyro sanguis affici inceperit) natura illico per intestina hunc hostem expellere satagat, unde non solum dejectiones mucosæ & tormina ventris, ut in iis qui dysenteria laborant, eveniunt, verum etiam curatio morbi impeditur, utpote qui salivationi tantummodo cedere soleat. In hoc casu a Mercurio sive extra applicito, sive intra assumpto, prorsus absistendum, donec hæc symptomata penitus evanuerint; atque porro dictus alvi fluxus (qui plerumque accidit, antequam salivatio bene assurgat) sistendus est usu *laudani liquidi*, ita dosin augendo atque repetendo prout urget symptoma; aut *Diascordii sesquidrachma*, aliquoties, prout opus fuerit, devorata. Diarrhœa tandem cohibita, salivatio debito modo procedere solet, quæ antea vix appareret.

Convalescente de cæteris ægro, nisi quod os adhuc exulceretur

(qui

* *Luis confirmatæ Curatio.*

(qui genuinus eſt ptyaliſmi fructus) ſalivatio quæ jam indies imminuitur, nec purgatione, nec alio modo quocunque ſiſtenda eſt: fieri enim poteſt ut etiam poſt conſopitum dolorem, atque exſiccata ulcera aliquid de morbi fomite adhuc in corpore deliteſcat, bella denuo moturum, niſi ſibi permittatur ſputatio illa moderata, quæ poſtquam redintegrata ſanitate homo ſe auræ liberiori aliquandiu expoſuerit, deſitura eſt. Periculoſum itaque eſſe arbitror ptyaliſmi jam abiturientis & mox evanituri reliquias *Catharſi* deducere, vel *Lignorum decocto* exſiccare velle; a qua praxi, quæ vulgo obtinet ſpecie vel Mercurii e corpore eliminandi, vel corrigendæ ejus malignitatis, naſcuntur ſine dubio frequentes iſtæ *Recidivæ*, quæ miſeris accidunt, ſanitatem tandem aliquando poſt tantum impenſarum, tot exantlatos labores, tantum tædii devoratum anhelantibus, ad quam etiam certo perveniſſent, ſi ſalivatio non niſi ſuo tempore determinaretur. Longe itaque conſultius eſſet, ptyaliſmum promovere *Mercurio dulci* ſemel in hebdomade exhibito, etiam poſtquam omnino convaluerit & jam ſub dio verſetur (quod & ego per menſes aliquot fieri aliquando juſſi) quam eundem præmaturius inhibere.

Quantumlibet autem a catharſi in ſalivationis declinatione ob jam dictas cauſas abhorream, fieri tamen poteſt ut in ejuſdem ſtatu ea nec prætermitti poſſit, nec debeat, quoties ſcilicet re male geſta eouſque fuerit evecta ſalivatio, ut jam ægri vitæ metuatur: quo in caſu non tutum modo eſt, ſed & neceſſarium etiam cathartico ingeſto ptyaliſmum ad eum gradum deprimere, ut cum ægri *Διαφορίᾳ* procedat, qui deinde ſuo juri relinquendus.

Si quis jam quærat, an nuda ſalivatione contenti eſſe debeamus, nec catharticis, nec aliis remediis ſolemnibus in uſum, poſt eam peractam, revocatis? Reſpondeo, præter jam dicta, quibus & ratio adſtipulatur, & experientia, me velle doceri, quam ob cauſam magis ſit neceſſarium purgare poſt ſalivationem, quam ſalivationem excitare poſt catharſin, cum remedia purgantia (*Scammoniata* maxime & id genus acria) malignitatis quidpiam in corpore relinquant, quod naturæ tamen committimus, cujus vi tandem ſubjugatur iſtud, quicquid eſt veneni, eo ſcilicet, qui purgatus, fuit, ad regimen conſuetum, exercitium, & liberiorem aeris uſum ſe recipiente. Atque id porro libenter ſcire velim, qua demum arte freti Mercurii reliquias per catharſin expellere conamur, cum genuinam illam ac prope unicam methodum (per ſalivationem ſcilicet) qua natura id efficere ſolet ac debet, non ſolum negligamus, ſed etiam impediamus? Hujuſmodi autem hallucinationes minimis iſtis rationis ſcintillulis imputandæ ſunt, quibus nos miſeri mortales tantum prædiți, ad veritatem in profundo demerſam non penetrantes, quamlibet ejus umbram & ſpeciem amplectimur, pro Junone, quod ajunt, captantes nubem; mox colloquia miſcentes, præjudicia male fundata ita penitus nobis invicem infigamus, ut tandem phantaſmata noſtra & delirantium inſomnia pro principiis Apodicticis haberi velimus; cujus ſpecimen, ni fallor, præ manibus nobis eſt.

Quamvis autem in pleriſque curatio modo jam dicto abſolvatur, *viz. Inunctione* per tres noctes continuas, & exhibito *Turbith. Minerali*, ptyaliſmo haud rite procedente, *Mercurio* item *dulci* ad vices aliquot, eodem juſto citius ſatiſcente; ſerio tamen animadvertendum eſt, in quibuſdam reperiri idioſyncraſiam ſive temperamentum quoddam peculiare, tam ſalivationis reſpectu, quam purgationis (atque eadem plerumque in iiſdem, ut qui ægre etiam ad ptyaliſmum perducuntur) ita ut in nonnullis methodus laudata vix gingivarum exulcerationem queat efficere, multo minus ſalivationem eam procurare, quæ malo eradicando par ſit. In hujuſmodi ægris Medico ſummopere cavendum eſt, ne animo nimium obſtinato ſalivationem importunius urgeat, recalcitrante natura; atque ab iſto evacuationis genere prorſus abhorrente; quod qui minus intellexere, ægros haud paucos letho dederunt: Etenim in corporibus ita factis, quotieſcumque medicamenta, ſive externa illa fuerint, ſive interna, pertinaciter ingeminaveris, loco ſalivationis perfectæ nil præter ventris tormina, & dejectiones dyſentericas obtinebis, natura per hanc portam hydrargyri vires amoliente; vel dolores ventriculi & ægritudines, ſudores frigidos, horrendaque alia ſymptomata accerſes, ita ut æger tantum non agat animam, forte etiam mox eam evomat. In his licet Medico concedi poſſit, ut poſtquam ad dies quatuor vel quinque a poſtrema inunctione ſalivationem fruſtra præſtolatus fuerit, inunctionem jam ſæpe dictam, & *Turbith. Minerale* denuo repetat (interjectis inter ſingulas inunctionum vices diebus aliquot) religioſe tamen cavere debet, ne cum tanto conamine ſalivationem incaſſum ſolicitaverit, eam per vim invitæ naturæ extorquere pergat. Hic itaque modus, quantum ego judicio valeo, Medico tenendus eſt, ut ubi primum vel ægritudo ventriculi, vel ventris tormina ſuccedant, ſtatim ſibi temperet a remediis adhibendis donec ea penitus evanuerint ſymptomata; pluribus enim & fortioribus remediis ad cogendum *φύσεως ἀναπραστυσης* ſalivationem accumulatis, *Dyſenteria* certo certius tormina ventris, & ventriculi ægritudinem mors excipiet. Cum ex adverſo ſi lente ſeſtinet, & moras trahat, *Mercurii dulcis* ℈j. ſemel aut bis in ſeptimana exhibendo, vel per ſe, vel cum ʒj. *Diaſcordii*, ſi æger in diarrheam propenſior ſit, tandem aliquando cum bonis ægri rebus optata potietur arena. Quantumvis enim ptyalyſmus ad plenum nunquam aſſurget, æger tamen copioſius quam pro more ſolito expuet; & fœtor juſtæ ſalivationis comes neque immunitiorem hanc deſtituet; unde evincitur ſanguinem & humores eam ſive putrefactionem ſive alterationem, quæcunque ea demum ſit, attigiſſe, quæ vel parit ſalivationem, vel cum ea naſcitur. Atque hac methodo univerſa hujus morbi ſymptomata tandem expugnabis, conceſſo utique debito temporis ſpatio.

Obſervandum eſt autem, quod licet ſalivatio remedia alia, qualiacumque ea fuerint, in extirpanda *Lue confirmata* longe exuperet, *Gonorrhœam* tamen cum lue concurrentem neutiquam valet ſanare; nec ſiſtetur illa, hac jam penitus devicta; unde recte colligitur nullam vim ſpecificam mercurio ineſſe, qua Venerea lues immediate debellari poſſit; quamlibet *Specificum mediatum* forte dici mereatur, in quantum mediante ptyaliſmo morbum expellat, pari ferme *καταχρήσει* (quod alias ſubinnui) atque ſcalpellum chirurgicum laterali morbo ſpecificum queat appellari. Sed ut ad rem redeam. Quoties *Lues* & *Gonorrhœa* una ſtabulantur, vel ante ſalivationem, vel ea jam peracta, Gonorrhœæ curatio tentanda eſt, quod & rutius fit, me judice; & facilius etiam poſt finitam ſalivationem, cum luem habens comitem gonorrhœa ægrius dometur; quæ vero a prægreſſa ſalivatione quadantenus ſubacta fuit, minori negotio expugnari ſoleat. At vero catharticis religioſe abſtinendum eſt quouſque vel minimæ ſalivationis reliquiæ ſuperſint; Quamobrem *Turbith. Minerali* ſemel aut bis in hebdomade exhibito ſecurius rem committemus, quam aliis purgantibus quibuslibet, cujus vi promovebitur aliquantulum ptyaliſmus, dum interim materia gonorrhœam comitans paulatim excernatur.

Porro obſervandum eſt, ſi tumor oſſi alicui, *Exoſtoſis* vulgo dictus, inſideat, qui etiam tandiu permanſerit, ut os jam carie afficiatur; incaſſum prorſus erit ſive ſalivatione ſive alia aliqua methodo curationem aggredi, niſi etiam huic malo obviam eatur; ac proinde os ope *Cauſtici* denudandum, & quamprimum idem, quod ajunt, *exfoliandum*, uſu ſcilicet remediorum quæ intentionem hanc implere ſolent.

In *Ore exulcerato*, quod ſalivationem paſſis ita familiare, ſi vel æger dolori ferendo par non ſit, vel eo uſque illud excorietur ut ſanguine diffluat, idem nocte dieque vel *aqua Roſarum Damaſcenarum*, vel *lacte aqua permiſto*, vel *hordei*, *radic. Althææ*, & *ſemin. Cydoniorum decocto* ſæpiſſime proluendum eſt. Unicum hoc ſymptoma memorabile, quod ſcio, ſalivationi accidit, ſaltem quoties ea more debito adminiſtratur; & ſane ſi *dolor* & *oris exulceratio* arte aliqua protelari potuerit, haud multo eſſet moleſtior morbi hujus curatio, quam eſt aliorum aliquot longe minus famigeratorum.

Diætam quod ſpectat & reliquum ægri regimen, eadem prorſus in *Salivatione*, ſaltem donec ad finem jam fere vergat, ac in *Catharſi* imperanda cenſeo: Cumque ei qui medicamentum aliquod purgans aſſumpſit, id tantum incumbat, ut ſe in cubiculo a vi frigoris defendat, & cibis *ἀπέπτοις* moderate veſcatur nondum mihi conſtat, quo nomine vel lecto ſemper addicatur, qui ptyaliſmum ſubit, vel a victu modico arceatur, qui ſcilicet naturæ cum veneno conflictanti vires animumque addat; unde etiam natura tanto oneri ſuccumbente, haud pauci, ſpiritibus, atque omni vitæ robore, diaphoreſi, purgationibus, & jejuniis ſupervacuis (præter vulnus ab *Hydrargyro* inditum) tandem penitus exhauſtis, miſere confecti ſunt. Perſæpe etiam morbo jam pulſo, æger ea ſpirituum copia, qua erat opus ad redintegrandam ſanitatem, deſtitutus, præ imbecillitate concidit; aut ſi forte *Libitinam* valeat effingere, tot tantiſque cruciatibus vitam redimit, ut tanti non ſit vivere. De quibus Poeta e Neotericis haud ineleganter:

Graviora morbis patimur remedia;
Nec vita tanti eſt, vivere ut poſſis, mori.

Hic autem in promptu eſt iſtam objectionem diluere, qua fit ut nonnulli hoc morbo, (ſcilicet in ſtatu ejus modo dicto) male mulctati in *Galliam* commigrare cogantur ut ab eo liberentur: Cujus rei hanc eſſe rationem, quantum judicare poſſum, exiſtimo. Hujuſmodi ægris, œconomia illorum corporum everſa ac viribus proſtratis, apud nos aer craſſus ac humidus reſarciendis minus idoneus eſt, cum iſte *Galliæ*, utpote qui ſalubrior ac magis ſerenus, ſpiritus corporis & vires deperditas inſtaurare aptus ſit: Non quod practici ibidem degentes, utut docti quidem, methodum qua hic morbus devinci poſſit, melius calleant, quam nos hic in *Anglia*. Sed ut ad diætam revertar.

Exiſtimo itaque (& experientia mecum facit) quod præter juſculum avenaceum, panatellam, lac cereviſiatum, & cereviſiam tenuem tepefactam, *&c.* juſcula inſuper e carne vitulina, pullorum, atque alia ejuſmodi in mediocri quantitate ægro & poſſint concedi, & debeant; atque ut, ubi primum eouſque ſubſederit gingivarum tumor ut dentes conſerere valeat, cuniculorum, pullorum, agnorum carnes, atque ejuſmodi teneriores, at parca manu, ſint indulgendæ; ut vel in lecto ſe contineat, vel ad ignem ſedeat, prout hoc vel illud magis allubeſcat animo: Cum enim *Ptyaliſmo* expugnetur hic morbus, non *Diaphoreſi*, hariolando non ſum, quorſum æger, nulla urgente neceſſitate, nimio calore macletur.

Dicta methodus uti expeditior eſt, cum neque tot dies corpori ante ſalivationem præparando inutiliter inſumendos, nec frequentes iſtas purgationes, aut decocta ſolemnia poſt ſalivationem, ægris imponat; ita certiſſimus ſum eandem longe faciliorem eſſe, minus itidem periculoſam, & minus recidivæ obnoxiam; quod experimento ſuo diſcet quiſquis in altera praxi verſatus, ad hanc ſe demum conferet. Mihi ſaltem ex animi ſententia ſucceſſit in quamplurimis ægris; quorum nonnulli ſalivationis tædium & laborem plus ſemel irrito conatu exantlaverant, recidivam ſemper denuo paſſi, ex occaſionibus, & propter cauſas, quas ſupra memoravimus.

Non eſt autem, Vir Candidiſſime, cur tuam fidem verborum ambagibus anxie ſolicitem, qui jamdudum de probitate mea perſuaſiſſimus exiguæ æſtimationi etiam noſtræ favere dignaris. Plura itaque de hoc morbo non addo, cum mihi neutiquam placeat, nec placebit umquam, longis verborum ambagibus & ſermonibus *ἀπροσδιονύσοις* nucleum involvere, quo rei caput, ſeu *Nili* fons, ægrius innoteſcat. Quantulicumque autem ſit hoc opuſculum ſive pretii, ſive molis, id ut boni conſulas rogo: cum illud eo præcipue fine elaboraverim, ut & in bonum publicum cederet, & quo in te eſſem animo palam teſtarer: quantumlibet autem magni te faciam, major tamen adhuc tibi honos debetur & a me; & ab iis quibus ſumma illa tua eruditio, morum ſuavitas, animique candor, cæteræque virtutes laude digniſſimæ ita clare eluceſcunt. Haud equidem tibi aſſentor; quotjes profiteor me tuam amicitiam, ex quo me primum ea condecorabas, inter illa, quæ mihi comparavi, pretioſiſſima luculentiſſimaque ſemper habuiſſe. Inter alia enim in brevi vitæ curriculo a me obſervata eximium eſt iſtud, (quod etiam filio meo commendatiſſimum eſſe volo) hominum ſc. probitate cæteriſque virtutibus præcellentium conſuetudinem ſemper mihi commodo vertiſſe atque emolumento; atque ex adverſo pravorum amicitiam (niſi ea potius combinatio, ſive etiam conjuratio dicenda ſit, quæ in virtute non fundatur) quamvis nec dicto, nec vultu quidem me læſerint unquam, tamen neſcio quo pacto, tandem aliquando aut mihi, aut rebus meis mali, aut damni quippiam affricaſſe. Vale, Vir Humaniſſime, & amare perge

Tui ſemper obſervantiſſimum

THOM. SYDENHAM.

IN-

INnumeri prope Authores ſcripſere de Lue venerea, quam paucis explicat Clariſſ. noſter Author. Longum nimis foret illorum vel partem aliquam hic recenſere, pro pleniori fœdi ejuſce morbi, ac ipſius curæ, illuſtratione. Sufficiat itaque Doctiſſimi alius Angli perbrevem, ſed vere accuratam, eodem in argumento Diſſertationem addere, cujus eſt ſequens inſcriptio.

GUALTERI HARRIS, M. D.

Celeberrimi Medicorum Londinenſium Collegii, Socii,

DE LUE VENEREA

Ejuſque Origine, Natura & Curatione.

DISSERTATIO.

HIC morbus tam gravis & acerbus eſt; tam late ſerpit, & perniciem ſuam undique ſpargit; tantis cruciatibus miſeros plerunque opprimit; & priſtina ſanitas tam difficulter reſtituitur, ut ab annectendo quædam eo ſpectantia non potuerim prorſus abſtinere. Primordia hujus mali quæ pudendis ſolis labem inurunt, contemptui & ludicro habeant, ſi ita placet, ganeones & belli noſtri, & petulantibus facetiis, tanquam nugas & crepundia, ea excipiant; ſed quandocunque aut prima illa inquinamenta aut ſuccedentia, in ſanguinem denuo transferentur, atque per totum corpus virus diſtribuetur, pœnas inſipientiæ debitas illi abunde perſolvent.

De origine hujus morbi ambigitur, an ab omni ævo, poſt homines natos, extiterit, an ſuperiori fere ſæculo in *Europam* ex *India* Occidentali fuerit advecta. Multa ſunt teſtimonia, aut ſaltem ſuſpiciones non contemnendæ, de antiquitate hujus luis, quanquam tot fere Regna non ita pridem contra ejus natales probroſos decertarunt, alterum in alterum illud opprobrium rejiciens, quot urbes olim *Homerum* ſibi glorioſe vendicarunt. Certe nomen ejus legitimum uſque ad noſtra hæc ſæcula in tenebris latuit. Nec forma & figura hujus monſtri a prioribus Medicis ſatis clare & diſtincte ſunt deſcripta, neque ante novam ſuam denominationem niſi confuſe admodum cognita. Hoc autem procul dubio ſcimus, plurima olim apud nos noſocomia leproſis recipiendis fuiſſe extructa; & multum fallor, ſi unica & ſingulis domus apud nos etiamnum maneat, leproſis vulgo recipiendis peculiariter dicata. Porro Venerei contagii eadem ſemper cauſa tyrannidem exercuit, nempe vaga & promiſcua ſcortatio: nulliſque ſæculis defuerunt meretrices infames, quæ corpore proſtituto vilem quæſtum facerent: *poſita* vero *cauſa ponitur* etiam *effectus*, quemadmodum *& ſublata* ſemper *tollitur*. Quibuſcumque enim in regionibus, quibuſcunque demum locis proſtibula iſta, ac corruptelæ juventutis vulgares prorſus exulant; legumque aſperitas ſcortationem omnem coercet, deeſt etiam una cum impuris ſcortis lues hæc Venerea. Ubicunque vero lupanaria palam permittuntur, remiſſo magiſtratu aut diſſimulante; vel ubicunque meretriculæ latebras aliquas fœdas ſecure nanciſcuntur; eadem lues cum horrida malorum turba, cumque omni ſuo miſeriarum ſamulitio, longe lateque dominatur. Atque, ut mihi quidem videtur, in utero impuro meretricum vulgarium, quæ plurimis viris, quantumlibet ſanis, ſeſe proſtant & commiſcent, certo & naturaliter prognitur lues, perinde atque in nido ex ovis naſcuntur volucres. Et quoniam *corruptio optimi* eſt *omnium* ſemper peſſima, cur non ex ſeminis prolifici, & in tantos naturæ uſus deſtinati, corruptione prava & incongrua venenata illa lues poſſit φυσικῶς propagari? Et nullas dubito, pauciſſimos uſpiam eſſe ſcortatores; qui, quantumvis pœnas meritas aliquandiu effugerint, non ſerius aut citius in laqueos illos inciderint, qui non turpi & funeſto illo veneno fuerint tandem aliquando contaminati.

Sane lues hæc pernicioſa eſt Supremi Judicis tremendum quoddam flagellum, inſtar enſis illius ſtricti capitis Damoclis inter epulandum impendentis, omnibus ſcortatoribus ſemper interminans, quod ſapientes ab impuris amplexibus facile deterrebit, quodque inſipientes ſeveriſſimis flagris aliquando cædet. Quis enim mulieroſus certus eſſe poteſt, meretriculam qualemcunque ſibi uni, ut videtur ſtipendia facientem, non aliis pluribus fuiſſe prius aut denuo fore provulgatam, atque ideo obnoxiam venereo inquinamento, utcunque iſta mendaciis ſuis, perjuriiſque uſitatis, pudorem aliquem comminiſcatur?

Neapolitanus hic morbus vulgo nuncupatus eſt, & ab obſidione *Neapolitana* primum ejus contagium originem traduxiſſe ut plurimum creditur, anno ſcilicet poſt *Chriſtum* milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimo tertio; cum *Neapolim* caſtris ſuis circumdaret *Carolus* Octavus, Gallorum Rex. Sed cum rumorum popularium tanta ſit incertitudo, ut ſapientes vix quicquam pro certo pronuncient, quod non manifeſtis & ſibi notis teſtimoniis confirmatur; cum aliorum morborum primus exortus in tenebris æque permaneat; cum ita conſtitutum ſit rebus humanis, ut in ſingulis ſæculis quædam continuo pereant, oblivionique tradantur, & alia quædam rurſum emergant & ſuſcitentur, cum virus Venereum in omnes fere regiones totius orbis, quantum nobis innoteſcit, ab oriente ad occidentem, a ſeptentrione ad meridiem, jamdiu ſpargatur, & uſquequaque diffundatur; cum denique Medici aliquot graviſſimi luem iſtam infamem ante obſidionem illam Neapolitanam contagio ſuo virulento *Europam* jamdudum invaſiſſe conſtanter affirment, ſane difficile eſt aliquid certi & indubitati in re ita obſcura ſtabilire & decernere; quanquam antiquam luis proſapiam admodum aperte indicare videatur antiqua, ac permanens cauſæ exiſtentia, nempe ſcortatio illicita, vaga, & promiſcua, primordiis forte rerum humanarum, aut ſaltem effræni hominum libidini, ac corruptelæ meretriciæ coæva.

Sed ut hanc rem paulo altius perſcrutemur, *Hippocrates*, cujus authoritas apud omnes doctos plurimum valet, libro tertio de morbis epidemicis plurima horrenda ſymptomata enumerat, quæ ad formam Venereorum quam proxime accedunt: ut, *puſtulas magnas, & puſtulas corpore univerſo erumpentes, maximeque caput impetentes, ulcera fœdiſſima circa pubem & pudenda, inflammationes Eryſipelatodes malignas & depaſcentes, diarrhœas & cibi faſtidia, tabes multas*, aut autrophias, *nunc ſine febre, nunc cum febre contingentes; carnium, nervorum, & oſſium mutilationes ex decidentia magnas*, a carie præcedente, *prolapſus partium abſceſſibus corruptarum, & denudationes femoris integri, tibiæ, aut pedis totius, prolapſus brachii, aut cubiti totius*, & *omnium miſerrimas carnium jacturas, cum pubem pudendaque malum affecerit; ichores ulcerum & abſceſſuum puri abſimiles, & pure omni deteriores, capillorum defluvia, fluxiones ad pudenda multas, dolores graviſſimos cum vigiliis, ulcera oris ſerpentia, & tubercula tam interna, quam externa circa inguina*, aut bubones, *tubercula faucium, ulcerationes pudendorum*, & ſimilia, quæ quidem breviter tradit, & more ſuo conciſo. An vero hæc omnia a peſte vera, an a peſtifera hac lue oriantur, in utramque partem ut differant, par eſt doctis liberum relinquere.

Quicquid vero de turpibus luis natalibus ſit ſtatuendum, certe dolendum eſt maxime, curationem tantæ ægritudinis, omnes corporis partes, tam internas, quam externas, a capite ad calcem, polluentis, e manibus Medicorum doctorum & peritorum ita profugiſſe, atque Chirurgis, nec non tonſoribus imperitis, ignariſque quibuslibet vulgo concedi. Quis enim tam fatuus & inſulſus, quis tam illiteratus ardelio, qui non Medicaſter in hoc morbo circumforaneus facile evadat, ſine inſtituto, ſine ſumptu, & ſine arte; qui non curationem luis, aut ſaltem gonorrhœæ infallibilem perfricta fronte polliceatur? Quales autem hi ſunt Medici? Sartores utplurimum & fabri, ſimileſque artifices, propinatores inertes & decoctores, qui in officinis ſuis fidem prius labefactaverant. Quam infelix igitur & miſera eſt infectorum conditio, qui duplices ſuſtinent pœnas, damnanturque tum atrociſſimi morbi cruciatibus, tum rudis agyrtæ ignorantiæ periculoſæ! Quaſi leviſſimi quilibet affectus peritiam medicam jure efflagitarent, morbus vero minime anceps, medulliſque penitus infixus, cuivis illiterato poſſit tuto demandari!

Ut autem ſummum diſcrimen lue infectorum manifeſtius appareat, conſiderandum eſt, hunc morbum frequenter eſſe Protei-formem, & poſt primam ejus ſubjugationem, ſæpe novas poſtea induere facies. Illud equidem facile adducor ut credam, propterea quod tot tabidos, & atrophia confectos, pulmonibus fere intactis, nec niſi ſecundario læſis, viderim perire. Et niſi ex acuto aliquo morbo illos contigerit extingui, marcore & atrophia vix intellecta, tandem contabeſcere ſemper obſervavi. His lac aſininum, pectoralia, narcotica, & ſimilia, primam venenatam cauſam nihil reſpicientia, ad ſupremum uſque diem fruſtra exhibentur. Chirurgi ſalivatione abſoluta, & mercede laborum accepta, integram ſanitatem audacter promittebant; atque denuo ægrotantes, longe diverſis ſymptomatibus quam prius affecti, neutiquam ſomniant de reliquiis ſomitis venenati, aliquandiu conſopiti, & intus deliteſcentis, ſed ſub nova forma revireſcentis. Interim Medicus quantumlibet peritus, nihil cauſæ Venereæ facile ſuſpicabitur, atque ægrotus partim ex verecundia, partim præteritæ curationis ſecurus, de priſtinis rebus oblivioni jam traditis nullam mentionem facit. Heu quanto igitur diſcrimine verſantur hujuſmodi ægrotantes, cum nec ipſi de cauſa ægritudinis primaria ne verbum muſſitent, cumque Medici contra morbum incognitum, Andabatarum more, cæcutientes militent! Certe Authores nonnulli, magis emunctæ naris, veritatem horum ſuboluerunt, cum ita prudenter illi conſulerent, quoties aut dolor iſchiatichus, aut rheumaticus, aut alius valde pertinax, remediis propriis & uſitatis nequaquam cederet, ut ad diætam ſudorificam, e ligno ſancto, ſalſapatilla, & conſimilibus, tanquam ad ſacram anchoram confugeremus.

Ex his luis reliquiis ſpretis, & aliquandiu abditis, non ſolummodo pendet valetudinaria, & miſella parentum, æque ac aliorum ſcortatorum conditio; ſed & hinc morbi aliquot puerorum tralatitii, & ferme immedicabiles, & quos nominare minime convenit, ne nati inſontes, viri tandem facti, contumeliam, mœſtitiam, atque animi perturbationem aliquam exinde immerito patiantur. Quamlibet enim majus eſt revera dedecus a vitiorum ſuorum, quam natalium, turpitudine & infamia, tamen novi viros eximios & fortes, clara & illuſtri ſtirpe, ſed illegitime prognatos, qui præter modum dolore opprimebantur, quoties de natalibus ſuis ſpuriis mentionem aliquam factam ex ſuſurris clancularis in communi hominum conſortio illi ſuſpicarentur. Atque in ea re major eſt Turcarum juſtitia & ſapientia, apud quos nemo parentum culpam in filios inique tranſfert, & nulla eſt ignominia natis ex partu illegitimo prodiiſſe.

Porro ſtatuendum eſt luem Veneream eſſe morbum venenatum, & maxime deleterium. Et quanquam non ita repente interficiat, ut ictus & morſus animalium venenatorum, tamen temporis aliquo ſpatio, modo longiore, modo breviore, vitam infectis certiſſime adimit, niſi remediis propriis & ſalutaribus ſanitati priſtinæ tempeſtive reſtituantur. Paucis igitur agamus de veneni hujus, cæterorumque natura, & breviuſcula comparatione. Inter alias notas ſunt ſigna venenorum, inſignis faciei totiuſque corporis pallor, & extremorum perfrigeratio, quæ in Venereis ſunt maxime conſpicua. In venenis aſſumptis, natura materiam venenatam omni vi expellere nititur in ſuperficiem corporis & partes externas, unde maculæ variæ, papulæ, & exanthemata oriuntur. Similiter in lue Venerea prodeunt maculæ, interdum parvæ, lentiginum inſtar, interdum latiores, eæque modo rubræ, modo flaveſcentes; & primum circa frontem ac tempora, deinde caput reliquum, tandemque per totum corpus diffuſæ: nec ſolummodo maculæ, ſed & puſtulæ & tubercula in cute erumpunt. Veneris per os aſſumptis, calidis dico & erodentibus, magnum exoritur incendium in faucibus, & ventriculo, atque inteſtina doloribus aut torminibus exquiſitis cruciantur. Lue infecti faucium inflammatione, & paulatim exulceratione, ſemper corripiuntur; ventriculus illorum ſenſim proſternitur; & quanquam artus dolorum ſævitiam & arrocitatem ut plurimum ferunt, tamen plus ſemel novi, aut inteſtina, aut hypochondria eiſdem diris cruciatibus affecta, iiſque tempore veſpertino recrudeſcentibus, quos artus ut plurimum & magis regulariter ſuſtinent. Denique venena propria & peculiaria medicamenta, ſive antidota, ut rite expellantur, requirunt. Lues, niſi propriis & quaſi ſpecificis antidotis pernicies ejus virulenta depellatur, vulgaria omnia pharmaca, & methodus omnes quantumlibet doctas, ſolet aſpernari.

Sed natura hujus veneni eſt alia atque alia, tum ſecundum regiones magis ad ſeptentrionem aut meridiem poſitas, tum ſecundum temperamentorum varietates. Etenim in Hiſpania & Luſitania de hoc morbo (ſæpe tam mitis iſte eſt illic) vulgo colloquuntur, quemadmodum noſtri ſolent de liene & ſcorbuto. Siquidem illorum Medici ad febricitantes matronas nobiliſſimas ac virtute præditas accerſiti, ſolemniter quærunt, an lue Venerea laborent, ſicut noſtri de

Sydenham Opera Medica.

Catameniis, quamquam & verecunde interrogant. Et in illis regionibus, ubi veneni aliqua portio indefinenter perspirat, infecti multi sese totam vitam hoc morbo comite satis placide traducere nonnumquam posse, sæpe confitentur. Apud nos vero longe aliter se res habet, & hæc lues ferocem & immanem tyrannidem exercet. Nullus hic symptomatum & cruciatuum finis, nisi aspera aliqua, aut diuturna mitior, medicatio interponatur, donec aut dolores contorquendo, aut ulcera depascendo, aut ichor venenatus ossa corrumpendo, miseriis finem imponant, & lacerum putridumque cadaver tandem abjiciatur, pabulum sane ingratum, & vix vermibus acceptum.

Quin etiam juxta temperamentorum diversitatem venenum hoc dissimiles vires apud nos obtinet. Temperies melancholica, & biliosa ejus exterminationem ægrius sustinent, quam sanguinea, & phlegmatica. Multo facilius restituuntur juvenes, quam ætate provecti. Idemque est dicendum de scabie, herpete, & nonnullis aliis morbis varia temperamenta affligentibus. Et sicut temperamentorum differentia efficit, ut cathartica longe dispares effectus obtineant, hoc corpore mitissimis medicamentis facile purgato, illo fortissimis ægre cedenti; utque idem dejectorium medicamentum eodem pondere diversis hominibus exhibitum, in uno celerem ac violentam, in alio tardam ac mitem, & in alio nullam omnino operationem concitaverit: ita & de venenis dicendum est, quod illa citius aut serius interimere soleant, non modo ex propria & innata vi pernicioſa, sed secundum fortiorem aut debiliorem repugnantiam naturæ ejus, qui venenum accepit. Nam opinio ista vulgaris ficta est & falsa, quæ *Indos*, ab iisque *Italos*, ita artem veneficam statuit calluisse, ut in statutum diem, aut tempus prædeterminatum, sive fuerit septimana, sive mensis, sive annus, venenatos omnes certo conficere possint. Natura enim tam unius quam alterius, quemadmodum dictum est de catharticis, veneno magis se opponit, & lethale virus reprimit, aut frustratur.

Sunt qui luem arbitrantur, fractis & attritis senio viribus, tyrannidem suam ferme omnem jam deposuisse, & ad interitum suum cum senecta demum vergere. Eademque apud plures doctos sententia jandiu obtinuit, quandoquidem blanditiis verborum tam literati, quam aulici spe vana ducti nonnunquam se accommodant, & gratiam lenociniis solent sibi conciliare. Qui vero sic sentiunt, nosocomia hodierna pauliſper adeant, aut Chirurgos probos ac exercitatos consulant; videant ulcera multiplicia, cancrosa, & depascentia, tophos & gummata, ossium caries, & carnium putrilagines; videant tabes, lipothymias, cachexias, denique totam Pandoræ pyxidem ibidem apertam; exaudiant etiam horrendas miserorum execrationes, genitus acerbos, & ululatus permolestos; tandemque dicant, an Venus egregia illa mansuetudine mancipia sua hodierna excipiat, dijudicentque pariter, utrum Mars an Venus plures ex numero viventium tollat; uter denique istorum amasiorum exitium pejus & frequentius cultoribus suis inferat.

Quod ad therapejam attinet luis, alii salivatione curationem moliuntur: alii sine hydrargyro, & nescio quibus ineptis arcanis, eandem audacter pollicentur; alii denique emeticis, & catharticis mercurialibus, & diæta sudorifera intercalata, similibusque, venenum illud penitus subigere annituntur.

Medici ferme omnes, totumque Chirurgorum sodalitium, uno consensu, salivatione tanquam breviſſima, & maxime efficaci methodo, luis curationem aggrediuntur. Nec denegandum est cuiquam in arte medica mediocriter versato, salivationem esse omnium methodorum, quas hactenus excogitavit peritia medica, maxime expeditam, atque efficacem, ad virus illud Venereum valde obtundendum, & malignitatem ejus pernicioſam abunde frangendam, si minus ea valeat non raro ad venenum istud penitus delendum. Certe in his regionibus borealibus, frigoris prædominio obnoxiis, ubi labes Venerea tanta immanitate sævit, salivatio præ aliis adhuc notis inducias maxime veloces, perniciei dilationem, & symptomatum omnium vehementium cessationem obtinet celerrimam; nec non in quibusdam infectis, & potissimum in junioribus, curationem perfectam aliquando complet. Sed si consideretur horrenda illa, terribilis, & nonnunquam intolerabilis medicatio, tantis cruciatibus & periculis extremis stipata, saltem exoptanda est; & omnium votis exposcenda, alia aliqua jucundior methodus, tutior illa minusque molesta.

Potentissimum, & efficacissimum salivandi genus est id, quod per inunctionem Mercurialem excitatur, & quod solum, tanquam *dignum nodo cuneum* Sydenhamius noster præclarissimus laudat. Sed refert scire, attenteque contemplari, in quot vitæ discrimina salivatio ista conjicit infectos; quot ex ea solent vulgo interire, quam horrendas capitis, fauciumque efficit intumescentias, suffocationem repentinam frequenter minitantes, & vix fræno manus peritissimæ recte gubernandas. Norunt quidem aliptæ quam periculosas diarrhœas, dysenterias, lipothymias, in temperamentis maxime Mercurio repugnantibus, ista crebro producit, sed aliam vix exercebunt artem, vix quærent aliptæ, nisi quam in tyrocinio a Magistris suis didicerunt. Tanta vero est in hoc salivationis genere humorum fusio, tanta succorum omnium corporis sæpe exantlatio, ut nil mirum sit, si spiritus vitales una dissipentur; & maxime si in hac terra, aliter felicissima, ubi melancholia tantum obtinet imperium, complures ex tam rapida fluidorum profusione succumbant ac pereant. Quam fugax scilicet voluptas acerbissimas sustinet sæpenumero pœnas. Quanta cura & industria sirenum illarum veneficarum blanditiæ sunt ab omnibus fugiendæ, quicunque aut sanum corporis temperamentum conservare volunt, aut vitam longævam jucunda lenique senectute finiendam cupiunt.

Porro si facultates hydrargyri tanta copia in corpus intromissi, ac sanguinis motu circulari omnes corporis partes pervadentis, velut in salivatione vulgari contingit; si illius vires naturæ humanæ tam noxias, ac inimicas; si virus ejusdem nervis & cerebro peculiariter adversum, attestante id paralysi, & tremoribus frequentibus; si onus & tormina, quæ ventriculo & intestinis vulgo infert; si pallidissimum plumbeumque colorem, quem vultui impertit; si denique quod a veteribus omnibus medicis hydrargyrum in catalogo venenorum annumeretur, diligenter perpendamus: sane Medico probo incumbit, quando duobus venenis tam morbi quam remedii una convenientibus sit necessario occurrendum, de antidoto aliqua propria, salutari, & excellenti, solicitum esse. Et si tela ad hunc morbum rite expugnandum magis apta & idonea unquam reperiantur, e Medicorum pharetra magis magisque denuo instructa, potius quam ex aliorum quorumcunque sive armamentario, sive officina, ni plurimum fallor, certo extrahentur.

Et quicquid delirum vulgus; aliique nonnunquam saniore judicio præditi, contra sentiant, sane nescio, an quisquam omnium morborum qui miseros mortales solent excruciare, judicium acerrimum, Medici periti & exercitati, potius quam agyrtæ aut indocti alicujus artificis, requirat ac mereatur, quam lues ista immanis, & venenata.

Quanquam vero salivatio omnibus aliis methodis ubique palmam præripuit, tamen notatu dignum est, quod *Julius Palmarius*, Medicus Parisiensis clarissimus, & eruditissimus copiosius disseruit, qui Magni illius *Fernelli* fuit discipulus, & qui librum de morbis contagiosis tum docte tum eleganter scripsit. Ille salivatione, quantumlibet tunc populari, quantumlibet nunc vulgo usitata, *vix centesimum quemque* lue correptum, perfecte sanari tradit; sed recidivo illos morbo, ex scintillis aliquandiu consopitis recrudescente, nonnunquam citius, nonnumquam post plures annos affici, & langue scere. Atque *alii*, inquit, *decies*, *alii duodecies* suo tempore *Salivationem frustra sunt experti*, tanta interim cum doloris acerbitate, malorumque miserrimorum acervo, ut forti viro multo satius sit semel mori, quam vitam morte pejorem sic proferre.

Ego itaque hæc animo diu multumque evolvens, nunquam complecti potui, quamobrem *Fernelli*, *Palmarii*, aliorumque Medicorum doctissimorum methodi tutiores ac jucundiores tam paucos sectatores consecutæ sint, & praxi hodierna ita proscribantur, nisi ob has potissimum rationes.

1. Medici illi præclarissimi odio adversus hydrargyrum nimis acri flagrabant, propter noxas illas gravissimas quas sæpius infert corpori. Et *Fernellus*, primus omnium Medicorum, curationem luis sine quocunque Mercurialium usu interno, & forte nimis temere suscipiebat, & palam pollicebatur; Amuletis suis selectis ac saluberrimis, diætæ sudorificæ, victui tenui & frugi, & catharsi intercalatæ solummodo confisus. Et certe propter ausum ac tentamen tantum, tamque salubre generi humano, si forte minus felix fuisset successus, omni laude dignissimus est egregius ille Medicus, quanquam in pestifero hoc morbo usus illius medicamenti periculosi; quod a Plinio vocatur *Venenum omnium rerum*, summe necessarius nobis hactenus videtur. Nam *malum ovum malo corvo* apprime convenit. *Palmarius* autem hydrargyrosi vulgari infensus fuit, tum ob perniciem ejus, tum propter extremos cruciatus doloresque asperrimos, quos inuncti sustinere necessario damnantur; tum denique, quia proposita sua curatio per guajacum & amuletum, aut per alexipharmaca sua hydrargyro conjuncta, tutior fuit, & longe salubrior inunctione vulgari, sputantium vires exhaurienti. Quocirca alias luem extirpandi methodos tutiores, ac magis salutares, nec non jucundiores, licet nonnunquam paulo cunctabundas, fuse proponebat.

2. Chirurgi uno ore salivationi præ aliis curandi modis favere videntur, aut quia præmiis donantur majoribus, isto modo valetudini prospicientes, summa cum assiduitate, infectumque sub imperio quodam despotico vitæ ac mortis clanculum in conclavi, remotis aliis plerumque arbitris, præterquam nutrice, tandiu tenentes; aut quia durante tyrocinio nullam aliam æque certam lui medendi artem illi hactenus didicerunt; aut quia aliam discere vix unquam volunt.

3. Quoniam Chirurgi technis suis hanc medicinæ partem, quantum in illis fuit, tanquam sibi jure propriam ubique arripuerunt; & Medici, sive ob molestias tam fœdæ curationis, sive aliis negotiis impediti, illam provinciam quasi derelictam nimis neglexerunt, ac vilipenderunt.

4. Quia curationes temporaneæ & palliativæ in hoc morbo, ut in aliis nonnullis, magis placent, ægrisque gratificantur, quam eradicativæ, quæ magis operosæ sunt, & exercitatione non parva egent. Quam ob rationem inducias multorum dolorum gravissimorum Narcoticis derepente comparatæ, & ægrotantibus sæpe magis placent, & Medicis nonnunquam præferuntur, quam quæcunque alia, permanentibus interim aliquandiu doloribus, salutaris medicatio. His adde, salivationem symptomata omnia Venerea ita utplurimum tollere, ut nulla recidivæ suspicio impræsentiarum restet, aut præmii procrastinandi ratio convalescentibus amplius appareat.

Quod ad impostores illos imperitos, turpissimos lucriones, ac nebulones vulgares attinet, qui sine Mercurio, sine regimine, sine quacunque molestia, & nescio quibus *Arcanis* insulsis, curationem breviſſimam, nec non infallibilem, omnibus lue infectis cum insigni impudentia publice pollicentur, argumento sunt Bacillino quam Medico digniores, & fascibus Magistratuum aut colliſtrigio, prout veteratores perfidi, sunt potius castigandi, quam disceptationibus, aut ullis rationum momentis accipiendi.

Denique tertium lui Venereæ medendi genus, quod posthabita salivatione solemni per inunctionem instituta, & spretis deceptorum insciorum fallaciis, catharticorum aut emeticorum Mercurialium vi & efficacia, cum diæta e lignis & radicibus exsiccantibus, ac regimine debito, conjunctorum nititur, fusiorem orationis copiam plane requirit. Sed ne tot impostores & ægyrtæ dolis & insidiis suis hinc ansam aliquam avide arripiant, vela dicendorum contraham, & pauca haud prorsus inutilia jam dictis adjiciam.

Et 1. Notandum est, ligna exsiccantia, gummi, corticem; & lignum guajaci, lignum sassafras, atque radices salsaparillæ & chinæ, tantum fere emolumenti naturæ humanæ conferre, & debilitatæ suppetias salutares præbere, quantum damni & nocumenti hydrargyrum corpori infligit. Sunt hæc salubria quædam hujus morbi venenati, licet imperfecta, pariter atque Mercurii ipsius alexipharmaca, quandoquidem & citra Mercurii auxilium opera & oleum nostrum sine fructu perdi solent. Et quanquam illa ex se nunquam apud nos scopum attingunt, hydrargyro prætermisso, venenumque Venereum nequeunt penitus delere & extinguere, tamen robur nativum erigunt & fovent, palloremque huic morbo congenitum, in vividum ac sanum colorem certo certius immutant.

2. Notandum est cathartica deleteria dicta huic morbo expugnando, qui vires corporis validissimas ipse infringit, & robur summum facile comminuit, quandoque minus convenire, quam mitiora & blandiora medicamenta. Et quoties fortior & validior requiritur catharsis, illa longe tutius obtinenda est, in debilibus scilicet naturis, senna, rhabarbaro, agarico, jalappa, epithymo, polypodio, manna, hermodactylis, aut eorum quibusdam, additis etiam

ceu

seu stimulis, sale mirabili, cathartico amaro, polychresto, prunellæ, aut crystallis tartari; his, inquam, sæpe securius & commodius alvus movetur; neque plura eorum identidem repetita ita corpori imbellium nocent, quemadmodum scammonium, colocynthis, & helleborus, quæ aut ventriculum conturbant, aut intestina corradunt, gravibusque torsionibus excruciant, aut visceribus omnibus, partibusque principibus, maligna sua qualitate sunt infensa.

3. Quanquam mercurialia, & hydrargyrosis, in omnibus temperamentis lue inquinatis indiscriminatim vulgo usurpentur, tamen notandum est, corpora crassa, obesa, phlegmatica, & frigida, ab illis maxime omnium lædi, & constat injurias insignes quas hydrargyrosis talibus facit, vix unquam postea deleri, adeo ut non minus discriminis a medicamento quam ab ipso morbo illis contigerit. Atqui sanguinea, biliosa, & præfervido calore redundantia corpora, incommodo minore hydrargyri usum paulo copiosiorem sustinent, quam aut prius nuncupata, aut melancholica temperamenta. Etenim calida & sicca viscerum intemperies, contrariis quibus pollet facultatibus hydrargyrum, corrigitur, emendatur, & nonnunquam insigniter juvatur, atque bilis ferocientis acrimonia plurimum demulcetur.

4. Quotiescunque lue jam pridem infecti, qui ptyalismum prius subierunt, aut qui aliis modis ad tempus tantummodo sunt restituti, morbo recidivo e latibulis erumpente, aut novam formam sortito, turbas novas commovente; quoties, inquam, illi in atrophiam, neque a pulmonibus tabidis, neque a lumbricis pendentem, inciderint, quanquam diarrhœa admodum violenta exhauriantur, a Narcoticis quibuscunque abhorrendum est Medico, & restringentibus interdicendum. Nam malignitate veneni Venerei intus delitescentis sic imminuta, & per sentinam corporis deposita, propria Antivenerea optato eventu non diu frustrabuntur, & corpusculum strigosum deleteria lue pene confectum, præter expectationem rursum pinguescet.

5. Cum virus Venereum sit bene retusum ac fractum, omnisque symptomatum ferocia refrenata, at fomes venenatus haud penitus extinctus sub cineribus delitescat, novos postea tumultus sucitaturus: quemadmodum & in aliis nunquam casibus, ubi symptomata anomala doloresque vagi infirmos detinent, medicamenta nervina, arthritica, amara, & antiscorbutica *salubria*, aliquandiu usurpata, catharticis blandis identidem intercalatis, reliquias veneni istius infracti tuto profligabunt, integramque tandem sanitatem præ aliis restituere valebunt. Siquidem talia corruptelæ humorum deleteriæ contraria, sanitati tuendæ, amissæque recuperandæ, vitæ producendæ, staminibusque vitalibus tenuioribus confirmandis, apprime conducunt.

6. Infantes a nutricibus lactantibus infecti, quanquam maculis, pustulis, ulceribusque scatent, quanquam & nocturnis illis doloribus erunt excruciati, facillime omnium restituuntur. Farina sarsaparillæ fere insipida, saltem nullo gustu ingrato, aut fastidioso prædita, panatellis aut pulticulis suis, ut par est, *commista*, addito etiam, ventriculi gratia, santali citrini polline, nulla pariter nausea donati, catharticisque debitis intercalatis, tenerrimæ ætati, ut læte nonnunquam observavi, salutem perfectam reddidit. Quod vero infantuli a contaminata nutrice infecti, tanquam a peste quadam, sint ante incœptam curationem quamprimum amovendi, non opus est ut admoneamus.

Denique 7. infectis, cum curatio modis mitioribus magisque benignis ac salutaribus, quam salivatione illa acerba & excrucianti instituatur, non est iis persistendum ad certum quendam ac determinatum dierum numerum, sed nunc brevius, nunc diutius, pro ratione veneni, naturæque reluctantis, remediis immorandum, quousque sub regimine debito venenum penitus subigatur, & symptomata omnia prorsus evanescant.

Antequam finiam, nequeo tacite prætermittere errorem popularem insulsum, at valde pernicioſum, qui longe lateque inauspicato increbuit. Nimirum didicit, aut forte audivit ignarum vulgus, si quisquiam infectus cum sana muliere mutuis amplexibus se commiscuerit, a labe omni Venerea se confestim fore tutos & immunes. Quot innocuæ virgines inter alias ex hoc stupido errore perierunt. Sed cum sanguinem pervaserit virus pestilens, & viscera afflatu illo impuro imbuantur, credat etiam plebecula insipiens pari ratione, se clavam *Herculi*, quod ajunt, & fulmen *Jovi*, extorquere posse, & se montes excelsos, virtute cujusdam incantamenti, posse radicitus avellere, & alioversum transferre.

Ut vero finem faciam, nonnullis videri possum nimis acriter perstrinxisse morbum Venere clementi prognatum, Dea scilicet illa amabili, cui tam Principes summi, quam vulgus infimum, vota sua nimis frequenter faciunt, & cujus illecebræ pectora fere omnium æstu quodam impotenti facile percellunt. Acrius, inquam, hujus morbi sævitiam perstrinxisse videar, quam plurimi medicastri, qui eundem in postremis habere solent, ac pro nihilo, ut ajunt, ducunt; ut scilicet artis cujusdam exquisitæ, quam alicubi didicerunt, ostentationem glorioſe faciant; atqui ut revera crumenas incautorum aliquando emungant, ut familiares suos opprimant, omniaque ad quæstum commodumque proprium inique referant. At vero longe præstat medico probo, liberalibusque disciplinis instituto, verum dicere, quam quæstu quovis duci, communique utilitati quam suæ consulere. Modici rerum status, modo res sint bene partæ, nemini pœniteat: Nam pauca nonnunquam desiderium explent, permulta animum rarissime satiant. Paucitas rerum commode beneque vivendo necessariarum facile suppletur, virisque bonis rarius deest. Sed in superfluis accumulandis nullus vulgo finis gravissimarum solicitudinum, nullum molestiarum maximarum tædium rapinarum terminus; quasi dira illa execratio, aut fascinatio, avaros injustosque semper comitaretur, ut in opulentia inopes, in abundantia egeni vitam prorsus inquietam traducere damnarentur. Præcipiti cursu breviuscula labitur vita. Nec magna pompa impedimentorum necessaria est, ut amœna sit profectio, neque requiritur tanta viatici copia, ut breve iter conficiatur. Præclare illis actum puto, quibus in bene agendo deponitur vita. Nec sapientibus *lugendam esse* corporis *mortem*, *quam* animæ *immortalitas consequitur*. Etenim *tum demum nos vere victuros* constat, *cum e vita hac excesserimus*. Quid eo olim eximie dixerit Philosophus, (pectore spe tumido, consolationis pleno, animoque futuris gaudiis admodum aspirante) in senectam vergens, & *Senectutem* ornatissime laudans? *Si in hoc*, inquit, *erro, quod animas hominum immortales esse credam, lubenter erro: nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo, extorqueri volo.*

Sydenham Opera Medica.

DISSERTATIO EPISTOLARIS

AD

GUILIELMUM COLE, M. D.

DE

OBSERVATIONIBUS NUPERIS circa curationem VARIOLARUM Confluentium;

Nec-non

DE AFFECTIONE HYSTERICA.

Humanissimo Viro.

THOMÆ SYDENHAM, M. D.

Miraberis fortasse, Clarissime Vir, quisnam importunus interpellator graviora tua interturbet negotia: sed veniam, confido, dabis, postquam intellexeris ea potissimum de causa hanc tibi molestiam creari, ut grati animi sensa exprimat venerabundus Tui cultor. Quippe tantos ex elaboratissimis tuis circa Morbos acutos commentariis, agnosco me accepisse fructus, ut ad grates authori persolvendas me prorsus obligatum teneam. Tam accurate singulas annorum, aeriſque quas tractandas suscepisti, Constitutiones, cœpto antehac inaudito, observasti; tam genuinas, facileque obvias, pro singulis, qui in illis occurrebant, affectibus sanandis, indicationes excogitasti; tantoque ingenii nitore totum opus exornasti, ut merito tantam sagacitatem, tam indefesso labori junctam, suspiciamus: unde & ægrotos, & Medicos tibi æternum devincis.

Quanquam vero cuncta, quæ pertractas, accurate adeo absolvisti, ut pronum sit de singulis in laudes tuas erumpere; præ cæteris tamen haud mihi temperare possum, quin impense tibi gratuler methodum tuam circa Variolarum curationem; cujus ope, quin feralis ille hactenus affectus terrificam suam exuat larvam, interque facillime curabiles (nisi malignitas, vel quiddam valde insolitum accesserit) se sistat, nullus ambigerem, si per nutriculas (turbam raro non inimicissimam hominum saluti) liceret, quæ calido suo regimine, & medicamentis omnia usque adeo pessundant, totque ubivis in sepulchrum ante tempus præcipitant, ut merito Tu, Doctissime Vir, humani generis Vindex audire merearis, qui ægrotis misere, cumque extremo vitæ discrimine palantibus, te ducem fidissimum præbes, ut in salutis viam, si ductum tuum sequi volent, redeant. Ut de me loquar, quanquam meis fidere ratiociniis aliquatenus reformidarim, diu tamen credidi, Variolarum eruptionem, sicut non ipsum esse morbum, sed febris crisin, sic par reliquis crisibus desiderare regimen, in quibus omnium Medicorum effatis sancitur, totum negotium naturæ committendum, si cuncta recte procedant; id quod plerumque in isto affectu cernitur, nisi plus justo prius exagitatus fuerit sanguis. Post quam vero, perlecto aureo tuo libro, senseram tandem panicos esse, qui me aliosque tandiu detinuerunt, timores, aususque fueram juxta tui præcepta (reclamantibus licet quandoque non solum vulgo, sed etiam Medicis) ægros regere, tantum inde emolumenti iis, ubi in obtemperantes incidi, obvenisse comperi, ut, quicquid alii senserint, me felicissimum reputem, cujus in manus tantus devenit thesaurus. Porro & ubi ad Variolis confluentibus laborantes (quod tamen haud admodum sæpe contigit) accitus fuerim, non dubitavi, quanquam animam jam agere viderentur, ad paregorica, tua fretus authoritate, confugere, idque successu haud pœnitendo, imo vero stupendo. Tam multum equidem hac in parte præstitisse mihi videris, ut nil supereſſe, quod vel aliorum, vel etiam Tui industriam exerceat, facile crederem, nisi nuperrime a doctissimo Viro, amicoque meo integerrimo, D. Kendrickio, (qui humanitatem tuam plurimum celebrat) audivissem, te innuisse novas quasdam (quas & ad praxin rite exercendam perutiles fore non possum non augurari, utpote a te factas) circa idem subjectum tibi occurrisse Observationes, quas nisi publico impertias, & in Tui famam, & in humanum genus injurius eris. Proinde (si quid apud te ignoti valeant preces) haud graveris, obsecro, Celeberrime Vir, eas in lucem emittere.

Sed ne hic subsistam: Nempe ab eodem accepi, rariora quædam tibi observata fuisse circa Affectus, Hystericos dictos; qui sane sicut doctissimorum Medicorum, ab omni memoria, exercuerunt, imo lassarunt ingenia, sic (proh nimis sæpe) & medicandi traditas methodos eludunt; documentaque dant, quam parum tutum sit, in Philosophicis, nostræ rationi nimium fidere, nisi iis in rebus, quarum certitudinem a sensuum testimonio petere valemus. Plurimum, Dignissime Vir, ulterius & a præsenti sæculo, & posteris, haud dubie mereberis, si & quæ circa hanc materiam meditatus es, propalare dignatus fueris. Hoc saltem a te mihi impetrare liceat, ut æqui bonique consulas, quod, non mei solum, sed publici etiam causa, ignotus tibi licet, petere non erubuerim; utque me inter innumeros eos habeas, qui tibi se quam maxime devotos profitentur.

Devotissimum

Vigorniæ,
17. Novembr. 1681.

GUILIELMUM COLE

Spectatissimo, Doctissimoque Viro

GUILIELMO COLE, M. D.

SI usque adeo Philautiæ indulgerem. Ornatissime Vir, ut eas, quæ ad me nihil attinent, laudes mihi arriperem, ægre admodum me ab aliquali animi elatione continere valeam, laudatus tantopere a laudato viro, qui eruditissimis suis lucubrationibus orbi literario, mihi vero nec de facie, quod sciam, innotescit. At vero quod me tanto, licet immerentem, honore dignatus fueris, id demum humanitati tuæ acceptum refero; cum maximos quosque & præstantissimo viros ita natura comparaverit, ut non tantum leviter errantibus, ut fit, æquiores sint, sed etiam in mediocrium studiis deprædicandis, data vel qualibet ansa, ingenuo suo candori morem lubentes gerant.

Cujus quod & in ipso me, & meis istis conatibus, utut tenuibus, publico tamen commodo destinatis, præclarum edideris specimen, gratus agnosco.

Ea quod spectat, quæ a me præstolaris, sive jam editis de *Variolis* observationibus addenda, sive etiam de *Passione Hysterica* de novo tradenda, ita habe. Horum primum idcirco aggressus sum, ut quæ olim deficere viderentur, ex iis quæ experientia jam annosior mihi suggesserat, possim sarcire. Alterum vero ideo in me recipiendum duxi, tum quoniam *Affectus Hystericos* omnium, post febres, morborum frequentissimos occurrere, tum quia emolumenti aliquid e levidensibus meis observationibus capi posse existimarem. Neque tamen diffiteor, aliam quandam, præter hanc publicum juvandi spem, mihi causam subfuisse, ut otium scilicet bene locarem, & tædium brumalium noctium honestius fallerem; cum jam ingravescente ætate non amplius Congerrones foras quæram. At quicquid id fuerit, quod me primum instigaverit, me non ita atque speraveram, incœptis ac votis meis parem esse sentio, cum continua illa cogitationum series, qua mens obstinatius defigenda est, mihi jam a multis annis ποδαγρῶντι nunquam non officiat, maxime vero, jam appetente senecta. Cum itaque tam opportune appulerint humanissimæ tuæ literæ, brevi responsionis limite expediam eorum summam, quæ prius fusius deducenda meditabar.

Sumpto itaque a *Variolis* exordio, illud prælibandum censeo, quod scilicet ea febrium intermittentium species, quæ primum anno 1677. uti alibi diximus, caput extulit, atque etiam nunc regnat, anno videlicet, quo hæc conscribo, 1681. hæ febres, inquam, pro more epidemicorum omnium, iis maxime tempestatibus grassabantur, quæ cum earum indole magis faciebant, per annos istos omnes, quibus vigebant; aliena autem tempestate appetente, iis protinus epidemicis cedebant, quibus illa magis favebat. Exempli gratia, ingruente hyeme, nunquam non *Tussi*, & *Febribus Peripneumonicis* ab illa pendentibus locum dabant, ut & *Variolis*. Redeunte autem Vere dicta febris postliminio reversa est. Ita anno 1680. postquam febris hæc per Autumnum omnia fuerat depopulata, *Variolæ* brumali tempore eam excipiebant, ubique locorum grassantes. Anno autem vertente, 1681. scil. febres intermittentes denuo recrudescebant, haud usquequaque epidemicæ, fractis jam & succisis earum viribus; unde etiam Variolæ hic illic sparsæ, una cum illis subpullulabant. Æstate vero jam ingressa Variolæ increbrescere quotidie, tandemque ἐπιδυμικώτεται factæ stragem haud vulgarem edebant.

Hoc anno, scil. 1681. luce meridiana, quod ajunt, clarius mihi constabat, quod jam olim ratio suadere videbatur, ægrum sc. lectulo noctes atque dies continuos non prius addicendum esse, quam Variolarum examen omne in conspectum se dederit: Etenim tum Veris, tum etiam Æstatis temperie sicciore diutius, quam post eorum, qui nunc sunt homines, memoriam invalescente (adeo ut omnis ferme ubique locorum herba exaruerit) sanguinem fere omnis illa humiditas, quam aer alias solebat suppeditare, destituebat: ex quo Variolas jam grassantes major quam pro morbi indole inflammatio accedebat, cæteraque exinde nata symptomata præter modum sæviebant. Atque hanc ob causam, si quid ego judico, *Maculæ Purpureæ* plenam exanthematum eruptionem haud raro præveniebant, & quæ eas extrudebat vehementior inflammatio, debitam sanguinis crasin interturbans atque disperdens, etiam ante justam materiæ morbificæ expulsionem, præmaturam mortem accersebat. Id vero maxime fatorum sævitiam promovebat, quod jam exanthemata ob supra dictam causam ita facillime confluerent, vel ipsa aeris intemperie id mali sponte sua procurante, quod alias fere solent scioli & medicastri, regimine & cardiacis calidioribus in ipso morbi limine inauspicato imperatis atque admotis. Etenim (quod diligenter animadvertendum est) post omnium vel exquisitissimas observationes, rei cardo in hoc vertitur, ut in variolosis salutis spes omnis in *Exanthematum paucitate* reponatur; discrimen in eorundem *multitudine*: & prout plura sunt hæc, vel pauciora, aut moritur, aut vivit æger. Interea fatendum est, & *sanguinis mictum*, & *maculas purpureas*, quæ ita certe mortem prænunciant, quandoque accidere, vix ullo adhuc comparente Variolarum indicio, vel etiam paucissimis pustulis erumpentibus; hæc vero ut Variolas denso agmine confluentes ut plurimum comitantur, ita aliquando tam præpropere invadunt, ut ægrum ante plenam eruptionem e medio tollant, sicut jam prænonuimus.

In proclivi est autem, ut mihi videtur, rationem reddere, quare æger plus minusve periclitetur pro majore minoreve exanthematum numero; cum enim quælibet pustula *Phlegmone* primo sit, licet sub exigua mole, mox in *Apostema* evadat, fieri non potest, quin *Febris secundaria* a *Pure* jam in fieri pendens, magis minusve exacerbetur, pro puris excoquendi quantitate jam in morbi statu; quod in mitissimo confluentium genere, die a primo morbi insultu *undecimo*, in mediocri *decimo quarto*, in crudissima vero & ægrius domabili specie, *decimo septimo* fieri consuevit. Quemadmodum enim (quod est notandum) *Confluentium Variolarum* genus *Distinctum* quod dicitur, ratione periculi imminentis, in tantum superat, quantum ab ipsa *Peste* superatur, ita etiam supra dictæ tres confluentium species aliæ aliis præsentius discrimen adferunt. Quod insuper tam in ætate, quam in sexu locum habet; cum nemini non sit notissimum, adolescentem in ipso juventutis flore multo magis periclitari ab hoc morbo, quam vel fœminam vel impubem. Sed hæc obiter.

Neque sane mirabitur tam ingens discrimen a majori pustularum numero pendere, qui secum reputaverit, quod si cujuslibet sive humeros, sive brachia, sive aliam quamlibet partem *Phlegmone* (vulgo *a Boyle*) forte invaserit, idem tempore maturationis, qua jam pus fit, febricitavit; cum sc. sanguis a purulentis particulis, per venas ex lege circulationis in ejus massam resorptis, incitatus, febriculæ fomitem subministret. Quanto magis Medicus ubi primis morbi diebus ægrum invisens, faciem ad instar pulveris e limatura aciculorum undique respersam contemplabitur, mortem prædicet uno aliquo e diebus jam memoratis involutarum; idque præ indomita vi febris succedaneæ, quam, pro ratione quantitatis puris ex innumeris istis apostematis in sanguinem rejecti, desævire necesse est. Quæ quidem hominis funesta ruina aliquot diebus antequam ingruat, facile prævideri potest, utut belle se habere æger, & sibi videatur, & astantibus etiam in hujus morbi historia minus exercitatis.

Quocirca si non aliunde periclitetur æger (purpureis maculis & sanguinis mictu jam sepositis) quam ex pustularum frequentia, serio mihi perpendendum est, quibus potissimum de causis ita densæ protrudantur, & si tuto fieri potest, iisdem omni ope coercendis incumbendum. Quod quidem rei caput est, & in quo præcipue ægro suppetias ferre queam; cum periculosæ plenum sit aleæ, quicquid moliamur, jam constituto in hac specie morbo; nec si tandem mortem æger evaserit, id tam meæ debetur solertiæ, quam vel insigni narium hæmorrhagiæ, vel fortuitæ alicui, quæ morbo accidebat, mutationi. Profusissima autem illa crebrarum pustularum eruptio, si quid ego conjicere possum, a præcipiti nimis materiæ varioloſæ assimilatione ortum ducit; quæ quidem præcipitatio maxime videtur contingere, vel quod ægri natura medicamenti ad instar *Cardiaci*, calore & spiritu plus satis turgeat, vel quod ipse æger, sive præmature se lectulo includendo, sive adhibitis cardiacis calidioribus, aut liquore quovis spirituoso, fermentum plus debito exaltaverit; quibus omnibus modis disponitur sanguis ad excipiendas & intimius admittendas morbi impressiones, ipsaque natura, seu furiis agitata, præ exuberanti materiæ varioloſæ copia & plenitudine, omnem fere succorum & carnium molem in exanthemata evomere satagit.

Nulla vero magis προφάσει promovetur immodica materiæ varioloſæ assimilatio, quam si æger intempestive se lecto addicat, *viz.* ante diem sextum a prima invasione, vel quartum inclusive ab eruptione, quo tempore jam omnis pustularum cohors in conspectu est, nec sunt plures expectandæ.

Et licet moderatus lecti calor etiam post elapsos dies istos phrenesi, vigiliis, aliisque symptomatibus accersendis nonnihil conferat, ea tamen ejusmodi sunt, quæ a medicamentis cum judicio propinatis vinci possint; cum ingens illud vitæ periculum, quod die undecimo instat, ab innumeris istis pustulis prognatum, omnem medicam opem respuat & aspernetur.

Hic itaque serio monendum est, ægrum nullo pacto se lectulo interdiu debere committere, si sibi cavere velit a nimio pustularum confluxu, nisi sexto die jam advesperascente, unde se plurimum usque refocillari sentiet: a quo tempore vix se continebit a jugi in lecto decubitu, si insignior fuerit pustularum σωρεσμὸς, tum ob acriorem jam pustularum molestiam, tum quod ab ipso sessionis habitu in animi deliquium sit propensior; quod cum sæpenumero animadverterim, in mentem mihi venit, ex communi hujus morbi lege naturam ipsam quasi digito mihi monstrasse, quo primum morbi tempore æger lectulo continuo adjudicandus est.

Sed ut non solum dicti Problematis veritatem adstruam, quod tanti est momenti ad minuendum a Variolis impendens periculum, verum etiam, ut in iisdem a carceribus, ut ita dicam, ad metam pertractandis, rationem nostram quasi manu ducam, non abs re fuerit, opinor, quoddam quasi schema totius morbi animo depingere, & diligenter expendere, quæ sit ejus natura, ac qualis methodus; quo demum ex certo sensu hominum, fidissimis observationibus utentium, non ex opinione incerto phantasiæ fundo innixa, rem clare dijudicare valeamus.

In primis itaque ejus essentia (quantum nos rerum essentias conjectura assequi valemus) in peculiari quadam sanguinis *inflammatione* comprehendi videtur, in qua natura primis aliquot diebus id negotii habet, ut particulas inflammatas præparet, subigatque, quo facilius in corporis ambitum eliminentur; quo tempore, mota seditione, & perturbato jam sanguinis statu, febris ut accedat omnino necesse est: quinimo incensæ ac jam furentes particulæ, per omnem circulantis sanguinis ditionem tumultuantes, ventriculi ægritudines, dolores capitis lancinantes, & quæcumque alia symptomata præcedunt expulsionem, necessario excitant, prout has vel illas partes motu agitatæ appellant. At cum jam victrix natura rebelles particulas in corporis habitum propulsaverit, ut prius in sanguine, ita deinceps in carnea mole id quod supereſt tragœdiæ peragitur. Et sicuti natura non alia quidem methodo quam accensa febre materiam in sanguine peccantem novit amoliri; ita etiam non nisi facto apostemate massam carneam a re qualibet extranea liberat: ut si forte sentis aut quippiam ejusmodi carni inhæserit, partes circumjacentes mox apostemate obsidentur, nisi id, quicquid est molesti, protinus extrahatur. Hæ itaque particulæ in carnibus demum stabulantes, primum *Phlegmonas* haud ita spectabiles excitant, in quibus latitant; quæ quidem augescentes in horas, atque efferatiores & inflammatiores redditæ, tandem in *pus* & vomicas desinunt; quo quidem tempore fieri non potest, quin aliquid ex illa apostematum colluvie, in massam sanguinis, per venas circulari motu reducti, resorbeatur; quod si sanies ista nimia copia sanguini ingeratur, non tantum febrem accersit, cui ægri vires plane sunt impares, sed etiam omnem ejus massam putredine, ceu veneno quodam, inquinat. Sed neque hoc mali caput est: quin etiam ab intensiore febris calore, prostremis hisce diebus a nimia puris vi excitato, *Ptyalismus* qui Variolis confluentibus comes indivisus esse debet, præpropere sistitur, unde ægro spiritus continuo intercluditur. Quod si dicta materia purulenta parcius sanguini infundatur, insurgens naturæ robur secundariæ hujus febris impetum nullo negotio reprimit, & abscessulis in dies magisque exarescentibus, æger brevi convalescit.

Si vera sit hæc & justa hujus morbi historia, cæcus sit oportet qui non videat, omnem ejusdem in utramque partem eventum, a curationis fundamento recte aut secus primis in diebus jacto, pendere. Nam si calidorum, & præcipue jugi lectuli usu, calentes hæ ac spirituosæ particulæ acuantur, necesse est ut assimilandi facultas (qua jamdiu plus satis pollent) adhuc intendatur & augescat.

Adde quod sanguis & reliqui humores his modis excalefacti, fortiori particularum impressioni promptius cedunt, unde plures, quam res postulabat, emergunt pustulæ, & æger nulla necessitate cogente in vitæ discrimen conjicitur. Quando oppositum huic regimen, & modice frigidiusculum, atque aeris usus liberior, non tantum fervidarum ac ferocientium particularum vim retundit, sed etiam condensat obfirmatque humores, quo se validius spiritibus morbificis opponant, atque eorundem sustineant impetum, unde non major materiæ varioloſæ copia conflatur, quam pro genuina morbi indole.

Sed nec unico hoc incommodo, quod scil. nimia materiæ morbificæ quantitas assimiletur, & superexaltetur fermentum morbi, mulctatur is, qui justo citius ad lectum damnatur: at ex eodem fonte sæpissime profluunt tum mictus sanguineus, tum etiam maculæ purpureæ, æstivo maxime tempore, atque in juventa adhuc florentibus. Utraque hæc symptomata, nisi fallor ego, ortum ducunt ab æstu & furore, in quem agitur sanguis a ferventibus & spirituosis particulis,

a qui-

a quibus exagitatus atque insigniter attenuatus, vasorum claustra disfringit, nunc in mictu sanguineo, quoties in renes irruit, nunc purpureis in maculis, quoties per arteriarum extremitates in musculos & cutem terminatas, percolatur, unde totidem quasi *sphaceli* oboriuntur iis in partibus, in quibus extravasatus sanguis coagulatur. Atque ut præcaveri facile poterant duo hæc symptomata primis morbi diebus, quibus plerunique emicant, regimine & dicta in frigidum vergentibus, ita ubi jam actu comparuerint, pariter operam ludet, qui iisdem mederi conabitur, ægrum lecto includendo & cardiaca exhibendo, ac luderet anicula, quæ nimiam aquæ in olla ebullitionem, igni fomitem submministrando, sufflaminare satagat.

Sed ut verum fateamur, utut offendantur Dogmatici & hujus rei ignari, ac proinde iniqui judices, non solum male tutum fuerit, ægrum primis diebus lectulo jugiter affigi, verum enimvero est, ubi æger libero aeri omnino est exponendus, si æstas scilicet fuerit, atque æger ætatis florem nondum prætergressus, aut liquoribus spirituosis assuetus, præsertim si morbus nimiæ compotationi originem debeat. His, inquam, in casibus, præcipitem nimis pustularum eruptionem haud æquidem arbitror satis coerceri posse, tum a lectulo abstinendo, tum etiam a cardiacis; at sanguis etiam sine horum subsidio, spirituum præservidorum & morbo congenerum largo penu auctus, magno cum impetu, ut explodatur quasi necesse habet; atque insuper tanta humorum congeries iu exanthemata faceret, ut præ nimia puris copia in sanguinem regurgitantis sub fine morbi, æger quasi obrutus, fato omnino succumbat.

Quamvis haud raro fermentum immodice exaltatum tantam colluviei varioloræ vim conficiat, ut æger incipiente adhuc morbo e medio tollatur; cum scilicet materia morbum committens, tum præ nimia sui copia, tum præ motu inordinato ac confuso in sanguinis massa excitato, se nequit extricare & foras educere, cujus loco mictus sanguineus & purpureæ maculæ tragœdiæ catastrophe fiunt. Quod etiam & in morbillis, & in febre, scarlatina dicta, sæpiuscule occurrit, ubi scilicet intempestiva opera in iisdem ad eruptionem vehementius solicitandis infeliciter collocatur.

Neque sanguinis missio, quantum mihi videtur, licet mature celebrata, ita efficaciter præproperam materiæ varioloræ assimilationem cohibere valet, ac sanguinis contemperatio ab aere intromisso, maxime si statim ab emisso sanguine æger lectulo committatur, & cardiacis calidioribus mactetur; his etenim modis, sanguis propensior redditur excipiendis adventitii caloris impressionibus, quam ante venæ sectionem fuerat. Et sancte assero, insignissimum fere omnium, quos mihi unquam videre contigit, e confluentium genere morbum, & qui ægram undecimo die jugulaverit, juvenculæ superveniisse, ubi primum a rheumatismo usitata illa methodo copiosæ & iteratæ venę sectionis fuerat liberata. Atque hinc mihi primum innotuit, phlebotomiam non perinde, atque ego prius arbitrabar, Variolis intra justos limites coercendis conducere: Tametsi sæpenumero observaverim, reiteratam catharsin sanguine nondum inquinato, subsequentes Variolas laudabiles & distinctas ut plurimum reddidisse.

Neque vero me fallit permulta esse, quæ contra sententiam hanc nostram, qua ægrum interdiu lecto eximimus, possint objici; eaque haud exigui tum apud hominum vulgus momenti, tum etiam apud minus hac in palæstra exercitatos, quos Judices appellare solet vulgus medicorum, ut eorum authoritate male fundata theoremata statuminent, utpote quæ magis, & quasi ad amussim horum captui quadrent, quam quæ ab ingeniis penetrantioribus mature sunt excogitata; unde sequitur, ut cum pars hominum longe maxima exteriori tantum rerum cortici contemplando apta nata sit, pauciissimi autem veritati in profundo latitanti inde extrahendæ pares sint, scioli isti ἀπὸ πολλῶν suffragio adjuti primas facile ferant, hi autem perspicaciores calumniantium maledicentia excipiantur, πολλοὶ γὰρ ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε Βάκχοι. Qui tamen æquo id animo ferunt, veritate freti, & saniorum, paucorum licet, consensu. Primo itaque objicietur, quod lecto abesse primis morbi diebus pustularum eruptioni officiet, & ex consequenti ægritudinem, aliaque symptomata ab impedita eruptione pendentia, in longum ducet. Hoc verum esse minime nego, cum experientia fere quotidiana ei suffragetur. Quærendum est autem, ubi gravius periculum, vel in sufflaminanda paulisper materia varioloſa, atque ea de causa ægritudinem a non eruptione pendentem aliquantisper protrahendo; vel ex altera parte nimis urgendo morbi fermentum, & tam insignem materiæ varioloſæ quantitatem assimilando, ut æger ad orci fauces sistatur a febre secunda, die morbi undecimo. Si rem recte expendamus, liquebit, opinor, pauciissimos ideo fato defunctos, quod exanthemata serius ocyus non efflorescerent, nisi forte ex iis aliquot, quorum sanguis præ nimia excalefactione, motu inordinato, quasi œstro quodam, percitus, materiæ morbificæ leniter excernendæ otium non concedebat; quod a meis partibus militat, non pugnat mecum. Neque enim extimescendum est, quin, si nihil prorsus agamus, materia varioloſa (ut ut primis hisce diebus hinc illinc transvolans, quamcunque occupaverit partem, fatiget, unde vehementiora illa symptomata, vomitiones enormes, dolores variis in partibus, &c. enascuntur) tandem tamen a victrice natura debellabitur, & in corporis habitum extrudetur, præsertim cum ægri alvus hucusque ut plurimum adstricta, pustularum eruptionem, feram licet, certam tamen fore spondeat. Ast e contrario quot quantique letho patent aditus, quoties pustulæ intempestive & nimio opere exiguntur? Longum foret omnes percurrere: præcipuos jam indigitavimus. Sunt autem hi, 1. Nimium auctus exanthematum numerus, cui ex æquo respondet febris ultimis diebus succedentis majus minusve discrimen, 2. Mictus sanguineus & maculæ purpureæ, quorum utrumque ab extravasato sanguine oritur, qui plus justo attenuatus & quasi præ æstu ferociens, disruptis vasorum repagulis, qua data porta ruit, 3. Ut supra dictum est, debitæ eruptionis suppressio totalis, a nimis sedulo in præcipitanda eruptione conamine, quo non magis scopus medico propositus attingitur, quam si quis id agens, ut densa hominum turba spatiosis ædibus inclusa, seriatim & servato ordine inde exiret, machina chartacea pyrio pulvere referta ac in medio disploſa usque adeo omnes percelleret, ut singulis ad portam omni ope contendentibus, proindeque constipato agmine in ejus faucibus hærente, exitus universis, quasi cuneo facto, præcluderetur.

Jam si quis roget, quorsum debita materiæ varioloſæ separatio non periude primis hisce diebus promoveri possit, si æger moderato lectuli calore foveatur, ac si ab eodem arceatur; scisitabor ego x. adverso, an non testetur experientia quemlibet lecto inclusum tempore brumali, stragulis modice contectum, foco non accenso, magis percalescere, quam si idem probe vestitus in eodem cubiculo extra lectum versetur. Quod si de differentia notabili satis constet, tunc erit quærendum, quænam ex his methodis magis apta sit ad reprimendam exuberantem fermenti varioloſi agitationem; ad quam metam, si quid nostra mediocritas judicando valet, a Medico, incipiente morbo, præcipue collimandum est, & prout ab eadem plus minusve is aberraverit, ita cum malis bonisve ægri rebus medicinam fecerit.

Incautioribus id vero præsertim hac in re imposuit, quod se animadverterint ægrum suapte sponte in sudores procliveni, qui cum jugiter manarent, quoties lecto contineretur æger, æstus febriles haud parum minuebant, secus ac in iis, qui non sudabant. Primum autem perpendamus, quam ob causam febri coercendæ ita impensam navemus operam, cum sit illa solemnis naturæ machina, qui tum in præparanda, tum in eliminanda materia quavis inimica in sanguine latenti, præcipue utitur. Quis autem non videt, quod dum ita sedulo sudorem provocemus ad mitigandum febrem, eadem opera, ceu fructum præcocem, humorem crudum & inconcoctum extrudentes, atque iis ipsis sudoribus immaniori postmodum febri ansam præbeamus; cum hoc modo serum sanguinis (quo tum ipse sanguis, tum etiam recens natæ fervidæ istæ & varioloſæ particulæ diluuntur) foras propellitur; his interim particulis vires sumentibus, & ferociam, eo quod jam liberæ sint a colluvie seroſa, quam sudores exhauserant. Verbo dicam, febris aliorumque symptomatum alleviatio a provocato sudore, & pustulis exinde præmature exactis, quamplurimis male cessit, qui eam ob causam, vitam cum morte die undecimo commutarunt.

Observandum est autem, me ægro primis morbi diebus lecto interdicere ex hypothesi tantum Variolarum e confluentium genere subsecutarum: Namque distinctum genus quod attinet, modo certo prævideri possit, ut nulla ægro impetat necessitas se in lecto jugiter continere, ita illum ab eodem nullus abigo; cum exanthematum paucitas, sive hanc, sive illam viam incedentem in tuto collocet.

Nihilominus non usque adeo mihi assentor, ut ea, quæ jam tradidi, ex authoritate judicii mei (quod scio quam sit exiguum) credenda autumem. Et profecto, ita parum firmas, & nullius fere ponderis hominum quorumcunque opiniones semper duxi, ut proprias etiam ubique pro suspectis habuerim, quoties cum aliorum sententiis pugnant: quod & hic etiam mihi usu veniret, nisi phænomena practica quasi uno ore rationis judicio suffragarentur. Seclusis enim practicis observationibus, id quod vel mihi, vel alii cuilibet pro ratione habetur, nihil fortassis erit aliud, quam rationis umbra aut phantasma, hoc est, mera opinio. Et quoties inter homines fuerim, certior inde redeo, quam sit periculosum, vel acutissimo ingenio præditis, cerebrum in qualibet sive arte, sive scientia indaganda agitari perpetim & quasi concalefieri, nisi factum ipsum veri ac falsi judicem ac sequestrum constituant; quodque istiusmodi magni opinatores, ut cum Cicerone loquar, in controversiis pure speculativis, gradibus vel spatiis infinitis, quantum cuiquam possit innotescere, a veritatis scopo aberrent. Cum qui ad illa tantum applicuerit animum, quæ praxis certo determinare queat, si quid forte fuerit hallucinatus, nullo negotio ab errore liberabitur, ad hanc ceu ad Lydium lapidem probatis, quas animo conceperat, rerum ideis. Non in hoc nostro negotio, an non mihi licet observare a quo maxime regimine adhibito, mitius aut sævius Variolarum genus producatur, atque adeo conformem rei evidentiæ sententiam animo procudere? Quod si alii idem factitaverint, satis habeo. Iniquissimum est autem, cum ne semel quidem per omnem vitam fuerint experti, quantum ægro prosit noceatve jam sæpe memorata e lecto interdiu immunitas, me tanquam falsarium convitiis proscindere. Quod si jam olim vera, licet inopinabilia, sentientes calumniandi libido obtinuisset, nemo quicquam tentasset quo invento homines juvari possint. Et sane quorsum ego has mihi facesserem molestias, nisi repetita sæpe & fere quotidiana experientia, hanc methodum vulgari ista longe tutiorem esse inclamaret? Non sum usque adeo delirus atque inops mentis, ut famam mihi quæram ab exagitata atque explosa eorum opinione, qui, si plausum venarer, omni obsequio mihi ambiendi erant; neque malitiæ tam deploratæ cuiquam videri possim, ut hominibus, etiam sæculis aliquanto multis post mea fata nascituris, ex mea, si quæ erit illa, authoritate insidias struam, & vel mortuus, quod horreo referens, perinde ac vivus, illos occidam. Utut sit, hac ego methodo meos ipsius liberos, sanguine & propinquitate conjunctissimos quosque, & quotquot se mihi libere permiserunt, omnino curavi. Si quid deliquerim, in eo a me erratum est, quod obstinatæ contra sentientium pertinaciæ, ne durus ac præfractus haberer, aliquoties cessi, atque hac de re eorum fidem appello, quibus maxime familiaribus usus sum. Sed hoc ad infelicitatis meæ cumulum accessit, quod aliquoties, etiam ubi astantes, ea quæ suaseram omnia per integrum morbi cursum fuerant aspernati, ægri tamen fatum (etiamsi a calore quem promovebant amici & curatrices, me ad ravim usque reclamante, extincti) mihi crimini dabatur. Qua de causa accedente insuperabili ἀπὸ πολλῶν præjudicio, bene mecum agi putarem, si nunquam deinceps ad Variolis laborantes accerserer.

Haud equidem inficias eo, Variolas, quocunque demum modo tractentur, nonnunquam tamen insigniter confluxuras, unde etiam nunquam vacant periculo, quicquid suppetiarum afferatur; id autem assero (quod mihi satis esse debet) diuturna atque iterata sæpe sæpius experientia innixus, eum in longe minori discrimine versari, qui a primo morbi insultu lecto interdiu, & carnibus omnino abstinuit; nec nisi potum tenuiorem sibi indulsit, quam qui statim lecto adjudicatus, medicamenta etiam cardiaca assumpsit. Hæc etiam methodus, quod supra etiam innuimus, ut plurimum densam nimis exanthematum segetem cohibebit, & ex consequenti etiam immodicam febris secundariæ efferveſcentiam, quæ non solum suo marte perimit, sed etiam salivam (de qua in hujus morbi historia fuse egimus) præponere incrassando, ægro perniciem ultimis morbi diebus minitatur. Quid quod hoc pacto tum sanguinis mictus, tum maculæ purpureæ præcaveri possint; quæ duo symptomata primis morbi diebus invadunt, idque persæpe nullo adhuc manifesto eruptionis indicio: quod etiam in morbillis, scarlatina febre, atque acutis aliis ab intentiore inflammationis gradu ortis, fieri assolet. Mitto jam jucundissimum

istud refrigerium, quo se æger perfundi animadvertit ab aeris appulsu liberiore, quoties a lecto calente dimittitur; quod etiam singuli, quibus id per me licuit (máximas agentes gratias, quasi vita & spiritu receptis, ac aura postliminio vescerentur) pleno ore agnoverunt.

Unde mihi subiit cogitare, quanto sæpius fucum nobis facit illa, quam talem esse opinamur, ratio, quam sensus iste certissimo nobis cognitus; quodque in morborum curatione, plus dandum est ægrorum appetitionibus & desideriis impensioribus (modo perquam enormia non fuerint & quæ vitam ipso facto extinguant) quam magis dubiis ac fallacibus medicæ artis regulis. Exempli gratia. Febre ardente laborans, tenuioris potus refrigerium liberaliori manu concessum iri vehementer efflagitur; Artis etiam theoremata hypothesi alicui innixa, quæ sibi alium scopum proponit, quocum pugnat liquoris frigentis indulgentia, appetitui adversantur, & hujus loco medicamentum cardiacum imperant. Idem æger alimenti omne genus, dempto potu tenui, maximopere fastidit; hic ars, maxime illa quam profitentur curatrices & amici adstantes, omnino comedendum esse acriter contendit. Alter post diuturnum ab eadem causa languorem, absurdi aliquid, & quod forte nocere posse videatur, obnixe petit; Ars iterum molesta se opponit; & mortem intentat morem non gerenti; nisi forte ipsius artifex sanum illum prudentissimi Hippocratis aphopismum probe concoxerit, *Cibus & potus paulo deterior, suavior tamen, melioribus quidem, sed insuavioribus* (hoc est minus gratis) *est anteponendus*. In his omnibus naturæ, ut videtur, oberrationibus, quilibet in praxi medica vel mediocriter versatus, modo animum diligenter adverterit, facile concedet ægros haud paucos, ubi primum spreto Medici dictamine, genio suo obsecundaverint, se melius habuisse. Neque hoc sane mirabitur, qui secum reputaverit, sapientissimum rerum omnium Conditorem Statoremque universa tam exquisito ordine absolvisse, ut sicuti omnia naturæ mala ad concinnandam totius operis harmoniam egregie conspirent; ita eorum singula divino quodam artificio, propriæ essentiæ quasi intertexto, donantur, quo subjectum eadem mala a se amoliatur; quod in morborum quamplurimum acutorum exitu naturali satis cernitur (*Acutos* dico, qui ut plurimum Deum habent Authorem, sicut *Chronici* ipsos nos) uti etiam in propensionibus istis quæ tales comitantur morbos, & ad ægrum ab illa pernicie liberandum viam struunt, quam ars affert, quoties in fatuos cadit. Atque in hoc sane bene cum hominibus agitur; quorum genus universum aliter se perquam male habuisset, tum cum ars medica intra breves *Hellados* cancellos tota staret, quæ quidem eam fere ad terrarum orbem proportionem habet, quam habet ignobilis aliqua villa ad nostram hanc *Britanniam*. Et quid vel impræsentiarum de tot tantarum regionum incolis fiet, cum omnis *Asia*, *Africa* omnis, atque omnis etiam *America* (demptis aliquot nuperis Coloniis haud ita populosis) atque insuper magna *Europæ* pars, arte medica prorsus destituantur? Attamen ut eleganter Comicus, viros rationis ac virtutum usu præstantes, ab eorum grege, qui formam humanam vita ad instar brutorum ἀλόγων acta conspurcant, distinguens, Ὡς χαλεπὸν inquit, ἐς' ἄνθρωπος, ἂν ἀνθρωπος ᾖ ita etiam ars medica, si revera ars fuerit, & non solum nomine tenus, maximum est donorum omnium, quæ hanc vitam respiciunt, tantoque cæteris omnibus præferendum, quanto ipsa vita iis, quibus in illa gaudemus, præcellit.

Sed ut ad rem redeam: Quantuncumque conducat plerumque ægro ut primis morbi diebus lecto non addicatur, est tamen (quod observandum) ubi etiam ante eruptionem omnino addici debeat. Exempli gratia, *Infans* de symptomatibus dentitionem comitantibus jam securus, derepente *Spasmo* corripitur: in hoc casu cogitandum est mihi, convulsionem istam fortassis a naturæ conatu quo *Variolas*, *Scarlatinam Febrem*, aut *Morbillos* in corporis habitum protrudere satagit, pendere, licet hucusque lateant sub cutis tegmine. Ut itaque tam periculoso symptomati eamus obviam, *Emplastro Epispastico* nuchæ mox applicito, lecto quamprimum committendus est; exhibito insuper medicamine aliquo *Cardiaco*, cui etiam *Paregorici* pauxillum admiscendum, quo & potentius morbi causam eliminet, atque etiam tumultum a quo oritur paroxysmus consopiat: Verbi gratia, puero trienni, *gutta* v. *Laudani liquidi Aquæ Epidemicæ cochleari uno* (aut quid simile) sunt propinandæ. Et profecto suspicor admodum, ne dicam certus sum, millenos aliquot infantes, & nonnullos etiam ætate provectiores, idcirco letho fuisse datos, quod non satis animadverterint Medici hujuscemodi convulsiones nihil aliud fuisse, quam morborum jam dictorum prænuncios: cum enim Practici paulo incautiores, paroxysmos hosce revera symptomaticos pro affectibus essentialibus habeant, enematis sæpe repetitis & aliis evacuationibus eos aggressi, Variolarum eruptioni officiunt, ac proinde permanentiores etiam reddunt paroxysmos istos, quos tanto molimine opprimere student, quique alias, ubi primum pustulæ eruperint, sua sponte certo certius evanescerent. Hic autem, fausto lætoque omine (quod alibi diximus) Variolæ, quæ cum spasmo teneriores pueros invadunt, raro insigniter confluunt, unde æger longe tutius lecto concreditur primis hisce diebus. Licet observaverim Variolas, quoties *Affectus Comatosos* a tergo insequuntur, admodum confluere; quo in casu ipsemet vesicatorium, & paregoricum, quale supra descripsi, potius adhiberem, quam ut ægro jugum lecti usum ante eruptionem permitterem. Quinimo animadverti ejusmodi *Convulsiones* quandoque (oppido tamen raro) *Intermittentium Febrium Paroxysmos* præcedere; *Affectus* vero *Comatosos* cum dictis paroxysmis una invadentes & non nisi cum iisdem terminantes, tam in infantibus, quam adultis persæpe vidi, quorum similiter nulla in curatione ratio habenda est, sola autem febris, utpote morbus primarius & essentialis, omni ope est expugnanda. Si enim comatosis hisce affectibus febrem comitantibus curandis præcipue incumberem, ac proinde venæ sectione, catharsi, atque enematis repetitis, sopori vincendo operam navarem, febrem inde magis accenderem, & ex consequenti eo usque augerem coma (quod mihi erat tollendum) ut æger tandem ab eo æternum consopiretur; quando si in febre debellanda totis viribus contendam, symptomata omnia ab eadem pendentia nullo negotio una facessent. Quod serio notari velim, cum in hac re tam crebro tamque fataliter errari soleat. De hoc vero alio in loco fusius dixi.

Aliquod etiam (quod proxime tradam) quantumlibet ægro conferat ut lecto interdiu abstinat, nihilominus non potest id solatii eidem indulgeri, *ægritudine* sc. *vehementiori*, *intensiori Febre*, *Vomitu enormi*, *Vertigine*, *Artuum dolore* quasi rheumatismo laboret, & similibus contra indicantibus: quæ quidem symptomata omnino sæviora si fuerint, maxime in sanguineis & ætate florentibus ingentem materiæ varioloſæ copiam intus natam, & discrimen haud vulgare, a pustulis exitum certatim quærentibus, ac mox valde confluxuris, præsagiunt. Cum itaque frænum fermento ita exorbitanti omni ope injiciendum sit; attamen hinc quidem illud continuo lectuli calore adjutum ferociet magis, illinc vero præ nimia ægritudine eodem abstinere nequeat ægrotans, nisi suppetias afferamus; has ob causas omnino necesse erit, rebus sic stantibus, *sanguinem* primum e brachii venis educere, & post aliquot horas *Emeticum* eradicativum *ex infusione Croci Metallorum* exhibere, quod non solum materiam, a quo oritur ægritudo ista insolentior foras propellit, sed etiam ægrum ita refocillat, ut jam quasi sanus lectulo abesse queat. Neque huic soli methodo innitendum est ad infringendas fermenti vires, sed quo magis æger in tuto collocari possit, præter evacuationes jam memoratas percommodum erit *Vitrioli spiritum* potui tenuiori, quoties eum haurit, liberalius immiscere, etiam usque ad plenam pustularum eruptionem. Non obstantibus tamen hisce evacuationibus, tum etiam usu potus refrigerantis, æger nihilominus non nisi nocturno tempore lectulo permittendus est, si quidem fieri potest, quoniam hæc universa longe minus ad inhibendam præproperam materiæ varioloſæ assimilationem faciunt, quam una sanguinis contemperatio a novo aere per pulmones subinde reciprocato: quæ quidem sola mirum in modum ægritudinem symptomaticam, de qua supra, sublevat confestim, quod a me non uno experimento comprobatum est. Hæc autem methodus paulo insolentior non nisi in ætate florentibus, quorum quidem sanguis sive a Venere, sive a Baccho incaluit, atque in aliis (infantes tenellulos semper excipio) quos una cum Variolis vehentiora atque enormia ista symptomata jam dicta adoriuntur, necessario requiritur. Ubi sanguis non usque adeo accenditur, neque ita urget symptomatum violentia, uti materiæ varioloſæ præmature assimilandæ longe minor est suspicio; ita ex consequenti & evacuationes præmemoratæ, & vitrioli spiritus omitti possunt.

Longior in his fui, quia sat scio curationis exitum, sive lætum, sive funestum, ab ea potissimum, si non insolidum, ratione pendere, qua æger primis morbi diebus tractatur. Jam vero omni pustularum acie quasi in campum educta (quod *die* ab invasione *sexta*, quarto autem inclusive ab eruptione prima fieri jam diximus) haud amplius interrumpendus est ægro lecti usus per reliquum morbi decursum: qui quidem ut ante hunc diem concedi non debeat, ita ut diutius differatur, vix patitur ægri status, modo confluentibus Variolis laboret. Hoc autem est genus (quod notari velim) de quo hactenus verba fecimus. Quæ enim & pauca & distincta emergunt exanthemata, parum habent momenti sive in hanc, sive in alteram partem, si vel mediocriter in arte valeat is qui medetur. Quanquam etiam in genere hoc, utut suopte ingenio omni periculo vacet, haud pauci (quod serio dolendum est) Libitinæ cesserint, quoties scil. malo suo fato in eos inciderint, qui in promovendo calore spem omnem ponentes, cum morbo ad jugulandum ægrum, licet insci, conspirabant.

Tempore ab hoc pustulæ augescere & corporis superficiem undique concalefacere incipiunt, at caput in primis, unde æger, nisi fuerit infans, ad somnum difficilior est, & inquietudine vexatur: Quod proximo loco in hoc morbo diligenter expendendum esse arbitror; prout enim sedatior fuerit sanguis, ita debitum augmentum & magnitudinem acquirent pustulæ, atque ex adverso, pro ratione orgasmi, quo tumultuatur dictus sanguis, pustulæ marcescent, intercepto ulteriori progressu; unde non solum peccantis materiæ eliminatio sufflaminatur, sed insuper singularum phlegmonum œconomia & genuina crasis interturbatur; indeque vel non omnino debito tempore ad separationem pertingunt, vel ichor demum fit puris vice, & loco flavi liquoris favum colore referentis, nigricans aliquis humor, vel succus alius non naturalis, & a genuinis Variolarum pustulis alienus, egeritur. Quapropter medicamenta *Paregorica* æque indicari in variolis confluentibus mihi videntur, ac indicatur quodvis remedium in quovis morbo; cum hic quasi *Specifica* sint, perinde ac cortex Peruvianus in febribus intermittentibus: quamvis haud ignorem paregorica non virtute aliqua præcise specifica operari, sed isti solum indicationi respondendo, qua sanguini & spiritus consopiendis, & in ordinem redigendis operam damus. Atque hic quidem sanguinis & spirituum motus inordinatior (Variolarum confluentium in adultis comes individuus) anodynorum usum præ cæteris deposcit, necdum ei satis innotescit hujusce morbi genius, qui ista vigiliis tantum deberi existimat. Sicuti enim fieri quandoque potest, ut etiam non dormiens bene compositis ac sedatis fruatur spiritibus, (quod ab assumpto Laudano persæpe accidit) ita etiam nonnunquam fit, ut spiritus vehementius agitati laudabili pustularum eruptioni officiant, etiam ubi æger multum dormiat, quod observatione dignum.

Ut de genere anodynorum jam loquar. Tametsi ego a multis annis *Laudanum liquidum* satis auspicato exhibuerim, quoties huic indicationi satisfaciendum erat, nihilominus *Syrupum de Meconio* ipse præferendum censeo, licet enim utrumque ad eundem scopum dirigatur, tamen Laudanum paulo magis calefacere mihi videtur, syrupus autem minus. Dosin quod spectat syrupi, ea non solum ægri ætati est adaptanda, sed & symptomatum gradui, & quæ homini, qui sedatos habet spiritus & probe compositos, nimia forte erit, alteri, cujus spiritus ferociunt magis, vix sufficiet. Exempli gratia, ponamus in genere sex drachmas plerisque convenire, jam in varioloſis, quoties id remedii indicatur, vix intra *Unciam*, si quid præstare velimus, est subsistendum; quæ quidem quantitas singulis vicibus morbo decurrente imperanda est. De adultis agimus impræsentiarum, etenim si infantibus propinetur, dosis pro ratione ætatis erit minuenda. Et sane paregorica non perinde indicantur in infantibus varioloſis, ac in adultioribus, cum illi in somnos perdurante morbo proniores sint. Quamvis & in his quoties a morbo periclitantur magis, a paregorico abstinere multum extimescerem. At, quod dicere animus mihi erat, difficile est admodum paregoricorum dosin, quocumque in casu ista indicantur, certo determinare. Etenim sive in quocumque *Spirituum motu inordinatiori*, sive in *vomitu enormi & alvi fluxu*, sive etiam in *dolore atrociore* (in quibus affectibus tribus præsertim usum paregoricorum indicari alibi docui) ea methodo sunt exhibenda, ut si prima dosis metam non attingat, alia

atque

atque alia debito tempore assumatur, donec tandem medicamentum Medici votis responderit, non tam ad ingestam anodyni quantitatem, quam ad effectum, quod in ægro producendum erat, respectu habito, quod ubi primum successerit, nec citius, Paregorici usu ita copioso ac frequenti cessandum est: interposito tamen semper inter singulas doses spatio aliquo, ut pernoscere valeamus, utrum dosis ultima id, quod quærimus præstiterit, antequam nova ingeratur. At ubi semel finem propositum obtinuerimus, dosis anodyni in morbi progressu exhibendi, jam minor pro re nata definienda erit.

Exempla haud pauca in promptu mihi sunt, quibus eis, quæ hactenus tradidi, fidem astruam, at unicum impræsentiarum adducam. Aprilis 13. anno 1681. quædam e nostra vicinia, nomine *Crosse*, ad me accedens atque flens obnixe petiit, ut filium ejus decennem adirem, qui a die quarto male habens, Variolis, ut ipsa metuebat, jam laborabat. Ego a podagra, quæ me tunc temporis excruciabat, detentus, Pharmacopolam, quo uti soleo, rogavi ut ægrum inviseret, ac mihi de ejus statu referret: rediens ille mihi narravit, pueri matrem e nescio cujus mulierculæ consilio, *pulverem Comitissæ* & alia calidiora remedia filio propinasse, quin & stragula adjecerat matris indulgentia, sub quibus quasi defossus latebat æger, ut horum pondere sudores (ad quos ceu ad sacram anchoram in hoc morbo fœminæ confugiunt) exprimeret; ad hæc magnam *Possetі* calentis vim, *floribus Calendulæ & cornu Cervi incoctis*, ægro infuderat; unde adaucto febris calore, tantam spiritibus consusionem induxerat, ut præter modum deliraret æger, totis adstantium viribus vix lectulo affixus, ac incondita quædam, furentium ad instar, submurmurans. Nondum tamen in lucem prodibant exanthemata, vel saltem obscure, sed denso agmine cutim impetebant, inhibita plane eruptione ab hac methodo violentiore, quæ ad eam solicitandam destinabatur. Jubeo ut eo lecto eximatur quanto ocyus, neque eundem nisi noctu ingrediatur ante elapsum *sextum diem*: dein ut syrupi de Meconio unciam dimidiam statim sumat, quo ne hilum proficiente post horæ spatium eandem dosin repeto, at nullo cum fructu; quippe quod sanguis tam immani furebat orgasmo, ut non nisi unciis duabus cum dimidia (spatio tamen inter singulas semiuncias interjecto, quo liqueret quid postrema dosis præstiterat) intro assumptis frænari posset; quo facto, unciam dimidiam tantum singulis noctibus hauriendam præscripsi usque ad finem morbi: quæ quidem illam spirituum requiem, quam crebrior exhibitio paraverat, tueri jam partam valebat. Unde etiam convaluit æger.

Hic minime reticendum est, quod in quantacunque demum dosi & quantumlibet repetita exhibeatur primis hujus morbi diebus Narcoticum, modo sanguinis æstus atque enormis spirituum agitatio magnopere ferociant, vix scopum attingere poterit id, nisi æger a lectulo eximatur: Calor enim lecti calorem morbi ulterius augescit atque incendit; proindeque vim ita magnam Narcotici exhibere necesse erit, cui fortean natura impar fuerit. Quod etiam usu venit, etsi haud tanto vitæ discrimine, quando cortex Indicus exhibetur in febre intermittente, ægro per ejus usum in lecto se continente. Et hoc, ni fallor, in causa fuit, quod curatio hujusce febris nonnunquam protelata fuerit, quæ alias citius absoluta esset, & quandoque etiam si febris remittens tantummodo, & non interstincta erat, eadem adeo intendebatur, ut mortem ipsam æger haud effugerit.

Missis autem casibus extraordinariis, in quibus nullo non morbi tempore indicari potest hoc remedium, ego ista primum nocte exhibendum suaserim, qua lecto jam in totum addicitur, *sexta* nempe a prima invasione, a quo tempore usque ad *diem decimum septimum* omni vesperi est propinandum, vel saltem donec æger ἴξω βίλων quod ajunt, fuerit constitutus. Sexto enim die caro phlogosi quasi cotripitur; unde caput ab humoribus exinde concalefactis turbari incipit, & vacillare.

Curandum est autem sedulo, ut anodynum temporius sumatur hic, quam in aliis morbis: quoniam quidam caloris, & inquietudinis quasi paroxysmus variolosos sub vesperam semper affligit; & quandoque accidit, quod, nisi maturius exhibeatur sub ultimis morbi diebus, æger, derepente paulo hebetior factus, mox incalescat, post de ægritudine queratur, quæ brevi in ipsa morte terminatur; attoniris haud parum amicis, qui paulo ante magnam de ægro, ceu convalituro, spem foverant. Cui tanto malo occurri fortean poterat anodyno confestim ingesto. His itaque diebus, *undecimo* vero præ cæteris, paregoricum temporius propinandum impero, etiam hora quinta sextave pomeridiana, utque in promptu sit, si quando forte ægritudo ex improviso invaserit. Quinimo persuasissimus sum, nonnullos ex mihi notis ideo fato functos, quod dicto medicamento, re jam postulante, destituerentur; cujus ope, si adfuisset, adhuc inter vivos numerari potuissent. Atque hoc in loco maxime, si in quo unquam alio, *Occasio præceps est*.

Quapropter cum tam ingens discrimen impendat, si Narcoticum vel sat cito non fuerit propinatum, vel si e diverso ita præmature, ut ejusdem vis paregorica, & spirituum sedatrix exoleverit, quam illud repetendum veniat, idcirco cum res in lubrico sit, tutissimum omnino est anodynum statis horis, tam mane, quam sero exhibere, ultimis sc. & periculosissimis morbi diebus. Neque hoc tempore syrupi dicti uncia semper sufficit, cum ea quantitas nihil præstet magis in intensiori sanguinis inflammatione, & spirituum animalium exorbitantia insigniore, quam uncia dimidia in morbo mitiore. Quinimo iterata experientia me edocuit, *Sesquiunciam* in juvenibus, & sanguineo temperamento præditis pro singula dosi, violentiæ symptomatum, quæ tunc ingruunt, & in quibus præcavendis toti sumus, frangendæ parem tantum esse; quodque hæc ipsa dosis in talibus subjectis, atque iis temporibus, mane & sero, non tuto tantum, sed cum magno etiam ægrorum commodo, repeti possit, donec illi convaluerint.

Neque vero hoc reticebo, quod in ultimis diebus Variolarum egregie confluentium quandoque necesse habui etiam ter in spatio diei naturalis, *i. e.* octava quaque hora, Narcoticum exhibere; quando scilicet, vel ob violentum spirituum orgasmum, vel ob eorundem confusionem ægritudinem aliqualem inducentem, longiora ab usu ejus intervalla haud concederentur. Hoc autem notandum, quod si tam frequens diacodii exhibitio ægro nauseam creet (quod in dictis sæpe accidit) hoc in casu *Laudanum liquidum* propinandum; cujus *gutt.* xvj. idem valent, ac ℥j. *syr. de Meconio*, nempe si eodem modo præparetur, quem in *Libro de Morbis acutis, & in Cap. de Dysenteria* ibidem descripsimus.

Objicient, sat scio, illi, quibus hæc minus placent, materiam peccantem a Narcotico toties, & in tam larga dosi repetito, fixam iri, & ptyalismum retundi. Quibus respondeo, omnino fatendum esse salivationem aliquatenus imminui, nunquam tamen ita penitus cessare, ut non longissimis ab assumpto anodyno intervallis, atque ejus vi jam fatiscente, nonnihil recrudescat, immo vero gemino hoc commodo stipetur. Primo quod æger, viribus a Narcotico instauratis, pituitam validius expectorare valeat. Dein quod saliva, quæ excreatur, licet parcior sit, rectius tamen excocta est, quam si anodynum non fuerit exhibitum. Proximo loco, ptyalismi defectus hic partialis plusquam compensatur faciei manuumque tumore, qui ex repetito paregorici usu, & certior est & major in iis diebus, quibus hæ partes solent intumescere: facies scil. ab octavo die usque ad undecimum, (quo tempore fere incipit subsidere) manus vero ab undecimo, usque dum pustulæ eas obsidentes maturuerint. Atque fidenter assero, neminem in hoc morbo probe versatum posse negare utriuslibet horum tumorum absentiam, quo tempore se debent ostendere, pejoris esse ominis, quam ptyalismum interceptum. Me quod attinet, longe tutius esse autumo, ptyalismi compescendi discrimen subire, quam a Narcotico abstinere: quod ita impense morbus hic efflagitat, ut in eo rudis sit oportet, & parum observationi deditus, qui ægros suos subsidio tanto defraudat.

Non vero ita capienda sunt, quæ hactenus differui, ac si ego quotidianum diacordii usum, vel ea quæ convenit dosi, in tenellulis infantibus, qui Variolis confluentibus laborant, suaderem, nisi morbus periculum grave intentet, idque duabus de causis; primo, quia usque adeo non calent infantes, atque illi, quorum vitæ fax plenius accensa jam luculentius ardet; dein quod Narcoticorum jugiter assumptorum vim non ita bene ferat ætas mollior, & magis infirma. Adde quod sponte sua somno fere perpetuo morbi tædia fallunt infantes. Nihilominus quoties, vel phrenesi illi corripiuntur, vel pustulæ mali moris sunt, anodyna omnino indicantur, horum enim utrunque sanguinis atque spirituum animalium motum interturbatum plus satis evincit.

Duo hæc, quæ adeo prolixe tractavimus, nempe ista methodus, qua inhiberi debet præpropera materiæ varioloſæ primis in diebus assimilatio, tum & altera, qua motus spirituum inordinatus ab externarum partium inflammatione excitatus, est præcavendus, duo sunt quasi cardines, in quibus omnis hujus morbi curatio vertitur, quandoquidem quæ ex eo oriuntur mala, quod utrique huic discrimini non satis occurreretur, funesta illa symptomata invitant, quibus Variolarum tragœdia absolvitur. Quocirca cum præcipuæ hæ fuerint indicationes curativæ, ubi iis modo jam tradito fecero satis, nihil amplius mihi restar agendum, in quantum scil. Medicus sum, non vero formularum medicarum Præscriptor. Quas ego duas, sive artes, sive dotes, sive etiam provincias appellare libeat, toto cælo a se invicem distare arbitror.

Unum adjicio, si *Epispasticо* opus fuerit, id peramplum, & satis acre ægri nuchæ applicandum; quod ita opportuno tempore fieri debet, ut neque præmature appositum vim epispasticam ante diem undecimum, in quo de summa rerum agitur, amiserit; neque in eum ipsum diem rejiciatur, quo jam tardius adveniens, illo temporis articulo obesse possit, præ calore, & æstu, quem sanguini imprimit, cum febre secundaria vix pari marte tunc decertanti. Opportunissime itaque applicabitur epispasticum nocte illa, quæ magnam morbi crisin præcedit, mox ab assumpto paregorico, quod tunc erat exhibendum. Appositо per id temporis vesicatorio, dolor, quem ejusdem morsus afferet, desinet ante diem illum, quo æger vel agonizaturus, & materiæ peccanti eo ipso tempore dabitur exitus, quo eo est opus ad vincenda mala ista, quæ illum diem præstolantur. Hoc enim primum tempore, quod in hujus morbi historia fuse deduxi, facies, quæ hactenus inturgescebat, jam detumescere incipit, & salivatio, quæ hucusque pleno amne fluebat, decrescere, condensato jam, & non nisi ægre excreto, qui eam excitabat, humore. Ut vero mittamus epispasticum illud tum faciei detumescentiæ, tum etiam imminutæ salivationi quadantenus substitui, febri insuper secundariæ perdomandæ aliquatenus conducit, quæ nunc temporis invalescit, sanguine quasi obruto, & penitus infecto puris copia a totidem absцessulis resorpta; adeo ut in omnibus fere, quos unquam tractavi, Variolis laborantes, observaverim, pulsum in carpo salientem ægre percipi posse hoc tempore, utut facile se pridie hujus diei, & postridie etiam, digito exploratori se proderet.

Sed inter ea, quæ a capite sive derivant, sive revellunt, nihil æque mihi videtur operari ac *Allium* pedum plantis applicitum. Quod allium revera attrahat, manifestum est a vesiculis, quas sæpe excitat; & a dolore illo non ferendo, quem nonnunquam, licet raro, affert, etiam non excitatis vesiculis, humores scil. in partes illas invitando; unde dolor tam vehemens quandoque exortus est, ut cataplasmate e mica panis similaginei in lacte cocti eundem sedare necesse habuerim. In adultis itaque qui variolis confluentibus laborant, allium incisum, & linteo involutum plantis pedum admovere soleo, a die octavo, in quo primum facies intumescit, donec jam morbus periculo omni vacet, singulis diebus renovandum.

Neque interim istud mihi prætereundum est, ægrum scil. a carnibus, durante morbo, arcendum omnino esse, & cerevisiam lupulatam eamque tenuissimam tantum pro potu concedendam. Jusculis avenaceis, pomis coctis, & jam dicta cerevisia commodissime interea vitam tolerabit. At vero instante jam maturatione, ubi particulæ purulentæ in sanguinis massam regurgitantes eandem tabo suo inquinaverint, utile erit cochlearia vini aliquot, singulis auroris, & noctibus ægro indulgere. Stragula quod attinet, & lodices quibus æger in lecto est contegendus, neque plura sint illa, neque pauciora, quam quibus sanus utebatur. Quin & liberum ei sit, quoties volverit, se ab hac in illam lecti partem transferre, quo præpedimenta possint sudores isti symptomatici, quos ægro nocere satis opinor, evici. Eodem pacto etiam præcavebitur efferatior exanthematum phlogosis excitata a nimio calore, quem carnes contrahunt, quoties æger semper eodem in loco, ceu palo defixus, jacet. De hoc autem alias prolixius differui.

Casum nuperrimum, ceu specimen integræ hujus praxeos, subnectam. Hac ipsa hyeme me accersebat fœmina nobilis, Domina *Dacres*, ut quendam suum nepotem, Dominum *Thomam Gheut*, temperamento perquam sanguineo, & ætate florentem Medicus curarem. Pridie cœperat febricitare vehementer; colluviem biliosam in magna copia per vomitum rejiciebat; dorsum plurimum dolebat. His malis solatium quærens & levamen, lectum petebat, & tum stragulis

acervatim injectis, tum calidis assumptis liquoribus sudores per diem integrum omni ope solicitabat, sed frustra, cum tanta ad vomendum proclivitas, & alvi fluxus, licet modicus, omnem sudorificorum vim eluderent; Oleum interea febris igni affuderat, quo illa multum increverat. Ego jam Variolas brevi sexorituras suspicabar, easque insigniter confluxuras, tum ob ætatis vigorem, tum etiam, quod sanguinem multum excalefecerat irrito sudoris extorquendi conatu, (quo quidem, si modo æstate ægrotaverat, & mictum sanguineum, & maculas purpureas certo advocaverat) tum vero maxime, quod semper observaverim in juvenibus immani vomitione, ægritudine, & dolore præter solitum vexatis, Variolas in sequentes ultra modum confluxisse. Meum itaque esse ratus, ut nullum non lapidem moverem, quo præproperam materiæ variolosæ assimilationem obstruerem, a lecto illum arcebam, nisi statis prius horis somni. Die sequenti (tertius is erat) Variolis nondum comparentibus, sanguinis uncias octo e dextro brachio mane extrahi curabam: optimus erat ille floridusque, cum adhuc spirituosum tantum *μίασμα* exceperat, nondum vero putredinem illam, quam conciliat longior morbi mora, & in eorum sanguine ut plurimum conspicitur, qui nuper ab hoc morbo convaluerint. Hora quinta post meridiem diei ejusdem, infusionis croci metallorum unciam unam exhibui, ex qua satis commode vomebat, & ægritudine levatus, longe melius habere visus est, jam haud invitus a lecto abstinens, a quo prius ægerrime se divelli patiebatur, ægritudine, & vertigine mactatus. Die quarto mane accedens, exanthemata, quibus præcavendis tanta fueram molitus, eo numero prodeuntia conspexi, ut ab insigniori, quem minitabantur, confluxu, ægri vitæ metuendum esset. Diligenter itaque cavebam, ne lecto interdiu committeretur; consulebam etiam, ut cerevisiam tenuem spiritu vitrioli instillato acidulatam potaret. In his ad sextum usque diem perseverabat; quibus diebus licet non ægrotaret, sed aura liberius vescens multum reficeretur, tamen alvo subinde laxiore fuit. Jam sub meridie non valebat ulterius, quod hic fieri assolet, se a lecto abstinere; decubuit itaque ad finem morbi, me non reluctante, cum nunc erpuissent pustulæ omnes, quæ, non obstante meo omni conamine, plus satis confluebant. Quamvis enim pauciora erant exanthemata iis, quæ in nonnullis observavi ab hoc morbo extinctis; plura erant tamen, quam plerisque eorum, qui sanantur, solent prodire. Hac primum nocte syrupi de Meconio unciam unam in Aq. flor. Paralys. propinabam, singulis deinceps noctibus repetendam; suadebam etiam, ut non aliis stragulis, quam quibus sanus assueverat, tegeretur: ut jusculis avenaceis, & hordeaceis, nonnunquam etiam pomo cocto vescetur; Cerevisiam etiam tenuem hauriret. Die octavo allium incisum, & panno lineo inclusum pedum plantis applicandum curavi, & renovandum quotidie, donec extra aleam consisteret. Post hæc pro augescentium pustularum genio omnia cedebant, usque ad decimum diem, quo tempore mane eum invisens, licet mediocriter se haberet, febris tamen secundariæ quendam quasi prodromum deprehendi, cum jactatione aliquali. Mox itaque procellam veritus imminentem, paregoricum supra laudatum exhibui, a qua tranquilla omnia, & pacata; eadem nocte syrupi de Meconio sesquiunciam præscripsi. Sequente aurora, diei sc. undecimi, cum post exolescentem vim anodyni, quod hesterna nocte sumpserat, jam de novo esset irrequitior, diacodii iterum sesquiunciam extemplo ingessi; vesperi item tantundem, atque eandem dosin mane, & sero ut assumeret quotidie consulebam, donec omnino convalesceret. Parnit æger: neque aliquod nos deinde symptoma exterruit, nisi quod urina ei quandoque supprimeretur, (malum junioribus hoc in morbo familiare) quam tamen genubus innixus in lecto reddebat, ptyalismum quod spectat, quantumvis salivæ copia frequenti anodynorum in tam larga dosi repetione aliquantulum interciperetur, tamen longiore ab eorum usu intervallo pituitam concoctam excreabat, ac facies manusque debito tempore pro votis intumescebant. Die decimo octavo e lecto surgebat, & tunc primum jusculum e pullorum carnibus indulgebam, a quo per gradus indies ad victum consuetum redibat. Die vicesimo primo sanguis mittebatur e brachio dextro ad uncias octo, qui pleuriticorum sanguinem æmulabatur, & puris fere instar erat. Denique ad quatuor vices, spatio interposito, purgatus fuit.

Hic subinnuam, quod quoties in his pagellis dies ab invasione v. g. sextum, undecimum, &c. nominaverim, non ita accipi id velim, quasi Variolæ confluentes tertio nunquam non die erumperent; cum satis sciam quandoque ita accidere, etiam in iis, quæ vel maxime confluunt, ut pustulæ non nisi post aliquod a die tertio temporis spatium se exerant. Eruptio autem utplurimum in diem tertium ab invasione incidit, & ut plurimum, qui (ex. gr.) die lunæ confluentibus Variolis primum laborare incipit, die Mercurii sequenti postularum primitias in cute summa deprehendet, & Jovis dies ab illo die lunæ secundus, undecimus ille erit, periculi pleniissimus, nisi interposuerit se Medicus.

Atque hic iterum repeto Theoremata hæc omnia ad *Confluentes* tantum *Variolas* referri debere, quæ in genere distincto nullum prorsus usum habent, nec ab illo exposcuntur. Et tam sibi, quam aliis imponunt, qui attollunt cristas, quoties eos sanaverint, quibus exanthemata numero pauca, eaque interstincta efflorescebant. Si tentare libeat, quantum in arte valeant, in Variolis confluentibus vires experiantur; maxime quoties, vel florentes ætate, vel eos qui immodica vini ingurgitatione nimium incaluerint, hic morbus invaserit. Ne in levioribus exercitati, ita toto cælo aberrent, ut se eos servasse existiment, quos ipsi adstantes non occiderint.

Verum dissertatiunculam hancce non prius finiam, quam ubi retulero quæ mihi, dum hæc scriberem, suo ore narravit Amicissimus Dominus *Carolus Goodall*, M.D.Collegii Medicorum Socius, atque impræsentiarum Censor: quod mihi ideo faciendum duxi, quo melius iis fidem conciliem, quæ cum hic, tum alibi, & de petechiis, & de mictu sanguineo affirmavi: utrunque nempe hoc symptoma quoties acutis morbis accedit, atrociori sanguinis inflammationi omnino deberi, ac proinde refrigerantia indicare remedia. Casus se ita habuit.

Juvenis annorum quasi 27. habitu corporis extenuato, & calido temperamento præditus, febre violenta, & continua correptus est mense Junio, Anno 1681. *Lingua erat sicca, & scabra, sitis vehemens, pulsus celer, dolor regionem cordis scrobiculo vicinam discruciabat, dorsum vero in primis, (in quo jugiter desæviebat) sanguinem subinde mejebat, tum & petechiæ coloris subfusci collum, pectus, & carpos dense insidebant. Die sexto accersitus Medicus, & ægrum de vita periclitari a nimia urinæ sanguinolentæ excretione comperiens, Indicationes curativas ad sanguinem refrigerandum incrassandumque, cum etiam ad vasorum oscula; quæ in renibus relaxata debiscebant, obturanda dirigendas censebat.*

Præmissis itaque tum venæ sectione, tum bolo lenitivo, ægrum, ut a lecto, quantum fieri potuit, se abstineret, serio monuit, cum a continuo lecticuli calore mictum sanguinis promoveri non dubitaret: suadebat etiam ut in culcitra corio tecta æger potius dormiret, supinus non nisi rarissime jaceret, lac aqua permistum, ut potaret, panatella, oryza lacti incocta, pomis coctis, sive solis, sive aquæ fontanæ intritis, & saccharo edulcoratis vesceretur. Medicamenta ordinabat sequentia.

℞. Fl. ros. rubr. ℥vj. cort. inter. Querc. ℥ß. Sem. Plantag. parum contus. ℥iij. Aq. Font. ℔ij. Sp. Vitriol. q. s. ad gratam aciditatem; infundatur in vase clauso calore leni per quatuor, vel sex horas. Colat. add. aq. Cinnam. hord. ℥iij. Sacch. albiss. q. s. ut f. Tincturæ gusti grata, de qua sæpiuscule bibat die noctuque.

Enema e lacte cum Syrupo Violaceo injiciebatur hora a meridie secunda: & hora somni sequens Haustus propinabatur.

℞. Aq. fl. Paralys. Plantag. Cinnam. hord. an. ℥ß. Aceti stillat. ℥ij. Syr. de meconio ℥vj. M.

Die septimo, symptomatibus vix se remittentibus, Enema jam descriptum singulis diebus injiciendum curabat, tum etiam Emulsionem, Haustumque ad hunc modum præscribebat.

℞. Sem. Cichor. Endiv. Lactuc. Portulac. ann. ℥ij. Sem. Cydon. Papav. alb. an. ℥ß. Amygd. dulc. excort. n. jv. *contundantur simul in Mortar. marmor. sensim affundendo Aq. Hord. ℔ß. colat. add. Sacchar. Crystall. q. s. f. Emulsio, de qua bibat cochl.* xij. *quarta quaque hora.*

℞. Aq. fl. Paralys. Nymph. germin. Querc. Plantag. an. ℥ß. Aceti stillat. Aq. Cinnam. hord. an. ℥iij. confect. de Hyacinth. ℥ß. syr. di meconio ℥j. M. f. Haustus hora somni sumendus.

Die octavo, cum adhuc instaret febris, sanguis urinæ immistus copiosius exiret, & petechiæ in præmemoratis partibus numerosæ comparerent, omnia hæc symptomata a sanguinis calore, tenuitate, & acrimonia, oriri conjectans, sanguinem secunda vice detraxit, liberaliorem cerevisiæ tenuis usum, cui vitrioli spiritus ad gratum acorem prius instillabatur, concessit: quam cum fastidiret æger, possetum e succo limonum, & lacte ei indulsit, uti etiam limonum pulpam in taleolas divisam, & saccharo involutam. Addebat & sequentia.

℞. Conf. Lujul. Cynorrhod. an. ℥ß. confect. de Hyacinth. ℥iij. Diascord. ℥ß. corall. rub. præparat. Sang. Dracon. Bol. Armen. an. ℈j. Syr. e Symphyt. & Pilosell. q. s. ut f. Opiata, de qua capiat quantit. Avellanæ sexta quaque hora, superbibendo haustulum seri lactis succo limonum facti, & sacch. alb. edulcorati, vel decocti Vulnerarii Spiritu Vitrioli acidulati.

Haustus hesterna nocte præscriptus repetatur, cum Syr. de Mecon. ℥x.

Nono die petechiæ paulatim evanescebant, urina minus sanguine scatebat, quique inerat sanguis, facilius separabatur, & matulæ fundum libentius petebat: hortabatur itaque ægrum ut in remediorum horum usu perseveraret, & diebus aliquot elapsis sequentia adjiciebat, ad eundem scopum collimantia.

℞. Conf. Ros. rub. per setaceum traject. & Vitriolat. ℥iv. balsam. Lucatel. ℥ij. Bol. Armen. Sang. Dracon. Spec. Electuar. Diacoral. an. ℥j. Syr. e Coral. q. s. ut f. Elect. de quo cap. quant. Nuc. Moschat. bis de die, superbibendo haustum Emulsionis sequentis.

℞. Sem. Lactuc. Portulac. an. ℥iij. Cydon. ℥ij ß. papav. alb. ℥ß. Amygd. dulc. excort. n. v. *contund. in mort. marmor. sensim affundendo Aq. Plantag. ℔ij. Cinnam. Hord. ℥ij. Colat. ad Sacch. q. s.*

His remediis, favente numine, æger itra septimanas tres a febre, & horrendis illis quæ memoravimus symptomatibus liberatus, petechiis abolitis, atque urina tum colorem naturalem, tum consistentiam recipiente, paulatim ad sanitatem, & vires pristinas rediit.

Quamvis autem symptomata ista jam dicta febri continuæ accrescerent, non vero illi morbo, de quo nos supra egimus; cum tamen quoties utrumlibet ea comitantur, a vehementi inflammatione, & sanguinis nimia attenuatione, unde sanguis per oscula vasorum quasi vi exigitur, semper ortum ducant; nullus dubito quin par methodus in tanta causarum paritate omnino sit adhibenda, quantum se fert utriusque morbi genius. Quamobrem virum optimum rogabam, ut mihi per illum liceret hanc ejus curationem hic subnectere. Quam quidem si quis vel mihi infensissimus, (cum tamen alienos mores e propriis æstimans, nullum inimicum habere sperem) præstiterat; tamen veritate victus, præclarissimam eam fuisse omnium, quas unquam novi, curationum, lubens faterer: cum jandiu compertum habeam quam sit fatale febricitantibus sanguinem cum urina excernere. Cum vero idem amicitia mihi sit conjunctissimus, quanto cum animi prolubrio, & veritati & viri amantissimi famæ mihi litandum erat? Hic enim ille est, qui cum pauci admodum me vel minimum quid in re medica sive indaganda sive etiam excolenda profeciisse asserere auderent, maledicorum torrenti se medium objicere sustinuit, atque me pari zelo, ac fide tutabatur, quo parentem filius. Quantumlibet autem beneficio tam insigni devinctus, nunquam tamen nisi eas, quas commeruit laudes, prædicarem, cum perinde fere sit improbum, sive opprobrio, sive laudatione indignos afficere, quandoquidem utrinque a veritate discedatur. Nemo itaque mihi vitio vertat, si virum hunc ego nemini, inter eos qui mihi hactenus innotuere, probitate secundum fidenter affirmaverim, cum in tot annorum spatio, quibus eo familiariter usus sim, nec dicto quendam lædere, quanto minus facto, sibi permiserit. Quantum vero in ea quam profitetur arte præcellat, modo Deus vitam ei concesserit, brevi satis elucescet; cum eruditioni haud vulgari, quas omnes omnes medicinæ tam antiquæ, quam modernæ tractus perlustraverit, exquisitissimam in subtilioribus praxeos minutiis indagandis solertiam (sine qua nemo unquam medicinam merita cum laude faciet) catus attulerit. Unde etiam ægrorum suorum votis, bonus felixque cum primis respondet.

Hæc demum sunt quæ ipse de hoc morbo sentio, quæ non mihi suggessit phantasiæ imaginatricis temeritas, sed phænomena practica edocuere. Neque sane capio, qui fieri possit, ut fallatur is, qui cogitationes suas omnes mera ac nuda ejus sive artis sive facultatis praxi limitat, & determinat, quam sibi perdiscendam & cum laude exercendam proposuit; aut e contra qui possit fieri, ut non tam in ipso se,

quam

quam in aliis decipiendis omnes vitæ annos prodigat ille, qui in iis excogitandis operam diſperdit, quæ cum praxi nihil prorſus habent commune. Et ſicuti haudquaquam fauſtus probuſve *navis ad Clavum Gubernator* fuerit ille, qui non tam ad brevia, & ſaxa ſubmarina agnoſcenda evitandaque, quam ad cauſas fluxuſque maris ſpeculandas animum advertit (quod quidem cum Philoſopho ſit digniſſimum, ab eo tamen perquam eſt alienum, cui id tantum negotii datum eſt ut navis non ſubmergatur) ita neque Medicus, cui non alia quam curandorum morborum provincia decernitur, quantumlibet ingenio cæteriſque animi dotibus valeat, in arte vere medica proficier, qui non tam in occulta, & tortuoſa illa methodo, qua natura morbos parit alitque (a qua etiam eorundem hiſtoria pendet) indaganda, atque in remediis eidem adaptandis omnes animi vires intendat, quam in curioſis & παρέργοις ſpeculationibus cerebrum fatiget, ad homines orco eripiendos (quod ſpondet medicina) ne hilum facientibus. Quæ quidem prævaricatio non ſolum in cauſa eſt, quod genus humanum commodis illis & emolumentis privetur, quibus a plurimorum ingenio animique dotibus augeri potuiſſet, ſed etiam effecit tandem, ut quæ medica appellatur, revera confabulandi garriendique potius ſit ars, quam medendi. Atque eo tandem deventum eſt, ægris vivendum moriendumve ſit, prout Philoſophus, vel conjectando ſcopum attigerit, vel ab eodem aberraverit, quod in lubrico ſemper eſt atque ancipiti, cum primi iſti ſpeculationum repertores, non minus quam eorum mancipia, & ſervum pecus, de cerebroſis iſtis commentis bello quaſi internecino invicem digladientur, attamen nemo fortaſſe omnium ipſam veritatem aſſequatur. Quamvis enim, ſi mentem ſerio applicuerimus, quid de facto agat natura, & quibus in operatione ſua utatur organis, deprehendere valeamus; modus tamen, quo illa operatur, mortales, aut ego fallor, ſemper latebit. Neque hoc mirum eſt, cum longe (immo ſupra omnem humanum captum longe) credibilius ſit nos miſellos homunciones ab illuſtri vitæ luciſque regione exulantes, methodum, qua in fabricanda machina uſus eſt ſapientiſſimus Artifex, capere nullatenus poſſe; quam fabrum ferrarium rudem prorſus, & imperitum neſcire quo pacto concinnetur automaton horarum index, cujus ſtructura, & motus exquiſitiſſimam artis elegantiam præ ſe ferunt. Sicut de facto conſtat, cerebrum omnis tam ſenſus, quam motus fontem eſſe, tum etiam & cogitationum, & memoriæ officinam; & tamen non eſt poſſibile a diligentiſſima ejus inſpectione contemplationeve mentem uſque adeo illuminari, ut intelligere poſſit, quo pacto ſubſtantia ita craſſa, & quaſi pulpa quædam, neque operis, ut videtur, uſque adeo affabre elaborati, uſui ita nobili & facultatibus tam præcellentibus queat ſufficere; neque exinde aſſignare quis potis eſt, qua ratione ex naturæ ejus vi, & ſtructura partium, ſive hæc ſive altera iſta facultas neceſſario fuerit exerenda.

Atqne hæc de Variolis confluentibus: Quibus ſi adduntur quæ in hiſtoria morborum acutorum de hoc affectu tradidi, ſummam habes eorum quæ mihi hactenus innoruere, eaque omnia diligentiſſime, quod a me fieri potuit, trutinata atque expenſa.

Accingo me jam (quoniam ru id poſtulas, Vir Eruditiſſime) ad ea exponenda, quæ de *Affectionibus Hyſtericis* hactenus obſervatione comperi. Quas quidem, perobſcuram & difficilem, præ cæteris qui homines vexant, morbis, diagnoſin habere, tum etiam ægrius curationem admittere, lubens fateor. Attamen ut potero morem tibi geram, ea, quæ Epiſtolæ convenit, brevitate; quam ſane a me exigit valetudo infirmior, & quaſi vacillans, hac præſerrim anni tempeſtate, qua mihi verendum eſt, ne ſi pertinacius cogitationibus indulſero, podagræ mox paroxyſmum accerſam. Paucis itaque expediam, quæ hic habeo dicenda, methodo, qua uti ſoleo, inſiſtens; brevem ſcil. morbi hiſtoriam tradens ſecundum vera naturæ phænomena; tum etiam medendi rationem ſubnectens quæ mihi optime ceſſit; quamque non tam librorum lectio, quam experientia propria, magiſtra haudquaquam infida, jam olim ſuggeſſit.

Hic morbus, ſi recte calculum pono, chronicorum omnium frequentiſſime occurrit; & ſicuti febres cum appendicibus ſuis duas partes tertias, ad chronicos morbos ſimul ſumptos ſi comparentur, complent, ita affectus hyſterici (vel iſti ſaltem qui eo nomine inſigniuntur) ad reliquæ partis tertiæ dimidium aſſurgunt, hoc eſt, chronicorum pars media ſunt. Fœminarum enim pauciſſimæ (qui ſexus adultorum dimidia eſt pars) ab omni horum affectuum ſpecie prorſus liberæ ſunt, ſi iſtas excipias, quæ laboribus aſſuetæ dure vitam tolerant. Quinimo non pauci ex iis viris qui vitam degentes ſedentariam chartis ſolent impalleſcere, eodem morbo tentantur. Et quamlibet omnis retro antiquitas ſymptomata illa affectibus hyſtericis adnaſcentia utero ſemper vitio verterit, ſi tamen *Affectiones Hypochondriacas* vulgo dictas, quas ſplenis aut viſcerum neſcio quorum obſtructioni imputarius, cum mulierum hyſtericarum ſymptomatibus conferamus, vix ovum ovo ſimilius, quam ſunt utrobique phænomena, deprehendemus. Neque tamen reticendum eſt, fœminas multo crebrius hoc morbi genere corripi quam ſolent mares, non quod ſe uterus magis male habeat, quam alia quævis corporis regio, ſed ob cauſas infra explicandas.

Sed nec ſpectabilior eſt hujus morbi frequentia, quam varietas illa multiformis qua ſe oſtendit, & nullos fere non æmulatur ex iis affectibus, quibus atteruntur miſeri mortales. Quamcunque enim corporis partem inſederit, ſymptomata, qualia ei competunt parti, ſtatim producit: Et niſi Medicus tam ſagaci quadam ſolertia & διανίστητι, quam in arte peritia valeat, fraus ei fiet, atque iſta ſymptomata a morbo aliqno eſſentiali hujus, vel illius partis, non vero ab affectione hyſterica, pendere arbitrabitur.

Quandoque v. gr. *Capitis* arcem occupans, *Apoplexiam* facit, quæ ſimiliter *Hemiplegia* ſolvitur, eam omnino referens apoplexiam, qua tum ætate, tum mole corporis grandiores ſiderantur, & quæ ex eo naſcitur, quod, Cerebri cortice pituitæ copia referto ac ſcatente ſpirituum animalium meatus, ac ſemitæ intercludantur: a qua quidem canſa, quæ fœminis hyſtericis accidit apoplexia, oriri nullatenus videtur, cum eaſdem haud infreqüens adoriatur confeſtim a partu, magna ſanguinis vi ſimul ejecta, & vel partui laborioſiori, vel vehementiori alicui animi commotioni debeatur.

Quandoque *Spaſmos* horrendos gignit, *Epilepſiæ* perſimiles, ventre & præcordiis guttur verſus intumeſcentibus, & nixus ita fortes edente ægra, ut licet alias mediocrium tantum fuerit virium, jam omni adſtantium ope vix retineri queat, incondita interim atque inarticulata quædam vociferans, & pectus feriens. Fœminæ, quibus hæc ſpecies, quæ *uteri Strangulatus* vulgo audit, familiarior eſt, temperamento ſunt ut plurimum pluſquam ſolet ſanguineo, & habitu corporis ad viragines accedente.

Nonnunquam *exteriorem Capitis partem* occupat, pericranium inrer craniumque, dolorem vix rolerabilem adferens, in quadam tantum particula, quæ tranſverſo pollice contegi poſſit, jugiter defixum. Dolorem hunc etiam comitantur vomitiones enormes. Hæc ſpecies *Clavus Hyſtericus* mihi eſt, iſtas præ cæteris fatigans, quæ *Chloroſi* laborant.

Nonnunquam in *partes* incidens *vitales*, ita vehementem *Cordis palpitationem* excitat, ut quæ eam patitur fœmina pro indubitato habeat, ſonitum cordis in coſtas arietantis etiam ab adſtantibus omnino debere percipi. Hæc ſpecies eas maxime infeſtat, quæ extenuato ſunt corpore, & craſi minus firma, quæque extabeſcentium pene formam præ ſe ferunt; rum etiam Juvenculas *Febre Alba* pallescentes.

Nonnunquam *Pulmones* obſider, unde æger creberrime tuſſit, & fere ſine intermiſſione, nihil prorſus expectorans: & quantumlibet hæc tuſſis ſpecies non ita valido niſu rhoracem concutiat, atque illa quæ convulſiva dicitur, exploſiones tamen longe frequentiores ſunt, æger præterea non ita ſenſu valet. Hæc autem *Tuſſis Hyſtericæ* ſpecies oppido rara eſt, & fœminas pituita ſcatentes præ cæteris exagitat.

Nonnunquam in *Colon*, & regionem *Scrobiculo Cordis* ſubtenſam impetum faciens dolorem vix ferendum infligit, *Iliacæ Paſſioni* haud abſimilem; ubi ægra immodice vomit, colluviem quandam viridem, bili, quam *Porraceam* appellant, fere parem, nunc etiam inſoliti alicujus coloris, rejiciens. Sæpe etiam poſtquam ægra ad multos dies jam dicto dolore (qui vel Stoicorum ἀπάθειαν expugnarer) & continuo vomituritionis conatu tantum non fuerit enecta, tandem *Ictero* intenſiore omnem corporis ſuperficiem ad inſtar croci tingente, ſolvitur paroxyſmus. Ægra interea diris mentis angoribus preſſa, omnem recuperandæ ſanitatis ſpem prorſus abjicir: quæ quidem animi dejectio, & quaſi *deſperatio* quædam, non magis, quantum ego obſervavi, ab hac hyſtericorum affectuum ſpecie ſejungitur, quam ſive dolor, ſive vomitus præmemorati. Atque hoc genus in iſtis præcipue locum habet, quæ corporis habitu laxiore crudoque ſunt, tum & in iis, quæ infantes grandiuſculos, cum ingenti ſui & naturalium vitæ ſtaminum diſpendio, ſunt enixæ.

Quandoque hoc malum in alterutrum ex *Renibus* incurſans, atrociſſimo quem illic parir dolore, *Paroxyſmum Nephriticum* omnino mentitur, idque non ſolum doloris genere locoque quo ſævit, ſed & adſcitis vomitionibus immanioribus, tum etiam nonnunquam ex eo, quod dolor per uretherum ductus propagetur; ita ut ægre admodum dignoſci queat, utrum hæc ſymptomata ab incluſo calculo, an vero ab effectu aliquo hyſterico enaſcantur, niſi forte caſus aliquis acerbior ægræ animum paulo antequam corriperetur diſcrucians, aut materiæ viridis per vomitum rejectio, ſymptomata iſta affectioni potius hyſtericæ quam calculoſæ tribuenda eſſe docuerint. Sed neque *Veſica* ab hoc pſeudoſymptomate atque ementito affectu immunis eſt; cum non rantum ipſa ab eo doleat, ſed & urina ſuppriматur, perinde ac ſi calculus eam obſtrueret, qui tamen nullus eſt. Rariſſime autem cernitur poſtrema hæc ſpecies veſicam attingens, quæ vero renum calculum imitatur, non ita raro. Utraque eas ſolet invadere fœminas, quarum vires repetitis ſæpe paroxyſmis hyſtericis jam fractæ ſunt, & ſanitas corporis detrita.

Nunc in *Ventriculum* decumbens, continuas *Vomitiones* excitat; nunc etiam *Diarrhœam*, quoties ſcil. in inteſtina effunditur: at neurrum horum ſymptomatum ſequitur dolor, licet in utroque perſæpe compareat dictus ille ſuccus viridis. Utraque hæc ſpecies iis familiaris eſt, quas frequentiores paroxyſmi hyſterici debilitaverunt.

Atque ut hic morbus omnes ferme partes *Internas* infeſtat, ita etiam nonnunquam, & *Exteriores* carnemque muſculoſam occupat, *maxillas* ſcil. *humeros*, *manus*, *crura*, *tibias*, nunc dolorem adducens, nunc tumorem; in quo genere is, qui tibias diſtendit, tumor præ reliquis conſpicuus eſt. Cum enim in hydropicorum tumoribus duo hæc ſemper obſervari poſſint, ut tumor ſc. ſub veſperam ſe majorem exhibeat, tum etiam ut paſtæ inſtar madentis, veſtigium digiti fortius impreſſi formamque referat: jam in hoc altero, tumor matutino tempore protuberantior eſt, nec digito cedit prementis, aut veſtigium ullum manet. Plerunque etiam tibiarum alterutram tantum inflat: de cætero ſive magnitudinem ſpectes, ſive etiam ſuperficiem hydropicorum tumores ita ad amuſſim æmulatur, ut ægre ſe haud facile ad ea quæ inſedit ſententia, dimoveri patiantur.

Sed neque ipſi *Dentes* (quod vix credas) ab hujuſce morbi inſultu ſe poſſunt defendere; licet neque vel minima cavitas, neque humoris alicujus defluxus, ſaltem qui percipi queat, doloris ſive anſam præbuerit, ſive vehiculum; qui nihilominus nec mitior eſt, nec contractior, aut expugnatu facilior. Iſti vero tum dolores, tum tumores, quibus afficiuntur, partes exteriores, quas ſupra memoravimus, eas præcipue fœminas adoriuntur, quæ, longa paroxyſmorum hyſtericorum ſerie, ac impetu violento tantum non exaniuatæ, vitam ducunt vix vitalem.

Inter omnia vero morbi hujus tormenta, nullum ſe tam crebro ingerit quam *dolor* in *Dorſo*; quem certo certius perſentiſcunt, quotquot vel leviſſime hoc affectu tanguntur. Quinimo id habent effectum commune dolores prædicti, quod illa cui inhæſerant regio, etiam poſt eorum diſceſſum, tenera ſir, & quaſi fuſtibus probe fuerit dedolata, tactum refugiat; quæ quidem teneritudo ſenſim evaneſcit.

Hoc interim obſervatu digniſſimum eſt, quod non raro notabilis quædam *externarum partium refrigeratio* ſymptomatibus his omnibus viam quaſi ſternir, & plerunque non niſi paroxyſmo finito diſpellitur: quam quidem refrigerationem haud ſemel iſti fere, qua rigeur cadavera, parem comperi, pulſu nihilominus recte ſe habente.

Addo, quod hyſtericæ fere omnes, quotquot ego hactenus tractavi, de *ſpirituum* dejectione ſive *ſubſidentia* (ut cum illis loquar) conqueruntur; pulmonis regionem indigitantes, quoties locum, in quo hæc ſpirituum contractio, ſeu ſubſidentia ſentitur, volunt deſignare.

Demum mulieres affectione hyſterica laborantes, nunc in *riſum* effundi, nunc in *lacrymas* pariter immodicas ſolvi, nulla προφάσει manifeſta ſive illum, ſive has extorquente, nemini non eſt notum.

Inter omnia vero, quæ in hoc morbo comparent phænomena, illud maxime proprium eſt, atque ab eo fere inſeparabile, quod ſc. ægræ *urinam* ſubinde reddant plane *limpidam* ad inſtar aquæ e rupibus ſcaturientis, idque ſatis copioſe, quod quidem ego ſigillatim per-

con-

contando, in omnibus fere didici signum esse pathognomicum eorum affectuum, quos in fœminis *Hysstericos*, in maribus *Hypochondriacos* appellando censemus. Atque in masculis nonnumquam observavi, quod mox ab excreto lotio coloris citrini (immo vero proximo temporis momento) violentiori aliquo animi motu derepente perculsi, statim urinam, crystallum claritate æmulantem, magna copia, & impetu diu continuato ejecerint, eo usque se male habentes, donec urina pristinum colorem induerit, & paroxysmus simul evanuerit.

Quin & omnibus tam hystericis, quam hypochondriacis, quibus scil. jam malum inolevit, id accidit, ut *flatus* quandoque *nidoroſos* e ventriculo emittant; quoties aliquid comederint, licet moderate tantum, & pro ratione appetitus, tum etiam aliquando *acidum* eructent, acetum sapore referens, quoties in eos ascenderit; læsa nempe utrobique concoctione, & succis proinde a naturali statu interversis.

Neque hoc tantum nomine infelices sunt, quod corpus ita male affectum, & quasi conquassatum adinstar ædium ruinas undequaque minitantium, tantum non corruat, & fatiscat, cum magis adhuc animo ægrotent, quam corpore. Cum enim desperatio plane insanabilis de hujusce morbi natura sit, indignantur admodum quoties aliquis, vel minimam de sanitate recuperanda spem injecerit; facile interim credentes omnia scil. quæcumque in homines cadere possunt incommoda, quæque adeo fert rerum natura, perpessuros, tristissima quæque sibi comminantes, atque timorem, iram, zelotypiam, suspiciones, & si quæ atrociora sunt animi pathemata, vel ex levissima, vel etiam nulla data ansa, arripientes, & sinu foventes irrequieto anxioque; ab omni interim gaudio, spe, lætitia abhorrentes, quæ si forte occurrant, quando hæ raræ aves sunt, velocissime avolant, animum interim haud minus vehementer exagitantia, quam solent mœstiora illa πάθη, ita ut nullibi mediocritatem servent, in una levitate constantes; nunc amant præter modum, mox odio eosdem sine causa prosequuntur: nunc hoc illudve sibi agendum proponunt, mox a proposito resiliunt, & quod cum eo pugnat, aggrediuntur: sed neque hoc peragunt, ita animi pendentes, ut numquam liceat quieta mente consistere. Quodque de superstitiosis asserit Orator Romanus, nostris hisce melancholicis pulchre quadrat. *Perfugium videtur omnium laborum, & solicitudinum esse somnus, ac ex eo ipso plurimæ curæ, metusque nascuntur*; cum funera tantum in somniis, & denatorum amicorum umbræ repræsentantur. Ita tam animo quam corpore excarnificantur, quasi hæc vita omnis ignis esset expurgatorius, in quo scelera alio in statu perpetrata jam luerent atque expiarent. Neque hoc tantum maniacis accidit, & furiosis, quos dicimus, sed etiam illis, qui, si hos animi impetus excipias, prudentia ac judicio valent, quique & meditationum profunditate, & sapientia orationis longe eos superant, quorum mentes his cogitationum aculeis numquam fuerint excitatæ. Ita ut non sine ratione observaverit Aristoteles, melancholicos cæteris ingenio præstare.

At vero tam horrendus animi status, qualem supra delineavimus, non aliis competit, quam iis, qui diu multumque cum hoc morbo conflictati, tandemque subjugati quasi victas manus dant; maxime si res adversæ, animi mœrores, solicitudinesve, nimia in literarum studio assiduitas, atque animi contentio cum prava corporis diathesi conspirantes, oleum camino adjecerint.

Dies me deficeret, si omnia quæ affectus hystericos gravant symptomata enumerare velim; tam diversa atque ab invicem contraria specie variantia, quam nec Proteus lusit umquam, nec coloratus spectatur Chamæleon. Proinde recte mihi videtur rationem subduxisse *Democritus* (quantumlibet in morbi causa hallucinaretur) ubi in Epistola ad Hippocratem missa diserte asserit: *Sexcentarum ærumnarum, innumerarumque calamitatum authorem esse uterum*. Neque tantum multifaria sunt ista, sed nec regula aliqua aut typo uniformi se contineri patiuntur, quod in aliis hominum affectibus tamen usu venit, sed quasi farrago sunt quædam φαινομένων incomposita atque inordinata, unde perarduum est hujus morbi historiam describere.

Causæ autem hujus morbi *Procatarticæ* seu externæ, vel sunt vehementiores corporis motus, vel etiam multo sæpius, violenta quædam animi commotio a repentino aliquo, sive iræ, sive doloris, sive etiam timoris, & similium pathematum insultu. Quoties itaque me consulunt fœminæ de hoc illove corporis affectu, cujus ratio e vulgaribus morborum dignoscendorum axiomatibus nequeat reddi, numquam non diligenter ab eis exquiro, An non eo de quo conqueruntur malo, tum præcipue fatigentur, cum tristitia, ærumna, aut alia aliqua perturbatio eas male habeat; quod si annuerint, jam satis superque mihi constat morbum in hac, de qua agimus, Tribu censendum; præsertim vero si diagnosin id clarius illustret, quod scil. certis aliquot temporibus urinam limpidam, & crystalli æmulam, eamque copiosam simul excernant. His vero animi motibus, qui usitatiores sunt hujus morbi προφάσεις, accedunt vel stomachi vacuitas ab inedia pertinaciori, vel nimiæ humorum evacuationes, sive a sanguine intemperanter effuso, sive ab emetico, aut cathartico, cui impares erant ægræ vires.

Jam vero ab hac totius morbi imagine, secundum vulgatissima ejus φαινόμενα depicta, proximo loco ejus *Causæ efficientes internæ* sive προηγούμεναι mihi veniunt pensitandæ, quantum eas, ex omnibus quas descripsimus circumstantiis simul junctis, exspicari valeam.

Pendent ergo affectiones istæ, quas in fœminis hystericas, in maribus hypochondriacas insignire libet, quantum ego judico, a spirituum animalium ἀπαξίᾳ, unde facto impetu in hanc illamve partem plus quam pro rata densi nimiique feruntur, spasmos uti & dolorem excitantes ubi in partes sensu exquisito præditas irruunt, atque organorum, tum ejus in quod se ingerunt, tum istius a quo abscedunt, functiones pervertentes; cum utrumque ab hac tam iniqua partitione, quæ naturæ œconomiæ penitus adversatur, haud parum detrimenti capiat.

Cujus quidem ἀπαξίας origo atque *causa antecedens* est debilior dictorum spirituum crasis, sive nativa ea fuerit, sive etiam adventitia, unde quavis προφάσει diffipatu faciles sunt, & eorumdem systema nullo fere negotio dirimitur. Quemadmodum enim *Homo* quidam *exterior* conspicitur ex partibus sensui obviis compaginatus, ita proculdubio & *interior* est quidam homo e debita spirituum serie, & quasi fabrica constans, solo rationis lumine contemplandus. Hic vero cum temperie corporis intimius conjunctus, & quasi unitus, tanto ægrius faciliusve de statu suo dejicitur, quanto major est minorve ea, quam a natura sortimur, principiorum constituentium firmitas. Quamobrem fœminas longe plures quam masculos hic morbus aggreditur, quoniam videlicet istas natura magis delicatulo rarioreque corporis habitu (ceu vitæ molliori, & hominum deliciis destinatas) blanda donavit; mares autem toroso corporis robore, utpote qui laboribus exantlandis in tellure colenda, & repastinanda, & feris, quibus alantur, capiendis, aliisque similibus, apti nati sint.

Dictam autem spirituum ἀπαξίαν hujus morbi causam esse, phænomena jam descripta satis probant; quorum præcipua tantum attingam, a notissimo illo affectu hysterico, qui *Uter Strangulatus* vulgo dicitur, initium faciens. Hic jam spiritus, facto quasi agmine in ventre inferiore, catervatim magnoque impetu in fauces irruentes, spasmos excitant per omnem quam transeunt regionem, ventrem inflantes ad instar globi prægrandis, qui tamen nihil aliud est quam partium spasmo tentatarum convolutio, & quasi conglobatio quædam, quæ non nisi magna vi reprimi potest, & coerceri. Partes interim externæ massaque carnea a spiritibus, jam alio raptis, magna ex parte destitutæ, eo usque frigescunt persæpe, non in hac sola affectus hysterici specie, sed in aliis omnibus, (quod prius adnotatum) ut cadavera non frigeant magis. Pulsus interim qualis sanarum est, nec ægra ab hoc frigore de vita periclitatur, nisi illud ab evacuatione aliqua enormiori præcedente originem ducat.

Idem etiam dici potest de violentiori isto affectu hysterico, qui externa facie *Colicam bilioſam*, vel etiam *Passionem Iliacam* æmulatur; in quo ægra dolore vix tolerando in regione cordis scrobiculo circumposita, una cum immani materiæ herbam colore referentis evomitione, discruciatur. Quæ quidem symptomata haud aliunde nasci existimo, quam a vehementi spirituum denso conglomeratorum in dictas partes impulsu, unde & spasmus, & dolor, & earum totalis facultatum subversio.

Neque ex eo quod ista, quæ in hoc affectu sive per os, sive per sedem egeruntur, colore quandoque viridi tingantur, statim conficitur morbum hunc in humoribus residere, aut atrociſſimum illum dolorem ab humoris alicujus acrimonia partem, cui inhæret dilaniantis, produci; quem idcirco pro minera morbi habeamus, ac proinde remediis tam ἄνω quam κάτω catharticis radicitus extirpandum censeamus. Etenim de facto constat, ægritudinem illam, qua laborant navigantes (a spirituum animalium agitatione ortam, in fluctuanti ac irrequieto mari) colluviem coloris plane herbacei ex hominum vel saniſſimorum ventriculo exantlare, ubi primum in mare longius sunt provecti, quibus tamen ante semihoram ultimo elapsam non inerat bilis hæc, quam porraceam appellare libet. Annon & infantes in paroxysmis convulsivis, in quibus spirituum animalium maxime res agitur, tam per superiora, quam per inferiora materiam ejusdem plane coloris ejiciunt? Quibus addendum est id, quod experientia ferme quotidiana docet, scil. quantumlibet ejusmodi, sive fœminas, sive infantes iterata catharsi exhauserimus, attamen color jam dictus in eis, quæ vel per vomitum, vel per sedem exeunt, usque visetur. Quin etiam a pharmacis tam emeticis quam catharticis frequentius propinatis uberior materiæ viridis nascitur seges, cum ab utroque genere spirituum ἀπαξία provehatur: quæ vel nescio quomodo, istarum partium fermentum destruit ac pervertit, vel in ventriculum intestinaque vi spasmorum succum aliquem alienæ indolis intorquet, qui humores ejusmodi coloribus inficere potis est. *Chymiæ* sectatores, licet nondum ita bene cum illis sit, ut quæ in organis suis πολυτέχνοις medicamenta elaboraverint, majus aliquid in morbis debellandis præstent, quam quæ contunduntur in mortario, vel in olla decoquuntur; tamen curiosorum περιεργίᾳ eousque gratificari norunt, ut duos liquores æque limpidos claroſque ostendentes, ex iisdem invicem commixtis saturatum colorem aliquem, quasi præstigiantes, possint exhibere. Et profecto, ita lubrica est & evanida colorum speculatio, ut nihil certi ex illis, de corporum in quibus apparent natura, queat deprehendi. Neque magis sequitur ea quæ colore viridi sunt, acria esse omnia, quam omnia quæ sunt acria, viridi esse colore. Re itaque undique perpensa, satis liquet dolorem immaniſſimum, qui hac colica hysterica laborantes pene exanimat, tum etiam materiæ viridis rejectionem, a spiritibus nimio impetu in partes sub cordis scrobiculo positas incursantibus, atque easdem spasmo contrahentibus omnino excitari.

Huic etiam spirituum enormitati tribuendum est symptoma istud, quod superius *Clavi Hysterici* nomine indigitavi, in quo spiritus ab omni corporis ambitu in certo pericranii quasi punctulo concentrantur, dolorem haud minus perterebrantem, quam si clavus ferreus in caput vi adigeretur, accersentes, una cum insigni materiæ viridis evomitione. Quæ quidem spirituum ab universo corpore quasi in punctum contractio non multum abludit ab ista radiorum Solis collectione, quæ fit ope vitri incensorii: utque hi vi unita exurunt, ita & isti ob eandem rationem dolorem infligunt, membranas quasi discerpentes laceranteſque, junctis viribus.

Deinde ab hac inordinata spirituum agitatione sanguinem perturbante, exoritur symptoma illud, tam hystericis, quam hypochondriacis haud insolens, ut supra notavimus, quod nempe sæpenumero *urinam* reddant *claram* limpidamque simul, & copiosam: cum enim sanguinis œconomia subinde interpellatur, quod importatur serum satis diu retinere nequit æger, sed illud prius dimittit, quam istis particulis salinis, quarum ope color ad citrinum traduci debuerat, imprægnari potuerit. Cujus rei quotidianum habemus experimentum in eis, qui, cum plus satis liquoris, maxime tenuioris atque attenuantis, ingurgitaverint, lotium mox limpidiſſimum excernunt. Quo in casu sanguis ab ea seri quantitate, cui retinendo prorsus impar est, plane devictus, illud omnino limpidum amittit, nec dum a corporis succis infectum, ob moram justo breviorem.

Tertius jam agitur annus, a quo Nobilis quidam me sibi Medicum volebat, qui *Colicam Hypochondriacam* pati mihi videbatur, ad *Passionem Iliacam* fere accedentem, doloreque, & vomitu enormiori; quo morbo diu multumque fuerat vexatus, & tantum non fractus.

Per omnem morbi decursum sedulus animadverti, quod ubi pessime se habuerit, urina limpida, & exors coloris semper fuerit, quando vero paulo melius, ad citrinum vergeret illa. Hunc die quodam adiens, urinam conspexi, quam tribus vicibus excreverat, in matulis totidem reservatam, citrino colore præditam: lætus ipse hilarisque cibum ex ὄπτησις aliquem jam assumere meditabatur, invitante, quod mihi dicebat, appetitu: in quo temporis articulo superveniens quidam eousque bilem commovebat, ut extemplo ægrotans, matulam

tolam depoſceret, quam urina limpidiſſima cryſtallum colore æmulante, fere implevit.

Forte etiam a ſpiritibus ſanguinem ita moleſtantibus pendet *Ptyliſmus* ille hyſtericis familiaris, cum ad multas ſeptimanas ſalivam expuant tenuem, perinde ac ſi unguento ex *Mercurio* fuerint delibutæ: durante enim hoc turbido ſanguinis ſtatu, in quo excretionibus ad naturæ methodum exigendis impar is eſt, ſerum motum hunc inverſum forte ſibi vendicans non jam in renes pro lege naturæ exoneratur, ſed per arteriarum extremitates in glandulas deponitur, & per *ductus ſalivales* ſalivæ forma prodit. Idem dici poteſt de nocturnis iſtis ſudoribus, quibus fœminæ hyſtericæ nonnumquam profunduntur, qui non ab alia cauſa fluunt, quam a ſeri ſanguinis diatheſi, qua in corporis habitum geſtit effundi, ob modo memoratam ſanguinis ἀταξίαν.

Frigus quod attinet, quo toties algent partes externæ in affectibus hyſtericis, luce clarius eſt, illud ex eo accidere, quod ſpiritus ſuam in illis ſtationem deſerentes, ſe nimio opere in hanc illamve partem inferant: Nec eſt dubitandum, quin tam *Fletus*, quam *Cachinnus*, quem tollunt haud raro hyſtericæ, etiam nulla data anſa, a ſpiritibus animalibus procuretur, organa, quæ his functionibus animalibus inſerviunt, magna vi pulſantibus.

Obiter dicam, mares etiam, quamvis rarius id eveniat, fletui ex nulla προφάσει quandoque obnoxios reperiri. Accerſebar aliquando ad virum tam ingenio, quam genere nobilem, qui nonniſi paucis diebus a febre convaluerat, alterius Medici conſilio uſus, qui & ſanguinem detraxerat, & pharmacum catharticum ter exhibuerat, tum etiam carnibus illi interdixerat. Hunc ubi veſtitum conſpexerim, & de rebus quibuslibet cum judicio differentem audierim, rogabam quorſum me conveniret; reſpondit familiaris quidam ejus, modo expectarem pauliſper, res ipſa loqueretur; confidens itaque, & ſermones cum ægro trahens, mox obſervavi labrum inferius pendulum protrudi cum motitatione crebra (uti ſolent infantes morioſiores fletum adornare) & exinde ægrum in tantas ſolvi lacrymas, quantas vix alias vidi umquam, cum gemitu ac ſuſpiriis tantum non convulſivis. Qui tamen repentinus torrens non ita multo poſt detumuit prorſus. Hinc ego affectionem a ſpirituum ἀταξίᾳ, (partim a morbi diuturnitate, partim ab evacuationibus, quas θεραπεία neceſſario exigebat, orta) pendere exiſtimabam: partim etiam ab exinanitione, & abſtinentia a carnibus, quam etiam ad dies aliquot poſteaquam convaluerat, imperaverat Medicus, quo eum a recidiva præſtaret ſecuriorem. Hinc eum pronunciavi extra omnem febris aleam jam conſtitutum; ſymptomaque prædictum inanitioni tantum deberi, ac proinde ſuadebam, ut pullum gallinaceum aſſum in prandium juberet parari, & ſimul vinum modice hauriret; quo facto, & carnibus deinceps moderate veſcens, numquam deinceps fletum hunc convulſivum paſſus eſt.

Ut tandem finiam, (cætera enim, quæ in hoc morbo ſpectantur phænomena, jam miſſa facio) ab hac ipſa ſpirituum inordinatione naſcitur perturbatio illa, & varians ſubinde tam animi, quam corporis intemperies, quæ tum in hyſtericis, tum hypochondriacis dominatur: cum enim utriſque deſit ea ſpirituum firmitas, quæ in robuſtioribus, atque iis, quorum facultates jugi ſpirituum vegetorum ſubſidio actuantur, ſemper invenitur, impreſſiones rerum minus gratarum nequeunt perferre, ſed vel ira vel dolore ſubito perciti, perinde ſunt irritabiles, atque iſti, quorum ἡγεμονικὸν mollius, & debilius vel natura primo procudit, aut longior ægritudinum ſive ſeries, ſive mora tandem reddidit. Etenim animi robur, & conſtantia, quandiu hoc corporis luto is incruſtatur, a firmitudine ſpirituum eidem famulantium maxime pendet, qui quidem ſupremum in ſcala materiæ gradum conſtituunt, in ipſo *Entis immaterialis* confinio poſiti: Cumque animi compages, ſi fas eſt ita dicere, longe magis affabra ſit & delicata, quam eſt corporis ſtructura, utpote quæ in harmonia facultatum præſtantiſſimarum, & pene divinarum conſiſtat, ſi hujus σύγκρασις quoquomodo fuerit interrupta conturbataque, major inde conſequetur ruina, quanto præcellentius erat & magis exquiſitum opificium, dum integrum perſtaret. Et hic quidem miſerorum quos depinximus, animoque fractorum ſtatus eſt; cui malo non citius remedium adferet pertinax aliquod vel inſolentiſſimi Stoici decretum, quam ὀδυνταλγίαν præcaverit is, qui firmiter ſtatuerit, ſe nullo modo permiſſurum, ut dentes dolore pertententur.

Satis itaque jam conſtat, opinor, omnem hunc morbum ad ſpiritus animales non rite diſpoſitos referri debere; nec a ſemine aut ſanguine menſtruo corruptis (quod aſſerunt nonnulli Authores) & halitus malignos in partes affectas elevantibus, produci; nec a ſuccorum neſcio qua perverſa depravatione, ſive etiam humorum acrium congeſtione, ut alii volunt, ſed ab iis quas modo aſſignavimus cauſis. Quod enim morbi fomes in materia non deliteſcat, unica hac inſtantia ſatis eluceſcet. Fœmina v. gr. quæ rectiſſima ſemper valetudine uti ſolet, modo delicatula ſit illa, & teneriore corporis habitu, ſi forte errore aliquo, ſive emetico, ſive cathartico quovis fortiore nimium fuerit debilitata exhauſtaque, certo certius ſymptomate aliquo, ex iis, quibus hic morbus ſtipatur, mulctabitur; quod tamen ejuſmodi vomitio, vel catharſis amoliretur magis quam invitaret, ſi morbi minera in humore contineretur. Idem dici poteſt de immodico ſanguinis diſpendio, ſive phlebotomia is fuerit extractus, ſive in puerperio copioſius manaverit, uti & de exinanitione, & juſto longiore a carnibus abſtinentia, quæ omnia ad effectus hyſtericos præcavendos potius facerent, quam ad eoſdem accerſendos, ſi illorum fomes in materia aliqua involveretur: cum e diverſo non alia cauſa ita conſtanter pariat hujuſmodi affectus, ac ſolent dictæ evacuationes.

Quamvis autem ſatis pateat originarium hujus morbi fomitem in humoribus nullatenus ſtabulari, fatendum eſt tamen (quod res eſt) ſpirituum ἀταξίαν illam, cui morbus debetur, humores putridos in corpore coacervandos gignere, cum tam illarum partium functio, quæ vehementiori ſpirituum impulſu diſtenduntur, quam earum, quæ illis privantur, omnino pervertatur. Cumque harum pleræque *Organa* ſint quaſi *ſeparatoria*, excipiendis cruoris recrementis deſignata, ſi earum functiones quovis modo lædantur, fieri non poteſt, quin ingens fæculentiæ colluvies accumuletur; quæ quidem eliminata fuiſſet, totaque proinde ſanguinis maſſa depuratior facta, modo ſingula organa munus ſuum expleviſſent, cui nullo modo defuiſſent, ſi debita ſpirituum œconomia univerſa invigoraſſet. Huic ego cauſæ adjudico *Cachexias* inſigniores, ἀνορεξίαν ſive *Appetitus proſtrationem*; in Juvenculis *Chloroſin*, ſive *Febrim albam* (quam quidem *ſpeciem* eſſe *Affectionis hyſtericæ* nullus dubito) aliamque omnem malorum lernam, in qua immerguntur miſellæ, quotquot hoc morbo diu elanguerunt, quæ omnia a ſuccis putreſcentibus in ſanguine congeſtis, atque exinde in organa varia depluentibus ſuccreſcunt. Hujus farinæ eſt *Hydrops teſtium* in fœminis, quæ jam diutius affectu hyſterico laboraverint, natus a ſuccis depravatis e ſanguinis maſſa in organa rejectis; unde perverſis eorundem facultatibus, primo ſteriles fiunt mulieres, & deſtruitur prorſus œconomia partium, indeque ſerum & ſanies gignuntur, quæ non tantum *Nodulos ovaque teſtium* interficiunt, ſed etiam in tunicarum interſtitia ſe inſinuantia, teſtes in molem ingentem elevant, quod in earum diſſectionibus cernitur, quæ hoc morbo pereunt. Diatheſis interim hyſterica horum aliorumque humorum ſimilium cauſa eſt primaria, quamlibet ejuſdem cum illa proſapiæ non fuerint.

Quemadmodum in *Febre quartana*, qua vel pancratice valens quiſpiam corripietur, ſi modo duos treſve dies in locis paludoſis ac lacuſtribus egerit, primo, ſpirituoſum quoddam μίασμα morbi hujus ſanguini imprimitur, quod diuturnius inhærens, læſa tandem naturæ œconomia, omnes corporis ſuccos inquinat, aliena prorſus indole eos imbuens, unde æger (maxime ſi ætate grandior fuerit ac in ſenium jam vergat) cachexiis aliiſque malis obnoxius redditur, que febribus intermittentibus diu affligentibus ſuperveniunt. Quæ tamen febres non ſunt profligandæ remediis, quibus rectiſſime expurgantur hujuſmodi humores, ſed *Specificis* iis, quæ abigendis iſtis febribus immediate dicantur.

Ex omnibus, quæ nos hactenus congeſſimus, abunde mihi conſtare videtur, præcipuam in hoc morbo indicationem curativam eam eſſe, quæ ſanguinis (qui ſpirituum fons, & origo eſt) corroborationem indigitat; quo facto ſpiritus invigorati eum ſervare poſſint tenorem, qui & totius corporis, & ſingularum partium œconomiæ competit. Cum vero hæc ſpirituum ἀταξία (quod ſupra fieri poſſe conceſſimus) mora longiore humores vitiaverit, e re fuerit eoſdem jam corruptos, & *Phlebotomia*, & *Catharſi* prius imminuere, modo ægræ vires permiſerint, quam ad ſanguinem corroborandum nos accinganus; quem quidem ſcopum vix aſſequi poterimus, quamdiu fæculenta humorum colluvies ſe mediam, quaſi obiceni, interpoſuerit. Quandoquidem autem *Dolores* atrociores, *Vomitiones*, & *Diarrhœa* enormes ita nonnumquam efferveſcant, ut inducias non ferant uſquequo primariæ illi fortificandi ſanguinis intentioni poſſit ſatisfieri, quandoque ab effectis conſopiendis (miſſa aliquantiſper cauſa) curationis tela neceſſario ordienda eſt, exhibito ſcilicet medicamine *Anodyno*: dein ſpiritibus, quorum craſis infirmior morbi cauſa eſt, rectificandis opera danda eſt, quo ejuſmodi ſymptomatibus deinceps occurratur. Cumque experientia doceat permulta eſſe, quæ fœtoris exhalatione repellendis ſpiritibus ſeditionem molientibus, & in loco ſuo continendis apta nata ſint, (quæ idcirco *Hyſterica* audiunt) neque illa ſunt negligenda, quoties dictis intentionibus implendis operam navamus.

Ad hanc ego metam collimans, venam in brachio ſecari jubeo, dein ut purgetur ægra tribus quatuorve auroris continuis. Per hos dies, in quibus *Venæ ſectio* & *Catharſis* celebrantur, ita plane nihil emolumenti capere ægra, ut in pejus ruere ſibi videatur, cum dictæ evacuationes tumultu concitato ἀταξίαν promoveant, qua de re ægram diligenter prænoneo, ne animum deſpondeat, ſuadente morbi genio: utut fuerit, vitioſi iſti humores, quos a morbo diuturniore coaggeratos ſupponimus, quadantenus ſunt detrahendi, antequam primariæ intentioni percommode ſatisfcaere queamus.

Poſt has evacuationes, ad ſanguinem confortandum & proinde etiam ſpiritus ex eo prognatos, *Remedium* aliquod martiale ſeu *Chalibeatum* ad *dies triginta* præſcribo aſſumendum, quo non aliud certius hic votis reſpondit. Etenim maſſæ ſanguineæ, jam effœtæ & langueſcenti, volatile quoddam fermentum, ceu calcaria, ſubdit, a quo excitantur & quaſi eriguntur ſpiritus antea jacentes & ſuo pondere preſſi. Cujus rei indicium eſt vel apertiſſimum, quod quoties *Chalybs* in *Chloroſi* propinatur, pulſus derepente major fit & celerior, exteriora corporis incaleſcere, facies non amplius pallida & mortuis concolor, ſed vivida cerni & ſanguine purpurata: Attamen hic notandum, quod non ſemper venæ ſectio & cathartica chalybis uſui ſint præmittenda, cum viribus admodum imbecillis & diuturnitate morbi attritis fractiſque omitti ea poſſint ac debeant, & cum chalybe ſtatim iucipiendum; quod diligenter advertendum.

Commodiſſime vero, aut ego fallor, in *ſubſtantia* exhibetur; atque ut nec obſervavi umquam ipſe, nec fando accepi, eum ita ſumptum cuivis nocuiſſe, ita certiorem me fecit experientia multiplex, nudam chalybis ſubſtantiam & felicius & breviore temporis ſpatio curationem abſolvere, quam ſi is quovis ex iis, qui vulgo feruntur, modo fuerit præparatus. Cum tam in hoc, quam in aliis melioris notæ remediis, id quandoque præſtiterit chymicorum officioſa ſedulitas, non tantum ut δραστικώτερα non ſint, ſed etiam a perverſa eorumdem diligentia & opera pluſquam otioſa, magis eviteſcant. Audivi etiam (quod ſi modo verum ſit, aſſertionem hanc noſtram fortiter ſuſtinebit) ipſam mineram, prout a terræ viſceribus effoditur, crudam efficacius in morbis ſubjugandis operari, quam ferrum ignem jam paſſum, & fuſione depuratum: cujus rei fides tamen penes Authorem ſit, me nondum experto, ſiccine ſe res habeat, an vero aliter. Id certo ſcio, nullum remedium præclarum atque ἐξαίρετον uſpiam gentium fuiſſe procuſum, quod non a natura præcipuas vires acceperit: unde Θεῶν χεῖρας, non vero hominum præcellentiora quævis medicamenta antiquitas grata compellavit. Quod vero nativa quidpiam bonitate præſtans & efficacia, mirandos edat effectus, quacumque demum forma ingeratur, teſtes hic adduco Par illud nobile, papaveris lacrymam ſive *Opium*, & *Corticem Peruvianum*. Neque etiam tantum in medicamentis præparandis medica cernitur peritia, quam in iis ſeligendis appropriandiſque, quæ natura, ſuo igne elaborata atque evecta, liberali manu porrigit. Id tantum nobis agendum reſtat, ut medicamenta in eam formam reducantur, qua vel eorumdem ſubſtantia, vel ſaltem vis & efficacia melius corporibus noſtris impertiri queat: cui muneri obeundo facultates nacti ſumus plus quam pares. Poſt chalybis ſubſtantiam, ejuſdem *Syrupo* lubentius & præ cæteris utor. Fit autem e ferri aut chalybis limatura, in vino Rhenano in frigido infuſa, uſque dum vinum ſatis impregnatum fuerit, quo facto liquor colatus cum ſacchari quantitate ſufficienti in ſyrupi conſiſtentiam excoquendus eſt.

Nec mihi ſolemne eſt toto illo ſpatio, quo ægra chalybeata ſumit, cathartieum aliquod ſtatis intervallis exhibere. Cum tam in

gene-

genere hysterico, quam hypocondriaco, chalybis vires a cathartico intercidi atque infringi mihi videantur. Quando enim id mihi palmarium sit, ut spiritus in ordinem redigam, atque eorum systema redintegrem firmemque, quod toto vix octiduo resarciveram chalybis ope, cathartico vel leniſſimo exhibito die unica rursus demolior; atque ita diruta extruendo, atque a me extructa subruendo, & ægros & operam ludo, vanus & infelix Ardelio. Qui quidem mos cum etiam in usu aquarum mineraliuni obtineat, quæ ferri mineræ sunt participes, haud mihi dubium est, easdem exinde minus efficaces reddi. Non sum nescius quosdam fuisse sanatos catharticis non tantum intercalatis, sed etiam quotidie cum chalybe propinatis, quod tamen non tam Medici prudentiam, quam chalybis virtutem ἐνεργέτικὴν mihi comprobat, cum, si ea omittantur, breviori temporis spatio curatio succedat.

Neque sane video in aliis affectibus multis præter jam dictum, quid emolumenti, sive potius quid non incommodi tam repetita catharticorum exhibitio ægris adferre queat. Quamvis enim haud negandum sit, quin inteſtina ex impuritatibus liberent ea, & pariter e massa sanguinea humores noxios in ea stabulantes aliquantulum extrahant, e contra tamen haud minus certum est, quod frequenter repetita in corporibus imbecillis (maxime vero in ætatibus tenellis) plurimum officiant; cum ex hac πρόφασει ingens humorum colluvies in viscera eliciatur, atque iis in partibus deposita fermentationes præternaturales invitet, ex quibus deinceps *Tumores* in infimo ventre oriuntur, tanto magis indies mole augescentes, quanto sæpius æger purgetur. Atque id demum accidit, ut istæ partes præ imbecillitate & caloris nativi (jam sub humorum onere quasi obruti) defectu, *tabe* facile afficiantur ac putrescant. Quandoque etiam, œconomia viscerum ob causas jam dictas penitus eversa, *Glandulæ* præternaturales, *Strumæ* soboles, & id genus similia mesenterio accrescunt, & ad mortem viam sternunt. His rationibus adductus tutissimum esse judico in *Infantibus* post evacuationes universales, easque perpaucas, eo indicationem curativam dirigere, ut confortentur sanguis & viscera. Quod *Vinum Hispanicum* vel solum, vel *Herbis corroborantibus* alteratum efficere potest, modo mane & sero cochlearia aliquot (pro ratione ætatis ægri) satis diu exhibeantur. Cum vero quæ extetius admoventur, tenera infantium corpora facile penetrent, proindeque sanguinem ipsum qualicunque virtute sua penitus afficiant, e re erit in *Tumoribus* qui ventrem eorum occupant, sive *Scrophulis*, sive *Rhachitidi veræ* originem illi debeant. *Linimentis* uti, quæ sanguinem ac viscera corroborandi ac pariter labem aliquam morbificam iis inductam delendi vi pollent. Ut ℞. *Fol. Absint. vulg. Centuar. min. Marrub. alb. Chamædr. Chamepit. Scordii, Calaminth. vulg. Parthenii, Saxifrag. pratens. Hyperic. Virgæ Aur. Serpill. Menth. Salviæ, Rutæ, Card. benedict. Puleg. Abretan. Chamomel. Tanacet. Lilior. Convall.* (*omnium rec. collectorum & incisorum*) *an. m. j. Axungiæ porcinæ* ℔iv. *sevi ovini, & vini Clareti an.* ℔ij. *Macerentur in olla fictili super cineres calidos per horas* 12. *Deinde ebulliant ad humiditatis consumptionem, & postea colentur, ut fiat Unguentum; quo venter ac Hypochondria illiniantur mane & sero per* 30. *vel* 40. *dies continuas, uti etiam Axillæ utræque.* Quoad *Rachitidem* autem hoc notandum, quod in tumoribus istis qui ventres infantium post longas *Intermittentes Febres* olim infestarunt, veræ rachitidi non multum abludentes, repetita catharsis omnino videretur indicari, cum ante usum *Corticis Peruviani* istæ febres in diuturnitatem longam se extenderent, ac proinde sedimentum deponerent, hujusmodi tumorum causam, quæ ideo non nisi purgatione repetita abigi poterat. Attamen in *Rachitide vera* cathartica locum non habent, nisi ut semel vel bis ad plurimum æger purgandus antequam usum alterantium aggrediatur. Per totum autem tempus quo partes illiniuntur, intus assumat vel vinum modo dictum; vel, si fieri possit, pro potu omni bibat cerevisiam, in qua quantitas sufficiens herbarum prædictarum, vel earum saltem aliquam multarum, una in dolio inclusa fuerit. Denique hoc, quod innui, diligenter advertendum volo, cum non paucos infantes aut pueros a catharticis sæpe repetitis (quæ forte ventris tumor invitaverat) interemptos fuisse satis sciam. Sed hæc obiter.

Si quis objecerit, *limaturam Chalybis*, nisi æger subinde fuerit expurgatus, in visceribus hærentem, ei, qui illam devoraverit, nocere posse; respondeo primum me nihil unquam tale in quoquam deprehendisse: deinde longe verisimilius esse, eandem muco & excrementitiis partium humoribus involutam una cum istis tandem omnem elabi, quam medicamentis purgantibus exagitatam, quæ adstrictiones insolitas, & viscerum torsiones contractionesque afferunt, qua quidem compressione, chalybis particulæ viscerum tunicis impactæ in iisdem penitius defigi possunt.

Interea dum chalybs administratur (ad confortandum sc. sanguinem & spiritus animales) remedia vulgo dicta *Hysterica* in usum quasi obiter revocanda sunt, idque eo modo atque ea forma, quæ maxime conveniunt ægris; quæ quidem si in forma solida fuerint deglutitæ a minus fastidiosis, potentius longe spiritus in officio & loco suo retinebunt, quam si in liquida hauriantur, hoc est, sive decocta, sive infusa. Ipsa enim substantia ventriculum diutius sapore suo afficit, & corpus inficit penitius.

In summa, indicationibus, quas supra attigi, universis satisfacturus, paucula hæc & vulgaria præscribere soleo; quæ licet nihil magnifici præ se ferant, ut plurimum tamen id præstant, quod volo.

Mittatur sanguis e brachio dextro ad ℥viij.

℞. *Galban. in tinctura Castor. solut. & colat.* ℥iij. *Tacamahac.* ℥ij. *f. Emplastr. Umbilico admovendum.*

Sequenti mane aggrediatur usum sequentium Pilularum.

℞. *Pilul. Coch. maj.* ℈ij. *Castor. pulv. gr.* ij. *Balsam. Peruv. gutt.* iv. *f. Pilulæ n.* iv. *Cap. hora quinta matutina superbibendo. Repetantur per duas vel tres alias vices, idque singulis vel alternis auroris pro ratione virium, aut operationis.*

℞. *Aq. Cerasi. nigr. Rutæ, & Brion. comp. an.* ℥iij. *Castor. in nodulo ligat. & in vitro suspend.* ℥ß. *Sacchar. Crystall. q. s. f. Julapium, de quo capiat cochlearia* iv. *vel* v. *in omni languore, instillando primæ dosi*, modo paroxysmus urgeat, *Spir. C. C. gutt.* xx.

Post pilulas purgantes modo supra descripto sumptas, utatur, & sequentibus.

℞. *Limatur. Chalyb. gr.* viij. *cum s. q. extracti Absynth. f. Pilulæ n.* ij. *sumat summo mane, repetanturque hora quinta pomeridiana, per dies* xxx. *superbibendo hauſtum Vini Absynthitis.*

Vel pro usu quotidiano. ℞. *Limatur. Chalyb. & extract. Absinth. an.* ℥iv. *m. s. asservetur pro usu. Capiat iisdem temporibus gr.* xvj. *vel* ℈j. *in pilulas tres redact.*

Vel si forma *boli* magis arrideat, ℞. *Conserv. Absint. Roman. & conserv. flaved. Aurantior. an.* ℥j. *Angelic. condit. Nucis moschat. condit. & Theriac. Andromach. an.* ℥ß. *Zinzib. condit.* ℥ij. *cum s. q. syr. Aurantior. s. Electuarium.* ℞. *Electuarii præscript.* ℥ß. *Limaturæ Chalybis probe triti gr.* viij. *cum s. q. syr. Aurantior. f. bolus, sumendus mane, & hora quinta pomeridiana, superbibendo hauſtum vini Absinthitis.*

℞. *Myrrh. elect. & Galban. an.* ℥iß. *Castor. gr.* xv. *cum s. q. Balsami Peruv. f. Pilulæ, e singulis Drachmis* xii. *sumat* iij. *singulis noctibus, superbibendo Aq. Brion. comp. Cochlear.* iij. *vel* iv. *per totum decursum hujus processus.*

Sin autem pilulæ ultimo præscriptæ ventrem moverint, quod in corporibus quæ facillime purgantur præ *Gummis* quæ insunt quandoque fit, tum sequentes substituantur.

℞. *Castor.* ℥j. *Sal. Succini volatil.* ℥ß. *cum s. q. extract. Rutæ s. Pilulæ exiguæ numero* xxx. *cap.* iii. *singulis noctibus.*

Hic autem observandum, quod *Chalybeata* in quacunque forma aut dosi exhibeantur, fœminis quandoque magnas tum animi, tum corporis perturbationes inducant, idque non solum primis diebus (quod fere omnibus solemne est) sed etiam per totum tempus quo illis utuntur; in hoc casu non statim chalybis usus dictis temporibus interrumpendus, sed, quo melius eundem ferre potuerint, *laudanum* aqua aliqua hysterica mistum singulis noctibus ad tempus aliquod propinandum.

At ubi symptomata mitiora sunt, & res sine ferro introsumpto transigi posse videtur, (in minore scilicet morbo) satis habeo sanguinem mittere, atque alvum solvere ad dies tres quatuorve, ut supra diximus: Dein *Pilulas Hystericas* alternantes præmemoratas *mane & sero per* x. *dies* capiendas imperare. Quæ quidem methodus in affectu leviore raro a scopo aberrat. Imo pilulæ istæ solæ, vel omissis phlebotomia & catharsi, sæpe magnos effectus edunt.

Serio interim animadvertendum est, nonnullas fœminas *Idiosyncrasia* quadam, ab *Hystericis* illis medicamentis (quæ plerisque hujus morbi symptomatibus levamen afferunt & solatium) ita penitus abhorrere, ut non solum non juventur, sed etiam insigniter ab eorum usu lædantur. In his itaque omnino sunt omittenda ista: Φύσεως γὰρ αἰτιπραττόσης, ut divinus senex, κοὐδὲν ταῦτα. *Invita Minerva* nihil quicquam moliendum.

Quæ quidem *Idiosyncrasia* adeo insignis ac frequens est, quod respectu ad eam non habito ægræ in discrimen vitæ conjici possint; idque non solum quoad hysterica, sed quoad multa remedia alia: cujus impræsentiarum instantiam unicam adferam. Fœminæ nonnullæ *Variolis* laborantes *Syrupi e Meconio* usum ferre non possunt, utpote a quo vertigines, vomituritiones, & id genus symptomata ad effectus hystericos pertinentia, accersantur, quibus tamen *Laudanum liquidum* apprime conveniat. Quod & dum hæc scriberem in adolescentula nobili observavi, cui Variolis laboranti cum sexta ac septima nocte syrupum dictum exhibuissem, symptomata prius memorata singula exhibitione, ei ingruebant, neque pustularum inflammatio debito modo procedebat; sed cum imposterum Laudano uteretur, a symptomatibus dictis prorsus immunis erat, faciei tumore ac pustulis indies augescentibus, &, quod non minus læti ominis erat, *anxietas* ista, cum *inquietudine* quadam tam mentis, quam corporis, (quæ quasi *paroxysmum Variolarum* solet esse) prorsus tollererur, quoties paregoricum hoc propinabatur, ægra mox vires atque animum exinde recipiente. Hoc obiter.

Atque ita *hysterici Affectus* quoad plurimum sanantur, ut & pleræque *mulierum*, quas appellant, *obstructiones*, at præ cæteris *Chlorosis* seu *pallidi virginum colores*, uti etiam *mensium suppressiones* qualescunque. Attamen si sanguis usque adeo effœtus fuerit, tantaque proinde spirituum ἀταξία, ut chalybs præscripta methodo usurpatus malo vincendo par non sit, adeundæ *Aquæ minerales* aliquæ ferri minera saturæ, quales sunt nostræ *Tunbrigienses*, aut aliæ nuper repertæ. Harum enim virtus chalybeata, tum ob insignem quantitatem qua hauriuntur, tum etiam ob earundem cum natura convenientiam intimius sanguini permiscetur, & potentius morbos expugnat, quam ferrum quocunque demum artificio nobilitatum, ut volunt Ciniflones imprudentiores.

Hoc autem præ cæteris inter bibendum observandum, si ægritudo quævis ad symptomata affectionis hystericæ referenda accidat, hoc in casu per diem unum alterumve æger aquis abstinat, donec symptoma illud transitum aquarum alias impediturum, penitus abeat. Etenim tametsi hæ aquæ humoribus agitandis ac proinde spiritibus confusioni inducendæ minus aptæ natæ sint, quam cathartica vel leniſſima ex officinis deprompta, aliquantulum tamen idem præstant, quatenus sc. diureticæ sunt; ut taceam quod sæpe etiam ventrem movent. Quod si ipsæ aquæ humores ac spiritus exagitando turbandoque aditum sibimet ipsis præcludant quo minus facile transeant, videant illi quam importune agunt, qui medicamenta *purgativa* per harum usum imperant, semel aut bis in septimana assumenda, vel, quod adhuc ineptius, ipsis aquis immiscenda præcipiant. Unde fit tam in his, quam in aliis aquis mineralibus, ut non solum non promptius, sed & plane tardius ac difficilius eadem operentur.

Hic mihi non reticendum, quod tametsi his aquis ferrum inesse in principiis solutis nonnullis videatur (quod idem plane est ac si *ferrum liquidum* supponamus) nullus tamen dubito quin eædem nonnisi simplices aquæ extent virtute mineræ, per quam transeunt imprægnatæ ac infectæ. Quod cuipiam liquido constabit, si aquæ communis congiis aliquot satis magnam vim clavorum veterum ex calceis equinis extractorum infuderit. Sentiet scilicet aquam hanc, cui pulvis *Gallarum*, *fol. Tea*, vel similia fuerint immista, eodem plane calore infici, ac si aqua esset fontis mineralis. Neque sane diversos effectus hæ aquæ sive artificiales, sive inartificiales (utrum enim mavult quis appellet) epotæ edent, modo tempore æstivo, atque aere salubri assumantur.

Sed utut hoc sit, si ob contumaciam ejus hic affectus ferreis aquis minus cedat, adeundæ sunt *aquæ calidæ Sulphureæ*, quales sunt nostræ *Bathonienses*; atque æger, postquam tribus auroris continuis eas intus assumpserit, sequenti die *Balneum* ingrediatur, & postero die iterum eas bibat; idem faciendo alternatim per duos menses integros. Etenim tam in his, quam aliis, cujuscunque demum

gene-

generis sint, hoc sedulò notandum, quod in earum usu eousque ægro persistendum, donec non tantum levamen aliquale senriat, sed, quo minus symptomata omnia brevi postliminio revertant, donec omnino convalescat.

Theriaca Andromachi, vel sola, si crebro diuque usurpetur, magnum est in hoc morbo remedium. Neque vero in hoc solo, sed in aliis quamplurimis a coloris & concoctionis sive digestionis defectu ortis, omnium forte potentissimum, quæ hactenus nobis innotuere, utut a plerisque fastidiatur, quod & pervulgata sit, & a tot jam sæculis cognita.

Vina Hispanica Gentiana, *Angelica*, *Absynthio*, *Centaurio*, *Corticum Aurantiorum flavedine*, aliisque corroborantibus infusis medicata, si ad aliquot cochlearia ter in die potentur, admodum conferunt, modo ægra tenui non fuerit bilioso corporis habitu. Profecto vel *Vini Hispanici simplicis* liberalior haustus hora somni aliquot noctibus, meo suasu propinatus hystericis nonnullis perquam salutaris fuit, cum ex eo robustior universi corporis habitus redderetur, ipsæque adeo fœminæ e cachecticis vividæ simul ac vegetæ fierent.

Ad hæc *Peruvianus Cortex* eximias mirandasque vires in sanguine & spiritibus confortandis invigorandisque habere nonnunquam deprehenditur; cujus *Scrupulum unum mane & sero*, ad septimanas aliquot deglutitum, sanam firmamque corporis crasin (tam Viris *Hypochondriacis*, quam *Hystericis* fœmlnis diu multumque ægrotantibus, dejectaque jam quasi corporis œconomia) restituisse, ipse observavi. In nullo autem hystericorum affectuum genere felicius succedit, quam in illo, quo *Spasmis* afficiuntur fœminæ, nixus edentes fortissimos & plusquam muliebres, pectora simul ferientes. Interim tamen confitendum est, quod hoc medicamentum non ita certo crebroque huic malo succurrat, ac *Febribus Intermittentibus*. Quamvis vero (ut id obiter dicam) in harum curatione egregia præstet, ne dicam miracula, dictus cortex, atque eodem tum ipsi nos libenter utamur, tum uxoribus liberisque usurpandum imperemus, quoties res postulet; sunt tamen, quibus haud minus jam displicet, quod tam certo subitoque morbos expugnet, quam olim displicebat, quod non nisi nuper his terrarum oris innotuerat. Quo quidem fato tum optimi quique viri, tum etiam præstantissima quæque ac δρασικώτατα remedia semper fere urgentur. Veruntamen ad hanc notam, seu Lydium lapidem, indolem nostram licet adductam experiri, atque exinde dignoscere, hominesne boni simus, an vero probrosi; pro gradu sc. quo vel exultamus, vel dolemus, ac fingimus, quoties publica res hominum communi aliquo beneficio, ac Numinis favore augetur.

Si quæ vero ex remediis supra recensitis minus conveniant, quod temperamento bilioso ac tenui præditis sæpe accidit, tunc *Diæta Lactea* possit usurpari. Etenim mulieres aliquot (quod prima statim fronte mirabitur quis) cum affectibus hystericis diu conflictatæ, etiam iis, qui omnes Medicorum conatus spreverant eluserantque, tandem lacte solo aliquandiu vescentes convaluere. Atque illæ quidem maxime, quæ ea specie laborabant, quam ego colicam hystericam appello, quæ non nisi a Narcoticis potuit deliniri; quibus itaque per intervalla repetendis multum assueverant hæ fœminæ, dolore recrudescente ut primum emarcuerit anodyni virtus. Id verò in hac curandi methodo præcipue mirandum, quod cum lac frigidum tantum crudumque alimentum præbeat, spiritus nihilominus ejus usu corroborentur invigorenturque. Nec tamen hoc a ratione abhorrere illis videbitur, qui secum reputaverint, lac, cum simplex omnino nutrimentum suppeditet, naturæ minus in coquendo negotium facessere, secus ac solent cibi ac liquores magis compositi; quodque perfectissimam illam concoctionem æqualis sanguinis spirituumque crasis necessario sequatur. Illud etiam est animadvertendum, quod non nuda spirituum debilitas per se considerata, sed eorundem debilitas ad sanguinis statum comparatorum, ἀταξίας, quam patiuntur, causa sit. Fieri enim potest, ut infanti spiritus satis firmi robustique sint pro sanguinis ratione, qui tamen debitam ad sanguinem adulti hominis proportionem non teneant. Jam vero cum ex jugi lactis usu & Diæta, quantumvis illa sit cruda atque invalida, sanguis mollior & tenerior evadat, si spiritus ab eo nati sanguinis pares tantum sint, satis bene se res habet. Non omnibus tamen contingit, quantumlibet a lacte alias juvari potuerint, ea incommoda superare posse, quæ primis fere diebus apportat, quod nempe tum in ventriculo coaguletur, tum etiam viribus corporis in statu conservandis sustentandisque minus sufficiat.

At vero nihil ex omnibus quæ mihi hactenus innotuere, adeo impense sanguinem spirituque fovet firmatque, ac diu multumque singulis fere diebus *equo vehi*. Cum enim in hac gymnasticæ specie impetus ferme omnis in ventrem inferiorem fiat, in quo vasa excretoria (quotquot fæculentiis, in sanguinis massa stabulantibus, educendis a natura instituuntur) sita sunt; Quæ tanta functionum perversio, aliave organorum naturalis impotenria vel fingi potest, cui tot succussationum millia eodem die ingeminara, idque sub dio, opem non attulerint? Cujus calidum innatum usque adeo deferbuerit, ut hoc motu non excitetur, & denuo efferveścat? Quæ vero sive præternaturalis substantia, sive succus depravatus in aliquo harum partium sinu recondi potest, qui non hoc corporis exercitio, vel in statum naturæ consentaneum perducatur, vel quaquaversum dissipetur eliminetur que? Quid quod sanguis perpetuo hoc motu indesinenter exagitatus ac permistus quasi renovatur ac vigescit? Quæ quidem methodus, licet fœminis vitæ desidi atque imbelli assuetis, minus accommoda sit, utpote quæ a motu, maxime in principio, possint lædi, viris tamen est aptissima, & sanitatem præ cæteris conciliat.

Nostrorum quidem *in Sacris Antistes*, Vir prudentia atque eruditione celeberrimus, postquam diu studiis intemperantius incubuerat, omnesque animi, qui permagnus ei est atque excelsus, nervos seriis cogirationibus nimio opere intenderat, tandem in *Affectum Hypochondriacum* incidit, quo diutius laceSSente, omnia corporis fermenta erant vitiata, concoctioneSque penitus subversæ. Medicamentorum chalybeatorum tædium plus semel devoraverat: aquas minerales fere omnes, cum catharsi sæpe repetita, fuerat expertus: Uti etiam antiscorbutica omnium generum, pulvereSque testaceos quamplurimos, sanguinis edulcorationem promittentes. Ita partim morbo, partim medicatione per rot annos continuata, tantum non fractus, *Diarrhœa Colliquativa* (quæ in *Tabe*, aliisque morbis chronicis, ubi omnes omnino digestiones sunt prostratæ, mortem anteire solet) demum corripiebatur. Ubi me tandem consuleret, statim mecum reputavi pharmacis nullum amplius locum relinqui, cum tot tantaque nullo cum fructu jam deglutiverit. Suadebam itaque ob causas supra memoratas, ut statim se equo vehendum curandumque traderet; modico primum itinere, quale ferre possit valetudo ita infirma, ut, nisi judicio valuisset rerum interiora altius penetrante, nec ad tentandum quidem illud exercitii genus potuisset adduci. Rogabam autem, ut quotidie in eo persisteret, donec ex animi sententia convaleSceret; majora in die spatia gradatim conficiens, donec tandem ad tot milliaria ascenderet, quot uno die percurrunt prudentiores ac moderati viatores; qui iter longiusculum negotii alicujus gratia suSceperunt: Nullo interim sive ad cibos, sive potum, sive etiam aeris temperiem respectu habito, sed ad instar itinerantis omnia, prout fors dederit, exciperet. Ne longior sim, hanc ille viam incessit, productis gradatim itinerum spatiis, donec tandem ad vicesimum, imo ad tricesimum usque lapidem quotidie vectaretur: cumque se longe melius habere post pauculos dies experiretur, ipso rei eventu pene mirabili animatus in eodem cursu ad menses aliquando multos perseverabat, quo temporis spatio plura milliarium millia, quod ipse mihi narrabat, emensus est, donec tandem non convaluerit modo, sed satis validum etiam vegetumque corporis habitum fuerit indeptus.

Neque magis *Hypochondriacis* prodest hoc exercitii genus, quam *Tabidis Phthisicisque*, quorum nonnulli mihi sanguine juncti multum terrarum equo vectore peragrantes, ex meo consilio, sanitati sunt restituti; cum certo sciam me vel medicamentis quantivis pretii, aut alia methodo, quæcunque demum ea fuerit, nihil magis iisdem proficere potuisse, quam si multis verbis hortatus fueram, ut recte valerent. Neque in levioribus tantum malis, crebra tussi & macie stipatis, id remedium obtinuit, sed & in *Tabe* tantum non deplorata, ubi *nocturnis sudoribus* jam etiam accesserat *Diarrhœa* ista superius dicta, quæ phthisi confectis mortis prænuntia solet esse, atque adeo ut plurimum ultima rerum linea. Verbo dicam. Quantumcunque exitialis *Phthisis* & sit & audiat, utpote qua intereunt duo fere trientes eorum, quos *morbi Chronici* jugulant, hoc tamen sancte assero, quod neque *Mercurius* in *Lue Venerea*, neque *Cortex Peruvianus* in *Intermittentibus* efficaciores extent, quam in *Phthisi* curanda *Exercitium* jam laudatum; modo æger curet, ut linteamina lecti probe fuerint arefacta, atque etiam ut satis longa itinera emetiatur. Attamen hoc notandum, quod vitæ ἀκμὴν prætergressis multo diutius in hoc exercitio persistendum, quam infra istam ætatem positis. Atque hoc multiplici experientia, quæ vix me fefellit unquam, didici: Et licet equo vehi phthisicis præcipue conferat, tamen & itinera curru facta mirandos sane effectus quandoque ediderunt.

Sed ut ad propositum revertar. Hæc est generalis hujusce morbi curandi ratio, qua causæ originariæ, quæ est debilior sanguinis crasis, occurritur; ac proinde extra paroxysmum tantum locum habet. Quoties vero *Paroxysmus* invaserit, adjuncto quolibet ex prædictis symptomate, si tale, aut tantum sit malum, ut inducias ferre nolit, donec, sanguine & spiritibus corroboratis, quasi per ambages sanari possit, confestim ad remedia *Hysterica* ista confugiendum est, quæ odore viroso ac gravi spiritus, ut dixi, exorbitantes ac desertores, in proprias stationes remandant, sive intra corpus sumantur, sive naribus admoveantur odoranda, sive exterius applicentur: cujusmodi sunt *Assa fœtida*, *Galbanum*, *Castoreum*, *Spiritus salis Armoniaci*, & quicquid est denique quod odorem tetrum admodum ingratumque spirat.

Hic enim quod res est dicam. Quæcunque fœtent, ea omnia intentioni huic apprime inserviunt, sive natura, sive etiam ars ea putido odore donavit. Atque, ni fallor, *Spiritus C. C. Sanguinis humani*, *Urinæ*, *Ossium*, ac similium, inde præcipuas suas vires acquirunt, quod dum vi ignis præparentur, empyreuma contrahant tetrum ac male olens, quasi essentiæ eorum intimius annexum. Quod pariter cernitur in fumis a corio, pennis, & id genus animalium partibus, cum exuruntur, exhalantibus. Etenim id habent commune singulæ animalium substantiæ, ut inter exurendum fumum emittant olidum & olfactui ingratum: qui si importuno igne affatim eliciatur, ac organis excipiatur condensatus, is in liquores istos abit ac convertitur, qui *Spirituum Volatilium* nomine insigniuntur, quique facultates eas facile reportant, quæ subjectis suis haud primitus inerant; utpote qui *Ignis* solummodo *Creaturæ* existunt, & singuli eorum eandem plane virtutem cum cæteris nanciscuntur, ex quacumque demum substantia (modo *Animalis* ea sit) procudantur extrahanturve.

Proximo loco animadvertendum est, quod si paroxysmum comitetur *Dolor* aliquis intolerabilis in quacunque demum parte, aut *Vomitio* enormior, aut etiam *Diarrhœa*, tunc præter hysterica jam laudata, *Laudanum* in usum revocari debet, quod solum vires habet his symptomatibus cohibendis prorsus pares.

At vero in iis doloribus sedandis, qui vomitiones excitant, cavendum est sedulo, ne illi sive Laudano, sive alio paregorico mitigentur, non præmissis debitis evacuationibus, nisi patientiam fere humanam omnem vicerint. Primum, quia tanta nonnunquam sanguinis & humorum copia est aggesta (maxime in fœminis sanguineo, & masculis propriore habitu præditis) quanta Narcotici vel efficaciSSimi, ejusque sæpius repetiti, operationem valeat sufflaminare. Unde in talibus sanguis e brachii venis necessario est extrahendus, & catharticum eis propinandum est, antequam ad Laudani usum accedamus; his enim rite peractis, quod prius vel in maxima dosi exhibitum, nihil proficiebat, jam in dosi mediocri scopum attinget. Deinde quia multiplici experientia edocti sumus, quod quoties ægra paulatim Laudano assueverit, non præmissa evacuarione debita, necesse habuit ob dolorem mox ab evanescente remedii virtute denuo revertentem, paregoricum rursus ingerere, idque quotidie annos aliquot continuos, dosi subinde per gradus aucta, ita ut nullo modo jam a Laudano abstinere queat, licet omnes ab illo digestiones vitientur, & functiones naturales debilitentur. Quamvis non sentiam Laudani usum sive cerebro, sive nervis, sive facultatibus animalibus immediate nocere. Judico itaque ego, quod expertus loquor, evacuantia anodynis debere præmitti: v. gr. viraginibus & fœminis in quibus sanguis prædominatur, vena secanda est, & alvus subducenda, præsertim si non jam a longo rempore paroxysmo fuerint correptæ. Si vero fœminæ debiliores, & quæ temperamenti a prioribus illis plane diversi sunt, hujuscemodi paroxysmo & dolore affligantur, atque eodem subinde

haud

haud ita pridem laboraverint, sufficiet eorum ventriculos congio uno, plus minus, lactis cerevisiati hausto, & mox per vomitum rejecto detergere; dein largam dosin imperare sive *Theriacæ Andromachi*, sive *Electuarii Orvietani*, & cochlearia aliquot liquoris alicujus spirituosi & gustui non ingrati cum paucis Laudani liquidi guttulis superbibenda.

Quod si ægra jam pridem vomuerit, antequam accerseretur Medicus, & metus sit ne si emeticis ulterius solicitetur, in furorem agantur spiritus, & ægræ vires nimium dejiciantur, hoc in casu *Laudanum* sine mora propinari debet, eo dosis modo, numeroque, quæ symptomatis magnitudinem ac durationem non tantum exæquare possit, sed & vincere.

Duo autem hic præ cæteris diligenter sunt notanda. Primo, quod cum semel post evacuationes justas & necessarias, Laudano uti cœperimus, ea dosi, atque illa toties repetita, sumendum est istud pharmacum, donec symptoma omnino fuerit debellatum, interjecto tantum spatiolo inter singulas doses, ut quid prior præstiterit ante noscamus, quam alteram repetamus. Sed de hoc fusius alibi egimus. Deinceps dum Laudano morbum aggredimur, nihil prorsus movendum est, nihil evacuandum, cum vel mitissimum illud enema e lacte saccharato possit destruere, quicquid reparaverat paregoricum, & tam dolorem quam vomitionem postliminio revocare.

Utut vero dolores, quod jam innuimus, supra memorati importuni sint in anodyno efflagitando, tamen vomitiones enormes & dosin ejusdem longe maximam & sæpissime repetitam indicant, cum ab inverso motu ventriculi peristaltico (quo in eo contenta versus inferiora erant protrudenda) remedium paregoricum prius eliminetur per œsophagum, quam opis aliquid afferre queat, nisi post singulas vomitiones Narcoticum de novo toties quoties iteretur, idque in forma potissimum solida; aut si in liquida detur, vehiculum ita parcum esse debet, ut ventriculum imbuat tantum, & præ materiæ inopia ab illo sursum evehi nequeat, verbi gratia *Guttæ aliquot in cochleari uno Aq. Cinamoni fortioris*, aut similis. Monenda interim est ægra, ut statim ab assumpto Laudano conquiescat, ac caput præsertim quantum fieri potest immotum teneat; quando vel levissimus capitis motus præ cæteris omnibus vomitionem provocet, unde medicamenti modo deglutiti jactura fit. Quinimo etiam cessante & quasi perdomita vomituritione, expedit anodyno ad pauculos dies mane & sero exhibito, ceu injecto fræno, recidivam præcavere. Quod itidem post dolorem hystericum Narcotico sedatum, aut diarrhœam, omnino observari debet.

Atque ita demum methodo jam tradita & *Dolori* & *Vomitioni* symptomaticis mederi in promptu est, a quibus cum aliorum persæpe morborum speciem præ se ferant, Medicis facilius imponitur, quam ab aliis quibuslibet symptomatibus, quotquot manum medicam deposcunt; de quo pauca subjungam verbi gratia in ista hystericæ affectionis specie jam descripta, quæ *Paroxysmum Nephriticum* imitatur, quis non videt quanta sit paritas morbi utriusque & similitudo, tum quod pars eadem utrobique doleat, tum quod in utroque affectu vomituriant ægræ, cum tamen a causis ita ab invicem variantibus pendeant, & tam impari methodo debeant sanari, ut quod in hoc lædat, in illo juvet, & e contra? Si enim sive *Calculus*, sive *Arenulæ* renum substantiam atterentes, dolorem inferant, atque ex partium consensu vomitionem, nihil æque conducet ac prælarga & frequens causæ antecedentis per phlebotomiam revulsio, tum ut dilatentur laxenturque meatus, per quos calculus excludendus est, enematibus emollientibus sæpenumero repetitis, aliisque ejus generis remediis internis: Quibus medicamenta diuretica, & lithontriptica addenda sunt. Jam si dicta symptomata a calculo nullatenus oriantur, sed a spiritibus animalibus nimia copia renes impetentibus (quo in casu parègorica tantum indicantur, nec vel enema e mitioribus, post primas evacuationes, sine periculo injicitur) in quanto vitæ discrimine versetur infelix ista, de cujus jam corio luditur, non opus est dicere. Idem potest affirmari de affectu illo hysterico, qui *Colicam Bilioſam*, vel *Iliacam Passionem* simulat. Hic ubi pro concesso habeatur affectum istum (licet indolis omnino sit diversæ, imo contrariæ) colicam bilioſam esse, & ab humore aeri in viscera per arteriarum mesentericarum oscula excreto nasci (in quem errorem dolor intolerabilis, & viridis color, qui in materia cernitur tam per os quam per sedem expulsa, Medicum incautiorem & cogitationibus minus assuetum haud ægre perducant) quæ methodus tam commoda, quam ut in contemperanda, remediorum refrigerantium atque incrassantium ope, humorum acrimonia operam locemus? Atque, quo humores e visceribus exterminentur, præter enemata quotidiana, ut cathartica frequenter propinemus; inter cætera vero etiam Mercurium dulcem diagrydiatis permixtum ad pleniorem materiæ morbificæ eradicationem? Quam male autem cum ægris agatur, quantumque eis periculum immineat, dum huic methodo insistamus, si affectus qui colica bilioſa censetur, re ipsa hystericus tantum fuerit, aut hypochondriacus, nemini non liquet: cum clamet experientia, quo post primas evacuationes universales (quæ humorum putrescentium, quos peperit ἀταξία jam sæpe dicta, quique anodynis obstaculo esse possint, saburræ amoliendæ dicantur) nihil jam restat nisi ut tumultuantes spiritus consopiamus, donec tandem symptomata evanuerint, atque iis cessantibus opportune chalybeata imperemus, vel si quod aliud est remedium quod sanguinem accedendo atque invigorando morbum radicitus extirpet. Meum non est plurimas atque ingentes illas calamitates enumerare, quas fœminis contigisse ipse novi, ubi colica hæc hysterica a bile ortum ducere existimaretur. Veruntamen affirmo evacuationes sæpe repetitas, quæ quidem in colica bilioſa omnino indicantur, dolorem vomitumque non solum non compescere, sed irritare magis, spirituum sc. perturbationem, quæ vera horum symptomatum causa est, promovendo. Tandemque malum ad menses aliquot prolongatum, metathesi derepente in cerebrum facta, desinit in *Spasmos*, a quibus ægra brevi e medio tollitur; idque vel maxime, ubi post alias evacuationes diutius repetitas, suadente colore viridi eorum, quæ per os e ventriculo excernuntur, emeticum fuerit propinatum. Verbo dicam: Si quid ego observando didici, in primis cavendum est, ne symptomata fœminis hystericis familiaria ab aliis quos sæpe æmulantur morbis, diagnosi errante putentur oriri.

Hic non est reticendum, quod præter errores jam recensitos, a quibus fœminæ affectibus hystericis obnoxiæ de vita periclitantur, permultæ insuper errore non minus funesto dictis affectibus mulctantur ea tempestate, qua hic morbus, licet sua natura non sit lethalis, tamen vi malorum ἐπιγινομένων ac subsequentium haud paucas e medio tollat. Exempli gratia: Fœmina teneriori atque infirmo corporis habitu infantem parit, cui omnia felicitet & secundum naturam cedunt: Obstetrix, sive rudis & imperita, sive jactabunda, & quam præclare suo illa munere functa sit palam ostentans, suadet ut puerpera paucis a partu diebus surgat, & se a lecto aliquandiu abstineat. Hæc morem gerens, statim a primo corporis motu *Affectione Hysterica* corripitur, & pro ratione qua morbus inaugescit, *Lochia* primum imminuuntur, deinde sistuntur penitus; quorum suppressionem præmaturam longa symptomatum series excipit: quæ, nisi permagna tam diligentia quam in medendo peritia intercedat, ægram brevi perimunt. Nonnunquam enim *Phreneſi* laborant ex hac occasione, quæ indies efferatior reddita *Spasmos* primum, dein mortem affert: Si vero mortem evadant, mitius aliquantulum insaniunt, quandoque ad ultimum vitæ terminum. Nonnunquam post lochiorum suppressionem in *Febrem* incidunt, quæ vel in earum, quæ tum grassantur, Epidemicarum castra transit, vel ab ea sola pendet origine. Adde quod iidem affectus hysterici, quibus lochiorum suppressio in primis debetur, jam magis sæviunt, tanquam ex se denuo nati. Diu est a quo mihi subiit in mentem, quod ex iis quæ moriuntur puerperis, vix decima quæque, ut molestè computemus, vel ex eo perit quod vires partui necessariæ eam defecerint, vel ex doloribus partum laborioſiorem comitantibus; at eo maxime nomine, quod debito citius lecto exurgat, excitatis a motu illo paroxysmis hystericis, a quibus cum sistantur lochia, mox ingens ineluctabilium symptomatum turba ingruit. Quamobrem istis quæ me audiunt ubique Author sum, ut ad *diem* saltem *Decimum* usque in lecto se contineant, si modo natura paulo debiliores sint, præcipue si *Vaporibus*, qui vulgo dicuntur, jampridem fuerint tentatæ. Præterquam enim quod ista, qua in lecto fruuntur, quies, a malis jam toties commemoratis eas immunes præstet, non interruptus lecti calor spiritus pariter reficit tum a pariendi doloribus, tum ab evacuationibus in hoc casu solemnibus exhaustos fractosque; quinimo & naturæ suppetias fert, atque omnes, quas gestationis tempore mulier congesserat, cruditates digerit & amolitur.

Verum, si ab admisso hoc errore quodvis e dictis symptomatibus supervenerit, indicationes curativæ eo dirigendæ sunt, ut spiritus ab hoc motu jam irrequieti redditi sedentur, & ut *Lochia* rursus fluant, quandoquidem eorum suppressio horum symptomatum causa sit proxima atque immediata. Neque tamen huic methodo pertinacius insistendum, sed exhibitis aliquandiu remediis quæ in hoc casu cum successu usurpari solent, si votis ea non respondeant, ab iis temperandum est; cum neque fortiora hic locum habeant, neque in mitiorum usu perseverare debeamus, propter attritas & fere prostratas puerperarum ita affectarum vires. Exempli gratia, ubi primum lochia jam supprimi constat, e re fuerit fœminam e vestigio lecto addicere, mox *Emplastrum Hystericum* umbilico admovere, atque quamprimum *Electuarium* sequens propinandum imperare. Ut *Conserv. absinth. Roman. & rutæ an.* ℥j. *trochisc. e myrrha* ℥ij. *castor. croci Angl. sal. volatil. salis Armoniaci, & assæ fœtidæ an.* ℈ß. *cum s. q. syr. de 5. radicibus, f. Electuar. Cap. ad magnitudinem nucis moschat. majoris tertia quaque hora, superbibendo seq. Julapii cochl.* iv. *vel* v. ℥j. *aq. rutæ, bryon. comp. an.* ℥iii. *sacchari Cand. q. s. m.f. f. Julap.* Atque hæc, si statim a primo suppressionis indicio exhibeantur, hoc malum plerunque devincent. Sin autem dictis remediis eousque continuatis donec tota quantitas assumpta fuerit, lochia adhuc supprimantur, hoc in casu *Laudanum*, una saltem vice tentandum. Hic Laudanum, quantumlibet suapte indole adstringat, cum tamen spirituum perturbationem, a qua solemnis lochiorum evacuatio fuerat interrupta, compescat, quandoque plurimum juvare, & *Emmenagogis* nihil proficientibus, lochiorum fluxum postliminio revocare possit. Commodissime vero Narcotica una cum *Hystericis* & *Emmenagogis* propinantur; v. gr. *Laudani liquidi guttæ* xiv. *in Aqua Bryoniæ composita*, vel *Laudani in forma solida granum unum semis cum scrupulo dimidio Assæ fœtidæ in Pilulas duas redactum*. Sedulo interim animadvertendum est, quod si telo hoc semel misso scopum non attingamus, nec sequantur lochia, *Opium* nullo modo est repetendum, ut in aliis casibus fieri solet ac debet: Etenim si reiteretur hic paregoricum, lochia ita potenter sistet, ut ea nulla deinceps arte provocari queant. Verum enim vero si & hoc minus succedat (interjecto aliquo temporis spatio, quo certiores simus quid istud præstiterit) ad medicamenta iterum Ἐμμηναγωγὰ hystericis permixta redeundum est, & dein ad *Enematis ex Lacte saccharato* injectionem. Verum quod de *Opio* supra, hic de *Enematis* dicendum est; nisi enim primo injectum lochia educat, nihil prorsus a pluribus est sperandum: cum unum humores leniter solicitando, ut fluant lochia efficere possit; plura vero eadem alio divertant. His itaque peractis, (quæ tamen leviter tangenda sunt) tutissimum est, & prudentis Medici officium, temporis συμμχαίαν præstolari; cum singulo quoque die curationis negotium magis magisque extra aleam ponatur, & si ægra *Vigesimum diem* superaverit, jam fere in vado est. Etenim cum a morbo, quisquis is fuerit, jam diuturniori fœmina aliquantisper respiraverit, viresque quadantenus receperit, eam methodum valebit ferre, quæ aptissima videbitur isto malo averruncando, quod a lochiorum suppressione accreverat: quando remedia obstinatius ingesta, primis ne hilum promoventibus, tum etiam spirituum perturbationem, a qua morbus oritur, augere possint, quod sedulo advertendum velim.

Nuper Matrona, tam natalibus, quam moribus honestis ac probis, me sibi Medicum volebat: huic ex modo dicta occasione statim a partu paroxysmis hystericis affectæ, lochia penitus defecerant. Conabar medicamentis supra memoratis eadem proritare, at frustra, affectione hysterica vehementiore omnem opem medicam respuente. Unde, dum ita demum eam salvam fore præviderem, si nihil prorsus molirer, rem omnem tempori, Medicorum facile principi ac coryphæo, committendam censui. Hoc meum consilium ad diem usque decimum quartum optime illi cessit; quotidie enim illam invisens, nullo die eam in pejore loco, quam pridie fuerat, deprehendi. Post hunc mulierculæ adstantes, quas hactenus a noxa illi sub officii specie inferenda ægre arcueram, maritum impellebant, ut sine mora sanguinem e pede uxori extrahi curaret; quo facto, paroxysmi hysterici adeo invalescebant, ut intra paucas horas spasmi accederent, & non ita diu postea, ærummarum requies, mors.

Et si

Et si fas mihi sit libere quæ sentio effari, jandiu in ea hæresi fui ut arbitrarer me, non tantum in dictis puerperarum morbis, sed etiam in acutis omnibus, ubi curationem ab hac illave, qua uti placet, methodo certo insecuturam polliceri nequeam, & viri & Medici boni probique pulchre defungi munere, quoties nihil omnino tento, modo ægrum invisens, illum non se pejus habere hoc die quam heri habuit, comperiam, nec cras habiturum, quam hodie conjectura assequi possum. Cum si in ægro curando ea methodo incedam, de cujus efficacia nondum mihi certo constet, tam ab experimento quod ex eo capturus sum, quam ab ipso morbo is periclitabitur: neque ita facile geminum discrimen effugiet, ac simplex erat evasurus. Quamvis enim impræsentiarum nullum vel incipientis convalescentiæ signum manifestum se prodat, certissimus tamen sum, morbi acuti cujuslibet naturam non ferre, ut quis eo semper laboret: ac proinde dies quilibet res ægri magis magisque in tuto collocat, vel saltem Medico ansam præbet, ex qua opportunius ac certius morbum feriat confodiatque, quam in præcedentibus liceret. Quod quidem uti de acutorum plerisque, vere affirmatur, ita præcipue de puerperarum morbis, quibus error vel leviusculus fatalis esse possit; & in quibus ita parum valeamus naturalem illam evacuationem regere, a cujus suppressione mala, de quibus diximus, proveniunt.

Cum vero *Affectus Hysterici* non semper primariæ causæ, spirituum nempe debilitati nativæ, sed adventitiæ aliquando originem suam debeant, hujusmodi itaque causam, antequam finiam, hic recensere libet, quæ frequentissime *Vaporum*, quos appellant, pararia existit. Atque ea est *Fluxus mensium immodicus*, sive in *Puerperio*, sive extra idem invadat. Quoad primam speciem, ea primis diebus post partum laboriosiorem maxime infestat, & longa symptomatum hystericorum caterva stipatur. Et sicuti in primis hisce diebus solum ingruit ac urget, ita etiam brevi se propipere solet. Etenim si victus paulo incrassans instituatur, facile abigitur; cui & sequens potus addi poterit.

Assumatur *aq. plantag. & vini rubri an.* ℔j. *Coq. simul ad tertias, & deinde edulcoretur s. q. sacchari albiss. Cujus, cum frigescat, capiat* ℔ß. *bis vel ter in die*. Interim *Julapium* aliquod *Hystericum*, ut satis mite, subinde propinetur, & *nodulus* seq. naribus admoveatur. ℞. *Galban. & Assæ fœtid. an.* ʒij. *Castor.* ʒiß. *sal. succini volatilis* ʒß. *m. f. nodulus*. Vel ℞. *spir. salis Armoniac.* ʒij. quem sæpius olfaciat.

Quod vero ad hujusmodi *extra Puerperium fluxum* attinet, licet idem omni tempore fœminis accidere soleat, eas tamen paulo ante tempus illud quo sponte sua omnino menses cessaturi, sæpissime invadit; circa ætatis scilicet annum 45. si modo temporius fluere inceperant, circa autem 50. si serius in vita prius prorumpebant. His, uti dictum, paulo ante totalem eorumdem discessum (instar candelæ jam fere absumptæ deflagratæque, quæ subito flammam edit insigniorem, mox penitus disparituram) cum magno impetu affatim excidunt, & ob copiam sanguinis ingentem qui continuo excernitur, in paroxysmos hystericos fere continuos miseras dejiciunt. Hic licet *Hysterica* tam interna, quam externa obiter usurpanda (fortiora devitando ne fluxum ulterius ea provocent) omnis tamen curationis cardo in menstruis cohibendis vertitur, quæ hunc in modum quam primum sistenda.

Mittatur sanguis e brachio ad ʒviij. Seq. mane exhibeatur *potio purgativa communis*, quæ repetenda est tertia quaque die per duas alias vices; & singulis noctibus per totum morbi decursum sumat *Paregoricum ex syr. de meconio* ʒj.

℞. *Conserv. rosar. siccar.* ʒij. *trochisc. de terra Lemn.* ʒiv. *Cort. granator. & Coral. rubr. præp. an.* ℈ij. *lapid. hæmatit. sang. dracon. & bol. Armen. an.* ℈j. *cum s. q. syr. e Coral. simpl. f. Electuar. de sumat ad magnitud. nuc, Moschat. maj. mane & quinta pomerid. superbibendo seq. Julapii Cochl.* vj.

℞. *Aq. germin. quercus & plantag. an.* ʒiv. *aq. Cinnamom. hord. & syr. de rosis siccis an.* ʒj. *spir. Vitriol. q. s. ad gratam aciditatem.*

℞. *Fol. Plantag. & urticæ an. q. s. contundantur simul in mortario marmor. & succus exprimatur, qui postea clarificetur. Cap. cochl.* vj. *frigide ter vel quater in die*. Post primam purgationum applicetur *Emplaste.* seq. regioni lumborum. ℞. *Emplast. Diapalm. & ad Herniam an. part. æqual. mis. extendatur super Alutam, & s. Emplast.*

Dicta refrigerans incrassansque imperanda, nisi quod e re erit semel vel bis in die vini clareti haustulum ægræ indulgere, quot etsi minus conveniat in quantum ebullitionem ciere aptum natum sit, ad vires tamen refocillandas concedi possit. Atque hæc quidem methodus ut fœminis hoc modo affectis apprime proficua sit, ita eadem iis, quibus *Abortus* periculum imminet, non minus confert. Atqui cathartica & succi hic omittantur.

Est & alia, etsi minus frequens, affectuum hystericorum causa. Nempe post partum laboriosiorem *Uteri procidentia*, magnam hujusmodi malorum Iliadam secum trahens, quæ tamen cito ac facile hoc modo sanatur. ℞. *Cort. quercus* ʒij. *aq. font.* ℔iv. *ad* ℔ij. *sub finem addendo Cort. granator. contus.* ʒj. *rosar. rubr. flor. granator. an. M.* ij. *deinde adde Vini rubri* ℔ß. *Colatura sit pro Fotu, qui cum pannis laneis parti affectæ admoveatur mane horis duabus antequam e lecto assurgat, & nocte post decubitum donec symptomata penitus evanuerint*. Sed de his plus satis.

Habes tandem, Humanissime Vir, eorum summam quæ a me in hujusce morbi sive historia, sive curatione hactenus fuerint observata. Restat, ut si quid forte peccaverim, ista minus quam oportuit accurate describens, veniam a te petam; tum ut opellam hanc, eo animo exaratam ut gratias tibi referrem, quod alia nostra conamina, qualia qualia illa fuerint, tuo calculo probare haud dedigneris, æqui bonique consulas. Quæ quidem gratulatio mihi ita raro obvenit, ut vel nihil prorsus ab hominibus sim promeritus, vel candidi ingenuique isti, quos ea mentis præstantia natura effinxit, ut grati esse norint, perpauci sunt; Vix totidem, quot *Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili*. Quo non obstante pergo adhuc, imo & pergam, in ediscenda promovendaque quoad potero methodo curandorum morborum, atque iis, qui me minus in praxi valent (si qui sunt ejusmodi) instruendis. Famæ meæ interim arbitrium penes alios sit. Æqua enim lance & scrupulose expendens, hominesne juvare præstet, aut ab iisdem celebrari, prius illud præponderare comperio, & maximi sane momenti esse ad animi tranquillitatem; Famam vero populique halitum pluma leviorem aut bulla, atque umbra insomnii magis evanidum. Quod si opes ejusmodi nominis celebritate partæ majus aliquod pondus habere videantur, fruantur illis per me licet, qui jam corraserint. Meminerint tamen mechanicorum nonnullos, artes vel sordidissimas exercentium, uberiorem quotidie quæstum facere, & majorem auri argentique vim posteris legare; neque tamen in hoc brutis animalibus superiores evadere, qui sibi suisque pro sua indole prospiciunt; &, si recta ex animi arbitrio & virtute, nata excipiamus (quorum non est capax brutorum natura) hos plane exæquant belluæ, imo & alios qui non eum sibi vitæ scopum proponunt, ut prosint quamplurimis. Commendatum me habeas, rogo, Viro sagaci & eruditissimo *D. Kendrick*, tibi, mihique amicissimo; utpote cui debeam quod tuum in me ita propensum animum resciverim, eamque, qua me complecteris, amicitiam, eo internuncio, didicerim. Conabor quantum in me est, mutuas officiorum vices reddere, & par pari referre, utpote qui sim jure meritoque, Vir dignissime,

Londini,
Jan. 20. 1681. ½

Tibi Devinctissimus, Tuique semper Studiosissimus

THOMAS SYDENHAM.

De variolis hactenus Clarissimus noster Auctor, in variis hujusce Operis locis, ac præcipue in primis ultimæ hujus Dissertationis paginis, accuratissime pro more scripsit, ejusque morbi contagium inter homines tum juniores, tum etiam adultos & senes, ita subinde se spargens, ut ejus necessitatem, si ita loqui liceat, vix ex centenis pauciss. evadant, abunde explicuit, curamque, tam atroci quandoque morbo aptissimam exhibuit. Verum in eodem argumento aliquid se nobis offert infrequentius ac minus familiare; contagium scilicet Variolicum armenta quandoque invadens, de quo docte ac pereleganter commentatus est Clarissimus Ramazzini, postque eum Clariss. Dnus Herment, Medicus in Galliis Regius, ac Peritiss. Dnus Drouin Legionis Prætorianæ, ibidem Chirurgus Primarius, in id a Rege Christianissimo deputati. Horum autem ultimorum Schedas hic omittimus, unica Clarissimi Ramazzini Dissertatione, quam jam exhibemus contenti. Illa autem sic inscribitur, & hæc est.

D E

CONTAGIOSA EPIDEMIA,

Quæ in Patavino Agro, & tota fere Veneta ditione in Boves irrepsit.

DISSERTATIO

H A B I T A

IN PATAVINO LYCEO

A BERNARDINO RAMAZZINI

Practicæ Medicinæ Professore Primario.
Die IX. Novembris MDCCXI.

Si veri speciem præfert quod vulgo dici consuevit, & apud sapientes quoque receptum, consuetudinem vim quandam legis obtinere, ut qui illam violarit, si non plecti, laudari tamen haudquaquam mereatur, qualem mihi legem ipsemet imposuerim, modo quamvis sero nimis agnosco. Etenim cum annus iste secundi sexennii, ex quo in hoc celeberrimo lyceo practicam medicinam profiteor, sit complementum, ac quotannis in solemni studiorum Instauratione, ut diu feriatam juventutem ad studia capessenda allicerem, oratione aliqua proludere consueverim, nunc mihi jam effœtis corporis atque animi viribus, quando ætas prædatrix omnis secum aufert, magnum onus incumbere video, si consuetudini meæ nondum interruptæ obsecundare velim, ac vestram expectationem non omnino fallere. Audendum tamen ratus, in unum coactis, qui supersunt spiritibus, ita me comparaveram, ut quod antea præstiteram, hoc anno quoque pro viribus præstarem. Post aliquot igitur meditationes, argumentum non incuriosum, ut reor, nactus fueram, circa quod ingenii mei vires exercebam, cum præsens hæc autumnalis constitutio præter modum insolens, atque ominosa, Opus quod moliebar, & ab umbilicum pene deduxeram, mihi e manibus excussit, & aliud argumentum a Medicis amœnitatibus longe diversum suscipere coegit, vestra tamen attentione A. O. non indignum. Nemo non novit, quam inopinate, quam violenter bubulum genus dira contagio pervaserit flammæ ad instar, quæ ope nulla humana consopiri, nedum restingui potuerit. Hæc primum quidem in Vicentino Agro subobscure observari cœpit, mox in Patavinum transgressa, aperte se prodidit, ac longe lateque effusa, usque ad ipsa urbis pomœria, tam magnam ac horrendam boum stragem edidit, ut tum rura, tum civitatem mœrore, ac metu complerit. Mœret rusticana plebs, imo stupet attonita, dum ampla bovilia vacua, ac deserta intuetur, dum quotidie fere tumulos adspicit, in quibus sepulta sunt fortunæ suæ pignora, propriis natis forsan etiam chariora, dum bobus extinctis, equos ad frumenti sationem parum aptos cogitur sufficere.

Quid labor, aut benefacta juvant, quid vomere terras
Invertisse graves?

Sic miserandam agricolarum sortem deflere libet cum Poetarum Principe, qui tertio Georgicorum huic non absimilem bonm cladem carmine descripsit. Mœrorem dissimulare nequeunt cives, & nobiles viri, dum prædia sua, & villas, præcipuo ornatu, & patrimonio orbatas intelligunt, atque etiam vident. Tristatur, ac dolet plebs urbana, dum annonæ, rerumque omnium, quæ ad victum spectant, caritatem brevi secuturam prænoscit. Nemo est igitur, quæcumque sit ejus conditio, qui damnum aliquod non sentiat, & graviora quoque non

non timeat. De hac igitur tam portentosa boum clade hodierna hac mea Dissertatione, seu potius prælectione, quam hoc anno ad tractatum de febribus, ac præsertim de febre maligna ac pestilenti, sum habiturus, verba facere constitui, hujus morbi indolem, casus perveștigando, quibus remediis illi obviam sit eundum.

Nec obtrudat quisquam, in hoc tam celebri lyceo, ab hac exedra, quæ ordinis sui primatum obtinet, indecorum esse pro Hippocratica doctrina M. Varronis, Palladii, Columellæ, Vegetii, aliorumque Veterinariæ artis scriptorum documenta tradere; regeram enim ego, magnum Hippocratem, cui nullius rei scientia vilis habita est, non puduisse de boum morbis verba facere, in Libro enim de Articulis, rationem adfert, cur bobus tam facile contingant femorum luxationes. Præterea si congruentia, quæ omnibus in rebus momentum habet non leve, hic quoque suam meretur animadversionem, tractatio de hac boum epidemia nostri muneris est, Illustrissimi, & Spectatissimi Professores. Vobis quæso succurrat, quonam in loco nos simus, & professorium munus exerceamus? Nonne in lyceo, cui a Majoribus nostris bovis nomen est inditum? neque inauspicato, quando bos iste suis mugitibus, hoc est doctrinæ robore totum literarium orbem implevit, ut nulla pars sit tam longe dissita, quæ ad illius celebritatem non reboet, ac ubi non colatur magis illius nomen, quam olim Serapis in Ægypto. Si ergo sub signo bovis militamus, si bos iste nos pascit, quis erit tam vecors, seu tam malignæ indolis, qui indecorum putet, provinciam hanc suscipere, quam detrahere velle impium, & nefas esset; eoque magis, quo ab Excellentissimo Magistratu, qui sanitatis tutelæ Venetiis præsidet, ac postremo ab ipso Serenissimo Principe demandatum est celeberrimo hujus civitatis Medicorum Collegio, serio exquirere, quænam sit hujus morbi conditio, quæ causa, & quibus præsidiis ferocienti in dies malo possit occurri.

Affectionis genus, quod bubulo generi bellum ad internecionem usque videtur induxisse, ex frigore, rigore, horripilatione, mox ex calore acri, & vehementi per universum corpus diffuso cum pulsus frequentia, febrem esse satis liquet, malignam vero, exitialem, pestilentialem etiam, si mavis, esse aperte testantur, quæ illam comitantur symptomata; qualia sunt, magna anxietas, & gravis anhelitus, etiam cum stertore, & in principio febris, stupor & species quædam veterni, continuus ex ore, & naribus graveolentis materiæ descensus, fœtissima alvi proluvies, interdum etiam cruenta, anorexia, & abolita penitus ruminatio, pustulæ quinta vel sexta die per totum corpus erumpentes, ac tubercula variolarum speciem referentia, communis tandem omnium eodem modo circa quintam, & septimam interitus, cum boves pauciſſimi evadant, iique forte potius quadam, quam remediorum dynami. Hæc quidem ex se patent, quid vero intus patiantur miserandi boves, cum jacent anxii, ac stertentes, ac dum stant immoti, capite usque ad terram demisso, conjectare equidem possumus; sed ex mutis animantibus, quæ per nutus nihil significare possunt, nil certi rescire possumus, quod forsan in causa est, ut difficilior sit curatio. Causam igitur hujusce malignæ febris pro viribus perscrutemur.

Omnibus epidemiis, si a sporadicis affectibus differre debent, id peculiare inest, quod communem causam habeant, sive ab aeris vitio, sive a corruptis alimentis, aut ab aliquo contagioso fomite prognata fuerit, qui ab uno corpore in aliud transmigret, illique eandem labem communicet. Dissimulare quidem non licet, tempestatum hujusce anni non adeo legitimam fuisse temperiem, juxta illarum naturam, Æstatis præsertim, quæ Veris speciem præferre visa est non admodum latrante Syrio, nec cicadis arbusta rumpentibus. Annus tamen in universum non insalubris fuit, neque multum in quæstu Medicis, ac Pharmacopolis: nec solum in hac civitate, sed in aliis quoque, & in transpadana regione, ut per literas accepi, ut parum verax visus fuerit Hippocrates, quod *cum æstas veri similis est, autumnales morbos expectare oporteat*. Nulla in aere a Meteoreleschis portenta visa sunt, nulla in herbis, & frugibus apparuere rubiginis signa, quemadmodum anno elapso, quo carbunculari morbo laborarunt fruges, nec tamen noxam ullam persensere armenta, & pecudes, in fructibus tum æstivis, tum autumnalibus, qui omnes serotini fuere, nullæ deprehensæ sunt notæ, quas nebularum uredo inusserit.

Cælum equidem non consului, ut viderem, num ex aliquo maligno astrorum influxu, pestilentiæ bubuli gregis causam divinare liceret, ut ex Saturni cum Marte syzigia, in Tauri signo, quemadmodum olim Marsilius Ficinus, in Consilio quodam Thusco sermone edito, ut ab omnibus intelligeretur, pestis quæ anno 1478. totam Etruriam, ac præcipue Florentiam, depopulata est, causam retulit in conjunctione Martis cum Saturno in signo humano (quasi Asterismorum in hæc inferiora virtus ab inditis nominibus esset petenda, ut si forte hujusmodi conjunctio observaretur in signo Arietis, aut Piscium, posset aliquis ovilis generis, aut marini populi excidium prædicere) Sed postquam, cum juvenis essem, Pici Mirandulani libros adversus Astrologos legi, judiciariam a studiis meis valere jussi. Aerem itaque, & pascua, ab hoc crimine quod hujus morbi in causa fuerint absolvere fas erit. Quis enim unquam sibi persuadeat, campos, & prata, talem ab aere humorem combibisse, qui solis bobus tam dirum esset venenum, cæteris vero animantibus, quæ eadem herbas pascerent, esse omnino innoxius? Aliam igitur causam comminisci oportebit, quam nonnisi a contagioso fomite licebit deducere, cujus rei non simplices conjecturas, sed argumentum habemus appodicticum.

Jam satis constat, & in acta publica relatum, ex boum turmis, quos e Dalmatia & conterminis regionibus, mercatores in hæc loca solent adducere, bovem unum a cæteris secessisse, qui a bubulco repertus, & perductus in latifundium Illustrissimi, & Reverendissimi Comitis Trojani Borromæi, Canonici Patavini, pro hospitio, eadem labe qua erat infectus, hospites suos fœdavit; illo enim paucos post dies mortuo, paulatim eodem morbi genere omnes misere periere, uno tantum superstite, cui in collo factum fuerat setaceum. Casus iste totam viciniam perterrefecit, sed nulla juvit diligentia, ut domus suas, & casas a flamma nimis vicina præservarent. Isthæc itaque contagio paulatim serpens, totam Patavini agri amplitudinem brevi pervasit, quin postremo Padum transgressa, Æmiliæ populis idem minatur excidium.

Quoniam autem morbosi seminii ea est indoles, ut facile suboleſcat, & in immensum se propaget, si in subjectum proprium, & mumiatum, ut vocant, incidat, cujus rei amplissimum specimen habemus in lue gallica; quæ ex Indiis occidentalibus, a paucis navigantibus ad nos delata, Italiam primo, mox universam Europam, fœdissima, & ineluibili labe citissime inquinavit; Non est quod miremur, si per aporias, & effluvia, quæ ad modum atmosphæræ expirant a bobus ægris, ab extinctis, & stabulis, a pascuis, quæ ipsimet boves pascendo infecerint, promptius autem & facilius ab ipsis Bubsequis, & illorum vestibus, (pesti enim volupe est, in lana molliter cubare) non est, inquam, quod miremur, si hæc contagio tam longe lateque se se effuderit. Ubi igitur hæc aura venenata subtilissima bovem aliquem antea sanum afflarit, spiritibus vitalibus, & seroso latici se consocians, dum in Orbem agitur, naturalem sanguinis consistentiam lædit, & viscerum fermenta corrumpit; quare naturales viscerum functiones paulatim vitiari, & debitas excretiones coerceri necessum est, quod paulatim fieri fas est credere, non enim subito ac bos aliquis venenum istud hauserit, vel quoquomodo illud susceperit, non illico, inquam, virulentiam persentit; ut qui a cane rabido commorsi fuerint, ad longum tempus sibi sani videntur, at postea ex improviso, ad aquæ conspectum palam faciunt, quam dirum venenum intus gestarent. Naturalem sanguinis consistentiam ab hoc, contagioso fomite lædi paulo ante diximus; suppono etenim, imo pro certo habeo, venenum istud esse de illorum genere, quæ sanguinem potius figant, & coagulent, quam dissolvant; id primum attestantur symptomata, quæ febrem comitantur, nempe anxietas, gravis anhelitus, stertor, & stupiditas, ocularis quoque inspectio, dum a laniis boves extincti dissecantur, qui licet adhuc calentes parum aut nihil sanguinis effundunt. Bos præterea piger ac tardus ex sua natura est, & carnes habet duras, *& graves ad stateram*, ut ait Hippocrates, data nimirum paritate molis ad carnes cæterorum animalium, idcirco illius sanguinem talem esse oportet. Taurinum sanguinem inter venena recensuit Dioscorides, eo quod epotus ad coagulationem in stomacho sit facilis; Prævotius autem propter flatulentiam; Themistoclem sanguine taurino calido epoto sibi mortem conscivisse, ex Plutarcho, in ejusdem vita habemus. Mirum itaque non est si venenatus hic fomes, in hujus animantis genere sanguinem ex sua natura crassum coagularit. Hanc cruoris concretionem in malignis febribus observarunt Scriptores, uti Petrus Salius, qui refert in quadam ex maligna febre extincta repertum fuisse in arteria magna sanguinem ita concretum, *ut prehenso illius sanguinis altero principio, totus sanguis coalescens, ita integer eductus fuerit, perinde ac gladius e vagina extrahi solet*. Idem quoque aliquando *in pestilentiis accidere* testatur Richardus Louver in tractatu de corde: Nisi autem talis esset in hac epidemia sanguinis conditio, non protraheretur ad tot dies febris; ubi enim sanguis est nimis dissolutus, & vis deleteria humorum corruptioni prævalet, febrilis calor est adeo mitis, ut ægri interdum se febrire non putent, sed citissime intra unam vel alteram diem occumbant. Postquam igitur fermentificus, & pestifer hic fomes per venas, & arterias tanquam per cuniculos totum corpus peragrarit, tunc, tanquam hostis ex insidiis erumpens feritatem suam patefacit, febrem malignam excitando, quæ intra quintam, aut septimam, lanienam suam absolvit, indiscriminatim boves, aratores, tauros, vaccas, juvencos, vitulos jugulando.

Hujus autem pestis primam originem, num bos ille peregrinus eam aliunde susceperit, vel in ipso primum genita fuerit, exquirere ad rem nostram parum refert. Necesse est enim quemadmodum in libro de contagione tradit Fracastorius, ac pariter Joseph Aromatarius, in libro de rabie contagiosa, quod ad aliquod animal tandem sit deveniendum, in quo productum fuerit morbosum seminium. Extra enim controversiam est non solum in brutis, sed etiam hominibus per varios corruptionis gradus, generari posse venena, ac talis naturæ humores, qui ad alia corpora symbolica, & analoga facile transeant: sic qui tabe pulmonari laborant, consanguineos suos facile inficiunt, si cum illis consuetudinem habeat; lippitudinem contagiosam esse vetus est observatio.

Dum spectant oculi læsos læduntur & ipsi.
Multaque corporibus transitione nocent.

In boum cadaveribus, quotquot lanionum secespitæ subjecta fuere coram Excellentissimis Anatomes professoribus D. Molinetto, & Viscardo, id singulare in omnibus repertum est, in omaso nempe, corpus quoddam durum, & compactum, ventriculi parietibus fortiter adhærens, magnæ molis, & intolerandæ graveolentiæ; in aliis vero partibus repertæ sunt hydatides, in cerebro, pulmonibus, sicuti etiam ingentes vesicæ solo flatu plenæ, quæ dissectæ diram mephitim exhalarent, ulcera in radice linguæ, & ad illius latera vesiculæ sero plenæ. Illud vero corpus durum, & compactum ad instar calcis, quod in omaso observatur; primum productum esse contagiosi miasmatis, pro certo habeo, dum tacite sævitiem suam exercens stomachicum fermentum labefactat, & corrumpit; non enim est credibile post febrem excitatam conflari hoc corpus intra paucos dies, dum boves ubi primum febrire cœperint, quodcunque alimentum adversantur, nec quidquam, nisi liquidum per os infundi potest: cætera vero, quæ memoravimus, malignæ febris producta esse, facile crediderim, sed omnium phænomenorum exactam rationem adferre velle non patitur unius horæ ambitus; ampla enim materia suppeteret ad integrum tractatum conscribendum.

Verum ne amplius vos morer, A. O. ad ea properabo, quæ sunt dicenda, conjectando nempe, quem finem habitura sit hæc contagio, & num aliquid gravius portendat, ac quod magis refert, quid agendum. Quoad primum in hac epidemia, idem quod in cæteris evenire solet, secuturum existimo, nimirum quod post tot tentamina, tot experimenta, ac præsertim post observatam methodum, quam morborum medicatrix natura servat in iis bobus sanandis, quos maligna febris non sustulerit, felicior curatio possit institui, ac forsan hujus veneni verum, & specificum remedium reperiri, quo malignum istud miasma penitus extirpari possit. Levamen quoque aliquod expectare licet ab adventante hyeme, ac a ventis aquilonaribus, qui tanquam aeris scopæ australes flatus pessimæ semper indolis procul abigant, quales venti per totum Octobris mensem dominatum obtinuere. Memoratu dignum est, quod de ventorum potestate supra humana corpora refert Vitruvius. *In insula Lesbo* (inquit ille) *Oppidum Mitylene magnificenter est ædificatum, & eleganter, sed positum non prudenter. In qua Civitate Auster cum flat, homines ægrotant, quando Corus, tussiunt, cum Septentrio, omnes in salubritatem restituuntur.* Quantum sævierit pestis Octobris mense, austro, & euronoto flantibus,

bus, satis vulgatum est, cum plures dies adeo nefasti fuerint, ut neque quotidianis hecatombis, interdum etiam geminatis, furialis hæc, & execranda febris mitior fieri, nedum placari potuerit. Scio equidem, calori, & frigori morbos pestiferos non admodum auscultare, cum alias fuerit observatum, in summo æstu, & summo frigore pariter sæviisse hominum pestem: attamen cum feralis hic morbus, qui celeris est motus, ortum habuerit æstivo tempore, incrementum, atque etiam suam acmen autumnali, sperare licet, quod hyemali tempore finem, & sui desitionem, ope divina sit habiturus.

Num autem hic epidemicus bovini populi morbus longum in tempus perseverans, humanis corporibus labem aliquam affricare valeat, ut nonnulli suspicantur, non alienum est disquirere. Si in morbis malignis, qui ratiocinia nostra persæpe eludunt, quidquam ponderis habent rationum momenta, sperare licet homines intactos & illæsos relicturum esse; etenim si trium mensium spatio lues ista alia ruminantia, & cornigera non attigit, quamvis inter ea magnus sit symbolismus, nec equos, sues, ac alias sylvestres feras hactenus quidquam læsit, non apparet ratio, cur homines, qui ab istis animantibus tam longe distant, debeat afficere.

Non sum nescius inter futuræ pestilentiæ signa, quæ plurima sunt, recenseri solere non boum solummodo, sed aliorum quoque animantium stragem, qualis ea fuit, quæ Ægynam insulam depopulata est, de qua Ovidius:

Strage canum primo, volucremque aviumque boumque,

ac ea, quam memorat Livius, quæ in Sicilia Romanum exercitum, & Carthaginensem pene delevit, de qua Silius Italicus:

Vim primi sensere canes, mox nubibus atris
Fluxit deficiens, penna labente, volucris.

Cui aliam non absimilem refert Dionysius Halicarnasseus, quæ *primo equorum, boumque armenta invasit, mox pecudes, & alia quadrupedia aggressa est, deinde Pastores, & Colonos attigit, & totum Romanum agrum pervagata, Urbem invasit.* Ast illorum temporum pestilentiæ non in solis bobus, sed in omnibus animantibus, ut ipsis etiam maris piscibus non parceret, (qualis ea fuit, quam Lucretius carmine descripsit) sævitiem suam exercuere, ut quæ ab aeris vitio ortum duxissent, de quo non habemus quod suspicemur; in solis enim bobus, & facilius in iis, qui habitiores, & pinguiores essent, quam in gracilibus, hæc lues alimentum invenit, quo rabiem suam pasceret. Magna tamen cautione utendum est in tumulandis cadaveribus, terra alte defossa, quemadmodum publica edicta præscribunt, si quid enim timendum, præcipue a nimia cadaverum copia, ex quibus minus apte humatis, ac postea putrefactis, redeunte Vere, pravi halitus aerem inquinare possint. Bonum autem esset, in loco inculto, seu in pratis, quæ arationi non sunt subjecta, cadavera humare. Ubi enim de morbo contagioso agitur, nunquam satis cavemus, dum cavemus. Quoniam autem, solutis in liquamen cadaveribus, necesse erit terram subsidere, censerem, bonum esse, novam terram superingerere, in illam conjiciendo graminis, aliarumque herbarum semina. Refert Petrus Forestus Delphis apud Batavos, peste jam sopita, & cœmeterio Templi vetusti cadaveribus oppleto, habitam consultationem inter Medicos, num calce, aut lapidibus illud cœmeterium esset obruendum, ac decretum fuisse ut multa terra superinduceretur, atque in eam varia herbarum semina conjicerentur, *ut crescente gramine, & clausis spiraculis, lues minus denuo suppullularet.*

Silentio tamen præterire non licet, observatam aliquando pestem in solis bobus, ac postea secutam hominum pestilentiam; interdum etiam hominum pestem in boves terminasse. Primum exemplum habemus ex Livio, qui scribit pestem magnam in boves ingruisse, sequenti anno ad homines vertisse. Secundum vero apud Ripamontium Chronistam Mediolanensem, qui in Libro de Peste, quæ anno trigesimo exacti nuper sæculi cispadanam, & transpadanam regionem pessime mulctavit, pestilentiæ hominum, pestem boum subsecutam refert. Hisce tamen duobus monumentis totidem habemus, quæ opponamus nec longe petenda. Primum a celeberrimo Fracastorio, qui in Opere doctissimo de contagione scriptum reliquit, anno decimo quarto supra sesqui millesimum diram pestem in solos boves irrepsisse, quæ in tractu Forojulienſi primum nata, exinde usque ad Euganeos, postmodum in Veronensem agrum, aliasque Venetæ Ditionis regiones delata, magnam boum cladem ediderit eodem ferme modo, ac iisdem symptomatibus, ut hæc nostra illius soboles videatur. Alterum monumentum suggerunt nobis manuscripti artis lanionum, quibus non est deneganda fides, quales libri in hac civitate asservantur, in quibus ad posterorum memoriam ab Antonio Faccio scriptum legitur, anno nonagesimo nono ejusdem sæculi, quo vixit Fracastorius, adeo gravem in boves pestem grassatam, ut publicis Augustissimi Senatus Veneti edictis vetitum fuerit, ne caro bubula, caseus recens, butyrum, lac sub capitali pœna in hac civitate divendi possent, sed solis carnibus vervecinis vesci liceret; attamen iis annis nihil sinistri, præter rei familiaris damnum hominibus obtigisse, certo scimus. Habemus igitur unde spes nostras alamus.

Utrum autem, grassante hac epidemia, carnis bubulæ sanæ creditæ adeo tutus sit usus, ut noxam ullam humanis corporibus non possit inferre, abs re non erit disquirere. Res equidem suspicione non vacat; etenim, etiamsi bos antequam ad lanienam ducatur, fuerit observatus vegetus, atque hilaris, ac postea in illo jugulato, & excoriato, nullæ in visceribus deprehendantur corruptionis notæ, quæ in cæteris, qui ex hoc morbo intereunt deprehenduntur, attamen certi non sumus, quod bos ille contagiosum fomitem non gestaret, quod aliis etiam communicare posset; credibile est enim paucos apud nos esse boves, qui afflatum hunc malignum non persenserint, licet sani degant; morbosi enim seminii ea est subdola malitia, ut hominum judicia non raro fallat; persæpe enim evenit, ut qui illud in se continet, & secum circumfert, læsionem nullam sentiat, nec forsitan sensurus sit, in alium tamen ejusdem speciei possit facile transferre. Hujus rei exemplum habemus in gallico morbo; non raro enim contingit, ut aliquis a muliere infecta luem suscipiat, nec quidquam sentiat, & uxori postea eam communicet, sic ut illa paucos post dies gonorrhœa, vel bubone corripiatur; ex quo fit, quod non leves rixæ, & jurgia iter conjuges oriantur, & uxor pudicitiæ suæ conscia virum maledictis incessat, quod ab illo tam fœda labe inquinata fuerit; ille autem, qui se perfecte sanum agnoscit nec quidquam de infectione suspicatur, de conjugis fide non parum dubitet. Qua de re legendus Paulus Zachias, Mercurialis, Gaspar a Rejes. Circa esum carnis bubulæ memoratu dignum est quod refert Theodoricus Skenkius in Hist. humor. gen. cap. 2. his verbis: *Olim decertatum Venetiis, & Patavii inter lanios, & incolas, quod illi ex Hungaria boves advectos, emptos & mactatos in macello venditassent, quos tamen cives lue quadam infectos fuisse noverant, cum fluxu alvi cruento tentati plurimi periissent, translato nimirum ab uno ad alterum contagio. Hac de re consulti Medici Patavini, in ea fuere sententia, carnes hujusmodi esui adhibitas innoxias esse, eo quod esset contagium particulare, & specificum, ac omnis malitia fuisset emendata ac discussa a prævia agitatione gymnastica, antequam boves mactentur.* Contrariam opinionem sustinuisse Medicos Venetos tradit Christophorus Fridericus Garammannus in Opere suo eruditissimo de mortuorum miraculis, eo quia carnes hujusmodi essent contagiosæ, & cadaverosæ. Fabius Paulinus Medicus Utinensis controversiam hanc dirimere aggressus est, suam enim sententiam dixit, nimirum si necessitas urgeat *in cibum carnes vocare, sale aut aceto prius probe esse macerandas, viscera que cum aliis interraneis esse abjicienda, cum in iis causæ morbificæ focus & nidus existat.* Qualis cautio num sufficiat, & omnem dubitationem tollat, liberum cuique esto judicium.

Quid ergo agendum in tam exitiali morbo, qui bubuli generis extinctionem videtur interminari? In id unum incumbendum esse, persuasum habeo; ut per universalia alexipharmaca (quando particulare, & specificum hujus veneni remedium non habemus) miasma istud pestiferum extinguatur, aut saltem enervetur, ut natura roborata illud ad cutis ambitum ableget, atque extrudat, quando per ulcera, pustulas, & tubercula in iis bobus, qui evasere, sponte excitata ipsamet natura, nobis indigitavit, qua via sit inecendum. Crediderim itaque in curatione hujus malignæ febris, ea methodo procedendum, quæ a bonis Medicis servatur in curanda varioloſa puerorum febre, distinguendo tempus ebullitionis a tempore expulsionis; tempore nimirum ebullitionis erit caute utendum remediis calidioribus, ne intendatur calor febrilis, & plus æquo efferveſcat massa sanguinea, cui facile succedit perturbata coctio, quam natura rectrix intendit; qua in re non leviter peccatum esse censeo, cum hujus febris initio ad calidiora cardiaca ventum fuerit, & præcipue ad vina meraciora cum multa theriaca; quare præposterum remediorum usum, stragem longe majorem edidisse censeo, quam febrem ipsam. Non desunt medicæ praxis docti Scriptores, qui in variolosis constitutionibus in principio febris præcipitantibus utendum esse volunt. Dum hæc sub prælo essent, apud amicum ea legi, quæ Illustrissimus D. Joannes Maria Lancisius Clementis XI. P. O. M. Archiater meritissimus, ac intimus Cubicularius perdocte, & erudite, ut solet in omnibus, de hoc morbo consultus, scripsit; nam inter varia monita, hoc habet, quod cardiacis acida sint maritanda. In febris itaque principio moderate agendum per alexipharmaca, in progressu vero morbi, & despumationis, & expulsionis signis liberalius bezoardicis utendum.

Ut autem ad remediorum materiam descendamus, quando id unum est, quod expetitur, & a nobis exigitur, nequaquam vero nuda verba. Quod præsidia externa, sanguinis missio visa est improspere cessisse, idcirco cœpta est omitti; nihil tamen sævitiæ suæ remisit morbus; imo truculentior factus est. Equidem in omnibus epidemiis suspecta est phlebotomia, sicuti purgatio, unde Celsus: *Sanguinem non facile mittere, alvum non facile ducere*; in febre tamen varioloſa passim mittitur sanguis, in pueris bimis, aut trimis per cucurbitulas scarificatas, & quibusdam in locis etiam per venam sectam, in principio tamen febris. In hac itaque boum febre, non salubrem tantum, sed necessariam fore venæ sectionem crediderim, ad sarcinam minuendam, ut mitior fiat ebullitio totius massæ sanguineæ, & per sua vasa circulatio. Cum enim, ut diximus, bovis cruor ex sua natura sit valde crassus, & ad facilem concretionem pronus, atque venenum istud de illorum sit genere, quæ massam sanguineam coagulandi vim habent, quo precor remedio laboranti bovi, & anhelanti ob sanguinis concretiones in vasis sanguifluis in pulmone, in corde, quam per ipsam sanguis missionem promptius, & facilius poterit succurri? Animadversione dignum est, quod lues ista, boves robustos, & valde obesos facilius corripiat, macilentos vero, qui vix ossibus hæreant, prætergrediatur; propterea in hac febre quæ non absimilis est iis, quas appellant inflammatorias (quales sunt, quæ in pleuritide, peripneumonia, angina observantur) sanguinem in fervorem actum, & alioquin ad coagulationem aptum, detrahere, salutare consiliuni erit. Clamitet autem ad ravini usque contra hanc operationem, quisquis velit; non enim video (si tamen per analogismum in curanda hac febre licet procedere, ut in curatione febris pestilentis quæ homines corripit) ego, inquam, non video, cur miseranda hæc animalia, dum febriunt, & oculis lacrymantibus, opem aliquam quodammodo implorant, hoc magno remedio debeant destitui; morbi enim magnitudo, plethorica dispositio, ob pascua hoc anno solito uberiora, phlebotomiam manifeste exposcunt, in principio tamen febris, dum vires validæ permittunt, quam doctiores Medici in febre pestilenti, uti Sennertus, Septalius, Antonius Ponce, Sancta Crux, Fracastorius, & alii gravissimi Scriptores admittunt. Certe vires horum animalium, in ipso etiam vigore morbi satis validas esse observavi, e stabulis enim educti, & per campos circumducti experiundi causa, num herbam aliquam velint pascere, robuste incedunt, & suæ libertati relicti, ad stabula prompte recurrunt. Circa porro venarum delectum, non adeo laborandum; ubi enim ad vasorum plenitudinem tollendam mittitur sanguis, parum refert, an ab hac, vel illa vena mittatur.

Inustiones quoque lato ferro candenti faciendæ in collo utrinque, sublata enim eschara, apparebunt ulcera, quæ vesicantium loco esse poterunt; aures quoque rotundo ferro perforandæ, indita postea radice hellebori, ut veterinarii Scriptores suadent, similiter sub mento perforanda palearia, injecto postea funiculo, quem setaceum vocant, indiget enim natura aliquo emissario, per quod venenum istud exantlet; nulli enim comperti sunt evasisse boves, nisi per pustulas in cute excitatas, multum crassæ, ac fœtidæ materiæ fundentes, nec bovem ullum, qui sic purgatus, recidivam passum fuisse adhuc accepi; nam ex Hippocratis oraculo in sexto Epidemicorum: *Quidquid suppuratur non revertitur; ipsa enim maturatio, & judicatio simul, & abscessus.* Observatione dignum est, quod refert laudatus Fracastorius, ait enim, *eos boves, quibus labes a faucibus ad armos descendebat, & inde ad pedes, sanatos fuisse, quibus autem hæc permutatio non fiebat, ut plurimum interiisse.* Linguam, & palatum, ace-

to, & ſale colluere ſæpius oportebit, frictiones pluries in die faciendæ ad faciliorem perſpiratum obtinendum, ac ut cutis paratior ſit ad recipienda rejectamenta nervorum & arteriarum in glandulas. Cum perſæpe in faucibus generentur tumores & cruſtæ, ut fit in variolis, ut nihil per os poſſit infundi, compertum eſt baculum ſalignum viridem butyro inunctum, longitudinis ulnæ, & amplius per os inditum, valde contuliſſe ad impedimentum illud tollendum.

Quoad præſidia interna, hæc e triplici regno erunt petenda. E vegetabili plantas multas habemus cardiacas, quarum magna eſt ſupelles; Decoctio itaque in aqua fieri poterit ex foliis ſcordii, cardui benedicti, dictami Cretici, centauri, radicibus gentianæ, tormentillæ, ſcorzoneræ, & ſimilibus, quibus addi poterunt cicoracea ad illarum calorem temperandum, quæ decoctio, bis, vel ter in die per os infundi poterit ad duas, vel tres libras. Cum vero febris ad ſtatum pervenerit, decoctio iſta ex prædictis plantis debebit eſſe ſaturatior ad expulſionem promovendam. Camphora quoque magnum anripeſtilentiale, accenſa, & in aquam conjecta, potionem efficiet aptam ad peſtiferum miaſma perdomandum, & diaphoreſim promovendam. Pulveres quoque ex iiſdem plantis parati, & in aqua cardiaca diſſoluti, exhiberi poterunt.

Ut autem præter univerſalia alexipharmaca, quæ pro malignæ febris curatione a vegetabilium claſſe abunde ſuppetunt, aliquod ſingulare proponamus, placet expendere, num ſolemne illud antipyreticum, h. e. cortex Peruvianus, vulgo China Chinæ, ad malignam hanc febrem expugnandam ſalutare remedium eſſe poſſit. Equidem hoc præſidii genus in febribus periodicis miranda præſtat, ac præſertim in tertianis intermittentibus malignis, quæ in ipſo impetu acceſſionis, ægros interdum necant, quarum febrium in conſtitutionibus meis epidemicis Mutinenſibus mentionem habui; hoc enim febrifugum, fermentum illud malignum, ſive penitus reſtinguit, ſive ita enervat, ut periculum illud tollatur, ne æger in ipſo febris acceſſu intereat; aſt in febribus continuis, & inflammatoriis, perraro ex corticis Peruviani uſu, febrem ſolutam obſervavi; ſi tamen habenda fides Richardi Mortoni rationibus, & experimentis, qui in quacunque febre venenum quoddam ſpiritibus vitalibus hoſtile agnoſcit, cur in hoc bovini generis morbo experiri non licebit hujus febrifugi virtutem? Iſthæc enim boum febris continua, & acuta, a febribus continuis ab aliqua inflammatione comitatis, quæ homines corripiunt, nullatenus differt; licet Joſeph Aromatarius ex Antiquorum doctrina differentiam aliquam ſtatuat inter febres brutorum, & febres hominum, ut brutorum febris καύσος, hominum vero πυρετὸς vocitetur. Poſſent itaque unciæ tres pulveris Chinæ Chinæ (quando hujus remedii largior doſis eſſe cœpit, quam olim) infundi in libris decem vel duodecim aquæ cardiacæ, ſeu vino non admodum generoſo, quæ infuſio inſervire poterit pro quatuor, vel quinque doſibus, bis illam in die exhibendo, in febris tamen principio, & cum primum bos ægrotare cœperit.

Sua quoque remedia ſuppeditabit regnum animale; cornu cervi primas tenebit, infuſio itaque ac decoctio, & quæ ex eo parantur remedia erunt ex uſu. Pulvis viperinus, qui febrilem calorem non adeo intendet, bis in die exhiberi poterit ad drachmam unam, in aqua cordiali tepida pariter diſſolutus; efficacior tamen eſſet vipera una, vel altera in aqua cordiali decocta: febris enim intra paucos dies curſum ſuum abſolvit. Quoniam autem inter cætera ſymptomata, gravi anhelitu, & ſtertore boves premuntur, ſperma céti tanquam remedium aptum ad diſſolvendas ſanguinis concretiones, & in aſthmate uſurpari ſolitum, præſcribi poterit ad drachmas duas in vino tepido diſſolutum. Mineralia quoque, ut quæ non tam facile a calore nativo, & digeſtiva facultate alterantur, ut vegetabilia, & animalia, ſed integris viribus corpus pervadunt, ſymbolum ſuum conferent. Antimonium diaphoreticum, paratu facile, & exiguæ impenſæ, quod nihil aliud eſt, quam antimonii crudi in pulverem contriti, cum æquis partibus nitri, in crucibulo, vel mortario æneo per carbonem ignitum, aut bacillum ferreum candentem, conflagratio ter, vel quater repetita, addita ſemper novæ conflagrationi æquali portione ſalis nitri, erit proficuum remedium ad obtinendam illam, quæ expetitur, expulſionem diri veneni ab intimis ad extima. Quoniam vero repertos ajunt eſſe lumbricos, & aſcarides in inteſtinis, quod perfacile eſt credere, cum etiam in peſtilentiis hominum obſervari ſoleat verminatio, non ſolum in ventriculo, & inteſtinis, ſed etiam in aliis partibus, quod in ſcrutinio Peſtis tradit Pater Athanaſius Kircher e S. J. & animatam putredinem appellat, ad remedia anthelminthica erit confugiendum; Mercurii infuſio, ad libram ſemis ſuper cineres calidos, in aliqua ex prædictis aquis optimum erit remedium, cæteris quæ decantantur præferendum; quando enim inter helminthicos ſcriptores diſputari ſolet, num acida, an dulcia ad vermes necandos ſint uſurpanda, Mercurium, licet inſipidum, id valenter præſtare, & frequenter in uſu eſſe, pro certo habemus. Idem quoque efficiet Mutinenſis agri petroleum; præter enim id, quod vermes enecat, putreſcentiam quoque corriget, & diaphoreſeos erit ſtimulus, Noſtrates ruſtici, cum vitulos habent verminantes, quod facile deprehendunt ex odore, quem vituli expirant, cum lacte exhibent iſtud petroleum, ad guttas aliquot per os infundendum.

Quoad alimentum, potiones parari poterunt, ex farina hordei, tritici, panis contriti ad inſtar ptiſanæ. Pro potu laudatur fœni puri, odorati, menſe Maji collecti, in aqua maceratio, quod potionis genus hiſce animalibus gratum eſſe obſervavi. Externorum quoque habenda eſt ratio. In hoc calido boves detinendi, & cuſtodiendi ſtragulis cooperti, cavendo quantum licet ab aere frigido; quotidie ſtabulum ſuffumigando ex baccis juniperi, galbano, & ſimilibus.

Atque hæc quidem ad therapejam, modo pauca quædam documenta pro hujus meæ prælectionis coronide, in prophylaxeos gratiam lubet proponere, quando longe præſtantius eſt præſervare, quam curare, ſicuti ſatius eſt tempeſtatem prævidere, ac illam effugere, quam ab ipſa evadere. Cum igitur boves ab agris poſt labores in ſtabulum ad hyemandum jam ſint deducti, ut milites ad caſtra hyberna, magna diligentia ſtudendum erit ut ea loca, in quibus boves ſani degere debeant, munda ſint, quantum fieri poteſt, ac ſæpe ſuffumiganda, quæcunque animalia, ut ſues, oves etiam ab illis arcendo. Solent ruſtici, ut ſtabula hyeme ſint calidiora, fimum, & excrementa boum in iis cumulare, ſed ſatius ſi quotidie alvinas fæces alio adſportent. Conſilium ſalubre erit parietum cruſtas abradere, eo modo, quo Judæi ex legis edicto jubebantur cubiculorum, in quibus leproſus aliquis habitaſſet, parietes cruſta denudare, & flore calcis obducere, ſolum autem in hoc caſu muros eradere ſufficiet; timere enim licet, ne recentis calcis odor hyemali tempore bobus inibi concluſis poſſit officere. In id quoque erit incumbendum, ut pura, & munda ſint illorum alimenta, cavendo, ne fœnum, paleæ, & alia, a pluviis, & illuvionibus fuerint inquinata; parcius quoque erunt alendi, ne plus æquo pingueſcant; non enim hoc anno polyſarcia, ſed ſanitas procuranda, æſtate quidem, quo tempore, in frugum tritura, aratione, & plauſtrorum vectura exercentur, ac multum eſt quod diffletur, plenius ſunt alendi; aſt hyeme, hoc anno præcipue, quo ſuſpecta eſt ſaginatio, & macies tutior viſa eſt, moderata diæta in iis nutriendis erit utendum.

Frictiones pluries in die adhibendæ, non ſolum manu, ſed ſtrigilibus quoque, multum enim conferent ad ſanguinem in ſua fluiditate continendum, ſimulque ad ſuperfluitatem exhauriendam, ſi præſertim frictiones ſint validæ: habet enim hoc præſidii genus varias facultates, modo implendi, modo extenuandi. Celſus ex Hippocrate ſcripſit: *Frictione, ſi vehemens ſit, durari corpus, ſi lenis, molliri, ſi multa, minui, ſi modica, impleri*. Si nimis pingueſcant, quandoquidem hoc anno copioſa erit bubuli generis annona, poſſet etiam inſtitui phlebotomia, ſed diæta ſi fuerit conveniens, venæ ſectionis, atque etiam purgationis erit vicaria. Poſtremo cum ex obſervatione boum, qui in hac tempeſtate evaſerint, ſatis conſtet, naturam per cruſtas, & ulcera excitata in corporis ambitu, & multam ſaniei expurgationem, morboſum illud miaſma, luem hanc expugnaſſe, ſanum conſilium foret emiſſarium aliquod in bobus ſanis aperire, per quod ſi qua ſint veſtigia morboſi ſeminii, illa ſenſim extrudantur. Aureum documentum habemus ex Hippocrate in 6. Epid. ad rem noſtram accommodandum, hiſce verbis: *Decubitus quidem, in quibus facta tollit, hæc ante facta prohibet*. Locus quidem ſubobſcurus eſt, uti ſunt Hippocratis oracula, ſed illum egregie explicat Valleſius. Ait enim, decubitus a natura factos, *qui ſunt aliorum morborum medela, eoſdem morbos antevertere, & præſervare, ſi tales decubitus arte procurentur, non ſimpliciter tamen, quemcumque decubitum ſed illum, qui facta tollit*. Non inutile igitur foret ſanis bobus, palearia ſub mento candenti ferro perforare, atque funiculo indito, apertum illud diu ſervare, ut per illud paulatim egerantur impuritates illæ, quæ hujus contagioſi fomitis ſunt ſoboles, & in capite potiſſimum acervari ſolent.

Sed cur ingenii mei tenuitatem fruſtror, ac divexo, ut morbi hujus naturam, & cauſas explorem, ac medicinæ præcepta ad veterinariam traducam? Jandudum veram, & immediatam hujus ferini morbi cauſam agnovit, ac patefecit Purpurati Principis, ad hujus urbis incolumitatem cælitus demiſſi admiranda pietas & ſolicitudo: nullam aliam ſcilicet eſſe cauſam, quam Deum juſtiſſimum criminum vindicem, nobis iratum; ſicuti etiam idem unicum & verum aperuit antidotum, decretis ad plures dies ſupplicationibus ad cæleſtem iram placandam. Magna ſane frequentia clauſis ubique officinis, ad excelſam hujus urbis Baſilicam concurſum eſt, ut nunquam alias tantus in unum populi conventus fuerit obſervatus, nec tanta erga Superos reverentia, ac pietas. Neque vero fervor hujuſmodi poſtea refrixit, uti aliquando fieri conſuevit, ſed perſtitit, magno ad alia celebriora urbis Templa populi confluxu, quin cæteris civitatibus, quæ eodem malo premuntur, exemplo fuit, ut ad divinam opem implorandam publicis precibus confugerent. Hæc tam ſubito mutata rerum facies & recens nata hic, & alibi pietas, quam graviorum malorum metus expreſſit, in mentem revocant magnam illam Romanæ urbis conſternationem, quam Livius hujus Civitatis immortale Decus, tam egregie deſcripſit, quando nimirum Annibal, fuſis, ac deletis Romanis exercitibus, ex improviſo Romam petiit, ac illam tam arcta obſidione preſſit, ut trepidantis civitatis clamores audiret; ſubito enim terrore perculſus Romanus populus, ad Templa, & Aras Deorum turmatim concurrebat, ut victimas mactaret, & pro publica ſalute vota conciperet; viſebantur mulieres ſparſis crinibus effuſæ in lacrymas, cum parvis liberis ad Templa convolantes, ac ibi ad Simulacra Deorum armillas, annulos, aurea monilia appendere, ferreas ſcilicet Pœnorum catenas, & aſperrima vincula metuentes. Hanc eandem conſternationem eleganti carmine deſcripſit Silius Italicus. Lubet hic carmina hujus Poetæ vere aurea ad rem noſtram apponere.

Tanta adeo, cum res trepidæ, reverentia Divum
Naſcitur, & raræ fumant felicibus aræ.

Num hiſce temporibus congruant hi duo verſus, Vobis A. O. judicandum relinquam.

THO-

THOMÆ SYDENHAM, M. D.

TRACTATUS

DE PODAGRA ET HYDROPE.

Non fingendum, aut excogitandum, ſed inveniendum, quid Natura faciat, aut ferat. *Bacon*.

Doctiſſimo Viro

THOMÆ SHORT, M. D.

Coll. Med. Lond. Soc.

EN tibi, Humaniſſime Vir, Tractatulum de Podagra & Hydrope, loco ſpiſſioris voluminis quod animo deſtinaveram; Hiſtoriam intelligo Morborum Chronicorum, eorum maxime, circa quos mea Praxis potiſſimum verſata eſt. Cum vero omnem cogitandi vim atque omnes nervos his rebus plus ſatis intendendo, atrociorem podagræ paroxyſmum mihi accerſiverim, quam quo alias, ut puto, fueram mulctandus, res ipſa monebat, ut has lucubrationes vel invitus ponerem, & mihi tandem ipſe conſulerem, hos tantum morbos duos quadantenus expediviſſe contentus. Quoties enim ad hæc ſtudia me recipiebam, toties & podagra recurrebat. Hoc itaque operis, quale demum id eſt, accipere digneris; quod Tibi duabus potiſſimum de cauſis dicandum cenſeo. Primum, quod earum, quas jam olim in publicum dedi, Obſervationum, a quibuſdam deſpectarum, utilitatem aliquam, non tantum me coram atque in os, ſed etiam coram aliis agnoſcere atque aſſerere nullus dubitaveris. Deinde quod ex aliqua conſuetudine quam mutuam habuimus, Conſilia in commune pro Ægrorum commodis conferentes, Ego tuum genium deprehenderim ad Praxim Medicam apprime factum: quandoque tametſi doctrina omnis generis inclareſcas, Te tamen natura ad eas potius ſubtilitates determinaverit, quæ e praxi naſcuntur, quam ad inanes ſpeculationes: quæ duo haud minori intervallo a ſe invicem diſtant, quam Sapientum res ſeriæ ac maximi momenti a puerulorum ludo ac crepundiis diſterminantur: Et fortaſſe (niſi me fallit obſervatio mea) perraro in eodem ſubjecto conveniunt. Quæ tua ſagacitas juncta opportunitati, quam tibi ſuppeditavit ingens medicandorum copia ad Experimenta ſtabilienda, Te ad Artis noſtræ faſtigium evexit: Et morum comitas verſus omnes haud vulgaris exiſtimationem, quam nactus es, facile tuebitur. Si quæ hic diſſerui, neque tibi cui iſta inſcribo, nec paucis illis, ac ſpectatæ probitatis viris, quos amicos habeo, vitio dari poſſint, haud multum alios morabor, qui nulla alia de cauſa mihi infenſiſſimi ſunt, niſi quod aliter tam de ipſis morbis, quam de eorum Curationibus ſentiam, atque illi ſentiant. Quod ut ita non fieret penes me nullo modo fuit, quando ſic a natura factus atque diſpoſitus ſim, ut quod temporis alii libris legendis, id ego omne meditationi impendere ſoleam, neque tam quæram, an alii eadem mecum aſſerant, quam utrum quæ ego trado cum veritate conſentiant: utpote qui rumores & vulgi plauſum haud magni faciam. Et ſane quid tanti eſt, ſi officio Civis boni ſtrenue perfunctus, & publico commodo etiam cum privato damno inſerviens, nullam tamen exinde gloriam reportem? Cum ſi rem recte perpendam, conſuevere exiſtimationi meæ, qui jam ſenex ſim, brevi perinde erit ac ſi Non-enti conſuluiſſem. Quid enim mihi poſt obitum prodeſſe queat, ut octo Elementa Alphabetica in iſtum ordinem redacta, ut nomen meum componant, eorum linguis jactentur, qui non magis aliquam mei Ideam animo poſſint effingere, quam ego jam queam concipere, qualeſnam tandem illi futuri ſunt, qui omnes & mortuos prioris ſæculi ignorabunt, & aliis tum dialectis tum moribus utentur, pro rerum humanarum omnium inconſtantia ac viciſſitudine. At quorſum ego de aliorum judicio ſollicitus ſim? Si meo aliquo conatu in promovenda & morborum & eorundem Curationum ſcientia aliquantulum promeritus fuerim, haud diu iſta laude fruar: Atque e diverſo, ſi cui minus placuerint mea ſcripta, vix puto me alia additurum; cum non patiatur ratio ſanitatis meæ, ut mundo ulteriores, rem medicam tractando, moleſtias faceſſam. Et profecto vel in hoc Tractatulo, quem jam ego, cum manus tremula calamum regere nequiret, operam mihi commodatam ab Amiciſſimo viro D. Joanne Drake, *Baccalaureo in Medicina ex Ædе Chriſti apud* Cantabrigenſes, *gratus agnoſcere debeo: Quem quidem virum & nativus morum Candor & vitæ Integritas amicum perquam exoptabilem, Animi vero dotes tam a natura ſubminiſtratæ, quam ſtudio excultæ Humano generi utilem admodum reddent & beneficum, ubi eam Artem exercere placuerit, quam ita probe callet. De cætero rogandus es, Vir Spectatiſſime, ut huic meo in te officio, ſi permoleſtior fuerim, veniam concedas: quod tamen non aliunde naſci exiſtimes velim, quam ex illo honore & obſequio, quibus te merito, atque ex animo proſequitur*

Tibi addictiſſimus

Tuique obſervantiſſimus

Londini,
Maji 21. 1683.

THOM. SYDENHAM.

DE PODAGRA

PRocul dubio æſtimabunt homines, vel morbi, de quo agimus, naturam δυσνόητον, ac fere incomprehenſibilem eſſe, vel me, quem jam ab annis triginta quatuor vexavit, ingenii tardiſſimi ac prorſus hebetis, cum meæ tam de ipſo morbo, quam de ejus curatione obſervationes ita parum votis reſpondeant. Utut tamen ſe res habeat; ego bona ſaltem fide tradam, quæ hactenus reſcivi omnia, difficultates, ſalebraſque, ſive rationem morbi ipſius, ſive curationis methodum ſpectantes, tempori, duci veritatis, evincendas complanandaſque relinquens.

Podagra eos plerunque ſenes invadit, qui poſtquam meliores vitæ dies mollius ac delicatius tranſegerint, epulis lautioribus, vino, aliiſque liquoribus ſpirituoſis liberalius indulgentes, tandem ob pigritiam ætatis ingraveſcentis ſemper comitem, ea corporis exercitia penitus omiſere, quibus juvenes aſſueverant. Ad hæc, iſti, qui huic morbo ſunt obnoxii, crania habent grandiuſcula, habitu corporis ut plurimum ſunt pleniori, humido & laxo; & conſtitutionem habent omnes luxuriantem viroſamque, ditiſſima atque optima vitæ ſtamina.

Non quod podagra eos ſolum adoriatur, qui craſſo & corpulento habitu donantur, cum aliquando etiam, etſi rarius, graciles & macilentos invadat; neque quod hic morbus in omnibus ſenium præſtoletur: quandoque enim etiam ætate florentes corripit, quoties ſcilicet infelicia morbi ſemina a parentibus, quaſi ex traduce acceperint; vel ſi hoc non fuerit, immodicæ Veneri præmaturius indulſerint, aut exercitiis omnino valedixerint, quibus prius etiam vehementioribus utebantur; edaciores inſuper fuerint & liquores ſpirituoſos immoderatius hauſerint, poſtea derepente ad liquores tenues & refrigerantes ſe contulerint.

Si quem non niſi jam ſenio confectum primum adoriatur, nunquam poſtea vel tam ſtatas habet periodos, vel tam immaniter ſævit, quam ſi juniorem occupaverit; tum quod vita ut plurimum elabitur antequam morbus naturalibus ſymptomatibus ſtipatus ad ἀκμὴν pervenerit, tum etiam quia calore nativo & vigore corporis imminutis, nec ita jugiter, nec vehementer in articulos diſplodi poteſt. At ſi quem maturus laceſſat, quamvis nec ſedem adhuc figat, nec eum ita male tractet, ſed incerta periodo pro data anſa ingruat, leviter ad paucos dies torquens, & nulla methodos invadens recedenſque, ſenſim tamen caſtra metatur, legem ſibi ponens, typumque præformans, tam quoad paroxyſmi durationem: ad hæc ferocius quam primo inſultu debacchatur.

De hoc morbo dum ita regulam typumque ſervat, libet primo diſſerere, poſtea de ejuſdem phænomenis anomalis atque incertioribus, quoties ſcilicet vel præpoſtero inidoneorum medicamentorum uſu, de ſtatu ſuo dejectus fuit, vel ob ſubjecti debilitatem & languorem, ad propria & genuina ſymptomata nequit aſſurgere. Quoties itaque *Regularis* eſt *Podagra*, hoc fere modo ægrum aggreditur. *Januario* exeunte, aut incipiente *Februario* derepente & nulla fere præſenſione antecedente ingruit, niſi quod ventriculi cruditate atque ἀπεψίᾳ ad ſeptimanas aliquot æger laboraverit; corporis inſuper intumeſcentia quaſi ventoſa & gravitate, quæ indies augetur, donec tandem detonet paroxyſmus; quem paucis diebus præit torpor & quaſi flatuum deſcenſus per femorum carnes, cum affectione σπασμώδει, tum etiam pridie paroxyſmi appetitus voracior, non tamen naturalis. Sanus lecto ſomnoque committitur; hora vero ſecunda poſt mediam noctem excitatur a dolore pollicem pedis ut plurimum occupante, quandoque vero calcaneum, ſuram, aut talum: Hic dolor eum refert qui oſſium dictorum diſlocationem comitatur, cum ſenſu quaſi aquæ tantum non frigidæ partis affectæ membranis affuſæ. Mox ſequitur rigor cum horrore, & febricitatione aliquali. Dolor autem hic primo remiſſior gradatim intenditur, (& pari paſſu rigor atque horror recedunt) idque in ſingulas horas, donec tandem ſub noctem ad apicem pervenerit, ſe ad varietatem oſſiculorum tarſi & metatarſi, quorum ligamenta obſidet, perbelle accommodans, nunc tenſionem violentam, vel ligamentorum iſtorum dilacerationem, nunc morſum canis rodentis, quandoque preſſuram & coarctionem exprimens: adhæc, ita vivum exquiſitumque habet ſenſum pars affecta, ut nec linteorum ſuper incumbentium pondus, nec cubiculi a fortiori ambulatione concuſſionem ferre valeat. Atque hinc fit ut nox non tantum in cruciatu tranſigatur; ſed etiam cum irrequieta partis affectæ hac iſtac rotatione, & mutatione ſitus quaſi perpetua. Neque minor eſt totius corporis jactatio inceſſans, quæ ſemper paroxyſmum, maxime vero accedentem, comitatur, quam torti membri agitatio & dolor. Hinc etiam mille conamina, ſitus tum ipſius corporis, tum membri affecti mutatione aſſidua, doloris ſedationem incaſſum exambiunt: quæ tamen non contingit ante horam ſecundam tertiamve matutinam, (decurſo ſcilicet nycthemeri ſpatio a primo appulſu paroxyſmi) quo tempore æger poſt materiæ peccantis modicam digeſtionem & difflationem aliqualem, ſubito a dolore reſpirat, licet hanc ille liberationem iſti membri affecti poſituræ, qua poſtremo uſus erat, im-

merito acceptam referat. Jam leni madore perfusus somno concedit, a quo evigilans, dolore multum imminuto, partem affectam tumore recenter occupatam cernit; cum solum antehac (quod in omnibus podagricorum paroxysmis solemne est) insignior intumescentia venarum membro vexato intertextarum se in conspectum dederat. Sequente die, forte etiam ad biduum triduumve, si materia podagræ generandæ apta fuerit copiosior, dolet nonnihil pars affecta, idque vehementius die jam advesperascente, levatur autem sub Galli cantu. Intra paucos dies, alter pes eodem dolore torquetur, quo is, qui prior doluit, vel si prior iste jam dolere desierit, debilitas quæ eum infirmaverat, mox evanescit, tam viribus quam integra sanitate isti pedi statim restitutis perinde ac nunquam laboraverat, si modo dolor pedem nuper tentatum ferocius lancinet. Nihilominus easdem hic excitat tragœdias, quas prius in altero pede, tam quoad doloris vehementiam, quam durationem. Quandoque etiam primis morbi diebus cum materia peccans adeo exuberat, ut ei capiendæ pes unus impar sit, utrosque simul pari vehementia fatigat: sed ut plurimum pedes successive, uti diximus, aggreditur. Postquam utrunque pedem exercuerit, qui sequuntur paroxysmi abnormes sunt, tum quoad tempus invasionis, tum etiam quoad durationem; hoc tamen ubique servant, quod dolor noctu recrudescat, mane vero remittatur. Atque ex serie horum *Paroxysmulorum* (sit verbo venia) constat paroxysmus qui dicitur podagræ, diuturnior breviorque pro ægri ærate. Neque enim censendum est, quoties quis cum hoc morbo ad menses duos vel tres fuerit conflictatus, unum illum paroxysmum fuisse, sed seriem potius & catenam paroxysmulorum, quorum posterior quilibet priore & mitior fuit & contractior, donec tandem materia peccante prorsus absumpta æger pristinam obtinuerit sanitatem: quod in vegetioribus, & iis quos podagra rarius invisit, diebus sæpe quatuordecim fit; in senioribus, atque iis quos sæpius afflixit, duobus mensibus; iis vero qui vel annis, vel diuturniore morbi mora fractiores jam sunt, non prius valedicit, quam ætas jam adultior eam fugaverit. Ad quatuordecim primos dies urina coloratior est, quæ post separationem sedimentum rubrum & quasi arenulis refertum deponit; nec æger ut plurimum nisi tertiam potulentorum quæ assumpsit partem per vesicam reddit. Alvus item ad dictos primos fere dies constipata est. Appetitus prostratior, rigor totius corporis sub vesperam, partium etiam non affectarum gravitas & molesta sensatio integrum patoxysmum comitantur. Recedentem paroxysmum excipit pedis affecti pruritus vix ferendus, maxime inter digitos, unde decidunt furfures, & pedes ipsi quasi ab epoto veneno desquamantur. Morbo jam discusso, ægri tum ὄρεξις, tum appetitus redeunt pro rata doloris quo sæviebat paroxysmus nuper elapsus, & in eadem proportione servata vel acceleratur vel differtur sequens paroxysmus. Nam si hic ultimus ægrum pessime mulctaverit, sequens paroxysmus non nisi anno ad idem punctum revertente denuo accedet.

Atque hoc se habet modo podagra regularis phænomenis genuinis propriisque se ostendens. Cum vero vel ab indebita medicatione turbatur, vel ob diuturniorem morbi pertinaciam, corporis substantia quasi in morbi formitem pervertitur, neque par est natura eidem, methodo consueta, eliminando, phænomena multum sunt diversa a jam descriptis. Nam cum hactenus dolor pedibus tantum fuerit infestus, (qui peccantis materiæ sedes sunt genuina, quæ cum alias quaslibet partes occupat, certissimum est vel morbi methodum inversam esse, vel corporis vigorem paulatim non imminutum) jam itaque manus, carpos, cubitus, genua aliasque regiones occupat, ea jam, sicut pedes olim solebat, discrucians. Quandoque enim unum pluresve digitos distorquens fasciculo *radicum Pastinacæ* similes eos reddit, motu paulatim privans, tandemque concretiones circa articulorum ligamenta tophaceas generans, quæ articulorum cuticulam ipsamque cutem destruens, nudos *tophos*, *cretam* vel *oculos Cancrorum* æmulantes, acicula eruendos exhibet conspectui. Nonnunquam materia morbum committens cubitis impacta tumorem subalbum excitat fere ad ovi magnitudinem, quæ sensim inflammatur cum rubore. Est ubi femur occupans sensum exhibet quasi ingentis ponderis appensi, sine dolore tamen notabili; at genu exinde petens id acrius urget, motum omnem inhibens, ut quasi clavo transfacto lectulo affixum ne latum pilum a loco in quo est se queat dimovere. Et quando vel propter totius corporis inquietudinem huic morbo ita familiarem, vel urgente necessario aliquo vitæ officio, æger aliorum opera est movendus, omni cautela opus est ne forte vel minima motus contrarietas dolorem accersat, qui eo tantum nomine potest tolerari, quod confestim evanescat. Quæ quidem corporis latio ita caute & delicate peragenda, haud exigua pars est ærumnarum, quibus podagra oneratur: Dolor enim vehementior non per omnem paroxysmum extenditur, si modo pars affecta omnino quiescat.

Cum podagra antehac non nisi exeunte hyeme soleret invadere, post duos tresve menses pro more recessura; jam per annum integrum vexat ægrum, demptis duobus vel tribus mensibus calidioribus atque æstivis. Et quod insuper est observandum, quemadmodum *Paroxysmus* major sive *Generalis* jam protractior quam olim fuerat, inveniatur, ita etiam *Paroxysmi* isti *particulares*, ex quibus generalior componitur, singuli diutius sæviunt: cum enim antehac particulares isti non ultra unum alterumve diem excruciarent, jam ubicunque sedem figant, maxime si pedes vel genua occupaverint, non ante diem decimum quartum castra movent: Primo ad hæc, aut secundo post appulsum die, æger præter dolorem, aliqualem etiam ægritudinem patitur, atque simul omnimodam appetitus prostrationem.

Postremo, cum antequam malum usque adeo incruduerat, æger non solum longioribus frueretur paroxysmorum intervallis, sed etiam durante ista intermissione recte valeret tam artubus quam reliquo corpore, facultatibus singulis naturalibus officio suo debite fungentibus; jam artus habet fere undequaque contractos atque impeditos, ita ut quamlibet stare possit, forte etiam aliquantisper procedere, gressu tamen ita claudicante ac permoleste prorepit, ut etiam cum ambulet quiescere videatur: & si ultra vires ambulare perstiterit quo pedibus rectius valeat, quanto magis ipsos ambulando confirmat, & dolori excipiendo minus obnoxios reddit, tanto morbi fomes, nunquam per hoc omne intervallum perfecte dissipatus, visceribus periculosius imminet, cum in pedes ita libere nequeat effundi; qui hoc morbi tempore vix unquam doloris sunt expertes, sed sensatione aliqua plus minusve molesta perpetuo tentantur.

Quin etiam multis aliis symptomatibus infestatur æger, ut venarum hæmorrhoidalium dolore, ructu nidoroso cibi jam manducati & in ventriculo putrescentis gustum referente, quoties vel aliquid e dysceptis assumpserit, vel eam tantum cibi quantitatem quæ sano competit. Appetitus languet uti & totum corpus præ inopia spirituum. Denique ideo tantum vivit ut calamitosus sit & miser, non ut vitæ dulcedine vel minimum fruatur. Urina, quam prius coloratiorem, maxime in paroxysmis & in pauca quantitate solebat reddere, jam illam tam colore imitatur, quam copia quæ in *Diabete* excernitur. Dorsum aliæque partes moleste pruriunt maxime sub horam somni.

Id etiam in hoc morbo, quoties jam confirmatior est, incommodi accidit, quod ab oscitatione, in primis vero matutina, ligamenta ossium metatarsi vehementer convelluntur, cum sensu quasi coarctationis vel compressionis fortissimæ a manu valida. Quandoque etiam nulla oscitatione præcedente, æger jam se somno committens ictum quasi clavæ metatarsum confringentis derepente persentiscit, unde cum ejulatu expergiscitur. Tendines musculorum quæ tibias suffulciunt, subinde spasmo corripiuntur ita acri & violento, ut dolor quem excitat, si vel tantisper duraret, omnem humanam patientiam dejiceret vinceretque.

Post multos diroque cruciatus & carnificinam diuturniorem, ceu pignus missionis quam mors jam in propinquo stans mox est datura, paroxysmi subsequentes ægrum quoad dolorem clementius tractant, (natura partim ab onere materiæ peccantis oppressa, partim ob senium, eandem in corporis extremitates jugiter ac strenue relegare non amplius valente) ac loco doloris consueti, ægritudo quædam cum dolore ventris, lassitudo spontanea, quandoque etiam propensio ad diarrhœam superveniunt. Hæc symptomata, dum vigent, artuum dolorem leniunt, quæ pariter evanescunt, quoties articulos dolor fatigat: atque ira nunc dolore, nunc ægritudine quasi alternatim lacessente, paroxysmus longas moras nectit. Animadvertendum est enim, quod ubi quis ad multos annos podagra laboraverit, dolor singulis paroxysmis gradatim imminuitur, tandemque ægritudine potius conficitur, quam dolore. Quem enim in his paritur dolor, quamlibet sint productiores, vix ad decimam partem ejus assurgit doloris, quem pati solebat, cum viribus esset magis integris. Nihilominus hæc ipsa morbi inclementia pensabatur ut plurimum longiore intercapedine, quæ paroxysmo intercedebat, tum sanitate, qua interea satis commoda utebatur. Namque hoc in morbo dolor amarissimum est naturæ pharmacum, qui quo vehementior est, eo citius præterlabitur paroxysmus, atque insuper & longior erit intermissio & magis perfecta, & vice versa.

Neque tamen dolor, claudicatio, atque impeditus partium affectarum motus, ægritudo, aliaque symptomata jam descripta, hujusce morbi tragœdiam absolvunt: *Calculum* insuper *Renum* in quamplurimis parit hic affectus, tum ex eo quod æger diu supinus recumbat, tum etiam quod ferientur organa secretoria a debitis sibi functionibus; sive etiam quod calculus ejusdem materiæ morbificæ in genere portio quædam sit, quam ego litem non dijudico. Quæcunque vero sit hujus mali origo, nonnunquam ægri animum mœstissima interpellit contemplatio, calculusne an podagra immitior sit. Quandoque etiam calculus lotii per meatus urinarios in vesicam transitum impediens, ægrum de medio tollit, lentas podagræ moras haud amplius expectantem.

Nec satis est ægrum ita miseris modis dilaniari, ut nec sui jam fuerit compos, alienæ opis prorsus indigens, sed & hic accedit miseriarum cumulus, quod durante paroxysmo, animus etiam ceu contagio afflatus, eousque corpori compatitur, ut haud facile sit dictu utro horum æger calamitosius doleat. Non enim rectius podagræ, quam iracundiæ, paroxysmus omnis dici potest; cum mens & ratio usque adeo ab infirmato corpore enerventur, ut vel levissimo affectuum motu impellantur & vacillent: unde non magis ipsi quam aliis gravis est. Quid quod & cæteris quoque passionibus est obnoxius, timori videlicet, solicitudinique, atque aliis id genus? A quibus pariter torquetur, donec morbo evanescente, animus quoque pristina tranquillitate recepta una convalescet.

Tandem æger (ut funestissimi hujus morbi catastrophen semel expediam) visceribus a materiæ peccantis incubatu complexuque ita læsis, ut secretionis organa non amplius suo munere fungi queant, unde & sanguis quasi limo & fæculentiis refertus stagnat, & materia peccans non jam, ut olim solebat, in corporis extremitates disploditur atque rejicitur, tandem inquam ὁ τρὶς-ἄθλιος vitam afflictissimam & jam diu non vitalem cum morte ærumnarum requie feliciter commutat.

At vero (quod mihi aliisque, licet tam fortunæ quam ingenii dotibus mediocriter instructis, hoc morbo laborantibus solatio esse possit) ita vixerunt atque ita tandem mortem obierunt magni Reges, Dynastæ, Exercituum Classiumque Duces, Philosophi, aliique his similes haud pauci. Verbo dicam, Articularis hicce morbus) quod vix de quovis alio affirmaveris) divites plures interemit, quam pauperes, plures sapientes, quam fatuos, natura quasi digito monstrante, quam parum iniqua sit omnium parens & arbitra, quam partibus non studeat; cum eos, quibus alicubi defuit, alio aliquo bonorum genere cumulatius ditare soleat; profusiorem vero erga alios munificentiam æqua malorum parte admixta diluat & contemperet. Adeo ut ubique gentium rata sit lex atque inviolabilis, nullum hominem vel ex omni parte beatum, vel per omnia miserum ac calamitosum posse inveniri, singulos autem utramque experiri sortem. Quæ boni atque mali contemperatio, fragilitati nostræ & mortalitati ita propria, nobis fortasse apprime conducit.

Podagra fœminas perraro infestat, easque non nisi jam vetulas, & viragines seu corpore masculorum habitum æmulantes. Graciliores quæ vel in adolescentia, vel constanti ætate symptomata patiuntur podagram mentientia, ea ipsa vel affectibus hystericis, vel rheumatismo quo jam olim laborarunt, & cujus fomes non satis initio fuerat eliminatus, accepta referunt.

Neque pueros, neque juvenibus minores podagra vera atque genuina vexatos hactenus observavi: Nonnulli tamen mihi noti sunt, qui prinsquam eam ætatem attigissent, leviculam aliquam quasi velicationem præsensérant; quorum nempe patres etiam tunc hoc morbo tenerentur cum iis generandis operam darent. Atque hic explicit morbi hujus historia.

Omnes animi nervos variis hujusce morbi phænomenis contemplandis acriterintendens, illum Ἀπεψίαν seu labefactatæ, tam in partibus, quam succis, corporis universis concoctioni ortum debere exisi-

existime. In istis enim, qui huic morbo sunt obnoxii, cum jam vel ætate fuerint confecti, vel effrænata morum licentia senectutem præmaturius accersiverint, spiritus animales per totum corpus deficiunt, immodico functionum in juventutis calore vegetissimarum exercitio consumpti; verbi gratia, præpropero nimioque Veneris usu, insanis improbissimisque laboribus, quibus ardenter atque indesesse voluptatibus inserviunt, & his similibus. Accessit etiam sive ab annis, sive ab inertia, exercitiorum corporis, quibus olim assueverant, intermissio vel cessatio repentina (quorum usu tum sanguis invigoratior, tum partium tonus firmior & constantior solebat reddi) unde jam corpus flaccescit, & concoctiones non amplius recte promoventur, e contra vero, succorum corporis recrementa, quæ talium exercitiorum ope excernebantur, dehinc in vasis, ceu morbi seminium, reconduntur. Nonnunquam & studium seu meditatio de re quapiam seria ac diuturna malum auxit, quo scilicet spiritus defæcatiores & magis volatiles a concoctionum penso quod debuerant absolvere, nimium avocantur. Adde quod huic morbo obnoxii non solum ciborum in genere fere sunt appetentiores, sed & eorum maxime qui difficillime ventriculo cedunt, quos cum haud parcius devorent, quam tum solerent cum exercitiis uterentur, non jam iis digerendis pares sunt. Neque tamen dicta voracitas & liberalior ciborum ingestio ita frequenter (licet id haud raro contigerit) podagræ viam stravit, ac vesana & immoderatior vini compotatio; unde fermenta coctionibus variis dicata penitus prosternuntur, præcipitantur ipsæ coctiones, & spiritus naturales ab halituum adventitiorum copia subjugantur, disperguntur que. Jam vero cum uno eodemque tempore & spirituum (qui coctionis instrumenta sunt) vigor imminuatur, atque insuper ingens humorum colluvies sanguinem opprimat, omnino necesse est, ut singulæ coctiones haud rite peragantur, dum ita obruuntur singula viscera, unde Spiritus jandiu fatiscentes nunc etiam suffocantur. Nam si a sola spirituum debilitate penderet hic morbus, infantes, fœminas, atque eos, quos ægritudo diuturnior maceravit, pariter invaderet; cum fere virosissimos quosque adoriatur, & robustissimis naturæ principiis præditos; quos tamen non aggreditur, donec caloris & spirituum naturalium defectum sive declinationem, humorum quoque congestio excipiat, a quibus simul junctis concoctiones vitiatæ perverruntur.

Porro ut causarum, quas enumeravimus, singulæ indigestionem promoverant, ita earum pleræque laxitati habitus & musculorum corporis procurandæ nonnihil contulerant, unde porta crudis indigestisque humoribus intromittendis panditur, quoties isti ad exteriora protruduntur. Quoties enim in sanguine diutius stabulantes tam mole, quam prava diathesi macti fuerint, tandem calorem putrescentem acquirunt; & cum non amplius a natura regi possint, prorumpunt in speciem, & in articulos depluunt, calore atque acredine dolores exquisitissimos in ligamentis membranisque ossa contegentibus excitantes, quæ vel a senio, vel luxu atque intemperantia labefactata laxataque facile humoribus impetum facientibus locum concedunt. Hic vero humorum podagram generantium prolapsus, qui paroxismum constituit, serius ocyusve contingit, prout ansa hujusmodi humoribus in motum ciendis data fuerit.

Jam vero *curationem* quod spectat; (ut primo quæ sunt omittenda subinnuam) licet, si humores respiciamus atque indigestionem, unde isti trahunt originem, prima fronte videri possit indicationes curativas in primis ad humores jam factos evacuandos, dein ad coctiones roborandas, (unde aliorum humorum succrescentium aggestio possit præcaveri) collimare debere, quandoquidem hæ sunt indicationes magis generales, quibus in plerisque aliis morbis humoralibus satisfaciendum est: in podagra nihilominus naturæ quasi prærogativa est materiam peccantem suo modo exterminare, & in articulos deponere, per insensibilem transpirationem difflandam. Namque haud plures tribus proponuntur modi, quibus causam podagræ continentem ejicere valeamus, venæ sectio scil. catharsis, ac diaphoresis per sudorem: nulla vero ex his methodus scopum attinget unquam.

Imprimis venæ sectio, quantumvis magna polliceatur tum in humoribus, qui in procinctu stant, & quasi descensum meditantes, tum in istis, qui jam jam articulos obsederunt, evacuandis; manifesto tamen pugnat cum indicatione illa, quam causa antecedens, quæ est indigestio a spirituum (quos sanguinis detractio magis imminuit opprimitque) depravatione ac defectu orta, sibi vendicat. Non est itaque adhibenda phlebotomia, vel ad præcavendum paroxysmum, qui timetur, vel ad istum, qui jam adest, mitigandum, in iis nempe, qui ætate jam sunt provectiores. Quamvis enim qui educitur sanguis pleuriticorum & rheumatismo laborantium sanguinem ut plurimum referat; attamen venæ sectio haud minus insigniter in hoc morbo officere ægro, quam in duobus prædictis prodesse cernitur. Etenim si, sanguis in intermissione, quantumlibet diu post paroxysmum, fuerit extractus, periculum est, ne a sanguinis & humorum agitatione novus succrescat paroxysmus, qui & priore diuturnior futurus est, & symptomatibus enormibus stipandus, sanguinis robore, & vigore, quibus adjutoribus morbi fomitem strenue ac constanter excutere debuerat, exinde retusis. Atque hoc incommodi toties etiam accersitur, quoties ineunte paroxysmo vena pertunditur. Si mox a paroxysmo feriatur vena, ingens periculum est, ne natura, dum sanguis adhuc languidior est, & nondum pristinas vires a morbo succisas redintegraverit, ejusmodi vulnere importune inflicto usque adeo infirmetur & succumbat, ut hydropi aditus aperiatur. Veruntamen si æger adhuc juvenis fuerit, & ab immodica potatione excalefactus, sanguis initio paroxysmi potest detrahi; sin autem in paroxysmis subsequentibus phlebotomia jugiter utatur, podagra quam citissime etiam in juvenibus inveterascet, & intra paucos annos latius imperium seu potius tyrannidem propagabit, quam alias in multis extendere valuisset.

Deinde, catharsin quod attinet, sive ἄνω sive κάτω animadvertendum est, quod cum naturæ lex sit inviolabilis, atque ipsi hujusce morbi essentiæ intertexta innexaque, morbi fomitem semper in articulos rejici debere; nihil prorsus aliud præstabunt remedia sive emetica, sive cathartica proprie dicta, nisi ut materia peccans, quam natura in corporis extremitates protruserat, in sanguinis massam denuo revocetur: unde accidit, ut quæ in articulos eliminari debuerat, in aliquod e viscribus forte irruat, atque ita æger, qui in nullo prius discrimine versabatur, jam de vita periclitetur. Quod iis fatale esse haud raro observatur, qui medicamentis purgantibus vel ad podagram præcavendam, vel (quod adhuc pejus est) ad leniendum paroxysmum assueverant. Etenim cum natura a methodo sibi familiari exturbata fuerit, qua, utpote securissima optimaque, materiam morbificam in articulos ablegat, dum humores intro versus intestina solicitentur, loco doloris in juncturis, quem vel nullum habent, vel certe perexiguum, ventriculi ægritudine, alvi torminibus, lipothymia, & longo anomalorum symptomatum agmine miseri quasi enecantur.

Ego certe persuasissimus sum, a jugi & sæpe iterata experientia edoctus, catharsin omnem tam per lenientia, quam per fortiora medicamenta, qualia pro more articulis expurgandis destinantur, plurimum nocere; sive in paroxysmo ad minuendam materiam peccantem, sive in fine ad dissipandas morbi reliquias, sive in perfecta intermissione, & recta valetudine, ut venturo paroxysmo occurratur, purgatio in usum revocetur. Etenim tam mei ipsius, quam aliorum periculo compertissimum habeo, catharsin quovis horum temporum administratam, ita parum votis respondisse, ut malum, quod debuerat averruncare atque avertere, accerseret. Primum itaque purgatio sæviente adhuc paroxysmo adhibita, naturæ, in materia morbifica separanda & in articulos deponenda occupatæ, negotium facessens, magnam spirituum ἀταξίαν nonnunquam excitavit; unde non tantum paroxysmus magis invalescebat, sed & æger in vitæ discrimen haud obscure conjiciebatur. Deinde cathartica in fine paroxysmi usurpata, cum morbi reliquias amoliri debuerint, id tantum egere, ut recens paroxysmus de novo suppullularet, haud mitior priori isto; atque ita æger spe falsa lactatus ea sibi fabricat mala, quæ non fuerat perpessus, nisi humores denuo in rabiem agerentur. Quod genus incommodi ipsemet plus semel expertus sum, artis medicæ opem præpostere implorans ad exturbandas, ut mihi videbatur, reliquias morbi. Postremo quod purgationem attinet, certis intervallis & integra sanitate repetendam, ut paroxysmo eatur obviam atque ei aditus præcludatur; etsi, quod est fatendum, non ita præsens periculum est, ne nova accessio invitetur, atque fuit in casu jam dicto, cum æger nondum ἕξιν βίλτιος omnino fuerit; tamen etiam hoc tempore paroxysmum parit, idque ob causas supra memoratas, quo malo si forte ægrum non statim mulctaverit, nullatenus tamen eum a morbo liberat, quantumlibet constanter, & debitis intervallis cathartica hæc illave assumpserit. Quinimo nonnullos novi huic morbo obnoxios, qui catharsi non solum Vere, & Autumno, sed & singulis mensibus, immo & septimanis continuis, celebrata, sanitati litabant, neque tamen horum quisquam podagram effugit: quæ exhinc crudelius plerunque, & immanioribus symptomatibus eos impetebat, quam si ab omni medicatione sibi temperassent. Licet enim jam dicta purgatio causæ continentis partem aliquam possit educere, cum tamen concoctioni roborandæ (a quo tantum abest, ut eam debilitet, recenti vulnere naturam subruens ac dejiciens) ne hilum conferat, uni tantummodo causæ opponitur, & morbi curationi impares prorsus habet vires.

Ad hæc annotandum est, ab eodem illo spirituum defectu, quo coctiones in iis vitiantur, qui podagra solent laborare, eorundem spirituum animalium σύστασιν minus firmam vegetamque reddi, unde mox dejicitur & interturbatur a quavis causa, quæ vel animum vel corpus paulo violentius concutit exagitatque, ac proinde jam fugax ac dissipabilis est admodum, prout iis, qui affectioni vel hypochondriacæ, vel hystericæ obnoxii vivunt, persæpe accidit. A qua etiam spirituum ad ἀταξίαν propensione fit, ut podagra, vel levissimam quamlibet evacuationem fere subsequatur. Dissoluto enim corporis tono, quem spirituum firmitas, dum in vigore suo persistunt, rite compactum vegetumque servat, materia peccans quasi disruptis repagulis jam sui juris est, atque ab hac plaga corpori inflicta paroxysmus statim exoritur.

At vero hæc ipsa methodus utut pernicioſa ac nocens, nihilominus Empiricis quibusdam, qui catharticum quo utebantur medicamentum astute omnes celarunt, haud mediocrem existimationem conciliavit. Observandum est enim, quod purgatione currente, æger vel non omnino vel remisse admodum dolet; & si catharsis ad plures dies produci queat, nullo superveniente paroxysmo recenti, æger confestim ab eo, quo jam tenetur, convalescet: verum enimvero pœnas imposterum pendet dirissimas ab ἀταξίᾳ in quam dicta humorum exagitatio naturam præcipitem egit.

Denique materiæ peccantis per sudores evacuatio licet prædictis evacuationibus minus officiat, liquido tamen officere cernitur. Quamvis enim morbi fomitem non retrahat in viscera, sed e contra in corporis habitum propellat, attamen his saltem nominibus obest. Primo quidem, quod extra paroxysmum humores adhuc crudos, & nondum ita subactos, ut rite separari debeant, quasi vi quadam protrudit in artus, atque eo pacto cunctantem paroxysmum ante diem, & vel invita natura solicitat. Deinde quod sudoris provocatio in ipso paroxysmo materiam morbificam nimis violenter in affectum membrum impingat adigatque, dolorem simul adducens haud tolerandum, & si major sit materiæ peccantis copia, quam ut pars affecta eam queat admittere, illam mox in artus alios deturbat, unde orgasmus interea, atque ingens tam sanguinis quam cæterorum humorum ebullitio sive exæstuatio; si vero corpus colluvie serosa podagræ generandæ apta admodum scateat, metuendum est, ne apoplexia ingruat. Quamobrem in hoc affectu, perinde ac in cæteris omnibus, in quibus sudores artis ope solicitantur ad eliminandam materiam morbificam, non vero naturæ ductu profluunt, periculosissimum est eosdem nimis violenter atque ultra eum coctionis gradum, ad quem humores evacuandi sua sponte pervenerint, elicere. Et celeberrimus iste Hippocratis Aphorismus, *Cocta, non cruda sunt medicanda*, tam in sudoribus provocandis, quam in subducenda alvo locum habet. Quod quidem liquido constat ex sudore illo, quo paroxysmus febrium intermittentium claudi solet, qui, si modicus fuerit, materiæ febrilis a præcedente paroxysmo concoctæ quantitati apte respondens, ægrum insigniter juvat levatque; si vero ultra naturæ modum sudatio promoveatur, ex eo quod æger lectulo jugiter affigatur, jam febris continua subnascitur, & recens focus succenditur, cum iste qui prius efflagrabat, fuerat extinguendus. Pari ratione in podagra etiam lenis ille mador, qui ut plurimum mane sua sponte oritur, post minorum paroxysmorum, e quibus majorem paroxysmum constare docui, singulos, tam dolorem, quam inquietudinem quibuscum æger tota nocte conflictabatur, mitigat; e contra vero, si quando levis hicce mador, & suapte natura fugax, diutius & vehementius proritetur, quam fert proportio materiæ peccantis jam ab ultimo paroxysmo concoctæ, morbus inde exacerbatur. Tum ita-

que in hoc, quam in aliis morbis quibuſcunque, quos mihi videre contigit, dempta ſola peſte, ſudores prolicere non tam Medici, quam naturæ provincia eſt: cum nullo modo aſſequi poſſimus, quanta materiæ pars ejuſcemodi ſeparationi obeundæ jamjam eſt parata, nec per conſequens, quem in provocando ſudore modum tenere debeamus.

Ex jam dictis cum ſatis liqueat, non ſolum podagræ curationem a medicamentis evacuantibus incaſſum peti, ſed & eadem *ποδαγειῶσι* noxam adferre, reſtat ut exquiramus, ad quem alium ſcopum curativæ indicationes ſunt dirigendæ. Ego quidem ex accurata *φαινομένων* prædictorum omnium penſitatione, & diligenti examine colligo, duabus potiſſimum cauſis in hujuſce morbi curatione obviam iri debere. Prima eſt cauſa antecedens, ſive humorum indigeſtio a caloris, & ſpiritum naturalium defectu orta. Altera eſt cauſa continens, ſive eorundem humorum calor, & exæſtuatio, ubi jam tum putredinem, tum etiam acredinem nacti ſunt a mora in corpore, quam oportuerat, diuturniore, quæ mora ab inconcoctione ſupra memorata pendet. Hæ cauſæ ita toto cælo, quod ajunt, a ſe invicem diſcrepant, ut, quæ huic proſunt remedia, alteri obſint; unde hic affectus ita curatu perdifficilis eſt. Etenim dum medicamentis calefacientibus indigeſtionem vincere ſatagimus, periculum eſt, ne ex altera parte humorum calor intendatur: atque e diverſo, dum ſive diæta, ſive remediis refrigerantibus calorem, & acredinem humorum commitigare volumus, *ἀπεψίαν* accerſimus, labefactato ſcil. calore naturali. At vero hic cauſam continentem non eam tantum intelligo, quæ jam actu articulos obſidens paroxyſmum format, ſed eam inſuper, quæ adhuc in ſanguine deliteſcens ſeparationi hactenus eſt inepta. Perraro enim materia morbifica omnis a paroxyſmo diuturno, & crudeli, ita plene egeritur, ut nullæ prorſus in corpore reliquiæ ſint, eodem jam elapſo. Ac proinde utriuſque hujus cauſæ tam extra paroxyſmum, quam eo vigente ratio habenda eſt. Quandoquidem vero materiæ continentis eliminatio naturæ omnino opus eſt, ſua ipſius methodo peragendum; cumque nihil interea temporis, ad humores calidos acreſque leniendos, abſque damno digeſtionibus illato, poſſit tentari, niſi ut exulent ac evitentur victus medicamentaque calidiora, a quibus inflammantur humores: maxima certe & præcipua curandi intentio in eo verti debet, ut coctioni, indigeſtionibus ſublatis, conſulatur, de qua jam agam: ita tamen ut in Diſſertationis ſerie ea etiam attingam remedia, prout anſa data fuerit, quæ ad leniendum humorum calorem, & acredinem retundendam facere poſſunt.

Quæcunque igitur naturæ opem ferunt in muneribus ſuis rite fungendis, ſive ventriculum confottando ut alimenta recte coquat, ſive ſanguinem ad debitam chyli in illum invecti aſſimilationem, ſive partes ſolidas corroborando, quo melius ſuccos earundem nutritioni atque augmento deſtinatos in propriam ſubſtantiam convertant, quæcunque denique varia excretionis organa atque emunctoria corporis in eo ſtatu conſervant, ut ſingularum partium tecrementa debito tempore atque ordine valeant emendare, hæc & hujuſmodi omnia huic intentioni adimplendæ conferunt ac proprie *Digeſtiva* appellantur, ſive pharmaca ea fuerint, ſive ratio victus, ſive exercitatio, ſive alia ex iſtis quælibet, quæ *ſex res non naturales* indigitantur.

Hujuſmodi medicamenta ſunt in genere, quæ moderate excalefaciunt, & vel amaricant, vel linguam leniter feriunt, utpote quæ ventriculo ſunt pergrata, ſanguini medentur, & cæteras partes fovent confortantque, qualia ſunt, verbi gratia, radices angelicæ, enulæ, folia abſinthii, centaurii minoris, chamædryos, chamæpityos, *&c.* addi poſſunt etiam antiſcorbutica vulgo dicta, ut radices raphani ruſticani, folia cochleariæ hortenſis, naſturtii aquatici, *&c.* Cum autem herbæ iſtæ acres ac pungentes, utut ſtomacho arrideant atque eidem conferant in coctione juvanda, morbi tamen fomiti jamdiu formato aculeos ſubdant, & augeant calorem, parcius uſurpandæ veniunt, præ aliis iſtis quæ miti calore atque amaritudine, & ventriculum cortoborant, & ſanguinis maſſam vegetiorem reddunt ac magis vitalem.

Eorum ſpecies aliquot affabre permiſtæ humoribus concoquendis rectius, ut mihi videtur, quam ſimplex quodlibet ex earum tribu deſumptum miniſtrant. Quamlibet enim quoties ſpecifica medicamenti cujuslibet virtute opus eſt nobis, regula tenet, *Quo ſimplicius, eo melius*; tamen cum id habemus propoſiti, ut huic illive indicationi ſatisfaciendo ægrum ſanemus, ſingula ingredientia ſymbolum pro morbo curando quaſi conferunt, atque in hoc caſu, quanto major eſt ſimplicium numerus, tanto potentius medicamentum operabitur. E prædictis itaque, & reliqua ejuſdem farinæ materia medica, variæ remediorum formulæ ad hunc ſcopum tendentes concinnari poſſunt. Ego formam electuarii ad exemplum Theriacæ Andromachi cæteris præfero, ceu viribus præſtantiſſimam, eo quod mutua ſimplicium confermentatio omnium virtutem adaugeat, quaſi *aliquid Tertium* progignens, quod in ita conjunctis majorum eſt virium in pari quantitate, quam in eorum quolibet. Verum tam delectum ejuſmodi ingredientium, quam formulas, quibus exhibenda ſunt prudenti Medico lubens relinquo: cum nunquam mei officii eſſe duxerim Receptulas, ut vocant, conſcribere, at potius veras indicationes notare, ad quas curationes ſunt dirigendæ: Quod cum minus obſervetur, exhinc, ut alibi dixi, Empiricis anſa data eſt, ut ſe artis medicæ Principes jactent.

Veruntamen Tyronum gratia, remedium, quo ego uti ſoleo, in medium proferam, quod ad hunc modum componitur. ℞. *Rad. Angelic. Calam. Arom. Imperator. Enul campan. Fol. Abſinth. vulg. Centaur. min. Marrub. alb. Chamædr. Chamæpyt. Scord. Calaminth. vulgar. Parthen. Saxifrag. pratenſ. Hyperic. Virg. aur. Serpil. Menthæ, Salviæ, Rutæ, Card. Ben. Puleg. Abrotan. Flor. Chamæm. Tanacet. Lil. Conval. Croci Anglican. Sem. Thlaſp. Cochlear. hortenſ. Carui, Bacc. Junip. ſingulorum quantitatem ſufficientem. Legantur ſingulæ Herbæ, Flores, & Radices quo tempore viribus pollent maximis. Siccentur ac in Papyraceis ſacculis aſſerventur, dum in pulverem tenuiſſimum redigantur. Singulorum Unciæ ſex ſimul probe miſtæ excipiantur ſ. q. mellis opt. deſpumati, & Vini Canarini, & in Electuarium debitæ conſiſtentiæ conficiantur ſ. a.* Sumat Drachmas duas mane & ſero, vel hujus defectu, ſequenti utatur. ℞. *Conſ. Cochlear. hortenſ.* ℥jſs. *Abſinth. Roman. & Flaved. Aurantior. an.* ℥j. *Angelic. condit. Nuc. Moſcat. condit. an.* ℥ſs. *Theriac. Androm.* ℥iij. *Pulv. Ari comp.* ℥ij. *cum ſ. q. Syrupi Aurantiorum fiat Electuarium.* Capiat Drachmas duas bis in die, ſuperbibendo ſequent. Aquæ coclear. v. vel vj. ℞. *Rad. Raphan. ruſt. inciſ.* ℥iij. *Cochlear. hortenſ. manip.* xij. *Naſturt. aquatic. Becabung. Salv. Menth. ana manip.* iv. *Cortic. Aurantior. no.* vj. *Nuc. Moſchat. contuſ. no.* ij. *Cereviſiæ Brunſvvic.* ℔xij. *Deſtillentur organis communibus, donec ſolummodo libræ ſex Aquæ eliciantur pro uſu.*

E medicamentis vulgo cognitis *Theriaca Andromachi* concoctionibus roborandis præ cæteris confert; cum tamen plures in ſe ſpecies contineat, quæ plus ſatis calefaciunt, atque inſuper oppio abundet, Electuarium ſupra dictum commodius parari poteſt e vegetabilibus præcipuis excalefacientibus, & corroborantibus. Curandum eſt interim ut ea ſimplicia eligantur, quæ ad ægri guſtum magis faciant, cum enim diu admodum, ſcil. ad omnem fere ætatem, in ejus uſu perſeverandum ſit, omnino convenit, ut palato minus ſit ingratum. Inter ſimplicia *Cortex Peruvianus* primas obtinet, cum ſanguinem corroboret vegetumque reddat, ejus grana aliquot mane, & ſero aſſumantur.

At ſane uti in hoc affectu, de quo jam agimus, ita & in aliis chronicis pleriſque, hæc & huic ſimilia remedia quæ ſanguinem corroborant, vegetumque reddunt (ſi modo eorundem calor, propter cauſas poſtea adferendas, in ſpiritibus vinoſis non conſiſtat) præ cæteris juvant; quandoquidem ſinguli hujus generis morbi ad unam eandemque cauſam univerſalem, humorum ſcilic. *Indigeſtionem*, ſi recte conjicio, referri debeant.

Nihil eſt autem, ex quo hoc certius evinci, poterit ac probari, quam ſi ob oculos ponamus differentiam, qua inter morbos, *Acutos* & *Chronicos* intercedit; quam ob cauſam æquus Lector boni conſulet, ſi pauliſper ab eo, quod jam præ manibus eſt, negotio digrediar. Prout itaque morbi *Acuti* ii fere habentur, qui cito vel perimunt, vel ad concoctionem perducuntur; ita *Chronici* appellantur iſti, qui vel non omnino, vel tarde admodum, & longa temporis mora ad eandem concoctionem pertingunt. Atque hoc quidem tam ipſa rei natura, quam verba quibus illa exprimitur, aperte loquuntur; at verò cauſa hujus differentiæ, quæ inter hæc duo morborum genera deprehenditur, altius latet, haud ita facile eruenda: cujus indagationi ſi aliquantiſper immoremur, operæ, ut puto, vix nos pœnitebit, cum harum rerum notitia clara ac diſtincta, ad inveniendas veras indicationes horum morborum curationis accommodas, magnum momentum adferre queat.

Sive interiora terræ viſcera, ſi ita loqui fas eſt, varias ſubeant mutationes, unde a vaporum inde exhalantium interventu aer inquinetur, quod mihi maxime probatur: ſive inficiatur atmoſphæra omnis, ab alteratione quam eidem inducit peculiaris aliqua corporum cœleſtium quorumlibet conjunctio: res ita ſe habet, ut ad hoc illudve tempus aer particulis referciatur, quæ humani corporis œconomiæ adverſentur, uti etiam alio tempore iſtiuſmodi particulis impræguatur, quæ cum corporibus ſpeciei alicujus brutorum minus conveniunt. His jam temporibus, quoties nos hujuſmodi noxia, & naturæ inimica *μιάσματα* in nudum ſanguinem inſpiratione attrahimus, & in illos morbos epidemicos incidimus, quos illa parere apta nata ſunt, natura *Febrim* accerſit, ſolemnem nempe ſibi machinam ad ſanguinem a materia aliqua hoſtili, & contraria intus ſtabulante vindicandum. Et tales morbi *Epidemici* vulgo audiunt, & ideo acuti ſunt & breves, quia motum habent ita celerem & violentum. At vero præter hos morbos a cauſa externa excitatos, ſunt & alii perinde acuti, ab hac vel illa peculiari ſanguinis inflammatione nati, quæ non a cauſa aliqua genetaliori ab aere pendente, ſed a particulari particularium corporum anomalia vel intemperie producuntur. Quod quidem febrium genus ego *Intercurrens*, & ſporadicum idcirco vocito, quod annis fere quibuslibet occurrant.

At vero morbi *Chronici* genium habent longe ab his diverſum; quamvis enim aer minus ſalubris hujus vel illius generis ad hos morbos generandos multum conferat, non tamen aeri ita immediate originem debent ſuam, ſed ut plurimum communi omnium horum parenti humorum ſc. *Indigeſtioni*. Ubi enim quis naturæ principia jam habuerit infirmata ac protrita, ſive a ſenecta, ſive a magnis & continuis circa *Sex res non naturales* erroribus, præcipue in cibo potuque, vel ſi organa ſecretoria eo uſque fuerint debilitata, ut jam functionibus ſuis ad defæcandum ſanguinem, & ejus ſuperfluitates eliminandas deſtinatis, prorſus fuerint imparia: his in caſibus uberiori humorum proventu jam coagmentato, quam cui dirigendo hominis vires ſufficiant, dicti humores mora diuturniore varias fermentationes ac putrefactiones patiuntur, tandemque in *ſpeciem* erumpunt, & varias morborum ſpecies edunt pro depravationum varietate. Et prout hi ſucci depravati variam habent indolem, ita varie in hanc illamve partem dilabentur, quæ eiſdem excipiendis aptiſſima eſt; atque ibi ſenſim longam illam ſymptomatum ſeriem explicant, quæ partim a talium ſuccorum natura, partim ab *ἀταξίᾳ* iſtis partibus illata, ſolent exoriri: quæ duo ſimul juncta iſtam naturæ *ἀνωμαλίαν* conſtituunt, quæ morbi alicujus nomine inſignitur.

Jam quod ejuſmodi impotentia naturæ ad coquendos humores plerorumque morborum chronicorum cauſa ſit præcipua, facile liquebit, ſi animadvertamus ſenes, quorum coctiones ſunt læſæ, & ſpiritus, earum inſtrumenta, abſumpti a repetitis vitæ longioris functionibus, hiſce affectibus magis eſſe obnoxios, quam ſunt juniores, quorum vitæ flamma magis accenſa recrementa iſta coacervata diſſipat, & quorum organa ſecretoria jugi iſto caloris naturalis ſubſidio inſtruuntur, ut functionibus in totius ſanguinis maſſa deputanda peragendis neutiquam deficiant, niſi inſuper premantur, & quaſi ſuffocentur a nimia humorum copia. Adhæc talem humorum indigeſtionem plurium morborum chronicorum cauſam eſſe ex eo conſtat, quod hyems ad iſtiuſmodi morbos gignendos longe magis faciat quam æſtas. Licet nonnulli ex his morbis non actu exerantur, niſi ſub brumæ exitum; attamen iſte humorum proventus, a quo illi pendent, per omnem hyemis decurſum ſuccreſcens, auctior factus eſt ab ejus tempeſtatis frigore, & efficto languore naturam debilitante, quo minus valeat in adminiſtranda corporis œconomia. Unde fit, ut qui in æſtate ſatis bene habent, raro tamen hyeme eos morbos effugiant, ad quos magis ſunt proclives, *Podagram*, verbi gratia, *Aſthma*, *Tuſſes &c.* Atque hinc etiam ratio deducenda eſt, quare peregrinatio in regiones magis auſtrales ita efficaciter eos morbos expugnet, quorum curatio in frigidioribus incaſſum tentabitur. Eorum, quæ de generali morborum chronicorum cauſa jam dixi, veritas magis adhuc patebit ab ingenti, & quaſi ſtupendo ac incredibili emolumento, quod ii qui morbis chronicis pleriſque, præcipue vero *Phthiſi*, laborant, ab equitatione percipiunt, quod genus exercitii digeſtiones ſingulas invigorat

gorat firmatque, dum a continua corporis succussione calor naturalis reaccenditur, & organa secretioni destinata in munere depurandi sanguinis rite fugendo promoventur: unde necesse est, ut sequatur digestionum deperditarum quasi renovatio quædam, & e consequenti totius corporis crasis optima.

Quo circa e rationibus jam allegatis satis elucescit, quod non in podagra tantum, sed & in aliis quoque chronicis morbis, ubi nullum symptoma manifestum contra indicat. *Herbas* ejusmodi *excalefacientes* magnum omnino commodum adferre, cum sanguini æstatis calorem vel media hyeme concilient: quamvis si æstivo tempore earum usui assuescamus, melius præcavebunt mala ista, quæ adversa tempestas solet apportare. Et profecto si ad hyemis usque appulsum deferantur, quo tempore ingens humorum saburra accumulatur, periculum est ne sero nimis ad hoc asylum confugiamus, & quod dici solet, Μετὰ πόλεμον συμμαχία. Quamvis autem, ut supra fusius disserui, podagra id sibi habeat peculiare, ut non tantum non juvetur, sed & lædatur a catharticis; tamen in aliis chronicis plerisque, & venæ sectio quoties opus fuerit repetita, & purgatio ante sunt imperanda, quam remediis corroborantibus & digestivis hic a me laudatis opera danda est: ubi vero se æger his addixerit, in iis perseverandum est, nullis intercalatis evacuationibus. Etenim hoc est firmiter retinendum, quod quoties cujuscumque morbi curatio remediis coroborantibus innititur, evacuationes, qualescunque eæ fuerint, officiunt prorsus. Denique non is sum, qui asseram, medicamenta digestiva jam memorata cæteris quibuscunque præstare: ait vero dico eum, qui remedium ad hanc intentionem satisfaciendam potentissimum invenire potuerit, longe majora in sanandis morbis chronicis præstare posse, quam ipse se posse existimaverit.

Istud vero iis omnibus quæ de podagra sananda dicturus sum, præmittendum est, maximopere præ cæteris observandum, nempe quod *Digestiva* remedia quæcunque, sive medicamentorum apparatu, sive diæta, sive exercitatione ea constant, haud obiter instituenda sint, verum constanter atque omni adhibita diligentia assidue usurpanda. Cum enim in hoc morbo, uti etiam in chronicorum quamplurimis causa ejus in habitum, & novam quasi naturam transiverit, nemo sanus existimaverit leviculam aliquam ac momentaneam alterationem sanguini atque humoribus a quolibet sive remedii sive victus genere superinductam, curationis scopum posse attingere; at vero corporis habitus omnis alio traducendus est, atque homo integer deinceps quasi nova incude refingendus. Neque enim hic ita se res habet atque in morbo acuto aliquo, ubi is qui modo athletice ac pancratice valebat, de repente febre correptus, ab optimo sanitatis statu in morbum periculosissimum, quasi rupto ponte, præceps ruit. Podagræ dispar admodum ratio: ubi quis per multos annos continuos comessationibus, compotationibusque intemperantius indulgendo, solita exercitia intermittendo, desidia atque pigritia intabescendo, vel etiam nimio studio atque irremissa animi intentione, aliisque vitæ erroribus, id egit tandem quasi dedita opera, ut varia corporis fermenta pervertantur, atque opprimantur spiritus animales (qui coctionis instrumenta sunt primaria;) unde humores præter naturales coacervati erumpunt tandem, cum jam ad summum gradum exaltati fuerint, ac stragem edunt; carnibus denique emollitis & effœminatis articulis, unde humores illabentes promptius excipiunt. Atque ita demum alia quasi natura sensim superinducitur, pristina & naturali corporis œconomia eversa funditus & deleta. Cum isti paroxysmi, qui hominum incautorum ac minus perspicacium oculos animosque soli fere perstringunt, & occupant, nihil prorsus aliud sint quam series & ordo symptomatum ab illa methodo pendentium, qua uti solet natura in materia morborum committente foras pellenda. Quamobrem operam laudabit quisquis hoc illove sive medicamento, sive etiam regimine subinde in usum revocato, hunc morbum protelare satagit. Cum vero hic habitus tum in digestionum omnium labefactatione, tum & in amissione firmitudinis naturalis partium singularum præcipue fundetur ac constet, utrique malo occurrendum est; & tam coctionum robur, quam firmitudo partium pedetentim reduci debet ac restaurari, pro modulo sc. pristinæ ac consuetæ corporis œconomiæ. Quantumlibet vero istud plene perfecteque fieri non posse videatur, non eo solum nomine, quod habitus quicunque non nisi ægerrime in sibi contrarios transmutantur, sed etiam quod ætas senilis, quæ huic morbo ut plurimum comes est & socia, vehementer refragatur: tamen quantum vires annique sinent, tentanda est curatio, & prout æger propius ad hanc metam accedet, vel recedet longius, podagræ tyrannidem magis minusve effugiet.

Atque porro animadvertendum est, quod remedia πεπτικὰ vel digestiva, sive partem medicamentosa spectant, sive diæteticam, in paroxysmorum præcipue intervallis in usum revocanda sunt; idque quam longissime fieri potest a paroxysmo insecuturo. Neque enim sine magna temporis mora, & pertinaci remediorum usu concoctionum omnium corroboratio, fermentorum corporis jam imminutorum restauratio, tantaque firmitas, quantum expetunt tum sanguis, tum viscera, senio adversante possunt acquiri.

Quantumlibet vero prosint hæc aliaque ejusmodi remedia, attamen hisce solis hæc corroborandi intentio satisfieri nequit; sed & earum etiam rerum habenda est ratio, quæ ad artem proprie medicamentosa non spectant. Et certissime voto frustrabitur is, qui in hoc aliove morbo chronico omnem curationem medicamentis solis absolvi posse autumat. Primum itaque ea in *Cibo Potuque* mediocritas est observanda, ut neque plus alimenti ingeratur, quam ventriculus concoquere valeat, ac proinde morbo fomes subministretur: neque e contra, nimia abstinentia partes ea proportione defraudentur, qua earundem robur & vigor debuerat sustineri, unde etiam magis debilitentur; quorum utrumque ex æquo nocet, prout tam in me ipso, quam in aliis haud semel expertus sum. Ad hæc, ciborum qualitatem quod spectat, licet Εὔπεπτα per se consideratа δυσπέπτοις præferenda sint, attamen ægri palato est consulendum: quandoquidem observandum est, quod sæpenumero id quod ventriculus vehementer appetit, licet difficilius coquatur, citius tamen a natura vincitur, quam quod facilioris concoctionis habetur, si ventriculo nauseam creet: at vero quæ δύσπεπτα habentur, idcirco parcius sunt comedenda. Unica etiam ciborum specie singulis pastibus vescendum arbitror, cum varia carnium genera simul ingesta plus ventriculo molestiæ faceſſunt, quam unicum, quod omnia ista quantitate exæquat. De cæteris, dempta carne, pro libitu comedat, modo nec acria, nec sale condita sint, nec aromatis; quæ licet coctionem non lædant, nocent tamen quatenus morbi fomitem exagitant.

Tempora quod attinet, prandere tantum expedit; cum enim lectus humoribus digerendis proprie dicetur, id temporis in cibis concoquendis non est insumendum. Non cœnent itaque, qui podagræ sunt obnoxii; haustum tamen cerevisiæ alicujus tenuioris liberaliorem sibi indulgeant: quandoquidem etiam renum calculo generando proclives fere sint tales; cujus concretio a liquore ejusmodi hoc tempore hausto multum impeditur, refrigeratis sc. ab eo renibus prolutisque.

Γαλακτοποσία, seu diæta e solo lacte sive crudo, sive cocto, exulantibus cæteris omnibus, nisi quod panis aliquid semel forte in die adjiciatur, ab annis retro viginti obtinuit. Profuit hæc quamplurimis præ cæteris hujusce morbi præsidiis, quandiu ne latum unguem ab ea discesserint. Quamprimum vero ad sanorum diætam, utut lenem mitemque, sese receperit, qui huic insueverat, podagra confestim reversa ægrum pejus longe quam antehac vexavit: labefactatis enim hac methodo naturæ principiis, æger jam morbo pellendo magis impar redditur, unde & periculosius infestat, & diuturnius. Qui igitur huic se methodo tradere cogitat, primum serio secum perpendat, num valeat per omnem vitam in eadem persistere: quod tamen fortassis penes eum non erit, utut propositi tenax fuerit: Non enim nobilem quendam, qui postquam per annum integrum solo lacte victitaverat, non tantum sine offensione, sed & cum summa voluptate; (quo tempore quotidie semel aut pluries dejecerat) sistente derepente alvo, ac mutata corporis temperie, manente vero adhuc animi propensione, & ventriculo tandem ad lac nauseante, absistere coactus est. Nonnulli vero hypochondriaci, crasso corporis habitu, vel qui alias liquoribus spirituosis diu multumque assuevere, lactis usum nullatenus ferre possunt. Interea emolumentum illud perbreve ac fugax, quod ex hac diæta percipiunt illi, quibus cum lacte convenit, hinc oritur, videlicet quod non tantum diæta sit simplicissima (unde nullus dubito, quin jusculum avenaceum, modo ventriculus illud ferat, idem præstare possit,) sed etiam sanguinem dulciorem, mitioremque reddat, particulas in eo acriores contemperando: atque insuper, quod ego palmarium judico, cum lac alimenti genus sit adultis prorsus impar, istam humorum turgescentiam sive virositatem reprimit, qui podagra ortum debet, eo nomine paucos istos quibus congruit, tamdiu a podagra immunes præstat, quamdiu eo solo vescuntur, nec juvat ulterius. Cum enim podagræ causæ originali ac primariæ, nempe, concoctionum ac fermentorum debilitati omnino contrarietur, longe magis hac ratione obest, quam altera prodest. Quod cum minus perspectum fuerit, nonnulli incautiores in errores permagnos, & plane exitiabiles inciderunt, dum morbi causæ continenti, humorum sc. calori & acredini, obviam ire satagentes, concoctiones pessundederunt, & functiones naturales prostraverunt omnes.

Liquores quod spectat, ii, me judice, optimi sunt, qui neque ad vini generositatem ascendunt, nec ad aquæ debilitatem deprimuntur, cujusmodi sunt cerevisia tenuis *Londinensis*, sive lupulata, sive non lupulata; cum extrema ab utraque parte noceant. Primum de vino, licet proverbio jactetur: Vinum potans podagra laborabis, & vinum non potans laborabis podagra; extra controversiam tamen est, & variis ποδαγειώντων experimentis confirmatissimum, *Vinum* de facto officere. Licet enim prodesse credatur juvandis coctionibus, quarum vitia causam podagræ antecedentem jamdudum statui; ratione tamen causæ continentis omnino obesse censendum est, humores sc. fomitem morbi, jam in procinctu stantes accedendo exagitandoque. Sed neque damus, vinum pro potu ordinario usurpatum coctiones promovere, at potius subvertere dicimus, nisi in diu vino assuetis. Quamvis enim calorem aliqualem in transitu impertiat, certissimum est tamen, fermenta corporis ab eo subjugari, & avocari spiritus naturales atque fugari; unde est, si bene conjicio, quod bibaces, atque nepotes isti male feriati, *Podagra*, *Paralysi*, *Hydrope*, aliisque morbis frigidis fere perimuntur. Adde quod jugis & immodica vini ingurgitatio corpus ad instar corporum fœminarum emollit laxatque; cum liquores temperati partium omnium tonum roborent ac firment: unde qui liquoribus tenuioribus semper assuevere, podagram fere nesciunt. Notandum est insuper, quod huic morbo maxime obnoxii viri sunt, qui licet imminutam habeant concoctionem naturalem, tamen ex quadam sanguinis luxuria plus satis nutriunt & incrementum sumunt ex materia quadam indigesta loco substantiæ sanioris & rite compactæ. Hanc sanguinis luxuriam Οἰνοποσία adauget magis, ac proinde tum novam materiæ saburram accumulat, tum etiam fomitem jandiu repositum quasi subdita face actu in morbum provocat. Huic accedat strui, quod cum podagricorum sanguis isti qui e pleuriticorum, aliorumque morbis inflammatoriis laborantium pertusis venis extrahitur, persimilis sit, insanorum esset sanguinem jam ὀργιῶντα ulterius spirituosis liquoribus, ceu ignem oleo, proritare. Neque tutius ex adverso liquores nimium refrigerantes in usum revocantur, cum hi concoctiones prorsus dejiciendo, & extinguendo calorem naturalem, majorem adhuc noxam inferant; non dolorem scil. ut vinum, sed ipsam adeo mortem: prout experientia docet in iis, qui ad senium usque vino liberalius indulgentes, aquam aut tenuiores liquores derepente cum vino, & non ita diu post vitam cum morte commutarunt.

Hic itaque podagræ obnoxiis in potu modus statuatur, ut iis utantur liquoribus, qui neque vel in maxima copia assumpti inebriare possunt, neque frigore suo ventriculum lædere. Hujusmodi est, ut dixi, cerevisia tenuis nostras, & in aliis regionibus confici poterit ex multa aqua cum pauco vino permixta. Aquam puram crudamque, & periculosam existimo, & expertus sum meo damno. Attamen satis commode ab ineunte ætate potatur aqua; qua hodieque longe major hominum pars sitim levat: inopia sua feliciores sunt illi, quam nos nostra copia & luxu. Testes appello ingens morborum agmen, quo corpora nostra hoc nomine discruciantur, podagram sc. calculum, apoplexiam, paralysin, &c tum & vim animis illatam, qua a nativa rectitudine transversum aguntur, dum adventitii talium liquorum spiritus, cum spiritibus animalibus cogitationi formandæ inservientibus complicati, mentem nimium volatilisando perturbant, vana ac futilia loco rerum solidarum atque alicujus momenti subingerentes: atque ita demum ingenioſe lepidos ac dicaces, pro sapientibus nos reddentes: inter quos eadem ferme differentia intercedit, atque est inter substantiam, & prorsus nihil. Sed de his satis.

Jam vero quamvis sufficiat ei, qui podagra mitius ac tantum per intervalla laborat, vel cerevisia tenui uti, vel vino dilutiori, cum is morbi gradus tanti non sit, ut severiori regimini se subjiciat; attamen cum universa corporis substantia in podagram quasi de-

generaverit, minus quam exoptet in profligando morbo promovebit, qui non a liquore fermentato quocunque, quantumvis leni & tenui, in totum abſtinet: cum hi omnes ſpiritus pungentes, & aliquem acredinis gradum in ſe contineant: & quod pejus eſt, quatenus fermento imbuti (perinde ac flores cereviſiæ liquoribus inditi vim ſuam fermentativam toti maſſæ communicant) humores fermentationi perpetuæ addicunt. *Potus* itaque *Diæteticus* ex ingredientibus vulgo notis, & huic uſui dicatis pro tali potu ordinario præſcribendus eſt: modo non ſit juſto fortior, quo haud multo minus periculoſe accendentur humores, quam ipſo vino; nec e contra aquoſior juſto, naturales functiones nimia refrigeratione proſternens. Hujuſcemodi potus ſi rite paretur ſelectis ingredientibus iſtis quæ ægro minus ſunt ingrata, licet ad ſeptimanam unam alteramve non ſine aliquali faſtidio ita jugiter aſſumatur, poſtea tamen perinde gratus & acceptus eſt, ac ſunt alii liquores quibus quis maxime aſſueverit. Atque ab hoc potus genere non tantum non imminuetur appetitus, ſed & augebitur: magis inſuper naturalis, & genuinus evadet, quam cum liquoribus fermentatis uti ſoleret. Hoc inſuper commodi accedet, quod qui hujuſmodi potum diæteticum loco ordinarii hauriunt, liberius in cætero victu ſibi poſſint indulgere, quam cum cereviſiam biberent, aut vinum: cum errores in victu, (quos omnes penitus evitare pene ſupra humanam ſortem eſt) hoc pacto aliquatenus corrigantur compenſenturque. Quod vero omnium primum eſt, æger hoc modo ſibi a calculo præcavebit, qui podagræ fere individuus eſt comes; cum liquores acres ac attenuantes quilibet, uti ad calculum jam factum proritandum, ita ad eundem generandum etiam faciunt. Liquor ſequens, utpote qui guſtu ac colore jucundo eſt, mihi maxime arridet. ℞. *Sarſaparil.* ℥vj. *Lign. Saſſaphr. Chinæ, & raſ. c. c.* ℥ij. *Glycyrrhiz.* ℥j. *Coq. in Aq. fontan. Cong. duobus per horæ dimidium: deinde ſtent clauſa ſuper cineres calidos per horas* 12. *poſtea ebulliant ad tertiæ partis conſumptionem. Cum primum ab igne amoveatur, infunde ſem. Aniſi* ℥ß. *Poſt duas horas coletur, & poſtea depuretur per reſidentiam, & liquor clarus reponatur in lagenis vitreis probe clauſis ad uſum.*

Hic liquor tum primum commodiſſime in uſum trahetur, ubi quis a paroxyſmo convaluit; atque in eo perſeverandum tam in ipſis paroxyſmis, quam in eorum intervallis per reliquum vitæ curſum. Neque enim ſatisfactum eſt ſæviente adhuc morbo novis rebus ſtudere, cum in ejuſmodi ἀπαξία & motu inordinato natura vix ferre queat, ut liquores fermentati, qui vegetiores ſunt ac magis ſpirituoſi, cum alio inerti ac ſpiritibus deſtituto commutentur. Eodem etiam tempore & *Electuarium* prædictum uſurpabitur, quod pariter deinceps tam in paroxyſmorum inſultibus, quam extra eos quotidie eſt devorandum. Hujus calor potus diætetici aquoſitatem quadantenus penſabit, ſanguini, & viſceribus debitum caloris gradum concilians, ſine iſta agitatione, quæ excitari ſolet ab æſtu liquorum fermentatorum.

Si quis objiciat, eam vitam vix vitalem eſſe, in qua omnimoda tum a vino, tum ab aliis liquoribus fermentatis abſtinentia obſervatur; reſpondeo perpendendum eſſe, an non longe miſerius ſit ac minus tolerabile diris inveteraſcentis podagræ cruciatibus (nam in mitiori morbo non hoc poſtulo) quotidie excarnificari, quam huic ſoli liquori ſe adſtringere, cujus uſu continuato in cæteris eſculentis ferme omnibus animo obſequi licet, ut jam non repetam, quod & hic potus (uti cætera omnia) dulceſcet conſuetudine. Certe qui hunc morbum expertus eſt, modo homo, non bipes fuerit pecus, nihil ambiget, in quam partem debeat concedere.

Quo non obſtante, ſi æger vel a longo ac nimio uſu liquorum inebriantium, vel ab ætate provectiore, vel denique præ nimia debilitate, cibos abſque vino, vel quovis alio liquore fermentato nequeat concoquere, non vacat certe periculo eundem protinus ac derepente a vino depellere, qui quidem error haud paucis lethalis fuit. Prorſus itaque, ſi me audit, apoxema diæteticum ſupra præſcriptum abdicet, vel, ſi eodem uti ſtatuerit, ei ſenſim aſſueſcat, hauſtum vini in paſtibus ad tempus aliquod ſibi indulgens, quaſi remedii loco potius, quam diætæ, donec decoctum illud familiarius evaſerit. *Vinum* autem *Hiſpanicum* hic loci tam Rhenano, quam Gallico omnino præferendum eſt, quæ poſteriora, licet ventriculo pergrata ſint, tamen exacerbandis humoribus, & augendo morbi fomiti apta nata ſunt. Adde, quod cum æque fere cruda ſint, & vix magis concocta quam eſt noſtrum pomaceum, non perinde cardiaca ſunt atque calida, ac res poſtulat. Atque hæc de cibo potuque ποδαγειόντων dicta ſunto.

Eſt & aliud, quod tametſi parvi pendatur, magni tamen momenti eſt tam in dirigendo morbi fomite, paroxyſmo adhuc vigente, quam ad prohibendam ejuſdem materiæ generationem extra paroxyſmum, nempe ut æger, maxime hyemis tempore, mature lectum petat. Etenim poſt venæ ſectionem & catharſin nihil æque naturæ vires ſubruit ac noctu vigilare: quod quidem valetudinariorum quilibet expertus affirmabit, ſi ſerio animadverterit, quanto alacrior vegetiorque exurgit, quoties ſe lecto temporius commiſerit, quam vero enervis eſt ac languidus, quoties ad multam noctem vigilaverit. Et quamvis res eodem recidere videatur, an citius ſeriuſve quis lectum repetat, modo per tot horas eidem indulgeat, verbi gratia, an *hora nona* cubitum eat, & *quinta* ſurgat, vel *undecima* cubitum eat, & ſurgat *ſeptima;* multum tamen intereſt, idque ob hanc, ut exiſtimo, potiſſimum rationem. Interdiu ſc. ſpiritus diſſipantur; ſive in corporis exercitio, ſive animi, qui in minus recte valentibus ita ſunt infirmi ac debiles, ut veſperi ſomni ſubſidio maturius opus habeant; & cum noctis appulſus œconomiæ corporis quaſi relaxationem quandam adferat, quæ diurno tempore a ſolis influxu vegeta conſervatur, lecti calor, bruma præſertim, ſolis vicem ut gerat, neceſſe eſt. Mane vero ſpiritibus tam a prægreſſæ noctis quiete, quam a lectuli calore refocillatis invigoratiſque, præterquam quod dies ſuperveniens firmitatem ac robur corporis tono conciliet, diluculo ſurgere hoc tempore, licet horam unam alteramve a ſomno matutino detrahat, non ita altum vulnus naturæ infligit, ac vigiliæ veſpertinæ ad horam unam vel alteram protractæ. Quamobrem iſtis qui podagræ ſunt obnoxii, author ego ſim, hyeme præcipue, ut lecto mature admodum ſe committant, & diluculo exurgant, quantumvis ſomnus juſto brevior ſuadeat, ut diutius cubantes eundem adhuc venentur. Cum ſomnus qui ita diluculo capitur ſecuturæ noctis ſomno tantundem detrahat; atque ita tandem naturæ vi illata, ſpretoque ſapienti ejus inſtituto, noctem pro die quis habeat, diem perverſus pro nocte.

Quinimo *animi tranquillitas* omni ope ſtabilienda eſt: cum pertnrbationes omnes, ſi repagula ſemel effringant, ad ſolvendam ſpirituum, qui ſunt digeſtionum inſtrumenta, ſyſtaſin, ac proinde ad podagræ incrementum multum faciant. Prudenter itaque ſecum meditetur æger mortalitatis ſuæ conditionem, nec ſe earum, quæ eam ſequuntur, moleſtiarum exortem ſtultus opinetur: ſive enim ſui ipſius, ſive aliorum culpa hanc animi ægritudinem pariat, non poterit unquam mundo leges dare, qui nemini hactenus, quantumlibet demum potens aut ſapiens fuerit, ſemper morem geſſit, neque ita cuiquam ſemper ex animi voto cedebant res omnes, ac vana mens ſpoponderat, at derepente inter rerum apparatus animam agens humanæ fragilitatis ſpecimen tandem edit, immerito ſe brevi vitæ fructu ſpolians. Idem etiam incommodi ſequitur nimiam animi ad ſtudia & res ſerias applicationem. Cum enim huic morbo præ cæteris quibuslibet melancholia vulgo dicta comes ſemper adhæreat, qui ei ſunt obnoxii, ſpiritus animales diu multumque cogitando, etiam non adhibito artificiali librorum adminiculo, fatigare ſolent atque obruere, hoc ipſum ita valde ac nimiopere agentes, ut corporis œconomia integra amplius conſervari nequeat: Quam ob cauſam ut mihi videtur, hic morbus perpaucos inſipientes (me excipiat qui volet) occupavit unquam.

Cæteris vero omnibus, quæ ad impediendum humorum indigeſtionem (quam ego primariam podagræ cauſam conſtitui) & ad ſanguinem idcirco corroborandum, ac firmitudinem partibus conciliandam faciunt, *Exercitium* corporis facile palmam præripit. Animadvertendum eſt autem, uti ſupra monui, quod cum in hoc morbo, etiam magis quam in chronicorum quovis, totius corporis habitus immutari debeat, exercitatio corporis niſi quotidiana fuerit, nihil juvabit, hujuſmodi enim exercitatio per vices intermiſſa, uti nihil fere conferet ad immutandum habitum corporis ab inertia atque iudulgentia jam langueſcentis, & effœminati, ita fortaſſis & nocere poſſit, paroxyſmum accerſendo, ubi quis jamdiu ab ea deſueverat. Hoc vero exercitium vehemens non ſit oportet, tale vero quale ſenibus competit, qui podagræ ſubjecta ſunt magis uſitata. Motus enim corporis juſto vehementior nimium diſſipat, & e conſequenti concoctiones lædit; quando exercitatio moderata ac perſeverans eoſdem firmet. Quantumlibet hoc durum videatur homini, qui præter ſenium, & corporis ad motum ineptitudinem, & ſocordiam huic præſertim malo quaſi connaturalem, dolore inſuper mactatur; tamen ſi hoc omittatur, nihil ex hactenus inventis quicquam proficiet. Utque paroxyſmorum intervalla ſine jugi corporis exercitio magna eſſe non poſſint, ita etiam ad calculi generationem talis erit proclivior; qui quidem plus habet, & periculi & cruciatus, quam ipſa podagra.

His adde, (quod magnum pondus habere debet) materiam *tophaceam* a longa requie admodum auctam iri in articulis corporis, maxime vero digitorum, ita ut tandem omni motu priventur. Utut enim fidenter aſſerant nonnulli, horum tophorum materiam nil aliud eſſe, quam ſanguinis *Tartarum* ad articulos tranſmiſſum, facile tamen conſtabit cuilibet rem paulo attentius perpendenti, quod dum magna vis materiæ incoctæ podagram facientis in articulos quoſdam depluit, & partes vicinas diutius tumidas reddit, ut partium harum virtus aſſimilativa ſufflaminetur, partim a ſuffocante obſtructione, quam in eis parit iners hic humor, dicta materia generetur, quæ a calore doloreque articuli in hujuſmodi ſubſtantiam cogitur, atque indies augetur, tum carnem, tum cutim articuli in propriam naturam vertens; quæ jam nuda jacet, acicula, ad inſtar *Cretæ*, *Ocul. Cancr.* aut ſimilis alicujus rei, extrahenda. Jam vero hoc malum ab exercitio quotidiano præcavetur, a quo oritur debita humorum podagram generantium, qui unam aliquam partem libenter occupant, difflatio per omne corpus. Unde fit; uti ipſemet expertus ſum, quod exercitatio longa & quotidiana non tantum non officit generationi tophorum, ſed etiam tophos veteres, & induratos ſolvit, modo non eo uſque invaluerint, ut cutim extimam in ſuam ſubſtantiam mutaverint.

Exercitii genus quod ſpectat, *Equitatio*, quoties nec grandior ætas, nec calculus intercedunt, reliquis longe præferenda eſt. Et ſane diu multumque mecum reputavi, quod ſi cui innoteſceret medicamentum, quod & celare vellet, æque efficax in hoc morbo, ut in chronicis pleriſque, ac eſt equitatio conſtans, & aſſidua, opes ille exinde ampliſſimas facile accumulare poſſet. Hac ſi uti non liceat, vectio frequens in curru fere eodem redit. Atque in hoc ſaltem podagra laborantibus pleriſque bene eſt, quod opes quæ luxuriæ, unde pullulavit morbus, irritamenta erant, facultates currus habendi ſubminiſtrent, quo hac ſaltem exercitationis ſpecie fruantur, cum altera frui nequeant.

Obſervandum eſt autem, quod exercitatio in aere ſalubri longe ea præſtantior eſt, quæ in minus ſalubri peragitur: ruri ſcilicet potius quam in urbe, ubi aer vaporibus a variorum artificum officinis exhalantibus eſt repletus, & ædificiorum denſitate conſtipatus, qualis eſt in *Londino* hoc noſtro, urbe, quantum certo ſcimus, omnium quæ in toto terrarum orbe ſunt, ſpatioſiſſima. Quantum vero interſit, an quis ruri, an in urbe ſe exerceat, podagricorum quivis ſtatim perſentiſcet.

Quod *Venerem* attinet, is qui tam podagra, quam ſenecta laborat (quandoquidem jam jam ea ſpirituum copia deſtitutus eſt, qua concoctiones promoveri debuerant, & per conſequens abſque hac clade adventitia articulos, & reliquas partes adjacentes plus ſatis laxatas habet, & debilitatas) æque improvidus meo judicio foret, ſi ejus lenociniis indulgeret, atque ille qui cum longum iter emetiendum ſuſceperit, viaticum omne prius abliguriret, quam ſe viæ committeret. Quinimo præter malum quod ſibi accerſit, languidiora ævi jam fatiſcentis deſideria non cohibens, maximo illo privilegio fruendi jubilæi, quod ſpeciali atque eximio naturæ munere ſenibus conceditur, ſe abdicat; qui jam in ultima vitæ ſcena ab earum libidinum impetu, quæ, ceu tot rabidæ feræ, eos per juventam omnem diu noctuque quaſi laniabant, tandem aliquando ſunt emancipati: cum horum appetituum expletio nullo modo longum illud malorum agmen, quod eam vel comitabatur vel inſequebatur, penſaret unquam. Atque hæc de regimine.

Quamvis autem hujuſmodi regulæ tam diætam, quam cæterum regimen ſpectantes, ſi ab homine podagræ obnoxio religioſe obſerventur, cum ab enormioribus morbi inſultibus præſervare queant, atque iſtam ſanguini, & partibus ſolidis firmitatem conciliare, quæ ab illa malorum iliade, unde morbus non ſolum ſupra humanæ patien-

tiæ

tiæ vires, ſed & funeſtus tandem redditur, eundem immunem præſtare poſſit; non tamen efficient ut non poſt quædam intervalla, maxime exeunte hyeme, podagra quandoque tentetur. Licet enim æſtivo tempore dum tonus vigorque ſanguinis a ſolis calore excitatus fuerit, & in ſtatu conſervatur, & pariter debitâ humorum per poros eliminatio pro voto ſucceſſit, omnino oportet ut coctiones longe melius quam hyeme celebratæ fuerint; tamen cum appetente bruma, & ſanguinis robur fuerit imminutum, & perſpiratio per cutis poros impeditior, neceſſe eſt ut ingens materiæ indigeſtæ colluvies ſit accumulata, quæ tandem diuturna mora in ſpeciem prorumpet, propriis ſe exerens ſymptomatibus, & paroxyſmum inducens, quamprimum vel ab humorum motu ab acceſſu ſolis propiore, vini potatione, exercitio vehementiori, aut alia cauſa evidenti quacunque anſa detur.

Ex jam dictis liquet eum qui hujuſce morbi curationem molitur, id negotii ſibi dari debere credere, ut totius corporis habitum immutet, atque illud ad priſtinam conſtitutionem refingat, quantum per ætatem, & reliquas circumſtantias fieri poſſit: quod in paroxyſmorum interſtitiis, non in ipſis paroxyſmis annitendum eſt. Cum enim morbi fomes non ſolum generatus, ſed & in articulos jam ablegatus fuerit, ſero nimis vel ejuſdem mutationem, vel eliminationem per alias vias conabimur: cum non alia methodo foras ejiciendus ſit, quam ea quam natura præmonſtrat, cui ſoli permittendus omnino eſt. Quod & in febrium intermittentium paroxyſmis uſu venit, quas ob eandem cauſam remediis non oppugnamus niſi æſtu prius conſopito. Nec abſurdius quis in extinguendis harum febrium, calore ſcilicet, ſiti, inquietudine, aliiſque ſymptomatibus, anxie operam locaverit, quam exiſtimaverit alius ſe podagram ſanare, cum in podagræ ſymptomatibus tantum coercendis laboret; cum tantum hoc tempore a curatione morbi abſcedat, ut eandem aliquatenus impediat, ac remoretur. Quanto enim magis ægri dolores lenit, tanto magis humorum concoctioni adverſatur; quantoque claudicationem arcet, tanto materiæ morbificæ expulſioni officit. Adde, quod quanto paroxyſmi furor ac acies retunditur, non ſolum tanto diutius affliget, ſed & brevius erit ſpatium interjacens, & minus etiam liberum ab omni gradu ſymptomatum, quibus hic morbus funeſtatur. Quod nemo inficiabitur, qui diligenter trutinaverit, quæ ſupra in hujuſce morbi hiſtoria ediſſerui.

Quamobrem licet nihil magni in *Paroxyſmo* tentandum ſit, niſi quod iſtis ſymptomatibus occurrendum eſt, quæ falſa medendi methodus quandoque parturit; tamen cum omnes uno ore fateantur morbum huncce ab humorum copia, & exuberanti plenitudine naſci, ægro fortaſſe conducet a carnibus per aliquot dies, ubi primum a morbo corripitur, abſtinere, & harum loco ſimplici juſculo avenaceo uti, aut alio pari alimento; cujuſmodi diæta tenuis materiæ morbificæ imminuendæ multum conferet, & naturæ opportunitatem ſubminiſtrabit; qua eandem ocyus digerat. Cum vero ingens ſit corporum aliorum ab aliis diſcrimen, quibuſdam abſtinentiam a carne non ferentibus, ſtatim vero ab ea ſpirituum animalium ἀπαξία, animi deliquio, aliiſque ſymptomatibus, qualia fœminis hyſterica affectione laborantibus accidere ſolent, correptis; iſtos non tantum juvabit, ſed & lædet, ſi diutius a carnibus abſtineant, quam ventriculus earum uſum averſetur: quod ut plurimum non excedit primum aut ſecundum diem eorum paroxyſmorum particularium, qui omnes ſimul juncti integrum paroxyſmum, ut ſupra innui, conſtituunt. At vero ſive tardius ſive ocyus quis carne veſcatur, ſerio cavendum eſt, ne urgente morbo majore copia utatur, quam quæ ad naturam ſuſtentandam neceſſaria ſit, nec timore cura opus eſt in aſſignanda victus qualitate. Namque ut ſemper in paroxyſmorum intervallis; ita præcipue paroxyſmo jam præſente, æger ſummopere curare debet, ne quid vel in quantitate, vel qualitate ſive potus, ſive ciborum peccetur. Neque in hoc ſolo, ſed in alio omni regimine, de quo fuſius egi, in intervallis obſervando; cautela haud vulgaris adhibenda eſt. Et licet tam dolor, quam magna ad motum inhabilitas, exercitio, quod ego præ cæteris omnibus laudavi, contra indicare videantur, tamen & hic labor exantlandus omnino eſt. Quamlibet enim in paroxyſmi initio ægro impoſſibile videatur ut lationem in currum, multo minus ejus motum ferre queat, attamen ſi id tentaverit, non ita diu poſt ſentiet ſe minus a tali motu dolere quam cum ſe in cathedra domi contineret. Id inſuper accedit emolumenti, ſi ad horas aliquot tam mane, quam poſt meridiem in curru vectus fuerit, quod cum domi toto die ſederet, noctem fere inſomnem ageret, jam dolorem ſomno ad multam noctem fugare poterit, cum exercitatio permodica podagra laborantem eouſque delaſſet, ut in ſomnum dilabatur. Adde quod eadem exercitatio calculum, quem vita deſes ac iners utplurimum acceriit, quadantenus præcavebit. Quod vero maximi momenti eſt, e jugi ac pertinaci exercitio occurretur totali artuum ad motum impotentiæ, quæ haud paucis accidit poſt paroxyſmum unum alterumve diutiurniorem, contractis ſive poplitum, ſive calcaneorum tendinibus: dum enim in cruciatu longiore quieti indulſerint (maxime crura nolentes extendere quoties dolor genu occupaverit) tandem crurum ac pedum motu per reliquum vitæ tempus orbati ſunt, tam in paroxyſmorum interſtitiis, quam in ipſis paroxyſmis, quos non ita tamen effugiunt. Quinimo in iis ſenibus, quorum concoctiones admodum vitiatæ ſunt, & qui a morbo per multos annos affligente ipſam corporis ſubſtantiam quaſi in podagram habent converſam, nihil minus ſperandum eſt, quam ut morbus ſine exercitio ad digeſtionem perducatur unquam; cum enim morbus naturam viribus ſuperet, ſæpe moriuntur a languore atque ægritudine, quæ ſomitis morboſi copia concoctionem reſpuentis apportat, & ab hac materia inconcoctili, quæ nullo modo poteſt aſſimilari, tanquam a veneno enecantur.

Attamen non obſtantibus iis quæ de exercitii utilitate in podagræ paroxyſmis dicta ſunt, ſi tamen æger præ nimia paroxyſmi atrocitate primo ſtatim inſultu quaſi proſtratus fuerit, (quod iſtis fere uſu venit in quibus podagra jam ἀκμὴν ſuam attigit, nec adhuc a multorum annorum decurſu mitigata eſt) hoc in caſu ſi æger cubiculo includendus eſt, e re erit, ut etiam lectulo ad primos dies aliquot, donec ſcilicet doloris vehementia remiſerit, idem includatur: etenim lectulus exercitii defectum aliquatenus ſupplebit; cum ejus uſus continuus materiam morbificam potentius digerat paucis diebus quam excubatio aliqua multis, maxime incipiente morbo, ſi modo æger abſque lipothymia aliiſque malis ſymptomatibus a carnibus abſtinere queat, ſolo juſculo avenaceo, cereviſia tenui & cæteris ejuſmodi contentus. Veruntamen haud omittendum eſt, quod ſi podagra jam inveterata fuerit, atque æger ad animi deliquia, ventris tormina, diarrhœam, aliaque his ſimilia ſymptomata propendeat, vix libitinam evitabit ab aliquo paroxyſmorum jugulatus, ſi non exercitio utatur, idque in aere liberiore, ac perflabili loco; quod diligenter animadvertendum cenſeo, quando magnus podagricorum numerus iis ſymptomatibus jam perierit, quibus hæc in cubiculo, & præſertim in lecto incarceratio eoſdem obnoxios fecerat, qui non ita mature fato conceſſiſſent, ſi moleſtiam vectationis per majorem diei partem devorare voluiſſent. Licet enim qui unico artuum dolore fatigatur, ſe cubiculo poſſit includere; tamen qui loco doloris acerbiſſimi, ægritudine, aliiſque ſymptomatibus prædictis laborat; talis idem imitando, ſe in vitæ diſcrimen conjiciet. Et quidem bene nobiſcum agitur quod quoties dolor ita vehemens eſt, ut æger motum tolerare non valeat, neque eo admodum opus habeat, ipſo dolore, quod amariſſimum eſt naturæ remedium, ægro de vita proſpiciente.

Jam vero quod attinet podagræ *Symptomata*, iis occurrendum eſt, a quibus æger in *Paroxyſmo* de vita periclitatur. Horum maxime familiare eſt ventriculi debilitas ac languor, cum ventris torminibus tanquam a flatu, quod iis accidit, qui vel jam a multis annis podagræ obnoxii vixerunt, vel iis qui licet non ita diu eadem laborantes, hoc tamen mali invitarunt præpropere, liquores ſpirituoſos cum tenuioribus, & multum refrigerantibus, derepente commutantes; vel *Emplaſtra repellentia*, aliaque medicamenta refrigerantia partibus affectis ad leniendum dolorem admoventes; unde morbi cauſa materialis, quæ in artus debuerat deponi, in viſcera rejicitur. Multa egomet expertus ſum in poſtremorum annorum paroxyſmis ad mitigandum hoc ſymptoma, nihil vero æque votis reſpondit ac *Vini Canarienſis* hauſtulus ſubinde deglutitus, languore, atque ægritudine urgentibus: neque vel vinum Gallicum rubrum, vel theriaca Andromachi, neque aliud quodlibet e cardiacis mihi hactenus notis pares habet vires. Sed neque vinum hocce, nec cardiacorum aliud quodlibet ægrum, ſi exercitio non utatur, omnino ſervare poſſe exiſtimandum eſt.

Sin autem gravius aliquod ſymptoma inducias haud ferens, ex retroceſſu materiæ podagricæ ſubito ingruat, & mortem ægri minitetur, neque vino, neque exercitio ſupra laudatis fidendum; verum hoc in caſu, modo non caput, at partes vel naturales vel vitales ejuſmodi malum impetat, ad *Laudanum* ſtatim confugiendum; nempe *Laudani liquidi gutt.* xx. *hauſtulo aq. Epidemicæ immiſta propinentur*, & in lecto ad quietem æger ſe componat.

Quod ſi materia podagram committens, quia non jam in artus fuerit eliminata, *Diarrhœam* induxerit, modo ea paroxyſmi ſingularis criſis non fuerit, & laudano jam laudato, & exercitio omniuſmodi (hoc enim in primis ad diarrhœæ curationem obeundum eſt) non obſtante, alvus nihilominus diutius fluat, ægritudine, torminibus ventris, &c. accedentibus; unicum, quod ſcio, remedium eſt, ut *Sudor* provocetur methodo & medicamentis huic uſui deſtinatis: quod ſi fiat ad biduum, triduumve mane & veſperi, per duas treſve horas continuas, ſiſtetur ut plurimum diarrhœa, & morbi fomes magna vi in artus detonabit. Hac ego methodo aliquot retro annis meæ vitæ conſului, poſtquam me in hoc malum a potatione aquæ frigidæ pro ordinario potu imprudens conjeceram; idque poſteaquam cardiacorum & adſtringentium varii generis opem, fruſtra imploraveram.

Eſt & aliud ſymptoma non perinde crebrum, quod tamen aliquoties ipſe vidi, metaſtaſis ſcilicet materiæ peccantis in pulmonum lobos; quoties nempe tuſſis brumalis a frigore tempore paroxyſmi ſuſcepto materiam ſenſim in pulmones allicit, artubus interim, ob translationem materiæ morbificæ in aliam regionem, vel omnino, vel tantum non, tam a dolore, quam a tumore liberatis. Uno hoc in caſu intentio curativa non ad ipſam podagram dirigenda eſt, at vero hoc ſymptoma pari modo tractandum eſt, quo peripneumonia abſoluta; venæ ſectione ſcilicet repetita, cum diæta & remediis refrigerantibus ac incraſſantibus, cum ſanguis, in hoc ſymptomate præcipue, extractus pleuriticorum ſanguinem prorſus referat. Purgandus eſt inſuper æger inter venæ ſectiones potionibus lenientibus, quibus hæc colluvies in pulmones illapſa poſſit amandari. Sudoris autem provocatio, quam vim cunque habeat in morbi fomite ſuper artus deturbando, hic tamen non tantum non prodeſt, ſed & obeſt, materiam, pulmonibus impactam indurando; unde generantur *abſceſſuli*, & tandem ægri mors certiſſima ſubſequitur.

Hic porro notandum, quod *Podagrici* fere omnes, poſtquam cum hoc morbo diu conflixere, *calculo renum* ſint obnoxii, proindeque vel ſtatu vel declinatione ſæpius, paroxyſmi generalis nephritico dolore laborare ſoleant; idque cum magno ægrorum non tantum cruciatu, ſed & virium diſpendio, cum jam plus ſatis attritæ fractæque eæ fuerint. Hoc in caſu poſthabitis quibuſvis aliis remediis, *liquoris poſſetici, cui rad. Althææ* ℥ii. *incoctæ fuerint*, *Congium unum* quam citiſſime devoretur, & ſequens *Enema* injiciatur.

℞. *Rad. Althææ, & lilior. an.* ℥i. *fol. malvæ, parietar. branch. Urſin. & flor. Chamæmel. an. m. j. ſem. lin. & fœnug. an.* ℥ß. *Coq. ſ. q. aq. ad* ℔. iß. *Colatura diſſolv. ſacchar. Culinaris, & ſyr. dialthææ an.* ℥ij. *M. ſ. Enema.* Quam primum per vomitionem æger totum reddiderit, quod per os ingeſtum fuerit, ut etiam enema rejecerit, *Laudani liquidi* ſatis magna doſis propinetur, viz. ad gutt. xxv. vel *pil. Matthæi*, gr. xv.

Remedia *Externa* ſi quis quærat ad leniendum podagræ dolorem accommoda, nulla mihi hactenus cognita ſunt (licet plurima tum in me ipſo, tum in aliis expertus fuerim) præter mere refrigerantia, & repellentia, quorum uſum jam ſupra docui periculo haud vacare. Et fidenter aſſero, multa & longa obſervatione ſuffultus, maximam partem eorum qui podagra periiſſe putantur, non tam ipſo morbo, quam ſubleſta atque indebita medicatione fuiſſe peremptos. Si quis autem remediorum externorum, quæ pro anodynis indubitatis habentur, virtutem probare velit, non fucum ſibi faciat, eadem ſub declinatione paroxyſmi particularis (quo tempore dolor jam ſponte ſua ceſſurus eſt) applicando: quin potius ſub initio paroxyſmi iſta uſurpet: & ſtatim edocebitur quam ficulneum ſit illud auxilium, quam vana ſpes; cum hæc epithemata nocere quandoque poſſint, prodeſſe nunquam. Qua de cauſa egomet jam a multis annis nulla remedia externa adhibui. Pulticula ex pane ſimilagineo cum croco in lacte cocto, addito poſtea oleo roſaceo in pauca quantitate, mihi olim præ cæteris profuit, quæ tamen in paroxyſmi initio nihil prorſus

juva-

juvabat. Si igitur dolor admodum ſæviat, æger rectius ſibi conſulet ſe in lecto continendo, donec is aliquantiſper remiſerit, quam anodynis utatur, attamen haud abs re fuerit *Laudani* pauxillum veſperi ſumere, ſi dolor patientiam multum vincat; aliter melius omittetur.

At vero cum in externis hujuſmodi remediis jam ſim, omnino aliquid mihi dicendum eſt de muſco quodam Indico, *Moxam* vocant, nuper magni nominis in podagræ curatione, ſi nempe pars affecta eadem accenſa leviter uſtuletur. Quamlibet hoc remedii genus *Indis Orientalibus* acceptum referatur, atque *Europæis* univerſim omnibus pro incognito habeatur, attamen conſtabit antiquioris id eſſe ævi etiam apud nos, illi, qui *Hippocratis* effata jam ante annos bis mille literis tradita voluerit conſulere. In præſtantiſſimo illo de *Affectionibus* libro, *Sect. quinta*, *pag.* mihi 524. *de Iſchiade* agens hæc habet, εἰ δὲ ἐν τιχωριον, &c. i. e. *Quod ſi in uno aliquo loco firmiter conſiterit dolor, neque medicamentis expellatur, quocunque loco dolor forte extiterit, eum lino crudo inurito.* Et paulo poſt de *Podagra* verba faciens: συμφέρει δὲ τῇ ταύτῃ, &c. i. e. *Huic eademque articulari morbo conferunt, & longus quidem hic morbus eſt & gravis, minime tamen lethalis. Quod ſi in digitis dolor remaneat, venas in digito paulo ſupra articulum inurito; uſtio autem per linum crudum fiat.* Opinor, neminem poſſe exiſtimare, eam eſſe differentiam ſpecificam inter flammam vel a lino, vel ab hoc muſco Indico excitatam, ut hæc illa in ſanatione podagræ plus valeat, non magis quam reputaverit ignem e *Roboris* ſegmentis accenſum majus aliquid præſtare poſſe illo, qui *Fraxini* ligno alitur. Hæc partis affectæ uſtulario aliquid pollicetur (quod & efficere quandoque poſſit) ad doloris commitigationem, evocata ſcil. fomitis morbifici parte ſubtiliſſima ac maxime ſpirituoſa, in articulum jam depoſita. Attamen beneficium ab hoc remedio partum, cum indigeſtionem, quæ podagræ cauſa eſt antecedens, nullo modo attingat, fugax eſſe oportet ac breve. Neque opus eſt, ut dicam, illud in podagris tantum incipientibus locum habere: quando enim ſive a morbi diuturnitate, ſive ab importuno atque indebito medicamentorum uſu, podagra, ut ſubinde fit, ad partes internas fuerit converſa, ac proinde ægritudine, torminibus ventris, atque longo hujuſmodi ſympromatum agmine, potius quam dolore ægrum mulctaverit, nemo ſanus igne utendum eſſe arbitrabitur.

En vobis omnia, quæ mihi hactenus comperta ſunt in hujus morbi curatione. Si quis objiciat multa eſſe remedia *Specifica* ad podagram, ego me ea neſcire lubens fateor: & vereor ne promiſſores iſti perinde ſint ignari ac ſum ego. Et ſane dolendum eſt, medicinam artem nobiliſſimam hujuſmodi magis, quæ, ſive ab inſcitia, ſive a pravitate ſcriptorum, credulis objiciuntur, uſque adeo deturpari; cum in omni fere morborum genere hujuſmodi aliquid a nugivendulis tanquam Θεῶν χείρες decantetur pleno ore. Et, quod eſt magis mirandum, quod non tantum in morbis typo indutis hujuſmodi deliramenta obtineant, ſed & in minime formatis, qui ab organorum læſione aliqua, aut προφάσει externa producuntur, viris etiam cætera cordatis imponant. Atque hoc ſatis evincunt *Specifica in Contuſionibus* vulgo prædicata, qualia ſunt *Sperma Ceti*, *Tegula Hybernica &c.* quæ omnia id tantum præſtant, ut methodum, qua tractari debuerat hic affectus, divertant: prout illi ſatis conſtabit qui experiri voluerit, quando tutius atque ocyus ſanabitur is, qui *Venæ ſectionibus* ac *Purgationibus* utetur *alternatis*, uſque dum bene habuerit, neglectis prorſus levidenſibus iſtis, quæ pro more poſt ſanguinem ſemel eductum ſæpe exhibentur, atque etiam ea ſudorum ſolicitatione, quæ pari paſſu cum eorum uſu ſolet procedere, a qua partium jamdiu ad inflammationem propenſarum excalefactione æger ſine cauſa in vitæ periculum adducitur.

Quod ſi nihil proficientibus his quæ attuli omnibus, adhuc minus ſagax videar, & minus copioſus in medicamentis eruendis enumerandiſque; Univerſa illa proponam quæ *Lucianus* in Τραγοποδάγρᾳ jam plenius collegit, e quibus tam externa, quam interna qui volet, eligat: qui forſan haud minus efficacia ſentiet, quam ſunt eorum plurima quæ a nonnullis deprædicantur. Apud hunc *Podagræ* perſona ita iſtos alloquitur, qui ſecreta quædam remedia ſe habere jactabant, quibus is morbus poſſit expugnari.

Τίς τὴν ἀνίκητον, &c. i. e.
Quis invictam me dominam dolorum
Ignorat podagram in terra mortalium?
Quam neque Thuris vapor placat,
Neque effuſus ſanguis aras ad incenſas:
Non templum divitiarum undique ſuſpenſis ornatum donariis.
Quam neque Apollo medicamentis expugnare valet,
Omnium Medicus in cælo Deorum;
Non filius Apollinis doctiſſimus Æſculapius.
Poſtquam enim enatum eſt primum hominibus genus,
Conantur omnes meam elidere potentiam,
Miſcente ſemper medicamentorum artificia!
Alius aliam in me experitur artem.
Terunt Plantagines, & Apia mihi,
Et folia Lactucarum, & ſilveſtrem Portulacam,
Alii Marrubium, alii Potamogeitonem;
Alii Urticas terunt, alii Symphytum;
Alii Lentes afferunt ex paluſtribus lectas;
Alii Paſtinacam coctam, alii folia Perſicorum,
Hyoſcyamum, Papaver, Cephas agreſtes, Mali Punici Cortices,
Pſyllium, Thus, radicem Ellebori, Nitrum,
Fœnum græcum cum vino, Gyrinum, Collamphacum,
Cypariſſinam Gallam, Pollen hordeaceum.
Braſſicæ decoctæ folia, Gypſum ex Garo,
Stercora Montanæ Capræ, humanum oletum,
Farinas Fabarum, florem Aſii lapidis;
Coquunt Rubetas, Mares araneos, Lacertas, Feles.
Ranas, Hyenas, Tragelaphos, Vulpeculas.
Quale Metallum non exploratum eſt mortalibus?
Quis non ſuccus? Qualis non arborum lacryma?
Animalium quorumvis oſſa, nervi, pelles,
Adeps, ſanguis, medulla, ſtercus, lac.
Bibunt alii numero quaterno pharmacum:
Alii octono: ſed ſepteno plures.
Alius vero bibens Hieram purgatur:
Alius incantamentis impoſtorum deluditur:
Judæus alium ſtultum excantat nactus:
Alius vero remedium petit ab Hirundinis nido.
Ego autem his omnibus plorare impero,
Et facientibus hæc atque irritantibus me
Soleo occurrere multo iracundior.
Iis vero qui cogitant nihil adverſum mihi,
Benignam adhibeo mentem, faciliſque fio.

Nullus dubito prudentiſſimos quoſque eorum, qui cum hoc morbo diu conflixere, de omnimoda curatione deſperantes, Choro qui iſtius Dramatis cataſtrophen facit, ſuffragaturos:

Ἤπιον ὦ παιδνμε, &c. i. e.
Lenem, O ubique gentium celebrata afferas (nobis) dolorem, o Podagra,
Levem, facilem, non acutum, brevem, haud ſævientem,
Tolerabilem, facile deſinentem, parum validum, ambulationes non impedientem.
Multi ſunt morbi miſerorum:
Sed exercitia dolorum, & conſuetudo
Podagricos ſoletur.
Ideoque æquo animo, o Complices, obliviſcimini
Dolorum. Si ea, quæ placent, non fiunt.
Tamen etiam præter ſpem accidentibus viam invenire ſolet Deus.
Quivis ſuſtineat Podagra laborantium
Deludi & derideri:
Talis enim hujus morbi natura eſt.

Ut ſemel finiam, Methodus quam hic trado φαινομένων prædictorum examini innititur; quamque ego ſecutus tam in ipſo me, quam in aliis, morbi levamen percepi. Therapeja *Radicalis* & uſquequaque perfecta, qua quis etiam a diatheſi ad hunc morbum foret liberatus, adhuc in Democriti puteo latet, atque in naturæ ſinu reconditur, neſcio quando, aut a quibus in lucem extrahenda. Spero nihilominus me hoc ſcripto humano generi commodi aliquid contuliſſe, ſi iſtos ſcopulos fideliter indigitaverim, ad quos tum ipſemet, tum alii plurimi naufragium fecimus; atque inſuper optimam quæ hactenus innoteſcit, methodum præmonſtraverim. Non his majora promitto; quamvis a longa cogitationum ſerie, quas huic rei impendere tantum non ſum coactus, inducar credere, ejuſmodi remedium quandoque inventum iri. Quod ſi unquam acciderit, inſcitiam ſuam dogmaticis exprobrabit, atque exinde liquebit, quam inſigniter tam in dignoſcendis morborum eſſentiis, quam in medicamentis quibus eos aggrediuntur, hallucinentur. Cujus rei exemplum ſatis luculentum habemus in repertione ſummi illius ad *Febres intermittentes* ſpecifici, *Corticis Peruviani*. Per quot jam ſæcula homines quique ſolertiſſimi ingenia exercuerant in inveſtigandis harum febrium cauſis, quibus praxin quilibet aptavit Theoriæ a ſe excogitatæ optime reſpondentem? Quomodo vero hæ medicationes theoremata valebant defendere, ex iis conſtat, quorum adhuc recens eſt memoria, in quibus varias intermittentium ſpecies in variis humoribus in corpore redundantibus collocantes, curationem ad humorum iſtorum alterationem atque evacuationem dirigere ſolebant. At quam inauſpicato id egerunt eorum in his conaminum fruſtratio, præcipue vero hujus *Corticis* uſus felicior, palam faciunt: cujus ope nos nunc temporis tum humores hujuſmodi omnes, tum etiam diætam & regimen quodcunque ſuſque deque habentes, ac nihil niſi methodum pulveri exhibendo debiram obſervantes; ſcopum recta attingimus; vix ab illo aberrantes unquam niſi ægrum, lecto ſine ulla neceſſitate addicimus, dum in ejus uſu eſt: Tanta tamen eſt hujus remedii vis, ut non obſtante eo incommodi, quod ſcilicet febris a lecti calore plus quam erat opus intendatur, ægrum nihilominus ad ſanitatem ut plurimum reducat. Interea donec hæc podagræ curatio radicalis comperta fuerit, quod Medicos omnes, me præ cæteris, optare fas eſt; hanc meam qualemcunque opellam boni conſulite. Quod ſi minus eveniat, hominum mores ita probe perſpectos habeo, ut non multum fallar; & officii mei rationem ita calleo, ut animo neutiquam cadam. Et ſi ſæviſſimi iſti cruciatus, impotentia ad motum, cæteraque corporis mala, quæ ego per maximam vitæ partem ſum perpeſſus, (una cum damno rei familiaris quod ſuſtinui, a medicina facienda toties adverſa valetudine avocatus) aliis quietem & ἀναλγησίαν poſſint comparare; erit unde me fructum aliquem miſeriarum hujus generis, quas in hac vita toleravi, in aliam migrans percepiſſe exiſtimabo.

EX paucis hiſce, Clariſſimi noſtri Auctoris paginis, ſatis manifeſtum eſt, quid de Podagra in genere ejuſque cura legitima, quæ in ſolis palliativis poſita eſt, ſentiendum veniat. Verum ſpecialius quid circa hunc morbum, aliaſque omnes affectiones de ejuſdem natura participantes, reperitur in Clariſſimi Muſgrave Tractatibus de Arthritide Symptomatica, & Anomala, quos propterea pro pleniori ejuſce ægritudinis cognitione hic inſerere propoſitum nobis fuit; ſed quandoquidem grandior illorum moles, longiorem Auctoris noſtri textui interruptionem procreaſſet, magis e re viſum fuit eos in Voluminis hujus prope finem rejicere, ubi æque commode a docto Lectore perlegi poterunt, ac ſi ipſo hoc loco exhiberentur.

THOMÆ SYDENHAM, M.D.

TRACTATUS

DE HYDROPE.

OMnis hominum ætas, ſexus omnis ab *Hydrope* nonnunquam infeſtatur. Fœminæ tamen huic morbo magis ſunt obnoxiæ quam viri; verum hos ætate præſertim ingraveſcente adoritur, illas ubi jam parere deſierint: Steriles autem quandoque etiam juniores occupat. Foveæ a digitorum impreſſione in ſurarum parte inferiore, ſub noctem in primis conſpicuæ, mane vero evaneſcentes, primum hujuſce mali indicium dant, quod non perinde certum eſt hydropis ingruentis ſignum in fœminis atque eſt in maribus; cum & prægnantes, & aliæ quibus catamenia quavis de cauſa ſiſtuntur, haud raro idem patiantur. Neque tamen in viris ejuſmodi tumor hydropem certo indicat; etenim cum ſenex quiſpiam, habitu corporis paulo pleniori præditus, *Aſthmate* jam a multis annis laborans, ab eodem derepente, idque hyemis tempore, fuerit liberatus, mox ingens tumor muſculos tibiarum occupabit, hydropicorum tumores æmulans, qui hyeme etiam magis quam æſtate, tempeſtate magis pluvia quam ſere-

na,

na, patiter invaleſcet; & tamen ſine quovis incommodo inſigniori, eundem ad Libitinam uſque comitabitur. Quo non obſtante, ſi generaliter loquamur, ſuræ & tibiæ intumeſcentes, etiam in viris, pro ſigno ſupervenientis hydropis habendæ ſunt; maxime ſi ita affecti ſpiritum ægrius ducant: qui quidem tumor tam copia, quam mole auctior in dies redditur, donec pedibus majorem aquarum vim jam reſpuentibus, crura tentantur, ac poſtea abdomen ipſum; quod quidem ſero e ſanguine jugiter decidente repletum, paulatim ad ultimum capacitatis ſuæ limen diſtenditur; adeo ut ſæpe multos aquæ congios intus contineat, quæ in umbilicum, qua data porta, ruentes, quandoque exomphalon conſtituunt.

Tria interim hunc morbum ſtipant ſymptomata, *Dyſpnœa*, *Urinæ paucitas*, & *ſitis intenſa*. Spirandi difficultas oritur ab aqua diaphragma comprimente, unde naturalis ejus motus ſufflaminatur. Urina idcirco parce redditur, quia ſanguinis ſerum, quod per ductus urinarios ex lege naturæ excerni debuerat, jam in cavitatem abdominis deponitur, & in cæteras partes eidem excipiendo aptas natas. Sitis eſt a putredine colluviei feroſæ, quæ a mora in corpore longiore & calorem & acredinem contrahit, unde æger & febre quadantenus ſemper laborat, & memorata ſiti.

Pro rata qua æger in partibus quas morbus obſidet, mole augetur, in reliquis magis magiſque indies emaciatur, & gracileſcit, tandemque cum tanta aquarum vis intra abdominis ambitum coerceri ulterius nequeat, impetu in viſcera nobiliora & vitalem arcem facto, cataclyſmo quaſi ſubmerſus perit.

Cauſa hujuſce morbi in genere ſanguinis debilitas eſt, unde alimento, quod forinſecus importatur, in ſubſtantiam ſuam convertendo non jam par, idem in extremitates & pendulas corporis partes explodere neceſſe habet, mox in abdomen etiam, in quo, quandiu in exigua quantitate hinc inde diſpergitur, natura eidem continendo veſiculas quaſdam fabricat, donec tandem, modum jam ſuperans, uno peritonæo ſimul clauditur.

Sanguini autem debilitando operam ut plurimum commodabant vel nimia ejus per venæ ſectionem aut alio quovis modo evacuatio, vel morbus aliquis diuturnior, vel perditus ille liquores ſpirituoſos ingurgitandi mos, unde & naturalia corporis fermenta deſtruuntur, & diſſipantur ſpiritus. Hinc eſt, quod bibaciſſimi quique helluones ſæpius cum hoc morbo, frigido licet, quam cæteri conflictentur. E contra etiam aquæ potatio in iis qui generoſis liquoribus diu aſſueverant, ſanguini eandem noxam infert.

In fœminis vero, quod notandum eſt, alia quædam & ab his longe diverſa hydropis cauſa reperitur, incluſa nempe in teſticulorum alterutro ſaburra ſeu obſtructio, quæ ſenſim ejuſdem craſin ſubvertit; unde in dicto teſticulo repoſita primum morbi minera, tunica ejuſdem mirum in modum diſtenditur; qua jam tantum non crepante, natura humori excipiendo veſiculas quaſdam ſuggerit, quarum tandem ſive una aliqua, ſive etiam pluribus diſruptis, & in abdominis cavitatem ſe exonerantibus, eadem occurrunt ſymptomata, quæ in hydrope, quam ſupra depinximus. Sed de hoc genere jam olim egi.

Sunt & aliæ duæ ſpecies tumorum abdominis hydropem mentientes, fœminis utræque familiares. Prima eſt carnium in partibus intra abdomen excreſcentia præternaturalis, quæ ventrem in molem haud minus conſpicuam attollit, quam ſolet incluſa aqua. Altera ſpecies flatibus ortum debet, qui non tumorem tantum, ſed & alia ingravidationis ſigna pariunt. Hæc viduas ut plurimum exercet, vel etiam mulieres, quæ non niſi provectiores ætate nupſerant: atque hæ tam ſuo ipſarum, quam obſtetricum judicio, quarum oracula hac ipſa de re conſuluere, motum infantis jam a tempore conſueto uſque ad legitimum tempus pariendi perſentiſcentes, quin & ad eundem modum, quo gravidæ ſolent, ſubinde ægrotantes, ſororiantibus inſuper mammillis, & lacte extillante, de faſciis haud raro cæteriſque ad excipiendum infantem neceſſariis ſibi proſpexerunt, donec tandem venter pari quo increverat gradu, ſenſim detumeſcens, ſpem vanam eluſerit. Neutra vero harum ad eum, de quo agimus, morbum eſt referenda.

Indicationes curativæ veræ ac genuinæ, utpote a prædictis phænomenis naturaliter quaſi exortæ, vel ad aquarum in abdomine cæteriſque partibus contentarum evacuationem, vel ad inſtaurandum ſanguinis robur, quo novus earundem proventus præcaveri poſſit, omnino dirigendæ ſunt.

Seri evacuationem quod ſpectat, magni refert, ut diligenter obſervemus in omnibus hydropicis ea cathartica, quæ vel ſegnius vel minus potenter operantur, officere magis quam prodeſſe: cum enim medicamenta purgantia ad unum omnia naturæ ſint inimica, quo nomine catharſeos munere ſanguinem aliquatenus debilitant læduntque; unde niſi corpus celeriter pervadant & citiſſime expellantur, camerinam eam moventia quam ſecum abducere nequeunt, & ſanguinem tumultuoſe exagitantia, tumorem magis adaugent: quod plus ſatis liquet in eorum pedibus, quibus alvus leniter ac blande ſolicitatur. Quamobrem ut cum bonis ægri rebus purgatio inſtituatur, ſcire oportet, utrum ægri corpus facile, an vero difficulter atque ægre catharticis cedat, cum in hoc cardine curationis omnis, ſive nullo, ſive non niſi magno labore peragendæ negotium vertatur.

Quoties itaque *Hydragogis* utendum eſt, ſolicite ad facilitatem vel difficultatem, qua ægri corpus catharſin ferre ſolebat, reſpicere omnino convenit; quod non alia via ulla certius dignoſci poteſt, quam ex diligenti inquiſitione, quomodo alia purgantia remedia alio tempore aliquo uſurpata, opus deſtinatum peregerint. Cum enim in corporibus idioſyncraſia quædam inveniatur, quoad facilem difficilemve catharticorum operationem, ægrum ſæpiſſime in vitæ diſcrimen conjiciet is, qui ſenſibile corporis temperamentum, modum ſibi ac normam ſtatuerit: quando non ita raro uſu veniat, ut qui habitu ſunt ferme athletico mediocribus catharticis facile pareant; cum qui contrario plane habitu ſunt præditi, vel fortiſſimis ægre cedant. Et profecto jam dicta cautio de ægri corporis ad purgantia ferenda ineptitudine non hydragogis tantum præſcribendis, ſed in aliis quibuslibet catharticis locum habere debet. Etenim ſæpenumero obſervavi hypercatharſes a potionibus etiam lenientibus adductas, ex eo quod ægrum Medicus non interrogaverit, prout oportuit, utrumne corpus faciie, an vero difficulter expurgaretur. Attamen cum hydrops, quod ſuperius dixi, præ cæteris morbis quibuslibet catharſin & validiſſimam poſtulet & maxime celerem: cumque in hoc morbo purgatio per ἐπίκρασιν quæ in nonnullis aliis prodeſt, nullatenus admitti debeat, (cum hujus generis catharſis non tantum non imminuat tumorem, ſed & adaugeat:) Hanc inquam ob cauſam, expurgatio paulo fortior & nimia, juſto debiliori eſt præferenda, præcipue cum *Laudano* non deſtituatur, certiſſimo ad hypercatharſin iſtiuſmodi ſubito domandam fræno.

Ad hæc in *Catharticis* omnibus hydropicorum ſanationi dicatis, id diligenter eſt obſervandum, ut aquæ ex maxima celeritate exhaurian-tur, quam ægri vires ferre queant, utpote qui ſingulis diebus expurgari debeat: niſi quod ſive ob nimiam debilitatem corporis, ſive propter cathartici præcedentis operationem plus ſatis violentam dies unus aut alter nonnunquam intercalari poſſit. Etenim ſi non niſi poſt longa intervalla repetatur purgatio, quantumlibet copioſa catharſis præceſſerit, aquis denuo affatim colligendis auſam præbebimus; atque ex hac induciarum occaſione, quaſi victoria jam parta uti neſcientes, tandem loco pulſi, re infecta turpiter fugabimur. Adde quod periculum eſt, ne aquarum inter viſcera mora diuturnior eadem putredine quadam ſua inquinet ac inficiat. Atque inſuper, quod parvi ducendum non eſt, iſtæ aquæ a prægreſſis catharticis ita in motum concitæ ad noxam inferendam jam propenſiores ſunt, quam ubi quieſcerent. Tam ab hanc itaque cauſam, quam ob alias ſupra memoratas, huic intentioni, quæ colluviem ſeroſam intus clauſam reſpicit, quam velociſſime ſatis faciendum eſt; neque ab ea niſi urgente neceſſitate eſt abſiſtendum aut ceſſandum, donec omnis aquarum moles omnino demum exantlata fuerit.

Hoc porro notandum venit, quod cum e praxi conſtet hydragoga fere omnia, genio quodam ſibi peculiari, ſi ſola exhibeantur, iis qui ægre purgantur, parum admodum votis reſpondere, quin & largiorem eorundem doſin, non tam catharſin, quam ſanguinis tumultum promovere, (unde qui imminui debuerat tumor, jam auctior cernitur;) Hæc itaque non alium obtinent uſum, in hujuſmodi corporibus, ut lenioribus catharticis ſtimulum addant. Quo non obſtante in iis, qui purgatu ſunt faciles, hydragoga iſta & celeriter, & cum magno effectu operantur.

Quocirca in iſtis, qui catharſi prompte cedunt, *Syrupus de Spina Cervina*, etiam ſolus, aquas ſat copioſe elicit. Quod quidem remedium in his aquas fere ſolas, eaſque in magna quantitate educit, nec ſanguinem perturbans, nec urinam reddens coloratiorem pro reliquorum purgantium more: Id tantum habet incommodi ſyrupus ille, quod inter operandum ingentem ſitim provocet. Quod ſi idem vel in ſumma doſi aliis propinetur, qui ægre expurgantur, neque multæ ſequentur dejectiones, neque eæ multa aqua, ut debuerant, refertæ.

Equidem probe memini, (cum tunc primum ad hydropem curandam invitarer) me annis ab hinc 27. aut circiter ad Matronam quandam piam & honeſtam, nomine *Saltmarsh*, *Weſtmonaſterii* commorantem, fuiſſe accerſitum; cujus abdomen hydrops, quo atrociorem nondum vidi, in molem magnitudinis vix credendæ evexerat: huic ego ſyrupi prædicti unciam unam ante prandium, qui tunc mos obtinuit, exhibui: credi vix poteſt quam magnam aquarum vim per ſedem deturbavit, idque nullo excitato tumultu, abſque ulla virium ægræ jactura: Quod mihi animos addidit, ut eundem quotidie repeterem, niſi quod diem unum alterumve intercalari paterer, ſi quando paulo infirmior videretur. Atque ita aquis ſenſim eductis, venter indies detumuit, ipſaque prorſus convaluit. Ego fiducia plane juvenili atque hominis inexperti, credebam me ejuſmodi medicamen poſſidere, quo hydropes quoſcunque poſſem debellare: verum hujuſmodi erroris intra paucas ſeptimanas admonebar. Cum enim non ita diu poſt ad aliam fœminam eodem morbo laborantem, qui febri quartanæ diuturniori ſupervenerat, medicinam facturus accederem, eundem ſyrupum propinavi, quo ſæpius repetito, & doſi gradatim aucto, morbum laceſſebam; at cum aquarum evacuationem fruſtra tentarem, catharſi non procedente, tumore autem ventris magis aucto, miſſum me fecit ægra: atque alterius medici ope, qui remedia efficaciora adhibuit, ſi bene memini, ſanitatem recepit.

Ubi igitur conſtiterit, ægrum eo eſſe corporis habitu ut cathartica leniora nec celeriter, nec cum bona euphoria opus ſuum peragant, fortiora tentanda. Quo in caſu, ut modo innui, notandum eſt, quod licet hydragogorum pauca, ſi ſola exhibeantur, votis reſpondeant, lenioribus tamen calcaris vice permiſta, efficaciſſima omnino ſunt. In hujuſmodi corporibus, exempli gratia, ſequentem potionem cum ſucceſſu ſæpenumero præſcripſi. ℞. *Tamarind.* ℥ß. *Fol. Sen.* ʒii. *Coq. in q. ſ. Aq. fontan. ad* ʒiij. *in Colatur. diſſolv. Mann. & Syr. de Spin. Cervin.* ℥ß. *Elect. e ſucc. Roſar.* ʒij. *m. f. Potio.* Quæ tamen potio non niſi robuſtioribus exhibenda eſt, quibus alvum ſolvit, ubi cætera id præſtare nequiverint; quod multiplici experientia ipſius probavi. Vel ℞. *Vini alb.* ʒiiij. *Zalap. ſubtiliſſ. pul.* ʒj. *Zinzib. pul.* ℈ß. *Syr. de ſpin. cervin.* ʒj. *m. f. potio, ſumenda ſummo mane, repetendaque ſingulis, vel alternis diebus pro ratione virium.*

Sequitur alia medicamenti formula, mihi haud infrequens, quo illi ſatis commode utentur, qui a repetito aliorum purgantium uſu abhorrent; quando ægrum calefaciat inter purgandum, tum etiam corroboret, *exg.* ℞. *Rad. Jalap. contuſ. Hermodactyl. an.* ℥ß. *Scammon. crud.* ʒiij. *fol. Senn.* ʒij. *Glycirrhiz. raſ. ſem. Aniſ. Carni an.* ℥ß. *Summit. Abſinth. Fol. Salv. an. m.* j. *Infunde frigid. in* ℔iij. *Aq. vitæ vulgaris, & coletur tantummodo uſus tempore. Cap. cochlear* j. *hora ſomni, &* ji. *mane ſequenti.* Augendo vel minuendo doſin pro ratione operationis.

Reſtant vero medicamenta duo, me judice, palmaria, & in iis qui non niſi ægre purgantur, cæteris quæ vel ſupra enumeravi, vel adhuc comperta habeo δραστικώτερα, *Elaterium* intelligo, & *Infuſionem Croci Metallorum*. *Elaterium* ſive *Fæcula Cucumeris agreſtris* potenter in permodica quantitate vires ſuas exerit in conturbanda alvo, & fœcibus cum ſeroſis & aquoſis humoribus copioſe egerendis, adeo ut ejus grana duo pleriſque, in genere loquendo, corporibus doſis aptiſſima ſint. Ego permiſcere ſoleo *Pil. ex Duobus* ℈j. quas in pilulas tres exiguas formandas, ac mane ſumendas impero.

Infuſionem Croci quod ſpectat, ejus ʒiß. (vel purgatu difficillimis ʒij.) mane exhibita, & quotidie pro ægri viribus reiterata, quamlibet prima facie haud aliud promittat, quam colluviem in ventriculo ſtabulantem egerere, tandem tamen efficiet, ut abdomen ab aquarum ſuper incumbentium onere liberetur. Præterquam enim quod ceſſante vomitione, in catharſin τὰ κάτω ſolet deſinere, neceſſe eſt omnino, ut cum tanta fuerit agitatio concuſſioque tam ventriculi quam viſce-

viscerum, a tam insigni aquarum corrivatione quasi circumseptorum, earundem evacuatio, per ductus communi naturæ lege haud satis patentes, conatum ita vehementem insequatur. Veruntamen si prædictum vomitorium inferiorem ventrem haud efficaciter expurgaverit, tam *Electuarium de Succo Rosarum*, *quam Syrupum de Spina cervina* soleo post tertiam aut quartam dosin meræ infusionis croci metallorum quandoque, licet rarius, adjicere. Ex. gr. 2ℓ. *Aq. Card. Ben.* ℥iij. *Infus. Croc. Metallor.* ℥iſs. *Syr. de Spin. cervin.* ℥ſs. *Elect. de Succ. Rosar.* ℥ij. *m. f. Potio.*

Quod vero dentur ejusmodi cæci meatus, per quod aquæ ex abdominis cavitate ad intestina transferantur, de facto liquet; cum quotidie observemus hydragoga tantam aquarum in abdomine includarum vim per secessum educere, perinde ac si primitus in ipsis intestinis continerentur. Cui tam duro modo cum parem cuneum haud facile invenianus, in mentem mihi venit celebre illud dictum medici omnium sæculorum judicio sapientissimi optimique, *Hippocratis* scilicet, qui in libro de prisca medicina hæc habet. Λέγουσί τινες ϗ ἰατροὶ, ϗ σοφισταὶ, ὡς οὐκ ἐνὶ δυνατὸν ἰατρικὴν εἰδέναι, ὅστις μὴ οἶδεν ὃ, τί ἐστιν ἄνθρωπος, ϗ ὅπως ἐγένετο πρῶτον, ϗ ὅπως συνεπάγη. ἐγὼ δὲ τοῦτον μὲν ὅσα τίνι εἴρηται σοφιστῇ, ἢ ἰατρῷ, ἢ γέγραπται περὶ φύσεως, ὅσον νομίζω τῇ ἰατρικῇ τέχνῃ προσήκειν ἢ τῇ γραφικῇ. i.e. *Medici quidam & Sophistæ dicunt, quod impossibile est eum medicinam cognoscere, qui non novit quid sit Homo; & quomodo primum factus & compactus sit. Ego vero ea quæ ab aliquo Sophista aut Medico de Natura dicta, aut scripta sunt, minus censeo ad Artem Medicam spectare quam ad Pictoriam.*

Attamen (ne vel divinus hic Author erroris ullatenus insimuletur, vel ex hoc loco Empirici ignorantiæ suæ patrocinium quærant) aperte dicam, me quantum attentissima cogitatione, eaque ad praxin (quæ medicinam profitentium lapis Lydius haberi debet) relata assequi valeam, utcunque existimare, quod necesse omnino sit, ut Medicus structuram humani corporis probe calleat, quo rectius veras ideas & naturæ, & causarum quorundam morborum animo concipere ac formare queat. Neque enim fieri potest, ut qui renum fabricam ignorat, ductuumque exinde ad vesicam tendentium, conjicere possit, unde oriantur symptomata illa, quæ a *calculo* vel in pelvim, vel in ureteres altius impacto pendent. Nec minus Chirurgum oportet eandem humani corporis structuram perdiscere, quo melius inter operandum ab iis vasis, sive aliis partibus abstineat, quæ, si violentur, ægro exitium afferant. Sed nec ossa dislocata ad situm naturalem recte poterit reducere, nisi eam ossium compagem, *Sceleton* dictam, curiose inspexerit, atque animo comprehenderit.

Hujusmodi itaque humani corporis notitia omnino necessaria est; quam qui non habet, cum quibusdam morbis *Andabatarum*, quod ajunt, more pugnabit, aut sine nautica pyxide tentabit mare. Porro hæc scientia & cito & facile acquiritur, cum id præ cæteris difficilioribus habeat compendii, quod αὐτοψία in cadaveribus vel humanis vel animalium quorumlibet perdiscatur, idque nullo fere negotio, etiam ab iis qui mente ac judicio minus valent. Veruntamen in acutis quibuslibet, quod genus plus quam duas tertias morborum partes comprehendit, atque porro in chronicis plerisque, omnino fatendum est τὶ Θεῖον inesse, sive specificam proprietatem aliquam, quam nulla unquam contemplatio a speculatione corporis humani deducta, queat indagare, atque in lucem protrahere. Quamobrem ne ita homines in cadaverum dissectione præcipuam locarent operam, tanquam exinde potius quam ex φαινομένων naturalium, ut & *Juvantium* & *Lædentium* diligenti observatione, promoveri possit ars medica; id opinor, ut maxime caveri in loco prædicto voluit divinus ille senex, non autem generalem fabricæ humani corporis notitiam carpere ac fugillare.

Et profecto virum tantum tamque sapientem nullo modo potuit latere, humanam omnem investigationem ultra generalem ejusmodi notitiam pertingere non posse. Licet enim diligenti in secandis cadaveribus inquisitione ac scrutinio, majora organa, quibus natura in peragendis operationibus suis utitur, in conspectum veniant, vasaque itidem nonnulla, per quæ succi ab his ad illas corporis partes transmittuntur; quæ tamen hujus motus sit origo & causa primaria, oculi docere nequeunt. Nec microscopium quodvis vel exquisitissime elaboratum exiles istos meatus, per quos chylus, ex. gr. ex intestinis in vasa chylifera transcoletur, vel per quos ductus sanguis per arterias derivatus in venarum oscula reducendus transmittatur, potest detegere. Quinimo sunt & alii fere innumeri, iique magis adhuc affabre concinnati, meatus ac pori in hac miranda hominis compage, quos nemo hominum ne per somnium quidem vidit; cum rudis & indocta, (sit verbo venia) cognitio nostra in rerum cortice omnis ferme versetur, ac ad τὸ ὅτι sive quod res hoc modo se habeat, fere tantum assurgens, τὸ διότι, sive rerum causas nullatenus attingat. Utut se res habeat, haud difficili investigatione scire possumus, quantum nobis dirigendis (prout fert rei natura) sufficit in eorum curatione morborum qui hujusmodi peritiam, quod supra dixi, sibi vendicant: maxime vero quantum nos impellat ad Divinum Artificem summa animi demissione adorandum, dum stupendum ejus artificium contemplamur in iis, quorum ratio nobis innotescit, tum illud longe excellentissimum in cæteris, ad quæ prorsus cæcutimus.

Et sicuti *Hippocrates* eos reprehendit, qui huic in humanis corporibus speculandis curiositati & ἀδυεργίᾳ plus dant quam observationibus practicis, ac proinde quam ipsius naturæ judicio; ita pari jure prudens vir quispiam in hoc nostro sæculo eos culpare possit, qui existimant, artem medicam nulla re alia magis promoveri posse, quam novis *Chymicorum* inventis. Quanquam enim ingrati prorsus animi esset non libenter agnoscere id emolumenti, quod chymiæ acceptum debemus, eo quod utilia nonnulla medicamenta, & indicationibus satis faciendis perquam accommoda (inter quæ vel ipsum *Emeticum*, de quo jam agimus, haud infimum locum tenet) nobis suppeditaverit; atque eam ob causam, si intra pharmacopœæ limites contineatur, ars est satis quidem laudabilis: attamen nec illi culpa, aut saltem errore vacant, qui cerebrum sibi eousque excalefaciunt ac torquent, ut tandem arbitrentur, artem medicam in hoc præsertim deficere, quod remediis magnis atque efficacibus a sola *Chimicorum* præparatione atque opera nobis subministrandis, indigeat. Cum ei, qui rem recte perpenderit, satis liqueat, præcipuum medicinæ faciendæ defectum non in eo verti, quod nesciamus quo pacto huic aut illi intentioni satisfacere debeamus, sed quod non satis sciamus, quænam sit illa, cui satisfaciendum est. Cum vel rudissimus quispiam pharmacopolæ servulus intra dimidium horæ quadrantem certum me faciat, quo medicamento vomitionem, purgationem, vel sudores provocabo, vel refrigerabo æstuantem; at vero in palestra medica probe exercitatus sit oporteret, qui pari certitudine me docere queat, ubi hoc vel illud remediorum genus in usum revocare debeam per omnem morborum ac curationum circuitum.

Et quidem certissimus sum nihil æque ad judicium hac in re rite formandum conferre atque observationem exactissimam φαινομένων naturalium & morborum, & pariter eorum, quæ in praxi cernuntur a *Juvantibus* & *Lædentibus* derivata, post ea sive remedia usurpata, sive etiam medendi methodum istam, quibus morbos depellere satagimus. Hæc si diligenter inter se & collata fuerint, mihi ostendent & morbi naturam, & insuper undenam curativæ indicationes desumendæ sint longe melius certiusque, quam si ad speculationem naturæ hujus aut illius principii corporis concreti tanquam ac *Cynosuram* cursum dirigam. Etenim vel exquisitissimæ hujus generis dissertationes nihil aliud sunt quam metaphora belle deducta exornataque: quæ etiam ad eorum instar omnium, quæ in scena imaginationis, non vero in ipsa rerum natura fundamentum habent, dies delebit ac proteret; cum *Naturæ indicia* rerum veritati superstructa, non nisi cum ipsa natura interciderint.

Quamvis autem *Hypotheses* speculationibus philosophicis innixæ futiles sint prorsus, cum nemo hominum scientia intuitiva prædirus sit, qua fretus principia queat substernere, quibus mox superstruat, attamen si *Hypotheses* ab ipsis rebus factis fluant, ex eis tantum observationibus natæ, quas phænomena practica & naturalia suggerunt, stabiles manent & inconcussæ: ita ut licet praxis medica, si scribendi ordinem respicias, ex hypothesibus orta videatur, nihilominus ipsæ hypotheses, si modo solidæ fuerint ac genuinæ, praxi quadantenus originem debeant. Exempli gratia, in *Affectione Hysterica* non ideo calybeatis utor, cæterisque sanguinem invigorantibus; nec ideo ab evacuantibus me tempero (nisi scilicet in statis quibusdam circumstantiis) & remedia potius paregorica impero, quia primum pro concesso habui hunc morbum a debilitatis fractisque spiritibus animalibus pendere: verum cum φαινομένων practicorum constans observatio me docuisset cathartica exhibita morbi symptomata semper auxisse, his vero contraria eadem symptomata consopire solere, ex hac, aliisque φαινομένων naturalium observationibus hypothesin meam desumpsi, ita ut Philosophus Empirico hic famularetur. Quod si ab hypothesi cœpissem, ea plane ratione insanirem atque ille, qui tabulata tignaque domus superiora prius velit erigere quam fundamentum jecerit: quod quidem istis tantum convenit, qui in aere *Castella*, quod ajunt, solent extruere: his enim certo quodam privilegio ab alterutra extremitate licet ordiri.

Sed ut ad rem redeam. Quicumque demum sint meatus isti, per quos aqua ex abdominis cavitate in intestina deducitur, certissimus sum vomitionem a dicto emetico excitatam easdem potenter evacuare, idque non solum deorsum per sedem, sed & rursum per ipsum ventriculum atque os in vomendi actu. Etenim post duas vel tres evomendi vices, aquæ non tam medicamenti vi secretoria elici videntur, quam ruptis quasi repagulis & claustris reseratis, pleno alveo effundi: quod satis constat ex earundem eruptione atque impetu sæpe facto inter ipsa vomendi spatia, sive intervalla.

Mense Augusto postremum elapso, paupercula quædam annos habens 55. aut circiter, opem meam imploravit. Febre intermittente diu laboraverat, dein carcere fuerat incluſa fere per triennium, a frigore multum passa erat, venter denique ad tantam molem increverat, ut ei parem nunquam hactenus viderim: Ego ℥iſs. *Infusionis Croci Metallorum* singulis diebus ad triduum exhibui, mox alternis diebus pro virium ægræ ratione, usque dum doses omnino sex hausserat. Primis aliquot vomendi vicibus urina penitus supprimebatur, quam postea quandoque per intervalla reddebat, sed raro admodum: quo frequentius emeticum repetebat, eo majorem aquæ copiam solebat rejicere, idque sub finem tam per os quam per sedem. Verum post tertiam dosin tumor subsidere atque imminui cœpit, & post quatuordecim dies filo, quo crassitiem corporis inflati jussu meo fuerat dimensa, judice ac teste, jam tribus pedibus gracilior comparuit, atque aliquot aquæ congios, supputatione ex iis quæ mihi ipsa narravit facta, ἄνω ϗ κάτω egesserat. Ita ut quæ prius in lecto non nisi erecta dormiebat, ne decumbens ab aquarum pondere suffocaretur, jam capite in pulvinar reclinato secura jaceret, & de latere in latus pro arbitrio se movere potuerit. Cum vero dicta emetica operandi violentia *Vapores*, quos dicunt, ad eum gradum excitarent, ut iisdem diutius morbum lacessere tutum non foret, & tamen tam ex residua adhuc ventris mole, quam aquarum rotatione, quam toties percipiebat, quoties se in alterutrum latus convertebat, & vestigiis insuper rei cujuslibet prementis in tibiis etiam nunc manentibus, plus satis liqueret multum aquæ adhuc in corpore restare: ob causam jam dictam, reliquam curationem purgantibus proprie dictis cogebar absolvere. Posthac igitur vel potionem purgantem supra dictam, vel aliud quoddam hydragogum præscripsi; idque vel rarius vel sæpius prout vires ejus ferrent, aut vapores minus infestarent. Etenim & catharsis per inferiora affectus hystericos aliquatenus invitabat, licet non ita graves & violentos ac solebant emetica. Atque in hac methodo perstitebam, donec prorsus convaluisse videretur. Quæ dum fierent, hæc mihi præcipue observanda occurrebant. Primo, quod iis diebus, quibus a purgatione feriabatur, nonnunquam magnam aquarum vim per sedem excernebat, atque etiam sub finem per meatus urinarios, vel ad congii mensuram; quamlibet non ultra ℔iſs. vel ℔. ij. potus pro singulis diebus concederem: ita ut portæ omnes, atque canales undecunque patere viderentur. Secundo notatu dignum erat, quod curatione fere absoluta si quando vapores a catharticis commoti tumultuarentur, venter, maxime versus superiora, intumescebat, tanquam novo aquarum proventu denuo repletus foret, quod tamen fieri non posse sciebam, cum ita parce bibisset; ac proinde tumorem illum a flatibus, quos peperit ἀπεψία ista a catharticis provocata, tantum oriri: quod meum judicium eventus comprobavit. Licet enim vel congium aquæ eo die quo purgabatur ejecisset, mox tamen cœpit intumescere, nec remittebat tumor ille, ad guttur usque assurgens, & dyspnœa affligens, donec corpus a purgantium molestia liberatum, statum naturalem ac quietem reciperet; quo facto & tumor & cætera symptomata derepente evanescebant, donec a succedente catharsi de novo irritarentur.

Deni-

Denique & hoc animadvertendum erat, quod cum præfata fœmina annum agens quinquageſimum quintum, fluxum menſtruum jam ab annis aliquot non fuerat paſſa, attamen menſes magno quaſi flumine erumpebant denuo; qui ſanguinis fluxus debilitati & evacuationibus prægreſſis additus ingens affectuum hyſtericorum agmen adducebat, dolorem ſcil. in dorſo & circa regionem ſplenis vehementem, cephalalgiam, & tuſſim ferinam. Adhæc tametſi poſt tam inſignem aquæ quantitatem per os, ſedem, & urinas eliminatam omnino credibile eſſet non multum in corpore reſtare, attamen venter haud minus protuberabat, quam nulla adhuc evacuatione tentata ſolebat. Quamobrem ad hos motus ſedandos, qui etiam ad ſeptimanam a poſtrema purgatione negotium faceſſebant, coactus ſum ad quatuor noctes continuas *Diacodii* ℥iſs. propinare; quæ etiam doſis erat repetenda, niſi ſomnus intra horas tres inſequeretur. Quo tandem pacata ſunt omnia, & tumor diſparuit.

Hoc interim obſervari velim, quod ſi leviculo aliquo ventris tumore tentetur æger, non ita prompte educuntur aquæ per infuſionem croci metallorum, ac in aſcite grandiore, ubi ingens aquarum copia aggeſta fuerit: etenim vel ipſa aquarum moles, dum emetici operatione agitatur, ac concutitur, ad earundem evacuationem mire conferet: atque eam ob cauſam, niſi venter in tumorem inſignem attollatur, omnino convenit, ut tota res evacuationibus per inferiora committatur.

Eſt & aliud medicamentum ſatis vulgare ac ſimplex, quod hydropem pari ratione, qua illud, de quo modo egimus, expugnat: Nempe manipuli iij. *Corticis interioris Sambuci* a ligno deraſi in ℔. ij. aquæ & lactis ſimul miſtorum, ad ℔. i. incoquantur: Decocti hujus altera medietas mane, altera ſero quotidie aſſumatur, donec æger convaleſcat. Hoc remedium & vomitionem ciet & catharſin, pariter ac crocus metallorum; ac proinde eodem modo morbum depellit, non vi aliqua ſpecifica: quocirca ſi neutram harum operationum præſtet, vel ſi mediocriter ac parce, ne hilum prodeſt quidem: ubi vero alterutram producit efficaciter, maxime vero ſi utramque, mire ad hunc morbum debellandum confert.

At ſane, quod ſerio animadvertendum eſt, haud raro accidit, ut aqua non ſolum in crura, ac tibias detur betur; ſed etiam in ipſam abdominis cavitatem depluat, quæ tamen medicamentis catharticis, ſive ἄνω ſive κατω ducentibus, omnino elicienda non eſt. Verbi gratia, quoties hujuſmodi tumor vel phthiſim diuturnam excipit, vel a viſcerum alicujus labe ac putredine naſcitur; vel a ſanguinis tono, ſi ita loqui fas eſt, non tantum relaxato, ſed & deperdito, ac ſpiritibus penitus exhauſtis, vel a longa fiſtularum in partibus carnoſis mora, quæ copioſam ſaniem egeſſerant; vel a nimia debilitate, atque evacuatione tam humorum, quam ſpirituum, quas advocavit ſive ſalivatio, ſive ſudatio, ſive etiam purgatio juſto intenſior, & diæta tenuis quæ in luis venereæ curatione, etiam magis quam res poſtulabat, fuerant adhibitæ. In his atque aliis morbis ad hunc modum factis, æger non tantum non juvabitur a catharſi, ſed, imminuto adhuc amplius ſanguinis tono, augebitur malum. Quamobrem rebus ita ſtantibus, omnis curationis cardo in ſanguine, ac viſceribus omni ope corroborandis, firmandiſque omnino vertetur. Inter cætera hujus ordinis, præter remedia confortativa infra enumeranda, ego certiſſimo experimento edoctus ſum, aeris mutationem, & in aere libero exercitium, quale quale demum æger ferre potuerit, huic indicationi apprime reſpondiſſe; ſpiritibus ſc. quaſi nova vita hoc pacto afflatis, atque organis excretoriis ad penſum ſibi debitum denuo revocatis.

Eſt etiam ubi abſque omni iſtiuſmodi προφάσει, intentioni iſti quæ aquas evacuandas reſpicit, nec cathatticis, nec emeticis ſatisfaciendum eſt: quoties enim vel æger conſtitutione eſt infirmiore, vel fœmina vaporibus, atque ataxiis ſpirituum animalium admodum obnoxia: fieri non poteſt, ut catharticis, & multo minus; ut emeticis res geratur. Hic itaque aquarum evacuatio *Diureticis* committenda eſt. E quorum familia, licet quamplurima in Medicorum ſcriptis magni ſint nominis, efficaciſſima tamen (ne dicam ſola) mihi videntur ea, quæ e *Salibus Lixivialibus* fiunt: neque quicquam refert, e quorum vegetabilium genere cineres petantur. Quandoquidem vero vix aliud vegetabile *Geniſta* ſit parabilius, & in hoc morbo bene audiat, ego ut plurimum *cinerum* ejus ℔. i. *in vini Rhenani* ℔. iiij. frigidi infundi jubeo, addendo *foliorum Abſinthii vulgaris* pugillum unum, alterumve. Liquoris per filtrationem colati ℥. iv. mane, hora quinta pomeridiana, & ſero, ægro jugiter hauriendas impero, uſque dum tumor evanuerit. Quo ſolo remedio hydropes pro deploratis habitos curatos vidi in iis, quorum craſis debilior purgantibus ferendis non fuit.

Aquis autem, (ut ad ſecundam intentionem properemus) quæ ſunt proxima cauſa morbi, jam penitus evacuatis, non niſi ad dimidiam curationis partem ut plurimum perventum eſt, niſi ſanguinis etiam debilitati, quæ prima morbi origo fuit, occurratur longo & aſſiduo medicamentorum *Calefacientium* & *Corroborantium* uſu, unde novus aquarum proventus præcaveri poſſit. Quamvis enim in junioribus ſæpe contingat, ut aquis rite expurgatis ſine alio quovis præſidio convaleſcant, cum eorum calor naturalis jam ab aquarum onere ac preſſura liberatus, dictorum remediorum vices ſupplere valeat; tamen in ætate provectioribus, aut iis, qui alias minus ſano corporis habitu ſunt prædiți, omnino neceſſe eſt, ut ſtatim ab aquarum eductione jam abſoluta, ad eorum ſimplicium uſum, quæ ſanguinem excaleſaciunt, invigorantque, protinus confugiant. Inter quæ ea, quæ ego jam ſuperius in *Podagra* cutanda laudavi, ſive ipſa remedia ſpectent, ſive *ſex res non naturales*, præter illa, quæ jam dicentur, locum habere poſſint: (niſi quod *Vinum*, a quo in podagra prorſus eſt abſtinendum, non tantum non noceat hydropicis, ſed & proſit admodum, ſi pro potu ordinario uſurpetur) Cum hi duo morbi id habeant commune, quod eadem remedia corroborantia utriuſque cauſæ originali adverſentur. Fatendum eſt interim, quod cum tam ex manifeſtis phænomenis, quam a juvantibus & lædentibus edocti ſimus tum hoc, tum alios plures *morbos Chronicos* ſanguinis debilitati, atque *indigeſtioni* ortum debere, nec ulterius progredi valeamus, adhuc in extimo morborum cortice hæremus; nec in eſſentiales eorumdem differentias, & ſpecificas humorum depravationes ab iſtiuſmodi indigeſtionibus prognatas, (quæ quidem ἀπυρία communis omnium ſtirps eſt) quimus penetrare: Uti neque varias illas ſpecificationes, quæ in morbis acutis ab una eademque cauſa, ſanguinis nempe *inflammatione*, fluunt, ullatenus callemus. Quocirca tam in his, quam in chronicis morbis, cum *Specificis* careamus, curationem non ad eſſentialem morborum naturam, ſed ad cauſam eorundem magis generalem dirigere cogimur; Curandi methodum ſubinde variantes, vel pro indicio naturæ ſpontaneo, quo in morborum eliminatione illa utitur; vel experientiæ, cui potiſſimum medicationis generi quilibet morbus facillime concedat, dictantis, ſilum ſecuti.

Porro ad hanc, de qua jam agimus, intentionem implendam, nempe ut ſanguis corroboretur, ſive aquarum evacuatio per hoc diureticum, ſive per catharſin, vel etiam vomitionem procuretur, ut ſupra, omnino neceſſe eſt, ut æger, quantum res ferat, *Vinum* potare teneatur, dum curando eſt, (modo ne prius incipiat οἰνοποσίαν, quam meatus quadantenus recluſi fuerint, & porta aquis data) vel ſaltem loco vini cereviſiam aliquam e generoſioribus; cum liquores tenues ac refrigerantes quilibet, utut ægri palato arrideant, qui fere ſemper in hoc morbo ſiticuloſus eſt, eum magis phlegmaticum reddant, & aquis obſtetricentur: raro itaque, aut nunquam hi ſunt concedendi. Atque e diverſo liquores generoſi, modo non ſint ſpiritus per diſtillationem eliciti, uſque adeo ſanitatem promovent, ut vel ſoli aliquando amiſſam revocaverint; utique in morbi initio, nondum multa aqua diſtento abdomine; præſertim ſi herbis calefacientibus, & confortantibus fuerint imprægnati. In pauperibus, verbi gratia, quorum res anguſta domi, meliora remedia non permittebat, *Cereviſia fortis*, in qua quantitas ſufficiens *Radic. Raphan. Ruſtic. fol. Abſynth. vulgaris*, *Cochlear. hortenſ. Salviæ*, *Centaurii min. ſummitatum Geniſtæ* incluſa fuerit, meo conſilio uſurpata pro potu ordinario, ſola fuit inſtar omnium. Pro ditioribus vinum Canarinum eiſdem herbis amaris poteſt ſimiliter imprægnari, cujus hauſtulus bis terve de die inter medicamenta ſupra memorata deglutiendus eſt. Vel ſi id palato minus allubeſcat, *Vinum Abſynthites* vice ejus ſubſtituatur, de quo æger ſumere poſſit cochlearia ix. poſt *Electuarii Digeſtivi* (in *Tract. de Podagra* deſcript.) ℥ij. horis medicinalibus, *i. e.* mane, quarta pomeridiana, & nocte, devorandas. Electuarium hoc huic intentioni faciendo ſatis, coroborantia quælibet medicamenta longo poſt ſe intervallo linquit alia. Hic vero magni momenti eſt, quod æger parce admodum bibat liquores iſtos, qui minus generoſi ſunt, quandoquidem omnes, qualeſcumque demum ſint, aquis nonnihil incrementi dant, adeo ut vel omnimoda abſtinentia a potu nonnullos ſanaverit: atque ob eam cauſam, ſi liquoribus iſtis quandoque indulgendum ſit, æger tamen admodum parce eos bibat; Veruntamen cum ſitis magna huic affectui ſe comitem adjungere ſoleat, quam inſuper a potu tenuiori abſtinentia adaugeat, e re erit, ut æger ſæpiuſcule aqua frigida *Spiritu Vitrioli* acidulata os colluat, aut *Tamarindos* in ore ſubinde teneat, aut *Limonem* manducet; neutrum vero deglutiens præ eorum frigiditate quæ morbo minus convenit.

Verum inter *Corroborantia*, *Chalybs* in hydropis incipientis curatione haud infimum locum ſibi vendicat, ſanguinem videlicet invigorando, calefaciendoque. Quam ob cauſam & *Allium* hic adeo conducit, cum eo ſolo, miſſis evacuantibus, hydropem ex aliorum præſcripto, non meo, depulſum noverim.

Eſt enim obſervandum, eum hydropem, qui vel pedes tantum inflavit, vel etiam ventrem, ſed modice, non ſtatim curationem per emetica & cathartica ſibi depoſcere; ſed hujuſmodi liquoribus præfatis calefacientibus & corroborantibus haud raro cedere. At vero præ ceteris ſerio animadvertendum eſt, quod quoties hunc morbum ſolis corroborantibus, vel etiam lixivialibus aggredimur, æger nullo modo expurgandus eſt, ſive mitiori, ſive fortiori quocumque pharmaco, tantiſper dum ſanguinis corroborationi navatur opera: evertet enim catharticum quidquid corroborans ſubſtruxerit; quod vel invitus agnoſcat oportet, qui obſervaverit tumorem, qui ab uſu corroborantium jam imminui cœperat, mox a purgatione augeri. Etenim tametſi cum intentioni iſti aquas educendi ſatisfacere cupiamus, haud abs re fuerit, etiam corroborantia ſubinde exhibere; tamen cum tota res in iſto ſolum cardine vertitur, ut ſanguis corroboretur, omnino neceſſe eſt, ut a catharticis abſtineamus.

Notandum eſt autem ægrum non ſemper ſanari, quamvis utrique indicationi ſatisfecerimus, *i. e.* tum aquæ in abdomine congeſtæ omnino eductæ fuerint, tum etiam calefacientia & corroborantia poſtea ad præcavendum novum aquarum proventum fuerint exhibita. Etenim non raro contingit, ut *Aſcites* ad multos annos perdurans, diuturna aquarum in viſcera incubatione eorum ſubſtantiam perverterit, & quaſi ſemicoxerit; & tam ipſa viſcera quam partes vicinas corruperit penitus, glandulas præternaturales & veſiculas ſanie turgidas generans; & omnia intra abdominis cavitatem contenta in putrilaginem quaſi quandam convertens: prout in eorum cadaveribus, qui ab aſcite inveterato ſunt interempti, ſectio patefecit. Morbus ad hunc gradum jam provectus, artis ſubſidia, quantum video, contemnit. Nihilominus Medici eſt, cum certo ſcire nequeat, quantum adhuc noxæ viſceribus illatum fuerit, curationem omni ope moliri remediis tam evacuantibus quam corroborantibus: & neque animo ipſis cadere, neque ægro ut cadat author eſſe debet. Cui rei ob hanc potiſſimum cauſam danda eſt opera, quoniam in permultis affectibus, morbi fomite jam penitus exantlato, natura, quæ noctes atque dies noſtris rebus invigilat, conſulitque, ſponte ſua mirum in modum machinatur, quo ægrum a pernicioſis morbi reliquiis muniat ac tueatur. Quamobrem omnis aſcites quantumlibet inveteratus, & quantumlibet funeſtam cladem viſceribus intulerit, haud alio modo tractari poteſt, quam ſi nunc primum occœperit.

Topica ſive remedia *Externa*, quantum ego obſervare potui, nihil egregium in hoc morbo præſtiterunt unquam. Ea minus ſaltem nocuere, quæ in forma ſive cataplaſmatis, ſive linimenti, abdomini ad tumorem diſcutiendum fuerint applicata: Neque tamen video, quo pacto aquæ poſſint diſcuti. Verum & alia ſunt a nonnullis remediorum loco præſcripta, quæ ita non proſunt, ut etiam obſint plurimum: Hujuſmodi ſunt *Unguenta Catharticis* fortioribus confecta, atque abdomini adhibita; *Veſicatoria* item cruribus & ribiis ſuperimpoſita, ubi cutis in magnam molem fuerit protenſa, ad aquas ſc. hoc pacto educendas. Utrumque hoc genus medicationis eſt periculoſum; cum a primo vis ſimplicium cathartica ita penitus non nunquam muſculis ac membranis impingatur, ut excitetur hypercatharſis, nulla remediorum ope unquam ſiſtenda. *Veſicatoria* autem locis prædictis, ab Empiricis applicari ſolita, calorem naturalem jam ferme aquis obrutum, deficientibus item ſpiritibus animalibus, omnino

extin-

extinguunt, & *Gangrænam* (plus satis in hoc casu familiarem) sæpenumero invitant. Etenim vulnus vel leviſſimum in hydropicorum carnibus, maxime in membro pendente, sanatu difficillimum est: quoniam ipsa carnium substantia his in partibus usque adeo irrigua est & scatens latice, ut data quacunque porta, continuo cursu prorumpat humor, a quo vulneris conglutinatio impeditur. Neque aut feliciori cum eventu, aut minore discrimine administrantur, me judice, sive *Paracteensis*, sive *Acupunctura* a nonnnullis celebratæ, quam vesicatoria.

Ut tandem finiam, quamvis hic morbus ubi jam in verum *Ascitem* evaserit, pro deplorato semper habitus fuerit; attamen constabit, quod si dicto modo tractetur, æque certo potest subjugari (modo viscera a corruptione sint libera) ac alii permulti, qui non ita funesti vulgo æstimantur.

At si quis forte arguerit hæc remedia, utpote simpliciſſima & plane inartificialia, ego potiori jure ejus nequitiam arguam & improbos mores; si dum fingatur alios hujusmodi simplicibus medicamentis juvari, se, uxorem, vel liberos suos, si quando ægrotaverint, vel viliſſimis ad sanitatem reduci exoptet. Adde, quod fucum sibi facit Morio, *Equitans in arundine longa*: etenim artis medicæ pompa & dignitas non tam in formularum concinnitate & elegantia, quam in morborum curatione cernitur.

Atque hæc sunt, quæ de his duobus morbis dicenda habui: & nisi fallor alios haud attingam unquam. Verum ista quod spectat, quæ hactenus in publicum dedi, si quis ea semel tantum perlegere dignetur, est quod doleam, me huic eam perdendi temporis ansam præbuisse. Quod si eadem sæpius relegere voluerit, & alta mente reponere, nullus dubito, quin eum fructum ex iis capiat, qui voto & magnis laboribus, quos ego in istis observationibus faciendis componendisque locavi, aliquatenus respondeat. Quæ quidem quam bona fide fuerint traditæ, haud aliter sciet, quam si in earum praxi fuerit versatus, ac perinde in observando diligens ac curiosus explorator atque ego prius fueram. At si in paucis iis quæ scripsi, naturam, me quasi manu ducentem, omnino secutus fuerim, nullius unquam hominis, quantuscunque is demum sit, opinationibus me addicens, pro certo habeo sapientes, quotquot sunt, veniam mihi saltem daturos, quos & latere non potest, duo esse hominum genera, qui profectum omnem in arte medica ex æquo prohibent, sufflaminantque. Primum ii sunt, qui nullum prorsus symbolum ad eam, quam profitentur, artem excolendam ipsi conferentes, illis succensent, qui vel minimum conferre videantur: defectus interim suos atque socordiam, reverentiæ, quam antiquioribus, a quibus ne latum unguem discedere audent, deberi contendunt, specie prætexentes. Quorsum vero reliquas artes omnes, quæ homines minus tangunt juvantque, magna incrementa sumpsisse fateamur, etiam sine ulla priscorum hominum injuria, solam autem medicam undique perfectam existimemus? An non certioris istius quæ nunc obtinet, navigandi artis repertores, eum *Pyxidis Nauticæ* usum, qui ita feliciter cessit, tentare potuerint, nisi primos ac rudiores illos, qui non nisi ad stellarum conspectum, & littorum anfractus cursum suum dirigebant, prius contempserint? Aut accuratior illa ac magis perfecta, sive construendarum navium, sive earundem in pugna regendarum, ars, qua hodie præ cæteris pollent Europæ magis Occidentales incolæ, istos sugillat Naupegos, qui classes eas fabricabant, quæ olim *Actii* depræliabantur? Aut *Augustum* & *Marcum Antonium*, tanti belli duces & classium rectores, ignominia afficit? Ad hæc innumera fere sunt exempla rerum a nuperis hominibus inventarum, quæ antiquioris sæculi inventis longe antecellunt: quarum omnium repertores haud potiori jure priscorum memoriæ vim inferre censendi sunt, quam is filius patris famam lædere putandus est, qui rem familiarem a patre acceptam, industria ac solertia sua auctiorem ac cumulatiorem reddiderit. Est & aliud hominum genus, qui præ animi levitate, ingenii ac sapientiæ haud vulgaris titulum affectantes, *Speculationes* ad morborum curationem ne hilum facientes, molestе ingerunt; Medici non tam viam præmonstrantes, quam ignibus suis fatuis devios in errorem agentes. His natura eum ingenii modum largita est, quo de illa docte nugari queant; at prudentiam non dedit, qua intelligant se eam haud aliter scire posse, nisi experientia indice, atque ejus peplum revelanti: quando abjectior humanæ naturæ conditio ad scientiam *Intuitivam* nullatenus assurgens intra angustos cognitionis, quam a quinque sensibus haurire potest, limites coarctetur. Unde nihilominus vir *Prudens*, quantum fert fors humana, quis potest evadere; *Philosophus* vero, saltem pro angustiori hujus nominis majestate, nemo mortalium evadet unquam. Medici autem *Philosophia* omnis in expiscandis morborum historiis, iisque remediis adhibendis, quæ *experientia* indice ac magistra, eosdem valent depellere, tota stat; observata tamen, ut alibi dixi, medendi methodo, quam recta ratio (non speculationum commentis, sed trito & naturali cogitandi modo innixa) ei dictaverit.

Postscriptum.

Lector mihi veniam concedat, si unum haud parvi tam in dignoscendis, quam curandis febribus momenti hic adjiciam, quod nisi memoriæ mihi exciderat, loco magis suo dicendum fuerat. Observavi, quod singulis annis ab hyeme ingruenti usque ad ver adultum, *Febris* quædam invadit, quæ tam quoad symptomata quam curationem a *Stationaria*, sive febre epidemica constitutionis generalis, quæ tum obtinet, plane discrepat, proindeque in febrium, quas *Intercurrentes* appello, classem recensenda est. Frigiditati aeris una cum crassitie ac humiditate ejusdem illa originem suam debere videtur: Hinc enim pori cutis occluduntur, & sanguis ob impeditam transpirationem colluvie serosa oneratur, quæ tandem inimica facta, ac diuturniore mora putrescens, facile a suscepto frigore, vel a levi aliqua occasione febrem accendit. Si materia morborum committens copiosa admodum fuerit, ea febris emergit, quam sub titulo *Peripneumoniæ nothæ Libro de morbis Acutis Sectione sexta, Capite quarto* descripsi. Sin autem humor iste minus scateat, ea solummodo symptomata producit, quæ jam sum descripturus. Æger per diem unum vel alterum post primum febris insultum nunc incalescit, nunc friget: de dolore capitis atque artuum cum inquietudine quadam totius corporis conqueritur: Lingua alba apparet: pulsus sanorum pulsui non admodum absimilis: utina turbida est & intense rubet: sanguis ei detractus pleuriticorum sanguinem æmulatur: tussis ferme adest; sed respirationis difficultas, thoracis coarctatio & dolor capitis inter tussiendum quasi idem dissiliret, dictæ tussi, (sicut in *Peripneumonia notha* solent) se non adjungunt, proindeque cum nothis insignioribus peripneumonicis hæc febris haud stipuletur, licet a dicto morbo non nisi gradu differat, *Febrem Hyemalem* indigitare lubet.

Hic morbus, etsi primo ejus insultu symptomata solummodo a frigore suscepto orta præ se ferat, si tamen male tractetur, longam ineluctabilium malorum catenam post se trahit, quæ tandem mortem ipsam accersunt. Etenim cum æger lectulo incarceratus fuerit, & cardiacis nescio quibus ad sudorem eliciendum, ac proinde ad febrim solvendam (quod tamen raro perficitur) mulctatus, delirium, lethargus, pulsus languidus & inordinatus, lingua arida, maculæ rubentes, & quandoque ad livorem aliquantulum accedentes sæpe sæpius hanc febrim comitantur. Hæc atque ejusmodi symptomata, etsi nonnullis pro *malignitate*, ut loqui amant, imponant, revera tamen rei male gestæ sunt adscribenda. Cum enim hæc febris suapte natura plus satis inflammatione polleat, sanguis adhuc ulterius cardiacorum, & jugi lectuli usu incenditur: unde spiritus in confusionem, ac motus inordinatos inconditosque adiguntur, atque materia morbifica in cerebrum impulsa in pessum ruunt omnia.

In hac febre pessenda hunc mihi scopum propono, ut exundantem scilicet illam pituitæ colluviem ob hyemis analogiam congestam venæ sectione revellam, & repetita catharsi subducam. Hæc ut fiant, ubi primum accersor, sanguinem e brachio dextro ad ℥ix. vel x. mitti jubeo. Die sequenti blandam illam potionem purgativam, mihi in praxi familiarem exhibeo. Ut 2ℓ. *Thamarind.* ℥ß. *fol. sennæ* ℥ij. *rhabarb.* ℥iß. *Coq. s. q. aq. ad* ℥iij. *Colatura dissolve mannæ & syr. rosar. sol. an.* ℥j. *m. s. f. potio, sumenda mane.* Hanc potionem per duas alias vices repeto die uno inter singulas purgationes interposito, modo symptomata omnia citius non disparuerint: Et noctibus insequentibus paregoricum ex syr. de meconio ℥j. propino. Diebus a purgatione vacuis, modo tussis adsit, *Decoctum Pectorale*, & *Eclegma ex oleo amygdalarum dulcium, syr. Capill. Veneris & violarum* subinde assumenda præcipio. Atque ad nimium sanguinis fervorem reprimendum, si febris magnopere æstuet, *Emulsionem ex seminibus frigidis* præscribo; ut *Julapium seq.* 2ℓ. *Aq. Nymph. Portulac. & lactuc. Portulac. & lactuc. an.* ℥iiij. *syr. de Limon.* ℥j ß. *syr. viol.* ℥j. *M. f. Julap. de quo bibat ad libitum.* Interim ut æger a lecto interdiu sibi temperet, injungo, ut & a carnis esu: post primam vero, vel secundam purgationem hausulum jusculi tenuis ex pullo gallinaceo facti subinde assumendum concedo. Verum hoc notandum, si symptomata quævis graviora, ut respirationis difficultas, dolor capitis inter tussiendum lancinans, malum hoc ad peripneumoniam notham propius accedere indigitet, hoc in casu tam venæ sectio, quam catharsis eousque debitis intervallis sunt iterandæ, donec symptomata omnia penitus evanuerint, & æger eo modo quem capite dicto descripsimus, sedulo tractandus. At non nisi perquam raro febris, de qua jam agimus, ad eam sævitiem assurgit, ut post unicam phlebotomiam, & tres purgationes pluribus evacuationibus indigeat.

Sed de hoc satis, quod tamen mihi neutiquam reticendum videbatur, quo minus errante diagnosi febris hæc *hyemalis* pro *Stationaria*, sive febre epidemica generalis cujusvis constitutionis habeatur, cum ingentem hominum vim ob hanc rem vel neglectam, vel ignoratam periisse certo sciam.

SCHE-

SCHEDULA MONITORIA
DE
NOVÆ FEBRIS INGRESSU
PER
THOMAM SYDENHAM, M. D.

ACCEDUNT EJUSDEM

DE FEBRE PUTRIDA VARIOLIS
confluentibus superveniente,

ET

DE MICTU SANGUINEO
a Calculo renibus impacto

DISSERTATIONES.

VIRO

Tam Virtute, quam Eruditione undique consummato

CAROLO GOODALL, M D.

Coll. Med. Lond. Soc.

Um ea, quæ de Febre presenti hujusce Constitutionis nuper observaram, in publicum edere statuerem, Tibi, præ cæteris, Vir Ornatissime, opellam hanc meam dicandam esse censui; idque ob duas potissimum rationes mihi faciendum videbatur. Primum quod cum amicissimus mihi sis, comes indivulsus lateri semper hæsisti, meque tuo juvasti patrocinio contra omnes quotquot se mihi uspiam objecerant. Quod non tam mei ipsius gratia præstabas, quam ex incocto generoso pectori honesto, hoc est, ex magno proboque animo, qui tibi Author fuit, ut veritate a te cognitæ compertæque assentiri haud dubitares, etiam cum omnes fere omnium, qui rem Medicam tractabant, linguæ in me unum exacuerentur. Quibus tamen non est quod irascar, (nec irascor sane) quandoquidem cum tot nequam Medicastri cerebrosa sua somnia & figmenta vendicantes, quo famam sui latius spargerent, toties mundo imposuerint, fas omnino erat, ut Viri ingenio & judicio præditi, non statim & sine examine ea admitterent, quæ ego jam recepto Praxeos mori plurimum adversantia in medium protuleram. Quo non obstante cum nihilo tibi minus debeam, mearum partium esse duxi, gratum animi mei in te affectum omnibus testatum facere; quando vix alia virtus naturam humanam ad profectus ultimas metas evectam, hac deceat magis. Nam sicuti Reges eos quibus favent, titulis & honorum insignibus illustrare, atque aliis spectabiliores reddere satagunt; ita natura quoties hunc vel illum humili turba ac grege hominum eximere voluerit, gratitudinem, seu excelsioris genii notam ac characterem solet imprimere. Altera Ratio cur hæc tibi potissimum inscribam, hæc est: quod sc. pro familiari illa & quasi quotidiana consuetudine, quam jam per multos annos invicem habuimus, Tibi in primis, plusquam cuiquam mortalium, notum esse oporteat, quanto cum labore Notitias illas, quantulascunque, tam Historiæ quam curationis morborum, de quibus palam disserui, indeptus fuerim. Quæ omnia non simul & semel evulgavi, sed interposito annorum aliquot intervallo, prout in aliqualem earundem cognitionem pervenire tandem potuerim. Istas vero Observationes meas ita mancas & imperfectas esse judico, ut me magis earum pudeat, quam ut ullam exinde laudem mihi quæram. Utut se res habent, illud saltem in mei excusationem potest adferri, quod licet 30. annorum, & quod excurrit, spatium, quibus ego non indiligenter in morborum observatione versabar, sufficere posse videatur ad majorem, quam in eorum cognitione ego feci, profectum faciendum; attamen haud temere affirmo, quod licet hoc temporis spatium plus quam sufficiat ad cerebrum Theorematis & Commentis fictitiis, ex Authorum libris collectis, (quæ omnia non magis ad morborum curationem faciunt, quam pingendi Ars ad Artem navigandi) plane obruendum, attamen ne quadruplicatus quidem horum annorum numerus, etiam in homine occupationibus medicis distractissimo, satis erit ad eundem in omni Medicæ Artis, quaqua patet, circuitu rite perficiendum. Ego saltem pro meo modulo omnem quam potui operam istuc contuli, ut Observationes quam accuratissimas colligerem, quas sine mora prælo mandandas curavi, ut si quid utile haberent, id statim Publico cederet. Qua in re cum meo munere, pro virili, defunctus jam mihi videar, acquiescit animus meus, nihil porro solicitus, quo in loco ab aliis habeantur mea scripta. Hoc tantum addo, quod sicuti si quis ea neglexerit, mihi nihilum nocuerit; ita qui semel tantum perlegerit, haud multum exinde proficiet. Sed ut hæc missa faciam, obsecro te, Humanissime Vir, ut Tractatulum hunc æqui bonique consulas, quo testatum esse volui, quanto te honore prosequor; quod pariter faciunt etiam ii omnes, quibus longe minus quam mihi perspecta est virtus tua. Neque jure merito existimare quis potest, me qui tui nullatenus indigeo, tibi assentari, cum palam profitear; Quod sicuti in ea quam exerces Arte, nemini secundus sis (ut modeste loquar,) ita morum integritate, honestateque undique absolutissima, omnes fere, quorum ego consuetudine unquam usus fuerim, superes. Diu vivas post mea fata, & in Jatrica palmam feras; non tam ad nummos posterorum usui corradendos (quæ quidem ratio, si cum sequente conferatur, animam fere brutorum redolet) quam ut sæculo tandem aliquando detegas, quibus modis istæ in morbis persanandis difficultates, sub quibus Ars Medica hactenus gemit & succumbit, vinci queant. Quod dum moliris, istis quæ ego primis jeci fundamentis, si modo libet, possis superstruere. Ita tamen, ut errrata in quæ ego forte inciderim, pro more humano, in meis Observationibus sive Historiam, sive Curationem hujus illiusve morbi attinentibus, ubi ab annosa & repetita experientia melius fueris edoctus, libere ac palam arguas. Neque hoc pacto defuncti ejus memoriam lædes, qui in vita cum esset, nihil prius habuit, quam ut Ars Medica a quocunque demum promoveretur, non tam eruditis de morborum natura commentationibus, (quibus ad nauseam & fastidium usque jandiu explemur) quam certa fidaque eorundem curandorum Methodo. Vale Vir Optime, & amare perge

Tibi semper addictissimum

THOM. SIDENHAM.

Excellenti & in re Medica Admirabili Viro

D. THOMÆ SYDENHAM, M. D.

O Qui capacem nobilis artifex
Eludis Orcum, quo tamen ibimus
Cuncti, quot humanæ Parentes
Et decimæ tulit ordo Lunæ;
Præsens fugacem sistere Spiritum,
Præsens maligno tollere de toro
Mortale Corpus, & propinquum
Exequiis removere Morbum.
Quem Nos honorem, quas statuas Tibi
Ponemus, O qui non alium parem
In arte Phœbus, se remoto,
Aut oriens videt aut recumbens?
Quo Febris audax cumque movet pedem,
Te Mater omnis, Te lacrymabilis
Accurrit Uxor, ne caducum
Orba virum pueroque ploret:
Seu Confluentes forte timet notas
Decora Virgo; Tu faciem eripis
Periclitantem protegisque
Perniciem juvenum futuram.
Atqui odit artes & Tua pocula
Hæres profusus, quem simul extulit
Ad spem implicatus vel Febrili
Igne Pater, vel Hydropis Undæ.
Mire paratam, Te Medico, Senex
Protelat Urnam, non sine gloria
Phœbi Tuaque, qui fugasti
Pollicitum sibi magna morbum,
Sic Te scientem non faciunt Libri
Et Dogma pulchrum; sed Sapientia
Enata rebus, mensque facti
Experiens, animusque felix.
Non Mille Plantæ & multa domi Vitra,
Igneque Centum aut Hypothesis placent
Prosunt Medenti vel coercent
Sæva Luis mala, sæva Febris;
Ni pectus adsit consilii potens;
Ni plena rugis Experientia
Usuque naturam secutus,
Quid faceret moneant in aurem.
Hæc Praxis olim grande decus Sacræ
Adduxit Arti; Sic Veterum stetit
Secura fama; sic præivit
Hippocrates, *meruitque Cœlum.*
At non eandem sorte pari viam
Pressit Galenus; *Non* Arabes *Virum*
Æque secuti; non Falerna
Usque madens Paracelsus *uva.*
Primus relictæ Tu genium asseris
Fidemque normæ. En Diva Tibi Salus
Applaudit & ridens Juventus,
Vitaque non metuens Sepulchri,
Ex quo vagantem scripta manu Tua
Correxit Orbem Pagina nobilis:
Longum illa Morbosis, Tibique
Perpetuum patefecit ævum.
Jam si quæ restant, Eja frequentibus
Concede votis; Nos Juvenilium

Vul-

Vulgus Medentum, Nos ἀνάλγα
Qualibet excipiemus aure.
Forte & futuro tempore quispiam
Poeta, Musis charior, æthere
Te sidus addet, Te salubre
Sidus, & in Crisibus benignum,
Me destinantem talia Chymicæ
Curæ reposcunt: Me Medicus labor
Et Spes locatæ non vacare
Pieriis patiuntur undis.

ED. HANNES.
Ex Æde Christi, *OX.*

SCHEDULA MONITORIA
DE NOVÆ FEBRIS INGRESSU.

TAmetsi ingravescens jam ætas, & a diuturnis morbis pene confecta, missionem a cogitandi penso, meditationeque intensiori vel eo nomine sibi jure postulare videatur; attamen non mihi tempero, quin vel propriæ sanitatis dispendio, alienam curare satagam: populares scilicet meos admonere de subingressu novæ cujusdam constitutionis, a qua pendet febris nova species a nuper grassantibus multum abludens.

Memoria recolendum est, quod in autumno, *Anno* 1677. febres intermittentes se primum exerebant, quæ quotannis increbrescentes, & ἐπιδημικωτέραι factæ, donec ad suum statum sive ἀκμὴν pervenerint, postmodum sensim decrescebant, & postremis hujus constitutionis annis ita raræ apparebant, ut pro morbo epidemico vix, ac ne vix quidem haberi potuerint. Qua de re pariter animadvertendum est, posteriores duos constitutionis jam exeuntis annos hyeme rigidissima fuisse infestatos; penultimum maxime, nempe annum 1683. in quo ita enormi bruma intemperies desæviebat, ut nemo quisquam viventium illi parem, vel intensissimo eo frigoris gradu, vel prælongo temporis tractu, viderit unquam. Quippe quo Thamesis, nobilis fluvius, ita prævalido gelu compaginabatur, ut currum circumcursitantium rotas, officinas ad platearum modum mercibus refertas, ac numerosissimam hominum frequentiam, solidi instar pavimenti, facile sustentaret. Subsequens annus 1684. licet nec intenso frigoris gradu, nec pervicaci duratione, præcedentem exæquaret, non tamen multum ei utrobique cessit. At cum primum exolveretur gelu anno 1685. mense Februario, exorta est febris ista, de qua jam agere instituí; quam quidem ego novam febris speciem esse arbitror, atque febri, quæ per octennium ultimo prægressum invaluit, esse prorsus dissimilem.

An hujusce constitutionis mutatio mutationi manifestarum aeris qualitatum, quæ per binas has hyemes successit, tribuenda sit, ego non satis scio; cum pro comperto habeam alterationes quoad sensibiles annorum qualitates, utcunque dispares, morborum epidemicorum species non protulisse; & certam annorum seriem, quantumlibet annus unus ab alio, externa facie & temperamento discrepaverit, nihilominus omnes in eadem febrium stationariarum specie producenda convenisse. Quod cum serio animadverterim, opinari mihi subiit, prout a me alias dictum fuit, constitutionis mutationem a secreta aliqua abditaque alteratione in terræ visceribus atmosphæram omnem pervadente, vel a corporum cœlestium influxu aliquo maxime pendere. Tametsi hic est notandum, quod valedicente nobis olim febre depuratoria, siccissimum ac vehemens gelu ab initio hyemis 1664. omnia constrinxerat, nec quicquam remisit, donec mensis Martius adolescceret; quo quidem tempore, quamprimum fatiscente gelu terra solveretur, mox febris pestilentialis, postmodum ipsa pestis grassari cœperunt. Utut vero hoc se habeat, febris, quam nunc tractamus, jam dicto tempore primum se ostendit, nempe Februario mense 1684. & tam præcedente anno, quam eo, qui jam agitur, per omnes Angliæ regiones latius vagata est; longe magis & ἐπιδημικωτέρως aliis in locis, quam hic Londini desæviens.

Ubi primum ad hanc febrem vocarer, omnino existimabam, illam non ex eo genere febrium fuisse, quas ego stationarias appello; sed potius ex intercurrentium familia, quæ singulis fere annis promiscue adoriuntur. Non aliud sc. morbi genus esse rebar quam peripneumoniam illam notham, quam Libro de Morbis Acutis olim delineaveram. Una hac intercedente discriminis nota, quod in hac febre subinde non comparebant symptomata in peripneumonia magis pathognomonica, qualia sunt tussis vehementior, cephalalgia inter tussiendum sævissima, & quasi caput distringens, vertigo a motu quolibet, & dyspnœa ingens, quæ omnia peripneumoniam notham fere comitabantur. Cum itaque Librarius novam Tractatuum meorum editionem eo tempore solicitaret, visum est conjecturam tunc meam, in qua me hallucinatum fuisse, jam sentio, in forma postscripti publico dare, in quem quidem errorem me induxit ingens consensus, quo febris hæc cum dicta illa peripneumonica luculenter conveniebat: quæ nulla non hyeme subinde occurrit. At cum æstate superveniente, quæ febres illas peripneumonicas solebat fugare, hæc nihilominus perseveraret, statim erroris mei commonitus, febrem hanc ad novam constitutionem redigendam omnino censui.

Symptomata diligenti quantum potui indagine comprehensa, hæc fere sunt, & olim fuere: æger per vices calore & frigore tantatur; sæpenumero & caput, & artus dolorem queritur; pulsus sanorum pulsui non absimilis est; sanguis e venis eductus pleuriticorum sanguinem haud raro æmulatur; æger ut plurimum laborat tussi, quæ quidem quanto ab hyeme longius invadit morbus, tanto citius, una cum aliis symptomatibus peripneumoniam mitem & boni moris comitantibus, recedit. Dolor collum, & fauces (hic vero levior quam in angina) sub primum morbi insultum quandoque occupat. Febris tametsi prorsus continua sit, sæpe tamen exacerbationes molestissimas ingruente nocte apportat, non aliter ac si duplex foret tertiana, sive quotidiana. Æger jugem in lecto decubitum quantumlibet levissime stragulis coopertus sit, non sine magno suo periculo experitur; febre enim exinde in cerebrum versa vel in coma, vel in phrenesin facile incidit. Et, ut verum fatear, ita proclivis est in hoc morbo ad phrenesin lapsus, ut persæpe sua sponte, nulla ejusmodi data ansa, illico subrepat. At non eo excandescentiæ & furoris ascendit phrenitis in hac febre, atque illa, qua variolis atque aliis febribus correpti laborant; quinimo æger potius tranquille delirat, incongrua subinde effutiens. Ab intempestivo cardiacorum usu, & regimine paulo calidiore petechiæ sæpius efflorescunt, & in junioribus calido temperamento præditis, maculæ etiam purpureæ, certissimum summiæ inflammationis indicium, tam in hoc, quam in alio quovis morborum acutorum genere. Quandoque eruptiones miliares, quas vocant, in superficiem corporis se dispergunt, morbillis haud multum absimiles, nisi quod rubent magis, & quando recedunt, squamulas istas furfuraceas, quæ in morbillis cernuntur, haud relinquunt: licet hæ sponte sua nonnunquam ingruant, sæpius tamen lecti calore & cardiacis extorquentur. Lingua ægri pro ratione imperati regiminis, vel humida est, vel sicca. Ubi inaruerit, fusci est coloris in medio; quam partem undique cingit fimbria inalbescens. Ubi vero humida est lingua, omni ex parte alba est, pellicula item scabra & alba vestita. Nam si æger ab adhibito regimine plus justo incalescat, lingua fere est fusca & arida; sin minus, humida est, & alba. Idem de sudore dicendum est, qui pro ratione diversi regiminis præfati dimanat. Nam si calidius tractetur æger, ferme viscosus effluit, e capitis præsertim regione. Quantumvis autem sudor copiose, & undequaque erumpat, parum tamen ex eo levaminis sentit æger; unde liquet ejusmodi sudores symptomaticos tantum esse, criticos non esse. Primis morbi diebus sudoris ex arte provocatio, materiam morbificam si non in caput, saltem in artus solebat deponere. At ubi jam caput febris occupavit, & phrenesis semel invaluit, nulla restant febris indicia, nisi quod pulsus nunc citatior est, nunc tardior; tandem vero, cum ex re male gesta spiritus in confusionem omnimodam adigantur, pulsus inordinatus cum subsultu membrorum subingredietur, quem non ita diu post mors excipit.

Curationem quod spectat, ista peripneumoniæ signa quæ hanc febrem comitabantur *Februario* illo anni postremi, quo primum emergebat, statim ab hyemis exitu fidem, ut dixi, mihi fecere, eam prorsus in peripneumonicarum familia censendam esse. Ac proinde me statim contuli ad usum methodi istius, quam olim laudaveram in curatione peripneumoniæ nothæ, & auctario supra memorato. Quæ quidem methodus satis feliciter cessit, tum mihi, in paucis illis, quibus medicandis per adversam valetudinem meam vix sufficiebam, tum etiam aliis, qui, me authore, eandem experiri haud aspernabantur. Quicquid vero id demum fuerit, quod hanc mihi methodum suaderet, jam mihi satis compertum est, quando & morbi phænomena, & ultimi anni qui binas rigidissimas hyemes excepit, perpendo temperiem (hyeme præsertim, si modo hyems dici possit, quæ nullum frigus notabile secum adduxit) mihi, inquam, constat, hanc febrem nihil esse aliud, quam simplicem sanguinis inflammationem; ac proinde indicationes curativas ad dictam inflammationem debitis remediis & methodo reprimendam, omnino dirigendas esse.

Hunc itaque ductum sequens, primo loco sanguinem e brachio dextero ad ℥x. educi volo. Neque sane febris hæc (utut sanguis emissus pleuriticorum sæpissime sanguinem æmulatur) reiteratam phlebotomiam facile tolerat. Sin autem respirationis difficultas, dolor capitis inter tussiendum lancinans, &c. malum hoc ad peripneumoniam notham propius accedere indigitent; hoc in casu tam venæ sectio, quam catharsis eousque sunt iterandæ, donec symptomata omnia penitus evanuerint; prout Capite de Peripneumouia tradidi. Atque hoc diligenter animadvertendum volo. Vesperi *Epispasticum* seu vesicatorium nuchæ appono. Sequente aurora, lenitivam hanc potiorem exhibeo.

℞. *Tamarind.* ℥ß.
Fol. senn. ℥ij.
Rhabarb. ℥iß.
Coq. s.q. aq. ad ℥iij.
in Colat. dissolv. Mann. & Syr. Rosar. solutiv. an. ℥j. *Mf. F. Potio, sumenda summo mane.*

Quod quidem catharticum etiam alternis diebus repetendum prescribo, donec tertiam vicem expleverit. Hora somni post catharsin toties, quoties paregoricum hoc vel simile injungo.

℞. *Aq. Paralyseos* ℥ij.
Syr. de Meconio ℥j.
Succi Limon. recenter extracti cobl. ij.
Mf. F. Haustus.

Id scil. cavens, ne forte ab agitatione & tumultu, quem in febricitantium sanguine & humoribus purgantia sæpe excitant, æger ex spirituum animalium confusione, comatosus fiat. Quod quidem symptoma medicamentum hypnoticum, quantumlibet contra facere videatur, procul amolitur. Qua de causa ego in febre comatosa anni 1673. catharticum propinare non ausus, in clysterum usu subsistebam, certo sciens remedia purgantia eo tempore usurpata, illico comata adduxisse. Quod fortean aliter evenire potuisset, si paregoricum usurpatum fuisse post talem catharsin mihi in mentem venisset. Ubi vero purgatio celebrata non fuerit, hypnoticum hora somni nullatenus est concedendum; ne scil. cathartici postridie deglutiendi operationem ac vim (quod fieri solet quantumvis sero assumatur illud) sufflaminet, vel si non insolidum retundat, efficaciam tamen imminuat. In hac aut alia quavis febre epidemica, statutum mihi est alvum non turbare in principio statuve morbi, nisi venæ sectione præmissa. Quæ quidem praxeos regula susque deque habita aut violata quam plurimos orco addixit, infantes maxime, prout alias in cautelam monui.

Observandum est autem, quod licet utplurimum evacuationes omnes præfatæ in hujus febris curatione usurpari debeant; sæpe tamen æger, maxime si juvenis aut infans fuerit, post eductum sanguinem una catharsi defunctus, statim convalescit, nec pluribus fariganduus est, febre primo purgantis remedii impetu expugnata. E contra vero nonnunquam opus est ut alvus ad plures, quam supra dicimus, vices solicitetur. Quandoque enim, licet id raro eveniat, ægro e febre jam dicta methodo liberato, recrudescentia materiæ febrilis post dies aliquot morbum postliminio reducere videtur, quem tamen purgatio quarta vice repetita mox eliminat. Tametsi in hac methodo nova hæc febris raro accidit nisi ab aphthis quæ sub exitu febris præcedenti supervenere, & quæ jam ad statum auctæ eam denuo revocant. Quæ quidem febris symptomatica tantum est, & singultum per intervalla redeuntem sæpenumero post se trahit, qui etiam sublata febre per dies aliquot perseverat; at pro ratione redintegratarum ægri virium sponte tandem evanescit. Quod est diligenter animadver-

vertendum, quandoquidem ex ſingultu ſub finem hujuſce febris accedente nihil ægro periculi eſt, niſi officioſe nimis & inutiliter multa ingerantur remedia: quod ſi fiat, mors pro Medico eſt. Veruntamen tam aphthæ quam ſingultus, vel horum utervis, ſi non ſponte faceſſat, ſed in longum tempus decurrat, facile fugantur uſu *Pul. Corticis Peruviani;* nempe ℥j. *Corticis cum ſyr. Papaver. Rhœad. q. ſ.* in forma electuarii, vel pilularum redacta, eaque methodo aſſumpta, quam olim tradebam epiſtola ad D. D. *Brady*, ſuperbibendo hauſtum lactis deflorati. Quod remedii genus experimento deprehendi certius in hoc caſu ſcopum attingere, quam aliud quodvis etiam e celebratiſſimis; modo non fruſtrentur ejus vires (quod fieri aſſolet) ex jugi ægri in lecto decubitu.

Diebus a purgatione liberis ſequentia vel his ſimilia nonnunquam præſcribo.

℞. *Conſerv. Lujulæ & Cynosbati an.* ℥j.
Conſerv. Berberum. ℥ß.
Cremoris Tartar. ℥j.
Cum ſ. q. ſyr. e Limonibus F. Electuarium, de quo capiat ad magnitud. Nucis Moſchat. ter in die ſuperbibendo ſeq. Julap. cochl. vj.

℞. *Aq. Portulac. Lactuc. Paralyſ. un.* ℥iij.
Syr. de Limon. ℥jß.
Syr. Violar. ℥j.
Miſ. F. Julapium. vel:

℞. *Aq. Font.* ℔j. *Aq. Roſarum. Succ. Limon. Sachar. albiſs. an.* ℥iiij.
Coq. lento igne dum deſpumaverint cap. ℥iij. *ad libitum.*

Verum in his omnibus ſpiritum vitrioli, etſi ſumme refrigerantem, ſemper devito, utpote qui, cum egregie ſtypticus ſit, minus convenit morbis omnibus, quorum curatio purgationi innititur; ut in hoc loco mineralem hujus ſpiritus naturam haud memorem.

Sæpenumero hic accidit, maxime febre jam ad finem vergente, ut æger dum hac methodo tractatur, nocte ſubinde ſudore ſponte prorumpente diffluat: a quo admodum mitigantur univerſa morbi ſymptomata. Quo non obſtante, cum hujuſmodi diaphoreſi fidendum non ſit, ſupra dicta methodus nullo pacto eſt intermittenda, quandoquidem ſi æger ad longius temporis ſpatium iſtis ſudoribus indulgeat, febris, quam purgationes præcedentes quadantenus ſubjugaverunt, denuo vires reſumet. Si enim diaphoreſis iſta protrahatur ultra tempus illud quo particulæ febriles coctione debita præparatæ prorſus diffluantur, qui poſt inſequuntur ſudores, non ad aliud faciunt quam ad inflammationem de novo accendendam. Quamobrem licet ſudores iſti qui ſponte manabant, critici fortaſſe fuerint, quoad materiæ febrilis ejus quæ expulſioni jam parata eſt, eliminationem, alii tamen qui poſt illos eliciunt, ſymptomatici tantum eſſe poſſunt, atque adeo officere magis, quam prodeſſe. Verbo dicam: Hujuſmodi ſudoribus noctu ſponte ſua prodeuntibus, opportune favet lecti per noctem lenis calor; quare ſtragula nec plura, nec denſiora illis quibus ſanus aſſueverat, ægro aggerantur; nec exhibeantur medicamenta quævis excalefacientia: lectulo tantum indulgeat æger aliquantulum ſolito diutius mane ſubſequente: & poſtea pergat in ſupra deſcripta medendi methodo.

Diæta ex pulticula avenacea eſt, vel juſculo hordeaceo, cum pomo ſubinde ad ignem cocto, atque etiam poſt ſecundam purgationem juſculo tenui ex pullo gallinaceo. Pro potu ordinario cereviſiam tenuem nullatenus tepefactam injungo, ut & decoctum album (quod appellant) ex ℥i. C. C. ubi in aq. communis ℔iii. cocti, & poſtea ſacchar. albiſſ. edulcoratum.

Poſt catharſin bis celebratam nulla ſuadet neceſſitas, ut alio loco adnotavi, pullorum carnibus aut ſimilibus eupeptis ægro interdicere, cum hæc per purgationem medicatio ea indulgeat, quæ non poterant concedi, ſi alii viæ inſiſteretur. Atque porro poſt ultimam purgationem modo febris aliquantulum deflagraverit, & intermittentis typum nondum prorſus induerit, Vini Canarini cochl. tria vel quatuor mane & ſero, ut & poſt prandium, per dies aliquot propinentur, quo & vires citius inſtaurentur, & febriles avertantur acceſſus.

Cum autem hæc febris ſpecies præ cæteris, quas mihi unquam videre contigit, cerebrum petere quaſi apta nata ſit, nec ſine ingenti tum molimine, tum ægri periculo, inde queat deturbari; ægros meos ſolicite moneo, ne ſe nudos lectulo, niſi noctu tantum committant: quod ſi uſque adeo debilitati a morbo fuerint, ut erecto corpore ſedere nequeant, permitto ut vel ſuper lectum ipſum, vel ſuper grabatum, veſtiti jaceant, capite paululum elevato; nec ſino ut focus ſit luculentior in cubiculo, quam cui æger tunc cum ſanus erat, aſſueverat.

Atque ut hoc regimen omnino tenendum eſt ab initio in ſingulis hac febre correptis (ſi fœminas, in primis puerperii diebus decumbentes excipias) ita neceſſario eſt imperandum, ubi ad ægrum quem ob regimen juſto calidius, phreneſis, petechiæ, aut purpureæ maculæ obſederunt, aut alia quævis efferatæ inflammationis indicia, accerſitur Medicus. Hoc enim in ſtatu, quantumlibet ſanguinis detrahatur, quantumvis leviter tegatur corpus, quicunque demum liquores refrigerantes ingerantur, non prius ſedabitur febris, quam æger ſe lectulo interdiu abſtinuerit: cum calor circumambientis aeris inter ſtragula concluſi, ſanguinem plus ſatis exagitet, & procumbentis corporis ſitus vehementiori impetu eundem in caput impingat. At hic ubi phreneſis ob methodum imperitiorem ſemel invaluit, nec ſubito deleri poteſt, nec tutum eſt repetita ultra limites præſcriptos vel phlebotomia vel purgatione, ejuſdem curationem aggredi, tandem vero ſuo tempore ſuaque ſponte, ope dicti regiminis recedet. Ad quam tamen amovendam nihil perinde confert, atque ægri caput radi: quod itaque ſemper præcipio, nullum emplaſtrum admovens, ſed pileolum tantum quod ablatum raſura capillitium ſpiſſitudine quadantenus compenſet, aut ſaltem caput a frigore externo muniat. Hac methodo cerebrum refrigeratur admodum, & recreatur, ita ut ſenſim calidas impreſſiones phreneſin excitantes queat vincere.

Et quæ de phrenitide hic dicuntur, de comate etiam huic febri ſuperveniente dicta ſunto, in quo ut in dicta phrenitide materia febrilis in caput ſurſum fertur, ac proinde ſi linguæ albedinem excipias, nulla adſunt febris ſigna, at æger apyrexia prorſus frui videtur. In hoc pariter affectu ac in alio, cathartica, ſudorifica, veſicatoria atque id genus alia non tantum nullo cum fructu, ſed ne quidem ſine maximo periculo uſurpantur; iſtiuſmodi enim evacuationes mortem ſæpius quam ſymptomatis hujus curationem adſciſcunt. Quamobrem poſt evacuationes generales per venæ ſectionem & purgationem factas, quantumlibet hoc ſymptoma aſtantes perterrefaciat, tota res naturæ & tempori committenda eſt, licet enim ſtupore æger diu laborarit, poſt aliquam multos tamen dies priſtinam ſanitatem recuperabit, modo lecto non perpetim affigatur, ſed de eo eximatur in dies, & ſupra grabatum vel etiam lectum veſtitus decumbat. Interim autem abradatur caput, & ſub affectus finem vini Canarini cochl. tria vel quatuor bis in die exhibeantur. Sed de hoc fuſius egi in *Sectione quinta & capite ſecundo, lib. de Morbis Acutis*, ubi de comate quodam inſigni febrem conſtitutionis illius comitante, diſſerui.

Quoad febrem autem haud deterrendus eſt Medicus a faciendis prædictis evacuationibus, ſi forte membrorum ſubſultum vel motum convulſivum in ægri corpore perſentiſcat, dum pulſus tangitur; quandoquidem in quibuſdam generis nervoſi affectibus tam venæ ſectio quam purgatio, etiam ſæpius repetitæ non tantum non nocent, ſed & neceſſario ſunt adhibendæ. Cujus rei experimentum a me factum in medium profero, nempe in quadam convulſionis ſpecie, quæ *Chorea Sancti Viti* vulgo appellatur; quo morbo haud pauciores quinque laborantes & vidi, & ſanavi ipſemet, & venæ ſectionibus & purgationibus, per intervalla celebratis. De quo morbi genere cum & mihi opportune occurrat, & eorum quæ jam aſſero, veritati luculenter aſtipuletur, pauca dicere non gravabor. *Chorea Sancti Viti* convulſionis eſt ſpecies, quæ utplurimum pueros puellaſve a decimo ætatis anno, ad pubertatem uſque invadit; primo ſe prodit claudicatione quadam vel potius inſtabilitate alterutrius cruris, quod æger poſt ſe trahit fatuorum more; poſtea in manu ejuſdem lateris cernitur, quam hoc morbo affectus; vel pectori vel alii alicui parti applicitam, nullo pacto poteſt continere in eodem ſitu vel horæ momento, ſed in alium ſitum, aliumque locum convulſione quadam diſtorquebitur, quicquid æger contra nitatur. Si vas aliquod potu repletum in manus porrigatur, antequam illud ad os poſſit adducere, mille geſticulationes, circulatorum inſtar exhibebit; cum enim poculum recta linea ori admovere nequeat, deducta a ſpaſmo manu, huc illuc aliquandiu verſet, donec tandem forte fortuna illud labris propius opponens, liquorem derepente in os injicit, atque avide haurit, tanquam miſellus id tantum ageret, ut dedita opera ſpectantibus riſum moveret. Cum affectus iſte ab humore aliquo in nervos irruente, quorum irritatione iſtiuſmodi motus præternaturales producuntur, pendere mihi videretur; indicationes curativas primum ad humores illos tam venæ ſectione, quam purgatione minuendos, dein ad corroborandum genus nervoſum omnino dirigendas cenſebam. Quem in finem hac utor methodo. Sanguinem ex ægri brachio ad ℥vii. plus vel minus pro ratione ætatis, educi jubeo. Die ſequenti vel dimidiam partem, vel quiddam amplius (pro ratione vel ætatis, vel etiam majoris minoriſve corporis ad ſubeundam catharſin aptitudine) potionis purgantis communis ſupra deſcriptæ ex *Tamarind. Fol. Senn. &c.* exhibeo, Veſperi hauſtulum ſeq. propino.

℞. *Aq. Ceraſor. Nigr.* ℥iij.
Aq. Epilept. Langii. ℥j.
Theriac. Androm. vel. ℈j.
Laudani liquid. gutt. viij.
F. Hauſt.

Potionem iſtam catharticam ad tres vices alternis diebus repetendam præſcribo, & hauſtum paregoricum iiſdem noctibus. Poſtea ſanguinem rurſus extrahi curo, dein ut ad catharſin, uti prius, æger revertatur. Atque ita alternatim ſanguinem mitto, & ſubduco alvum, donec ægro vena ter quaterve fuerit inciſa, & poſt ſingulas venæ ſectiones, toties fuerit purgatus, quoties vires ferre poſſe viderentur: eo tamen temporis ſpatio inter alternas evacuationes diligenter obſervato, ut nihil inde periculi ægro immineat. Diebus a purgatione vacuis ſequentia præſcribo.

℞. *Conſerv. Abſynth. Rom. & flavedinis Aurantiorum an.* ℥j.
Conſerv. Anthos ℥ß.
Theriac. Androm. veteris, & Nuc. Moſchat. condit. an. ℥iij.
Zinzib. condit. ℥j.
Syr. e ſucc. Citri q. ſ. f. Elect. de quo cap. ad magnitud. Nucis Moſchat. mane & hora quinta veſpertina, ſuperbibendo Vini ſequentis cochl. v.

℞. *Rad. Pœonia. Emul. Campan. Imperator. & Angelicæ an.* ℥j.
Fol. Rutæ, Salviæ, Betonicæ, Chamædr. Marrubii albi & ſummitat. Centaur. minor. an. m. i. *Baccar, juniper.* ℥vj.
Cort. duorum Aurantior. Incidantur & infundantur frigidæ in Vini Canarini ℔vj. *Coloretur tantummodo tempore uſus.*

℞. *Aq. Rutæ* ℥iv.
Aq. Epilept. Langii & Bryon. compoſ. an. ℥i.
Syr. Pœoniæ ℥vj.
Miſ. f. Julap. cap. cochl. iv.
Sing. noctibus cubitum iturus, inſtillando C. C. *gutt.* viij.
Applicetur plantis pedum emplaſtrum a Caranna.

Quanto magis convaleſcit æger, tanto minus pedem ducit; tanto pariter & diutius, & conſtantius manum in eodem ſitu continens, & ſcyphum ori magis directa via admovet: quæ certiſſima ſunt indicia quantum profecerit in ſanitate redintegranda. Ad quam quidem conſummatius perficiendam, licet author non ſim, ut plus ter quaterve utplurimum ſanguinem emittat æger, attamen remedia cathartica & alterantia eouſque in uſum ſunt revocanda, donec rectiſſime tandem valeat. Et quoniam qui hoc morbo ſemel laboravit facile recidivam pati poſſit, e re fore exiſtimo, ut pertundatur ei vena, & ad dies aliquot purgetur, vel ea ipſa tempeſtate anni ſequentis, vel paulo antequam morbus primo invaſit. Sane haud multum abeſt quin huic methodo *epilepſiam Adultorum* cedere poſſe autumem, modo remedia præſcripta ætati eorum rite adæquentur; tametſi, cum non niſi perquam raro hic morbus mihi occurrerit, non adhuc idem ſum expertus. Sed de hoc obiter. In fœminis affectionibus hyſtericis obnoxiis

quandoque accidit, quod ubi curatio evacuationibus dictis commissa fuit, febris post venæ sectionem & purgationes istiusmodi iteratas etiamnum duret procurratque. In hoc casu febris, quæ jam urget spiritum, commotioni ab evacuationibus excitatæ durationem ejus plane debet, ac proinde jam aliis omnibus posthabitis indicationes curativæ, modo signa peripneumoniæ & inflammationes circa partes vitales absint, ad quietem spiritibus inducendam, & eorum organismum sedandum omnino sunt dirigendæ. Quem in finem singulis noctibus paregoricum, quod vigiliis debellandis par sit, exhibeatur, atque etiam medicamenta *Hysterica* proprie dicta bis vel ter in die injungantur, qualia sunt pilulæ ex *Galbano*, *Assa fœtida*, *Castoreo* & similibus, & julapia ejusdem indolis in cap. de affect. Hyster. descripta. Insuper ad vires instaurandas & vapores, quos dicunt, supprimendos concedatur ægræ talibus victitare, tam quoad cibum, quam potum, qualia appetitui maxime conveniunt.

Jam diximus, febrem hanc tum anno ultimum elapso, tum maxime hoc ipso qui nunc currit, exacerbationem quandam sub noctem quotidie adducere, paroxysmo febris intermittentis non absimilem. Quamobrem Medici illi qui usu didicerant omnes illas febres, quæ vel minimum intermittebant, (sæpe etiam quæ ne intermitrebant quidem) per illam annorum seriem ab *An.* 1677. ad initium *An.* 1685. a cortice Peruviano certissime fugari, eodem remedio hanc etiam febrem adoriebantur. Quod quidem licet judicio rationis suffragante tentarent, non tamen æque feliciter illis cessit, atque prioribus istis annis plerunque cesserat. Mihi enim quantum potui diligenter perquirenti compertum fuit, etiam magnam corticis quantitatem exhibitam, rarissime ægrum a morbo liberasse. Idque ita perraro, ut quoties restitueretur æger pristinæ sanitati, ego id magis fortunato alicui morbi eventui, quam corticis viribus tribuendum arbitrarer: ita penitus cortex descivit ab illa sanandi vi & certitudine, qua prædictis illis annis pollebat. Febrem istam intelligo, qua cum nobis impræsentiarum res est, quæ quotidianam aliquatenus imitatur. Ubi vero tertianæ genuinæ, vel alternis diebus invadentis, typus repetitur, cortex Peruvianus perinde hodie atque olim ægris opitulatur. Unde liquido constat, hanc febrem ab istis constitutionis prioris toto cœlo distare; cum ne hilum quidem corticis usu hic proficiamus; cumque hæc e vino & catdiacis, aliisque calidis exasperetur magis; quibus omnibus cum corticis usu olim satis conveniebat, quin & cum ipsa febre.

Porro notandum est, quod grassante hac febre, per æstatem omnem, maxime illam anni jam currentis, morbis persæpe non tam pathognomonicis febris signis, calore scil. inquietudine, *&c.* quam *ventris Torminibus*, nunc siccis, nunc dejectionibus, se ostendebat. Cum nihilominus sub hac larva hujusce tempestatis febris delitesceret, in qua exhalationes sanguinis inflammatoriæ, non pro more solito, in externum corporis habitum protrudebantur, sed introrsum per arterias mesentericas in viscera inferioris ventris, sive intestina, & nonnunquam etiam per arteriarum cœliacarum ramos in ventriculum deponebantur, quæ quidem exhalationes vomituritionem excitare solent præcipue statim ab ingestione sive potus sive nutrimenti cujusvis solidioris. Quamvis autem hæc febris sub dictorum symptomatum specie & forma delitescat, omnino tamen genuina illa methodo, quam supra dedimus, expugnanda est, perinde ac si usitata hujus febris facie compareret, idque tam ratione venæ sectionis, quam repetitæ catharseos. Nisi quod hic animadvertendum sit, quod quoties febris eo usque ventriculum infester, ut æger potionem retinere nequeat, *Pilulæ Cochiæ Majores* (quæ ad ℈ij. exhibitæ nunquam non per viscera sibi exitum parant) loco potionis leniter purgantis substitui possint. Devorentur vero pilulæ hora quarta matutina, ita ut æger superdormiat.

Tum etiam hypnoticum dosi paulo largiore est concedendum *verb. gratia Laudani solidi Londinensis gr.* j ß. cum simili quantitate *Masticbes* in duas pilulas redacta eadem nocte deglutiantur; vel etiam *Laudani liquidi gutt.* 18. vel 20. in ʒj. *Aq. Cinamom. Hordea.* aut alio quovis vehiculo generosiore; quo ventriculus hujus tum viribus corroboratus, tum minori quantitate non irritatus, ad medicamenti rejectionem minus insurgat. At si quovis modo potio purgans, & diacodium in ventriculo queant retineri, dictis pilulis, & laudano omnino præferantur; cum officio suo fungantur, corpore minus quam ex pilulis excalefacto.

Cum autem de torminibus ventris mentionem fecerim, monendi hic mihi sunt populares mei, quanto cum periculo, prout frequenti observatione didici, *Aquæ Minerales* in ventris torminibus quibuslibet, vel diarrhœa, vel vomitione, vel affectu alio quocunque, quem a febre oriri vel suspicari possimus, præscribi soleant. Quandoquidem in tam subtili & spirituoso morbi genere ac febris extat, ejusmodi medicamenta mineralia ita omnia conturbant, ut loco eorum symptomatum, quæ febrem ex more usitato comitantur, accidentia prorsus anomala adducant; nec quicquam interea ad febris extirpationem conferant, quod me diu sæpeque observasse memini.

Illud interim omnino observandum est, utpote quod ad quamplurimos ab orci faucibus liberandos pertineat, quod non obstantibus iis quæ supra jam tradidimus, quotiescunque prædicta ventris tormina ad *Dysenteriam* usque *confirmatam* (in qua præter illa tormina materia quædam mucosa una cum sanguine per sedem excernitur) promoventur; hic mihi periculosissimum esse constat morbum aggredi protractiore illa methodo, quæ evacuandos primum, dein contemperandos acres istos humores, esse docet (ut de remediis astringentibus, varii generis, & variante forma intro assumptis, tum & clysteribus nunc abstergentibus, nunc consolidantibus subinde injectis nihil dicam,) cum experientia didicerim dysenteriam & certissime & celerrime curari, si missis ambagibus, fluxus laudano confestim sistatur. Ita enim atrox & vehemens est hicce morbus, ut, si dysenteria jam confirmata adhuc purgare satagas, perquam metuendum sit, ne dysenteria sumptis inde viribus in præceps lata, ægrum præ incredibili fermento, quocunque te postea vetteris, diutius excruciet, vel etiam vita spoliet. Advocatus itaque, guttas circa xxij. laudani liquidi in Aq. epidemica vel aq. mirabili, vel alia simili protinus exhibeo, bis intra horas 24. repetendas; vel etiam hoc sæpius staris intervallis, si nempe dosis jam præscripta, mane ac sero tantum usurpata, tam torminibus ventris, quam dejectionibus cruentis, rite compescendis par non fuerit. Dejectionibus paululum incrassatis, vel jam magis consistentibus (quod primum sanitatis mox recuperandæ indicium est) & fugatis symptomatibus, tutissimum arbitror, ut æger aliquantisper in usu prædicti remedii mane & sero capiendi perseveret, guttulis aliquot indies demptis, donec eo amplius non fuerit opus. Animadvertendum autem est diligenter, quod ægrum diutius ab usu paregorici lectulo affigendum curo, cum situs quilibet paulo erectior cerebrum facile conturbet, nisi æger somnos post in lecto satis longos captaverit. Diætam quod attinet; si æger vino prius assueverat, Canariense concedo, probe tamen aqua dilutum, in qua panis crustulum fuerat decoctum; & quam frigidam in hunc usum in lagena asservandam jubeo, ut in promptu sit ubi vinum est contemperandum. Decoctum album, e cornu cervi usto in aqua fontana; hic etiam affatim epotum prodest. Pro victu jusculum hordeaceum, vel e pullorum carnibus elixis; ovum sine testa coctum, vel aliud quodvis ex eupeptis in primos dies sufficiet. Deinceps veto tum ad liquores magis generosos, tum ad alimentum uberius solidiusque paulatim ascendendum, ne scilicet nimia vacuitas sive exinanitio, vel morbum a quo convaluerat, vel alia symptomata, quæ exinanitio solet parere, denuo reducat. Veruntamen hoc est adnotandum, quod licet in constitutione jam regnante, laudanum solitarium suo marte dysenterias subjugabat; in istis tamen annis, in quibus dysenteriæ epidemicæ grassantur, & cæteris prælucent morbis, non abs re fuerit illas primum evacuationes, quas in capite de dysenteria olim descripsi, in usum revocare.

Et sicuti in radicata illa dysenteria modo dicta, ita etiam in hoc qui sequitur casu, fieri non potest, ut curatio methodo illa quæ febri unde primitus ortum duxit, debetur, illico possit expediri. Verbi gratia. Nonnunquam usu venit, ut qui rigore atque horrore corripiatur, calore & frigore per vices alternantibus, quæ sunt haud mendacia febris jam imminentis indicia, derepente viscerum torminibus, a materiæ febrilis irruptione ac insultu gravissime discruciatur. Æger cum venam ferire, & alvum repurgare deberet, ad normam supra scriptam, ad medicamenta nescio quæ calefacientia, tam intro assumenda, quam extra applicanda se confert: eo scil. animo ut flatus, quos hujus mali fontem esse auguratur, his mediis discutiat, donec tandem augescente dolore & visceribus diuturniori mora quasi impacto, motus intestinorum peristalticus, quo ex naturæ ordine omnia deorsum propellere debent, inverti occipit, & incluſa omnia sursum tendunt, unde æger sævissimo cruciatu torquetur, & provocatur ad vomitionem, malo jam in iliaca passione desinente. Hic in medendi ratione, quam febris quæ hujusce symptomatis causa erat antecedens, sibi postulabat, ulterius procedere nequit Medicus, quam ut sanguinem ex ægri brachio semel extrahendum præcipiat: etenim quot & qualiacunque demum cathartica propinaveris, ea statim emetica fieri, atque ita sursum inversum viscerum motum magis promovere solent; cum utplurimum vix fortissima quidem medicamenta purgantia vel minima eorum pars intestina permeare valeant, ac sedem petere. Rebus sic stantibus, consultissimum esse arbitror brachii venam primum pertundere; mox interjecta hora una alterave, clystetem aliquem ex iis, qui potentius operantur, injicere, ego fumum nicotianæ sive tabacci, ex tubulo inverso, per vesicam majusculam, in intestina validissime insufflatum, Enema omnium, quæ mihi innotescunt, hactenus efficacissimum esse duco. Qui etiam post moram aliquam reiterari potest, nisi prior immissus, soluta alvo, meatus deorsum versus reseraverit. Huic autem remedio symptomate haud cedente omnino necesse est, ut cathartico paulo fortius ac δραστικότερον in usum veniat, utut difficile fuerit exinde viam facere: Ut,

℞. *Pil. ex duobus gr.* xxv.
Mercurii dulc. ℈i. *cum s. q. Balsam. Peruv. f. Pil. num.* iv.
cap. e cochl. uno Syr. violar.

nullum insuper liquorem assumendo, ne minus retineantur. Sin autem æger hoc remedium per os rejecerit, hac methodo procedendum.

Laudani liq. gut. xxv.
Aquæ Cinnam. fortis ʒ ß.

instillatæ statim propinentur; & interjectis aliquot horis idem paregoricum repetatur. Cum vero horum usu vomituritio ac ventris dolores remiserint, tunc cathartícum prius dictum iterum exhibeatur. Hoc enim tempore idem sub laudani tutela assumptum retinebitur, ac suo tandem defungetur munere. Verum si *Anodynorum* virtute ac vi jam penitus infractis, vomituritio ac dolor iterum redierint, cathartico interim in corpore restitante; in hoc casu, ex dejectionibus per inferiora spe omni impræsentiarum abjecta, ad usum paregorici supra descripti revertendum, idemque eousque repetendum quarta vel sexta quaque hora, donec intestinis quies omnimoda inducatur, ac proinde motus eorum naturalis deorsum versus restituatur: quo quidem tempore catharticum, quod hactenus ob contrarium intestinorum motum in corpore sisteretur, jam operationem suam per sedes exeret, quantumlibet ex tam repetito narcoticorum usu plane contrarium effectum iri videatur. Quod & ipse, dum hæc scriberem, in generoso quodam ileo sævissimo laborante expertus sum; cui tamen postea ex nimis longa tam humorum morbum committentium, quam acrium catharticorum retentione, *Aphthæ* supervenere, sed quæ satis facile debellarentur usu corticis Peruviani supra descripto; ut & os sæpe colluendo cum sequente gargarismate.

℞. *Succi Pomorum agrestium* ℥ ß.
Syr. de Rubo Idæo ʒj.

At cum jam ductus isti pro naturæ lege denuo pateant, ægto liberum est, ut ad dies aliquot ferietur a purgatione, donec scilicet tumultus nuper in visceribus excitatus, omnino resederit; quod temporis spatium humorum calori & acrimoniæ diluendis contemperandisque satis commode impertiri potest. Quo facto catharsi alternis diebus, ut supra, repetendæ vacate debet, si vel minima adhuc restent febris vestigia. Sed de hoc satis.

Si infans hac febre laboret, gargarisma, tum hirudines duæ utrinque pone aures applicentur.

Dein emplastrum epispasticum posteriori cervici admoveatur,
Cum cerevisia in qua rhabarbarum fuerit infusum purgetur.

Si post catharsin febris intermittere videatur, tum *Julapium cum Cort. Peruv.* (in cap. *de Febre Intermittenti*, pro infantibus descriptum) exhibeatur.

Hoc in loco insuper est animadvertendum, quod licet *Infantes* huic febris generi æque cum adultis obnoxii sint, ac proinde pari cum illis methodo curandi, nisi quod pro ratione ætatis, minor sanguinis quantitas est detrahenda, ac catharsis tum eorum ætatulæ ac com-

commodanda, tum etiam forte rarius celebranda (ſæpe enim & infantium & juniorum morbus a primo vel ſecundo ſaltem cathartico prædominabitur) nihilominus ſerio advertendum eſt, an quæ hoc modo tractatur febris pro certo hujuſce conſtitutionis fuerit, non vero alterius ſpeciei, quod diligenter perquiri debet in febribus iis, quæ infantes corripiunt, in omnibus quibuſcunque annorum conſtitutionibus. Vulgo enim notiſſimum eſt infantes a doloribus ex dentitione ortis, ſæpius in febres agi, quæ haud ita facile ab alterius generis febribus internoſcuntur. In harum ego curatione diu multumque angebar, nec niſi nuperis his annis, certo mihi perſuadere potui, quemlibet ex illis qui meæ curæ concrediti, ad ſanitatem reſtituti fuerunt, tam arte, quam caſu convaluiſſe, donec tandem de felici ſucceſſu remedii haud ita celebris, imo ob tritum ejus uſum plane contempti, frequenter admonitus illud ipſe quoque præſcriberem, quod etiamnum præ cæteris, quæ mihi innoteſcunt, medicamentis optime votis hic reſpondet. Ejuſmodi verum eſt. Guttæ duæ, tres vel quatuor ſpiritus C. C. pro ratione ætatis, in cochleari uno vel altero aq. ceraſor. nigr. vel Julapii alterius appropinati, exhibeantur quarta quaque hora ad vices quatuor vel ſex.

Eſt & ſymptoma aliud infantibus permoleſtum longe diverſum & a febribus variorum annorum conſtitutionum, & ab illa proxime memorata. Eſt vero hecticæ ſpecies infantes diu affligens, qua infeſtati ſine inſigni aliquo calore languent, cum appetitus dejectione; & tam artus, quam corporis truncus ubique emaciantur. Simpliciſſima qua hic utor methodo, talis eſt. Rhei electi taleolatim inciſi ℥ij. in lagenam vitream duarum librarum cereviſiæ tenuis capacem, ſubere mox probe obturandam, immitti curo, (vel in alio quolibet liquore, quo pro potu ordinario uti ſolet infans) quam cereviſiam ita medicatam infanti tam noctu, quam interdiu, & cum & ſine cibo propinandam injungo. Epoto hoc liquore, duas alias libras rhabarbaro eidem ſuperaffundi jubeo; quibus pariter exhauſtis, alias adhuc duas pro tertia vice ſubſtituo; quo facto & rheum vires ſuas amittit, & infans morbo utplurimum liberatur. Ne tamen cereviſia primum affuſa rhei vi cathartica ſaturatius imprægnata, juſto vehementius alvum cieat, cautius agimus, ſi libra una epota alteram ſtatim adjiciamus: poſt vero, recentem cereviſiam non affundemus, niſi exhauſta ea omni quæ prius fuerat lagenæ incluſa.

Sed ut ad febrem, de qua nunc agimus, conſtitutionis ſcilicet jam currentis, revertamur, hoc ſedulo obſervandum eſt, quod in hoc febris genere (perinde ac in rheumatiſmo & aliis morbis quamplurimis, quorum curatio ſolis evacuationibus abſolvitur) ſi dictis evacuationibus pertinaciter inſiſtamus, uſquedum ſymptomata omnia prorſus ablegaverimus, ſæpius ægro non niſi morte medebimur. Neque enim ita inſolens eſt, ut ſymptomata quædam leviora, & quaſi effœtæ febris reliquiæ aliquantiſper etiam expirante jam morbo, perdurent; a quibus tamen nullum ægro recidivæ periculum eſt, quæque ſua ſponte pari paſſu quo ſanitas redit, abſcedent. Quid quod jam recitata ſymptomata haud raro nihil aliud ſunt quam reiteratarum evacuationum, quibus Medicus morbi curationem tentavit, vera progenies? ſi huic ſaltem addamus in cauſæ partem, exinanitionem illam, quam ægri a conſuetis cibis potuque abſtinentia ſuperinduxit: quæ omnia cum in corpora jam a morbis infirmata & pene confecta vim fecerint, vapores, quos dicunt, haud aliter elevantur, quam in fœminis, atque eandem plane ob rationem, ob debilitatum ſc. & quaſi disjectum fractumque ſpiritum animalium ſyſtema. Quapropter poſt factas, quæ tollendo morbo ſufficere queant, evacuationes, prudentis Medici eſt, ab importuna earundem ordinatione ſibi temperare, & pauliſper attendere quid tempus, Medicorum ſæpe feliciſſimus optimuſque, ad leviculorum iſtorum ſymptomatum depulſionem conferre poſſit, quæ quidem ſæpenumero, prout multoties repetita obſervatione comperi, a paregorico duabus vel tribus noctibus aſſumpto, ſine alio quovis apparatu, ſub morbi hujuſmodi exitu devincuntur.

Methodus jam laudata cæteris, quas expertus ſum omnibus, in hujuſce febris curatione facile antecellit. Si quando vero febrem non prorſus tollat, id ſaltem agit ut intermittere cogatur; ac proinde Peruviano cortici, qui hic nunquam non triumphat, conficiendam tradit. Cum autem catharſis iſthic imperata curationi hujus febris obeſſe nonnullis forte videatur, pro comperto affirmo, nihil ita certo atque ita potenter ægrum refrigerare atque catharſin, poſt venæ ſectionem (quæ ubique præmittenda eſt) celebratam. Tametſi enim medicamentum purgans eo ipſo quo ſumitur die, atque adeo inter operandum majorem impræſentiarum & in ſanguine & in reliquis humoribus, quam qui ante fuit, tumultum excitet, & proinde febrem intendat; id tamen noxæ emolumento mox inde ſubſecuturo plus ſatis penſatur. Teſtatur enim experientia, catharſin, modo poſt eductum ſanguinem tentetur, quibuslibet aliis remediis felicius certiuſque febrem perdomare; tum quatenus fœdam illam humorum illuviem e corpore exigat, a quibus ut a cauſa antecedente febris accendebatur; vel ſi non antea peccabant ii, jam ſaltem concalefacti, & a febris ardore quaſi cocti & conſtipati, ad ejuſdem moram diuturniorem multum faciunt; tum etiam quatenus anodyno viam ſternit, quod tutius longe certiuſque officio ſuo fungitur, quam ſi humores peccantes, qui paregorici vires aliter potuiſſent infringere, purgatione non fuerint eliminati.

At e contra ſicuti methodus illa quæ materiam febrilem per poros cutis eliminare ſatagit, minus habet certitudinis, ita plus habet & faſtidii, & moræ, utpote qua morbus ſæpius ad ſeptimanas aliquot producitur. Cum æger hoc modo primum in ipſo ſepulchri margine (ſi forte libitinam evitet tandem) conſtituatur, & per longum illum febris decurſum, denſo remediorum agmine infeſtetur, quibus ea expugnantur ſymptomata quæ imperita morbi tractatio advexit; dum regimine & medicamentis calidiſſimis tentatur curatio ejuſmodi affectus, qui pro genio ſuo, utraque horum frigidiſſima omnino depoſcit. Atque ita dum male ſani homines artis falſo dictæ regulis ſe mancipant; etiam ſpreto ſenſuum illis reclamantium judicio, morbum ex ſua natura brevem facilemque in diuturnum, & difficilem erudite convertunt, omnia tumultu & metu conturbantes, & fluctus, quod ajunt, excitantes in ſimpulo. Quo facto non iis magis opus erat, quam eſt nauclero, ut dum in mari libero navim poſſit agere, eandem inter cautes & brevia inferat; unde licet majoris peritæ gubernationis famæ comparandæ opportunitatem nanciſcatur, ſervato in tanta deſperatione navigio, viri prudentis ſaltem nomen amittet.

Sydenham Opera Medica.

Has itaque ob cauſas, & prudenti, ut ſpero, fiducia affirmare lubet, quod dicta methodus curationis per venæ ſectionem & purgationem expediendæ, plus alia quavis præſtabit in febribus quamplurimarum ſpecierum expugnandis. Licet enim diaphoreſis, proprie loquendo, naturæ ipſius ſit methodus, qua materiam febrilem foras protrudit, & præ cæteris maxime genuina ſit, & accommodatiſſima, quoties natura ſuo relicta arbitrio dictam materiam primum digerat, dein rite coctam per corporis habitum blande expellat, (quem felicem naturæ eventum febres per ſudores abigentis cum Medici practici ſæpe animadvertiſſent, hinc anſam arripiebant Δογματικώτεροι fidenter ſtatuendi, febres univerſas hac tantum methodo, non vero alia quavis, profligari poſſe ac debere.) Quo tamen dato & conceſſo, ars nihilominus, quantumcunqne naturæ imitationem præ ſe ferat, id ſaltem ſibi privilegii arrogare nequit, ut febribus per ſudores certo exigendis par ſit. Primo enim neſcit ars quo pacto materia peccans ad expulſionem ſubeundam rite præparanda ſit; nec ſi hoc ſciat, certa ulla habet indicia, quibus de hujuſmodi debita præparatione poſſit moneri; unde etiam & tempus ciendo ſudori opportuniſſimum ignorari neceſſe eſt. Temerariam vero ſudoris, nondum peracta coctione, provocationem longe periculoſiſſimam eſſe, nemo opinor niſi pertinax negaverit; cum materiam crudam in cerebrum impingens, oleum camino addat. Atque, prout alias etiam innui, ſaluberrimum illud Hippocratis monitum, *Cocta*, *non cruda*, *ſunt mendicanda*, non tam catharſin, quam diaphoreſin ex arte ſolicitandam ſpectare videtur. Etenim neminem in ægris tractandis vel mediocriter verſatum fugere poteſt, quam multi indies male mulctentur a vetulis & imperitis medicaſtris, præpoſtero hoc ſudorificorum abuſu: his enim more receptum eſt, ut ſiquis de rigore, & capitis atque oſſium dolore (quæ ut plurimum febris mox invaſuræ præludia ſunt) conqueratur, extemplo illum lecto adjudicent, & ſudoribus quoquo modo extorquendis toti incumbant. A quo importuno molimine tantum abeſt ut præcaveatur febris, quæ forte vel ſua ſponte, vel eductis aliquot ſanguinis unciis potuerant evaneſcere, ut e contra magis accenſa vehementius exardeſcat, & in morbum jam radicatum confirmatumque abeat. Illud inſuper (ut vetulas jam miſſas faciamus) notiſſimum eſt, quod ſicut ſudores iſti qui febre primum ingruente ſpontanei erumpunt, ſymptomatici omnino ſunt, nullatenus vero critici; ita etiam qui primis febris diebus diaphoreticorum vi exprimuntur, nihil magis ad morbi curationem plerunque conferunt, quam ſolent alteri illi ſymptomatici, ita præmature ſua ſponte manantes, hoc eſt ut plurimum, ne hilum quidem. Deinde vero ſicut ignorat ars opportunitatem illam temporis qua ſudores eliciendi fuerint, ita pariter neſcia eſt quandiu in iiſdem ſolicitandis perſeverandum ſit. Quod ſi diaphoreſis ultra debitum tempus, quo ſcil. materia morbum committens penitus fuerit exacta, protrahatur; humidarum iſtarum particularum, quibus ſanguis diluendus contemperanduſque erat, abſumptio, febris tum moræ diuturniori, tum incremento miniſtrabit. Conſtat itaque quam in lubrico res hic vertatur; cum e contra penes Medicum ſit alteram illam methodum, qua materia febrilis per phlebotomiam & catharſin eliminatur, pro arbitrio ſuo moderari. Adde, quod hoc etiam nomine hæc illi alteri anteponenda eſt; quod ſcilicet ſi forte Medicus propoſitum ſibi ſcopum non attigerit in ſanando ægro, ſaltem eundem in nullum diſcrimen adducit, quod in diaphoreticorum uſu contingit, niſi convaleſcat. Etenim vel calor lectulo jugiter incluſi, cui præter ſolitum morem aliquandiu ſe addixit, (ut cardiaca quæ in hac medendi ratione locum ſemper obtinent, omittamus) naturæ œconomiam confundit, & convulſivos artuum motus, aliaque ſymptomata prorſus anomala adfert. Quæ ſane ideo delineari non poſſunt, quia ſub morbi hiſtoriam non cadunt (quod in ſymptomatibus pleriſque ad quemlibet morbum ſpectantibus uſu venit) ſed a ſuperaddito tumultu & confuſione oriuntur, quibus ſæpe opprimitur natura, quoties curationem morbi hac methodo aggredimur. Quæ quidem omnia vulgo malignitati neſcio cui ſolent imputari.

Cujus de *Malignitate* (ſive notionem, ſive verbum dixeris) opinionis inventio humano generi longe ipſa pyrii pulveris inventione lethalior fuit. Cum enim eæ febres præſertim malignæ dicantur, in quibus intenſioris præ cæteris inflammationis gradus conſpicitur, hinc Medici ſe ad uſum cardiacorum, & alexipharmacorum neſcio quorum contulerunt, quo ſcilicet per cutis poros expellant quod ſomniant *Venenum* (hoc enim eſt dicendum, niſi malint verbis ludere, quam illud quod poteſt intelligi; ſerio proponere) ex quo factum eſt ut regimen calidiſſimum methodumque huic parem iis morbis adaptaverint, quæ frigidiſſima tum remedia, tum regimen præ cæteris ſibi poſtulabant. Quod quidem ſatis arguitur tum in variolarum, qui ex calidiſſimis in rerum natura affectibus eſt, tum in febrium aliarum curatione. In quem errorem forte inciderunt ex conſpectu petechiarum, macularum purpurearum, & cæterorum id genus φαινομένων: Quæ tamen omnia in pleriſque ſubjectis, inflammationi, ægri ſanguini jamdiu plus ſatis a febre accenſo ſuperinductæ, omnino debentur. Utpote quæ raro ſponte ſua efflorescunt, præterquam ſub adventu peſtis ipſius: atque in initio invaſionis iſtarum variolarum confluentium, quæ ſummæ inflammationis participes ſunt. In hoc enim morbi genere maculæ liventes in variis corporis partibus, una cum puſtulis primum erumpentibus, comparent, atque æger eodem tempore ſanguinis excretione vel per meatus urinarios, vel cum tuſſi per pulmones, fatigabitur; cum ita valida exagitatione, atque orgaſmo ab inflammatione orto, ſanguis ferociat, ut diffractis jam repagulis, in cavitates corporis præceps ruat. Et licet maculæ iſtæ purpureæ in hac febre non a tam intenſo ſanguinis calore, qualis is eſt, qui iſtiuſmodi hæmorrhagias excitat, ortum ducant; ab eadem nihilominus inflammatione ſed gradu remiſſiori producuntur: & quoties iſta ſanguinis excretio (unicum in variolis ſymptoma cui devincendo nondum par eſt ars medica) non accedit, refrigeranti regimini facile cedunt. Quod ſi malignitatis præſentiam non tantum e maculis purpureis colligunt, ſed ex eo quod obſervaverint, febris ſymptomata ſubinde fuiſſe mitiora quam quæ ejus naturæ competere viderentur, ægrum tamen magis viribus occiſum fuiſſe, quam pro ratione temporis a quo cœpit ægrotare; Reſpondeo omnia hæc exinde tantum procedere, quod natura a primo morbi impetu quaſi oppreſſa, devictaque, non ſatis valida eſt, ut ſymptomata regularia & magnitudini morbi conſona exerat, omnia vero phænomena prorſus ſunt anomala. Etenim perturbata œconomia animalia & quaſi disjecta, febris exinde deprimitur, quæ obtinente genuino naturæ du-

ctu, vigere ſolet. Cujus rei experimentum haud vulgare occurriſſe mihi memini multis abhinc annis, in juvene quodam ad quem accerſebar. Quamvis enim ferme animam agere videretur ille, calor tamen in externis corporis partibus ita ad tactum ſentiebatur temperatus, ut fidem mihi derogarent adſtantes amici, quoties aſſerebam eum febre laborare, quæ ob ſanguinis oppreſſionem (cujus mole, exitu negato, quaſi ſtrangularetur) ſe explicare & oſtendere palam nequibat: quod ſi venam inciderent, febrem illico ſatis violentam ſtatim animadverterent. Aperta vena, & ſanguine paulo copioſius educto emicuit febris, qua vehementiorem mihi nondum videre contigit; quæ non niſi tertiæ quartæve demum phlebotomiæ ceſſit. Sed de his ſatis.

Quod ſi rationes a me allatæ tanti non ſint, ut certo ac neceſſario evincant, rem ita ſe habere atque ego ſtatui; attamen ſi ſuffragante experientia deprehendero hancce febrim evacuationibus per diaphoreſin factis haud libenter cedere, habeo quod quæro. Neque enim cujuslibet demum ratiocinatio, ſed potius experientia docere poterit, quænam febrium ſpecies diaphoreticis, quænam vero aliuſmodi evacuationibus ſanari poſſint ac debeant. Et profecto nemo ſapiens cui tam hominum quam rerum natura ſatis eſt perſpecta, in iis, quæ meræ ſpeculationes ſunt, nullo autem certo experimento determinari queunt, in cujuſvis mortalis verba, quantuſcunque is demum fuerit, facile juraverit: cum idem animadvertiſſe debeat, *Momenta Rationis* ita prorſus varia, itaque ſubtilia eſſe, ut cum aliquis theoriam quamlibet propoſuerit, ita validis rationibus ſuffultam, ut adſtantium, quotquot ſunt, omnium aſſenſum extorqueat; hunc mox alius inſignioribus forte naturæ dotibus præditus, excipit, qui ſententiam iſtam, quæ ita pulchre ſtabilita videbatur, convellit, & firmiori argumentorum vi nihil illud eſſe quam cerebri commentum, cujus nulla prorſus in natura veſtigia reperiuntur, palam oſtendit. Cujus jam loco is novam quandam ſubſtituit hypotheſim, majori adhuc veriſimilitudinis ſpecie innixam, & magis affabre concinnatam; quod tamen poſterius figmentum, pari cum ſuperiori illo fato fungetur, quoties Tertius aliquis ſe objecerit, qui Secundum iſtum tantum ingenio vincat, quantum ille ſibi præcedentem devicerat. Atque hoc iterabitur toties quoties, donec tandem ad illum proventum fuerit, quem *ultima humani ingenii potentia* conſummaverit. Quam vero difficile ſit hunc hominem inveſtigare & a cæteris dignoſcere, ſtatim ſentiet, quiſquis non uſque adeo deſipit, ut hanc ſibi laudem delirus arroget. Quinimo, cum jure merito ſuſpicari liceat, eſſe naturas in orbibus illuſtrioribus, per Univerſi expanſum hinc illinc ſparſis, pene infinitas, quæ præcellentiori longe intellectus vi pollent, quam nos homunciones, haud ſatis ſcimus, an non vel totum hominum genus cerebrum, cogitationum officinam, habeant a natura ita efformatum, ut non tam quid ſit abſolute verum, quam quid maxime conveniens, ac ſuis naturis accommodum, excogitare queant. Atque hæc iis qui in medicina facienda potius ſpeculationibus vanis, quam experientiæ ſolido ſenſuum teſtimonio innixæ, fidem adhibent, dicta ſunto.

Quod ſi quis hic regerat; An non igitur de facto experimur hanc febrem methodo huic quam tradis, prorſus contraria perſæpe fugari? Reſpondeo toto, quod ajunt, cælo diſtare curationem morbi ea methodo cui ſola ægri nonnunquam ad ſanitatem reſtitutio aſtipulatur; & ejuſdem curationem, iſta praxeos methodo, cui & frequentior ægri reſtitutio, atque etiam phænomena practica omnia quæ in eodem curando incidunt, pariter aſtipulantur. Exempli gratia: in variolis. Multi ex iis qui diro calidorum & regiminis & remediorum uſu cruciantur, tamen convaleſcent; ex adverſo autem, & iis pariter feliciter cedet, quorum curatio methodo plane contraria tentatur. Jam quo pacto litem hanc finiemus; quænam methodus eſt præferenda? hoc plane modo certiſſime dijudicabimus. Nempe ſi in illo regimine priori exploratum habuero, me quanto magis ægrum excaleſacio, tanto magis febrem, inquietudinem, delirium cæteraque ſymptomata intendere ac promovere; e contra vero deprehendere, eundem, ubi moderate refrigeretur, tanto ſedatiori temperamento eſſe, tantoque minus tam a febre, quam ab aliis ſymptomatibus vexari. Addo quod ſervata debita illa carnis muſculoſæ temperie, quæ puſtularum tum augmento, tum maturationi maxime competit, & grandiores ſunt puſtulæ & liberalius implentur, quam ſi æger nimio ſuffocaretur calore. Poſito hoc utroque caſu, ſatis manifeſtum eſſe arbitror quam potius praxeos methodum ſequi debeamus. Pariter in illa, de qua nunc agimus, febre, ſi comperiam ægrum quo magis calefit, eo magis non tantum phreneſi, maculis purpureis, petechiis, *&c.* obnoxium eſſe; ſed & febrim inſuper ſymptomatibus omnium generum irregularibus & anomalis exinde ſtipari. E contra vero ſi alium ægrum ea quam jam proponimus methodo tractatum ab his ſyptomatibus prorſus liberum obſervaverim, ratio dictat poſteriorem hunc praxeos modum, longe alteri præſtare, tametſi uterque æger ita diverſimode curati ad ſanitatem revertantur. Quod ſi plures hac via quam alia iſta mortem effugiant, eo facilius ſolvitur controverſiæ nodus; qua de re non eſt mearum partium judicium ferre, ne mihi & meis plus æquo faveam.

Atque hæc de hac febris ſpecie. Quouſque illa durabit non hariolor. Neque ſatis ſcio an non ſit initium aliquod ſpirituoſius ac ſubtile, & quaſi primordium *Febris* illius *Depuratoriæ* jam antiquatæ, quam inſecuta eſt immaniſſima illa peſtis. Sunt profecto phænomena quædam, quæ me, ut hoc credam, quadantenus inducunt, quandoquidem non tantum febres intermittentes proprie dictæ, præſertim *Quartanæ* hic illic ſparſæ adhuc reſtant; verum etiam nonnullæ ex his febribus continuis ſubinde in intermittentium caſtra, maxime autumno jam pendente commigrant. Ut jam taceam exacerbationes in hac febre ſupra memoratas, eorum paroxyſmorum qui febres intermittentes comitantur, genium aliquo ſaltem modo referre. Tum etiam quod hoc morbo laborantes ad vomitionem ſatis ſunt propenſi. Qua de re tamen nihil prorſus pro comperto venditare animus mihi eſt, quoniam non jam mihi ſuccurrit, qua facie febris depuratoria ſe primum extulit, prout libro de morbis acutis, ſect. 1. Cap. III. his verbis ſubindico. *Quanto autem jam tempore prædicta Febris continua invaluerat dicendo non ſum, cum mihi hactenus ſatis fuerat ad generalia Febrium Symptomata attendere; utpote qui nondum vel juxta varias Annorum craſes, aut ejuſdem Anni varia tempora eaſdem diſtingui poſſe animadverteram.*

Quandoquidem in toto Clariſſ. Authoris noſtri Opere de Febribus in genere, ac de peſtilentialibus, contagioſis, aliiſque malignis in ſpecie, abunde actum eſt; omiſſa tamen Febre Miliari, quæ inter has ultimas a Clariſſ. Hamilton recenſetur, ejus in hoc argumento Tractatum jam tradimus, & hic eſt.

DAVIDIS HAMILTON,

Equitis Aurati, Regalis Societatis Londinenſis utriuſque Socii, *Necnon* Magnæ Britanniæ Reginæ Medici Ordinarii,

TRACTATUS DE FEBRE MILIARI SEU VESICULARI.

Acceſſit.

Febris Miliaris Hiſtoriarum Faſciculus.

AD LECTOREM *PRÆFATIO.*

TRactatui naturali ordine prodomo ſequentem addendum cenſui ea ratione, ut Praxeos ſpeciem, ſecundum normam mihi uſitatam, & a me jam ante propoſitam, Lectori exhiberem. In quam rem utilius præſtandam, præ aliis morbis, Febris Miliaris ſive Veſicularis naturam, curandique methodum deſcribendam elegi; quod Medicorum neminem, de hac Febre, tanquam ſpecie diverſa, ſaltem juſto volumine, hactenus ſcripſiſſe viderim: Cum tamen in quamplurimis, vel in chronicum morbum immutari, vel brevi exitialem fuiſſe, noverim. Nonnunquam enim id ægrorum, in hujus morbi principio mitiori, de ſeipſis negligentia, aut diutius elongati impatientia, evenit: Nonnunquam etiam Medicorum fallacibus ejus ſymptomatibus cæcatorum ignorantia: aut tandem, ubi viſitationes neceſſario continuandas omittunt, intempeſtivo metu, ne lucri gratia curationem procraſtinare videantur. Quamobrem & exiſtimavi operæ impendendæ pretium, ſi his meis obſervationibus, ab inſpectis ægris diligentiſſime collectis, Medicis junioribus lumen præberem, & hoc facto Peritos excitarem, ſuas etiam in lucem proferre. Quo autem ea, quæ in hac Diſſertatione dicta ſunt, magis adhuc firmentur, clariuſque illuſtrentur; Hiſtoriarum huc pertinentium, fuſiuſque exaratarum, Faſciculum ſubjiciendum curavi. Et firme credat Lector, me ſumma ubique veracitate uſum fuiſſe.

De Nomine hujus Morbi, Genere, & Speciebus.

FEbris miliaris, a puſtulis ſive veſiculis, ſeminis milii ſpeciem quodammodo præ ſe ferentibus, & præcipue circa partes ſuperiores apparentibus, nomen accepit. Mihi tamen videtur potius nominari debere febris veſicularis. Quia puſtulæ ſunt veſiculæ, primo ſero limpido, deinceps ſubalbo, perlarum colore non abſimili, plenæ.

Non deſunt, qui febres ſolummodo peſtilentiales petechialeſque opinantur malignis annumerandas. Cenſeo tamen & alias, ſpecie diverſas, malignarum claſſi debere referri.

Primo, quaſcunque febres vel contactu, halituve, vel quavis alia contagione tralatitias.

Deinde, & iſtiuſmodi febres quas ſtatim ab initio dolor vehemens, & alicui parti affixus comitatur, *viz.* capiti, aut inteſtinorum renumve regioni, aut etiam artubus. Pariter ac ſi ægrotus cephalalgia. vel dolore colico, aut nephritico, vel podagra, aut rheumatiſmo, vel etiam doloribus parturientis, tanquam originali morbo, laboraſſet. Cum tamen iſtiuſmodi febris miliaris ſymptomata haud iis ceſſura ſint remediis, quæ, ubi morbi ita nominati primarii ſunt, valere ſolent.

Porro, & in quibus ſpiritus animales ſubito opprimuntar & deficiunt; & ubi prædicta ſymptomata a nulla cauſa evidenti, ſed a veneno quodam latente, pendere videntur: ab Antiquis occultæ qualitatis, a Neotericis vaporum nomine deſignato.

Vel demum, ubi ex cauſa, ut videtur, non abſimili, ſpem ſalutis ſubitanea mors excipit. Quæ omnia, ut malignitatem oſtendunt, ita & in febre miliari obſervavi accidiſſe.

Et notatu dignum eſt, hanc febrem eadem malignitate ac petechialis apud Indos graſſari.

Hæc febris ſpecie duplex eſt, ſimplex & compoſita. Simplicem dico, quoties puſtulæ erumpunt nullæ, præter miliares, de qua hic diſſerturus ſum. Complexam, cum puſtulæ pupillares rubræ, miliaribus ſint interſperſæ; quæque ubi ſolitariæ ſunt, *a Rash*, vulgo appellantur.

Et notandum eſt, puſtulas miliares nonnunquam variolis immiſceri, eoſque, dum intumeſcunt variolæ, paulatim exareſcere. Verum poſt exiccatas pupillares ſuperſtites manere.

Febris Miliaris Deſcriptio.

QUo melius febris miliaris hiſtoriam præſcribam; antecedentia concomitantia, & conſequentia enumerare placet.

Antecedunt, conſtitutio corporis imbecillis, ſive ea naturalis eſt, ſive ex evacuationibus ſupra modum factis, victuve nimis parco adventitia: ſanguis ſeroſior: mens imbecillior & timidiuſcula, ac facilius læſa ab externis, ut in fœminis & effœminatis viris. Cogitatio multa & intenſa, aut mœſtitia. Obſtructio, vel ulcus in aliqua parte cum dolore conjunctum. Unde dolore colico, aut calculo, aut renum ulcere, Podagrave diu affecti, hinc febri magis ſunt obnoxii. Calor etiam internus in mulieribus, cum vel ſine ſiti, & præcipue ſub tempus puerperii; unde & partus dolores minus ſolito vehementes ſunt, & ſpiritus ſine cauſa evidente admodum deprimuntur, cum oppreſſione pectoris ſuſpiria cogente. Quibus, ut in aliis febribus, hic etiam fere ſemper accedit frigus externum.

Hanc

Hanc ferorem ſæpe comitatur dolor, colici, nephritici, pleuritici, rheumatiſmatici, vel parturientis æmulus. Nec non oppreſſio pectoris, cum depreſſione ſpirituum. Dolore prædicto poſt biduum triduumve recedente, totius corporis horror, deindeque frigus calorque alternatim oriuntur. Lenior tamen hic calor eſt, quam in febre vulgari continua, & naturali propius accedit: Dum vola manus calore magis intenſo afficitur, pars convexa mitiori. Pulſus etiam frequens eſt, ſed debilis. Spiritus ſæpe maxime deficiunt, & quaſi ex magno pondere pectus oppreſſum edit ſuſpiria. Somnus obrepens ſubito eſt interruptus; omnium pene ſymptomatum maxime inſeparabile. Sæpe enim plures dies noctesque ſine delirio, aut capitis dolore, inſomnes ſunt: fere multo diutius quam in aliis febribus. Cujus rei exemplum vidi, præ aliis ſingulare, in fœmina quadam illuſtri, quæ ſub cura Doct. *Franciſci Bernard*, in hac febre, ſine delirio, doloreve capitis, per menſem paſſa eſt vigilias. Lingua nunc aphta alba obducta eſt, nunc ſanorum ſimilis. Urina, nonnunquam, fere ut aqua communis, pallida; alias, naturalem præ ſe fert colorem. Quo ſymptomate decepti juniores Medici, frequenter ad vapores, uti vulgo loquuntur, referunt. Hac febre correpti aliquando ventriculi ægritudinem, præcipue poſt ſomnum, patiuntur, & nonnunquam diarrhœam, vel ex ſua negligentia, vel ex mala praxi, ſcilicet, dum calefacientia in paroxyſmis hyſtericis uſitatiora, ſine diaphoreticis, præſcripta ſunt. Unde, loco placidi naturæ progreſſus, materiam morbificam per diaphoreſim expellentis, rapida fermentatio eandem in inteſtina deturbat. Alvus nunc aſtricta, nunc cum ventriculi ægritudine, & inteſtinorum doloribus, ſoluta eſt. Modo multum ſitiunt, modo parum. Aliquando manus & lingua, Medico porrectæ, tremunt; & ægri quaſi cum tremore loquuntur. Motibus etiam convulſivis, delirio, ac difficili reſpiratione haud raro promuntur. Quorum ſymptomatum exacerbationes, febris intermittentis paroxyſmorum inſtar, recurrunt. Pectoris cum ſuſpiriis oppreſſio, vel ſine cauſa evidente ſpirituum major defectus, vigiliæ, & ſpirituum commotio, *a Hurry in te Head* vulgo dicta, quoties ægri ad ſomnum ſe componunt, nec non pulſus frequens & debilis, quibuſcunque aliis ſymptomatibus conjuncta, puſtulas miliares erupturas ſemper prænunciant. Quæque omnia perſiſtere ſolent, donec puſtulæ miliares emineant: deinde a pleriſque ægroti liberantur.

Hæ puſtulæ, plerunque in pectore, collo, & digitorum interſtitiis, interdum etiam in toto corpore ſunt perſpicuæ; &, panlatim indies auctæ, tandem evaneſcunt; cuticula puſtularum ſedibus ſubſcabra manente. Nonnunquam pruriunt, præcipue in febre miliari complexa; ubi ſcilicet puſtulæ papillares rubræ permiſtæ ſunt miliaribus. Et obſervare eſt, hanc febrem, quo ſimplicior eſt, ſymptomata habere eo leviora, quæque hac ratione, tam incautis Medicis, quam ægris, incutiam frequenter creat. Unde febris hæc vel magis fit periculoſa, vel morbus alius ſæpe oritur. Ex minori enim cautela, quam primo loco adhiberi oportuit, gravioribus ſymptomatibus, ſc. ventriculi ægritudine, appetitu diminuto, calore interno, oppreſſione pectoris, ſpirituum depreſſione & ſuſpiriis, caloris, & frigoris irregulari recurſu, vigiliis, & ſimilibus, aliquando incipit.

In hujus febris declinatione ſudore frigido ſæpe madent manuum ſuperiora.

An puſtulæ miliares certo die apparere ſoleant, difficillimum eſt obſervare: cum prima hujus morbi facies, & de eodem patientis narratio, adeo ſint incertæ. Quantum autem aſſequi poſſum, eas opinor decimo vel undecimo die, a principio, plerunque pullulare; ſi modo febris regularem habeat progreſſum; & circa decimum & octavum, vel ubi materia morbifica abundat, circa primum vel ſecundum & viceſimum deſiccari.

Tempus eruptionis obſervare, tanta vi primo in iis fœminis, quas tertio a partu die advocatus, de horrore vel frigore, & calore ſubſequente quærentes audivi. Cum enim puſtulas miliares in illarum pectore & collo inſpectis viderim, eas judicavi a multis diebus febre miliari correptas fuiſſe. Et ſcrutinio facto ab uſque morbi initio, vel calorem præternaturalem, vel partis alicujus dolorem, cum vel ſine ſiti, & cum maxima pectoris oppreſſione, ac ſuſpiriis, ſpirituumque defectu, ante partum ſenſiſſe comperi. Quæ ſymptomata, cum ab appropinquante partu pendere putarentur, a partu ſe bene habituras ſperabant. Deinde, partus dolores, etiamſi ſolito ſint mitiores, eos tamen, maxima pectoris oppreſſio cum ſuſpiriis, ſpirituumque defectus (ab obſtetricibus timor & vapores dictus) pulſuſque frequens ac debilis ſubſequuntur, puſtulaſque miliares prænuntiare ſolent. Quarum eruptioni in puerperis, ad ſudorem in lecto compoſitis, via ſternitur. A primo itaque calore interno, vel dolore ante partum, ad eruptionem a partu, dies undecim frequenter numero. Verum ægrotæ ſui ſtatus ignorantia & præpoſtera narratio, Medici prognoſim utplurimum adeo confundit, ut ipſiſſimum diem vel curioſiſſimus haud indigitare noverit.

Febris miliaris conſequentia, quatenus meæ obſervationi occurrunt, ſunt tumor femorum, tibiarum, pedumque, non ſemper indolens, extumeſcentia & abſceſſus mammarum; depravata memoria, fluxus lochiorum nimius, & urinæ affectus, hypochondriaci aut hyſterici æmulus; calor internus, cum debilitate, languore, & diminuto appetitu conjunctus. Horum, inquam, nunc hæc, nunc illa contingunt, quoties febris, vel ex ſuo malo more, vel Medici mala praxi, infeliceni habet exitum.

De Febris Miliaris Cauſis internis.

Quod ad cauſas febris miliaris internas attinet, partim a ſanguinis, & ſucci nervoſi ſeroſitate nimia, & quadam acida acrimonia, partim etiam a ſucci nervoſi nimia commotione, pendere videtur. Quæ mea conjectura ex hujus morbi præcedente hiſtoria, ex medicamentorum huc pertinentium effectu, & ex cadaveribus hac febre mortuorum diſſectis, probabilis videtur.

Sanguinis acrimoniam ſeu aciditatem arguunt ſecretiones huic febri peculiares. Urina enim hic magis decolor eſt, ſanorumque ſimilior, emittiturque majori copia, quam in febre ardente, ubi ſanguis & ſuccus nervoſis particulis ſulphureo ſalinis imprægnantur. Et experimur urinam decolorem copioſe effluere, ex uſu Oxymellitis ſcillitici in hydrope incipiente. Ptyaliſmus etiam in hac febre plerunque copioſior eſt, quam in ardente. Ideoque hic ſitis ut plurimum minor eſt, & lingua viſcoſo humore minus obducta. Porro, & puſtulæ miliares, quæ ſero plenæ ſunt veſiculæ, ab aciditate prædicta ſecerni videntur: non ſecus ac a quovis acido affuſo, fit lactis ſerum.

Idem patet a medicamentis juvantibus, teſtaceis ſcilicet, ut oculis cancrorum & ſimilibus, quæ acida abſorbent.

Nec minus ex lædentibus. Omnia enim ſapore acida, ut ſuccus limonum, &c. in hac febre nocent.

Seroſitas ſanguinis probatur a calore, qui hic mitior, quam in febre ardente, ſentitur. Et quo ſimplicior eſt hæc febris, eo mitior eſt calor. Nam ubi puſtulæ rubræ, *a Raſh* vulgo dictæ, miliaribus ſunt interſperſæ, omnia ſymptomata febrem magis ardentem oſtendunt. Et anaſarca laborantes, ubi ſanguis ſero abundat, licet febre aliquando miliari, & ſymptomatibus nervoſis, vix tamen unquam ardente afficiuntur.

Idem probat tempus, quo puſtulæ miliares erumpunt. Quæ ob ſanguinis ſeroſitatem, indeque calorem & motum mitiorem, non tam cito ac papillares & variolæ, ubi ſanguis ſulphure magis abundat, expelluntur. Quemadmodum ſimplex aqua, tardius quam vinum aut ſpiritus vini ebullit. Quam etiam ob cauſam ſpiritus animales in hac febre primo commoventur.

Remedia hujus febris curationi adhibita idem oſtendunt: nimirum, continuata diaphoreſis, & veſicatoria ſucceſſive appoſita. Quæ ſeroſitatem ſanguinis, & ſucci nervoſi diminuunt, eodem tempore quo eorundem aciditatem edulcorant. Adde, & curatio hujus febris a natura perficitur, ſanguinis ſerum, ex aliqua parte, in generatione puſtularum miliarium, eliminando. Neque liquores diluentes & aquoſiores, hic adeo multum, ac in febre ardente, proſunt, ubi potius pulli gallinacei juſculum copioſe bibendum eſt. Porro, & quæcunque ſeri diminutionem per diaphoreſim impediunt, lædentibus adnumeranda ſunt; ut frigus externum, & medicamenta calefacientia ſine vi diaphoretica.

Tam aciditatem ſanguinis, quam ſeroſitatem, cadavera eorum qui hac febre moriuntur, ſatis perſpicue demonſtrant. In quibuſdam enim partibus ſanguis coagulatur, & non ſecus ac oleum ex effuſione ſpiritus vitrioli nigreſcit. Idem tamen ſanguis extravaſatus linteum valde pallido colore imbuit. In aliis partibus, adeo ſeroſus eſt, ut & ipſa vaſa ſanguinea vere palleant. Cujus rei inſtantiam profero, in ſequentium hiſtoriarum ultima. Et nuperrime vidi non abſimilem, in juvene quodam illuſtri, anno circiter unum & viginti nato, hac febre mortuo, ex omiſſa morbi curatione tempeſtiva. In cujus abdomine, thorace, & cranio apertis, vaſa, quibuſdam in partibus, ſanguine nigricante & coagulato, diſtenta erant. Sanguis tamen e vaſis diſciſſis elapſus pallido colore linteum infecit. Et non infrequenter experimur, e vena ſecta ſanguinem rutilantem fluere; a vino nempe generoſo copioſe ingeſto, colore tamen pallido lintei imbuti ſuam ſeroſitatem oſtendere. In aliis hujus cadaveris partibus, ſanguis ſeroſus videbatur, & pallido colore tinctus, ut & cor ipſum. Plexus etiam choroides, ob copiam ſanguineorum vaſorum ipſum formantium, ſemper fere rubicundus, maxime pallebat: tum acidi, tum ſeroſi ſanguinis argumentum. Neque dubitandum eſt, ſuccum nervoſum, a ſanguine ortum, ſimilem naturam adeptum fuiſſe.

Intemperiem febrilem in liquore nervoſo ſive ſpiritibus animalibus primitus accendi, ſymptomata nervoſa primo occurrentia, nempe dolor, ſpirituum depreſſio, vigiliæ, & ſimilia ſupra enumerata, probant. Cum interim ſymptomata, quæ ſanguinis fervorem febrilem indicant, uti calor vehemens, pulſus fortis, capitis dolor, ſitis, linguæ ſiccitas, urina rubicunda & parca, &c. omnino deſunt. Demum in hac febre juvantia, nempe mens ſpirituſque ab omni tumultuario motu inimunes, idem oſtendunt. Hic itaque commotio febrilis, & ſeri ſanguinis metaſtaſis in ſuccum nervoſum originari videtur, indeque in ſanguinem transferri.

De Symptomatum Cauſis.

Febris acuta continua, non maligna, ex obſtructione glandularum, cutanearum præcipue, indeque ſanguineorum vaſorum plethora pendere, plerique autumant. Et in febre ſimplici miliari ſucco nervoſo idem accidere, veriſimile eſt. Nam ut nervi ex obſtructione tenduntur, ita ex tenſione dolor oritur, hujuſce febris ſymptoma omnium fere primum. Ideoque medicamentis diaphoreticis, plethoram & obſtructionem nervorum capillarium minuentibus, potius quam laudano conſopitur. Uti & ex petechiarum aut variolarum eruptione, ægri a dolore, ſymptomate eorum primario, magis liberantur, quam ab uſu laudani.

Succus nervoſus, nervorum capillarium obructione auctus, & in ſuo motu repulſus, motum irregularem imprimit ſpiritibus animalibus, & horrore ægrotum afficit.

Calor autem ſuccedit frigori, ex ſucco nervoſo in ſanguinem (tandem obſtructione reſerata) copioſius transfuſo, motumque ſanguinis citatiorem generante. Neque tamen hic, ubi ſanguis ſcatet partibus ſeroſo acidis, quæ motus ejus inhibent, pulſus adeo magnus eſt, ac in aliis febribus, quæ primo in ipſo ſanguine, ſalinis ſulphureiſque particulis luxuriante, excitantur.

Calor & frigus ſe mutuo excipiunr, ſed irregulariter. Nimirum a ſeroſitate ſanguinis, ſuccique nervoſi ab eo ſecreti: qui exinde citius a medicamentis, motu corporis, multiloquio, vel animi pathematis, affecti ſunt. Ideoque nihil magis conducit ad caloris frigoriſque irregularem recurſum cohibendum, quam mora in lecto & quietudo.

Pectoris oppreſſio & ſuſpiria, a liquore nervoſo, in nervis pectoris capillaribus ſtagnante oriuntur. Veſiculis enim ſeu puſtulis miliaribus emiſſis, ægri ab oppreſſione liberantur. Certe a ſero in aſperæ arteriæ extremis ramulis minime pendet. Ita enim produceretur aſthma, & pharmacis pectoralibus oppreſſio allevaretur: quæ tamen hic ſunt inutilia, & quæcunque puſtularum miliarium eruptioni incommoda.

Oppreſſionem hanc comitatur ſpirituum defectus. Neque ob ſanguinis ſeroſitatem, indeque parciorem in ſuccum nervoſum ſpirituum ſecretionem. Oritur etiam a ſucci nervoſi ſeroſitate, ſpiritus animales onerante. Seroſitate enim per diaphoreſin diminuta, liberantur ſpiritus animales, vireſque æger recuperare videtur. Non ſecus ac bajulator, qui depoſito onere ſpiritus ſtatim reſumit. Quod non acci-

accidit in ſpirituum defectu, ex hypercatharſi orto. Et notatu dignum eſt hac febre miliari laborantium, non ſecus ac oneribus defeſſorum, pulſum eundem manere, dum ſpirituum defectum paſſi ſint, & ab eodem liberentur. Verum ex evacuatione nimia pulſus debilitas ſpirituum depreſſioni reſpondet.

A motu ſpirituum animalium magis celeri inſomnes ſunt, ſæpeque delirant; & quoties ad ſomnum ſe componunt, de quadam ſenſus interni confuſione queruntur.

Quando in vigiliis caput indolens eſt, a minori impetu ſanguinis verſus cerebrum pendet. Licet enim motu paulo vegetiore circuit, quam in ſanis, remiſſus tamen quam in aliis febribus, ſive intermittentibus, ſive continuis, movetur. Quamobrem & ſitis hic longe mitior eſt, quam in febre ardente. Et eandem ob cauſam urina eſt magis decolor, ſanorumque ſimilior: & majori copia emiſſa, ex aciditate ſanguinis ſerum ſeparante. Qua de cauſa frequentius etiam expuere ſolent.

A ſeroſitate ſpirituum animalium muſculi antagoniſtæ non ſemper æqualiter contracti retinentur; unde fiunt motus convulſivi. Sin autem a ſeroſitate prædicta contractio muſculorum fuerit debilior, linguæ manuumque ſolummodo fit tremor.

In hujus febris principio, ſi ægri ſimilitudine vaporum decepti, e lecto ſurgant, calidave medicamenta uſurpent, ſanguinis ſpirituumque motus exinde augetur: Et loco puſtularum miliarium natura ad materiæ morbificæ intempeſtivam ac deviam ſecretionem ſtimulatur. Unde producuntur ſymptomata, ſecundum varias partes in quibus deponitur, variata; febriſque miliaris ſub alterius morbi forma deliteſcit. Si in ventriculo, nauſeam & vomitum parit; in inteſtinis, dolorem & diarrhœam. In quo caſu, dolores & diarrhœa, citius leni & continua diaphoreſi, quam laudano vel aſtringentibus recedunt. Et ſi contigerint ſolummodo duæ treſve ſedes, abſque ventris torminibus, ſpirituumque defectu; quæcunque aſtringentia & opiata cenſeo amovenda. Quippe ſæpenumero ſatis eſt materiæ, tam in ſedes, quam in puſtulas miliares diſtribuendæ. Quapropter & de earum eruptione a ſedibus nihil metuendum eſt, idemque experimur, ubicunque materia abundat ſecernenda: exempli gratia, in variolis ubi nec enema, nec venæ ſectio, puſtularum eruptionem impedit. Nec quicquam mali accidit a catameniis, toto variolarum curſu lente effluentibus.

Pulſus denique fit debilis, a ſeroſitate ſanguinis ſuccique nervoſi, & proinde ſpirituum animalium paucitate, cordiſque laxiore laxiore ſyſtole.

De Signis in hac Febre Prognoſticis.

DE hac febre prognoſis ita inſtituenda eſt. Si ægrotus ſui regimen in principio omiſerit, medicuſve pharmaca calida diaphoreſin minime excitantia præſcripſerit; licet ſymptomata ab initio fuerint mitiora, morbus tamen ſæpe in pejus ruit, & vel mortem, vel ægritudinis diuturnitatem minatur.

Si ab initio pars aliqua doleret: vel æger indolenter caleſceret, aut ei ventriculus ægrotaret, denique calor & frigus alternis vicibus, intervallis tamen inæqualibus recurrerent, ſpirituumque defectus, & pectoris oppreſſio cum ſuſpiriis, facili reſpirationi conjuncta ſint, tandemque puſtulæ cum leni & perpetua diaphoreſi ſeſe oſtenderent, res plerunque in vado eſt.

Delirium, motus convulſivi, convulſio, vel apoplexia, ſi ex ſignis hujus febris pathognomonicis, nempe ſumma pectoris oppreſſione, cum ſuſpiriis, ſpirituumque defectu, ſymptomata comitantia viderentur, & in principio acciderent; facilius Medici diligentiæ praxique regulari cedunt. In progreſſu vero, & declinatione, ubi æger imbecillior eſt, & puſtulæ miliares, aut ex impreſſo frigore, aut forſan a mala praxi deliteſcunt, in cerebrum, nervoſque lethalis fit metaſtaſis, & brevi mors ſequitur.

In hac febre, ſuppreſſio diarrhœæ ſubitanea, ſive ſponte, ſive aſtringentium, ſive opiatorum ab uſu ſit, apoplexiam cavere jubet. Præcipue, ſi iſte morbus, ex plethora & partium ſtructura, ſtaret in procinctu.

Citrinus urinæ color, qui ſubito in pallorem tranſit, de metuenda metaſtaſi Medicum monet.

In puerperis hac febre correptis, diarrhœa ſymptoma periculoſum eſt. Non modo enim puſtularum eruptionem, ſed & fluxum lochiorum impedit.

Reſpiratio difficilis, vox faucibus hærens, & linguæ tremor, inter periculoſa ſymptomata collocanda ſunt. Præcipue, dyſpnœa nervoſa.

Ægri, quo magis ſomnolenti, eo felicius convaleſcunt.

Qui mitioris ſunt indolis, facilius quam qui feroces & iracundi, liberantur.

Si natura & Medicus, quaſi junctis manibus procedant, ſtatim a deſiccatis puſtulis, ægri vires recuperant. Niſi ex abundantia materiæ morbificæ, reliquiæ ſuper partem aliquam ſeparentur.

In febre ſcarlatina, ſi puſtulæ miliares colori rubro extincto ſuperveniant, ſalutem promittunt.

De Febris Miliaris Simplicis Curatione.

EX hujus febris miliaris ſimplicis natura deſcripta enatæ indicationes curativæ ſunt hujuſmodi. Nimirum, ſanguinis & ſucci nervoſi aciditatem dulcificare, eorumque ſeroſitatem diminuere, nec non ſpiritus animales liberare & reſtaurare: Et hac methodo obviam eundo periculoſis ſymptomatibus ſpirituum animalium ſanguiniſque motum ad æquilibrium reſtituere. Quo facto, puſtulas miliares e materia rite præparata genitas, ſolito tempore expectare licet.

Ad ſanguinis ſuccique nervoſi aciditatem (unde coagulationes ſanguinis, & ſeri ſecretiones proveniunt) edulcorandam; medicamenta, vulgo alcalina dicta, & præcipue teſtacea, ſunt eligenda: E quibus ſunt oculi cancrorum, margaritæ præparatæ, & ſimilia. Et ad eorum ſeroſitates ſimul minuendum, quæ etiam lenem & continuam diaphoreſin promovent, maxime omnium proſunt: in quorum numero pulvis e chelis cancrorum compoſitis, lapis Goenſis, & bezoar Orientalis, præcipuum locum obtinent. Horum enim uſu, dies aliquot repetito, ſanguinis & ſucci nervoſi vitia corriguntur; pulſuſque ad fortiorem motum reſtitutus, magiſque æquabilem, puſtularum miliarium eruptionem accelerat. Equidem, ſi nulla ratio diaphoreſeos habenda eſſet, neque alicujus indicationis niſi ut ſanguis ſpirituſque animales exaltentur; calidiora cardiaca, uti radicem ſerpentariæ virginianæ aut ſimilia, vel etiam vinum ipſum tuto & copioſe ſumere licuerit. Hæc autem & hujuſmodi, in hac febre, viz. ad puſtulas miliares expellendas, raro locum habent. Nam ſanguinis fermentatio vehementior, & materiæ morbificæ contemporanea ſecretio, non bene conveniunt. Et ſæpe calidorum uſu, delirium, motus convulſivi, & ſimilia producuntur. Omnes itaque ſecretiones, ſive natura, ſive arte effectæ, facilius lente procedunt. Id quod a medicamentis teſtaceis obtinetur; quæ dum calorem fovent mediocrem, ſimul & edulcorant, & diaphoreſin promovent.

Ad ſeroſitatem muniendam optime etiam reſpondent veſicatoria: nec non ad coagulationes ſale ſuo volatili impediendas. Nullum itaque aliud remedium ſpirituum animalium commotionem magis ſedat, ſomnumque conciliat, aut ſpiritus depreſſos levare ſolet, materia enim morbifica ex aliqua parte eorum ope diminuta, naturam reliquam, via ſibi conſueta, facilius amandare poteſt: tantum abeſt ut puſtularum eruptionem impediant. Neque tamen plura una vice veſicatoria, ſed alia poſt alia, applicanda ſunt, niſi grande aliquod ſymptoma exigat. Notandum autem eſt, poſtquam ulcus prioris veſicæ ſiccatum fuerit, quamprimum aliam debere excitari. Cum ſæpe obſervaverim, omnia ſymptomata ſtatim a ſiccatis priorum veſicarum ulceribus ingraveſcere, iterumque ab aliis veſicis excitatis fieri leviora.

Anno 1697. quidam hac febre correpti non modo capitis dolore, ſed & tumore affecti ſunt: attamen ex veſicatoriis ſucceſſive appoſitis, dietim imminutis. Ex appoſitis pone aures diſparuit frontis tumor; temporum & oculorum, ex tertio inter ſcapulas; & genarum ſimiliter, labiorum, fauciumque, ex aliis ſuper brachiis, femoribus, tibiiſque, ut in ſequentium hiſtoriarum prima fuſius oſtenditur. Et notetur quod ex minimo temporis intervallo, a prioris veſicæ excitatione ad generationem alterius, & dolor & tumor aucti fuere.

Anno 1701. quorundam in hac febre fauces occupavit dolor, illius qui in angina æmulus. Quo percepto ſymptomate, licet multi ſubito mortui ſint; eo tamen leni & continua perſpiratione domito omnes ſub mea curatione evaſerunt.

In hac febre, cathartica raro ſunt admittenda; niſi grande aliquod ſymptoma indicaverit. Emollienti vero enemati, ad primas vias mundificandas, ſane locus eſt.

Raro etiam ſanguinis emiſſio permittenda, niſi ex urgente aliquo ſymptomate, viz. aſthmate, pleuritide, vel ſimili indicaretur.

Animi pathemata in hac febre vitanda ſunt. Et quæcunque commovent ſpiritus animales, ſive grata ſive ingrata fuerint, noxia ſunt. Quietudo etiam in lecto imperanda eſt. Contrario autem in hac febre incipiente regimine, puſtularum miliarium materia verſus cutem motura, alio repulſa, ſymptomata periculoſa producit. Quibus ſymptomatibus, ſi talia adhibeantur medicamenta, qualia ad primarium morbum inepta ſint, vel mors, vel morbus chronicus, ſine ulla poſtea puſtularum eruptione, ſequitur. Unde diſcimus qui fit, ut puerperæ ex hac febre felicius emergant. Ob id nempe, quod in lecto tranquillo animo ſe continentes, lenem & perpetuam diaphoreſin ſibi concilient; cibiſque potulentis, calefacientium pharmacorum loco, refocillentur. Sæpe enim obſervare eſt, eas, quæ in lecto bene ſe habere viſæ ſunt, ſi inde ſurgant, tanto ſpirituum defectu correptas fuiſſe, ut moribundæ videantur, & ex iis nonnullæ ſubito obierint. Quæ etiam nimis propere lectum renuunt, ſe tantum hiſterice affectas æſtimantes, ſtatim in pejus ruunt.

Hujus rei inſtantiam jam præ oculis habeo in domina *Shephera*, in vico vulgo vocato *Bartolomemlane*, habitante, & cui D. *Lancashire* fuit pharmacopœus. Illa pectoris oppreſſionem cum ſuſpiriis, nec non confuſionem interni ſenſus, cordiſque palpitationem paſſa eſt, quæ ſymptomata, & ægra, & aſtantes, vapores æſtimarunt. Ideoque neceſſarium eſſe putabant, ut e lecto reſurgat. Simul ac vero induerat veſtimenta, tremores & motus convulſivi, prædictis ſymptomatibus ſunt adjuncti. Ego jam ad illam vocatus, ex oppreſſione pectoris, cum ſuſpiriis, ſpirituumque defectu, febre miliari laborare cenſui, & in periculo ſtare, nec ſine leni & continua diaphoreſi ſervari poſſe. Præſcripſi itaque in lecto quietudinem, ſecluſa viſitantium turba; veſicatorium inter ſcapulas applicandum; bolumque ſequentem ſexta quaque hora cum julapio ſumendum.

℞. *Pulv. e Chel. Cancr. comp. Spermat. Ceti, a.* ℈j. *Croci gr.* vj. *Paralyſ. q. ſ. Mſ. f. Bolus.*

Qua Methodo adeo late res ceſſit, ut intra biduum motus convulſivi pene penitus aboliti fuerint. Puſtulæque miliares, jam tandem enatæ, altius indies emicuere, ſerumque in iis, uſque ad earum exiccationem, videbatur magis incraſſari & albeſcere.

Puerperæ hac febre laborantes, & nimis cito lectum renuentes, nonnunquam ex improviſo moriuntur. Uti accidit dominæ *Bariklei*; ad quam licet vocatus eſſem, tamen ante adventum meum mortua eſt. Amici illam, nullo morbo, præter vapores vulgo dictos, affici putarunt. Et proinde exurgere, immiſcere ſe colloquiis, & ſimilia, ſanæ inſtar, agere voluerunt. Ego vero, ex dolore femoris, oppreſſione pectoris, ſuſpiriis, ſpirituumque defectu, mihi narratis, ipſam febre miliari periiſſe ratus ſum. Et allata candela, puſtulas miliares quamplurimas ſuper pectore adhuc eminentes vidi. Et nullus dubito, quin ex frigore, materiam puſtularum in nervos repellente, hæc mulier morte ſubitanea oppreſſa fuerit. Id quod etiam quibuſdam parturientibus in ſimili caſu acidiſſe memini. Ideoque, ubi ad parturientes vocatus, febris miliaris ſigna viderim pathognomonica, moram in lecto, & ut ægra ad partum ſe componat, impero.

In prædictæ dominæ diſſecto cadavere, nil morboſum conſpexi præter polypum. Qui ab eadem cauſa ac ipſa febris, viz. ſeroſitate acida proveniens, minime mortis cauſa exiſtimanda eſt.

Sæpe etiam obſervare eſt, eos qui in lecto bene ſe habere viſi ſunt, ſi exurgerent, tantum ſpirituum defectum ſenſiſſe, ut moribundi viderentur: cujus rei in hiſtoria caſus D. *Smith*, in area *Bartholomem Cloſe* vocata, exemplum dabimus ideoque cautela, tum a parturientibus, tum puerperis obſervanda eſt, ut ſi pectore oppreſſo & languore ſine cauſa evidente affectæ fuerint, ſtatim obſtetricis ope partum avelli curent, & ſpretis mulierum argutiunculis in contrarium, ad eliciendam diutinam diaphoreſin ſeſe lecto affigant.

De Curatione Febris Miliaris Symptomatum.

SIngulis ſymptomatibus iiſdem remediis occurrendum cenſeo, quibus uti maluimus, ſi ſolitarie apparuerint: niſi aliquod ſymptoma contra indicet: quod a perito Medico perſpiciendum eſt.

Ca-

Capitis vel partis alterius cujuſcunque dolor, longe certius leni & co tinua diaphoreſi, quam opiatis conſopitur. Quemadmodum in febribus petechialibus varioliſque, nullo modo dolores ſedari vidimus, donec expellenda materia ſuper cutem emineat. Cum itaque vel parturienti, vel dolore quovis laboranti advocatus ſim, & ſpirituum defectum pulſumque frequentem ac paulo debiliorem viderim; omiſſis hypnoticis, naturæ morem gero, & ſtatim diaphoreſin excitare ſoleo. Sin autem doloris vehementia opiatorum uſum indicaverit, diaphoretica admiſcenda impero. Alias autem non ſedant dolorem, aut ejus loco aliquid mali afferunt. Et ſi pleuriticus ſit dolor, vel alicubi inflammationem oſtendat, venæ ſectio raro eſt omittenda.

Quoties calor & frigus alternis vicibus & irregularibus recurrunt, ut plerunque ſolent; lenis diaphoreſis, ex *Pulv. e Chel. Cancr. comp.* uſu, valde prodeſt, ſi modo ſine calefacientibus ſumptus fuerit. Quod, etiamſi a nonnullis parvipendatur remedium, multoties tamen ejus virtutem expertus ſum. Hæcque, ex multis aliis, uno exemplo in D. *Bolton*, D. *Shaler* pharmacopœi filia, ſatis patebit. Illi, ſecundo die a partu, doluit abdomen prope coxam. Qua in parte lenito dolore, calore deinde & frigore alternis, nec non vigiliis & oppreſſione pectoris cum ſuſpiriis, & languore, afflicta fuit: tandemque poſt dies aliquot puſtulæ miliares exudarunt. Solo itaque pulveris e chelis cancrorum compoſiti uſu ſexta quaque hora, ad continuandam diaphoreſin; omniaque pathemata prohibendo, ægramque cibis fovendo potulentis, vinoque pauco Canarino, illamque dies quatuordecim poſt emiſſas puſtulas lecto alligando, æque feliciter convaluit, ac ſi non ægrotaſſet. Etiamſi ante partum calor hecticus, tuſſis, difficiliſque reſpiratio, tabem minitarint. Conſtat itaque multis hac febre correptis, ſanitatem redintegrari longe difficilius, aut ex debita cura in principio omiſſa, quaſi ægra tantum hyſterice laboret; aut valde calefacientium abuſu, materiam ſcilicet morbificam, non critice, ſed ſymptomatice expellentium. Et obſervatu non indignum eſt, quod hac currente febre, ut prædictum pulverem, experimenti gratia, omittendo, non ſolum ceſſavit diaphoreſis, ſed ſymptomata omnia pejora videbantur: ita & illius uſum repetendo, quæcunque laudabiliora renovari.

A vigiliis levantur, veſicatoriis, & quietudine in lecto, remotis omni ſtrepitu animique pathematis.

Ad delirium maxime prodeſt antimonium diaphoreticum, per ſe ſumptum. Quod licet a quibuſdam Medicis, ut effæta calx æſtimetur; ſæpe tamen, & ſemper per ſe, optato ſucceſſu, non modo in vigiliis, ſed & in delirio præſcripſi.

Sæpe etiam pacantur vigiliæ, leni & continua diaphoreſi. Ad quam efficiendam, ſi pulveris prædicti uſus ſit irritus, ſpiritus cornu cervi, aliis medicamentis præferendus eſt, & in poſſeto ſalviato potius bibendus, quam ſalviæ infuſo. Ideo ſcilicet, quod plus nutrimenti in hac febre magis neceſſarii, ſuppeditet.

Opiata, ſi unquam in hac febre, poſt veſicatoria adhibenda ſunt. Et urgente diarrhœa, vel puſtularum eruptione remorata, conf. Fracaſtorii, aut theriaca Androm. locum præcipuum tenet.

Nihil a me expertum eſt, quod felicius motus convulſivos in hac febre compeſcit, quam omnes illinire artus ſuccini eſſentia; illiuſque quaſi viginti guttas e quovis conveniente liquore ſæpe exhibere.

In oppreſſione pectoris cum ſuſpiriis præcipue aſthmate convulſivo conjunctis, eadem fere, nempe lenis & continua diaphoreſis, ſpiritus cornu cervi, & veſicatoria, ſumme ſunt utilia.

In ſpirituum defectu, nihil magis valere expertus ſum, quam aquam theriacalem, vel per ſe, vel in vehiculo cum ſalis vol. oleoſi guttis aliquot, & croci pulvere, præcipne ſi cordis palpitatio eundem comitetur.

In tremoribus, ſpiritus animales aptis ſunt reficiendi medicamentis, e quibus crocus maxime prodeſt. Nec non cibis potulentis magiſque nutritiis, uti pullorum jure, & ſimilibus.

In convulſione univerſali, præcipue a materiæ morbificæ verſus interiora metaſtaſi orta, cucurbitulis cum emiſſione ſanguinis uſus ſum feliciter. Deinde calefacientes ſpirituſque volatiles ægrotorum ori ingerendos, nec non enemata, imperare ſoleo. Quæ quidem in convulſionibus, præcipue puerorum, ſunt proficua.

Ægritudo cum nauſea, pectoriſque calor ſigna ſunt aphtharum imminentium. Quæ mitigantur ſymptomata diaphoreſi continuata, donec lingua aphthis obtecta fuerit. Et obſervare eſt, eodem tempore augeri aphthas, puſtulaſque miliares exareſcere. E contra ſimul ac lingua aphthis nudata fuerit, puſtulas miliares elevari. Et nonnunquam febris reliquias, poſt deſiccationem puſtularum, in aphthas nutriendas derivari.

Vomitioni occurro, addendo pulveris e chelis cancror. comp. ſcrupulo, ſalis abſinthii gr. x. Præcipue ſi calor febrilis æqualibus intervallis fuerit repetitus. Niſi aliquod ſymptoma (uti tonſillarum inflammatio, quæ ſalis lixivialis uſu augetur) contraindicet.

In diarrhœa, quam ſæpe aſtringentibus augeri expertus ſum, vel eidem ſuppreſſæ aliud ſymptoma pejus ſuccreſcere, veſicatorium utiliter præſcribo. Ut hujus & diaphoreſis conjuncta ope materia ſeroſa ab inteſtinorum glandulis revellatur, Margaritas etiam, vel per ſe vel cum aliquo conveniente diaphoretico, ſcrupuli pondere, ſumendas vicibuſque aliquot repetendas jubeo.

Veſicatorii efficaciam ad chronicam diarrhœam frequentiſſime expertus ſum. Cujus rei jam præ manibus habeo inſtantiam in domina *Washta* puerpera, Mercatoris Hiſpanici in *Gloak lane* habitantis uxore, cui D. *Sherwood* eſt pharmacopœus. Horrore primo correpta fuit, deinde frigore & calore, incertis ſpatiis recurrentibus: nec non oppreſſione pectoris cum ſuſpiriis, ſpirituumque defectu. Pulſus etiam ei debilis ac frequentiſſimus. Et paſſa eſt vigilias, fere uſque ad enatas in lingua aphthas. Sub earum autem eruptionem erat admodum ſomnolenta; uti & aphtharum tempore inſantes ſunt. Ægritudine etiam ventriculi premebatur, & diarrhœa, cujus vi improba lochia ei ſuppreſſa ſunt. Hanc mulierem ſequente methodo multos dies continuata ad ſanitatem reſtitui.

℞. *Sper. Ceti*, *Pulv. e Chel. Cancr. comp. an.* ℈j. *Croci gr.* v. *Syr. Paralys. q. ſ. Mſ. ſ.* Bolus ſumendus ſexta quaque hora e cochleari julapii communis. Et applicetur veſicatorium inter ſcapulas. Horum uſu emicuere puſtulæ miliares, & paulatim minuebatur diarrhœa.

Et cum aphthis poſtea enatis creverunt puſtulæ miliares, ſine aſtringentium uſu. Hujuſmodi quidem medicamenta ægrota in promptu habuit, ſed neque ſumpſit, neque iis opus fuit.

Si theriaca, aliave opiata uſurpanda viderentur, opportune id fit, poſt appoſita veſicatoria; quæ pravos opiatorum effectus inhibent.

Hoc etiam potenter efficiunt ſudorifica opiatis admixta. E multis hujus rei exemplis, unum dabo in quadam domina *Roberts*. Illa ſecundo a partu die, dolore colico, ſine vomitione aut diarrhœa, ſed admodum vehemente & abdomini affixo, correpta fuit. Quapropter coactus ſum, laudani liquidi guttas centum, ſeſquihoræ ſpatio ſumendas, imperare. Attamen paulo poſtea pulveris e chelis cancr. compoſiti ſaliſque volatil. oleoſi doſin majorem offerendo, multas ſudavit horas, dolorque ſine ulla ſuperſtite querela evanuit. Contra ac in eadem muliere, & in eodem caſu, ſub cura alterius doctiſſ. Medici acciderat. Ille enim, dando laudanum ſine ſudoriferis, dolorem equidem ſedavit, diu tamen ægra de quadam inquietudine ſubſequente querebatur. Et liquido mihi conſtat ex laudano per ſe ſumpto, omnes evacuationes plerumque ſupprimi. Quod ſi aliter contingat, forſan non laudano, ſed alio referendum eſt. Similiter ac ſi ex ſumpto cortice Peruviano, aut vino Clareto, ob materiæ morbificæ congeriem, fibrarumve inteſtinorum imbecillitatem, vel quandam antipathiam, ſequeretur diarrhœa. Neque poſt ſumptum laudanum ſudor nonnunquam profluens, & variolarum extumeſcentia, quicquam redarguunt, Quorum neuter a laudani natura; ſed potius a morbi conditione immediate pendet. Nam ut in febribus, durante fermentatione, ſanguis velocius movetur, naturaque ſecretionibus minime vacat; ideoque urinam tenuem ægri mejunt, deſinente vero, craſſam cum hypoſtaſi turbidamque: pari modo, ubi motus ſanguis ex ſumpto laudano citatior compeſcitur, nervi relaxantur, porique aperti fuerint, in febribus ſudor, in variolis pus eliminatur facilius. Natura itaque medicamenti non ex aliquo remoto & incerto, ſed ex proximo illius effectu definienda eſt. Laudanum enim in quibuſdam alvum movit. Quam obſervando regulam, Medici de laudani, aliorumque pharmacorum uſu vel abuſu, rarius diſceptantes, magis amice honorificeque convenirent.

Hoc mihi in memoriam revocat effectum laudani memorabilem in fœmina quadam, ad inſigne Solis in vico *Chancery-lane* vulgo dicto habitante. Illa, cum poſt abortum dolore colico vehementiſſimo laboraret, laudani magnas ſumpſit doſes, & per ſe repetitas. Unde urinæ, ſedum, lochiorumque orta ſuppreſſio, maximuſque tumor ventris brevi expectandam mortem prænuntiarunt. Poſtquam autem inquiſitione facta a morbi uſque initio, inſpectiſque præcedentis Medici præſcriptis, jam memorata ſymptomata, a laudani abuſu, ut dictum eſt, provenire cognoverim; Enema injiciendum imperavi. A cujus operatione peracta, omnia, non ſine aſtantium ſtupore, diſparuere ſymptomata; quippe, non a morbo, ſed ab uſu laudani, oriunda.

De Febre Miliari compoſita.

FEbris miliaris compoſita eſt, ubi puctulæ miliares, papillis rubris (a *Resh* vulgo dictis) petechiis, variolis, aut morbillis ſunt intermiſtæ.

Symptomata eadem fere ſunt, ac in febre ſynocho dicta. Spirituum tamen defectu & ſuſpiriis ægroti magis opprimuntur. In vigilias etiam proniores ſunt; & eorum urina ſanorum eſt ſimilior.

In febre cum puſtulis rubris aliquando puſtulæ miliares non tantum illis intermiſtæ ſunt, verum etiam penitus deſiccatis ſuperſunt. In variolis & morbillis puſtulæ miliares plerunque præcedunt, & in principio eas comitantur.

In febre miliari compoſita ſymptomata ſanguinis potius quam nervoſi generis vitia præ ſe ferunt. Ubi nempe pulſus frequens eſt & fortis, calor intenſus, lingua ſicca, ſitiſque haud mediocris. In febre miliari ſimplice, e contra. Verum defectus ſpirituum, & oppreſſiones circa pectus, coacta ſuſpiria ſymptomata ſunt utrique communia.

Quod ad curationem attinet, ubi puſtulæ miliares variolas & morbillos comitantur, diaphoretica medicamenta paulo calidiora tutiora ſunt, quam in variolis per ſe exiſtentibus.

Frigus externum, aut regimen quocunque modo frigidum, periculoſum eſt, & mortis cauſa nonnunquam ſubitaneæ: tum etiam, cum pleraque ſymptomata optatum morbi eventum promittunt.

Quamobrem & opiata calida, ut diaſcordium, & ſimilia, felicius cedunt, quam diacodium vel laudanum quoties variolis puſtulæ miliares conjunctæ ſunt.

De Morbis quibuſdam Febri Miliari ſupervenientibus.

PRæter febri miliari conſequentia, de quibus ante mentionem feci, & in ſequentibus hiſtoriis facturus ſum, duo ſunt, quæ paulo frequentius eidem ſuperveniunt; nempe artuum inferiorum tumor, & calor hecticus.

Tumor pedum & tibiarum, nec non femorum inguinuſque fit, aliquando ſine, verum ſæpius cum dolore haud mediocri, tumori præeunte. Iſte autem tumor, ex materiæ morbificæ congeſtis reliquiis, in his febribus non rite curatis, contingit. Cujus rei etiamſi plura exempla proferre poſſim; methodum tamen, qua morbum profligare ſoleo, hic annectere ſufficiat.

Ea autem eſt: Pilularum catharticarum, cum opio vel aliquo opiato, ſingulis noctibus ſumendarum præſcriptio. Opiatum mihi uſitatum, eſt pilula de cynogloſſa ad ℈j. Catharticum vero eligo, ſecundum coindicantia. Verbi gratia in appetitu & digeſtione diminutis, pilulas ſtomachicas ad ℈ß. In lochiis aut menſibus ſuppreſſis, pilulam aleophanginam, aut fœtidam. Aliquando etiam reſinæ julap. gr. iv. vel v. jubeo addenda. Et nonnunquam decocti amari ſine ſena hauſtum bis in die propino. Si cathartica paulo fortiora uſurpanda ſunt, alternis noctibus adhibeo, & decoctum aliquod ſtomachicum diebus interpoſitis ſumendum præſcribo. Et poſt plura alia medicamenta fruſtra ſumpta, haud raro feliciter uſus ſum hac methodo.

Sin autem adſit tumor indolens, catharticis utor ſine opiatis. Et ſi febrem miliarem comitetur tanquam ſymptoma, ſola continuata diaphoreſi diſſipatur.

Spiritus etiam cochleariæ, tam ſimplicis, quam cathartici, uſus in hoc caſu maxime prodeſt. Simplicis efficaciam expertus ſum in Domino *Bellaſis*, circa ætatis annum octogeſimum, febre vehementi correpto, meæque curæ a Regia majeſtate commendato. In quo

jam extinctæ febri tumor ab inguine usque ad pedum digitos supervenit, qui, post vesicatoria frustra adhibita, tandem spiritus cochleariæ simplicis usui cessit.

Spiritus autem tam simplicis, quam cathartici, scilicet cum julapio præparari, usum conjunctum, expertus sum felicissimum in D. *Lane*, quæ aliquo ante annos puerperio cubabat. Hæc dolore vehemente, cum tumore ab inguine ad pedum usque digitos, affecta, duorum Medicorum celebrium curæ submissa fuit; sed id incassum. Eandem itaque fœminam, spiritu cochleariæ simplice, ad 20. vel 30. guttas, e conveniente vehiculo ter in die sumpto, & spiritu cochleariæ cathartico, tertio quoque die deglutito ad guttas 100. nec non pilula *Mathiæ* die purgationis hora somni, penitus curavi.

Calor hecticus, appetitus diminutio, spirituque vitalis defectus, locum habent inter ea, quæ febri miliari superveniunt. Præcipue, si patientes nimis cito de lecto resurgant. Cujus rei vidi quamplurima exempla.

Methodus, qua hic bonis avibus utor, est hujusmodi. Sumantur mane dies per aliquot salis absinth. gr. 10. aut 15. ex aq. spadanæ haustulo; & deinde paulatim ejusdem aquæ ℔ij. nempe, si spiritus maxime defecerint. Alias ex haustu aq. Batthonienſis, superbibendo ejusdem ℔ij. similiter. Ut hoc modo aciditatis, ubicunque in hac febre peccanris, reliquiæ, una cum prædictis aqua & sale, excernantur. Quod si talis absinthii usu caput doleret, præscribo medicamentum aliquod lenitivum, 3. vel 4. quoque die hora somni sumendum. Salsa & acida a cibis amovenda, nimiusque corporis animique motus cohibendus. Nam ex ulterutro recidivam sæpe fieri experrus sum. Nec quicquam febris intermittentis, e præpropero corticis Peruviani usu, recidivæ, certius occurrit. Cujus rei instantiam, in D. *Warrand* in *Mylkstreet* habitante, & jam fere moribunda, vidi insignem; postquam duo alii Medici non incelebres, pro eadem, re infecta præscripserant. Et nonnunquam lac asininum, cum testaceis pulveribus, & præcipue margaritis, prodesse solet.

Historia Febris Miliaris cum Apoplexia.

JUlii 16. 1697. ad Dignis. Virum D. *Muscamp*, Vicecomitissæ de *Lansborough* Maritum, in platea vulgo dicta *Pallmall* habitantem, evocatus sum. Cui D. *Malthas* erat pharmacopœus; idem qui jam Regius. Annum agebat ægrotus sextum & quinquagesimum. Constitutione erat pituitoso sanguineus, & obesus. Appetitu gaudebat optimo: deditus negotiis & cogitabundus. Ab aliquo retroacto tempore cum asthmate ac nephritico dolore laborasser, calculos nonnullos, usu olei lini ad cochlearia tria singulis noctibus a me præscripto, cum urina emisit. Proxime præcedentibus aliquot hebdomadis, calore interno, deinde & languore, sive spirituum defectu, sine ulla causa evidente, affectus est.

Supra dicto die subito correptus est apoplexia. Ut ex antecedentibus jam memoratis, respiratione cum stertore somni profundi æmulo, sensibusque læsis externis omnibus, certo comperi. Illamque a seroso potius quam grumoso sanguine stagnante oriri, facies ejus minus rubicunda monstrabat: ut clarius patebit ex meis Observationibus, quas de Apoplexia altera a stagnante & extravasato sanguine grumoso, altera a seroso, si vitam DEUS atque otium dederit, posthac in lucem emissurus sum.

Ad seroſi sanguinis stagnantis excitandum motum, ac ventriculi & intestinorum onus amovendum, a quo sæpe tentatur caput, sequentem pulverem emeticum præscripsi.

℞. *Salis Vitriol.* ʒiij. *f. Pulvis in doses sex dividendus. Sumat singulas ex Aq. Juglandis comp. Cochl.* j. *superbib. haustum posseti foliis Card. bened. alterati.*

Spiritum etiam salis armoniaci naribus offerendum jussi. Et ut ægrotum, tam a saburræ in ventriculo, quam pulveris emerici reliquiis nauseam sæpe sequente die creantibus, liberarem, pilulas sequentes præscripsi.

℞. *Pil. Tard. Querc.* ℈j. *Resinæ Julapii gr.* iv. *Syr. e Spin. Cerv. q. s. Mf. f. Pilulæ, finita Emetici operatione sumendæ.*

Ad seroſum laticem minuendum, sanguinisque adhuc magis accelerandum motum, emplastra præscripsi vesicatoria, & mixturam spirituosam sequentem.

℞. *Salis vol. oleos.* ℈iv. *Spirit. Lavend. com.* ʒij. *Mf. Sumat. gutt.* xx. *ex haustu decocti Hordei Syrupo Violaceo edulcorati: Hoc jussi vehiculum, ut, & lente augeam vim Pilularum, & Dysuriæ Dolorique Renum a Vesicatoriis, præveniam. Domum Emplastra subpedalia, ex Empl. Cephal. cum Euphorbio & Picis Burgundicæ ana æ. p. curavi applicanda.*

Die prædicti mensis 17mo ægroto assidentes mihi narrabant, illum statim a peracta vi vomitorii e somnolentia & stertore expergefactum, sensus omnes recuperasse.

Symptomata jam tum apparentia, hujusmodi fuere, vid. Tumor faciei, & totius capitis: quod eo anno in febre miliari commune erat. Calor etiam febrilis, pulsus frequens, sed debilis; cum defectu spirituum, maximaque pectoris oppressione cum suspiriis scilicet, a malignitate morbi, non nimiis evacuationibus. Quippe pulsus, post eas finitas, nihilo quam ante, debilior fuit. Neque subiit alterationem, quoties de spirituum defectu ægrotus querebatur. Urina tenuitate aquea & satis copiosa; lingua humore albo & viscoso cooperta; sitis immunis, etiamsi & insomnis fuit. E quibus omnibus symptomatibus & præcipue ex oppressione pectoris cum suspiriis, spirituum defectu, (signis mihi pathognomonicis) febrem hanc esse miliarem, pustulasque suo tempore expectandas præmonui. Nec quidem apoplexia, si hic non fuisset symptoma, sed primarius morbus, tam cito & perfecte evanescerat.

Ut itaque secundum meam methodum in hoc morbo consuetam, lenem & continuam foverem diaphoresin, irregularibus caloris frigorisque paroxysmis occurrerem, tandemque lentam pustularem eruptionem efficerem, sequentia præscripsi.

℞. *Pulv. e Chel. Cancr. comp.* ʒß. *Sumatur* 6ta *quaque hora e Julapii sequentis Cochl.* j. *superbib. Cochl.* iv. *vel* v.

℞. *Aq. Lact. alex.* ʒvj. *fl. Tiliæ* ʒiv. *Pæon. comp.* ʒvi. *Margar. pp.* ʒj. *Sacchari albiss. q. s. Mf. f. Julapium.*

Jussi etiam persistat in usu decoct. hord. cum syr. violaceo: Ut & diluendo a dolore nephritico præcaverem, & satis materiæ fovendæ diaphoresi suppeditarem. Verum ne frigido nimis regimine spiritus ægroti deficerent, singulis decocti haustibus mixturæ spirituosæ antea præscriptæ gutt. xx. addendas curavi. Ne omiserim indicationum, etiamsi contrariarum, alicui satisfeciſſe. In qua re ars medicinalis præcipua consistit.

Ad viscidam materiam linguæ obductam præscripsi mucilaginem ex sem. cydon. & psyllii, syr. e rubo idæo edulcoratam; cujus cochl. j. sæpe sumeret sensim deglutiendo.

Die 18vo, caput vi vesicatorii detumuit superius. Urina coloratior aliquando magis, & paucior. Spiritus, sudoris mediocris & mixturæ prædictæ cordialis beneficio, non tam multum defecerunt. Adhuc tamen depressi cogebant suspiria, cum querimoniis de pondere pectori incumbente. Quibus pensitatis, in omnium hactenus sumptorum repetitione persistere decrevi.

Die 19no, eadem apparuere symptomata, quæ antea. Si modo id excipias, quod caput leviter gravari incepit, & alvus, non obstante decocti hordei cum syrupo violarum usu, astricta fuit. Quibus ut prospicerem symptomatibus, renumque dolorem adhuc præcaverem, clysterem sequentem præscrip.

℞. *Decoct. commun. pro Clyst.* ʒviij. *Mell. Mercur.* ʒiij. *Sacch. rubr. q. s. Mf. f. Enema.*

Die 20mo, ex enematis usu liber erat a capitis gravedine. Ulcere autem e vesicatorio citius quam debuit exsiccato, prædictus tumor, spirituum defectus, pectoris oppressio, nonnihil renovari videbantur, sed sine quovis alio suboriente symptomate. Vesicatoria itaque pone aures applicanda jussi, decocti prædicti duabus libris aq. pæon. comp. ʒiv. addendas, & cum singulis illius haustibus spir. lavend. comp. gutt. xv. sumendas imperavi. Hisque non satis prævalentibus, aq. theriacal. cochl. j. vel ij. adhibenda, & circa quintam vespertinam enema repetendum.

Diebus 21mo, & 22do, & omnia symptomata cum sint mitiora, antea præscripta continuando, & solummodo emplastra subpedalia addenda curavi.

Die 23io, vesicarum ultimo excitatarum ulcera jam fere exsiccata sunt. Caput de novo extumuit, spirituque magis defecerunt. Quamobrem mandavi, emplastra vesicatoria carpis apponenda, pulveris, julapii, & decocti usum continuandum, repetendumque enema præscriptum.

24to, omnia symptomata laudabilia, excepto urinæ pallore, capitisque gravedine cum quadam somnolentia. Quare cum metastasim metuerim, a prædicta methodo recedens, sequentes pilulas præscripsi.

℞. *Pil. Tart. Querc.* ℈j. *Resinæ Julap.* gr. iv. *Syr. e Rhab. q. s. Mf. f. Pilulæ statim sumendæ.* Et cum continuaro usu decocti hordei, ut ultimo parati, vesicatoria ampla femoribus internis applicanda jussi.

Die 25to, urina tingitur aliquanto magis; caput sanatum optime; spiritus redivivi, pustulæque miliares super pectore emicuerunt.

Si quis hic catharsim supra memoratam, quasi pustularum eruptioni contrariam, reprehenderet, effectus ipse objicienti respondet. Verum etiam reminisci debet, hujus ægroti habitum fuisse adiposum: Neque ex vomitu & catharsi primo præscriptis, elevatio tumoris in capite impedita fuit, sed materiæ morbificæ copiam minuendo potius accelerabatur.

Cum jam pustulas miliares pullulare viderim, Pulverem e chel. Cancr. comp. 4ta quaque hora e cochleari julap. sequentis sumendum jussi.

℞. *Aq. Card. Bened. Melissæ, Cinnamom. Hord. an.* ʒiij. *Epidem.* ʒiß. *Marg.* pp. ʒj. *Sacch. albiss. q. s. Mf. f. Julap.*

Præscripsi etiam, ut cum decocto hordei apozematis sequentis haustulum sumat.

℞. *Rad. Scorzon.* ʒj. *Cort. Aurant. cond.* ʒvj. *fol. Melissæ, Galegæ, an. Mj. flor. Card. an. p.* jß. *Sem. Card. bened.* ʒß. *coq. in Aq. font. q. s. ad* ℔j. *Colaturæ adde Aq. Epid.* ʒij. *Mf. f. Apozema.*

Et ut per vices sumat aq. theriacal. cochl. ij. Ideo nempe, quod in hac febre, præcipue declinante, dum calent volæ manuum, superiora frigescunt.

Die 26to, cum omnia viderim symptomata adhuc leviora, ultimo præscriptorum usum censui continuandum.

Die 27mo, pustulæ miliares numero & magnitudine auctæ sunt. Ideoque julapio ultimo præscripto hoc substitui.

℞. *Aq. Melissæ, Cinnamom. Hord. an.* ʒv. *Scord. Comp.* ʒiß. *Epidem.* ʒj. *Syr. e Cort. Citr. q. s. Mf. f. Julap. de quo sumat haustulum in languoribus.*

Die 28vo, pustulæ visæ sunt adhuc magis elevari, spirituque nullo modo defecere. Cum tamen dorsa manuum frigescerent, ideo novissime præscripta continuari velim.

Die 29no, febris declinare cœpit: Quare julapium continuandum & enema injiciendum jussi.

Die 30mo, symptomata omnia evanuere. Quoniam tamen de aciditate quadam in ventriculo questus est; præscripsi margarit. pp. ℈j. e julap. seq. cochl. j. sumendum aliquories in die.

℞. *Aq. Lect. alex. Melissæ Cinnamom. Hord. an.* ʒiij. *Epid.* ʒj. *Sacch. perlat. q. s. Mf. f. Julap.*

Deinde ut per biduum triduumve decocto hordei, cum spiritus lavend. comp. guttis aliquot, & julapio, ut persisteret. Demumque aquas strethamenses a ℔iv. ad ℔ij. coctas sumeret, ter iterando. Quibus remediis ab apoplexia, febre, renumque affectu perfecte liberabatur.

Historia Febris Miliaris cum Artuum inferorum Paralysi.

CIrca Decembr. finem, 1705. Vir humanissimus D. D. *Garth.* atque ego vocati fuimus ad D. *Throgmorton* viduam, Ducissæ *Nortumbriæ* filiam, dies aliquot antequam parturiret; cuique D. *Birch* ut pharmacopola ministravit. Fatigarunt illam vomitio fere perpetua & ægritudo. His etiam astrictio alvi, & inappetentia, tussis, & dyspnœa spirituumque defectus accessere. Quæ omnia ex mœrore ob nuperam mariti mortem contigisse æstimabantur.

Primo loco emplastrum stomacho applicandum, & aquam Strethamensem cum sale absinthii sumendam præscripsimus: nempe ut ventriculi & intestinorum motum rectificemus. Hinc equidem rarior vomitio; at nonnihil nutabant spiritus. Qui tamen, cum ægra postea puerperio cubaret, continuata diaphoresi quodammodo restituti sunt.

Ve-

Verum circa tertium puerperii diem artus inferni, paralyſi correpti, ſuam movendi vim amiſerunt. Et nocte proxime ſequente adeo defecere ſpiritus, ut pene in ſyncopem incideret. Quare & prædictus Collega meus nocte vocatus, emplaſt. veſicat. femoribus quamprimum applicanda, bolumque ſequentem ſumendum præſcripſit.

℞. *Salis Volat. Succini gr.* viij. *Croci gr.* iv. *Pulv. e Chel. Cancr. comp.* ʒj. *Conf. Conf. Alcherm. ſine odorat. q. ſ. ut ſ. Bolus cum Julapio appropriato deglutiendus.*

Die proximo mane ægrotæ ſpiritus haud parum elevati ſunt. Verum paralyſin nulla ex parte receſſiſſe vidimus, Sed & mediocrem tumorem, & dolorificum eidem acceſſiſſe. Dixi, non infrequenter in febre miliari, paralyticos affectus, ex materia morbifica in artus deſcendente, ſuboriri. Deindeque ſtatim ad ægrotam accedentes in denudato pectore puſtulas conſpeximus miliares, febremque miliarem, morbum originalem agnovimus. Unde concordi animo medicamenta diaphoretica aliorum omnium maxime neceſſaria decrevimus; & Januarii die 5to a nobis ſequentia præſcripta ſunt.

℞. *Pulveris e Chel. Cancr. comp.* ʒj. *Croci* ʒß. *Conf. ſine adorat. q. ſ. Mſ. f. Bolus ſexta quaque hora ſumendus e Cochl.* i. *Julap. ſequent. ſuperbib. Cochl.* iv. *vel* v.

℞. *Aq. Ceraſ. nigr.* ℥x. *Bryon. comp.* ℥ij. *Sacch. albiſs. q. ſ. M. f. Julapium.*

Januar. die 6to, ægrota paulo erat vivacior, pectuſque illi minus oppreſſum: Dyſpnœam autem ex tuſſi adhuc paſſa eſt, cum vigiliis. Quare & bolo, die præcedente præſcripto, addidimus hauſtum ſequentem.

℞. *Aq. Puleg. Rutæ an.* ℥j. *Theriacal. Syr. de Mecon. an. Tinct. Caſtor.* gutt. x. *Mſ. f. Hauſtus.*

Die 7mo, ſpiritus mediocriter refecti, expectoratio facilior, puſtularumque miliarium eruptio magis conſpicua. Bolum itaque juſſimus cum julapio repetendum, & hauſtum veſperi.

Die 8vo, omnia ſymptomata facta ſunt mitiora, excepta paralyſi, & muſculorum laryngis hyſterica quadam convulſione leviori. Ideoque præter antea præſcripta, pilulas e caſtor. gr. vi. & aſſe fœtidæ gr. xii. ſex parandas ſingulisque noctibus duas ſumendas imperavimus.

Die 9no, reſpiratio longe magis quam antea difficilis, & dolori lateris pleuritico ac vehementiori conjuncta. Metuimus a venæ ſectione malum eventum: nempe, ne exinde puſtulæ miliares retroceſſiſſent. Urgentia autem ſymptomata prævalebant; & emiſſi ſanguinis ſperato fructu, tum ægrota, tum noſmet freti ſumus. Hoc tamen, non ſine decocto pectorali, boloque antea in uſu, & ſpermatis ceti ʒß. ſumptis. Quibus & addidimus emplaſtrum laterale e pice Burgundica, hauſtumque veſperi paregoricum, & oleum lini in promptu habendum, ſumendumque urgente diſpnœa.

Die 10mo, reſpirabat paulo liberius, mitiuſque latus doluit. Spiritus tamen defecere maxime. Interim miliarium puſtularum moles conſpicua & multitudo præbebant ſalutis ſpem haud mediocrem. Quas diaphoreticis adhuc ſolvendas pro penſo habuimus in primis accurando. Et ad dyſpnœam, etiamnum prævalentem, juſſimus olei lini cochl. ij., ſecunda quaque hora ſumenda. Et ſi alvus inde laxa fuerit, mixturæ ſequentis cochl. aliquot bibenda.

℞. *Diæſcordii* ʒiij. *Aq. Pulegii* ℥vi. *Epidem.* ʒj. *Mſ.*

Die 11mo, puſtulæ miliares erant laudabiles, ſpiritus quodammodo refecti, dolorque aliquanto mitior. Reſpiratio tamen adhuc difficilis, ſedeſque paulo molliores. Bolo itaque & apozemati pectorali jam in uſu adjecimus decoctum album alternis vicibus ſumendum, emplaſtra veſicatoria brachiis applicanda, & hora ſomni hauſtum ſequentem.

℞. *Aq. Puleg.* ʒij. *Tinct. Martis gutt.* xx. *Ol. Amygd. dulc.* ʒj. *Syr. de Mecon.* ʒvi. *Mſ.*

Die 12mo, puſtulæ miliares ſatis conſpicuæ; at difficilior reſpiratio, & diarrhœa, adhuc perſtitere. Bolum etiam cum julapio, oleum lini, mixturam cum diaſcordio, & hauſtum pacificum iterari voluimus.

Die 13io ſubſtitere ſedes, puſtulæque miliares adhuc optime. Dyſpnœa tamen, lateriſque dolor, paulo pertinaciores. Bolum itaque præſcripſimus continuandum. Et quod ab oleo lini maxime abhorruerit ægrota ol. amygdal. dulc. cochl. j. tertia quaque hora bibendum. Nec non hyſſopi folia cum radicibus helenii decocti pectorali addenda.

Die 14to cum intermittente diaphoreſi, febrilem calorem accendi, continuari dyſpnœam, & veſicarum ulcera pene exſiccata vidimus. Quare præter antea præſcripta repetenda, veſicatorium inter ſcapulas applicari voluimus.

Die 15to ſpiritus ei longe magis, quam ab aliquot diebus retro actis, fuere depreſſi. Loco itaque boli hactenus in uſu, ſequent. ſubſtituimus.

℞. *Confect. Raulcens* ʒß. *Croci, ſalis Vol. ſalis Armon. an.* gr. vi. *Syr. Caryophil. q. ſ. f. Bolus.* Reliquaque ut antea ſumenda.

Die 16bto, ſpiritus aliquanto vivaciores, leviorque dyſpnœa; dolor tamen lateralis paulo aſperior. Ideoque bolum præſcripſimus priorem, hauſtumque pacificum cum decocto pectorali repetendum.

Die 17mo, eadem quæ die præcedente juſſimus ſumenda. Jam enim, & hinc in dies, omnia meliora videbantur. Tandemque membra, hactenus paralytica, vim ſuam motivam aliquatenus recuperavere. Poſtquam itaque mannæ ʒij. in decoct. pectorali diſſolutas ſumpſiſſet, ſotum præſcripſimus tibiis applicandum, vini chalybeati uſum, & ut Bathoniam adiret.

Hiſtoria Febris Miliaris cum Delirio Motibuſque Convulſivis.

AUGUSTI 8vo, 1700. vocatus ſum ad D. *Bullock* apud inſigne calcei Equini, in vico *Cheapſide* vulgo vocato. Cui pharmacopœus erat D. *Wyer* in vico vocato *Woodſtreet*. Viceſimum quartum annum agebat, conſtitutione pituitoſo melancholicus, & adhuc cœlebs.

Poſt itinera quædam rure peracta ſenſit ægritudinem, cum diminuto appetitu, depreſſoſque ſpiritus, atque oppreſſionem pectoris cum ſuſpiriis, per intervalla. Pro remedio vinum nonnunquam, & aquæ cujuſdam cordialis aliquantulum bibere ſolebat, appetitus tandem omnino aboletur. Et pridie quam illum viſitavi, vomitu, diarrhœa, & hæmorrhagia narium correptus eſt. Sumpto autem medicamento quodam interno, & nuchæ appoſito veſicatorio ex pharmacopœi præſcripto, iſta diſparuere ſymptomata.

Cum ego primo ægrotum adiverim, horrore quodam laborabat, cum frigore & calore, ſe mutuo inſequentibus, ſed temporibus incertis. Maximam etiam pectoris oppreſſionem cum ſuſpiriis & languorem ſpirituum paſſus eſt: nec non animi perturbationem, per intervalla ad delirium uſque recurrentem. Item manuum & linguæ tremorem, cum motibus convulſivis & vigiliis. Pulſus etiam frequens & debilis; lingua viſcoſitate alba obducta, ſed ſine ſiti; & urina ſanorum ſimilis.

Ex oppreſſione pectoris & languore, hanc febrem in miliarem, eamque ex inæquali calore ac leni ſimplicem, terminaturam prænovi. Ideoque carpis emp. veſicatoria, & plantis pedum alia ex cephal. cum euphorbio & pice Burgundica applicanda juſſi, & ſequentia ſumenda ad lenem diaphoreſim excitandam.

℞. *Pulv. e Chel. Cancr. comp. Lapid. Goenſis an.* ʒſ. *Mſ. f. Pulvis ſexta quaque hora e Cochl.* j. *Julap. ſeq. ſumendus, ſuperbib. Cochlearia* vi.

℞. *Aq. Ceraſ. nigr.* ʒiii. *Cinnam. hord.* ʒiv. *Epidem.* ʒi. *Sacchar. perlati q. ſ. Mſ. f. Julap.*

Et ut ſudor lenis continuo, & facilius emanaret, ſeq. apozema addendum curavi.

℞. *Rad. Gragar. Chelidoniæ major, an.* ℥. *Fol. Fragar. Mij. flor. Paralypſeos, p. ij. ſen. Cardui Benedict.* ʒi. *Bulliant. in Aq. font. q. ſ. ad* ℔ii. *Colaturæ adde Syr. Croci,* ʒi. *Mſ. f. Apozema, de quo ſumat Cochl.* x. *ſæpe in die.*

Die 9no, calor, ſine ſubſequente frigore, regularis fuit & cutis humida; ſpirituſque non multum defecere. Æger tamen de quadam oppreſſione pectoris cum ſuſpiriis valde querebatur; & deliria, tremores, motuſque convulſivi adhuc perſtitere. Ideoque pulveris julapii, & apozematis uſum ſuaſi continuandum. Et ad viſcidam materiam, linguæ & palato obductam, mucilagine, ex ſem. cydoniorum & pſyllii cum hordeo coctis, os colluendum præſcripſi.

Die 10mo, calor ſimiliter ac die præcedente regularis ſine renovato frigore, cutiſque humida. Sed motus tendinum convulſivi adhuc majores. Quapropter veſicatoria tibiis internis applicanda juſſi: *Lapid. Goenſ.* ʒi. *cum Pulv. de gutt.* ʒß. *ex Aq. Lact. alex. Cochl.* j. ſexta quaque hora ſumendum *ſuperbib. Cochl.* x. Et quoniam erat æger nauſeabundus, regioni ventriculi apponendum emplaſtrum ſequens.

℞. *Empl. Stomach. Magiſtr. part. ij. Carannæ, Taccamch. an. p.* vi. *Ol. Cinnam. gutt.* vi. *Mſ. f. Empl.* Et ut vicibus interpoſitis bibat hauſtum julapii cum gutt. xv. mixturæ ex *Sp.* C. C. ʒß. *Tinct. Caſtor.* ʒii. Et in quantum præſcripta mucilago vix quicquam in viſcidam materiam linguæ adhærentem prævalebat, gargariſmatis ſequentis uſum imperavi.

℞. *Aq. Meliſ.* ℥vi. *Epidem.* ʒi. *Syr. de Althæa, Jujubin. & Melis Mercur. an.* ʒi. *Mſ. f. Gargariſm.* aquam addidi epidem. ne quid mali, etiamſi parum deglutiret, accideret.

Veſperi pleraque conſpexi ut antea. Motus quidem convulſivi rarius iterabantur; verum ſpiritus valde defecerunt, manuumque ſuperiora frigebant, volis interim calore affectis. Idcirco, omiſſo pulvere de gutteta, bolum ſequentem præſcripſi.

℞. *Conſ. Lujulæ* ʒi, *Bezaor. Orient.* ℈ß, *Croci gr.* vi. *Caſtor. gr.* iv. *Syr. Paralyſ. q. ſ. Mſ. f.* Bolus ſexta quaque hora ſumendus cum julapio antea præſcripto.

Die 11mo mala ſymptomata fere diſparuerunt: ideoque ultima præſcripta juſſi continuanda. Sed quia apozematis patientem tædebat, in ejus locum ſubſtitui aq. lactis & decoct. pectoral. an. ℔i. pro potu ordinario, ut eo melius guſtui gratificarem. Nec quicquam jam de diarrhœa, quaſi ex decocto accidere poſſit, metum offerebat.

Veſperi omnia ut antea. Proindeque in uſu omnium ultimo præſcriptorum perſiſtendum decrevi.

Die 12mo ſimiliter, excepta quadam corporis inquietudine. Ad quam veſicatoria pone aures applicanda juſſi, & ſequentem hauſtum ſtatim ſumendum.

℞. *Aq. Paraliſ.* ʒiii. *Croci* ʒß. *Syr. Paral.* ʒß. *Mſ. f. Hauſtus.*

Die 13tio inquietudini prædictæ jam abolitæ ſupervenit hæmorrhagia narium. Quare ſuaſi ægro, ut affatim bibendo potum ultimo præſcriptum ſanguinem dilueret: ſed & perſiſteret in uſu boli, julapii, & mucilaginis. Et ſi de novo accideret hæmorrhagia, ſequens ſumeretur hauſtus.

℞. *Aq. Spermat. Ranar.* ʒiii. *Syr. Plantag.* ʒiß. *Mſ. f. Hauſtus.*

Sub veſperam hæmorrhagia ſubſtitit. Reliqua ſymptomata, viz. delirium, tremores, motus convulſivi, languores, pectoriſque oppreſſio, in ſtatu eodem fere ac antea fuere: ideoque & ultima præſcripta continuavi. Hoc ſolum addendo, ut apozematis, ex decocti hordei ℔i. ſyr. viol. ʒii. ſumeret cochl. x. ter in die, tepide.

Die 14to, ægroti conditio pene eadem: niſi quod aliquanto magis delirabat. Immiſcui itaque ſingulis bolis camphoræ grana aliquot: & cætera continuanda juſſi.

Die 15to puſtulæ miliares tandem emiſſæ ſpiritus animales elevarunt; attamen tremores motuſque convulſivi iidem manebant; & delirium potius videbatur exacerbari. Cum autem id fieri ex eruptione puſtularum nimis tarda ac rara exiſtimarem; antimonium diaphoreticum (cujus efficaciam, tum ad puſtulas expellendas, tum ad ſedanda deliria, expertus ſum) ſequenti modo præſcripſi.

℞. *Antimonii Diaphoret.* ʒi. *Conſervæ Lujulæ* ʒß. *Syr. Paralyſ. q. ſ. Mſ. f.* bolus ſumendus e cochleari potus pectoralis, ſuperbibendo hauſtum ejuſdem. Poſt horas quinque bolum cum caſtoreo & croco ſumendum juſſi, atque ut alternis vicibus repetantur. Et ut injiciatur gargariſmus ope ſyringæ ſæpe in die: quia lingua, antimonii diaphoretici uſu, frequenter viſcido humore inficitur.

Veſperi uberius altiuſque extabant puſtulæ; aliaque ſyptomata mitiora ſunt, delirio ſolo excepto. Quare & prohibui volatilia, antimonium autem diaphoreticum quinta quaque hora, cum decocto pectorali, repetendum mandavi; & gargariſmatis julapiique uſum continuandum.

Die 16to, puſtulæ erant adhuc crebriores, eæque majores quam quæ primo pullulabant. Longe etiam levius delirium per intervalla. Ideoque cenſui optimum fore, ut ægrotus perſiſtat in ultimo præſcriptorum uſu. Quoniam tamen tremores, moruſque convulſivi, non obſtante puſtularum eruptione, ex aliqua parte manebant, veſicatoria brachiis internis applicanda juſſi.

Veſperi omnia pene ut tempore matutino, excepto delirio, quod fit adhuc mitius. Ex cauſæ nempe metaſtaſi, a cetero in brachia. Nam motus convulſivi intenſiores fuere: Quare & ultimo præſcripta judicavi continuanda.

Die

Die 17mo, pustulæ numerosiores auctioresque erant.

Motus tamen convulsivi reliquaque symptomata prope eadem. Tussis autem ac languor aliquanto graviores. Quare & antea præscriptis addidi aq. theriacal. cochl. j. in spirituum deliquiis, & usum seq. apozematis.

℞. *Decoct. Pectoral.* ℔ij. *Syr. Croci* ℥j. *Mf. sumat Haustum frequenter.*

Vesperi tussis spirituumque defectus fuere leviores: ideoque ultimo præscripta continuanda imperavi.

Die 18vo omnia ut die præcedente vidi, eademque remedia curavi repetenda.

Post horas autem aliquot elapsas a meo discessu iterum accersor. Motus enim convulsivi aucti fuerunt ex improviso, spirituque magis defecerunt. Exinde vero nil metuebam; pustulæ enim copiosissimæ enatæ, motusque aucti convulsivi, delirium mitigarunt. Præscripsi tamen *Pulv. de gutt. cum Sem. Pæoniæ, & haustum ex Aq. Card. bened.* ℥iii. *Croci*, ℈ß. *Syr. Caryoph.* ℥ij.

Eodem die, paucas post horas, nuncius ad me occurrit, qui ajebat, ægrotum brevi moriturum. Quem cum revisi, laborantem inspexi motibus convulsivis, iisque gravioribus. Sed exinde delirium fuit mitius. Et prædixi illius matri, similes motus repetitos iri, donec a delirio perfecte liberaretur. Et ut prædixi, a proxime sequente paroxysmo omnino evanuit: & tam animi quam membrorum quies restituta fuit. Cavendo tamen ne prædicta symptomata novarentur, sequens apozema (sæpissime in adultis, præcipue autem infantibus expertum) præscripsi.

℞. *Ungulæ Alcis rasæ* ℥j. *Sem. Pæon. Visc. Querc. an.* ℥iii, *Ræs. Cran. Human.* ℥ß. *Coqu. leniter in Aq. font. q. s. ab* ℔iß. *Colaturæ adde Syr. Pæon. comp.* ℥iii. *mf. f. Apozema Sumat. Cochl.* x. *frequenter.* Jussi etiam manuum volas pedumque plantas oleo succini illiniendas; succum rad. paralys. tempore paroxysmi naribus attrahendum: sumendumque bolum sequentem.

℞. *Conf. Anthos, Pulv. e Chel. Cancr. comp. an.* ℈j. *Castorei gr.* vi. *Syr. Pæon. comp. q. s. mf. f.* bolus sumendus e julapio antea præscripto. Et ne prædicta, si forsan repeterentur, symptomata, tandem in apoplexiam vel convulsionem generalem terminarent, addidi antimonium diaphoreticum, ad pustulas miliares adhuc numerosius altiusque expellendas. Et ad seri sanguinis morbifici extrahendas reliquias vesicatoria femoribus applicanda jussi.

Die 19no pustulæ copiosissimæ ad tantam crevere molem, ut latæ unguis medietatem æquarent, ut ægroti verbis utar. Delirio deinde motibusque convulsivis profligatis, manuum duntaxat tremor, corporis debilitas spirituumque aliqualis languor superstites fuere. Eoli itaque & antimonii diaphoretici loco jussi pulv. e chel. cancr. comp. ℈j., cum julapio antea præscripto sexta quaque hora sumendum, ad leniter continuandam diaphoresin. Ut languoribus aqua theriacalis usurpetur: in potum ordinarium apozema antepilepticum. Et ad linguam, adhuc quodammodo affectam, gargarisma.

Die 20mo omnia in eodem loco ac in die præcedente stabant. Excipe id tantum, quod pustulæ videbantur paulo minus turgescere. Mandavi itaque ut antimonium diaphoreticum pulvisque e chel. cancr. compositus alternis vicibus sumerentur. Et gargarismatis, & julapii, & apozematis ultimo præscripti in usu persisteret.

Die 21mo pustulæ versus siccitatem declinabant.

Apozema tamen, cum pulv. de lap. goens. & pulv. de gutt. censui continuandum. Nec non gargarisma cum mucilagine, ad linguam nondum ab immunditie omnino liberam.

Vespere calorem linguæ sensit, & internum, sine sudore. Præscripsi itaque margaritarum pp. ℈j, singulis dosibus pulveris jam in usu addendum. Et ex hausto potus ordinarii spir. C. C. gutt. xx. secunda vel tertia quaque hora sumerentur, donec lenem diaphoresin excitaverint.

Diebus 22do & 23io, cum omnia optata viderim, noviissime præscripta decrevi repetenda.

Die 24to, cum internus calor usque persisteret, pulverem jam in usu suasi continuandam. Et in languoribus sal. vol. oleos. cum spir. C. C. ex hausto potus ordinarii sumendum.

Diebus 25to & 26to, reliqua omittendo, solummodo sal. vol. oleos. ex potu ordinario sumend. jussi. Et julapium sequens ad languores, si forte acciderint, in promptu habendum.

℞. *Aq. Cerasi. nigr.* ℥viii, *Scordii compos. Saxon. frigid. an.* ℥ii, *Pæon. comp. & Syr. Pæon. comp. an.* ℥i. *Mf.* Et sic tandem æger perfecte convaluit.

Historia Febris Miliaris ex Opii usu desinentis in Apoplexiam.

Augusti 4to, 1697. evocatus sum ad *D. Thom. Western*, in Vico *Tames street* dicto, cui *D. Lancashire*, erat pharmacopœus. Vir ille habitu obeso gravabatur, & plethora; magno capite, buccinata facie brevique collo præditus. Unde & quocunque morbo antea laboraverat, caput ei semper doluit, & delirabat. Ante dies aliquot lavavit pedes, & cum amicis libere comedit. Postea vero de nausea & ægritudine, cum calore & frigore irregulariter recurrentibus, spirituumque languore & oppressione pectoris cum suspiriis querebatur, nec aqua quædam cordialis, quam sponte sumpsit, ægritudinem levavit.

Cum prædicto die illum visitaverim, pulsus erat frequens & debilis, nausea & ægritudo nihilo mitiores. Cum calore & frigore, vicibus alternis, sed duratione incertis, spirituum defectus, pectorisque maxima oppressio cum suspiriis. Nec sine quadam perturbatione, quoties somnus irrepere incepit. Quibus omnibus rite perpensis, in primis haustulum sequentem præscripsi.

℞. *Salis Vitriol. Vomit.* ℥iß. *Ex Aq. Jugland. comp. sumatur.* Et in languoribus bibat julapii sequentis haustum. ℞. *Aq. Menth.*, ℥x, *Epid.* ℥iß. *Sir. Menth.* ℥j. *Mf. f. Julapium.*

Die 5to nausea & ægritudo minores sunt. Idem vero languor, eadem pectoris oppressio, & ægroti dormituri perturbatio. Pulsus adhuc frequens & debilis. Manuum caluere volæ, minime superiora. Urina sanorum similis; calorque internus sentitur absque siti. Ex quibus symptomatibus novi febrem adesse miliarem. Ut itaque lenem excitarem adiaphoresin, propinque potu illam fovendo symptomatibus prædictis obsisterem, sequentia præscripsi.

℞. *Pulv. e Chel. Cancr. comp.* gr. xxv. *Syr. Caryoph. q. s. Mf. f.* bolus e julapio antea præscripto sumendus sexta quaque hora.

℞. *Decoct. hord.* ℔iß. addendo inter coquendum cocchinellæ ℥j. colaturæ adde *Syr. Caryoph. & Viol.* an. ℥j. *Mf. f. Apozema.* Sumat haustum per intervalla.

Vespere omnia vidi emendatiora. Ideoque bolum ad ℥ß, augendum & continuandum præscripsi. Ut persisteret in usu apozematis; & in languoribus, cum salis volat. oleosi gut. xx, vel aq. theriacal. cochl. ij. At si remissior fuerit diaphoresis, loco salis vol. oleos. spir. C. C. gutt. xx. sumeret. Et quoniam patientis amici eundem narrabant in nullo morbo tandiu a delirio fuisse liberum, hoc itaque præcavendo, vesicatorium nuchæ, & emplastra subpedalia applicanda præscripsi.

Die 6to, mane, cum omnia eadem ac die præcedente viderim, jussi antea præscripta continuanda.

Vespere, quædam in pejorem partem inclinabant. Paucula enim verba locutus est inepte; & cum nausea singultiebat. Præscripsi itaque empl. stomachic. magistral. cum caranna, taccamahacca, & ol. cinnamom., regioni ventriculi applicandum; & possetum salvia & semine anethi alteratum: utpote in singultu a me probatum & expertum, pro potu ordinario.

Die 7mo, minus singultiebat; post duas treve sedes, a delirio omnino liberabatur; pustulæque miliares super pectore emicuere.

Hodie ægroti amici alium Medicum mihi addiderunt collegam. Is sedes, ne pustularum eruptioni obstarent, cohiberi voluit; ideoque astringentia ex diascordio & similibus quamprimum adhiberi. Ego vero, sumendo argumentum a materiæ morbificæ colluvie, nempe tum ad pustulas replendas, tum ad sedes sufficientes, suasi contrarium. Allegavi etiam, exempli loco, fœminam quandam generosam, quæ a diarrhœa, errore quodam suppressa, indeque morbosa materia ex partibus inferioribus in cerebrum irruente, paucas post horas obiit. Et in nostro patiente, scilicet obeso habitu, brevique cervice, & ea ratione ad apoplexiam proclivi, multo magis humorum metastasin nos cavere instabam debuisse. Attamen, ut in hac re mediam ineamus viam, assensum haud difficilem præbui, præscripsimus iraque bolum ex margaritar. & corallior. pp. an. gr. xv. salis absinth. gr. vij. syr. caryoph. q. s. Et ut bibat decoctum album, cochinella concocta, & aq. cinamom. hord. alteratum, instar potus ordinarii. Ut emplastrum ex galbano umbilico applicetur; ut & mucilagine, aq. rosarum extracta, os madefiat.

Vespere diarrhœa multo mirior fuit. Sed aliquanto plus delirabat æger; forte a sedibus rarioribus. Neque a singultu omnino abstinuit. His animadversis, addidimus antea præscriptis emplastra vesicatoria brachiis internis applicanda. Emplastra etiam subpedalia, & possetum alteratum, ut a me antea præscriptum.

Die 8vo, tertius Medicus ad consultandum vocatus suam opinionem, de sedibus necessario supprimendis, statim proposuit. Dixitque alias impossibile fore (ut ipsius verbis utar) pustulas emitti. E contra Medicorum prior, atque egomet objecimus materiæ morbificæ abundantiam, & delirium, aliaque periculosa symptomata, ex illius metastasi metuenda: Sed frustra. Ille itaque sequentia præscripsit.

℞. *Theriac. Androm.* ℥ß, *Pulv. e Chel. Cancror. comp. Spec. Confect. de Hyacinth. an.* gr. xii, *Syr. Cydon. q. s. mf. f.* bolus sumendus e julapii seq. cochl. j. superbibendo julapii dimidium quam primum, reliquum post horam vel primam sedem.

℞. *Aq. Cinnam. Hord. Menth. an.* ℥ii. *Epidem.* ℥i. *Syr. e Mecon.* ℥ß. *Diascordii* ℥j. *mf.* Et emplastra veficatoria tibiis applicanda. Collega primo vocatus illi assensit de bolo sumendo; sed julapium constanter reprobavit. Nihilominus ambo medicamenta (circa nonam matutinam præscripta) sumpta sunt.

Circa tertiam vel quartam pomeridianam iterum convenimus, intelleximusque patientem statim a suppressis sedibus in apoplexiam incidisse. Quem etiam, pustulis miliaribus in universum deletis, sensibus orbum vidimus. Quare & vesicatoria capiti & carpis quamprimum applicanda jussimus, sternutatorium e flor. lilii conv. insufflandum, & sequentia sumenda.

℞. *Salis Vol. Oleos. Tinct. Castorei sp. Lavend. comp. an.* ℥i. *mf.* Sumat frequenter gutt. xxx. circiter, ex haustulo julapii seq.

℞. *Aq. Meliss. Rutæ an.* ℥iiij, *Pæon. comp.* ℥iß. *Spir. Lavend. comp.* ℥iii. *Tinct. Castor.* ℥i. *Syr. Pæon. comp.* ℥j. *mf. f.* julapium ut supra sumendum. Sed incassum omnia; nam paucas post horas mortuus est.

Historia Febris Miliaris ex Aere frigido admisso Lethalis.

Sept. 25. 1700. evocatus sum ad D. *Arnold.* Cerevisiarii *Westmonasterienſis* uxorem. Cui obstetricis officium præstitit *D. Watson*: Et pharmacopœi D. *Proughton*, in Vico vocato *Tuttlestreet*.

Illa, antequam parturiret, dolore colico, ventriculo, ut ajebat, quasi onusto, & spirituum defectu ingemuit.

Cum die supra dicto primum adiverim, aquæ serosæ, ex membranis fœtum in utero includentibus, sed jam dirruptis, effluxerunt, & infantis caput extra orificium uteri internum hærebat. Nempe ex viæ angustia, capitis mole majori, spirituum defectu, doloreque mitiori, quam qui ad partum sufficeret.

De eodem spirituum defectu, etiam post partum exemptum, adeo querebatur, ut astantes omnes illam putarent brevi morituram. Cum autem hoc symptoma jam idem videretur ac ante partum, idemque pulsus, imminentis periculi nil metuens, febrem adesse miliarem palam indicavi, pustulasque prædixi miliares, tandem aliquando exituras. Ut itaque lenem diaphoresin consueta mea methodo excitarem, seq. præscripsi.

℞. *Pulv. e Chel. Cancr. comp.* ℈j. *Castorei* gr. iv. *Syr. Paralys. q. s. mf. f.* bolus quamprimum sumendus e coch. j. julapii communis.

Die 26to Medicus alter magni nominis de patientis salute consulitur. Quam adhuc de spirituum defectu & appresso pectore querentem audivimus. Ex. quo præcipue symptomate prædixi etiam alteri Medico, pustulas miliares suo tempore erupturas.

Ægrotæ pulsus frequens adhuc & debilis; calor universus, & sine alterno frigore; urina sanorum similis; verum a colico dolore (forsan alvi bis solutæ beneficio) libera evasit. Ne tamen lochia minuerentur ex diarrhœa, pilulas imperavimus sequentes sumendas.

℞. *Ca-*

℞. *Caſtorei* gr. vi. *Aſſæ Fœtid.* gr. xii. *Laud. Lond.* gr. *j. Syr. Atripl. q. ſ. mſ. f. Pilul.* n. vi. ſumant ii, urgente alvo; & deinceps quarta quaque hora. Sumatur autem e cochl. i, ſequentis julapii ſuperbib. hauſtulum ejuſdem.

℞. *Aq. Ceraſ.* nigr. ℥viii, *Cinnam. Hord.* ℥iv. *Epidem.* ℥x. *Margar.* pp. ℥i. *Sacchar. albiſſ. q. ſ. mſ. f. Julap.* ſumendum, ut ſupra præſcriptum eſt in languoribus.

Die 27mo ægrotam in eodem ſtatu, quo die præcedente, vidimus: excepta leviori quadam cordis palpitatione. Juſſimus itaque ut perſiſtat in uſu pilularum cum julapio, ſumatque gutt. xx. ſalis volat. oleoſ. in hauſtu potus ordinarii, & in languoribus prædictum julapium.

Die 28vo, puſtulis miliaribus jam in conſpectum eminentibus, ſpiritus minus defecerunt, mitiora ſuſpiria, minor oppreſſio. Recte etiam effluebant lochia, & alvus mediocriter ſoluta fuit. Conſulimus itaque pilulas ſine laudano ſexta quaque hora ſumendas. Mater vero puerperæ, mortem ex diarrhœa pertimeſcens, obnixe rogabat ſiſteretur. Et ut videamur ex aliqua parte ad ejus mentem accedere, mandavimus ſequentis julapii uſum.

℞. *Aq. Menth.* ℥ii. *Epid.* ℥iſ. *Confection. Fracaſt.* ℥j. *Syr. de Mecon. & de Menth. an.* ℥ſ. *Mſ. f. Julap.* de quo ſumat cochl. iv. urgente diarrhœa. Et ut perſiſtat in uſu ſalis vol. oleoſ. & julapii perlati.

Die 29no, ægrotam viſitantes, intelleximus admodum timuiſſe matrem ob diarrhœam, & illi multo largius, quam a nobis conceſſum eſt, de julapio præbuiſſe: Sedeſque exinde primo inſpiſſatas fuiſſe, poſtea omnino ſuppreſſas. Unde & palpitatio, pectoriſque oppreſſio, majores ſubſecutæ ſunt. Quapropter & ſequentia cenſuimus ſumenda.

℞. *Croci* ℈ſ. *Sumatur e Cochl. j. Aq. Lactis ſuperbib. Cochl. V. Sumat, etiam Tinct. Croci gutt.* xx. *ex hauſtulo Aq. Lactis ſæpe.* Uſu etiam croci, ad cordis palpitationem, fluxum lochiorum, ſpirituum defectum, puſtulaſque miliares altius emittendas, reſpectum habuimus: Demumque perſiſtat in uſu pilularum ſine laudano, & julapii in languoribus. Et matris importunitati cedentes, præſcripſimus etiam julap. cum diaſcordio in promptu habendum: dicebat enim mater, ſe id velle. Ægrotæ etiam percontanti, an ſemet in lecto erigere, & ventilabro uti liceat, necne? aſſenſus eſt alter Medicus. Atque etiam, ut in ſe collectis cortinis pateat lectus; igniſque extrueretur vel nullus vel duntaxat parvulus. Interim mihi ab illa quærenti, an ex aere frigido, collo vel pectori admiſſo, quicquam mali ſentiret? reſpondet, ſemet exinde ſpirituum defectum pectoriſque oppreſſionem ſenſiſſe. Quamobrem illam obnixe rogavi, ut toto illo die calido utatur regimine; eoque potius, quod ille eſſet dies febris lacteæ: ne ceſſante diaphoreſi puſtulæ miliares retrocederent. Sed a noſtro diſceſſu ſibi aerem admiſit, puſtulæque miliares ſubito occultabantur. Unde materiæ morbificæ in cerebrum facta eſt metaſtaſis, ſtatimque ægra ſenſibus orbata eſt.

Cum eventus meæ reſponderet prognoſi, ſeorſim vocatus ſum: ſed jam nullum vidi præſcribendi locum.

Ex hiſce duabus hiſtoriis clare conſtat, febrem miliarem, cum ſymptomatibus mitioribus incipientem, ex nimio errore fatalem ſæpe exitum habere.

Hiſtoria Febris Miliaris, ubi quoddam Animi Deliquium maxime mirabile ſupra biduum erat continuatum.

SEPT. 12. 1697. advocatus ſum ad D. *Hall*, ad inſigne Leopardi in *Blackman-ſtreet*, prope divi Georgii Templum habitantem, nono poſt partum die. Cui pharmacopœus D. *Bynn*, & obſtetrix D. *Critier*, in vico *Abchurch-lane* vulgo dicto.

Hæc puerpera annum agebat trigeſimum octavum, & ſextum jam partum enixa eſt. Conſtitutione debilis, tam ex partu ſemper difficili, quam dolore colico ſæpe recurrente. Quemque nuper paſſa eſt, cum calore & frigore alternis, & cum oppreſſione pectoris, ſpirituumque languore. Quæ ſymptomata ab amicis tantummodo vapores, ut vulgo vocant, uſque ad diem quo infans baptizatus eſt, communi errore, æſtimabantur. Quo die viſitantium multitudine adeo fuit obſtrepera, ut exinde ſpiritus ejus, antea debiles intenſe perturbarentur, & tremore ac motibus convulſivis correpta fuerit: Tantaque corporis inquietudine laboraverit, ut maritus vix potis eſſet eam in lecto retinere. Donec tandem, die ſcilicet illum quo advocatus ſum præcedente, in convulſionem univerſalem incidit, & ſummo languore jacuit quaſi pene mortua.

Die ſupra dicto, cum circa nonam matutinam patientem viſitaturus ſim, mihi domeſtici narrabant, maritum ejus meum adventum per nuncium inhibuiſſe: juſſiſſeque, ſi forte adſim, ne me in cubiculum admittant: putabat enim illam revera animam reddidiſſe. Et cum, nolentibus illis, ægrotam adiverim, illam equidem abſque pulſu, abſque reſpiratione (ut per ſpeculum ori & naribus appoſitum probavi) facieque mortis pallidiſſima, in lecto immotam & extenſam ego & aſtantes conſpeximus.

Nihilominus e facto ſcrupuloſiori de antecedentibus ſcrutinio conjecturam feci, mortis ſimilitudinem illam a materiæ morbificæ in totum genus nervoſum metaſtaſi proveniſſe. Nam mihi hic in mentem id venit, quod notatu dignum eſt in piſciculis tubulo vitreo incluſis, & per microſcopium inſpectis: in quibus, ſcilicet, conſpicua eſt ſanguinis circulatio, etiam ſi mortui videantur. Prohibui itaque ne per dies aliquot hanc ægrotam ſtragulis denudarent, & non ante ſeptimanam ſepeliendam. Et multa contentione obtinui cucurbiculas cum ſcarificatione, inter ſcapulas, & femoribus internis applicari permittant, emplaſtra veſicatoria pone aures & ſuper carpis apponi, tempora & manuum volas pedumque plantas oleo ſuccini illiniri; ſuccum paralyſeos, & ex helleboro, ſalvia, & floribus betonicæ ſternutatorium pulverem, naribus alternis vicibus inſufflari; & hauſtum ex aq. lact. ℥vi., nec non apozema pro D. *Bullock* præſcriptum, ſi fieri poſſit, vi in os injici.

Poſt pene biduum, die ſcilicet 13tio, circa quartam pomeridianam, miſſi ad me domeſtici narrabant, Chirurgum, ſimul ac hanc puerperam inſpexerat, admiratione perculſum interrogaſſe, ac cucurbitulas mortuæ applicari vellent. Utcunque tamen eis morem gerens cucurbitulas femoribus appoſuit; at non inter ſcapulas, adeo multum rigebat. Veſicatoria etiam carpis applicarunt. Cæterum die ſupra dicto, nempe 13tio veſperi, licet ne minimum reſpiraret, viſa eſt tamen parum caleſcere. Juſſi itaque cranii humani ℈i., cum aq. rutæ & ſyr. artemiſiæ, ſi fieri poſſit, in os immitti.

Die tandem 14to, circa quartam matutinam, molliſſime reſpirare, atque etiam deglutire incepit. Ideoque emplaſtra veſicatoria inter ſcapulas applicanda iterum præſcripſi. Et ut gutt. xx. ſalis volat. oleoſ. ſumat ſine vehiculo. Quo facto, puſtulæ miliares demum in conſpectum venere. Et in earum incrementum ſequentia ſumenda conſului.

℞. *Pul. e Chel. Cancr. comp.* ℥ſ. ſumatur quarta quaque hora, e cochl. j. julapii ſequentis ſuperbibendo cochl. iiij.

℞. *Aq. Cinnam. Hord.* ℥iv. *Rutæ* ℥iii. *Pœon. comp.* ℥iſ. *Sacchar. albiſſ. q. ſ. Mſ. f. Julapium.*

Et ut bibat de apozemate ex ung. alcis pro potu ordinario.

Die 15to loqui, ſeſeque movere valuit; & de dolore ex veſicatoriis edidit querimoniam: Puſtulæque miliares ſuper pectus pullularunt copioſiſſime. Ideoque antea præſcripta cenſui continuanda.

Die 16to puſtulæ molem acceperunt adhuc multo majorem, menſque illi redintegrata eſt. Nec amplius oppreſſione pectoris, aut languore, ſed ſola corporis imbecillitate, laboravit. Quapropter & ſequentia præſcripſi.

℞. *Pulv. e Chel. Cancr. comp. gr.* xxv. *Aq. Lact. alex.* ℥iiſ. *Epidem.* ℥ii. *Mſ. f.* hauſtus ſexta quaque hora ſumendus.

℞. *Rad. Scorzon. Hiſp.* ℥i. *Cort. Aurant. cond.* ℥vi. *fol. Galeg. Meliſſ. an. Mj, flor. Card. an.* pi. *Sem. Card. bened.* ℥ſ. *Coqu. in A. font. q. ſ. ad* ℔iſ. Addendo colaturæ *Syr. Limon.* ℥i. *Mſ. f. Apozema*, de quo ſumat hauſtum ad libitum; & in languoribus aq. theriacalem.

Ægrotam adeo bene ſe habentem abhinc uſque ad diem 19num omiſi viſitare. Jamque ſolum ſtomachica quædam amara præſcripſi, ad acuendum appetitum, ſumeretque poſt quartam noctem *Sacram Tincturam*, aquaſque *Stretamenſes* die ſequente. Quo facto, in omnium admirationem perfecte convaluit. Tametſi, ut audivi, in nate, durante febre, nimis compreſſa paſſa eſt ſphacelationem. Qua Chirurgi ope ſanata, alios quinque vixit annos; tandemque, ut mihi ejus maritus retulit, ex dolore colico & convulſione eidem ſuperinducta e vita diſceſſit.

Hiſtoria Febris Miliaris in Chronicum Morbum terminantis.

JAn. 14to, 1699. evocatus ſum ad D. *Berenberg*, puerperam, tunc in platea *Walbrook* vulgo vocata habitantem. Cui ut pharmacopœus inſerviebat D. *Baſket*. Obſtetricis autem officium præſtabat D. *Taylor*, in platea *Pater-noſter-Row*.

Querebatur, dum parturiret, de virium maxima imbecillitate. Et poſt partum, ut aſſiſtentes mihi narrabant, tanta oppreſſione pectoris, cum ſpirituum defectu, laboravit, ut ad trahenda ſuſpiria cogeretur. Ex illis tamen ſymptomatibus nihil præter hyſtericos vapores, ut vulgo vocant, ſuſpicatæ ſunt. Pridie autem ejus diei, quo me advocarunt, cum mammas ad lactandum infantem denudaſſet, ad relaxandam alvum ſuper aquæ calefactæ vaporem ſediſſet, frigoreque multo ſemet expoſuiſſet; exinde tandem ſpirituum anguſtia, reſpiratione difficili, aſthmatis convulſivi æmula, tuſſique ſicca, adeo depreſſa fuit, ut illi mortem eſſe in propinquo exiſtimaverint.

Cum primum illam adiverim, de prædictis affectibus, atque etiam de vigiliis querelas edidit. Pulſus illi erat frequens & debilis, & febrilis calor. Urina tamen pallida, & lochia omnino ſuppreſſa.

Ex antecedentibus ſupra memoratis illam febre miliari laborare cenſui: attamen in principio mitiori. Quandiu, ſcilicet, conſueto puerperarum regimine gubernaretur. Poſtquam autem, eo ipſo tempore, ut veroſimile eſt, quo miliarium puſtularum eruptio inſtabat, ſe irruenti frigori denudaverat; materiam morbificam, retrogrado motu pectori interiori impactam, ſupradictum aſthma creaſſe, conjectare licet. Nam ut in pectore a me inſpecto puſtulas tunc primo pullulantes, ita & duntaxat pauciſſimas, cernere potueram.

Statui itaque, mihi conſueta methodo, lenem ſudorem & continuum excitare. Et ut alia medicamenta, convulſivo aſthmati, reliquiſque ſymptomatibus, puerperiſque commoda adjungerentur. Quamobrem & ſequentia præſcripſi.

℞. *Spermatis Ceti* ℈j. *Bezoar. Orient. Croci an.* ℈ſ. *Syr. Heder. terreſtr. q. ſ. Mſ. f.* bolus ſumendus *e Cochl. j. Aq. Lactis alex. ſuperbibendo Cochl.* x. His enim lochiis promovendis, aſthmati levando, excitandis ſpiritibus, & ſudoribus magis liberis conſului. Et ut patienti illiuſque amicis placerem, qui hanc febrem hyſtericum affectum æſtimarunt, atque etiam lochia felicius continuarem, pilulas ſequentes præſcripſi.

℞. *Caſtorei gr.* vi. *Aſſæ fœtid. gr.* xii., *Syr. Pœon. comp. q. ſ. mſ. f. Pil. no.* vi.

Die 15to optime ſe habebat. Nam ex quo bolum ſumpſerat, ſpiritus fuere elevatiores, facilior reſpiratio, renovatur effluxus lochiorum, urina coloratior, puſtulæque miliares ſuper pectus magis conſpicuæ. Bolum itaque die præcedente præſcriptum cenſui repetendum. Addendo *Pulv. de gutt.* grana aliquot, ne aſthma convulſivum recurreret. Umbilico etiam emplaſtrum ex taccamahacca, & emplaſtra ſubpedalia applicanda juſſi. Et in languoribus ſumeret hauſtum julapii perlati: Nec non aq. theriacalis cochl. ii. alternis vicibus.

Veſperi, ex leni perſiſtente ſudore, reſpiratio adhuc facilis, puſtulæ miliares denſiores, ſpirituſque minus defecere. Ideoque, ut in uſu bolorum antea præſcriptorum perſiſteret, duxi optimum fore: ſumeretque, pro re nata, ſucci ſimi equini in *Aq. Card. Bened.* & *Puleg.* infuſi & expreſſi. Nimirum, ut lochiorum effluxus, volatilibus ſimi particulis, excitaretur.

Die 16to noctem intellexi præcedentem ſine ullo ſymptomate ægrotæ tranſiiſſe. Antequam vero ab illa diſceſſi, reſpiratione convulſiva iterata, vires ſubito diminutas ſentiit. Præſcripſi itaque hauſtum ſequentem.

℞. *Aq. Lact. alex.* ℥iii. *Epidem. Syr. Carioph. an.* ℥ii. *Epid. Goenſ. de gutt. an.* ℈ſ. *mſ. f. Hauſtus.* Et poſt horas ſex ſumat etiam bolum antea præſcriptum, pilularumque duas tempore intermedio.

Veſperi ſudorem, ex ſumpto hauſtu, univerſalem dimanaſſe narrabant. Unde & magis extumuere puſtulæ miliares, & aſthma diminutum eſt. Ideoque juſſi perſiſteret in uſu ultimo præſcriptorum omnium. Et ad latus, qui multum attulerunt moleſtiæ, ſaccharo inſtillarentur olei cort. aurant. gutt. iii., & ſumerentur ad libitum.

Die 17mo, cum prædicta ſymptomata debellari viderentur, antea præſcripta continuari conſului.

Die

Die 18vo, ex ſudore intermiſſo, renovantur ſymptomata, cum ventriculi ægritudine, & quadam confuſione, quaſi delirii prodromo, conjuncta. Quamobrem, ad reſtituendum ſudorem, juſſi ut in uſu hauſtus perſiſtat; addendo ſingulis hauſtibus bezoar. Orient. grana aliquot. Ut cum poſſero ſalviato aquam theriacalem large ſumeret, & emplaſtra ſubpedalia repeterentur.

Veſperi ex ſudore copioſe renovato iterum evanuere ſymptomata. Neque exinde quicquam infirmatæ vires, ſed potius auctæ ſuere. Etiamſi quædam rubræ, & prurientes, miliaribus interſperſæ, vi ſudoris excreverint. Juſſi itaque ut in uſu hauſtus & infuſi perſiſteret.

Die 19no. Puſtulæ miliares cœperunt exſiccari: & omnia viſa ſunt verſus ſanitatem perfectam progredi: ſolummodo ſpirituum diminutione excepta. Quapropter & præſcripſi uſum hauſtus cordialis continuari.

Die 20mo vocatus ſum circa quintam matutinam. Quippe quod ægrota in difficilem reſpirationem denuo incidiſſet: Non a puſtulis miliaribus receſſis; cum hæ jam antea penitus exſiccatæ fuerint: Sed forſan a materiæ morbificæ quibuſdam reliquiis, viam quaſi quærentibus qua excerneretur. Nam ex tribus ſedibus, ſponte ac ſubito ſupervenientibus, diſpnœa omnino evanuit, atque ægra quam optime convaluit.

Nihilominus ex illius amicis aliquis alium Medicum advocari vellet. Qui cum adveniret, & puſtulas miliares, jam antea, ut dictum eſt, exſiccatas, nuſquam vidit, ſed tantummodo rubras; me, quod hanc febrem vocaverim miliarem, irriſit: Dixitque rubras puſtulas a ſolo ſudore poſſe oriri. Proindeque juxta indicationes quas ſumpſerat claudicantes aliquot dies præſcripſit, ſed re infecta. Deinde alius Medicus, & poſt illum tertius, atque quartus vocatus eſt. Qui omnes ignoti morbi curationem incaute ſuſceperunt, donec in chronicum tandem tranſiit. Quod ſi noverint hanc febrem revera fuiſſe miliarem, & poſt exſiccatas puſtulas miliares criſin perficiendam naturæ commiſiſſent: nullus dubito, quin morbi lætus fuiſſet exitus. Nam ab illo momento, quo puſtulæ miliares etiam ſalubriter exareſcere ſolent, non infrequenter obſervavi, materiæ morboſæ reliquias vel per inteſtina, in hoc caſu; vel per vias urinarias, ut in ſequenti; vel cum lochiis per uterum, ut in quadam D. *King*, in Vico *Fleet ſtreet* dicto, ſponte & feliciter exterminari.

Hiſtoria Febris Miliaris in Morbum Chronicum, tandemque Mortem deſinentis.

SEPT. 17mo, 1709. vocatus ſum ad D. *Bateman*, equitis aurati uxorem. Hæc ante viginti ſeptimanas, in principio puerperii, dolore colico, oppreſſione pectoris, cum ſuſpiriis ſpirituumque defectu, nec non pulſu frequente ac debili laboravit. Ex quibus ſymptomatibus morbum febrem eſſe miliarem palam prædixi. Et ex uſu diaphoreticorum optime ſe habere ſibi ſuæque matri viſa eſt. Prædicta enim ſymptomata parvipenderunt. Ægrotam itaque diutius viſitare nolui. Conſului tamen ut ſeipſam per menſem lecto affigeret, in eorum quæ præſcripſeram uſu perſiſteret, & ab infantis lactatione abſtineret.

Meo autem conſilio obremperare noluit. Proindeque poſt quinque ſeptimans a partu paſſa eſt recidivam, cum dolore colico & laterali calore & frigore alternatim recurrentibus, oppreſſione pectoris, cum ſuſpiriis, ſpirituumque defectu. Ad lateris dolorem ſanguis fuit emiſſus; unde & auctus languor: & quædam ſuffocatio, hyſterici affectus ſimilis, cum ſuſpiriis illam premebat. Quæ ſymptomata vapores, ut vulgo loquuntur, tam ægra, quam ejus mater æſtimarunt. Cum revera a venæ ſectione, catameniorum tempore, orta ſint. Nam lochia, quæ a partu ad ſextam ſeptimanam uſque duraverant, exinde ſubito ſuppreſſa fuere, & deinceps ad illius e vita exitum.

Jamque, quod ante exacerbationem ſymptomatum magis frigeſceret, morbum putarunt febrem eſſe intermittentem: etiamſi puſtulæ miliares hoc tempore fuere conſpicuæ, Nihilominus ſumpſit corticem Peruvianum ex præſcriptione pharmacopœi. Ex quo motum materiæ, puſtulis adhuc magis augendis aptæ, in cutis ſuperficiem impeditum, eandemque alio tranſmiſſam fuiſſe, minime dubitandum eſt. Primo ſuper femur, tibiam, pedemque; quem Chirurgus ſcarificabat: deinde & ſuper inteſtina, ubi genuit diarrhœam: nec non ſuper nervos pulmonum, ramoſque aſperæ arteriæ capillares, ubi aſthma, cum tuſſi ſputatoria & fœtida produxit. Verum ex emiſſo e pede ſero minime remiſſior fuit dyſpnœa.

A Junii 23io, ad 25tum, Medicus præſcripſit bolum *ex Pul. Chel. Cancr. compoſito, Rad. Serpent. Virg. & Caſtoreo; Decoctum album, Suppoſitorium, Empl. Veſicat. nuchæ, & pedibus Cephalicum.*

Junii 25to, corticis Peruviani decoctum. Die 26. corticis Peruv. pulverem 28vo, julapium *ex Aq. Lact.* ℥iv. *Menthæ, Cinnamomi hord. an.* ℥j. *Laud. liq.* ℥i. *Conf. Fracaſt.* ℥iii. *in Diarrhœam.*

Julii 8vo, *Lac Aſininum cum Pulvere Margaritarum, e Chelis Cancror. ſimplice, & Saccharo perlato. Nec non infuſum amarum ex Abſinthio Romano & Sem. Coriandri; addendo Colaturæ, Gummi Ammoniaci Aq. Pocon. comp. & mirabil. an. q. ſ. diſſoluti* ℥i. *& Aq. Ceraſ. nigr.* ℥vi.

Die 9no, corticem Peruvianum. 16to, *Bolum ex Pulvere e Chel. Cancr. comp. & Theriaca Andromac. Et Decoctum album cum Rad. Tormentillæ.* 29no, *Infuſum amarum, & Pilulas ex pulvere millepedum.*

Aug. 3tio, *Pilulas ex Pulv. Ari comp. Myrrhæ & Syr. Balſamico. Et Decoctum ex cortice Saſſafras; Sem. Dauci, Baccis Juniperi, Rad. Eryngii condit. & Aq. Calcis q. ſ. addendo Colaturæ Aq. Nephriticam.*

Die 17mo in conſultatione cum alio Medico, *Pilulam Mattheuſianam.* 19no, *Veſicatoria Nuchæ & Brachiis applicanda. Pilulas ex Galbano, Cum. Ammoniaco, Croco, & Opobalſamo. Et Julapium perlatum.*

Sept. 6to, *Enema ex Decocto albo, Theriaca Androm. & Diaſcordio. Infuſum amarum ex Radicib. Gentianæ, Helenii, Abſint. & Marrubii foliis, Sem. Dauci & Baccar. Junip. in Aq. font. infuſis addendo Colaturæ Vinum Chalybeatum. Et Bolum ex Diaſcordio, Terra Japonica, & Ol. Cinnamomi.*

Die 13tio, veſicatorium parvum, cum epiſpaſtico unguento, ad diu continuandum ulcus, *Pilulas ex ſpecieb. Diambræ, Caſtoreo, Sale Volat. C. C. & Galbano. Et Julapium Hyſtericum.*

Hactenus tres Medici magni nominis, duoque Chirurgi non incelebres ægrotam viſitarunt. Et hanc morbi methodique præſcribendi hiſtoriam, majori ex parte, ab illa illiuſque matre, iterum advocatus accepi.

Jam tum difficili reſpiratione, diarrhœa, & manuum artuumque inferiorum tumore gravata eſt: Adeo vertiginoſa & languida, ut bis uno die ne ſyncope moreretur metuerint. Pulſus ei valde frequens ac debilis. Et circa meridiem, calore, rubore, & dyſpnœa, quotidie affectam fuiſſe narrabant.

Horum omnium, fere a morbi principio, ſymptomatum, tres quatuorve cauſas fuiſſe arbitror. Quotidianum ſcilicet e lecto egreſſum, lactationem, venæ ſectionem, e ſumptis medicamentis in primis corticem Peruvianum. Hæc enim omnia puſtularum miliarium incremento & durationi certum eſt obſtitiſſe, & materiam morbificam in pulmones, inteſtina, artuſque inferiores tranſtuliſſe.

De hoc morbo, quod ſit immedicabilis, ſeci prognoſin. Præcipue ob ſummam ægrotæ imbecillitatem; & quod dyſpnœa & diarrhæa contraria indicarent.

Triſte confeſſa eſt, multum pœnituiſſe ſe, me poſterius vocatis Medicis non aſſociatum fuiſſe: præcipue, quod ſuam ſororem in ſimili caſu a me ſanatam meminerit. Jam tamen a me propoſita veſicatoria nullibi apponi voluit, etiamſi reſpiratio difficilis & vertigo exigerent. Fontanellas itaque inter ſcapulas apetiendas ſuaſi. Et in ventris tormina, diarrhœam comitantia, ſpiritum millepedum, cujus efficaciam ſæpe expertus ſum, ex hauſtu potus ordinarii, ad gutt. xx. bis in die ſumendum præſcripſi. Et ut ſexta quaque hora bolum ex ſpermate ceti, pulv. e chel. cancr. comp. & croco, ad menſes movendos, lenem diaphoreſin excitandam, reſpirationemque allevandam, deglutiret.

Die 20mo, in reditu meo a Regio apud *VVindeſoriam Caſtello* viſitavi ægrotam, eamque a vertigine omnino liberam conſpexi, ejus ſpiritus haud mediocriter refectos, ventris tormina conſopita, & ſuppreſſam diarrhœam, ut poſtea mixtura opiata non opus fuerit. Perſiſtentibus autem dyſpnœa, ac inferiorum artuum tumore, & univerſa imbecillitate in dies aucta, poſt unam atque alteram ſeptimanam obiit.

Hiſtoria Febris Miliaris cum largiſſimo Urinæ effluxu circa finem.

JUlii 29no, 1705. D. *Loyd* Lintearius, apud Cynaræ inſigne in platea *Cheapſide* dicta, cuique D. *Basket* erat pharmacopœus, me ad ſuam filiolam ſeptem annos natam evocavit.

Habitudine erat tenuior, temperie calidior. Spiritus illi vivaces, ſed facile diſſolubiles. Diebus aliquot præcedentibus, ex calore interno cutis aridior fuit. Pridie hujus diei, cancrum comedit. Ex quo noctu ægrotabat, & calore vehementi ſitique correpta eſt. Quibus etiam ſpirituum defectus, vomitio, pulſus frequens ac debilis, & urina ſanorum ſimilis acceſſere.

Ex morbis antecedentibus & ſymptomatibus prænovi hanc febrem fore miliarem. Ideoque lacteo enemate, ad primas abluendas vias injecto, pro meo more decrevi lenem ac continuam diaphoreſin excitare, calidæque interim & ſiccæ temperiei diluentibus favere. Præſcripſi autem ſequentem in modum.

℞. *Pul. e chel. cancr. comp. gran.* viii. *ſumantur e cochl. j. Julapii ſequentis, ſuperbibendo cochl. ij. vel iij.*

℞. *Aq. ceraſ. nigr.* ℥viii. *Epidem.* ℥j. *Sacchari albiſſ. q. ſ. Miſ. f. Julapium.*

His addidi emplaſtra, ex cephalico cum euphorbio, & pice Burgundica ſubpedalia.

Die 30mo viſitanti mihi narrant, ægrotam ex enemate alvum ſatis dejeciſſe: Noctemque magis placidam, quam præcedentem, illi contigiſſe. Non adeo multum ardebat, calore tamen & frigore alternis mitius affecta fuit, vomitioque omnino ſuppreſſa. Et jam primum ſuper pectus puſtulæ miliares in conſpectum venere. Præſcripſi itaque ut perſiſteret in uſu pulveris, & ad diluendam materiam febrilem, ſudoremque fovendum, poſſetum ſalviatum affatim potaret.

Die 31mo, ſpiritus minus oppreſſi ſunt, & mediocriter refecti. Sed ex uſu poſſeti intermiſſo paulo plus caluit; pulſus frequentior, ſed debilis; puſtulæ tamen miliares aliquanto magis ſuere conſpicuæ. Præſcripſi itaque pulveris e chel. cancr. comp. gr. viii. totidemque margaritarum præparatarum alternis vicibus ſumenda.

Auguſti 1mo puſtulæ miliares ſunt tumidiuſculæ, calorque internus minor. Externe vero paulo plus caluit, cutiſque leni diaphoreſi humectabatur. Juſſi itaque poſt ſubductam alvum ex injecto enemate antea præſcripta repetenda.

Aug. 2do ſpiritus fuere vivaciores, calorque adhuc minor interne. Conſulti itaque perſiſteret in uſu margarit. pp. cum julapio quarta quaque hora: Et ad tuendum caput emplaſtra veſicatoria pone aures applicanda.

Aug. 3tio non adeo equidem externe calebat: verum puſtulæ miliares aſpectum habebant minus laudabilem. Cenſui itaque pulverem e chelis cancr. compoſitum in uſum revocandum. Quoniam vero puellæ mater ægre ferebat medicamenta adeo frequenter ſumenda, ſequentia præſcripſi.

℞. *Aq. ceraſ. nigr.* ℥xii. *Epidem.* ℥iß. *pulv. e chel. canc. comp.* ℥i. *Sacch. albiſſ. q. ſ. Miſ. f. Julapium*, de quo ſumat hauſtum ſexta quaque hora, agitata phiala tempore uſus. Et ſumeret margar. præp. doſin in omnibus intervallis. Uteretur etiam mucilagine *ex ſem. Cydon. & Pſyll. Syr. e Rubo Idæo edulcorata.* Et empl. ſubpedalia repeterentur.

Aug. 4to calor erat multo intenſior, nec ſine quibuſdam motibus convulſis. Puella enim, cujus calida erat naturalis temperies, largius de julapio potaverat, quam debuit. Præſcripſi itaque, julapii loco, margarit. pp. ʒß. ſexta quoque hora ſumendum, e julapii ſequentis cochl. j. ſuperbib. cochl. iij.

℞. *Aq. Lact. alex.* ℥viii., *Epidem.* ℥i. *Syr. e Cort. Citr. q. ſ. Miſ. f. Julap.* Et ad ſeri ſanguinis partem acriorem diluendam, ut lactis aquam alexit. ſumeret edulcoratam, inſtar potus ordinarii. Si diaphoreſis ſuppreſſa fuerit, ſingulis aquæ prædictæ hauſtulis ſpiritus C. C. gutt. iv. adderentur: Et julapio immiſceretur pulveris de gutt. ℥i.

Die 5to motus quievere convulſivi, calor fit mitior, ſpiritus animales vires ſumunt, puſtulæque miliares jam in principio declinationis ſunt. Quæ clare indicant, mala antea memorata ſymptomata non tam a morbo, quam a julapio, nimia quantitate ſumpto, proveniſſe,

Juſſi

Jussi itaque ut in noviſſime præſcriptorum uſu perſiſteret. Naturæ enim non imperandum, ut bene monet *Baglivus*, ſed illius monitis parendum eſt.

Die 6to febris adeo declinavit, ut puſtulæ miliares deſiccare inceperint. Præſcripſi tamen, ad febrilem calorem ſuperſtitem extinguendum, ut lactis aquam cum margaritis præparatis puella affatim bibat, & cortex Peruvianus in promptu eſſet, pro re nata ſumendus.

Die 7mo ſummo mane advocor. Tanta enim copia, tamque ſubito minxit puella, ut de illa, antequam matula afferri potuit, efluxerit urina. Unde pertimuit mater, ne diabetes, & deinde mors ſequerentur; ut ſuo nepoti accidiſſe ajebat. Cum revera partim ex aq. lactis, die præcedente liberalius potata, partim e puſtulis miliaribus, tum exſiccatis, eveniret. Quemadmodum in antea deſcripto caſu, & in eodem morbi tempore, materiæ morbificæ reliquiæ, ad criſin perficiendam, per alvum abierunt. Quod & hic forſan accidiſſet, ſi patientis temperies minus calida, alvus natura laxior, uſuſque margaritarum parcior fuiſſet. Et in ſimili caſu hujuſmodi morbi reliquiæ per lochia nonnunquam expelluntur ut D. *King*, ad trium regum inſigne in *Lugdate hill*, cui pharmacopœus erat D. *Alen*, accidiſſe memini. Illi enim, ſtatim a puſtulis miliaribus penitus exſiccatis, lochia, inſtar ſanguinis ſuper carbones aduſti, nigricantia, ſine ulla cauſa evidenti, aut ſubſequente periculo, per horam integram emanarunt. Et quoties evacuatio neutrius prædicti generis poſt exſiccatas puſtulas contingit, ſæpe vel calorem internis partibus hærentem, cum preſſura ſpirituum, deprehendo; vel quavis levi de cauſa recidivam patiuntur ægri, & nonnunquam mortem ſubitaneam; vel ex materia in artus rejecta, aut eryſipelas, aut hydropicus dolenſque tumor generatur.

Hæc omnia puellæ matri ſigillatim monſtravi, quo melius eam a timore liberarem. Nihilque amplius agendum, præter virium inſtaurationem, vel corticis Peruv. uſum, vel pulveris teſtacei cum lacte aſinino; cujus uſus ei antea bene ceſſit. Alium tamen Medicum aſſociari voluit. Eodem vero tempore ipſe evocor ad nobiliſs. D. *Clarendoniæ* Comitem, ut de ejus nepote, honorabil. D. *Obrian*, conſulerem. Ideo & alter Medicus ſequentia ſolus præſcripſit.

℞. *Pulv. de gutt. Lapid. Contray. an. gr.* vj. *Caſtor. Salis Vol. C. C. an. gr.* ij. *Conſ. Alcherm. ſine Moſch.* ℈j. *Syr. Pœon. comp. q. ſ. M. f.* bolus ſtatim ſumendus, & ſexta quaque hora, ſolutus in Coch. i. julapii.

℞. *Decoct. albi* ℔j. *Aq. Cinam. hord.* ℥j. *Sacch. albiſſ. q. ſ. Miſ. f.* Apozema pro potu ordinario.

℞. *Salis vol. Oleoſ.* ℥ii. *ſumat gutt.* vi. frequenter in potu quovis ordinario.

Et applicentur emplaſtra veſicatoria brachiis internis & inter ſcapulas.

Hujus præſcripti chartulam D. *Basket* pharmacopœus ad me miſit. Qua perlecta ſtupore quodam perculſus ſum; dixique, cum minime retroceſſerint puſtulæ miliares, ſed regulariter & ſine quovis pravo ſymptomate exſiccarentur, me ex medicamentis calorificis, & a puella calidi temperamenti ac debilitata ſumptis, nil melius quam febrem de novo accenſam, mortemque minitantem ſperare.

Nec me mea fefellit conjectura. Cum enim circa horam veſpertinam puellam viſitaverim, ut omnia, ſecundum præſcriptum ultimo memoratum, intellexi facta fuiſſe: ita & puellam ardore vehementiſſimo, cum ſiti ingente, linguaque arida, & reſpiratione difficili, laborantem vidi. Attamen, abſente altero Medico, nihil præſcribere mihi viſum eſt.

Die proximo mane nobis, una puellam viſitantibus, narratum eſt, illi peſſime tranſiiſſe noctem, & jam ardebat maxime, ſitique valde urgente & diſpnœa afflicta fuit. Et mihi interroganti alterum Medicum, qualibus indicationibus ſatisfeciſſe propoſuerat? Reſpondet, ſe me abſente, qui ſolus morbi hiſtoriam enarrare potui, puſtulas miliares retrogradas æſtimaviſſe. At cum id fieri non poſſe monſtraverim, habita conſultatione, conceſſit Medicus doſin diminuere, & ſequentia præſcribere.

℞. *Lapid. contray. Pulv. de gutt. an. gr.* iv. *Croci*, *Caſtor. an. gr.* i. *Syr. Pœon. comp. q. ſ. Miſ. f. Bolus ſumendus e Cochl.* i. *Julapii*, Sumeretque ad diluendos humores decoctum album pro potu ordinario. Et ne ex alvo adſtricta uſuque boli calor excitaretur, ſuppoſitorium præſcripſimus ex mele & ſale gemmeo.

Die 9no calor fuit remiſſior, liberiuſque reſpiravit. Præſcripſimus itaque enema ex lacte ſaccharato, bolumque unum.

Die 10mo in ſtatu longe meliori puellam vidimus, ſymptomatibus, a calidis medicamentis ortis, conſopitis omnibus. Attamen ad recuperandas vires, caloriſque interni recurſum præveniendum, pulverem præſcripſimus ſequentem, e cochl. i. lactis aſinini ſumendum, ſuperbibendo ℔ß. tepide.

℞. *Pulv. e Chel. Cancr. comp. Margar.* pp. *an. gr.* vj. *Miſ. f. Pulvis*.

Die 11mo ut adhuc tutius præmuniamus puellam, ne illi febrilis calor novaretur, conſuluimus. *Cort. Peruv. Pulv.* ℈ℨ. *e Cochl.* i. *Julapii* quarta quaque hora ſumendum; & pro re nata, aq. lactis hauſtulum. Et ad perficiendam valetudinem rus adiret, ubi ſaniori ſtatu ſemper gaudebat.

Haud multo poſt audivi illam iterum male valere; alioſque advocari Medicos. Id autem minime mihi diſplicebat: nam ſub eorum cura obiit; cum antea, me illam curante ſolo, Deoque favente, tam bene illi res ceſſerit, ut e febre mediocri tempore evaſerit.

Hiſtoria Febris Miliaris in Mammæ Apoſtema terminantis.

JUnii 12. 1699. ad viti admodum honorab. D. *Trevor.* Commun. Placitor. Juſticiarii capitalis uxorem, jam defunctam, circa ſui puerperii principium, evocatus ſum. Cui pharmacopœus erat D. *Gelſt. horp* obſtetrix, D. *Dodſon*.

Cum gracili corpore animum poſſedit tranquillum; Spiritus tamen nativos debiliores. Ante partum in calorem internum ſæpe incidit. Poſtea doluere dorſum & femora, ut in puerperis ſolent: Et doloribus remiſſis, horrore correpta eſt; quem febrem eſſe lacteam putarunt mulieres: tertio enim a partu die contigit.

Quoniam tamen ſpiritus deficere ſenſit, die prædicto vocatus ſum. Cum obſervaverim ſymptomata, quadam oppreſſione pectoris ſuſpiria cogente, ſumme dejectis ſpiritibus, capitis dolore, pulſuque frequenti ac debili, illam laborare vidi. Urina ſanorum ſimilis, palmæ erant calidæ, lochia effluebant, alvuſque potius acceſſit ad laxitatem. Denudato autem pectore, inibi numeravi puſtulas tres miliares. E quibus, etiamſi pauciſſimis, ſatis aperte conſtabat, hanc febrem eſſe miliarem. Mihi autem id affirmanti digniſs. D. *Hamden*, aliæque aſtantes, vix aſſentiri voluerunt.

Attamen ex numero puſtularum adeo parvo materiam ad eas fovendas aptam alio tendere ſuſpicatus ſum. Ut itaque earum eruptionem leni & continua diaphoreſi promoverem, ſequentem hauſtum ſexta quaque hora ſumendum præſcripſi.

℞. *Aq. Lact.* ℥iii. *Pœon. comp.* ℥ß. *Pul. e Chel. Cancr. comp. gr.* xv. *Pulv. de gutt.* ℈ſ. *Syr. Meliſſ. q. ſ. Miſ. f. Hauſtus*.

Pulverem e Chel. cancrorum paulo minori quantitate præſcripſi, ne motum ſanguinis magis accelerem, quam diaphoreſi jam excitatæ continuandæ par eſſet. Ad tuendos nervos, ſi puſtulæ forte retroceſſiſſent, addidi pulv. de gutteta cum aquæ lactis majori doſi diluente.

Præſcripſi etiam ad capitis dolorem emplaſtrum veſicatorium inter ſcapulas applicandum, & empl. ſubpedalia. Et pro alimento ut pullorum jus ſorberet. Quod, ut magis nutritium, in hac febre potius quam in quavis alia, præcipue in natura debilibus, præbere ſoleo. Quibus & adjunxi ſeq. Julapium ad libitum ſumendum.

℞. *Aq. Meliſſ.* ℥viii. *Cinnamom. hord.* ℥iv. *Epidem.* ℥i. *Sach. perlati* ℥ii. *Miſ. f. Julapium*.

Die 3tio melius ſe habuit, ex omni parte. Attamen, ne remitteretur diaphoreſis, præſcripſi bolum ſequentem.

℞. *Conſ. Anth.* ℥ß. *Pulv. e Chel. Cancr. comp.* ℥ß. *Syr. Meliſſ. q. ſ. Miſ. f.* Bolus ſumendus cum Julapio.

Veſperi febris exacerbata eſt primo contingentibus ſymptomatibus. Quibus etiam acceſſit reſpiratio dificilis: Nec non levior diarrhœa, e lochiis diminutis. Nam excrementitia materia tentabat tranſitum ab utero ad inteſtina. Sequentem itaque bolum cum julapio ſumendum præſcripſi.

℞. *Conſ. Anth.* ℥ſs. *Theriacæ Andr.* ℈i. *Pulv. e Chel. Cancr. comp. Croci*, *an.* ℈ſ. *Syr. Meliſſæ q. ſ. Miſ. f. Bolus*.

Theriacam prætuli diaſcordio, quod non ſolum moderetur alvum, ſed & plerunque magis faveat ſudoribus. Et omiſſis aliis adſtringentibus, crocum addidi, ut uberiorem fluxum lochiorum, ſine aſtrictione glandularum inteſtinalium, reſtituerem. Quæcunque enim inteſtina aſtringunt, ſuum eriam utero affectum imprimunt. Quod in primis advertendum eſt, ne ex uno ſanato ſymptomate aliud generetur.

Veruntamen, ne bolus ſupra dictus minus ſit efficax, ſeq. julapium præſcripſi in promptu habendum.

℞. *Aq. Ceraſ. nigr.* ℥viii. *Cinam. hord.* ℥iv. *Epidem.* ℥j. *Conſ. Fracaſt.* ℥j. *Conſ. de Hyacinth. ſin. od.* ℈ſ. *Syr. de Menth.* ℥i. *Miſ. f. Julap. de quo ſumat. Cochl.* iv. *poſt ſedes ſingulas*. Et ne quid mali accideret ex opiatis, præſcripſi veſicatoria carpis applicanda. Quæ etiam in diarrhœa nonnunquam proſunt, dum materiam morbificam ad exteriora revellunt.

Die 4to a ſumpto bolo theriacali ſomnum ſudoremque ſecutos fuiſſe intellexi. Unde & omnia ſymptomata in meliorem partem inclinarunt. Neque aſtringenti julapii opus erat. Præſcripſi itaque bolum cum julapio perlato repetendum. At ſine theriaca; quod hic minus calida ad continuandam diaphoreſin viderentur ſufficere. Et ineſficacis medicamenti, majore quantitate quam par eſt adhibiti, exemplum habemus in ſalivatione. Hanc enim ſæpe, & præcipue in debilibus, mercurii dulcis gr. v. vel x. ſingulis noctibus ſumpta, felicius producunt, quam ejuſdem medicamenti tripla doſis. Cujus etiam rei teſtis eſt D. *Tindal* pharmacopœus. Qui, cum hanc methodum cuidam patienti præſcripſiſſem, multa admiratione dixit, ſe nil inde expectare: nuperrime enim doſes multo majores prædictæ patientis filiæ, a magni nominis Chirurgo dari, & vel undecim hebdomadas fruſtra continuari, viderat. Verum mercurius dulcis nimia quantitate ſumptus ſanguinis motum adeo accelerat, ut materiam, quæ ex mediocri doſi per glandulas ſalivales ſecerni ſolet, vomitione aut ſedibus expellat. Et notum eſt, in melancholicis alvum facilius ſubduci medicamentis lenitivis, quam catharticis pleriſque fortioribus. Et pari modo ſudor jam profluens, diaphoreticorum doſin augendo vel nimis frequenter repetendo, ſæpe in ardorem deſinit.

Attamen ne ad continuandum ſudorem deeſſet materia, Apozem. ſeq. præſcripſi.

℞. *Rad. Fragar. Chelid. major. an.* ℥ſs. *fol. Meliſſ. Fragar. Chelid. an.* p. *ij. Sem. Card. bened.* ℥ij. *flor. Cordial. an. p.* ß. *Coquantur in Aq. font. q. ſ. Colaturæ* ℔i ß. *adde Aq. Epidem.* ℥ij. *Miſ. f. Apozema*.

Veſperi rediit exacerbatio, ſed multo levius. Bolum itaque theriacalem repetendum præſcripſi. Deinde, poſt horas ſex, bolum ſine theriaca: Et emplaſtra ſubpedalia applicanda.

Die 5to ſymptomata quæque vidi benigniora, puſtulaſque miliares ad maturitatem properantes. Præſcripſi itaque ut in uſu boli ſine theriaca, apozematis, & julap. perſiſteret.

Quoniam tamen dyſpnœam renovari poſſe ſuſpicatus ſum, ſi exacerbationes prædictæ iterentur, donec puſtulæ exſiccatæ fuerint, alium Medicum in conſultationem vocandum monui, quem patientis amici nominarunt. Veſpere itaque convenientes ſymptomata totum illum diem fuiſſe leviora intelleximus. Jam vero vidimus omnia, nempe diarrhœam, diſpnœam, ſpirituumque defectum exacerbati. Præſcripſimus itaque ſequentia.

℞. *Pul. e Chel. Cancr. comp. Conf. Fracaſtor. an.* ℥ſs. , *Syr. Caryoph. q. ſ. Miſ. f.* Bolus ſumendus ix. Cochl. i. julapii ſequentis, ſuperbibendo cochl. v.

℞. *Aq. Ceraſ. nigr.* ℥x. *Puleg. Bryon. comp. an.* ℥ii. *Margar.* pp. ℥ii. *Sacch. albiſſ. q. ſ. M. f. Julapium*.

Die 6to mane, non obſtante bolo, patiens ſexies ſedem petiverat, noxque ei inquiete tranſiit. Nec jam exacerbatio omnino finita fuit. Juſſimus itaque bolum continuandum, & veſicatoria brachiis internis applicanda. Quibus addidimus gargariſmum decocto plantaginis cum toto, & ſeq. enema.

℞. *Seri Lact. Vino Hiſp. ſeparati* ℥x. *Elect. e Baccis Laur.* ℥j. *Sach. rubr.* ℥ii. *Miſ. f. Enema*.

Attamen interrogatus ſeorſum a D. Hedges, ægrotæ matre; Quid ad magnum illum ſpirituum defectum ſit faciendum? Suaſi, ut in Aq. Lact. hauſtulo croci ſumeret ℈ſ, & poſt aliquot horas repeteret.

Veſperi nobis narratum eſt, patientem omiſiſſe bolum cum dia-

diaſcordio. Sed croci, ut a me præſcripti, uſu repetito, levioribus ſymptomatibus diem tranſegiſſe. Nam ex leni ſudore puſtulæ miliares laudabili modo ſe extulerunt. A juvantibus itaque indicationem ſumentes præſcripſimus pulverem ſequentem.

℞. *Pulv. e Chel. Cancr. comp.* ʒſs, *Croci Pulv. gr.* vi. *Mſ. f.* Pulvis ſexta quaque hora ſumendus cum julapio.

Die 7mo viſa eſt optime ſe habere. Alvus ei mediocriter ſoluta fuit; nempe longioribus intervallis, & ſine virium jactura. Neque inde puſtulæ miliares diſparuere. Quamobrem, ut in uſu alterno boli ſine diaſcordio, & pulveris ultimo præſcripti cum julapio, perſiſteret decrevimus.

Veſperi ſymptomata, cum difficili reſpiratione & diarrhœa, exacerbata ſunt. Quare & præſcripſimus bolum cum diaſcordio, & reliqua ut antea.

Die 8vo etiamſi bolum ſumpſiſſet cum diaſcordio, haud tamen ita bene ſudaſſe aut dormiiſſe, ac poſt bolum theriacalem a me præſcriptum aſtantes ajebant. Magis enim inquieta fuit & calida, difficiliuſque adhuc reſpirabat. Præſcripſimus itaque, ut in uſu pulveris perſiſteret.

Veſpere videbatur novam pati exacerbationem. Ego vero ultimam nondum penitus finitam eſſe cenſui. Loco itaque boli diaſcordialis theriacalem præſcripſimus repetendum.

Die 9no intelleximus, noctem præcedentem fuiſſe facillimam. Et jam quæque ſymptomata benigna, puſtulaſque miliares, & numero & mole auctas vidimus. Præſcripſimus itaque in exacerbationis intervallis bolum ſine diaſcordio aut theriaca ſumendum. Opiata enim tempore exacerbationis ſumpta melius operari, expertum habeo: præcipue ſi veſicatoria ſimul applicarentur.

Die 10mo, poſt noctem valde pacatam, ægrotam ſpirituum ſummo defectu, madore frigido, & univerſali, præcipue in manibus, fractam mirati ſumus. Præſcripſimus itaque croci ℈ſs, ex hauſtulo Aq. Lact. bibendum; & ſuppoſitorium ex melle ſpec. hier. cocto intrudendum. Ut lap. Goenſ. ℈j., cum croci g. vj, ſumeret ſexta quaque hora: hauſtumque cum croco in languoribus & madore frigido. Nec non apozema pectorale, cum linctu oleoſo, ad moderandam tuſſiculam jam primo ortam, ne puſtulis ad ſiccitatem tendentibus materiæ morbificæ reſiduum in pulmones irrueret.

Diebus ſequentibus nihil præter julapium perlatum & crocum, in languoribus ſumendum, & diætam nutritiam, præſcriptum eſt. Quibus adeo vires patientis auctæ ſunt, ut poſtea materiæ morbificæ reliquiæ in mammarum glandulas tuto ſecernerentur. Verum ad ejus imbecillitatem habita ratione, pilula tart. quercet. aliquot vicibus ſumpta, materiæ prædictæ maturationem tardare volui. Quo facto, ita bene res ceſſit ſub cura D. *Bernard.* Chirurgi Regii, ut paulatim, & pene ſine dolore, pus generaretur, & paucis poſt diebus optime convaluerit.

Veruntamen paulo ante proximum puerperium narravit Medico magni nominis ſe ſub præcedente, febre correptam fuiſſe; & ex calore, quem ſenſit interno, timere ne ſimiliter recurreret. Quare ille Medicus ſanguinis ʒx venæ ſectione emittendas conſuluit. Qua facta, ut fœtum in utero languidius moveri ſtatim ſenſerit; itaque cum ad partum ventum eſſet, adeo debilitata fuit, ut antequam illam adire potuerim, in ipſo conatu, ad excludendum fœtum (etiamſi hic rite poſitum) neceſſario, ſupremum diem obierit.

Hiſtoria Febris Miliaris, ex Frigore prope Mortalis.

SUb finem menſis Julii 1706. vocatus ſum ad filiam Dom. *Smith* in area, *Bartholomew cloſe* vulgo vocata, ſtatim poſt partum. Cui obſtetricis officium præſtitit D. *Summers*, & D. *Springet* pharmacopœi.

Poſt partum paſſa eſt fluxum lochiorum nimium, cum pectoris oppreſſione maxima ſpirituumque defectu: nec non frequenti pulſu ac debili, manibuſque ſuperius pene frigidis. Quorum ſymptomatum, cum nulla cauſa, ſive ad infantem, ſive placentam, habita ratione, apparuerit: a quodam febrili calore, ejus ſpiritus exhalante, & ſimul frangente vaſorum vim retinendi, pendere videbantur, febremque miliarem, latentem monſtrare. Sequentia itaque præſcripſi.

℞. *Pulv. e Chel. Cancr. comp.* ℈j. *Caſtor. gr.* iv. *Syr. Paralyſ. q. ſ. Mſ. f. Bolus in Cochl.* j. *Julapii perlati communis ſumendus, ſuperbib. Cochl.* iv. *vel* v. Id ſcilicet mihimet ipſi propoſui, ut, facta per diaphoreſim ſecretione mediocri, moderarer uterinam. Nam ut ſanguinis fermentatio aut motus violentior ſecretionem minuit: ita & altera evacuatio alteram. Quem duplicem aphoriſmum, ex multiplici mea obſervatione enatum, habeo. Neque adeo tuto vel aſtringentia præſcripſiſſem, vel opiata. Dum ex nimio lochiorum fluxu, hoc modo diminuto, forſan & fluxus naturalis defectus ſequeretur. Cujus rei effectus quantum metuendi ſunt, tam Medici, quam obſtetrices bene norunt.

Meæque in hac re conjecturæ ſumpti medicamenti operatio dedit ſuffragium. Nam boli uſum, ut ſpirituum antea depreſſorum elevatio, ita & lochiorum diminutio ſecuta eſt.

Dehinc, etiamſi prænoverim, febrem ſuam naturam brevi patefacturam: ne tamen patientis amici ſtudere me lucro putarent, de illa tacens, conſului, ut in uſu boli mane, & veſperi perſiſteret, in lecto maneret, ſeque ab omnium conſortio averteret. Ut tranquilli eſſet animi, pro cibo ſumeret pulli gallinacei brodium, nec non decoctum avenarum excorticarum vinoſum; & pro potu ordinario, poſſetum ſalviatum; addendo ſingulis hauſtibus ſpiritus cornu cervi guttas aliquot, ſi diaphoreſis remiſſio contigerit: & in languoribus ſalis vol. oleoſi ſimiliter. Hoc facto, patienti in aliquot dies valedixi.

Deinde redeunti mihi narratum eſt ab adſtantibus, mea mandata diligenter illam obſervaſſe, & mediocri uſam fuiſſe valetudine; vaporibus ſolis (ut locuti ſunt) exceptis. Spirituum enim defectum, pectuſque oppreſſum paſſa eſt, cum vigiliis & animi perturbatione ex obrepente ſomno. Calore enim & frigore alternis vicibus, ſed inæqualibus intervallis, & præcipue in ſudoris intermiſſione recurrentibus, affecta eſt. E quibus ſymptomatibus adhuc certius prævidi, puſtulas miliares ſe tandem exhibituras.

Hujuſmodi fere ſtatum febris retinuit uſque ad diem Auguſti undecimum. Ubi a prandio vocatus ſum ad illam, ſyncope ex improviſo correptam: quamque brevi morituram amici æſtimarunt. Cum illi adſim, e lecto ſurrexiſſe intellexi, & deinde ſtatim in ſyncopen incidiſſe: nec ab ea evaſiſſe, donec in lectum redierit. Ego vero puſtulas miliares editas fuiſſe ſubolens, & ab irruente frigore retroceſſiſſe; eas equidem in denudato pectore deprehendi, ſed inter ſurgendum depreſſas.

In hoc caſu non ad vehementer calida cenſui confugiendum, ne, nimis ſanguinis accelerando motum puſtularum uberiorem proventum, magiſque aſpectabilem impedirem. Verum iſtiuſmodi potius elegi medicamenta, quæ, cum mitiora ſint, felicius excitarent diaphoreſin, & emittendo puſtulas, depreſſos ſpiritus elevarent. Sequentem itaque in modum præſcripſi.

℞. *Con. Acetoſ.* ℈j. *Bezoar. Orien. Croci an.* ℈ß. *Syr. Paralyſ. q. ſ. Mſ. f. Bolus ſumendus e Cochl. j. Julapii ſequentis ſuperbib. hauſtum ejuſdem.*

℞. *Aq. Ceraſ. nigr.* ʒ. x. *Angel. comp.* ʒiß. *Sacch. perlati q. ſ. Mſ. f. Julap. de quo ſumat hauſtulum ut ſupra, & in languoribus. Repetatque Bolum ſexta quaque hora.*

℞. *Salis Vol. Oleoſ.* ʒß. *ſumat. gutt.* xx. *cum potus ordinarii hauſtulo aliquoties in die. Et ſubpedalia Emplaſtra applicentur.*

Die 12mo multo melius ſe habuit. Spiritus enim nec adeo depreſſi ſunt, neque perturbati; puſtulæque magis confertæ, & expanſæ, magiſque extumuere. Unde eas ex frigore retroceſſiſſe patet. Alias enim tantum progreſſum, tamque ſubitaneum feciſſe, minime exiſtimandum eſt. Juſſi itaque ut in uſu boli, & Julapii perſiſteret, ſumeretque in languoribus Aq. Theriac. tenuioris Cochl. ij.

Die 13tio cum quæque viderim laudabilia, ne ſæpe viſitando tædium patienti afferrem crearemque ſumendorum odium, ſequentia, uſque ad diem decimum ſeptimum, continuanda juſſi.

℞. *Pulv. e Chel. Cancr. comp.* ℈j. *Caſtor. gr.* iv. *Syr. Paralyſ. q. ſ. Mſ. f. Bolus ſexta quaque hora ſumendus cum julapii perlati hauſtulo.*

℞. *Caſtor. gr.* vi. *Aſſæ fœtid. gr.* xij. *Syr. Paralyſ. q. ſ. Mſ. f. pilulæ* n. vj. *ſumat.* ij. *in Intervallis, ad fluxum Lochiorum continuandum.*

Die 17mo puſtulis jam exſiccatis, patiens uſquequaque recte ſe habuit. Excepto quodammodo frigido madore, per intervalla, recurrente. Cui ut occurrerem, provideremque ne quid mali a puſtulis jam deletis accideret: juſſi, ut in uſu boli dies decem perſiſteret. Et ſi e lecto ſurgendo defici ſpiritus ſentiret, ſtatim in eundem rediret, bolumque præſcriptum ſumeret. Quibus obtemperando præceptis, perfecte convaluit.

Hiſtoria Febris Miliaris, cum Delirio maxime furioſo.

MAji 24. 1699. evocatus ſum ad D. *Powell*, in platea *Baſinghall. ſtreet.* vulgo dicta, Ancillam; cui D. *Dalton* erat pharmacopœus.

Hæc primo capitis dolore, & frigore caloreque alternis, ſed mitioribus, rure affecta fuit. Una cum magno ſpirituum defectu, & pectoris oppreſſione ſuſpiria cogente. Quæ ſymptomata, a menſibus obſtructis, & exinde vaporibus (ut vulgo loquuntur) provenire, domeſtici putarunt.

Cum autem indies ingraveſcerent, primo meæ viſitationis prædicto die, illam pulſu frequenti ac debili maximoque languore vidi laborantem, adeoque vehementer delirabat, ut penitus neſciverit reſponſa dare; vociferabaturque, etiam in vicinorum moleſtiam. Unde & judicavi, hanc febrem fore miliarem. Sed ex omiſſo hactenus debito regimine, materiam puſtulis generandis aptam, partim inhærere ſanguini, & ex parte nervis impelli.

Præſcripſi itaque enema, *ex Decoct. communis pro Clyſt.* ʒviij. *Mellis Mercur.* ʒij. *Sacchar. rubr. q. ſ. injiciendum quamprimum.* Veſicatoria etiam carpis applicanda, & ab enematibus finita operatione, bolum ſequentem ſexta quaque hora ſumendum.

℞. *Conſ. Acetoſ.* ʒß. *Pulv. e Chel. Cancror. comp.* ℈j. *Croci gr.* iv. *Sem. pæon. gr.* vj. *Syr. Atripl. q. ſ. Mſ. f. Bolus in Cochl.* j. *julap. ſequentis ſumendus ſuperbib. Cochl.* iv.

℞. *Aq. Ceraſ. nigr.* ʒviij. *Aq. pæon. comp. Syr. Atripl. an.* ʒj. *Mſ. f. julapium.*

Ad deobſtruendos menſes pilulas ſequentes præſcripſi.

℞. *Aſſæ fœtid. gr.* x. *Caſtor. gr.* v. *Syr. Atripl. q. ſ. M. f. pilul.* vi. *capiat* ij. *ſexta quaque hora Bolorum uſui interpoſita.*

Et in furorem, ſi inſomnis fuerit, ut addatur bolo circa horam quartam matutinam ſumendo, *Laudan. Lond. gr.* j.

Die 25to pulſus ei, ut antea, frequens ac debilis, perſtititque vociferari. Non autem continuo deliravit. Bolum itaque cum laudano amici omiſerunt, proinde & ipſe bolum ſine laudano, cum julapio, & pilulis, continuando præſcripſi.

Veſpere paulo melior erat morbi facies ac matutino tempore. Cœperunt enim ſudores jam effluere, pauculæ in pectore puſtulæ miliares pullulare. Alvus tamen, enematis antea præſcripti vim eludens, adhuc valde ſtricta fuit. Quamobrem & aliud juſſi injiciendum.

℞. *Decoct. commun. pro Clyſt.* ʒviij. *Elect. Lenit.* ʒj. *Cenſ. Hamech.* ʒß. *Sacch. rubri q. ſ. Mſ. f. Enema.*

Et ab enematis operatione finita, ut ſumeretur bolus ſequens.

℞. *Conſ. Acetoſ.* ʒß. *pulv. Chel. Cancr. comp.* ℈j. *Syr. Meliſſæ q. ſ. Mſ. f. Bolus quinta quaque hora ſumendus.*

His addidi mucilaginem ex ſemin. cydon. & pſyllii decocto hordei extractam, & ſyr. e rubo idæo edulcoratam; ſumendam cochleatim, ſenſimque deglutiendam.

Die 26to ab aſtantibus intellexi, ſomni paululum obrepſiſſe patienti poſt enema rejectum, totamque noctem continuaſſe diaphoreſin. Plures etiam jam extitere puſtulæ, & ſuſpiria fuerunt rariora. Præſcripſi itaque bolum repetendum.

Veſperi mihi narratum eſt, ægrotam omnia ſymptomata de novo paſſam fuiſſe: Et in vehemente ſuo furore ſe adeo in lecto jactaſſe, ut inde ſudores ſubſiſterent. Quos ut reſtituerem, ſpirituumque turbulentiam pacificarem, camphoræ uſum, (in ſimili caſu ſæpe a me expertum) cum emulſione ſequente conſului.

℞. *Sem. Papav. albi* ʒij. *Amygd. dulc. excort.* n. xv. *Contund. cum decoct. Hord. q. ſ. affundendo deinde ejuſdem decocti* ℔iij. *Edulcoretur Colatura Saccharo albo pro potu ordinario.*

Juſſi

Juſſi etiam ut julapium repeteret, & bolum cum laudano die ſequente mane.

Die 27mo dictum eſt, patientem a ſumpto laudano vix quicquam dormire potuiſſe. Ex uſu autem camphoræ totam noctem perſtitit diaphoreſis, puſtulæque plures extitere. Juſſi itaque bolum ſine laudano continuandum.

Die 28vo eædem puſtulæ miliares viſæ ſunt incredibili conſtipari numero. Quæ attamen haud uſque adeo profecerunt, quin delirium vociferanſque furor recurrerent. Cum itaque Antimon. diaphoretici vim, tam ad puſtulas expellendas, quam ad compeſcendum delirium, ſæpe expertus ſum: ſequentia præſcripſi.

℞. *Antimon. Diaphor. Pulv. e Chel. Cancr. comp. an.* ℈ß. *Mſ. ſumatur ter de die e Cochl.* j. *Julap. ſequentis, ſuperbib. Cochl.* v.

℞. *Aq. Ceraſ. nigr.* ℥vj. *Meliſſ.* ℥jv. *Epidem.* ℥ij. *Syr. Meliſſæ* ℥j. *Mſ. f. Julap.*

Et ad calorem internum ac ſitim, linguamque ſordidam ac ſiccam, præſcripſi Decocti Hord. ℔ij. Syr. Viol. ℥iij. edulcoratas pro potu ordinario.

Die 29no poſt noctem multo quietiorem quam antea, puſtulæ fiunt adhuc ampliores. Unde & vociferatio, & delirium accepere temperamentum. Lingua tamen manuſque araefactæ ſunt. Præſcripſi itaque ut bolo addatur Lap. Prun. ℈ß; ut bibat ſingulis diebus Apozematis ℔ij. & ut Empl. Veſicat. Tibiis applicarentur.

Die 30mo omnia ſymptomata optabilia ſunt. Quare ut perſiſteret in noviſſime præſcriptorum uſu ad Junii 12. conſului. Tandem, circa Junii 16. præſcripſi Pil. Tart. Q. ℈j. ſecunda vel tertia quaque nocte ſumend. ad ſextam vicem. Quibus ſumptis perfecte, & præter omnium domeſticorum, & viſitantium expectationem, convaluit.

Hiſtoria Febris Miliaris cum læſa memoria.

APrilis 4to 1701. vocatus ſum ad D. *Buller* in *Newington Butis*, cui ut pharmacopœus inſerviebat D. *Hunter*.

Ille, dum iter ad *Londinum* confecit, maximo dorſi dolore, cum ventriculi ægritudine, vomitione & dyſuria, correptus eſt. Quæ ſymptomata ſibi viſa ſunt ſimpliciter nephritica. Et medicamenta quædam huc referentia fruſtra ſumpſit. Prædicto die ad eum acceſſi. Et quoniam antecedentia narrando, ſpirituum defectum, & ſuſpiria tacuiſſet, ſequentem præſcripſi hauſtum emeticum.

℞. *Salis Vitrioli Vomitiv.* ℥iij. *Divide in Doſes ſex. Sumantur ſingulæ ex Aq. Juglund. comp. Cochl.* j. *ſuperbibendo hauſtum poſſeti fol. Card. bened. alterati. Et Vomitione finita, ut ſumeret Pil. Stomach. cum Gum.* ℈ij. *ad Humorum, & Vomitorii eliminandas reliquias, & ad mundificandas vias Urinarias, ut die ſequente mane bibat Aquæ Strethamenſ.* ℔ij.

Die 5to ceſſabant vomitus, & ægritudo, libereque tam per urinam, quam per ſedem, aqua cathartica efluxit. Dorſi tamen perſtitit dolor, etiamſi mitiori gradu. Caloreque ac frigore, vicibus alternis, ſed inæqualibus, captus eſt. Pulſus etiam illi erat frequens ac debilis, Spirituumque penuria, & pectoris oppreſſione ſuſpiria provocante, vexabatur. Unde conjecturam feci, hanc febrem miliarem eſſe futuram & ſequentia præſcripſi.

℞. *Lapid. Goenſ. Pulv. de gutt. an.* ℈ß. *Mſ. f. Pulvis e Julapii perlati hauſtulo ſexta quaque hora ſumendus.*

Die 6to Languor, & ſuſpiria leviora ſunt. Cum vero dorſi dolor potius ingraveſceret, præter pulverem antea præſcriptum, monui enema ex decocto communi, & melle mercuriali injiciendum. Eoque rejecto, ut Pulv. e Chel. Cancr. comp. ℈j. ex hauſtu ſequente ſumeret.

℞. *Aq. Lact. alex.* ℥iij. *Epidem. Syr. de Meconio, Ol. Amygd. dulc. an.* ℥ß. *Mſ. f. Hauſtus. Demumque, ut paretur Mucilago ad emolliendam linguam.*

Die 7mo dolor fit mitior, ſpiritus autem perturbati ſunt, & depreſſi: forſan ex ſumpto ſyrupo e meconio nocte præcedente. Præſcripſi itaque emplaſtra veſicatoria quamprimum brachiis internis applicanda. Et ad continuandum ſudorem hauſtum ſequentem.

℞. *Aq. Lact. alex.* ℥iij *Epidem.* ℥ß. *Lap. Goenſ. Pulv. de gutt. an.* ℈j. *mſ.*

Et ſpirituum defectu urgente, ut hauſtum Julapii perlati, & Aq. Theriacal. Cochl. j. aut, ij. vicibus alternis ſumeret. Et ad linguam manuſque jam pauliſper trementes, ut cum hauſtu potus ordinarii ſpiritus Lavend. comp. gutt. xx. capiat aliquoties in die.

Die 8vo puſtulæ miliares in conſpectum venere. Ideoque multo lenior factus eſt dorſi dolor; ſpirituſque minus defecerunt, neque adeo ſunt perturbati. Juſſi itaque ut ſumeret alternis vicibus hauſtum ultimo præſcriptum, & bolum ſequentem.

℞. *Bezoard. Orient. Croci an.* ℈ſs, *Syr. Paraliſ. q. Mſ. f. Bolus.*

His addidi apozema ex Aq. Hordeatæ ℔ij. & ſyr. viol. ℥iij. Ut & medicamentis & puſtularum materiæ expellendæ ſit vehiculum. Nec non ad renes viaſque urinarias abluendas: Alvumque plerumque ſtrictiorem, leviter relaxandam. Et apozematis hauſti Aq. Theriacalis aliquot cochlearia minuſcula ſuaſi addenda.

Die 9no auctus erat tremor, nec ſine quibuſdam indiciis levioris delirii. In quantum tamen puſtulæ, adhuc plures majoreſque extiterunt, ſpirituſque fuerunt minus depreſſi, juſſi, ut in omnium antea præſcriptorum uſu perſiſteret.

Die 10mo ſymptomata, die præeunte mala, emendantur. Verum jam orta tuſſis levicula moleſtiam patienti attulit. Ideoque ne materiæ morbificæ reliquiæ pulmonibus poſt puſtulas deſiccatas irruerent, ſequentem linctum præſcripſi.

℞. *Ol. Amygd. dulc.* ℥ij. *Syr. Heder. terr. Capill. Vener. an.* ℥j. *Sacch. albiſſ. q. ſ. Mſ. f. Linctus.*

Et ut loco apozematis antea præſcripti bibat ſequentem ptiſanam inſtar potus ordinarii.

℞. *Decoct. pectoral. depurat. Aq. Lact. alex. an.* ℔j. *Mſ.*

Et ut ſumat ſequentis mixturæ gutt. xx. cum hauſtu ptiſanæ in languoribus.

℞. *Tint. Caſtor.* ℥ij. *Salis Vol. Oleos.* ℥ß. *Mſ. Demumque ut in uſu Hauſtus, & Bolorum perſiſteret.*

Die 11mo cum omnia pene eadem ac in die præcedente viderim, juſſi ultimo præſcripta continuanda.

Die 12mo ex noctis præcedentis vigiliis quodammodo perturbantur ſpiritus; ſed minime defecerunt. Quoad reliqua, mediocriter etiam ſe æger habuit; puſtulæque in deſiccationem inclinarunt. Ne tamen morbi reliquiæ in ſanguinem nervoſque transferrentur, veſicatorium inter ſcapulas præſcripſi applicandum, uſumque bolorum, & julapii perlati repetendum.

Die 15to a febre liberatur, excepta quadam ſpirituum perturbatione levicuta. Ad quam enema repetendum juſſi; bolumque cum julapio mane, & veſperi, & in languoribus ſumendum, ne medicamentorum uſui nimis ſubito deſueſceret.

Die 18vo ex pilularum quarundam catharticarum uſu ſenſit ſe capite multum levari. Deinceps, etiamſi pulmones præcautione antea memorata evaſere ſalvi, ex morbi tamen reliquiis verſus exteriora propulſis, apoſtema fuit genitum: quod ſub cura D. *Hunter* brevi ſanatum eſt.

Ex hac febre licet ægroti memoria læſa fuit maxime, exquiſitæ tamen diætæ uſu, poſt bimeſtre ſpatium perfecte redintegrata eſt.

N. B. Symptoma in febre miliari primo ſenſibile partem antea affectam fere ſemper occupare; ut in caſu jam ſupra deſcripto contigit.

Hiſtoria Febris Miliaris ex ſumpta Emulſione Lethalis.

DIe 10mo Septembris 1700. vocatus ſum ad viri admodum honorab. D. *Trevor* Aurigæ uxorem, in Candelariorum ſocietatis ædibus habitantem, & jam puerperam; cuique pharmacopœus erat D. *Hunter*.

Tertio a partu die, febrili horrore, caloreque ſuccedente, febri lacteæ ſimili, correpta eſt. In maximum etiam languorem, pectoriſque oppreſſionem cum ſuſpiriis incidit, inſomnis diem noctemque tranſegit. Quæ ſymptomata, cum mere hyſterica vulgo putarentur, ægrota hæc hyſterica etiam medicamenta, ſed fruſtra ſumpſit. Quamobrem a digniſſ. viro D. *Thoma Lanæ* Equite Aurato, cui patientis maritus olim inſervierat, viſitare illam exoratus ſum. Quam cum primo adiverim, pulſu frequenti ac debili, perturbatis ſpiritibus, oppreſſo pectore, ſuſpiriis caloreque interno, laborantem vidi. Et licet urina ejus eſſet ſanorum ſimilis; palmæ tamen caluere. Quæ omnia ut febris miliaris mihi viſa ſunt indicia; ita & quædam puſtulæ, in illius deinde denudato pectore conſpicuæ, hanc meam conjecturam comprobarunt. Præſcripſi itaque ſecundum meam uſitatam methodum pulverem ſequentem, ſexta quaque hora ſumendum.

℞. *Pulv. e Chel. Cancr. comp.* ℈j. *Croci* ℈ß. *Mſ. f. Pulvis.*

Die 11mo puſtulæ miliares mirum in modum conſtipabantur. Unde & nox patienti tranſiit placidiſſime; ſpirituumque perturbatio, & ſuſpiria fuere mediocria. Præſcripſi itaque ut in pulveris, & julapii uſu triduum perſiſteret; ſumeretque in languoribus ſpir. C. C. guttas aliquot in potu ordinario.

Die 14to puſtularum eruptio fuit adhuc magis conſpicua, languore & oppreſſione pectoris jam devictis. Nam præter calorem internum vix quicquam mali ſenſit. Forſan autem perſtitit iſte calor, quod ægra diluentia, vel nondum, vel non ſatis potaviſſet. Ideoque lactis aquam alexiteriam inſtar potius ordinarii bibendam præſcripſi. Et ut ſumat aquæ theriacalis aliquot cochlearia in hauſtu ejuſdem, ad ſervandum inter potum & medicamenta æquilibrium: præcipue, ſi vel languor, & oppreſſio recurrerent, vel remitteretur diaphoreſis. Demum, ut veſicatoria brachiis internis applicarentur, tam ad puſtulas felicius ampliandas, quam ad mala quæcunque accidentia avertenda.

Diebus 15to & 16to cum eadem eſſet morbi facies, ultimo præſcripta cenſui repetenda.

Die 17mo ex uſu Aq. Lactis intermiſſo incidit ægrota in levem dyſuriam. Statim itaque D. *Hunter* pharmacopœus, eoque abſente alter accerſitus eſt. Qui dum ſolummodo dyſuriam præ oculis haberet, emulſionis libram bibendam miſit. A cujus uſu ſtatim ſubſtitit diaphoreſis, maximaque oppreſſione & dyſpnœa prehenſa fuit. Tandem & me vocarunt. Sed antequam illam adiverim, de ea conclamatum eſt, & brevi obiit.

Ex hiſtoria jam ſupra deſcripta patet, quam maximum periculum in hac febre ab errore, etiam minimo pendere poteſt.

Hiſtoria Febris Miliaris, cum Ulcere, Calculoque Renum.

FEbr. 27mo 1707. vocatus ſum ad D. *Couts*, in Vico *Mark lane* vulgo dicto, jam puerperam; cui D. *Hunter* ut pharmacopœus miniſtravit.

Annos aliquot ſiniſtri lateris dolorem ſuſtinuerat. Quem a ſplene genitum plerique ob id æſtimarunt, quod prope partem lienis anticam latus occupare videretur, cum ſiniſtri renis antica pars eſſet revera affecta.

Ex morbo nephritico totum ægrotæ genus nervoſum imbecillitatem aliaque vitia contraxerat. In ptyaliſmum incidere ſolebat. Et per bimeſtre ſpatium ante partum paſſa eſt internum calorem. Qui (ut antea monui) ſæpe & præcipue in gravidis paulo ante partum febrem miliarem præcedit. Tandem, ſine obſtetricis ope, fœtum enixa eſt.

Poſt dies aliquot dolorem primo ſenſit in ſiniſtro latere, deinde in dextro cum horrore. Poſtea calore, & frigore alternis, ſed inæqualibus intervallis, vexabatur.

Die quo illam primo viſitavi, pulſus ei erat frequens ac debilis; lingua ſubalba & humida, fere ſanorum ſimilis; quemadmodum & urina, ſed ſine ſedimento. Calor & frigus irregulares habuere vices. In dorſo manus calor erat mediocris, cum palmæ ferveſcerent. Ut ab illa dormitura avolavit ſomnus, ita & ſpiritus ejus tumultuaria quadam perturbatione commoti ſunt. His etiam ſonitus aurium, palpitatio cordis, dyſpnœa irregulariter repetita, maximaque oppreſſio cum ſuſpiriis, acceſſere. Nonnunquam item tremuere manus. Et a ptyaliſmo omnino ſuppreſſo, lochiiſque parce effluentibus, tum deliravit, tum motibus convulſivis levioribus correpta fuit. A quibus ſymptomatibus, febrem hanc eſſe cenſui miliarem. Et præcipue a ſpirituum defectu, & pectoris oppreſſione cum ſuſpiriis, mihi hujus febris ſignis pathognonicis, & a diſpnœa, tremore, & debilitate, febrem præcedentibus, periculoſam eſſe intellexi.

Duplicem itaque præ oculis habui indicationem. Scilicet, excitare diaphoreſin, & ad ſymptomata ſigillatim reſpicere.

Ut

Ut priori satisfacerem, & ad lochia restituenda, dyspnœamque levandam, bolum sequentem præscripsi.

℞. *Pulv. e Chel. Cancr. comp. Sperni. Ceti an.* ℈j. *Castor. gr.* iv. *Syr. e Mecon. q. s. Mf. f. Bolus cum Julapii sequentis hausto sexta quaque hora sumendus.*

℞. *Aq. Cerasi. nigr.* ℥ß. *Bryon. comp.* ℥iß. *Sach. albiss. q. s. Mf. f. Julapium, de quo sumat haustum ut supra & in languoribus.*

Porro ad dyspnœam materiamque morbificam minuendam, & caput defendendum, vesicatorium nuchæ applicandum jussi.

Ad renovandum autem ptyalismum, sanguinemque diluendum, eoque modo pustularum egressum promovendum, & ne dysuria ex empl. vesicatorio contingeret, sequens apozema præscripsi.

℞. *Decocti Pector.* ℔ iß. *Aq. Pœon. comp.* ℥iß. *Syr. de Alth. Jujubin. an.* ℥j. *Mf. f. Apozema, de quo sumat haustum frequenter.*

Et ad promovendam diaphoresin, ut Sp. corn. C. gutt. xx. hausti apozematis adderentur.

Deinde ad lateris dolorem leniendum, haustum sequentem, cum pulv. e chel. cancror. comp. ℈j. sumendum præscripsi.

℞. *Ad Meliss. ℥ij. Bryon. comp. Syr. de Mecon. Ol. Amyd. dult. an.* ℥ß. *Mf. f. Haustus.*

Et quo melius restitueretur ptyalismus, quoddam gargarisma, a patiente antea probatum, permisi usurpandum.

Ad hæc omni loquacitate, & visitantium turba ægrotæ interdici. Ut si insomnis fuerit, saltem tranquillitate frueretur. Suasi etiam, ut possetum salviatum, & calidulum affatim bibat, ad calorem internum minuendum, meliusque producendam diaphoresin.

Die 28vo dolor lateris multo fuit remissior, & jam quiete jacuit, etiamsi nox sine somno præteriisset. Caput etiam pacatius, & respiratio facilior. Pulsus tamen frequens adhuc, & debilis; at cum motu magis æquabili. Quin & palpitatio cordis, tremorque perstitere, & convulsivorum motuum quædam specimina, lenis tamen jam orta fuit & universalis diaphoresis. Calor item externus magis regularis, & in manu ubique sui similis. Lingua & urina eædem ac die præcedente. Et quamvis pectus adhuc fuerit oppressum, spirituque defecerint; rariora tamen trahebat suspiria. Quibus omnibus perpensis sequentia præscripsi.

℞. *Pul. Chel. Cancr. comp.* ℈j. *Croci, Pulv. de gutt. an.* ℈ß. *Syr. Pœon. comp. q. s. Mf. f. Bolus circa tertiam pomeridianam sumendus, & deinceps sexta quaque hora, cum Julapii sequentis haustulo.*

℞. *Aq. Cerasi. nigr.* ℥x. *Pœon. comp.* ℥iß. *Sacch. albiss. q. s. Mf. f. Julap.*

Et ut Apozema antea præscriptum continuaretur.

Cum vero cubicularia me jam discessuro submissiori voce fuisset allocuta; contigit ut ægrota putaret illam dixisse, se brevi fore maniacam. Quod ei adeo perturbavit animum, ut paulo post in delirium (a quo ex primo meo præscripto huc usque immunis fuerat) de novo incidit. Pharmacopœus itaque missus est indicare mihi, quod Domino *Couts* gratum foret, si Medicum jam a multis annis sibi suisque ordinarium, meis associarem consiliis; ut si forsan alio fuerim avocatus, ille in promptu esset.

Vesperi convenimus. Et statim a consultatione inita, iste Medicus, primariam indicationem pro continuanda diaphoresi flocci faciens, medicamentis valde calorificis opus esse urget. Quibus a me rejectis, sequentia præscripsimus.

℞. *Lapid. Goens.* ℈ß. *Oculor. Cancr.* pp. ℈j. *Croci, gr.* iv. *Syr. Pœon. comp. q. s. Mf. f. Bolus hora nona sumendus in Cochl. j. Julapi sequentibus superbib. Cochl.* v.

℞. *Aq. Meliss.* ℥vj. *Puleg. Bryon. comp. an.* ℥iß. *Oculor. Cancr.* pp. *Marg.* pp. *an.* ℈ij. *Sacchar. albiss. q. s. Mf. Julapium.*

Et ut applicentur emplastra epispastica super carpis.

Martii 1mo nobis narratum est, patientem nocte præcedente insomnem fuisse: & jam inquietudine, calore, & delirio laborare vidimus: medicamentum enim sudorificum, diluensque omissa fuere. Proposui itaque antimonii diaphoretici usum, medicamenti, scilicet ad pustulas miliares emittendas nec non ad levandum delirium, a me sæpissime probati. Ille vero, postquam diu renixus est, tandem mihi assensit; convenitque inter nos sequentia præscribere.

℞. *Antimon. Diaphor.* ℈j. *Lap. Goens. gr.* xij. *Castorei grana aliquot, Syr. Caryophil. q. s. mf. f. Bolus sexta quaque hora sumend. cum Julapio antea præscripto.*

Et ut emplastra subpedalia applicarentur.

Die 2do involuntarie quidem urina extillaverat; sed id a vesicatoriis, ut videbatur. Domiti enim delirii loco sana mens rediit. Respiratio etiam erat facilior; motusque convulsivi vix quicquam sensibiles. Vidimusque pustulam quandam rubram super inspecto collo Quod alter Medicus, hanc febrem haud esse miliarem, arguere contendit. Quem errorem postquam illi ex aliis symptomatibus patefecissem; concordi animo eadem quæ ultimo præscripta sunt, continuari jussimus.

Die 3io in denudato pectore pustulas miliares absque ullis alterius generis conspeximus. Unde & quæque lenia sunt symptomata. Quamvis enim per noctem pene insomnis fuisset, ex leni tamen diaphoresi, quietudine, animique tranquilitate, & respiratione facili fruebatur.

Nihilominus ille idem Medicus, eorum loco, quorum usu finem desideratum obtinuimus, calida medicamenta, ad spiritus, ut ajebat, exaltandos, usurpari voluit. Ego vero, post longam discrepationem, cum assentire minime ausus sim, ipsum, ut per se faceret experimentum, permisi. Interim pharmacopœum cubiculariamque monui, ut horum calidorum effectum accuratissime notarent. Ille vero sequentia præscripsit.

℞. *Conf. Alcherm. sine odor.* ℈ß. *Pulv. e chel. cancr. comp. Lapid. contray. an. gr. xij. Salis Succin. gr.* v. *castor. gr. iij. Syr. e cort. citr. q. s. Mf. f. Bolus sumendus quinta quaque hora, superbib. Julap. seq. cochl.* iv.

℞. *Aq. Meliss. Lact. alex. an.* ℥iv. *Scordii comp.* ℥ij. *Bryon. comu.* ℥iß. *Margar.* pp. ℈iv. *Sacch. albiss. q. s. Mf. f. Julapium, sumendum ut supra præscriptum est, & pro libitu in languoribus.*

Die 4to nobis narratum est, ægrotæ noctem valde inquiete transisse. Ita ut præ anxia quadam ægritudine sudores calidi per totum corpus ei effusi sint, & (ut asseveravit pedissequa) lintea mordere cogeretur. Ad hæc, maxima oppressione & dyspnœa, motibusque convulsivis magnis, & frequenter repetitis afflicta fuit. Quæ omnia pulsus frequentissimus, & vermicularis comitabatur.

Forsan prædicta dosis, quoad quantitatem, non adeo calorifica videbatur. Cum tamen brevioribus intervallis, & ab ægrota, jam & antehac ad febrilem effervescentiam proclivi, sumeretur; & ubi ren suo proprio morbo fuit affectus; minor dosis, instar majoris valere potuit.

Cæterum ille alter Medicus, cum ad consultandum secessserimus, a me quæsivit, quid esset tandem faciendum. Ego vero respondere haud dubitavi, locum consultandi dari nullum, nec quidem sperandi. Ille vero a sudoribus salutem promisit. E contra, eos ex agonia, & morbi veneno esse mere colliquativos admonui. Demum, post quædam alia hic illic objecta, sequentia præscripta sunt.

Applicentur empl. vesicat. ampla, & acria femoribus internis. Et repetantur subpedalia.

℞. *Bezor. Orient.* ℈j. *Antimon. Diaphoret. gr.* xii. *Corf. Alcherm. sine odor.* ℈j. *Syr. Caryoph. q. s. Mf. f. Bolus quamprimum sumendus, superbib. Julapii ultimo præscripti Cochl.* iv.

℞. *Tinct. Castor.* ℥ij. *Capiat gutt.* xvi. *in haustu potus ordinarii.*

℞. *Decoct. alb.* ℔ iß. *Aq. Cinnam. hord.* ℥iv. *Sacch. albi q. s. Mf. pro potu ordinario.* Sed, antequam parata erant medicamenta, ægrota hæc mortua est.

In dissecto cadavere intestina, ut sæpe solent, flatibus valde distenta vidimus; & illorum vasa capillaria sanguine referta. Majora vero, & præcipue in peritonei interna superficie, stagnante sanguine quasi nigricantia, gangrænæ similitudinem præ se ferebant: scilicet, circa dextrum latus, ubi nuper ægra de dolore maxime querebatur. Nam antea latus præcipue sinistrum ei doluit. Ideoque sinistri renis parenchyma conspeximus absumptum, tunicasque pure plenas, & calculo magno, cum quibusdam parvulis infima, & antica parte positis. Ren dexter videbatur fere sanus; & similiter hepar, atque uterus. Vesica vero fellea bile flavissima, & subflavis lapillis distenta erat.

Ex his patet, dolorem diuturnum, & in recensione symptomatum memoratum, a sinistri renis calculo; hecticam autem intemperiem, ab ulcere, & forsan e vesicæ felleæ lapillis, bilis exitum præcludentibus, pendere. Doloremque recentem in regione dextra a stagnante sanguine. Qualem dolorem, hoc est recentem, in aliis etiam cadaveris sanguinis stagnationi conjunctum sæpe comperi.

Historia Variolarum cum pustulis Miliaribus.

JUlii 15. 1706. vocatus sum ad Dominam *Bek*, D. *Bek* Mercatoris celebris uxorem; quæ tum temporis, apud *Hampstedium* commorata est; cuique D. *Schervood* erat pharmacopœus. Hæc, cum antea perfecta valetudine usa fuisset; 14to die Julii, dolore dorsi vehementi, cum oppressione pectoris, atque altis suspiriis, spirituumque defectu, correpta est. Ex quibus symptomatibus, febris miliaris signis pathognomonicis, novi hanc esse hujus generis, pustulasque miliares se brevi exhibituras prædixi. Et de expectandis variolis feci etiam conjecturam. Eo magis probabilem, quod tum temporis longe lateque grassabantur. Consului itaque illam ad visitationes facilitandas, in *Londinum* deferri. Et ut tutius suum iter perficeret, *Pulverem ex. Bezoar. Orient. & Pul. e Chel. Cancr. comp. an.* ℥j. *sumendum præscripsi.*

Die 16to variolæ cum pustulis miliaribus interjectis emicuere. Præscripsi itaque pulv. e chel. cancr. comp. ℥j. cum Julapii perlati communis haustulo, sexta quaque hora sumendum. Ad præveniendam diarrhœam dyspnœamque, tum decoctum album, tum pectorale, alternis vicibus bibenda. Quibus etiam provisum est, ne pustularum miliarium variolarumque materiæ emittendæ desit vehiculum: & ut melius linguæ viscositas inhiberi possit. Præscripsi etiam astringens gargarisma, ut ejus usu variolas de faucibus repellerem.

Die 17. pustulæ miliares, & variolæ numerosius extabant. Capite, gutture, Thorace, ventriculo, ægra bene se habebat. Oppressio etiam, & defectus spirituum fuere mitiores. Tantum insomnis erat, ut febre miliari correpti solent. Suasi itaque ut in omnium die præcedente præscriptorum usu persisteret.

Vespere paulum delirabat. Non a pustularum miliarium aut variolarum paucitate, satis enim erant numerosæ; sed ex perpetuis vigiliis. Ad quam confectionem Fracastorii, in hac febre vel laudano vel diacordio potiorem, in sequente haustu præscripsi.

℞. *Aq. Cerasi. nigr.* ℥iij. *Epid.* ℥iij. *Conf. Fracast.* ℈j. *Mf. f. Haustus persistente Delirio sumendus.*

Die 18vo a nocturno somno delirium pacatum fuit. Ægrota autem embrionis recenter concepti abortum, verum absque ullo malo symptomate, passa est. Jussi itaque ut in usu antea præscriptorum persisteret. Addendo pulv. e chel. cancr. comp. singulis scrupulis margarit. pp. gr. vij. quo certius, & a diarrhœa, & a nimio lochiorum fluxu præcaverem.

Vespere variolæ satis erant conspicuæ. Ægrota tamen summa pectoris oppressione, spirituumque defectu laborabat cum suspiriis. Quæ symptomata, cum lenem & continuam diaphoresin indicaverint, præscripsi pulv. e chel. cancr. comp. usum sine margaritis, & cum Julapio seq.

℞. *Aq. Meliss.* ℥viij. *Pœon. comp.* ℥ij. *Syr. Caryophil.* ℥j. *Mf. f. Julap.*

Suasi etiam ut persisteret in usu apozematis pectoralis, addendo singulis haustibus spir. C. C. gutt. xx. Tum ad levanda ex oppressione suspiria, tum ad continuandam uberiorem diaphoresin. Ubi enim per se extant variolæ, spirituque elevari possunt sine diaphoresi, sale volatili oleoso potius quam spiritu C. cervi utor.

Die 19no facies atque artus paulisper tumuere. Variolæ autem pleræque exsiccæ, & colore quasi corneæ videbantur. Oppressio etiam magna erat, & suspiriis conjuncta; sed sine spirituum defectu. Habita itaque ratione ad partium & variolarum tumorem, & pustularum miliarium eruptionem, julapium seq. præscripsi.

℞. *Aq. Cerasi. nigr.* ℥x. *Pœon. comp.* ℥iß. *Confect. Fracast.* ℥j. *Spec. Conf. de Hyacinth. sine odorat.* ℈ij. *Syr. e Mecon. & e Cort. Citr. an.* ℥ß. *mf. f. Julap. de quo sumat. Coch.* iv. *tertia quaque hora.* Eo fine, ut ex dosibus, brevioribus intervallis sumptis, ægra perpetua quietudine in lecto jaceret. Eoque modo a frigore externo, & non semper variolarum, vesicularum tamen miliarium eruptioni inimico, præcaveretur. Præscripsi etiam, ut ad tussim dyspnœamque saltem minuendas, in usu apozematis pectoralis persisteret. Et cum variolæ jam & in collo & in toto corpore plene expulsæ fuerint, loco astringentis gargarismatis lenientem substitui.

Vespere quiete, sed pene insomnis, jacuerat. In vola manuum,

ubi

ubi cutis valde crassa, variolæ videbantur vesiculæ fero limpido plenæ; in aliis partibus quasi exsiccæ. Præscripsi itaque, ut in apozematis pectoralis frequenti usu persisteret; scilicet, ad materiam & variolis & salivationi præbendam. Et ad majorem cautelam, ne aut variolæ aut pustulæ miliares versus interiora remearent; haustui apozematis, aquæ theriacal. cochl. j. sæpe addendum monui. Et ut tumorem partium promoverem, hora somni haustum sequentem bibendum.

℞. *Aq. Paralyf.* ℥ij. *Theriacal.* ℥ij. *Confectionis Fracastorii* ℈j. *Syr. de Mecon.* ℥ß. *mf. f. Haustus.*

Die 20mo omnia in eodem statu perdurarunt symptomata. Jussi itaque ut in usu mixturæ pacificæ antea præscriptæ quarta quaque hora persisteret: Et in usu apozematis, julapii, & gargarismatis.

Vespere, cum eadem videretur morbi facies, eadem quæ prius præscripsi continuanda. Et ut Julapii sequentis haustum sumeret in languoribus.

℞. *Aq. Meliss.* ℥x. *Pæon. comp. Epidem. an.* ℥iß. *Syr. Pæon. comp. q. s. mf. f. Julapium.*

Die 21mo ægra fere eadem ac antea. Id tantum jam querebatur, totum corpus vehementer prurire. Præscripsi itaque ut in usu omnium persisteret, præcipue, mixturæ pacificæ, ne inquietudine ex pruritu pateret frigori, eoque pustulæ miliares recederent.

Vespere, cum in eodem statu fuisset ac matutino tempore, visum est omnia jubere continuari. Eo potius, quod ex usu apozematis pectoralis gargarismatisque frequente omisso, salivationem (ut in variolis siccioribus, & corneis solet) sisti viderim. Hincque patet, cur multi, circa diem a morbi principio undecimum moriuntur. Nimirum, quod nimis parce ad diluendum attenuandumque sanguinem, & materiam in salivationem præparandam biberent. Unde & oneri succumbit natura, faucium subsidit tumor, cum gravissima dyspnœa, quæcunque expectorantia eludente; demumque ex alvo semel aut bis soluta, vel mensium effluxu, subito mortem obeunt. Calida quoque medicamenta, a multis præscripta, dispnœam siccitatemque gutturis, & linguæ inferendo, simili epilogo præludunt. Semper itaque usque ab initio, & per totum progressum morbi, diluentia præscribo. Nec cerevisiam tenuem pane tosto alteratam prohibeo; nisi ægritudo, vel nausea, vomitio, vel diarrhœa contraindicaverint.

In difficili respiratione, & ubi salivatione maxime opus est, indicationes pro medicamentis valde calidis nullas agnosco. Cæterum, si forsan, non obstante eorum usu, patientes evadant, viribus naturæ referendum est. Partium extumescentiam opiata satis bene promovent; & salivationem diluentia. Calida autem medicamenta, sanguinis accelerando motum, utrumque inhibent. Etenim fermentatio, & secretio contemporaneæ, nullo modo consistunt. Cujus rei exemplum nuperrime vidi singulare in domino *Hatsell*, cui pharmacopœus erat D. *Lancashire*. Is enim cum mali moris variolis laboraret, & ex sumpta tincturæ croci, vel confect. alchermes tantum pusilla dosi, febris vehementius accenderetur, coactus sum oculos cancrorum, margaritas, & similia, cum diluentibus præscribere. Quorum benigna vi ægrotum ex orci faucibus ereptum sanavi. Sed ad historiam præ manibus jam redeo.

Die 22do intellexi generosam mulierem, cujus hic casum narro, nocte præcedente vix dormiisse. Multum de calore interno querebatur, palluitque urina. Unde & metastasim materiæ, aut pustularum miliarium, aut variolarum metui. Præscripsi itaque sequentia.

℞. *Decoct. Pectoral. depurat. Aq. Lact. alex. an.* ℔j. *Theriacal.* ℥ij. *Mf. sumat haustum aliquoties in die.*

Et quo melius, non solum variolas, diluendo, sed & pustulas miliares, spiritus roborando foverem, julapium cum diascordio antea præscriptum, & alterum cordiale, una cum diluente julapio, vicissim sumenda præscripsi.

Vespere in eodem statu perstitit. Ideoque eadem medicamenta jussi continuanda.

Die 23tio nempe a morbi principio undecimo, ægrota incidit in aliquanto gravius quam hactenus periculum. Nam totam fere noctem insomnis fuerat, potius, ut mihi videbatur, a pustularum miliarium vitio, quam variolarum. Præscripsi itaque *Pulv. e Chel. Cancr. comp.* ℈j. *cum Julap. perlato sumendum octava quaque hora.*

Vespere ter alvus descenderat. Jussi itaque paregoricum antea præscriptum quamprimum repetendum. Et post singulas sedes, mixturæ cum conf. Fracast. cochl. iv. bibenda; addendumque decoctum album. Et ad alia symptomata, ut sint in promptu mucilago, & gargarisma, necnon apozema pectorale spiritu sulphuris leviter acidulatum.

Die 24. narratum est, febrem totam noctem intensiorem fuisse. Facies manusque, sed hæ minus, detumuere. Ad hæc perstitit diarrhœa, defecere spiritus, respiravit difficillime, & salivatio declinavit. Quibus symptomatibus ultimo præscripta methodo occurrendum censui: Addendo oxymelitis scillit. cochl. j. aq. cinnam. hord. dilutum. Et ut pulv. e chelis cancror. comp. apozematisque pectoralis in usu persisteret; cum spiritus corn. c. gutt. xvj. in singulis haustibus apozematis. Et in diarrhœam, mixturam cum confect. Fracast. statim & post singulas sedes sumendam jussi.

Vespere facilius respirabat. Verum ex sumpto oxymelite scillitico aliquoties vomuerat. Julapii itaque sequentis haustum urgente vomitu bibendum præscripsi.

℞. *Aq. Menth.* ℥x. *Pæon. comp.* ℥iß. *Spirit. Menthæ gutt.* xi. *Syrup. Menth.* ℥j. *mf. f. Julapium.*

Die 25to narratum est patientem nocte præcedente calore febrili valde accenso gravatam fuisse; nec non delirio, respiratione difficili, & diarrhœa: minime autem modo paroxysmi regularis. Variolas etiam ubique nigricantes, quasi gangræna tactas, apparuisse. At cum mane accederem, symptomata hæc vidi maxime diminuta, & vomitio penitus suppressa. Ad tracheæ autem, quam nunc passa est, strangulationem, pilulas sequentes sumendas curavi.

℞. *Castor. gr.* vj. *Assæ fœtid. gr.* xij. *Syr. Paralyf. q. s. mf. f. Pil.* n. vj. Et ut persisteret in usu ultimo præscriptorum.

Vespere exacerbatio febrilis, cum vigiliis, delirio, dyspnœa, sedibus, motibusque convulsivis, fuit repetita. Emplastra itaque subpedalia, vesicatorium inter scapulas, bolumque cum julapio sequentem præscripsi.

℞. *Spermat. Ceti, & Pulv. Cancr. comp. an.* ℈j. *Laud. Lond. gr.* j. *Syr. Paralyf. q. s. Mf. f. Bolus sumendus statim, superbibendo Julap. seq. Cochl.* iv. *& deinceps per intervalla.*

℞. *Aq. Rutæ,* ℥x. *Pæon. comp.* ℥ijß. *Sacchar. albi q. s. Mf. f.*

Sydenham Opera Medica.

Julapium. Ut persistat in usu apozematis pectoralis, & mixtura cum confect. Fracast. pro re nata.

Die 26to intellexi, noctu ægram perturbatam fuisse inquietudine, & delirio, nec non sedibus, spirituum defectu; sed sine suffocatione. Imperavi itaque ut in usu ultimo præscriptorum persisteret.

Vespere caloris exacerbatio renovatur. Mitius autem deliravit, sedesque paulo restrictæ sunt. Præscripsi itaque omnia continuanda; & urgente delirio, vesicatoria brachiis applicanda.

Die 27mo relatum est, noctem ægroram pessime sustinuisse. Nam ex reaccensa febre deliravit cum vociferatione. Quamobrem, & curatrix præscripta vesicatoria apposuit: Et ex vesicis apertis tam febris quam delirium multum levabantur. Jussi itaque, ut tinctura corticis Peruviani in promptu esset. Interim ad sitim sedandam, in lactis aquam alexit. saccharo edulcoratam biberet, & persisteret in usu reliquorum præscriptorum pro re nata.

Observandum est, post apertas vesicas emplastris excitatas, salivationem fuisse redintegratam, & ad diem hinc usque quartum perstitisse. Unde constat in variolis, durante salivatione, medicamenta calida minime ad rem esse, nisi magnum aliquod symptoma indicaverit, & jam tum multum ea debere esse diluentia.

Eodem die circa meridiem ad patientem accedens vidi illam, inquietudine, delirio, dyspnœa, suffocatione, sedibusque immunem. Calorem solummodo sensit internum, illius, qui febri miliari, vel corticis Peruviani in febre intermittente præpropero usui succedit, non absimilem. Ad quem præscripsi margar. pp. ℈j. quinta quaque hora sumendum, cujus efficaciam, ad hujusmodi calorem extinguendum, frequenter expertus sum.

Vespere febrilis caloris erat expers, nondum tamen alvus substitit. Volui itaque, ut sumeret perlatum pulverem in forma boli, quo in ventriculo, & intestinis diutius maneret, transiretque melius in venas. Et ut decoctum album mixturamque ex conf. Fracast. &c. in promptu haberet.

Die 28vo minus caluit, sedesque pauciores sunt. Nec recurrere reliqua mala symptomata. Præscripsi itaque ut in usu decocti albi, bolique cum Julapio sexta quaque hora persisteret.

Vespere in eodem statu erat laudabili quo mane. Ne tamen a vesicarum ulceribus, nimis cito deficcatis, morbificæ materiæ pars supereset, jussi vesicatoria pone aures applicanda. Scilicet ut cathartici vicem explerent, donec purgatio per alvum foret tempestiva. Et ut Julapii & decocti albi usus continuaretur.

Die 29no similiter ut pridie se habuit. Quemadmodum & diebus 30mo & 31mo. Quapropter & jussi, ut in usu pilularum ex assa fœtida &c. & Julapii persisteret. Et hoc die 31mo præscripsi pilulæ stomachicæ cum gum. ℥ß. hora somni sumendam, & mane seq. syr. rosacei solutivi ℥j.

Augusti. 1mo ter quaterve alvus laxa fuit bonis avibus.

2do Usa est Julapio, & pilulis de assa fœtida, &c.

3tio & 4to & deinde 5to & 6to pilulas cathartica & syrupum repetendo, a morbo periculosissimo omnino convaluit.

Historia Febris Exitialis, ubi Æger statim a principio sua voce fuit privatus.

Circa quintam diem Octobris 1709. digniss. Viri D. *Guilielmi Morisoni* armigeri filius, sedecim annos natus, temperie biliosus, & in iracundiam aliaque animi patemata accensus, febre correptus est: in qua tempestate, ab aliquot antea hebdomadis, febris maligna Londini grassata fuerat.

Cum primum illum visitaverim, nulla pars ei doluit. Neque ulla vomitione, aut ventriculi ægritudine emetici usum indicante, tentabatur. Pulsus erat frequens ac debilis. Et usque a morbi principio magna loquendi difficultate, cum stupore, affectus est. Quibus accessere tumores subsultusque tendinum, lingua arida & subnigra, urina coloratior & clara, & ut plurimum involuntarie emissa, cutisque calida, & sicca.

Hac pessimorum symptomatum apparente syndrome, accitus est D. D. *Grew*. Præscripsimus alexipharmaca ex serpentariæ radice, bezoar, &c. & paucos post dies maculis rubris, & purpureis ægroti cuticula, in primis super pectus, crura, tibiasque, fœdata fuit. Hæc symptomata, aliquando paulo mitiora, dies quatuordecim prævalebant. Postea evanuere maculæ, creveruntque adeo motus convulsivi, ut æger plures dies moribundus videretur.

Fere in morbi principio emplastrum vesicatorium capiti applicandum jussimus; ex quo recolligere mentem, & quodam modo balbutire cœpit. Deinde & in morbi progressu artubus universis alia apponenda; imo & aliquibus renovanda. Semper enim exsiccatis vesicarum ulceribus ferocius ingruebant symptomata.

Deinceps, cum dies aliquot eadem vesperi exacerbari videremus, corticis Peruviani tum pulverem tum infusum, minore dosi visum est præscribere. Unde motus convulsivi suppressi sunt. Ægrotus tamen, cujus vires & ipsa caro absumptæ fuere (ita ut in coxa, in quam cubabat, sphacelismus generaretur) tandem fato cessit.

Notatu non indignum est, quod morbi decem aut duodecim ultimis diebus, adeo fœtide spiraret perspiraretque ægrotus, ut cubiculum odoratis fumigare necessum esset. Et ego ipse, dum paulo propius illi, in os meum respiranti inclinarem, subito ægritudine, & languore correptus, horas aliquot in patulis agris vehi coactus sum; & inde rediens vinum Hispanicum montanum affatim inter prandium bibere.

Dissectus est cadaver perita manu D. D. *Douglass*. Super pectus fusci coloris macularum congeries adhuc erat conspicua. In arteriis venisque in abdomine magis conspicuis, nil contentum erat, præter θρόμβους nigricantis sanguinis, mediis spatiis fero omnino vacuis. Haud quidem vulgare spectaculum. Vel quod rarius contingeret, vel ex febribus mortuorum rarius dissecaremus cadavera. Etiamsi hic constet, hujusmodi cadaverum, æque ac aliorum, anatomen, haud mediocri ex usu fore. Proindeque hanc febris, licet alterius generis, historiam apposui; tum ut exhiberem exemplum, ad Tractatus prioris appendicem referendum; tum ut alios alia hujusmodi exempla, in communem Medicorum usum suaderem proferre.

THOMÆ SYDENHAM,

De Febre Putrida Variolis Confluentibus ſuperveniente.

CUm vel ætas jam provectior & in occaſum ruens, vel adverſa quacum jamdiu conflictor valetudo, opportunum forte ſpatium poſthac non conceſſerit, quo nuperas aliquot obſervationes a me (tametſi nimis ſero in vita mea) factas, circa *Febrem Secundariam* variolis confluentibus ſupervenientem, in publicum edam; veniam dabit lector, opinor, ſi paucula quædam de hoc affectu, quantumvis a morbo quem ſuperius tractavimus ſatis abhorrente, pergan ſubnectere.

Jamdiu alias demonſtravi quantum interſit inter variolas generis diſtincti, & confluentis: in hoc ſcilicet quod qui *Diſtincto* genere laborat, vix opis medicæ indiguus, ſponte ſua, & naturæ vi convaleſcet; niſi forte ab initio diaphoreſi in lectulo continuo indulſerit. Namque, uti pridem alibi adnotavi, qui *Diſcretis Variolis* laborat æger, cum ſatis prompte ſudoribus diffluat, ac ſibi omnia bona promittat, ſi morbi, ut ſperat, virus per cutis poros hoc pacto amandaverit, diligenter ideo huic methodo inſiſtit, tum remediis cardiacis intro aſſumptis, tum regimine calidiore, ut par eſt, adhibito; (atque hæc eo facit lubentius, quod tum ab hac methodo in principio ſibi melius videatur habere, tum etiam ad male fundatam aſtantium opinionem propius accedat.) Tandem vero eliminatis per διαφόρησιν particulis iſtis, quæ ad puſtularum elevationem, atque intumeſcentiam faciei debuerant facere, die *Octavo* quæ turgeſcere, & per interſtitia puſtulis interjecta inflammari debuerat facies; flaccida e contra reperitur, & albeſcunt interſtitia, licet interim rubeſcant puſtulæ atque eleventur, etiam poſt ægri mortem. Qui ad hunc uſque diem nullo negotio manaverat ſudor, jam ſubito ſuaque ſponte evaneſcit, neque remediis ullis cardiacis, vel etiam calidiſſimis, revocari poteſt. Æger interim phrenitide corripitur, anxietate, jactatione, ægritudine vehementibus; urinam parce reddit, ac frequenter; ac tandem pauciſſimarum horarum ſpatio amicorum ſpem fallit, & ad plures migrat. Quando idem ille ſine ullo vitæ periculo a morbo convalueſſet, ſi naturæ rem committens, nulli ſe prorſus regimini ſubjeciſſet.

At in *Variolarum Confluentium* genere longe aliter ſe res habet: licet enim hæ (niſi ſanguinis ſive per pulmones, ſive per meatus urinarios excretio primis diebus accedat) nec aſtantes admodum perterrefaciant, nec ægrum in diſcrimen aliquod vitæ adducant ad primos morbi dies: poſtea tamen iſtis diebus, ſub morbi exitu, quibus ægrum maxime periclitari jam olim monui, ita derepente ad incitas redigitur æger, ut, an vita, an mors inſequatur, pariter incertum ſit. In horum numero *Undecimum* pono (ſi a primo morbi inſultu computes) ſcil. in minime crudo, at maxime vulgari confluentium genere: *Decimum quartum* in crudiore adhuc: *Decimum ſeptimum* vero in omnium, quæ paſſim obviæ ſunt, genere crudiſſimo. Tametſi æger nonnunquam, ſed rarius, non ante *Diem Viceſimum Primum* fato defungatur, puſtulis uſque ad id tempus ita incruſtatis exſiccatiſque, & in carnes quaſi impactis, maxime in ipſa facie, ut ad ſeparationem nulla arte queant perduci. At vero undecimo die æger, ut plurimum primum periclitari videtur, febre atrociore, inquietudine, aliiſque ſymptomatibus una invadentibus; quæ mortem in propinquo eſſe denunciant; a qua æger, niſi ars medica interceſſerit, plerunque opprimitur. Quod ſi hoc die non ſuccumbat morbo, utrique illi poſteriores, quos indicavimus, adhuc metuendi reſtant. Quinimo per ſpatium illud omne quod inter undecimum, & decimum ſeptimum interjacet, appetente veſpera, moleſtiſſimo inquietudinis quaſi paroxyſmo quotidie vexatur; & mors quaſi vi, & armis protelatur. Porro oſtendi hanc cauſam eſſe majoris minoriſve, in his variolarum generibus, periculi ægroto impendentis, quod ſcilicet in *genere Diſcreto* cum phlegmone ſive tumoris cum inflammatione (cujuſmodi ſunt puſtulæ omnes ubi primum elevantur) pauciores extiterint, ac proinde non niſi exigua puris quantitas in ſanguinem per circulationis leges foret regerenda, ubi illæ jam cœperint matureſcere; nullus ex hac parte metus eſt, ne febris nimium inſurgat, cum natura impreſſionibus in ſanguinem factis a tantillo puris, cohibendis facile par ſit. Cum vero in *genere Confluentium*, ubi corpus fere univerſum his phlegmonis protegitur, quæ poſtmodum in abſceſſulos totidem faceſſunt, tanta puris vis, diebus præfatis (in quibus puſtulæ duce natura, ἀκμὴν ſuam, vel debitam maturitatem ut plurimum obtinent) per venas in ſanguinem reducitur, tanta item halituum putridorum copia ab omni corporis jam quaſi ſuppurati undique ſuperficie, in ſanguinem ſubrepit, ut febris ex hac occaſione excitata, naturæ vires penitus proſternat: atque ita extinguitur tandem æger, partim a febre, partim a veneno quod ſanguinis maſſam infecerat, jugulatus. Quapropter quando ægri incolumitas uſque adeo a variolarum paucitate, periculum vero e contra ab earumdem auctiori numero pendeat; dictat ratio, vel etiam ſenſus omnibus communis; periti Medici eſſe ita non materiam varioloſam, ſub principio morbi, regimine & cardiacis calidioribus vehementer propellere (unde nimia fit aſſimiliatio materiæ morbificæ in ſanguine contentæ, totaque corporis ſubſtantia quaſi in fomitem morbi faceſſit) ut omnem potius operam in reprimenda tam enormi, & ſubtili inflammatione collocare debear. Nempe educto ante omnia e brachii venis ſanguine, ſi vel levis fuerit ſuſpicio, ſive a florente ægri ætate, ſive ex eo quod ſanguinem liquoribus generoſis accenderit, ſive quod vehementiores dolores in aliqua corporis parte fuerit perpeſſus, ſive denique ab immani vomitione, variolas jamjam exituras ad confluentium ſpeciem referendas: poſtea vero propinato *Emetico*, ad eundem ſcopum collimabit. Cum vero nihil æque ægrum percalefaciat, nec proinde nimis copioſam materiæ varioloſæ aſſimilationem æque promoveat, atque ægri jugis in lecto decubitus: ego illum ab uſu lectuli interdiu ſemper arceo uſque ad *Sextam diem* a prima morbi invaſione, ſive ab eruptione puſtularum *Quartam*, quo tempore omne puſtularum agmen jam in conſpectu eſt. Poſthac eundem lectulo committo uſque ad morbi finem: at non pluribus denſioribuſve ſtragulis coopertum, aut luculentiori in cubiculo foco illum uti ſino, quam quibus ſanus cum eſſet ſolebat uti. Interim cereviſiæ tenuioris aliorumque liquorum refrigerantium qui ægro ſunt acceptiſſimi, uſum liberalem concedo. Quandoquidem vero non obſtante vel temperatiſſimo regimine, æger nihilominus in calores, deliria & moleſtas inquietudines frequenter incidet: *Hyponticum* præſcribo ſingulis noctibus, ſed paulo temperatius quam pro recepto more, ſumendum: quoniam in hoc morbo quaſi paroxyſmus quidam, ſive exacerbatio caloris & inquietudinis quotidie ſub veſperam fere reperitur. Quæ hic traditur methodus & ad præcavendum juſto uberiorem variolarum proventum, (unde maximum ægro periculum intentatur, ut ſupra docui) & ad conciliandum tum incrementum puſtulis, ubi jam omnes exierint, tum debitam poſtea maturationem, accommodatiſſima eſt.

Attamen (quod ſane dolendum eſt, cum florentiſſima hominum ætas hac fere ſtrage deleatur) tum his quæ præcipimus, tum aliis omnibus quæ hactenus invenit ars medica præſidiis nihil proficientibus; ſæpenumero æger, licet uſque eo admodum periclitetur, tamen vel *Undecimo*, quod uſu venit, die, vel alio aliquo iſtorum, quos variis ſpeciebus variolarum confluentium ceu *magis fatales* aſſignavi, vehemente febre corripitur, una cum ſuffocatione, & jactatione inquietiſſima, & de tanta ſpe decidens ſubito moritur, attonitis & ſtupentibus amicis, qui ad hoc uſque punctum ægro bene ominabantur. In frangendo improviſo hoc morbi impetu, cum prius is omnia fecerit quibus præcaveri potuerat, maximopere deſudabit Medicus. Quem in finem ſerio perpendendum eſt, febrem illam adventitiam, quæ undecimo die variolis confluentibus laborantes adoritur, morbum eſſe tam ab ipſis variolis, quam iſta febre quæ vel earum eruptionem præcedit, vel primis nonnunquam diebus a plegmonarum inflammatione gignitur, prorſus diverſum. Nihil enim eſt aliud quam *Febris putrida*, proprie dicta, particulis putreſcentibus, & a puſtulis jam adeptis maturitatem ſuam inquinatis, in ſanguinem, uti dixi, reſorptis ortum debens, quarum noxia & naturæ inimica qualitate æger eodem tempore, & peſſima febre, & veneno laceſſitur. Quamobrem ea ſola in remediis huic malo cedere poſſe, prudens quiſpiam exiſtimaverit, quæ ad retundendam ſecundariam hanc febrem, quam putridam appello, maxime faciunt. Id vero nihil efficacius præſtat, quam copioſa ſanguinis eductio; quo pacto vitiatæ illæ particulæ quæ morbi ſunt fomes, confeſtim e ſanguine exulant. Neque huic praxi, ſi quid ego judico, variolæ in quo jam ſunt ſtatu, vel minimum intercedunt. Jam enim puſtulæ nullo modo introrſum agi poſſunt, adeo ut ſi æger morbi tempore ſatis cederet, & cadaver in terram frigidam exponeretur, attamen puſtulæ jam in duritiem incruſtatæ, nec intra cutim ſe recipere, nec minimam molis ſuæ partem amittere poterint. Nec ſane cum variolis jam nobis res eſt, ſed cum alio prorſus morbo, nempe *Febre putrida*. Has ob cauſas ſequente methodo, a quo poſtremas de variolis obſervationes in publicum edidi mihi comperta, feliciter uſus ſum, quam ſi omittas nec aliam video, nec conjectura aſſequi poſſum, quo pacto æger ita certo queat liberari. Cum itaque ad has incitas redactus fuerit æger, & ex inuſitata ſymptomatum immanitate, ſtatim animam acturus videatur, niſi quis θεὸς ὁπὸ μηχανῆς præſentiſſimam opem adferat, in hoc inquam caſu, ſive alius quis iſto poſterior, ſanguinis ℥x. vel xij. ex eo brachio, in quo puſtulæ rariores ſitu majorem feriendæ venæ commoditatem fecerint, quamprimum ſunt mittendæ. Quamvis enim paregorica, vel lectuli interdiu abdicatio primis morbi diebus etiam omiſſa venæ ſectione, orgaſmo vel paroxyſmo, cum nocte utplurimum ingruenti, debellando queant ſufficere: attamen per hos dies febris ſecundariæ, nulli alteri adminiculo ſecure fiditur niſi copioſæ ſanguinis detractioni, qua ſola orgaſmus per id temporis deſæviens tuto ſedatur. Veſperi anodynum, uti prius, larga doſi exhibendum eſt (ad quod jam tamquam ad ſacram anchoram confugimus) atque ita deinceps tam mane quam ſero, alicubi etiam & hoc ſæpius. Eſt enim diligenter obſervandum, quod in quibuſdam orgaſmus ita ſupra modum afferatur, ut etiam prælarga paregorici doſis ejuſdem impetum uſque ad 12. horarum ſpatium ſubjugare vel ſiſtere nequeat; quo in caſu omnino neceſſe eſt, ut dicta doſis octava quaque hora repetatur.

Cum vero ſub ultimis morbi diebus haud raro accidat, ægri alvum, partim a morbi natura, partim a magna paregoricorum vi, quorum opem plane depoſcebat medendi ratio, ita conſtipatam eſſe, ut tum fere ſuffocetur ille, tum febris ad eum gradum aſcenderit, ut jam de ægro pene conclamatum videatur; duro huic nodo durus cuneus aptandus eſt, & rebus ſic ſtantibus longe minus ægro periculi erit ab aſſumpto cathartico leniente, quam a febre eo vehementiæ ab alvinarum fæcum retentione profecta. Hic ego ſatis feliciter ℥iſ. *Electuarii Lenitivi in Aq. ſtillatitiæ tenuioris*, (*ex gr. Aq. Cichorei, vel Aq. Lactis Alexiter.*) ℥iv. *ſolut.* propinavi. Qui quidem hauſtus licet tum ob alvi conſtrictionem huic affectui ſolemnem, tum etiam ob diuturniorem hypnoticorum uſum haud ita ſubito ventrem exolvat, plerumque tamen ſi mane deglutiatur, ante noctem dejectiones aliquas parit. Quod ſi minus præſtare valeat: attamen paregoricum veſperi aſſumendum eſt, immo & citius, non obſtante cathartico paregorico nuper aſſumpto, ſi modo inquietudo ingens aut ægritudo aliqua inſignis periculum minitetur, ne æger hoc præſidio deſtitutus, dum dejectiones nos præſtolamur, luce privetur. Nec æger damni vel minimum ex hoc tam leni cathartico capiet, ſi nihil prorſus efficiat ad dejectionem provocandam. Si itaque primo die votis non reſpondeat, iteretur proxime ſequenti; quæ ſecunda doſis priori in ſuppetias data, rariſſime Medici opem fruſtrabitur. At ſi primo die egerit, ut hujus ſaburræ quantum ſatis in præſens eſt, ſubduxiſſe Medico videatur, atque æger exinde melius ſe habere cœperit, ſecunda doſis in aliud tempus poteſt differri. Atque hac ratione tam venæ ſectio, quam catharſis per intervalla repeti poſſint, prout febris mos, atque ægri inquietudo poſtulare videantur, donec tandem res in vado ſit. Veruntamen in catharſeos negotio illud probe notari velim, (ne injecta ejus rei mentio longe plus damni quam emolumenti apportet) ægrum non eſſe purgandum, niſi faceſſente jam morbo *v. gr. die decimo tertio*, aut eorum aliquo qui illum ſequuntur; nec per iſtos etiam dies, niſi ſanguis a quo ſecundaria febris invaſit, fuerat imminutus.

Sed ut quantum in me eſt, praxi in hoc morbo ultimam manum imponam, paucula *de Sputo Sanguinis*, ut & *de Mictu ſanguineo* variolis ſupervenientibus in medium proferre non gravabor. Utraque hæc hæmorrhagia, ut olim adnotavi, ſub morbi initio contingit puſtulis nondum erumpentibus, vel ſi in quibuſdam locis ſe oſtendant, in pleriſque tamen aliis adhuc ſub cute denſæ latent, atque ejus ſunt generis, quæ in maxime confluentes adoleſcerent, niſi jam dictum ſymptoma ægri morte morbum finierit, maculæ interim purpureæ hic illic ſuperficiem corporis obſident, triſtem eventum interminantes.

tes. Verum tametsi debita sanguinis contemperatione maculæ ejusmodi auferantur, attamen tam mictus sanguinis, quam violenta ejusdem e pulmonibus eruptio indubie mortem prænunciare solent. Veruntamen tremenda hæc difficultas superari etiam possit, & ægri vita in tuto collocari. Etenim cum hæc symptomata intensæ sanguinis inflammationi, ac proinde summæ ejusdem tenuitati originem suam debeant; remedia ista, quæ sanguinem contemperant, ac pariter quæ vi, qua pollent, astringendi incrassandique eum minus fluxilem reddunt, hæmorrhagiis hisce apprime succurrunt. Quamobrem post unicam sanguinis liberali manu eductionem *Paregoricum* exhibeatur, ut:

℞. *Aq. papav. rhœad.* ℥ij. *Laud. liq. gutt. XIV. Aceti distillat.* ʒiij. *Syr. de Mecon.* ℥ß. *Mf. f. Haustus.*

Deinde sequentia vel his similia præscribantur, donec hæmorrhagia prorsus evanuerit.

℞. *Trochisc. de Terra Lemn. & boli Armenæ an.* ʒj. *Terræ sigilli Lapid. hæmatit. sang. Draconis, & Corall. rubri præparati ana* ℥ß *Mastich. & gum. Arab. ana* ℈j. *M. f. Pulv. subtiliss. cujus cap.* ℥ß *tertia quaque hora ex Cochl. uno Syr. de Symphyto, superbibendo cochl. IV. vel V. Julap. sequentis.*

℞. *Aq. Plantag. & germin. Quercus ana* ʒiii. *Aq. Cinnam. hordeat.* ʒij. *Syr. de Rosar. siccis* ʒj. *spirit. Vitrioli q. s. ad levem aciditatem.*

Interim singulis noctibus paregoricum præscriptum propinetur.

Emulsiones item ex 4. *sem. frig. maj.* cum *sem. papav. alb.* magnopere conferunt.

Cessante vero hæmorrhagia, reliqua per decursum morbi agantur, prout in *Variolarum Capite* traditur.

Antequam finem faciam, hoc adjiciam; quod quoties guttulas aliquot laudani liquidi usurpandas præscribo, *Laudanum* meæ descriptionis intelligo; cujus formula in libro nostro *de Morbis Acutis*, capite de *Dysenteria* habetur. Et quod *Syrupum de Meconio* illum volo, qui conficitur ex ʒxiv. *Capitum Papaveris* albi bene siccatorum, & post (macerationem in aquæ font. ℔viii. ad horas 24.) probe coctorum, dein expressorum quam fortissime; quorum colaturæ adduntur sacchari ʒxxiv. & in syrupum coquitur. Has enim duas præparationes in suo genere efficacissimas esse judico: præsertim *Syrupum de Meconio*, cujus ʒj. plus præstat quam ʒij. alterius istius, in quo papaverum capita humidiora usurpantur, liquor non ita fortiter exprimitur, & loco *Nigri* quandoque capita *Papaveris Rheados*, quæ paululum virtutis habent, partem ita magnam suppeditant. Quoties itaque non satis mihi constat de alterutrius horum paregoricorum viribus, utrorumvis, loco *Laudani Londinensis solidi* sesquigranum, vel etiam *gr. ij.* soleo præscribere in aqua appropriata soluta; quo pacto ab omni errore & mihi, & ægro meo caveo.

THOMÆ SYDENHAM,

DE MICTU SANGUINEO

A Calculo Renibus impacto.

QUamvis hominis minus cauti & prudentis esse videatur, observationem in vulgus spargere, cujus in seipso tantum experimentum cœperit; nemo tamen, opinor, æquus rerum arbiter ægre feret me, qui tandiu tantaque a *Mictu Sanguineo*, a calculo renibus impacto orto, fuerim perpessus, humanitate & miseratione erga sodales in hoc malo meos commotum; iis qui eodem morbo excruciari quandoque poterint, ista remedia indicare, quæ mihi aliquali levamini fuerunt, quantumlibet vulgaria, & nihili facienda forte videantur.

Anno 1660. *Podagra* me invasit, paroxysmo tum immaniore, tum diuturniore, quam prius unquam, miserum affligens, cum ex hac causa æstivo tempore, vel intra, vel supra lectum submollem jugiter ad duos menses decumberem, finem paroxysmi, dolorem hebetem & obtusum maxime in sinistro rene nonnunquam, licet rarius, & in dextro cœpi persentiscere. A podagra convalescenti hærebat utcunque renum dolor, qui per intervalla quædam, nullatenus acutus, sed satis tolerabilis, me submonebat; nondum enim paroxysmo nephritico (cujus sunt comites dolor ingens per ureterum ductus vesicam versus tendens, tum vomitio enormis) vel semel laboraveram. Quamvis vero nondum aderant ista calculi renum indicia, cum ratione tamen judicabam, me calculum, mole insigniorem in renum pelvi gestare; qui cum major esset, quam ut ex pelvi dicta in ureterum ductus elabi posset, prædicta symptomata non intulit. Qua in re, post annos multos elapsos me hallucinatum non fuisse certo comperi. Etenim cum bruma anni 1676. statim a soluto rigidissimo gelu, diu multumque obambulassem, urinam mox reddidi sanguine permixtam; idque toties mihi usuvenit, quoties vel multum itineris pedibus conficerem, vel in curru per platearum pavimenta veherer, quantumlibet lento equorum gressu; quod mihi tamen non accidebat, quoties per viam regiam lapidibus non stratam, licet quam longissime, curru vectarer. Urina quam tunc excernebam, tametsi terribili sanguinis tantum non sinceri specie prodiret, non ita diu post sanguine in fundo seorsim grumescente, in summitate limpida & sui similis conspiciebatur. In hujusce mali remedium sanguinem satis copiosum e brachio mitti curabam, & post purgationes universales, medicamenta refrigerantia & incrassantia varii generis in usum revocabam; diætam interea his consentaneam adhibens, liquores acidos, acres, & attenuantes solicite devitans. Cum autem neque ista, neque alia permulta, quæ numerare longum esset, quicquam prodessent, & metuens calculum, quem grandiorem esse suspicabar quam ut expelli posset, aquis chalybeatis ad exitum solicitare, tandem spem rei bene gerendæ prorsus amisi; idque eo potissimum nomine, quod observaram senes aliquot mihi notos sibi mortem accersisse, dum hujusmodi remediis incassum morbi curationem molirentur. Stetit itaque sententia non amplius tentare, at vitato tantum, quam potui maxime corporis motu, ab hoc effectu mihi cavere. Tandem vero animo forte recolens, quam mire nonnulli deprædicent seminis *Fraxini* vim lithontripticam, subiit cogitare, quod si semen ejusmodi virtute polleret, omnino verisimile esset *Mannam* fraxini adhuc plus posse. Cum manna, quam habemus, docente Botanographo τῷ πάνυ Dom. *Jo. Ray* post alios scriptores, neque mel aereum est, nec ros aliquis cælestis; sed liquor potius, tam e foliis, quam e trunco & ramis fraxinorum in *Calabria* nascentium, exudans; de cujus rei veritate idem dum in *Italia* peregrinaretur certior factus est ab eruditissimo Medico, qui ex ramulis, & foliis linteo a se curiose contextis mannam (qui est succus, ut dixi) sæpius collegit. *Vid. Jo. Ray Catalogum plantarum Angliæ*. Experimentum itaque facturus, mannæ ʒij ß. in seri lactis ℔ij. solutæ hausi, pauxillum succi limonum subinde, dum purgarer, deglutiens; quo & catharticum acuerem, quod segnius operari solet, & ventriculo minus ingratum redderem. Ab hujusce remedii usu vix dici queat, quantum ego levaminis circa renum regionem perceperim: licet enim antea non semper dolerent renes, tamen pondere quodam gravativo & molesto sensu afficiebantur. Quod cum ita feliciter mihi cessit, idem catharticum singulis hebdomadis statо quodam die ad menses aliquot continuos in usum revocabam, & post singulas catharseos vices melius me habuisse plane sum expertus, donec tandem etiam rudiorem currus conquassationem ferre potuerim, ab hoc symptomate prorsus liberatus usque ad veris tempus jam proxime elapsum. Quo appetente, cum per prægressam hyemem fere omnem podagra laborassem, atque nimia corporis ad motum inhabilitate, quieti, & ἀκινησίᾳ magis, quam alias solebam, indulsissem, rediit denuo sanguinis mictus. Hic ego an ad catharsin me iterum reciperem, hærebam dubius; quoniam nuperis hisce annis omni corporis substantia in podagræ sedem, & somitem quasi perversa, catharticum, quantumlibet lene, diutinum podagræ paroxysmum certo certius accersebat. Tandem animo succurrebat, quod si paregoricum singulis noctibus post purgationem adhiberem, quo tumultus a cathartico excitatus sedaretur, posse me pristinam methodum mannæ semel in hebdomada capiendæ tuto resumere. Uncias itaque duas cum semisse in seri lactis ℔ij. dissolutas mane hausi, & sero guttas xvi. *Laudani liquidi* in cerevisia tenui dormiturus adjeci. Et mannam & laudanum dicto modo repetens bis in septimana ad sex vices. Postea vero manna semel in septimana tantum uterer, humorum illuvie jam ita copiose a cathartico subducta, ut a podagra minus metuendum erat. Cum tamen mea mihi ratio plane dictaverit, quod si facultate aliqua, sive dissolvente, sive alio quovis modo lithontriptica, fuerit insignita manna, omnino est necesse ut medicamentum, quale est laudanum, valide adstringens, remedii, in quo spem collocaveram, efficaciam, ac vim quadantenus infringat; satius esse duxi hypnoticum missum facere, cum jam semel tantum in septimana alvum solverem. In qua methodo jam ad menses aliquot perstiterim, eundem septimanæ diem ubique catharsi dicans; nec me ab hoc meo more, ex quacunque data ansa dimoveri paterer, licet a prima remedii hujus dosi dolor, qui in dorso erat, remittebat, uti prius, tamen non ita diu post repetita catharsis podagræ signum dedit; quod nunc artubus, nunc visceribus, bellum cœpit indicere: at hæc morbi tentamina laudanum fortiter repressit. Cum hæc mihi medendi ratio hactenus bene verterit, in eadem perseverandum mihi esse judicabam, tam ad præcavendum mictus sanguinis recursum, quam ad imminuendum aliquantulum calculi somitem. Quod tandem votis respondit, hæmorrhagia ista ex quo Tractatulum hunc primum edidi prorsus evanescente, proindeque manna in totum abjecta. Purgationem itaque quod attinet (modo sanguinis mictus urgeat, & solum cathartico hoc lenitivo, manna scilicet, & secundum methodum supra a me traditam subducatur alvus) jam retractanda mihi est sententia illa mea, quam in scripto de podagra olim evulgaveram; nempe podagra affectis minime conducere, ut vel initio, ut vel in declinatione, vel per paroxysmorum intervalla purgentur.

. . . . . *Nec si miserum fortuna Sinonem*
Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.

Nondum enim in mentem mihi venerat, paroxysmum, quem a tumultuante cathartico excitandum metuebam, exhibito sub noctem hypnotico prohiberi potuisse. Nihilominus si podagram solum respiciamus, evacuationes qualescunque plurimum nocent, ac proinde nequaquam sunt admittendæ, nisi symptoma dictum earundem usum omnino postulaverit.

De *Regimine & victus* ratione, quæ utrovis horum affectuum laborantibus competere mihi videntur, (quando nihil eorum præterire velim quæ istis usui esse poterint, qui iisdem, quibuscum Ego, morbis conflictantur) hæc addo: Mane lecto exurgens, decoctionis *foliorum Tea* cyathum unum alterumve exhibeo; dein curru ad meridiem usque gestatus, & domum reversus, quovis ciborum genere mihi grato & eupepto *modice* (id enim ante omnia semper, & diligenti cum cura tenendum est) me reficio; statim a prandio per singulos dies vini Canarini plus aliquid quarta parte libræ (seu pintæ) vulgaris ad promovendam ciborum in ventriculo concoctionem, & ad arthritidem e visceribus procul arcendam, haurire soleo. Pransus iterum rheda vector, & quoties per occupationes meas non distineor; rus peto, aeris salubrioris inspirandi gratia, ad milliaria duo vel tria. Cerevisiæ tenuioris haustus mihi pro cœna est; sed & hunc repeto etiam in lectulo, me jam ad somnum compositurus, idque eo fine ut hoc julapio succos acres calidosque in renibus stabulantes, e quibus fit calculus, refrigerem simul ac diluam. Ego vero & hic & inter prandendum cerevisiam tenuem lupulatam, cerevisiæ non lupulatæ, quantumlibet tenui ac miti, præferendam censeo. Licet enim non lupulata, mollitie ac lubricitate, qua pollet, ad subducendum calculum jam in renibus concretum magis faciat; attamen lupulata, ob levem illam stipticitatem quam impertiunt lupuli, minus facit ad sabuli vel materiæ calculosæ generationem, quam facit non lupulata, cujus & viscidior est substantia, & lutulentior. Quo die catharsi defungor, ex pulli carnibus prandium mihi est; vinum tamen Canarinum pro more meo prandium mihi est; vinum tamen Canarinum pro more meo superbibo. Mihi cura est, præsertim hyeme, ut lectum temporius petam quo nihil magis confert ad concoctiones recte perficiendas, & conservandum pariter tenorem illum atque ordinem, qui naturæ jure debetur. Sicuti ex adverso, nocturnæ lucubrationes sensum cum morbo chronico qualicumque conflictantium, tum concoctiones omnes imminuunt ac depravant, tum eorumdem principio vitali vulnus haud facile medicabile infligunt. Illud etiam sedulo observo, ad præcavendum a calculo mictum sanguineum, ut quoties per plateas ad longius aliquod intervallum curru vehendus sim (gestatio enim, vel ad maximam quamlibet distantiam, per vias lapidibus non stratas minime officit mihi) non prius rhedam ingrediar, quam haustum cerevisiæ tenuis paulo liberaliorem ingessero,

fero, quem pariter itero ante regreſſum domum verſus, ſi forte alicubi diutius fuerim commoratus; quo pacto ſemper mihi a mictu ſanguineo ſatis eſt præcautum. At quoad podagram hoc unum adjiciam. Nuperis hiſce annis ex errore aliquo circa ſex res non naturales commiſſo, mihi retroceſſio ſubinde materiæ podagricæ accidit; cujus ſigna ſunt ægritudo ingens, cum vomituritione, & aliquali ventris dolore. Artus interim ex improviſo doloris ſunt expertes, ac ad motum plus ſolito habiles. In hoc caſu congium unum liquoris poſſetici, vel cereviſiæ tenuis devoto, & quamprimum totum per vomitionem rejecerim, vini Canarini hauſtulum, cui inſtillatæ fuerint laudani liquidi gutt. XVIII. ebibo, in lecto ad quietem me componens. Atque hac methodo meipſum ab imminenti morte aliquoties liberavi.

Et ſi vero haud quenquam fortaſſe deceat (eum maxime quem ſive ſalvum, ſive mortuum eſſe hominem vix interſit) ita crebram ſui mentionem injicere; hæc tamen eo animo dicta volui, ut aliis, quorum vita ſaluſque majoris fortaſſe ponderis & momenti ſunt, queant prodeſſe.

Hic poſtremo ſubindicandum eſt ingens diſcrimen, in quod nonnulli ſe conjiciunt, tam calculo, quam podagra laborantes, quoties mannam in *Aquis Mineralibus* catharticis ſolutam inconſulto capiunt. Quamvis enim hoc modo aſſumpta, & celerius vim catharticam edat, & minori nauſea ventriculum irritet; tamen minora iſta commoda injuriam aliam ab aquis illatam penſare non valent. Etenim ſi calculus renibus incluſus ita magnæ molis ſit, ut per uretherum ductus in veſicam propelli nequeat, iſtæ aquæ paroxyſmum ut plurimum excitant, qui eouſque perdurabit, cum magno vitæ ægri periculo, donec tandem calculus in pelvim redierit. Quinimo nec *chalybeatis Aquis* æger ſe tuto committet, niſi prius certo ſciat calculum majorem non eſſe, quam ut per ureteres viam poſſit ſive invenire ſive facere, quod hoc tantum modo, quantum ego conjicio, certo dignoſcere poteſt, ſi nempe jam antea paroxyſmum aliquem nephriticum fuerit perpeſſus, (cum dolore ſcilicet ſæviſſimo in renum alterutro, per uretherum ductus propagato, & vomitu enormi) pro comperto habeat, non tam grandiorem aliquem calculum pelvi concludi, quam lapillorum exiguorum congeriem, quorum unus ſubinde in uretherem illabitur, atque ita paroxyſmum hunc invitat, qui fere non definit calculo in veſicam detruſo. Cum res ita ſe habeat, nullum eſt magis efficax remedium, ſive ad præcavendum minorum calculorum incrementum, ſive ad eoſdem e renibus deturbandos, quam *Aquarum Chalybeatarum* potatio liberalior, per ſingulas æſtates jugiter repetenda.

Cum vero ſæpe accidat, ut *Paroxyſmo Nephritico* quis corripiatur, quando hujuſmodi minerales aquæ haud præſto ſint, vel etiam tempeſtas anni adſit, quæ earundem potationi minus faveat, hac itaque compendioſa methodo, ſine ulteriore remediorum apparatu, inſiſtendum. Si æger temperamento ſanguineo præditus fuerit, & ætatem provectiorem haud adhuc attigerit, ſanguis ex brachio reni affecto reſpondenti, ad ℥x. extrahatur, deinde *Liquoris poſſetici, cui Rad. Altheæ* ℥ij. *incoctæ fuerint, Congium unum* quam citiſſime devoretur, & ſequens *Enema* injiciatur. ℞. *Rad. Altheæ & Lilior. an.* ℥j. *Fol. Malva, Parietar. Branc. Urſin. & Flor. Chamamil. an. M. ſ. Sem. lin. & Fœnurg. ana* ℥ß. *Coq. ſ. q. Aq. ad* ℔iß. *Colatura diſſolve Sacchari culinaris, & Syr. Dialtheæ, an.* ℥ij. *M ſ. Enema.* Quamprimum per vomitionem æger totum reddiderit, quod per os ingeſtum fuerit, ut etiam enema rejecerit, *Laudani liquidi* ſatis magna doſis propinetur, *viz.* ad gutt. XXV. vel *Pil. Matthæi* XV. vel XVI.

In ſenibus vero, morbo aliquo diuturno fractis, ut & in vetulis, *Vaporibus*, vulgo dictis, obnoxiis (præcipue ſi ſub initium paroxyſmi urinam eæ reddant nigram ac fabuloſam) venæ ſectio omittatur. At quoad reliqua, eadem, quæ jam dicta ſuit, via omnino procedendum.

Sed ad calculum, qui hujus loci eſt, grandiorem revertamur. Quod ſi calculoſus nullo unquam paroxyſmo nephritico fuerit tentatus; cum jam major ſit calculus quam ut ex pelvi poſſit elabi: non ſolum mihi proderunt *Ferreæ Aqueæ*, ſed etiam ob jam dictas rationes, non ſine præſenti periculo ſumentur. Neque minus male quandoque *Podagricis* cedit aquarum mineralium uſus, modo ſenes fuerint (ut ſunt plerumque) & pariter corporis habitu phlegmatico imbecilloque. In his enim nonnunquam naturæ vires eo uſque ſunt imminutæ ac ſucciſæ, ut omnino metuendum ſit, ne tanta copia aquarum penitus obruantur ac ſuccumbant. Sive vero hoc in cauſa ſit noxæ, quam exinde capiunt homines tali habitu ac temperamento præditi, ſive non ſit; illud mihi compertiſſimum eſt, haud paucos, quorum corpora hoc morbo fracta admodum, & quaſi confecta fuerant, hiſce aquis interemptos diem ſuum obiiſſe.

Atque hæc eorum fere ſumma eſt, quæ mihi in morborum curatione hactenus innoteſcunt, ad diem quo hæc ſcribo, *Septembris ſc. viceſimum & nonum, Anno Domini*, 1686.

De calculo renibus impacto, ac inde enato mictu ſanguineo, verba fecit in ſpecie Clariſſ. noſter Auctor, propria in hoc morbo deſcribendo, eaque ſane duriſſima uſus experientia. At vero de aliis calculis, tum veſicæ, tum variarum etiam corporis cavitatum, aut ſolidarum partium, altum omnino ſiluit. Non itaque ingratum Doctiſſimo Lectori fuerit, ſi quæ de ejus natura, origine, progreſſibus, varietatibus, diverſiſque ſedibus ac cura, magna diligentia ſcriptis conſignarunt Præclariſſimi Viri Carolus Drelincurtius, & Martinus Liſterus, *hic legendum exhibeamus, eoque magis, quod quæ ex illius Auctoris primo loco nominati, Diſcipulis, Magni ſui Præceptoris ductu ſcribentibus & diſputantibus, habemus, ejuſdem variis obſervationibus, raris prorſus & curioſis, nobis jam dudum a Celeberrimo hoc Viro communicatis abunde illuſtrare valeamus. Sit itaque primo.*

DISPUTATIO MEDICA DE CALCULO VESICÆ,

Quam ſub Præſidio Præclariſſimi Viri

CAROLI DRELINCURTII

Lugduni in Batavis Profeſſoris Medici Senioris, habuit doctiſſimus Philippus Roſe, Gallo-Cadomæus.

CUm Microcoſmum inter & Macrocoſmum, collationem inſtituo, & ſummas utriuſque dignitates, rationis bilance exploro, ſummam illius cum hoc neceſſitudinem, ſatis demirari non poſſum. Quanquam etenim meliore principeque ſui parte, Microcoſmus omnes Macrocoſmi potiores excellentioreſque videatur dotes excedere, poſteriore tamen, utpote materiali, tanta illi cum hoc datur affinitas, ut ab iiſdem principiis, ab iiſdem elementis, iiſdem prorſus, variorum impetuum, a Sapientiſſimo Creatore, editis legibus omnino pendeant. Hinc ſane ter beatum prædicabimus, qui indefatigata, exactaque orbis machinæ φαινομένων, indagatione, accuratiſſimam, perfectiſſimamque eorum notionem erit adeptus. Enimvero hic præviæ ſcientiæ memor, conſciuſque, facta attentionis ſuæ translatione, omnes corporis humani tam ſalubres, quam inſalubres, anomalaſque conſtitutiones, maximo cum emolumento, ſcrutari potis eſt. Aſt quanquam tam diviti ſcientiæ theſauro, mentis noſtræ arcam locupletatam non ſentiamus, nihil tamen eſt, quod nos a ſpeciminis conſilio deterreat, vel impediat, quominus omnes contendamus nervos, ut *Calculi*, affectuum quibus adeo miſere conflictatur Adami poſteritas, mehercule non infimi, *Natura*, *Differentiis*, & *Symptomatibus* rite explanatis, ejuſdem *medela* delineationem abſolvamus, eamque rationi conſentaneam. Adſit infirmo tyroni ſaluberrimus humanæ proſapiæ Medicus.

Quia animi Mercurius, loquela eſt, atque mentis noſtræ ſenſa, aliter quam ſermone, ſcriptura, vel nutibus, unicuique ſignificare penes nos non eſt: hac moti ratione quædam in calculi ἔτυμον prælibare, ab inſtituto haud alienum ducimus. Calculus latinis vulgo ſic appellatur, eos vero, qui aliquam in veſica fovent rupem, calculoſos nominant. Iſtud autem concretum a calce ſuam traxiſſe denominationem (alicujus nempe *αἰτιολογίας* ergo) cum fœcundiſſimo *Ger. Johan. Voſſ. in Etymol. Ling. Lat.* exiſtimamus. Medicorum Princeps nomine λίθος calculum plerunque intelligit, uti videre eſt *libro* iv. de morbis. Calculoſos vero λιθιῶντας, *lib. de vuln.* ut & affectum λιθίασιν, *aphoriſ. 26. ſect. 3.* nuncupat. *Helmontio* poſt *Paracelſum*, calculus in tractatu de Lithiaſi, vocabulo *Duelech* indigitatur.

Calculi nomine explicato, rem ipſam aggrediamur. Ejus autem naturæ certam, diſtinctamque notionem aſſecuti videbimur, ſi diligenti, rectoque examine, cauſas ejus tam *efficientem* quam *materialem*, quantum in nobis eſt, in medium protulerimus. De calculi materia, ipſiuſque concreſcendi modo, non parum apud artis proceres hactenus fuit dimicatum: quod quidem nemini admirationem pariat, ſi quot de cæteris affectibus & morbis, inter ipſos variæ promulgentur ſententiæ, pauliſper apud ſe perpenderit. Sed ne curioſius quæſita harum diſſenſionum occaſione, extra operis cancellos vagari conſpiciamur, Ἀτειχοῖς Primariorum, hac de re ſenſus huc referre, atque ex iiſdem quid potius, quid veroſimilius habeant ad majorem hujus lemmatis dilucidationem, depromere ſat nobis fore judicamus.

Venerandus Ἀρχιατρὸς *lib. 4. de morbis*, qui ſit calculus, quaque generetur ratione trutinans, ſic ſcribit: Ἐν τῇ κύστει γίνεται λίθος τρόπῳ τοιῷδε ὥσπερ ἐφ' ὕδατι μὴ καθαρῷ παραχθέντι ἐν κύλικι, ἢ ἐν χαλκῷ, ἢ καυσάντι, ἀποσάθμη ἅλις γίνεται ἐν τῷ μέσῳ. Οὕτω ἢ ἐν τῇ κύστει ὑπὸ τοῦ ἀέρος, μὴ καθαροῦ ἐόντος &c. *in veſica generatur lapis hoc modo: quemadmodum in aqua non pura turbata in calice, aut in vaſe æneo, & denuo quieſcente, fax ſimul fit in medio, ſic & in veſica, ab urina non pura exiſtente.* Quæ quidem explicatio propter tanti Viri authoritatem nobis plurimum arriderer, niſi fæcis in calicis fundo coacervatæ exemplum, quadantenus impar, mancumque animadverteremus. Quamvis enim fæcis in calicis fundo coacervatio, & calculi in veſica formatio utcunque convenire videantur, quod utrobique ſit quædam patticularum mixti liquidi, ab aliis ſecretio, ſeu coagulatio, procul tamen a ſeſe invicem eas non parum diſtare, neminem negaturum arbitror, vel qui minimum ad ſpeciem formamque utriuſque concreti attendit. Nec dubio locum fore ſpero, ſi αὐτοψία diſcrimen, quod intendo, unicuique palam fecerit.

Optice nimirum dignoſcimus, fœcis in fundo calicis congeſtionem eam eſſe, quæ vel minimo ipſius vaſis motu, vel aquæ in eodem vaſe coercitæ, facta bacillo agitatione, omnino ſolvatur, atque aqua impuris iſiis quiſquiliis modo purgata, ipſis iterum inquinetur, ſummeque ſaturetur. Quod ſane a calculi concretione longe abeſſe, nullus refragabitur, qui matulam introſpicere non dedignatur: nam inibi non ſecus ac in veſica calculum formari, cum Paracelſo Helmontioque, mens nobis eſt: quod poſtea ſolidis confirmabimus argumentis. Si ergo calculi materia, ſive calculus ipſe parietibus & fundo matulæ adhærens examinetur, magnam certe ejus eſſe duritiem, nec non arctam vaſis concavo adhæſionem, ſenſus organis innoteſcet, adeo ut vel matula concuſſa, vel lotio alia ratione commoto, prædictus calculus a matulæ muris non ſecedat. Præterea ſilentio non poſſum prætermittere, calculi coagulationem abſolute in fundo matulæ, inſtar fœcis prædictæ nequaquam fieri: inſpicientibus enim patet, matulæ fundi cruſtam, ab eiſdem parietum lorica non multum differre, & æqualem fere cum ea craſſitudinem habere. Unde merito concludimus, pace Hippocratis, fœcis in fundo vaſis aqua pleni, cumulatæ exemplum, calculi διαμόρφωσιν, minus perfecte exponere.

At forte aliquis integer Hippocratis ſenſuum aſſertor noſtram in improbando culpabit audaciam, atque ad paulo poſt ſequentia ejuſdem Auctoris verba nos ablegabit. Πήγνυται τε ὑπὸ τοῦ φλέγματος ὠμὸς ἐόντος, κόλλα γὰρ γίνεται τῇ ὑποσάθμῃ τὸ φλέγμα μεμιγμένον: *Indura-*

tur-

turque a phlegmate crudo, gluten enim fit, phlegmate cum fæce mixto. Sed hæc prædictam noſtram ſententiam nullatenus debilitant, quin nihil aliud probant quam calculi concretionem a fæcis coactione, ut jam innuimus, maxime diſcrepare: κόλλα enim quam ex phlegmate & fæcis commiſtione ſtatuit Hippocrates, coagulationem calculoſam alio penitus modo ac fæculentam perfici, certo arguit. Nec etiam tale phlegma ſive materiam pituitoſam, ad calculi compactionem, & indurationem, maxime neceſſariam nobis fingimus: cum in matula tale gluten ut plurimum non reperiatur, nec ideo ibidem deſinat conſtipari calculus. Sed donemus adeſſe in matula aliquam glutinis ſpeciem, ac inde conſequi liceat, eam calculi formationis eſſe cauſam eſſe genuinam, nec non eandem iſtam materiam eſſe meram pituitam? Quoad prius ſtare nequit; adſit enim tale gluten, vel deſit, calculus in matula proinde naſcitur. Quoad poſterius, merito in dubium revocemus, utrum iſta materia, pura puta ſit pituita, an potius internum viſicæ intro exſudans, atque ex ea in matulam emictum. Et licet talis mucago, calculi compoſitionem forſan ingrediatur, immerito tamen ejus concretionis atque indurationis cauſam, ad phlegma idque ὠμὸν, referamus.

Verum reclamabit alius, calculum ſuam coagmentationem duritiemque glutini prædicto non abſolute quidem debere, ſed veſicæ calore atque ſiccitate, inſtar laterum fictilium, condenſari atque lapideſcere. Sed quam futilia & abſurda ſint illa veſicæ calor & ſiccitas, aut frigus ipſum, ad calculi γένεσιν, nemo non videt. Nec etenim matula, ſive veſica, intenſis clibani ardoribus retorrentur, aut quid ex gravi Borealis Poli frigore participant, quo calculus inſtar lateris coquatur, aut inſtar glaciei congeletur, atque ad debitam, quam ſolet exhibere ſoliditatem deducatur. Quis etenim neſcit, veſicam perpetuo ſeroſi laticis ſtillicidio irrorari, matulamque, dum in ipſa calculus perficitur, lotio madere. Nonne etiam notum eſt matulæ calorem, ſi quis adſit, igni admoto, veſicæ autem calculo benignam ejus mucaginem abſtergenti, fibras aſperitatibus vellicanti, atque atterenti, acceptum referri debere. At hæc non magis in renum, quam veſicæ, calculi generationem, prædictarum cauſarum ullam agnoſcimus. Utrumque enim ab eadem cauſa eſſe oriundum, poſthac propalabimus.

Sed in tantis rerum anguſtiis, tamque obſcuro opinionum pene infinitarum chaos, veritatis partus maxime langueſcit: cui plures obſtetricandi avidi, renum vel veſicæ vim lapidificam alta voce implorabunt. Aſt talis Lucinæ auxilium fruſtra invocetur. Quem etenim fugit ita philoſophantes, obſcurum per obſcurius explicare niti, & ad patens celeberrimumque craſſioris ignorantiæ ſacellum citatis equis confugere? Apage apage inſulſas, cauſas ignotas, ſuperbamque qualitatem quadrigam, qua velociſſime abrepti omnia naturæ ænigmata ſolvere, univerſaſque difficultates ſuperare, ac veluti calcare, nimis glotioſe contendunt. Hos itaque miſſos facimus, ut quid hac de re ſentiat Fernelius curioſe expendamus.

Prædictus Auctor lib. VI. de part. morb. & ſympt. cap. XIII. aſſerit: *Omnem calculum in veſica concluſum, rudimentum quoddam e renibus traxiſſe, e quibus per nephriticum dolorem excidens, ſi grandiuſculus eſt, in veſica aliquandiu hæret, ac plerunque perſiſtit, illicque allatarum ſordium adhæſu coagmentatur, dum vetus confirmatuſque lapis fiat.* Quæ Fernelii mens ſua non orbatur veriſimilitudine, eamque ob rem ab ea non omnino diſſentimus: cum enim ipſe eodem libro notaverit, ſe neminem in veſica calculum habentem offendiſſe, qui nephriticis doloribus ante non fuiſſet divexatus; inde ſane liquet pleroſque veſicæ lapides calculo e renibus per uretheres in veſicam delapſo, principium ſuum debere. Quod ſuum judicium ſequente paulo poſt obſervatione confirmare conatur Auctor, ajens: *Quoſcunque exemptos veſicæ calculos obtrivi (obtrivi autem experiundi gratia permultos) in eorum medio quaſi nucleum reperi, verum rudimentum e renibus deturbatum, diverſi quam reliquum integumentum, ac involucrum, & coloris et ſubſtantiæ.* Luculentiſſima hæc Fernelii animadverſio, ad ejus opinionem fulciendam non parum confert, adeo ut ipſius veſtigiis incedentes, calculos veſicæ, maximam partem, prima a renibus accepiſſe voluminis ſui ſtamina, non dubitemus affirmare: nec tamen ipſi penitus ſubſcribimus; veſicam enim non ſecus ac renes ſaxeo fætu, quanquam rarius, imprægnari, a ratione alienum minime cenſemus.

Enim vero quamvis a Fernelii parte contra Hippocratem ſtemus, fæcem ſubſidentem, ſanguinis grumos, pus, mucoſam pituitam aliaque id genus craſſiora, facile ex veſica profluere cum urina, ac proinde calculum ex his non formari: ipſi tamen talium e veſica excretione poſita, calculi ibidem generationem, eamque primariam, tolli conſtanter negamus, neque enim ex ejus ratiocinio, inductionem imperfectam referente, quid generale deduci poteſt. Nam unicuique primo intuitu eluceſcit, prædicta omnia, a Fernelio enumerata, ſiquidem valeant ſemper e veſica foras amandari, calculi formationi neutiquam prodeſſe, ac proinde ex iſtis calculum progigni, negare, ipſi fas eſſe: ſed inde omnem calculi in veſica concretionem, primariamque, ut jam ſcriptum eſt, omnino explodi, inficias imus; nam peculiarem calculi materiam, & a fæce ſubſidente grumis ſanguineis, pure, mucoſa pituita, maxime diverſam poſtea aſſignabimus.

Quæcumque hactenus Auctorum placita ponderavimus, quo obſcuram calculi cognitionem, e Democriti puteo nobis fortunate contingeret eruere, parum utilitatis noſtræ tribuerunt indagini: aliorſum ergo proram convertamus, ut ad optatum veritatis portum tuto valeamus appellere. Jamque mihi fauſtum iter polliceor, modo hac in denſa tenebrarum caligine, ad igneni protinus apparentem, portuſque optati nihil monſtrantem oſtia, recta contendam. Emporii *Spargyrici* ſiquidem portus hic eſt, bene eſt, nec etenim ſibi temere perſuadeant, abſtruſam calculi indolem, aliter quam induſtria Vulcani reſolutione, poſſe unquam referari. Hæcce inveſtiganti, ratio omnium tutiſſima nobis eſt, ſed cum curis, laboribus, nec non impenſis, ardua ſit, incerti de proſpero cœpti eventu, forſitan pro foribus hæreremus, niſi bonis avibus res in promptu nobis occurreret, Vigili quippe & indefeſſo, *Præſtantiſſimi, & Experiſſimi, DD. Caroli Dorelincurtii, Apollinis mei, æternum ſuſpiciendi, reverendique*, ſcrutinio, perfectam calculi nanciſcor analyſim. Hic enim in *Epiſtola* ſua Gallice exarata, cui nomen eſt, *La Legende du Gaſcon* &c. calculum in ſingula principia ſubtiliſſime diremptum, famoſo offert viro. Quanta autem maxima poſſum fidelitate verba quæ pagina 35. habentur hic Latine referam. *Sed quod tua longe dignius eſt experientia, & quod evidentiſſimum argumentorum augmentum mihi eſt, ſcilicet corporis humani calculi per ignem mihi ſuppeditat, longe potiori ratione quam per aquam, tertiam ſalis volatilis, & ſpiritus urinoſi penetrantiſſimi, & circiter quadrageſimam partem olei fœtidi aut ſulphuris: adeo ut inde mihi ſuperſint fere duæ tertiæ partium terrenarum, qua trigeſimam partem continent ſalis adeo fixi, ut ignem violentiſſimum ſuſtineat.* Quibus verbis cernere eſt hanc calculi reſolutionem igne fuiſſe peractam, poſt aliam beneficio aquæ expeditam: quæ in ſuperiori pagina eſt reperiunda: ea tamen quæ igne fuit abſoluta, frequentius uſuri, quandoquidem ut placet clariſſimo Auctori: *per ignem mihi ſuppeditat longe potiori ratione, quam per aquam*: Tam certo tamque egregia calculi potitus anatome, hic pedem figere ſegniter, inſtituti conditio prohibet. Pergo igitur inditas unicuique principio δυνάμεις ſedulo inveſtigaturus.

Scenam recludit *ſpiritus urinoſus*, iſque penetrantiſſimus, potentiſſimus, mehercule, naturæ coagulum ac forſan pari non gaudens. Talem enim præ ſe fert ἐνέργειαν, ut ſpiritum vini, ſeu aquam vitæ dephlegmatam in offam coagulet. Teſtem appello *Helmontium de Lithiaſi* cap. 3. §. 5. Rara hæc mirabiliſque ſimul ſpiritus urinoſi virium experientia, obſepiens calculi σύμπηξιν, nebulas non parum diluit & diſſipat. Validiſſimum quippe aſſequimur ἐλατῆρα, quo præceps a peripheria in centrum motus peragatur. Hic per tranſennam hominum ſortem dolere mihi incumbit, quod ipſis fere ſolis inter animalia, talem ſpiritum gignere contigerit. Helmontii etenim opera diſtillata eſt urina equina, verum diſſimilis prorſus inde emanavit ſpiritus, quod apud ipſum legere eſt, *Tract. de Lith. cap.* 4. §. 9. Hujus phænomeni, humano generi, proh dolor! nimium familiaris, rationem hanc eſſe arbitror. Homo ſcilicet gulæ ſatiandæ avidior, viſcera condit in viſceribus, ſæpeque intempeſtiva eduliorum, ſpiritibus tam ſulphureis, quam ſalinis, præſertimque terreſtribus abundantium, farragine ventriculum ingurgitat, quæ ipſis fermentato forte non imbelli edomita atque elaborata per ductus meſentericos in lebetem cardiacum promoventur, ubi ulteriore donata coctione, majoreque exaltatione, numeroſos ſpiritus, a ſeſe invicem, volumine, figura, motuque ſæpiſſime non parum diverſos acquirunt. Quemadmodum autem plurium Regnorum Imperia, dominationi ſuæ imminutionem pertimeſcere non ſolent, cum libratis ſingulorum viribus, ex nulla parte in aliam, cum ſucceſſu, fieri poteſt invaſio: pariter ſi ſpiritus varii maſſam ſanguineam exagitantes, eamque uno tenore compellentes, temperata quadam proportione, æquiſque legibus, motus ſuos exerant; nihil ſane, tunc, humano corpori, damni impendere poteſt. Sin autem res alirer ſe habeat, adeo ut v. gr. *Spiritus urinoſus* aliis dominetur, ipſe, procul dubio, in ſubtiliſſimas adjacentes particulas perpetim incurrens, eas non ſolum varia impellet ratione, ſed etiam cum ipſis in mutuos ruens amplexus, ſiquidem idonea, ad coeundum figura præditæ fuerint, pro ſuperficierum magis vel minus mediato contractu, magis vel minus ſolidum lapidem, ſeu calculum exhibebit. Felicior hac in parte equus ſuo Domino, ut & multæ aliæ brutæ animantes. Nam herbaceis parumque ſpirituoſis veſcentes pabulis, ſuccum particulis activis minime, vel ſaltem parum turgentem obtinent: adeoque fermento generoſiori, ſeu agente efficaciori, quale eſt *ſpiritus urinæ*, deſtituti, calculoſis concretionibus vacare, vel ſaltem raro infeſtari, debent. Quod rationi, nec non experientiæ conſonum reperimus.

Canete palinodiam, moleſtum eſt: valeant ergo quæ ſcripſimus, ſit quæ *ſpiritus urinæ* ſummus coagulator, ſeu genuina calculi *efficiens* cauſa audiat. Nunc in ſubjectam ipſius *materiam* diligenter inquiramus. At certe ipſa λέγμα ὠμὸν nequaquam erit. In matula enim materiam, ſeu calculum ipſum concavo adnatum vidimus, ſed antea nullum urinæ phlegma aderat; neque etiam terra, ſicuti videtur in concreto calculo: quin potius urina recens emicta, ubique & æqualiter citrino erat colore perfuſa. Præterea notante Helmontio *Tractatu de Lith. capit.* 3. §. 36. concretio calculoſa in vitreo recipiente e ſpiritibus, liquoribus nempe ſtillatis & claris, facta eſt: unde infero, calculoſam cruſtam in matula contentam: pariter e ſpiritibus in urina mea deliteſcentibus fuiſſe confectam. Nec nobis obtrudant urinam noſtram non fuiſſe deſtillatam; certiſſimum enim eſt, Helmontii urinam ab ipſo deſtillatam aliud duelech non produxiſſe, quam quod non deſtillata fuiſſet editura.

Satis commode latiſque evidenter *ſpiritus urinoſi* notitiam videmur adepti, nec aliorum cognitionem majus nobis negotium faceſſituram confidimus, ſi methodo jam incepta progrediamur. Ideo *quadrageſimam partem olei fœtidi aut ſulphuris* conſiderare ſubeſt. Non ſolum autem ad prædicti olei *qualitatem*, ſed & *quantitatem* fortiter attendere, non parvi momenti eſt. Primo, quoad ejus *qualitatem*, aliorum oleorum naturam ſapit: quatenus ex particulis longiuſculis, ramoſis, ſive invicem intricatis, ac proinde ductilibus conſtat. Fœtidum etiam eſt, quatenus nimirum in diſtillatione, & præcipue in ſanguinea fermentatione, ac dein, vel in naturali, vel in artificiali matula maximam paſſum eſt ſui diſſolutionem: unde corpuſcula ab ipſo jugiter emanantia, nimioque fermentationis attritu figuras valde irregulares nacta, cum ad nervos olfactorios allidunt; irregularem etiam, ſeu ingratum ſenſum in nobis debent excitare. Secundo, quod ad *quantitatem* attinet, valde exilis eſt: *quadrageſimam* enim tantum exhibet. Unde jure conſequimur, parum olei ſeu *ſpiritus urinoſi* ad concretionem duelech concurrere. Præterea hoc ſulphure erutо, *materiam* habemus in quam ſpitus urinoſus, dum in urina adhuc reſideret ſuam potuerit ἀπόρροιαν exercere; eadem fere ratione, qua in Helmontii experimento citato.

Supereſt tandem, ut *duas tertias* partium *terrenarum*, ut par eſt, contemplemur: ex ſiquidem etſi craſſiores & graviores ſentiantur, quam quæ ullo poſſent motu cieri, ſicque vix eo inducamur, ut eas naturam ſpirituum potuiſſe unquam aſciſcere, credamus, ex præcognitis tamen liquido apparet, iſtam quam rudem & pene informem cernimus molem, motui tamen non plane fuiſſe ineptam atque alias, ante ſcilicet ipſius coagulationem, volatiliſationis legibus paruiſſe. Raſuræ etenim matulæ duelech in pulverem redactum repræſentant, ante ipſarum otium & captivitatem, per campam lotii libere exſpatiabantur, atque in omnem loci differentiam abreptæ, ſpiritum indolem neceſſario æmulabantur, eoque magis, quod nullam peculiarem nobis præberent ſui viſionem.

Integrum non esset *partium terrenarum* examen, nisi quædam in *salem* intra earum viscera conclusum quædam mitteremus. Nam etsi *terrenas* calculi partes, *spirituosas* olim extitisse, in propatulo sit, dubio tamen aliquo pollet quis nos lacessere; eo præsertim fretus, quod perpetuo laudandus Clarissimus *D. Drelincurtius*, designet illum salem adeo fixum, ut ignem violentissimum sustineret. Sed objectionis hujus facilis est enodatio, si mature considerabimus, istius salis, dum ignis viribus subjiceretur, eam fuisse constitutionem ut ipsius minutissimæ particulæ arctissimam inter se iniissent unionem, convenientique præterea caruisse juvamine, seu vehiculo, quod veluti mechanice potuisset attolli. In matula, vel in vesica non item; singula etenim corpuscula salina, tum seroso latice, tum aliis particulis ibidem occurrentibus a sese invicem distincta, & divisa, communi liquoris motu, ultro citroque provehebantur. Ad hanc sententiam ulterius corroborandam multa possemus afferre, rationi & experientiæ cognata, sed cum præscriptæ nobis angustiæ, seu limites id non patiantur, iter maturabimus.

Cum res ita se habeant, causas calculosæ concretionis, tam *efficientem*, quam *materialem*, nos jam fuisse consecutos arbitramur. Pensitandum nunc est quonam pacto ab istis duelech in matula oriatur. Quod sane non fuerit nobis cognitu difficile, si *spiritus urinosi*, spiritum vitæ coagulantis, virum meminerimus: Is etenim *penetrantissimus*, id est particulis valde activis donatus, stipatusque, vinosas, seu sulphureas impetens, easque ad mutuum cogens accessum, intermedias, tum terrestres, tum salinas, in summas redigit angustias, adeo ut velut irretitæ, motumque suum idcirco amplius edere nesciæ, immmediatum fere cum vicinis acquirant superficierum contractum, ac proinde cum ipsis firmissima fruantur connexione. Hoc prorsus morbo in matula æque ac in vesica, calculum fieri, persuasum habemus. Cum nimirum ægri urina in vesica, vel sani in matula, talem sui texrus assecuta est dissolutionem, seu corruptionem, *spiritus urinæ penetrantissimi* titulum adeptus talem valeat effectum producere. Si quis autem cum *Paracelso*, *Crollio*, aliisque causam calculi *materialem tartari* nomine velit intelligere, de verbo non litigabimus.

Calculi *natura* abunde satis explanata, præcipuas ipsius differentias enumerare, ordo postulat. Primo, alius est magnus, alius parvus. Secundo, alius mollis, alius durus. Tertio, alius gravis, alius levis. Quarto, alius levis, alius asper. Quinto, alius albus, alius subfuscus &c. Sexto, alius in centro nucleum habet, alius caret. Septimo denique, alius adhærens, alius vagus: quorum discriminum causas has esse opinor. Primo, quo diutius vel brevius in vesica calculus hospitatus est, eo majorem vel minorem materiæ appositionem passus est, ideoque grandior vel exilior est. Secundo, quo abundantior internæ vesicæ mucaginis copia in calculi compositionem contrahitur, eo mollius; quo autem parcior, eo durius duelech compingitur. Tertio, alius gravis, alius levis. Quod quidem secundum ampliorem tantum & minorem molem non est intelligendum, sed etiam respectum ejusdem calculi voluminis: uti perbelle *Mecœnas* meus, in Epistola sua a nobis citata, *scil. pagin.* 32. animadvertit. Quarto, alius levis, alius asper, prout nimirum æqualis facta est materiæ accessio, indeque sequitur. Quinta differentia, quæ colorem spectat: nam a varia corpusculorum ordinatione variæ parantur superficies, quæ solares, vel candelares radios diversimode reflectentes modificantesque, diversos necessario, τῷ πρώτῳ αἰσθητηρίῳ suggerant colorum sensus: de quibus in *physica*. Sexto, si nucleus, ut sæpissime accidit, e renibus per uretheres in vesicam devolvatur, ibique ulterius accipiat molis suæ incrementum, haud laboriosum cogitatu est, in calculi inde orti in centro, nucleum debere occurrere: non solum enim nucleus ille superstratis corticibus longe durior & firmior est: ut præclare monet æternum colendus *Mœcenas*, prædictæ Epistolæ *pag.* 34. Sed insuper tam congrua, tamque homogenea, particularum, uno verbo *tartarearum*, fieri non potuit adjectio, quin earum stratificationum ordines, a genuinis nuclei corpusculorum seriebus maxime differrent. Ista omnia contra *Fernelii* sententiam a nobis superius oppugnatam nihil facerent, nisi ex doctissimi *Salesii* ad eruditissimum *Beverovicium* responsione *pag.* 141. sciremus calculos dari nucleo carentes, qui proinde in ipsa vesica primariam, ut ante a nobis scriptum est, sortiti fuerint generationem. Septimo tandem, alius vesicæ adhærens, alius vagus: hujus ratio nulli non perspicua: illius vero hanc esse reor. Quemadmodum matulæ, seu figulinæ, seu stanneæ, interior superficies tam continua ubique, & polita non est, quin innumeris scateat poris & asperitatibus, quibus proxime adjacens calculi materia concrescendo impingatur, atque affigatur: similiter in vesica eoque potiori jure, cum ea sit membranacea, accidere putamus. His subnectimus expertissimi Bartol. observationem *pag.* 200. anatomiæ recens editæ; *ubi* (inquit de intima vesicæ membrana) *rugæ quam plurimæ in calculosis, & veluti cuniculi exculpti cernuntur, calculos servantes ex dilationis desuetudine contracti*. Unde haurio calculos non solum prædicto modo, interiori vesicæ membranæ, summa adhæsione adnasci, sed etiam intra ejusdem membranæ rugas intime coacervari, atque ibidem caveos cuniculos agere. (*a*)

Præcipuis calculi *Differentiis* perlustratis, antequam ad ipsius *Symptomatum Signorumque* explorationem nos accingamus, operæ pretium videtur disquirere, quinam illi sint in quos gravis hic affectus imperium suum exercere soleat. Primum obtinent locum, qui a patre vel a matre vel ab utroque calculosum acceperunt characterem; nam ut ait *Fernelius lib.* 1. *de morborum causis*, *cap.* XI. *nephritici*, *arthritici*, *& epileptici*, *filios vitiosa constitutione gignunt*, *qua tandem in morbos similes*, *hæreditarios idcirco nuncupatos*, *incurrant*, *ut parentibus liberi succedant*, *non minus morborum*, *quam possessionum hæredes*.

Quare mirum non videatur, si tot infantes, totque adulti miseræ vitæ stadium sæpe imperfecte emetientes, tam horrendis cruciatibus disorqueantur. Apud ipsos enim morbosum matrimonium tam validas tamque altas egit radices, ut nulla mortalium vis id unquam valeat penitus extorquere, funditusque revellere. *Gaudeant* ergo *bene nati*. Prioribus succedunt ii qui a parentibus alioquin sanis oriundi, propter tamen magnam a causis externis in ipsos introductam alternationem, eodem ac præcedentes, affliguntur malo. Novit enim quilibet, quod *causæ necessariæ* quas declinare non possumus, ut sunt *aer*, quem respiramus, *cibus* & *potus*, *motus* & *quies*, *somnus* & *vigilia*, quæ *excernuntur* aut *subsistunt*, *animi denique perturbationes*, totam animalis œconomiam gubernent, ideoque eorum vitio, vel ipsius animalis abusu, multa emergant monstra, humanæ valetudini infensissima. Hic inter marem & fœminam discrimen aliquod interserendum venit. Quamvis enim acceptas a parentibus morbosas affectiones, æquali jure, portioneque partiantur; attamen propter diversam partium, vesicæ in primis, varietatem, ille hac, in calculum propensior evadit. Utriusque nimirum, anatome docet maris urethram longam, curvam, & angustam, fœminæ vero ductum, brevem, rectum, amplumque existere, adeoque difficulter ex illius, verum ex hujus, vesica, facile satis calculum nondum seniorem posse eliminari. Non omittendum: adultiores, renum, infantes vero & senes vesicæ calculo magis esse obnoxios. Illis scilicet arteriæ & venæ sanguine adeo fermentato turgescunt, ut cum serum in renibus a massa sanguinea segregatur, *spiritus urinosus*, quo tinctum est, tali jam polleat virtute, ut parriculas sulphureas & salinoterrenas in renum anfractibus statim coagulet, quo peracto latex aquosus per ureteres in vesicam stillans, in ipsa sterilis omnino residet, utpote saxeo semine in renibus orbatus. In infantibus senioribusque contra res habet. In illis enim adhuc tenellis & imbecillibus, sanguinis principia, tanto fermentationis orgasmo non percelluntur, nec his senio pene confectis spirituum δυνάμεις adeo vegetæ, ut *coagulator urinosus*, tartareas particulas, in renibus, dum eos cum sero pertranſit, queat in unum cogere, exinde salvis sæpe renibus in vesicam cum seroso latice depluit, ubi majori robore, atque imperio in particulas sulphureas & salinoterrenas, comparatis, earum vibrationes infringit, & quasi arctis compedibus revinctas impedit, quo minus vesicæ carcerem effugiant. Haud dubie tamen multi sunt senium a limine salutantes, qui calculos in vesica, ex renibus contraxerint, eodem pacto, quo cum *Fernelio*, supra narravimus.

Symptomata, quæ calculum vulgo comitantur, & ex quibus affectus διάγνωσιν haurit Medicus, quinque enumerat *Hippocrates*, *lib.* 4. *de morbis*. Σημεῖα δὲ ἡ νόσος ἔχει πέντε, ἐπήντε ἀρήσε δέλη,

---

(*a*) *Hæc omnia quam maxime illustrabuntur per ea, quæ nobis olim amicissime communicavit Vir omni sane laude major, ipse scilicet* Carolus Drelincurtius: *cujus hæc ipsa sunt verba.*

Calculos instar corallii ramosos, & expassos ab ambitu pedis anserini in pelvim, ubi coeunt molem in unam, alias compactam & unicam; alias vero multiplicem atque divulsam, necnon articulis veluti distinctam, & *ginglymi ritu*, ad lumbos inflexos & erectos, mobilem aliquando eduxi & inrer musei mei cimelia anatomica curiosis oculis objicio. Et isti porro calculi *caput ureteris* obturant quidem & expanduntur; sed quia raro sphærici sunt, urinam vulgo e pelvi in vesicam influere sinunt.

Calculos præterea in *extremo urethere* ita constrictos vidi, ut in vesicam devolvi nequeant, sed inibi hærentes, dum urinæ tenuissimum per rimulas transmittunt, crassamen retinent, cujus accessu mole fiunt auctiores, & *ureteris* insimul atque *vesicæ tunicas* ita distendunt, ut alterius idea vesicæ rudiores deludat, quasi reapse foret *vesica duplex*; & in illum crassum atque supinum errorem Medicos Casauboni incidisse putem, dum viri tanti *vesicam urinariam* nobis geminam obtrudunt. Hic porro, ubi ad extrema deventum est, & calculi in *infimo urethere* taliter impacti atque cuneati viam urinæ præcludunt omnino, tunc illa in urethere stagnat, & illum enormiter expandit, una cum pelvi sua. Inde est ut in cadaveribus aliquot distentam urina pelvim, illaque olidissima detexerim. Imo totum uretherem eadem illa turgidulum & expassum. Sed *a calculis* divelli nequeo citra hist. *unam & alteram*. Ia. est de molli uno & farinaceo, qui solius in vesicam catheteris impulsu ita comminutus est & attritus, ut per frustilla minutiora totus fuerit abreptus urinæ fluento: atque sic qui cystotomus erat in procinctu ad carnificinam, ab ea fuerit longe semotus. At e diverso calculos conservo siliceos omnino, quique de marmore resiliunt. uti *Brassavol.* narrat Comm. in Aph. 79. Sect IV. Altera hist. *puerilis* quidem est, sed *Pœonio* stylo notanda. *Puer* calculi doloribus excarnificatus, & ambulationi impar, lecto detinetur, ubi post aliquot dies furunculus in peritonæo subortus est, cujus pus per medios accelleratores tam profunde serpsit, ut vesicam arroserit, quæ validius contracta non *urinam* modo, sed *& calculum* per ulcus emisit, atque ita prædam quidem eripuit cystotomo, sed fistulam ingeneravit, quæ perennat, & qua jugiter & unice effluit urina, abolito prorsus usu ductus nativi.

Caronidis vice *fœmineos* calculos subnectam per urethram (*virili brevio*rem, *latiorem*, atque *rectiorem*) longe optatius excerni, quam in nobis, atque ita raras esse fœminas quibus calculus extrahatur. Imo quasdam vidi *vesicæ* doloribus *ceu labore partus*, excrutiatas, sed quæ post tormenta enormia *præos fœtus* excluserint, in renibus embryonatos, & intra urinæ cisternam sensim auctos in molem usque ovi columbini. Et ipsum profecto, imo quid majus ab *Hipp* visum est, viro ubique praxeos summe perito.

Calculorum Chymicam analysin habes in Epimetis Thesium de *Lienosis*. Sed in hæc Chymica calculorum vesicæ analysi, paucum exhibet oleum, quo bilarii calculi scatent, tanto ut aquæ innatent, & *toti* ardeant, picis instar. Deridendos ergo sese propinant, qui profitentur bilarios calculos in vesicula bilis & ejus ductibus concrescere ob prædominium *tartari* sive *calcis*, & defectum *olei*, sive *sulphuris*. Et id ipsum nequidem vere proferrent de concretionibus in arthritide nodosa; nam e virili pede, *mensis unius decursu*, gypsum vidi, sing. dieb. matur. eductum, quod glutine multo e tendinibus extensorum nudatis, & lymphæ ductibus incisis, viscatum erat; sed quod exiccatum, ac cerei flammulæ admotum levlter tantum arsit. Sulphuris itaque consors, sellei calculi sorte. Id autem tartari singulis diebus a me collectum, supra chartam emporeticam extendebatur, exiccationis gratia, & ex illo, (*ad unciam circiter unam probe siccato*) frustra majora aquæ imposui, ac etiam demersi; sed suberis instar semper resiluerunt & innatarunt. Illorum igitur comparatio cum calce vel gypso, candoris quidem ratione valet, sed ponderis ergo claudicat. At calculi urinariæ vesicæ plani quidem innatant, sed depressi resiliunt, nunquam flammæ autem admoti non ardent, etsi sulphuris non exortes, sed ob ejus parcitatem non igneſcunt.

Isthæc rara quidem: sed rariora 2 proferam, 1. de calculo unc. xv. quem inter χειμήλια sedulus conservo. Is intra viri pancreas sensim increverat cum gravitate ad lumbos, maxime post pastum & inter ambulandum. Vomitus denique cievit enormes & letiferam atrophiam intulit, omni præpedito tam conficiendo quam distribuendo chylo. Mediæ est consistentiæ atque soliditatis inter vesicales, quos rarinaceos siliceosque designavi. Fundum aquæ petit, nec ardet, metalli more.

Alterum est de Virgine ann. circiter 20. qua dira cephalæa semestri discruciata, occœcata est tandem, ac reliquis deinceps sensibus orbata; & mediis in planctibus extincta.

Tota ipsi pinealis gland. fuxea fuit, unius ovi gallin. amplitudine, & mole tanta nervor. optlcor. thalamos, nec non reliquos tandem nervos lethifice compressit.

λη, πονέεται δὲ τὸ ἦρον κατ' ὀλίγον ῥέειν, ὥσπερ στραγγεικοῖσι. ἢν ἔσιν οὖραιμον οἷα τῆς κύστιος ἠλκωμένης, ὑπὸ τοῦ λίθου· ἢν δὲ ἡ κύστις φλεγμαίει· ἀλλὰ τοῦτο μετ' ἀφανές· σημεῖον δὲ ἀκροποσθίη. *Signa autem morbus quinque habet; nam ubi mejere vult, dolore affligitur, & urina paulatim fluit, velut in urinæ stillicidio: & est subcruenta nimirum vesica a lapide exulcerata, & vesica inflammata est: verum hoc signum inconspicuum est: indicat tamen summa glandis pars.* Horum symptomatum signorumque causas has esse ducimus. Primo quidem ἐπιόντε ἀρῆσαι θέλη, πονέεται. Quia cum musculi abdominis, nec non diaphragma, vesicam in urinæ excretione comprimant, valde verosimile est eorum & membranæ musculosæ vesicæ actione, lapidem e suo loco dimoveri, atque asperitatibus ejus interioris membranæ fibras corradi: unde non parum sensibilis debet exoriri dolor. Verum quandoquidem totus omnium prædictorum musculorum impulsus, urinam ad meatum urinarium impellit, maxime probabile est, calculum eadem vi, eodem loci pelli, præsentiaque sua qua egressum urinæ fere præcludi, eam finere κατ' ὀλίγον ῥέειν ὥσπερ στραγγουρικοῖα. id est veluti in urinæ stillicidio dolorifico: quod est tertium symptoma. Quarto ἢν ἔσιν οὖραιμον, & est urina subcruenta. Cujus symptomatis rationem reddit ipse Hippocrates: οἷα τῆς κύστιος ἠλκωμένης, ὑπὸ τοῦ λίθου. *nimirum vesica a lapide exulcerata.* Quinto tandem, ἢ ἡ κύστις φλεγμαίνει, *& vesica inflammata est.* Quod de symptomate nutare videtur Auctor, id enim vocat ἀφανές. Exinde conjectare licet, illud symptoma non esse perpetuum, nec παθογνωμονικὸν, sed tantum in iis locum habere, quibus vesica calculo impense læsa fuerit; adeo ut etiam ἀκροποσία, id est, *summæ glandis ardor* illud significare debeat, seu potius ordinario manifestet. His accedit subsequens Hippocratis textus, ex quo aphorismus 79. *sect.* 4. Ὁκόσοισιν ἐν τῷ ἤρῳ ψαμώδεα ὑφίσαται, τουτέοισιν ἡ κύστις λιθιᾷ, *quibus in urina subsident sabulosa, iis vesica calculo laborat.* At hic aphorismus tam renum, quam vesicæ calculo competere mihi videtur. Renibus quippe calculo laborantibus, sabulosa etiam excernuntur. Vesicam tamen vel renes speciatim potest respicere, modo cum aliis signis magis particularibus conjungatur, seu coincidat. Hæc & alia signa, ut crurum intercruciationes, manuum pudendis admotio, priapismus, tenesmus, &c. tam ab *Hippocrate* quam Fernelio, Sennerto, aliisque magnæ notæ Auctoribus probata, cum fructu possunt usurpari si calculus vagus fuerit; at si laterali vesicæ parti, vel etiam ejus fundo adhæserit, vix ullum ex prædictis signis de illo nuncium refert. Hac in re nobis favet *Fernelius de part. morb. & sympt. lib.* VI. *c.* 13. Huc accedit memorabilis historia ab *Helmontio* descripta *tractatu de lithiasi*, cap. 3. §. 40. de quodam Prædicatore prope Barclajam in Anglia, qui anno 1629. sanus atque sospes contendens a prandio, librum e sublimi ad se trahere, in imo ventre, magno perculsus pondere atque dolore, certis inde a quatriduo signis, scivit se calculo gravatum. Ex hujus narrationis conditione & circumstantiis, judicare possumus Prædicatorem, nullam antea ab isto calculo tulisse molestiam, nec ullam forte utcunque manifestam de illo suspicionis causam habuisse. Omnia hoc in casu Medicorum dubia solvit catheter: ipso etenim leniter & industrie in vesicam immisso omnes explorantur anfractus, omniaque latibula, in quibus alioquin calculus omnem Medicorum solertiam & sagacitatem eluderet.

Jam hujus ægritudinis curationem suspiciendi hora est. Sed *hoc opus, hic labor est.* Nam etsi concepta, causarum externarum immoderatione, atque intemperie, in calculum inclinatio, earundem moderatione, & temperie, sæpe avertatur & emendetur, hæreditariam tamen, nulla posse fugari ratione, ratum habeo. Rara etiam, ut fortasse ignota sunt medicamenta, quæ ore assumta activitatis sphæram, tam longe lateque petant, ut ad calculum in regione vesicæ situm, ea extendantur. Tentandum tamen est quod ratio experientiæ maritata nobis est dictatura.

Vera & recta hujus hostis debellandi methodo insistemus, si primo grassari incipientis progressus inhibeamus, cumque si fieri queat, capite truncemus. Secundo, si eum jam vesicæ muris loricatum atque munitum, foras ejiciamus, integra, in primis, remanente arce. Primam *indicationem* absolvere poterimus, tali vivendi ratione, quæ massæ sanguineæ succos ad pristinam συμμετρίαν revocet; adeo ut *spiritus urinosus* omni sua ferocia deposita, cum partibus tartareis, tragicam suam personam amplius non possit agere. Primo si *aer* sit intemperatus, atque vaporibus seu effluviis e cryptis saxeis avolantibus, infamis, protinus deseratur. Hæc etenim non solum fermenta seu semina, calculo excitando idonea largiuntur, sed & homines, bestias, carpenta, reliquamque supellectilem, in rupes aliquando valent convertere: uti legitur in *Helmontio de lith. cap.* 1. §. 18. multisque in aliis Auctoribus. Secundo, summa cautio in *esculentis*, & *potulentis* capienda. Quippe ut ea, nimia quantitate ingesta, grave ventriculi fermento detrimentum inurunt, & vitalem auram maxime pessundant, sæpeque suffocant, sic nociva qualitate, pluribus heteroclitis affectibus, ac præcipue hinc ansam præbent. Absit tetra ingluvies, *quæ plures quam gladius perimit.* Procul panis male fermentatus nec bene coctus. Legumina fere omnia, rubris ciceribus exceptis, caseus, lacticinia omnia, pisces grandiores, haleces passæ, seu infumatæ, ostreæ & conchylia, & tandem omnia quæ copiam seminis petrificantis secum gerunt. Horum vices subeant caro vervecina, vitulina, capones, perdices, turdi, coturnices, vitelli, ovorum &c. amygdalæ amaræ, pistacia, pineæ, nuclei persicorum cerasi. ficus, rubra cicera. Inter herbas malva, atriplex, petroselinum, asparagus, & in primis chærofolium *Sennerto* singulare calculi remedium. Vitetur cerevisia nondum bene fermentata, in eamque dum coquitur semen dauci injiciatur. Fugiatur etiam vinum non defæcatum. Nam ea morbi causam secum portant. Ex insalubrium numero est aqua stagnans, in fundo conceptaculi, silicibus, seu arenis orba, talis enim impura est, & terrenis gravida. Verum ea optima censetur, quæ perenni scaturigine, jugique fluento e terræ visceribus per summum ejus corticem derivatur, innumerisque calculis & arenulis fundum stratum habet. Motu nimirum, a corruptione vindicatur, & a spermate lapidescente purgatur; dum ipsum in arenas faceisens subsidet. Vinum Rhenanum album, liquor pomaceus, pyraceus propter vim diureticam, valde juvant. Si qua autem purgatione utendum, ad succum sanguineum reformandum, inter alia hæc esto, a celebri Riverio probata. R. Cassiæ recenter extractæ cum ol. amyd. dulcium ℥j. diaphœnici ℥iij. rhabarb. pulv. ℥j. cum pulvere liquiritiæ, fiat bolus. Ad hujus effectus προφύλαξιν mire faciunt aquæ minerales acidulæ, & vitriolatæ; ut etenim eæ varia corporum concreta valent dissolvere, ita calculosam dispositionem potenter enervant, plura utilissima apud *Paracelsum*, *Helmontium*, *Sennertum*, *Riverium*, aliosque famæ Medicos, quorum ampliora volumina hic inserere non decrevi. Tertio excernendorum *excretioni*, & non excernendorum *retentioni* prospiciatur. Quarto motu nimio pretiosum hominis *balsamum* non profundatur, nec pigriori quiete torpeat, aut gravetur. Quinto de *somno* & *vigilia* idem dicimus. Sexto *animi perturbationibus* consulendum, eæ etenim, idem ac motus intensior, & quies desidior, præstant. Omnia igitur medio modo procedant. His & aliis, quæ opusculi brevitas recenseri renuit, ingruenti huic affectui succurritur.

Ad alteram *indicationem* adimplendam non ita pollet Medicus. Vix etenim pharmaca cum sua operandi facultate, ad vesicam pertingunt. Tentanda tamen quæ calculum minuere referuntur. Radices apii, petroselini, brusci, graminis, asparagi, folia pariet. Semina anisi, fœniculi, dauci, carvi, ameos, carthami, rutæ, sal prunellæ, crystal. tartar. Primas obtinet sanguis hirci, vel integer, vel distillatus per B. M. Studendum autem cum Riverio, ut hircus nutriatur per mensem saxifraga, pimpinella, baccis juniperi, petroselino, aliisque diureticis, sine potu. Vinum alkekengi ab Arnoldo Villanov. maxime commendatur; quod fit fructus alkekengi contundendo, cum vino albo & colaturam exhibendo. *Horatius Augenius* historiam refert cujusdam typographi filii, calculo liberati per pharmacum a Jesuita ipsi oblatum, quod tale est. 2*l.* pulv. millep. ℥j. ad summum ℈iv. aquæ vitæ ℥ß. juris cicerum ruborum ℥ix. vel x. capiat horis ante prandium quinque. Spirit. salis hispalensis extollit *Helmont. de lith. cap.* 8. §. 28. atque ipso calculum imminui. His omnibus ore haustis palmam præriperent medicamenta, quæ suadente *Paracelso*, aliisque in vesicam syringa transfunduntur; at ægrorum experientia id alienat. Nam mitiora medicamenta in ipsam vesicam injecta, dolores magnos cient. Si igitur *diætæ* appositæ, & remediis deglutitis, affectus rebellis non cedat, sacra anchora, κυστοτομία, amplectenda, vesicæ inflationem, flabello peractam, apud Ægyptios olim exercitam, abhorremus: varia etiam abhinc crudelia imaginamur tormenta, nec commodam calculi eductionem. Nec spiritus a Fab. Hildano extrahendi calculi modus, magis nobis cordi est. Regnet ergo ea sola calculi eruendi ratio, quæ tot excellentibus practicis, Celsoque præsertim, maxime arridet. Si quis autem nosse aveat, quale in viro, quale in puero, mulieribus, aut virginibus calculi educendi ἐγχείρημα excellat, peritorum χειρουργῶν monumenta adeat. Sed a tædioso librorum evolvendorum labore abstinere queat, quicunque exiniam dictam epistolam, ab ipso naturæ genio scriptam, consulere voluerit. Hic sisto calamum, & DEO TRIUNI gratias ex imo meo corde fundo, & *ipsum* demisso, humilique rogo animo, ut tentamini huicce benignus faveat, luminisque scintillulam gratus impertire dignetur, quo densis ignorantiæ tenebris mens mea tandem eripiatur.

Dissertationem hanc primam, alia jam Præclarissimi Martini Listet *excipiat. Quæ sic habet*

DISSERTATIO MEDICINALIS

DE

CALCULO HUMANO, &c.

Calculi ubique corporis humani, at præcipue in renibus & vesica generantur: cujus rei rationem infra privatim exponam. Igitur inventi sunt calculi sub lingua, in ductibus pituitariis, in cerebro, in hepate, in pulmone, in vesiculis seminalibus, in utero, in ventriculo, in intestinis, in articulis tum manuum, tum pedum, at multo frequentius in renibus & vesica. Adibis *Historiæ Medicinalis* Scriptores, & præcipue mortuorum dissectores.

Calculi autem, etiamsi maxime inter se discrepare videantur & figura & colore & pondere; nam in iis sunt leves, sunt asperi: alii opaci, alii pellucidi & crystallorum æmuli: sunt & tophacei & valde friabiles: alii vero vere metallici, ponderosi, peneque silicei videntur: alii rotundi, alii inæquales: alii quadrati: alii fissiles: alii testacei &c. tamen eorum natura & generationis ratio eadem est, non solum in hominibus, sed etiam in aliis animalibus, ubi calculorum quoque quam maxima varietas differentiæque occurrunt.

At licet ea distinctio calculorum secundum loca & *animalium genera* laudabilis & historica sit, instituti tamen nostri brevitas nos diutius insistere istiusmodi minutiis non patitur.

Verum ne futilibus conjecturis oratio nostra procedat, primum videndum est, quod nobis de calculorum natura, & ex eorum analysi per ignem, & cum crudi nondumque ignem experti fuerint, existimare liceat.

De calculo autem humano cremato hæc exhibet diligentissimus Leeuwenhoekius ope microscopii.

„ In calculo humano, inquit, ignis vi in calcem redacto, magna
„ copia insunt & salia fixa & volatilia. *Idem albi*, ex sale vola-
„ tili & fixo maxima pars calculi constituitur, *itemque*, calculi
„ vesicæ humanæ ex magna particularum salinarum copia constant.
Porro „ *ex calculo combusto* crystalli erant pellucidæ, atque ita
„ angulares ac lateribus planis, ac si ipsum fuisset crystallum.
„ Rursus ex calculo adusto, cui aqua infusa est, sal coagulatur, ac
„ *tam durum fit ac rigidum*, ut quamvis aqua ad coctionem usque
„ ferveseat, sal illud tamen cum aqua non denuo conjungitur.
„ Item sal volatile *calculi* adeo *rigidum & firmum* est, ut, ubi
„ coagulatum est, humido cælo dissolvi nequeat.
„ Ex capite mortuo *calculi combusto*, cui aqua pura infusa est,
„ eadem aqua sensim in aere siccata detegi plures salis figuras,
„ pellucidas instar adamantum: nec solum erant pellucidæ, sed &
„ anguli earum erant adeo glabri, ac adamantum anguli possint
„ poliri. Inter eas vero maxima erat plana, & ejus basis triangu-
„ laris: unus ex angulis erat obtusus, juxta hanc vero jacebat par-
„ ticula salina, cujus basis erat sexangularis, &c.
„ Præterea jacebat (præcipue in liquoris superficie) magna copia
„ particularum salinarum, similium iis, quas in *Arthritidis calcem*
„ appellamus.
„ Etiamsi cælum, dum accurate intuerer salis particulas, ad-
„ modum esset humidum ac frigidum omnes hæ particulæ undique,

„ quaſi aqueo humori injectæ erant : unde earum rigiditas facile „ conjici poteſt.

„ *Calculus crudus* ex aqua frigida infuſus *ſuos quoque ſales* ſimi„ liter rigidos dat.

„ Nullam vidi particulam ſalinam, ex tot myriadibus ſalis, qui „ calculo humano inſunt, communi noſtro ſali ſimilem. Neque „ illud ex ſiccato humore detegi potuit.

„ Omne ſal palato noſtro non ſapit; ita nec ſal e teſtis conchy„ liorum crematis, ex alabaſtro crudo; ita nec ſapit qui elicitur „ ex calculo humano: id eſt, *acrem & acidum* ſaporem admodum ſalis communis non exhibet; ſed ſal tamen eſſe non definit, i. e. ſuum habet peculiarem ſaporem, de quo ſupra ſatis dictum eſt.

„ *Capiti mortuo* materiæ calcariæ *Arthriticorum* ad nigredinem exu„ ſto, aqua adjecta ineſt magna copia particularum ſalinarum, ſi„ milium ſalium in calculo humano ſcilicet rigidorum pluriumque „ angulorum; nihil ſalis vulgaris, quo in cibis utimur, ineſt ma„ teria calcaria arthriticorum. *Hactenus Leeuwenhoekius.*

Illud autem notes velim, figurarum ſalium illorum varietatem ac imperfectionem apud eum ab incredibili particularum ſalinarum exiguitate dependere, quæ, ut is teſtatur, vix tantæ ſunt, ut multæ earum myriades arenulam æquent: adeoque propter parvitatem vix ſatis recte depingi poterant.

In cryſtallos itaque majuſculas (quantum fieri poteſt) aliquo artificio cogendæ ſunt, ut lenta ſiccatione in umbra, idque diebus maxime calidis: quo certe tempore ex aquis noſtris mineralibus cryſtallos ad ſeſqui ſcrupuli pondus habuimus: deinde quo major quantitas ſalis erit, eo promptius experimentum ejus concretionis in cryſtallos, magnitudinis conſpicuæ & perfectiſſime ſucceſſurum eſt.

Hæc autem non exhibui, ac ſi aliquod dubium ſit de veritate experimenti à Leeuwenhoekio de illis ſalibus expoſiti, ſed ut, etiam ſine microſcopio, vel nudis oculis res manifeſtaretur.

Igitur de copia & natura ſalis in calculo humano jam ſatis fere diximus, item de ipſa calce ſimiliter ſive materia calcaria & metallica.

Illud autem unum addam de hac calculi humani materia, ſcilicet quod in earum aliquibus debite crematis etiam ipſum *ferreum metallum*, ad aliquot grana adhibito magnete, poſſe extrahi; id quod olim oſtendi coram *ſocietate Regia Londinenſi*, cum ibi forte caput mortuum dictum alicujus calculi humani a *D. Slare* expoſitum fuiſſet. Appello autem regiſtra ejuſdem *S.* de fide experimenti.

Quæ vero præterea *calculi*, *chymica analyſi* dent, minus moror, nempe olea & aquam. Cum non alia ſint a ſanguine humoribuſque corporis: adeoque minus faciunt ad calculi generandi intelligentiam; quæ tamen hujus Diſſertationis præcipua intentio eſt.

Igitur his expoſitis quale ſit id, quod in homine lapideſcat, ſatis intellectum puto, atque ita *calculum definio*, nempe eſſe quid vere lapideum a ſale lapideque calcario, & interdum a ferreo metallo, humoribuſque quibuslibet corporis concretum, atque in pleriſque ductibus viſcerum excretoriis, maxime vero in renibus & veſica natum.

Cauſam itaque *materialem* calculi in ſolis humoribus, ut in pituitoſis, craſſis, viſcoſis, tartareis aut fæculentis non poſuimus. Etenim materiam non ſolum concretioni aptam, quales ſunt humores, indicare ſatis eſt, ſed etiam vere lapideam & metallicam calculi exigere videntur, atque ea ipſiſſima eſt, quam in proxime ſuperiore Tractatu Anatomico exhibuimus, e quibus conchyliorum teſtæ fiunt, inque fontibus medicatis inveniri diximus; nempe ſuccum lapideſcentem e ſaxo quovis calcario, pyriteve ſive ferreo metallo *Germinante* ortum, atque aquis abreptum, nobis aliiſque animalibus quovis alimento, maxime vero potione aſſumptum.

Humor autem ſive ſuccus lapideſcens etiamſi ejus effectus paſſim extra nos innumeris exemplis appareat, tamen a nemine quod ſcio, explicatus eſt. Etenim Helmontii ſomnia hic non vendito, videlicet cuncta metalla ex mera aqua fieri ſpecifica metallorum ſemina, fermenta, odorem & ſpiritum neſcio quem urinæ lapidificum, terram ejuſdem volatilem, ſpiritum vini urinæ incolam, hæ meræ nugæ ſunt.

Non ſemen, inquit Helmontius, cum aqua ſibi ſubdita ſolum petreſcit, quin inſuper corpus ſibi contiguum, odoris ſeminis petrifici, ſolo attactu petrificat, at ſi ita eſſet, cur renes & ipſa veſica non petrificarentur: ubi interdum ſemen iſtud, odor & fermentum tam vehemens eſt, ut innumeros & ſæpe ingentes calculos generare potis ſit: ἀλλὰ ἔυνθες τὸ τὰς ἐυνθέας τῶν λόγων λίθω ἐξετάζειν.

Quæ vero paſſim obſervare licet, ea tantum exhibeo, ſcil. ſaxa calcaria & pyriten i. e. ferri merallum ſulphurulentum, præ omnibus metallis, *ſalia ſua lapideis particulis gravida* edere, more plantarum pullulantium; has vero *plantas ſalinas* aquarum curſibus diſſolvi, iterumque vel ob moram, adhæſionem ex aptitudine quadam partium & contiguitate, imbibitionem, aliave ignorabilia accidentia inter ſe coire, & in primam ſuam materiam redire, hinc, inquam, petrificationes extraneas, & calculos intra nos fieri veriſimile eſt.

Eſt itaque peculiaris quædam materiæ ſive ſucci lapideſcentis aptitudo, ut in lapidem convertatur, nimirum ex ſalis lapidei naturali coitione, ejuſque rigiditate, ut diſſolutioni, ut dictum eſt, reſiſtat; itemque ex copia & qualitate particularum lapidearum in iſto ſucco contentarum, ſuo ſcilicet ſali ex quadam harmonia ortus, prompte committendarum, nexu haud facile diſſolubili.

Igitur calculi materiam ab eſculentis & potulentis, quæ hujuſmodi ſalibus lapideiſque particulis abundant provenire. Si vero corpus bene ſe habeat, foras ejiciuntur, neque in renibus aut veſica retinentur; ſi renes imbecilli fuerint & veſica labefactetur, in lapidem coire apta ſunt.

Efficiens itaque cauſa calculi eſt copia materiæ lapideæ in ductibus viſcerum excretoriis imbecillis diutius ſuppreſſa.

Si qua vero ſit in aliquibus hominibus hæreditaria diſpoſitio ad calculum generandum, ea oriri poſſit ex mala partium conſtitutione, ex uſu tamen quotidiano victus, lapidea materia maxime infeſti, vel in maxime integris hominibus calculi etiam generantur, videlicet ſi alimentis continuo & magna copia utantur, quæ plurimum ſucci lapideſcentis in ſe contineant, aquaſve bibant tali ſucco vitiatas, quia in illis aquis aut cibis cauſa materialis; unde eſt, quod in quibuſdam regionibus præ aliis incolæ complures calculo laborent.

Itaque renes & veſica vitiantur vel ex nativa conſtitutione, vel victu calculoſo ſupervacaneo, quam autem rem ſic intelligo, nimirum a nimia copia & pondere materiæ metallicæ arteriolæ capillares, renum ductibus excretoriis commiſſæ, diſtenduntur, præterque naturam valde ampliantur, unde excretio debilitatur a conſtrictione arteriolarum labefactata. Igitur materia metallica in ductibus excretoriis imbecillibus ſenſim accumulatur moramque trahit, unde ejus coitio in calculos: idem cogitâ in tabe hæreditaria, ubi mala renum conſtitutio.

Inter *cauſas* autem calculi *antecedentes* & *procatarcticas*, hæ recte numerantur.

1. Mala concoctio, qua chylus crudus & lentus quo involvitur ſuccus lapideſcens, indiſcriminatim intra habitum corporis aſſumitur, etiamſi vero cauſa calculi materialis non ex ſtomacho deducenda ſit, tamen eo labefactato in officio ſuo chyli conficiendi, ſucco putreſcens plus minus in omnigeno alimento neceſſario & naturaliter exiſtens, poſſit ob chyli craſſitiem citius & facilius in majores arenulas coire in renibus.

Profecto robur inæquale partium eſt calculoſorum præcipua ratio, ita renum alter calculos parit altero ſano, quod ſatis evincit calculi vitium a parte labefactata potius, quam ab ulla materiæ calculoſæ defectu oriri, quæ ſemper, ut dictum eſt, adeſt, at raro ſupra modum arenularum concreſcit, niſi vitetur tonus & vigor renis expulſivus.

2. *Lactea infirmata*; nam ab iis integris etiam chylus bene digeſtus a ſucco iſtiuſmodi putreſcente ex parte purgans, quod ſcilicet is fluori minus aptus ſit, adeoque inter alimenti ſoluti excrementa per inteſtina dejicitur, antequam venas lacteas ſubire poſſit.

3. Hyems autumnuſque calculos renum parit, auctore *Artæo*, an quod magis laborent renes, ſuppreſſa ex frigore perſpiratione cutanea.

Sed ad alia perganus, & privatim materiam calculi ſuppeditant maxime *oſtrea* & omnia *Teſtacea* animalia, *aquæ medicatæ*, quæque vel calcario vel ferreo metallo imbutæ, & quæ petreſcentes ob conſpicuos effectus præcipue audiunt. *Vina* aut quælibet alia alimenta locis aqua petreſcente vitioſis nutrita.

Salſæ autem *carnes* minime, prout Leeuwencœckius extra dubium poſuit, ſcilicet in calculo omnino nil ſalis culinarii repertum eſſe.

His vero adjici poſſunt *vehementiſſima quæque Diuretica*, quæ materiam morbificam vel nimio impetu ad renes deturbent, vel nictum per ſe minus noxium infeſtum reddant, quòd ipſi renes ob nimiam excretionem infirmentur.

In his quoque cauſis *Balnea* ponenda ſunt, quibus renes nimirum laxentur, item alimenta vehementer calida, ut piper, alia, reſinæ quævis, exercitium vehemens, Venus immoderata.

Audi Hippocratem, (*a*) pueris calculi principium *ex lacte impu*„ *ro*, pituita enim ex eo lacte urinæ ſedimento admixta, glutinum „ evadit; ac primum quidem parva lanugo accreſcit, deinde quod ac„ cedit arenoſum. Rurſus autem alimentum ſolidum aut *lapidoſum* „ efficitur, non ſecus ac *ferrum ex lapidibus* &c.

Ita nobiſcum ſatis bene ſentit antiquiſſimus Medicus, calculum accreſcere ex arena pituitæ commiſta, i. e. ex materia vere lapidea, primoque mollem velut lanuginem, mox virtute arenoſæ acceſſionis ſolidum ac lapidoſum effici, non ſecus *ac ferrum ex lapidibus*.

Hactenus de calculi natura, ejuſque generandi modo cauſiſque; proximo autem in loco ipſius *morbi* ratio ſine *pathologia*, ſive is in renibus, ſive in veſica fiat, inſtituenda eſt, cum *Diagnoſticis* vero incipiam.

Hæc autem calculi in renibus indicia ſunt. 1. Omnium certiſſima ſignificatio, calculus excretus eſt.

2. Ad renem doloris gravitas. (*b*)

3. Femoris e directo ſtupor ſentitur, *idem ibidem*.

4. Nauſea & vomitus.

5. Urina cruenta: at hoc perpetuum non eſt: unum tamen e præcipuis eſt quando contigerit, quod dolorem nephriticum a colico diſtinguat.

6. Urina in principio aquata, pauca, aut integra ſuppreſſio: a moto vero calculo per uretres, ea copioſa, fere turbida, arenoſa.

Hæc autem indicia per ſe patent, neque ulla explicatione, certe arte peritis, indigent.

Ubi vero id malum in veſica fuerit, his indiciis, inquit *Celſus*, (*c*) cognoſcitur. „ Difficulter urina redditur, paulatimque, interdum et„ iam ſine voluntate deſtillat, eadem arenoſa eſt, nonnunquam aut „ ſanguis, aut cruentum, aut *purulentum* aliquid cum ea excernitur; „ eamque quidam promptius recti, quidam reſupinati, maxime hi, „ qui grandes habent calculos, quidam etiam inclinati reddunt, co„ lemque extendendo dolorem levant. Gravitatis quoque cujuſdam „ in ea parte ſenſus eſt; atque ea curſu omnique motu augetur: „ quidam etiam cum torquentur, pedes inter ſe, ſubinde mutatis vi„ cibus implicant. Fœminæ vero oras naturalium ſuorum, manibus „ admotis, ſcabere crebro coguntur; nonnunquam ſi digitum admo„ verint, ubi veſicæ cervicem is urget, calculum ſentiunt.

Neque multum aliter Hippocrates. (*d*) „ Hic morbus quinque „ habet ſigna: Dolor in urina reddenda: ejus ſtillicidium: inter„ dum cruenta, a veſica inflammatione vexata: verum id non apparet, „ indicio tamen eſt *ſumma præputii pars* (i. e. inflammata) inter„ dum arenoſa reddit, interdum duos aut plures calculos.

Aretæus ex antiquiſſimis auctoribus in pleriſque conſentit. „ Si ve„ ſicæ inhæſerit calculus, ex colliquationibus patefiat, neque doloris „ neque gravitatis expertes ſunt, licet urinam expedite reddant: Sin „ minus & urinæ difficultas accedet: omnes vero calculos ex fabulo„ ſis urinæ ſubſidentiis deprehendes, & quod iſtis virilia ſæpius eri„ guntur: quando enim mejunt ſubeſtque calculus, dolent, tractant, „ attrahuntque pudenda, anus quoque vitii particeps redditur.

De *inflammatione* autem veſicæ ſatis conſtat ex obſervatione Hippocratis, cum ad ſummam glandem fere viſibilis ſit ex inſigni rubore; unde non mirandum eſt, ſi moleſtus interdum *pruritus* ſit in pudendo, *dolorque* in veſicæ collo incipiens, ad glandis extremum uſque porri-

(*a*) *Lib.* 4. *de Morbis.*
(*b*) *Hipp. Epidem. l.* 1. *S.* 1.
(*c*) *Lib.* 2. *cap.* 7.
(*d*) 4. *de Morbis.*

porrigatur, unde etiam *Virilium* frequens *erectio*, non ſecus ac cantharidibus ſumptis.

Urinæ autem *Stillicidium*, & ponderis ſenſus: item mictio facilior in uno corporis poſitu quam in alio; item dejiciendi cupiditas, quæ mictionem excipit, hæc omnia a magnitudine, & figura & motu calculi oriri videntur.

Ultimum autem & omnium certiſſimum ſignum eſt exploratio, vel per digitum in anum, vel per catheterem in ipſam veſicam immiſſum.

De illo autem Hippocratis (*a*) aphoriſmo magna interpretum diſſenſio eſt a Galeno ad noſtra tempora. Quibus in urina arenoſa ψαμμωδέα ſubſident, his veſica calculo laborat.

Johannis Zechii (*b*) opinio, ut video, pleriſque arridet; qui hanc ſubſidentiam non meram arenam eſſe vult, ſed gluren iſtud mucaginoſum in pleriſque calculoſis conſpicuum; at hoc non perpetuum ſignum eſt, adeoque minime pathognomonicum.

Sed, brevitatis cauſa, miſſis aliorum diſputationibus mihi videtur Hippocratem hic, generationis arenæ locum, non calculi exiſtentiam indicare voluiſſe, & dicit tantum ipſam veſicam in vitio, ubi arenæ a mictione formantur atque ſubſident; ita quidem expono ἡ κύστις λιθιᾷ, imo idem Hippocrates (*c*) alibi ait arenam non eſſe ſignum calculi in veſica; atque ita ille aphoriſmus diverſo ab hoc ſenſu intelligendus eſt.

Verum ais, arenæ non ſunt calculi, neque negandum eſt, quod a quibuſdam exhibetur, ſcilicet vix e decem unum reperiri, qui arenas cum lotio non excernant; raros tamen eſſe, qui renum calculo laborent, & rariores multo, qui veſicæ.

Quamvis autem arenæ revera calculi ſint, nec ab iis eſſentialiter differant; tantum ſecundum magis & minus, nam perexiguus calculus arena eſt; tamen aliquo ſenſu, in gratiam Medicorum, probanda eſt iſta diſtinctio, nempe arenarum quotidianarum cum urina ejectarum, & calculorum majuſculorum non ſine dolore & difficulter excernendorum, utræque tamen partes, & renes & veſica tum ſuas arenas, ſuoſque calculos generant; neque aliter viſum eſt Hippocrati, ut ſupra dictum eſt in diagnoſticis; vult autem in hoc aphoriſmo arenas ex urina micta ſubſidentes præcipue a veſica vitiata oriri, eamque calculis generandis præ renibus pronam eſſe innuere. At hic prætereunda non eſt ſingularis opinio Fernelii, qui ſtatuit omnem veſicæ calculum, rudimentum quoddam, ſeu interiorem nucleum ex renibus trahere, e quibus per nephriticum dolorem excidens, ſi ſit grandiuſculus, in veſica hæret, & ſordium illic allatarum adhæſu coagmentatur, dum adoleverit in juſtum lapidem; eo, inquit, argumento, quod neminem oſtenderit in veſica calculoſum, qui non fuerit diu ante nephritide vexatus: item quod in contritis veſicæ lapidibus nucleum quendam ſe reperiſſe aſſerit, diverſi a reliquo integumento coloris & ſubſtantiæ.

Huic autem opinioni ipſe addo, etiam in mediis calculis, e veſica exactis, vidi & *ferramenta* (*d*) & oſſa, per ipſum penem injecta: poſſunt itaque arenulæ renum eſſe pro rudimentis calculorum veſicæ: at hoc perpetuum non eſt.

Etenim priorem hujus rei rationem alii Medici ex propria ſua experientia negant; nempe in pueris calculoſos dari, quibus nulli nephritici dolores anteceſſerunt: item non in omnibus calculis nucleum iſtiuſmodi ineſſe.

Illud quidem verum eſt, calculos renum ſive arenulas ab iis plerunque fulvas eſſe, veſicæ vero albicantes, quare? calculorum color, ut ſupra dictum eſt & conſiſtentia varia: modo rufi, modo nigricantes, modo albidi ſunt, nempe pro ratione cibi potioniſve aſſumpti; at fere a renibus ſubcrocei, a veſica albidi: an quia in renibus urina defœcatior, puriorque ei inſit, arenulatum materia ad ocram accedens, in veſica vero eadem pituitæ mucoſæ & albicanti, e glandulis excretæ, miſta & contaminata ſit.

Sed ad *Prognoſtica* tranſeamus.

Lapis magnus potione, neque medicamento frangitur, auctore Aretæo. Chimicorum inſomnia hactenus vana ſunt.

Morbus periculoſus: hæreditarius incurabilis: nam calculorum procreationem (cum Aretæo loquor) e fœcunda ſterilem reddere, nemo poteſt: facilius eſt enim uterum a pariendo prohibere, quam calculoſos renes calculis vacuare.

Vitia rerum & veſicæ in ſenibus difficulter curantur. (*e*)

Hippocrates in coacis vult lapidem in veſica non generari a 14. ætatis anno uſque ad 60. niſi prius extiterit.

Ita parvi & ſenes ſunt ipſis viris calculoſiores. Pueri autem magis calculo veſicæ laborant, ſenes vero calculo renum: quid ita? Audi Galenum (*f*), quia in pueris facultas renum expultrix fortior eſt, ejus autem actio naturalis eſt, item retinendi in veſica facultas non minus fortis eſt; at cum veſica proprie receptaculum eſt, & pueri parum bibant, parumque mingant, cum mictio actio voluntaria eſt, veſicæ exonerandæ non attendunt, ſic calculorum coitioni major opportunitas ex mora.

Ex anatomia autem diſcimus, ubi calculoſis ægris mucoſa urina effunditur, veſicæ corpus cancroſum eſſe, & digiti aut pollicis craſſitiem nonnunquam adeptum eſſe: in calculoſis vero, qui claram ac tenuem urinam mingunt, veſicæ ſubſtantia invenitur membranoſa, fereque ut in ſtatu naturali ſe habet; de his autem ita ſentio, calculum primum exiguum concreviſſe, veſica adhuc integra; aucto vero calculo, ab ejus pondere, aſperitate motuque veſicam lædi, ejuſque membranarum glandulas inflammari, intumeſcere, indurari, i. e. cancroſas fieri: unde veluti putis ſive pituitæ viſcoſæ, interdum cruentatæ ingens copia cum urina profluit.

Poſtremo in *ſectione* ſola cura magnorum lapidum, *Cælio Aureliano* (*g*) auctore.

At, inquies, cur non quibuſdam medicamentis diſſolvantur, certe quidam lapides majores cum ex calculis in humano corpore repertis quidam tophacei & friabiles & leves, quales ſub lingua & in articulis orti? Reſpondeo in veſica lapides fere ſilicei ſunt, raro molles; & ſi ita, tamen ex arenulis duris compaginantur; Ratio eſt, quia per majores vias & in majoribus conceptaculis metalla, ſive patticulæ tum ſalinæ, tum lapideæ, e quibus iſte ſuccus petreſcens conſtat, ponderis ſui virtute fere copioſius & excernantur & in calculos concreſcant, atque hæc hactenus. Proximo autem in loco de curatione & medicamentis dicendum eſt.

Curationes autem hæ fere inſtituendæ ſunt: vel ad calculos minores, arenaſve, cum moleſti fuerint, expellendos, ſpecialibus adjutoriis: atque hæc fere diuretica ſunt: vel materiam calculoſam minuendam, doloreſque acerbos mitigandos, in majoribus calculis excretioni ineptis: atque illa prophylactica anodyna ſunt. profecto qui dolorem ſuſtulit, ſatis ad valetudinem profuit.

Quoniam autem inſtituti noſtri ratio brevitatem requirit, & ut repetitiones ſupervacaneæ evitentur, ex adverſariis noſtris ægros aliquot, qui nobis commiſſi fuerint, eorumque curationes paucis enarrabo, deinde medicamentorum, maxime a nobis exhibitorum rationes exponam.

Hi autem *Nephritide* laborarunt.

1. *Ægrotus*.

D. *Dryden*, Presbyter Eccleſiæ Eboracenſis, mediæ ætatis vir, ex pluribus menſibus ſanguinis mictione miſere affectus eſt, maxime ab equitatione, aut vehementiori corporis motu; item calculos innumeros, fere arenoſos (& in iis fuerunt, qui ſeminum coriandri grana implebant) excernere conſuevit, huic etiam frequentiſſima mingendi cupiditas.

Is autem multa a multis fruſtra ſumpſit: tandem hoc remedium a me feliciter præſcriptum eſt (℞. *ſem. & rad. pœoniæ maris, agarici vitrioli Romani, mithridat. an.* ʒ. ß. *conſerv. roſ. rubr.* ʒiii. *Syrup. e roſis q. ſ. f. Electuarium*.

2. *Ægrotus*.

D. Breeden de Pangburne, unus e Parlamento Jacobi Secundi Regis, ſexagenarius, ex vehementi ſaltatione in uno & dextro pede per hortos ſuos, quo exercitio aliis ſæpius certare conſuevit, ſanguinem minxit.

Huic malo curando ei pluries ſanguis e brachio miſſus eſt, aquas *ferratas* ſumpſit; aliaque plurima medicamenta fruſtra ab aliis atque aliis Medicis adhibita ſunt.

Poſt ſeſquiannum autem hominem in hac conditione inveni. Sanguinis plus minus ab aliquot ſeptimanis quotidie mingebat, non ſine urinæ ſtillicidio tumor ingens & durus in abdomine contra renem dextrum; item dolor continuus in dorſo: ſummus ardor in imo abdomine e regione renis dextri; *venæ* abdomine e regione renis dextri; *venæ* abdominis externæ ejuſdem lateris *varicoſæ* & præter modum tumidæ; habitus corporis qualis in leucophlegmatia; multum ſitiebat; parum dormiebat. Denique huic coxendicum ſtupor, & ſumma crurum imbecillitas.

Huic autem malo ſic auxiliandum cenſui. (℞. *Mithridatii ſine opio confecti.* ʒi. ß. *G. Tragacanth. aq. roſac. diſſalut.* ℞. ß. *f. pilul. n. vi.*) ex his unam ſingulis noctibus ſumpſit.

Item (℞. *Aq. hordei* ℔ij. *olei vitrioli guttas* vi. *ſucci limon.* ʒiv. *C. C. uſtl.* ʒj. *ſacch. candi. albi.* ʒiij. ß. *miſce; de quo ad* ʒvi. *bis quotidie propinavit*.

Item (℞. *Balſami martis*) *i. e. ſalis martis ex balſamo Lucateli* ʒj. (*optime ſuper marmor contriti*) *gr.* iij. *hora aliqua veſpertina devoravit*.

Ex his autem medicamentis intra diem unum vel alterum multo melius ſe habuit.

Poſtremo bis hominem purgavi hieræ diacolocynthidos ʒj. quod medicamentum facile tulit.

N. B. Quamvis in reliquis mire a meis medicamentis levatus eſt: adeo ut non amplius ſanguinem mingeret, & optime dormiret, & ſat bene cibum appeteret; tamen vix ambulare centum paſſus præ mira imbecillitate crurum potuit, aut ſcalas ullatenus aſcendere.

In hoc ſtatu ad tres hebdomadas manſit: tandem nulla amicorum prece prohiberi potuit, quin rus iret ad quinquageſimum fere lapidem a Londiniis, ad videndum uxorem moribundam; ex itinere autem (quamvis lectica veheretur) iterum ſanguinem minxit, & aliquot poſtea diebus ex urinæ ſuppreſſione interiit.

Ex diſſectione Ren. dexter immenſæ magnitudinis inventus eſt, cancroſus, ad quinquaginta uncias pendebat, atque in eo inventi ſunt plurimi exigui calculi.

Nequeo ſane mirari ſatis veterum diligentiam; nam cum rariſſimum ſit hoc morbi genus, idque mihi ſemel tantum in praxi occurrit, tamen apud Aetium ſumma accuratione deſcriptum illud legere eſt.

3. *Ægrotus*.

D. Athins, quinquagenarius, unus e regni Juſtitiariis, Eboraci, cum publica negotia obiturus erat, calculo laboravit, huic in altero rene dolor vehemens, vomuit, mingere cupit, at fruſtra, nam paucam tantum urinam reddidit, eamque aqueam.

E lenioribus autem medicamentis hæc ſumpſit, nimirum præmiſſo enemate e therebinthina ex vitello ovi diſſoluta in decoct. communi, cui vini emetici ʒiii. adjectæ fuerint, parum effecimus: ideo ſtatim hæc purgatoria exhibuimus cum diureticis mixta & ſtomachicis. (℞. *Elect. lentiv.* ʒß. *aſſellorum cochinell. an.* ℈j. *ſal. abſint.* ℈j. *m. f. bolus, huic ſuperbibat potionem ſequentem.* ℞. *decoct. ſennæ Geron.* ʒij. *ſyr. e ſpina cervina* ʒj. *ſ. aq. mirab.* ʒvi. *olei amygdalarum dulcium* ʒj. *miſce f. potio*.) bene fecit: calculos enim aliquot albidos cum urina ſubfulva & fœculenta excrevit; & poſtridie publicis negotiis præfuit.

4. *Ægrota*.

Domina *Bellingham* quadragenaria ſubito poſt dejectionem vehementi dolore nephritico, & ad alteram abdominis partem correpta eſt; vomuit, mox quatuor calculos excrevit cum tantillo urinæ. Ab his primis calculis dolore perſeverante hoc medicamentum præſcripſi. (℞. *Caſſiæ recenter extractæ* ʒß. *pulv. julap.* ℈j. *mercurii dulcis gr.* vj. *olei cinnam. gut.* i. *m. f. bolus*.) alios autem multos calculos deinceps per aliquot dies reddidit.

N. B. Horum autem calculorum color *luteus*, figura omnium ſubteres; at non eadem magnitudo: ad grana vero piperis majuſculi, omnium durities inſignis: aliquot ex iis fractis cortex lapideus unus, more cæparum alteri ſuperinjectus eſt; item interior medulla ſimiliter & lapidea, & ruteſcens.

5. *Ægro-*

(*a*) *Aphor.* 79. *S.* 4. (*b*) *Conſ.* 58.
(*c*) *L. de inaffectibus.* (*d*) *Acta Philoſoph. Lond.*
(*e*) *Hipp. Aphor.* 6. 5. 6. (*f*) *In* 6. *Epid. ſect.* 3.
(*g*) *T. P. l.* 5.

5. *Ægrotus.*

D. Harduich, mediæ ætatis vir, ex itinere primum ſanguiuem minxit cum renum dolore; poſt aliquot veromenſes calculos *rufos* exiguos non ſine vomitu & vehementi renum dolore excrevit; item intra annum tertium eodem dolore renum correptus eſt, cum vomitu & calculorum excretione.

Huic ſic præſcripſi (℞. *Agarici pulv.* ℈j. ß. *jalap. pulver. gr.* vj. *ſummitat. hyperici pulveriſat.* ʒij. *vini veteris Rhenani* ʒv. *m. f. potio.*) ab ea vigeſies minimum, dejecit, neque tarde aut cum ullis torminibus alvum movebat, convaluit.

6. *Ægrotus.*

D. *Aſcough*, ſenex calculo ſæpe vexatus reniſque alterius vehementi dolore, vomitu, ſanguineo mictu, is autem dolor, ante meum adventum ſine febre ad octiduum manſerat, exhibui ſtatim caſſiæ ad ʒvi. &c. in bolo, a quo non ſine levamine purgatus eſt; at rediit vehemens dolor; ideo nocte dormituro data eſt *Trochiſ. Alkekeng.* ʒj. optime ſe habuit, poſtridieque mane ſine ullo dolore calculum grandiuſculum minxit.

7. *Ægrota.*

D. *Rhodes* diu multumque renis dolore affecta eſt, cum vomitu: multa & enemata & alia remedia data ſunt, a quibus inducias trium circiter dierum habuit, tandem huic dormituræ veſperi *Trochiſc. Alkekengi* ʒi. exhibuimus, ea nocte placide quievit, & poſtridie hora aliqua pomeridiana tres calculos majuſculos fere ſine dolore excrevit, convaluit.

N. B. In his trochiſcis inſunt præter baccas ſolani Alkekengi dictas, & amygdalas amaras, & oppium, &c.

8. *Ægrota.*

D. *Legger* quinquagenaria, primaria fœmina, diu febre intermittente luctavit, tandem ad me venit, Eboraci degentem: graviter præter febrem ſymptomatibus hiſtericis affecta eſt, huic adeo apozema præſcripſi ex cortice Peruviano, phyllitide, ceterac, ruta muraria, &c. Singulorum ad ʒiii. in vino poſt longam macerationem leviter coquend. de eo per aliquot dies ſumpſit; tandem febre victa, vomitu & vehementis renis dolore correpta eſt, calculumque majuſculum excrevit: id quod ſemel tantum in vita ante quinquennium fecerat: agnoſco autem libens, & expertus jam egregiam vim herbarum capillarium ad effectus uterinos; at ſuſpicor illas herbas non tantum calculum expellere, ſed etiam ex parte illum ab iis, tanquam materia, gigni; quod rupibus fere calcariis, lociſque montanis uliginoſiſque natutaliter creſcunt, ubi eas plurimum ſucco calcario imbui nutririque neceſſe eſt.

Idem de eodem apozemate in alia atque alia fœmina, D. *Roksbie*, &c. obſervavi: unde magis magiſque fidem do jam poſitæ ſententiæ.

D. *Green*, coquus aliquoties calculos a renibus excrevit; at ultimo paroxyſmo, quo me accerſivit ut opem ei ferrem, ex communi conſilio cum D. *Barwik* collega meo digniſſimo, *dyſuriam* ad triduum paſſus eſt magna corporis jactitatione atque anxietate; in extremis autem cum pene de hominis vita deſperatum fuerit, ſic præſcripſimus. (℞. *Cantharid. prob. toſtarum, tantum non crematarum* ℈ß. *aq. ſpermatis Ranarum* ℔j. *m. f. hauſtus*) paucis horis elapſis urinam ad quatuor minimum libras reddidit, & una plurimo calculos, convaluit.

Hi autem calculo veſicæ laborarunt, renibus forte in pleriſque non integris.

9. *Ægrotus.*

D. *Damſden*, mercator Eboracenſis, mediæ ætatis vir, ex patre calculis miſere afflicto natus, & ipſe renum & veſicæ calculo a multis retro annis vehementer laboravit; item ejus filius unicus triennis calculo correptus eſt, & ſectione tandem a pene pueri grandiuſculus calculus exemptus eſt, graviſſimis autem ſymptomatibus malum in dies & moleſtius & periculoſius fit; nam ſanguinem ſæpius minxit, modo dyſuria, modo lumborum contra renes dolore, horrendum, cruciatus eſt: ſæpenumero vero calculos fere aſperos, & inæquales excrevit, tum albidos, tum flavos hordei grani magnitudine.

Tandem vero ab equitatione primum obſervavit ſe humorem quendam albidum tenacem cum urina reddidiſſe; is autem humor præ lentore ſuo matulæ fundo adhæſit; nec facile cum urina effundi potuit; & interdum ad plures uncias diei unius ſpatio excretus eſt; neque unquam ſine dolore excerni potuit, propter virgam (puta) inflammatam & acrimoniam fracidæ, & marceſcentis urinæ; nam vetuſtatem redoluit, etiamſi noviſſime fuerit reddita.

Sane hunc hominem cum primum medicinam facerem, curavi; mihique adeo cum ex propria experientia minus notæ eſſent medicamentorum vires, illud equidem unum totis viribus efficere conatus ſum, ſcilicet, ut materiam iſtam lentam aut minuerem, aut liquefacerem, quo minore cum dolore per urethram exire poſſet.

Neque aliud magis profuit, quam *mercurius dulcis ad. gr.* vi. *ex pulv. jalap.* ℈j. exhibitus: quippe eo & alvus diu liquefacta eſt, & materia lenta & mucoſa in grumos farinaceos diviſa eſt: ac ſic multo melius ſe habuit & ratione dyſuriæ, & minus frequenter mingendi cupiditate vexatus eſt: tandem vero maxima ex parte deſiit prodire iſte mucus, ac fœtor urinæ uſque permanſit, etiam cum cætera ſanus ſibi viſus fuerit.

Poſt menſem vero ex frigore & cruditatibus eodem muco mire viſcido tentatus eſt.

Tum vero hominem ſic purgavi (℞. *Rhei Torrefacti* ʒß. *Therebinth. Venet. ad duritiem coct. & pulveriſat.* ʒiij. *f. Pulvis: detur ex hauſtu ſequenti.* ℞. *melius deſpumati* ʒiß. *aq. ſperm. ranar.* ʒij. *miſce.*)

Urina autem quæ antea aquea fuit, jam ex rhen intenſe colorata eſt, eique ex terebintha odor ſuavis conciliatus eſt, at poſtridie idem urinæ pallor atque idem fœtor redierunt.

Porro, ex ſemicupio, in quo ſemel tantum ad mitigandos dolores demiſſus eſt, involuntaria mictio ſecuta eſt, idem obſervavi ex uſu opii.

Rurſus, ex mercurii dulcis aucta doſi ad gr. x. & pro ſecunda vice dato, idem effectus ſecutus eſt, ut ſc. mucoſæ urinæ materia in exiguos grumos incideretur, & matulæ fundo vix amplius adhæreret: at propter ſtimulatum anum & ex conſenſu communi cum ſphincktere veſicæ, diarrhœam plurium dierum, imo fere integri menſis induxit: item aphthæ in ore & faucibus ortæ ſunt.

Cum vero levi febricula ſub eo malo comperetur venam in brachio incidimus: ſanguis autem miſſus, & refrigeratus, craſſa pelle albida contectus eſt.

Tandem ex communi conſilio aliorum mecum Medicorum & trochiſci, Alkekengi & emulſio cum ſeminibus frigidis minoribus cum decocto ſymphyti majoris, &c. præſcripta ſunt.

Ab his autem remediis calculi multi parvi, ſed *albiſſimi*, qualis color fuit emulſionis, excreti ſunt, item poſtridie rediit urina mucoſa & lenta & dolor vehementer auctus eſt, & urinæ difficultas: ideo abſtinui a præſcriptis medicamentis: itaque ſpiritus ſalis armoniaci cum gummi ammoniaci deſtillati ad guttas vj. ter quotidie ſumpſit ex aquæ ſpermatis ranarum hauſtulo.

Ejus autem medicamenti poſt aliquot dies effectus erat, ut urinæ malus odor, fere ſublatus eſt, & ejus ſedimentum jam bona ex parte ſimilagineum, candidius & leve factum fuerit.

Rediit autem appetitus, & ex uſu ſalſamenti veteris, apud noſtrates *Ling.* dicti, alvus ſubito compreſſa eſt, & urinam rurſus continuit, cæteraque omnia incommoda mirifice levata ſunt præter unicum in urina fœtorem, neque amplius urina viſcoſa.

Hic autem vir, tolerabilem valetudinem conſecutus, Eboraco Londinum ſe contulit, ubi a chirurgis, ejus artis peritis examinatus digitis in anum immiſſis, calculus ad ovi magnitudinem compertus eſt.

Illud ſedulo autem notavi, medicamenta leniter diuretica, & renum dolorem ſupra modum intendiſſe, & ſine valentiſſimis fuerunt, & teſticulorum, ipſiuſque utethræ, & glandis, ad exitum, inflammationem & rubedinem excitaſſe.

Ab eo tempore, quo Eboracum rediit, nihil, quantum ſcio, ſumpſit; certe unum vel alterum annum vix, ſed graviter decubuit, nec calculum ullum poſtea excrevit.

Tandem neſcio cujus ſuaſu, unciam unam guttarum dictarum a *Goddard* auctore, a Londino natus, ad ejus ℔ß. in qua parietariæ bis aut ter in die ſumpſit; hoc autem medicamentum (ut poſtea didici ab ipſo Rege Carolo Secundo, qui a vidua Goddard magno pretio ſecretum redemit) nihil aliud fuit, quam *ſpiritus* ſalinus volatilis a *ferico crudo* vi ignis elicitus, at tanta erat ejus malitia in optimo viro, ut biduo a ſumptione, ſanguinis mictu, & diris cruciatibus, correptus, miſereque convulſus, diem ultimum obierit.

Sub eo tempore in eadem urbe duo ſenes, metallorum foſſores, ex calculo a plurimis annis decumbentes (*Smith* unus appellatus eſt, alterius nominis oblitus ſum) convulſi perierunt, potione ſpiritus terebinthinæ, ad ℈ij. aliquoties exhibiti: unde inflammatio imum ventrem ex toto occupavit, in gangrænam protinus mutata, hoc medicamentum ſuaſu cujuſdam Agyrtæ chimici ſumpſerunt, quorum alterum, ſuper pontem habitantem, prece viduæ, diſſecui.

10. *Ægrotus.*

Illuſtriſſimus Baro D. *Fanshaw*, puer novennis, calculo veſicæ ab aliquot annis laboravit, illum *Sandbeck* vidi, villam amœniſſimam D. Comitis de *Caſtleton*, dum ibi ejus matri decumbenti advocatus ſum.

Hujus autem pueri urina, inſtar ſeri lactis recenter concreti, turbida & grumoſa erat: item in fundo ejus reſedere grumi albiſſimi, vere caſeoſi; ejuſque urinæ odor ipſiſſimus qui caſei recentis: is autem nuper, ex præſcripto Medicorum, quotidie lac aſininum bibere conſuevit, ex ejus vero veſica poſtea calculus feliciter exactus eſt Londini.

Illud autem ex hoc caſu conſtat, ſc. lactearum venarum imbecillitatem, eaſque officio ſuo non recte fungi, quod (cætera ſanus puer) odorem & ſubſtantiam fracidi caſei ejus urina exhibebat; aliter multo, quam in integris etiam puerulis lactantibus, quorum urinæ ſuus odor & conſiſtentia eſt.

11. *Ægrotus.*

D. *Little* Prætoriæ cohortis eques, Eboraci tum degens mediæ ætatis vir, ex equitatione, primum urinæ difficultate correptus eſt: mox ea fere ex toto ſuppreſſa eſt cum vehementi dolore circa pubem, & in ipſo penis itinere.

Cum urina vero exiit mucus quidam albidus, viſci inſtar tenax, matulæque fundo pertinaciter adhærens, item ejus odor fœtidus, qualis ex urina veteri.

Ob vehemens vero malum ſæpius anima defecit, & miſere convulſus eſt.

Hæc autem ante meum adventum, ſtatim oleum amygdalarum dulcium leniter tepefactum, injiciendum veſicæ præſcripſi, cum bono eventu, deinde hoc medicamentum exhibui devorandum. (℞. *mercurii dulcis gr. iv. pulv. jalap.* ℈j. *Caſſiæ* ʒij. *f. bolus*) a quo alvus ſepties motâ, dolores levati ſunt; nocte troch. Alkekengi ʒi. dati. Verum poſtridie & ſanguinem minxit & aquam multos majuſculos calculos albidos excrevit, alioſque per aliquot dies: calculis autem excretis & iſte mucus exire deſiit, convaluit. Hunc forte hominem in noſocomio militari Chelſienſi ſuperiore anno vidi, beneficii mei non immemorem & (ut mihi narravit) poſt viginti annos, calculos quod attinet, ſanum.

12. *Ægrota.*

D. *Hedley*, in vicinia Leedes, oppidi agri Eboracenſis degens, quinquagenaria, admodum obeſa, ex multis annis *calculi cujuſdam arenacei* excretione vehementer cruciata eſt. Ii autem calculi ipſum *Saxum molare* noſtrum arenaceum valde referebant, nam *ex arenis majuſculis Cryſtallinis, inter ſe coagmentatis* in calculos majuſculos conſtabant, interdum vero ſolidos, interdum ſolutiores eos, quotidie, haud modica quantitate cum urina reddebat.

Hæc autem ſymptomata præter calculorum excretionem paſſa eſt, cordis palpitatione, aſſiduam mingendi cupiditatem, lumborum & veſicæ dolorem, urinam aqueam, cibi inapperentiam, &c.

His autem malis ſic occurrendum eſſe cenſui,) ℞. *Linguæ cervinæ, Trichoman. an.* ʒj. *macis* ℈ß. *f. pulvis ſubtiliſſimus, detur ex aq. hordei hauſtu, poſt horam infuſionis, ter quotidie*) poſt 4. dies non amplius calculos reddidit; urina jam fulva, qualis ſanorum cum ſedimento albido, quod fere defuit ante: ad aliquot amplius dies iiſdem medicamentis, at alia atque alia compoſitionis ratione, uſa eſt; præter opinionem convaluit.

Rever-

Reverſa autem ad ſuos, rurſus calculorum id genus excretione correpta eſt: iterumque ad me Eboracum venit: atque, iiſdem medicamentis ſimiliter ſumptis, convaluit.

Huic domum redeunti uſum cereviſiæ præcepi tantummodo ex aqua fluminis, & non putei, ut ante conſueverat confectæ: nam non ſine ratione arbitratus ſum, aquas puteales horum calculorum materiam, utpote ſuccum lapideum, in ſe continuiſſe.

13. *Ægrotus*.

D. *Freeſtone* de Hotnecaſtle, micturitione admodum doloroſa & frequenti, cum viſcoſa materia matulæ fundo adhærente, correptus eſt: niſi tamen erectus mingere haud potuit, ut multoties per noctem mingendi cauſa e lectulo ſurgere coactus ſit. Diu vitam ſic miſeram traxit, huic ſic præſcripſi. (℞. *Balſami martis*) i. e. balſ. Leucatell. & ſalis martis an. (℈j. *f. pilula ſive bolus, quem ſumat nocte & tantundem mane*) quo per triduum ſumpto non amplius cubitum per noctem reliquit: ſed facile reſupinatus in lecto mingere potuit, item huic minor dolor in urethra & extremo pene.

Item (℞. *Aq. ſpermatis Ranarum* ℥j. C. C. *uſti in ſubtiliſſimum pollinem contriti* ʒj. *gummi Tragacanth.* ʒj. *miſce hujus bene conquaſſati* ʒiv. *ter quotidie bibat*.)

Item (℞. *Balſami veneris* ℈j. *dividatur in ſex doſes*) has autem per triduum ſumpſit ſingulis diebus mane: a quo alvus die tertio leniter mota eſt. Omnino melius ſe habuit, rurſuſque abiit, neſcio an hic æger calculoſus fuit; nam in adverſariis noſtris de calculo nihil ſcriptum inveni.

14. *Ægrotus*.

D. *Lane*, Divi Laurentii in Urbe ludi-magiſter, ex tribus circiter annis, urinæ ſtillicidio vehementer cruciatus eſt. Item plurimos calculos excrevit. Huic autem mingendi cupiditas bis aut ter aut pluries in hora, die noctuque: alvus firma, urina fœtida & viſco quodam referta, item doloris acuti ſenſus in ano, & circa pubem.

Huic autem ſic præſcripſi. (℞. *Succi hypociſtidis glytyrrhizæ ana* ℈j. *mithridatii ſine opio* ʒj. *Gummi Tragacanth. aq. ſpir. ranar. diſſolut.* ℈ij. C. C. *uſti* ʒß. *miſſa f. pilul.* viij. *ex.* ʒj. *miſſæ harum pilularum unam veſperi atque alteram mane quotidie ſumat*.)

N. B. Tertia nocte ab iis ſumptis ter tantum minxit; at quotidie alvus bis aut pluries ſoluta eſt. Ab eo autem tempore ad dies ſeptem tantum bis aut ter in nocte minxit & placide dormivit, & mirifice levatus eſt; meque opium ei dediſſe putavit: imo plane ſe convaluiſſe affirmavit; adeo dolor mitigatus eſt præ eo, quem ante meum adventum ſentire conſuevit, at potioni, præ ſiti, contra meum præceptum indulgere voluit. Unde rediit mingendi frequens cupiditas, & remediis abſtinuit.

Alios autem multos calculos omitto, quibus hæc medicamenta in micturitione ſive mingendi importuna cupiditate profuerunt: neque aliud malum gravius eſt, ex iis quæ humano generi contingunt; imo omnium, perhibente Plinio ex deciſione veterum Medicorum, longe graviſſimum eſt ſtillicidium urinæ.

15. *Ægrotus*.

D. *Spacy* ex multis annis ſanguinem mingere conſuevit: Interim plurima intervalla optimæ ſanitatis habuit, eoque malo vacuus. Tandem vero mucum quendam ſive pituitam vitream, viſcidamque reddidit, fundo matulæ pertinaciter adhærentem: jamque urinæ odor fœtidus, ejuſque ſtillicidium moleſtum: at a mictione in extrema penis glande ſæviſſimus dolor.

Huic ſic medicinam feci. *Trochiſcos Alb. Rhaſis* ex aq. ſperm. ranar. in penem injici feci.

Item (℞. *Merc. dulcis* ℈j. *Elect. lenitiv. mithridatii an.* ℈iß. *f. Bolus veſperi detur*) mane alvus ſoluta eſt mannæ potione.

At his medicamentis, calculos plurimos excrevit albidos, leves, anguloſos. Symptomata ex bona parte ſublata ſunt.

16. *Ægrotus*.

D. *Montege*, ſexagenarius & amplius, optimus vir, calculoſus cum urina mire viſcida; huic viſcoſitati urinæ ter remedia præſcripſi, & toties ex ea ad menſem minimum convaluit: Scil. (℞. *Aq. ſimplicis limacum, ex lacte deſtillatæ* ℥ij. C. C. *uſti & in tenuiſſimum pollinem cont.* ʒj. *ſacch. cand. alb.* ʒß. *miſce. Hujus probe conquaſſati & turbidi* ʒiv. *ter quotidie potavit*.) item ℞. *Penis viridis teſtudinis furno ſiccati* ʒij. *Hujus pulveris ad* ʒj. *alternis diebus ſumpſit ex eadem aqua*: At ex recidivis frequentibus, mali vitæque pertæſus, in lithotomorum manibus, tertio a ſectione die, obiit.

Verum ægrotorum & mihi & tibi fortaſſe lector ſatis ſuperque eſt: ad medicamentorum vero rationes explicandas, quorum præcipua cauſa hæ narratiunculæ ex adverſariis noſtris tranſcriptæ ſunt, propero. Simplicia autem medicamenta calculo maxime accommodata, ſive *ſpecialia adjutoria*, ut Cœlii Aureliani verbis utar, hæc ſunt, nempe, quæ in quatuor claſſes commode redigi poſſint.

Prima autem & præcipua *Claſſis* eſt eorum, quæ ex *inſectis* animalibus oriuntur.

Penis Teſtiudinis viridis toſtus, Margaritæ, Conchyliorum teſtæ, & crudæ, & crematæ. Millepedes ſive Aſelii, Scorpionum, Cantharidum, Cochinel, lumbricorum terreſtrium, apum, formicarum naſcentium cinis. Coccos baphice. Spongia Bedegaris ſive Roſæ Sylveſtris mel. aq. ſpermatis Ranarum, cochlearum terreſtrium. Jus conchyliorum marinorum, ſericum, ejuſque ſpiritus deſtillatus.

Hæc autem omnia mirifice calculos expellunt; idque communi fere virtute præſtant, nempe ſeptica, qua vehementer corrodunt, ſtimulantque ductus viſcerum excretorios, præcipueque majores renum & veſicæ.

In horum autem aliquibus ea vis tanta eſt, ut illa cruda ſumere, nemo impune ferre poſſit, quin ſanguinem quoque calculis effundat, contractioneſque nervorum patiatur. Ideo torrenda ſunt, ut igne miteſcat vis illa ſeptica, ſalinis particulis acrioribus ex bona parte evaporatis.

De horum autem aliquibus privatim differere lubet. De millepedis audi *Scribonium Largum* †. Aſellos quinque ex aquæ cyathis tribus ſuffundere (i. infundere) & per urinam extrahere lapides certum eſt. Tanta erat de his animalculis experientia apud veteres.

Hic autem præterire nolo, quod olim * ediderim, nempe ex *multipedarum* genere eſſe *ſpeciem* quandam apud nos non infrequentem in ſepibus, teretem, longiuſculam, ad digitum puta; quam ſi conteras, naribuſque protinus admoveas, eo tanto odore ſulphurulento & corroſivo percellit, ut multo mitior ſit odoratus ex integra uncia ſpiritus urinæ deſtillati.

Haud diſſimilis vero odor e *Formicis* crudis contritis prodiit, maxime ab *Hippomyrmecis* noſtris, conſule nares.

Pulvis autem *Lumbricorum terreſtrium* toſtorum ſalſedo inſignis eſt.

Margaritarum vero & conchyliorum crematorum calx ſale ſupra fidem abundat, teſte Leeuvvenhoekio.

Vis autem ſalina e ſerico evaporata apud noſtrates notiſſima eſt, ſub nomine (*Goddards drops*.)

Cantharidum, apum, formicarum, ſcorpionum vis ſeptica & exurens, ab illorum animalculorum effectibus, ſi viva aliquem pupugerint, cutive admoveantur, neminem latet.

Idem cogita de *Cocco baphica ſpongiaque* dicta *Roſæ Sylveſtris*, quæ ex apiculis conficiuntur, fœturæ gratia.

Neque ob aliam rationem Gallæ, (ut id hic obiter dicam) tanti uſus ſunt, ad lanas tingendas, aliave in artem infectoria, niſi quod inſectorum mera opificia ſint, eorumque excrementis & veneno ſeptico penitus imbuantur; at pergam ad ea quæ reſtant.

Cochineil vero medius ſtatus eſt alicujus ſcarabæi indici, i. e. cantharidibus cogeneris; at multo mitioris virtutis.

In hoc autem cenſu ſunt *Cicadæ* ad calculoſos commodæ; vide *Aetium*, nempe *Inſectum* quoddam ad ſcarabæos accedens.

Cochlea autem maxime earum cervices, ubi organa generationi dicata, ut veſicam & penem mirifice afficiant, diximus in prima exercitatione ex *Petronio*.

Idem puta de pene teſtudinis viridis, ranarumque aqua ſtillatitia, magna equidem volumina non affecto: res tantum attingo, earumque virtutes quaſdam communes indicare contentus, ut in ſingulis admiratione dignam quandam vim ſepticam & urentem, vehementer adeo ſtimulantem ductuum excretoriorum; privatim vero renum & veſicæ, mecum agnoſcas.

His autem annumerari debent inſectivora quædam animalia, propter victus rationem, calculis expellendis idonea. Tales ſunt aves quædam ut hirundines, ille regulus ſive paſſerculus quidam Troglodites, noſtratibus a *Wren* dictus, de quo conſule Aetium, * hanc autem aviculam ad calculoſos ſumme efficacem, magna accuratione deſcribit, ejuſque condiendi exhibendique modum. Naturalem autem, inquit, vim omnino admiratione dignam habet, itaque ſale conditus & crudus in cibo acceptus morbum perfecte ſanat: & *novi* adeo quoſdam ab ejus uſu nunquam amplius ab affectione vexatos: & infra, de cauſa tantæ virtutis recte judicare videtur. Arbitror, inquit, & ſanguinis iſtius aviculæ naturam quiddam in ſe complecti, quod minime vulgariter proſit, cui amplius ſtercoris efficacia accedit; ac revera & in ſanguine & in ſtercore infectorum, quibus veſcitur, vis ſeptica inſignis eſt; ſecunda autem claſſis ſit ex animalibus vel *frigidis*; nempe oſſa cremata in capite tuberonis, aſeli piſcis, ſimiliumque: hæc quidem parem virtutem habent cum conchyliis crematis, & ob eandem rationem, quod in calcem ſalinam ſimiliter comburantur; vel *calidis*; ſcilicet tunicæ interiores ventriculi gallinæ, & ſtercus album ejuſdem, item cinis corticum ovorum aduſtorum: atque illa eandem facultatis ſuæ expulſivæ rationem habere videntur cum ſuperioribus. Nam tunica illa tanquam cornea eſt: albumque ſtercus & urinoſum, & ipſum cortexque ovorum ad teſtaceum genus quam proxime accedunt.

Tertia vero claſſis ex herbis diureticis fere eſt, ut terebinthina, balſamum Judaicum, Peruvianum, Copivi &c.

Omnia autem terebinthinata vehementer urinam movent, quod cuti admota corrodant: neque vim ſuam emplaſticam, niſi uſtione quadam exerunt. Etenim quatenus vulneris carnem putridam marceſcentemque exedendo abſtergant; viva interim, quæ ſubſit, in cicatricem commode nutritur.

Ex illa autem corroſione calor ac inflammatio oritur: unde ductus urinæ majores ad vehementem contractionem, expulſionemque ſtimulantur.

Porro in hac claſſe numerare licet tartarum ex vino, ipſumque vinum album acidulum, vel per ſe, vel ſulphure, more Gallorum, vel ex gypſo, more Hiſpanorum conditum: item ſuccum limonum: balauſtia ex granatis acidis ac ſylveſtribus: atque hæc omnia herbarum ſale eſſentiali dicto, & utrinque mucronato, tenuiſſimis acutiſſimiſque particulis conſtante abundant, quo majores ductus renum & veſicæ continuo laceſſantur.

In hac quoque claſſe & *Legumina* habentur, præ reliquis vero *cicera rubra* decantantur ob acrium flatuum copiam: nam hos mire excitant; forte materiam iis non paucam adjiciant, ita velut mantiſſa quadam addita ferociam quandam flatibus, in corpore præexiſtentibus, præſtant, eoſque per renes tranant. Quam vehementer autem penem, eoſque ductus afficiant, ſcire licet ex teſtimonio veterum: quos adi. Igitur veriſimile eſt conferunt & flatus excitant, quod illas partes diſtendere & expulſionem ob acredinem promovere apta ſint.

Poſtremo ad hanc claſſem pertinent nuces avellanæ, amygdalæ præcipue amaræ: hæc autem medicamenta lenire potius videntur quam expellere; adeoque inter anodyna cenſenda ſunt. At amaritudo amygdalarum aliud ſuadet.

Reliqua autem olea dulcia iter expediunt, lubricando. Sane hujuſmodi olea vere pinguia ſunt, nec concreſcere apta; perinde ut alibi de oleo lini, nucum juglandis, & papaveris a me dictum eſt.

At pereunt, inquies, iſtiuſmodi virtutes a concoctione: ſcilicet ſuccus, puta citri, ex prima digeſtione acorem ſuum amittit: minime vero: ſi recte ſe habeat aliquis & dolore vacuus ſit, ita eſſe concedo: ubi autem adeſt nephritis, ac horrenda illa a veſicæ renumve calculo ſymptomata, digeſtio ex bona parte ceſſat, corporis habi-

† *Comp.* 151.
* *Act. Phil. Lond. N.*
* *Tetr.* 3. *Sermon.* 3v *c.* 11.

habitum medicamenta tantum non integra pertranſeunt, inque venas viſcerum excretorias promota, parum mutata egrediuntur, ita in maximis calculi doloribus is ſuccus v. c. ſubcrudior vim ſuam extenſivam in ipſis renum glandulis vehementer exerit profecto in ægris renes, ut & omnia alia itinera tam citra quam extra ſanguinis curriculum magis aperta ſunt, ac laxata: unde virium medicamentorum mira retentio & celerrima trajectio.

Ad *Quartam* autem ac ultimam claſſem pertinent a metallis medicamenta: ſcilicet coralliuni, lapis Judaicus, nitrum veterum, ſpiritus ſalis vitrioli, ſulphuris, ſal prunellæ, aquæ medicatæ, vel acidulæ, ferratæ, calcariæve, vel mixtæ ſcilicet muriaticæ, calidæ, frigidæque, mercurius dulcis. Atque ex his fere medicamentis vani homines lapidum renum & veſicæ non expulſionem tantum, ſed & fractionem comminutionemque vehementer jactitant.

A ſalibus certe metallicis, fateor ob ſtimulum & ſummam acrimoniam vehemens contractio majorum ductuum & lapidum expulſio expectanda eſt: idque veteribus probe cognitum eſt ex multiplici experientia; quos conſule, unam, aut alteram tantum inſtantiam exhibebo.

Nitri vitriolati pondo, ex vino, in arenam ſolvit lapidem, Scribonio Largo authore. †

„ Aquæ calidæ quæ ſunt tuſcia *Ferratæ*, mirifice remediant ve-
„ ſicæ vitiis; appellantur item *veſicariæ* quondam Milonis Gracchi
„ Prætorii hominis optimi ad quinquageſimum lapidem reddentis
„ eodem * perhibente.“

Iis qui veſicæ lapidibus afficiuntur, erunt aquæ eligendæ *ſalſæ*, vel quæ *Nitri* habeant qualitatem, ut apud *Tenariam* Inſulam, quæ potandæ & lavacro adhibendæ ſunt. Ita Cælius Aurelianus.

At in labefactatis calculo renibus & veſica, maxima opera danda eſt, ne quid metallicorum, aquarumve medicatarum nimis exhibeatur. Etenim fortiter licet calculum expellant, tamen propter imbecillitatem iſtarum partium metus eſt, ne & ipſa quoque remedia ibidem concreſcerent in lapidem, cum ipſiſſimam lapidis novi materiam in ſe contineant: ſcilicet & ſalem & ſuccum lapideum, id quod vehementer moneo, ſæpiuſque dicendum eſſe putavi.

Hic autem noſtræ ſententiæ favet illud Hippocratis præceptum.
„ Qui ſanus eſt ac valet, is * nullo habito diſcrimine, ſemper eam
„ aquam bibat, quæ adeſt. Qui vero *morbi cauſa* (puta calculi)
„ eam, quæ maxime conveniat, bibere volet, is ſanitatem con-
„ ſequetur.

Item alibi; calculis maxime tentantur & renum morbis qui *aquas ſalſas*, (i. e. medicatas) bibunt.

„ Ejus autem rei rationem reddit; ſcilicet aquæ, quarum fon-
„ tes in ſaxoſis locis ſunt, *duræ* ſint, neceſſe eſt: aut ſi ubi aquæ
„ calidæ exiſtant, aut *ferrum* naſcitur aut *ſulphur*. aut *nitrum*.
„ Etenim aquæ ſalſæ, nitroſæ, ferratæ, ſaxoſæ *indomitæ* naſcun-
„ tur & coqui nequeunt; ſunt tamen naturæ quædam & *morbi*
„ quibus tales aquæ potu ſunt commodæ, i. e. ventribus mollibus
„ & humidis & pituoſis; iis duriſſimæ aquæ & coctu difficiles &
„ aliquantulum ſalſæ accommodatæ ſunt.

Profecto illud ſæpius vidi, ex iis qui animi tantum cauſa aquas noſtras medicatas biberunt, quoſdam inter ipſa remedia nephritide primum correptos fuiſſe, & calculos excreviſſe; quos ex aquis iſtis putreſcentibus (ita omnes aquæ medicatæ merito, ut ex ſupra narratis ſatis oſtenſum eſt, exiſtimandæ ſunt) ortos fuiſſe nullus dubito, cum in renum pelvi aut uretheribus nulla arenula majuſcula, vel momento conſiſtere poſſit ſine vehementi dolore, non magis quam in aſpera arteria vel minima mica panis, puta ſine gravi tuſſi.

At, inquies, nulla fere aqua ſucco petreſcente prorſus vacua eſt, atque adeo hoc nomine nobis noxia foret. Quid igitur indulſit natura humano generi præ reliquis animalibus? libenter accedo pleraſque aquas, certe quatenus ſucci petreſcentis participes ſint, non uſque adeo tutas eſſe.

Atque idem olim nobis exhibuit Hippocrates. * Qui magnis fluminibus bibunt, in qua alia flumina decurrunt, & de ſtagno in
„ qua alia flumina decurrunt, & de ſtagno in quod multarum &
„ cujuſvis generis aquatum rivuli decurrunt: quippe adventitiis
„ (per fiſtulas plumbeas puta) aquis aluntur; quæ ex longo in-
„ tervallo deducuntur, & calculo maxime tentantur, & renum
„ morbis ac urinæ ſtillicidio &c. ſcilicet quia ex iis mixtis aquis
„ aliæ ſalſæ ſunt, i. e. medicatæ.

Idem quoque nobis abunde manifeſtatur, ex aquis pleriſque noſtris coctis, tam fluviatilibus, quam marinis: videlicet in fundo lebetis lapidem quendam calcarium, lapidis alicujus fiſſilis more, adhærere.

Providentia tamen divina admiranda eſt, vel ob hoc commune beneficium omnibus animalibus conceſſum: atque homo ſolus culpandus eſt, ſi eo non recte uſus fuerit ex intemperantia; ſi quidem noluit natura uſpiam deeſſe materiam animalium teſtis oſſibuſque generandis, nutriendis, firmandis.

Igitur, ſuadeo, memor ſis admonitionis illius Hippocraticæ, ſupra poſitæ; nempe de aquis non ſolicitus ſit ſanus; at qui calculo puta laboret, aquis petreſcentibus abſtineat; certe de iis admodum parce, cauteque bibat, ne juſtas intemperantiæ pœnas luat. Atque hæc hactenus; antequam vero manum de hac tabula auferam, illud quoque Hippocraticum de aquarum vitiis verbo conſiderandum non alienum erit, nimirum, Pravæ ſunt *Aquæ* omnes, quæ ex *nive & glacie* fiunt: ubi enim ſemel concreverint, non amplius ad priſtinam naturam redeunt. Hinc, inquit, urinæ ſtillicidium & herniæ; an quod ex frigore intenſo eadem particularum petreſcentium concretio metuenda ſit, ac ex coctione? ſane conſtat experientia, & ex obſervatione, olim edita, D. Joannis Raii inter principes hujus ſæculi philoſophos, mihique veteri amicitia conjunctiſſimi ab hyeme duriſſima, & a longa aquarum congelatione æſtatem maxime morboſam ſecutam eſſe.

Verum cum nivatæ aquæ ad ſe nunquam redeant: tamen cur eædem aquæ fluminis alicujus, Thameſis noſtri puta, toties putreſcant & ſuaves denuo ac potabiles fiant, inquirere lubet; certe ad Indiam Orientalem navigantes experiuntur, iſtam aquam fere intra Tropicos & ſub linea Æquinoctiali ſupra modum fœtere turbidamque fieri: mox limpidam reddi & bene olere; item eandem aquam iterum fœtere & turbari in reditu ad nos; denuo purgari a fæcibus & a malo odore, imo interdum ſub hac mutatione illam ardeſcere ad candelam admotam, inſtar ſpiritus vini, dolio aperto exhalanteque.

Hujus equidem rei rationem ſic intelligo, ſcilicet omnem aquam fluviatilem plus minus inſectis refertam eſſe; quod microſcopio adhibito extra dubium ponitur; hæc autem animalcula, quod noſtratia ſint, ſub ardoribus pereunt, unde aquæ tantus fœtor: ubi vero iſta putredo e beſtiolis corruptis in fundum dolii ſubſederit, coiveritque, aqua fit limpida odore malo vacua. Rurſus in India eadem aqua novis inſectis Indicis repletur, quæ tamen in reditu ſimiliter moriuntur, unde novus fœtor ac aquæ turbatio; iiſdem quoque rationibus aqua ad claritatem ſuam ſuavitatemque redit.

Ad ardorem vero & inflammationem aquæ iſtiuſmodi quod attinet, ab inſectorum quoque putrefactione, id commode oriri poſſit, perinde ut flatus inteſtinorum per anum emiſſos, & ab alimentorum coctione putredinoſa ortos, flamma admota ardere, notiſſimum eſt: atque ita expoſui, quam breviſſime potui, medicamentorum ad calculos maxime accommodatorum cognatas virtutes, earumque rationes & uſus ex veterum fere diligentia fideque.

† *Comp.* 153.
* *Comp.* 146.
* Taral. *P. l.* 5.

† *L. de Aere, locis, & aquis.*
* *Ibidem.*

THO-

THOMÆ SYDENHAM, M. D.
INTEGRI PROCESSUS
IN MORBIS FERE OMNIBUS CURANDIS:
QUIBUS ACCESSIT
GRAPHICA SYMPTOMATUM DELINEATIO,
Una cum quamplurimis obſervatu dignis,
EDITIO NOVISSIMA PLURIBUS ARTICULIS AUCTA.

NÆC NON

DE PHTHISI
Tractatulus nunquam antehac editus.

AMICE LECTOR.

Pecimen habes Praxeos eximiæ, in dilectiſſimi filii M. D. uſum, caute & diligenter excogitatum, ſua ipſius manu conſcriptum, mihi autem pro familiaritate illa, qua omnes excepit, conceſſum a Cl. Sydenham, *Viro ſane, cui vix ætas ſuperior parem dederat, vel poſtera datura eſt, non modo in arte ſua mira ſagacitate, & ingenii acumine ſingulari, conſpicuo: ſed & probis moribus, & in humanum genus, ſtudio, & amore inſignibus adeo, ut apud omnes ſummum ſui reliquerit deſiderium. Cujus præcepta licet animo meo, & imo pectore infixa ſint, ne tamen forte fortuna in mei ipſius, & ægrorum detrimentum excidant memoria parum fida, typis haud ita pridem mandabam exemplaribus circiter viginti impreſſis, ut amicis quoque inſervirem. Neſcio autem quo pacto in lucem irrepſit publicam inter* Miſcellanea Curioſa *ſuperioris anni Norimberg. editum, ſed inepta mole inutile. Prodiit tandem eo modo veſtitum, ut tibi ſit in quovis loco paratum; figmentss cerebri vanis, & futilibus ſciolorum dogmatis nequaquam refertum, nec hypotheſi placida ſolidis ut videtur rationum momentis undequaque conſtipata ſuperbiens; humile autem & modeſtum accurate morbos depingit, & accuratius adhuc medetur; in id ſolum ſolicitum innoteſcat, quod natura faciat aut ferat. Et ſi verum loqui liceat, modo partium ſitus noveris, pateant tibi per ſymptomata ægritudines, (quod aſſidua ediſcas obſervatione) ſcias deinde veram & genuinam medendi methodum per diætam, & pharmaciam adhibere, feliciſſimus eris practicus, & tibi & infirmis optime conſules. Parum interim tua refert, utrum Alcali peccet an acidum, num in ſpiritibus animalibus, an in ipſo ſanguine, aut in recondito aliquo viſcere deliteſcat morbi minera, unde de periodico intermittentium reditu docte ſatis & prolixe poſſis diſſerere; dum interea ipſa febris ſine ullis ambagibus, inquietudine, ſiti, calore, pulſu celeri, nauſea, cæteriſque ſymptomatibus, etiam aſtantibus palam eſt, & aperte dignoſcitur. Hinc ſæpius mirari ſubit, quamobrem anxie ita & ſcrupuloſe immediatas, & proximas morborum cauſas, dum medicinam pertractandam ſuſcipiunt, indagare ſatagunt, & e tenebris iſtis, quibus natura obduxit, irrito licet conatu, eruere, gravi & ſubacto judicio viri, & in praxi verſatiſſimi; ſatis interim gnari ſe latere vel quævis obvia; unde enim dimanat graminis viridis, aut albus nivis color? Quid eſt quod humana anima ratiocinari nequeat dum adhuc infantes aut pueri ſumus? Unde forma tua ſpecifica? ſatius eſſe Medicum quam Philoſophum agere (quis enim unquam Carteſium ſibi Medicum voluerit) minutiſſima phænomena plane & rite enumerare, & remedia quibus unuſquiſque morbus facilius cedat candido & ſincero animo proponere: ita tandem limites ſuos prætergreſſa, quibus anguſtiis nimis jam includitur nobiliſſima, omnibus, quaquaverſum patet orbis, feliciter ſatis, & proſpere ſalutem, filiis autem ſuis honores ſummos conciliabit.*

Meditabatur paulo ante obitum tractatum de phthiſi peritiſſimus Medicus in perquirendo naturæ methodum, qua morbos amoliri ſtudet, ut adjutrices porrigeret manus, & miſeriis hominum ſubveniret; diu noctuque penſitabundo, & anxio animo, exercitatiſſimus; hinc fidiſſimarum obſervationum ſerie & irrefragabili edoctus experientia, medicinæ praxim ornavit, & ad ſaniores reduxit regulas: ſed væ tabidis, dum hujuſmodi nunquam intermiſſis ſtudiis detenti, & defatigati ſpiritus, ſolitis non vacabant excubiis, truculentiſſimus hoſtis, Podagra, *quæ per multos annos obſederat, & debilitaverat artus, impetu facto in interiora viſcera irruit, per vomitum, & ſucceſſum enormiores intentans mortem, unico autem morbo neſcit cedere Medicorum Princeps, ſed cum malorum cumulo acceſſit &* Renum Calculus, *qui corraſis vaſorum oſculis, ſanguinem liberalius, quam ſenectus tulit, urinæ permixtum effudit, ſe jam non amplius opponens, nec vitæ, nec mortis cupidus, placidam, & pacatam expiravit animam. Ne tamen auxilio prorſus deſtituantur tabidi, fragmenta quædam quæ Authorem ubivis ſapiunt in primo ſaltem morbi ſtadio plerunque proficua, (neque enim fas eſt, quod ægrotanti proximo opituletur, celare) in publicum prodeunt, ut exinde pateat quam accurata, & omnibus numeris abſoluta, ſi modo Deus Opt. Maximus conceſſiſſet vitam, expectari potuiſſet Phthiſiologia.*

Quid in febribus, variolis, morbillis, acutis cæteris, ut & chronicis ſanandis valuit optime meritus Author noſter, ſequentes indicant paginæ. Regimen, & Diæta inſtituuntur aptiſſima, præſcribuntur remedia pauca, ſed neceſſaria, nec in Pharmacopolarum lucrum excogitata, nec inani oſtentationi compoſita, ſitibundis agris (eodem modo quo & ipſe ſitim ſuam reſtinguere ſolitus erat) cereviſiam tenuem affatim, & pro libitu hauriendam, unde mire reficiuntur, & refrigerantur, concedi; nec immanitate plus quam barbara precibus eorum ſurdus, Apozemata & Julapia, præ ingrato ſapore faſtidita, ſubſtituit; maximam adhibet cautelam ne exæſtuans nimis, vel igne luculentiori, vel ſtragulorum onere, plus adhuc incaleſceret, vel a propinatis forſam remediis eum in finem ut per poros eliminetur materia morbifica cruda adhuc & inconcocta, quæ tamen hac data anſa concitato motu cerebrum petit, unde phreneſis, aut coma, aut extravaſato ſanguine deturpant cutim maculæ purpureæ, aut eruptiones quas vocant miliares collum & pectus ubivis obſident. Numquid adamuſſim magis depingi poterat quam variolarum hiſtoria? eruptionis diem in utravis ſpecie deſignat, puſtularum ingenium ad unguem deſcribit, quo tempore incipiat, & quandiu continuetur ſalivatio, quo iterum faciei manuumque tumor ſe prodat, quid tandem quolibet die expectandum diſerte explicat. Paregoricorum uſum, quo emolumento judicent practici, primus perſuaſit, malum ingerendi cardiaca, ante eruptionem, morem, unde ſæpe accerſitum fuerit confluentium genus, merito primus improbavit. Melius autem hæc ex ipſo fonte. Valeas itaque amice Lector, & ſicubi ſcateant menda ignoſcas.

Amico ſuo integerrimo M. D. Expertiſſimo Domino S. M.

SOlum ſequaces prætulimus diu
Coum Medentes; compar habebitur,
Qui clariorem te, minori
Reddidit hoc, Medicina, Libro.
Non hic tumoris Mole ſuperbiens
Blattis futurus Præda opulentior:
Senſu ſed arcta Ditiori
Conciliant ſibi Verba Pondus.
Fruſtra moleſto vaſta Volumine
Luſtres Galeni ſcripta: Minutulæ
Acumen huic majus Tabellæ;
Se ſtupet hic Medicina totam.
Hic non remoto ſordidus Angulo
Senſim fatiſcet, ſedula ſtrenue
Manus quotannis, ſpe perenni
Deteret, auctior ut reſurgat.
Applaude Votis Turba Medentium:
Non febris illum, Morbus atrocior
Haud afflet ullus, Commodis qui
Immoritur ſatagendo Veſtris.

Sic vovet
Chriſtophorus Crelle, M. D.

MEDICAMENTORUM

Quædam formulæ in praxi magis familiares.

Potio communis purgativa.

℞. *Tamarind.* ℥ß. *fol. Sennæ* ℥ii. *Rhei* ℥iß. *coq. in ſ. q. aq. ad* ℥iij. *in Colatura diſſolve Mannæ & Syr. Roſar. ſolut. an.* ℥j. *m. f. Potio.*

Emeticum commune.

℞. *Aq. Cardui Benedict.* ℥ij. *Infuſ. Croci Metal.* ℥j. *Syr. Caryophyll.* ℥ß. *m. f. vomitorium.* Sumat hora 4. pomeridiana, ſuperbibendo poſt ſingulas vomitiones hauſtum largum liquoris poſſetici.

Julapium perlatum.

℞. *Aq. Ceraſor. nigr. lact. Alexeter. an.* ℥iij. *aq. Cinnamom.* ℥j. *Margarit. præparat.* ℥ß. *ſaccbar. Cryſtall. q. ſ. adde aq. Roſar. Damaſcen.* ℥ß. *f. Julap.* de quo cap. cochlear. iv. vel v. in languoribus.

Julapium cardiacum.

℞. *Aq. Lact. Alexeter. Ceraſor. nigr. an.* ℥iij. *aq. Epid. Syr. Caryophyll. & de ſucco Citri, an. unc.* ß. *m. f. Julap. de quo capiat ſæpius.*

Decoctum diæreticum.

℞. *Rad. Sarſæparill. unc.* vj. *ligni Saſſaffr. & Chinæ ana unc.* ij. *Glycyrrh. unc.* j. *coq. in aq. font. Congiis* ij. *per horæ dimidium, deinde ſtent clauſæ ſuper cineres calidos per horas* xij. *poſtea ebulliant ad tertiæ partis conſumptionem; cum primum ab igne amoveatur, infun-*

de

de ſem. Aniſi unc. ß. *poſt duas horas coletur, & poſtea depuretur per reſidentiam, & liquor reponatur in lagenis vitreis probe clauſis ad uſum.* Sit pro potu ordinario pro xxx. dies.

Apozema aperiens & Antiſcorbuticum.

℞. *Rad. gramin. Cichor. Fœnicul. & Aſparag. an. unc.* j. *uvarum Corinthiac. & paſſul. enucleat. an. unc.* ij. *fol. hepat. ling. cerv. & cap. Ven. an. M.* j. *Fol. Beccabung. ſub finem addit. M.* ij. *coq. ſ. q. aq. fontan. ad* ℔. ij. *ſub finem adde vini Rhenani* ℔ß. *Colatura adhuc calente, infunde ad duas horas, vaſe clauſo, Cochl. hortenſ. M.* j. *colatur. adde ſyr. e quinque radic. & e ſucco Aurant. ana unc.* ij. *aq. Cinnamom. hordeat. unc.* j. *M. f. Apozema*, Sumat. ℔ß. mane & 5. pomeridiana per xiv. dies.

Eclegma incraſſans in tuſſi.

℞. *Ol. Amygd. dul. unc.* j. *Syr. Papav. Rhœad. Portulac. Iujub. & Lohoch ſani, ana* ℥ß. *Sacchar. cryſtall. q. ſ. M. in mortario marmoreo ad integræ horæ ſpatium & f. Linctus perfecte miſtus; recondatur in olla figulina ad uſum*, cap. ſæpius lambend. e baculo liquiritiæ.

Eclegma fortius incraſſans.

℞. *Conſerv. Roſ. rub. Syr. violar. de Mecon. an. unc.* i. *ſem. papav. alb.* ℥iii. *contundantur ſimul & per ſetaceum trajiciantur, deinde adde ol. nuc. Moſcat. expreſſ.* gr. vi. *f. Eclegma.*

In defluxione tenui.

℞. *Conſerv. roſ. rub. unc.* ii. *Syr. de Mecon. & jujub. an. unc.* i. *Oliban. Maſtich. & Succin. an.* ℥i. *ol. nuc. Moſchat. per expreſſionem* gr. vi. *M. f. Lohoch.* de quo lambat ſæpe; bis in die cap. eclegm. deſcript. cochl. j. inſtilland. Balſam. ſulphur. aniſat. a gutt. viii. ad gutt. xii.

Cereviſia purgativa.

℞. *Polypod. Querc.* ℔i. *Rad. Rhabarb. Monac. fol. ſennæ & paſſul. enucleat. ana* ℔ß. *Rhabarb. inciſ. & rad. Raphan. Ruſtican. an. unc.* iii. *fol. Cochl. hortenſ. ſalv. an. M.* iv. *Aurantior. inciſ. N.* iv. *infunde in Congiis* v. *vel* vi. *Cereviſiæ non lupulatæ, fermentationis tempore, & quando ad maturitatem pervenerit*, ſit pro potu ordinario per dies xiv. vel xxi. præcipue vero ſumat hauſtum ſingulis auroris.

Emplaſtrum hyſtericum.

℞. *Galbani in tinctura Caſtor. ſolut. & colat.* ℥iii. *Tacamahach.* ℥ii. *f. Emplaſt. pro umbilico.*

Catharticum pro infantibus tenellis.

℞. *Syrup. Cichor. cum Rabarbar. Cochl.* i. *parvulum.*

Decoctum amarum purgativum.

℞. *Decoct. amar. duplicata ſenna* ℥iv. *Syr. de Spina cervina unc.* i. *Elect. de Succ. Roſar.* ℥ii. *M. f. Potio.*

Laudanum liquidum Authoris.

℞. *Vini Hiſpanici* ℔i. *Opii* ℥ii. *Croc.* ℥i. *pulv. Cinnamom. & Caryophyllorum, an.* ℥i. *infundantur ſimul in B. M. per duos vel tres dies, donec liquor debitam conſiſtentiam acquirat. Colatura ſervetur pro uſu.*

PROCESSUS INTEGRI IN MORBIS

Fere omnibus curandis.

De affectione, in fœminis *Hiſterica*, *in* maribus *Hypochondriaca*, dicta.

CUm a caſu aliquo graviori moleſtum patitur humana anima, ataxiam concipiunt animales ſpiritus; urina ſubinde limpidiſſima copioſe excernitur; ſanitatis recuperandæ ſpes omnis protinus abjicitur, triſtiſſima quævis ſibi ominantur ægrotæ: quamcunque corporis partem morbus inſederit (plurimas autem inſidet) ſymptomata ei parti competentia confeſtim urgent; in capite apoplexia, hemiplegia ſoluta, ſtatim a partu adoritur; ſi mi epilepſiæ perſimiles (vulgo uteri ſtrangulatus, in quo venter & præcordia guttur verſus intumeſcunt) infeſtant; clavus hyſtericus, in quo dolor in capite atrociſſimus, quem tranſverſo pollice poſſis contegere; ægra interim mareriam viridem bili porraceæ parem evomente, miſere excruciat; cordis palpitationem, tuſſim, paſſiones iliacam, & colicam, nephritin, urinæ ſuppreſſionem æmulatur paroxyſmus; vomitiones enormes, diarrhœam ſubinde excitat; externe in carne muſculoſa nunc dolorem, nunc tumorem inducit in tibiis hydropis inſtar; nec (quod mireris) intactos dimittit dentes; dolor dorſi creberrime ſævit; & ſæpe ſæpius adeo refrigerantur externæ partes, ut cadaver plane referant; in riſum & lacrymas effuſiſſimas ſine ulla προφάσει ridicule erumpunt; ptyaliſmus nonnunquam eo gradu laborantes afficit, ut mercurio delibutas facile crederes. Dolores hyſterici, quamcunque partem obſident, ubi diſceſſerint, teneritudinem, quæ tangi recuſat, relinquunt, ac ſi verberatæ fuiſſent carnes.

Mittatur ſanguis ad unc. viii.

Emplaſt. de Galbano umbilico admoveatur. Sequenti mane aggrediatur uſum ſequentium pilularum.

℞. *Pilul. Coch. maj.* ℥ij. *Caſtor. pulv.* gr. ij. *Balſam. Peruv. gutt.* iij. *f. Pil.* xij. cap. iv. ſingulis vel alternis matutinis, pro ratione virium, hora 4. vel 5. matutina, ſuperdormiendo.

℞. *Aq. Rutæ* ℥iv. *Bryon. comp.* ℥ij. *Caſtor. nodulo ligat. & in vitro ſuſpenſ.* ℥ß. *Sacchar. Cryſtal. q. ſ. f. Julap.* de quo capiat cochl. iv. vel .. in omni languore. Poſt has pilulas ſumptas utatur ſequenti.

℞. *Limatur. Chalyb.* gr. viii. *cum ſ. q. Extract. Abſinth. f. Pil. N.* iij. Sumat ſummo mane, & repetantur hora 5. pomeridiana per xxx. dies, ſuperbibendo hauſtum vini abſinthitis.

Sin forma boli magis arrideat.

℞. *Conſerv. Abſinth. Roman. & Conſerv. flaved. Aurant. an.* ℥j. *Angelic. condit. Nuc. Moſcat. condit. & Theriac. Andromach. an.* ℥ß. *pulv. Ari comp.* ℥iij. *Zinzib. condit.* ℥ij. *cum ſ. q. Syrup. de ſucc. citr. vel ejus defectu, Syr. Aurantior. f. Electuarium.*

℞. *Elect. præſcript.* ℥ij. *limitatur. Chalyb.* gr. viii. *cum ſ. q. Syrup. Aurantior. f. Bolus* ſumendus mane & ſero, ſuperbibendo hauſtum vini abſinthitis, vel cochl. vi. ſeq. infuſionis.

℞. *Rad. Angel. Enul. campan. & Imperator. an.* ℥j. *fol. Abſinth. vulg. Centaur. min. Marrub. alb. & Chamædr. an. M.* j. *Cort. Aurant. duor. inciſ. affunde vini Hiſpanic. q. ſ. ad ſupereminentiam duorum digitorum.* Coletur tempore uſus. Vel

In Delicatulis *Chalybs* exhiberi poterit in forma pulv. ſequentis.

℞. *Limatur. Chalyb. probe trit. unc.* j. *pulv. Ari comp.* ℥vj. *ſem. Coriand. præparat. Aniſi, Fœnicul. dulc. an.* ℥ß. *Cinnamom. acutiſſ. Corall. rubr. præparat. an.* ℥iij. *Nuc. Moſch.* ℥ij. *f. omnium pulvis ſubtiliſſimus, cui adde ſacchar. albiſſ. ad pondus omnium*, hujus cap. e cochleari ℥ß. bis in die per 4. dies tum ℥j. bis in dies ſuperbibendo.

℞. *Aq. Lact. Alexiter. unc.* xij. *Gentian. comp.* iv. *Abſint. magiſ. comp. unc.* ij. *ſacchar. albiſſ. q. ſ. f. Julap.* Vel

℞. *Vini Rhenan. Abſinth.* ℔ß. *aq. Gentian. comp.* ℥ij. *Syr. Caryophyll.* ℥j. *f. Julap.*

℞. *Myrrh. elect. Galb. & Aſſæ fœtidæ, an.* ℥j. *Caſtor.* ℥ß. *cum ſ. q. Balſam. Peruv. f. Pil. e ſingulis drachmis* xij. Sumat iii. ſingulis noctibus, ſuperbibend. aq. Bryon. compoſ. cochl. iii. vel iv. per totum decurſum hujus proceſſus.

Si pilulæ præſcriptæ ventrem moverint, utatur ſequentibus.

℞. *Caſtor.* ℥j. *Sal. ſuccin. volatil.* ℥ß. *cum ſ. q. extract. Rutæ f. pilulæ N.* xxiv. cap. iij. ſingulis noctibus, ſuperbibendo Julapii hyſteric. cochl. iii. vel iv.

Sp. CC. ad gutt. xvi. vel xvii. in aqua aliqua appropriata ſæpius exhibitus, valde confert.

Si vero his cedat remediis, tum capiat ſequentes pilulas.

℞. *Trochiſc. de Myrrh. pulv.* ℈j. *Balſam. ſulphur. Terebinth. gut.* iv. *cum ſ. gumm. Ammoniac. ſolut. f. Pil. N.* iv. cap. mane & ſero ſuperbib. Julap. hyſteric. cochl. iv. vel v. inſtillando, Sp. C. C. gutt. xij.

Electuarium Antiſcorbut. cum aqua ibidem deſcripta prodeſt in his affectionibus, ut & *Electuar. corroborans cum additione Conſerv. Cochl. hortenſ.* ℥j. *pulv. Ari compoſ.* ℥vi. ſuperbibendo præſcriptam aquam.

At ſi affectus his non cedat remediis, eundum eſt ad *aquas ferreas*; & ſi neque his, tum ad *Sulphureas*, quæ ſunt *Bathonienſes.*

Inter bibendum aquas ferreas hæc obſervanda, ſi aliquod ſymptoma gravius acciderit, quod potationi aquarum referri poteſt, tunc ab iis æger abſtineat, donec ſymptoma iſtud penitus evanuerit. Æger in earum uſu per ſex ſeptimanas ad minimum, vel potius ad duos menſes perſeveret. *Zinziber conditum*, vel *Semina Caroi Saccharata*, ad calefaciendum ventriculum ſubinde ſumat. *Pilulæ* etiam *hyſtericæ* iij. devorari poſſunt per primas x. noctes, ſuperbibendo *Julap. hyſteric.* cochl. iv. vel v.

Quoad uſum *aquarum Bathonienſium*, duobus diebus bibat eas, ac tertio die per modum balnei eas ingrediatur, atque ita alternatim per ſex ſeptimanas vel duos menſes.

Si *Chalybs* juſto plus corpus calefaciat, tum per ejus uſum, quarta quaque hora ſumat *aq. mineralium purgantium* ℔iv. Quæ tametſi alvum moveant, haud tamen tumultum cient, ut ſolent cathartica ex officinis deprompta.

Si *Chalybs* magnas perturbationes inducat, laudanum aq. aliqua hyſterica miſtum, ſingulis noctibus ad tempus aliquod propinandum.

Cum a morbi diuturnitate fractæ, & attritæ fuerint vires, venæ ſectio, & cathartica ſunt præmittenda, ſed a chalybe ſtatim incipiendum.

Ubi ſymptomata ſunt mitiora, ſatis eſt ſanguinem mittere, & alvum ſolvere ad dies iii. vel iv. dein pilulas hyſtericas ad dies x. mane & ſero exhibere.

In dolore intolerabili, vomitione, & *Diarrhœa* enormioribus, exhibendum laudanum, & poſtea corroborandi ſpiritus, at modo per vires liceat, ante uſum laudani, educatur e venis ſanguis, & cathartico propinetur: in viraginibus præſertim, & ſanguineo temperamento præditis, in debilioribus autem, & haud ita pridem paroxyſmum paſſis, ſufficit ventriculum congio uno lactis cereviſiati hauſto, & mox per vomitum rejecto detergere, dein largam doſin *Theriac. Androm.* vel *Elect. Orvietan.* imperare, & cochl. aliquot, liquoris alicujus ſpirituoſi, cum paucula laudani liquid. guttulis, ſuperbibenda dare. Quod ſi ægra jampridem vomuerit, & ulterius emeticis ſolicitare periculo non vacabit, laudanum ſine mora propinandum eſt, ea doſi, quæ ſymptoma vincat, & poſt ſingulas vomitiones toties quoties repetendum, in forma potiſſimum ſolida, vel in liquida, in parco vehiculo, viz. gutt. aliquot in cochl. j. aq. cinnamom. fortiori, ægra interim conquieſcente, & caput immotum tenente.

Perdomito ſymptomate, mane & ſero, ad dies pauculos continuetur uſus laudani.

Hæc duo diligenter notanda, quod cum ſemel poſt evacuationem laudano uti cœperimus, ea doſi, atque illa toties repetita, ſumendum eſt, donec ſymptoma omnino fuerit debellatum, interjecto tantum ſpatioſo inter ſingulas doſes, ut quid prior præſtiterit ante noſcamus, quam alteram ingeramus: deinceps cum laudano morbum aggredimur, nihil movendum eſt, nihil evacuandum vel per mitiſſimum enema.

Theriaca Andromachi crebro, diuque uſurpata, magnum eſt in hoc, & aliis morbis quamplurimis a caloris, & concoctionis defectu ortis remedium.

Vina *Hiſpanica* gentiana, angelica, abſinth. centaurio, corticum aurantior. flavedine, aliiſque corroborantibus infuſis medicata, ſi ad aliquot cochlearia ter in die potenter admodum conferunt, modo ægra tenui non fuerit bilioſoque corporis habitu.

Cortex Peruv. ad ℈j. mane, & ſero, per ſeptimanas aliquot deglutitus, præſertim in ſpaſmis hyſtericis miras habet vires.

In tenui bilioſoque corporis habitu poteſt uſurpari diæta lactea,

lactea, præcipue in colica hysterica, si modo ea incommoda possint superari, quæ primis fere diebus apportat, quod nempe tum in ventriculo coagulatur, tum etiam viribus corporis, in statu conservandis, sustentandisque minus sufficiat.

Nihil tamen æque sanguinem spiriruſque fovet, & confirmat, ac diu multumque singulis fere diebus equo vehi, nec itinera in curru facta suo carent successu.

De Febre Depuratoria annorum 1661. 62. 63. 64.

Si æger juvenis sit, extrahatur sanguis e brachio, & eodem die post aliquot horas, vel sequenti die, duabus horis post leve prandium, *Emeticum ex infus. Croc. Metal. paratis Zythogal.* ℔vi. *vel* viij. ut quoties vomuerit, aut alvum exoneraverit, e vestigio sumatur hausſtus; exhibeatur & post finitam operationem emetici, hoc vel simile paregoricum.

℞. *Aq. Cerasor. nigr.* ℥iß. *aq. Epidem.* ℥ß. *Laud. liquid. gutt.* xvi. *Caryophyl.* ʒii. *M. F. Haustus.*

Vomitoria ex infus. *Croci Metal.* parata, puerulis, ullisve infra adolescentiam constitutis, vel minima quantitate, non est tutum exhibere.

Post hunc diem usque ad undecimum, singulis auroris, injiciatur enema sequens.

℞. *Decoct. commun. pro Clystere* ℔j. (*vel lactis vaccini eandem quantitatem*) *Sacchari Culinar. & Syrup. violac. an.* ℥ij. *f. Enema.*

Post dictum diem alvus constipari permittatur, quo materia febrilis citius concoquatur, ad quem etiam finem cardiaca moderata his ultimis diebus exhibita apprime conducunt.

℞. *Pulv. e Chel. Cancror. comp.* gr. xiv. *Elect. de Ovo* ℈ß. *cum s. q. Syr. Caryophyl. f. Bolus* sumendus octava quaque hora, superbibendo sequentis julapii cochl. v. vel vi.

℞. *Aq. Lact. Alexiter. Cerasor. nigr. an.* ℥iii. *Aq. Epidem. & Syr. Caryophyll. an.* ℥j. *M. F. Julap.* vel alia his similia.

Hac methodo solicite observata, usitato circa xv. diem (tum ex laudabili in urina separatione, tum ex manifesta symptomatum omnium remissione) tempestivum esse potionem purgantem communem exhibere percipies.

Accidit interdum, maxime in senibus curata febre, & purgato corpore, ægrum nihilominus valde debilem esse, & quanque tussi, interdum etiam screatu, magnam glutinosi viscosique phlegmatis copiam expectorare. Hoc in casu vinum Malaganum annosum, cum pane tosto ei immisso, bibat æger.

Si superveniat iliaca passio, præscribatur sal. absinth. ℈j. ex cochl. suc. limonum, mane & sero, intermediis temporibus cap. aq. menth. stillatit. sine saccharo, cochl. aliquot, bis quaque hora; dum hæc fiunt, catulus vivens nudo ventri indesinenter accumbat, postquam dolor, cum vomitu per biduum triduumve cessaverit exhibeatur *Pil. Coch. maj.* ℥j. *in Aq. Menth.* soluta, nec removendus catulus ante pilularum usum.

Ad recidivam præcavendam, persistat in usu prædictæ aquæ per longum tempus, & duplicatis pannis lapideis ventrem a frigore defendat.

De Febre Pestilentiali 1665. 66.

Post venæ sectionem in lecto celebrandam, æger stragulis obruatur, & lacinia lanea sincipiti alligetur; tum si vomitus non adsit, hoc vel simile hydroticum exhibe.

℞. *Theriac. Andromach.* ℥ß. *Elect. de ov.* ℈ß. *Pulv. e chel. cancr. comp.* gr. xii. *Coccinel.* gr. viii. *Croc.* gr. iv. *cum s. q. succ. Kermes, f. Bolus*; quem sumat sexta quaque hora, superbibendo cochl. vi. seq. Julapii.

℞. *Aq. Card. Benedict. & Scord. compos. an.* ℥iv. *Aq. Theriacal. stillat.* ℥ii. *Syr. Caryophyl.* ℥j. *M. F. Julapium.*

Si adsit vomitio, hydroticum differatur, donec solo tegumentorum pondere sudor promanare incipiat, linteaminis parte vultui superinducta.

Incæpta diaphoresis haustulis zythogalæ salvia alteratæ, vel cerevisiæ, cui macis aliquantulum incoxeris subinde repetitis ad naturalis diei spatium (i. e. horas 24.) est continuanda; in sudore licet jusculis confortativis ægrum reficere.

Ubi tumor enatus fuerit, venam aperire non sustinui; per horas adhuc a finito sudore xxiv. ægro se in lecto continente frigus caute devitetur. Indusium sponte sua in corpore arescere permittatur, potulenta omnia calidiuscule hauriantur, & zytogalæ salvia alteratæ usus etiamnum continuetur, in seq. luce potio purgat. communis exhibeatur.

Anni 1667. 1668. Febrim varioloſam, & variolas produxerunt.

Anni 1669. 70. 71. 72. Febrim dysentericam.

Anni 1673. 74. 75. Febrim comatosam.

Curationem febrium horum annorum non attingo, quoniam methodo in febre anni 1685. &c. descripta curari eas potuisse autumo.

De Febribus Intermittentibus.

Cum rigore & horrore adoritur paroxysmus; quibus mox succedit calor, & huic tandem sudor, & subsequens ἀπυρεξία: licet in primis morbi diebus, autumno maxime, aliquoties remissio potius quam intermissio persentiscatur, in calore æque ac in rigore vomituritione ut plurimum ac vehementer ægrotat miser cum siti & lingua arida. In tenera ætate abdominis inflatio, in adultis crurum tumor febris solutionem, tonsillarum dolor, raucedo, oculi cavi, facies hippocratica, mortem ennunciant.

℞. *Cort. Peruv. subtiliss. pulv.* ℥j. *cum s. q. Syr. Caryoph. de Rosis siccis, f. Electuarium dividendum in* xii. *doses*; quarum unam capiat quarta quaque hora, superbibendo vini cujuslibet hausſtum, incipiendo immediate post paroxysmum.

Si autem præscripti boli ventrem moverint, in hausſtu vini dentur *gutt. Laud. Liquid.* singulis vel alternis vicibus post assumptionem boli, ut opus fuerit.

Ad recidivam præcavendam (præcipue in quartana) repetatur processus prædictus singulis septimanis per tres alias vices.

Sin forma pilularum magis arrideat,

℞. *Cort. Peruv. pulv.* ℥j. *cum s. q. Syrup. Caryophyl. f. Pilulæ mediocris magnitudinis*, quarum capiat vi. quarta quaque hora.

℞. *Cort. Peruv. pulv.* ℥ii. *Vin. Rhenan.* ℔ii. *stent simul in Infusione frigida, & coletur per manicam* Hippocratis. Usus tempore cap. ℥iii. terria vel quarta quaque hora.

Sin ob vomituritionem, fere continuam, corticem deglutire nequeat æger, tum sexies, vel octies, spatio duarum horarum, *Succi Limonum* recens expressi cochl. j. cum *Salis absinth.* ℈j. assumat, dein *Laudan. Liquid. gut.* xvi. cum *Aq. cinnam.* fortior. cochl. j. ac brevi post, cessante vomitu, corticis usum aggrediatur.

In intermittentibus vernalibus, nonnunquam emeticum, tempestive propinatum, ut nempe ante paroxysmum negotio suo defungi possit, feliciſſime successit. Nonnunqnam enema in diebus intermittentibus per triduum, vel quatriduum injectum, curationem absolvit. Quæ sequenti quoque modo tentari potest.

℞. *Serpentar. Virgin. subtiliss. pulverisat.* gr. xv. *Vin. alb.* ℥iij. Sumat duabus horis ante paroxysmum, & stragulis coopertus æger suder per iij. vel iv. horas, idem faciendo per duas alias vices ante paroxysmum.

Si ingeminatis paroxysmis summe debilis fuerit æger.

℞. *Conserv. Flor. Borag. Buglos. an.* ℥j. *conserv. Anthos.* ℥ß. *cort. citr. condit. Nuc. Moschat. condit. Theriac. Andromach. an.* ℥iij. *confection. Alchermes* ʒij. *M. F. Opiata*, cap. ad quantitatem avellanæ mane & vesperi, superbibendo cochlearia paucula, alicujus *Aq. Epidemicæ* simplicioris, *Saccharo* edulcoratæ, interdicto interim enematum usu.

Si sub morbi exitum occurrat hydrops, nondum tamen depulsa febre, curatio non est instituenda remediis purgantibus, sed infusionibus rad. *Raphan. Rustican. Summitat. Absinth. centaur. Min. Baccar. Juniper. cinerum genist.* &c. in vino factis, exulante autem febre, catharticis, & aperientibus.

Pro infantibus febre intermittente laborantibus.

℞. *Aq. cerasor. nigr. & Vini Rhenan. an.* ℥ij. *cort. Peruv. subtilis. pulv.* ℥iij. *Syr. Caryophyll.* ℥j. *M. f. Julap.* Cap. Cochl. j. alterumve, pro ratione ætatis quarta quoque hora, donec paroxysmi non amplius discrucient, instillando alternis vicibus, si diarrhœa adfuerit, Laud. liquid. gutt. j. vel ij.

De Febre Stationaria, ab an. 1685. *ad* 90.

Calor & frigus se invicem excipiunt, artus pariter & caput dolent, pulsus interim fere sanus, nonnunquam tussis, dolor circa collum, & fauces, exacerbatio febris prope noctem, inquietudo, sitis, lingua vel humida & ex omni parte pellicula alba, & scabra vestita, vel sicca, fusci coloris in medio, quam partem undique cingit fimbria inalbescens. A jugi in lecto decubitu coma, & phrenesis, a calido regimine petechiæ, maculæ purpureæ, eruptiones (quas vocant) miliares morbillis magis rubentes, pulsus inordinatus, tendinum subsultus, atque ita tandem mors. Sudores in initio symptomatici divexant, qui si ab arte provocentur, viscosi a capite erumpunt, & materiam morbificam in caput aut in artus transferunt.

Mittatur sanguis ad unc. x. e brachio. Reiteretur venæ sectio; si modo respirationis difficultas, dolor capitis inter tussiendum lancinans, & alia signa peripneumoniæ nothæ adsint; in hoc casu tam venæ sectio, quam catharsis repetenda, donec æger convaluerit.

Vesperi applicetur epispasticum, & sequenti aurora potio lenitiva præscribatur, quæ ad tertiam vicem alternis diebus repetatur, & hora somni post catharsin hausſtus pacificus propinetur.

℞. *Aq. Paralys.* ℥iij. *Syr. de Mecon.* ℥j. *Succ. Limon. recent. extract. cochl.* ij. *M. F. Haustus.*

Aphthæ & singultus post curationem febris supervenientes sponte sua evanescunt: si in longum tempus decurrant, facile fugantur *Cortic. Peruv.* ℥j. *cum Syr. Papav. Rhœad. q. s. in formam Electuar. vel pillular.* redacta, superbibend. hausſtum lactis deflorati. Remedium hoc certissime scopum attinget, si non frustentur ejus vires ex jugi ægri in lecto decubitu.

Diebus a purgatione liberis sequentia præscribentur.

℞. *Conserv. Lujul. & cynosbat. an. unc.* j. *conserv. Berber. unc.* ℥. *crem. Tart.* ℥j. *cum s. q. Syr. de Limonib. f. Electuarium*, de quo cap. ad magnitud. Nuc. moschat. ter in die superbibendo sequent. Julap. cochl. vj.

℞. *Aq. Portulac. Lactuc. Paral. an.* ℥iij. *Syr. de Limonib.* ℥iß. *Syr. Violar. unc.* j. *M. f. Julapium.* Vel

℞. *Aq. font.* ℔j. *aq. Rosar. Succ. Limonum, Sacchar. albiss. an. unc.* iv. *coq. lento igne dum despumaverint, cap. unc.* iij. *ad libitum*, præscribatur quoque seq. gargarisma.

℞. *Succ. Pomor. agrest.* ℔ß. *Syr. de rubo. Ideo unc.* j. *m. f. gargarisma.*

Si febris ita ventriculum infestet, ut æger potionem retinere nequeat, *Pil. Coch. maj. ad* ℈ij. exhibeantur, tum est hypnoticum est concedendum, v. gr. *Laudan. Londin.* gr. iß. *cum simili quantitate Mastic.* vel *Laudan. liquid. gut.* xvij. *in aq. Cinnamom. hordeat. unc.* j.

Decoctum album paratum, ex ℥j. *C. C. usti, in aq. communis* ℔iij. *cocti & poster. Saccharo albissimo edulcoratum.* Sit pro potu, ut & cerevisia tenuis pro libitu.

Post catharsin bis celebratam, concedatur ægro, pullorum carnibus vesci, & post ultimam purgationem, modo febris aliquantulum deflagraverit, vini Canarini cochl. iij. vel iv. mane, & sero, ut & post prandium, per dies aliquot propinentur.

In phreniride, ut & comate, nihil perinde confert, atque ægri caput radi, nullo admoto emplastro, sed pileolo tantum.

Si (quod fœminis hystericis quandoque accidit) post venæ sectionem, & purgationes hujusmodi iteratas, etiamnum duret, procuratque febris, modo signa peripneumoniæ, & inflammationis circa partes vitales absint, singulis noctibus paregoricum, & medicamenta hysterica, bis vel ter in die injungantur.

De Infantibus febre Stationaria laborantibus.

Hirudines duæ utrinque pone aures applicentur, dein *Emplastr. Epispasticum* cervici admoveatur.

Cere-

Cereviſia, qua Rhabarbarum fuerit infuſum, purgetur.

Si poſt catharſin febris intermittere videatur, tum *Julapium cum cortice Peruviano* (in capite de febre intermittenti pro infantibus deſcriptum) exhibeatur.

De Febre Scarlatina.

Æſtate exeunte, infantes præcipue infeſtat. Rigent & horrent ſub initium; nec tamen admodum ægrotant; cutis univerſa maculis parvis rubris, crebrioribus, latioribus & magis rubentibus quam in morbillis interſtinguitur. Ad duos treſve dies perſiſtunt, quo quidem tempore evaneſcunt, & decedente ſubjecta cuticula ſquamulis furfuraceis, ad inſtar farinæ, cutis conſpergitur.

℞. *C. C. uſti & pulv. e Chel. cancr. comp. an.* ʒß. *Coccinell. gr. ii. Sacchar. Cryſtall.* ʒj. *M. f. pulvis ſubtiliſſ. in xii. Chartulas dividend.* quarum unum cap. 6. quaque hora, ſuperbibendo coch. ii. vel iii. ſequentis julapii.

℞. *Aq. Ceraſor. nigr. aq. Lactis Alexiter., an.* ʒiii. *Syr. e ſucco citri unc. i. M. f. Julap.*

Applicetur etiam epiſpaſticum cervici, & qualibet nocte *paregoricum ex Syr. de Mecon.* propinetur, & poſtquam ſymptomata ceſſaverint, purgetur æger.

De Pleuritide.

Inter ver & æſtatem dominatur. A rigore & horrore orditur, quos ſtatim comitantur calor, ſitis, inquietudo, & cætera febrium ſymptomata; elapſis pauculis horis, æger vehementi dolore punctorio in laterum alterutro circa coſtas corripitur; qui nunc verſus omoplatas, nunc ſpinam, nunc anteriora pectoris ſeſe propagat, tuſſi crebra excruciatur; materia ſputo rejecta in initio morbi pauca eſt & tenuis, & ſæpe ſanguinis particulis intermiſta, progreſſu vero copioſior & magis concocta, ſanguine etiam permixto. Febris pari paſſu incedit cum tuſſi, ſputo ſanguinis, dolore, & pro ratione liberiori expectorationis ſenſim imminuitur; nunc alvus eſt aſtricta, nunc ſoluta nimis. Eductus e vena ſanguis ſevi liquati ſpeciem præ ſe fert ubi refrixerit.

Mittatur ſanguis e brachio lateris affecti ad ℥x.

℞. *Aq. Papav. Rhœad. unc. iv. Sal. prunel.* ʒj. *Syr. violar. unc. i. M. f. Hauſtus* ſumendus ſtatim a prima venæ ſectione.

℞. *Amygd. dulc. excorticat. N. v. ſem. Melon. Pepon. an. unc.* ß. *ſem. papav. alb.* ʒii. *aq. hord.* ℔iß. *aq. Roſar.* ʒii. *cum ſ. q. ſacchar. cand. f. ſ. a. Emulſio, Cap. unc.* vi. 4. quaque hora.

℞. *Decoct. Pectoral.* ℔ii. *Syr. Violar. & Cap. Ven. an. unc. i* ß. *M. f. Apozema Cap.* ℔ß. *ter in die.*

℞. *Ol. Amygd. dulc. unc. ii. Syr. Violar. & Cap. Ven. an. unc. i. Sacch. Cand. q. ſ. M. f. Eclegma*, de quo ſæpe lambat.

Oleum Amygd. dulc. per ſe, vel *Oleum ſem. Lini recenter extract.* exhiberi poteſt.

℞. *Ol. Amygd. dulc. Lilior.*, & *unguent. Dialtheæ*, *an. unc. i. M. f. Linimentum*, quo inungatur latus affectum mane, & ſero ſuperimponendo fol. Braſſicæ.

Repetatur venæ ſectio ad tres alias vices, ad eandem quantitatem, quatuor diebus continuis, ubi dolor, & reſpirandi difficultas ſuadent.

De Peripneumonia notha.

Ingruente hyeme & ſæpe ſub ejus exitum emergit, inſultu primo nunc incaleſcit, nunc friget æger, ex motu quolibet vertiginoſus eſt, rubent & inflammantur genæ, oculique; tuſſit, & inter tuſſiendum dolor capitis lancinans premit, poculenta vomitu rejicit, urina turbida eſt, & intenſe rubet, ſanguis pleuriticorum æmulus, anhelus crebro & celeriter ſpiritum ducit, dolente thorace. Ab aſthmate ſicco plane diſtinguitur, quod in iſto nuſquam comparent febris indicia, in hac manifeſto ſe produnt, licet minora longe & magis obſcura, quam in peripneumonia vera.

Mittatur ſanguis e brachio dextro ad unc. x. Die ſequenti æger hanc potionem ſumat.

℞. *Caſſiæ extract. unc. i. Glycyr.* ʒii. *ficus pingues N.* iv. *fol. ſenn.* ʒii ß. *Angarit. trochiſcat.* ʒi. *coq. ſ. q. aquæ ad unc.* iv. *in Colatur. diſſolv. Mannæ unc. i. Syr. Roſar. ſolut. unc.* ß.

Si vero potionem aſſumere nequeat, Cap. *Pil. Coch. mai.* ℈ii. hora quarta matutina.

Sequenti die celebretur iterum venæ ſectio, ad eandem quantitatem; ac poſtero die repetatur catharſis, quæ porro repetenda eſt alternis diebus, vel poſt majora intervalla, pro ratione virium; atque inſuper ſi ſymptomata non ceſſaverint, extrahatur iterum ſanguis, ſemel adhuc, bis, vel ſæpius, diebus aliquot interjectis, prout res poſtulaverit; ſed ut plurimum venæ ſectio bis celebrata ſufficiet; interim, dum hæc fiunt, præſertim in diebus a purgatione vacuis, utatur *decocto Pectorali*, *Eclegmate & oleo Amygd.* dulcium, in pleuritide deſcriptis.

De Rheumatiſmo.

Rigorem & horrorem & cætera febrium ſymptomata patiuntur, elapſo die uno alterove (eſt & ubi citius) dolor adeſt atrox, nunc in hoc, nunc illo artu, in carpis, humeris & genubus præſertim, viciſſim hos relinquens, & illos occupans, rubore & tumore in parte, quam poſtremum affecit, adhuc reſiduis. Febris ſenſim evaneſcit, manente dolore, quin & nonnunquam immanius ſæviente. In lumbagine rheumatica immanis dolor eſt, circa lumborum regionem fixus, nephritin mentiens, niſi quod æger non vomituriat, qui procumbere nequit, ſed vel e lecto exilit, vel ſuper eodem erectus ſedet, corpore perpetua agitatione, nunc verſus anteriora, nunc poſteriora inclinato. Sanguis pleuriticorum ſimilis.

Mittatur ſanguis e brachio lateris affecti, ad unc. x.

℞. *Aq. Nimph. Portulac. Lactuc. an. unc.* iv. *Syr. de Limonib.* ʒiß. *Syr. Violac. unc. i. M. f. Julap.* de quo bibat ad libitum.

Præſcribend. *Emulſio* 4. *Sem. frigid. maj. Cataplaſma e mica panis albiſſ. & lacte Croco tincto* applicetur parti dolenti.

Die ſequenti eadem ſanguinis quantitas detrahatur, atque iterum, die uno vel altero interjecto, reiteretur, atque porro quater vel pluries, ſi opus fuerit, hoc obſervando, ut poſt ſecundam venæ ſectionem majora ſint intervalla inter ſingulas ſanguinis miſſiones.

Diebus a phlebotomia vacuis, enema e lacte ſaccharato ſubinde injiciatur, vel ſequens.

℞. *Decoct. commun. pro Clyſtere* ℔j. *Syr. Violar. & Sacchar. culinar. an. unc.* ii. *M. f. Enema.*

Si imbecillitas ægri repetitionem phlebotomiæ non ferat, tum poſt ſecundam vel tertiam venæ ſectionem, curatio hac methodo tentanda.

Capiat alternis diebus *potionem purgativam communem*, donec convaluerit, & iiſdem noctibus paregoricum *ex Syr. de Mecon.*

Sin his remediis non cedat, & æger ob imbecillitatem evacuationes qualeſcunque ferre nequeat, aggrediatur uſum *Elect. & aq. Antiſcorbutic.* in ſcorbuto deſcript. quæ etiam locum habent in rheumatiſmo ſcorbutico.

In juvenibus, atque iis, qui temperate vixerunt, vino non plus æquo dediti, rheumatiſmus diæta ſimplici admodum refrigerante, & mediocriter nutriente, æque feliciter, ac repetitis venæ ſectionibus (quas minus ferre queant) profligari poteſt. Ex. grat.

Solo lactis ſero ad dies quatuor veſcatur æger, poſtea præter ſerum pane ſimilagineo ſemel in die loco prandii, donec penitus convaleſcat, niſi quod poſtremis diebus iterum panem in cœnam indulgere liceat, ſymptomatibus ceſſantibus, carnes pullorum elixorum, cæteraque eupepta concedantur, tertio autem quoque die ſolo lactis ſero victitet, donec tandem pancratice valeat.

De Febre eryſipelatoſa.

Nulla non corporis pars præſertim facies, tumet, dolet & ſumme rubet, puſtulæ denſæ, parvæ in veſiculas ſubinde faceſſunt, quæ per frontem caputque ſerpunt, oculi tumore obruti, rigor, & horror atque reliqua febris indicia adſunt. In alia hujus morbi ſpecie, liquorum attenuantium potationi ſuperveniente, febricula adeſt, puſtulæ urticarum punctiuras referentes nonnunquam, quam in veſiculas ſublatæ, mox recedentes, tuberculorum more, ſub cute ſe condentes, maxime pruriunt, & ſcalpendo rurſum apparent. Eſt & alia eruptionis ſpecies; pectus ut plurimum obſidens, macula nimirum lata, cuti vix ſupereminens, porriginoſa, cum ſquamulis flavis, qua vigente, æger bene ſe habet; eadem evaneſcente, leviter ægrotat, urina turbida & flava, iiſdem remediis, quibus pruritus ſerinus, cedit, vino utatur æger & carnibus eupeptis.

Mittatur ſanguis e brachio ad ℥ix. vel x. Die ſequenti ſumat *potionem communem purgativam.*

℞. *Rad. Althææ & Lilior. an* ʒj. *ſol. Malv. Sambuc. Verbaſc. flor. Chamæme. Melilot. ſummit. Hyperic. & centar. minor. M. j. ſem. Lini, fœnugræc. an.* ʒß. *coq. ſ. aq. ad* ℔iii. *Coletur liquor, & tempore ujus adde ſingulis libris decocti Sp. Vini* ʒii. Stupæ e panno laneo huic decocto immerſæ, ac expreſſæ, calide admoveantur bis in die, & pars affecta poſt fotum ſequenti mixtura illiniatur.

℞. *Sp. Vini* ℔ß. *Theriac. Androm.* ʒii. *pul. piperis longi, & Caryophyll. an.* ʒii. *f. mixtura*, qua charta emporetica madefacta parti affectæ circumvolvatur.

Si primæ venæ ſectioni non cedat morbus, tum repetatur; & nondum ceſſante, ad duas alias vices celebretur, interpoſito ſemper die uno.

Diebus a venæ ſectione liberis *Enema e lacte cum Syr. Violarum*, *Emulſio Refrigerans*, & *Julap. refrigerans*, ſunt præſcribenda.

De pruritu ſerino, & inveteratis cutis eruptionibus, quæ venæ ſectioni & catharſi non cedunt.

℞. *Theriac. Andromach.* ʒß. *Elect. de ovo* ℈j. *rad. Serpentar. Virgin. ſubtiliſſ. pulver.* gr. xv. *Lapid. Bezoar. oriental.* gr. v. *cum ſ. q. Syr. e conditur. citri f. Bolus*, hora ſomni ſumendi per dies xxi. ſuperbibendo cochl. vi. ſequenti Julapii.

℞. *Aq. Card. benedict.* ʒvi. *aq. Epidemic. & Theriacal. Stillat. unc.* ii. *Syrup. Caryophyl.* ʒi. *M. f. Julap.*

Singulis matutinis capiat liquoris poſſetici ℔ß. calide, & ſudet horæ unius ſpatio.

His initis, ſi puſtulæ adhuc non evanuerint, ſequenti linimento partes affectæ inungantur.

℞. *Unguent. ex Oxylapatho unc.* ii. *Unguent. Pomati unc.* i. *flor. Sulphur.* ʒiii. *ol. Rhodii* ℈ß. f. linimentum.

Veruntamen medicamenta præſcripta haud uſurpentur niſi venæ ſectione & catharſi rite præmiſſis.

De Angina.

Angina inter ver & æſtatem ut plurimum aggreditur. Sequuntur febris inſultum dolor, & faucium inflammatio, unde a tumore uvulæ, tonſillarum & laryngis, nec deglutire queat æger, nec ſpiritum ducere.

Mittatur ſanguis e brachio copioſe. Tangantur partes inflammatæ *melle Roſaceo Sp. Vitrioli*, *vel Sp. Sulphuris ad ſummum acorem permixto*, *vel Sp. Vitriolo ſolo*. Mox gargariſma ſequens uſurpetur, non vulgare modo, ſed ita ut ſine ulla agitatione in ore contineatur, donec incaleſcat; dein expuatur, & repetatur ſubinde.

℞. *Aq. Plantag. Roſar. Rubr. & Sperm. Ranar. an.* ʒiv. *album. ovor. in aquam agitando redact. N.* iii. *Sacchar. Cryſtal.* ʒiii. *M. f. Gargariſma.*

Emulſio Refrigerans in pleuritide deſcripta in dies ſumatur.

Sequenti mane, niſi febris & dolor inter deglutiendum remiſerint, venæ ſectio repetatur, catharſi in diem poſterum rejecta, alias catharticum lenitivum exhibeatur.

Manente adhuc affectu (quod oppido rarum) repetatur adhuc venæ ſectio, & catharſis, epiſpaſticum amplum ac forte applicetur cervici poſt primam venæ ſectionem. Omni mane, niſi diebus purgationi datis enema refrigerans & emolliens injiciatur, diæta tenui utatur æger, & lecto per horas aliquot quotidie abſiſtat.

In his omnibus febribus, quas intercurrentes appello, ut etiam in illa, quæ ſtationaria eſt, caute obſervandum, quod æger a lecto abſtineat magnam diei partem, ut juſculis hordeaceis, avenaceis ac id genus aliis victitet, & cereviſiam lupulatam, & hydrogalam pro potu ordinario bibat.

De Morbillis.

Infantes plerunque impetunt. Primo die rigent horrentque, calent

calent & frigent alternatim. Secundo consummatam febrim accersunt, ægritudo vehemens, sitis inappetentia, lingua alba (non vero sicca) tussicula, capitis & oculorum gravedo, & somnolentia perpetua, acriter premunt, humor e naribus & oculis jugiter stillat (quæ lacrymæ certissimum morbillorum signum.) Huc accedunt sternutatio, tumor palpebrarum paulo ante eruptionem, vomitus, diarrhœa, cum dejectionibus colore viridi in dentibus præsertim; symptomata ingravescunt ad quartum usque diem, quo quidem die (nonnunquam quinto) in fronte & facie maculæ parvæ, rubræ, pulicum morsibus persimiles prodeunt; quæ numero & magnitudine auctæ, racematim coalescunt, faciem maculis interstringunt. Hæ maculæ e parvulis, supra cutim paulum elevatis conflantur, quarum protuberantia digito levi, vix oculorum acie deprehendi possit.

A facie, quam primo solum occupant, ad pectus ventremque, crura deinde tibiasque propagantur maculæ; in his autem partibus latæ, & rubræ, superficiem cutis non superantes conspiciuntur. Eruptione morbillorum non perinde deliniuntur symptomata ac in variolis. Vomitus post eruptionem nullus, sed tussicula & febris cum spirandi difficultate intenduntur, in oculos defluxio, somnolentia & inappetentia perseverant. Die sexto aut circiter frons, & facies aspernescunt, emorientibus pustulis, ruptaque cuticula, in reliquo corpore maculæ latissimæ sunt, & maxime rubescunt. Octavo circiter die in facie evanescunt, & vix in reliquo corpore permanent. Nono nullæ prorsus sunt, per faciem vero & artus quandoque, & totum corpus in farinam quandam, & squamulas faceſſunt, & tunc temporis febris, spirandi difficultas, & tussicula augentur. In adultis a calido regimine livescunt primo, mox nigrescunt exanthemata.

℞. *Decoct. Pectoral.* ℔ iß. *Syrup. Violar. & Cap. Ven. an.* ℥iß. *M. f. Apozema, Cap.* ℥iii. vel iv. ter vel quater in die.

℞. *Ol. Amyg. dulc. unc.* ii. *Syr. Violar. & Cap. ven. an. unc.* i. *Sacchar. Cand. albiss. q. s. M. f. Eclegma*, de quo sæpius lambat, præcipue quando tussi urget.

℞. *Aq. Ceraſor. nigr.* ℥iii. *Syr. de Mecon.* ℥i. *M. f. hauſtus* singulis noctibus sumendus, a primo morbi insultu, usque dum convaluerit æger, dosin augendo vel imminuendo pro ratione ætatis.

Æger se contineat in lecto per biduum post primam eruptionem.

Si post morbillorum discessum, febris, respirandi difficultas, & alia symptomata peripneumoniam mentientia supervenerint, sanguis liberaliter extrahendus e brachio; semel, bis, vel ter, prout opus fuerit, convenienti spatio inter singulas venæ sectiones; atque etiam continetur *decoctum Pectorale supra descriptum* ut & *Loboch*, vel *Ol. Amygd. dulc. per se.* Circa diem xii. ab invasione cathartico lenienti purgetur.

Diarrhœa, quæ morbillos excipit, venæ sectione sanatur.

De Variolis.

Distinctæ sunt, vel confluentes, & in dictis invadunt rigor & horror, calor intensus, capitis & dorsi dolor vehemens, vomituritio, in adultis ingens in sudores propensio (& hinc minime confluxuras esse licet conjicere) dolor sub scrobiculo cordis si manu prematur, stupor & somnolentia, nonnunquam & insultus epileptici (in infantibus præsertim) quibus si, dentitione peracta, corripiantur, in procinctu esse variolas possis prædicere; ita ut si forte insultum epilepticum sub vesperam patiantur, sequenti aurora in conspectum se daturæ sunt variolæ, mites ut plurimum & rarissime confluentes. Quarto inclusive ab invasione die, nonnumquam serius, raro tamen ante illum erumpunt, quo tempore, vel minuuntur symptomata, vel prorsus evanescunt. In eruptione autem subrubræ primo pustulæ tenuissimarum acicularum puncta æquantes, sparsim se produnt per faciem, collum, pectus, & corpus universum; tunc in faucibus dolor, qui cum pustulis surgentibus augetur. Circiter octavum a primo insultu diem intervalla pustularum prius alba rubere jam incipiunt, in tumorem attolli, & dolore tensivo affici; extenduntur palpebræ, & ut vesica inflata, oculos claudunt. Proxime a facie intumescunt manus, digitique distenduntur, pustulæ faciei antea leves & rubræ, jam asperæ (primum maturationis indicium) & subalbidæ apparent; succum insuper luteum, colore a flavo non abludentem evomunt, faciei & manuum inflammatio jam summa in pustularum interstitiis colorem exhibet floridum, & rosarum Damascenarum æmulum, quem quidem colorem, quo mitiores sunt variolæ, eo magis tum pustulæ tum cutis interjecta ad amussim exprimuntur. Quæ faciem occupant pustulæ, asperiores quotidie ac magis flavæ pro maturationis ratione; quæ manus & reliquum corpus minus asperæ albæque magis conspiciuntur in dies. Die undecimo faciei tumor & inflammatio recedunt, pustulæ maturæ, & justam magnitudinem (viz. pisi grandiusculi) adeptæ exarescunt deciduntque. Decimo quarto, vel quinto pereunt funditus; manuum autem pustulæ pertinaciores, albæ adhuc & recentes die uno aut altero moras trahunt, & tandem dirumpuntur; cæteræ autem, faciei nimirum & corporis desquamantur, & in facie squamulis hisce furfuraceis succedunt foveæ. Per totum morbi decursum alvus vel prorsus constipatur, vel rarissime dejicit. Maxima eorum pars, qui ex hoc morbo pereunt, octavo die in discretis, undecimo autem in confluentibus intereunt: Quippe cum in discreto hoc genere promoventur sudores tum cardiacis, tum regimine calidiore, prædicto die facies, quæ turgida & per interstitia pustulis interjecta inflammari debuerat, e contra flaccida reperitur, & albescens, pustulis nihilominus rubentibus, & elevatis, etiam post ægri mortem, sudor, qui huc usque manaverat, derepente evanescit, æger interim phrenitide corripitur, anxietate, jactatione, ægritudine vehementibus, urinam parce reddit ac frequenter, & tandem pauciſſimarum horarum spatio ad plures migrat.

In confluentibus eadem symptomata (sed atrociora) febris scilicet, anxietas, ægritudo, vomituritio, &c. immanius sæviant, licet non ita prompte, ac in discretis, in sudores dissolvitur æger. Diarrhœa nonnunquam eruptionem præcedit, & ad diem unum aut alterum post illam protrahitur, quod in discretis vix contingit. Tertio die aut citius, raro tardius, erumpunt; & quo citius, eo magis confluunt. Quandoque ad quartum vel quintum diem differtur eruptio ob atrox aliquod symptoma, v. gr. acutissimum dolorem in lumbis, nephritici æmulum, in latere pleuritici, in artubus rheumatici, in ventriculo cum ingenti ægritudine, & vomitu. Non perinde, ac in discretis, mox ab eruptione remittunt symptomata, sed & febris & alia ad multos etiam dies post eruptionem pustularum ægrum discruciant; nunc erysipelatis ritu, nunc morbillorum erumpunt, eruptionis licet tempore plane distinguantur. Crescente morbo, non in molem aliquam spectabilem attolluntur; sed in facie sibi invicem implicitæ, tanquam vesicula rubra vultum omnem contegunt, quem maturius elevant quam discretæ: postmodum ad instar pelliculæ vultui agglutinatæ cutis superficiem non admodum superant. Præterlapso die octavo, pellicula alba quotidie paulatim magis exasperatur, colore fusco: intensus magis est dolor curis, donec tandem in truculentiori morbo non nisi post diem vicesimum latioribus laminis desquamatur. Hoc interim observatu dignum, quod quanto pustulæ maturescentes propius ad calorem subfuscum vergunt, eo deteriores lentius abscedunt; quo magis autem flavescunt, eo minus confluxerint, & ocyus se propipiunt. Ubi primum deciderit pellicula, nulla scabritie vultus afficitur, at vero mox illam excipiunt squamulæ furfuraceæ, indolis perquam corrosivæ, quæ foveas relinquunt patentiores, & sæpe cicatrices. Quandoque humeri & dorsum cuticula denudantur. Morbi periculum a pustularum frequentia, & numero in facie sola, æstimandum. Pustulæ manuum, & pedum majores, & quo altius ab extremitate artuum ascenderis, eo sensim minores, & contractiores exstant. In adultis salivatio, infantibus diarrhœa (licet non ita certo) confluentium comes. Ptyalismus nunc cum eruptione se prodit, nunc biduo triduove præterito; materiam primo tenuem, die undecimo viscidiorem ægerrime, excreat. Siticulosus est æger, voce rauca, somnolentia, & stupore ingentibus corripitur, inter bibendum subinde tussit, & potus per nares revertitur. Tunc cessat ut plurimum salivatio, cui nisi faciei intumescentia (quæ licet hoc ipso die pro morbi genio aliquantisper remitti debeat, non tamen nisi post diem unum alterumve omnino recedere debet) & manuum jam insigniter incipiens, & diutius perdurans suppetias tulerint, ægro protinus moriendum est. Diarrhœa non ita mature infantes occupat ac ptyalismus adultos. In utraque variolarum specie febris ab insultu ad eruptionem dominatur, inde dat inducias ad pustularum maturationem, qua peracta, desinit. Superveniunt a malo regimine symptomata anomala, qualia sunt, pustularum flaccidiras & subsidentia, phrenitis, coma, maculæ purpureæ pustulis interspersæ, & in earum summitate maculæ nigræ exiguæ in medio subsidentes, sanguinis ictus & sputum sub initio morbi, urinæ suppressio.

Separationis tempus cum febrili ebullitione tribus, vel quatuor primis diebus transigitur. Expulsio per reliquum morbi tempus, mediantibus parvis abscessibus, in carne perficitur.

Dies, in quo maxime periclitatur æger, in confluentibus, in minime crudo, maxime vulgari genere, a primo morbi insultu, est undecimus, in crudiore adhuc, decimus quartus, & in crudissimo, decimus septimus; nonnunquam tamen, sed rarius, non ante diem vicesimum moritur æger. Quinimo per spatium illud omne, quod inter dies undecimum, & decimum septimum interjacet, appetente vespera, molestissimo inquietudinis paroxysmo, quotidie vexatur æger.

Mittatur sanguis quovis ex tribus primis diebus ab invasione ad unc. ix. vel x. postea *Vomitorium* exhibeatur *ad* ℥j. vel ℥iß. *Infusionis Croci Metallorum.*

His primis diebus diluatur sanguis frequenti potatione cerevisiæ tenuis lupulatæ, cui vitrioli spiritus immiscentur usque ad plenam pustularum eruptionem.

Cum variolæ omnes eruperint (quod ut plurimum est sexto die post invasionem) vesperi propinetur. *Syr. de Mecon.* ℥j. quæ repetatur dehinc singulis noctibus ad diem decimum post invasionem. Et nocte, si variolæ e confluentium genere fuerint, augeatur dosis ad ℥iß. quæ dein repetatur ad ℥j. mane, & ad ℥jß. sero, singulis noctibus, donec æger convalnerit.

Si syr. de mecon. minus congruat, substitui possit *Laudan. liquid.* viz. *gutt.* xviij. *pro* ℥j. *Syrupi, & gutt.* xxv. *pro unc. j*ß. Hoc interim observandum, quod si paregoricum bis in die exhibitum orgasmum compescere non valeat (quod in variolis insigniter confluentibus, sub finem harum sæpe accidit) tum octava quaque hora exhibendum, vel sæpius, si opus fuerit.

At si variolæ interdistinctæ fuerint, satis erit, ut solummodo singulis noctibus post plenam eruptionem exhibeatur paregoricum; atque etiam in minori dosi.

Qualiscumque autem generis variolæ fuerint, atque etiam qualicunque morbi tempore, si phrenitis acciderit, omnino oportet ut inordinato spirituum motui frænum injiciatur, ac proinde si prior paregorici dosis metam non attingat, atque alia assumatur, donec tumultus penitus compescatur, interposito inter singulas doses spatio aliquo, ut pernoscere valeamus, utrum dosis ultima id, quod quærimus, præstiterit, antequam nova ingeratur.

Si omnimoda urinæ suppressio acciderit, æger e lecto eximatur, & aliquantulum obambulet.

Si saliva ob calorem sit adeo viscida, ut expectorari non possit, tum gargarisma cum syringa sæpe in fauces injiciatur. Componatur *e Cerevisia tenui*, vel *aq. hord. cum Melle Rosarum*, vel sequens usurpari poterit.

℞. *Cort. Ulmi* ℥vj. *rad. Glycyrrhiz.* ℥ß. *Passul. enucleat. N.* xx. *ros. rub.* p. ii. *coq. s. q. ad* ℔iß. *in Colatur. dissolv. oxymel. simp. & mell. Rosar. an.* ℥ii. *M. f. Gargarisma.*

Si epispasticо opus fuerit, amplum satis & acre nuchæ applicetur nocte ista, quæ magnam morbi crisin præcedit, mox ab assumpto paregorico, plantis quoque pedum applicari potest allium, a die octavo, usque ad morbi finem, singulis diebus renovandum.

Si infans de symptomatibus dentitionem comitantibus jam securus, derepente spasmo corripitur, hic cogitandum est, convulsionem istam, fortassis a naturæ conatu, quæ variolas, scarlatinam febrem, aut morbillos, in corporis habitum protrudere satagit, pendere, applicetur itaque emplast. epispasticum nuchæ, lecto quam primum committatur æger, exhibeatur insuper cardiacum, cui paregorici pauxillum est admiscendum, puero nempe trienni *Laud. Liquid. gutt.* v. *in aq. Epidem. cochl.* i.

Si die undecimo, vel alio quovis post eum, febris secundaria cum inquietudine, jactatione & cæteris id genus symptomatibus, usque adeo efferatur, ut paregoricis utcunque repetitis sustlaminari nequeat; & mors quasi immineat, tum sanguis in satis magnam quantitatem illico detrahatur, nempe ad unc. xii. vel circiter, atque porro repeti possit semel, vel bis in sequentibus diebus, si symptomatum dictorum ratio idem postularit; at non alias. Catharsis etiam blanda die

decimo tertio (non antea) vel quovis alio die eum inſequente (modo venæ ſectio præceſſerit) inſtitui poſſit, nempe ex *Electuarii Lenitivi* ℥i. *diſſolut. in aq. Cichor. vel lactis Alexiter.* ℥iv. Veruntamen nec venæ ſectio, nec catharſis impediunt, quo minus paregorica in uſum veniant, quæ (haud obſtantibus iis) tam quoad largam doſin, quam repetitam exhiberi debent, ſi opus adhuc fuerit: nam ad hæc in hoc morbo ſemper confugiendum.

Quando puſtulæ perfecte exaruerint, inungatur facies linimento ex æqualibus partibus *ol. Amygd. dulc.* & *Pomat.* per biduum, at non ultra.

Die xxi. poſt invaſionem mittatur ſanguis e brachio; & ſequenti die catharſis celebranda, quæ porro alternis diebus ad tres alias vices repetatur.

Quoad regimen, a lecto abſtineat ad ſextum diem poſt invaſionem, in quo poſtea ſe contineat uſque ad xvii. non aliis ſtragulis tectus, quam quibus ſanus uti ſolebat.

Juſculis avenac. hordeac. pomis coct. & cereviſia tenui victitet, & poſt undecimum diem vini Hiſpanici cochl. iv. vel v. bis in die exhibeantur, ſi æger voluerit.

Si crurum tumor non evacuationibus præſcript. cedat, tum fotu fol. malv. verbaſc. ſambuc. lauri, cum floribus chamæmel. & melitot. in lacte coct. facile fugatur.

Si primis morbi diebus æger hæmoptoe laboret, vel urinam reddat ſanguineam, tum pulvis, & tinctura, quæ in capite de hæmoptoe præſcribuntur, ſexta quaque hora (donec ſymptomata iſta prorſus ceſſaverint) diligenter exhibeantur. Quo etiam caſu paregorica liberali manu propinanda.

De Chorea Sancti Viti.

Convulſionis ſpecies quædam eſt, pueros puellaſve a decimo ætatis anno ad pubertatem invadit, prodit ſe claudicatione, vel inſtabilitate alterutrius cruris, quod æger poſt ſe trahit ſatuorum more; manum ejuſdem lateris, vel pectori vel alii alicui parti applicitam, nequit continere in eodem ſitu horæ momento, ſed in alium ſitum & locum convulſione diſtorquebitur, quicquid æger contra nitatur. Antequam poculum ad os poſſit adducere, mille geſticulationes, circulatorum inſtar, exhibebit: Non enim recta linea ori admovet, ſed deducta a ſpaſmo manu, huc illuc aliquandiu verſat, donec tandem forte fortuna labris propius apponens liquorem derepente in os injicit, & avide haurit, dedita tanquam opera, ut ſpectantibus riſum moveret.

Sanguis ad ℥viij. plus minus, pro ætate, ex brachio educatur.

Die ſequenti, dimidia pars, vel quiddam amplius, pro ratione ætatis, potionis commun. hauriatur; & veſperi hauſtus ſequens propinetur.

℞. *Aq. Ceraſor. nigr.* ℥j. *aq. Epilept. Langii* ℥iij. *Theriac. Andromach.* ʒj. *Laudan. Liquid. gut. viii. f. hauſtus.*

Potio Cathartic. ad tres vices, alternis diebus, repetatur; & *hauſtus Paregoricus* iiſdem noctibus.

Poſtea ſanguis iterum extrahatur, & ad catharſin, uti prius, æger revertatur, & ſic ſanguis mittatur, & alvus ſubducatur ad tertiam quartamve vicem, ſpatio tamen inter alternas evacuationes obſervato, ut nihil periculi ægro immineat.

Diebus a purgatione vacuis ſequentia præſcribantur.

℞. *Conſerv. Abſinth. Roman. & flaved. Aurantior. an.* ℥j. *Conſerv. Anthos* ℥ß. *Theriac. Andromac. vet. & nuc. moſcat. condit. an.* ʒj. *Syr. e ſucc. citr. q. ſ. f. Electuar.* de quo capiat ad magnitud. nuc. moſchat. mane & hora quinta pomeridiana, ſuperbibend. vini ſequentis cochlear. v.

℞. *Rad. Pœoniæ, Enul. Campan. Imperator. & Angelic. an.* ℥j. *fol. Rut. Salv. Betonic. Chamædr. Marrub. alb. & ſummit. Cent. min. an. M. i. Baccar. Juniper.* ℥vj. *Cortic. duor. Aurantior. Incidantur & infundantur frigide in vini Canarini* ℔vj. coletur tantummodo uſus tempore.

℞. *Aq. Rut.* ℥iv. *aq. Epilept. Lang. & Bryon. comp. an.* ℥j. *Syr. Pœon.* ℥iv. *M. f. Julap.* cap. cochl. iv. ſingulis noctibus cubitum iturus, inſtillando *Sp. C. C. gut.* viii.

Applicetur plantis pedum emplaſt. e caranna.

Ob recidivæ metum pertundatur ei vena, & ad dies aliquot purgetur, ea ipſa anni ſequentis tempeſtate (vel paulo ante) qua morbus invaſit.

Veriſimile mihi videtur, quod hæc methodus curationi epilepſiæ adultorum convenire poſſit, quod tamen non adhuc expertus ſum. Cum vero Chorea S. *Viti* ætates teneras adoriri ſoleat, in epilepſia adultorum tam ſanguinis detrahendi quantitas, quam catharticorum doſis adaugeantur.

De Apoplexia.

Somnus eſt profundiſſimus, & omnimoda ſenſus & motus privatio, excepta reſpiratione, quam ægri habent difficilem cum ſtertore.

Mittatur ſanguis e brachio ad ℥xij. quamprimum, ac poſtea ex venis jugularibus ad ℥viij. deinde *Vomitorium ex* ℥iß. *vel unc. ii. Infuſ. Croc. Metal.* propinetur ſtatim,

Emplaſt. Epiſpaſtic. ſatis amplum ac forte cervici applicetur.

Dum hæc aguntur, erectus ſedeat æger in lecto, nec ſtragulis nimis obrutus.

Sp. Sal. Armoniac. optime rectificatus admoveatur naribus.

Finita vomitorii operatione, ſubinde exhibeantur cochl. iii. vel iv. ſequentis julapii.

℞. *Aq. Rutæ* ℥iv. *aq. Bryon. compoſ. & Antiepilept. Lang. an.* ℥j. *Sp. C. C. gut.* xx. *Sacchar. Cryſtall. q. ſ. f. Julap.*

Vel *Cochleare i. Sp. Lavendulæ comp.* per ſe propinari poſſit bis vel ter, durante paroxyſmo, hora dimidia vel integra interpoſita.

Cavendum eſt, ne cardiaca plus juſto calida, ac nimis frequenter (uti mos eſt) exhibeantur; nam quacumque demum ſpecifica virtute pollere videantur, plus damni quam emolumenti ægro apportant, utpote quæ humores fundere (ac proinde malum augere) apta nata ſunt: quod etiam incommodum non minus infertur ex nimia ſtragulorum congeſtione.

Paroxyſmo jam finito, ad præcavendam recidivam ſequentia exhibeantur.

℞. *Pil. Coch. mai.* ʒij. cap. tertia quaque die per 6. vices hora 4. matutina ſuperdormiendo.

℞. *Conſerv. flor. ſalv. Roriſmarin. an. unc. i. Conſerv. flaved. Aurant.* ℥vj. *nuc. Moſchat. condit. & Zinzib. condit. an. unc.* ß. *Theriac. Androm. vet.* ℥ij. *pulv. elect. diamb. diamoſch. dulc. an.* ʒj. *cum ſ. q. Syr. conditur. citr. f. opiata*, ad magnitudinem caſtaneæ mane & ſero, ſuperbibend. *aq. Epilept. Lang. Coch.* ij.

℞. *Ambr. griſ.* ʒß. *ol. deſtil. ſem. Aniſi, cinnamom. nuc. moſchat. an. gutt.* ij. *ol. Charyophil. gut.* j. *Sacchar. in aq. flor. aurantior. ſolut. unc.* iv. *f. ſ. a Tabellæ*, quarum capiat unam ad libitum.

Ab uſu potus generoſioris cujuſvis ſibi temperet, veſcatur juſculis avenaceis, hordeaceis, ut & ex pullis gallinaceis confectis, & quandoque etiam (præcipue inter purgandum) carne pullorum, agnorum ac id genus ciborum eupepton.

De Ophthalmia.

Ex oculorum inflammatione patet.

Mittatur ſanguis e brachio ad unc. x. Sequenti die ſumat potionem purgativam communem, quæ repetenda eſt per duas alias vices, duobus diebus interpoſitis; iiſdem noctibus ſumat *hauſtum paregoricum ex Syr. de Mecon. unc.* j.

Diebus a purgatione vacuis ſumat ter aut quater in die *unc.* iv. *Emulſionis ex ſem. frigid. maj. & Papav. alb.*

℞. *Aq. Plantag. Roſ. rubr. & Spermat. Ranar. an. unc.* j. *pul. Tutiæ præparat.* ʒj. *f. Collyrium*, cujus guttæ aliquot inſtillentur oculis bis in die; at non incipiendum, niſi poſt primam purgationem.

Si his remediis affectus haud cedat, repetatur venæ ſectio ſemel vel bis, (præcipue ſi ſanguis pleuriticus apparuerit) ut etiam catharſis.

Abſtineat ab uſu vini & cujuſvis liquores generoſi (ab uſu etiam ciborum coctu difficilium, & ſale conditorum,) & diebus inter purgationes bibat hydrogalam coctam.

Nota, quod ſæpe accidit, quod venæ ſectione & catharſi utcunque repetitis ophthalmia non cedit; hoc in caſu *Paregoric. ex Syr. de Mecon. unc.* j. ſingulis noctibus exhibitum, curationem ſine aliorum ſuppetiis abſolvit.

De uteri Procidentia.

℞. *Cort. Querc.* ℥ij. *Coq. in Aq. font.* ℔iv. *ad* ℔ij. *ſub finem addendo Cortic. Granator. contuſ.* ʒj. *roſ. rubr. flor. Granator. an. Mii. dein. adde vini rubr.* ℔ß. colatura ſit pro fotu, qui cum pannis laneis parti affectæ admoveatur mane horis duabus, antequam e lecto aſſurgat, & nocte poſt decubitum, donec ſymptoma penitus evanuerit.

De Paroxyſmo Nephritico.

Adſunt dolor fixus in lumborum regione, urina cruenta, arenularum aut calculi excretio, ſtupor cruris e directo renis laborantis, teſtis retractio ejus lateris, in quo eſt dolor, nauſea & vomitus. Dolor colicus nephritico haud abſimilis; licet in quibuſdam ſymptomatibus plane diſcrepet, quæ recenſita in *Capite de Colica biliosa* videas.

Si æger temperamento ſanguineo fuerit, mittatur ſanguis e brachio affecto reni reſpondenti ad ℥x. dein *liquoris poſſetici, cui Rad. Althææ* ℥ij. *incocta fuerint. Cong.* j. quam citiſſime deglutiatur, & enema ſequens injiciatur.

℞. *Rad. Althææ & Lilior. an.* ℥j. *fol. Malv. Parietar. Branc. Urſin. & flor. Chamæmel. an. M.* j. *Sem. Lini & Fœnugr. an.* ℥ß. *coq. ſ. q. aq. ad* ℔iß. *M. F. Enema.* Rejectis vomitorio & enemate, *Laudan. Liquid. ſatis magna doſis* propinetur, viz. *ad gutt.* xxv. vel *Pil. Matth. gr.* xv. *vel* xvi. In ſenibus vero, & morbo diuturno fractis, ut & vetulis vaporibus obnoxiis (præcipue ſi ſub initium paroxyſmi urinam eæ reddant nigram & ſabuloſam) venæ ſectio omittatur; & quoad reliqua, eadem quæ dicta eſt via omnino procedendum.

In Mictu ſanguineo calculo renibus impacto.

Capiat æger, ſtato quodam die, ſingulis hebdomadis, *Mannæ* ℥iiß. in ſeri lactis ℔ij. ſolut.

Conducit aliquando hauſtus cereviſiæ tenuis liberalior.

In calculo renum grandiori, dolor hebes, & obtuſus, nullatenus auctus, ſed ſatis tolerabilis perſentitur, nec paroxyſmus nephriticus comitatur.

Aquis chalybeatis æger ſe non tuto committet, niſi prius certo ſciat, calculum majorem non eſſe, quam ut per uretheres viam poſſit invenire, quod hoc tantum modo certo poteſt dignoſci, ſi nempe, jam antea, paroxyſmum aliquem nephriticum fuerit perpeſſus, cum dolore ſæviſſimo in renum alterutro, per uretherum ductus propagato, & vomitu enormi) pro comperto habeat, non tam grandiorem aliquem calculum pelvi concludi, quam lapillorum exiguorum congeriem, quorum unus ſubinde in uretherem illabitur, atque ita paroxyſmum invitat, qui fere non deſinit, niſi calculo in veſicam detruſo; cum ſic res habeat, nullum eſt magis efficax remedium, quam aquarum chalybeatarum potatio; quod ſi calculoſus, nullo unquam paroxyſmo nephritico fuerit tentatus, cum jam major ſit calculus, quam qui ex pelvi poſſit elabi, devitandæ ſunt aquæ ferreæ.

De Dyſenteria, Diarrhœa & Teneſmo.

Rigent horrentque, ſequitur deinde totius corporis color, quem brevi excipiunt ventris tormina, & hæc, dejectiones crebræ, & mucoſæ omnes (niſi quod ſtercoroſæ nonnunquam interponantur) cum ingenti cruciatu & moleſtiſſimo viſcerum omnium quaſi deſcenſu, quoties exoneratur alvus, ſanguinis interim lineamentis intertextæ, licet aliquando ne minimum ſanguinis per totum morbi decurſum admiſceatur. Progreſſu morbi ſanguis ſincerus quandoque excernitur, & gangræna inſanabili afficiuntur inteſtina. Si æger floreat, vel cardiacis incaleſcat, febricitat admodum, lingua eſt ſubalbida, quadam mucilagine denſe obſita, interdum nigra & ſicca. Proſternuntur vires, diſſipantur ſpiritus, aphtæ inſuper oris interna fauceſque obſident, præſertim ubi materiæ peccantis evacuatio a ringentibus præpoſtere impeditur, non exacto per cathartica morbi fomite. Aliquan-

quando exulante febre, agmen ducunt tormina & cætera morbi symptomata sequuntur.

In diarrhœa humores excrementitii sine sanguine aut intestinorum exulceratione excernuntur.

In tenesmo assidua est desidendi cupiditas; nihil tamen præter mucosum quoddam & subcruentum aut purulentum rejicitur.

Mittatur sanguis e brachio quamprimum, eademque nocte *Paregoricum* propinetur, & mane sequenti *Potio purgans communis*, repetenda alternis diebus ad duas alias vices, & *Paregoricum* post purgationes, quamprimum suo defunctæ sunt munere; ac diebus a purgatione vacuis idem mane & sero est exhibendum.

Post venæ sectionem & catharsin semel celebratam, per totum morbi decursum, sequens cardiacum exhibeatur.

℞. *Aq. Ceras. nigr. & fragor. an.* ℥iij. *Aq. Epidem. Scord. comp. & Cinnam. hordeat. an.* ℥j. *Margarit. præparat.* ℥ij ʒ. *Sacchar. crystal. q. s. adde Aq. Rosar. Damascen.* ℥ʒ. *ad gratum saporem, m. f. Julap.* de quo cap. conchl. iv. vel v. in languoribus, vel ad libitum.

Potus sit lac coctum cum *Aq. Triplo*, vel *Decoct. Alb.* ut.

℞. C. C. C. *& Mic. panis alb. an.* ℥ij. *coqu. in Aq. font.* ℔iij. *ad* ℔ij. *postea s. q. Sacchar. Albiss. edulcoretur.* Vel si dejectio virium postulaverit, *Aq. font.* ℔ij. *cum Vin. anarm.* ℔j. *simul coctæ*, pro potu frigide assumantur.

Cum per tres vices purgatus fuerit æger, tota curatio usui *Laudani* bis vel ter in die repetiti postea incumbit, nisi quod *Enema ex Lact. vaccin.* ℔ʒ. *& Theriac. Androm.* ℥iʒ. subinde injiciatur, quod in alvi egestionibus mire confert.

Cum alvi fluxus in diarrhœam tantum assurgat, phlebotom. & catharsi præscript. omissis, seq. bolus singulis matutinis exhibeatur.

℞. *Rhabarb. pulv.* ℥ʒ. (*plus minus pro ratione virium*) *cum s. q. Diascordii. f. Bolus, addendo Ol. Chym. cinnam. gutt.* ij.

Noctibus insequentibus *Paregoric. ex Aq. cinnam. hordeat. unc.* j. *& Laudan. Liquid. gutt.* xiv. exhibeatur.

Ubi tormina sicca sine dejectionibus excruciant, curantur diluendo sero lactis frigide propinato, & tepide injecto; ut in cholera morbo pullorum jusculo aut lacte cerevisiato.

Si hic morbus diutius excurrat, adeo ut omnis ejus vis in rectum intestinum decumbat, cum assidua desidendi cupiditate, diæta analeptica instituatur, & liquor aliquis cardiacus pro libitu ingeratur, ut restaurari possint vires, quibus redeuntibus tenesmus sponte se proripit.

In dysenteria male curata dolores aliquando ægrum ad annos aliquot discruciant; in hoc casu phlebotomia repetita pristinam sanitatem restituet.

Notandum est, quod in constitutionibus huic morbo minus saventibus omissis evacuationibus dysenteria laudano solo sanatur, quod mane & sero repetendum, donec symptomata penitus evanuerint, vel etiam ter nychthemeri spatio, si opus fuerit.

De Colica biliosa.

Intestinorum dolor atrocissimus est, per horas aliquot affligit febris in hunc morbum desinens, qui aut quasi injecta fascia constringit, aut in punctum contractus quasi terebello perforat; subinde remittitur, mox recrudescit. Sub initio non ita certo ad unum aliquod punctum determinatur, neque tam crebra vomituritio, neque alvus ita pertinaciter catharticorum vim eludit; quo autem magis augetur dolor, eo obstinatius in puncto figitur, vomituritio frequentior, & major alvi adstrictio, colica tandem in iliacam transeunte. A nephritide sic distinguitur. 1. Dolor nephriticus fixus in rene est, & ab eo ad testem exporrigitur secundum longitudinem ureteris. Colicus vero vagus est, & cinguli instar medium ventrem affligit. 2. A pastu colicus dolor augetur: nephriticus potius imminuitur. 3. In colico dolore, ab excretione per alvum & per vomitum majus levamen emergit, quam in nephritico. 4. In dolore nephritico urina primum clara & tenuis, postea aliquid subsidit, & tandem arenulæ aut lapilli excernuntur: In colica urinæ ab initio crassiores existunt.

Sanguis e brachio paulo liberalius educatur, & post horas iii. vel iv. *Anodyn.* exhibeatur. Postero die *Cathartic. Lenitiv.* & interposito die uno, ad tertiam vicem propinetur.

At si malum hoc fructibus horariis, vel aliis cibis avide ingestis originem debeat, tum ventriculus ante omnia lacte cerevisiato affatim hausto eluendus est; quo exantlato anodynum propinandum est; sequenti autem die vena secanda est, & in ordine præscripto procedendum.

Ubi hic morbus minus perite tractatus diutissime fatigavetit, & ægrum pene confecerit, liberalior sive aquæ epidem. sive mirab. sive alius cujuscunque, qua sanus maxime delectabatur, usus, ægrum hoc tempore ultra spem omnem juvit.

De Cholera morbo.

Intra Augusti limites se continens, vix in priores Septembris hebdomadas evagatur. A crapula & ingluvie excitatus similis effectus, nullo temporis discrimine insurgit, qui licet eodem curetur modo, alterius tamen est subsellii. Adsunt vomitus enormes, ac pravorum humorum cum maxima difficultate & angustia per alvum dejectio; ventris ac intestinorum dolor vehemens, inflatio & distentio; cardialgia, sitis, pulsus celer ac frequens, parvus & inæqualis, æstus & anxietas, nausea molestissima, sudor, crurum & brachiorum contractura, animi deliquium, partium extremarum frigiditas, & similia, quæ ægrum in 24. horarum spatio interimunt.

Pullus tenerior in tribus circiter aquæ font. congiis elixetur, ut carnis saporem vix perceptibilem liquor referat, hujus decocti vel (defectu ejus) liquoris possetici capaciores aliquot cyathos æger tepide exhauriat; & eodem tempore ex eodem liquore *Enemata* successive repetenda. Haustibus & clysteribus *Syr. Lactuc. Violar. Portulac. Nymph. eorumve* alicujus, uncia subinde admisceri poterit.

Exantlato hoc eluvionis penso (quod iii. vel iv. horas sibi vendicat) *Paregoricum* curationi coronidem imponit.

Si non accesserit Medicus, nisi postquam æger vomitu & dejectionibus per multas horas continuatis fuerit exhaustus & jam frigescant membrorum extrema, tum ad *Laudanum liquidum* confugiendum est in paulo majori dosi (viz. *Laudan. liquid. gutt.* xxv. *in Aq. cinnam. fort. unc.* 1.) & cum cessaverint symptomata, nihilominus mane & sero quotidie est repetendum; at in minori dosi, donec pristinas vires receperit.

Est species quædam choleræ morbi infantibus valde familiaris, ac sæpenumero funesta, ex dentitione vel crapula originem ducens.

Horum ætas tenella minime fert, ut dilnatur ventriculus larga liquorum potatione, multo minus, ut catharticis tumultus major in humoribus excitetur; sed curationem *Laudano* solo aggredi oportet; quamobrem *gut.* ii. iii. vel iv. vel *plures*, pro ratione ætatis, cochlear. j. cerevisiæ tenuis vel aquæ cujusvis appropriatæ instillatæ exhibeantur, repetanturque, ut opus fuerit.

De Colica Pictonum.

Est species quædam colicæ, quæ degenerare solet in paralysin, & motus omnimodam manuum ac pedum depravationem; quam hoc nomine *Riverius* in capite de paralysi indigitat, & apud insulas Caribum notissima est, utpote quæ magnam vim hominum infestat.

Hunc dolorem atrocissimum sanat *Balsam. Peru.* frequenter ac in magna dosi exhibitum, nempe si *ejus gut.* xx. xxx. vel xl. *Sacchar. Albiss. cochl.* i. *instillentur*, & bis vel ter in die detur: at paralysis huic remedio haud cedit.

De Iliaca passione.

Peristalticus intestinorum motus invertitur, propinata cathartica & injecta enemata in emetica statim transeunt, alvi fæces per vomitum rejiciuntur.

Mittatur sanguis e brachio dextro ad unc. ix. vel x. post aliquot horas exhibeatur sequens pulvis.

℞. *Resin. Scammon. vel* (*defectu ejus*) *Resin. Julap.* gr. xii. *Calomelan. Turquet.* ℈j. *m. f. Pulvis*; cap. e cochl. i. lactis vaccini, superbibendo ejusdem lactis cochl. i. vel alterum, vel si forma pilularum magis arrideat.

℞. *Pil. ex duob.* ℥ʒ. *Calomel. Turquet.* ℈j. *cum s. q. Balsam. Peruv. f. Pil.* iv. sumend. e cochl. i. syr. violarum.

Sin autem æger hoc remedium per os rejecerit, *Laudan. Liquid. gutt.* xxv. *Aq. Cinnamom. fort.* ℥ʒ. instillatæ statim propinentur; cum vero horum usu vomituritio, ac ventris dolores remiserint, catharticum dictum iterum exhibeatur, verum si anodynorum virtute ac vi jam penitus infractis vomituritio ac dolor iterum redierint, cathartico interim in corpore restitante, ad usum paregorici supra descripti revertendum, idemque eo usque repetendum quarta vel sexta quaque hora, donec intestinis quies omnino inducatur, quo quidem tempore catharticum operationem suam per sedes exeret.

Nec sane abs re fuerit elapsa una, aut altera, post venæ sectionem hora, clysterem aliquem, ex iis qui potentius operantur, injicere, fumum scilicet nicotianæ, ex tubulo inverso, per vesicam majusculam, in intestina validissime insufflatum, quæ quidem operatio post aliquot horas reiterari debet, nisi citius meatus deorsum pateat.

Finita operatione cathartici, sumat sequentem haustum.

℞. *Aq. Cinnam. fort. unc.* i. *Laudan. liquid. gutt.* xxv. *m. f. Haustus*, qui porro repetendus est bis, ter, vel sæpius in die, donec vomituritio, & dolor penitus cessaverint, atque etiam, istis symptomatibus cessantibus, nihilominus ad curationem confirmandam per aliquot adhuc noctes capiat idem paregoricum in minori dosi cubitum iturus.

De Fluxu Mensium immodico.

Menstruorum fluxus, naturaliter constitutus, capacitatem testæ ovi anserini implet. Patet autem immodicus ex difficili tolerantia, virium lapsu, inappetentia, cachexia, colore cadaveroso, & pedum intumescentia.

Mittatur sanguis e brachio ad unc. viii. sequenti mane sumatur *potio purgativa communis*, repetaturque alternis diebus ad duas alias vices; & noctibus post purgationem *Paregoric. e Syr. de Mecon.* exhibeatur.

Diebus a purgatione vacuis sumat sequentia.

℞. *Conserv. Rosar. sicc.* ℥ij. *Trochisc. de terra Lemnia* ℥iʒ. *Cort. Granator. Corall. rub. præparat. & boli Armen. an.* ℈ij. *lapid. hæmatit. Sanguin. Dracon. an.* ℈j. *cum s. q. Syr. Cydonior. f. Elect.* de quo sumat ad magnitudinem nucis moschat. maj. mane & hora quinta pomeridiana, superbibendo sequentis julapii cochl. vi.

℞. *Aq. Germin. Querc. & plantag. an.* ℥iij. *Aq. Cinnamom. hordeat. & Syr. de Rosis siccis an.* ℥i. *Sp. Vitriol. q. s.* ad gratam aciditatem.

℞. *Fol. Plantag. & Urtic. an. q. s. Contundantur simul, & succus exprimatur, & postea clarificetur*, de quo cap. cochl. iv. vel v. sæpiuscule ad libitum.

Post primam purgationem applicetur emplast. seq. regioni lumborum.

℞. *Emplast. de Minio & ad Herniam an. part. æq. extendantur super alutam, f. Emplastrum* regioni lumborum admovendum.

De Colica hysterica.

Est species quædam, seu potius insigne ac valde usitatum affectionis hystericæ symproma, cui comitem se adjungit dolor circa scrobiculum cordis atrocissimus, uti etiam humorum viridi colore per vomitionem ejectio.

Primo, quo saburra vitiosorum humorum in ventriculo contentorum minus impediat paregorici efficaciam, satis magna quantitas *liquoris possetici* affatim ingurgitetur, atque iterum per vomitionem rejiciatur, nempe *ejusdem liquoris Cong.* iß. quo peracto *Laudan. liquid. gutt.* xxv. *in Aq. cinnam. fort. Aq. Epidem. vel alius vehiculi unc. i.* propinentur.

In usu paregorici hoc notandum, quod eo usque repetendum est, donec symptomata omnia penitus cessaverint, debitum interea tempus interjiciendo, ut judicare valeamus, quid prior dosis effecit, antequam novam ingeramus.

Si sanguineo temperamento præditus sit æger, vel si antea hoc sym-

ſymptomate haud multum infeſtatus fuerit ac viribus fructus, hoc in caſu ſanguis primum a brachio detrahendus antequam vomitorium præſcriptum propinetur.

Hac ipſa methodo clavus hyſtericus curatur. Sin vero colica hyſterica diuturnior fuerit per patoxyſmos affligens: tum in eorum intervallis, ſive extra paroxyſmum, ſeq. uſurpentur.

℞. *Zedoar. ſubtiliſſ. pulv.* ℥j. *cum ſ. q. Syr. e conditur. citri, f. Bolus*, ſumendus mane & ſero per xxx. dies, ſuperbibendo ſequentem infuſionem.

℞. *Zedoar. inciſ. minutim unc.* ß. *vini Canar. unc.* iv. *infundantur frigide per* xij. *horas; deinde colentur pro uſu*, vel *Balſam. Peruv.* ut in colica pictonum, uſurpentur.

Quæ de colica hyſterica hic dicuntur, de colica etiam hypochondriaca dicta ſunt; ut & hoc dilihenter advertendum.

Utriuſque affectus natura ſibi vindicare videtur, ut alia atque alia tententur, donec tandem ad illud remedium perventum fuerit, cui quaſi genuine morbus cedit, tametſi ut plurimum chalybs in primis confert.

Colica hyſterica tam in hypochondriacis, quam hyſtericis ſæpiſſime in icterum deſinit, qui ſenſim ſponte ſua faceſſit; ſin autem longas moras nectat, exhibeatur apozema ſequens.

℞. *Rad. Rub. Tinctor. curcum. an. unc. i. chelidon. maj. cum toto & ſummitat. centaur. an. M. j. coq. in æqualib. partibus Vini Rhenani & Aq. fontan. ad* ℔ij. *colatur. diſſolv. Syr. de* 5. *radicibus unc. ij. m. f. Apozema*, de quo capiat ℔ß. calide mane & ſero, uſque dum convaluerit.

De Ictero, colica neutiquam pregreſſa.

Color flavus in toto corpore, præſertim in oculorum albis eſt conſpicuus, quo quidem colore objecta omnia apparent afflictis, tincta, corporis pruritus, ſegnities, & laſſitudo, linguæ amaror, vomitus bilioſus interdum, ſingultus, egeſtio alba, urina crocea & pannum immerſum eodem colore inficiens, morbum indigitant.

Exhibeatur *potio purgativa communis*, dein aggrediatur uſum ſequentium; & durante eorumdem uſu, catharticum præſcriptum quarto quoque die exhibeatur.

℞. *Conſerv. Abſinth. Rom. conſerv. flaved. Aurant. an. unc. i. Angelic. condit. nuc. moſchat. condit. pulv. Ari compoſ. & chalyb. cum aceto præparat. an. unc.* ß. *Extract. Gentian. & cremor. Tartar. an.* ℥ij. *croc. Anglic. pulv.* ℥ß. *f. q. Syrup. de* 5. *radicibus f. Electuarium*, de quo cap. ad magnitud. nuc. moſchat. mane & hora quinta pomeridiana (vel vice electuarii ſumat pilulas chalybeatas) ſuperbibendo poſt matutinam doſin *aquarum mineralium purgantium* ℔iv. & poſt pomeridianam doſin *Apozemat. in colica hyſterica deſcript. lib.* ß.

At ſi ſigna hydropis adfuerint, tam mane, quam ſero apozema ſuperbibat.

Si vel his diu continuatis morbus adhuc perſtiterit, ad *aquas ferreas* eundum eſt, quæ ex ipſo fonte ſunt bibendæ.

Ad præcavendum abortum.

Eadem præſcribenda, ac in fluxu menſium immodico, omiſſis ſolummodo catharſi & ſuccis.

De immodico Lochiorum fluxu.

Fluxum lochiorum naturalem tria conſtituunt, ſanguis ſcilicet purus, copioſus, per triduum primum fluens; dehinc ſanguis aquoſus, loturæ carnium craſſiori ſimilis per quatriduum præter propter durans, hinc poſtmodum materia viſcoſa & mucilaginoſa, pauco aut nullo ſanguine permiſta, per quinque aut ſeptem dies prodiens, & & ſic porro ad menſis finem.

Fluxus autem eorum immodicus dijudicandus eſt ex virium defectione, animi deliquio, ſanguine grumoſo effluente, cibi faſtidio, dolore in hypochondriis, ventris tenſione, pulſu debili & frequenti, viſus obtenebratione, aurium tinnitu, & convulſionibus.

Victus incraſſans inſtituatur, & potus ſequens addatur.

℞. *Aq. Plantag. vin. rubr. an. lib. i. coq. ſimul ad tertias, & deinde edulcoretur ſ. q. ſacchar. albiſſ.* cujus, cum frigeſcat, cap. *lib.* ß. bis vel ter in die.

Interim julap. aliquod hyſtericum (at ſatis mite (ſubinde propinetur, & nodulus ſequens naribus applicetur.

℞. *Galban. Aſſæ fœtid. an.* ℥ij. *caſtor. ſal. ſuccin. volatil. an.* ℥ß. *m. f. nodulus*, vel

℞. *Sp. ſalis Ammoniaci* ℥ij. quem ſæpe olfaciat.

De ſuppreſſione Lochiorum.

Intumeſcit venter, dolor gravativus imum ventrem, lumbos & inguina occupat, facies rubeſcit, difficilis eſt reſpiratio, perturbantur oculi, rigores, febres acutæ adſunt, animi deliquia, ſudores frigidi, pulſationis & ardoris ſenſus in utero, paralyſis in partibus inferioribus, ut & interdum epilepſia.

E veſtigio lecto addicatur, & *Emplaſt. hyſtericum* umbilico admoveatur quamprimum, elect. ſeq. adhibeatur.

℞. *Conſerv. Abſinth. Rom. Rut. an. unc. i. Trochiſc. e Myrrh.* ℥ij. *Caſtor. croc. Anglic. ſal. volatil. ſal. Armoniac. & Aſſæ fœtid. an.* ℥ß. *cum ſ. q. Syr. e* 5. *radicib. f. Elect.* cap. ad magnitud. nuc. moſchat. quarta quaque hora, ſuperbibendo de julap. cochl. 4. vel 5.

℞. *Aq. Rutæ unc.* iv. *Bryon. compoſ. unc. jj. Sacchar. cand. q. ſ. f. Julap.* vel ſumat *Trochiſc. de Myrrh.* ℈j. quarta quaque hora.

Si tota prædictorum quantitas conſumatur, & lochia adhuc ſupprimantur, *Laudanum* unica ſaltem vice exhibendum ut *Laudan. liquid. gutt. xiv. in Aq. Bryon. compoſ. vel Laudan. ſolid. gr.* iß. *cum Aſſæ fœtid.* ℈ß. *in pilulas duas redactum.*

Si hæc nihil proficiant, tum enema ex lacte ſaccharato, unica ſaltem vice injiciatur.

De Hydrope.

Foveæ a digitorum impreſſione in ſuarum parte inferiori ſub noctem conſpicuæ mane evaneſcentes, hoc malum primum indicant, maxime ſi ſpiritus interim ægrius ducatur (haud raro tamen fœminæ prægnantes, & quibus catamenia ſiſtuntur; ut & viri ab aſthmate inveterato derepente liberati eodem tumore tentantur) pedibus cruriſque ad extremum extenſis, in abdomen ruunt aquæ, & ad ultimum capacitatis ſuæ limen paulatim diſtendunt, donec tandem in viſcera nobiliora impetu ab iis facto æger ſubmergitur. Pro rata qua partes a morbo obſeſſæ mole augentur, aliæ magis magiſque gracileſcunt, urgentibus dyſpnœa, urinæ paucitate, & ſiti intenſa. Viros ingraveſcente ætate; fœminas, ubi jam parere deſierint, utplurimum adoritur.

Indicationes curativæ dirigendæ ſunt primo ad aquarum evacuationem, deinde ad inſtaurandum ſanguinis robur; quo novus aquarum proventus præcaveri poſſit.

℞. *Vini albi* ℥iv. *Julap. ſubtiliſſ. pulv.* ℥j. *zinzib. pulv.* ℈ ß. *Syr. de Spin. Cervin. unc. i. M. f. Potio*, ſumendaque ſingulis vel alternis diebus, pro ratione virium donec partes affectæ detumuerint, vel

℞. *Tamarind. unc.* ß. *fol. Senn.* ℥ii. *Rhei* ℈ ß. *Coq. ſ. q. aq. ad unc.* iii. *in Colatur. diſſolv. Mannæ & Syr. Roſ. ſolut. an. unc.* i. *Syr. de Spin. cervin. unc.* ß. *Elect. e ſucc. Roſar.* ℥iii. *M. f. Potio*, ſumenda ut ſupra, vel

℞. Pil. *ex duob.* ℈i. *Elater. gr.* iii. Ol. *Chym. Caryophyl. gutt.* ii. *f. Pil. N.* iii. cap. ſummo mane, repetanturque, ut opus fuerit, vel

℞. *Gambugii gr. xv. vin. alb. & aq. Cichor. an. unc.* ß. *M. f. Potio* ſumenda ut ſupra, vel

℞. *Cortic. interior. Samb. & lact. & aq. partibus æqual. e ligno deraſi M.* iii. *coq. in aq. miſtorum* ℔ii. *ad* ℔i. colaturæ capiat dimidiam partem mane, & alteram ſero quotidie, donec convaleſcat. At hoc remedium, niſi in corporibus, quæ facillime purgativis cedunt, nihil confert.

Circa uſum catharticorum in hoc morbo hæc tria advertenda ſunt.

Primo, utrum ægri corpus facile, an vero difficulter catharticis cedere ſoleat, cum iis qui facile purgantur *Syr. de Spin. Cervin. ſolus ad unc.* i. exhibitus, aquas ſat copioſe eliciat; in illis vero, qui difficulter purgantur, cathartica ſupra deſcripta, utut valida, vix ſcopum attingant.

Secundo, cathartica omnia, quæ ſegnius operantur, magis officiunt quam proſunt; quamobrem purgatio paulo fortior & nimia, juſto debiliori eſt præferenda.

Tertio, aquæ ea maxima celeritate exhauriri debent, quam ægri vires ferre queant: ne nimis longa inter purgationes intervalla adhibendo, aq. denuo affatim colligantur.

Eſt autem ubi medicamenta omnia, qualiſcunque demum generis, quæ alvum movent, prorſus omitti poſſint ac debeant; quoties enim æger conſtitutione eſt infirmiori, vel fœmina vaporibus obnoxia, aquarum evacuatio diureticis ſolum committenda, inter quæ ea ſunt efficaciſſima, quæ ex ſalibus lixivialibus fiunt; ut,

℞. *Cinerum Geniſtæ* ℔j. *infundantur frigidæ in vini Renan.* ℔iv. *liquoris per filtrationem colati unc.* iii. mane quinta pomeridiana & ſero ſingulis diebus exhibeantur, uſque dum humor evanuerit.

Aquis jam penitus evacuatis calefacientia & corroborantia medicamenta uſurpanda; ut,

℞. *Rad. Raphan. Ruſtican. fol. Cochl. hortenſ. abſinth. vulgar. Salv. ſummitat. centaur. min. & Geniſtæ; infundantur in cereviſia forti* pro potu ordinario, qui potus incipienti hydropi aliquando ſine catharticis ſubvenit, vel ſequent. utatur.

℞. *Conſerv. Cochl. hortenſ. abſinth. Roman. an. unc.* i. *Extract. Gentian. Abſint. vulgar. & Centaur. min. an.* ℥iii. *cum ſ. q. Syr. e cortric. citr. f. Electuarium*, de quo ſumat ad quantitatem nuc. moſchat. maj. mane, quinta pomeridiana, & veſperi, ſuperbibend. *unc.* iv. ſequentis.

℞. *Rad. Gentian. unc.* i. *ſumitat. Geniſt. Centaur. min. & Abſinth. vulgar. an. M. j. Sem. fœnicul. & Petroſelini an.* ℥ii. *inciſis minutim affunde vini Rhenani* ℔iv. *ſtent ſimul in infuſione frigida*, & coletur ſolummodo tempore uſus.

Notandum, cum ad corroborantium uſum deventum fuerit, ægrum nullo modo eſſe purgandum, tantiſper dum ſanguinis corroborationi navetur opera.

Quod & per ſe ſalium lixivialium uſum omnino obſervandum; quo quidem tempore pariter corroborare convenit.

℞. *Rad. Raphan. Ruſtican. unc.* iii. *fol. Cochl. Hortenſ. Abſinth. vulg. ſalviæ, ſummitat. Centaur. & Geniſtæ, an. M.* iii. *Aurant. inciſ. N.* iii. *Infundantur in Congiis vj. Cereviſiæ fortis non lapulatæ, inter fermentandum;* ſit pro potu ordinario.

De Gonorrhœa virulenta.

Corripiunt dolor genitalium inſolitus, & rotatio teſticulorum, in non recutitis macula morbilli æmula glandem occupat, ſtatim a cujus exortu liquor, ſeminis inſtar, exſtillat, qui quotidie a ſeminis colore & conſiſtentia recedens flaveſcit tandem dilutius ovi vitello; in lue virulentiore vireſcit, & aqueo humori permiſcetur ſanguine tincto. Puſtula dicta ulcus fit, aphthis infantum ſimile, indies latius & profundius depaſcens, ſuperveniente orificii callo. *Verpi non glandis ulcere, ſola Gonorrhœa tentantur.* Mox magnus dolor in pene, quoties erigitur, quaſi manu tranſverſus fortiter conſtringeretur, noctu præcipue urget, dum æger lecto incaleſcit. Curvatur penis a fræno contracto. Accedit ardor urinæ, inter mingendum vix perceptibilis: ſed mictu finito, per urethræ ductum acriter urens, maxime qua in glandem deſinit. Carunculæ lotii exitum quandoque impediunt, & ſcroti dolor ac inflammatio nonnunquam ſuperveniunt.

℞. *Maſſ. Pil. Coch. maj.* ℥iii. *Extract. Rud.* ℥j. *Reſin. Jalap. & Diagryd. an.* ℥ß. *cum ſ. q. Opobalſam. f. Pilul. e ſingulis drachmis* vi. Cap. iv. ſingulis auroris, donec urinæ ardor & color flavus materiæ ſeminiformis, admodum imminuantur. Poſtea alternis diebus ad ſeptimanas adhuc duas; ac ſub finem bis in ſeptimana, donec humor ſtillare prorſus ceſſaverit.

In iis, qui difficulter purgantur, ſubinde intercalari poſſit potio communis purgativa, cui addantur *Syr. e Spin. Cervin. & Elect. e Succ. Roſar. an.* ℥ii. vel, curatione minus feliciter ſuccedente *Turbith. Minerale ad gr.* viii. exhiberi poteſt bis vel ter, diebus quatuor interpoſitis, vel vice *Turbith. Mineral.*

℞. *Pil.*

℞. *Pil. ex duob.* ℥ß. *Merc. dulc.* ℈j. *cum ſ. Opobalſam. f. Pil. iv.* ſummo mane ſumendæ.

Si æger a dicta catharſi abhorreat, poſt pilulas primo deſcriptas, tribus auroris continuis ſumptas, tum mane & hora quinta pomeridiana quotidie injiciatur clyſter ſequens, niſi quod ſemel aut bis in hebdomade, omiſſo clyſtere, cathartic. imperandum.

℞. *Elect. e ſucc. Roſar.* ℥vi. *Terebinth. Venet. Vitello ovi ſolut.* ℥ß. *diſſolvantur in Aq. hord.* ℔i. *Colatur. adde Syrup. Violar. unc. ii. M. f. Clyſter.*

Singulis noctibus cap. *Opobalſam. vel Balſam. e Mech. gutt. xxv. Sacch. fruſtulo exceptas.* Hujus defectu *Terebinth. Cypr.* ad quantitatem avellanæ ſubſtitui poſſit.

Sit pro potu hydrogala; at cereviſia tenuis in paſtubus.

Vel ſequentem methodum aggrediatur.

℞. *Pil. ex duobus* ℥ß. *Opobalſam. gutt. iii. f. Pil. N. iii.* cap. hora quarta matutina, ſuperdormiendo, repetanturque alternis diebus, vel tertia quaque die. Diebus a purgatione vacuis injiciatur mane & hora quinta pomeridiana clyſter ſupra deſcriptus.

Procedente curatione (quacunque ea demum methodo tentetur) ſanguis ſub medium curationis ſemel vel bis mittatur, & diæta refrigerans & incraſſans præſcribatur, & medicamenta iiſdem virtutibus pollentia, qualia ſunt *hydrogala, Emulſiones ex ſeminib. frig. &c.*

Si penis tumore afficiatur.

℞. *Rad. Altheæ, Lilior. an. unc. i* ß. *fol. Malv. Ver baſc. Sambuc. Hyoſcyam. flor. Chamæmil. Melilot. an. M. i. ſem. Lini, Fœnugræc. an. unc.* ß. *coq. ſ. q. Aq. font. & f. fotus* parti affectæ admovendus per horæ unius ſpatium bis, vel ter in die.

Peracta fomentatione, perungatur pars affecta ol. ſem. lin. rec. extract. dein *Emplaſt. e mucilaginibus alutæ agninæ inductum* labiis præputii tumidis circumponatur.

Si ulcus in præputii labiis, vel in ſubjecta glande hæreat, tum ſequens linimentum præſcribatur.

℞. *Unguent. Baſilic.* ℥vi. *Unguent. Nicotian.* ℥ii. *præcipitat. Aq. Roſar. loti & optime levigat.* ℥ß. *M. f. linimentum*, quo lintei raſura imbuatur, & ulcuſculo admoveatur ſemper poſt fotus præſcripti uſum.

Si ſcrotum tumore afficiatur, ſtatim ſanguis e brachio extrahatur, atque bis in die fotus præſcriptus parti affectæ admoveatur, ſingul. fotubus addendo *Sp. vin. Gallic. Cochl.* j. *vel alterum, vel Cataplaſma ex Oxycrato & farina fabarum* ejus loco applicandum.

Catharticis interim & refrigerantibus modo deſcriptis introſumptis utendum eſt.

De *Lue venerea.*

Ubi aut Gonorrhœæ a mora, aut indebito aſtringentium uſu labes ſanguini imprimitur, exoritur lues. Comparent in inguine bubones, in capite dolores, & artubus, articulorum interſtitiis, noctu præcipue invadentes in lecto calidos; cruſtulæ & porrigines in variis corporis partibus, quæ ad inſtar favi flaveſcunt. Quo magis ſcabies diffunditur, tanto minus æger diſcruciatur. In cranio, tibiis brachiiſque exoſtoſes, oſſium inflammatio & caries; ulcera phagædenica in variis partibus, ſed fauces ut plurimum primo aggredientia, quæ ſenſim per palatum in naſi cartilaginem propagata, mox eam abſumunt, ita ut fulcro deſtitutus naſus plane concidat. Ulceribus, carie, & dolore in dies exacerbatis, pereunt per vices membra, lacerum donec cadaver, & jam ſuperis grave humo condatur.

℞. *Axung. Porc. unc. ii. Mercur. crud. unc. j. M. f. Linimentum*, in tres æquales partes dividendum, quarum una brachia, crura & tibias ad tres noctes continuas manibus ſuis æger perungat.

Sin intra tres dies poſt ultimam inunctionem ſalivatio haud procedat, tum *gr.* viii. *Turbith. Mineral. in conſerv. Roſar. rubr. exhibeantur, aut corporibus minus robuſtis Mercur. dulc.* ℈j. Sed ſi ſalivatio jam incœpta prius elangueſcat, quam ſymptomata penitus diſparuerint, exſtimulanda ſubinde eſt eadem doſi mercur. dulc.

Ptyaliſmus ita moderari debet, ut lib. iv. nicthemeri ſpatio expuat, aut circiter.

Si juſto altius exurgat ptyaliſmus, cum inflammatione nimia, atque id genus ſymptomatibus ingruentibus, aliquantulum reprimendus eſt medicamentis catharticis, donec debitum gradum attingat.

Quamprimum ſymptomata ceſſaverint, ſtatim immutentur induſium & tori lintea; at ſint ea, quæ prius uſurpata fuerint.

Si diarrhœa ſupervenerit (quod plerunque accidit antequam ſalivatio bene aſſurgat) tunc ſiſtenda eſt uſu laudani liquid. ita doſin augendo, ut debitum opus abſolvat.

Si os exulceretur, *Aq. Roſ. Damaſcen. vel lacte Aq. permiſto*, vel ſeq. decoct. item colluatur.

℞. *Rad. Alth. Hord. mundat. an. unc. i. fem. Cydonior. unc.* ß. *coq. ſ. q. aq. ad lib. ii. M. f. Gargariſma*, quo ſæpius utatur.

Diæta & reliquum ægri regimen, eadem ac in catharſi imperanda, niſi quod primis aliquot diebus liquore poſſetico, juſculis avenac. hordeac. ac cereviſia tenui tepefacta nutriatur.

His omnibus rite peractis (etiamſi ſymptomata omnia evanuerint, ac ſubinde morbus penitus profligari videatur) quo minus recidivam poſtliminio patiatur, ægro ſeniel in ſeptimana per 4. vel 6. vices, *Merc. dulc.* ℈j. exhibendus, utcunque bene ſe habeat, & etiamſi jam domo egrediatur.

De *Fluore albo.*

Quod effluit, modo album, modo pallidum, flavum, viride aut ſubnigrum, modo acre & erodens, tetrum quandoque & graveolens, decoloratur facies, dolet ſpina dorſi, proſternitur appetentia, oculi pedeſque intumeſcunt.

Mittatur ſanguis e brachio ad *unc. viii.*

℞. *Pil. Coch. mai.* ℈ij. *Caſtor. gr.* ij. *Balſam. Peruv. gutt. iii. f. Pil. N.* iv. cap. hora quarta matutina, ſuperdormiendo; repetanturque per duas alias vices interponendo diem unum vel alterum pro ratione virium.

℞. *Aq. Rut. unc. iv. Aq. Bryon. comp. unc. ii. Sacchar. Cryſtal. q. ſ. f. Julapium*; cap. cochl. iii. vel iv. in omni languore; deinde aggrediatur uſum ſequentium.

℞. *Theriac. Andromac.* ℥iß. *Conſerv. flaved. Aurant. unc. i. Diaſcord. unc.* ß. *Zinzib. condit. & nuc. moſchat. condit. an.* ℥iii. *Pulv. e Chel. cancr. comp.* ℥iß. *cort. exterior. granat. Rad. Angeli Hiſpan. corall. rubr. præparat. & trochiſc. de terra Lemnia an.* ℥i. *Boli Armen.* ℈ij. *Gumm. Arabic.* ℥ß. *cum ſ. q. Syrup. de Roſis ſiccis f. Electuar.* de quo ſumat ad magnitud. nuc. moſchat. maj. mane, hora quinta pomeridiana, & nocte per menſem integrum, ſuperbibendo ſequent. infuſionis cochl. vi.

℞. *Rad. Enul. campan. Imperator. Angelic. Calami Aromat. an.* ℥ß *fol. Abſynth. Roman. Marrub. alb. Centaur. min. Calamenth. vulgar. Salv. ſic an. M. i. Bac. Junip. unc. i. incidantur minutim & infundantur in Vini Canarini* ℔iv. *ſtent ſimul in infuſione frigida*, coletur tantummodo tempore uſus.

Veſcatur cibis eupeptis, & abſtineat ab uſu olerum & fructuum qualiumcunque, & ſingulis paſtibus bibat vinum hiſpanicum.

De *Diabete.*

Succi ſanguini illati per vias urinarias crudi & inconcocti exitum ſibi quærunt, unde ſenſim labefactantur vires, colliqueſcit corpus, & quaſi ſubſtantia ejus per hanc cloacam exinanitur, cum ſiti, ardore viſcerum, lumborum, coxarumque intumeſcentia, & ſalivæ ſpumoſæ expuitione crebra.

Eadem præſcribenda ſunt, quæ in fluore albo, omiſſis ſolummodo venæ ſectione & catharſi.

De *Dolore Hæmorrhoidum.*

Intenſiſſimus inter excernendum dolor excruciat, & excrementi ſuperficies cruore conſpergitur: Nonnunquam tumores verrucis ſimiles in ſphincture deliteſcunt, vel in margine ani apparent.

Mittatur ſanguis e brachio dextero ad *unc.* x.

℞. *Sem. Melon. Pepon. an. unc.* ß. *ſem. papav. alb.* ℥ii. *Amyg dulc. excoriat. N. v. contundantur in mortario marmoreo, ſenſim affundend. Aq. Hord.* ℔i ß. *Aq. Roſar.* ℥ii. *Sacchar. albiſſ. q. ſ. f. ſa.* emulſio; cap. *unc. iii.* ſæpiuſcule.

℞. *Flor. Sulphuris Pulv. Glycyrrhiz. Salviæ an.* ℥i. *cum ſ. q. Balſam. Lucatel. f. Pil. e ſing.* drachm. vi. cap. iii. ter in die, ſuperbibendo emulſ. præſcript. cochl. vi.

℞. *Aq. Spermat. Ranar. unc. iv. in qua diſſolv. Lithargyr.* ℥ii. *Opii.* ℈i. *f. mixtur.* cujus tantillo linteum madefactum parti affectæ applicetur, vel ſi tumor intus lateat, cochl. iii. ejuſdem mixturæ modo clyſteris injiciantur.

Pro potu ordinario bibat aquam cum lacte coctam, vel aquam hordei, & a carnis uſu abſtineat. Singulis noctibus ſumat diaſcordium.

De *fluxu Hæmorrhoidum immodico.*

Innoteſcit ex viribus proſtratis copia & diuturnitate ſanguinis excreti, fœdo corporis colore, ad citrinum (ut in ictero) vergente. ſuccedit cachexia, & deinde hydrops.

Eadem conferunt, quæ in fluxu menſium immodico, omiſſa ſolummodo catharſi.

De *Epilepſia Puerorum.*

Vel primo menſe aggreditur a frequentibus nimis alvi dejectionibus; (quo in caſu *Diaſcordium ad quantitatem grani piperis in Aq. Saxifrag. aut lacte materno ſolutum*, & exhibitum, præſtantiſſimum eſt remedium,) vel circa dentitionis tempus, a ſeptimo ad decimum menſem, tuſſi comitata eſt, aut (quod multo deterius) vomitu & diarrhœa, viridia (ut ſolent hyſtericæ) egerente infante. Quandoque improviſo occupat paroxyſmus, os oculoſque diſtorquens, nigredine vultum perfundens, & artus varios convellens; quandoque præſentitur ex digitorum in pugnum contractione, & ex ſtabili & inſolita oculorum orbitarum immobilitate. Nunc ſerius, nunc ocyus ſe proripiunt paroxyſmi, certa ſubinde periodo, vago alias inſultu revertentes; ſed, appetente morte, a tergo ſe invicem premunt: Si quando inducias dent, in ſoporem proclives ſunt infantes, donec a novo reſuſcitentur inſultu.

Applicetur *Emplaſtr. Epiſpaſt.* cervici quamprimum.

℞. *Aq. Epilept. Lang.* ℥iii. *Laudan. liquid. gut. i. vel ii. vel plures, pro ratione ætatis. Syr. Pœon.* ℥i. *M. f. Hauſtus*, ſumendus quamprimum.

℞. *Aq. Rutæ* ℥iii. *Aq. Epilept. Lang. & Aq. Bryon. comp. an.* ℥i. *Syr. Caryophyll.* ℥ß. *M. f. Julap.* cap. cochl. i. ſingulis horis, ſi hauſtus præſcriptus paroxyſmum non fugaverit.

De *Rachitide.*

In rachitidem adſunt partium laxitas & mollities, debilitas & languor, ignavia & torpor, & inæqualis earundem nutritio, *viz.* caput juſto majus, facies plenior & floridior, partes carnoſæ infra caput emaciantur, nodis protuberant articuli, maxime carpi, paulo minus tali, tument & extremitates coſtarum, oſſa incurvantur, præcipue tibiæ & fibulæ, hinc ulnæ & radii; aliquando femoris & humeri, dentes tarde & moleſte erumpunt, vacillant, nigreſcunt, & fruſtulatim excidunt, pectus a lateribus anguſtum, anterius acuminatum, abdominis repletio, & hypochondriorum tenſio, tuſſis & pulmonum vitia laceſſunt, lateralis decubitus, modo dexteri, modo ſiniſtri averſatio.

℞. *Fol. Abſynth. Vulgar. centaur. minor. Marrub. Alb. chamædryos, Scordii, calament. vulg. Parthen. Saxifrag. pratenſ. hyper. Virg. aureæ, ſerpill. menth. ſalv. Ruta card. Benedict. Puleg. Abrotan. chamæmil. Tanacet. Lilior. convall. omnium rec. collect. & inciſ. an. M. i. axung. Porcin.* ℔iv. *ſev. ovin. & Vin. claret. an.* ℔ii. *macerentur in olla fictili ſuper res calidos per horas xii. deinde ebulliant ad humiditatis conſumptionem, & poſtea colentur, ut f. Linimentum*, quo venter & hypochondria illinantur mane & ſero, ut etiam & artus hoc malo affecti, per 30. vel 40. dies, vel donec convaluerit.

℞. *Singulor. ingredient. præſcript. an. Mij.* infundantur frigide in cereviſiæ non lupulat. cong. iv. pro potu.

In tumoribus infantum ventres occupantibus ab evacuationibus nimiis procedentibus.

Sanguis & viſcera herbis corroborantibus confortentur, ut in rachitide vera; niſi quod axillæ etiam utræque inungantur, at non artus.

De *Febribus a Dentitione ortis.*

Sp. C. C. gutt. ii. vel iii. vel iv. pro ratione ætatis in cochl. j. vel altero Aq. Ceraſor. nigr. vel julap. alterius appropriati, exhibeantur quarta quaque hora ad vices quatuor, vel ſex.

De febre hectica infantum.

Sine inſigni calore languent cum appetitus dejectione, artus & truncus corporis emaciantur.

Rhabarb. inciſi ʒii. *in lagenam vitream cereviſiæ tenuis* ℔ii. *capacem* immittantur pro potu ordinario.

Epoto hoc liquore, *aliæ* ℔ii. *eidem Rhabarb. ſuper affundantur ad tertiam vicem.*

Si vero potus vi cathartica ſaturatius imprægnetur, tum ℔j. epota alteri cereviſia mox adjiciatur.

De Tuſſi puerorum convulſiva.

Phlebotomia, & repetita catharſi, eaque ſola, expugnatur hæc tuſſis, malum alias pertinaciſſimum, & fere inſuperabile; ſed leniora tantum cathartica hic conveniunt, eaque cochleatim ingerenda ſunt, pro ratione ætatis.

De Hæmorrhagia narium.

Dolor & calor ſinciput lancinant.

Sanguis e brachio frequenter extrahatur; victus ratio refrigerans & incraſſans injungatur, Julap. refrigerans & incraſſans, cum emulſionibus refrigerantibus præſcribantur.

Singulis diebus injiciatur *Enema refrigerans*, atque omni nocte *Paregoric. ex Syrup. de Mecon.* exhibeatur, & ſemel vel bis *potio purgativa commun.* præſcribatur.

Lintea quadruplicata immerſa Aq. frigida, in qua ſal Prunell. diſſolvatur, & poſtea leviter expreſſa admoveantur nuchæ, & utrinque ervici ſæpius in die.

Poſt evacuationes liquor ſeq. applicetur.

℞. *Vitriol. Hungaric. & Alumn. an.* ʒi. *Plegm. Vitriol.* ℈ß. *Coq. tandiu, donec omnia fuerint diſſoluta, liquorem frigefactum filtra, & a Cryſtallis ſubinde natis ſepara, liquori reſiduo adde Ol. Vitrioli duo. decimam partem*, vel potius.

℞. *Aq. Plantag.* ʒiii. *Bol. Armen. ſubtiliſſ. pulver.* ʒß. *probe miſceantur; Turunda ex linteo raſo liquore hoc humectata* nari, ex quo ſanguis ſtillat, indatur per dies duos iſtic relinquenda.

Hoc minus ſuccedente, *Vitriol. Rom. Aq. commun. diſſolvatur, qua Turunda imbuta* nari indatur, *liquore* etiam *hoc linteamina imbuta*, & applicata ſanguinem ſiſtunt, ſi ex parte externa diffluat.

De Chloroſi.

Adſunt vultus & totius corporis decoloratio, intumeſcentia in facie, palpebris & malleolis, gravitas totius corporis, crurum ac pedum tenſiva laſſitudo, reſpiratio difficilis, cordis palpitatio, capitis dolor, pulſus febrilis, ſomnolentia, pica, & menſium ſuppreſſio.

Sumat *Pilulas Chalybeatas*, vel *Pulv. Chalybeatum* in affectione hyſterica præſcript. plus minus pro ratione ætatis, ſuperbibend. hauſtum vini cujuslibet ad libitum, vel infuſion. corroborant. cum rad. angelic. ibidem deſcriptam. Si ægra non valde debilis fuerit, purgetur ſemel vel bis ante præſcriptorum uſum.

De ſuppreſſione Menſium.

Cibum faſtidiunt mulierculæ, fœdus faciei color eſt, gravitas totius corporis, dolores ſincipitis, lumborum, crurum & imi ventris: pedum tumores infeſtant.

Eadem præſcribenda ac in hyſterica affectione; at ſi iiſdem remediis affectus non ceſſerit, tum ſeq. ſunt præſcribenda.

Singulis auroris, & quarta pomeridiana ſumat *Julap. Hyſteric. ſine Caſtor. Cochl. v. inſtilland. Sp. C. C. gutt.* xii. Singulis noctibus ſumat cubitum itura *Trochiſc. de Myrrh.* ℈i. *cum Syr. de Artemiſ. in formam boli, vel Pil. Redact.*

De Vomitu ſanguinis, vel etiam de Hæmoptoe.

In hæmoptoe dolor & calor pectus obſident, cum debilitate quadam.

Mittatur ſanguis ex brachio dextro ad ʒx. Sequenti mane ſumat *potionem purgativ. commun.* & eadem nocte *Paregoric. ex* ʒiii. *Aq. Ceraſor. nigr. & Syr. de Mecon.* ʒi.

Poſtea aggrediatur uſum ſequent.

℞. *Bol. Armen.* ʒi. *Pulv. Radic. Symphyt.* ʒii. *Terr. Sigillat. Lapid. hæmatit. & Sang. Dracon. an.* ʒj. *Sacchar. Albiſſ. ad pondus omnium; M. f. Pulvis ſubtiliſſimus*, cujus cap. ʒi. mane, quinta pomeridiana, & nocte, ſuperbibendo ſequent. Apozemat. ʒiv.

℞. *Fol. Plantag. Rubi Sylveſtris, & millefol. an. M. i. coq. f. q. Aq. ad* ℔iß. *in colatura diſſolv. Syr. de Symphyt.* ʒij. *M. f. Apozema;* vel cap. cochl. vi. ſequent. tincturæ.

℞. *Flor. Roſ. rubr.* ʒvi. *Cort. intern. querc. unc.* ß. *ſem. Plantag. parum contuſ.* ʒiii. *Aq. font.* ℔iii. *Sp. Vitriol. q. ſ. ad levem aciditatem, infundatur in vaſe clauſo, calore leni, per 4. horas, Colatur. adde Aq. cinnam. Hordeat.* ʒiii. *Sacchar. Albiſ. q. ſ. ut f. Tinctura guſtui grata.*

Si ab uſu pulveris abhorreat, utatur electuario in fluxu menſium immodico præſcripto.

Enema quotidie injiciatur, & diacodium hora ſomni propinetur.

Phlebotomia inſuper ſemel, bis, vel ter (ut opus fuerit) reiteretur, diebus aliquot interpoſitis, & ſemel iterum, ſi res poſtulet, repetatur potio purgativa.

Diæta incraſſans & refrigerans obſervanda.

De Punctura tendinis.

Humor aqueus, vel ichor quidam, ex orificio venæ inciſæ jugiter deſtillat.

℞. *Rad. Lilior. alb. in lacte vaccin. ad teneritud. coct. & contuſ.* ʒiv. *farin. ſem. Lin. & avenac. an.* ʒiii. *coq. ad cataplaſmatis conſiſtentiam in eodem lacte, quo radices coctæ fuere*, applicetur parti affectæ mane & ſero.

De Ambuſtis.

Foveatur pars affecta *linteis Sp. Vini imbutis*, uſque dum evaneſcat dolor, ac deinceps de novo imbuatur *linteum*, quod ter vel quater in die parti affectæ applicetur.

De Mania communi.

A nimis exaltata & vivida ſanguinis craſi oritur. Eſt & alia maniæ ſpecies febres intermittentes diuturniores excipiens, in ſtultitiam tandem degenerans, producta quidem a debilitate & vapiditate ſanguinis, a diutina fermentatione. Præſcribantur itaque cardiaca generoſiora, *viz. Theriac. Andromach. Electuar. de ovo. Comitiſſ. Pulv. Gualt. Ravleigh.*, *in Aq. epidem. theriacal. vel alia*, & diæta inſtituatur analeptica.

In junioribus mittatur ſanguis e brachio ad ʒviii. vel ix. bis vel ter, diebus tribus inter ſingulas venæ ſectiones interpoſitis. Tum ſemel extrahatur ſanguis e venis jugularibus. Poſtea tota curatio innitatur ſequenti cathartico, quod ſumat tertia vel quarta quaque die, donec convaluerit, hoc interim obſervando, quod cum octies vel decies purgatus fuerit æger, exhibitio cathartici ad ſeptimanam unam vel alteram omittatur.

℞. *Pharmac. domeſtic.* (i. e. *Rad. Bryon. alb.*) *pulv.* ʒj. lactis vaccin. ʒiv. vel

℞. *Ejuſdem* ʒß. *vel* ʒvj. *Vin. alb.* ʒiv. *infundantur per noctem, in colatura diſſolve Syr. Violar.* ʒi. *M. f. Potio*, vel

℞. *Gambugii gr.* xxv. *Aq. Ceraſor. nigr.* ʒiii. *Syr. Caryophyll. unc.* ß. *f. Potio.*

De Contuſionibus.

Mittatur ſanguis e brachio lateris affecti ad unc. x. ſeq. exhibeatur *potio communis purgativa*, ac deinceps eodem modo venæ ſectio & purgatio alternatim repetantur, donec æger convaluerit. Interim toto decurſu, ſi internæ partes lædantur, ſequentia præſcribantur.

℞. *Decoct. Pectoral.* ℔iß. *Syr. Violar. cap. Ven. an. unc.* ii. *f. Apozema, cap.* ℔ß. ter in die. Item *Ol. Amygd. dulc. rec. Cochl.* i. ſæpius propinetur.

℞. *Ol. Amygd. dulc. unguent. Dialth. & Pomat. an. unc.* i. *M. f. Linimentum*, quo inungatur pars læſa mane & ſero, ſuperimponendo ſol. Braſſicæ.

De furfure, ſive porrigine capitis.

Potio purgans communis bis propinetur, dein

℞. *Ol. Amygd. Amarar. & Laurini, Cinerum fol. Abrotani an. unc.* i. *miſceantur probe, & f. Linimentum*, quo inungatur totum caput ſingulis matutinis, diligenter infricando, & poſtea ſuperimponendo veſicam ſuillam.

At primum abradatur totum capillitium, & poſtea defricentur ſquamulæ ſenſim ſingulis auroris, prout decidere pronæ fuerint.

De morſu canis rabidi.

Poſt 40. dies aut plures malencholica adſunt ſymptomata, febris, ſitis, hydrophobia, & tandem partium extremarum convulſio.

℞. *Sp. vin. optime rectificat. unc.* iv. *Theriac. Andromac. unc.* i. *mixtura*, qua illiniatur pars læſa ter in die, ſuperimponendo linteum eadem mixtura imbutum.

De Ulcere Veſicæ.

Pus graveolens, aut ſanguis, nonnunquam ſquamulæ ſeu pelliculæ membranæ ac veluti furfuraceæ cruſtulæ (ſin in renibus hæreat ulcus, carunculæ minutulæ, aliquando craſſiores) una cum urina excernuntur; perpetua dyſuria & continuus earum partium dolor infeſtant; renibus autem affectis ulcere, dilucida dyſuriæ & doloris dantur intervalla, pus etiam excretum copioſius eſt, album, leve & minime fœtidum, lacti ſimilis profunditur urina: & longe poſt mictionem pus ab eo ſeparatum in fundo reſidet.

℞. *Emplaſtr. Flos unguent. dict.* ʒiß. *f. Pil. N.* ix. cap. iii. horis medicinalibus, ſuperbibendo ſequentis aq. cochl. vi.

℞. *Rad. Fœnicul. Conſol. Ariſtoloch. & Caryophyll. an.* ʒiii. *fol. Agrimon. Hyper. Sanicul. Plantag. an. M.* vi. *incidantur minutim, & deſtillentur in vini alb. & lact. an.* ℔iv. *& eliciantur ſolummodo* ℔iv. pro uſu.

℞. *Pulv. rad. Conſolid. maj. & gumm. Arab. an.* ʒi. *Sacchar. Penid.* ʒi. *f. Pulv.* cap. cochl. i. bis in die.

De Aſthmate inveterato in iis, qui ſanguineo temperamento præditi ſunt.

Dividitur in tres ſpecies; Dyſpnœam, quæ difficilis eſt reſpiratio, in qua crebrior denſiorque eſt ſpiritus tractio ex infarctu pulmonum ſine ſtertore oriunda. Aſthma, ubi frequens & magna reſpiratio, in qua diaphragma, muſculi intercoſtales, tum etiam abdominis, violenter moventur, cum ſtertore & ſibilo. In priore ſpecie ſubſtantia pulmonum, in poſteriore bronchia oppilantur. Et orthopnœam, quæ eſt maxima ſpirandi difficultas, ſub qua ægrotantes non niſi ſedentes, erecta cervice reſpirare poſſunt, muſculi etiam pectoris & ſcapularum vehementer exagitantur.

Mittatur ſanguis e brachio dextro ad ʒx. die ſequenti ſumat *potionem purgativam communem*, quæ repetatur tertia quaque die per duas alias vices.

Diebus a purgatione vacuis ſumat ſequentia.

℞. *Sem. Anif. ſubtiliſſ. pulv.* ʒii. *cum ſ. q. Balſam. Lucatell. f. pil. ex ſingulis drachmis* vi. cap. iii. mane & quinta pomeridiana, ſuperbibendo *decocti Amari ſine purgantibus* ʒiv. calide.

Si Symptomata adhuc maneant, repetatur de novo integer Proceſſus.

De Paralyſi.

Senſus & motus in partibus quæ afficiantur, vel ſimul, vel alterutra tantum facultas aut prorſus extinguitur, aut vitiatur.

Sumat *pil. Cochl. min.* ℈ii. alternis matutinis per vi. vices; deinde capiat ter in die per xxx. dies *Electuar. Antiſcorbutic.* ʒii. ſuperbibend. *Aq. Antiſcorbutic. Cochl.* vi. Vide ſcorbut.

℞. *Unguent. Nervin.* ℥iii. *Sp. Lanvendul. comp. & Sp. Cochl. hortenſ. an.* ʒiß. *M.* inungantur partes affectæ, ut ſpina dorſi, &c. mane & ſero.

Pleraque præſcriptorum, utut curationi ſcorbuti ſolum deſtinari videantur; attamen cum humores crudos ac fixos volatilizare præ aliis apta nata ſint, in paralyſi etiam conveniunt.

De

De Tuſſi & Phthiſi.

Tuſſis per ſe patet. Phthiſis autem invadit ab ætatis anno 18. ad 35. Extenuatur totum corpus. Febris moleſtat hectica, a cibo invaleſcens (quæ ex celeritate pulſus, rubedineque genarum dignoſcitur) materia per tuſſim excreta eſt aut purulenta, in ignem conjecta tetrum ſpirat odorem, & immiſſa in vas aqua repletum, fundum petit. Sudores nocturni ſuperveniunt, liveſcunt tandem genæ, facies pallet, exacuuntur nares; temporum quoque collapſus, unguium incurvatio, capillorum defluxio, & alvi profluvium colliquativum, mortem ſtatim ſubſecuturam denunciant.

Si tuſſis recens fuerit, & nondum febrim, aut alia ſigna peripneumoniam notham comitantia, accerſiverit, vel ſi a pleuritide, aut peripneumonia, ob neglectam ſufficientem phlebotomiam, male curatis, eadem nequaquam otta fuerit, ſatis erit, ut æger per dies aliquot ab uſu vini & carnis abſtineat, & his ſimilibus remediis ad libitum utatur.

Balſamum ſulphuris Aniſatum ad gutt. x. *Cochl.* i. *Sacchar. cryſtall. inſtillatum* bis vel ter in die devoretur, ut etiam Tabellar. ſequent. quas ſecum æger continuo portet, unam frequenter aſſumat.

℞. *Sacchar. cand.* ℔i ß. *coq. ſ. q. Aq. font. uſque dum adhæreſcat extremis digitor. tum adde pulv. Glycyrrhizæ. Enul. Camp. an. ſent. Aniſ. & Angelic. an.* ʒ ß. *pulv. Irid. Florentina. Sulphur. an.* ʒii. *Ol. Chym. Aniſi* ℥ii. *f. ſ. a. Tabella domeſtica vocand.* atque hoc interim eclegmate utatur.

℞. *Ol. Amygd. dulc.* ʒii. *Syr. cap. Ven. Violac. an.* ʒi. *Sacchar. cand. q. ſ. f. Lohoch.* de quo ſæpius lambat bacillo Glycyrrhizæ, quando tuſſis urget.

In defluxione tenui *Eclegmata incraſſantia* exhiberi poterunt.

Si vero tuſſis his remediis haud ceſſaret (præcipue autem ſi febrem comitem habeat, vel ſi a peripneumonia aut pleuritide originem ducat) tum ineptum fuerit pectoralibus fidere, ſed venæ ſectione & catharſi debellanda eſt ut in methodo, quæ in curatione peripneumoniæ nothæ deſcribitur.

Verum enimvero cum, his omnibus non obſtantibus, tuſſis non modo non curationi ceſſerit, ſed & diuturna pulmonum concuſſione eos adeo debilitaverit, ut phthiſis tandem ſubingreſſa fuerit, tum hac methodo procedendum.

℞. *Balſam. Peruv. gutt. x. inſtillentur Cochl. j. Syr. Hederæ terreſtris*, vel ſi id minus gratum fuerit ægro, *Cochl. j. Sacchar. cryſtall.* cap. ter in die ſuperbibendo *Decocti Amari ſine purgantib. unc. iv.* vel (ſi idem ventrem moverit) *unc. iii.*

Sed omnibus aliis (quotquot adhuc inventa ſunt) *Equitatio* ad ſatis longa & diutina itinera facile palmam præripit, hoc obſervando, ut ſi æger juvenilem ætatem prætergreſſus fuerit, plus temporis huic exercitio impendere debet, quam ſi puer aut juvenis eſſet, & ſane haud multo certius cortex Peruv. febri intermittenti, quam in hac ætate equitatio phthiſi medetur.

De Scorbuto.

Adſunt ſpontaneæ laſſitudines, corporis gravitas, dyſpnœa, præcipue ex motu corporis, gingivarum putrefactio, oris graveolentia, ſanguinis e naribus crebra eruptio, ambulandi difficultas, crurum nunc intumeſcentia, nunc extenuatio, in iiſdem perpetuo maculæ lividæ, plumbeæ, flavæ, aut violaceæ, faciei color plerunque ex pallido fuſcus.

Extrahatur ſanguis e brachio ad *unc.* viii. niſi ſigna hydropis adfuerint. Seq. mane exhibeatur potio purgat. communis, quæ repetatur tertia quaque die per duas alias vices.

Diebus a purgatione vacuis, uti etiam poſtea, per menſem unum vel alterum ſumat ſequentia.

℞. *Conſerv. Cochl. hortenſ. unc.* ii. *Conſerv. Lujul. unc. j. pulv. Ari compoſ.* ʒvj. *cum ſ. q. Syr. Aurantior. ſ. Electuar.* de quo capiat ad magnitud. nuc. moſchat. maj. mane, quinta pomeridiana, & nocte, ſuperbibendo *Aq. Raphan. compoſ. Cochl. vj.* vel ſequentis.

℞. *Rad. Raphan. Ruſtican. raſpat.* ℔ii. *rad. Ari* ℔j. *fol. Cochl. hort. M.* xii. *fol. Menth. Salv. Naſturt. Aquat. & Becabung. an. M. j. Sem. Cochl. hort. parum contuſ. lib.* ß. *nuc. Moſchat. unc.* ß. *Vir. Alb. lib.* xii. *deſtillentur organis communib. & eliciantur ſolummodo lib. vj.* pro uſu.

Vel *Folia Rec. Cochl. hortenſ. per ſe deſtillentur*, pro uſu dicto.

Porro ſequens cereviſia ſit pro potu ordinario.

℞. *Radic. Raphan. Ruſtican. recentis inciſi* ʒii. *fol. Cochl. hort. N.* xii. *paſſular. enucleat. N. vj. Aurant. Cum toto inciſi dimidium, in Lagenam vitream lib.* ii. *Cereviſiæ tenuis capacem ſubere mox probe obturandam immittantur.*

In hunc modum parentur eodem tempore ſex lagenæ pro uſu, & poſt aliquot dies ſex aliæ, antequam priores exhauriantur, & ſic deinceps, vel

Vice hujus cereviſiæ ſeq. mixturæ cochl. iij. vel. iv. immiſceri poterint ſingulis hauſtibus potus communis.

℞. *Rad. Raphan. ruſtic. & ſem. Cochl. hortenſ. an. unc.* ß. *fol. Cochl. hortenſ. M.* ii. *pulpam unius Aurant. Contundantur ſimul in mortar. marm. ſenſim affundendo vin. alb. lib.* ß. *Coletur cum levi expreſſione*, & reponatur pro uſu.

Eadem remedia, phlebotomia & catharſi omiſſis, in rheumatiſmo ſcorbutico, ſive hyſterico, valde proſunt.

Phthiſis ſeu Tabis Deſcriptio & Cura.

Plures ſunt tabis ſpecies. Prima fere oritur e frigore hyeme contracto. Paulo enim ante ſolſtitium brumale quamplurimi ab ingruente tempeſtate frigida, tuſſi tentantur: Quæ cum illos invaſerit, quibus pulmones ab ortu ſunt infirmiores, omnino neceſſe eſt ut a repetitis tuſſiendi conatibus magis adhuc debilitentur; atque ita tandem alimento ſibi proprio aſſimilando, præ mala διαθέσει, prorſus impares reddantur. Hinc jam ingens pituitæ crudæ copia aggeritur, quæ continua pulmonum agitatione & vehementi niſu affatim per os rejicitur. Pulmones exinde pure referti purulenta μιάσματα quaquaverſum in carnes diſpergunt. Hinc enaſcitur febris putrida, cujus paroxyſmus ſub veſperam fatigat, ſub auroram vero ſudore copioſo ac vires imminuente ſolvitur. Denique ad malorum cumulum diarrhœa ſuccedit, partim ab humoribus putridis ex arteriis meſentericis in inteſtina depoſitis excretiſque; partim a labefactato peſſundatoque viſcerum tono. Atque ita demum æger proxima æſtate fato ſuo fungitur, a morbo cui prægreſſa hyems viam ſtraverat, extinctus. Atque hæc eſt præcipua tabis ſpecies.

Porro cum ſanguis hac tempeſtate particulis humidis admodum ſcateat, reſpiratioque a ſubita pororum contractione plus ſatis inhibeatur, particulæ hæ in pulmones depluunt per interſperſos venæ arterioſæ ramos, vel per ductus ſalivales in glandulis fauces occupantibus reponuntur; unde jam humor per aſperam arteriam delapſus in pulmones, catharri ritu, eos ita jugiter irritat, ut creber & vehemens tuſſiendi conatus, tum illam debilitatem, tum alia quæ diximus ſymptomata, brevi accerſat. Cumque non jam amplius naturalem ſibi pulmones œconomiam ſtatumque tueri valeant, glandulæ & tubercula adnaſci ſolent; quæ in ægris ex hoc morbo decedentibus, ſi aſpiciantur pulmones, purulenta ſanie plurimum diſtenta reperiuntur.

Ubi ſemel evaluerit hic morbus & radices egerit, remedia plerunque aſpernatur. Tentari utcunque poteſt medicatio, minuendo cauſam defluxionis in pulmones, pertuſa in cubito vena, catharticis mitioribus, tum medicamentis pectoralibus dictis, ad varios morbi ſtatus accommodatis. Incraſſantibus ſc. ubi humor ſubtilior & tenuior vim expultricis facultatis videtur eludere: attenuantibus vero ubi pituita craſſior æger & cum moleſtia per os rejicitur. Dein & hectica febris remediis refrigerantibus contemperantibus coercenda. Talia ſunt *Lac Aſininum*, *Aqua Lactis Stillatitia*, *Emulſiones ex Amygd. dulc. Sem. Melon. Pepon. Papav. alb. Aq. Fl. Paralyſ.* &c. Denique & curando ulceri opera danda eſt, cui rei terebinthina illa liquida, opobalſamum vulgo dicta, apprime conferre cenſetur.

Hujuſce morbi curatio, me judice, hac methodo optime ac feliciſſime inſtituetur. Primum educatur e brachio ſanguis, dein ſubducatur alvus ad tres dies continuos, vel *Pil. Coch. majoribus*, vel *Decoct. Leniente a nobis præſcripto*. Tertia nocte exhibeatur *Syrup. de Mec. unc.* ß. Intermiſſo biduo, triduove, pro re nata, repetatur purgatio, idque toties fiat, quoties opus eſſe videatur, donec ſymptomata vel prorſus evanuerint, vel ſaltem mitescant. Poſt ſingulas catharſes jam finitas opobalſami gutt. xx. ſacchari particulæ majori inſtillatas permixtaſque nihil ſuperbibendo. Vel pil. e terebinth. ex Inſula Chio cum ſaccharo candido confectam. Opobalſamum non aſſumendum eſt, niſi prægreſſis evacuationibus debitis. Hujus loco *Electuarium e Balſamo Lucatelli*, *Glycyrrh. pulvere*, *ſemine Aniſi & Terebinthina* concinnatum poterit ſubſtitui. Poſt evacuationes, ſedulo conandum eſt ut tuſſis ſedetur, ne pulmones jugi agitatione infirmiores evadant. Huc facit præ cæteris ſyrupus jam laudatus, qui hac formula poſſit uſurpari. ℞. *Decoct. Pectoral. lib. i. Syr. de Mecon. Syrup. Capill. Ven. an. unc. ij. Cap. Cochl. v. ter in die*. Medicamentum hoc ita frequenter hauſtum catarrhum in pulmones depluentem paulatim ſiſtet; eoſque in priſtinam ἕξιν reducet, niſi jampridem a naturali ſtatu nimium receſſerint. Promovebit inſuper purulentæ materiæ in iiſdem aggeſtæ concoctionem.

At vero palmarium hujuſce morbi præſidium eſt, ut æger quotidie equo vehatur. Et qui ſe huic corporis exercitio ſanandum tradit, nullis jam diætæ legibus adſtrictus, nullo cibi potuſve genere privandus eſt: cum in hoc uno omnis rei cardo vertatur. Quibuſdam eorum qui ex hac methodo convaluere, tumor in collo exortus eſt non multum a ſcrophulis abludens.

Eſt & alia tabis ſpecies a tuſſi prognata, longe diverſo anni tempore, initio ſcilicet æſtatis. Hæc juvenes perſæpe illos invadit qui debiliori ſunt corporis habitu, & quorum ſanguis particulis calidis acribuſque refertus eſt, ſanguinem iſti e pulmonibus per tuſſim exantlant, nimio meri potu prius excalefacti. Ægri dolorem ſive ægritudinem quandam in pulmonibus perſentiſcunt: quæ ſymptomata niſi mature remediis appropriatis eliminentur, primo ſcrabrities, mox & ulcus accedit, unde pus confectum demum expuitur.

Dicta jam tabis ſpecies venæ ſectione & catharſi alternatim repetitis, ſaltem in principio, facile vincetur: ſi diæta inſuper refrigerante & incraſſante utatur æger & a carnibus in ſolidum abſtineat.

Tertia hujus morbi ſpecies ortum debet materiæ febrili in pulmones febre jam fatiſcente, amandatæ, qui ſenſim infirmiores redditi a ſymptomatibus jam memoratis vexantur.

Quandoque oritur a ſanie iſta purulenta, quæ a pleuriticis non ſatis copioſe per expectorationem egeritur. Quo in caſu eamdem quam empyema, curationem poſtulat.

Sunt etiam qui a nimis copioſis, & debito frequentioribus evacuationibus debilitati in quartam tabis ſpeciem præcipitantur. Hos calor hecticus a cibo potuque ſumpto, ſub noctem laceſſit: atque hoc præ cæteris aphthæ infeſtant.

Phthiſis, ſeu tabis deſcriptionem ac curam integram, Præclariſſimus Author morte præoccupatus, abſolvere nequivit, & pauca tantum, ſed pro more ſuo quam maxime accurata, in hoc argumento nobis reliquit: quibus in aliquale ſupplementum, adjicere non inconſultum credidimus Præclariſſimi Caroli Leigh M. D. *Phthiſiologiam Lancaſtrienſem, jam anno* 1694. *Londini editam. Opuſculum ſane eximium, & Methodo Sydenhamianæ omnino affini conſcriptum. Sit itaque*

D E
P H T H I S E O S
Speciebus & Cauſis.
C A P U T I.
Quo agitur de variis Phthiſeos Speciebus. & earum Cauſis.

PHthiſes in hac patria praxi vulgariter occurrentes ad ſequentes reduci poſſunt, videlicet, ſunt vel ſcorbuticæ, ſtrumoſæ, chyloſæ, vel febres epidemicas intermittentes, hydropem, rachitidem, crapulas, chlorofin, fluorem album, icterum, rheumatiſmum ſcorbuticum, ſarcocelen & vermes ſæpius conſequuntur: nec non hæmoptyſin & vomitum ſanguinis; cum phthiſes autem ſcorbuticæ præ cæteris furiunt eas choream ducere ſtatumino.

Phthiſes ſcorbuticæ fiunt vel ab aere, vel a parentibus, vel ab erroribus ſex non naturalibus. De iis autem quæ ab aere fiunt, quia locis pleriſque morbi ſtationarii appellari debent, in primis agam. Iſtis terrarum areis quæ paludoſis arenis ſalſis luxuriant, vel aere fumo carbonaceo craſſeſcente tantum non epidemice graſſantur: quæ phænomena innuere videntur ex particulis vitriolaceis & ſulphureo-ſalinis hunc morbum fomitem ſuum trahere; quo autem hæc res clarius eluceſcat haud inconſultum duco tentamina quædam præmittere, quæ auſpiciis hiſce facem ulteriorem accendant.

In primis. In ſalivam inſtillentur guttæ aliquot ſpiritus vitrioli, & ſtatim in coagulum album viſcoſum tranſit, quale per tuſſim in phthiſi ſæpius eructatur.

Secundo. Guttis aliquot fontis vitriolacei, juxta Haigh agro Lancaſtrienſi cum ſaliva commiſtis, in coagulum viſcoſum tranſit cinerei coloris, quale in phthiſi ſcorbutica haud ſemel notavi.

Tertio. Deſtillentur carbones foſſiles & aſcendet liquor vitriolaceus, quo cum ſero ſanguinis commiſto, in coagulum viſcoſum tranſit, quale in phthiſi ſcorbutica obſervare in proclivi eſt.

His poſitis, videlicet quod per particulas vitriolaceas ſaliva, vel ſerum ſanguinis fit coagulum viſcoſum, ei tabidorum guſtu, conſiſtentia & colore ſimile.

Secundo. Quod in reſolutione carbonum particulæ vitriolaceæ catervatim ſublimant, quod encherieſi pyrotechnica patet, adeoque illis atmoſphæra propemodum ſaturatur, cum in aere hujuſmodi phthiſis ſit morbus ſtationarius, haud abs re fore judicare exiſtimo, ibi terrarum per inſpirationem particulæ vitriolaceæ maſſæ ſanguineæ communicantur, adeoque ſæpe ſæpius phthiſin inducunt.

Summa jam difficulras diluenda hæc eſt, nempe unde fit quod circa littora ſalſa paludoſa hoc morbo tantopere infeſtantur indigenæ, etiamſi ſolo ceſpite utuntur, cibiſque ſale & fumo conditis per totum vitæ decurſum abhorrent? & quomodo iſtis terrarum aeris particulis ſalinis atmoſphæra conſtipatur? cum ſalia matina (ſicut ab eorum evaporatione conſtat) ſint fixioris naturæ, quam ut radiis ſolaribus vel vi ventorum aſcenderent.

Anxie diu circa hæc cogitanti, hæc tandem conjectura in mentem mihi venit.

Obſervatu ſatis eſt obvium plagas iſtas maritimas, tam ſulphure quam ſale luxuriare; hæc hypotheſis ſequentibus argumentis nititur.

In primis. Noctilucæ infinitæ horis veſpertinis hiſce quaſi tot *Phoſphori* erumpentes, ſulphuris præſentiam arguunt.

Secundo. Sæpius odores fœtidos emittunt, quales ex ſulphure & ſale unitis percipiuntur; in his itaque terris ſalinis paludoſis, particulæ ſulphureæ fugam continuo moliuntur, particulis autem ſalinis divortium haud ferentibus, particulæ ſulphureæ ſalia muriatica ſecum gerunt, adeoque illis atmoſphæra conſtipatur; cum in aere itaque hujuſmodi phthiſis ſit morbus ſtationarius, ibi ex particulis ſulphureo-ſalinis trahit phthiſiis illius pabulum, ſicut opinari fas eſt.

In ulteriorem hujuſce ſententiæ confirmationem argumentum e contrario produci poteſt. Ubi hi limi ſalini deſunt, hic morbus raro aut nunquam infeſtat. Hinc ergo fit quod in *Ruſſiæ*, & *novæ Angliæ* quibuſdam partibus per totum anni decurſum tuſſis ſonitus haud auditur, etiamſi mare ſit in præcinctu; & hinc quoque forſan fit quod celeberrimus iſte *Monſpelienſium* aer antiphthiſicus evadit, etiamſi parum e mari *Mediterraneo* diſtat.

Dum e contra haud in ſeſe volvitur annus, quin phthiſis, hydrops, ſcorbutus, febres intermittentes, & pene dixiſſem morborum myriades in hiſce terrarum areis truculenter graſſantur; adeoque quod de terris hiſce ſalſis paludoſis tale propemodum dici poteſt, quale *Pythagoras*, de herba *Apraxi* de qua ſic talia dicit: Datur herba, radix cujus *Napthæ* adinſtar ignem concipit; quique morbo quocumque correpti ſunt, hac germinante, recidivam patiuntur, quoties illius effluvia per aerem diffunduntur.

De reliquis phthiſeos ſcorbuticæ ſpeciebus differere jam reſtat, de iis ſcilicet quæ ab erroribus ſex non naturalibus, & illis quæ a parentibus derivantur. Jam vero cum phthiſes ab erroribus diæta & victu per cauſas allatas facile explicari poſſint, earum ætiologiis enodandis diutius immorari impræſentiarum inutile eſſet; quapropter de phthiſi ſcorbutica hæreditatia breviter jam attingam.

Inter omnes ſane philoſophantes fœtum humanum in ovo formari ultra aleam dubitandi ponitur; de modo autem ova fœcundandi haud tam bene inter ſe convenit Auctoribus.

Ova duplici inveſtiuntur membrana, propriiſque tunicis involuta ſunt, adeo quod ne gutta quidem liquoris iis exprimi poteſt; hinc pro Gas quodam virili, ſive aura ſeminali ovis fœcundandis quidam viriliter contendunt; in praxi tamen nihil vulgarius occurrit, quam hunc morbum intueri patris genium conſequentem, etiamſi per totum vitæ decurſum matre ſat athletice degente, quidam circa eandem ætatem cum patribus hoc morbo correpti ſunt, alii citius, alii ſerius, alii valetudinarii tantum vixere, alii ſat pancratice priuſquam phthiſi confecti ſunt, pro diverſa ſcilicet craſi feminis virilis, ſcilicet ſicut ſpiritus eo nidulantes, magis vel minus ſunt depreſſi, & particulæ ſalinæ evectæ, primis vitæ incunabulis varia format ſtamina vitæ; adeoque citius vel ſerius infans vergit verſus temperiem ſalinam huic morbo inducendo aptam. Ex præmiſſis ut mihi videtur, inferre ut liceat, ab utero ſemen virile per vaſorum extremitates abſorbetur, hinc maſſæ ſanguineæ communicatur, & circuitu ſanguinis, ſicut opinari fas eſt, ova fœcundat, arduum etenim mihi concipere videtur, quomodo hic morbus, podagra, & calculus patris genium conſequerentur, ſi ab aura ſeminali tantum ova fœcundentur: ex præmiſſis patet ex quali proſapia huic morbo ſit origo, capite itaque ſequenti venit ſymptomatum explicatio.

CAPUT II.

Hoc Capite agitur de Symptomatum Serie & eorum Cauſis in ſtatu incipiente.

QUandoquidem morborum ſcientia haud melius quam ab eorum productis expromitur, mihi hunc morbum deſcripturo, haud alia videtur inſiſtere methodo, quam ſymptomatum ſyndrome delineanda. Miſſo itaque olympico pulvere cerebri circa futilia dimicantis, ea ſolummodo quæ ratio experientia ſuffulta dictitat brevibus aperiam.

Invadit frequenter cum appetitus & virium dejectione, anguſtia pectoris tuſſi titillante, ſputo copioſo, craſſo, albo, quandoque flaveſcente, pellucido, & cæruleo, cinereo, fœtido, ſalſo, acido, ſubdulci, pro ſanguinis dyſcraſia ſcilicet, & obſtructionum mole & genio.

Sudoribus quandoque nocturnis, carnis intabeſcentia, calore & frigore levi & incerto alternatim ſuccedentibus.

Urina lixiviali, ſedimento copioſo, albo, ſæpius autem flavo, vel rufo ſaturata.

Aliquando diarrhœa, torminibus ventris, & partium extremarum tumore.

Hiſce prælibatis ſymptomatum explicationem aggredi jam incumbit.

Si de appetitu proſtrato interrogamur, ideo evenire dicimus: glandulæ in ventriculi parte inferiore ſitæ, quæ humores ſubacidos, fluxiles ex arteriis ſeparare debent, humores viſcoſos enutriant, adeoque fibris nerveis titillandis (quo motu conſiſtit appetitus) inepti ſunt, hic cibi ſit faſtidium; & hinc eſt, ni fallor, quod in quibuſdam ab emetico aſſumpto, tam immenſam ſaburram viſcoſi phlegmatis per vomitum frequenter ejectam inſpexi.

Per ſuccum viſcoſum in pulmonibus extravaſatum aetis inſpiratio interrumpitur, adeoque anguſtia pectoris frequenter corripitur æger; quo pariter circa glandulas tracheales depoſito, & intra pulmones ſputum iſtud, ni fallor, efformat quod tanta copia per tuſſim eructatur, ab hoc quoque tracheam oblinente raucedo procedit.

Hiſce coagulis, folliculis in glandulis conglobatis gravidis, adeoque foraminulis lymphæ ductuum obturatis, latex ſeroſus, qui per lymphatica peregrinare debuit, propriis emunctoriis orbatus, maſſæ ſanguineæ regurgitat, & ſic per vaſa inſolita eliminatur; hinc ergo ex glandulis trachealibus, imbribus pene dixiſſem continuis depluit, qui tuſſim titillantem & continuam inducit.

A pari ratione ſudores tantopere profuſi, diarrhœa, tormina ventris, & partium extremarum tumores huc collimant.

Quandoque viſcoſis humoribus meſenterii glandulis infractis, chylo tranſitus denegatur in ſanguinem, quo pabulo diurno orbatus, nutrimento debito privatur corpus, hinc vires dejiciuntur, emaciat corpus, & quandoque fæces albeſcunt, quapropter a viſcoſis hiſce ſuburris venæ lacteæ meſenterio diſparent, ſicut in cœlis *Galaxia* propter denſas nubes interponentes.

Aliæ chyli portiones per particulas ſalinas præcipitantur, & inde quandoque ſputo albo, craſſo, ſubdulci, per tuſſim eructantur. Aliquando per renes ablegantur, & inde in hoc morbo frequenter urinæ ſedimento candido copioſo ſaturantur.

Propter muſculos ſubſidentes humeros alatos obſervatu in proclivi eſt, quod (ſicuti plebeijs placet) malum portendit, quaſi anima relictura corpus illius fugam appropinquantem indicaret. Hi *Hippocrati* aliiſque græcis πτερυγδὲες appellantur.

Propter glandulas in hepate obſtructas bili tranſcolanti imponitur remora, quæ ſanguini itaque regurgitat, ex ea cum acidis in ſanguine efferveſcente lenta febris frequenter in tabidis gliſcit, & ni fallor ratio urinæ lixivialis tanta flaveſcente hypoſtaſi, & quandoque rufa ſaturatæ; hinc quoque petenda eſt.

Quandoque calore & frigore alternatim ſuccedentibus cruciatur æger; propter chyli aceſcentis fermentationem, & inæqualem cum ſanguine miſturam.

Sputum frequenter in hoc morbo fit craſſum, album & dulce, quod (ſicut prius innuimus) chylum præcipitatum ponimus; aliquando fit tenue & pellucidum cum craſſo commixtum, quod ponimus eſſe lympham quæ per lymphæ ductus tranſire debuit, propter glandulas autem conglobatas obſtructas, per alia ſecretoria eliminatur, & in hoc quidem caſu, quique humori huic ſiſtendo medicamentis opiatis pertinaciter inſiſtit, a vero deviat, & præſtat *eis motus componere fluctus*.

Sputum aliquando fit cæruleum, ſalſum, acidum, & amarum, ſicut bilis, & ſalia diverſæ proſapiæ varie cum eo miſcentur.

Reſtat aliud ſymptoma, nec minus reliquis infrequens explicandum, *viz.* unde eſt, quod in hoc morbo urina tam intenſe lixivialis excernitur, ſedimentum copioſum rufum deponens, ſuavem emittens odorem parum ei diſſimilem in urinis obvium poſt medicamenta terebinthinata, & quædam præparata ſulphuris aſſumpta, ſuperficiem gerens pellicula tenui oleoſa obductam? In hoc caſu ponimus urinam particulis vitriolaceis vel muriaticis eſſe ſummopere ſaturatam; particulæ ſalinæ poſt ortam cum bile efferveſcentiam præcipitant, adeoque urinæ tantam hypoſtaſim deponunt: particulæ bilioſæ ab efferveſcentia cum particulis ſalinis (ſicut ſulphur ab incendio adjuncto) rufeſcunt, & inde urinæ ſedimentum lateritium deponunt. Particulæ ſalinæ oleoſas quaſdam particulas in fermento incarcerant, quæ tumulum una cum illis per renes ablegantur, hinc urina aeri expoſita, particuliſque fermenteſcentibus ſaturatis, particulæ ſulphureæ oleoſæ divortium conantur, adeoque in ſuperficie pelliculam efformant, & odorem ſuavem emittunt; hypotheſi huic ſuffragatur phænomenon in ſpiritu nitri dulci ſatis obvium, ibi etenim ab acido cum ſulphure unito, odor ejuſmodi proſapiæ obſervari poteſt.

Utrum in hoc ſtatu tuberculis ſemper infarciantur pulmones a clariſſimo *Mortono* notatis; Hac patria a cultro anatomico tanquam a peſte abhorrente, nec nego, nec affirmarem; hoc tamen (praxi ſuffragante) aſſerentem, in hoc morbo plures ſatis ſuccumbere vidi, ne uno quidem ſymptomate febris inflammatoriæ apparentes, cui ſententiæ adſtipulatur Hiſtoria e doctore *Bennet* deſumpta Theatro tabidor. *pag.* 96.

Cum apud *Briſtiollenſes* medicinam facerem, qua urbe penſili tabes frequenter graſſatur, nonnullos ſputum ſubdulce levi conatu expectorantes, ſpatio trimeſtri fatiſcentes, & totaliter enervatos vidi, horum vero quoſdam, non omnes tuſſis vehementior aliquoties corripuit, & areſcentes ſtrigoſi periere, in quorum unicæ derectionis cauſa, licet ſanguinem (peracto ſalino ptyaliſmo) extuſſierat, & pulmo ubique inteneratus tonum amiſerat, univerſa ſpirabilia nec non viſcera omnia naturalia, quoad ſenſum ſana comperta ſunt. Haud hic intelligi velim quod in phthiſi pulmones hiſce tuberculis nunquam infarciuntur, eos etenim ſæpius ulceratos vidi: at hoc ſolummodo aſſero ea phthiſi quæ tam vulgariter in agro *Lancaſtrienſi* graſſatur, qua in dies defloreſcunt ægri ſputum craſſum album expuentes, in his dico, hujuſce morbi principio & incremento, raro aut nun-

nunquam pulmones confodiuntur, imo aliquando, ægri e medio tolluntur, & (sicut opinari fas est) iis haud ulceratis, quibusdam etenim per totum morbi decursum febris hecticæ symptoma haud apparuit unum.

CAPUT III.

In hoc Capite Symptomata in statu confirmato recensentur, & eorum Causæ assignantur.

FAtiscente in dies natura in prosapiam propemodum vitriolaceam degenerat massa sanguinis, hinc sputum frequenter aluminis vel vitrioli mali fit saporis, jam particulis salinis sui juris factis, effusis velut habenis hic morbus affligit; hinc febris fit continua & auctior, ex particulis scilicet vitriolaceis cum sulphure sanguinis efferveſcentibus, sicut ex oleis vitrioli & terebinthinæ permistis observare fas est.

Ex hac efferveſcentia vasis capillaribus circa genas distentis, inde est quod rubor fixus genas utrasque occupat, mortis adstantis frequenter indicium; quasi vitalis flamma ellychnii ad instar (cujus pabulum propemodum exaustum est) receptaculo glisceret, *vel solis ad instar rubro colore hemisphærium spargentis priusquam Cimerias descendit in umbras.*

Conglobatis glandulis indies magis infarctis, & majori copia nutritio succo quotidie præcipitato, hinc est quod sputum fit copiosius & crassius, & ex fermento vitriolaceo cum sulphure sanguinis permisto, aliquando saporis putridorum piscium.

Ex sputo copiosius in dies intra pulmones extravasato, asthmate frequenter corripitur æger. Et continua propemodum gravitate pectoris opprimitur. Sputum aliquando egregie fœtidum hoc statu quoque notavi, quod tamen haud semper ab ulcere pulmonum sicut quibusdam placet ortum sibi ducit; sæpius etenim hoc notavi, & patientes tam diarrhœa quam sudoribus immunes, quod procul dubio haud evenire posset ulcere fœtido pulmonibus confossis, potius itaque fœtoris istius causa in hoc consistere videtur, particulis sulphureis volatilibus particulis salinis aculeatis, hisque latice seroso luxuriante, cum saliva miscentur, jam particulis sulphuris ad evolandum satis aptis secum salinas vehunt, quas unitas effluviis saliva emittit, huic sensorium olfactus tenellum vellicant, iisque itaque ingratis fœtorem conciliant; sicut e contrario particulæ sulphureæ globosæ sine salinarum mixtura, fibras olfactorias percutientes gratum odorem causant; sicut in aromatibus & balsamicis florum effluviis observare in proclivi est. Grandiori mole indies nutritio succo expectorato, hinc vultus evadit *Hippocraticus*, & corporis universi marasmus.

Indies conglobatis glandulis infarctioribus, & versus temperiem salinam vergente sanguine hinc sudoribus profusis & diarrhœis immanibus cruciantur ægri, nec non doloribus acutis, iis rheumatismo versatilibus quibusdam atrocioribus, ossibus etenim in ipsis de dolore lancinante quidam conquesti sunt, iique quibus morbum venereum suspicari nefas.

His symptoma aliud haud minus commune, & summa quidem indagine dignum addi potest, strigosi plures etiam ad orci fauces propemodum sunt redacti, appetitu laudabili ditantur, post cibum assumptum hectico nullo calore succedente, neque sudores, nec diarrhœæ, ne ventriculi inflammationes adsunt; tamen indies intabescit æger prægrandi copia sputum crassum album expuens. Auguriis nostris ex præmissis satsuperque propalatis particulis vitriolaceis frequenter luxuriare sanguinem, circa hoc symptoma hæc conjectare liceat. Vitriolaceis particulis aculeatum naturale fermentum, ictu altiori fibras nerveas titillat, quæ qua ab œstro percitæ, spiritus fibris ventriculi indigeni in motus concitatiores adiguntur; & inde est, ni fallor, quod appetitus sit voracior, esculenta quævis assumpta struthionis ad instar colliquans; hoc colliquamentum per lacteas ductumque chyliferum propagatum cum sanguine miscetur, quod in propriam naturam haud assimilat, & inde in universi corporis nutrimentum, quin salinæ particulæ sanguine nidulantes, in humoribus crassis hoc præcipitant; & inde est quod alimenta assumpta, etiam in sanguinis naturam haud convertuntur, tamen nec per sudores, nec diarrhœas eliminantur, quin intra pulmones coagulo albo viscoso subsidunt, & inde est quod indies intabescit æger.

Restat adhuc aliud symptoma, quod sub hoc larvatur vultu: plures hoc morbo propemodum confectos febris intermittens anomala frequenter invadit, quosdam semel tantum, alios bis vel ter spatio viginti quatuor horarum conquassat, ingruit sæpe cum horrore & pruritu inter scapulas, circa regionem lumbarem, totum postea convellitur corpus per horam unam vel alteram tremulum permanens, calor postea succedit, & huic sudores & aliquando diarrhœæ: ex lentoribus salsis circa membranas nerveas, nervorum extremitates, plexus, & glandulas subcutaneas miliares extravasatis, hæ frigoris & caloris reciprocationes procedere videntur, his ad plenitudinem aggestis, & acorem insignem nactis, partes nerveas vellicant, adeoque, ni fallor, dolores hosce frigorificos inducunt, lentoribus hisce per vasorum extremitates tandem absorptis, adeoque cum sanguine permistis, ex iis cum particulis sulphureis sanguinis nova repullulat fermentatio, calor itaque febrilis succedit, tandem autem materia morbifica subacta aliquando per diarrhœam amandatur. Alii in statu eusarco, etiamsi animi indole dulcissima præditi, hoc morbo tandem confecti, ex levi qualibet occasione irascendi ansam capiunt: iraque tam continua ebulliunt, vix vocem vel visum alicujus tranquille ferunt: ex succis hisce acescentibus spiritibus animalibus continuo tanquam ab *œstro* percitis, sicut opinari fas est.

Hisce præmissis, de reliquis phthiseos scorbuticæ speciebus breviter differere adhuc restat: at cum eæ (scilicet utrum sint hæreditariæ, vel ab erroribus in diæta & victu) maxima ex parte eadem vel similia symptomata præbent: verosimile mihi videtur eas a tali prosapia oriri; quapropter earum ætiologiis explicandis diutius immorari impræsentiarum inutile esset; nobis itaque sufficiet in casu quolibet historiam unam vel aliam subnectere, & medendi methodum recensere.

CAPUT IV.

Hoc Capite Canones quidam generales circa hunc morbum proponuntur.

IN hoc capite symptomata in statu deplorato recenseri debent; at cum nullus sit propemodum e plebe, quin in hoc statu ægro ex hoc vitæ curriculo manumissionem pronunciet, diutius hisce immorari extra propositum esset; nobis itaque sufficiet canones quosdam generales circa hunc morbum proponere, exque iis medendi methodum efformare.

Canon primus:

In statu simplici incipiente facile curatur phthisis.

In statu complicato incipiente, visceribus & lymphaticis salvis, bonum sit expectandum.

In statu confirmato, difficulter, tamen quandoque curatur.

In statu confirmato complicato, alea res est dubio plena.

In statu confirmato complicato, visceribus vel lymphaticis insanis, nil nisi malum sit pronunciandum.

In statu confirmato phthises hæreditariæ inducias frequenter patiuntur, raro autem vel nunquam curantur.

In statu confirmato, modo febris adsit, lacticinia sunt vitanda, in hoc quoque casu chalibeatis abstinendum est.

Urgente dyspnœa, etiamsi catarrho titillante infestetur trachæa, ex opiatis tanquam a peste fugiendum est.

CAPUT V.

Hoc Capite medendi methodus in statu incipiente proponitur.

INtentiones in hoc stadio variis indicationibus respondentes ad sequentes reduci possunt.

In primis, per emetica vel linea cathartica, primæ viæ ex saburra viscosa sunt detergendæ.

Secundo, In adultis phlebotomiam semper proficuam inveni.

Tertio, Pulmones ab humoribus crassis sunt liberandi.

Quarto, Glandulæ infarctæ sunt aperiendæ.

Quinto, Temperies salina sanguinis sit alteranda.

Sexto, Lymphæ succedentis in pulmones defluxus sit præcavendus.

Medicamenta intentioni primæ respondentia, hæc vel similia esse possunt, quibus forma liquida arridet sequentia præscribi possunt.

Si emetico opus est.

℞. *Mell. Sillitic. ab* ℥ii. *ad* ℥iv. *aq. Cardui, hyssop. ad un. ii. syr. scabios. compos.* ℥ß. *M. S. F. Emeticum.*

Si per catharsin alvus sit subducenda, sequentia in usum veniunt.

℞. *Decocti Sennæ Gereonis* ℥iv. *syr. de spina cervina unc. i* ß. *crem. tartari* ℥ß. *aq. lumbricor.* ℥ii. *M. S. F. P. cum regimine sumend.* Vel

℞. *Decocti Sennæ Gereonis unc. iii. Mannæ Calabrinæ unc. i. tincturæ sacræ unc. i. crem. tartari* ℥ß. *aq. lumbricor. solutione gummi Ammoniaci saturat.* ℥j. *M. F. P.*

Cum regimine sumend. huic syrup. Rosar. solutiv. addi potest, pro re nata.

Quibus forma pilularis arridet, hæc vel similia esse possunt.

℞. *Pil. Stomach. cum gumm.* ℈j. *de ammoniaco Magistral.* ℈ß. *tartari vitriolati gr. vi. resin. jalap. a gr. 6. ad 10. Balsam. Peruv. q. s. F. Pil. Nu. 7. cum regimine sumend. his Calomelas a gr. 14. ad* ℈j. *addi potest pro re nata.*

Quibus sit in animo bolus talis esse potest.

℞. *Elect. lenitivi* ℥vi. *crem. tartari* ℥i. *syr. ros. q. s. f. bolus cum regimine sumend.*

Pro puerulis doses & formæ variari possint, scilicet, pulveres de Rhabarbar. sena, Calomelan. resina lapæ, & id genus aliis; nec non Elixiria, & tincturæ, inter quæ tinctura sacra & Elixir Salutis veteris palmam præripiunt.

Quibusdam cerevisia medicata præ cæteris allubescit, & in eo casu talis esse potest.

℞. *Folior. sennæ, Rhabar. polypodii quercini aa. unc. ii. epithymi unc.* iß. *pini, tamerisci summitat. aa. Mii. folior. becabung. Miii. hederæ terrestris Mv. salviæ agrestis Miii. radic.* 5. *aperientium aa. unc. ii. lapath. acut. unc. vi. baccar. juniperi unc. i. cortic. aurantior. Nu. vi. F. sacc. pro tribus cong. cerevisiæ; dos.* ℔i. *aurora qualibet, vel alterna sicut vires ferent. Phthisin incipientem tempore vernali hæc sola cerevisia haud semel curavi. Intentioni tertiæ, quartæ, &c. medicamenta sequentia respondent.*

℞. *Conserv. Cynosbat. unc. iv. corall. rubri* ℥iii. *syrup. balsamic. q. s. F. Elec. horis medicis sumend.* Vel

℞. *Conserv. Cynosbat. florum cichorei aa. unc.* iß. *extract. trifolii fibrini unc.* ß. *animæ martis ab insigni Vigani pp. unc. i. gumm. ammoniaci in aq. lumbricor. solut. unc. i. florum Bezoin.* ℈i. *cum s. q. sirup. balsamic. Tolutan. F. Elec. eodem modo sumend.* Vel

℞. *Cons. Cynosbat. lohoch. de pulmon. vulp. aa.* ℥iß. *enulæ Campan. condit.* ℥ß. *aristolochiæ rotundæ* ℥iiß. *glycirrhizæ* ℥ii. *hæderæ terrestris præparatæ* ℥iii. *florum sulphuris* ℥ß. *syr. de Erysimo q. f. Elec.* Vel ℞. *Conserv. Cynosbat.* ℥iv. *martis cum sulphure pp.* ℥iii. *sal spirituos.* ℈j. *cum s. q. syrup. e cortic. citri. F. Elec.*

Electuariis præscriptis, sicut dyspnœa magis vel minus urgebit; species diaireos, solutio gumm. ammoniaci in aq. lumbricor. fact. flores Benzoin. extract. enulæ, radix aristolochiæ rotundæ, addi possunt, vel omitti, sicut medico videbitur idoneum.

℞. *Syrup. Balsamic. Tolutan. e succ. heder. terrestris, capillor. veneris aa.* ℥iii. *f. syrup.*

℞. *Aq. lactis alexiteriæ* ℔i. *limac. magistral.* ℥ii. *gentianæ compos.* ℥iii. *lumbric.* ℥i. *sacchar. perlat. q. s. F. julapium.*

℔ *Ingredientium q. s. ab* ℔ii. *decocti pectoralis: adde radic. sarsaparil.* ℥iß. *chinæ, fœnic. bardan. urtic. caryophillat. aa.* ℥vi. *aristolochiæ rotund.* ℥ß. *sem. anisi, coriandri, urtic. aa.* ℥ii. *passular. exacinat.* ℥i. *baccar. juniperi* ℥i. *c. c. rasur. eboris aa.* ℥v. *folior. hyperici, capillor. veneris, hederæ terrestris, marrubii albi aa. Mi. coq. in aq. fontan. s. q. ad* ℔iv. *colaturæ adde vini albi* ℥iv. *mell. despumat. sacchar. cand. albi. aa.* ℥ii. *M. F. Apozema usus eximii in asthmate & gravitate pectoris.*

℞. *Aq. limac. magistral. lumbricor. aa.* ℥iv. *syrup. balsamic. Tolutan. de Prassio, Allio vel Erisymo aa.* ℥i. *spir. sal. armoniaci e grumm. ammon. distillat.* ℥ii. *M. F. mixturæ*, vel

℞. *Aq. lactis alexiteriæ* ℔iß. *gentian. compos.* ℥iv. *limac. magistral.* ℥iß. *sacchar. q. s. F. julapium.*

℞. *Pulveris milleped. pp.* ℥iii. *radic. aristolochiæ, gumm. am-*

ammoniaci in aq. lumbricor. solut. aa. ℥iß. *florum Benzoin.* ℥ß. *extract. enulæ. croci an.* ℥i. *Balsam. Peruv.* ℈i. *sulphuris anisat. q. s. F. pil. mediocres in dyspnœa usus egregii*, vel

℞. *Florum Sulphuris, gumm. ammoniaci aa.* ℥ii. *enulæ campan. aristolochiæ rotund. glycirrhiz. Ireos Florentin. aa.* ℥i. *sem. anisi* ℈ii. *picis liquidæ Barbadoos partes iv. Balsam. Peruv. partem i. M. F. Massa pilularis*, vel

℞. *Balsam. Tolu.* ℥iß. *milleped. pp.* ℥ii. *gumm. ammoniaci depurat.* ℥iß. *florum Benzoin.* ℈i. *Myrrhæ* ℥i. *Balsam. sulphuris anisat. gut.* 12. *succi glycirhiz in tinctura a croci solut. q. s. M. F. massa dos.* ℥ß. *vel* ℈ii.

℞. *Pulveris milleped.* ℥iii. *aniniæ martis* ℥i. *gumm. ammon. in aq. lumbricor. solut.* ℥i. *extract. trifolii fibrin. q. s. F. pil. mediocres.*

℞. *Cinnabar. antimonii* ℈ii. *F. pulvis. Capiat bis in die: Panaceæ quoque antimonii Doctoris* Needham *egregii sit usus.*

℞. *Pini summitat. Miii. folior. becabung. Miii. salviæ agrestis Mii. capill. veneris, hederæ terrestris. aa. Mii. radic. lapath. acut.* ℥vi. *baccar. juniperi* ℥i. *cortic. aurantior. N. 6. F. sacc. pro tribus cong. cerevisiæ.*

℞. *Pini, tamarisci summitat. aa. Mii. folior. Beccabung. Miii. hederæ terrestris, capillor. veneris aa. Mvi. salviæ agrostis Miii. radic. osmund. Begal.* ℥iv. *enulæ campan.* ℥ii. *lapath. acut.* ℥vi. ʒ. *aperientium aa.* ℥ii. *sarsæpar.* ℥vii. *baccar. juniperi* ℥i. *sem. anisi* ℥ß. *cortic. aurantior. N. vii. F. sacc. pro tribus cong. cerevisiæ, de qua c. ad* Ibii. *in die cum syrup. & pil. prius præscriptis. His debite adhibitis medicamentis ulterioribus vix opus est; quo autem intentio ultima omni ex parte perfici potest, externa etiam in usu veniunt v. capitis rusura, fontanellæ, vesicatoria satis ampla, quæ revera tussim Phthisicam tutius & magis radicitus tollunt, quam medicamenta quævis opiata forma quacumque sumpta, ingenue etenim fateor ex opiatis copiosius sumptis, nil nisi inducias incertas mihi adhuc observare contigit.*

CAPUT VI.

Quo agitur de methodo in statu confirmato.

INtentiones in statu secundo a prioribus tantum minutiis distant, nisi quod in hoc stadio catharses mitiores esse debent, phlebotomia si omnino, manu tantum parciori sit celebranda; jam calor febrilis qui vehementius exæstuat præ singulis sit temperandus: ad calorem febrilem temperandum varia ex variis authoribus præscribuntur, pulveres scilicet testacei, antihectici, conservæ, antidoti, analeptici, julapia refrigerantia, emulsiones, & id genus alia, at ingenue fateor in hoc statu, hac vel tali methodo haud phthisin semel radicitus sanatam vidi; missis itaque ambagibus, ad cortic. Peruvianum (modo adsit pulmonum ulcus) semel in die tantum exhibitum tanquam ad asylum fugiendum est, hoc tantum observando, quod tunc temporis pectoralibus fortioribus insistendum est, & die quolibet tertio, vel alterno per catharsin levem alvus sit subducendus; hac methodo appetitum prius totaliter prostratum statim restitutum vidi, & calorem febrilem totaliter debellatum. Et cum ita se res habet ad coronidem methodo inceptæ imponendam, ad pectoralia detergentia, aperientia, & antiscorbutica mitiora confugio, in hoc itaque statu methodus sequens vel similis observari potest.

In primis si vires ferent, emeticum lene exhiberi jubeo: *v. gr.*

℞. *Mell. scillitic.* ℥iij. *aq. cardui, hyssop. aa.* ℥ij. *syrup. scabios, compos.* ℥ß. *M. F. Emeticum. Ab hoc assumpto sæpius ingentem massam viscosi phlegmatis per vomitum ejectam inveni.*

Aurora sequenti leve catharticum exhibendum curo, scilicet cum quodam ex iis cap. priori præscripto: at si diarrhœa adsit, quæ sæpius in hoc morbo occurrit, infusionem sequentem exhibendam suadeo.

℞. *Aq. lactis alexiteriæ* Ibi. *gentianæ compos.* ℥iv. *limac. magistral* ℥iß. *lumbricor.* ʒß. *sal. tartari* ℈ij. *aq. menthæ fortioris* ℥j. *Rhabar. optimi inciśi* ʒß. *F. s. q. infusum de quo c. 6. Cochlearia Mane, Aurora qualibet tertia vel alterna.*

Ad calorem temperandum.

℞. *Conf. Cynosbat.* ℥iv. *Cortic. optimi Peruv. pulverisat.* ℥i. *cum s. q. sirup. balsamic. Tolutan. F. Elec.*

Methodus pro pectoralibus & antiscorbuticis ex c. priori desumi potest, pro re nata utenda; dietam ex cibis eupeptis instituo, jusculis scilicet, carnibus ovinis, vitulinis, pullis, ovis sorbilibus, & id genus aliis, religiose observando a lacticiniis abstinere; modo febris adsit, liquores pectoralibus & antiscorbuticis medicatos instituo. Hac methodo quamplures ultra suas & omnium amicorum spes perfectæ sanitati restitui.

CAPUT VII.

Quo agitur de Phthisi in statu deplorato.

IN hoc stadio remedia tantum palliativa exhiberi possunt, & vulgariter quicquid exoptat æger concedo. Utcunque ut ægri & amicorum votis importunis modo quocunque satisfacerem, remedium aliquod symptomati maxime urgenti respondens præscribo. Universo scilicet marcore jam corpus colliquatur, & frequenter summopere gutturis dolore lancinante laborat æger, tali scilicet, quod vix aut ne vix deglutire potest, hinc lac asininum si haberi potest, ejus autem defectu vaccinum, per se, vel decoctis pectoralibus balsamicis exhibendum curo, haustu autem quolibet guttis aliquot olei tartari per deliquium, vel pulvere quodam testaceo commisto, quantum scio remediis ulterioribus haud opus est, quapropter his coronidem imponam.

HISTORIÆ

In Statu Primo.

Observatio I.

Carolus Fleetwood, Generosus & magno ingenii acumine, oppido de *Kirkham* Chirurgiam factitans in carnis intabescentiam incidit, tussi laborabat gravi, & nycthemeri spatio saburram ingentem albi viscosi phlegmatis expuebat, appetitus prostratus erat, quandoque cochlearia aliquot sanguinis expuebat, flatibus intumuit ventriculus, lassitudine spontanea & debilitate corpus universum macerabat. Me tandem in subsidium vocato, lenitivam potionem præscripsi, & semel repetendam instituí, postea syrup. martis *Willisianum* cerevisia pectoralis bis in die sumendum suasi, & hora somni guttas aliquot balsm. Peruv. cum syrupo balsamico Tolutano, brevi tempore cessavit tussis, ipse vires recuperavit; & jam pancratice valet.

Observatio II.

Gilbertus Ousy de Chorley Causidicus, post febrem tertianam catarrho continuo correptus erat; sputum crassum album expuebat; pulsus erat debilis & celer, calor & frigus sæpius in die alternatim succedebant, vultus erat pallidus, musculi totius corporis flaccidi, appetitus totaliter prostratus, vires dejectæ, & sudoribus nocturnis propemodum colliquatus. Electuarium cum cortic. Peruv. hora quarta pomeridiana sumendum suasi, aurora & hora somni, pil. pectorales, syrupos, balsamicos detersivos, & julapia pectoralia præscripsi, die quolibet tertio, 6. cochlearia infusi de rhabarbaro in aqua lactis alexiteria fact. sumenda imperabam, postea pil. pectorales & syrupos cerevisia pectorali sumendos instituí; hac methodo sanitatem pristinam recuperavit, & jam firma valetudine fruitur.

Observatio III.

Jacobus Sherdley Baccalaureus in Artibus, & celeberrimo viro Domino *Price* de *Blakburn* Curatus, incidit in tussim gravem, angustia magna laborabat pectoris, sputum crassum copiosum expuebat cum sanguine commixtum, vultus & oculi flavescebant, urina parca & lixivialis erat cum sedimento rubro, appetitus prostratus erat, & magna quidem debilitate laborabat. Electuarium cum cortice Peruviano præscripsi, postea pil. pectorales, syrupos balsamicos & apozema detersivum horis medicis sumenda suasi. Et postea pil. pectorales cerevisia pectorali aperitiva semel septimana: nec non infusum de rhabarbaro, vel dos. pil. stomach. cum gumm. & de ammoniaco magistrali, sumenda suasi hora somni; his assumptis evanuit morbus, & firma valetudine magna cum laude muniis jam solitis obitur. Eadem, vel methodo simili *Evan Mandsley* de *Penwortham* sanitati restitui.

Observatio IV.

Dominus *Blackhurst* de *Preston*, tempore vernali Anno 91. modo sequenti hoc morbo laborabat, angustia tanta pectoris constrictus erat, ut lineis tantum quibusdam describendis creber recurreret halitus, ab imo anhelans pectore; tussi continua titillante tempore decubitus insomnis jacuit, expuit sputum tenue, pellucidum, horis autem matutinis crassum, & quandoque æruginosum subflavum, vultus pallescebat, intumuere pedes, appetitus prosternitur, & vires in dies labefactabant. Eruptio miliaris cutem universam conspurcavit, urina erat exigua & lixivialis, & sæpius in die de calore & frigore conquestus est. In subsidium accersitus, statim phlebotomiam celebrandam instituí, & fontanellam in brachio secandam, leves catharses repetendas præscripsi, electuario postea sequenti usus est, dosi qualibet superbibendo haustum decocti amari alterantis.

℞. *Pulveris Ari compos.* ℥iß. *martis pp.* ℥i. *sal. spirituosi* ℈i. *conserv. cichorei, becabung. recenter fact. aa.* ℥ii. *cum s. q. sirup. Chalib. F. Electuarium.*

Hoc repetendum imperavi, & bis in die cum cerevisia pectorali sumendum brevi vires recuperavit, & ab hoc morbo perfecte convaluit. Anno sequenti Dominæ perillustri connubio conjunctus erat, & sex circiter mensibus elapsis recidivam passus est. Rursus ad me misit, tunc temporis autem tertiana epidemica me suspirante, Dominus *Parsons* in auxilium vocatus erat, cum qua methodo tractavit, nescio, in dies autem in pessum abiit, & hyeme sequenti ad me rediit, at *quantum mutatus ab illo!* marasmo universali jam confectus erat, vultus erat *Hippocratieus*, febris continua, rubor fixus genas utrasque occupavit, dolore lancinante guttur quotidie terebratur. Cortic. Peruv. alcalicis, balsamic. antiscorbuticis, remediisque aliis appropriatis incassum tentatis auspicante vere, fatis succubuit.

HISTORIÆ

In Statu Secundo.

Observatio V.

DOminus *Wood* de *Kirkham* B. A. cum per totam hyemem gravi laborasset tussi, initio veris me in auxilium vocavit; strigosum perfecte inveni, & quidem ad extremum marcorem redactus, nycthemeri spatio libram unam vel alteram sputi viscosi cærulei eructabat, glutine propemodum tenacioris; de dolore laterali quotidie conquestus est, & magna constrictione, & quasi mole pectoris, & debilitate tanta, quod vires vix ei sufficerent ab alia thori parte ad alteram sibi movendo, urina lixivialis fuit, sitis autem parva, vel nulla, nec quantum memini, de calore quodam insigni conquestus est: in primis bolum purgantem ex electuario lenitivo præscripsi, postea decoctum ex radicibus 5. aperientibus & salvia agresti vice potus communis instituí, deinde per mensis spatium pro potu communi decoctum amarum alterans & traumaticum solummodo concessi, hora somni linctu sequenti usus est.

℞. *Syr. capillor. veneris, e succo hederæ terrestris, balsamic. Tolutan. aa.* ℥j. *specier. diaireos* ℥iij. *gumm. ammoniaci in aqua lumbricor. solut.* ℥j. *florum Sulphuris* ℥ß. *cum s. q. sirup. de 5. radicibus F. linctus, c. cochlear unum hora somni cum gut. 4. Balsam. Peruv. initio Aprilis, sumpsit de cerevisia pectorali aperitiva bis in die, & perfecte convaluit, quod adstantes omnes tunc temporis pro miro habuere. Anno 89.*

Observatio VI.

Johannes Veale Armiger per totam hyemem gravi catarrho correptus fuit, Anno 90. initio veris ad me accedit, tunc temporis vultus erat pallidus & perfecte *Hippocraticus*, tussis continua & sicca, horis autem matutinis sputum crassum sanguinolentum expuebat; tanta rau-

raucedine correptus erat, vix ut ullus vocem illius caperet; appetitus prostratus erat, sudoribus nocturnis propemodum colliquatus; de angustia & pondere pectoris conquestus est, & continuis intestinorum torminibus; urina lixivialis erat, & scabies sicca manus præcipue fœdavit.

In primis decoctum lenitivum cum tinctura sacra præscripsi, postea usum pilular. pectoralium, syruporum & decocti pectoralis, per 14. dierum spatium institui, & deinde pilulas pectorales & syrupos, cum cerevisia pectorali per mensis spatium; ab his sanitati restitutus fuit, & jam pancratice vivit.

Observatio VII.

Rogerus Threlfal tunc temporis in vico de Crosmore habitans, Anno 91. ad me misit; vultus erat pallidus & macilentus, nec non tabe universali macerabat corpus; sudoribus continuis, & febre lenta laborabat, nec non tussi continua, expuit & sputum crassum fœtidumque, quandoque sanguinolentum; in primis bolum purgantem ex electuario lenitivo præscripsi, & deinde usum cerevisiæ pectoralis aperitivæ per mensis spatium institui, nocte qualibet hora somni cepit gut. aliquot balsam. Peruv. in syrup. Balsamico Tolutan. & perfecte convaluit.

Observatio VIII.

Filia natu maxima *Gulielmi Tovvning* de *VVeeton*, Anno 91. tempore vernali ad me accessit; vultus erat pallidus, oculi concavi, nares acutæ, humeri elati, & insigni quidem extabescentia totius corporis laboravit, febris erat continua, sitis intolerabilis, tussis continua, aspera arteria perpetuo titillans, parum vel nihil expuens nisi horis matutinis, & tunc sputum crassum eructavit, appetitus prostratus erat, & urina sedimento copioso albo saturata; ei infusum de rhabar. in aqua lactis alexiteria præscripsi, nec non pil. pectorales, electuarium cum cortice Peruviano, syrupos pectorales, & ab his sanitati restituta fuit.

Observatio IX.

Guilielmus Farington de Ormskirk, pharmacopola, & in arte quidem ista hujusce Patriæ decus, pleuritide correptus erat, cui gravis successit catarrhus, nychemeri spatio libram unam vel alteram sputi pellucidi saporis vitrioli martis per tussim eructavit; de gravitate & mole pectoris continuo conquestus est, indies extabuit corpus, & appetitus prostratus erat, nec non calculi sæpius cruciante paroxysmo laboravit; in consilio conjunctus cum Medico fideli & prudenti Doctore *Grundy*, phlebotomiam repetendam imperavimus, & catharses lenes repetendas pro re nata, & usum pil. pectoral. apozematis, & mixturæ pectoralis instituimus, ab his valetudinem recuperavit, & per totam ætatem magna cum laude artem suam exercuit; tempore hyemali recidivam passus est, rursus in subsidium vocatus, methodum similem præscripsi, & julapia pectoralia succo millepedum impregnata, his autem haud cedente morbo sursum chalybeatum temperatum institui; & quia de mole ventriculi conquestus est, emeticum ex melle scillitico propinandum suasi, a quo copiose evomuit, & faburram ingentem viscosi phlegmatis ejecit, hinc dolor & moles ventriculi evanuit, & tussis parvas inducias dedit, brevi autem tempore redeunte calculi paroxysmo repullulavit morbus; hinc suasi ut morbi syndromen delinearem, eamque celeberrimo *Gibbonsio* communicarem; his transactis vir celeberrimus aquas *Spadanenses* propinandas suasit, & cursum temperatum chalybeatum: nec non *Bochetum* ex sarsaparilla, pulveres quoque cinnabaris antimonii, pil. de styrace, liquores ex cerevisia *Brunsvvicensi* cum antiscorbuticis destillatos instituit, his horis medicis deglutitis, spes nova salutis affulsit, redeunte autem calculi paroxysmo rursus morbus revirescebat; hinc æstate elapsa *Thermas Bateorenses* adiit, rediit autem cum arundine alteri hærenti, expuit jam copiosius & crassius & saporis ingrati, hectico calore & febre inflammatoria immunis fatis succubuit.

Observatio X.

Anno 91. *Guilielmus Tate* de *Blackburn* sicca laborabat tussi, qua nihil emolitus est, *nisi* horis matutinis, urina erat exigua & coloris cerevisiæ *Brunsvvicensis*, lingua sicca & nigrescens, sitis continua, extenuatio universalis corporis, partes extremæ ad molem insignem tumuere, asthmate frequenter correptus erat, & pulmones tanta mole oppressi vix *palmæ ad instar depressæ* resurgebant, in pectore sibilus perpetuus aures percutit, cui talis raucedo succedit, ut vix sermo perceptibilis, tandem Medico isto expertissimo *Doctore Grundy* mecum in consilio conjuncto methodum sequentem instituimus. In primis per leves catharses alvum esse subducendam, deinde fontanellam in brachio celebrandam, & sequentia præparata.

℞. *Pulveris millepedum pp.* ℥iij. *specier. diairear* ℥iij. *gumm. ammon. in aq. lumbricor. solut.* ℥i. *florum Benzoin* ℈ß. *conserv. cynosbat.* ℥iv. *cum s. q. sirup. Balsamic. F. Elect. bis in die cum syr. & cerevisia pectorali aperitiva sumendum: his adhibitis modicum salutis statum recuperavit, & adhuc muniis solitis obitur.*

Observatio XI.

Georgius Longvvorth de *Eclesion*, Anno 90. me in subsidium vocavit, vultus erat viride-nigrescens, appetitus prostratus, tussis continua & sicca nisi horis matutinis, quo tempore phlegma lividum viscosum emolitus est; his successit extenuatio corporis, partes extremæ tumuere, torminibus intestinorum inducias vix ferentibus cruciatus est, urina coloris fuit nigrescentis, & hic revera ab omnibus adstantibus conclamatus; morbum phthisin scorbuticam judicavi, & methodum sequentem instituti, leves catharses imperavi, deinde electuaria chalybeata horis medicis cum cerevisia pectorali aperitiva sumenda, & perfecte convaluit.

DE PHTHISI

In Particulari.

CAPUT I.

De Phthisi ab Hæmoptysi.

Observatio I.

VIr insignissimus *Petrus Bold* de *Bold*, Armiger, a celeberrimo nec minus antiquo *Stemmate* oriundus, & animi nobilitate inter eos illius ætatis facile primus, Anno 92. ætatis 35. in gravem hæmoptysin incidit; mecum insigni Doctore *Grundy* in auxilium vocato, phlebotomiam repetendam inculcavimus, nec non haustus succorum hederæ terrestris, plantaginis, becabungæ, & aliorum ejusmodi prosapiæ julapis refrigerantibus sumendos instituimus: ab his sedato fermento sanguinis, ad vasa disrupta consolidanda, vel saltem hiantia constringenda, balsamica restringentia præscripserimus, ex *Balsamo* scilicet *Tolutano*, gumm. *Arabic.* & id genus aliis, postea ad præcavendam putredinem a sanguine pulmonibus extravasato, decocta pectoralia balsamica detersiva, nec non linctus, pilulas pectorales, & medicamenta talis prosapiæ formis diversis instituimus; his debito adhibitis cessavit hæmoptysis, & tussis, & revera sanitati restitutus erat, ad recidivam autem præcavendam ingurgitationem acidularum & cursum chalybeatum temperatum instituimus, & evacuationes per *Epicrisin* diebus intermediis intercalandas. *At proh dolor!* vir celeberrimus indole animi dulcissima præditus, ut tesseram hospitalem haud confringeret, liquores spirituosos nimis copiose ingurgitavit, & brevi postea catarrho correptus fuit, tussis fuit sicca & clangosa; horis autem matutinis phlegma viscosum subflavum ex grandulis per excreationes, & pulmonibus per tussim eructavit, indies emaciavit, appetitus dejectus erat, urina magna ex parte suppressa, & sibilus continuus in pectore aures percutit; hinc pectoralia balsamica detersiva, liquores antiscorbuticos, mixturas succo & infusione millepedum impregnatas instituimus, his autem haud cessit morbus; versus autem hecticum calorem indies vergebat, ad hunc supprimendum corticem Peruvianum medicamentum *Herculeum* judicavimus, illius autem usu tunc temporis hac in regione vix lanuginem adepto, inculcavimus morbi syndromen delineandam, & quibusdam *Collegii Regalis Londinensium* communicandam, hinc viri celeberrimi Doctores *Rateliff*, & *Gibbons* in subsidium vocati sunt, & doctissimus Dr. *Gibbons* methodum ex cortice Peruviano, & lacte asinino instituit; his debito adhibitis morbus inducias passus est, brevi autem repullulavit virus, hinc sputum crassius & copiosius, febris adauctior, diarrhœa immanior, dolor terebrans fauces continuo infestavit, tumuere pedes, rubor fixus genas utrasque occupavit, quo tempore omnibus sibi cognitis lacrymas vi nulla coercendas effundentibus, quasi in tot *Niobes* conversis; fato irresistibili e medio tollitur.

Observatio II.

Dominus *Flether* de *Cartmell* Mercator, vir ingenio peracri, & totus negotiis dedirus, Anno 89. in gravem hæmoptysin incidit, nychemeri spatio librarum aliquot purpureæ massæ dispendium passus est, nec loqui potuit quin ore pleno sanguinem eructavit. In auxilium vocatus, statim phlebotomiam celebrandam instituit, sanguis & eductus fuit tantopere spumosus, haud adhuc similem vidi. Ingurgitationem julapiorum refrigerantium, & succorum instituti; sedato fermento sanguinis, decocta pectoralia pro potu communi instituti, & ad catarrhum sistendum pilulas sequentes.

℞. *Succi hederæ terrestris per insolationem depurat,* ℔j. *florum farfaræ siccat. summitat. hyssop. salviæ, pulegii aa. Mj. sem. anisi, carui, fœniculi dulc. contus. aa.* ℥ß. *destillentur in B. M. ad mediatatem, deinde F. colatura; quæ destilletur ad consistentiam pilular. addendo succi glycirrhiz.* ℥ß. *pulv. radic. enulæ campan. flor. sulph. aa.* ℥iij. *flor. Benzoin.* ℥j. *Balsam. Peruv.* ℥ß. *tincturæ sulph.* ℥iij. *Ladani Parisat.* ℥ij. *M. F. massa formetur in pilulas exiguas, & sumat* iij. *hora somni; & primo mane cerevisiam pariter pectoralem antiscorbuticam præscripsi, cui folia linguæ cervinæ addenda curavi; hac methodo perfecte convaluit per aliquot annos, & per plures annos pro potu communi lac cum aqua commixtum solummodo sumpsit: tribus annis elapsis recidivam passus est. Rursus in auxilium vocatus Phlebotomia celebrata sequentia præscripsi.*

℞. *Conservæ Rosar. rubrar. cynosbat. aa.* ℥iii. *pulv. santal. omnium aa.* ℥ß. *coral. rubri pp.* ℥i. *croci martis rubicundissimi* ℥ii. *sal. prunel.* ℈iv. *cum s. q. syrup. e coral. F. Elec. hora somni & primo mane sumend. ad quantitatem nucis myristic. superbibendo haustum julapii sequentis.*

℞. *Aq. lactis pectoralis Batean.* ℔i. *portulac. spermatis ranar. aa.* ℥iv. *syrup. e succ. hederæ terrestris* ℥ii. *sal. prunel.* ℥i. *M. F. julapium; pro potu communi decocta pectoralia institui, & hora somni gut. aliquot Balsam. Peruv. e cochlear. sirup. Balsamic. Tolutan. quoties recidivam passus est hac methodo usus est, & nullo negotio sanitatem recuperavit. Anno elapso repullulavit virus, quo tempore me in agrum* Eboracensem *accersito, vir præclarus ad medicamenta veterna quasi valentissima auxilia confugit; tunc temporis autem phlebotomia manu liberali celebrata fermentum sanguinis haud sedari potuit, hinc cortic. Peruvianum dosi prælarga exhibendum curavi; hoc debito adhibito morbus inducias passus est, & de magna constrictione pectoris jam conquestus est, & sputum crassum copiosum eructavit; hinc pil. pectorales detersivas, julapia pectoralia & syrupos præscripsi, & leves catharses repetendas institui; vires autem & carnes in dies labefactabant, tandem* Kensigron *adiit, quo loco post lunarum aliquot circuitus fatis succubuit.*

Observatio III.

Ricardus Tinkler de *Poulton* hospes, cum diu gravi hæmoptysi laborasset, gravi catarrho magnopere emaciatus erat, appetitus prostratus, & revera una voce pronunciarunt omnes ei nulla *vestigia retrorsum*. In auxilium vocatus, phlebotomiam repetendam inculca-

vi,

vi, die ſequenti levem potionem exhibendam curavi, & poſtea remedia ſequentia.

℞. *Conſerv. Cynosbat.* ℥iv. *ſal. martis*, *Balſam. Peruv. aa.* ℥i. *ſpecier. diatrion. ſantal. aa.* ℥iß. *cum ſ. q. ſyrup. Balſamic. Tolutan. F. Elec. ex hoc ſumpſit bis in die cum ſyrupis & decoctis pectoralibus, poſtea per* 14. *dierum ſpatium acidulas Larbricenſes copioſe ingurgitavit, perfecte convaluit, & jam pancratice valet. Methodo ſimili* Henric. Stirup. *Servus* Udwardi Hyde *Apmigeri, poſt diſpendium librarum aliquot Sanguinis ad integram ſanitatem rediit.*

Domina perilluſtris Domin. *Marſdea* de *Frekleton* ex menſium ſuppreſſione toties hæmoptyſes paſſa eſt, poſt potiones lenitivas purgantes per electuaria chalybeata, & infuſiones amaras chalybeatas nullo negotio ad ſanitatem rediit.

PHTHISIS

Ex Vomitu Sanguinis.

Obſervatio I.

INſignis Domina Domin. *Farington* de *Schavv. Halle*, conſors *Georgii Farington* armigeri, Anno 91. æſtivo tempore per vomitum tantum ſanguinis diſpendium paſſa eſt, vix fuit inter vivos habenda, algore univerſali correpta fuit, ſudoribus algidis, pulſus & reſpiratio vix perceptibiles, vox deficit, & ab omnibus conclamata fuit. In ſubſidium vocatus, ſequentia præſcripſi.

℞. *Cortic. Peruv.* ℥j. *corall. rubri*, *hæmatic. croc. martis reſtringent. aa.* ℥j. *confet. Hyacinth.* ℥ij. *conſerv. cynosbat.* ℥iv. *cum ſ. q. ſyrup. Balſamic. Tolutan. F. Electuarium horis medicis Julapio ſequenti ſumend.*

℞. *Aq. ſpermatis ranar. Cinnamom. hordeat. tenuioris aa.* ℥iij. *boli armen.* ℥j. *ſyrup. coral.* ℥iß. *F. Julapium.*

His quarta vice doſi debita deglutitis, redierè vox, reſpiratio & pulſus; & de dolore terebranti pulſatili ventriculi conqueſta eſt. Dom. *Worthington* de *Wigan* Chirurgus expertus apoſtema ventriculo pronunciavit, ei autem ſententiæ mecum Dr. *Grundi* reclamavit, quapropter ut methodo præſcripta inſiſteret inculcavimus, diebus aliquot elapſis clyſmata injicienda curavimus, & ingentem maſſam ſanguinis inſtar picis nigreſcentis per ſedes ejecit, remediis ſumptis, & ſemel repetitis, leves catharſes inſtituimus, decocta balſamica, & cereviſias pectorales, ab his ad ſanitatem rediit, niſi quod vicibus quibuſdam de phlegmate viſcoſo bronchiis pulmonum adhærente conqueritur, levi autem conatu cum pectoralibus balſamicis deterſivis evaneſcit.

Phthiſis ab Hæmorrhagia uterina.
Obſervatio I.

DOmina *Tovvning.* de *Weeton*, uxor *Guilielmi Tovvning*, cum per plures menſes hac laboraſſet, a magno diſpendio ſanguinis frequentes lypothymias & quandoque paroxyſmos *hyſtericos* patitur; ad fermentum ſedandum ſanguinis electuarium cum cortice Peruviano pro baſi præſcripſi. Antidoti autem vires morbo impares fuere; quapropter electuarium ſequens (cujus vires in eodem caſu in domina *Sudel* de *Preſton* expertus fueram) ſtatim præſcripſi.

℞. *Corall. rubri pulverizat. ſuccini flav. boli Armen. ſanguinis draconis aa.* ℥ij. *ſem. plantaginis*, *vitrioli martis*, *croci martis reſtringentis aa.* ℥j. *cum ſ. q. conſervæ de cynosbat. & ſyrup. de roſis ſiccis. F. El. horis medicis Julapio ſequent. ſumend.*

℞. *Aq. meliſſæ*, *lactis alexiteriæ*, *cinnamom. hordeat. aa.* ℥iij. *confec. hyacinth.* ℥j. *ſyrup. myrtini* ℥j. *M. F. Julapium.*

His debito ſumptis fluxus ceſſavit ſanguinis, & ipſa gradu lento in dies vires recuperavit, vere ſequenti de doloribus continuis verſatilibus conqueſta eſt, flatibus admodum moleſtis, appetitu proſtrato, calore & frigore ſæpius in die alternatim recurrentibus, nec non de continua ſiti, & revera perfecte ſtrigoſa fuit, oſſibus ſcilicet nil niſi cute pendula adhærente. Hinc ſequentia præſcripſi.

℞. *Pulveris Arm. compoſ.* ℥vi. *florum ſal. armon.* ℥ß. *animæ martis Vigani* ℥j. *conſerv. cynosbat. cochleariæ aa.* ℥iß. *lujulæ* ℥ß. *cum ſ. q. ſyrup. de cortic. citri F. Elect. horis medicis cum julapio ſequent. ſumend.*

℞. *Aq. lactis pectoralis* ℔j. *limac. magiſtral. gentian. compoſ. aa.* ℥iis. *lumbricor.* ℥j. *ſacchar. perlat. q. ſ. F. julapium*, *in dos. qualibet inſtillat. gutt. 7. ſpiritus ſal. armoniaci ſuccinati.*

His cum regimine deglutitis, & levi catharſi cum cereviſia aperitiva antiſcorbutica ſemel ſeptimana repetita, integre convaluit, & onus jam *Lucinæ* gerit.

Phthiſis ab Impetigine.
Obſervatio I.

QUantum *Græcorum* & *Arabum* impetigines inter ſe diſcrepant, mihi brevitati ſtudenti, morbumque deſcripturo *Meridiano*, uti loqui amant Mathematici, calculatum, a meta propoſita alienum foret. In ſumma tamen hoc dici poteſt, hic morbus medicamentis vulgaribus raro cedit, & priuſquam pulmones illius veneno conſpurcantur, poſt ſalivationem repetitam morbum repullulaſſe novi. In hoc morbo ſymptomata præ cæteris vulgaria ad ſequentia reduci poſſunt. Rubris, duris turbeculis vultus aliæque corporis partes deſœdantur, his maturitatem adeptis ſquamæ furfuraceæ ab iis decidunt, tuſſi moleſta, tempore præſertim veſpertino, corripitur æger, parum vel nihil expectorans, niſi copiam ſatis amplam ſputi pellucidi, frigore continuo horis antemeridianis convellitur; huic calor & ſitis ſuccedunt, adeoque inter duo extrema breves tantum dantur induciæ. Dolores pungentes tantopere fauces infeſtant, ut vix loqui vel deglutire valeat æger. Appetitus totaliter proſternitur. In hoc morbo, cum ſtatum confirmatum attigit æger, ſputum eſt copioſum, craſſum, fœtidum, cærulei, quandoque rufi coloris. In veneno quodam fomes morbi conſiſtere videtur, quale autem ſit parum ſcio; ſi conjecturam tamen proponere liceat, veroſimile mihi videtur in hoc morbo particulis ſalinis acidis luxuriare ſanguinem, & genus nervoſum, quæ cum particulis ſulphureis maſſa ſanguinis eliminantur, adeoque more ſublimati cujuſdam cuticulæ adhærent, ſicut in tentamine ſequenti conſpicere fas eſt; ſume aceti acerrimi q. v. ſuper lentum ignem impone organo quodam communi, vas linteo raro cooperies, particulæ ſulphureæ metallicæ una cum fumis aceſcentibus ſublimabunt, & operculo forma ſicca albeſcente adhærent, ſquamis impetiginoſis parum diſcrepantes. His accedunt rationes ſequentes, iſtis cælorum plagis hic morbus præcipue graſſatur, quibus particulis atmoſphæra conſtipatur falſis, ſcilicet paludoſis, & ſumma hujus morbi antidotus carne viperina conſiſtit, cujus præcipua virtus acido infringendo conſtat, methodus medendi nititur catharticis, *acidulis viperarum* & millepedum præparationibus, cereviſiis antiſcorbuticis mitioribus, antivenereis, nec non pectoralibus balſamicis. Hiſtorias plures recitarem, at in hoc caſu nomina affingere forſan ingratum foret.

Phthiſis a Rheumatiſmo Scorbutico.
Obſervatio I.

INter perſonas provectioris ætatis prope fluvios falſos habitantes hic morbus vernaculus appellari poteſt. E quorum numero Dominus *Aſhton* de *Lea* prope *Preſton*, Anno 92. me in auxilium vocavit, tunc temporis præter atrophiam univerſalem arenulis quoque propemodum confectus erat, per totum diem cruciatu immunis manſit, toro autem haud citius ſe commiſit, quin *Hydra* nova revireſceret; inſomnis per totam noctem frequenter decubuit, quandoque eo uſque furoris morbus advectus eſt, circa mediam noctem, lecto quaſi tauro *Phalaridis* aufugiit, & levaminis cauſa per horam unam vel alteram cathedra prope ignem ſe appoſuit, appetitus proſtratus erat, & vix noſocomium Skeleton quoddam magis viſui objiceret. Calore & ſiti immunis fuit, nec ulla tuſſi afflictus fuit. In primis potionem ſequentem præſcripſi.

℞. *Decocti ſennæ Gereonis* ℥iij. *ſyrup. de ſpina cervin.* ℥j. *diacnicu* ℥ß. *crem. tartari* ℥ß. *aq. lumbricor.* ℥ii. *M. F. P. cum regimine ſumend.*

℞. *Pulveris Ar. comp.* ℥vj. *florum ſal. armon.* ℥ß. *animæ mortis Vigan.* ℥j. *extracti trifolii fibrini* ℥ii. *conſerv. cochleariæ*, *flavedinis aurantior. aa.* ℥ij. *cum ſ. q. ſyrup. e cortic. citri F. Elect. horis medicis julapio ſequenti ſumen.*

℞. *Aq. lactis alexiteriæ* ℔j. *gentian. compoſ.* ℥iij. *limac. magiſtral.* ℥ij. *lumbricor.* ℥j. *ſucc. expreſſ. milleped. N.* 500. *ſacchar. perlat. q. ſ. F. julapium.*

His deglutitis cereviſiam antiſcorbuticam aperitivam inſtitui, æſtivo tempore acidulas *Larbricenſes* ingurgitavit, & ſanus evaſit. Vere ſeqnenti repullulavit virus, methodum ſimilem præſcripſi, altius autem veneno tincto ſyſtemate nervoſo, conatus omnis irritus fuit; hinc poſt ſummos cruciatus, pedes, tibiæ, & femora tumuere, quapropter mortem adſtantem pronunciavi; hinc vir probus, tunc temporis *populari Empirico* oppido *Preſtonienſi* ſuo more medicinam factitanti (columnis ſcilicet oppidanis ſchedulis ſuis obtectis) *panatæis theatri* ſe commiſit. *Medicaſter circumforaneus* etiamſi *Atrophiam* in ſummo gradu adſtantem conſpiceret, nec morbum nec vocis quidem etymologiam cognovit, quin certam ac ſubitaneam medelam promiſit, at brevi tempore fraus *fallentis* detecta fuit, poſt menſem etenim unum vel alterum fatis ſuccubuit.

Obſervatio II.

Illuſtriſſima Domina Domina *Fleetwod* de *Penwortham*, cum cachexia ſcorbutica diu laboraſſet, totam propemodum antiſcorbuticorum *enclycopædiam* tentaſſet, parum autem levaminis recepit. *Thermas Bathonienſes* adiit, conatus autem omnis adhuc irritus erat, eandem ſuaſu viri celeberrimi Doctoris *Baynard.* Coll. Regal. *Londinenſ.* ſocii, tunc temporis herculeo ſucceſſu, & ſummo ingenii cum acumine agro *Lancaſtrienſi* artem Apollineam factitantis, *acidulas Eboracenſes* adiit, has copioſe per menſis ſpatium ingurgitabat, & ſæpius ſeptimana balneo iſto frigido, *Saint Mungus* charactere inſignito, ſe lavabat. Hinc dolores rheumatici & calor hecticus penitus debellati ſunt, & per plures annos valetudini reſtituta fuit. Anno 90. recidivam paſſa eſt; rurſus *acidulas* ingurgitavit, & morbus inducias paſſus eſt; vere autem repullulavit virus, & jam particulis ſalinis ſaturato ſanguine, in dies vires labefactabant; tanta anorexia correpta fuit, ut a cibi uſu vomitus in immanes incideret, & frequenter bilis æruginoſæ copiam immenſam eructaret, remediis quamplurimis incaſſum tentatis, in dies ſitis & calor hecticus eam affligebant, expuit phlegma viſcoſum cinereum, & quandoque æruginoſum, aſthmate poſtea correpta fuit, hinc ſanguinis uncias aliquot a brachio ſumendas ſuaſi, ſanguis eductus craſſa pellicula glutine tenaciore obtectus erat, hinc alcalicis, volatilibus, pectoralibus, deterſivis, & antiſcorbuticis cujuſcunque generis incaſſum tentatis, rediit aſthmatis paroxyſmus, aphonia correpta fuit, & ſupremam clauſit diem; hoc notavi, poſt dominæ celeberrimæ ab *acidulis* & *balneis frigidis* per totum morbi decurſum ſolummodo quid levaminis acceſſit.

Phthiſis a Rachitide.

Obſervatio I.

IN hoc morbo tantopere vultus albeſcit, quod nive propemodum candidior infans, adeoque muſculi flacceſcunt veſtimenti ad inſtar penduli cutis circumambit corpus, crura & pedes tantopere vacillant, corpori ſuſtentando inepta evadunt, durities planæ & amplæ abdomine frequenter interſperſæ, quæ idiomate vernaculo *Liver cake* audiunt; tuſſi corripitur æger, & quandoque diarrhœa, Febri lenta, & ſiti continua. In *medulla ſpinali* mihi fomitem morbi conſiſtere videtur, in hac quibuſdam illecebris ſpiritus animales irretiti, influxu debito ſpirituum privantur nervi ab ea ramificantes; hinc nervi & fibrillæ muſculares pabulo diurno orbatæ flacceſcunt, & conſequenter emaciat corpus, & incurvantur oſſa: in hac etenim tenella ætate, quod membra ſint firma & recta, neceſſe eſt muſculos membra circumambientes eſſe ſpiritu irriguos, aliter ex inæquali nutritione neceſſe eſt partes a ſitu naturali declinent; ſimiliter ad erectionem iſtius floris *Heliotropium* dicti *radii ſolares* requiruntur, quod detracto lumine ſolari vultu torvo & pendente terram deſpicit. Propter ſpiritus nimis parce fluentes albeſcit vultus, emaciat corpus, vacillant pedes, aceſcit ſanguis, hinc tuſſis, febris lenta, & quandoque diarrhœa, humores viſcoſi intra fibrillas muſculares extravaſati, durities prædictas conſtituere videntur. In infantibus methodus

me-

medendi constat ex linimentis nervinis, medicamentis volatilibus, specificis, inter quæ prima jure *ens Veneris* & radix *Osmundæ regalis* recenseri debent. In adultioribus methodus medendi constat ex medicamentis chalybeatis, decoctis & cerevisiis aperitivis, aquis mineralibus acidulis, *balneis frigidis*, & id genus aliis. Methodo priori infantes virorum illustrium *Ambrose Pudsay* de *Bolton Hale*, agro *Eboracensi* Armigeri, & *Joannis Franc* de *Preston* convaluere. Posteriori methodo ab ipsis orci faucibus *Edmundus Forde*, filius natu maximus *Lancelloti Forde* de *Kendale*, sanitati restitutus fuit.

Phthisis a fluore albo.

INtemperiem salinam sanguine mutato, lentorum colluvie luxuriat purpurea massa, hinc viscosa saburra ventriculis infarcitur, quapropter nec edulia assumpta recte concoquit, nec male concocta sanguis assimilat; hinc fit quod magna chyli portio albo fluore præcipitatur, portiones aliæ intra pulmones subsiduut, hinc tussi corripitur æger, & sputum salsum viscosum album copia prægrandi ejectat. Intumescunt frequenter pedes; quod symptoma ab eadem salsedine sanguis deduci potest. Lenta febris gliscit indies ex salino fermento sicut mihi videtur orta. Eruptiones miliares per cutim universam frequenter interspersæ sunt, & lumbago dolorosa summopere torquet, albescit vultus, & caro indies intabescit, quæ symptomata per causam allatam facile explicari possunt. Methodus medendi constat in primis viis detergendis, massa sanguinea invigoranda, & partibus continuo humorum fluxu tonum amissis constringendis. Remedia huc collimantia, sunt emetica scillitica, cathartica aperitiva, chalybeata, & balsamica parum astringentia. Ab his Serenissimæ quædam Dominæ oppido de *Preston* & *Kendale* sanitatem integram recuperavere.

Phthisis a Chlorosi.

FŒminis quibuscunque bene se habentibus a natura infit fermentum quoddam internum a pubertate finita ad senectutis usque lanuginem; hujus gratia per quemlibet lunæ decursum solemnes suas evacuationes habent, ex quibus suppressis pleuritidem, peripneumoniam, rheumatismum, & phthisin haud semel pullulasse notavi. Ab æstuanti quodam animi desiderio, & vitiato ventriculi fermento hæ sæpissime suppressiones contingunt, qualis autem prosapiæ fermentum sit menstruale, haud magis forsan a priori explicari potest, quam fluxus & refluxus Oceani *Cynthiæ* motum quasi tot *satellites* observantes. At ne altum silentium profiteamur, liceat conjecturam proponere; Chlorosin grave quoddam animi desiderium consequi, amorem scilicet, vel mœstitiam, omnibus in propatulo est, nec non appetitum diætæ cujuslibet obscœnæ, cretæ scilicet, calcis, carbonum & id genus aliorum; Sanguinem in hoc morbo detractum semper glutinosum inveni, & ventriculum viscosa saburra repletum, ex quibus opinari liceat, ex pathemate quodam graviori spiritibus nimium oppressis vel circa quendam appetitum æstuantem copia nimis prægrandi absumptis, penu spirituum diurno privatur massa sanguinis, ex quo fit quod particulæ sanguinis tenaciores tardius motæ arctius cohærent & viscosæ fiunt, sicut in tentamine sequenti videre est.

2*l*. *Aq. & glutinis*, *q. v.* vase quodam super ignem impone, dum particulis igneis partes aquosæ circumagitantur, officiunt quo minus particulæ tenaces cohæreant, & liquidæ manent, amoto autem igne, statim viscosæ fiunt; pari forsan modo dum particulæ serosæ & segnes in massa sanguinis, vi spirituum circumagitantur, serum sanguinis manet liquidum & lentoribus immune, æstro autem amoto, spiritibus scilicet pathemate quodam nimium oppressis vel appetitu quodam nimium absumptis, particulas segnes tardius movent, adeoque strictius cohærent & viscosæ fiunt. Huic sententiæ sustragatur clarissimi *Sylvii* authoritas pag. 304. a mœrore autem solent humores reddi glutinosi ac viscosi, maxime in tenni intestino, & quidem propter succum pancreaticum idcirco factum austeriorem; modus revera quo succi glandulares a quodam pathemate vehementi acescunt, haud aliter icnographiam admittit, quantum ego conjectando valeo, quam liquores fermentiscibiles ab ictu fulminis acescentes. Methodus medendi sumitur a vomitoriis, catharticis amaris detergentibus, volatilibus, martiatis, & aquis acidulis naturalibus & artificialibus, historias pene infinitas recitarem, at brevitati studens has omitto.

Phthisis Chylosa.

POst febres cujuscunque generis inter infantes præcipue hic morbus contingit, quapropter verosimile videtur conflictu febrili spirituum penus summopere absumitur, hinc in salinam dyscrasiam degenerat massa sanguinis, & verosimile pars serosa sanguinis per salia coagulatur, adeoque lentoribus glandulæ mesenterii infarciuntur, quapropter in intestina regurgitat chylus, & si lacteæ totaliter obstrunntur, emarcescit corpus, intumescit abdomen, albescunt fæces, & gravi tussi laborat patiens; quandoque lacteæ totaliter haud oppilantur, & hinc fæces haud albescunt, intumescit tamen abdomen, & emaciat corpus propter lacteas quasquam oppilatas; hoc symptoma frequenter notavi. Phthisis hujusmodi lento procedit gradu, tractu tamen temporis, glandulæ infarctæ mesenterii strumosæ fiunt, & quandoque glandulæ pulmonares, & in isto stadio conclamatum est. Methodus medendi quæ mihi præ cæteris arridet, & quæ spem raro aut nunquam abludit, modo sit in principio vel augmento morbi, sumitur a catharticis aperitivis, inter quæ *Elixir Salutis* cæteris palmam præripit, diebus intermediis pilulas ex *trifolio fibrino*, *gum. ammoniaco*, & *anima martis*, instituo, nec non in adultis *Electuaria Chalybeata*, & *cerevisias pectorales* aperitivas, *ens veneris* & *radix osmundæ* regalis egregii sunt usus, & ubi vermium suspicio, *æthiops mineralis*, abdomen sæpius in die linimentis emollientibus aperitivis illiniendum inculco, & gestare Sylvii Emplastrum carminans, opio omisso. Hac methodo, filia natu maxima Domini *Smith de Stalming Grange*, & fœmina *quædam* prope *Whitle-hill* habitans, sanitati restitutæ fuere. Plures recitarem; ad umbilicum autem jam ducere incumbit.

Hic est finis Phthisiologiæ Lancastrienſis; redeamus jam ad ea quæ restant de Clarissimi Thomæ Sydenham Processibus integris, &c.

THOMÆ SYDENHAM
DE PODAGRA.

EXeunte Januario aut incipiente Februario ingruit hora fere secunda matutina, dolore pollicem pedis ut plurimum occupante, quandoque vero calcaneum, suram, aut talum; mox sequitur rigor cum horrore & febricitatione aliquali, dolor gradatim intenditur, (de pari passu rigor atque hortor recedunt) idque in singulas horas, donec tandem sub noctem ad apicem pervenerit, nunc tensionem violentam, nunc morsum canis rodentis, quandoque pressuram, & coarctationem exprimens, hinc præ exquisito dolore, nec linteorum superincumbentium pondus, nec cubiculi a fortiori ambulatione concussionem ferre podagricus valeat; dolor non sedatur, nisi ante horam secundam, tertiamve matutinam (decurso scilicet nycthemeri spatio a primo appulsu) & jam leni madore perfusus æger somno concedit, a quo evigilans, dolore multum imminuto, partem affectam tumore recenter occupatam cernit. Sequenti die, forte etiam ad biduum, triduumve dolet nonnihil pars affecta, idque vehementius advesperascente die, levatur autem sub galli cantu. Intra paucos dies alter pes eodem dolore torquetur. Postquam utrunque pedem exercuerit dolor, qui sequuntur paroxysmi enormes sunt, tum quoad tempus invasionis, tum ob durationem, atque ex serie horum paroxysmulorum, constat paroxysmus, qui dicitur podagræ diuturnior breviorve, pro ægri ætate in iis qui vegetiores sunt & quos padagra rarius invasit, diebus sæpe quatuordecim, in senioribus, atque iis quos sæpius afflixit, duobus mensibus fere desinit; iis vero, qui vel annis, vel diuturniore morbi mora fracti sunt, non prius valedicit, quam æstas jam adultior eam fugaverit.

At quatuordecim primos dies urina coloratior est, cum sedimento rubro, & quasi arenulis referto, alvus fere constipata est, *Appetitus* prostratio, rigor totius corpotis sub vesperam integrum paroxysmum comitantur, recedentem paroxysmum excipit pedis affecti inter digitos pruritus vix ferendus; unde decidunt furfures, & pedes desquamantur.

Hactenus dolor pedibus tantum fuerit infestus; cum vero vel ab indebita medicatione turbatur podagra, vel ob diuturnam morbi pertinaciam corporis substantia quasi in morbi fomitem pervertitur; jam manus, carpos, cubitos, genua, aliasque regiones occupat, quandoque unum, pluresve digitos distorquens, fasciculo radicum pastinacæ similes eos reddit, motu paulatim privans, tandemque concretiones, circa articulorum ligamenta, tophaceos generans, cretam vel oculos cancrorum æmulantes, nonnunquam in cubitis tumorem subalbum ciet, fere ad ovi magnitudinem, qui sensim inflammatur cum rubore, nonnunquam femur occupans, sensum exhibet, quasi ingentis ponderis appensi, sine dolore tamen notabili, at genu exinde petens, id acrius urget, artus jam habet æger fere undequaque contractos, & impeditos, ita ut claudicet, & permoleste prorepit. Urina illam colore imitatur, quæ in diabete excernitur, dorsum, aliæque partes molestе pruriunt, maxime sub horam somni.

Post multos, diroſque cruciatus paroxysmi subsequentes (natura partim onere materiæ peccantis, partim senio oppressa) ægrum quoad dolorem clementius tractant, at loco doloris consueti, ægritudo quædam cum dolore ventris, lassitudo spontanea, quandoque etiam propensio ad diarrhœam supervenium, quæ symptomata evanescunt, quoties articulos dolor fatigat, atque ita nunc dolore, nunc ægritudine, quasi alternatim lacessentibus, paroxysmus longas moras nectit.

Calculum renum in quamplurimis parit hic effectus.

Fœminas perraro infestat, easque, non nisi jam vetulas, & viragines, pueros quoque, & juvenibus minores vix adoritur.

Indicatio curativa in eo vertitur, ut coctioni consulatur, indigestionibus sublatis, seu fit per pharmaca, seu victus rationem, seu exercitationem, seu alia ex istis qualibet, quæ sex res non naturales indigitantur.

Venæ sectio, catharsis, ac diaphoresis scopum non attingent, licet iis qui *Renum* simul *Calculo*, & exinde orto *Mictu Sanguineo* laborant, non absre erit semel in septimana, alvum *Manna* subducere, & singulis noctibus, post purgationem paregoricum exhibere.

Medicamenta, quæ prædictæ indicationi satisfaciunt, ea sunt, quæ moderate calent, & vel amaricant, vel linguam leniter feriunt, talia sunt, *Rad. Angelic. enulæ*; *fol. Absinth. cent. min. chamæd. chamæt. &c.* quibus addi possunt *Antiscorbutica* dicta, ut *Rad. raph. rustic. fol. Cochl. hort. nasturt. Aq. &c.* quæ tamen parcius usurpanda veniunt, quia morbi fomiti aculeos subdunt, & calorem augent, præ istis aliis, quæ miti calore, atque amaritudine, ventriculum corroborant. Haud inutile est *Electuar.* sequeus.

2*l*. *Conserv. Cochl. hort. unc. i* ß. *Absinth. rom. flav. Aurant. an. unc. j. Angel. condit. nuc. moschat. cond. an. unc.* ß. *Theriac. Androm.* ʒ*iij. Pulv. ari. comp.* ʒ*ii. cum s. q. Syr. Auran. f. Elect. de quo sumat.* ʒ*ii. bis in die superbibendo seq. Aq. distillat. Cochl. v. vel vi.*

2*l*. *Rad. raphan. rustic. incis. unc. iij. Cochl. hort. M. xij. nasturt. Aq. becabung. salv. menth. an. M. iv. cort. aurant. No. vi. nuc. mosch. cond. No. ii. cerev. Brunsvicens.* ℔*xii.* destillentur organis communibus, donec solummodo ℔*vi.* aquæ eliciantur pro usu.

Hæc autem remedia *digestiva*, constantet, atque omui adhibita diligentia, assidue usurpanda, & in *Paroxysmorum* intervallis præcipue in usum revocanda sunt.

Mediocritas ea in cibo observanda est, ut neque plus alimenti ingeratur, quam ventriculus concoquere valeat, neque e contra nimia abstinentia, partes ea proportione alimenti defraudentur, quæ earundem robur & vigotem sustinere potis est. Quoad qualitatem autem ciborum, ægri palato consulendum est, & unica ciborum specie singulis pastibus vescatur, de cæteris, dempta carne, pro libitu comedat, modo nec acria, nec sale condita sint, nec aromatis. Prandere tantum expedit, loco autem cœnæ indulgeat, sibi haustum cerevisiæ alicujus tenuioris, quo calculi concretio impediatur.

Liquores optimi sunt, qui neque ad vini generositatem ascendunt, nec ad aquæ debilitatem, ne frigore suo lædant ventriculum, deprimuntur. Hujusmodi est *Cerevisia tenuis Londinensis*, aut multa aqua cum pauco vino permixta; aqua autem pura & cruda periculosa est; cum autem universa fere corporis substantia in podagram degeneravetit, a liquore quocunque fermento quantumvis levi, & tenui absti-

abſtineat, & utatur *Decocto Diætetico ex ex Sarſa*, *in remediorum formulis deſcripto*, ubi primum a paroxyſmo convaluerit, per reliquum vitæ curſum.

Sin autem æger a longo, & nimio liquorum inebriantium uſu, vel ab ætate provectiore, vel denique præ nimia debilitate, cibos abſque vino nequeat concoquere, in paſtibus hauſtum vi Hiſpanici ſibi indulgeat, *Apozema Diæteticum* abdicans.

Æger, maxime hyemis tempore, mature lectum petat, diluculo exurgat, animus ſit tranquillus, nec nimis intentus ſtudiis, & rebus ſeriis, cæteris vero omnibus, exercitatio corporis quotidiana, facile palmam præripit, quæ moderata ſit, & perſeverans, nullo autem modo juſto vehementior; quoad exercitii genus, quoties nec grandior ætas, nec calculus intercedant, reliquis præferenda eſt equitatio conſtans, ac aſſidua aere ſalubri, aut vectio in curru.

Veneris lenociniis ne indulgeat. Remedia externa nulla adhibenda.

Quamvis nihil magni in paroxyſmo tentandum ſit, conducet tamen fortaſſe per aliquot dies, ubi primum a morbo corripitur, a carnibus abſtinere, juſculo uti avenaceo, aut alio pari alimento, ſin autem ſpiritus animales ataxiam concipere apti ſunt, non expedit a carnibus abſtinere diutius quam ventriculus earum uſum averſetur, ne quid autem vel in quantitate, vel in qualitate ciborum aut potus peccet.

Symptomatibus iis occurrendum eſt, a quibus æger in paroxyſmo de vita periclitatur, horum maxime familiare eſt, ventriculi languor, cum ventris torminibus, tanquam a flatu, hoc in caſu, nihil æque votis reſpondet, ac vini Canarienſis hauſtulus ſubinde deglutitus, exercitio utatur æger; ſin autem ſymptoma, inducias haud ferens, mortem minitetur, modo caput malum non impetat, ad *Laudan.* ſtatim confugiendum, *viz. gutt. xx.* in hauſtulo *Aq. Epidem.* & in lecto ad quietem ſe componat; hac ipſa methodo ſe ab imminenti morte liberavit Author clariſſimus, ubi ex errore aliquo, circa res ſex non naturales, in ingentem ventriculi ægritudinem incidit, cum vomituritione, & aliquali ventris dolore; artus interim, ex retroceſſione materiæ podagricæ, doloris erant expertes, ac ad motum plus ſolito habiles; Congium nempe unum liquoris poſſetici, vel cereviſiæ tenuis devorabat, & quamprimum totum per vomitum rejecerit, Vini Canar. hauſtulum, cui inſtillatæ fuerint *Laudan. liquid. gutt. xvii.* ſumebat. Quod ſi huic remedio ſymptoma non cedat, ſudor provocetur, methodo & medicamentis huic uſui dicatis ad biduum, triduumve, mane & veſperi per duas treſve horas continuas.

Si autem metaſtaſis fuerit materiæ peccantis in pulmonum lobos, liberati artubus a dolore, & tumore, tractandum eſt hoc ſymptoma, pari modo ac peripneumonia abſoluta, venæ ſectione ſcilicet repetita, diæta, & remediis refrigerantibus, & incraſſantibus, purgandus eſt inſuper æger, inter venæ ſectiones, potionibus lenientibus, ſudoris autem provocatio obeſt.

F I N I S.

INDEX MORBORUM,

Quorum Curatio in Proceſſ. Integr. &c. habetur.

A

DE Abortu præcavendo. Pag. 148
Ambuſtis. 150
Angina. 144
Apoplexia. 146
Aſthmate. 150

C

Canis rabidi morſu. 150
Chloroſi. ibid.
Cholare morbo. 147
Chorea ſancti Viti. 146
Colica Bilioſa. 147
Colica Hyſterica. ibid.
Colica Pictonum. ibid.
Contuſionibus. 150

D

Diabete. 149
Diarrhœa. 146
Dyſenteria. ibid.

E

Epilepſia Puerorum. 149

F

Febre Stationaria. 143
Febre Conſtitutionum variarum. 142
Febribus a dentitione ortis. 149
Febre Depuratoria. 143
Febre Eryſipelatoſa. 144
Febre Hectica Infantum. 150
Febre Intermitt. ibid.
Febre Peſtilentiali. ibid.
Febre Scarlatina. 143
Fluore Albo. 149
Furfure ſive Porrigine capitis. 143

G

Gonorrhœa virulenta. 148

H

Hæmoptoe. 150
Hæmorrhagia narium. ibid.
Hæmorrhoidum dolore. ibid.
Hæmorrhoidum fluxu immodico. 149
Hydrope. 148
Hypochondriaca affectione. 142
Hyſterica paſſione. ibid.

I

Ictero. 150
Iliaca paſſione. 147

L

Lochiorum fluxu immodico. 148
Lochiorum ſuppreſſione. ibid.
Lue Venerea. 149

M

Mania communi. 150
Menſium fluxu immodico. 147
Menſium ſuppreſſione. 150
Mictu ſanguineo a renum calcul. 146
Morbillis. 144

N

Nephritico Paroxyſmo. 146

O

Ophthalmia. ibid.

P

Paralyſi. 150
Peripneumonia notha. 144
Phthiſi. 151
Pleuritide. 144
Pruritu ferino. ibid.
Punctura tendinis. 150
Podagra. 158

R

Rachitide. 149
Rheumatiſmo. 144
Remediorum formulis. 142

S

Scorbnto. 151

T

Tuſſi. 151
Teneſmo. 146
Tuſſi puerorum convulſiva. 150
Tabis deſcriptio & cura. 151

V

Variolis. 145
Ulcere Veſicæ. 150
Vomitu ſanguinis. ibid.
Uteri procidentia. 146

ADMO-

ADMONITIO.

Ne quid deſit eorum omnium, quæ ſuper Conſtitutionibus Epidemicis hactenus in Ephemeridibus Germanicis & alibi vulgata ſunt, hic, quamvis extra ordinem, adjiciemus, tum ea quæ in hoc argumento, de annis 1697. & 1698. fuere ſcripta, quæque a nobis proprio loco omiſſa ſunt, tum alia omnia, quæ ab anno 1701. ad annum uſque 1717. in variis Germaniæ locis fuere obſervata, quæque ad manus noſtras non prius pervenerunt, quam opus noſtrum ad finem prope deductum eſſet.

HISTORIA EPIDEMICA GERMANIÆ.

Conſtitutio Epidemica Auguſtana An. 1697.

DN. D. LUCÆ SCHROECKII,

Academ. Cæſar. Leopold. Naturæ Curioſorum Præſidis.

QUam Morbona Anno elapſo ad finem vergente quietem Medicis Auguſtanis conceſſerat, multam hoc quoque continuaverat, ita ut licet morbi aliqui epidemice Urbem infeſtarent, raro tamen multos invadere deprehenderentur. Morbilli in primis & variolæ tum benigniores, tum confluentes, gravibuſque ſymptomatibus ſtipatæ, puerilem æque ac juvenilem ætatem invadebant, & cladem iiſdem inferebant. Dn. G. mercatoris filiolus novem annorum, cum variolas feliciter ſuperaſſet, paulo poſt menſe April. in tres etiam ſorores fratremque octo annos natum contagium derivaverat; inter quas ſororcula triennis, ad medicamenta ſumenda difficilis, atque puſtulis non adeo multis licet laboraret, ob craſſæ lymphæ bronchia obviſcantis abundantiam gravius reſpirans, nec non cephalalgia intenſa, cum ſubſequo ex aure dextra purulenti humoris, parciori tamen effluxu tentata, accedentibus convulſionibus ſenſim defecit; in altera autem ſorore, decimum ætatis annum agente, non admodum ægrotare viſa, variolæ quidem plurimæ, nec difficulter prodierunt, ulla tamen arte, in juſtas puſtulas extolli atque ſuppurari recuſarunt, ut & ipſa tertia hebdomade objerit; tertia vero ſoror ſedecim annos nata, atque confluentibus variolis obſita, de intenſo totius corporis ardore, quem & ipſe rubens cutis calor teſtabatur, potiſſimum conqueſta, feliciter emerſit; cumque ipſe frater, qui variolas diſcretas mediocri numero efflorescentes, nec ſymptomatum aliorum concurſu graves licet pateretur, decimo tamen a decubitu die, magnam narium hæmorrhagiam ſubiit, quæ per quatridnum ſubinde recurrens, variolarum tamen neque ad interiora ingreſſum, neque mortem induxit, ſed temperatiorum emulſionum poſt uſum ceſſavit, quam, variolis jam exſiccatis, icterus plurium dierum excepit, a quo juſculis, herbis recentibus bellidis &c. medicatis ſenſim convaluit.

Pleuritides etiam veræ, & peripneumoniæ, in principio ſi negligebantur, ſenibus in primis funeſtæ; quin & catarrhi graviores faucibus moleſti, ac fere ſuffocativi, tuſſeſque humidæ notabantur: in illuſtriſſimo quodam Barone fauces conſtringebantur, ut ſuffocationis in periculo verſaretur, cui elixir proprietatis Claud. cum ſpiritu cornu cervini mixtum præſentaneam opem præſtitit, & recurrentem aliquoties inſultum potiuncula laxativa, ſubductis ſeroſis viſcoſitatibus, penitus abegit. In aliis decocta herbæ veronicæ, radicis liquiritiæ, ſeminis aniſi &c. aliaque ſemm ſtagnans diſſolvendi vi pollentia, & quæ illius abundantiam blande eliminabant, laxativa ſe commendarunt. Nonnullis facta ſeroſæ materiæ in ventrem inferiorem metaſtaſi, cum ſubſequa diarrhœa, aut febre tertiana, morbus fuit ſolutus; quidam virili in ætate conſtitutus, cum faciei intumeſcentiam, intenſo calori, cephalalgiæ & virium debilitati junctam incidiſſet, paulo poſt, a propinata bis ſudorifera potione, ceſſante tumore atque dolore, ſerum peccans inde per anteriorem corporis partem defluere, ſcrotumque in molem inſignem extendere ſenſit, eodem tamen tumore, poſt propinatum binis ſolum vicibus diaſcordium Fracaſtorii, alvumque ſicciorem per folia ſennæ prunorum Damaſcenorum decocto infuſa reſeratam, a cataplaſmate ex reſolventibus & diſcutientibus pulveribus cum lacte coctis parato, facile iterum evaneſcente.

Ut porro arthritides vagas, iſchiadicos dolores in Anni præcedentis exitu memoratos, & hucuſque urbem infeſtantes taceam, febres etiam ardentes in puſtuloſas ſæpe & maculoſas efflorescentias, non abſque malignitatis aut contagii nota, & cum dorſi præcipue ac capitis magno dolore in principio conjunctas, abeuntes; præcipue autem, præter erraticas, quotidianæ ac tertianæ notabantur; quæ cum primum invaderent, continuarum in aliquibus metum, vehementi ſuo calore, cephalalgia, deliriis ac virium debilitate, incuſſerant; brevi autem tempore, a propinato, varia ſub forma, chinchinæ cortice, &, ſine quo difficilis ac fere fruſtranea reddebatur cura, interpoſito quandoque blandiorum evacuantium uſu, abſque recidivæ metu, ni gravis in diæta error committeretur, receſſerant; prout nec continuæ febres, bezoardicis & diaphoreticis continuatis haud immorigeræ, perfectam ſanitatem ſemper admittebant, niſi ſuperſtitem vitioſæ lymphæ abundantiam, ventriculo in primis atque inteſtinis moleſtam, in fine morbi lenitivis commode educere ſtuduiſſent. Nobil. Matrona, floridæ ætatis, ſanguineæque conſtitutionis, in fine ſecundi menſis gravida, poſt cibos concoctu difficiliores ingeſtos, in tertianam incidit, cum permoleſto tenſivo dolore, a quo, poſt biduanum ſpecifici ſtomachici Poteriani uſum, pulveris Peruviani ſcrupulum unum in tantillo vini Neccarini rubri ſubadſtringentis, mane & veſperi per duos dies ſumpſiſſet, libera quidem evaſit, inſignem vero uteri hæmorrhagiam, cum abortus periculo incurrit, quæ tamen a coralliorum rubrorum pulvere tum ſolitario, tum lapidi hæmatiti ac terræ ſigillatæ commixto, ſucceſſive exhibito, imperata ſimul quiete, ſenſim ceſſavit, alvo interea ſicciori & flatibus gravata, cibis lubricantibus minime, foliolis autem ſennæ parva quantitate decocto prunorum Damaſc. infuſis, obſecundante, partu vero filiolum juſto tempore ſanum & vegetum excludente.

Pluribus ophthalmiæ, & genarum non tantum œdematoſos tumores, modo indolentes, modo odontalgiæ, in ulcuſcula buccarum interna aliquibus terminatæ, juncti, moleſtiam magis quam periculum creaverunt, ſed parotides etiam glandulas, modo in uno, modo utroque latere, cum præcedanea febrili effervescentia, in pueris quandoque ad delirium uſque ſpiritus magis mobiles exagitante, lymphæ lenteſcentis ſtagnatio, M. Majo occupaverat; nec catarrhoſæ capitis & pectoris gravedines M. Junio omnino aberant. Ophthalmiæ ardorem nihil felicius quam vini ſpiritus linteolo exceptus & impoſitus compeſcebat. Parotides autem, juxta cum diaphoreticorum uſu, emplaſtrum malacticum Auguſt. ſimplex diſcutiebat.

Infirmitatibus hiſce, quæ a ſeri ſtagnationibus ac coacervationibus, nec non ob ſuffl aminatam inſenſibilem tranſpirationem, variarum impuriorum particularum inquinationibus commode derivari amant, producendis frigidi aeris inclementia, & poſtea inæqualitas plurimum contuliſſe videbatur; cum enim primus Anni menſis frigore, admodum quandoque intenſo, crebriſque comitato nebulis, infeſtus eſſet, quas M. Februario frequentes nives, præter frigoris continuationem, veſpertinis autem horis remiſſionem excipiebant, Martius & Aprilis principium inconſtantia ſua modo nebulas, pluvias, nives, modo ſerenitates, aeris teporem friguſque produxerant; uſque dum ſol ad Tauri ſignum propius accedens, amœnioris veris ſpem faceret, inque Majo calores æſtivis fere æquales primo excitaret, quos tempeſtates non infrequentes, nobis equidem per Dei gratiam clementiores, viciniæ autem noſtræ, atque remotiſſimis etiam in locis, in primis die 21. ſt. n. grandine inſolita (nobis equidem e longinquo ſaltem comparente) admodum damnoſæ ſequebantur; quam intemperiem ſuccedens zephyri vehementia d. 27. nivem copioſam adduxerat, aeremque poſtea ad pruinas matutinas uſque, in fine Maji, ſub crebriori euri flatu, ac cæli ſerenitate refrigeraverat; cum cæteroquin temperatior aeris ſtatus & grata caloris variatio M. Junio nihil inconſueti corporibus noſtris inferret; accedente præterea crebriori ventorum alternatione, qui modo ab orientali, modo occidentali in primis plaga, urbem hucuſque perflaverant, terramque a pluviis licet multoties madefactam iterum exſiccaverant, quin & ſimul continuo iſto aeris motu plurima morborum miaſmata diſcuſſerant.

Nec aliam æſtas faciem induerat. Sole autem Leonis ſignum percurrente, frigidiuſculam frequenter auram, & crebriores pluvias, meſſis collectioni multum damnoſas, zephyrus adduxerat; quæ ipſa temporis conſtitutio, præſertim horæorum fructuum abundantia cum daretur, diarrhœas non paucas, minus tamen periculoſas aut refractarias pariebat; uſque dum Sol Virginem tenebat, ubi meridionalis ventus nubila diſcutiens, ſerenius, veſpertino tamen & matutino frigore horridiuſculum cælum reddiderat. Cum æquinoctio tamen autumnali crebriores zephyri impetus plurimas denuo pluvias, frigore comitatas, adduxerant: quæ pluvioſa, ventoſa & frigida facies uſque ad Solis in Scorpionem adventum continuaverat; ubi ſub ulteriori varia ventorum alternatione, frigida aeris intemperies, quam Sole Sagittarii ſignum ingreſſo, diuturnæ nebulæ & poſtea crebriores nives comitabantur, nec non circa hyemale ſolſtitium pluviæ ac temperatior aura exceperant; finem autem Anni frigidus ac nebuloſus aer clauſerat.

Interea variolæ, quamvis malignitate carere viſæ, atque odontalgiæ nunquam receſſerant; ante æquinoctium autumnale febres etiam quotidianæ & tertianæ, nec non tuſſes humidæ æque ac convulſivi quid habentes, contumaciores, in puerili præcipue, ſed adulta quoque ætate, nec non poſt æquinoctium rheumatiſmi ad brachia, atque ſeneſcente Autumno febres petechiales notabantur, quin & iſchiatica paſſio, cum præcedaneo vel comitante circa os ſacrum dolore, haud infrequenter occurrebat; quæ etiam extra urbem infeſta erat, quin multis in Sueviæ locis plurimos excruciare ferebatur.

Odontalgiæ quidem majorem pene incolarum partem affligebant, ut raræ in civitate domus eſſent, in quibus malum hoc non inveniret hoſpitium; a medicamentis vero ſerum ex corpore ſubducentibus, ac præterea ſpiritus ferocientes demulcentibus opiatis, noctu parva doſi ſucceſſive exhibitis, certius, quam aliis artificiis, expelli aptum: qui vero dentium ab evulſione lenimentum ſperaverant, pertinaciorem ut plurimum dolorem experti fuerunt.

Rheumatiſmos ad brachia, in quibus nec rubedo nec tumor notabatur, capitis dolor aut gravedo prægreſſa, a ſeri ex cerebro in nervos decubitu, productos fuiſſe indicabat; quorum difficilis erat cura; quæ etiam reiteratio laxantium ab uſu promptius, quam ſudoriferorum ſucceſſerat; externe autem crebriori ſpiritus vini camphorati aut ſimilium inunctione ſymbolum conferente.

Qua ipſa etiam methodo coxarum dolor tractari volebat, a ſimili in nervos ſeri abundantis translatione dubio procul ortus, præcipue cum illum ab oſſis ſacri regione potiſſimum principium ſumpſiſſe, ex ægrotorum relatione conſtiterit.

Febres petechiales minus erant lethiferæ, pleuritides ut plurimum in principio mentiebantur, dolore capitis ſemper, deliriis tamen nunquam, vel rarioribus infeſtæ. Sic vir quadragenario major, J. C. S. melancholici temperamenti, d. 22. Novembr. ſt. n. ſubito horrore cum calore alternante, intenſa cephalalgia, vigiliis, virium proſtratione, lateris ſiniſtri dolore punctorio, & appetitu proſtrato prehenſus, tincturam bezoardicam ſumpſit, ſine ullo levamine. Die morbi tertio vocatus, potionem diaphoreticam ex diaſcordio Fracaſt. ſale cornu cervi volatili, & pulvere rubeo Pannonico duabus vicibus ſumendam præſcripſi; nox inquieta; d. quarto horror & dolor lateris remiſere, capitis vero erat tolerabilior, urina paulo minus tincta quam præcedenti die, idem medicamentum mane continuavit, veſperi ad alia nauſeabundus, tincturam bezoardicam ſolam admiſit, nocte quietiore ſubſequente; d. quinto eadem, ſitis adaucta, quam aqua pomis citriis medicata, demulcebat; tincturam continuavit, quam tamen poſtea ſibi nocere imaginatus eſt; ſucceſſit tuſſis ſicca, moleſta,

ſta, fortaſſe a potu frigidiore; nox inquieta; d. 6. dolor in capitis tantum dextra patte recruduit, tanrus, ut nec manus attactum ferret, ab impoſita vero herba recenti rutæ, cum baccis juniperi contuſis, atque inter ſudandum (quæ conrinua diaphoreſis, ſub temperato aeris regimine) per bolum ex diaſcordio, ſale C. C. vol. & antimonio diaphoretico, quavis ſexta hora exhibitum, ſenſim promovebatur) cum halitum quaſi aliquem ex aure dextra erupiſſe ſenſiſſer, remiſit; die 7. in meliori ſtatu verſabatur, urina minus tincta & petechiales maculæ cum intermiſtis plurimis puſtulis aqueis in collo, pectore & dorſo erumpebant, ſicque ſucceſſive alias etiam partes, d. 8. 9. 10. occupabant; quas, earum ante ignarus, d. 11. in manibus etiam obortas cum conſpiceret, valde contriſtatus inde & perterrirus fuir; urina quoad colorem naturali ſimilis, noctu largiori rivo effluxit, d. 12. ruſſicula continuavit, ſitis intenſa, urina maxima in quantitate, & longe ultra potus ſumpti menſuram excernebatur, aquea prorſus, cum ſumma virium proſtratione; unde vinum ſive ſuccum cydoniorum ſaccharatum aqua dilutum bibere veſperi juſſus eſt: cuncta mala inde mitigari viſa, nocte etiam quiete ſuccedente, calori interea adhuc gliſcenti moderato bezoardicorum, & tandem unicornu marini matutino ac veſpertino uſu obviam ibatur; die 16. noctu ſudor magnus cum totali morbi ceſſarione erupit.

Mulierem juvenculam, J. L. tertio menſe gravidam, eadem ſymptomata d. 21. Novembris invaſerant, altero die meam opem domi tantum deſideravir; d. 4. ut ipſe accederem rogatus, magnum ſanguinis æſtum & præcordiorum anguſtiam adeſſe obſervavi, dolor lateris erar remiſſior, urina tincta, ſed copioſo viſcido ſedimento referta, veſperi & noctu aliquoties narium hæmorrhagiam moderatam pariebatur; d. 5. dolor capitis tolerabilior, cor libernm, veſperi dolor colicus; qui d. 6. a ſumpto amygdalarum dulcium oleo, & bino ſubſecuto vomitu ceſſavit, remanente tamen ſtomachi ardore; petechiæ apparent; nox inſomnis, ſed alvus ſoluta; d. 7. ſtomachus pacatior, noctu parum deliravit; d. 8. ſomno, quamvis interrupto nonnunquam fruebatur; d. 9. nonnihil cibi ſumpſit, ſicque continuans, d. 13. veſperi cibo ſe replevit, unde appetitus denuo proſtratus; cærerum d. 14. ſatis commode vixit, ſumptaque tinctura bezoardica, quam aliquoties per morbi decurſum, (juxta cum temperatiorum diaphoreticorum, alexipharmacorum, uti pulveris rub. Pannon. ſpecier. diacret. Mynſ. &c. uſu adhibuerat) noctu alvus cum torminibus ſoluta eſt; petechiæ ſenſim diſparuerunt; e contra febris quotidiana, veſperi calore infeſta ſucceſſit, quam chinchinæ infuſum, cum aqua cichorii factum, poſt colatnram panlatim ebibitum, brevi profligavit; ipſa ægrota poſtea debito tempore puerpera felicirer reddita.

Virginem N. J. unum ſupra viginti annum natam, eadem febris, ſimilibus ſymptomatibus ſtipara, d. 24. Novembr. occupaverar, præterquam quod dolor pleuritico ſimilis non adeſſer, hypochondrium vero ſiniſtrum doluerar; ſumpſir ex matris conſilio purgans; quæ d. 3. meam opem domi imploravit, cui potionem diaphoreticam bis ſumendam ordinavi; d. 4. ipſe eam viſirans, petechiis & puſtulis totam maculatam, cæterum melius ſe habentem deprehendi; & cum diebus ſequentibus quatuor, tincturam bezoardicam reliquis medicamentis faſtidiris, diligenter ſumpſiſſet, d. 9. ob alvum conſtipatam ſupra memorarum infuſum ſennatum bibit, a cujus uſu circa veſperam ingentem quantitarem excrementorum piruiroſorum, ſanguini & puri permixtorum unica dejectione emiſit, ſicque protinus convaluit.

Conſtitutio Epidemica Auguſtana Anni 1698.
Laudatiſſimi D. D.

LUCÆ SCHROECKII.

ANni principium equidem aura temperatiori, pluviis ſtipata illuxit, paulo poſt tamen nivoſum & frigore horridum comparuir; & quamvis miriorem inrerdum temperiem, atque poſt Februarii initium zephyrus pluvias adduceret, mox tamen eurus nives & frigus intenſius reduxerar, uſque dum circa æquinoctium vernale, zephyrus vehementer ſpirans crebriores pluvias concitaret, alternante ſubinde cum ipſo Euri impern, utroque autem terra imbribus ſæpius irrigante, ſicque ad finem uſque Maji, qui ideo, ut paſſim alibi in remorioribus etiam locis, frigore horridiuſculus comparuit, conrinuante.

Interea pauci ægrotabant; tuſſes tamen graviores ac contumaces, nec non pleurirides, nonnullis ob vehementiam lethales, variolæ, febres continuæ, paucæ malignæ, icterus, (cui martialia medicamenta, acidulæ Egranæ, eſſentia mineræ Martis Haſſ. opitulabantur) ob aeris inæqualitatem ſparſim notabantur.

Circa Solis autem in Taurum ingreſſum febres rertianæ, intenſo circa ſcrobiculum cordis compreſſivo, in regione etiam dorſi oppoſita moleſto dolore, cephalalgia, interdum & vomitu ſtipatæ, plures invaſerant, ſed a ſumpto purgante, & chinchinæ parciori etiam doſi facile curatæ; Virgo viginri annorum, eadem prehenſa, a frigidæ potu die morbi ſexto, ceſſante febre, mox ſiniſtri lateris ſævum punctorium dolorem cum febre acuta, ſputoque cruento incidit, quod in purulentum die octavo morbi mutatum, ſumpta binis vicibus olei amygdalini recenter expreſſi dimidia uncia, copioſe per alvum fuit ejectum, ſicque ceſſante tuſſis ferocia, & calore præternaturali (cui antimonii diaphoretici larga doſi obviam ivi) ab iterato dicti olei uſu, die nono convalnir.

Poſt tot tandem pluvias cum jamjam Junius appropinquaret, ſerenior aura comparuir, caloreque fortiori rerram iterum exſiccavit, Cereri autem & Floræ Bacchoque vires creſcendi attulit; quæ ſerenitas, a pluviis tamen ſæpius interrupta, calorque roto menſe illo continuaruut. Julius vero crebrioribus imbribus & nimbis, zephyri vehemenria ſubinde comitatis, infeſtus ſucceſſit; quam humidam aeris conſtitutionem Auguſtus etiam menſis induit, frigoreque inſolito, ſub euri dominio, auſteriorem reddidit, ut ita meſſis non tantum ſerius inciperet, ſed non exiguo etiam in periculo corruptionis verſaretur, quam tamen blandior cæli facies, poſt Solis in ſignum Virginis progreſſum, ſatis exoptatam in vicinia noſtra reddidit, ut quæ ſubſecuta fuit annonæ caritas, non tam Cereri deficienti, quam ad commune aliarum regionum exemplum compoſitæ, impiæ inſtitorum avaritiæ imputari debuerit. Inclementior autem September, præter multiplicem ventorum variationem, diverſam etiam aeris temperiem, ut plurimum tamen humidam & frigidam produxerat, donec d. 5. Octobr. ſt. n. Sol diſcuſſis nubibus, decennio ſereno nos reficeret: poſtea tamen auſterior Favonius cum auri pluviis iterantibus multum frigoris impreſſiſſet, November præmaturum hyemis advenrum dabat, crebrioreſque nives ſpargebat, ita tamen ut varia tempeſtas ſubinde intercurreret, nebulis, pluviis, ſerenitate, ventiſque modo ab occidentali, modo orientali aut meridionali plaga ſpirantibus moleſta, atque hyemale uſque ad ſolſtitium continuans; quo præterlapſo, zephyrus vehemens, pluviis ſtipatus, temperatiorem aerem effecerat.

Interea, menſe nempe Junio & præſertim Julio, morbilli puerilem ætatem invaſerant, perplurimoſque lecto affixerant, non adeo difficulter tamen, temperatiori ſub regimine, & abſorbentium dictorum ac diaphoreticorum blandorum, pulveris rubei Pannon. oculor. cancr. &c. uſu curabiles; donec ſub æquinoctium autumnale plane diſparerent. In non paucis quidem hectica diſpoſitione, tuſſique pertinaci, ſive ob diætæ errores, ſive præexiſtentem acriorem ſanguinis conſtitutionem ſuperſtite; diligentiori tamen ſanguinem contemperantium uſu, non neglectis, ubi opus, laxantibus, & quæ vermibus, quorum veſtigia non raro notabantur, reſiſtunt, tandem devictæ. Licet crebriora quoque funera puerilia numerare tum temporis datum fuerit, non tam mortis, noſtrorum Medicorum artem haud adeo eludenris, malignitati, quam incuriæ potius, vel perverſæ muliebri ſapienriæ, aut medicaſtrorum imperitiæ adſcribenda.

Cæterum rariores apud nos hoc tempore ægrotabant alii, nec epidemicorum morborum tyrannis major notabatur. Julius quidem febres quotidianas, tertianas, catarrhos pectori moleſtos, Auguſtus colicas, dyſenterias; September præter cruenros hos fluxus, variolas majores, ulceroſas, (*Schafblatern* noſtratibus dictas) Octobris initium ſtrangurias ſeniles; adultus, cum ſubſequis Menſibus, pleuritides veras ac ſpurias; December catarrhos ad fauces ruentes (morbos omnes ex coacervata in ſanguine ſenſim per tot aeris anomalias, frigidas præſertim & humidas, viſcidiori lympha ortos, quæ tandem per varios in diæta errores hic vel ibi ſtagnabat, aut etiam eandem ob cauſam, vel ſponte in orgaſmum concitabatur) alebat, non adeo mulri tamen eorum impetum experiebantur. Febres interdum præcipitantibus ſic appellatis, chinchinæ autem parciori etiam doſi ſumptæ facilius; catarrhi continuato expectorantium uſui, non poſthabita, quæ ſæpe conjungebatur, febris intermittentis cura, & corpore ſemper blande evacuato, cedebant; colicæ quæ flatuoſa quidem dici merebatur, non ſine convulſiva tamen labe erat, atque ideo lumborum conjuncto dolore & urinæ ſuppreſſione nephritidem ſimulabat, demulcentia & potiſſimum laxantia, ſive ore ſumpta, ſive clyſteris forma adhibita; dyſenteriæ, tormentillæ, vel catechuſſentia aut extractum, cum pauco opio maritatum, & parca doſi ſæpius aſſumptum, medabatur; variolæ benigniſſimæ, cum febrili tamen calore, vehementiori quandoque, paucarum tamen horarum ſpatio finito, invadentes, ulla fere ſine medicinæ ode ſenſim ſponte exſiccabanrur; ſtranguriæ illæ, quæ viſciditatem lymphæ in primis corrigunt, perque urinarios meatus educunt, uti eſſentia carminativa Wedeliana, ſpiritus nitri tincturæ cortic. aurantior. mixtus &c. Pleuritidi vero noſtris in pharmacopoliis uſualis pulvis, cum antimonio diaphoretico, lapillis gammatorum &c. medelam conferebant.

Conſtitutio Epidemica Baſileenſis Anni 1698.

D. D. JOANNIS JACOBI HARDERI.

MEnſe Febr. ſub finem, cum brumæ alias rigorem adhuc experimur, ſol calore ſuo primi veris delicias præcociter ſperare fecit, quas cum Aprili dehinc, tempore deſtinato optabamus pleniores, amarulentas reddidir ſævientis Eoli frigus, nivaliſque ingruens tempeſtas, in Majum uſque continuata, fructuum nociva peſtis, nec tamen variolæ, quæ non modo tenellam, ſed etiam adultiorem ætatem frequentiſſime infeſtabant, funeſtæ fuernnt apud nos, contra quam Sturgardiæ vidimus & audivimns, ubi complures materiæ malignitas, præmaturæ morti tradidit. Ingruentibus hinc pertinacibus, copioſiſque pluviis, etiamſi ſol deſideratiſſimo ſuo calore, rerram reliquis menſibus fovere ſtuderet, uſque tamen aquarum depluentium cohortes, ejus igni obſecerunt, inde September efficaciam illius tam neceſſariam, magis experiebatur quam Auguſtus, uvæque minus maturæ, Octobri menſe, infortunium tantum graviter luerunt, dyſenteria non tam apud nos, quam in vicinia ruſticam gentem crebro exercente.

November circa ſui initium, candida nive arva utcunque tegebat, brumæ aliquali rigore, per octiduum, durante, quam mox intempeſtivus calor, udoſus, cum pluviarum copia excepit, ad finem ejus tantum non durans pleuritidis, febriumque continuarum hic illic genitrix.

Menſe Decembri creſcente luna, etiam brumale frigus intendi ac durare cœpit, parili ſubitaneo udoſo ac pluvioſo calore, præter votum ac expectationem, ſcenam dehinc mutante, neque tamen morborum exitialium frequentiæ, annus iſte, vere anomalus, ferax fuit.

Conſtitutio Epidemica Berolinenſis An. 1697.

D. DOCT. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP

von der Mullen.

JAnuarius Styli Gregoriani, gelu nonnunquam ſatis rigido, borea nt plurimum flante, pauca nive quandoque interſperſa cœpit, quod ad quintum uſque duravit, tunc ſuccedente cauro paulum triduo continuo regelaſcens, 19no gelu redintegravit, & 21mum ſi exceperis, tolerabiliorem, ut & 28vum vulrurno ſpirante remittentem, ad ipſum uſque finem, ac ſubſequentis *Februarii* 9num continuavit. A quo tempore rigor ille remiſit, atque blandiori æthere, nonnunquam apprime amœno, gelu interpolavit, ad 20mum uſque, qui ſtigore rigidiore recrndeſcente, noctu præſertim, de die vero parum miteſcente, ad finem ac porro quintum uſque *Martii* tranſiit. A quo rigore paulatim deſæviente, mitiora tempora veris prodromos, nebulas pluviis & ſudo intercalatas tulere, ad 14tum uſque verna, ſed ephemera ſerenitare & amœnitate commendabilem, ſuccedente cum vulturno nubilo & horrido triduo, ſed pluribus ad 24tum uſque

ſua-

ſuavioribus penſato. Hic 24tus repedante vulturno variam & ingratam Aprili alias familiarem aeris intemperiem tulit, frigore, pluviis, nive quandoque & grandine, nocturno quoque gelu nonnunquam diſtinctam, ad 30mum uſque adeoque ultimum durante ſparſa noctu nive copioſa, a ſuccedente diurna ſerenitate ac aliquali amœnitate rurſus colliquata notabilem, primum ſic trimeſtre grato fine terminantem.

Morbi hoc trimeſtri non adeo frequentes aut populariter graſſantes fuerunt, niſi forte ob variabile gelidum initio & horridum, humidum poſtea plerumque & tempeſtuoſum cælum, catarrhos quis aut tuſſes febribus ut plurimum comitatas huc trahere velit, defluxiones in uvulam & tonſillas, præteriti anni defluxionibus moleſtia & pertinacia analogas. Prætereaque pleuritides nonnullas, variolas interſperſas, paucos adultos, plures infantes adorientes, malignas quaſdam ac periculoſas, benignas plures, paucas lethales. Paralyſes item & apoplexias quibuſdam exitioſas, arthritides vagas ſcorbuticas, ut & febres varias, quandoque & acutas & continuas, exanthematis etiam ſcorbuticam malignitatem teſtantes.

Aprilis temperato ſed pluvioſo facto exordio, unico interpoſito ſereniori die, nimirum ſecundo ad 9num uſque nocturno gelu, diurniſque nimbis ac imbribus horridum proceſſit. Poſtea amœniore paululum cælo, noctibus tamen adhuc gelidis, quandoque & nivibus, pluviis ac ventis quibuſdam variato, ad 19num tranſiit amœnitate verna & ſerenitate fere ſtabili cum ſuccedentibus, 22io ſolum frigido ac procelloſo excepto; ad 30mum uſque adeoque ultimum menſis, abblandientem.

Succeſſit *Majus* frigore moderato interdum tamen, initio præſertim borea interſpirante, rigidiuſculo: Poſtea ſereno cælo admixtis licet ſub finem præcipue nonnullis pluviolis ſic ſatis amœnus & ad fertilitatem, 31mum eumque poſtremum, grandine nimis aſperum & nocivum ſi demſeris, pronus.

Huic rurſus *Junius* pari fere amœnitate ac ſerenitate, paucis ſecundo forte & quinto blande rorantibus, 7mo & 8vo, illo turbido, hoc Africo flante nimboſo, 12mo & 24to imbre fœcundo arva rigantibus, 26to imbri tonitru jungente, 27mo, Africo rurſus pluvias ſpargente, udo variantibus diebus exceptis, conformis, totus prope ad finem uſque temperatus.

Morbos trimeſtre perinde non multos genuit. Præter enim febres nonnullas, paucas intermittentes, pauciores continuas, & catarrhales pauciſſimas, variolas ſi dempſeris & epilepſias infantibus quibuſdam infeſtas, rariſſime tamen lethales, pleuritides quibuſdam & arthritides vagas ſcorbuticas, cardialgias, cephalæas, odontalgias & aſthmaticos affectus parciſſimos, parum negotii Medicis fecerunt alii morbi. Id quod aeris clementiæ adeo ſtabili Majo præſertim & Junio humores in laudabili ac moderato ſtatu conſervanti, nec nimio æſtu exagitanti tribuendum eſſe reor.

Julius trimeſtris tertii initium pari cum præcedentibus amœnitate, clementia ac ſerenitate cæli, ſecundum & tertium fœcundis imbribus temperans fecit; Verum ſequenti ſexto ſudum diurnum circa noctem horrendo tonitruum identidem roboante frigore, & fulgetris fere continuis animos & oculos immenſum perculit. Septimus quoque, octavus & decimus mitius tamen paulo, ſerenum diei cælum veſperi tempeſtuoſo tonitru fœdarunt. Reliquum ad finem uſque menſis vario, ſed non adeo turbulento, udo tamen nonnunquam & nimboſo aere tranſiit.

Talis quoque *Auguſti*, 7mum, octavum, 10mum, 12mum, 16tum, 17mum, 30mum & 31mum, adeoque poſtremum, ſerenos & amœnos dies, ſi exceperis, ſtatus fuit.

Nec procul ab his ultimis diebus abluſit *Septembris* initium, primum nimirum biduum ſic ſatis ſerenum & amœnum, cui quatriduum ſucceſſit, autumni præludium, imbridum ac frigidum. Quod ſeptimus æſtivum ſudum æmulatus correxit, cui 8vus paulo frigidior, ſed adhuc & 9nus, 10mus, 11mus, ad 18vum uſque, qui imbris veſpertinis aliquod interſcenium inſeruit, ſereni ſucceſſerunt, ſequentes ad 22dum uſque ejuſdem quo præcedentis tenoris, temperata nimirum ſerenitate commendabiles, ut & reliqui ad 27mum uſque, paulo, cum ſequentibus tribus poſtremis, turbidiorem, frigidiorem, & aſperſis ſubinde pluviis ac ventis aſperiorem.

Rari admodum hoc trimeſtri fuere morbi, nec præter diarrhœas atque dyſenterias, utut pro proventu omnis generis fructuum valde, DEO largiente, uberi, nec gula illecebris ſuis parcente admodum paucas, tuſſes nonnullas, parciſſimas febres, pleuriticos quoſdam & aſthmaticos affectus, nec non unum alterumve paralyſeos & arthritidis ſcorbuticæ caſum, alii fere nulli occurrerunt.

October mixta pluviis frequentibus ſerenitate pauca acceſſit, ac quatriduum hac ratione proceſſit. Quintum ſerenum & amœnum totum, ſextus totus undoſus ſecutus, ſed ſeptimus & ſequentes ad uſque menſis finem ſerenitate pene pares, præter nonum & ejus ſequaces cum ſudo borea ſpirante frigidulos, 13um roridum, 17mum imbre madentem, 24tum, 27mum & 28vum pluvias nonnullas ſpargentes, 29num vero & 30mum ſicque ultimum cæciam, frigoris intenſioris authorem aſcendendo horridos, in procellam tandem valde impetuoſam prima *Novembris* degenerantem; Verum ſecundo & tertio paululum deſævientem. Quartus & quintus tranquilliores fuerunt ac ſereniores, rigidi tamen adhuc, ſextus mane nebuloſus, poſtea præcedentibus ſimilis, ſeptimus frigidus ac nubiloſus, octavus ad ſequens uſque mane nimboſus, ex quo ſerenior 9nus, 10mus primam tulit glaciem ad noctem uſque 12mi durantem, pluviam ſubſequentium 13tii & 14ti rurſus liquatam. Quos 15to ſudum admodum gratum cum æſtiva amœnitate quaſi certans, ſed ephemerum excepit. Ab illa brevi ſerenitate mautinis & veſpertinis pluviis, in procellam 17mo exæſtuavit horrendam 18vo quidem deſinentem, ſed hujus & ſequentium antemeridianum cum pomeridiano, pluvias inter & turbidum, ſiccum tamen cælum partiendo ad 25. uſque, ſi 21mum ſerenum totum & amœnum excluſeris, & 25tum ſequentes duos boreali ſudo commendabiles. Tandem 28vus Divo Simoni Judæ dicatus frigidus & turbidus, 29nus pluviis horridis mixtus, 30mus demum ſerenus denuo totus, ſed borea paulo acrius ſpirante gelidus agmen dierum Novembris clauſit. Succeſſit December primo die rigorem præcedentis prima nive ſparſa temperans, at ſecundo gelu redintegrans, ſequentibus cum nive pluvias alternavit ad 11mum uſque, qui cauro aſpirante raro gelicidio gelu ſatis intenſum ſubſtituit, qui ſequens niveni rurſus ſubmiſit, atque hinc, borea cauro ſuccedente ſequentes duos gelu prius moderatum, decimo ſexto in rigidum valde degenerans, decimo ſeptimo nive copioſa paulo temperatius, decimo octavo vero & vigeſimo magis, accedente copioſa nive, invaleſcens, vigeſimo primo rurſus, vento remittente ac nive repedante, miteſcens. Triduum ſequens mitius adhuc, vigeſimotertio pluvias immiſcuit ad veſperam uſque vigeſimi quarti ſereniorem at gelidiorem, ſubſequente quatriduano vehementi gelu, vigeſimonono demum remittente ac poſt nebulam toto die trigeſimo cælum obſcurantem; trigeſimoprimo vero diſcuſſa nebula ſudo redintegrato ſimulque gelu reddente ultimum hoc trimeſtre ſicque totum annum 1697. terminante.

Morbi hoc ultimo trimeſtri paulo quam præcedentibus frequentiores fuerunt, ob ætheris & aeris, nunc ſereni, nunc turbidi, nunc ſicci, nunc humidi ac pluvioſi, nunc tranquilli, nunc turbulenti & procelloſi, nunc temperati ac remiſſi, nunc gelidi ac horridi, varie invicem alternantis, ſicque pro diverſitate conſtitutionis ſuæ, humorum quoque diatheſin & craſin, communicantis tum per inſpirationem, tum per ambientes, & porros corporis ſubeuntes variorum tam ætheris, quam aeris miaſmatum particulas, diverſis forte ut formis ſic qualitatibus inſtructas diverſimode moventibus, alternantibus, ac ad varias ebullitiones, orgaſmos, metaſtaſes, quandoque ſed raro in melius, ſæpius in pejus diſponentibus atomis, mutantis. Hinc exorti diverſo tempore diverſi morbi Medicorum animos & curas exercuerunt. Inter quos potiores fuerunt febres variæ, tum intermittentes, tum continuæ, haſque inter nonnullæ etiam malignæ, exanthematibus quoque variis, purpura, morbillis & variolis ſtipatæ, non tamen adeo frequentes ut epidemicarum nomen, juſto titulo merentur; præterea catarrhales, tuſſi, vertigine, odontalgiis, inflammationibus gutturis & tonſillarum, uvulæ laxationibus, angina, ſuffocationibus, hypochondriacas imitantibus, præcordiorum oppreſſionibus ſcorbuto familiaribus, comitatæ, arthriticæ, pleuriticæ, nephriticæ, colicæ paſſiones, epilepſiæ, ſed raræ, ut & paralyſes tam particulares quam univerſales, apoplexiæ & has inter quædam funeſtæ & lethales.

Conſtitutio epidemica Berolinenſis An. 1698.

Dn. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP

von der Mullen.

PRimum menſis Januarii ſt. Greg. biduum ſerenum ac gelidum remiſſius excepit degelaſcens ac pluvioſum ſex dierum intervallum. Nono temperato diei decimus ſucceſſit frigidus pauca nive caneſcens dies, triduo turbido in boream tandem, ſatis vehementer exæſtuantem, deſpumante comitatus, ac altero triduo mitiori nivibus, nebula ac pluviis ex parte interpolato exceptas. Inde ingraveſcens paulatim gelu vulturno boreæ ſuccedente vigeſimo menſis die, octiduum continuavit, poſtea mitius aliquanto actum ac nives glaciei deliqueſcenti interſperſæ, donec repedante una cum aquilone, ultimis hujus primi menſis ac quatuor Februarii diebus graviori gelu ſerenius cælum illuxit; mox vero rurſus remittente, ac in pluvia nivi mixta fatiſcente obſcurum æther ad decimum ſeptimum uſque penitus degelantem perdurans. Inde gelu euro flante paulatim denno vires reſumere cœpit, ac ſuccedente aquilone, & aquiloni tandem aparctia, huic vere rurſus euro, valide inſurgente paucis tantum intermixtis nivibus ac paucioribus blandis remiſſionibus ad finem uſque Februarii & ſequentis Martii nonum continuavit. Tunc verna de die amœnitas, ſereno æthere ridens, auſtro aſpirante advecta, abblandiri quatriduum viſa eſt, noctibus interea adhuc gelidis ſubſecutum, borea priſtinam recuperante ſedem, gelu minantibus, euroque boreæ ſuccedente æther, unico vigeſimo ſeptimo ſereno ac temperato die excepto, ad trigeſimum uſque, primum Paſchatis Gregoriani diem feſtum turbantibus, qui ipſe a nocte gelida, reducta aliquali temperie, ſequentem medium feſti ac ultimum menſis ut & trimeſtri hujus primi diem ſudo ac ſereno aere beavit.

Morbos primum hoc trimeſtre, præter ſcorbutum indigenam, pro varia aeris mutatione varios exhibuit, quos inter febres tam intermittentes, quam continuæ, eæque ardentes ſatis frequentes, ac quaſi epidemicæ, malignæ quoque nonnullæ variolis, præſertim confluentibus, uti dicuntur conſpicuæ, eminuere valde nonnullis infeſtæ ac periculoſæ, pleuritides hiſque affines affectus, peripneumoniæ hæmoptoe nonnunquam comitatæ, & catarrhales, variis defluxionibus moleſtæ: tuſſes contumaces, aſthmaticæ quandoque & ſuffocativæ, arthritides vagæ, hypochondriacæ, colicæ, nephriticæ paſſiones & hyſtericæ, ſed hæ poſteriores prioribus rariores.

Aprilis primus ſecundi trimeſtris, feſtique prædicti Paſchatis poſtremus dies æſtivum mane æmulatus ſudum a meridie primo tonitru ſat gravis frigore animos amœnitate ac feſtivitate diei in hortos & campos prolectorum, atque ludis & genio indulgentium valide perculit, ſubſequentibus hunc primum pluribus ad 28. uſque Martii continuavit ſerenus ac amœnis diebus, noctibus interea gelidis intercalatis, prima fronte abblandientibus, muta vero vigeſima octava ſparſis tota die pluviolis faciem variam, ut plurimum turbidam, horridam ac inamœnam Aprili genuinam induit.

Quam etiam primus Maji retinuit, & paucis interſertis ſudis, ut 2. 5. 10. 17. 23. ad 27um uſque continuavit, qui vigeſimus ſeptimus verna temperie ac ſerenitate acceptus, cum ſequentibus nativam huic menſi gratiam redintegravit.

Eademque ſequentem Junium, (octavo ſolum excepto, cauro nimirum amœnitatem præcedentium pluviis interſparſis turbante, ac duodecima cum ſucceſſore decimo quarto in turbidum & undoſum degenerante) ſerenis ac amœnis, nec niſi pauciſſimis nonnunquam ventis ac pluviolis paululum exaſperatis, ad ipſum uſque finem commendavit.

Secundum hoc trimeſtre cæli benignioris ac ſtabilioris favore morborum quoque ratione mitius aliquanto priori egit: præter enim ſcorbuticos quoſdam affectus, febres, catharrhales quoque nonnullas ſparſim infeſtantes, acutas & ardentes paucas, malignas raras morbillis ſubinde ſociatas, hypochondriacas nonnullas paſſiones, pleuritides pauciſſimas, aſthmata, cardialgias ac cephalæas, vix alios produxit.

Julius, præcedentis Junii ſudum continuando, huic ad decimumtertium uſque duranti pluvioſum, & quandoque nimboſum ac ſubfrigidum triduum ſuccenturiavit, cui triduum rurſus ſerenum ac gratum ſucceſſit, a biduo turbidiori paulo & inconſtanti, vento ac plu-

viis ſubinde interpellato, exceptum recuperata tamen priſtina amœnitate, uno forte alterove paululum degenerantibus ac pluvias nonnullas aſpergentibus, ad trigeſimum primum uſque, adeoque ultimum menſis continuavit.

Auguſtus mox ab ingreſſu procella turbatus, ſeveriorem paulo frontem induit, ac quinto ſolum ſudo & temperato, ut & decimo inter ſerenum antemeridianum ac pluvioſum & tonitru fragoſo horridum pomeridianum penſum ſuum partiente, nec non vigeſimum octavum æſtivam adhuc amœnitatem redolente, pauciſque aliis paulo mitioribus exceptis, totus varius, turbidus, frigidus, pluvioſus & nimboſus fuit, unico poſtremo trigeſimo primo ſereno & amœno gratiæ priſtinæ factam quaſi jacturam quadantenus reparante, ac

Subſequenti Septembri conſervandam tradente, qui eam ſeptimo, octavo & nono a tonitru nocturno frigidis & plurimum pluvioſis, tanquam triduo degeneri decimoquinto, decimoſexto & decimoſeptimo turbido rurſus & triduo, ut & vigeſimoprimo & vigeſimoſecundo ejuſdem farinæ, biduo excluſis, ad vigeſimumquartum uſque ſervavit intemeratam; donec autumni tempeſtuoſæ & inconſtanti indoli cedens horridiorem ac tempeſtuoſam aſſumpſit larvam.

Morbi hoc tertio trimeſtri vario & mutabili frequentiores paulo quam ſecundo fuerunt, febres præſertim tam benignæ quam malignæ, ſymptomatibus varii generis ſtipatæ, rarius intermittentes, ſæpius continuæ, & ardentes, catarrhales quoque & pleuriticæ in hecticam & phthiſin proclives, malignæ quoque, aphthis, quandoque purpura, nonnunquam morbillis, frequentius variolis, raro petechiis, ſæpius infames, lethales quoque & epidemicæ graſſantes; & has præter cephalalgiæ, cardialgiæ, aſthmata, arthritides ſtatæ & vagæ intercurrentes.

October ultimi trimeſtris primus detracta anteceſſori ſuo horrida, quam ſub exordio ſumpſerat, larva, gratiori vultu ſcenam ingreſſus, ſexto die æſtivæ amœnitatis perſonam ad 16tum uſque ſerena & exporrecta fronte egit. Exinde paulo auſterior nubiloſo ut plurimum ac ventoſo cælo varius, vigeſimo ſexto & vigeſimoſeptimo biduo ſereno præmiſſo, vigeſimo octavo, primam ſparſit nivem, mox in pluviam poſtea fatiſcentem, nocte ſuccedente gelida, pruinam a ſudo gelaſcente exceptam tulit, cui biduum ſucceſſit amœnum ac temperatum, ſubſequente turbido mane cælo trigeſimo primo in pluvias tonitru hoc tempore inſolito comitatas, circa noctem deficiens.

November initio inconſtans, mox euro inflante ſerenior gelu induxit, remiſſus quidem primo nebulis ſubinde intermixtis, circa quam tamen aquilone irruente ſatis rigidum. Nivem copioſam valde præter expectationem cauro ſufflante in horridum & intenſum gelu quinque dies durans erupit; decimoſexto tamen deſæviens noctu remittere, ac ſubſequente decimoſeptimo ſudo penitus degelare cœpit. Inde rurſus inſtabilis, nunc turbido cælo aſperior, nunc ſereno temperatior, poſt nives vigeſimotertio denuo ſparſas, vigeſimoquarto gelu ſatis intenſum redintegravit, ac ad finem prope menſis continuavit, poſtremo menſis die libanoto aſpirante, degelaſcens.

December a primo ad octavum paulo gelidiorem, varius, pluvioſus ac nimboſus, ab octavo ad decimum quartum gelu, ſed interſperſis, utut raris nivibus mite ac temperatum induxit, a decimoquarto præcedentibus algidiore varium aſperum, ventis ſubinde ac nimbis horridum cælum ad finem uſque menſis continuavit, tandemque circa veſperam trigeſimiprimi, adeoque ultimi hujus menſis & anni diei, ſenis tonitru, hoc anni tempore plane inſoliti ac portentoſi, pluribuſque funeſti fragoribus anno huic 1689. valedixit.

Morbi hoc trimeſtri præter febres quaſdam continuas ardentes, ab omni malignitate haud vacuas, purpura & morbillis eam prodentibus, catarrhales ſatis frequentes, tuſſi contumaci & ferina, catarrhis & defluxionibus ſcorbuticis debita, valde infeſtæ & moleſtæ fuerunt, variæ, inconſtanti, horridæ ac immiti cæli conſtitutioni natales ſuos debentes. Præterea arthritides vagæ, præſertim ſcorbuticæ, pleuritides, diarrhœæ & lienteriæ frequentes, dyſenteriæ tamen raræ? pro provcntu prunorum hoc autumno valde uberi, cardialgiæ, & hæmoptoes nonnullæ. Sub fine tamen & ſoporoſi ac comatoſi nonnulli affectus, quibuſdam lethales, eidem frigidæ ac humidæ aeris intemperiei hac hyeme prædominanti, omni procul dubio imputandi.

Conſtitutio Epidemica Sangallenſis, finis Anni 1696. & principio 1697.
Dn. Doct. SYLVESTRI SAMUELIS ANHORNII,
DE HARTVISS.

VIx dyſenteria æſtiva graſſari deſiit, autumnus ſucceſſit, ventis auſtrinis die nocteque ſpirantibus, uvis fructibuſque maturandis coaptatus, infantibus vero in hoc fatalis, dum inſolito tepore diurno atque nocturno, ad turgeſcentiam motus ſanguis puerorum tenerior, morbillos variolaſque excluſit, quas perpaucis effugiſſe datum fuit. Fuerunt, qui febre continua cum inquietudine, deliriis, multis deterioris notæ ſymptomatibus ad ſeptimum diem dubie agitati, exhibitis ex aq. ulmar. CC. citrat. ac diaphoreticis temperatis ex magiſt. antimon. diaph. CC. ph. ppt. & unicorn. foſſili, per ſudorem vel hæmorrhagiam ſubſecuta criſi convaluerunt. Plures vix ac auræ liberiori commiſſi, inſuper morbillis, hoſque adhuc excipientibus variolis correpti fuerunt. Declinante autumno, & æſtu remittente, mixtim graſſari cœperunt febres & variolæ, plurimum tamen morbilli. Menſe Novembri & Decembri initio varia fuit cæli facies, tempeſtas aquilonia, nebuloſa, pluvioſa, frigidior, morbillos qui vix ſuperarunt, jam cum variolis colluctavere, febricitantes viſi non ſunt, & morbilli perpauci, variolæ ſolæ, candida veſte terra tecta, magis magiſque propullularunt. Fuerunt autem optimæ indolis, cito erumpentes, rubræ, molles, faſtigiatæ, diſtinctæ, cito maturæ, nec foveas relinquentes.

Deterior ſors fuit illorum, qui ſerius, non quidem matura tempeſtate, in principio anni 1697. iiſdem decubuere. In plurimis copioſiores ac confluentes viſæ ſunt. Multi cum febre intenſa, convulſionibus, ventris meteoriſmo & dolore intenſo, ac alvo conſtipatiſſima, puſtulis tandem violaceis, lividis, nigris notati interierunt. Id vero eſt quod notari meretur, non alios præter lanionum infantes, & quidem trinos quandoque, & binos una in domo (ceu quod ſordibus & ſqualore ex pellibus ad exſiccandum expoſitis, eruore & carne præ aliis ſordeſcant illorum domus, vel quod minus ac alii curam infantum habere poſſint) hoc ventris meteoriſmo petechiiſque lividis ſuiſſe correptos, atque ſublatos. Si quando in aliis etiam domibus variolæ bonæ notæ, tres, quatuorve hujuſmodi maculas interſperſas habuerunt, mox illæ lanceola parumper ſcarificatæ, digeſtivo ſuppuratæ, & ad ſeparationem eſcharæ perductæ fuerunt; hac tandem ſeparata, fovea illa nunquam non inſtar fonticuli nunc latior, nunc profundior relicta nova carne expleta atque conſolidata fuit.

Inter adultos hoc hyemis decurſu, quamvis omnia frigore horruerint, nihil epidemii obſervatum eſt.

Ver vario ingruit cælo, æſtum ſubitaneum pluviæ repentinæ cum ventis ſeptentrionalibus exceperunt. Diſcordiæ acceſſerunt a vicinis commotæ, quæ cruentum nonnullis excidium minitari viſæ ſunt. Inter ſexum muliebrem hoc errore perculſum crebri abortus conſpiciebantur. Nonnullis tempeſtiva venæ ſectio & inſtituti ſudores cum bezoardicis, quæ ſanguinis coagulum tollunt, bono auxilio fuerunt. Nati abhinc infantes multi convulſionibus occubuerunt. Viri vero inſuetas horrido imbribus cælo excubias diu noctuque ſtrenue agentes, omnem tempeſtatem innoxie tolerarunt. Perpaucos tuſſis prævia corripuit.

Æſtas & autumnus ex frequentibus quamvis pluviis injucundi, inſalubres non adeo fuerunt.

Menſe Septembri apoplexia nonnullos corripuit.

Fœmina provectioris ætatis ex paralyſi lateris dextri, præmiſſo vomitorio, ſudoriferis atque ſpecificis in & externis apopleticis uſitatis, intra triduum convaluit.

In alia nobilis familiæ Matrona paralyſis manus dextræ cum intercepta bihorium loquela, aquis aut apoplecticis, frictionibus, ſudoriferis &c. reſtituta fuit.

Vir ſeptuagenario major, Reip. Senator, recidivam paſſus ex inſtituto vomitu loquelam ſtatim temperavit, at paralyticus in latere ſiniſtro permanet, dum per phlogoſes & ſtragulas ferendi impotentiam, propter tumorem ſenſumque hepatis exquiſitum, ad ſudorem ſe componere hactenus non voluit, qui tamen præterito anno, toto latere paralyticus, ſudoribus quotidie inſtitutis, integre convaluit. Interim hepatis inflammationi convenientibus, in & externis proſpicitur, inter quæ emplaſtrum Norimbergenſe impoſitum, ceu præſentiſſimum ſibi paregoricum, ſumme extollit. Fotus etiam particulares cum decocto herbarum, non ſine levamine inſtituuntur.

Alius ſexagenarius inter pocula ſenſu motuque privatus concidit, cum ſtertore ſpiritum duxit, in manu nullus, pede vero aliqualis motus reſtabat, concitato ſyrupo emetico vomitu, & deinceps in uſum vocatis frictionibus, lotionibus, aliiſque uſitatis ant-apoplecticis, paucas intra hebdomadas in priſtinum rediit.

Neogamus diſſolute vivens, dum in templo ſacris intereſſet, ſubito expalluit, concidit, & ἄφωνος domum deportatur, per hypocauſtum tractus varieque agitatus, ubique elanguidus movere ne digitum valuit, pulſus fuit tardus & debilis, externa frigebant, jacuit ſtertens a nona matutina ad primam, ſine ſenſu & motu, ingeſta difficulter deglutiit; ego accerſitus ex uno cochleari ſyrupi emet. porrexi gr. iii. tart. emet. Operatio demum poſt bihorium ſucceſſit. Phlegmata porracea frequenti vomitu reddidit; ſudore toto corpore diffluxit, ſanguis e naribus protruſus eſt, ſicque corporis motus, linguæ ac rationis uſus paulatim redierunt.

Infelicior ſors fuit puellæ alias præ cæteris venuſtæ, quæ novendecim annos nata menſes nunquam vidit. Hinc ſenſim expalluit, macilentior, triſtior & difficilis ad motum evaſit, ſcabie vexata, unguenta tartarea cum mercurio præcipitato adhibuit, tempeſtate frigidiore pluvioſa, veſtibus male munita e domo exiens frigori pluviiſque pro expediendis negotiis incaute ſe credidit; poſt horam domum deportatur ἄφωνος ſenſu motuque privata ſtertens, & apoplectica, crebroque vomendi tentata conatu. Vicinus vocatur chirurgus, qui venam ipſi ſecat. Sanguis non niſi guttatim prodiit. Dantur ſpiritus ceraſorum, aqua vitæ naribus ſpirituoſa admovetur. Capiti imponitur aq. Reginæ Hungariæ; interim ego advocatus ſyrupum emeticum propinari jubeo, quem vix medium deglutiit, dum expectatur operatio, accedunt convulſiones, quæ miſeræ circa veſperam finem vitæ faciunt.

Conſtitutio Epidemica Poſonienſis Annorum MDCXCV. MDCXCVI. MDCXCVII.
Dn. D. CAROLI RAYGERI.

QUantum interſit Medico noſſe & obſervare aeris conſtitutionem ac inde reſultantes morbos, jam ſuo tempore agnovit graviterque inculcavit Hippocrates, dum ita librum ſuum de Aer. Aqu. & Loc. auſpicatur: *Quicunque artem Medicam integre aſſequi velit, primum quidem temporum anni rationem habere debet, quantum potentia quodlibet eorum valeat. Non enim ſimile quicquam in illis exiſtit, verum differunt invicem propter varias, quæ in illis fiunt, mutationes:* Hinc qui morbi ſingulis anni temporibus proprii qualeſque fiant in illis mutationes, tam prolixe tota deſcribit ſectione III. Aphoriſmorum. Nec dubitavit Galenus τὸ θεῖον in morbis ambientis non aeris conſtitutionem appellare, quam quidem ſententiam fuſius examinat & pertractat *Celeberrimus D. D. Melchior Sebiz. p. m. in Diſſertatione ſua de eo quod Divinum eſt in morbis.* Sane rem tam ſalutarem reique medicæ ſummopere proficuam jam pridem mecum animo revolvens, ſtatim ac manum praxi admovi, conſtitui ſingulas aeris & temporum vices indeque exortorum morborum generationes & mutationes diligenter obſervare, annuatim colligere ac endemiis & epidemiis meis Hungariæ, cum tempore prodituris inſerere. Id cum etiam a XXV. annis ſcilicet ad annum uſque 1695. pro meis uſibus præſtitiſſem, communicatur mihi a Perilluſtri ac Magnifico Domino Præſide laudatiſſimum ſuum inſtitutum, quo voluit, ut, qualis in diverſis regionibus & provinciis fuerit aeris conſtitutio epidemica, obſervaretur, & quotannis ephemeridibus curioſis inſereretur. Quo intellecto ſubſtiti in privato ſtudio, & quæ ab illo tempore hac in materia a me obſervata atque annotata in publicum contribuere decrevi, modo initium facturus ab

Anno M. DC. XCV.

Cujus conſtitutio hic Piſonii in Hungaria fuit talis.

HYems rigidiſſima, nix plurima, gelu in Martium uſque durans. Frigus immediate poſt ſolſtitium incœpit, & toto Januario ſine re-

ne remiſſione continuavit, nives cecidere ſupra nives, gelu ſupra gelu. Nec mitior Februarius, ipſeque Martius adhuc frigore & gelu horridus.

Menſe Jan. plurimos obſervavi ex caſtris redeuntes colica laboraſſe convulſiva; abſque dubio febribus autumnalibus, partim non bene curatis, partim male circa ſolſtitium hybernum judicatis. Raro quartana ſcilicet febris utut tractetur, recedit, quin vel hæmorrhagiam narium, vel laterum duritiem, vel pedum tumorem œdematoſum, vel languorem & dolorem artuum, ſæpiſſime vero colicam convulſivam poſt ſe relinquat. Menſe Februario & Martio graſſabatur quoddam genus febrium cum latente malignitate. Imponebat plurimis catarrhus cum dolore capitis gravativo, febricula lenta, tuſſi ſicca, coryza vehementi invadens: mox nona vel nonnunquam undecima demum poſt primam invaſionem die exaſperari cœpit morbus, & graviora reddi ſymptomata; acceſſere enim vigiliæ, deliria, nonnunquam ipſæ petechiæ, ſubſequente morte. Servati autem omnes qui non tantum alexipharmaca ab initio adhibuere, ſed & ea uſque ad nonum vel decimum diem continuavere.

Ab æquinoctio vernali uſque ad ſolſtitium æſtivum tempus varium, mox frigidum, mox calidum, modo pluvioſum, modo ſerenum. Initium Aprilis adhuc brumale, circa medium vero & finem calor prope æſtivus. Succeſſit Majus pluviis mixtus, cum frigore & calore alternante. Prima & ſecunda dies Junii ventis turbida, tertia ſerenari de nocte cœpit, cælum cum pruina matutina valde noxia, id quod apud nos valde rarum, & vix a ſeculo obſervatum. Segetibus nihil nocuit hoc gelu matutinum, nec deſtructæ vineæ, præterquam illæ quæ verſus plagam occidentalem ſitæ, quarta Jun. iterum pruina, ſed plane innocua. Septima ros mane cecidit purpurei coloris, obſervatus in foliis arborum & vitium, ut & hominum in vineis laborantium linteaminibus, in quibus, (prout ego obſervavi) exacte referebat colorem macularum ex ſucco mororum aut ceraſorum. Circa id tempus morbi fuere nulli, ut plerunque fieri ſolet menſe Junio, febres quidem comparebant tertianæ, ſed adeo mites, ut etiam in quamplurimis poſt tertium vel quartum paroxyſmum ſine medicamentis aut ſola purgatione & venæ ſectione adhibita ceſſaverint. Variolis quoque corripiebantur parvuli parvulæque, ſed illæ cum nullis feris aut gravioribus ſymptomatibus, hinc omnes ſervati qui non incuria neglecti aut minus rite, prout a plebe quandoque fieri ſolet, tractati fuere.

Succeſſit æſtas plus frigida quam calida, magis humida quam ſicca: Finis tamen Junii & initium Julii gaudebant aliqua ſerenitate, mox nubibus exaſperatum cælum & largiſſimam aliquot diebur effudit pluviam; unde intumeſcens Danubius littore ſupergreſſus longe lateque ſe per prata & agros diffudit cum maximo damno ruricolarum, tam feniſecorum quam meſſorum. Rediit ſub initium Auguſti calor, iſque intenſiſſimus, ſed ultra ſeptem vel novem dies non perdurans, inſequentibus pluviis uſque ad Octobrem. Inter iſtas tam varias mutationes vix tamen aliquid morborum obſervatum; niſi quod in Septembri plurimi infantes, adulti non item, correpti fuerint dyſenteria, iique ferme omnes lactantes, credo ex lympha plus juſto acriori ad inteſtina delata illaque lædente. Errorem quippe illi in eſu fructuum hortorum non committere poterant, nec commiſere nutrices ſedulo examinatæ & obſervatæ, pauciſſimi tamen periere, ſed omnes convenienter clyſteriis, in primis ex lacte & decocto capitis vervecini tractati, convaluere.

Poſt æquinoctium, qui ſecutus autumnus, ferme totus fuit pluvioſus. October ſubinde ſerenus. November inæqualis, jam ad hyemem inclinans, & prout reliquum Decembris uſque ad ſolſtitium, frigidus cum floccis nivium & creberrimis pluviis. Hinc vinum nec quantitate nec qualitate laudabile crevit. Circa initium Octobris frequenter hinc inde in civitate comparuere febres erraticæ nullum typum ſervantes, invadebant prope omnes cum frigore aliquando trium horarum, inſequente calore ultra horas 15. durante, poſt apyrexiam aliquot ſaltem interjectis horis nova febris affligebat. Memini me habuiſſe quendam, in quo calor ultra 48. horas duravit, cum terribili capitis dolore, ſiti vehementi, ſqualore linguæ & faucium, ſummaque virium debilitate, ita ut febrim continuam fore meruerim; tamen poſt venæ ſectionem remiſit calor, morbuſque in melius mutatus. In alia Illuſtriſſima perſona ſimilem protractionem paroxyſmi primi notavi, ſimiliter poſt venæ ſectionem remittentem & intermittentem; ſed tertia die redeuntem, hinc propinatus cortex Peruvianus in aqua cichorii alvum movit, id quod nunquam in aliis, auſim dicere millenis, cui corticem hunc exhibui, factum obſervavi. Credidi prima vice fortuito factum, turgente forte & ad exitum per ſe tendente materia vitioſa in corpore, ſed & poſt ſecundam, imo etiam poſt tertiam exhibitionem idem factum, movit autem alvum ſemper ſexies, ſepties ſine nauſea. Alius pariter febri corripiebatur levi, ab initio & cito remittente. Tertia die media nocte in lecto ſuo dormientem horribile invaſit frigus trium vel quatuor horarum ſpatio, ſubſequente calore in alteram noctem perdurante, cum pedis dextri ingenti dolore, accepit ſudoriferum, unde optime ſudavit, moxque apparuit ingens rubedo & inflammatio in pede dolente, factumque eryſipelas, quod facile, convenientibus remediis tractatum, ſublatum eſt.

Anno M. DC. XCVI.

JUraſſet quiſpiam permutata fuiſſe tempora; præteritam æſtatem fuiſſe brumam; nunc autem æſtatis vicem obire hyemem, uſque adeo in bruma nihil brumale, & in frigidiſſimis alias menſibus, nullum frigus, nullum gelu, nullæ nives, breviter hyems fuit clementiſſima. Januarius aliquo modo ventis turbibus, nebuloſus, pluvioſus. Februarius quaſi totus ſerenus, ſiccus, ſine notabili frigore, niſi matutino tempore, ubi aura parum frigidiuſcula, mox ſurgente ſole temperata. Hnic ad æquinoctium uſque plane ſimilis Martius, niſi quod parum ventoſior, hinc etiam ſalubrior. Nam totis hiſce menſibus vix præter catarrhos aliquid notabile occurrit in medicina. Poſt æquinoctium vero & aer & morbi cœpere mutari. In fine quippe Martii longe majora frigora, major cœli inclementia, de nocte gelu & nives, minus tamen durabiles, ſed in pluvias ferme continuas de die abeuntes. Nec mitior Aprilis ſua natura variabilis, ſub finem tamen ſiccior. Meliora tempora ſperabantur ſub gemellis, ſed & Majus ipſe cum initio Junii uſque ad ſolſtitium valde inæqualis. Nunc grata & vernalia ſerenatum pollicebatur cœlum, tempora, mox atris iterum inhorruit nubibus, tempuſque reddit turbato aere frigidiuſque pluviis minus vernale, minus majale. Hinc non mirum, cum ver ſimile factum fuerit hyemi, non vernales ſed hyemales fuiſſe exortas ægritudines.

Nam quas in hyemem relegavit pleuritides *Hipocrates III. Aphor.* 23. eas circa hæc tempora deprehendere licuit valde frequentes. Inter has in primis notabilis fuit illa cujuſdam Generalis quartiriorum Magiſtri (ut communiter vocatur) maligna feriſque comitata ſymptomatibus. Exceſſerat ille multum in vino & comeſſationibus tempore bacchanaliorum, hinc catharrum acquiſivit cum tuſſi vehementi & lateris punctoris. Aperta vena, ſuaſi purgationem, quam tamen vocatus Medicus diſſuaſit. Ille autem reluctans conſuetum ſibi ſumpſit laxativum, unde ſibi videbatur melius valere, ſed mox ſequenti nocte omnia in deterius, aucta in ſummo gradu febris, acceſſit furibundum delirium, ſputum craſſum, crudum, ſanguineum, idque perpaucum, quæ omnia extrema minabantur. Vocatus ego, exhibui ſodoriferum, juſſi applicari veſicatoria, dedi oleum lini, ſic remiſere ſymptomata, illeque ex lethi faucibus erutus ad caſtra perrexit. In Majo notavi in nonnullis febres malignas, cum exanthematibus, minime tamen funeſtas, niſi in duabus perſonis; in ſervo quodam qui illa pro morbillis habuit, nec aliud niſi myrrham & ſemen napi accepit; hinc accedentibus gravioribus ſymptomatibus expiravit. Altera erat puerpera quæ febrim lacteam aut puerperalem eſſe credens, neglectis alexipharmacis ſolum potum aquæ chamæpythios cum ſaccharo adhibuit, noſtris puerperis in hoc caſu conſuetum, tandem conſpectu exanthematum hinc inde erumpentium perterrita Medicum vocavit quidem, ſed nimis tarde, accedente enim diarrhœa, delirio, & tandem convulſione, mortua.

Jam ad æſtatem devenio, in qua menſe Julio & Auguſto ſubinde calor intenſus, nonnunquam, ſed raro durans, intermixtis ſubinde pluviis frigidis uſque in medium Septembrem. Notabiles erant menſe Auguſto dyſenteriæ in infantibus lactantibus & ablactatis, plane ut ante annum, valde frequentes, ſed ut plurimum funeſtæ, ſtatim enim poſt unam vel alteram dejectionem comparuit ſanguis, mox extrema debilitas & mors, pauciſſimi ad decimum ſervati, qui tamen mortui; adultiores facilius curabantur. Valde inſuper contagioſa fuit iſta dyſenteria, nam facile corripiebat adſtantes & infantibus miniſtrantes, ex quibus tamen nulli obiere. Credo malignitatis hanc luem non fuiſſe expertem, quæ quidem tenellulis mortem iutulit ob nimis teneram conſtitutionem, in adultis autem ita vim exerere nequivit, ſed facile fuit ſuppreſſa.

Tandem in autumno comparuit æſtas. Scilicet ab æquinoctio uſque ad Decembrem, per totum Octobrem & Nov. ſerenitas, cum frigidiuſcula tamen aura matutina; hinc præter ſpem etiam melius crevit vinum quam ante annum, non tamen in abundantia aut illa bonitate prout alias apud nos fieri ſolet. In Decembri mutatus aer tempuſque redditum turbidum ventis, nebulis atque pluviis, duodecima cecidit nix alta, quam ita ſolidavit ſubſequens rigidiſſimum frigus, ut ſupercadentibus conſequenter aliis nivibus, prima manſerit uſque in Aprilem ſequentis Anni. Morbi circa hoc tempus nulli notabiles. Hinc progredior ad

Annum M. DC. XCVII.

HUjus initium fuit ſicut finis præteriti. Scilicet a ſolſtitio hyemali uſque ad æquinoctium vernale, frigus acerrimum ſine remiſſione, congelatus Danubius ſtatim in Januario, manſitque pons iſte glacialis ultra octo ſeptimanas firmus & conſtans, quod alias valde rarum apud nos. Fuit inſuper hoc memorabile, quod ſub denſiſſimis pariter ac profundiſſimis nivibus terra ſemper manſerit aperta, ita ut, remotis illis, hæc non aliter ac in vere fodi potuerit. Periere & computruere ſub hac mole nivium fere omnes ſegetes & olera hortenſia, frigus hyemale alia tolerantia, quæ, liquefactis nivibus, non aliter ac mucago quædam viridis terræ incubabant, ac in lutum reſolvebantur; non levi inſequente in primis frumenti penuria. Cæterum quod *Hippocrates III. Aphor.* 7. dicit, Magnis ſiccitatibus fieri morbos acutos, hoc vice verſa hiſce temporibus meliori jure dici potuiſſet, de magnis frigoribus. Iiſdemque durantibus circa finem Februarii; febres acutæ malignæ per totam graſſabantur civitatem. Invadebant pleroſque leviſſimo rigore ſuccedente calore non adeo forti & quandoque iterum remittente primis diebus, mox circa quartum vel ſextum diem augeri cœpit calor, & notæ hinc inde ſuperficie cutis apparuere malignitatis. Pulſus ab initio valde erat ſanorum ſimilis, ut & urinæ, ſed ubi calor auctus rubicundæ inſtar ſanguinis factæ. Deliria circa nonum vel decimum diem comparuere, in quibuſdam vehementia & ad decimum ſeptimum uſque durantia, in quibuſdam remiſſiora & breviora. Maculæ erant parvæ inſtar morſus pulicum, obſcure purpuraſcentes, circa decimum octavum aut etiam circa vigeſimum primum diſparentes. Non valde lethales erant hæ febres, ſed ſupra modum contagioſæ (quod alias non ſemper fieri ſolet) nam in aliquot ædibus ne unum omiſit, quem non corripuiſſet, raro in una aut altera perſona ceſſavit. Duravit hæc lues in Majum uſque, ubi incaleſcente aere remiſit.

Hyemem excepit ver, ſed & hujus initia adhuc ſatis ventis & nivibus turbida. Succeſſit Aprilis totus ſerenus, ſiccus, abſque pluviis cum calore pro tempore inſolito. Majus variabilis, nunc calidus, nunc frigidus, mox ſerenus, iterum pluvioſus, talis etiam totus Junius. Circa hæc tempora vix ullus notabilis occurrit morbus ceſſantibus etiam, ut ſupra dictum, febribus malignis.

Æſtas ferme prioris auni æſtati ſimilis; mediocriter calida, & matutinis horis ſubinde frigida, vegeſima nona Auguſti, trigeſima & trigeſima prima mane pruinæ fuerunt, ſed plane innocuæ, noſtrates appellant *ein Waſſer Reiff*, id quod tamen apud nos inſolitum, ubi tales pruinæ raro ante feſtum S. Michaelis obſervantur. Hoc tempore frequentes erant icteri, qui flavedine ſua plurimos deformabant. Sentiebant, qui corripiebantur, aliquam cordis compreſſionem, nauſeam, anorexiam, & non raro vomitum, mox flavo colore toto corpore perfundebantur, ſed qua velocitate venit, eadem iterum adivit. Poſt unum vel alterum laxativum diſparuit flavedo, rediitque ſanitas cum bono appetitu.

Qui ſubſecutus autumnus ſemper erat variabilis & inconſtans, uſque in Decrembrem, cum quo hyems ante hyemem, id eſt ante ſolſtitium gelu & nivibus ſuum ſumpſit initium. Febres quæ circa hoc tempus graſſabantur ut plurimum erant tertianæ duplices, raro quar-

tanæ, & præter motem autumnalium nec longæ nec lethales, ſed convenienter tractatæ, facile curabantur.

Conſtitutio Epidemica Auguſtana Anni 1701. & ſequentium.

Dn. D. LUCÆ SCHROECKII.

LIcet initium anni 1701. frigidum comparuiſſet, triduo tamen poſt mitior aeris temperies, ſub mutabili ventorum, zephyri tamen prævalentis, crebrioreſque nives, ſubinde vero etiam pluvias adducentis flatu, excepit, uſque dum ante, & circa æquinoctium vernale magis conſtantem ſerenitatem eurus largiretur; paulo poſt ventis priorem inconſtantiam reſumentibus, hyememque protractiorem, quin & gravem terræ ſiccitatem circa Solis in Tauri ſignum ingreſſum, cum ſenſibili frigoris moleſtia, ſereno quidem cælo, producentibus, ut Cereris etiam, Pomonæ & Floræ ſinus tardius panderetur, atque Maji principium vernalis amœnitatis parum oſtenderet, quæ poſtea eo largior comparuit, atque, Gemellorum ſignum cum Sol occupaſſet, aerem multum deluvit, & in tantum calefecit, ut, ni zephyrus, euronotus, & auſter ſubinde pluvias interſperſiſſent, nimia ſiccitate, præcipue quia ventorum perpetuus quaſi motus continuabat, terra plurimum laboraſſet. Interea prior morborum in anno prægreſſo obſervatorum facies continuavit, quam itaque depingere ſuperfluum foret, variolarum puta, febrium petechialium, tuſſiſque humidæ. In menſe Februario inſuper duobuſque eum excipientibus, pleuritides veræ in ſuppurationem abeuntes, ſed diligenti pectoralium & diaphoreticorum temperatorum uſu, ſine etiam venæ ſectione, curabiles acceſſerunt; quibus in nonnullis M. Aprili, cum morbus jam in decrementum vergeret, nova febrilis effervescentia ſupervenit, cum eruptione per totum corpus puſtularum aquearum, majus periculum minitantium, ægrotis tamen per continuatam alexipharmacorum blandiorum adhibitionem intra primum, quandoque ſecundum octiduum reconvaleſcentibus. Menſe Majo & Junio, præter dictas punctulares, (quæ jam ſine magna præcordiorum oppreſſione, cum horrore, laſſitudine, lumborum, nuchæ, & capitis dolore ut plurimum ingruebant) purpuratæ etiam febres tenetiorem in primis ætatem, non admodum periculoſe invaſerunt; nec melancholici inſultus maritatis fœminis, menſtruis quidem rite ſe habentibus, infrequentes fuerunt, venæ ſectione quidem mitigati, paulo poſt tamen recidivi facti, acidularum vero martialium potu curati.

Poſt Solis ingreſſum in Cancri ſignum crebriores primo pluviæ, poſtea cum plurimarum tempeſtatum graviorum impetu, calores, circa caniculares in primis dies intenſi, & qui ad æquinoctium autumnale uſque, paucis frigidiuſculis diebus intervenientibus continuabant, fuere notati; quo tempore frequentia morborum defuit, niſi quod ibi ob tranſpirationem fortaſſe ab aere humidiore & frigidiuſculo nonnihil cohibitam, febres quotidianæ, poſt exiguum horrorem intenſiori calore invadentes, & facile curabiles, hic ob ſanguinem aeris calore nimis rarefactum febriculæ ſcarlatinæ, ſine magno corporis æſtu aut gravibus ſymptomatibus, ſed levi ſaltem præcordiorum compreſſione præcedente, non minus brevi & ſponte quaſi ceſſantes obſervarentur. Alii autem, quibus probabiliter lympha viſcidior in ſanguine erat, non maculis iſtis pingebantur, ſed puſtulis albicantibus, majoribus minoribuſve, cum interſperſis quandoque veſiculis parvis limpidis, pruritu comite tandem exſiccatis, ac in ſquamulas ſecedentibus, per totum corpus, ſine vitæ periculo, & prævio non admodum intenſo calore, onerabantur. Nec infrequentes erant diarrhœæ, quibus interdum, ſed rarius dyſenteriæ ſuccedebant, ex negligentiori, ut mihi videbatur, corporis ab aere externo cuſtodia, & liberaliori potus ingurgitatione, hincque ſtomachi tono labefactato ſubortæ, quæ etiam facile, vel ſolius rhabarbari cum terra ſigillata, aut coralliis rubris mixti uſu, vel inſuper eſſentia catechu, lenibuſve aliis adſtringentibus ſtomachicis abſorbentibus curabantur. Plurimos etiam odontalgia correptos licuit conſpicere, quæ licet rarius Medicorum conſilio exoneretur, quantum tamen dijudicare valui, ex eadem ventriculi imbecillitate, & chyli vel lymphæ crudioris circa dentes ſtagnatione citabatur. Erant inſuper fœminæ præſertim, quas ſiniſtræ axillæ intenſus dolor, ſine tumoris vel inflammationis indicio excruciabat, periodice ut plurimum & circa veſperam recurrens, cujus radicem circa ventriculum pariter hærere, tum notatæ ibidem, in primis ſiniſtro in hypochondrio moleſtiæ, tum ſalutaris curandi ratio conjecturari faciebant: credidiſſem, chylum viſcidiorem & crudiorem, per ductum Pecquetianum ad venam ſubclaviam ſiniſtram delatum, & cum obvio ibi ſanguine permixtum, agitationem præternaturalem ibi excitaſſe, parteſque illas dolorifice hac ratione diſtendiſſe, niſi dextrum humerum in fœmina quadam idem malum tunc occupaſſe notaſſem, cum inſolitam ductus illius ad partem dextram declinationem ſine urgentiori cauſa hic fingere non audeam; quamvis in eadem rheumaticum potius affectum ſubfuiſſe credere malim, præſertim cum dolor ille dicto modo quidem intenſior per intervalla redderetur, nunquam tamen plane intermiſerint, ac tandem brachii tumor ſupervenerit, diaphoreticorum, emplaſtri oxycrocei, & laconici coriarii uſu omnino ſublatus. In cæteris repetitus leniter evacuantium & humores corrigentium, præſertim acidularum martialium uſus proficuus exſtitit, remedia autem externa nullum levamen dederunt.

Eandem chyli & lymphæ vitioſæ in ſtomacho nidulantis labem febres quotidianæ epidemicæ, incerto quandoque paroxyſmi tempore invadentes teſtabantur; quæ nullo prævio horrore, magna præcordiorum ad oppoſitam in dorſo regionem ſe extendente oppreſſione, & nullo ſenſibili, vel tolerabili ſaltem excipiente calore, infeſtæ erant, atque propinatis, pro exigente neceſſitate, emeticis, vel repetitis laxantibus & abſorbentibus, amaricantibus, abſinthio, chinchina &c. curabantur.

Poſt æquinoctium autumnale primo aeris ſerenitas & ſiccitas continuabant, mox pruinæ, nebulæ, d. 17. & 18. Octobr. copioſæ nives, pluviæ poſtea, & venti modo ex hac, modo ex alia mundi plaga, in primis ex ſeptentrione frequentius irruentes comparuerunt; Sol autem ubi ad Scorpionis ſignum pervenit, denuo per aliquot dies ſerenitatem, terræque ſiccitatem conciliavit, varia dein aeris temperie, ut plurimum tamen auſtrina ſubſequente; & cum aer parum a ventis jam agitaretur, vapores in eo hoſpitantes parce diſpellebantur; unde iidem corpotibus humanis copioſiores communicati variis ægritudinibus procedendis pattocinabantur; hinc non tantum variolæ iterum ſe exerebant, pleuritides veræ, atque febres continuæ, catarrhales magno cum æſtu, cephalalgia & tuſſi, pueros æque ac maturiorem ætatem invadentes, nec, ubi debite tractabantur, lethales ſubortæ, ſed frequens etiam catarrhorum cohors, coryza, odontalgia, raucedine, tuſſi infeſta urbi incubuit. Muliebris ſexus non minus habuit, de quo ſpeciatim conquereretur, uteri nimirum hæmorrhagia, cui non gravidæ ſaltem, ultimis præſertim duobus graviditatis menſibus, ſed aliæ quoque plures obnoxiæ erant; quem ſanguinis orgaſmum non commodius quam abſorbentibus materialibus &c. uti hæmatite, croco martis adſtringente, item bolo Armena, coralliis rubris &c. haud neglecto, ubi opus erat, pauco opii additamento, ſedatum expertus ſum. Memorari etiam merentur apoplexiæ crebræ, ut plurimum exitioſæ. Memini egregium quendam virum mihi aliquando narraſſe, quod jam olim fuerit obſervatum, poſt crebriorem aquilonium flatum apoplexias frequentes hic contigiſſe: neque admodum in dubium id vocare vellem, cum ab illo vento neſcio quæ atomi impuræ nobis inſerantur; id quod civem quendam noſtratem induſtrium non latet, qui ceræ dealbandæ in horto ſuo boreæ multum expoſito operam navans, eandem infeſta flavedine ab eo infici notavit; unde quamprimum ſpirare eundem obſervat, ceram ſtudioſe tegere, media etiam, ſi is tum ingruat, nocte properat, quem in finem machinulam artificioſam excogitavit, quæ a vento hoc commota ſomnum excutiat. Ubi in memoriam mihi revoco, quæ noſter quondam Æſculapius, Phil. Hœcſtetterus, in ſcholio ad dec. 4. obſ. med. caſ. 1. protulit, ubi urbis noſtræ deſcriptionem exhibens, zephyrum ex depreſſis & alicubi paludoſis Marchionatus Burgavienſis locis inquinamenta ſecum rapere, & huc advehere ſcribit; quæ ſane de borea quoque nobis, & non minori jure pronunciare licet, qui ex locis humidis Danubio proximis putridas particulas abripere, atque in capita noſtra effundere valet.

Tandem cum circa menſis Decembris principium zephyri impetus major denuo inſurrexiſſet, d. 10. eundem Eurus compeſcuit, frigore, creberrimiſque nebulis, quibus præſertim a d. 17. uſque ad d. 23. Decembris continuis civitas obtecta fuit, ſtipatus, uſque dum circa finem anni zephyro boreas ſuccedens auram tolerabiliorem redderet, niviumque crebritate colophonem imponeret. Quo tempore, præter memoratas pleuritides, variolas & febres continuas, in pueris etiam quotidianæ febres, tuſſi humida & cephalalgia graves, nec non icteri, in adultis autem malignæ petechiales, ut plurimum puſtulis limpidis miliaribus poſt macularum eruptionem comparentibus, comitatæ obſervabantur: hæ in principio poſt horrorem laſſitudinemque, tolerabili calore, intenſo capitis dolore (quem paulo poſt recedentem tuſſis, non quidem din durans, & ſicca magis quam humida, atque calor auctior cum deliriis nocturnis inſequebantur) ſe prodebant, contagia quandoque in alios ſe diffundebant, rariuſque, ubi temperatioribus alexipharmacis tempeſtive obviam itum eſt, occidebant: in pleuritide vero continuatus diaphoreticorum, præcipitantium dictorum, uſus coagulum ſanguinis feliciter reſolvebat; qualia medicamenta etiam contra quotidianas febres, ut & juxta cum martialium uſu adverſus icterum, promptum auxilium ferebant.

Eurus in anni 1702. introitu ſerenitatem cum frigore moleſto induxerat, quatto tamen mox die zephyrus pluvioſam primo conſtitutionem, poſtea ventorum frequens mutatio tempeſtatis etiam varietatem multam ſubinde attulit, ſemper tamen humida ex pluviis, & temperatiore paululum, ſub dominio zephyri, poſt ſolis in Piſces ingreſſum diu impetuoſi, prævalente, ut hyems non admodum rigoroſa quidem, protractior tamen fieret; præſertim cum poſt æquinoctium vernale eurus non ſolum magis ſpiraret, & poſt ſerenos plures dies circa initium Aprilis rediens zephyri ferocia crebriores nives ſpargeret; quas ſub eodem fœviente licet ab aliis ventis ſæpe interrumperetur, frequentes pluviæ, cum Sol ad Tauri ſignum appropinquaret, exceperunt, uſque dum poſt Maji principium eurus ſereniorem & vernæ temperiei magis conformem aerem redderet, ſiccitate tamen terræ exinde non parva inducta, ut Flora ſuas amœnitates non niſi ſerius expromere valuerit. Hoc toto tempore eadem morborum facies, in primis vero pleuritides, ut plurimum ſine ſuppuratione curabiles, uſque in Aprilem continuabant. In quo & Majo menſe febres continuæ, in paucis cum miliari efflorescentia, ſemper autem prævio horrore, (ſine intenſo calore) magna virium debilitate, & cephalálgia gravi, raro deliriis, aliiſve gravioribus ſymptomatibus comitatæ, atque alexipharmacorum & diaphoreticorum uſui cedentes, hic ibi propullulabant. Majori vero numero febres quotidianæ & pauciores tertianæ ingruebant; illæ tantum non in omnibus, qui ſe curæ meæ commiſerant, inſignem capitis dolorem in paroxyſmo inducebant, vireſque proſternebant; in multis prima ſub invaſione, & ſæpe aliquot per dies continuatum typum, vix perceptibili caloris & cephalalgiæ remiſſione, referebant; chinchinatis autem medicamentis, vel arcano duplicato facile curabantur; quibus non minus tertianæ, poſt emetici, vel ſcammonii ſulfurati, ubi opus erat, adhibitionem breviſſime abigebantur.

Circa æquinoctium dictum arthriticis affectibus obnoxii fere omnes, quotquot mihi noti, inſultus ut plurimum non admodum feroces patiebantur, atque ubi poſt exantlatam periodum juſto citius aeri ſe expoſuerunt vel artus delaſſarunt, recidivas experiebantur. Plurimos etiam infantes epilepſia e medio ſuſtulit, quæ ex lymphæ acido viſcidæ in cerebro ſtagnatione, præſertim dentitione difficili accedente, ortum traxiſſe viſa eſt. Iſtæ autem lymphæ craſſioris collectiones non minus in aliis frequentes admodum fuerunt, ut non tantum crebriores tuſſes, coryzæ, odontalgiæ exinde obortæ fuerint, ſed frequentiſſime aliis etiam morbis epidemice & ſporadice graſſantibus, tuſſis ſe aſſociaverit.

Cum Junio zephyrus euro ſucceſſit, pluviarum multarum ferax paucis diebus ſerenis intermixtis; qui in Julio quidem per primum triduum cum calore mediocri continuabant, aſt mox aere in fulgura & tonitrua deſpumante, in pluvioſos juxta & frigidiuſculos, ac poſtea temperatos mutabantur, uſque dum poſt Canis exortum eurus, ſæpe ad meridionalem plagam inclinans, ſerenitatem non ſine calore reduceret. Magna dehinc ventorum varietas fuit notata, (niſi quod poſt autumnale æquinoctium a d. 24. Septemb. uſque ad d. 6. Octobr. zephyrus impetuoſe admodum dominaretur, a frigido & non minus per triduum vehementi euro tandem quaſi in fugam conjectus) quæ diverſam quoque aeris temperiem, potiſſimum tamen calidam & ſerenam in Auguſto effecit. Aſt in Novembri multa hyemis præ-

ludia,

ludia, imo præmaturus adventus ejuſdem, crebro, & quandoque intenſo frigore, niveque repetita, quam benignior aura & interpolatæ pluviæ denuo liquabant, moleſtus exſtitit. Quæ ipſa mutabilis conſtitutio, tum ningendo, tum præſertim pluendo, frigore modo aucto, modo remiſſo, zephyro reliquis ventis prævalente, & circa, nec non poſt ſolſtitium hyemale, uſque ad finem anni, multum ſæviente, nubibus autem continuo fere Solem obducentibus, integrum præſertim Decembrem faſtidioſum admodum reddidit. Morbi interea longiores inducias dederunt, tales tamen, quibus aliqualis epidemicæ luis præſentia non prorſus excluderetur; uti præſertim in febribus quotidianis ſupra memoratis paſſim per Junium & ſubſequentes menſes uſque in Novembrem obſervari poterat; quæ tandem in non paucis, cum autumnus adventaret, hecticæ metum injecerunt, quibus tamen juxta cum aliis coagulum lymphæ acidum deſtruentibus, ſpecificum in primis antihecticum Poterii, lapilli gammarorum &c. ſalutarem opem præſtiterunt. Circa ſolſtitium hyemale variolæ benignæ in pueris ſe exercuerunt, cum magno quidem calore ingruentes, a pulvere tamen rubeo Pannonico, antimonio diaphoretico, unicornu marino &c. quinimo quandoque etiam ſine medicamentis celeriter periodum ſuam abſolventes, & cum fine anni jam iterum omnino diſparentes. Quod tandem de ægritudinibus aliis, quibus ſemper fere tuſſis ſe ſociaverat, dictum, in hiſce quoque deprehenſum fuit.

Quæ Annorum ſequentium, videl. 1703. 1704. *&* 1705. *conſtitutio fuerit, in Appendice Dec. tertiæ Anni noni & decimi Miſcellaneorum noſtrorum curioſ. legi poteſt; cui nempe typothetæ negligentia antecedentem præfigere intermiſit.*

Anno 1706. hyemale frigus, ob auſtrinam aeris temperiem, qualis anni prægreſſi in fine obſervata fuerunt, & uſque dum Sol Aquarii ſignum attingeret, continuaverat, hactenus ut plurimum tolerabile, nunc magis ſe exeruit, præſertim cum orientalis ventus in Februario conſtanter, interdum ad meridionalem plagam inclinans, ſpiraret, ac continuæ fere nebulæ uſque ad Solis in Piſces ingreſſum, ubi ſerenus aer frigus augebat, nos cingerent. Cum interea hecticæ febris inſultui (coryzas & tuſſes humidas, tanquam indivulſos quaſi hyemis comites, nec non odontalgias ut taceam) denuo plures exponerentur, ſed facile etiam medicamentis acredinem temperantibus abigerentur.

Circa vernale æquinoctium zephyrus potiſſimum dominio potitus, atque reliquis tamen ventis nonnunquam interruptus, multum invaleſcens, diverſam etiam temperiem, auſtrinam præcipue excitavit, ac vernali amœnitati ſubinde obſtitit. Sub qua conſtitutione febres quotidianæ, & plures tertianæ ingruerunt, magno cum impetu; in quibuſdam etiam cum deliriis, ſine tamen cephalalgia ut plurimum, & quæ poſt ſumptum cholagogum, vel emeticum, abſorbentibus non difficulter, prompte etiam chinchinatis ceſſerunt. Plures inſuper circa Solis in Gemellos tranſitus nephriticis doloribus, non admodum refractariis, obnoxii fuerunt.

Poſtea ſub mutabili valde ventorum viciſſitudine, ante & poſt ſolſtitium æſtivum, plures ſerenos calidoſque dies experti ſuimus, qui etiam diu continuarunt, multamque ideo terræ ſiccitatem, præſertim a ventis adjuti, attulerunt; cui interea febres prædictas, ſenſim declinantes, neque tamen per reliquum poſtea annum prorſus ſilentes, crebræ odontalgiæ, (quæ etiam per totum hunc annum fuerunt obſervatæ) tuſſes, interdum convulſivi quid labentes, & coryzæ; adultos æque ac juniores affligerent, & cum negligentior diæta accederet, diu durarent. Quas moleſtias magnæ illi & totali ſolari eclypſi, quæ d. 12. Maji contigit, adſcribere multis placuit. Et quamvis ſubita illa aeris calidi, interceptos ob Solis radios, in frigidum, hiſque non minus celeriter redditis, in calidum rurſus mutatio, juxta cum animorum, ex inſperata illa & nulli unquam viſa caligine, conſternatione, aliquid contribuiſſe videri poſſet, cum tamen jam ante eclipſin iſtæ lymphæ ſtaſes contigerint, vix locum illa opinio inveniet, negari tamen nequit, frequentiores poſt illam ſolis obſcurationem, & circa ſolſtitium æſtivum illa occurriſſe: ideoque non prorſus improbabile eſt, ſpiritus a phænomeno iſto terrifico labefactatos, (qui ſane terror in nonnullis tantus fuit, ut lipothymiam ipſis induxerit) lymphamque ſimul craſſiorem redditam, quin & a frigore illo ſolito magis condenſatam, ad catarrhales has ſtagnationes diſpoſuiſſe.

Menſis Julius quamvis pariter multa ſerenitate gauderet, nonnunquam tamen pluviis ſitientem terram refocillavit; poſt Caniculæ vero exortum calores admodum invaluerunt, & uſque ad occaſum perſeverarunt, quin licet temperatior ob pluvias, parciores equidem, aura per paucos dies ſuccederet; ad priſtinum tamen genium mox reverſa eſt, uſque dum d. 7. Septembr. cum luna inchoante zephyrus pluvias ſæpius adduceret. Quo tempore dyſenteriæ graſſari cœperunt, & infantibus non levem ſtragem intulerunt, adultis vero nec tam frequenter, nec etiam lethaliter ea decumbentibus. Ubi quidem hiſce fructuum horariorum intemperantiori ab eſu, vel liberaliori ob caniculares æſtus potu, præſertim cereviſiæ, nobis albæ dictæ, propter tenuitatem ſuam & imperfectam a parca fermentatione depurationem, in acorem pronæ, illam obtigiſſe veriſimile eſt; illis autem, quorum major pars ob tenellam ætatem nihil horum deguſtaverat, cur adeo fatalis fuerit difficulter determinari poteſt. Utrum in lacte vaccino aliquid adverſi delituerit, quo cum nempe pulmenta in eorum cibum coqui ſolent, affirmare nequeo; cum tamen alia cauſa non ſuppetat, in vaccarum ſanguine, ob aeris fervorem, pratorum ſiccitatem, & pabuli inde ortam penuriam, temperatas balſamicas peticulas multum fuiſſe immutatas, acrioreſque redditas, haud incredibile videtur, quæ lacti communicatæ vim ſuam in tenerrimis infantum corpuſculis exerere, eorumque deſtructioni, quin & epilepſiæ aliis quibuſdam tum temporis funeſtæ, anſam dare valuerunt; & cum muliebris imperita induſtria puſionum curæ ſe ſufficere ut plurimum perſuaſa ſit, aut ſaltem Medicum deſperato jam morbo advocet, funerum multiplicatio facile contingere potuit; præſertim ubi difficilior fortaſſe progreſſus partus fœtui debilitatem aliquam antea impreſſerat, cum, incertum qua de cauſa, hoc anno de dyſtokia & præmaturo partu non levibus querelis urbs perſtrepuerit.

Reliquum anni, una cum ventorum continua mutabilitate, nebulas inter & pluvias frequentiores, aerem temperatiorem quoad actiyam ejus qualitatem, (niſi quod paulo ante ſolſtitium hybernum eurus eundem nivibus aſperiorem per triduum reddiderit) expertum fuit, multaſque nobis inducias conceſſit, ſi rheumaticas poſt ſolſtitium dictum, muſculis caput attollentibus faſtidioſas lymphæ ſtaſes exceperis, quæ ſolo tamen tum hypocauſti calore, tum ſuffituum maſtichinorum &c. ope haud difficulter reſolvi potuerunt.

Plurimas inter nebulas temperatioremque auram non ſaltem annum 1707. inchoavimus, ſed porro etiam clementem, & Sole in Aquario verſante, humidam aeris temperiem experti ſuimus, raro, nec diu durabili frigore, ac multo rarius nive comparente; neque etiam multi, humidas nempe & nocivas alias in aere particulas frequenti ventorum variorum agitatione diſpellente, morbi populares aderant, niſi quod rheumatiſmi præfati, nec non febres intermittentes, quamvis pauciores, atque poſt ſumptum lene laxans, eſſentia corticis Peruviani facile abigendæ, continuarent; quoſdam vero pleutitides veræ, in ſuppurationem ut plurimum terminatæ, nec tamen admodum acutæ, & antimonio diaphoretico, pulveri pleuritico Aug. prompte cedentes, puerilem autem ſparſim variolæ, nulla malignitate ſuſpectæ, ac per totum poſtea anni decurſum obſervatæ; alios denique icteri non adeo contumaces, præſertim ſub crebriori eſſentiæ mart. D. Lud. uſu, invaderent.

Licet autem circa Martii initium frigus intenſum ingruerit, mox tamen poſt quatriduum temperatiorem in ſtatum denuo fuit mutatum, ut veris præludia multa comparerent; cujus vero amœnitatem ventorum diverſorum, euri in primis auſteritas, cui nebulæ crebræ jungebantur, multum retardavit, aeremque frigore horridiuſculum reddidit; quo ipſo inſenſibilis tranſpiratio admodum ſufflamminata, ſerum in corpore auxiſſe, atque creberrimas adſtagnationes diſpoſuiſſe viſa eſt, ut major incolarum pars catarrhoſis ægritudinibus, pectus, vel nares, aures, fauceſve occupantibus affligeretur; in quibuſdam fluxu celerrime, vehementerque gravi cum cephalalgia & febrili incaleſcentia invadente. Quo tempore etiam febres, tum quotidianæ, tum tertianæ, ex eadem dubio procul cauſa, multiplicabantur, atque non raro graviores in principio, magna utpote cum cephalalgia, virium debilitate, & calore, ut continuæ quaſi typum referrent, oriebantur, poſtea medicamentis oppugnatæ, prompte etiam recedebant; facile tamen ab aeris frigidi admiſſione, vel cereviſiæ potu recidivam paſſæ; quæ etiam febres in autumnum uſque continuarunt; qui humidus admodum & graviori zephyri vehementia faſtidioſus extitit. Poſtquam æſtas, Sole Cancri ſignum occupante, magno æſtu, rarius a ventis pluviiſque temperato, primo ſat gravis, ab ingreſſu autem Solis in Leonem, crebriores propter pluvias, zephyrique impetus frigidulus ut plurimum fuerat; & ſic (ut crebriores catarrhos dentibus præcipue infeſtos taceam) non ſaltem in nonnullis quartanæ, longiori horrore & calore multum moleſtæ, eoque contumaciores, quo minus ii, qui eadem afflicti ex plebe meam opem implorarunt, in diæta convenienti medicamentorumque uſu morigeros ſe præbuerunt, ſed etiam arthritidis vagæ, pulveribus ex coralliis, ſpodio foſſ. lap. gammar. cinnabari, aliiſque antimoniatis fixis, opii tantillo addito, præter interpolatum laxantium uſum, haud difficulter cedentis, generationi anſam dederunt. Hyemis præſentiam in Decembris initio præmaturum frigus, & nives copioſæ ab Aquilone adductæ, indicarunt; quæ tamen poſt decendium e pluviis eliquatæ, quas zephyrus ante ſolſtitium hyemale vehementiſſimus concitaverat; cui cum caurus, & poſtea euronotus ſucceſſiſſent, aere nubiloſo & nebuloſo, ac moderate frigido, morbis ſilentibus, reddito, anni exordium fecerunt.

Anno 1708. diſſipatis nubibus, benignior euronotus per duas primas hebdomadas ſerenitatem, aliqua tamen nebuloſa caligine ut plurimum ſe immiſcente, produxit; quam poſtea humida ac pluvioſa conſtitutio excepit, præſertim cum quatriduana circa Solis in ſignum Aquarii ingreſſum zephyri vehementia ingruiſſet, cui ſub ventorum mutabilitate prior ſerenitas circa finem hujus menſis primi, & principium ſecundi ſucceſſit, atque temperatam adeo brumam, uti paſſim alibi locorum, experti ſuimus, ut multa veris indicia oſtenderet; donec euronotus d. 10. Feb. cum nivibus frigus adduceret, humida vero paucos poſt dies, cum intermixto quandoque frigore, intemperies a zephyro reduceretur. Quamvis autem hac ſub inſolita aeris clementia multi graves eſſe oborituros morbos vererentur, nihil tamen epidemici, (ut febres quotidianas & tertianas ſparſim & rarius adhuc occurrentes taceam) præter variolas, uſque dum Sol Tauri ſignum accederet, continuantes, & conſuetæ hoc tempore catarrhalia incommoda, tuſſes præſertim humidas, & ab eadem ſeri ſtagnatione capitis eryſipelas in ſexu muliebri, produxit, quod ex negligentiori fortaſſe partis iſtius cuſtodia, prævis in collo tenſivis doloribus, cum febrili incaleſcentia invaſit, & moderato lecti calore, præſertim diaphoreticorum terreorum uſu accedente, non difficulter diſcuſſum fuit.

Humidus autem hic aeris ſtatus ante & poſt æquinoctium vernale continuabat, ut pauci ſereni dies nobis obtingerent, & licet Solis quandoque radii refocillarent, nebuloſæ tamen exhalationes eoſdem ſæpiſſime deturparunt, uſque dum auſterior eurus d. 27. April. aerem ſerenaret, atque ab eo, & alternante cauro moleſtum frigus terræque ſiccitas producerentur, quæ in adultum uſque Majum, in quo diverſæ ventorum ex omni plaga mutationes notatæ, continuabant, donec d. 15. poſt fulmina & tonitrua in crebras pluvias mutarentur; quæ dein humida facies, zephyro & borea alternantibus, uſque ad principium Auguſti perdurabat; ubi zephyro potiſſimum dominante, calores magni & multa ſerenitas, ſæpe tamen matutinis nebuloſis evaporationibus gravata, uſque ad Caniculæ occaſum ingruebant, pluvioſo ac frigidiuſculo aere ſuccedente; qui etiam, rara intercurrente ſerenitate, uſque ad æquinoctium autumnale continuabat. Interea frequentes febres hecticis ſimiles, tuſſi præſertim & caloribus lentis inordinatis ſtipatæ, atque continuato abſorbentium fixorum uſui obtemperantes, notabantur. Variolas autem circa Maji finem ceſſantes, morbilli excipiebant, non tantum in infantibus, qui prius ſani fuerant, ſed etiam, qui paulo ante variolis laboraverant, nec non in adultioribus, ut & non paucis morbum hunc jam olim expertis, abſque tamen malignitatis nota, & ſub blandorum diaphoreticorum uſu paucos intra dies periodum ſuam abſolventes, qui tamen in menſe Julio iterum ceſſaverant; quo tempore poſtea odontalgiæ. ophthalmiæ, nec non dolores ſpaſmodici uterini in fœminis, iſchiadicique præcipue in viris frequenter occurrebant, ex lymphæ, uti mihi videbatur, ab aeris inclementia viſcidioris atque ideo in ſtagnationem proclivioris redditæ vitio generati, præſertim cum cereviſiæ aceſcentis, qua de plurimæ paſſim querelæ fiebant, potus accederet, & nervis ad coxas ac uterum tendentibus ſpicula ſua infigeret, ubi præter lenia eccoprotica, hyſtericis medicamenta caſtorina, cinnabarina &c. &

iſchiadicis blandam per vices diaphoreſin promoventia, non negleƈta ut plurimum opiatotum ſucciſa miſcella, proſuiſſe expertus ſum.

Circa æquinoƈtium autumnale per 16. dies ſerenitas adfuit, raro nubibus aut pluviæ expoſita, nebulis tamen crebris matutinis ſtipara, quibus poſt multam ventorum varietatem, ſubſeqq. etiam diebus obſervatam, boreas per 12. dies nubes adduxit, a zephyro poſtea in pluvias reſolutas; quin & poſt ſolis in ſignum Scorpionis ingreſſum, euro flante, nix decidua præmaturum quaſi hyemale frigus efficiebat. Ineunte Novembri multa quidem uſque ad ſolis in Sagittarium ingreſſum ſerenitas, crebro tamen nebuloſa, præſertim matutina, caligine inquinata; ſuccedente uſque ad d. 15. Decembris faſtidioſa, frigida, ob nives, nubila, nebulas intemperie; ubi quidem ſol nubibus diſcuſſis, ſerenitatem non ſine multo frigore, crebris etiam nebulis interruptam, reddidit. Interim, præter frequentes odontalgias, catarrhi in primis, capiti & pectori infeſti, plurimos in M. Nevembri infeſtarunt, tantumque incrementum ſumpſerunt, ut in M. Decembri pauciſſimi in urbe eſſent, quos moleſtia illa non tentaverat; multos etiam gravius tractaret, qui nempe prægreſſo acri horrore, febriles efferveſcentias, intenſas cephalalgias, aut capitis ſtupores, virium proſtrationes, quandoque faucium ſpaſticas ſtrangulationes, vel dolores pleuræ ſpurios experti fuerunt. Cauſam continuæ quaſi nebuloſæ aeris tempeſtati potiſſimum adſcripſerim, quæ non ſolum particulas ſuas humidas, impuras, per inſpirationem corpori communicare, ſicque ſeroſam colluviem augere, & ſanguinem inquinare potuit, ſed etiam frigore & gravitate ſua poros conſtringendo, ac tranſpirationem excrementitiorum humorum impediendo, eoſdem cumulare, incraſſare, atque in ſubtiliſſimis cerebri, narium, tracheæ glandulis ac tubulis ſtagnare fecit. Cui itaque præter moderatum aeris regimen, medicamentis reſolventibus, attenuantibus, abſorbentibus, demulcentibus &c. pro ſubjectorum & ſymptomatum diverſitate, ubi morbi gravitas id depoſcebat, ſuccurrendum fuit, eo cum ſucceſſu, ut nullus, qui libitinæ cenſum ſubiiſſet, mihi innotuerit.

Principium anni 1709. ſpirante euronoto, nebuloſum fuerat, altero autem & ſubſequentibus diebus zephyrus vehemens pluvias, & noƈtu, inter d. 5. & 6. Januarii plurimam nivem eurus, verſus aquilonem inclinans, cum intenſo frigore adduxerat; quod indies fere, inter matutinas præcipue nebulas, dieſque & noƈtes ſerenas, creſcendo ea vehementia nos afflixit, qua de longe lateque querelas multiplicare Europæ contigit, donec d. 24. prægreſſa nivoſa, veſperi auſter temperatiorem & pluvioſam auram induceret. Licet autem ineunte Frebruario frigus iterum, tolerabilius quidem, intenderetur, ac variis ſub ventis aeriſque mutationibus, nive quandoque rariore decidente, ad diem uſque decimum continuaret, zephyrus tamen temperatiorem tunc aerem reddidit, uſque dum d. 16. orientalis ventus, ad ſeptentrionem, nonnihil denuo deflecƈens, & præſertim biduo poſt acriter ſpirans, novo gelu affligeret; quod incrementa ſubinde ſumens, eo rigore inhorruit, ut d. 27. Febr. intenſiſſimo frigori, d. 21. Januarii obſervato (teſtante id ſpiritu vini in meo thermometro, utrobique matutino tempore ante ſolis ortum, ad gradum uſque ſeptimum, veſpertino autem poſt ſolis occaſum ad nonum gradum depreſſo) parum ceſſerit; quod dein multas inter ventorum mutationes, variaſque aeris, humidam in primis, conſtitutiones, tolerabilius redditum, ſed d. 12. Martii, & inſequente triduo iterum auƈtum fuerat, ſpiritumque vini thermometro ad gradum nonum cum dimidio, veſperi autem ad undecimum atque dimidium depreſſerat; tandem autem remittens, d. 16. dicti menſis ſpiritum ad gradum undecimum, & ſic ſenſim magis ſurſum extolli permiſerat, ut d. 17. Aprilis gradum decimum quintum mane attingeret. Interea non tantum ventorum mutabilitas, ſed aeris etiam, ob crebriores pluvias, humida ac frigidiuſcula, interveniente tamen ſubinde ſerenitate atque calore, ante & circa ſolis in Tauri ſignum ingreſſum intenſiori, continuarunt, ut fœcunditati terræ non modice faverent, matutinæ quoque nebulæ tenujores, ubi pluviæ aberant cœlumque ſerenum erat, tunc & per totum reliquum annum, ſemper obſervabantur. Et quamvis poſt reſeratos terræ ab inſolito frigore profunde conſtriƈtos meatus, indeque diu repreſſas exhalationes, vapores iſti liberiores facti multis gravium ſubſequendarum ægritudinum metum excitarent, contrarium tamen per DEI gratiam evenit, conglaciata iſta terræ cruſta ſenſim reſoluta, ſicque vaporibus non confertim erumpentibus, ſed paulatim exhalantibus, atque ventorum perpetua agitatione particulas iſtas humidas impuras diſſipante. Tot tamen aqueæ in athmoſphæra oberrantes particulæ non poterant non ſeri proventum nimium in corpore accumulare; præſertim cum per totum reliquum anni decurſum mutabilis ſubinde, præſertim humida & frigidiuſcula temperies (niſi quod Syrius ante & circa ſui exortum finemque zephyro, uti hic, ita etiam reliquo tempore, potiſſimum prævalente, quandoque per pauculos dies acrius ureret) & hinc catarrhoſarum moleſtiarum, cum hecƈici caloris in quibuſdam metu, in naribus, bronchiis, dentibus, artubus, per totum anni decurſum, & quæ omnibus fere aliis morbis ſeſe jungebat, frequentiam excitare; præter quas etiam, in vere & æſtate, febres quotidianæ & tertianæ, interdum gravibus ſymptomatibus, præſertim in morbi principio, uti deliriis, cephalalgiis, ſpaſtico nuchæ dolore, narium hæmorrhagia, vomitu &c. ſtipatæ, ex tranſpiratione inſenſibili, ob temperiem aeris ſæpius variantem, impedita obortæ, minus tamen refraƈtariæ, non paucæ notabantur. Inter remedia, juxta cum eccoproticis, blanda diaphoretica & abſorbentia potiſſimam curæ partem abſolverant.

Conſtitutio anni 1710. cum humida & moderate frigida, ſub ventorum, zephyro tamen prævalente, alternatione, primo continuaret, affeƈtus etiam catarrhoſi, in primis arthritides nondum deſierunt, & menſe Martio febres tertianæ, cephalalgia, deliriis, vomituque in prima invaſione ſæpius moleſtæ, non paucos invaſerunt; quibus tamen, poſt pulveris cornachini, & ubi ventriculus viſcido muco obrutus videbatur, lenioris emetici uſum, cortex Peruvianus ad ʒſſ. ℈ij. &c. ſemel vel bis in die ſumptus, præſentaneam opem ferebat, ut poſt ſecundum, aur quartum paroxyſmum, ſine recidivæ incommodo, ut plurimum ceſſarent.

Poſtquam in Arietis ſignum ſol pervenit, cum ſerenitate, (ita tamen, ut hic quoque annus, cælo ſereno, ſoleque oriente, nebuloſum nonnihil aerem ſemper experiretur) triduanum quidem intenſum calorem, Africo flante, excitaverat, quem tamen zephyrus pluvioſus creber iterum diſſipaverat, qualem etiam ſextiduanum calorem, antequam ſol in Tauri ſignum progreſſus eſſet, euro ſpirante, ſenſimus, ab occidentali tamen pluvioſo vento iterum temperatum. Et hæc aeris, modo humidi, modo ſicci, calidi, frigidiuſculi, ſæpius nubiloſi, ventotum etiam crebra permutatio in poſterum uſque ad finem anni perſeveravit, prævalente tamen ſemper humida conſtitutione; unde hæc viciſſitudo primo terræ fœcunditati multum, poſtea etiam hyems ut longius abeſſet, ſimul tamen variæ catarrhoſæ & rheumaticæ invaſiones ut frequenter orirentur, effecit. Febres etiam tertianæ, quamvis non frequentes, nec non quotidianæ, hecticæque per totum annum obſervabantur; menſe autem Majo & Junio morbillis plures infantes, cum vehementi tuſſi, oculorum gravedine, hæmorrhagia ſæpe prævia, decumbebant; variolæ quoque in multis, non quidem malignitate, ſed copia, & ſymptomatum conſuetorum vehementia, & puſtularum, rariori tamen, confluxu infeſtæ notabantur. In cura omnium horum morborum remediis, in præcedentibus hiſtoriis memoratis, non infeliciter uti datum fuit.

Conſtitutio Epidemica Baſileenſis Anni 1700. & 1701.

Dn. D. JOANNIS JACOBI HARDERI.

ÆStivus calor diebus canicularibus Anno 1700. temperiem ſuam non exceſſit, quin ventis quandoque placidis perflaretur, neque corpori incommodum faceſſeret, imo Auguſto menſe, pluviis præter votum quandoque infringebatur; September inſequens ſiccus & calidus illo magis fuit, nec tamen ſufficiens, qui uvas ad optatam maturitatem undique perduceret; neque etiam morborum ferax iſta anni conſtitutio fuit. October nebuloſa, ut ſolet, & ſæpiuſcule pluvioſa tempeſtate, hyemalem brumam antevertit; hæc ipſa autem per Novembrem, & Decembrem mitior extitit, & quamvis multa nive montes & juga altiora integerentur, ingruente tamen pluvioſo, & hoc quandoque udoſo aere, ab eadem prompte liberata fuerunt; iſta autem aeris ἀλλοίωσις, non modo catarrhalibus febribus, ſed pleuritidi ac pleuropneumoniæ, etiam ſparſim anſam præbuit.

Anno 1701. Januarii initium boreali vento magis perflabatur, aeriſque ſerenitate animum refecit; in primis vero ſub meridiem propius accedentes ſolares radii brumæ matutinæ ſpicula ex voto pepulerunt, & continuata in Februarium uſque ſua activitate fere inconcuſſa, nives boreamque in arvis campiſque tantum non intempeſtive fugarunt, ſiquidem ſubſequente Martio ac Aprili, quibus blandiorem ſolis calorem, & hinc pluvias amicabili auſtro mitigatas ſperabamus, brumæ rigorem majorem nivaliſque tempeſtatis, ac nivis copioſe delabentis ſpicula, frequenter experti ſumus.

Maji delicias, ſi quas matutinæ auræ fulgor interdum promiſit, mox nebularum craſſiorum cohors, nunc calor ſubſequens intenſior, mox irruentes grandinoſæ tempeſtates, omnimodo amarulentas reddiderunt. Ante caniculæ autem exortum, & hac durante, ſolis æſtus longe intenſior & tantum non exurens calor, animantibus brutis non minus, quam homini, valde moleſtus fuit, febri intermittentium ferax mater, & quem neque tempeſtates horrendæ, crebrius ingruentes, uſque attemperare valuerunt.

Poſt Caniculam increbeſcens tantiſper pluvioſa, & hinc temperatior aeris conſtitutio, placidiorem motum videbatur promittere; verum alcyonia hæc non diu durante, quin redeunte intenſiore aeris ſiccitate, ſereno cælo, ſi nebulas Septembri menſe, minus tamen frequentes, mane excipias, in Octobris uſque principium calor inſuetus & immoderatior perſtitit, exareſcentiæ æque, ſi non magis, quam majoris fruƈtuum matureſcentiæ pares, & dyſenteriæ ſatis atrocis apud nos, aliiſque in locis fœcundus genitor, cui num pluviæ a diebus aliquot, arva præ ſiccitate hiſcentia blande irrigantes, atque hominibus gratiſſimæ, obicem ſint poſituræ, horæ ſubſecuturæ docebunt.

Conſtitutio Epidemica Berolinenſis Anni 1701.

Dn. Doƈt. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP

von der Müllen.

ANnum ſæculi ſeptimi primum, prima Januarii, turbido, ſed ſicco cælo inchoavit, & in veſperam pluvioſam deſiit. Sequens ſecunda pluviis nivem ad meridiem uſque miſcuit, poſt diſcuſſis nubibus ſerenior gelu moderatum adduxit. Quod ſequenti tertia continuans, ac per quatriduum ingraveſcens rurſuſque in nives, & pluvias procellæ junƈtas per triduum delicuit. Cui denuo undecima cum nive copioſa leve ſucceſſit gelu, atque oƈtiduum pauciori quandoque, quandoque copioſiori nivem aſperſum duravit. Vigeſima nebula denſa mutationis prænuncia, ſequentibus tribus, interſperſis quandoque pluviis, tandemque gelicidio degelavit. Vigeſima quarta Iris matutina turbidi atque pluvii ætheris nuncia apparuit, ſequente per triduum, gelu moderato ac parcis nonnunquam nivibus ſtipato, quod quatriduum rurſus noƈturno, ac matutino gelu, a meridie utplurimum degelante varium ad finem uſque menſis excepit. Februarius nebula denſa cum gelu moderato, ſed mox in pluvias fatiſcente cœpit, cui nubilum ſucceſſit cælum, remittente gelu, & in imbrem circa veſperam deliqueſcente. Mox, tertia procelloſa, ſicca & clara, a nivoſa noƈte, die vero, licet borea flante remiſſo ac egelido, noƈte tamen rigida ſuccedente, ac die nivoſa, ſed remperata ſequente, a triduo gelido iterum excepta. Nona tempeſtuoſa cum ſucceſſore decimo gelu in nives deliqueſcentes reſolvit. Quas ſequentes duæ noƈtes in glaciem rurſus denſarunt, de die parumper degelantem. Decima tertia nimboſa rurſus nives parcas ſparſit, mox aere temperato ſolutas. Decimam quartam cælo ſereno gratam, gelidum excepit biduum, quod gelu noƈturno & matutino temperato, pomeridianum adhuc mitius ſubſtituit. Huic aliud ſucceſſit biduum ventoſum; ab oƈtiduo gelido & utplurimum ſereno comitatum, 25ta quidem turbida, & uvida interruptum, ſed triduo rurſus gelido & ex parte obſcuro redintegratum, & pluviis nonnullis interpolatum 25. una cum menſe deſinens.

Martius verna temperie initiatus, vario cælo nunc placido, nunc turbulento, ventoſo, frigido, diverſimode alterato, ad nonum uſque decimum gelidus tranſiit. Tum remittens, oƈtiduo temperato ac verna amœnitate grato, ad vigeſimum pluvium initio randem rurſus clareſcentem duravit, a quatriduo perinde variato exceptum, in noƈtes gelidas, ſexque dies ſerenos deſiit.

Mor-

Morbos trimeſtre hoc, præter ſcorbutum endemium & illius aſſeclas & affines aluit febres diverſarum ſpecierum, malignas quaſdam variolis notatas, alias ardentes, continuas ac intermittentes, catarrhales, pleuriticas nonnullas, alias tuſſibus vehementibus ac diuturnis, cephalæa, aſthmate affligentes, in phthiſes quandoque degenerantes; præterea cardialgias, hypochondriacas, & colicas paſſiones.

Aprilis, quo Martius tramite deſiit, rurſus incepit, niſi quod ſerenitatem præcedentem cum turbido ac ventoſo cælo commutavit, & a ſexto per quatriduum, nives quandoque utut raras pluviolis nonnullis interſeruit, tum gelu nocturno dies ſerenos, & haud inamœnos ad 14tum uſque ſubſtituerit. Cui cum 15to pluvia nivibus mixta nimboſis, quatriduum ſucceſſit ſerenum ac frigidum: huic vero biduum turbidum pluviis ſubinde, & nonnunquam grandine interpolatum. 24to & 25. ſerenis ac verna gratia temperatis, reliqui ad trigeſimum uſque ſuccefferunt inconſtantes, pluvioſi & nimboſi.

Majus turbido, ſed mox ſereniori inchoavit biduo ſubſequente triduo nubilo ac frigido, ſparſis quoque nonnunquam pluviis ex parte uvido, ad ſeptimum totum pluvioſum, & octavum varium, tandemque nonum ſerenum ac æſtivo calore gratum perrexit. Cui triduo quatriduum, intercalato decimo tertio pauca pluvia irrigato, addidit. Tum 6. dierum ſudo plane æſtivo ad 20. uſque continuavit. Cui alii ſex non æque ſereni, ſed varietate pluviolis nonnunquam temperata, adeoque non inamœna diſtincti ſucceſſerunt, tandemque reliqui ad finem uſque menſis verno temperamento commendabiles.

Junius a principio ad 12dum uſque in ea temperie, pluviolis tamen quandoque interpolata perſeveravit. A 13tia verna temperies, in æſtum ſæpius ſatis grandem mutata, & præter nocturnas 16ti & 20mi pluvias fere torridum, ad 22dum uſque pluvia nocturna ac tonitru matutino fractum, cui ad 26tum pluvia moderata madentem, quatriduum temperatum; huic vero 27mus paulo calidior, 28vus cum 29no pluviis modicis irrigui ſucceſſerunt, tandem 30mus ſereno & temperato cœlo amœnus menſem ſimulque trimeſtre finiit.

Morbi hujus trimeſtris præter prædictos endemios maligni & epidemici, quantum mihi quidem innotuit, pauci fuerunt, ſporadici plures, febres pleuriticæ, ardentes, continuæ, aſthmate, nauſea, vomitu, cephalæis moleſtæ; intermittentes quædam, hemicrania, cardiogmo, cœliaca paſſione, diarrhœa, dyſenteria aliiſque ſymptomatibus exacerbatæ, lipyria quoque ſed urina ſola.

Julius ſudo ac calore æſtivo, quo præcedens receſſit, denuo acceſſit, ac ad 13tium uſque ſerenitate jugi ac æſtu indies ingraveſcente, ſi 5tum excipias temperatiorem reliquis, ac 6tum pauca pluvia irriguum, continuavit. Sequentes eteſiis nonnunquam & pluviolis alterati, unico 27mo a meridie ſpargente exemptos, ad finem uſque menſis ſerenitate ac temperie laudabili excelluerunt.

Auguſtus eodem fere cæli, utut quandoque rorantis inchoans, mox variabilis fuit. Secundus enim fervidior & ſiccior. Tertius tonitru imbrem, tota nocte durantem, addidit. Quartus mane frigidus ſudum diurnum cum æſtu ſubſtituit. Quintus mane pluvioſus, reliquo diei priore temperatior. Septimus ſudum nubibus interpolavit, cui cætera ſimilis octavus in tonitru horrendum veſperi & imbrem deſiit. Nono ſudo antemeridiano pluvias meridie copioſas; Decimus antemeridiano ſudo veſpertinas ſubmiſit. Undecimus paucis pluviis matutinis, ſudum promeridianum, huic vero veſpertinum tonitru fragoſum cum fulgetris fere perpetuis, nimboque denſiſſimo. Duodecimus præcedenti, tonitru ſi dempſeris, & fulgura, compar. His hactenus variis ad vigeſimum uſque octiduum æquabile, ſudo ac æſtu pauciſſimis pluviis temperato gratum, huicque aliud octiduum nebuloſum magis, ventis pluviiſque ſubinde madens, illique biduum ſerenum quidem & ſiccum, ſed vento frigido flante haud adeo gratum ſucceſſit. Tandemque 31mus ſudo ac temperato æthere menſem terminavit.

September triduo ſereno ac moderato ſex dies, pluviis ſerenitati varie interpolatæ mixtos inſeruit. Quibus poſt noctem procelloſam, quatriduum ſerenum & temperatum, quandoque tamen ventoſum, & pluviis parce ſparſis roſcidum ſucceſſit, ſex diebus ſerenis aliis æſtu æſtivo fere compari amœnis exceptum. Vigeſimus biduum reduxit paucarum pluviarum aſpergine, ut & nebula roridum, cui triduum ſerenum quidem, ſed algidum & ventoſum, illique rurſum aliud temperatius ſucceſſit, & menſem ſimul ac trimeſtre abſolvit.

Morbos præter ſcorbutum & ejus appendices, ut & ejus affinem ante hic raram, nunc ab adventu Gallorum exulum, inter Germanos etiam, infantes præſertim, fere endemiam rachitidem, hoc trimeſtre tam ſporadicos, quam epidemicos plures tulit. Et hos inter febres malignas & contagioſas, haud paucis exitioſas, variis ut ſymptomatibus, ſic exanthematibus miliaribus, purpura, morbillis, variolis, petechiis quoque inſignitas & diſtinctas. Præterea ardentes etiam, continuas & intermittentes, catarrhales, eryſipelatodes, pleuriticas, erraticas etiam. Diarrhœas item ac dyſenterias, lienterias, colicas, cardialgias, tuſſes ferinas ab æſtu præſertim humore colliquante oriundas, hæmoptoes, cephalæas, hemicranias, colicas & hypochondriacas paſſiones cum obſtructionibus nonnunquam valde contumacibus, icteros, ſcabies & pſoras.

October ſerenitatem Septembris, præter pluvias ſecundi veſpertinas, quatriduo ſatis grato orſus ſexto, & ſeptimo frigidulis & pluvia matutina madentibus, interpoſitis, quatriduum rurſus verna temperie gratum dedit. Cui 12mus matutina, 13tius veſpertina, 14tus nocturna pluvia madidi ſucceſſerunt, illiſque 15tus totus pluvius ac nimboſus. Quem rurſus 16tus tum qua triduo perinde procelloſo & ſubinde nimboſo ſecutus. Vigeſimus primus ſparſa circa decimam pluviola rotans, quatriduo ſicciori & amœniori locum fecit. Subſequens quatriduum, vario, nubiloſo ac quandoque rorante cælo frigidulum, 31mo turbido æthere, geluque moderato menſi finem impoſuit.

Decembris primus totus pluvius, ſecundus a meridie tantum pluvias ſparſit. His ſucceſſit triduum ſiccum, ſed nubilum & frigidum. Sextus mane nebuloſus parte pluit, a meridie ſiccus. Septimus udoſus. Octavus ſerenior, procelloſus ſimul & frigidus. Nonus abſque procella præcedenti ſimilis. Decimus nives addidit ac gelu, ſed hactenus moderatum, ab 11mo ad 13um rigidum, ſereno utplurimum cælo, præter 12. mane ac veſperi, & 27mum veſperi tantum nebuloſum, 24to remittens atque circa veſperam pluviolas ſpargens, noctu gelicidium, 26to ſubſequente nubula liquescens, a meridie cum ſerenitate frigus, ſed temperatum per biduum ſtabile reddens, 28vo nives ſuperaddens, 29no ingraveſcens, 30mo nivoſum, 31 abſque nive perdurans, ſicque cum menſe trimeſtri ipſique anno colophonem imponens.

Sydenham Opera Medica.

Morbi hoc ultimo trimeſtri occurrentes, præter endemios ſcorbuticos, arthritides præſertim & aſthmata ſcorbuto originem debentia, & venereos, epidemici fuerunt catarrhales præcipue febres, gravedine moleſta, & tuſſi gravi & diuturna infeſtantes, ardentes præterea tam continuæ, quam intermittentes variæ, malignæ quoque variolis, ſæpius confluentibus ac petechiis infames, pleuritides graves & quandoque funeſtæ, cephalalgiæ, diarrhœæ & dyſenteriæ pertinaces, nephriticæ, colicæ & hyſtericæ paſſiones.

Conſtitutio Epidemica aeris Berolinenſis Anni 1703.

JAnuarius primo mane cœpit gelu, cælo ſuccedente ſereno, poſt obſcuro, tandemque pluvioſo. Secundus ſiccus ventoſus & frigidus cum gelu moderato, ſucceſſores habuit tertium circa veſperam pluviolam ſpargentem, reliquos ad octavum uſque ſiccos; hunc vero totum nivoſum æthere temperato. Nonus mitii cælo pluviolis ſubinde uvidus. Decimus imbroſus. Undecimus parum gelaſcens, cætera ſiccus. Duodecimus cum decimo tertio cælo turbido gelidiores. Decimus quartus verna ſerenitate ac tempore gratus, veſperi nebuloſus. Decimus quintus & decimus ſextus vernæ fere amœnitatis æmuli. Decimus ſeptimus nebuloſus, tandemque imbroſus. Decimus octavus viciſſim ſiccus & ſerenus. Decimus nonus cum ſequentibus ad vigeſimum ſextum uſque ſatis rigide gelidi. Vigeſimus ſextus parum nivis addidit. Vigeſimus ſeptimus noctu pluſculum ejus ſparſit æthere temperato. Vigeſimus octavus ſereno cælo valide gelidus, ut & vigeſimus nonus. Trigeſimus nubilus paulo que mitior. Tandem trigeſimus primus mitiori, ſicco tamen cælo menſem hunc primum clauſit.

Februarius temperato gelu, ſed turbido ſiccoque cælo orſus. Secundus gelu ſatis rigido ſereno cælo nonnunquam tamen parum remittente ad ſeptimum uſque cum gelicidio grandinem ſubmittentem, poſtque degelantem continuavit. Octavus regelaſcens cum nono ac decimo parum ſereno & amœno cælo gelidis. Undecimus gelu paulo intenſius cælo obſcuro induxit; ac ad decimum quartum cum ſequentibus ad vigeſimum uſque paulo cum ſequenti biduo mitiorem porrexit. Vigeſimus tertius denſa nebula antemeridiana remiſſior. Vigeſimus quartus mane turbidus, poſtea ſerenus. Vigeſimus quintus nebuloſus ac ventoſus parum nivis ſparſit. Vigeſimus ſextus intenſe gelidus ut & vigeſimus ſeptimus, ſimulque cum vento nivoſi. Vigeſimus octavus nive copioſa menſi coronidem impoſuit.

Martius biduano gelu intenſo cœpit. Tertius noctu gelidus, a meridie remiſſior, circa veſperam pluvioſus ac ventoſus. Quartus eodem tenore tota die continuavit. Quintus gelidus ac nivoſus, tandem pluvioſus. Sextus totus pluvioſus ac ventoſus. Septimus mane ſparſa copioſa nive mox poſtea in pluviam delicuit. Octavus perinde continuavit. Nonus ſatis intenſe gelavit, parumque nivis ſparſit. Decimus copioſe noctu ninxit, poſtea remiſſe cum parca nive gelavit. Sic & undecimus, decimo quarto nebula matutina diverſo, ad decimum quintum uſque ſereno cælo continuavit. Hic mane nivis pauxillum ſparſit, poſt leniter degelavit. Decimus ſextus totus fere pluvioſus. Decimus ſeptimus noctu gelidus poſt ſparſa nive mitior, ut & decimus octavus cum pauca nive gelaſcens. Decimus nonus poſt pluviam gelidus ac nivoſus, poſt ſerenior. Vigeſimus quoque gelu cum parca nive miſcuit, in pluviam tandem deliqueſcens. Vigeſimus primus tota die udoſus. Vigeſimus ſecundus mane & circa veſperam pluvius. Vigeſimus tertius mane parum pluviæ, poſt vernam temperiem ſubmiſit. Vigeſimo quarto mane parum nebuloſo æther ſerenus ſucceſſit ac ſiccus. Vigeſimus quintus ventoſus æthere ſereno nivium aſpergine ſubinde variato. Vigeſimus ſextus perinde ventoſus nivem cum pluvia ac ſereno ſæpius cambiit. Vigeſimus ſeptimus matutino tempore ſerenus, poſt turbidus ac ventoſus. Vigeſimus octavus mane nivoſus, a meridie pluvioſus. Vigeſimus nonus nubiloſus, temperatus tamen. Triduo ſequente ſereno, temperato ac verna amœnitate & tepore grato menſem ſimul ac trimeſtre primum finiit.

Morbi præter ſcorbutum, Proteum illum plurimorum ſymptomatum ſyndrome variatum ac hic loci endemium, frequentiores fuerunt febres variæ, continuæ & intermittentes benignæ & malignæ catarrhales & cauſodes, purpureæ, pleuritide ac arthritide quandoque comitatæ, cephalalgiæ, vertigines, paſſiones hyſtericæ, aſthmata, cachexiæ & cacochymiæ.

Aprilis primus dies vernæ ſerenitatis ac temperiei particeps, circa veſperam pluviola madidus fuit. Secundus mane obſcurus a meridie ſerenus ac frigidus. Tertius, quartus & quintus primo ex aſſe ſimiles, niſi quod poſtremus paulo frigidior. Sextus mane turbidus cum aſpergine pluviolæ, poſtea ſerenus. Septimus ſerenus, ſed frigidulus. Octavus ad decimum tertium uſque ſudo ac temperie, prærer decimum paulo calidiorem, amœni. Decimus tertius turbidus ac ventoſus mane, poſt ſerenitatem pluviolis miſcuit. Decimus quartus frigidulus ac ventoſus cum aſpergine pluviarum. Decimus quintus totus pluvioſus, ut & decimus ſextus, ſubinde tamen paulo ſerenior. Decimus ſeptimus mane pluvias ſparſit pauco grandine mixtas, a meridie ſerenus. Decimus octavus ſerenus, temperatus & amœnus, nec non decimus nonus excepta pruina nocturna talis. Vigeſimus cum vigeſimo primo ſecundo verna amœnitate grati, niſi quod poſtremus una cum biduo ſequenti pluviolarum aſpergine ſub veſperam torridi. Vigeſimus quintus obſcurus ac nubiloſus, raroque intercedente ſudo ſiccus. Vigeſimus ſextus verna temperie ac pluviolæ ſubinde aſpergine, cum ſequenti biduo ſiccus. Vigeſimus nonus variato identidem æthere pluvias ſudo miſcuit. Trigeſimus poſt pluviam matutinam ſiccus menſem hunc abſolvit.

Maji primus temperato cælo ad ſecundum mane pluviolæ aſpergine uvidum poſt ſerenum proceſſit. Secutus tertius mane frigidulus, poſt ſerenus & amœnus, cui compar fere quartus aſpergine pluviolæ roridus, cui biduum ſerenum, ſiccum & calidum ſucceſſit, a meridie tamen ſexti pluviolam aſpergens. Septimus mane ſerenus, a meridie nubilus. Octavus ad decimum tertium uſque ſereni ac verna varietate accepti, rara pluviarum aſpergine temperari, præter duodecimum cum vento tonitru adducentem. Decimus quartus a meridie modice, decimus quintus valide tonuit; quos biduum decimo, & ſeptimo excepit ſudo ac calore verno gratum. Decimus octavus mane nubilus ac vento, pluviolis quoque ſubinde ſparſis turbidus. Decimus nonus ſimilis, abſ-

que tamen pluvia ſiccus, ac tandem ſerenus, a vigeſimo ſereno ac amœno exceptus temperatus ad vigeſimum ſecundum & ſequentes calidiores, vigeſimum ſextum æſtu gravem, & vigeſimum nonum verna temperie & amœnitate gratum tranſiit. Reliquum triduum mane ſerenum, veſperi pluviolis uvidum, trigeſimo primo modico fulgurum additamento menſem hunc circumſcripſit.

Junii primus nocturno imbre, diurno ſudo & æſtu orſus, ſecundum ſerenum & veſperi pluviolæ aſpergine udum comitem habuit. Tertius mane ad meridiem uſque pluvius, poſt temperatus ac ſiccus, quartum mane ſubinde pluentem alias amœnum ac temperatum præceſſit, ſequente biduo ſereno ac temperato. Septimus pluvius, poſt ventis flantibus ſiccus. Octavus ſerena temperie amœnus. Nonus pluviolis ſerenitatem ſubinde variavit. Decimus mane ad meridiem uſque imbroſus. Decimus ſemel a meridie imbre moleſtus, alias ſerenus. Duodecimus pluviolarum aſpergine quandoque varius. Decimus tertius ſerenus ac ſiccus, ventoſus tamen ſimul ac frigidus, compares habuit decimum quartum, quintum & ſextum, hunc æſtuoſum ſimul valde ac procelloſum. Decimus ſeptimus nubilus ac ventoſus cum aſpergine pluviolarum nonnunquam mixtus. Decimus octavus amœna temperie gratus. Decimus nonus nubilus ac frigidulus, pluviolis ſubinde rorans, cui vigeſimus poſt noctem pluvioſam æqualis, temperata amœnitate ventis placidis velut eteſiis interpolatus. Vigeſimus primus denuo ſerenus ac calidus. Vigeſimus ſecundus æſtu paulo gravior. Vigeſimus tertius ſudo ſimul & æſtu moleſtus. Vigeſimus quartus æſtu ventis paulo temperatiori. Vigeſimus quintus pluviola moderarus. Vigeſimus ſextus totus fere cum tonitru pluvioſus. Vigeſimus ſeptimus mane & veſperi parum pluvius. Vigeſimus octavus mane nubilus, poſtea clareſcens. Vigeſimus nonus mane ſerenus, a meridie pluvioſus. Trigeſimus mane ad meridiem uſque ſerenus, a meridie quandoque pluvius, menſem ſimul & trimeſtre ſecundum finiit.

Morbi hoc ſecundo trimeſtri infenſiores fuere cacochymiæ, & cachexiæ ſcorbuticæ variique alii affectus ejuſdem farinæ, febres variæ continuæ & intermittentes, tertianæ, catarrhales, ardentes benignæ ac malignæ, variolis quandoque comitatæ & morbillis, pleuritides veræ ut plurimum nonnunquam ſpuriæ, hypochondriacæ affectiones & paſſiones hyſtericæ, tuſſes inveteratæ, & graves, phthiſeos & hecticæ comites. Icteri, colicæ paſſiones, choleræ, diarrhœæ.

Auguſti primus nubilus ac pluvioſus. Secundus obſcurus & ventoſus ſubinde pluviolas aſpergens. Tertius mane nubilus ac parce pluvius a meridie ſerenus, triduano ſudo ac calido exceptus. Septimus poſt mane aſpergine varium, a meridie tonitru terruit. Octavus mane ſerenus, a meridie modice pluvius. Nonus ſudum. Decimus idem eteſiis temperatum. Undecimus ſudum æſtuoſum, æſtivum ut & duodecimus eteſiis mixtum induxerunt, reliqui, exceptis decimo tertio his deſtituto, decimo octavo mane ſemel pluvio, vigeſimo quarto veſperi cum imbre tonitru inducente, vigeſimo quinto mane nubilo, ac ventis turbido, omnes ad finem uſque menſis æſtivo æſtu perſeverarunt, præter trigeſimum primum, menſem hunc cælo turbido veſperi claudentem.

Septembris primum biduum ſudo & eteſiis gratum. Tertius nubilus & procelloſus. Quartus mane frigidus & ſerenus, a meridie nubilus ac turbidus, triduo pluvioſo, frigido, ac ventoſo exceptus. Octavus cum nono paulo temperatiores ac calidiores. Decimus ſerenus ac temperie amœnus. Undecimus ſæpius pluvioſus ac tandem imbroſus. Duodecimus, decimus tertius, & quartus cum ſequentibus ad vigeſimumprimum uſque præter morem æſtivo calore & amœnitate grati ſerenitate pluvias vicerunt. Vigeſimus ſecundus ad meridiem uſque mane pluvioſus, poſt ſerenus, ut & vigeſimus tertius & quartus æſtivo calore commendabiles. Biduo intercedente pluvioſo rurſus ad vigeſimum octavum uſque nubilum, ſereno tepore laudabiles. Vigeſimus nonus aſperginé veſpertina pluviolarum, trigeſimus nubilo cælo a prioribus diverſi tandem ſerenitate reduce menſem hunc ac ſimul trimeſtre coronide ornarunt.

Morbi hujus trimeſtris fuere præter ſcorbuticas ac hypochondriacas affectiones, colicæ, diarrhœæ ac dyſenteriæ, febres variæ intermittentes & continuæ ardentes, etiam malignæ variolis, morbillis ac purpura nonnunquam ſuſpectæ, pleuritides utriuſque generis arthritides vagæ ſcorbuticæ, paralyſes & apoplexiæ, aſthmata diſpnœæ, tuſſes graves ac diturnæ, cachexiæ.

Octobris primus nubilus ac ventoſus, ſudo tamen ſubinde mixtus. Secundus mane ſerenus a meridie nubilus. Tertius mane ſerenus, a meridie turbidus ac pluvioſus. Quartus & quintus mane nubili, cum aſpergine pluviarum. Sextus vice verſa mane ſerenus, a meridie pluvius. Septimus poſt nebulam ſerenus & amœnus. Octavus mane pluvia parum roridus, alias amœnus, nono quoque ac decimo ſicque ad undecimum nubilum ac ſubinde pluvium tranſiit. Duodecimus nubilus, & ſubſequenter imbroſus. Decimus tertius procelloſus ac ſæpius nimboſus. Decimus quartus frigidulus ac ventoſus mane, a meridie ſerenus, ſemel tantum imbre madens. Decimus quintus ſerenus mane ac frigidus, a meridie parum pluviæ ſpargens. Decimus ſextus mane nebuloſus, poſt nubilus ac frigidus. Decimus ſeptimus frigidus & pluviis mixtus. Decimus octavus frigido cælo ſerenus. Decimus nonus primam nivem ſparſit ſerenante poſtea cælo. Vigeſimo & vigeſimo primo tota die cum nive pluviæ. Vigeſimo ſecundo cum ſudo frigus ac gelu moderatum. Vigeſimus tertius poſt mane gelidum pluvias dedit degelaſcentes. Vigeſimus quartus mane turbidus, poſtea clareſcens. Vigeſimus quintus mane pluvius, a meridie nubilus cum pluviolarum aſpergine. Vigeſimus ſextus mane pluvioſus, poſtea ſerenitatis parum ſubinde miſcens. Vigeſimus ſeptimus ſiccus, ſed nubilus, ſolis ſplendore pauco interdum interlucente. Vigeſimus octavus ad meridiem uſque pluviolarum aſpergine madens, a meridie nubilus ac ſiccus. Vigeſimuſnonus mane nubilus, poſtea ſerenus, ſed frigidulus. Trigeſimus frigidus & pruinoſus. Trigeſimus primus temperie autumnali grata menſem finiit.

Novembris primus ac ſecundus frigidi, ſparſa parumper nive, poſtque pluviola. Tertius & quartus temperati & amœni, ut & quintus niſi ſparſa ſub finem pluviola turbidus. Sextus mane nebuloſus, poſt vento frigido moleſtus. Septimus nubilo mitior. Octavus nubilus ac frigidus. Nono ſucceſſit ſimile biduum cum ſudo frigidulum. Duodecimus nubilus ac ſubfrigidus. Decimus tertius ſatis temperatus. Decimus quartus mane ad meridiem uſque nubilus, a meridie pluvioſus. Decimus quintus mane pluvius, poſt turbidus ac humidus. Decimus ſextus nubilus, frigidus ac ſiccus. Decimus ſeptimus idem, paucis interſperſis nivium micis. Decimus octavus perinde ſed ſine nive gelidus. Decimo nono ut & vigeſimo ſudum ſubſequente noctu rigido gelu. Vigeſimus primus nubilus, ut & vigeſimus ſecundus tandem pluviolæ aſpergine mireſcens. Vigeſimus tertius mane nubilus, aſpergine pluviolarum modica ſub veſpera rorans. Vigeſimus quartus totus nubilus ac frigidus, ut & vigeſimus quintus veſperi pluvius. Vigeſimus ſextus cum ſeptimo temperati & amœni. Vigeſimus octavus nubiloſus ac frigidus, ſiccus tamen. Vigeſimus nonus, mane nubilus, poſt ſerenus ac temperatus. Trigeſimus poſt modicam pruinam mane ſerenus ac temperatus, circa veſperam pluvia menſem terminavit.

Decembris primus poſt nebulam matutinam ut & ſecundus ſereni ac temperati, nec non tertius unica pluviolæ aſpergine roridus. Quartus poſt nebulam matutinam ſerenus. Quintus ſudo frigidus. Sextus quarto ſimilis. Septimus tota die ſerenus, circa veſperam niaduit. Octavus ſereno cælo procelloſus, nono quoque continuante procella, & pluvia a meridie interſperſa. Decimus mane ad meridiem pluvius, poſt ſerenus, ac ſedata procella placidus. Undecimus mane ſerenus, a meridie parum pluvius. Duodecimus totus pluvioſus. Decimus tertius mane ſerenus, a meridie pluviolæ aſpergine udus. Decimus quartus tota fere die pluvioſus & imbroſus, ut & decimus quintus totus nimboſus & ſub veſperam procelloſus. Decimus ſextus mane gelidus, poſt tota die ſerenus ac frigidus. Decimus ſeptimus mane nubilus, ac mitis; tandem in pluviæ aſperginem deſinens. Decimus octavus mane nebuloſus, poſt pluvioſus. Decimus nonus gelidus mane, ac ſerenus. Vigeſimus aere obſcuro gelidus. Vigeſimus primus cum ſudo gelaſcens. Vigeſimus ſecundus rigide gelans. Vigeſimus tertius noctu nivem ſparſit, poſt degelaſcens pluviolas. Vigeſimus quartus nubilus ac humidus. Vigeſimus quintus cælo ſereno gelaſcens. Vigeſimus ſextus noctu nivoſus, poſt nubilus, mox tandem ſerenus ac gelidus, ut & vigeſimus octavus a meridie ſerenus. Vigeſimus nonus cælo ſereno rigide gelans. Trigeſimus ut & trigeſimus primus ex parte, ningentes menſem hunc ſimul & trimeſtre quartum ut & annum 1703. abſolverunt.

Morbi huic trimeſtri familiares, prærer endemios ſæpius indigitatos, fuerunt febres omnis generis fere, ardentes, malignæ, variolis ſuſpectæ, intermittentes, tertianæ, quartanæ, ephemeræ, catarrhales, hecticæ, phthiſes, tuſſes ferinæ & inveteratæ, colicæ paſſiones; ſcorbuticę etiam, diarrhœæ, arthritides ſcorbuticæ, vagę & fixæ, paralyſes, cephalææ contumaces, hemicraniæ, paſſiones hypochondriacæ & hyſtericæ &c.

Conſtitutio Epidemica Berolinenſis Anni 1704.

Januarii primus pancis nivium flocculis gelu orſus, paululum mox rurſus remiſit. Succeſſit huic triduum cælo ſereno gelidum. Quintus cum ſexto noctu totoque ſequenti die nives ſparſit, quorum poſtremus ceſſante nive turbidus ac frigidus. Septimus cum biduo ſequenti cælo quandoque ſereno gelidus. Decimus pauca interſperſa nive circa veſperam remiſſior. Undecimus cum ſequenti duodecimo ventoſi ac procelloſi. Decimus tertius rigido gelu horridus. Decimus quartus paululum remiſſior. Decimus quintus rigidum decimi tertii gelu redintegravit. Decimus ſextus mane remiſſior, a meridie robur prioris reſumpſit, cum ſequenti decimo ſeptimo paucos nivium flocculos aſpergente. Decimus octavus noctu nives parumper auxit. Decimus nonus gelu pauculos denuo nivium flocculos miſcuit, noctu auctiores cum gelu ſatis rigido. Vigeſimo nox cum nive copioſa procelloſa inter vigeſimum primum & vigeſimum ſecundum ſine nive gelidum ſucceſſit, ut & ſequens vigeſimus tertius pauca nive præmiſſa ſerenus. Vigeſimus quartus ſatis rigide gelidus circa veſperam nivoſus ac ventoſus. Vigeſimus ſextus noctu cum pluvia regelans, tandem ſerenus ac temperatus. Vigeſimus ſeptimus ea temperie ſine pluvia ac nive continuavit. Ut & vigeſimus octavus circa veſperam cum ſequenti vigeſimo nono procelloſus ac parum pluvius. Trigeſimus poſt gelu modicum a meridie ſerenus, tandem cum nive ventoſus. Trigeſimus primus menſis poſtremus procelloſus admodum ac ſubinde pluvioſus.

Februarii primi nox tempeſtuoſa, ſuccedens dies pluvioſus grandinoſus ac procelloſus. Secundus illi ex parte ſimilis modice gelaſcens, mane parum ac veſperi ningens. Tertius vento cum pluviis & pluviolis mixto varius. Quartus noctu gelidus poſtea ſerenus, ac verna quaſi temperie amœnus. Quintus mane parum gelaſcens cætera turbidus, ſiccus, tandemque temperatus. Sextus abſque omni gelu priori ſimilis. Septimus turbidus ac ventoſus, a meridie cum nive nimboſus. Cui triduum ſucceſſit temperatum, ſiccum ac tranquillum. Undecimus remiſſior, ſparſis quandoque pluviis udus ac ventoſus. Duodecimus dempta pluvia priori æqualis. Decimus tertius turbidus, ſparſis quandoque pluviis ac pluviolis cum ſequenti decimo quarto a priori diverſus. Decimus quintus cum decimo ſexto noctu gelidi, de die cum ſerenitate procelloſi. Triduum ſequens noctu gelidum, mane nivoſum, tandemque pluviolis aſperſis uvidum. Vigeſimus noctu gelidus ac nivoſus, poſt paulo ſerenior. Vigeſimus primus cælo ſereno gelidus, pauco grandine niveo interſerto. Vigeſimus ſecundus & vigeſimus tertius mane cælo ſereno ſatis gelidi, a meridie remiſſiores. Triduum ſubſequens rigide gelans Biduum ſequens nive admiſta paulo remiſſius. Vigeſimus nonus nive vacuus menſem abſolvit hunc intercalarem.

Martii primus mane gelidus, cætera ſerenus ac remiſſior, una cum ſequenti quarriduo verna temperie ac amœnitate commendabilis. Sextus ſatis gelidus, turbidus ac procelloſus, ut & ſeptimus, tandem ſerenior. Octavus pauca nive turbidus ac aliquanto remiſſior, ut & nonus ac decimus tota die tales, prætereaque turbidi ac ventoſi. Undecimus ſerenus vernaque temperie gratus, cum biduo ſequenti, cujus tamen poſtremus decimus tertius paulo obſcurior ac noctu gelidior, decimus quartus cum undecimo verna ſerenitate certans. Decimus quintus mane pluvia cum tepore fœcunda verna amœnitate commendabilis. Decimus ſextus turbidus ac ventoſus, pluviola quandoque riguus. Decimus ſeptimus mane ſparſis ſubinde pluviolis turbidior, ſerenitate poſtmodum grata amœnus. Decimus octavus toto mane turbidus a meridie pluvioſus. Decimus nonus cum ſequenti triduo mane pluvius, poſt frigidulus, aſt ſiccus. Vigeſimus tertius mane gelidus, paulo poſt ſerenus, frigidulus ac parum ventoſus. Sequens quatriduum temperate frigidum, ventoſum ac obſcurum. 28vus mane paulo obſcurior, poſtea ſudo ac ſerena temperie acceptus, ut & ſequens 29nus, vento frigidiore ſolum diverſus. 30mus nubiloſus, frigidulus ſubindeque pluvius. Poſtremus 31mus vento auſtrino frigido ſerenitate aſpirante temperatus trimeſtre primum terminavit.

Morbi hac anni quadra præter ſcorbutum endemium, & luem

fere

fere epidemicam, febres fuere variæ, cum tertiana, duplicatæ, continuæ & ardentes, benignæ, & malignæ, catarrhales, & acutæ variis ſymptomatibus ſtipatæ, cum & ſine tuſſi, hecticæ, in phthiſin declives, pleuritides, aſthmata, dyſpnœæ, arthritides ſtatæ & vagæ ſcorbuticæ, icteri, catdialgiæ, hæmorrhagiæ uteri.

Aprilis 1mus nubiloſus, pluviolis ſubinde aſperſis frigidus. 2dus mane pluvius, poſt aliquanto ſerenior. 3tius ſerenus ac temperatus, veſperi pluvioſus. Cui congener 4tus ſubinde pluviolas ſpargens. 5tus noctu tonuit, a meridie pluit, cætera ſerenus ac calidus. 6tus verna ſerenitate ac tempore gratus cum biduo ſequenti. 7mus tamen paulo frigidior ac ventoſus. 9nus mane turbidus ac frigidulus, tandem poſt pluviam fœcundam ſerenus. 10mus æthere fœcunda ſerenitate, pluviolis interdum interpolata, laudabilis. 11mus cum ſequentibus duobus verna temperie ac ſerenitate commendabiles, ut & 13tius circa veſperam paulum pluviæ aſpergens. 14tus ſudum cum nubilo ac pluviis quibuſdam miſcuit. 15tus cum ſequente fœcundo cælo frigidulo parumper temperati. 17mus exiguum matutinum geln ſudo temperans, ſequentibus ad 23tium uſque, 19no ac 20mo præſertim æſtivo fere calore amœnis, 23tio paululum pluviæ addidit. Sequens triduum temperata ſerenitate ad veſperam uſque poſtremi paulo obſcuriorem continuavit. 27mus mane pluvius, poſt frigidulus & nubiloſus, perinde ut & 28vus abſque tamen pluvia. 29nus temperatus cum 30. menſis poſtremo, paulo tamen frigidiore & ventoſo.

Majus eodem tenore cœpit pluviolas interdum miſcens, 2dus ſerenior paulo & ſiccior. 3tius ut & ſequentes ad 7timum uſque ſparſis quandoque pluviolis udi & ſubfrigidi, poſtremus 7mus noctu cum pruina grandinoſus, mane ſerenus. 8vus mane frigidus ac ventoſus, a meridie ſerenus ac calidus. 9nus verna temperie amœnus ut & 10mus circa veſperam parumper pluvius, 11mus ſerenus ac calidus. 12mus adhuc calidior ſubſequente ſero pluvio. 13tius abſque pluvia ſimilis. 14tus mane ad meridiem uſque nubilus ac ſubfrigidus, poſtea ſerenus. 15tus & ſequentes verna ſerenitate ac ſpirantibus quandoque eteſiis æſtiva quaſi temperie commendabiles, ad 20mum uſque obſcurum, pluvia moderata, ſubinde interpolatum. 21mus cum ſequente triduo ſerenus, calidus & amœnus, parum ventoſus ad 24tum uſque poſt tonitru moderatum a vento impetuoſo frigidiorem. Quatriduum ſequens obſcurum, quandoque cum, alias ſine pluvia, ad 29num uſque perinde turbidum ſæpiuſque pluvium. 30mus cum 31mo, menſis hujus poſtremo ſine pluvia nubiloſi.

Junii primus temperata ſerenitate ad veſperam uſque parumper pluviam amœnus. 2dus turbidior ac frigidior mane, a meridie ſerenitatem aliqualem ſubinde pluviis miſcuit. Sequentes ſudo temperati, calidi ac ſicci ad 9num uſque veſperi parum pluentem. 10mus cum 11mo frigidi ac ventoſi. 12mus cum ſequentibus ſereni, calidi ac placidi, præter 13um paulo obſcuriorem, ad 17mum tota die pluvium, 18vus frigidulus & obſcurus, ſerenitate nonnunquam interpolatus, veſperi pluvioſus. 19nus ventoſus & a meridie imbroſus. 20mus temperatur, ut 21mus ſero parum pluens. 22dus obſcurior paulo, ſiccus tamen temperatus. 23tius ſerenior præcedenti. 24tus cum triduo ſequenti ſerenitatem pluviis intercalavit, ad 28vum uſque & 29num ſerenos, temperatos, ſiccos & amœnos, 30mus paucis pluviis quandoque intermixtis obſcurus menſem ſimul cum hoc anni quadrante clauſit.

Morbi hoc trimeſtri priori fere fuerunt analogi, præter nimirum geminos illos endemios, febres rurſus varii generis, intermittentes, tertianæ ſimplices ac duplices, quartanæ, & continuæ ardentes, benignæ & malignæ, variis ſymptomatibus comitatæ, cum & ſine exanthematibus catarrhales, pleuriticæ, in hecticam & phthiſin pronæ, variolæ, morbilli, diarrhœæ, colicæ paſſiones, choleræ, melancholiæ, hypochondriacæ paſſiones, cephalææ, hemicraniæ, paralyſes, epilepſiæ, aſthmata cum & ſine hydrope, rachitides.

Julii primus ſerenus atque ſiccus. 2dus ſudo pluvias miſcuit, tertius ſerenus ac temperatus veſperi pluviolas ſparſit. 4tus priori fere ſimilis, niſi quod procellæ ſemel pluviolam aſperſit. 5tus ſudo abſque pluviis, ventum impetuoſum intercalavit. 6tus nubilo cælo ſerenum abſque pluvia induxit æther. 7mus ſerenus. 8vus ſudo æſtivus, 9no mane pluvio, ſerenitas calorem intenſum addidit. 10mus pluvias cum ſudo alternavit, perinde & 11mus cum nubilo cælo ſudum. 12mus temperatus ac ſiccus. 13tius, ſerenus & æſtuoſus. 14tus cum biduo ſequenti mane ac veſperi pluvii, cætera ſereni. 17mus toto fere die pluvius, 18vus mane ad meridiem uſque pluvioſus, & ventoſus. 19nus mane ſerenus, a meridie bis pluit. 20mus pluviam cum ſudo ſparſit frigidulus & ventoſus. 21mus mane obſcurus pluviolas poſt quandoque ſparſit. 22dus mane quidem ſerenus, ſubfrigidus tamen, a meridie pluviolas diſperſit. 23tius temperatus, ſerenus partim, partim pluvius. 24tus amœnus, calidus ac ſiccus, cum quatriduo ſequenti æſtuoſo. 29nus poſt pluviam matutinam nubiloſus, frigidus ac ventoſus. 30mus temperatus & amœnus. 31mus poſt matutinam pluviam ſerenitate menſem finiit.

Auguſti primus ad meridiem uſque ſerenus, a meridie parumper pluvius. 2dus mane nubilus, poſtea ſerenus, & amœnus. 3tius mane parum pluens, poſtea ſiccus & obſcurus. 4tus tota die ſine pluvia nubilus. 5tus mane turbidus, poſt ſerenus. 6tus ſerenus, calidus & amœnus. 7timus nubilus ac calidus pluviolas ſubinde ſpargens. 8vus ſine pluvia ſerenus ac calidus. 9nus ſerenus & temperatus in æſtum vergens. 10mus huic præcedenti analogus: veſperi tonuit. 11mus nubilum cum ſudo alternans vento ſubinde pluviolas aſperſit, cui 12mus ſimilis ſemel pluviolas maduit. 13tius mane nubilus ac frigidulus abſque pluvia. 14tus pluvias nonnunquam addidit. 15tus procellam impetuoſam. 16to parum remittentem. 17mus mane nubilus, circa veſperam ſerenus ac calidus. 18vus ſerenus & ob calorem temperatum amœnus. 19nus æſtuoſior paulo. 20mus remiſſior mane ac modica pluvia fœcundus. 21mus ſerenus, calidus ac ſiccus, præter 23um valde æſtuoſum, ad 26tum nubilum mane ac ſubfrigidum, 27mus cum 28vo pluviolarum quandoque aſpergine ventoſi. Biduum ſequens ſerenum ac calidum. 31mus menſis poſtremus eteſiis æſtum præcedentem temperavit.

Septembris primus nubilus mane, poſt ob ventum frigidus. 2dus paulo temperatior. 3tius primo fere ſimilis, ſubinde pluvius. Triduum ſequens mane pluvioſum, a meridie ſerenum. 7mus nubilus, frigidus & ſiccus, ad uſque veſperam pluviolam ſpargentem. 8vus perinde frigidus, ſed ſæpius pluviolis madens. 9nus mane ad meridiem uſque 7mo compar, a meridie pluit, tandem ſerenior. 10mus temperatus ac ſerenus totus, ut & triduum ſequens ad meridiem uſque 13ii, a meridie quandoque pluentis. Pariter & 15tus circa meridiem ſemel pluens. 15tus ventoſus ſubinde ac pluvioſus. 16tus cum 17mo ſicci, temperati & amœni. 18vo ſudum ut plurimum pluviis ſparſim mixtum. 19mus temperatus, ſerenus & amœnus. 20mus mane & a meridie quandoque pluvius, cætera temperatus, ſerenus & amœnus. 21mus circa primam pomeridianam parum pluit reliquo temperatus & ſerenus. Biduum ſequens turbidum, frigidum & ventoſum, ſubinde pluens. 24tus nimboſus ac procelloſus, 25tus ut & 26tus nonnunquam pluvias fundens. 27mus toto fere die pluvioſus. 28vus poſt pluviam matutinam ſubfrigidus & ſerenus. 29nus temperatus, ſerenus & amœnus, 30mus æſtiva ſerenitate & calore menſem hunc ſimulque trimeſtre anni tertium abſolvit.

Morbi hujus trimeſtris haud multum abludunt a prioribus, gemini nempe illorum Choragi cum aſſeclis ſuis in hac quoque tragœdia perſonas ſuas egerunt, præterque illos febres omnis fere generis ephemeræ, hemitritææ, tertianæ, ſimplices & duplices, erraticæ & exquiſitæ, quotidianæ, intermittentes & continuæ, putridæ, ut olim audierunt, & cauſodes, quartanæ quoque, benignæ pariter, & malignæ exanthematibus ſe prodentes, variolæ & morbilli, pleuriticæ, eryſipelatodies, hecticæ, & phthificæ, catarrhales tandem, cephalææ pertinaces, & enormes, paralyſes, epilepſiæ, tuſſes contumaces, aſthmata ſubinde convulſiva, inflamnıationes gutturis, anginæ, hæmoptoes, ſtranguriæ, hydropes, hypochondriaci affectus, hyſtericæ paſſiones, choleræ, dyarrhœa & dyſenteriæ, rheumatiſmi, chloroſes, hæmorrhoides cæcæ & cruentæ.

Octobris primo ſerenus ac temperatus, 2dus mane obſcurus, poſt ſerenior. 3tius mane nebuloſus, mox ſerenus. 4tus mane pluvius, veſperi ſerenus & frigidulus. 5tus procella pluviis mixta tempeſtuoſus. 6tus de die frigidus & ſiccus, veſperi pluvioſus. 7mus cum pluvia modica procelloſus. 8vus ſerenior, quandoque tamen pluvius. 9nus cum 10mo temperate ſereni. 11mus tempeſtuoſus, frigidus ac pluvioſus. 12mus ſerenus & ſubfrigidus. 13tius mane ſerenus poſtea impetuoſus ac frigidus. 14tus ad 23tium mane pluvioſum uſque ſereni, ſicci ac temperati, præter 16tum, 19num. & 22dum mane paulo obſcuriores. 24tus mane turbidus ac frigidus, poſtea ſerenus. 25tus pruinoſus & glacialis, cætera ſerenus. 26tus valide gelans, 27mus paulo remiſſior. 38vus cum 29no rigide gelidi. 30mus cum 31mo poſtremo hujus menſis mane pluvii, poſt ſereni.

Novembris primus & ſecundus mane nubili, poſt ſubinde pluvii. 3tius ſerenus & temperatus. 4tus mane gelidus, poſtea ſerenus. 5tus cum modica nebula gelidus, 6tus & 7mus mane gelidi, veſperi remiſſiores. 8vus cælo ſereno remiſſus. 9nus noctu remiſſe gelaſcens, alias cum ſerenitate amœne temperatus cui compar fere 10mus, obſcurior tamen paulo, ſparſis nonnunquam modice pluviolis. 11mus huic ſimilis veſperi pluvius. 12mus ſatis alias ſerenus, ſemel parum pluviolæ ſparſit. 13tius tota fere die pluvioſus. 14tus ſiccus ac frigidus. 15tus mane pluvioſus cum ſiccitate poſtea alternavit, 16tus cum 17mo pluvioſus. 18vus vento ſatis forti aſpirante ſerenior, pluviolam raram ſero ſpargens. 19nus frigidus ſæpiuſque pluvioſus. 20mus procelloſus inſuper. 21mus cum 22do grandinoſus quoque. 23tius cum 24to perinde, quandoque tamen ſereni. 25tus ſudum cum nubilo, ſicco ſufflante vento campſit. 26tus toto fere die imbroſus. 27mus ſerenus ac ſubgelidus. 28vus mane gelidus, poſt nebuloſus. 29nus nebuloſus ac frigidus, 30mus menſis poſtremus ſpirante aquilone turbidus, humidus ac frigidus.

Decembris primus poſtremo Novembris ex aſſe ſimilis, turbidus, humidus ac frigidus, ut & ſecundus, ſed ſiccior paulo. 3tius ſereno cælo gelidus. 4tus poſt matutinum gelicidium, cum 5to continue pluens. 6tus quandoque tantum pluviolas ſparſit. 7mus nubilus, ſiccus tamen. 8vus noctu gelavit, de die ſerenus. 9nus noctu ninxit, de die ſereno cælo gelavit. 10mus ſatis rigide gelans. 11mus regelavit. 12mus remiſſe gelidus mane abſque pluvia, 13tius & 14tus ut 15tus cum ſequenti triduo cum pluvia remiſſiores. 18vus mane etiam imbre maduit, a meridie ſole eluctante parum inclaruit. 19nus gelidus ac nivoſus. 20mus ad 23tium uſque ſine nive gelidus cælo ſereno. 23tius remiſſior nubilus & nebuloſus. 24tus cum 25to poſt nebulam matutinam imbroſi, triduum ſequens ventoſum regelans ac pluvioſum. 29nus parum gelaſcens atque ningens. 30mus & 31mus rigido gelu menſi huic & trimeſtri, ſimulque anno 1704. colophonem impoſuit.

Morbi, ſi ſcorbutum ejuſque comites, & ſub illius larva ſæpius latitantem infamem illam luem, cum appendicibus illorum exceperis, morbi hoc trimeſtri non adeo frequentes fuere ac præcedentibus. Febres nonnullæ ardentes & malignæ, quæ morbillis aut variolis ut plurimum ſtipatæ, catarthales, pleuriticæ in tuſſes & phthiſin declinantes, vagæ quandoque, catarrhis ſuffocativis ſociatæ, melancholiæ hypocondriacæ, & paſſiones hyſtericæ, cephalææ & cachexię, tuſſes contumaces admodum &c.

Conſtitutio Epidemica Holſatica Anni 1706.

Dn. D. GUNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMERI.

Hic jam morbi penitus ſilent, toto autem hoc anno variolæ confluentes ſæviſſime ſunt graſſatæ, multaque propemodum dixerim millia infantum maxime tum & juvenum & adultorum rapuere per Holſatiam & Hamburgi. Prorſus autem tales ſe exhibuere, quales Sydenhamius deſcribit. In principio mites, mox 2. vel 3. die erumpentes, optime ſibi conſtantes, neque gravioribus ſymptomatibus ſtipatæ, præterquam quod deliria ſtatim ab initio uſque ad finem, levia tamen, adeſſent. Ubi vero ad ſtatum perveniebant, & ſuppurabantur, nihil remittebat calor, pulſus ſemper frequens & celer, æqualis tamen nec admodum debilis erat, ſed die 9. 10. vel 11. ubi ad ſummum aſcendere oportebat, ſubito, & quaſi in momento foveam oſtendebant, confluebant, concidebant, pallebant, inſtar lepræ, in facie præſertim, & tum actum erat. Alexipharmacis & calidis exhibitis, iterum tumebant quidem, ſed mox rediebant ad priſtinum. V. S. ubi adhiberi poterat initio, optime cedebat, etiam in infantibus. Nonnunquam petechiæ conjungebantur in principio. Ubi vero evadebant ægri, fœditate maxime faciei pulchritudo evertebatur, oculi contorti, immo cæcitas etiam, ingentes furunculi, aut fiſtulæ oſſa etiam exedentes brevi ſequebantur, & ſphacelus.

Can-

Constitutio anni 1709. Apud Labacenses in Carniola notata a

Dn. D. MARCO GERBEZIO.

POsteaquam præteriisset anni 1708. autumnus fere in mieris nivium cum pluviis, nebulisque vicissitudinibus, subingressus erat annus jamjam ad exitum properans 1709. cum eis nivibus, frigoribusque, quantorum fere non recordamur unquam. Hippocrates 3. *Aph.* 17. quidem laudavit frigidas aeris constitutiones, dum dixit, *Aquilonias constitutiones cogere corpora, firma, agilia, beneque colorata, ac auditu valentiora reddere.* Quantam tamen vim eæ fere universæ naturæ inferre valeant, si frigus suos limites transcendat, quemadmodum factum anno ad finem decurrente 1709. experta est cum maxima sua calamitate universa Europa, & propterea quoque nos Labacenses ipsi, quibus plane terra ipsa fuerat a frigoris in Aprilem usque protensi, rarissimisque vicibus ab austris paulisper retusi inclementia adeo effœta, & infœcunda reddita, ut colonis pro suis laboribus vix satorum semen, & illud ipsum eflœtum, & ærugine corrugatum reddiderit. Arbores frugiferæ, e quibus persicæ fere cunctæ sideratæ, aut nullum, aut parcissimum, & eum fere verminosum, corrugatum, & certis nigris stigmatibus ab ærugine maculatum fructum portavere. Vites similiter usque ad radices emortuæ omni botrorum opimirate destitutæ, & sic de aliis. Quin saxa ipsa observabantur alicubi præ frigore in arenas comminuta. Et parvi demum æstimari poterat istud, si hujusmodi strages non etiam animata, & inter ea quoque hominem ipsum contigisset: verum deploravimus, & deploramus etiamnum, quod (ut reliqua animantia silentio prætream, quorum tamen plurima fuere frigore exanimata) ejus inclementiam quoque ex incolis nostris plurimi, & nonnulli singulariissimi viri propriæ vitæ internecione luerint. Tot siquidem vix unquam vidimus apoplexiis repente sublatos, tot vertiginosos, arthriticos, catarrhosos, pleuriticos, phithisicos &c. quot hoc ipso anno. Cui alteri autem imputari poterat strages isthæc, quam recta enarratæ immensi frigoris immanitati? Cujus, cum juxta a nobis in Chronologia nostra medica Anni I. §. XXII. & alibi dicta, vis sit refrigerare, condensare, incrassare, coagulare, adstringere, & sanguinem cum reliquis corporum succis ob inhærentes sibi magna quantitate nitrosas, vitriolicas, & alias salinas atomos acrem reddere; qui aliter fieri potuit, quam, quod intolerabilitate illa frigoris occlusi cutis pori ingentem alias per insensibilem perspirationem excludendam noxiorum humorum saburram in corporibus retinuerint? quæ intus coagulata facile in cerebri meatibus substitit, desuperque aut repentina corporum in excalefactis hypocaustis incalescentia, aut alia quacunque occasione attenuata, & dissoluta eatenus diffluxit, ut universos, vel saltem potissimos cerebri meatus, & nervorum inde in reliquum corpus protensorum origines inundarit, obstruxeritque, eoque ipso spiritibus animalibus suam circulationem, & consuetum in subjectas partes influxum præpedierit. Unde repentinæ illæ, de quibus supra, apoplexiæ, vel si qua obstructiones tantæ non fuere, tantæ tamen, ut præ iis spiritus animales cursum suum debito sibi tramite prosequi non potuerint, sed potius in gyrum acti fuerint; vertigines illæ, vel saltem certe fluctuatione cerebri sæpe sæpius apoplexiarum, vel epilepsiarum prodromi: de quibus hoc anno plurimi non solum fuere lamentati, sed quipiam plane apoplectici successive, vel epileptici facti. Quod si autem tales coagulationes & subsistentiæ, seu stagnationes dictorum humorum simili modo in aliis corporis partibus quandoque accidêre, aliæ ibidem evenere indispositiones; veluti in pulmonibus vomicæ, ad quas postea consecutæ sunt primum tussitationes inanes, successive humidæ, & sæpe cruentæ; ultimatim plane purulentæ cum totius corporis contabescentia phthiseos nomine veniente, & interitu ipso: in collo scrophulæ, alibi alterius generis tumores. Quatenus tales humores autem copiosius ad nares distillabant, ad fauces, aut alias partes, evadebant gravedinum, raucedinum, tussium, & aliarum vulgo dictarum defluxionum causa, sicut arthriticorum, & rheumaticorum dolorum, si ii a frigore justo acriores redditi, inque periostiis articulorum, vel etiam interjacentium partium depositi, ea sua acredine rodebant, lancinabantque &c.

Sicut autem reliquus anni decursus erat quoad aeris temperiem ordinatior, ita erat sanitati humanæ conferentior: excepto, quod vere Aprilis fuerit repente a præter morem vigorosis & constantibus solis radiis adeo excalefactus, ut auræ temperie fere æstatem præ se ferret: Majus e contra ob prædominantem cum euro boream, pluviasque adeo rursus perfrigeratus, ut præ se ferret autumnum, quod ominosum Hippocrati 3. *aph.* 1. quod tempus propterea etiam notabiliter plurimum erat ferax morborum. Æstate e contra & autumno, utpote quoad auræ temperiem regulatioribus, tanto salubrius vivebatur, neque observabantur in eis facile aliæ indispositiones (exceptis variolis toti anno communibus) præterquam sporadicæ, & quæ potius erroribus circa victus rationem commissis videbantur esse imputandæ, quam aeris vitiis: febres puta potissimum intermittentes, vomitiones, alvi fluxus, colici dolores &c. quamvis & ad hos poterat jam prius aliquod fundamentum jecisse prægressum adeo rigidum hyemale frigus saltem sua acredine: sicut pariter ad vertigines illas, & apoplexias, quæ quibusdam etiam æstate ipsa, & autumno fuere pernicioſæ. Probatum siquidem fuit a nobis in præcitatæ nostræ *Chronologiæ Med. Ann. I.* §. XLIII. morbos, qui in temporibus accidunt, non tam ex præsentibus, quam ex præteritis aeris morbidis constitutionibus esse dimetiendos.

Nunc, qui præterit, December jam in alteram hebdomadam constantibus zephyris perflatur cælo nunc nubilo, nunc pluvioso, jugiter autem vaporoso, existente. Metuo valde, ne cum tempore siniſtri quid parturiat. Curationes denique hactenus enarratorum, & aliorum brevitatis gratia præteritorum morborum, quod concernit, eæ quidem nihil singulare præ se tulere, utpote remediis nobis familiaribus, & in similibus casibus in *Chronologia nostra Medica* hinc & inde notatis communiter feliciter institutæ, sicut tamen apoplexiæ communiter fuere *fortes*; adeoque ex sententia *Hipp. 2. aph.* 41. *incurabiles*, ita nullam recepere curationem, uti neque confirmatæ phthises. Quæ apoplexiæ autem fuere leviores, eæ quidem demum rursus fuere superatæ, sed valde lente: quemadmodum in certo arcium Præfecto, quamvis ego eum non tam pro apoplectico habuerim, quam cui memoria adeo erat læsa, ut sui idiomatis omnimode per aliquot hebdomadas oblitus fuerit. Reliqui siquidem sensus utcunque sibi constabant, ille se etiam, quantum ex signis colligebatur, super omnia reflectebat: solum (quod quid est plane singulare) nullam prorsus rem significativa aliqua voce nominare poterat; verum quæcunque ad se explicandum loquebatur, vel etiam scribebat, erant articulata quidem, sed nihil significativa, qui nunc demum tamen ad tot usurpata eatenus se recollegit, ut ob defectum vocabulorum significativorum intra loquendum raro tantisper subsistat.

Coxæ dolores fuere etiam plerumque adeo contumaces ut etiamnum sint, qui eis jam a vere hcc acerrime detinentur. Certus Juris Consultus ex eis suppuratis plane interiit. In quo illud admirabar ego, quod priusquam moreretur ille, tussire, pectore dolere, & cruenta rejicere, purulentaque incœpit, ante nunquam pectore indispositus. Procul dubio pus a venis in ulcere absorptum, & circulando ad pulmones delatum, eos adeo corroserat, ut & illi suppurati successive in tabem abierint; sed sic fit, dum Empiricis, sicut in hoc casu, confiditur: ubi prætermissa methodo curandi artificiali bonus se totum Empiricis concrediderat.

In variolis denique, quarum curationes similiter feliciter succedebant remediis a nobis in Chronologia nostra medica descriptis (nisi eis accesserint vel petechiæ vel alvi fluxus) mirabar ego, quod quantumvis illæ fuerint satis alias malignæ & propterea multis perniciosæ; nullas tamen post se relinquere solitæ sint soveas. Uti, & quod eas hactenus nondum consecutæ sint febres petechiales; quod tamen, quantum hactenus observavi, communiter accidere solet. Nisi id forte primo fiat. Earum siquidem nondum est factus finis.

Quia, quibus accesserant alvi fluxus, communiter obierant, lubet curam pro coronide adjungere, quam ego cum felici successu peregi in puellula novem annorum. Illa sub principium invasionis per superna aliquoties vermes rejecerat, per decursum autem dejiciebat frequentissime cum torminibus cruenta, atque adeo versabatur juxta dicta in manifesto vitæ periculo: postquam tamen sequentia ordine usurpasset, convaluit felicissime. Omnium autem primo ipsi injiciebatur talis clyster abstergens. ℞. Decoct. hordei cum rad. torment. ℥ij. flor. ros. rub. p. i. facti ℔ß. mell. ros. col. ℥ß. m. f. clyster. Cui paulo post succedebat talis adstringens: Rec. Lact. vacc. chalyb. in quo decoctæ fuere rad. torment. ℥ij. herb. polygon. flor. hyperic. & verbascana p. i. ℥v. Adde mell. ros. col. ℥ß. ter. sigil. pulv. ℥iß. m. f. Clyster. qui per decursum etiam sæpius repetebatur.

Secundo per os quotidie assumebatur talis bolus. ℞. Conserv. menth. elect. diascord. frac. troch. de ter. sigil. ana ℈ß. unicorn. foss. gr. v. lap. bezoard. or. gr. iij. M. cum syr. coral. f. bolulus. Cui semper superbibebatur tantillum de vino cydoniorum.

Tertio externe abdomini admovebantur calide a post & ante sacculi herb. chamæm. absynth. menth. polygon. & ros. rub. referti, & in vino rubro decocti. Potus denique erat decoctum torment. gran. mastic. & crustæ panis. Cibus oriza, panatellæ ex bis cocto &c.

Constitutio Anni 1710.

QUantum in conservanda, vel lædenda humanorum corporum valetudine valeant salubres, vel insalubres, aeris constitutiones, dedimus pluribus in *Chronologia nostra Medica*, & docuit nos proxime valedicturus annus 1710. utpote qui sicut hyeme fuit paucis nivibus perspersus, & propterea toleranter frigidus, ita fuit pauciſſimis morbis, & eis potius sporadicis, ac ab inordinata victus ratione, quam epidemicis, ac ab insalubri aeris temperie dependentibus obnoxius, plane aliter, ac postremo præterlapsus annus 1709. quem utpote nivosissimum, frigidissimumque ante annum recensueramus, fuisse apoplexiis, epilepsiis, vertiginibus, gravedinibus, cephalæis, pleuritidibus, raucedinibus, tussibus, hemoptysibus & omnis generis aliis defluxionibus quam pleniſſimum. Est verum quidem neque hanc hyemem eis ipsis affectibus omnino caruisse: certum tamen æque est, eis longissime minus fuisse obnoxiam. Neque sine ratione: quando enim tempora in sibi connata temperie citra singulares repentinas, & multum sensibiles de calido in frigidum &c. mutationes (qualiter factum hac hyeme toleranter boreali, & æqualiter frigida) decurrunt, sicut in corporibus non accedunt singulares alterationes, ita neque singulares morbi. *Mutationes* siquidem *temporum*, teste Hipp. 3. aph. 1. *potissimum pariunt morbos, & in ipsis temporibus magnæ mutationes aut frigoris aut caloris.* Quales proinde cum non acciderint hac hyeme, ea non potuit fuisse singulariter morbosa. Quod ea vero interea tamen morbis non caruerit, fecere ut dixi, potius subinde commissi in victus ratione errores, quam aeris morbosa constitutio.

Ver autem sicut erat nonnihil inordinatius, & a septima Aprilis usque ad undecimam ad prægressam mitiorem auram nivoso pluviosum, & ex borea sensibilius frigidum. In Junio etiam sæpe sæpius tempestuoso grandinosum, consequenter pariter ultra modum asperum; ita memoratis defluxionibus tanto magis dives. Cæterum vero tamen ob prægressam, uti dictum, mitem, & nivibus fere expertem hyemem adeo acceptum, ut jam sub dimidio Aprilis omnia essent in virore, & flore: 21. Aprilis etiam præter solitum siligo actu aristas protruderet.

Quod nunc dictum est de vere, idem plane accipiendum venit de æstate, utpote similiter varia sæpius pluvioso tonitruosa, & ex potissimum prædominante borea sæpe etiam sub ipsis canicularibus potius frigida, quam more sibi debito æstuosa, & præterea etiam præterquam satis, vineisque nociva, catarrhorum, tussium, arthritidum, & morborum autumnalium, si quæ alia ferace. *Per anni* siquidem *tempestates*, teste Hipp. 3. aph. 4. *quando eodem die modo calor, modo frigus fit, autumnales morbos expectare oportet.* Teste Valleriola etiam de loc. com. lib. 2. cap. 4. *Si vicissitudine quadam aquilonius flatus austrinum sequatur, fluxionum tum morbi sequentur.*

Autumnus denique non fuit quidem adeo varius, ac communiter esse solet, eo quod excepto fine Octobris quo ex diutius protractis pluviis omnia aquis inundabantur, non fuerit admodum pluviosus, neque consueta ventorum alternatione multum inæqualis: in eo tamen erat præ aliis hujus anni temporibus insalubris, quod fere incessanter aut prædominarentur austri, venti teste Hipp. 3. aph. 5. insaluberrimi, aut aura fuisset nebulosa, crassa, humida, vapida, & veluti stagnans diutissime solis radiis orbata, ac propterea maxime tetrica, & præsertim melancholicis adversa, merarum obstructionum fabricatrix. Hinc etiam fere nunquam tot consilia medica circa affectiones hypochondriacas habita, quam recte hoc autumno. Quamvis præterea plurima passi fuerint etiam arthritici, quartanarii, & colicis doloribu

loribus torti cum non raro desuper consecutis epilepticis convulsionibus, aut paresibus. Taceo catarrhos, & omnis generis defluxiones, quorum utinam majores effectus non primo in futurum experiremur, vel etiam pestiferæ luis, cum de ejus sævitia alias jam multum spargatur, ulteriorem progressum! Nulla siquidem aeris constitutio solet esse hujusmodi malignitatis adeo ferax, quam recte talis. Quamvis, uti in *vindiciis meis Medicis auræ Labacensis* §. XXIX. memini apud nos non eo usque; ob vicinitatem maris Adriatici, ex quo in transitu flatibus austrinis multum particularum salinarum volatilium admiscetur, quibus putredinosa illorum malignitas corrigitur. Plurimum sunt passæ etiam in uteris gerentes, propterea sæpius vel ante destinatum tempus puerperæ factæ, vel morbosos fœtus enixæ ob acetabula uterorum ex tantis aeris humiditatibus contracto referta.

Curabantur autem colicis doloribus torti feliciter legibus laxativis per intervalla propinatis, anodynis, quale fuit præprimis ol. amygd. dulc. & carminativis, quale erat decoctum florum chamomil. rom. cum additione succi stercoris equini avena pasti, & syr. de althæ. Fern. quartanarii præmissis præmittendis tali specifico: rec. cort. peru. alcohol. ℥ij. flor. salis armoniaci, antimonii diaphor. ana ℈ß. m. f. pulv. detur mane & vesperi, sed methodo tali, ut febris non solum emaneat, quod plerunque intra hebdomadam fit, verum etiam numquam amplius revertatur, quod etiam facile præcavetur.

Arthritici denique suis specificis, præsertim oss. microc. phil. pp. antimonio diaph. cinnab. nativ. mixtura simplici, lumbr. terr. &c.

DISSERTATIO EPISTOLICA

DE

MULHUSINI TERRITORII

Finitimorumque locorum Constitutione Epidemica *Anno* 1700. *observata*,

AD DOM. LUCAM SCHROECKIUM,

Cæsareo-Leopoldinæ Nat. Cur. Academiæ Præsidem &c.

Augustam Vindelicorum transmissa

A JOANNE GEORGIO HOYERO, Philosopho, Medico Doctore & Cæsaræo-Leopoldinæ Nat. Cur. Academiæ Collega Apollodoro dicto.

§. 1. Licet in historia morborum epidemicorum primus vetustissimorum scriptorum Hippocrates desudaverit, & digito quasi filiis artis usus tanti laboris prorsus insignes monstraverit, nescio tamen, quo fato sequentium temporum scriptores negligentius ferme tractaverint epidemica. Postquam autem postliminio exteri Medici, celeberrimus Sydenhamius de constitutione Londinensi, atque splendidissimum Italiæ sidus Excellentiss. Ramazzinus de constitutione agri Mutinensis scripta divulgarunt, genus horum scriptorum non solum ab omnibus solide doctis semper fuit expectatum, sed & eorum vicit opinionem.

§. 2. Enim vero cum non minus climata, sub quibus laudatissimi viri suas observationes consignarunt, ut & vitæ genus seu rerum sex non naturalium usus aliaque a nostratibus diversissima sint, ipsique Germani, dum pati videntur idem quod Græci, Angli, vel Itali, idem profecto non sit, quis obsecro non commendet, quæ plures Excellentissimi Viri de diversarum Germaniæ nostræ provinciarum Constitutionibus Epidemicis conscribere operæ pretium putarunt? Quibus eruditissimis, si parva magnis componere licet, Epidemicam Territorii patrii Mulhusini Constitutionem superaddere ac perillustri tuo nomini inscribere non erubesco. Fateor enim, a singulari gratia tua erga me, de qua suavissime in litteris tuis a me datis scripsisti, magis me affectum fuisse, quam Herculem Xenophontium illum a voluptate, ut ea adducar ad hoc suscipiendum amorique tuo plusculum etiam, quam facultas, & copia mea forsan concedit, largiar.

§. 3. Laudatum itaque liberæ hujus & imperialis civitatis territorium sub elevatione poli 51. grad. 20. minut. in Thuringiæ & Hassiæ confiniis situm ampla, & amœna planitie conspicuum, soli polique singulari clementia beatum, quamvis præ finitimis locis saluberrimum quidem putatum; nihilominus tam ab aeris & tempestatum injuriis, quam ab epidemicis & contagiosis morbis minime fuit immune. Nam ut a fine lapsi præcedentis sæculi potissimum exordiar (pluribus aliis qui duobus lustris, licet minus perfecte notaverim, data occasione intermiscendis) hyemale tempus tam finiti 1699. quam auspicati 1700. anni nobis prorsus inconstans erat: nunc rigido borea ab axe ruente, mox pluvioso nobis libanoto (vento inter austrum & favonium medio) spirante; nunc maxima nivis copia defluente mox nebulosa ac nubilosa, maximam vero partem pluviosa, rarius procellosa in tempestate, varias subinde molestias creante.

§. 4. Durabat hæc tempestatis varietas ad æquinoctium usque vernum; & sicut his mensibus varius microcosmi status, ita microcosmus etiam variis symptomatibus, & ægritudinibus erat obnoxius. Tenellorum, qui nutricationis annos nondum excesserant, plures febribus catarrhalibus, nonnulli catarrhis suffocativis decumbebant, qui tamen omnes ferme post adhibita pectoralia balsamica diaphoreticis maritata, laxativis, & emeticis pro re nata interpolatis ex voto convalescebant. Sub finem mensis Januarii, morbillis affligi cœperunt, benignis quidem, adeo ut pluribus, modici caloris temperamento servato, sine medicamentorum usu morbilli copiosi erumperent ac tempore solito rursus evanescerent. Paucis atrocius afflictis bezoardica fixiora, aquæ destillatæ & papaveracea proderant, quorum nonnullis, qui medicamenta neglexerant prorsus, post exantlatos morbillos tussis cum febre hectica difficilius curanda eveniebat.

§. 5. Adultorum quidam doloribus arthriticis tum vagabundis scorbuticis, tum fixioribus (quales morbi nobis endemii quasi sunt) menses hyemales fere durantibus discruciabantur, qui tandem per medicamenta specifica, sudorifera interna, nervina & spirituosa externa, venæ sectiones & sacrificationes iteratas &c. unguinosis, & emplasticis (nodos & affectus chronicos imo prorsus incurabiles causantibus) vitatis, feliciter sopiebantur. Alii febribus ardentibus, & malignis, periculosis phenomenis, pleuritide, deliriis, convulsionibus &c. stipatis corripiebantur, non tamen ut annis præcedentibus æque lethiferis, nisi forsan unus & alter vel ab empirica manu, vel negligentius tractatus ad plures abierit.

§. 6. Imminente tempore vernali anni 1700. humidiorem tempestatem status aeris temperatior, & siccior excipiebat, qui per hos menses euro subinde spirante continuabatur: adeo ut pluviæ vernales fertilitatem præsagientes rariores, ipsaque tellus pulverulenta quasi notaretur, & hinc frugum æstivarum spes agricolis dubia redderetur. Id quod eventus ipse pluribus in agris tardius satis comprobabat. Neque enim hordei, avenæ leguminum, pluriumve æstivorum opimam æque quam hybernorum frumentorum siliginis & tritici messem vidimus.

§. 7. Jam morbillos excipiebant variolæ apud alios interstinctæ, apud alios confluentes: quamvis tam vernalibus hisce quam mensibus æstivis, paucis exceptis, qui diætæ limites excesserant limites excesserant liberius, minus funestæ. Neque febres more malignarum decurrentes jam cessabant: nonnullis medicamenta prorsus insuper habentibus in nostro territorio lethales. Vicinorum autem locorum, in primis septentrionem versus sitorum, Liberæ Imperialis Northusæ & aliorum finitimorum oppidorum & pagorum incolis Hericiniæ sylvæ accolis tam præterito brumali quam hoc vernali tempore magis infensæ & pluribus exitiosæ.

§. 8. His ita contingentibus, non potui non ruminari prognosticon, quod anno superiori 1699. grana illa nigricantia majora in siligine copiosissime reperta & per magnum Thuringiæ tractum ab Hercinia ad Semanam usque sylvam observata (vernacula lingua *Mutter Korn* appellata) curiosis subministrabant: videlicet ab usu monstrosorum ejusmodi granorum inevitabili, non sane farina laudabili & altrice, sed inutili, depravata & insalubri protinus materia ipsis etiam brutis nauseam movente refertorum, variis morbis, febribus, variolis, morbillis, aliis afflictum iri genus humanum.

§. 9. Cui præsagio cum jam responderet eventus, illorum sententiam confirmare videbantur, qui morbos epidemicos non præsentium, sed præcedentium effectus esse persuasum sibi habent. Quamvis a mente mea impetrare nondum potuerim, ut hoc assertum κατὰ παντὸς affirmari posse credam. Certissimum quidem est, prava & depravata alimenta ab annis præcedentibus nobis suppeditata multo usu continuata epidemicos effectus sæpe producere. Qualis enim cibus, talis chylus, qualis chylus talis sanguis, qualis sanguis, talis valetudinis nostræ status. Enimvero constitutiones præsentes non solum plures epidemicos morbos, alimentis etiam sanis existentibus, parere, sed illos etiam, quos vitiosis cibis debemus, quasi modificare seu intendere & remittere cum magno Hippocrate rerum magistra quotidiana experientia testatur. Equis enim dubitavit frigidum, humidum, & cœnosum atmosphæræ statum (qualis supra citata nostra hyemalis erat) ἀδιαπνοΐαν (quæ illustri *Wedelio* teste *Theorem. Med. part.* 4. *Sect.* 2. *th.* 3. *infinitorum morborum & febrium mater est*) peperisse? De quo pluribus *ingeniosissimus Sanctorius in Medicina Statica Sect.* 2. *aphorism. VI. & VIII. &c.* videndus.

Equis negabit aeris nostri verni & mox dicendi æstivi statum sereniorem epidemicos hos affectus benigniores nobis reddidisse? Ut jam eæ, quæ superioribus annis de periculosioribus affectibus epidemicis a præsenti constitutione unice quasi derivandis notavi, nunc mittam, neque de contagio, de nebulis, de roribus vitiosis & aliis mille malis, (queis atmosphæra nostra in dies & horas obnoxia,) machinæ mediante respiratione dictum factum exitiosis hic quicquam memorem.

§. 10. Ampliissimus hic aperietur campus de nebulis, de roribus, in primis autem de causa dictorum corruptorum siligineorum granorum, rore puta vitioso, mellei saporis & consistentiæ, (nostratibus *Honigthau* nuncupato) differendi: sed ne justo prolixior sim, ea, quæ hic inferere potuissem, ad observationes anno futuro, Deo volente, ephemeridibus Germanorum communicandas reservo.

§. 11. Post solstitium tempus æstivum calidius & siccius usque ad æquinoctium autumnale permanebat: Pluviis enim non, nisi expectatissimis evenientibus, cæli serenitas constantissima ridebat, lætamque messem & optatam, flantibus suaviter eteſiis, nobis ridebat. Exoptatissimus omnibus erat hujus temporis status. Postquam enim caritas annonæ mortalium myriadas partim fame emaciaverat, partim ad incitas redegerat, jam jam sub auspicium sæculi velut e cornu copiæ omnium rerum pro vita substentanda necessariarum Divina Munificentia largiebatur opimam messem. Horrea frumentorum ad laxiorem annonam redeuntium abundantiam vix capiebant, Conclavia, cellæ, pavimenta larga rerum copia & opibus Cerealibus quasi scatebant. Neque vini ultra duo lustra desiderati spes concepta autumno sequente decollabat. Tantæ felicitatis non ultimam sane causam laudatissimum calorem æstivum putandum esse jamdudum præsagivit Virgilianum veriloquium Georgic. I. *Magnaque cum magno veniet tritura calore*. Cujus veritatem sicut præcedentium quorundam annorum sterilitas, ita sane præsentis fertilitas per universam Europam satis confirmabat.

§. 12. Interea temporis non cessabant affectus epidemici, videlicet variolæ continuatæ benigniorum more sua tempora decurrebant, neque malignitas earum jam crescebat. Præter hasce quotidianæ, tertianæ tam continuæ quam intermittentes & quartanæ febres, minus tamen rebelles & rariores observatæ & post adhibita probata remedia brevi fugatæ. Febres ardentes autem suo contagio eo latius serpebant, quo intensior his diebus sentiebatur æstus. Mirum profecto febres hasce symptomatibus malignis horrendas, minime tamen lethales, hoc potissimum tempore, quo saluberrimum videbatur, invaluisse. Nec inanem locabo operam si plenius paulo tam phænomenorum, quam curationis historiam brevissimis hic tradam.

§. 13. Corripiebantur hac febre non solum juvenes, sed mediæ ætatis utriusque sexus homines, quin etiam senes. In plurimis horrorem prævium calor totius summe efferatus subsequebatur. Hinc sitis, vigiliæ & atroces dolores capitis & aliorum membrorum circa articulos præsertim se exerentes notabantur. Arthriticis hisce doloribus vexati paralyticorum more decumbebant, adeo ut neque pedes neque manus suis fungi possent muniis. Nonnullis alvus & urina vel invitis

per aliquot dies effluebat. Deliria leviora paucis ſaltem aderant. Vires autem omnibus pene valde proſtratæ. Aliis vomitus bilioſi, aliis diarrhœæ ſatis moleſtæ. Quibuſdam fluxus hæmorrhoidum nimius, ab imperitis pro fluxu dyſenterico habitus. Plurimis hæmorrhagiæ narium largiſſimæ imo prorſus enormes eveniebant. Cumprimis vero quoſdam cardialgiæ ſumme dolorificæ tantopere diſcruciabant, ut de ſalute corporis deſperantes ſacram Euchariſtiam moribundi velut ultimam ad conſequendam æternam ſalutem medicinam unice expeterent, quin imo a ſyncopticis & moribundis diſcerni vix poſſent.

§. 14. Neque contagii expers erat hoc malum, dum unico decumbente plerunque reliqui, quotquot aderant, domeſtici vel una vel aliquandiu poſt eadem febre corripiebantur. Ut enim reliquos tam in civitate & ſuburbiis, quam in pagis decumbentes ſilentio prætream, exempli loco adducam milites a centurionibus ſive capitaneis quibuſdam nutu potentiſſimi Daniæ atque Norwegiæ Monarchæ noviter conſcriptos, quorum unus & alter hoc febris genere cum forte vexatus fuiſſet, brevi poſt eodem malo plures afficiebantur, adeo ut intra duorum vel trium menſium ſpatium plures quinquaginta curationi meæ traderentur.

§. 15. Ex phænomenis citatis velut ex ungue leonem cauſam febris hujus proximam particulas alcalinas maſſæ ſanguineæ craſin ſeu mixtionem nimis rarefaciendo turbantes, facile dijudicare poteram. Ex quo fundamento curationis methodum formare non adeo difficile erat. Scilicet calor æſtivus intenſior; ætatis vigor, potus cereviſiæ noſtratis ſatis lupulatæ calidior & copioſior, enormes hæmorrhagiæ, omnia & ſingula phlebotomiam præprimis poſtulare videbantur, quam pleriſque ſemel, quibuſdam pro indicationis modulo bis adminiſtrare ſuadebam. Sanguine vix evacuato, ſingulari ſtratagemate ſudorem, quem quidem Celeberrimus *Eaglivus Medicus Romanus* Prax. med. lib. 1. poſt ſanguinis miſſionem cum levamine patientis ſtatim apparere ſcribit, medicamentis procurabam. Quo fine pulveres ex bezoardicis fixioribus C. C. phil. præparat. oc. cancr. antimon. diaphoret. rad. contrajerv. corall. rubr. terra ſigillata, nitr. anodyn. vel pulv. bez. Wed. addito camphoræ tantillo loco ſudoriferi nonnullis eximio cum ſucceſſu propinabam, atque febrem in prima quaſi herba citius ac felicius quam emeticis vel purgantibus ſine ſingulari ſucceſſu quibuſdam datis, ſuffocabam. Morbo nihilominus ingraveſcente dolorum capitis mitigandorum & delirii præcavendi cauſa veſicatoria optato cum levamine nuchæ applicare ſuadebam. Morbo durante balſamica & bezoardica medica ex tinctur. prophylact. m. d. eſſ. myrrh. ſimpl. & balſam. Scordii, mixtur. ſimpl. Elix. p. p. &c. præſcribebam. Ad reſtringendam ſitim loco potus ordinarii, vel infuſum veronicæ, vel cereviſia ſecundaria tenuis valde, cui vel tinct. roſar. vel papav. errat. vel violar. vel ſpiritus ipſe vitrioli ſedulo inſtillatus commendabatur.

§. 16. Interim vero ſymptomatibus reliquis vel ex maligna morbi natura vel errore diætæ individuo contingentibus, aptis remediis obviam ire non negligebam. Nam, ut verum fatear, majorem curam talia ἐπιγενόμενα poſtulare videbantur, quam ipſe febrilis affectus. Sic urgentiſſimum ſymptoma cardialgia, quod nonnullos tantopere diſcruciabat, ut ab agonizantibus diſcerni vix poſſent, ſpirituoſis aromaticis carminativis vel in primis pulvere abſorbente *Wedelii* plerunque curabatur. Dolores arthritici contumaciores ſpiritu volatili urinoſo bezoardico, eſſ. anod. nec non pulveribus bezoardicis diaphoreticis cinnabarinis tardius quidem, feliciter tamen mitigabantur, additis præſertim anodynis. Opiata enim, quæ febre arthritica epidemica anno 1699. graſſante inſtar ſalivæ viperinæ vitanda jam velut anchora ſacra nobis erant. Vomitus ſpontanei vel bilioſi vel aſſumptorum, ut & alvi profluvia, quando diutius durabant, mixturis ex eſſ. theriacal. tinct. terræ catechu & tinct. opii cum ſucco cydoniorum per fermentationem parata, nec non pilulis ſtypticis m. d. pulveribus ex terra ſigill. boſ. armen. C. C. Uſt. rad. biſtort. pulv. bez. Wed. &c. compeſcebantur. Hæmorrhagiæ narium aliis quarto, aliis ſeptimo, aliis nono, vel undecimo die contingentes, quæ multum negotii facеſſere ſolebant, ultra euphoriam & ad lipothymiam uſque durantes præter interna refrigerantia & incraſſantia externo probatiſſimo ſtyptico Anglicano ſive in forma ſicca ſive ſpiſſa cum aceto & goſſypio, applicato: Hæmorrhoides niſi fluentes præter pulveres e ſtypticis & bezoardicis conflatos eſſent. theriac. traumat. *Wed. a Beato Hagendornio in tr. de terra Catechu* deſcripta ſiſtebantur. Taceo pleuritidem tam veram quam ſpuriam, anginam, alvum pur multos dies adſtrictam, alia remediis aptis aliis curata. Adeo ſingula phænomena quamvis periculoſa putata facili negotio tollebantur, & quæ a practicis infidæ criſes paſſim notatæ, jam fide, perfectæ & ſalutares erant. Hoc apparatu perexiguo tum laudatus gregarius miles, cum plures vilioris conditionis homines, Deo benedicente, ex voto curabantur. Delicatioribus nonnullis præter dictas potiones cordiales confortantes & pulveres bezoardici pretioſiores proderant.

§. 17. Quod vero admiratione maxime dignum, ne unicum ſatis periculoſe licet decumbentium, menſibus quidem æſtivis vivere deſiſſe memini. Neque lunæ phaſes notabilem his febribus alterationem attuliſſe vidi, qualem tamen, cum præcedentibus annis 1698. & 99. febris epidemica, quæ nonnullis petechialis erat, hic loci graſſaretur, multoties mecum plures curioſi præſertim menſibus hyemalibus & autumnalibus obſervabant. Menſibus enim his ſingulis omnibus fere, luna decreſcente vel ſilente nonnulli febricitantes, tam illi, qui ab experientiſſimis Medicis ſumma induſtria probatis medicamentis curabantur, quam qui naturæ, morborum medicatricis, ope freti, ſine ullo remedii genere decumbebant, celerius opinione Libitinæ tradebantur: convaleſcentibus pleriſque qui poſt novilunium ad creſcentem uſque lunam manebant ſuperſtites.

§. 18. Vix attentius hæc mentis lance trutinaſſem, niſi laudatiſſimum *Ramazzinum*, febre petechiali in civitate & agro Mutinenſi graſſante, idem illud obſervaſſe, diſſertationis ejus *decuriæ quartæ*, *Ephemeridum Germanorum anno quarto inſertæ* §. XVI. teſtaretur, alioſque, ut lunæ phaſes in morbis epidemicis animadverterent. Quam ob rem non deſii cauſam rimari, cur febres continuæ malignæ, non tamen æque omnes pro mutationibus lunæ, adeo ſubitaneis alterationibus, mortem ipſam portendentibus, ſint obnoxiæ? Cujus phænomeni cauſa quo dilucidius explicetur ſuppono

I. Juxta tritum:

Ad lunæ curſum variant animalia corpus, lunarem influxum (reliquis tam ſuperſtitioſis quam ſanioribus aſtrologorum opinionibus juxta recentiorum quorundam hypotheſes jam ſemotis) eſſe extra ullum dubium ſtatuendum, in primis in morbida animalium corpora, de quo cum laudatus *Wedelius in theorem. med. part. 3. ſect. 6.* tum præprimis philoſophorum recentiorum celeberrimus & accuratiſſimus *Sturmius in Philoſophia Eclectica diſp. de ſiderum influxu p. m. 932. ſeqq.* legi merentur.

II. Influentias haſce lunares, quas vel alia ſublunaria vel ipſi præprimis ægrotantium corpora ſentiunt, vix aliunde quam a lumine lunæ dependere, & ſicut tempore interlunii nullum lumen, ita neque influentias habere lunam; videatur *Sturmius loco citato*.

III. Influentias tales eſſe ſubtiliſſimas & quaſi ſpirituales, ideoque ſubtiliſſimum ſuccum nervoſum, quem ſpirituum animalium nomine indigitant, potiſſimum concernere, id quod exempla Epilepticorum &c. toto die manifeſtum faciunt.

IV. Dari febres, quæ ſuccum nervoſum ſubtiliſſimum ſeu ſpiritus animales magis afficiunt & quaſi depauperant, quam maſſam ſanguineam. De quibus Celeberrimi *Würdigii Medicina ſpirituum* pluribus conſulenda. Ut jam non laudem quotidianam experientiam, quando Medici clinicam praxin exercentes ingeminant: *Urina bona, pulſus bonus, æger moritur:* præſente puta malignitate non æque vitales quam ſpiritus animales peſſundante. Ex his colligere licet, utique ab influxu, lunari tempore lunæ decreſcentis & interlunii debiliori exiſtente, dependere lethiferas ejuſmodi alterationes, in febribus præſertim nervoſum genus ſeu ſpiritus animales potius quam maſſam ſanguineam afficientibus. Nimirum ſpiritus animales ab inimico miaſmate febrili depauperati, tantiſper refocillantur ſubinde per influentias lunares lunæ creſcentis & plenilunii tempore fortiores; hiſce vero tanquam aliquali fomento luna decreſcente vel ſilenre deficientibus ſpiritus ipſi magis magiſque deficiunt, deficientibus ſpiritibus vita deficit, & ægrotus vivere deſinit. Vix opus eſt diſquirere prolixius, num febres petechiales agro Mutinenſi & malignæ territorio Mulhuſino annis 1698. & 1699. citatis moleſtæ nervoſum genus magis affecerint quam maſſam ſanguineam, cum ipſæ ſpirituum & ſenſuum læſionem variæ ſyncopes, lipothymiæ, convulſiones epilepticæ, deliria phrenitica & alia ſymptomata, quæ febribus illis frequentia fuerunt, id ſatis evincant. Econtrario, cujus occaſione hæc dicta ſunt, æſtivam noſtram in maſſa ſanguinea radicatam, & hinc pro phaſibus lunæ tantis alterationibus minus obnoxiam fuiſſe, per ſupra memorata clariſſimum eſt.

§. 19. Sed ut e diverticulo redeam in viam, ex illis ſane, quæ de morbis æſtivis ſuperius allata, luce meridiana clarius elucеſcit veritas eorum, quæ divinus præceptor *Hippocrates de Conſtitutione temporum* paſſim in operibus ſuis commentatus, quicquid alii in contrarium aſſerre ſuſtinent. Ita ſane velut e tripode Apollinis dicta quæ *lib. de aeribus, aquis & locis* §. III. *p. m.* 330. recte divinat: *Siquidem æſtas ſicca fuerit, citius ſedantur morbi: Si vero pluvioſa, diuturni fiunt; & 3. aphoriſm.* 15. *Inter anni ſtatus omnino ſiccitates imbribus aſſiduis ſunt ſalubriores, minuſque funeſtæ.*

§. 20. Quæ quam conſentanea vero ſint, ipſe equidem, qui ſequebatur autumnus ſatis pluvioſus etiam contrario exemplo confirmabat. Quippe poſt æquinoctium autumnale circa Michaelis feſtivitatem mira cæli clementia huc uſque continuata pluviis aſſiduis permutabatur, intercurrentibus nonnunquam ventorum injuriis, quibus ad finem menſis Octobris perdurantibus, Sole ad Scorpium accedente, circa vindemiam nebulæ pluribus diebus conſtantes cum frigore ſatis acri in ſcenam prodibant. Menſis ſequentis Novembris auſpicium auſtrinum erat cum pluviis copioſiſſimis. Hiſce poſt novilunium, aliquandiu ceſſantibus frigora nocturna, Sole interdiu ſplendente ventoque inter zephyrum & aquilonium medio ſpirante, vix diutius durantia notabantur.

Mox nivem primam vidimus, ſed pluviis ſubſequentibus ad finem menſis durantibus alternantem. Sole medios Sagittarii gradus perambulante furere cœpit aquilonius nive & frigore comitatus, phœbo dies quoſdam ſerenante: ſed brevi poſt carbas rediit pluvioſiſſimus. Frigore tandem brumali leniori ad ſolſtitium uſque perdurante, tempus autumnale finiente.

§. 21. Tempeſtas itaque pluvioſiſſima per maximam autumni partem notata non ſolum deteriorem reddebat recenſitum hactenus affectum epidemicum variolarum, ſed novum inſuper morbum, tuſſim puta contumaciſſimam, tenellis itidem magis quam adultis exitioſam, chronicam ferme difficulter curandam, & hinc tam medentibus quam ægrotantibus moleſtiſſimam, præprimis circa vindemiæ tempus, poſt nebulam illam dies aliquot durantem, in ſcenam producebat. Ab hac tuſſe aflicti materiam quaſi purulentam veluti phthifici conſummati copioſiſſimam, nonnulli ob tuſſis vehementiam ſanguinolentam (ruptis a motus vehementia & materiæ acrimonia venis pulmonaribus) excreabant. His pectoralia, reſolventia, balſamica, diaphoretica, nervina, anodyna, diluentia decocta levamen quidem afferebant, quibus vero laxativa ſubinde ſupperaddira, non niſi poſt hebdomadum plurium decurſum curam tandem ſigillabant.

§. 22. Delineata interim febris epidemica poſtquam depontanis quibuſdam ſenibus finem vitæ fecerat. contagio ſuo plures haud afficiebat, ſed cum calore æſtivo ferme ceſſabat. Variolæ vero, quas per menſes vernales & æſtivos benignas deprædicavimus, cum mutabili tempeſtate ſuum quoque mutaſſe genium videbantur, ex benignis & diſtinctis malignæ, confluentes & quaſi ἐπιδημικώτεραι factæ. Exiſtimarem profecto cæli & tempeſtatis ſingularem clementiam, qua tum verno tum æſtivo tempore gaviſi eramus, variolas huc uſque nobis conſervaſſe benignas, niſi annus præteriti ſæculi 1689. contrarium me edocuiſſet. Licet enim annus citatus pari ſi non majori cæli clementia rideret, nihilominus Variolæ Brunſvigæ & Hafniæ eodem tempore æſtivo graſſantes genii malignioris erant, ipſiſque Haſnienſibus in primis adeo infenſæ, ut plus mille hominibus, atque inter eos pluribus primariis & ipſis juventutis Principibus, epicedia pararent: Autumnalibus vero menſibus anni citati, præſertim menſe Octobri brumali frigore ingruente prorſus evaneſcerent: Ut hinc in aprico ſit, neque a temporis & atmoſphæræ ſtatu epidemicam conſtitutionem unice derivandam, ſed alias circumſtantias, de quibus ſupra diximus, ſemper ſimul & quaſi conjunctim conſiderandas eſſe.

§. 23. Noſtrarum itaque variolarum genium graphice quaſi delineatum laudatiſſimus *D. Sidenhamius in obſer. Med. Sect. III. cap. I.* exhibet, quando ſcribit: *Appetente æquinoctio verno, variolæ caput cœperunt attollere, jamque indies latius graſſantes ſub autumno ἐπιδημικώτεραι factæ ſunt.* Cujus quidem phænomeni cauſam, quam ſilentii peplo involvit, capite ſubſequente ſecundo paucis innuere voluiſſe videtur, quando, *Variolæ*, inquit, *quibus annis epidemice graſſantur, ſi regulares etiam ſint atque mitiores, circa æquinoctium ver-*

vernum ingrediuntur. Quibus vero annis non tantum graſſantur epidemice, ſed & irregulares atque periculoſioris ſunt generis, maturius nonnunquam menſe puta Januario invadunt. Quaſi dicere voluiſſet: pro varietate cauſæ nunc maturius & maligniores, nunc tardius & benigniores contingunt variolæ. Videlicet maſſa ſanguinea particulis recrementitiis, ſeroſis ſulphureis, ſalinis, volatilibus & fermentificis copioſioribus inquinata, variolæ progenerantur maturius & malignæ: iiſdem vero in minori quantitate præſentibus tardius & benignæ fiunt. Peregrinas vero ac morbificas ejuſmodi particulas maſſam ſanguineam inquinantes, noſtrarum variolarum cauſas, partim ob vitioſæ ſiliginis uſum, partim ob fructuum Cerealium eſum in tenerioribus in primis comite ἀδηφαγίᾳ extitiſſe facile colligere licet. Quamvis interim non negem, eſum carnium ex laudatiſſimi *Wedelii* ſententia in *Doctrina manuſcripta de febribus cap.* 18. videnda, in locis mediterraneis, ſicuti piſcium in maritimis hunc morbum non parum vulgare.

§. 24. Inde vero manifeſtiſſimum fieri cenſeo, nodum in ſcirpo quærere, qui variolas a ſanguine menſtruo materno veluti cauſa accerſere laborant. Vellem ſane ac poſſem falſam ejuſmodi hypotheſin ab Arabibus, in primis maximo Arabicæ ſcholæ Magiſtro *Ebuſina ſeu Avicenna lib. IV. Fen. I. tract. IV. cap.* 11. *pag.* 434. effictam & adhuc hodie in ſcholis receptam & ad ravim uſque defenſam, pluribus rationibus, phænomenis, obſervationibus tam a priori, quam a poſteriori refellere, niſi Celeberrimus *D. Behrens*, Practicus Hildeſienſis, peculiari *Epiſtola de Variolis epidemicis ad* Perilluſtrem D. *Franckum de Franckenau*. S. R. I. Equitem Archiatrum Danicum &c. data *Ephemeridibus Germanorum Dec. III. ann. 3. inſerta*, idem ſatis abunde feciſſet.

§. 25. Id ſaltim noſtra ætate vetuſtæ illius ſententiæ Patroni explicent mihi velim, cur ex eadem parente prognatorum unus variolis laboret, reliquis ſine exanthematibus vel febricitantibus vel etiam bene valentibus? Cur vice verſa plures decumbant variolis, uno vel febricitante vel bene valente? aut quod magis mirandum foret, gemellorum unus variolis laboret, altero ſalvo permanente? Dicant mihi quæſo ex fictitia hypotheſi, cur unus, vel una, plus una, ſecunda ſcilicet & tertia vice, quod multoties obſervavi, variolis affligi poſſit. Dicant denique quomodo nonnulli, qui per totum vitæ decurſum a variolarum contagio liberi permanſerunt, in extrema demum ſenecta, quod nuper vidi, corripiantur iiſdem? In quibus quæſo ductibus, tubulis, meatibus vel venarum & vaſorum anfractibus veluti latibulis delituiſſe putandum fermentum illud in utero ſuſceptum, & per tantam annorum ſeriem a nullis febribus vel alio morbo, a nulla tempeſtate, a nullis cibis, a nullis medicamentis etiam fortiſſimis & volatilibus, per circulationis leges, anguſtiſſimos machinæ humanæ ductus & poros permeantibus extricandum vel eliminandum?

§. 26. Ex cauſis itaque citatis per menſes vernos & æſtivos variolæ benignæ cum ſymptomatibus conſuetis & benignis eveniebant, niſi fortaſſis error individuus diætæ uni vel alteri maligniores redderet. Quo pacto puella quædam ſatis bella & ſana, dum cereviſiam recentem non ſatis defæcatam largius biberet, variolis malignis & confluentibus correpta & convulſa moriebatur, convaleſcentibus reliquis omnibus, quotquot eodem tempore decumbebant: adaucta ſcilicet cauſa morbifica a fæcibus cereviſiæ recenti permixtis.

§. 27. Autumnalibus vero menſibus intempeſtate tepida & humida diutius continuata, accedente frugum Cerealium (quarum equidem maximam abundantiam ex hortis ſuburbanis, queis hæc urbs veluti denſa & ampla quadam ſylva cingitur, annis fertilioribus colligere ſolemus) uſu abundantiori & iterato plurimis periculoſiores nec paucis lethales eveniebant.

§. 28. Jam præter ſymptomata ab aliis recenſita diarrhœam, ſalivationem, phrenitidem & alia, frequenter notabantur pandiculationes, ſternutationes, ſtridor dentium, angina, vellicationes labiorum & narium. Ex his ſtridor dentium motibus convulſivis accenſendus, periculoſus, non tamen omnibus æque lethalis erat. Sed periculoſior angina, ipſi etiam *Avicennæ* loco citato dudum ſuſpecta, a variolis fauces & pectora obſidentibus, tam deglutitionem quam reſpirationem ipſam inhibentibus, ſæpe ſæpius omnimodam quaſi ſuffocationem inferentibus. Ut hinc recte *Lomnius*, *in obſervationibus Medicinalibus* pag. m. 295. *Quiſquis huic malo ſuccumbit fere, tanquam ex angina præfocatus moritur*. Ingenue fateor me huic malo, poſtquam radices egerat, hactenus nondum mederi potuiſſe, quanquam a phrenitide, diarrhœa pluribuſque phænomenis (a ſcriptoribus pro perniciosis habitis) vexatos, feliciter cum Deo liberaverim. Id tamen ſilentio non prætereundum, me certo habere perſuaſum, poſſe tale ſymptoma potu calido præcaveri: Cum neminem decocta vel alium potum calidum, nec non juſcula avenacea &c. abſorbentem, licet linguam & fauces copioſæ variolæ obſiderent, angina correptum vel mortuum fuiſſe meminerim. Neque aſſiduæ vellicationes labiorum, & narium, ab ἀῤῥωστίᾳ διάνοιας, perinde ut floccorum compilatio in adultis febribus malignis lethaliter decumbentibus deducendæ, periculo vacabant.

§. 29. Revaleſcentibus præter moderatum caloris regimen & victum tenuem, pulveres bezoardicos Sennerti, Wedelii, epilepticum Marchionis, vel ex antimonio diaphoretico, corn. cerv. philoſophice calcinato, unicornu vero philoſophico, perlis, coralliis, conchiis præparatis, nitro anodyno pulv. anod. cordiali, camphora, lapide bezoar orientali, occidentali, conflatos magis quam volatilia ſpirituoſa &c. proficua fuiſſe vidi. Præprimis a ſolo dicti lapidis bezoar orientalis uſu plurimos ſine præſentia Medici ex voto a variolis liberatos fuiſſe multoties obſervavi. Incredibile profecto dictu, quam cito, & quam bene ab uſu lapidis hujus omnia ſyptomata, convulſiones, anxietatem & alii eruptionis prodromi conquieverint, ipſis variolis egregio ægrotantium cum levamine erumpentibus. Hinc non poſſum non mirari eos, qui pretioſum hunc lapidem, quem factitium putant, infra dignitatem nativorum verbi gr. lapidum cancrorum, concharum vel aliorum dejicere fruſtra laborant. Refragantibus quotidianis experimentis & Medicorum principum teſtimoniis, quorum plures, ut jam non laudem, ipſum equidem Perilluſtrem atque magnificum Dominum *Illmerum de & in Vvartenberg*, Conſiliarium & Archiatrum Cæſareum & Regium &c. lapidem bezoar orientalem magni æſtimare, atque agonizantibus & alterum pedem velut in tumulo habentibus, tanquam ultimum remedium non abſque pereximio ſucceſſu cum aliis exhibendum ſuadere *ex Decuriæ* III. *Ann.* I. *Obſervat.* LXVIII. *Ephemerid. Germ.* pluribus elucuit. Præterea decoctum euporiſton ex Corn. Cerv. raſpat. glycyrrhiza, ſcorzoner. paſſulis min. hordeo, lentibus nec non emulſiones & potiones bezoardicas cordiales vel expellentibus vel temperantibus pro re nata variatas, inſtillatis tenui potui mixturis ex tinc. papaver. rhœad. non acidulata, clyſſo antim. ſulphurat. ſpiritu nitri dulcis &c. multum profuiſſe notavi. Neque balſamica & bezoardica media, verbi cauſa tinctura prophylactica m. d. (quam præſervandi fine tam in Haſnienſibns anno 1689. quam noſtratibus utilem deprehendi) eſſ. myrrh. balſam. mixt. ſimpl. ſucceſſu carebant.

§. 30. Nonnulli denique, poſtquam a malignitate variolarum prorſus liberati quidem videbantur, vel a materia morbifica non penitus eliminata, vel ab aeris injuriis, vel diæta neglecta, vel alia cauſa procatarctica neſcio qua leviſſima, periculoſis, imo lethalibus affectibus aliis denuo corripiebantur. Quod licet nonnullis prædicebatur; tantum tamen aberat, ut haberetur fides, donec propriis exemplis confirmarent *Hyppocratis lib. 2. aphoriſm.* 12. *Morborum reliquias, quæ a criſi ſuperſunt, recidivos morbos parere*. Plurimos hoc pacto tuſſis contumaciſſima, vomitu quandoque comitata, vexabat febre lenta ſimul afflictos, qui multis pectoralibus, diluentibus, humectantibus, nervinis, balſamicis & laxativis curari vix poterant. Aliis abdomen intumeſcebat, facie inflata, infra caput macie conſpicua, quaſi rachitide laborantibus. Taceo tumorem pedum, ſcabiem tam ſiccam quam humidam, tineam variaque ulcera, quibus affligebantur alii. Quorum quidem plurimis ſiquidem vires mediocres ſuppetebant, laxativa iterata, ex reſina gialappæ cum ſpiritu appropriato decenter ſoluta, cinnabari nativa, antimonio diaphoretico, confect. alkermes ſyrup. roſ. vel violar. &c. & balnea ex herbis ſiderit. conyz. tobac. ſaponar. origan. ſerpill. flor. chamæm. ocul. popul. &c. inſtar anchoræ ſacræ ſubveniebant. Reliquos tabes ſenſim conſumebat.

§. 31. Cæterum nec tempore hyemali imminente ceſſantem variolarum luem, ſed ſatis licenter vagantem, nec limites epiſtolaris diſſertationis digrediar, alia occaſione plenius delineandam reſervo.

§. 32. Has vero obſervationes ad Te deferre perſuaſit, tam non obſcura tua in me benevolentia, quam peracre tuum in his judicium. Demonſtraſti enim te tritas habere manus notandis ejuſmodi obſervationibus & conſuetudine legendi. Singularem vero tuam benevolentiam niſi exoſculer, ferreus eſſem, dum tot Illuſtribus atque Excellentiſſimis Viris in Cæſareo-Leopoldina Naturæ Curioſorum Academia me quoque Collegam forte indignum adſcribere non dedignatus. Stabat quidem ſententia Cydoniologiam ad normam & formam Academiæ noſtræ tractatam publicæ luci nunc exponere; Enim vero poſtquam Excellentiſſimum *D. D. Georg. Sebaſt. Jungium*, *Aulæ Cæſareæ Medicum*, Tractatum de Cydoniis Viennæ impreſſum (nuſpiam a me viſum) conſcripſiſſe, honoratiſſimæ Tuæ literæ d. 9. Decembris anni proxime finiti ad me datæ pluribus dixere, mentem mutavi, ipſaſque ſchedulas, in quibus hujus pomi virtutes & uſus ſane inſignes rudi quaſi penicillo delineaveram, abjeci, ne forraſſis Iliada poſt Homerum ſcribere putarer. Interim obſervantiæ ergo, quam Tuo nomini debeo, hoc qualecunque praxeos clinicæ ſpecimen gratique animi mei ſymbolum exhibere volui, debui, quod ut æqui bonique accipere velis eſt, quod ſummopere contendo.

Apollodorus.

Scribebam Mulhuſæ Imperialis d. 25. *Januarii*, *Anno Chriſti* 1601.

Conſtitutio Epidemica Tubingenſis Anni 1701.

D. D.

RUDOLPHI JACOBI CAMERARII.

QUanquam de raris & epidemiis verum forte ſit illud Galeni, ſe obſervandi morbos occaſionem præ Hippocrate habuiſſe commodiorem, cum unus Romæ vicus plures habuerit incolas, quam integra urbs Græciæ, atque adeo extantis urbibus, uti & e caſtris, hiſtoria hujus anni epidemica plurimum ſibi promittat, non tamen parva negligenda putem, ſed & ex talium particularium collectione formandum aliquid univerſale; imo juvat noſſe, quibus ſatis diverſa loca ex diverſis cauſis in pace aut in bello fuerint exercita, ut pateat, quid univerſale anni vel particulare loci fuerit. Decimus per Dei gratiam completur annus, a quo Tubingam liberam reliquit dyſenteria, quæ cum per tres annos prioris ſæculi octuageſimum, nonum, nonageſimum, nonageſimum primum, belli injuriis alias graves, ab æſtate in autumnum epidemia fuiſſet graſſata, tum more etiam epidemico requievit, ut cum interim fama publicaret ipecacoanuam novum antidyſentericum, eo hactenus opus nobis fuerit, nec experimentis ejus laudes comprobatæ; quibus tamen multum derogat, ſi verum, quod in novellis legi, pro Gallorum exercitu aliud novum remedium antidyſentericum in Italiam fuiſſe mittendum. Noſtram pacem ſive illas inducias rupit nupera æſtas, & alvi fluxus noviter urbi intulit. Quam prior illa æſtas, quæ ante decennium finem dyſenteriæ tulit, ſicco calore prævaluit duas præcedaneas, tam ultima hæc nupera omnes hactenus intermedias; quanquam illa nonageſimi tertii æſtas, dyſenteriæ apud nos non ferax, æſtuoſæ ſiccitatis teſtimonium habuerit in bonitate ſui vini & frumenti. Recordor quoque anni nonageſimi noni, quod menſe Junio ſatis etiam calido & ſicco, diarrhœas quaſdam concitarit, & metum mali gravius invaliturі jam tum incuſſerit, ſed in herba velut ſuffocatum malum brevi evanuit, quanquam & illa æſtas tulerit vinum & frumentum bonum, calidæ temperiei fructus. Quæ itaque & qualis fuerit labentis hujus anni æſtas, notoria quidem, determinanda tamen. Primo enim frigida veris conſtitutio, diu nimis durans, & ad finem uſque Aprilis ſe extendens, nec Majum ſivit incaleſcere, ſub inconſtante adhuc aere, niſi verſus finem; abhinc autem invaluit æſtuoſa temperies, an potius intemperies: audiebantur paſſim triſtes novellæ de calamitatibus graviſſimarum tempeſtatum, quæ per Dei gratiam ſuper capita noſtra tranſierunt fere innoxiæ; raræ parcæque pluviæ ſiccitatem contemperare non valebant, uſque dum finis Auguſti aliquale frigus ferret, novam autem denuo ſubſequam æſtatem terminaret pruinoſus ſub finem September, prævalente hactenus ſiccitate. Aſtra qui volet, his applicabit & determinabit ex ephemeridibus. Reſpondit iſtis,

poſt

Poſt tardam utique germinationem, contra ſpem bona & meſſis & vindemia; etenim uvas ab immatura putredine, quam minabantur plurium acinorum hoſpites vermiculi quo minus latius ſerperet, cohibui illa ſiccitas. Poma aurem & pyra verminoſa pleraque præcociter ceciderant, nec diu aſſervari potuerunt, in putredinem nimis proclivia, ne de fagorum foliis gallarum extraordinaria copia obſitis, de braſſica ab erucis depaſta, &c. dicam. Prius vero & ex vicino quodam vaccarum grege (ſalvo noſtro) hydrops pectoris multas abſtulerat, & anſerum juniorum ſtrages aliquibus locis tanta fuerat, ut præ fœtore ſepeliri debuerint. Hæc igitur æſtas iterum inter nos alvum fluere fecit; primi qui laborare cœperunt, erant infantes, menſe ſtatim Junio, plures ſequenti Julio, quo etiam adultos (non tamen ex illis diætæ erroribus famoſos) invaſit diarrhœa quædam torminoſa, acuta, imo cum vomitibus ſpaſmoque ſurarum, cholera. Tandem rari in urbe dyſenteriæ, non ita malignæ, caſus, frequentiores ex pagis aliiſque locis audiebantur, nec tamen ullus illorum fluxuum, qui quidem minitari videbantur, nimis apud nos invaluit, nec ſtragem edidit; non deſideratis niſi paucis infantibus. Inſuper autumno in totum ſat cito hic loci omnis lues requievit. Meæ tum curæ concreditis ſuccurri, præter uſum pulverum pannonici, antimonii diaphoretici, gelatinæ cornu cervi ſiccæ, ſeminis plantaginis in congruis vehiculis, methodo in primis Morroniana, ſucceſſum ſecundante Deo, jungens corticem Peruvianum cum electuario diaſcordio per ſyrupos in bolos, vel ejus extractum cum noſtro bezoardico aut theriaca cæleſti in pilulas formando. Ultra illos alvi fluxus nil epidemii tulit æſtas, niſi quod eodem tempore puerorum genæ communirer intumuerint, auditi quoque fuerint catarrhi æſtivi, ſive tuſſes plerunque ſiccæ, quibus addi poſſunt tres ſtudioſi unius collegii, quorum unus hæmorrhagia narium enormi, alter hæmoptoe larga, tertius vomitu cruento ſub idem tempus laborarunt. Hæc eſt noſtra æſtivi fluxus hiſtoria, quam propterea notare volui, ut conferri poſſit cum aliis, utpote ſpe fretus, fore vel tandem clariorem cauſam, cur non omnibus, ſed certis annis fiant talium epidemiorum recurſus.

Ejuſdem Schediaſma ad Hiſtoriam Epidemicam Anni 1702.

QUandoquidem adhuc ſuper nos manet Dei benignitas, quam prioribus annis deprædicavi, quod priſtinam epidemiorum morborum malitiam Tubingæ gravem repreſſerit, nec ſinat hucuſque iterum invaleſcere; idcirco hiſtoriæ illorum pro hoc anno per modum appendicis tria ſolum breviter ſubjungam, quæ notari poterant.

Ante omnia inconſtantiæ & anomaliæ, quæ per ultimam hyemem, uti & per duas priores fuit, non ſatis videntur reſpondere morboſi effectus. Major illa fuit, & omnino talis, ut ſub ea ſanitatem mortalium adeo bene ſibi potuiſſe conſtare, ſæpe admirationem moverit, dum pauci utique per urbem illo tempore ægrotarent, & malignorum epidemia plane exularet, eorum autem morborum, qui quadranti anni ſunt congrui, nec magnus numerus, nec extraordinaria eſſet ferocia. Hoc eſt paradoxum, quod vexare poſſit & ſoleat practicos, ſævire luem eandem ſub diverſo aere, & ſilere ipſam ſub tali, quem morbiferum accuſaveras.

Quia vero morboſi effectus non ſtatim ipſo menſe vel quadrante erupere, ſed ſequenti demum ſuccedere perhibentur, huc proin referri poterit, quod ſecundo notari mererur, ſcilicet utut interdum proprie epidemium in urbe nihil ſit, ſed ſporadice multi ægrotent, certo tamen tempore plures ægros abripi, quam alio, per morbos diverſos & diſperſos. Tale fuit tempus vernum hujus anni ſub finem Aprilis & principium Maji, quo perſonæ diu infirmæ, ſenes, viduæ, infantes, plures quam alias fuerunt abreptæ. Quomodo ſingulorum ita fata concurrant, vel in quantum debilitas eorum non ferendo conveniat, facilius eſt determinatu in theſi, quam hypotheſi.

Tertio, quæ de fluxibus alvi mediocritatem adhuc ſervantibus per æſtatem ad annum præteritum notavi, huc repeti poſſunt pro hoc anno; nam pariter cum æſtate redeuntes non invalnerunt ultra gradum priſtinum. Illud modo addam, aliunde ad nos advectum fuiſſe quid mali gravioris. Inter reduces ex caſtris ad Landavium, qui febre tertiana & diarrhœa laborarunt, unus ex civibus ſub finem obſidionis, ibi & Philisburgi non niſi per diem unum & alterum commorarus vix domum attigerat poſt medium Septembris, cum dyſenteria dejiceretur atroci. Hæc uti per contagium hauſta fuiſſe videtur, quia non tam errores in diæta commiſſos novit, quam conceptum inter infectos horrorem ipſe accuſat; ita domi etiam ſe diffudit ad plures, obſervans quidem fatalem illum morem, quo certæ ſolum perſonæ ſolent corripi, ſalvis aliis: Nam conjux omnium ſordium injuriis expoſita manſit inracta, conjugis autem ſoror ipſo die ſeptimo a decubitu viri completo dejecta fuit, & die ſequente filiolus trimulus ſedes torminoſe cruentas frequentare cœpit; evaſit tamen illa triga feliciter, & perſtitit hanc intra domum lues. Multo autem gravior fuit hujus viri dyſenteria peregre allata, quam ulla per urbem ſponte oborta, non ſolum duratione in terriam ſeptimanam & dejectionum nimis citata frequentia, ſed excreti diu ſinceri cruoris, dein non muci, verum flavo viridis liquaminis, copia perquam magna, ſtipata etiam ſymptomatum moleſtiſſima vehementia, præter oppreſſionem præcordialem, tormina, teneſmum, in primis diſuria & tanrum non jugi ſingultu, de quibus ultra decem dies & præ reliquis majores audiebanrur ægri querelæ. Cum die ſexto, quo demum poſt tentata domi varia conſuli cœptum, ut & diebus ſequentibus nullæ diſtingui poſſunt remiſſionem & exacerbationum viciſſitudines, & urina omnis rubedinis expers, flava & clara, ſed turbata admodum facilis, offerretur, paucis cum non tam febris (nec aphthæ unquam nec deliria ſupervenerunt) quam fluxus & vires urgere viderentur; æger item a meridie per veſperam ſumptas ana duas corticis Peruviani & electuarii diaſcordii drachmas, ut ingratam ſibi formulam, porro nanſearer, inde purioris cruoris copiam citari prætendens. Itaque pro nocte primum medicam narcotici doſin extractis corticis, tormentillæ & bezoardico addere conſultum videbatur, & ob bonum effectum continuare alternatim rales pilulas & emulſiones ex ſemine papaveris albi, plantaginis, amygdalorum, in congruo vehiculo, edulcoratas cum abſorbentibus & pulvere anodino, ſemper ita doſi nocturnæ reſervando vim opiati. Per dies vero ſuis horis dabantur quater ſcrupuli pulveris ex unicornu foſſili, coralliis, ſemine plantaginis, priapo cervi, dente hyppopotami, pannonico, itidem in conſimili vehiculo; Quibus tandem acceſſerunt datæ ſubin guttæ balſami Peruviani cum cochleari ſyruporum papaveris erratici, roſarum rubrarum, ſymphiti, & electuarium temperatum cordiale ſtomachicum. Dubia movit potus, cum ab aqua cieri alvum, a vino æſtum prætenderet æger; Videbatur ergo medium tenendum, conceſſo modico vino vetere pro paſtu, etiam ob languorem & anurexiam perparco, extra id tempus præſcripto decocto ex raſura cornu cervi, maſtiche, & cinnamomo. Serum lactis commendatum neſcio cur cito nauſeavit æger, multum autem gelatinæ cornu cervi hauſit ſolutæ in vario vehiculo calido. Externa ſcrobiculo cordis, ſedi, membro, roboris & linimenti ergo admota, & cætera, prolixius recenſere opus non fuerit. Illud addendum, dyſenteriam fœminæ cruore multo, magnis torminibus, ad uſque deliquia, non impediiſſe tamen, quo minus die quarto, ſtato utique rempore, venirent menſes, & durarent aliquandiu, citius tamen ſiniti, quibus eriam id dandum videbatur, ut interim parcius inſiſteretur uſui iſchæmorum.

Quam in ephemeridibus meteorologicis Tubingenſibus olim exhibui tabulam motuum mercurialium per triennium, eam ulterius ad præſens tempus continuatam, perque annos adeo pluſquam octodecim, extenſam, quia brevis eſt, publice hic propono, dum ephemerides ipſæ tot annorum domi latent prolixiores. Obſervationes quidem circa experimentum Torricellianum fuerunt inſcriptæ alicubi difficiles nugæ; habuerunt tamen ſuos vindices. Tranſeat, aut maneat liberum, quorumcunque judicium: meam ego tabulam illis modo deſtinavi, qui nihil temere prætermittentes etiam perpetuo tali mobili delectantur, utuntur. Horum non modo curioſitas cum propriis conferre alienas amabit obſervationes, verum etiam ſagacitas per earum ſylvam venabitur prædam, aut ſcrutabitur vias, quas in meteorologia non minus ac in epidemia occulit natura. Ne aſymbolus ipſe ſim, excerpam unum alterumque caſum, cui applicari poſſint, quæ in tabula exhibentur ſtationes. Si prius monuero, ſermonem adhuc eſſe de uno eodemque barometro illo ſimplici, cui ſcalam admotam fuiſſe olim monui minutorum decem, qualium palmo Romano dat P. Lana; illam hac vice ſubdiviſi in gradus viginti, ut evitarem numerorum fractiones. Sic omnium ſuprema ſtatio & altitudo mercurii deſignatur per ſeminuta 20. medium ſcalæ habet 10. imum 60.

Horum ſive decem palmi minutorum, ſive viginti ſcalæ graduum varietate abſolvuntur morus mercurii intra tubum; quibus extra reſpondent motus aeris tanti & rales, ac per hos annos contigiſſe meminimus magna copia & differenria. Variant anni, interdum nec ad ſummum nec ad imum ſcalæ deducunt, mercurium: variant menſes, interdum diu quaſi in eodem tenent ipſum, ſub exigua motuum differentia, alias intra paucos dies fit lapſus a ſummo ad imum, aut aſcenſus ab hoc ad illud. Itaque ſi cui libuerit comparare annos annorumque partes inter ſe, habebit, in quo ſe exerceat; occurret autem ipſi communius hyeme gradus ſupremus, interdum quoque autumno, rarius primo vere, nunquam æſtate. Quibus autem menſibus ſupremus, iiſdem quoque infimus: ſic æſtivis neuter. Adeoque differentia illa morum maxima decem, novem minutorum eſt hyberna: autumnalis nunquam minor quinque minutis, ſæpe fuit major: His æſtiva nunquam major, ſæpe minor. Dantur autem menſes omnium anni partium, quibus non niſi trium min. eſt differentia: uti dantur interdum dies, quibus quaſi ſuorum morum dememiniſſe videtur mercurius, hærrens diu in eodem.

Sed ad ea, quæ promiſi, ſpecialia. *Diluvium tempeſtuoſum* anno 1702. ad d. 13. Jul. de quo in ENC. 3. 7. 137. non fuit cum illa menſis ſtatione humili, quam exhibet tabula, ſed cum medio ſcalæ: Præceſſerat deſcenſus non niſi per gradum unum; plane non pro ratione talis ac tantæ exonerationis, tam venientis quam fiientis & factæ. Billi fluxus, quorum omen illud tunc metuebatur, irruerunt utique nimis heu graves, tranſierunt tamen Dei gratia; quæ vel tandem plene ipſos compeſcat! Nondum quippe ceſſant. Nam nupero demum Auguſto hujus anni 1710. noviter fuit præceps vallium noſtrarum inundario; iterum non cum humilitate, quanta ſolet eſſe cum talibus exonerationibus aeris hybernis', ſed cum gradu modo ſcalæ ſexto.

Ominoſum quoque inter alia nimis multa triſtia ſigna videbatur *fulmen extraordinarium*, cum nocte præciſe media inter ultimum Decembris Ann. 1702. & primum Januarii Ann. 1703. ad ſonum fere duodecimæ graviter detonaret vetus, aut intonaret novus annus: Utique triſtis recordationis. Tulerat ſerus & ultimus veſper lapſum ad imum illud ſcalæ, quod in tabula, ſub auſtrino, laxo & humido aere. Menſis diu nunc humilis mercurius, imo quod non alias factum, deſcendit adhuc infra illud ſcalæ imum: Ut non niſi illa vice differentia motuum fieret major decem minutis. Cito enim, ejuſdem quippe Januarii ſub finem, conſpicuus iterum fuit in altiore gradu illo, quem tabula exhibet. Neſcio, num ad cauſas vel ſigna fatorum talium ſpectet, quod ſingulare tunc videbatur ſpectaculum: Mars accedens ad vicinos Saturnum & Jovem; hoc ſubinnuiſſe modo ſufficiat.

Anno 1705. ad gradum ſcalæ, quem tabula offert, ſextum cecidit Majo menſe *intempeſtiva nix*; nobis quidem pluvia, vicinis autem alpibus utique nix copioſa. Scribebatur tunc ex provinciis Germaniæ ſeptentrionalioribus, gravem pari arbores calamitatem, præ nivis mole avulſos vel grandes riliarum ramos: Ad alpes noſtras multa nive rectæ & preſſæ ſegetes & vinearum frondes, manſerunt tamen in ſalvo, poſt paucos dies reſurgebant & læræ virebant; retardata modo, non uti alias a pruinis, læſa fuit germinatio. Succeſſit brevi, ſc. nivi diei 25. aliud die 29. meteorum, cum jam ſupremam menſis ſtationem occupaſſet mercurius, ſub aere nondum quieto, dejiciebat enim granedulæ copiam, aprili formis.

Ex An. 1706. *Eclipſis Solis* memorabilis fuit neque cum ſuprema neque cum infima Maji menſis ſtatione, ſed cum media: Et quod ſub eclipſi ſolari parriali, magna tamen An. 1699. in ENC. 3. 7. 88. annotavi, de barometri nulla prorſus facta mutatione, per omne illud obſcurationis tempus, idem ſub totali nobis & annulari pariter omnino ſe habuit. Stetit mercurius obſcuro illo tempore, quaſi crepuſculo, fixus, plane invariatus, ne pili laritudine vel dimiſſus vel elevatus, utut thermometri fide aer bene refrigeraretur. Veſperi autem comparuit per quartam minuti partem humilior: Tunc nubes pomeridianas, quidem difflarat eurus, ſequens mane tamen tulit pluviam, & ſerus veſper ſignum gratiæ, iridem, cum altior jam ac ante eclipſin eſſet mercurius.

Annorum 1707. & 1708. *hyemes auſtrinæ* non tulerunt conſue-

ſuetam altitudinem. Januarius 1708. vernus potius, quam hybernus; quo in pratis colchicum, mezereon in ſilvis floruerunt. Et inſolita tamen illius temporis lenitas & temperies docente thermometro fuiſſet nobis per æſtatem ſumma rigiditas. Nunquam illo menſe altus mercurius, vix ſemel, nec diu, venit ac ſtetit ultra ſcalæ medium, plerunque multum infra ipſum. Cum in imo hæreret per decimum & ſequentes dies, mirum non fuit cum aere turbulento, ſed ſatis quieto, grato, apud nos, poſt nebulam aut flavedinem vel rubedinem matutinam, tunc frequentem, non pluvioſus, ſed vel ſerenus vel nubilus ſoliſque radiis alternans. Alibi forſan ſe exoneravit. Die illius Januarii 20. & ſeqq. cum perturbaret aerem ventorum vis, & ferret fulgura, irides, pluvias, mercurius quidem deſcenderat, ſed non eo uſque. Interim paſſim quoque ſcribitur aliunde, viſa meteora varia, facta diluvia, delapſos ignes, &c. Communiter autem, ex ſeptentrione, eſſe potius ver, quam hyemem. Prægreſſus December 1707. fuerat non minus & aeris & mercurii motu aprili ſimilis, differentiam ſuam quatuor minutorum abſolvens vel viginti quatuor horarum ſpatio, a nive ad ejus ſolutionem: Nec ad imum, nec ad ſummum ſcalæ, ut alias hyeme ſolet, unquam pertigit.

Anno 1709. Januarii *hyems ſine pari*, ſive gelu extraordinarie longum & magnum, non obſtitit, quo minus caderet mercurius, ſcilicet ad venturam opportune nivem, tegmentum ſegeti. Certe per diem duodecimum & tres ſequentes bene humilis, etiam poſt nivem adhuc, ſub aere ſereno, conſtanter gelido: Atqui media æſtate communiter illa ſtatio ſolet eſſe tempeſtuoſa. Non niſi uno minuto humilior ſtetit die quinto, ante gelu illud, qui tamen fuerat toto cælo diverſus, ſcilicet auſtrinus, laxus, pluvius, quem rigor venti nocturnus ſtrinxit & mutavit in plane alium; tunc enim nix & gelu hyemis illius acerrimæ principium. Hinc decimo ſexto motus per ſcalam ſurſum, nondum tamen ad ſummum: quo pertingit demum die decimo nono ſerenato poſt nebulas conſtanter aere. Tales tunc dies quatuor, inter quos unus ex frigidiſſimis totius menſis, & per quos tamen deſcenſus duorum minutorum. Cum vero intra breve tempus per tria minuta fieret ulterior lapſus ad ſcalæ medium, tunc alia venit nix, & comparuit ad veſperam pruina murorum; Hinc moleſtiſſimi rigoris vel tandem aliqua relaxatio. Fuit, ſiquidem Aſtrologos audire lubet, prævia laxitas auſtrina ſub oppoſitione Martis & ſolis. Superveniens oppoſitio Saturni & Mercurii dedit principium hyemis per ſtringentem euroboream. Finem fecit oppoſitio Saturni & Veneris cum PL. & aliis ad diem Pauli. Supremam interim menſis ſtationem & inclementiam fuiſſe non ſub iſtis, ſed ſub quadrato Jovis & Solis, mirum forte cuipiam videri poſſet.

Sic utique viſum quondam fuit *M. Slutero*, occupato in dextra applicatione principiorum *W. Cokii* ad conſtitutionem meteorologicam anni 1695. ubi tractat inter bene multa notatu digna quæſtionem: cur calefaciens alias quadratum Jovis & Solis die ſexto Decembris forte gelu tulerit? Tranſeat hic examen rationum, hoc ſolum addam. Ante ſeculum *Helis*. *Roeslinum* in d. navig. Septentr. (laudato Belgis libello) de hoc paradoxo jam monuiſſe Aſtrologos. Scilicet hybernum gelu a Saturni configuratione cum aliquo planeta fuiſſe mitigatum. Contra, Solem, Jovem, Martem, Mercurium tunc configuratos frigus intendiſſe. Exemplis annorum 1608. 1609. Quo ipſo ſimul innuitur alterum Sluteri dubium, quod ſcilicet conjunctio Saturni & ſolis uno anno liquationem, altero gelu tulerit. Etenim d. 18. Dec. 94. ſub illa intenſum frigus: anno 95. d. 8. Januar. ſub conjunctione Martis & Solis liquatio, ad imum ſcalæ: d. 13. Januar. poſt conjunctionem Saturni & Mercurii gelu fuit, ad ſupremam menſis ſtationem; Et ad analogiam cum aſpectibus & meteoris Jan. anno 1709. Cæterum, priores illæ hyemes auſtrinæ uti videbantur fovere peſtem Polonicam, ita ſuccedens borealis eadem ſperabatur ex tinctura: Et erat utique ſilentium aliquandiu; verum enim vero triſtia porro leguntur in novellis publicis. Opponam adhuc illi gelu, *æſtum*, quem ſubſtituimus per dies Julii anno 1707. quatuor, ſcilicet die 19. 20. 21. 22. inſolitum; non tamen cum humili mercurio, nec cum magna motuum differentia, ſed a ſupremo hujus menſis, & communiter æſtatis gradu, a nebula per ſerenitatem extreme calidam ad tempeſtatem nocturnam, ſenſim facto deſcenſu non niſi per quatuor gradus, nec infra ſcalæ medium. Interim, qui primo die aſpirarat adhuc aer lenis, diſpellens nubeculas (quæ quidem ſolet eſſe gratia *Eteſiarum*, ſive euroboreæ & euri, pomeridianum aerem temperantium) emanebat prorſus, ne auræ quidem appulſus ſentiebatur, urgebat autem calor, quantum thermometri teſtimonio ab illo tempore nullus annorum ſequentium tulit. Hæc, ut dixi ad tempeſtatem; qui cum ſuccederent ulteriores binis diebus ſequentibus, & obtineret inſignis temperati jam, imo refrigerati, aeris inconſtantia, tunc quod ſiccus calor non potuit, procuravit laxa humiditas, ſcilicet deſcenſum ulteriorem, ut differentia tamen ſtationum ſub tam diverſo aere fieret octo tantum graduum. Si cui libeat recurrere ad ephemerides illius temporis aſtrologicas, inveniet Jovem apud Martem, & aſpectus forſitan pro eteſiis quoque & ſubſequa inconſtantia.

Cum reviderim tabulam, offendi, quod æſtate rarum, *ſcalæ imum* ipſo *Julio* anni 1703. Itaque recurrens ad Ephemerides, deprehendo lapſum per quatuor minuta factum intra 24. horas, & mox reaſcenſum intra horas non plures, per quinque minuta, die menſis ſexto, ſub aere non calido, cum pluviæ copia ventique impetu: Flabat ille ex plaga a meridie ad occaſum, verſus quam nobis ſitus eſt *Lacus Podamicus*. Atqui hic ipſe tum dicebatur intumuiſſe ultra modum; An perturbatus appulſu hoſtis viciniæ graviter minacis?

Video etiam, quod vix alias factum, *Decembri non* ſtetiſſe *humilem mercurium*, ſed tenuiſſe octavum ſcalæ gradum anno eodem 1703. Inſpicienti autem ephemerides occurrit illa ſtatio die Decembris octavo nubilo, inconſtanti, ventoſo. *Tempeſtas* horrenda cum fulg. ton. vi venti inſolita, vix ſine terræ motu fuiſſe credita, quæ in *Anglia*, *Belgio*, & *ad mare Balticum* valde ſæviit, & ruinam multis intentavit vel intulit, ſcribebatur tunc nocte inter 7. & 8. Decemb. incepiſſe ex SVV. & duraſſe ad meridiem octavi; qui turbulentus, ut dictum, apud nos, non tamen tempeſtuoſus, tranſiit de cætero ſine damnis. Cur ſub tali aere non humilior mercurius? An medius inter oppoſitiones & poſt conjunctiones trigonus id non permiſit? (illa vero videſis apud Aſtronomos) Certe a NL. tunc ecliptico properavit ad ſupremam, quæ in tabula fixit ſtationem intra triduum.

Denique finem his impoſituro ad manus venit *la connoiſſance des temps*, quam Gallica ſcientiarum Academia publicari facit, ubi de anno 1708. ſcribitur, ſupremam per ipſum elevationem mercurii fuiſſe obſervatam *d.* 17. *Novembr.* 28. poll. 1. lin. $\frac{1}{6}$ *infimam d.* 10. *Januarii* 26. poll. 9. lin. $\frac{1}{2}$ Hæc plane conveniunt cum obſervationibus meis: Etenim ſcalæ meæ gradus decimus octavus, qui in tabula ad annum 1708. Novembri reſpondet, etiam non fuit per hunc annum, niſi mane iſtius diei 17. quo longam nebulam excepit ſerenitas; Frigidum utique fuit illud mane, minus tamen, quam ſequens, quod habuit mercurium tribus jam gradibus inferiorem. Alterum huic oppoſitum, ex Januario ejuſdem anni, eſt illud ipſum ſcalæ imum, de quo ſupra, ad hyemem auſtrinam, quod mirabar fuiſſe ſine aeris turbulentia. In quo itaque ſubſiſto; Ad occaſionem quamcunque aliam reſervans plura.

Tabula Motuum Mercurialium, ſive Stationes Barometri ſupremæ & infimæ.

	1691	1692	1693	1694	1695	1696	1697	1698	1699	1700	1701	1702	1703	1704	1705	1706	1707	1708	1709	1710
Januarius		20 2	20 10	19 6	16 1	20 4	18 4	14 0	20 0	20 0	14 2	18 0	18 0	16 0	18 6	16 10	16 8	12 0	18 2	16 0
Februarius		14 1	19 4	19 10	18 4	18 4	16 0	16 6	16 4	14 2	16 2	10 2	10 2	18 2	19 0	16 4	14 8	16 2	16 2	16 8
Martius		15 2	14 2	15 5	14 4	14 0	18 0	16 8	17 0	18 6	12 0	16 4	16 6	12 2	18 0	16 6	16 6	12 2	14 4	14 0
Aprilis		14 2	12 6	15 6	10 3	14 5	14 5	12 4	14 0	16 2	14 4		14 2	14 4	16 2	14 4	14 0	12 2	14 4	14 2
Majus		13 4	12 4	12 5	13 4	16 7	14 8	14 6	14 5	14 5	14 6		14 4	12 5	14 6	14 6	12 6	14 4	12 4	16 6
Junius		12 5	13 6	13 8	16 6	15 5	14 4	15 8	16 4	14 4	16 8	11 6	14 6	14 4	14 4	14 6	14 6	12 4	14 6	14 8
Julius	13 7	13 5	13 8	14 7	13 8	14 6	14 7	14 8	14 6	16 8	14 4	12 6	14 0	14 6	14 7	14 8	14 6	14 6	14 6	14 6
Auguſtus	14 9	13 6	13 6	12 7	16 6	16 8	16 5	14 6	15 8	14 8	16 6	14 4	12 6	14 8	14 6	14 8	12 2	14 6	14 8	14 6
September	16 8	16 6	15 4	15 4	12 4	17 1	14 4	14 6	16 6	14 8	16 12	14 4	14 2	13 2	16 2	16 4	14 4	14 4	16 6	16 6
October	16 9	15 6	17 4	16 0	19 6	14 4	18 5	10 0	16 5	14 5	18 6	16 0	14 2	18 6	14 4	14 6	14 0	14 4	16 2	
November	15 0	14 4	15 4	14 0	16 11	10 0	16 0	15 3	20 0	20 0	18 2	16 0	18 4	16 2	16 6	14 0	18 4	18 4	18 6	
December	18 7	20 2	18 0	19 5	14 2	18 4	14 8	18 2	20 0	19 6	16 6	16 0	19 8	18 2	14 0	18 0	12 4	14 2	18 0	

De frigore hyemali Anni MDCCIX.

FRigoris vehementia, quæ Anni 1709. principium memorabile reddidit, digna eſt habita, quæ curioſorum conſiderationem eruditam ſubeat, quos inter præcipue Exc. D. Jo. Guilielmus Bajerus, in Ill. Noricorum univerſitate Altdorfina profeſſor publicus in diſſertatione d. 15. Februarii edita cauſam ejus expoſuit; & celeberrimus D. Bernardinus Ramazzinus in Antenoreo Lyceo primarius practicæ Medicinæ profeſſor in oratione die 13. Maji anni prædicti publice habita, præter cauſas, in effectus etiam morbiferos algidiſſimæ hujus conſtitutionis inquirere voluit. Horum itaque propria verba Lectoris in gratiam, cum paucorum in manus Opuſcula devenerint, Hiſtoriæ noſtræ epidemicæ ſubjicere libuit.

D. Joannes Guilielmus Bajerus.

§. 1. FRigoris illius poſt hominum memoriam maximi, quod menſe proximo per Europam ſæviit, rationes breviter evoluturi, merito præmittimus recenſionem quorundam phænomenorum tam antecedentium, quam durante ejus vi in aere terraque noſtra obſervatorum, unde totius rei cognitio facile ducitur.

§. 2. Erant jam tum Decembris dies plurimi gelidi ſatis ac nivoſi, terra frigore tam alte conſtricta, ut currus onuſtos ſuperficie ſua ferret; neque omnino ſolvebatur, tametſi per intervalla tepidi venti aerem agitarent, & poſt Calendas Januarias ad nonas uſque pluvia tempeſtas impenderet.

§. 3. Ipſo nonarum die, cum aquis nivalibus pluviiſque telluris facies undique maderet, (latente tamen adhuc ſubtus glacie) circa veſperam demum quammaxime humidam, ventus orientalis ſpirare primum leniter, ſed provecta nocte vehementius cœpit; poſt quem ſub auroram ſtatim terra omnis nive & pruina viſa eſt obriguiſſe.

§. 4. Ventum hunc, per ſequens biduum & ultra cum aſſiduo frigoris incremento, ſed diverſo impetu continuatum, paulo antea Mercurii in barometro per plures gradus aſcenſio ſubita prænunciavit, cum prius ad veſperam uſque diei v. Jan. multum infra mediocritatem lapſus eſſet.

§. 5. Thermometrorum ex adverſo liquores ſubinde majores frigoris

goris gradus notabant ad medium uſque Januarium; quo cum ad tantam vehementiam gelu proceſſiſſet, quantam in noſtris regionibus vix attingere poſſe credebatur, circa diem XVIII. obſervatum eſt remiſiſſe paululum, ſed non diu neque conſtanter: quandoquidem & per brevia intervalla rurſus crevit decrevitque, & die XXIII. tempore matutino majorem quam antea unquam vim in noſtris thermoſcopiis oſtendit, poſt meridiem autem notabiliter defecit.

§. 6. Mercurius interim in barometro alterno aſcenſu deſcenſuque ventorum potius, elaterem aeris variantium, viciſſitudines indicabat, quam frigoris incrementa & decrementa; nobis quidem haud mirantibus, qui pridem noveramus, & calorem & frigus, & ſerenitatem & perturbationem cæli cum diverſo elateris aerii ſtatu per accidens ſaltem conjungi; tametſi vulgo iſta qualitatum aeris temperatio barometrorum ſcalis pro regula conſueverit adſcribi.

§. 7. Quemadmodum igitur iſtas barometri mutationes, utpote parum ad hoc negotium conferentes, ſigillatim exponere ſupereſedemus; ita nec operæ pretium fore arbitramur gradus thermometrorum hic enumerare, qui diverſi ſine dubio ſunt non ſolum in diverſis machinarum generibus, (unde eodem tempore v. gr. Hamburgi liquor a gr. 60. ad 86. aſcendiſſe, Francofurti ad gr. 21. deſcendiſſe, in diariis publicis memoratur) ſed diverſi quoque in ſingulis ſpeciebus, pro diverſitate ſcalarum, liquorum, variaque altitudine & amplitudine vitrorum. Quare facile conjicimus, neminem ex hujuſmodi recenſione animo percepturum quid res ſit, niſi qui vel thermometra noſtra oculis uſurparit, vel prolixam eorum legerit deſcriptionem.

§. 8. Cætera licet eandem ob rationem, ex obſervatis Berolinenſium, Francofurtenſium, Dantiſcanorum, Hamburgenſium, Roſtochienſium, Stetinenſium, aliiſque, quorum copiam diaria publica fecerunt, colligi ſatis tuto non poſſit, ubinam locorum maxime frigus dominatum fuerit, quique gradus diverſis locis interceſſerint; tamen hæc certa & notatu digna ſunt, quod 1. (eadem nocte univerſam Germaniam invaſerit gelu,) 2. eadem proportione ubivis creverit decreveritque, 3. (ad ſupremum ubique culmen, pro climatis ratione, & ultra quam putabatur, pervenerit, 4.) calidiores Europæ in tractus, Galliam & Italiam, ſimili cum rigore penetrarit, quin etiam, incredibile dictu, ipſas thermas Aquiſgranenſes congelarit.

§. 9. Nec præterire poſſum, quin memorem, frigus decreſcente lunari lumine invaluiſſe, & biduo ante plenilunium maxime remiſiſſe, ſecus ac vulgo creditur fieri. Quin & cæterorum aſpectus planetarum tanti non erant, ut exinde talem effectum ominarentur Aſtrologorum regulæ: niſi dicere velis, ☌ ♄ ♀, quæ die VII. Jan. contigit, biduo antequam fieret, iſtam mutationem aeri intuliſſe. Sed nec deſunt calendariorum artifices, qui Jovem beneficum hyemis iſtius præſidem declararent, & hinc Januario menſi inſignem frigoris temperaturam promitterent.

§. 10. Jam vero ut ad cauſas eventus hujus inexpectati accedamus, e modo dictis patet facile, quam debile, imo nullum ſubſidium ab Aſtrologia ſit ſperandum. Quare miſſis ambagibus originem memorati frigoris dicimus a vento orientali præcedente (vid. *Phæn. III.*) hujus autem occaſionem ab impedito aeris noſtri, per priorum dierum turbulentam tempeſtatem, elatere, de quo *Phæn.* II. & V. loquuntur. Etenim cum venti tepidi humidique d. IV. V. Jan. leniter ſpirantes tenuiorem feciſſent aerem regionum planarum illo, qui ſilvoſis montibus, nive & glacie rigentibus (Bohemicos intelligo Carpathioſque) imminebat, fieri non potetat, quin ſublato ſic aeris utriuſque æquilibrio, hic in iſtum gravis irrueret, advectiſque ſecum ſpiculis glacialibus totum impleret. Ita vero & illi vapores, qui prius atmoſphæram noſtram confertim occuparant, excuſſo calore modico ſimul in pruinas abierunt, & aquam in ſuperficie telluris fluentem pariter ſuo attactu congelarunt. Namque ipſum terræ ſolum jam tunc priore a frigore jacuiſſe conſtrictum, *Phæn. I.* obſervavimus.

§. 11. Quid vero ſic cælo ſoloque juxta gravi ad conſummatum frigus deerat? quidve poterat impedire, quo minus ille ventus orientalis, æqualem per Germaniam ſtatum aeris offendens (quod relationes publicæ docebant) eadem nocte eam totam pervaſerit, & per aliquot dies continuatus, contiguo noſtris tractibus aeri ſimilem rigorem longe lateque induceret? quo facto, etiam venti auſtrales & occidentales, alias calorem humoremque nobis adſpirantes, jam non niſi vapores pruinoſos dabant; & ſi quando aer ſuperior modico tepore tangeretur, ille tamen ſolvendis his inferioribus nimium algentibus haud ſufficiebat, uſque dum ſol, quotidie nobis ſublimior factus, primo auſtraliorum terrarum infregit rigorem, & mox inde potentiores ventos calidos ad nos tranſmiſit.

§. 12. Equidem facile prævidemus, adductas in medium rationes non ſtatim omnibus ſatis facturas cogitantibus, quod intra ſæculum proximum haud dubie ſæpius venti orientales ſupervenerint hyemi liqueſcenti, (quam nos hoc anno occaſionem tali vento fuiſſe faſſi ſumus) nec tamen frigoris tantam ſævitiem aſportarint. Sed hæc objecta dimovere nos de ſententia non valebunt, niſi conſtiterit, omnes, quæ nuper ad effectum conſpirabant, cauſas, & circumſtantias, etiam alio tempore & crebrius fuiſſe conjunctas: ut ventus flaverit e regione ſolido ac diuturno frigore horrente, ut inciderit in aerem tot vaporibus refertum terramque intus jam congelatam, ut contrariis ventis non impeditus per pluſculos dies regnaverit; & quæ huc pertinent alia. Neque vero vel noſtra memoria deſtituitur exemplo ſimili: quandoquidem anno 1697. circa II. poſt Epiphan. Dominic. & Januarium medium tam ſubito & acri frigore tellus humida corripiebatur, eodem vento orientali intercedente, ut parum differret a ſtatu nupero, præterquam diuturnitate, quæ tunc minor, etiam minorem ſibi peperit famam.

§. 13. Quando ea inter portentoſo huic frigori e natura cauſas aſſignamus, haudquaquam excluſam volumus ſingularem quandam Numinis providentiam, quæ forte naturalium corporum actiones ſolito firmius in iſtum effectum direxit, eo quidem fine, ut homines, heu nimis cito Dei obliti ſuiſque innixi viribus, novum impotentiæ ſuæ caperent documentum, utque armis hoſtilibus, per hyemem quoque non quieturis neceſſarias faceret inducias. Huic ergo Numini ſupremo omnis ſapientiæ, potentiæ, clementiæ laus & gloria ſempiterna tribuatur.

D. D. Bernardinus Ramazzinus.

LUbet in prægreſſæ hyemis algidam & nivoſam tempeſtatem, quæ frigoris vehementia atque aſperitate non ſolum Italiam, verum univerſam Europam tanta hominum, ut omnium cujuſque generis viventium ſtrage male mulctavit, philoſophica & medica indagine inquirere; quod ſi tam portentoſi frigoris veram & germanam cauſam in apricum eruere non dabitur, non abs re forſan neque ad ſanitatis cuſtodiam infrugiferum erit exquirere, quid mali hac proxima æſtate ex hac tam male morata conſtitutione timeri poſſit.

Nolo autem hujus hyberni frigoris, quod annum hunc nefaſtum fecit, & ad multa ſæcula memorandum faciet, inclementiam non dicam, ſed inſolentiam longo verborum ambitu deſcribere; quotus enim quiſque repertus eſt tam denſo corio, ac tam forti a natura temperie donatus, qui non in cute ſolum, ſed intus quoque & intra ipſa præcordia, ubi veſtalis ignis nativos lares, & focum habet, ab algidiſſimi aeris inſpiratu noxam aliquam non perſenſerit? Magna ſunt quæ vidimus, majora quæ audivimus; vidimus magna flumina tam arcto, tam alto gelu adſtricta, ut armentis, plauſtris onuſtis, & ipſis quoque exercitibus tranſvehendis ſufficerent. Vidimus ad binos & amplius menſes vim nivium immodicam e cælo non tacite, ut ſolet, ad inſtar velleris labentem, ſed magno cum impetu in ſolum projectam, & quod magis mirere ſub æquinoctium ipſum, quod in hac Civitate prodigio par eſt. Vidimus in partibus ædium interioribus, & in ipſis hypogæis fluida quæque congelari ſolidioribus vaſis ex opere figulino diſruptis, ac dum cibum capturi menſæ accumberemus, non procul a luculento igne vidimus fumantes epulas temporis momento gelaſcere. At vulgaria ſunt iſthæc, & fidem invenient. Urbem vidimus Adriæ Reginam, cui nullum unquam niſi navigiis cum terra fuit commercium, continenti junctam, marinis aquis in marmoream duritiem ſolidatis, ut ad ſeptem paſſuum millia ultro citroque longo agmine commearent viatores, veterinarii, & annonariæ gentes cum armentis, & gregibus, ut laboranti civitati victuales ſuppetias ferrent. Quam admiranda porro, imo quam miſeranda ſunt, quæ alibi facta accepimus, velut in Gallia, Anglia, Germania, ac tota ſeptentrionali plaga, non ſolum magnis fluminibus marinum æſtum pari ſolitis, ſed Oceano ipſo conglaciato, ut ſublatis commerciis centenæ hominum chiliades in civitatibus, in agris inter frigoris rabiem, & famis morſus miſere perierint, ac ex iis, qui militiæ ſacramento erant auctorati longe plures in caſtris hyemando, quam in acie pugnando in orci familiam tranſierint. Profecto ſi cujuſque regionis, civitatis, atque oppidi necronologiam haberemus, in quibus eorum, qui evita deceſſerint, nomenclatura continetur, ac ratio iniri poſſet, quot hominum myriades duorum vel trium menſium ſpatio in libitinæ cenſum deduxerit intolerando ſuo frigore funeſta hæc hyems, nulla certe peſtis ut ut truculenta & pernicialis, nec ea, quæ apud Hiſtoricos, & Poetas adeo pervulgata, quæ univerſam Græciam depopulata eſt, algidiſſimæ hujus conſtitutionis peſti, ſi ita fas loqui, ullo pacto eſſet conferenda.

Aſt undenam quæſo tam violenti frigoris petenda eſt origo? Si ab Aquilone frigoris promocondo malum hoc venit, cur hoc anno tam diuturnum, ut quotquot in viventium numero adhuc extant provectioris ætatis homines, & ſilicernio jam proximi tam enorme frigus nunquam ſe perſenſiſſe meminerint, nec ſcriptorum quiſquam prodigium hujuſmodi litteris prodiderit? Scire optatis, quam proportionem habuerit hujus anni frigus ad præcedentium octo annorum, quos in hac civitate obſervare mihi datum, ſummum frigus? Pſicrometro teſte proportionem habuit ſeſquialteram, hoc eſt ut ternarium ad binarium. Is fuit hyberni frigoris hoc anno ſupra cæteros exceſſus, qui in regnum quoque vegetabile deſæviens, non ſolum plantas, quæ hortorum ornamenta ſunt, ſed quod dolendum, oleas & vites ad internecionem uſque abſumpſit. Mehercle ſi in hujuſmodi tempora incidiſſet Cardanus, eam, quam de frigoris natura opinionem mordicus tenuit, dubio procul abjeciſſet; non eſſe frigus quid re vera ſubſiſtens, ſed ſimplicem caloris privationem, ventoſque omnes plus minus calidos eſſe, inter ſuas ſubtilitates recenſuit vir ille, quem cenſoria virgula ſugillans, ſeveriſſimus ille Cardanomaſtyx hiſce verbis ſic eum interpellavit: *Abjice ſoleas, ac pileum, Cardane, quo tempore ex Alpibus Rhæticis urit vos Boreas; frigidus enim, & ſiccus eſt.* Hic autem mihi haudquaquam mens eſt in frigoris naturam curioſius inquirere, neque quodnam primum ſit frigidorum, num aqua, ut Ariſtoteles, an terra, uti Parmenides, & num venti aerem comprimendo frigus efficiant, aut illius vectores ſint, cujuſmodi quæſtiones Philoſophos tum veteres, tum recentiores exercuere, & adhuc exercent; ſed ſolum in votis mihi eſſet cauſam perſpectam habere, quæ hac hyeme tantum frigoris ac tam ex improviſo excitaverit. Jam præcedens brumale ſolſtitium exegiſſe nos, & annum cum ſatis placido aeris ſtatu clauſiſſe lætabamur, ut ſpes eſſet hyemis reliquum eodem tenore proceſſurum. Aſt tanto impetu naſcenti anno Janus fores aperuit, ut nobis ferale bellum indicere viſus fuerit; illico enim, ex boreali plaga ventorum turbines biduo tanta vi efflarunt, ut omnibus horrori eſſent, illos acerrimo frigore comitante, & continuo nivium deſcenſu ſubſequente. Grande igitur aliquid in hyperboreis contigiſſe credendum eſt, quod tam ſubitam in aereo mari magno tempeſtatem excitarit? Anne magnum aliquem terræ hiatum ex improviſo apertum fuiſſe putandum eſt, unde una cum ventis algidiſſimis tanta nitroſi ſpiritus copia eruperit, quæ totam atmoſphæram frigorificis particulis ad ſaturitatem uſque opplerit? Quanta vi polleat nitrum ad ſenſum frigoris inducendum, ſatis commonſtrat experientia, dum nivi & glaciei commixtum illarum activitatem exacuit, ac in earum defectu nitri portionem in aqua diſſolvendo modum habemus, quo media æſtate vina & frigidas potiones nobis comparemus, non aliunde autem quam e terræ ſinu tam horrendi frigoris cauſam deducendam arbitror; ad tam ſubitam enim & adeo turbulentam ventorum irruptionem locum aliquem in aerea regione intra polarem circulum fingere oporteret, in quo ſpiritus adeo furentes concluſi eſſent, & effracto carcere ſubito erumperent, quod tamen Poetæ, quibus quidlibet audendi data eſt poteſtas, auſi non ſunt, qui ventorum turbam in antris terræ obſcurioribus abditam eſſe voluerunt, ac inſuper regem illis ſtatuere, qui imperio premeret, & laxas ſciret dare juſſus habenas. Minus porro rationi congruum videtur cæleſtia illa corpora culpare velle, quæ ſuo lumine & afflatu in noſtram perniciem conſpirarint. Quid novi enim in cælo a ſyderalis ſcientiæ peritis antea fuerat obſervatum? Num ferales cometæ viſi ſunt aut alia hujuſmodi portenta? Num planetæ in choreis ſuis agendis a præſcriptis ſibi legibus exorbitarunt, ut novis ſyzigiis & inſolitis motionibus cæleſtem illam harmoniam perturbarint, ut poſtea propter illorum aberrationes nos plectendi eſſemus?

Sit quidem, ut ajunt, multum pollere lunare ſydus ad perfrige-

ran-

randum, at illius lumen ad nos reflexum, licet a Sole prodeat, actu frigidum eſſe, ſeu ut alii putant vi magnetica calorem terræ & aeris ad ſe elicere, ſicque frigefaciendi vim habere, at forſan luna hoc anno propius ad nos acceſſit. Haud ſum neſcius ab aſtronomis, a veteribus agricolis, a Medicis quoque peritioribus, ut olim ab Hippocrate ad prænoſcendam futuræ hyemis indolem obſervari ſolitum plejadum occaſum, & ortum arcturi, atque ut monebat Virgilius *Georg. I.*

Frigida Saturni ſeſe quo Stella receptet.

At iſthæc ſingulis annis obſervantur & adventantis hyemis ſigna ſunt potius quam cauſæ. E magnæ parentis utero itaque monſtroſum hoc frigus prodiiſſe, a vero non prorſus alienum videtur. Terra enim tota intus cavernoſa eſt, & non ſecus ac animalium corpora ſuos habet ventres diſtinctos & magnas cavitates, in quibus non hoſpitantur tantummodo ſilentes umbræ & ſegnis aer; ſed varia & admiranda intercurrente ſpiritu exercentur opificia. Nuſquam certe operoſior natura eſt, quam in ſubterraneis officinis ad generationem intenta tot pretioſorum lapidum, foſſilium, mineralium, & metallorum, quæ ſi hominum avaritia potius quam curioſitas, & abditiora quæque inveſtigandi cupido ſurripiat eſſoſſis terræ viſceribus, non minus natura ſolicita eſt in illis ſuo tempore reponendis, & damno reſarciendo. Hinc innumeri pene fontes e terræ ſcatebris erumpunt non ſolum aquarum dulcium, ſed medicatarum quoque, quales ſunt ferratæ, æneæ, ſulphureæ, aluminoſæ, nitroſæ, aliæque omnigenæ. Cum autem borealis plaga in ſinu ſuo nitri multum recondat, quod ſatis norunt nitri collectores pro tormentario pulvere conflando, qui e parietibus & locis boream reſpicientibus longe plus nitri obtinent, quam ab iis qui auſtrum, cur ſuſpicari non liceat in regione illa inhoſpita, & Solis radiis ad plures menſes inacceſſa ex ſubito & præcipiti montis alicujus in magnas illas cavernas lapſu, ut in Apennino & Alpibus aliquando contigiſſe legimus, portam ingentem algidiſſimis ventis & nitroſæ exhalationi apertam fuiſſe, unde tam horrida tempeſtas hac hyeme ortum duxerit? In Islandia magnam cavernam eſſe referunt, ex qua venti frigidiſſimi expirent, qui glaciei fragmina identidem in altum protrudant. In Hetruria penes lacum Vulſinenſium ad radicem cujuſdam montis boream verſus antrum extat, in cujus latere rima viſitur, ex qua, æſtate præcipue, ventus efflat adeo frigidus, ut ſine noxa perferri nequeat, in quo ſpecu ſi vina reponantur, ad pauca temporis minuta pene gelaſcunt, & fructus pruinoſi educuntur, magnum utique blandimentum ad exhilaranda convivia, quæ ab indigenis illis, cum Procyon furit, celebrari ſolent. In Peruvia duo oppida Platam & Potoſam deſcribit Acoſta, quæ non multum inter ſe diſtent, ac utraque in montanis locis poſita, quorum unum, Potoſa ſcilicet, temperaturam hyemis habeat, Plata vero vernali ſimilem, cujus prodigii in calidiſſima regione cauſam in argenti fodinas referunt, & terræ ſpiracula, unde aura algidiſſima expiret. Quanto igitur longe probabilius eſt frigus ab imis terræ viſceribus in aerem efferri, quam ab ætherea regione in hæc inferiora deſcendere, tam grandis phœnomeni, quod hæc hyems præ ſe tulit, & cui aliud ſimile ulla ætas non vidit, nullam aliam cauſam comminiſci poſſum, quam magnam terræ ſciſſuram recens factam, paratum tamen me proteſtans ad expuendum ex animo meum hoc commentum, ſicubi aliqui feliciori ſorte meliora proferant. Si ergo forte ita evenit, uti conjeci, tam horrendi frigoris, ac tantarum nivium deſcenſus cauſam tenere mihi viderer. Nitroſa enim emanatio illa una cum ventis validiſſimis longe lateque diffuſa tam magnum algorem efficere, & vapores, aquei elementi ſobolem, in aere ſuſpenſos arripiens, iiſque ſe conſocians nivem conformare potuit, atque illis ſuis capillamentis ſexangularem & ſtellatam figuram impertiri. Non aſpernandam nitri portionem nivibus ineſſe chymica enchriſis oſtendit, qua nitrum in ſinu nivis deliteſcens educitur, & medicus uſuscomprobat, dum ex aqua nivis ratione nitri in illa contenti parantur remedia in æſtuoſiſſimis febribus exhiberi ſolita.

Verum dictum illud e ſacris paginis mihi forſan obtrudet aliquis, *Nunquid ingreſſus es theſauros nivis*, tu, qui adeo fidenter modum tradis, quo in aere conflentur nives? Ultro fateor, non eſſe apud me ipſum tanti ponderis, quas produxi de nivis conformatione, & credito terræ hiatu conjecturas, ut veram & germanam tam inuſitati frigoris cauſam e Democriti puteo hauſiſſe me perſuaſum habeam. Conjectoris tamen non prorſus improbandi munus obiiſſe me arbitrabor, ſi in negotio tam abſtruſo ita fieri potuiſſe naturæ legibus non repugnet, nil enim amplius a rerum naturalium ſcrutatore in re obſcura exigebat Peripateticorum Princeps. Quid ergo in quæſtione tam ardua & impervia dicendum? Num ad effugium illud hiſtrioniam exercentibus adeo familiare recurrendum, qui ubi fabulæ negotium ita implexum & involutum eſt, ut nodo ſolvendo humani ingenii acies non ſit ſatis, pro more habent, Deum aliquem e machina in ſcenam inducere? ita ſane. Ut ergo aliquid proferam, quod pro vero accipi poſſit, de hac tam horrida conſtitutione dicam, quod magnus Hippocrates de morbis populariter graſſantibus, ubi phœnomena quædam apparerent, quorum ratio abditior eſſet, dicere conſueverat: *ἅμα δὲ χρὴ καὶ τι θεῖον ἐνεστιν ἐν τοῖσι νοὐσοισι conſiderandum an ſit quid divinum in morbis;* illud itaque θεῖον apud Medicos tam in morbis quam in remediis adeo celebre hic quoque vim habuiſſe cenſendum eſt, ab ipſo Deo nimirum tam rigidam tempeſtatem fuiſſe excitatam, ut corruptos ſæculi mores & vitia novo & inuſitato pœnæ genere expiaret. Neque enim in ſuis armamentariis juſtiſſimum illum criminum vindicem ſolum ignem & fulmina habere credendum eſt, quæ multorum metu & paucorum periculo jaculetur in terras; in iiſdem enim habet, *Glaciem, & Nives, quæ faciunt verbum ejus.* Ille eſt qui, ut cecinit Regius Vates, de theſauris ſuis ventos educit, qui temporis momento aerem non minus quam maria, in magnas tempeſtates agant, & palam faciant, cui ſerviant, cui militent. Illud ſane admirationi fuit, quod toto eo tempore, quo a ſexta Januarii uſque ad æquinoctium fere pertinaciſſimum perſtitit frigus, unquam hiſcere auſi fuerint auſtrales venti, quod in hiſce regionibus perrarum eſt, cum vel media hyeme rigidiori identidem caput efferre ſoleant ab ora meridionali calidiores flatus, adeo ut ex improviſo liqueſcant nives & regelent flumina, ſi quæ prius glacie erant adſtricta, ut quandoque campos inundent, quaſi Deus borealium ventorum miniſterio plectere nos volens auſtrales flatus intra ſuos lares, unde ortum habent concluſos, voluerit, ne blando ſuo tepore inflictæ pœnæ rigorem delinirent.

Sydenham Opera Medica.

Sic eleganter non minus quam ingenioſe Ovidius Jovem qui totum mortale genus aquarum eluvione perdere ſtatuerat, finxit repoſuiſſe tela manibus fabricata Cyclopum, in antris autem æoliis aquilonem aliosque ventos nebulas fugare ſolitos clauſiſſe, emiſiſſe autem notos, euronotos, atque auſtrum pluviarum pincernam.

Utinam autem malorum hic finis fuerit, & hujuſce anni felicior ſit exitus, quam fuit initium. Quam infeſta, quam pernicialis humano generi fuerit hyemalis hæc conſtitutio, & quænam morborum genera invexerit, nemo eſt qui ignoret. Frequentiſſima fuere in hac Civitate, ut de aliis taceam, funera, ac nulla pene domus viſa eſt, quæ pullam veſtem non induerit. Primo quidem teneros infantes, decrepitos ſenes, & valetudinarios fere omnes, mox juvenes, & robuſtiores viros, nec ſolum minutam plebem, ſed non paucos quoque ex procerum ordinibus hiberni frigoris violentia in libitinæ cenſum deduxit. Tuſſes, deſtillationes, pleuritides, peripneumoniæ, dyſpnœæ, & morbi id genus dominatum obtinuere. Rarioni autem conſonum fuit, ut hujuſmodi affectus populariter graſſarentur; ſicuti enim auſtrina tempeſtas capiti inſenſa eſt, ita aquilonaris ſpiritalibus organis eſt maxime infeſta. Poſſumus equidem adſcititiis comis, adverſus aeris injurias calvariam munire, ac bene chlamydati, & palliolati corporis extima a frigoris rabie & morſu poſſumus tutari; at quomodo viſceribus in pectoris cavea contentis ab aere rigidiori proſpici poteſt, ſi ab indefinenti & reciprocante aeris inſpiratu & expiratu vitam precariam habemus? Non eſt ergo quod miremur, ſi hæc hyems, glaciali aura per oſtium patens thoracis penetralia ſubeunte, tam diram hominum & cujuſque generis animantium cladem ediderit.

Verum ante putandum hanc male moratam conſtitutionem totam ſævitiem ſuam expleviſſe, ut in noſtris corporibus labem nullam reliquerit, quæ nova morborum genera hac æſtate non poſſit arceſſere? Si Coi ſenis, cui futurorum mens divinatrix divini nomen adſcivit, oraculum adeamus, reſponſa referemus, quæ non multum nobis arrideant. *De temporibus*, ajebat ille, *ſi quidem hyems ſicca & aquilonia fuerit, ver autem pluvioſum & auſtrinum; neceſſe eſt æſtate acutas febres fieri, lippitudines, & inteſtinorum difficultates.* Obſervatione profecto dignum eſt, quomodo Hippocrates, Vir in prædicendo alioquin cautiſſimus, tam fidenter & abſolute pronunciarit, quod ſi hyemem aquilonarem, vel auſtrinum & pluvioſum exceperit, ex neceſſitate ſubſequi debeant æſtate acutæ febres, & alvi profluvia. Aſt ratio ſic fieri oportere ſatis evincit; etenim ſi hyems plus æquo algida & nivoſa ſit, parum perſpirant humana corpora, ac ea præſertim, quæ debiliora ſunt, unde ſeorſum colluviem cumulari neceſſe eſt, eamque augeſcere ſi ver pluvioſum ſucceſſerit, qua poſtea per æſtivum calorem diffuſa & in motum concitata, acutæ febres & alvi fluxus oriantur neceſſe eſt. Nec quis putet Hippocratem niſi experientia prius edoctum tam grande effatum pronunciaſſe; in libris enim Epidemiorum conſtitutionem habet, in qua pars hyemis poſterior, ut in noſtra evenit, aquilonaris fuit cum magno frigore & nivibus, cui ver ſucceſſit pluvioſum, unde poſtea memorati effectus æſtate & autumno apparuerint.

Ver equidem, quod modo excurrit, & cujus medium jam tenemus, atque hyemi algidiſſimæ ſucceſſit, ſub initium viſum eſt ad pluvioſum propendere velle, non paucos tamen Aprilis menſe dies habuimus ſiccos, ſine ullis omnino imbribus, ſed ita calentes, ut a canicularium dierum æſtu parum differrent, ſub finem tamen menſis tam magna ac ſubita facta eſt a calore ad frigus converſio, ut unica fere die rariores ſyntheſes & & holoſerica deponere neceſſe fuerit, ac e veſtiario pannoſas veſtes repoſcere, quam mutationem poſtea ſubſecutæ ſunt ingentes pluviæ. Quo tenore veris pars altera proceſſura ſit, ſolus novit, qui fecit tempora, dies, & annos. Id tamen certum eſt hujuſmodi temporum anomalias, & a ſua temperie aberrationes ominoſas eſſe, & morborum mali moris, quod ſuperi avertant, prænuncias. Nam ex eodem Hippocrate, *in legitimis temporibus & convenientem ſervantibus temperaturam morbi legitimi & boni judicii fiunt; in intempeſtivis autem non legitimi & mali judicii.*

Sed quid frugis ex hujuſmodi apparatu datur colligere ad præcautionem & ſanitatis cuſtodiam? Paucis dicam quod ſentio. Adverſus temporum tam enormes intemperantis magnum erit præſidium temperantia, neque ſolum in victu, ſed in omnibus, quæ res non naturales vocant Medici. Non inopportunum tamen erit purgationes inſtituere, & ſi opus fuerit ſanguinem mittere. *Quibuſcunque convenit venæ ſectio vel purgatio hos Vere purgare, vel venam ſecare oportet*, ajebat idem Hippocrates. Magna certe animadverſione particula illa disjunctiva digna eſt; Practicorum enim non pauci magnum piaculum committere ſibi viderentur, ſi purgationem verno tempore inſtituentes venam ſimul non tunderent. Aſt quam longe a divini Præceptoris veſtigiis aberrent, nemo non videt. Eſt ubi tantum ſanguinem mittere oporteat, eſt ubi ſolum purgare liceat, eſt ubi utrunque remedium conveniat. Si vero aliquis ex memoratis affectibus hac æſtate populariter vagari incipiat, boni & periti Medici erit, non tam propere & inauſpicato communibus remediis, ut in morbis ſporadicis, curationes aggredi, recte propterea Celſus de peſtilenti febre verba faciens ajebat, *ſanguinem non facile mittere, alvum non facile ducere.* Suſpenſo pede igitur procedendum erit, atque attente obſervandum, qua methodo natura morborum medicatrix in iis utatur, qui ſponte aut paucis remediis evadant; illa enim ſibi vias & egreſſiones invenit, quas prænoſcere & divinare non poſſumus; fateamur enim neceſſe eſt, quandocunque aliqua epidemica affectio ex improviſo ſe prodat, eſſe non juvenes ac tyrones, licet medendo ætatem triverimus, ideoque oportere, ut naturæ quam *αὐτοδίδακτον* & doctam ſine Magiſtro Hippocrates dixit nos erudiendos tradamus.

Conſtitutio Epidemica inferioris Hungariæ Anni 1711.

Dn. D. JO. ADAMI GENSELII.

HYems ſat rigoroſa, euro dominante, nivibus copioſis, purpura rubra maligna multos, præſertim vero infantes corripuit, ſecunda & tertia die accedentibus convulſionibus, quinta & ſeptima lethalis. Manus, pedes, deorſum poſt mortem atra ſummæ malignitatis ſigna conſpiciebantur, in duobus facta anatome pulmones & hepar lividis conſperſa maculis inveni.

Ver nimis ſiccum, 25. Aprilis hora X. ſol duobus ſtipatur parheliis obſervatus, quorum unus vividiſſimi erat coloris, ſubſequente Majo æſtu fervente cum fulminibus & fragore tonitruum.

Junius frigidus in principio ac pluvius, ipidum, ſcarabæorum

erucarum, aliorumque insectorum ferax, circa finem æstuosus. Variolæ & morbilli invalescebant, aliquibus etiam funestæ, illis præprimis, quos vetulæ curabant; parotides crebræ erant, ast paucæ suppurabantur, vel enim a natura sponte resolvebantur, vel emollientibus & resolventibus discutiebantur, sudoris guttulis in cute & emplastris instar roris conspicuis, in duobus pueris illas induratas vidi, quæ cum ab incauto barbitonsore contra nutum apertæ fuissent, in cacoethica degenerabant ulcera.

Julii principium calidum, interspersa quandoque pluvia frigida. Augustus in initio serenus & temperatus, circa medium frigidiusculus & pluvius. Septembris major pars serena & calida.

Febres tertianæ absque ullo rigore grassabantur, per 24. horas & ultra durantes, quinque & sex ad summum septem terminabantur paroxysmis: petechiæ quoque sporadice vagabantur, cum dysenteria septima & nona lethales. Fœmina 57. annorum gravida, pro hydropica a medicastro quodam reputata, cum stupore omnium puellam vegetam ac sanam enixa est. Octobris & Novembris constitutio pluviosa & nimbosa, flante pluviarum pincerna austro, septem enim fere continuos dies & noctes durabant. Decembris principium itidem pluvium, medium ventosum, at ob austrinam aeris temperiem temperatum. Febres intermittentes increbescebant, diarrhœæ, item, rheumatismi ac asthmata ob διαπνοίαν ab humido cœnoso atmosphæræ statu causatam, apoplexiæ quoque & paralyses frequentes erant, ut & variolæ & morbilli, in infante trium annorum, motibus convulsivis in dentitione difficili mortuo, dentes atros & ob grangrænam carie infectos sua sponte excidentes observavi. Annus hic utcunque fertilis erat, vinum etiam generosum ac optimæ notæ.

Constitutio Epidemica inferioris Hungariæ Anni 1712.

Cum historicis, & meteorologicis Observationibus,

Dn. D. JO. ADAMI GENSELII.

PRincipium Januarii rigido gelu fuit horridum & ventosum cum nivibus copiosissimis, adeo ut in quibusdam locis novem pedes superarent altitudine: circa medium mensis nix cœpit liquefieri, flante zephyro, nubibus in pluviam resolutis, circa finem intensum frigus gravidis in primis valde pernicioſum, abortus quippe epidemicus plurimis lethalis grassabatur, vid. Hipp. aph. 12. sect. 3. ob inæqualitatem & improportionem ætheris, quædam apoplexia tactæ ἐφωναι reddebantur, quædam pleuritide, multæ purpura alba correptæ exspirabant, febres etiam intermittentes invalescebant, vario typo anomalo revirescentes. *Februarius* in principio turbidus, circa medium & finem temperatus. *Martius* circa medium procellosus ac nivosus, cum tonitruis & pluviis circa finem, febres causavit acutas, summa cum vehementia prima & secunda die sævientes, quinta & septima subsequentibus deliriis fatales. Ver pluviosum cum terræ motu trematorio sat notabili in nostris partibus, in primis Neostadii, ubi multæ fornices dirutæ ac domus ruinatæ a motu illo concussorio conspiciebantur. *Majus* itidem pluvius, ut plane diluvium quasi appareret in quibusdam Hungariæ locis, in primis in Holing, ubi vites e terra evulsit, & domus aqua vix non cooperuit. Hoc mense miræ fuerunt metamorphoses febrium, in principio mentiebantur continuas, calor enim per tres continuas durabat dies, quarta remisit, quinta paroxysmus bis mane scilicet & circa noctem invasit ægros, die sexta etiam bis, tandem octava in tertianas veras degenerarunt, servato ternis vicibus typo ordinario; hinc rursus typo anomalo calor per triduum continuavit, remittente denuo per 24. horas calore, bis de die paroxysmus afflixit ægros, & porro cum in tertianas degenerassent, adhibitis temperantibus, mineram biliosam præcipitantibus, leniterque evacuantibus, cessaverunt, & cum natura eo, quo vergit, ducenda sit, hic ad sudorem critice vergebat, ideo diaphoreticis illam cum ἰνφορίᾳ juvimus: qui vero inscio Medico denuo naturam turbarunt, venæ sectione nimirum vel purgantibus, omnes recidivam passi sunt, quæ enim judicantur & judicata sunt integre, neque movere, neque novare aliquid, sive medicamentis, sive aliter irritando, sed sinere oportet: Hipp. Sect. I. aph. 20. Notandum quod hoc mense temperies quoque aeris Proteo mutabilior fuerit, v. g. circa matutinam sextam frigus, circa decimam calor ingens, tertia pomeridiana iterum frigus, & appetente vespera observabatur calor, quæ vicissitudines aeris subitaneæ non parum ad hasce generandas contribuerunt febres, juxta Hipp. aph. 1. & 4. sect. 3. quo major est aeris inæqualitas, in primis citiori vicissitudine, eo magis corpus alterat & afficit, motus enim contrarios minus sufferre potest natura, si quidem valde a se differant. Vid. Wedelii Commentar. in h. l. *Mense Junio & Julio* æstus magnus, & copia insectorum, in primis reptilium, & in specie serpentum, qui ruricolas sæpius infestarunt, morsuque communicatum miasma venenosum fermento bilioso volatili sulphureo salino inquinatum totum peragravit corpus, cujus omnes illico intumuerunt partes, in primis lingua, ut nec verbum articulatum proferre potuerint, cum ingenti cephalalgia; pecora etiam mirum in modum ab illis affligebantur magna subsequente strage, ex hominibus multi, non adhibitis prima statim die remediis, veneno illo extincti sunt. Notatu dignum, quod ex quodam fonte certis horis fœtidus ac rubicundus promanaverit liquor, quem superstitiosum & fatidico credulum vulgus sanguinem esse dicebat, inductum argumentis ab odore & consistentia illius ad coagulum accedente desumptis, post aliquot dies limpidum iterum acquisivit colorem; per chymiam deprehendi, in illa aqua terram rubram martialem instar boli vel cinnabaris, particulis nitrosis & vitriolicis mixtam, ab æstivo solis calore percoctam, quam in cavernis subterraneis alluebat, illaque tingebatur, fœtorem vero attribui materiæ viscidæ bituminosæ asphaltum redolenti, ut adeo non necesse sit ad supernaturalia confugere & mysteria, si naturales prostent causæ & principia, in quæ iterum resolvi possunt mechanice. Vid. Ephemerid. N. C. A. 1712. appendic. p. 193. & 209. Item Nova literaria German. A. 1705. mens. Mart. p. 103. *Augusto* nimis pluvioso increbuerunt febres erraticæ bis de die ægros invadentes cum deliriis continuis, suspiriis ac ejulationibus; multi attoniti & quasi cataleptici sine usu rationis neminem agnoscentes jacebant, calore per duas durante dies, tertia demum intermittente, in aliquibus quinta & sexta. Eodem mense strages pecorum invalescebat, corripiebantur scilicet certis pustulis albicantibus cum anhelitu difficili, quibus dissectis materia purulenta mephitim spirans effluxit, ex faucibus quoque fœtor morticinus intolerabilis, ad aliquot sensibilis passus prodiit, cumque maximis boatibus crepuerunt, in ventriculo reperti fuerunt certi globi magnitudinis nucis majoris, repleti pilis tunica membranosa dura aciem cultri vix non eludente instructi; feræ quoque omnis generis ad Somogy in copia periere, & in nemoribus passim a rusticis repertæ fuere; canes ex voratione tam illarum ferarum, quam pecorum prædictorum rabidi facti, a quorum morsu homines in phrenitidem inciderunt ac hydrophobiam, latratum etiam & rabiem imitati canum, morsibus in adstantes sævire tristi cum spectaculo cœperunt, imo aliqui remedium laturi, aceto & sale ora rabidorum pecorum lavando, rabiem contraxerunt ab illo venenato miasmate, id quod & Matthiolus Comment. ad L. 6. C. 36. Dioscor. observavit: multæ nihilominus bestiæ rabidæ servatæ fuere, data statim in principio fuligine cum cupro vel orichalco raso pulverisato.

Principio Autumni exundationes fuere maximæ. In unico pago quadraginta & ultra periere personæ: medium autumni itidem pluviosum cum tonitruis, assiduisque imbribus, qui febres, dysenterias, catarrhos, & in multis apoplexias causarunt, juxta Hipp. aph. 16. sect. 3. a frequentibus quippe imbribus, ob insensibilem prohibitam transpirationem succi corporis redduntur frigidiores, fuligines coacervantur, spirituumque & seri inferuntur morbi. In vineis maxima sterilitas, generositate vini quadantenus eandem compensante nec, agri adeo erant fertiles. Circa ingressum solis in signum Capricornis, variolæ regulares & idcirco mitiores quoque observabantur, tarduitamen (quam ordinarie fieri solet) suam absolverunt periodum, licet absque ulla fuerint malignitate, nec foveas solitas post se reliquerunt. Notatu dignum senem 65. annorum variolis correptum, feliciter restitutum fuisse, pulsus in eo observabatur oppido curiosus, intra momenti spatium ex celeri & inæquali tardus & æqualis, mox ex parvo magnus & vice versa. Cum jam videam institutum hoc anxie hucusque desideratum, multis probatum fuisse, in primis Schelhamero Kilonienſi Machaoni in sua medendi methodo, animus est imposterum quoque constitutiones epidemicas inferioris Hungariæ, summo adspirante Numine continuare, dummodo Academia nostra Mecœnatum suffulciatur munificentia.

Constitutio Epidemica inferioris Hungariæ Anni 1713.

Una cum historicis & meteorologicis observationibus

Dn. D. JO. ADAMI GENSELII.

P*Rincipium Januarii* temperatum, humidum ac nebulosum, circa medium furente Euro-noto fortiter gelare cœpit. In omnium dierum operosa enumeratione non ero multus & molestus, cum inutile sit & tædiosum verborum inanitate aures defatigare. Vigesima pluvia, sequentibus nimbi cum ventis vehementioribus. Hoc mense febres quartanæ grassabantur, quæ dato cathartico in veras degenerarunt tertianas, quatuor & quinque accessionibus suam absolventes periodum. Variolæ continuarunt, ast malignæ & confluentes, illisque funestæ, qui non statim in principio remedia adhibuerunt congrua, temperata nimirum diaphoretica, & bezoardica, omissis volatilibus generosioribus. Vigevanno fama ad nos deferebatur, intra montes cecidisse nivem rubram ad spithamæ altitudinem, quæ ab exhalationibus terræ rubræ procul dubio suam traxit originem.

Mense Februario crescente luna ingravescebat etiam frigus, quod sexta remisit, decima pluviæ calidæ, duodecima caligo cum pruina subsequente pluvia per tres dies, circa finem cælum serenum absque ullis nivibus. Hoc mense observavi digitorum apices duarum puellarum sine dolore sua sponte absque ulla vulneratione, aut cicatriculæ signo sanguinem floridum curioso spectaculo guttatim stillasse: in alia puella idem observavi in facie; vide Ephem. N. C. An. 1712. p. 72. Act. Erud. Lipsi. Ann. 1686. Mens. August. p. 387. febres malignæ petechiales inceperunt grassari, quinta lethales cum ferocibus deliriis; verum pulsu (quod notatu dignum) tardo & æquali, sanorum pulsui simillimo. In adolescente 13. annorum loco tibiæ carioſæ, per manus chirurgi fere ad patellam usque genu forfice excerptæ, cartilago quædam usque ad ossa tarsi vices tibiæ obiens succrevit, qua etiamnum offescente nititur, & pedetentim ambulat, provida certo natura defectum ossis a vicinia superioris processus ossis tibiæ supplevit.

Principium Martii serenum & temperatum, octava primæ cecidere nives copiosæ, sequente die liquefactæ pluvia per sex dies continuos, hinc exundationes damnosæ fluviorum ac rivorum cum magna hominum, animantiumque strage. Continuarunt febres malignæ multis funestæ.

Aprilis usque ad 15. contra morem suum serenus, ast frigidulus, decima octava pluviæ frigidæ furente aquilone in nives hoc anno secundas versæ quatuor geometricorum pedum altitudinis cum turbulentissimis procellis, maximas campanas ad sonum impellentibus, subsequente excessivo frigore in regnum animale & vegetabile desæviente cum internecione, gemmarum in arboribus, & proh dolor vitibus, alitum quoque ovis incubantium in primis ciconiarum & cornicum. Vigesima septima grando cum turbine, ne prior calamitas sola esset, admiratione autem dignum, quod in diversis grandinis granis vermes ac scarabæi alati inventi fuerint, quos in præsentia multorum oculis meis usurpavi: utrum e seminibus in nubes elevatis, ibidemque exclusis & nutritis oriantur, an aliunde accedant, curiosioribus relinquo; ex atmosphæra saltem nostra ob penuriam moræ vix abripi possunt. Confer de hac materia Jonston. taumatograph. class. 3. C. 1. Fromond. lib. 5. meteorolog. C. 6. Scotus physic. curios. lib. 2. Ephemerid. Germ. D. I. An. IV. & D. II. An. II. III. Rusticus quidam calcem vivam clam surripiens, cum domum properaret, nimis festinans currum evertit, ita ut in aquam caderet, hinc subito calcis vivæ ebullitione & impetuosa efferveſcentia orta, stramen adjunctum flammam concepit, quæ asseres contiguos accendit curioso spectaculo, totusque conflagrasset currus, nisi ei succurrissent.

Principium Maji cum fulgure, tonitru ac imbribus frigidum, usque ad 17. ventosum ac nubilosum, vigesima pluviæ copiosæ, vigesima quarta calor ingens, subsequente fulgure & tonitru horribili, cum imbre frigido ac turbine boreali, vigesima sexta imber, reliquum nubilum. Bruchi & volucres numerosæ (de quibus plura hoc loco addere libet) teneros pampinos & uvas præroserunt immenso

damno:

damno: infauſta hæc & damnifica animalcula, vites conſumere nata in lingua ſancta appellantur ילק a radice לקק lingere, lambere (vid. Joel. c. 1. v. 4.) quod lambendo quaſi virulentia ſua uvas inficiant, eaſque abſumant, græce vocantur ἴπες & epides ab ἴπτειν lædere, nocere, quod vites ſummopere ab iis lædantur. Plinio L. 18. c. 18. dicuntur convolvuli, & volvoces, Columellæ volucræ, Tullio butyri, Plauto involvuli (in Ciſtell. Act. 4. ſc. 2. v. 63.) quod in pampini foliis, ovula ponentes ſe involvant & implicent, illaque proboſcide ſua virulenta quaſi conglutinent. Ipſo corpore cæruleo, pedibus obſcure luteſcentibus, naſcitur ex ovis bombicum ovis ſimilibus magnitudine, colore rubicundis, hic cum parere vult, multa cumulat, volvitque folia & in his ſua ova reponit; Germani antiphraſtice vocant *Weinzedel* vel *Weinzerl* quod minime vineas ornent & excolant, ſed potius deturpent, & ad incitas redigant ſummitates palmitum, uvarumque gemmas depaſcendo. Oriuntur ut plurimum ſpirante auſtro, flante vero borea pereunt. Confer Samuel. Bocharti hierozoic. p. II. L. IV. C. IV. Ulyſſes Aldrovand. L. IV. de inſect. c. 1. iconiſmum tamen ipidis minus accuratum exhibet. C. V. Italis ruſticis eſt tagliadizzo, Ringavis *Rebſtichel*, Hungaris Vinzellir, proprium illarum eſt in vitibus verſari, eaſque ut & cornua arrodere. Qui ſerpentis genus eſſe putant, ab Hermolao redarguuntur, vide Jonſton. L. 3. H. N. p. 86. ſeq. quid quod ex vitis pampinis enaſcantur vermiculi, qui pubeſcentes uvas prærodunt, vid. Columella de arboribus c. 15. Theoph. Ereſio L. 3. de cauſ. plant. C. 27. ipes vitiarius beſtia nominatur damnifica, quæ in pampini ſolio intorta implicet ſc. Tremellius cum nonnullis vocat melolontham, eſt autem melolontha ſcarabæi genus, quod alio nomine teſte Heſychio χρυσοκάνθαρος h. e aureus vocatur, de quo Geſnerus ait: μηλολόνθη eſt galleruca inſectum pennatum, ſcarabæo ſimile χρυσοκάνθαρος dictum; a quibuſdam vero ea animalcula hac voce deſignari exiſtimantur, quæ Galli Hanetons nominant (de quo vide Dictionar. Richelet) ea autem ab Anglis appellantur Dors. videatur Liveleus T. III. Critic. Sacr. p. 946. Quomodo differant ipes, ikes, thripes, vide apud Aldovrand. l. c. & Bochartum c. 17. ubi bene monet in Galeni verbis perperam legi σκίπες pro ἴπες cum dicit: ἀμπελίτιδα γλῦ perdere τὰς γλυφομένας ἀπ' αὐτῆς σκώληκας, ἃς σκνίπας ὀνομάζουσιν, ubi etiam notandum, quod ipes certam ſpeciem locuſtorum in vitibus generari idem aſſerat, cui adſtipulatur Theophraſtus l. c. de Cauſ. plant. c. 27. cauſam hanc ſubnectit, utpote cum vites humeſcant, atque aer fœtificet, tum ipes quoque materiem ſibi congenerem ſtatim erodunt, addens: Vitibus hoc potiſſimum evenit, quia natura præhumidæ ſunt, & humor earum inſipidus ſit atque aquoſus; humor enim qui talis eſt, facillime affici poteſt, nonnunquam ipes omnino nequeunt generari, ſcilicet loco placidi ſpiritus, neque humido, neque ſuccoſo. Non ſolum autem illo anno, quo vites infeſtat & veneno quaſi inficit, colluvies hæc exitioſa exiſtit, ſed etiam futuris, hinc inter ſæculi incommoda & res orbi noxias numerantur ab Arnobio L. 1. adverſus gentes, quibus negotia incurſantur humana, aſpectu quidem ſunt pulchra, coloribus rutilantia diverſis, aſt ſumme damnifica & maligna, vid. Salmaſius in exercit. Plinianis ad Solin. p. 272. Jo. Friſchmuth diſſert. 1. de hirco emiſſario, c. 1. §. 5. D. Dan. Henrici diſſert. V. de relig. Zwingl. p. ult. Dan. Guil. Mollerus in meditatione de quibuſdam inſectis Hungaricis, Francof. 1673. in 12. Bern. Saccus in hiſt. Ticin. L. 4. inquit: Dirum hoc animal frequentiſſimum eſſe prope Alagniam in Lomellino agro urbem, ubi vitis folia depaſcunt, quibus ablatis areſcunt exiles & immaturi racemi ſine umbra relicti, ab uvarum vero cupidis ſturnis poſtmodum caſtigari, vide Eph. Nat. Cur. Decad. II. A. VI. p. 202. ſeq. Cornar. in Theolog. Vit. L. 1. c. 17. p. 205. D. Phil. Jac. Sachſ. in ampelograph. L. 1. c. 6. p. 47. Mouſeti theatr. inſect. L. 1. c. 19. p. 142. ſeq. in primis D. Joh. Theod. Mœren. Obſerv. in Decad. II. Ephem. N. C. A. V. p. 220. paſſim per vineta volitat animalculum magnitudine piſi, ſcarabæi parvi figuram corporis referens, variegati plurimum coloris &c. Græci duas res æqualiter malas exprimere volentes, dicere ſolebant: κακὰ μὲν θρῖπες, κακὰ δὲ ἴπες, mala quidem thripes, mala rurſum ipes: thripes culicibus ſimiles, ſunt teredines ſive coſſi arborum fructus, ipes vero uvarum germina prærodentes, de quibus Prudentius in Hamartigen. v. 266. ſeq. canit.

Quamvis maceries florentes ambiat hortos
Sepibus, & denſis vallentur vitea rura.
Aut populator edet gemmantia germina bruchus,
Aut avibus diſcerpta feris lacerabitur uva.

Majores noſtri vix obſervarunt, quod horrenda iſtorum depopulantium animalculorum rabies tot annos in tanta copia duraverit, ſubque nive & glacie illæſa tam in limoſis quam ſaxoſis locis, in primis intra cortices arborum permanſerit. De hujus inſecti exſtirpatione video ſolicitos antiquos pariter & recentiores operoſa ſubminiſtrantes remedia: quidam vineta ſulphure lierbiſque graveolentibus ſuffiebant: alii vites illiniebant terra ampelitide, ut docet Galenus L. 9. ſimpl. Medic. quam pharmacitin vocat Dioſcorides L. 5. eo quod vitium morbo medeatur. Laborioſius exſtirpant perniciem hanc Ringavi & Sempronienſes, aſſignatis enim temporibus quiſque patrumfamilias mittit ſuos homines, qui e vitibus colligant ipſum animal, & convoluta folia ovis fœta, urceoque aqua ſemipleno injiciant, ut veſperi in unum cumulum ante Prætoris vel heri ædes, aut in foro coacerventur, & ſuperſtructo igne comburantur. Vide D. Mœren. l. c. Petr. Andr. Matthiol. L. 3. Epiſt. Medic. p. 141. Hohbergii Georgica Curioſ. P. 1. p. 341. & 481. D. Samuel Ledelii relationem in Ephem. Dec. III. A. Ult. p. 386. In libris Geoponicon (qui Imperatori Conſtantino Porphyrogenetæ adſcribuntur) tria grana ſinapis juxta vitem implantanda commendantur, verba L. 13. ſic ſonant: ἐὰν τὸ σέλεχος τῆς ἀμπέλου παρὰ τὴν ῥίζαν τρεῖς κόκκους σινήπεως χώσῃς φυτάλουμα, γὰρ ταῦτα τῇ ὀδμῇ τὸν βρύχον ἀναιρεῖ: cum vero in noſtris regionibus ſemen ſinapis nimis tarde procreſcat, vix finem ſuum paterfamilias obtinebit exoptatum. Alii vites aqua, in qua ipides enecati ſunt, vel cultros, quibus palmites amputantur, illiniunt, ita Plinius Hiſt. Nat. L. 17. C. ult. ne convolvulus fiat in vinea, amurcæ congios duos decoctos in craſſitudinem mellis, rurſuſque cum bituminis tertia parte, & ſulphuris quarta ſub dio coqui, uſque quo exardeſcat ſub tecto, hoc vites circa capita & ſub brachiis ungi, ita non fore convolvulum: quidam contenti ſunt fumo hujus mixturæ ſuffire vineas ſecundo flatu continuo triduo: plerique non minus auxilii & alimenti arbitrantur in urina, quam Cato de re Ruſtica c. 95. in amurca, addita modo aquæ pari portione, quoniam per ſe noceat: alii falces cum ſint exacutæ, fibrina pelle detergunt, atque ita putant, aut ſanguine urſino liniri volunt poſt putationem eaſdem; ex aliis authoribus Aldrovandus l. c. p. 191. ſequentia contra cantharides (forſan & ipides) remedia tradit. Baptiſta pius in ſuis ad Plauti comœdias contra animalcula, quæ vitibus nocent, accipit cantharides, quas in roſis invenire conſuevimus, ſi oleo immergantur, ne in tabem reſolvantur: alii non obſervantes, quo loco, aut qua in herba naſcantur, ipſas qualeſcunque ſunt, cantharides in oleo coquunt, ex eoque cotem, in qua falx exacui debet, obducunt; idem præſidium præſtabit ſalx illita cum hircino adipe, aut ranarum ſanguine, aut coticulæ cinere, vel oleo illita, qua falcem exacues. Gaudentius Merula, cantharides viribus noxias, ſtercoris bubuli, cui aliquantulum galbani commixtum ſit, ſuffitu procul abigit, cum ſpirant anræ. Fabuloſum remedium narrat Claudius Ælianus, mulierem ſcilicet menſibus laborantem erucis & ſcarabæis perniciem afferre. Ethnici pro pœna a Diis immiſſa, infecta agnoſcentes, idolis ſuis ſacrificabant, certaque inſtituebant feſta, de quibus videatur Cœlius Rhodiginus Lect. antiqu. L. 4. c. 15. hinc & idolum Ekronis vocatur בעל-זבוב Deus muſcarum, vid. Bochart. l. c. P. II. L. 4. c. 9. & p. 1. c. 5. & Hercules appellatur ἱποκτόνος ipidum occiſor. Confer Alex. ab Alexand. Genial. Dier. L. 2. c. 14. Cœl. Rhodig. lect. antiqu. L. 6. c. 7. Bochart. P. II. c. 17. 27. Aldrovand. l. c. Optimum, quamvis laborioſum remedium eſt, illos mature & indefeſſe e vitibus colligere, ac una cum ovulis comburere.

Hoc menſe in Auſtria in primis Viennæ febres malignæ cum atris exanthematibus & bubonibus (quos benignos appellabant) magna cum hominum mortalitate graſſabantur: quidam exſectum bubonem cum carne bubula cani ad devorandum abſque ejus noxa dabant, & ex hoc peſtem negabant, cum tamen longe alia ſit ratio carbunculi & bubonis in corpore vivo, quam ex cadavere ſecti, & juxta Celſum nihil ſit ineptius, quam quale quidque in homine vivo eſt, tale exiſtimare eſſe moriente vel mortuo, & vice verſa; accedit quod ex bubonibus peſtilentialibus & carbunculis nonnulli per chimiam ſpiritum antipeſtilentialem & ☉ volatile elicere conentur, qua de re plura dabo in ſchediaſmate de differentia peſtis humanæ & brutorum; licet itaque morbum tantum contagioſum vocaverint, peſtemque nomine contagii velaverint, vera tamen febris erat peſtilentialis, quod & internecio tot hominum, præcipue vero decem Medicorum comprobat, vide Franciſci Xaverii Benſæ hiſtoricam relationem peſtis Auſtriam & conterminas partes infeſtantis. Viennæ A. 1717. 8.

Junii principium pluvioſum, ventoſum atque frigidum cum exundationibus torrentum & fluviorum damnoſis, octava æſtus uſque ad duodecimum, 13a pluviæ ſubſequente frigore, medium ſerenum & calidum cum intermixtis imbribus ac procellis: circa finem pluviæ ſurente Euro, Peſtis in Auſtria incrementum ſumpſit ut & Poſonii in Hungaria.

Julius uſque ad 5tum ſerenus, ventoſus & frigidus, ſexta calor mediocris, ſeptima pluviæ copioſæ cum frigore extraordinario, uſque ad finem menſis (paucis exceptis diebus) flante aquilone durantes. Peſtis in Auſtria, & aliquibus partibus inferioris Hungariæ, ut & Poſonii valde ſæviit; meteora quædam lucida ſub forma draconis apparebant, ab exhalationibus ſulphureo ☉ſis in ſublime evectis, per continuum attritum incaleſcentibus, tandem accenſis, ac in tonitrua & fulmina fatiſcentibus, ſubſequentibus inundationibus & fragminibus nubium.

Principium Auguſti pluvioſum & frigidum, a quarta uſque ad 9nam calor ingens, undecima tonitrua horrenda cum fulminibus ac pluvia frigida, 16ta nubilum inſequentibus pluviis ingentibus, rubigine & uredine vitibus & frugibus ſumme perniciоſis, circa finem nebulæ denſiſſimæ quaſi hybernæ in altum evectæ, & in pluvias frigidas reſolutæ cum tonitru & fulmine: incus fabrilis ab ictu fulminis urentis & concutientis, partim fuſus, partim fiſſus obſervabatur, globum quoque igneum ſeu glomerem flammeum in terram delapſum conſpexerunt maximo cum fragore diſſilientem, tetrumque odorem & fumum ſpargentem, incrudeſcente magis magiſque tempeſtate, iteratiſque ictibus fulminum horrendis. Peſtis tam in Auſtria quam Hungaria continuavit ſævire; graſſabantur etiam variolæ malignæ confluentes cum petechiis intermixtis, illiſque, qui non ſtatim in principio remedia adhibuerunt, fatales, jamjam ſuppuratæ, rurſus materia ichoroſa repletæ conſpiciebantur, & ſecunda vice ad ſuppurationem pervenere, inque interſtitiis ſuppuratarum novæ ſubinde oriebantur variolæ, in defunctis per nares, aures, & oculos ſanguis prorupit copioſus: nonnulli a barbitonſoribus imperitis male tractati, tubercula circa artuum juncturas; & his retropulſis per topica, totalem reportarunt contracturam, alii cæcitatem, ſtrumoſoſque colli tumores quibus evaneſcentibus corripiebantur vomitu cruento lethali.

Septembris initium pluvium & caliginoſum, octava eurus effluvia humida diſſipando ſerenitatem conciliavit, medium itidem pluvium, circa finem ſerenum & frigidum. Sempronii quoque morbi contagioſi cœperunt graſſari cum vomitu, & ardore in abdomine tertia & quinta lethales, petechiæ item atræ cum dyſenteria in ſcapulis, ac bubonibus ſub axillis & in inguine, ſeptima & nona funeſtæ, nec vomitoria, nec purgantia, nec venæ ſectio in principio conducebant, nec ☉ſa aut acida, ſed bezoardica balſamica cum volatilibus refracta doſi mixta, in primis tinctura noſtra antipeſtilentialis cum ſpiritu CC. maritata, quæ & in peſte Ratiſponæ ſalutari effectu ſe probavit. Lanio quidam nomine Lidel dyſenteria exſtinctus, herniam habuit raram, non quippe in ſcroto, ſed intra cutem & muſculos ad femur uſque inteſtinum ileon prolapſum obſervabatur, hanc herniam a caſu cum equo ante decennium reportabat. In viſitatione Medicus Peſtilentiarius tumorem hunc hernioſum (qualem antea nunquam viderat) pro bubone peſtilentiali ſat craſſe reputabat, domumque ejus ceu infeſtam, qualis tamen minime erat, obſignabant. Similem herniam extraordinariam ex prolapſo inteſtino ad femur obſervavit Barbette c. 7. Chirurg. & B. D. Petermannus in viro ſeptuagenario, ultra triginta annos eadem laborante, & ego in Italia bis talem conſpexi: Stalpart vander Wiel quoque in Obſerv. medico chirug. rarior. Obſerv. 54. Cent. I. ſimilem errorem Medici cujuſdam & Chirurgi rudis detegit, bubonocelem in juvene quodam pro bubone peſtilentiali cum læſione ipſius inteſtini aperientium, vide Rhod. Obſerv. M. Cent. 2. c. 72. Hœhſtetter.

Dec. 10. variolæ confluentes etiam increbuerunt multis fatales, apoplexiæ quoque frequentes erant, qui morbi omnes pluvioſæ hujus anni Conſtitutioni adſcribendi juxta Hipp. Aph. XI. ſect. III. *ſi ver pluvioſum & auſtrale fuerit, neceſſe eſt febres acutas, & dyſenterias fieri*, & aph. 16. morbi in pluvioſis conſtitutionibus plerumque fiunt febres, putredines, ſiderationes &c.

Principium Octobris ſerenum & temperatum, quarta æther nimbis cinctus uſque ad ſeptimum cum frigore, 14ta pluviæ cum inſolitis nivibus flante vulturno, cæteris ferme omnibus, vel caliginoſis, vel pluvioſis exiſtentibus diebus. Febres increbuerunt tertianæ duplices gravidis exitioſæ cum vomitu, cardialgia & diarrhœa febres continuas mentientes, in quibuſdam cum deliriis, invitaque fæcum excretione, octo & novem acceſſionibus periodum ſuam abſolventes, febris quoque peſtilentialis continuabat, ſed ſporadice tantum cum pulſu tardo & inæquali, frequenter bubonibus, raro carbunculis erumpentibus. Chirurgus expoſitus egregio bubone (ita enim Peſtilentiarius ille Medicus appellabat) correptus, quinta obiit, adhibita damnoſa & inconſiderata venæ ſectione, vix non omnibus illo tempore funeſta, prouti & in peſte comitatus Caſtri ferrei agrum depopulante, Anno MDCCX. obſervavi, de qua peculiarem diſſertationem editurus ſum. Cæterum eryſipelas, atheromata, ſteatomata, aliique affectus cutanei etiam minimi in quibuſdam ſubjectis pro ſignis peſtilentialibus ex ignorantia vincibili & craſſa reputabantur.

Prima Novembris imber atrox, ſed calidus, tonitrua inſolita & terribilia cum fulminibus, aliquibus in locis urentibus, & grandine, a tertia uſque ad decimam pluviæ, undecima nives ſecundæ cum frigore extraordinario furente aquilone quatuor pedes altæ; circa finem frigus intenſum cum ſævis turbinibus. Febres acutæ cum petechiis & bubonibus ſubreptitie quaſi hinc inde homines invadebant, in autumno enim morbi acutiſſimi & omnino mortiferi juxta effatum Hippocratis aph. IX. ſect. III.

Circa Neoſtadium terra dehiſcente agri portio viginti aliquos orgyarum una cum arboribus (abſque ſenſibili terræ motu) hiatu vaſto aperto ſine chaſmate periit, relicto poſt ſe lacu. *Hoc anno annonæ abertas erat & vilitas, vini autem & fructuum maxima ſterilitas & caritas, etiam racematione* (ob vindemiam imprudenter a nonnullis ante nives neglectam) *in maximis nivibus inſtituta, vinum erat tenue, inſipidum ac vappeſcens.*

Decembris principium horridum cum procellis, nivibus & gelu immani uſque ad duodecimam, reliquum temperatum, variabile & pluvium. Bubones adhuc vagabantur, ſed benigniores, rigore forte temporis malo hoc mitigato: febres vero quartanæ mirum quantum invaluerunt, rebelles admodum & contumaces.

Conſtitutio Epidemica Auguſtana An. 1711. & ſequentium.

Dn. D. LUCÆ SCHROECKII.

AEris ſtatus, quo Annus prægreſſus fuit finitus, in principio quoque Anni 1711. perſtitit, humidus nempe ac multo frigore moleſtus, variorumque ventorum agitationi expoſitus, uſque dum d. 7. eurus ſerenitatem, & poſt octiduum zephyrus pluvias, tandemque nives frequentiores adduceret; circa finem autem menſis hujus primi eurus denuo prævalens, cum ſerenitate frigus diuturnum & intenſum excitaret, ut mei thermometri liquor ad gradum 8. (quod etiam d. 13. Februarii contigit) deſcenderet, præcipue poſtquam zephyrus d. 4. Febr. & caurus poſt quatriduum, nec non eurus quintiduo abhinc nivem admodum copioſam ſparſerant; quæ ſub africo, comite pluvia & frigoris remiſſione, d. 18. Febr. liquari cœpit; & quamvis nova ſubinde nix, occidentali vento (ſæpe ad meridionalem, quandoque etiam ſeptentrionalem plagam inclinante, rarius vero ab aliis ventis interpolato) ſpirante, uſque ad d. 10. Martii caderet, eadem tamen pluviis ſupervenientibus brevi denuo reſolvebatur. Interea, præter febres quotidie vel alternis diebus recurrentes, licet rariores, in vere tamen crebriores, & in principio ſæpe continuarum ſpeciem præ ſe ferentes, primum teneriori ætati, in progreſſu autem adultis magis infeſtas, ut & catarrhoſam ægritudinum multitudinem, Variolæ benignæ in primis, uſque in Aprilem frequentes, aſt circa Solis in ſignum Cancri ingreſſum, una cum febribus evaneſcentes, continuarunt, nec non pleuritis notha, atque coxendicum dolor (diaphoreticis, tinctura præſertim bezoardica, juxta cum eccoproticis, utrique malo opem ferentibus) multos lecto affixerunt.

Ver cum ventorum varietate, zephyro tamen prævalente, aura nebuloſa, humida & temperata (catarrhoſis ideo morbis, præſertim odontalgiis, apoplexiis etiam lethalibus opportuna) primo erat præditum, quæ circa Aprilis medium in ſerenitatem mutabatur. Majus frigidiuſculus potiſſimum euro ſpirante comparuit, in medio tamen caloris ſat acris per decendium particeps, paucoſque dies ſerenos per totum reliquum ſuum decurſum numerans, crebrioribus autem tempeſtatibus grandinoſis, e longinquo tamen nobis tantum ſe oſtendentibus, vicinis autem admodum damnoſus. Cum Junio eurus, interdum ab aliis diverſis ventis interceptus, ſerenitatem caloreſque magnos proferebat, uſque dum poſt ſolſtitium æſtivum zephyrus dominium obtinebat, & mutabilem aeris ſtatum, ſæpius vero pluvioſum producebat, quæ humida aeris intemperies poſtea etiam continuabat, dieſque caniculares magis temperatos quam fervidos efficiebat. Et licet poſtmodum cum Sol in Libra verſaretur, eurus ſerenitatem quandoque redderet, antequam tamen ſigno hoc excedebat, zephyrus, aliquoties valde impetuoſus, pluviis frigidis denuo moleſtus extitit, quin & pluvioſa illa intemperies uſque ad finem Anni perſtitit, niſi quod in Decembri crebræ nebulæ, & ſerenitates quandoque, curo præcipue, auſtro & africo intervenientibus, comparerent. Cæterum præter catarrhos nihil epidemicorum malorum prioribus iſtis temporibus obſervatur; poſt Canis tamen occaſum variolæ denuo multos infantes invaſerunt, confluentium jam ſpecie gravius aliquos affligentes & negligentius habitæ non paucis lethiferæ, paulo poſt tamen, uſque ad anni exitum, & in Januarium uſque Anni ſequentis, ulteriuſque, ſed rariores diſcretæ mitioreſque comparentes. Diarrhœæ circa finem Novembris, & per Decembrem in multis, prævio ut plurimum vomitu, torminibuſque ſtipatæ, prompte tamen ſtomachum roborantibus cedentes, notatæ fuerunt.

Circa finem æſtatis, & per autumnum lues illa, quæ bubulo generi per Germaniam Italiamque tam infeſta fuit, poſtquam ex Hungaria verſus Danubium ſenſim progreſſa, ubique luctuoſa ſui veſtigia reliquit, noſtra quoque confinia attigit, ac inſignem ſtragem, integra etiam numeroſa bovilia evacuantem apud nos, ac plurimis vicinis in locis edidit; quam non aeris ex vitio, ſed contagio per boves ex regno illo adductos exortam fuiſſe; vel inde ſatis nobis notuit, quod illa primum loca, ubi paſcuis frui illis advenis contigit, invaſerit, armentis vero omnino pepercerit, ad quæ illi, vel alii ab his infecti haud pervenerunt, atque ubi conſortium illorum, ad quod contagium jam penetraverat, evitatum fuerat. Miaſma vero hoc per ſalivam animalium infectorum, quo gramina inter paſcendum conſpurcarunt, ſe primo, poſtea etiam per exhalantes vitioſas a corruptis humoribus viſceribuſque particulas ulterius, his in terris, propagaſſe, atque cauſtica acredine infeſtum, fauces, ventriculos ac inteſtina hoſtiliter invaſiſſe, inque ſpaſmodicos motus non tantum nervoſas partes irritaſſe, ſicque ob conſtrictos exin vaſorum ſanguiferorum tubulos inflammationem excitaſſe, ſed ipſam etiam eorum ſubſtantiam ad putrilaginem diſpoſuiſſe, credibile videtur: Id quod lingua in quibuſdam inflamniata, & veſiculis rubris referta, ventriculi, præſertim ornaſus, & inteſtina non minus inflammata, & non tantum ſanguineæ, ſed fœtidæ etiam & purulentæ excretiones, ut dyſenteriæ malignæ ſpeciem ut plurimum præ ſe tulerit, nec non inteſtina hepati contigua bile ſuffuſa teſtabantur. Unde etiam, quæ in prima invaſione notata fuerunt ſymptomata potiora, appetitus nempe dejectus, difficilis reſpiratio, calorque præternaturalis ortum habuiſſe videntur. Cæterum caro lue hac demortuorum boum quamvis pluribus, egenis præcipue, in cibum primo venerit, nec ſiniſtri quid ipſis inde accidiſſe reſcitum fuerit, tutius tamen eſſe iiſdem abſtinere, tum ratio ſuadet, qua ex viſcerum obſervata labe prompte etiam eandem carnibus communicari, quia & nauſeam, facile exin oriundam, multum nocere poſſe evincitur, tum exempla confirmant, quibus noxium quandoque extitiſſe carnium contagioſa labe infeſtorum animalium eſum conſtat. Vid. præter alios Nob. D. Roſini Lentilli Miſcell. med. pract. part. 2. pag. 519. Liceat etiam memorare exemplum, ab Exc. Dn. D. Joanne Meyero, Arch. Elect. Palat. & Phyſico Neoburgenſi, Anno 1712. d. 16. Julii ad me perſcriptum, duobus nempe ruſticis, cum bovem ægrotantem mactaſſent, &, quia lienem pulmoneſque male conſtitutos invenerunt, ſepeliiſſent, carbunculos in brachiis fuiſſe exortos, cum febre acuta, vomitu & diarrhœa; duos autem canes, qui carnes iſtas deguſtaverant, eodem die mortuos fuiſſe. Ex Hungaria quidem Venetias advectorum boum dyſenteria laborantium carnes innoxias quondam Medici aliqui Patavini inſignes pronunciarunt, aſt tutius eſſe talibus abſtinere, celeberrimi olim Jenenſes Medici, Guern. Rolfincius in Ord. & meth. ſpec. comm. lib. 2. ſect. 3. cap. 60. & Jo. Theodor. Schenckius hiſt. gener. humor. cap. 2. judicarunt. Prout etiam Collegium Medicum Auguſtanum circa caſum hunc ab Illuſtr. Senatu requiſitum, hujuſmodi carnium ulteriorem venditionem, ad noxas inde emergendas præcavendas, diſſuadere tutius duxit, atque per Senatus Decretum impetravit.

Circa principium Anni 1712. zephyrus, interdum ad unum alterumve latus declinans, cum frigore nivem, ſed rariorem ſparſerat; & licet ſæpius aer ſerenus poſtea redderetur, ſemper tamen nebuloſus una fuerat: frigus quidem in progreſſu remiſſius, aſt brevi poſt, flante euro vel auſtro, denuo intenſius factum eſt: uſque dum d. 3. febr. zephyro redeunte, pluviis, quæ per decendium durarunt, obortis ceſſarunt. Varius abhinc aeris ſtatus, quoad temperiem tolerabile frigus, crebriores autem nives attulit, uſque dum circa æquinoctium vernum eurus temperatiorem aerem redderet, mox vero diverſis ſub ventis humida & pluvioſa conſtitutio uſque ad Solis in ſignum Tauri ingreſſum valde moleſta extitit, quam euro prædominante, calida & ſicca excepit, ſæpius tamen poſtea variando: Sole vero Leonis ſignum occupante, occidentales venti pluvias multiplicarunt, & d. 6. Auguſti cum ſerenitate calores magni oborti fuerunt; qui etiam, licet circa finem menſis hujus, delapſis pluviis, remiſerint, mox tamen denuo comparuerunt. Cæterum hucuſque præter conſuetos hyemales catarrhoſos inſultus, in menſibus vernalibus tuſſes ferinæ puerilem ætatem admodum afflixerunt, eccoproticis repetitis, abſorbentibuſque, nervinis, ac demulcentibus ægre profligatæ febres etiam quotidianæ non valde contumaces, purgantibuſque præmiſſis, per antimoniatas calces, arcanum duplicatum, & corticem Peruvianum &c. devictæ, per æſtatem plures occurrerunt; in Auguſto autem non paucæ diarrhœæ, in nonnullis quoque dyſenteriæ, ut & choleræ, ſed benignæ, omnes facile, poſt rhabarbari nonnihil toſti uſum, in primis pulveribus dictis præcipitantibus, coralliis, unicorun foſſili, quandoque etiam tormentilla, ſucco catechu &c. curatæ. Haſce ægritudines in progreſſu menſis febris catarrhalis exceperat, ſine ſexus ætariſve diſcrimine, magis tamen adultos quam pueros, cum febrili inhorreſcentia, ſubſequente calore, cum cephalalgia, & hinc productis pervigiliis, quas interdum deliria nocturna comitabantur, oculorum item, dorſi & artuum dolore, ac tuſſi ut plurimum invadens, & inſtar ephemeræ, altero, vel tertio, quartove die, ſponte, aut impetus ubi vehementior erat, poſt moderatum ſudorem, modo per volatilia, modo fixa medicamenta, pro ſubjectorum diverſitate, excitatum, recedens; niſi quod tuſſis quandoque pertinacius inſiſteret. Qui morbus uti multis, remotis etiam in locis, ita noſtra quoque in urbe plurimos invaſerat, ut vix domus eſſet, ubi eo laborantes non deprehendebantur; atque nobis ex prægreſſa humida aeris intemperie, ſimiles in corpore noſtro particulas augente, ac magnis dein ejuſdem caloribus, lymphan in corpore fundentibus & agitantibus, ſubito tamen tempeſtatis frigidæ aliquoties obortæ interventu, quæ tranſpirationem ob poros inde occluſos ſufflaminabat, condenſatam generata mihi videbatur. Nec aliam cauſam pleuritides hanc in menſe Octobri excipientes, non admodum refractariæ habebant, atque ideo ſudoriferis moderatis præcipue, ac ſatis prompte cedebant. Aliorum morborum minime ferax erat autumnus, qui ſatis temperatus & ſerenus in principio, in progreſſu autem, præſertim zephyro ut plurimum, & quidem nonnunquam multa cum vehementia ſpirante, humidus ac pariter temperatus ſe habuit; ſicque continuavit hæc temperies: ante ſolſtitium tamen quatriduanum frigus, & talem etiam in fine Anni, euro flante, experti ſumus.

Non

Non prætereunda hic eſt lues admodum gravis & funeſta, quæ in vere equos potiſſimum extra urbem & in vicinia, rariſſimos in urbe invaſit, multoſque trucidavit, poſtea etiam bobus, feris, quin & porcis, anſeribus atque gallopavonibus, quibuſdam in locis, non pepercit, & adultum uſque in Julium tragœdiam ſuam ludere perrexit. Oriebantur fere ſemper in pectore, aut etiam in inguine, aliiſque locis tumores duri, qui paulo poſt in amplius ſpatium ſe diffundebant, & intra breve temporis ſpatium interimebant. Hos ab ictu crabronum, qui copia & magnitudine inſolita prædiți obſervabantur, ortum habuiſſe mihi credibile videbatur. Uti vero cadavera boum elapſo anno demortuorum, nec ubique alte ſatis in terram defoſſorum & putreſcentium inſectis hiſce pabulum gratum exhibuiſſe, (in cavernis enim & ſub terra nidos ab eis fieri, carnibuſque veſci, Ariſtoteles lib. 5. hiſtor. animal. cap. 23. Plinius lib. 11. hiſt. nat. cap. 21. aliique teſtantur) ſicque multiplicationi & augmento eorum, humoriſque venenati, quem glandula in imo abdominis, cui aculeus nigricans & cavus, juxta nobil. D. Joannis Muralti relationem in Eph. noſtr. Dec. 2. Ann. 1. obſ. 56. implantatus eſt, majori acredini velificaſſe, non improbabile eſt: ita venenatæ etiam hæ atomi in humoribus animalium ab eis ictorum ſeſe multiplicare, atque dein alia quoque animalia ſic inficere potuerunt: quale exemplum in prædio vicino Illuſtr. cujuſdam Baronis equum hac lue defunctum, & in fovea non alte ſatis effoſſa, terra obrutum exhibuiſſe ſcio, cujus ideo pes unus extra terram prominens a ſervo cum ſecuri amputaretur, proſiliens exin humor in ejus oculum, mox tumorem & inflammationem excitaverat, alterum etiam oculum, & ſucceſſive totum caput occupantem, atque cum ope medica deſtitueretur, mortem brevi accelerantem. Salis ex aceto potum adverſus crabronum virus præfatus Plinius lib. 32. cap. 9. & Caſp. Schwenckfeldius Theriotr. Sileſ. pag. 526. remedio eſſe tradunt, eque veſtigio fluxiſſe vehementius, ſuctuque infixos aculeos, vel potius humorem virulentum revulſiſſe: Inter alia ſane remedia, theriacam, allium, bolum vulgarem, nitrum &c. cum aceto propinata, quibuſdam (uti etiam in ſuperius memorata boum lue) profuiſſe, ab aliis non infeliciter tumores ſcarificatos, aut etiam ex inciſa cute fuiſſe extractos, relatum fuit.

Anni 1713. principium, ſub variis ventis, potiſſimum occidentalibus, frigore, quod cum primis in medio menſis Januarii intenſum valde fuerat, & ſerenitate, uſque dum ſol Piſcium ſigno approximaret, gaudebat. Ubi poſt plurimas pluvias cœlum nebuloſum, verſus finem autem Februarii ſerenum, cæterum valde temperatum reddebatur; quæ temperies, ſub mutabili cœli facie etiam uſque ad æquinoctium vernum & ulterius continuabat. Reliquus vernalis & æſtivus decurſus quandoque temperatus, ut plurimum autem pluvioſus, & ſæpe una frigidiuſculus extitit. Menſem vero Septembrem, in quo eurus ſpirabat, ſerenitas commendabat; in reliquis autem tribus menſibus crebræ nebulæ pluviæque (quibus in Octobri nives ſæpe intermiſcebantur) aderant. Humida hæc præpollens aeris conſtitutio, zephyro majori ex parte comite, multorum ſuperveniendorum morborum timorem nonnullis pariebat, nihil tamen ſingulare apud nos inde evenit. Attamen præter varias catarrhoſas moleſtias, variolæ diſcretæ, rarius confluentes, nec mali moris, per totum Annum, frequentiores tamen poſt ſolſtitium æſtivum, & per reliquum Anni; præterea etiam febres tertianæ ac quotidianæ, ut & quandoque icteri, facile omnes ſanationem admittentes, ſparſim, in Majo plures infantes morbillis benignis laborarunt; in Decembri non pauci febre petechiali, cujus in pagis vicinis multum graſſantis contagium in urbem delatum fuerat, interierunt, brevi tamen iterum per DEI gratiam malum ceſſare contigit.

Conſtitutio Epidemica Auguſtana Anni 1715.

Dn. D. LUCÆ SCHROECKII.

HYemale frigus uti in fine Anni præteriti, ita jam quoque tolerabile extitit, & raro, nec diu intenſius redditum fuit; interea mutabilem aeris, in primis autem nebuloſam & humidam intemperiem experti ſuimus; & quamvis ventorum eſſet varia mutatio, zephyrus tamen ut plurimum prævaluit; qui noctu d. 8. Februarii vehemens redditus, poſtea d. 11. & 12. invaluit, imo d. 2. & 4. Martii, omnium maxime vero d. 3. ejuſdem, in magnum furorem erupit, & non ea quidem damnorum multitudine, qua in Anglia, Hollandia &c. infamis, non tamen plane inſons deſævit, cœlo interim nebuloſo, cum intervenientibus, parcioribus quidem, nivibus, comparente; temperie autem paulo prius nominata continuante; uſque dum d. 5. Aprilis eurus aerem ſerenaret & excaleſaceret; redeunte tamen circa Solis in ſignum Tauri ingreſſum ſub diverſa ventorum facie, humida ob pluvias frequentiores intemperie. Menſe Majo vernalis amœnitas uſque in adultum Junium comparuit; & licet Sol quandoque acrius ureret, pluviæ tamen intervenientes, & tempeſtates, attamen nobis non admodum graves aut damnoſæ, calores temperabant. Sol poſtquam Cancri in ſignum pervenit, euro flante, æſtivos calores experti ſuimus; quos vero, zephyro ſuccedente, Menſe Julio temperatior aura excepit, pluviis ſubinde æſtum temperantibus; talique ſtatu uſque ad d. 15. Decembris ut plurimum permanente: ubi hyemale frigus, aere ſereno per ſextiduum, poſtea fere ſemper nebuloſo uſque ad finem anni durante, admodum penetrans eurus excitavit. Cæterum humida hæc aeris conſtitutio catarrhoſas infirmitates, leviores tamen, oculis, dentibus, faucibus & pectori creavit, atque in autumno & hyemis principio, multis infantibus tuſſi & catarrho ſuffocativo, præſertim poſt morbillos, exitialis fuit: poſtquam enim variolæ præteritis duobus annis ſequentes fuerunt, hoc anno quoque, & quidem menſibus æſtivis vehementiores, confluentium naturam in multis induentes, in pueris continuarunt, & præter eas morbilli benigniores in vere ſupervenerunt, atque poſt inducias æſtivas, in menſe Novembri atque Decembri gravius affligentes recurrerunt, pluribuſque, qui aut gravius, corpore in primis vitioſo ſero laborante, iis infeſtabantur, aut cura negligentiore tractabantur, mortem accelerarunt: quod aliis etiam infantibus multis ex catarrho ſuffocativo, aut inſultibus epilepticis contigit.

Anni 1716.

FRigus anno ſuperiore obortum, Anno 1716. quoque continuavit, & in primis die 17. 18. & 19. Januarii adeo invaluit, ut frigori Anni 1709. ubi in Thermometro meo ſpiritus vini ad ſeptimum uſque gradum deſcenderat, æquale comparuerit, imo d. 18. illud dimidio gradu ſuperaverit. Quæ auſterior aura etiam uſque in adultum Majum, rarius temperatiori interveniente, perſeveravit; & licet alibi, etiam in vicinia noſtra, nives crebriores & copioſæ admodum delapſæ fuerint, in urbe tamen noſtra altitudinem alibi obſervatam non attigerunt. Cæterum multa ventorum mutatio, & rarior ſerenitas ſemper occurrit, præterquam quod in Aprili eurus plures dies ſerenos efficeret. Unde vernalis amœnitas & rarior, & ſera admodum obtigit, ut incrementum Floræ, Cereris, & Pomonæ multum retardaverit.

Nec æſtas multo melius ſe habuit, crebris ventorum alternationibus, pluviiſque obnoxia, exceptis diebus canicularibus, qui plures ſereni, non tamen calore nimio inſenſi extiterunt.

Autumnus non minus, ſub zephyri, præſertim poſt æquinoctium, & primis Decembris diebus admodum vehementis, prædominio, frigidus humiduſque, & in Novembri crebris nebulis infeſtus, atque circa finem denuo pluvioſus extitit.

Poſt ſolſtitium quoque hyemale crebræ rurſus nebulæ comparuerunt.

Ex humida autem hac aeris conſtitutione catarrhoſæ infirmitates fere nunquam non per totum annum fuerunt obortæ; & in primis circa Anni principium apoplexiæ adultis, ac tuſſes convulſivæ pariter ac humidæ puerili ætati, non ſine multorum internecione infeſtæ: nec deerant pleuritides veræ, diaphoreticis tamen & pectoralibus non difficulter curabiles; in quinque primis menſibus febres inſuper intermittentes, tertianæ & quartanæ, non paucis moleſtæ, ſed facile, chinchinæ, obſervatis obſervandis, cedentes.

Nec variolæ prorſus ceſſarunt, ſparſim ſubinde comparentes, in autumno tamen plures invaſerunt, & confluentium naturam in quibuſdam induendo, malignitatis etiam notas exhibuerunt, ac ita aliquibus funeſtæ evaſerunt.

Anni 1717.

CUm poſt Anni principium nix crebrior decidiſſet, cælumque ſerenum redditum eſſet, frigus ſub euronoto obortum eſt, quod uſque ad principium Februarii continuavit; ubi a zephyro, interdum & africo, nivis liquatio ſenſim ſucceſſit; die autem 9. novum obortum frigus, euro præpollente, per undecim dies duravit, & diebus 18. 19. ac 20. adeo intenſum fuit redditum, ut fere frigus Anni 1709. æquaverit, ſed zephyro tum oborto mitius cælum evaſit. Ubi etiam variolæ ſenſim diſparuerunt, poſtquam in Anni principio, in pluribus confluentes, non ſine malignitatis nota, infantibus, rarius adultis infeſtæ eſſe perrexerunt. Erant, in quibus puſtulæ nigræ interſperſæ notabantur, morte ſubſequente. Puerulo ſexenni, ſub temperato regimine, variolæ diſcretæ rite prodierunt; die vero morbi ſexto paſſim puſtulæ ſanguine turgidæ ſunt redditæ, cum mictu ſanguinis, deliriis, magna inquietudine, & lethali die 8. morbi eventu. Erant, qui per totum morbi decurſum de afterutrius pedis vel genu dolore, ſine tumore & inflammatione conquerebantur, cum variolarum exſiccatione iterum ſponte ceſſante. Martius, Aprilis, & Majus varia conſtitutione, præſertim autem humida ac frigidiuſcula prædiți, adventum veris valde retardarunt, ſed poſt ſolis in Gemellorum ſignum ingreſſum temperatius cælum, & ſæpius valde calidum, intermiſtis tamen crebrioribus pluviis, ventis utplurimum ab occidente vel ſeptentrione ſpirantibus, factum eſt, & in primis ſirius, ſub euri prædominio, magnum æſtum excitavit. Ubi, cum hactenus rariores ægrotaſſent, jam dyſenteria multis, potiſſimum ex plebeja gente, & adulta ætate, cum majori malignitatis, quam caloris ſenſu, ex magna virium proſtratione, contagii labe, breviorique morbi decurſu, (infantibus nonnunquam intra triduum ſuccumbentibus) colligenda, uſque ad æquinoctium autumnale infeſta eſſe cepit; quæ poſtea ulterius progreſſa puerili in primis ætati multam ſtragem, non tantum ob teneram, corporis diſpoſitionem, ſed medicamentorum etiam difficilioremi, & incongruum uſum, intulit. Cauſa potiſſima ab aeris varia intemperie, primo frigida & humida, poſtmodum calida, ibi tranſpirationem ſufflaminante & collectioni ſeroſarum ſalſarum particularum favente, hic eaſdem in orgaſmum concitante, imputari potuit; præcipue cum cereviſiæ minus defæcatæ & aceſcentis frequentior potus acceſſiſſet. Ex medicamentis, quæ non tantum malignitati reſiſtere, ſed acres etiam humores edulcare fibras, leniter ſtringere, & dolores mitigare valent, ſub varia forma, provide adminiſtrata conduxerunt, qualia erant unicornu foſſile, corallia rubra, bolus Armena, terra ſigillata, ſmaragdus, hæmatites, tormentilla, ſuccus catechu &c. cum & ſine opiatorum moderatu acceſſu; balſamum etiam Peruvianum cum vitellis ovorum ſubactum, in clyſteribus aliquoties injectum, egregiam opem in non paucis tuliſſe obſervavi.

Autumnus, zephyro, cum aquilone, denuo prævalente, (& illo quidem, ſæpe vehementer, præcipue autem a die 24. Decembris ubi veſperi impetuoſiſſimus, ſine tamen aliquo, per Dei gratiam, damno, ſecus ac alibi, in Hollandia, Hamburgo &c. tum temporis contigerat, per quatriduum furente) humidus admodum ob nebulas & pluvias, exſtitit; taliſque aeris conditio ad finem uſque anni, cujus ultima nox fulguribus illuſtrabatur, perduravit, nullis aliis morbis epidemice, pauciſſimis etiam ſporadice ſe offerentibus, præter odontalgias & conſuetas hoc tempore tuſſes & coryzas.

Conſtitutio Anni 1712. *apud Labacenſes in Carniolia*

D. D. MARCO GERBEZIO,

Apud eoſdem Phyſico, & Medico ord. medice conſiderata, & Auguſtam Vindelicorum die 28. *Decembris* 1712. *communicata.*

FRigori alias Hippocrates non videtur imputare ſingularem inſalubritatem, dum 3. Aph. 17. adeo *corpora firma, agilia, & bene*

colorata reddi asserit: quam id tamen insalubre esse soleat, saltem dum modum excedit, docuit nos præterquam hyems Anni 1709. si quæ alia nivosa, & frigida, quoque currentis Anni 1712. hyems ob non multo demissiores nives, & frequentes aquilonares ventos similiter ultra modum frigida. Sub ejus siquidem decursu plurimi a febribus catarrhalibus, tussibus, raucedinibus, pleuritidibus, phthisibus, cephalalgiis, gravedinibus, hemiplegiis, cachexiis, hydropibus, & aliis a variis modis peccante lympha dependentibus indispositionibus, fuere apprehensi. Quamvis tamen forte per se non tam frigus fuerit causa tantarum indispositionum, quam prægressa elapsi Anni 1711. austrina, & pluviosa autumni constitutio, quæ a præsentis anni perrigida hyeme excepta humiditates, elapso autumno in corporibus aggregatas, occlusis cutis poris, & per id impedita insensibili transpiratione, in corporibus retinuit, coagulavit, stagnare, & extravasari fecit, præsertim dum subinde tamen etiam intercurrerint austrini flatus, qui eas rursus solverunt, & exundare fecerunt. *Si vicissitudine quadam*, dicit Valeriola lib. 2. cap. 4. locor. com. *aquilonius flatus austrinum sequatur, fluxionum tum morbi fiunt.* Quemadmodum & nos *in Chronologiæ nostræ Med. An.* 1. xx. & xxi.

Sic Ego ipse mox sub anni ingressu cum pluribus aliis a febri catarrhali apprehensus eram, sed brevi liberatus introsumptione mannæ granaræ in jure dissolutæ quantitate unc. trium, & sudatione ad tales pulveres specificos mane cum decocto herbæ theæ assumptos, 2ℒ. spec. diamarg. frig. diatrag. frig. ʒij. diaphor. ana ℈ß. succin. alb. præp. flor. Δ. ana gr. iij. m. f. pulv. in triplo. Aliis præterea subinde venæ sectione sanguinem imminuebam, & alia pectoralia propinabam, puta decoctum pectorale cum syrup. de alth. Fern. de farfara, aut similibus specificis dulcificatum. Item Trochisc. bechicos, ol. amygd. dulc. cum sacch. candido, vel julapio violato &c.

Certus puellus quinquennis non pridem pro capitis, & reliqui corporis scabie abigenda, nescio quo, perunctus, & præterea ab extra perfrigeratus in eam dyspnœam inciderat, ut suffocandus videretur. In subsidium vocatus suaseram, ut eum syr. Mannati ʒj. & jalap. pulv. ℈j. expurgarent. Hinc in jure dissolutam spermat. ceti ʒj. propinarent. Nec non ad sudorem cogerent his pulvisculis. R. spec. diamarg. frig. ♃. diaphor. ana ℈ß. pulv. march. succin. alb. præp. ana gr. iij. flor. Δ. gr. j. sacch. perl. gr. iij. m. f. pulv. in triplo. Et sæpius cochleatim propinarent de tali mixtura appropriata. R. Extract. helen. fumar. ana ʒj. croci gr. v. subigantur in aq. asthmat. chærefol. ana ʒiß. syrup. de hyssopo ʒß. m. f. potio. Atque, nisi malum remitteret, utrique brachio vesicatoria applicarent. Dictum factum, & puellus præter parentum expectationem convaluit.

Hyemem quidem cum majore amœnitate excipere velle videbatur ver, utpote sub cujus ingressu ex amœnis solis radiis adhuc residuæ nives succesive optatissime dissolvebantur. Postquam autem in Aprilis progressu sæpius intercurrere incœpissent pluviæ austrinæ, a 20. Aprilis usque ad 25. autem ex euro pristina hyemalis auræ asperitas, adeo desolati evadere incœperamus, ut adhuc vel tunc nobis non meliora de corporum valetudine, quam de futura satorum ubertate ominari tristes occœpissemus. Quando enim in nostris oris nives, & hyemale frigus eo usque, & ultra æquinoctium vernum protrahuntur, experientia annua edocti nunquam messem opimam, fructus arborum copiosos, & vindemias lætas nobis adpromittere audemus. Emori siquidem accidit vel in ipsa radice hyemalia fata, flores arborum fructiferarum emarcescere, & primos vitium pampinos a pruinis, & nocturnis auræ asperitatibus exitialiter aduri: quemadmodum id etiam, ut postea dicetur, hoc ipso anno evenit. Nec minorem stragem valetudo humana perpessa est. Corpora siquidem hyemali asperitate enervata, & per tot intercurrentes auræ vicissitudines alterata, nec non per tot vernas pluvias nova humorum illuvie repleta, non poterant non solum ab adhuc hyemalibus indispositionibus opprimi, verum & vernis subjacere, potissimum eis, quæ a peccante lympha, quales sunt omnis generis vulgo defluxionibus imputari soliti affectus, produci solent. Non minus autem Majus erat inconstans, & inamœnus, quam Aprilis, utpote fere quotidie versus vesperam pluviosus, quin immo subinde & tempestuosus, quemadmodum secunda Maji, qua excussum ex nubibus fulmen arcis horologio adjacentis turris tectum magne parte dissecerat. Junius erat quidem nonnihil ordinatior, & versus exitum utcunque æstivus, aliquoties tamen æque tempestuosus: quin immo ad festum S. Medardi ex aquilone plane frigidus. Ut adeo neque ipse plane inculpate transire potuerit.

Certus archi-hypochondriacus, jam tribus annis consequenter semper circa dimidium Aprilis deterius affectus, & præsertim de capitis gravitate & obfuscatione quadam lamentatus, 13. Aprilis inexpectate factus epilepticus intra bihorium obiit. Obiisse quoque observati sunt alii repente eodem tempore facti epileptici. Memorabile est a jam dicto hypochondriaco notarum discrimen inter auram civicam, seu urbis arci subjacentis, & inter auram sublimem arcis ipsius Labacensis. Asserebat is enim, quod quoties adiisset (solebat autem diebus amœnis facere frequentissime) arcem, consedissetque aliquandiu subtilia, supremitatem montis amœne coronante, vel obambulasset; se semper notabiliter melius sensisse, caputque habuisse serenius; quamprimum vero redux domum versus subjacenti urbi appropinquasset, se illico rursus deterius sensisse. Ut adeo plane dubitare non liceat de veritate eorum, quæ nos *in vindiciis nostris Medicis de aura Labacensi* §. 37. de discrimine inter salubritatem urbium, & locorum liberæ auræ expositorum, campestriumve docuimus.

Ad repentinam Junii circa festum S. Medardi perfrigerationem, pleuriticus factus Jacobus Ubez, expertus Chirurgus, corpore ultra modum obesus, & plethoricus, elusis quibuscunque adhibitis remediis quoque intra triduum obiit, cæterum homo apparenter saniissimus. *Obesi* videlicet *facilius moriuntur, quam graciles* ex Hippocrate.

Æstas habuit quidem sua intervalla utcunque connaturalia; quod totius tamen intercurrissent tempestuosæ pluviæ cum tonitruis, fulgurationibus, & fulminationibus, subinde etiam cum grandine, cum communiter subsecuta notabili auræ perfrigeratione, quemadmodum 21. Augusti, qua mane hora media septima fulmen in suburbio Tyrnau dicto octo nautarum casas, non obstante densissima pluvia, in cineres redegerat; pro vix temperata, & vernam temperiem assecuta haberi poterat. Ob quam causam fata tardius maturata messem tristissimam colonis præbuerant.

Adhuc parum siquidem illud, quod hyemalem rigiditatem, & ultra æquinoctium protractas nives subterfugerat, perque vernas pluvias in lolium conversum non erat, per toties iteratas coruscationes adeo exustum fuit, ut aristæ vel steriles plane evaserint, vel grana macra effœtave, & potiore farina orbata progenerarint.

Neque humana valetudo interea minimum passa. Vidimus siquidem, quod, quæ per Junii, Juliique decursum ob imminutas succesive per hyemem, & ver in corporibus aggregatas humiditates, utcunque subsidere incœperat, mox sub Augusto labascere visa sit a febribus tertianis intermittentibus, subinde & quartanis, & tertianis nothis, continuis, diarrhœis, dysenteriis, vomitionibus &c. impetita. Quæ febres vel in eo fuere singulares, quod non solum raro consuetum typum in paroxysmis observaverint; verum etiam, quod communiter post aliquot paroxysmos in continuas mutari solitæ fuerint, similiter adeo inordinatas, ut etsi typum tertianarum duplicium præ se ferre viderentur, tamen subinde 24. & plures horæ interceserint, quibus in pulsu nulla fere alteratio animadvertebatur, urinis fere crassis, & lateritio sedimento refertis existentibus, desuper vero tamen rursus insistente continua alteratione, persæpe cum maculis petechialibus scarlatinis saltem per brachia dispersis, sæpe etiam cum diarrhœis & vomitionibus vel copiosissimis sudoribus; vix tamen aliquando cum ægrorum interitu, etsi semper cum tardissima integræ valetudinis recuperatione. Quod Medici communiter febriliter cum succo pancreatico justo acidiore effervescenti bili, sed multæ pituitæ admistæ imputabant; & vel propterea non tam ardentes, acutasve febres producenti, quam potius nothas, minus acutas, & diuturnas. *Quando æstas fit similis veri, sudores in febribus multos expectare oportet. Hipp. 3. Aph. 6.*

Curabantur autem febres illæ, si quandoque perstitere intermittentes, pulvere cornach. diebus a febri liberis justa dosi assumpto, & sala febrili mynsicht. una alterave hora ante paroxysmos in aqua card. ben. vel cent. minoris propinato. Si qua vero eas in continuas degenerare accideret, præterea venæ sectio celebrabatur in petechialium macularum absentia, alias vero scarificatio dorsi cum subjunctis cucurbitulis. Quamvis viderim apud unum alterumve opificem, cui etiam actu prostantibus petechiis, sed pro pulicum morsibus habitis; erat sanguis venæ sectione emissus, & qui tamen æque convaluit, ac alii, quibus sanguis emissus non erat. Unde conjicere licebat eas solita sibi malignitate non fuisse præditas. Per reliquum morbi decursum autem insistebatur usui pulverum pan. rub. de gem. frig. cc. phil. præp. ♃ diaph. arcan. dupl. bezoardico min. additis, si diarrhœa symptomatica urgebat, troch. de terr. sigill. unicorn. foss. &c.

Certa filiola, quæ simili febre continua cum maculis patechialibus, & dysenteria detinebatur, convaluit ad subinde pro necessitate injectos clysteres primum abstergentes, postea astringentes, & ad quotidianam intro sumptionem pulv. pan. rub. troch. de terr. sigil. cc. phil. præp. unicorn. foss. & smaragd. præp. cum sacch. rosaro dulcificatorum. Quodque præterea linguam haberet aridam, eam humectabat mucilagine sem. cydon. aqua prunell. extr. addito rob. diamor. & lap. prunell. eluebatque frequenter os aqua & aceto invicem commistis, abstersa lingua dentiscalpio, non intermissis externis astringentibus.

Certus nobilis denique plane adhuc pluribus habebat opus. Laborabat is vero hemitritæo, febre ex æstu febrili continuo, & febre intermittente cum rigore & duplicato æstu alternis diebus intercurrente constante; & quod deterius erat, semper cum quadam veluti cholera seu excretionibus numerosissimis per superna, & inferna materiæ variæ veluti æruginosæ. Hic erat primum purgatus decocto sen. c. rhab. Mynsicht. Hinc ipsi vena secabatur, & pro attemperatione æstus febrilis præter mixturam cordialem ad intro porrigebantur pulv. de gem. frig. cc. phil. præp. ♃ium diaphor. arcan. dupl. Ast intercurrerat tertius paroxysmus cum ea violentia, vomitibus, & alvi dejectionibus, ut æger, si sæpius taliter invaderetur, malo succubiturus metueretur. Hinc postridie illius paroxysmi loco arcani duplicati memorato, pulveri cort. Peruviani & troch. de terr. sigill. ana ℈ß. erat additus. Vesperi autem ante somnum pridie quarti paroxysmi febris intermittentis talis bolus. 2ℒ. Conserv. menth. rosar. elect. diascord. frac. ana ʒß. cort. peruv. subtil. pulv. ℈ij. troch. de terr. sig. gr. vij. m. cum sacch. f. bolus. Et non solum quieverat ea nocte utcunque æger, verum & a vomitionibus illis, aliisque dejectionibus fere liber erat, præterquam totus debilis, & a continuante æstu febris continuæ totus anxiosus. Qui propterea pro possibili cordialibus & caponis jure cum gelatina permisto reficiebatur. Quodque expectaretur accessus quarti paroxysmi mox a meridie, quatuor horis ante eum fuit ægro talis mixtura specifica propinata. R. Aq. cord. saxon. secundæ, card. ben. ana ʒß. syr. coral. ʒij. cort. Peruv. subtil. pulv. ʒß. ☉. absinth. gr. v. m. f. pot. Et desideratissime emanserat, quem adeo non minus nos, quam æger ipse metuerat, paroxysmus. Ut adeo nobis nihil superfuerit expugnandum, quam adhuc febris illa continua, viriumque prostratio: quibus proinde diligenti continuatione pulv. de gem. frig. cc. phil. præp. ʒij. diaphor. & ☉. perlat. nec non mixturis cordialibus opem ferre eo usque conabamur, usque dum succesive & ista feliciter sopita fuere. Certe si in quo alio, in hoc manifeste periculoso casu se Herculem exhibuit cortex Peruvianus, rite ob conjunctam choleram stomachicis associatus.

Autumnus denique usque ad extremum Octobris erat satis commodus, ut adeo vindemiæ quidem in optata aeris temperie potuerint peragi, sed vel ex eo tristes, quod magna botrorum pars, uti in constitutione verna dictum, aut in primis adhuc pampinis vere emarcuisset, aut æstate a tantis corruscationibus, & rubiginosis pluviis, ipsis etiam arborum foliis, & arboreis fructibus propterea copiosissimis maculis notatis, & ad putredinem promptissimis notanter infensis, adusta penitus arida e vitibus decidissent, postea autem, & toto Novembri, Decembrique mensibus usque ad 13. Decembris adeo pluviosus, ut fere non interceserit dies, qua non pluisset, aut saltem nubilum, & ad pluvias proclive non fuisset, & ex austro jugiter (excepta 20. & 21. Novembris, qua primæ nives ex euro ceciderant, & 8. Decembr. qua per quinque continuos dies africus vehementissime furebat) flante veluti tepidum. Hinc non mirandum, quod interruptis dictis tum continuis, tum intermittentibus febribus, e contra turmatim irruissent febres catarrhales, hemicraniæ, vertigines, hemiplegiæ, arthritides, post 20. Novembris repente perfrigeratam raucedines, gravedines, tusses, pleuritides, obauditiones &c.

A 13. Decembris ex africum excipiente leni aquilone demum ſaltem a prandiis ſerenum cum ſucceſſiva aeris perfrigeratione uſque fere ad anni exitum, niſi quod poſtremis diebus conſtanter obnubilatum cœlum nos ſolis radiis privaverit. Atque adeo apparet totum hunc annum, excepta hyeme, quæ ſaltem frigoris acerbitate exceſſerat, fuiſſe valde inſalubrem, & ob tot pluvias, coruſcationes, & potiſſimum prævalentes ventos meridionales, non minus terræ fructibus, quam hominibus magnopere inſenſum. Num vero & animalibus, quæ etiamnum crepare continuant? ſub judice lis eſt. Interea certum eſt, tot æruginoſas pluvias eorum paſcua non reddidiſſe ſalubria, quin potius inſalubria. Quamvis probabilius videatur, iſtam interitus animalium continuationem potius contagii ſemel eis impreſſi propagationi eſſe imputandam, quam paſcuorum vitio: eo, quod & alibi terrarum graſſetur tale malum, ubi forte tamen tot corroſivæ pluviæ non cecidere, quot apud nos.

Duo hemiplectici fere plane æqualiter affecti, id eſt uterque cum immobilitate brachii dextri, & loquendi impotentia, fuere fere æqualiter percurati, ita ut etiamnum fere pro lubitu moveant brachia, & loquantur libere. Purgabantur videlicet hac potione. R. maſſ. pil. cochiar. ℥j. diſſolvatur in tantillo aq. apopl. adde ſyrup. de ſtœchad. ℥ij. ſpir. lil. convall. gutt. VII. m. f. potio. Hinc uni eorum, qui plethoricus erat, emittebantur ex dorſo mediante ſcarificatione circiter quatuor unciæ ſanguinis. Utrique vero erat injunctum, ut pro corroboratione ſpirituum bis de die aſſumerent, caſtaneæ quantitate, de hac opiata. 2ℒ. conſerv. flor. beton. ſalviæ, anthos, majoran. ana ℥ſſ. ſpec. contra apoplex. ℥iſſ. ſpecific. cephal. Michael. ℈j. ſpir. ceraſ. nigr. lilii conval. ana parum m. cum ſyr. flor. tunicæ f. opiata. Cui ſuperbibatur unum vel alterum cochlear aquæ apoplecticæ.

Item, ut ſpinam dorſi cum nucha ungerent unguento nervino, & ol. lumbr. tetr. utque os frequenter eluerent ſpir. lil. convall. cui theriaca eſſet admixta.

Quinta morbi die fuit repetita potio purgans; atque ſubſequentibus ſeptem diebus ſudor procuratus decocto lignorum cum ligno roriſmar. & viſco querc. Et, uti dixi, ſucceſſive convaluit uterque.

Non multo abſimilius tractatus fuit etiam certus mercator ex hemiplegia ſaltem oris torturam, & palpebræ dextri oculi, ita, ut eam citra manus ſubſidium occludere non poſſet, reſolutionem paſſus. Purgabatur is nempe his pilulis. R. Extr. cephal. ℥ſſ. caſtor. gr. j. Reſin. jalap. pin. ſub. gr. VII. ſpir. mac. gutt. j. m. cum ſpiritu ceraſ. nigr. f. pil. n. ix. Nucham calide unxerat ung. nervino & ol. ſuccini; pro corroboratione utebatur eadem opiata, qua duo illi hemiplectici, & poſt triduum repetitis pillulis ſudabat ad potum decocti ſudoriferi per octiduum, prætereaque partem affectam fovebat ſacculis ſpeciebus nervinis refertis, & in vino albo decoctis. Et eatenus reſtitutus fuit ſucceſſive, ut vix animadvertatur, quod aliquando fuiſſet læſus.

Armamentarii Cæſarei præfectus tamen, poſtquam jam antehac ter fuiſſet a ſimillima hemiplexia ſimillimis remediis feliciter reſtitutus circa dimidium Novembris brachio ſiniſtro, quod alias prioribus vicibus erat intactum, reſolutus cum omnimoda loquendi impotentia, fruſtra adhibitis quibuſcunque, ad initium Decembris interiit.

Ex quartanariis certus ſexagenarius ad ſolas has pilulas. 2ℒ. pil. tart. Schrœd. ℥ß. extr. gentian. cent. min. ana gr. IV. reſin. jalap. pin. ſubr. gr. v. m. cum tinct. tart. f. pil. n. IX. Et ad ſectionem ſalvatellæ manus ſiniſtræ, atque ad gr. iij. tart. emet. Nec non ad continuatum uſum hujus tincturæ convaluit. 2ℒ. Eſſent. abſynth. Elix. propr. parac. tinct. tart. ſpir. ☉. *ci ana ℥j. m. doſis gut. xxx. ex aqua abſynthii. Alii tres quartanarii vero priuſquam fuere liberati, præterea uſi ſunt ſuis temporibus his pulveribus ſpecificis. 2ℒ. cort. Peruv. ſubtiliſſime pulv. ℈ii. ☉*ci, ♃ diaphor. ana gr. x. m. f. pulv. Aliorum affectuum curationes, utpote magis obvias, ſtudio prætermitto, excepto ſolo adhuc materialiſta illo, qui 20. currentis Decembris in ædibus carpentarii ad Eccleſiam S. Floriani ex diuturnis coli inteſtini doloribus, & oſſis pubis, illique apoſtemate obiit. In eo ſiquidem illud erat ſingulare, quod ex aperto apoſtemate in femore aliquot digitis infra os pubis ob commodiorem puris evacuationem cum pure genuinæ alvi fæces profluere animadverſæ fuerint. Propterea demortuo poſt octiduum circiter ægro, jam pridem penitus exhauſto, erat inquiſitum in dictarum fæcum tranſitum, & deprehenſum, quod colon inteſtinum, ea, qua coxam ſpectat, parte fuerit ad imperialis nummi amplitudinem exeſum, perforatumque, & inde facto ſucceſſive cuniculo per pure excavatos muſculos, pattes illas contegentes, penetraſſe ex læſo inteſtino fæces illas alvinas uſque ad inciſum locum. *Induta eſt ſcilicet caro hominis putredine, & ſordibus.* Job cap. 7.

Conſtitutio Anni 1713.

Dn. D. MARCO GERBEZIO

Medico Labacenſi, communicata die 15. *Januarii An.* 1714.

ADeo varius erat apud nos Labacenſes, quoad auræ temperiem hujus anni 1713. decurſus, ut fere vix præterierit octiduum, quo ob jugem omnis generis intercurrentium ventorum viciſſitudinem alia non fuiſſet introducta aeris conſtitutio. Solus Januarius ſibi hyeme aliqualiter conſtabat, æſtate Auguſtus, & autumno poſterior Novembris, & anterior Decembris pars cœlo ex ſolito maturius partis nivibus, eaſque ſecuto flatu aquilonio ſerenato. Cæterum vero toto reliquo tempore varietas, potiſſimum cum pluviis, & auræ aſperitate conjuncta: proindeque ſicut terræ frugibus maxime incommoda (qui propterea, exceptis montanis locis, ubi ſolum natura ſua aridius eſt, non ſolum crevere perpauci, verum & impuri, & viciis, zizaniiſque pleniſſimi, arboreis fructibus quidem itidem ſaltem in montanis exiſtentibus utcunque copioſis, verum, & ipſis ob nimias pluvias veluti eviratis, & ſolita ſapiditate deſtitutis, conſequenter minus ſanis, plurimiſque hominum eis indiſcrete veſcentium febrium, diarrhœarum, dyſenteriarum, vomitionum, & ventris corroſionum cauſa) ita ſanitati humanæ maxime importuna. *Mutationes* ſiquidem *temporum*, teſte Hipp. 3. aph. 1. *pariunt morbos*. Quod ea tamen non tulerit ſingulares aliquas, præter copioſas defluxiones, epidemias, qualium alias feraces eſſe ſolent ſimiles annorum conſtitutiones; exiſtimo in ſingulare noſtrum commodum feciſſe, quod dictæ illæ varietates nunquam repente irruerint, ſed ſucceſſive, & veluti inadvertibiliter, neque diu tales perſeverarint, neque magnæ fuerint: quod tamen requiritur ad inducendos in corpora ex aere morbos populares. *Magnas* ſiquidem, dicit Hippoc. citato loco, *mutationes facere morbos*, 3. aph. 7. autem dicit: *Si annus magna ex parte talis fuerit*. Quod ipſum ſentit & Galenus *Comment.* 1. *in lib.* 1. *Hipp. de morbis vulgaribus*. Quandoquidem igitur hic annus, juxta dicta, maxima ex parte fuerit varius, & frequentiſſime pluvioſus: tales conſtitutiones vero ſolent eſſe defluxionum, ſeu morborum a peccante lympha dependentium feraces; mirum non eſt, quod potiſſimo tempore præ quibuſcunque aliis affectibus viguerint defluxionum morbi.

Curationes eorum non adduco, ſed relego benevolum Lectorem ad *Chronologiam meam Med.* elapſo vere Francofurti una cum Intricato Extricato meo Medico recuſam. Ne vacuæ tamen omnino ſint hæ paginæ, aliorum morborum hoc tempore obſervatorum, & ſolum breviter meminiſſe hic lubet certæ nobilis matronæ, elapſa quadrageſima a me ab hydrope aſcite feliciter percuratæ, elapſo autumno vero ex eodem malo tamen, ſed per errorem defunctæ. Hæc tota elapſa æſtate citra querelam vixerat: quod ea vero horariis fructibus nimium indulſiſſet, & alias licentioſius pro ordinario mulierularum more victitaſſet, ſub initium autumni de novo cruribus intumeſcere occœperat, ſucceſſive & abdomine; ſed quod cum neſcio quo in ventre motu, ſe concepiſſe ſuſpicari incœperat, & propterea omnia remedia, ne inde ſorte abortus periculo ſeſe exponeret, negligere, uſque dum exacto, ſua opinione, geſtationis tempore, dum parituram ſeſe exiſtimaret, vitam cum morte commutarit. Apertum propterea cadaver, ut fœtus eximeretur: aſt ejus loco aliud non repertum, quam ingens in abdomine aquarum colluvies. Ut adeo manifeſte conjicere licuerit, motum illum, quem fœtui illa imputabat, aliunde non fuiſſe, quam a flatibus, aut colluviei illius aquoſæ in abdomine contentæ, & ſub corporis motu, aut ventris contrectatione perceptæ fluctuatione. Si infelix mulier alias tempeſtive ad rem feciſſet (quamvis gravidas a ſimilibus generoſis remediis indigentibus malis citra abortum liberare, ſit ex noſtra in Intricato Extricato noſtro Medico tradita doctrina, perarduum) forte non minus juvari potuiſſet, quam adjuta a me fuit Sutoriſſa illa, cujus ut talis curatio propoſita fuit *in Chronologia* mea Med. Anno 1. §. CXXI. In ſimili ſiquidem peccantium humorum aggregatione remedia etiam valentiora, qualium hydrops præ aliis affectibus indiget, non tam fœtum, utpote rem domeſticam, & naturæ congenerem, quam humorem peccantem, utpote quid a natura alienum, citra abortus conſecutionem, aggrediuntur. Prouti id pluribus deductum a me fuit in jam allegata *Chronol. mea Med. Anno II.* §. CXXVII. alibi. Ut taceam, quod in tali caſu præſtare videatur ſaltem matrem etiam cum aliquo abortus periculo ſalvare, quam matrem & fœtum evidenti periculo expoſitum, relinquere. De imaginariis conceptibus alias ſi quis plura legere cupit, inſpicere poteſt Sachſium *in Scholio ad obſerv. I. Anni I. Decuriæ I. Ephem. Nat. Curioſ.*

Meminiſſe item lubet duorum febricitantium, quorum uterque in ſextum uſque menſem intermittenter febricitabat, non obſtantibus variis a ſuis Medicis ſibi ordinatis remediis, quos ego tamen ſolis ſequentibus mox ad anni principium celerrime liberaveram. 2ℒ. *Pil. tartarear. Schrœd.* ℥ß. *extr. gentian. cent. min. ana* gr. iv. *Reſin. jalap. pin. ſub.* gr. VII. *ol. mac. gutt.* ii. *M. cum tinctura tartari F. pil. n.* IX. Sumantur die a paroxyſmo libera. Hinc pro ventriculi corroboratione, & cruditatum correctione ſumantur quotidie mane ex juſculo de ſequenti tinctura in diuturnis febribus ſpecifica guttæ XXX. 2ℒ. *Eſſent. abſinth. agrimon. Elix. propriet. parac. ſ. acido tinct. tart. ſpir. ſal. *ci ana* ℥j. *M.* Atque ab extra lienis regioni applicetur emplaſtrum *de Cicuta cum ammon.*

Sique videretur, memoratæ pilulæ adhuc ſemel iterentur. Et exacte obſervata interea victus regula uterque conſtanter convaluit.

Ad certum quinquagenarium hypochondriacum ſæpe ſæpius ventris corroſionibus, & nocturnis vigiliis tortum pro dando conſilio vocatus, dum vidiſſem, quod ei a Medico ſuo ord. frequentiſſime ad veſperum pilulæ de cynogloſſa aliquot granis laud. op. acuatæ concederentur; earundem tam frequentem uſum abſolute diſſuaſeram veritus, ne eæ forte ſucceſſive caput ad apoplexiam diſponerent. Quod in eo vero mihi non obſequeretur patiens, utpote ab earum uſu ſemper, uti ipſe aſſerebat, alleviari ſolitus; ei ultimatim cum ſuo interitu obtigerat, quod Ego ipſi pridem prædixeram. Sæpe ſiquidem etiam ea, quæ prodeſſe videntur, obſunt.

Proſperiore ſorte ſibi e contra procuratum fuiſſe per ſex hebdomadas fruſtra deſideratum in arthritide vaga ſomnum, mihi eodem tempore fide digniſſimus narraverat certus Soc. JESU pater, charta, in qua multo tempore involutus in officina aromataria aſſervabatur crocus, capiti obvoluta. Ut adeo non vane ſuaſerit Wedelius apud Friccium in ſingulari ſuo tractatu *de virtute Venenorum Medica cap.* XXIII. *de croco*, crocum ſacculo incluſum, & infantum, ſi qua dormire non poſſunt, capitibus ſuppoſitum, cum admonitione tamen, ut, ne is eis forte nimium ſoporem inducat, poſtquam obdormivere, is iterum ſubtrahatur.

Adjicio rarioris illius affectus, quem ob involuntariam, & juſto copioſiorem crudæ & facto hauſtui analogæ urinæ proſuſionem, diabetem vocant Medici, ſuccinctam, ſed feliciſſime peractam curationem. Certus in honorifica dignitate conſtitutus 52. annorum Sacerdos, temperamento atrabilarius, & ob plurima negotia vitamque ſedentariam factus, uti dicitur, hypochondriacus, inter reliqua hypochondriacis familiaria accidentia ſucceſſive demum etiam de urinæ ardore, & multo in urina ſabulo lamentari cœperat. Hinc præter referandis obſtructionibus dicata plurima remedia etiam abſtergentibus, leniter diureticis, & urinæ acrimoniam obtundentibus uſus eſt, quale præ aliis erat decoctum Foreſti, & ſyrup. de althæa Fernel. Taceo ſtomachica, & alia, quæ ſubinde ab urgentibus circumſtantiis exigi videbantur. Inde ſublatus quidem ſuit moleſtiſſimus ille urinæ ardor, ſublatum etiam cum urina excerni ſolitum ſabulum; verum ejus loco inducta memorata illa involuntaria, & nimia crudæ, & potui colore plane analogæ urinæ proſuſio cum ea maraſmodica corporis contabeſcentia, ut venerabilis æger omni prorſus appetentia, & ſomno deſtitutus ſine fine ſitibundus proxime interiturus videretur.

Hinc itum in conſilium, & concluſum, ut poſthac cura to-

ta eo dirigeretur, quo urinæ nimiæ illi profusioni corporis substantiam eatenus depascenti idoneis remediis occurreretur.

Statutum propterea, ut æger ab omni difficulter digestibili abstineret, vitaret vinum, & ejus loco pro siti, quamvis pulsum vix alteratum haberet, biberet jus carnis bubulæ perfrigeratum, & ab omni pinguedine per præviam per pannum lineum colaturam liberatum, subinde autem emulsionem amygdalarum dulcium, exhilarato quandoque sitiente ore cochleari vini cydoniorum, vel granatorum acidorum, quandoque etiam granis ipsis pomorum granatorum. Pro cibo vesceretur juribus caponis, in quibus concussus sit vitellus ovi rec. contusus, amygdalatis, avenatis, hordeatis, & pultibus ex ovis, & pulpa panis triticei paratis, malis cotoneis &c. sique posset, carne vitulina, caponum, pullorum, avicularumque montanarum. Mane etiam & vesperi assumeret bonæ cassaneæ magnitudinem de hoc specifico.

℞. *Conserv. ros. rub.* ℥iij.
rad. symphyt. maj. ℥ij.
spec. diatrag. frig. ℥ß.
coral. rub. præp.
terræ sigill. ana ℥i. *M.*
cum syr. cydon. F. electuarium.

Regionem renum ungeret ungu. rosato refriger. Gal. & Comitissæ. Spinam dorsi autem & pectus ungu. resumptivo. Quibus constanter continuatis rediit successive tantus appetitus, ut sibi a cibis vix temperare valuerit. Item somnus, vires, & carnium consumptarum recuperatio ad admirationem.

Anni 1714.

SI unquam aliquis annus fuit irregulariter constitutus, fuit apud nos Labacenses annus 1714. cujus constitutionem quoad aeris temperiem in præsenti communicamus; excepta siquidem sola hyeme, quæ fuit cum paucis nivibus aquilonia, & per totum toleranter frigida, & sicca, totum reliquum ejus residuum, ver videlicet, æstas & autumnus, excepto Novembri mense & dimidio Decembris, quorum dies in accepta aeris amœnitate decurrerant, erat meris varietatibus, & veluti quotidianis pluviis subjectum. Unde tot, tantæque aquarum exundationes, ut nec sata maturescere, nec gramina defalcari, siccarique, nec semina opportunis temporibus terræ mandari potuerint; quæque terræ mandata fuere, aut prorsus non adoleverant, in semine suffocata, aut adulta a meris viciis, zizaniis, & loliis adeo conspurcabantur, ut usui esse vix potuerint, aut ab uredine adusta grana effœta, & farina fere destituta tulerint. Unde insueta annonæ penuria, & propterea præsertim Croatiam versus, fere communis inter plebejos fames.

Qua stante aeris constitutione qualiter humana valetudo substiterit, nemini credo difficile fore conjicere; qui ex Hippocratis *libro tertio aphor.* & alias novit, qualium tales annorum constitutiones soleant esse feraces corporum indispositionum; præsertim, si is præterea perpenderit, qualem victus rationem in simili rerum penuria, & caritate fuerit observare necesse, & quali, quamve insalubri qualitate debuere fuisse prædita non solum terræ, verum & arborum, vitiumque fructus, utpote dicta uredine adeo exesi, adustique, ut vix fuerit reperire pyrum, pomum, vel etiam botrum, qui integer, immaculatus, & connaturali suo sapore præditus fuisset: quamvis & talium parcissimus fuerit quæstus. Subsitit videlicet, si unquam aliquis, lamentabiliter. Eo, quod similes temporum constitutiones, soleant esse ex Hipp. citato loco, & nostra *in Chronologia Medica* tradita doctrina, morborum feracissimæ.

De hyeme quidem nobis non erat, quod adeo quereremur, utpote quæ utcunque tolerabili suo frigore siccitateque corpora potius reddebat *firma*, *agilia*, *& bene colorata*, adeoque bene valentia, quosque tulerat morbos, eorum saltem solum accidentalis extitit causa, quatenus videlicet humiditates a prægresso pluvioso anno in corporibus nostris aggregatas altius impresserat, coagularat, & a discussione per insensibilem perspirationem impediverat.

Quod ipsum puta & de Novembri mense, Decembris que anteriore dimidio, utpote similiter leni aquilone perflatis, & potissimum amœna serenitate illustratis. Ast tanto majores querelæ nobis fuere contra veris, æstatis, & reliqui autumni (utpote adeo pluviosorum, ut vix intercurrerit duorum triumve dierum serenitas, solisve illustratio, quæ a pluviis, aut saltem nubilo cœlo cum plane insueta aeris asperitate non fuisset interrupta) decursum: Qui propterea tantis cum ægrotis negotiis nos oneraverat, ut iis expediendis vix sufficerimus. Quinimo, postquam affinem nobis Stiriam ad Judemburgum peste infectam perceperamus, nobis plane de adhuc deterioribus metuere inceperamus. A quibus tamen præservavit nos hactenus gratiosum Numen.

Morbi autem, a quibus adeo impetebamur, erant præter omnis generis defluxiones similibus temporum constitutionibus semper familiares, arthritides, colici dolores, pleuritides, hydropes, febres tam intermittentes, quam continuæ, & ex eis multæ plane malignæ, diarrhœæ, dysenteriæ, vomitiones, lumbrici, variolæ, morbilli, & rubeolæ: nulli tamen funestiores, quam febres petechiales, & præsertim Decembri mense variolæ. Quibus propterea etiam multi, præsertim Augusto mense, & Septembri plane succubuere. Quamvis, qui victus rationem observarant, riteque curabantur, potissimum reconvalescerent.

Singulare quid duobus fratribus acciderat: Utrumque prævio totius corporis rigore febrilis incalescentia apprehenderat. Hinc plane intolerabiles lumborum punctura. Desuper unum petechiæ scarlatinæ seu purpureæ, alterum petechiæ nigræ, & variolæ purissimo sanguine soliti puris loco suffusæ. Et ille tertia morbi die, hic septima inopinate succubuit.

Certa etiam 10 annorum herula cortice Peruviano vix a febre quartana liberata in variolas confluentes densissimas inciderat, quæ successive etiam eo perductæ fuere, ut contractis crustis instantanee abscessuræ crederentur, herulamque pristinæ valetudini more solito restituturæ. Ast ecce quam inexpectatum fatum! præterquam enim, quod crustæ etiam sæpius oleo amygd. dulcium perunctæ nullatenus recessissent (persistente interea semper febre acuta continua, & tussicula) ultimatim eæ eo deductæ fuere, ut si quam casu tamen abscedere accideret, ea post se ardentissimum ulcus absque omni pure relinqueret, usque dum miserabili herulæ ultimatim, 21. scil. morbi die, e vita excedere fuerit necesse. Usque adeo de variolis, nisi cum eis & febris, & reliqua accidentia recedant, nunquam venit triumphandum.

Certus Mercator Goritia Labacum cum intensissima & ea continua febri in maximo frigore delatus, de intensissimis & faucium, & artuum doloribus lamentabatur: a quibus demum etiam idoneis remediis liberatus erat. Sed desuper (persistente adhuc febre) toto corpore minutis, & densissimis hydatidibus, seu vesiculis aqua refertis, adeo fuit perspersus, ut quis eum undique fervidissima aqua fuisse perfusum, perustumve citra dubitationem jurasset. Et non obstantibus quibuscunque remediis quoque ipse 18. morbi die obiit.

Certus Lib. Baro e contra usque ad desperationem asciticus, dum proxime expiraturus crederetur, superveniente tumidissimo scroto, inflammatione, & abscessu, sponteque evacuatis inde aquis præter omnem expectationem convaluit. Usque adeo desperandum nunquam: sed dum spiramus, speremus.

Carbonum suffocatorum illorum, quibus fabri ferrarii uti consuevere, vapores esse nocentissimos, nemo facile est, qui nesciat: noxios vero æque esse ordinarios illos ab aperto igne combustis lignis relictos, non facile credo fuisse observatum. Accidit tamen, quod elapso Decembri ex intenso frigore domum reversus faber ferrarius septuagenarius, eo quod sese, ad talium carbonum ignem excalefeciset, in eum soporem, cum maximo stertore inciderit, ut is ab adstantibus pro fortissime apoplectico, adeoque ex sententia Hipp. 2. *aph.* 42. pro omnino desperato haberetur, successive quidem clystere acri, frictionibus, sternutatoriis, vesicantibus, & volatilioribus antiapoplecticis, rursus excitatus, ultimatim vero, decima tertia videlicet morbi die tamen e vivis sublatus.

Simillimum fatum accidisse recordor ante annos Iggensi rustico in noviter calefacto, & non pridem extructo fornicato cubili, qui vero libero aeri expositus sese tamen rursus recollegerat. Sed Septuagenario illo longe junior erat.

Singularis molis calculum in vesica gestare absque eo, quod ab eo saltem subinde urinæ excretio intercipiatur, meo judicio pro raro habendum est. Factum id tamen fuisse detexerat nobis nuperrime dissectum corpus nostri Labacensis Ecclesiæ Decani. In ejus siquidem vesica ad digiti crassitiem corrugata deprehensus fuit trium unciarum calculus, qui tamen urinam nunquam intercepisse fuit observatus; quin potius is, postremo præserti manno, continui urinæ crudissimæ profluvii extitit causa. Sed sciendum venit, calculum hunc ab ægro semper fuisse pro hernia habitum, quem propterea a pluribus annis semper sursum cingulo hernioso consueto religatum gestabat, impediebatque hoc medio, ne is unquam ad vesicæ orificium devolvi, & urinam omnino procludere potuerit: quin potius, quatenus totum conractæ vesicæ spatium sua mole occupabat, causa erat, ne a renibus jugiter affluens urina ibidem subsistere potuerit, sed potius veluti guttatim jugiter excerni debuerit. Juvaret propterea quoque forte alias (nisi lithotomiæ remedio periculoso & sæpe impossibili sese subjicere mallent) tali medio uti, ut taliter saltem ab eis alias consueta urinæ præclusione liberi viverent.

Anni 1715.

QUem non piget revolvere constitutiones anni 1713. & 1714. a me notatas, & postremo Ephem. Nat. Cur. tomo insertas, is facile conjiciet, qualiter saltem per hyemem currentis anni 1715. substiterit inter nostrates Labacenses humana valetudo. Ex temporum siquidem salubribus, vel insalubribus aeris constitutionibus potissimum dependere humanorum corporum bonam, vel malam valetudinem, demonstravi luculenter in Chronologia mea Med. Quandoquidem igitur ex dictorum annorum constitutionibus elucescit, eorum tempora potissimum fuisse varia, aspera, & pluviosa, talia autem solere esse fluxionum, & omnis generis a putredine, & humorum corruptione oriundarum indispositionum feracia; arguere promissimum est, saltem hyemem memoratos annos immediate consecutam debuisse fluxionibus, & omnis generis a putredine, & humorum corruptione oriundis indispositionibus fuisse obnoxiam, non obstante, quod ea de se adeo insalubris non fuerit, utpote potiori ex parte aquilonia, toleranter frigida & sicca, adeoque ex sententia Hippocratis utcunque salubris. Corpora siquidem per antecedentem talem insalubrem aeris constitutionem vitiosis humoribus semel referta, præsertim hyemali tempore, quo cutis pori ab externo frigore occlusi, talium humorum debitæ per insensibilem perspirationem depurationi obsistunt; per subsequentem, etsi etiam utcunque salubrem aeris constitutionem, sibi adeo restitui vix possunt tam celeriter, ut in affectus a tali putredine, & corruptione oriundos non incidant, eo saltem usque insistentes, donec a salubriori, & ea contraria, calida videlicet aeris temperie in contrarium non alterentur. Hinc etiam observatum fuit, non obstante juxta dicta de se alias utcunque salutari hyemis constitutione, plurimos Labacensium incidisse, præter omnis generis defluxionum morbos, quoque in febres malignas, morbillaceis & varii generis etiam aliis cutis efflorescentiis adeo periculosis, & contagiosis ripatas, ut potissimæ urbis domus eis fuerint coinquinatæ: magna etiam incolarum pars, præsertim pauperum, utpote & competente victu, & necessariis remediis destitutorum, plane e medio sublata. Dictum siquidem fuit præterlapsum annum 1714. fuisse adeo sterilem, & insuper fructibus, quos protulerat, vitiatum, ut inde in corporibus ab eis nutritis alii succi progenerari non potuerint, præterquam morbosi. Accesserat & mortalitas animalium, quorum, etsi nondum actu ægrotorum, re ipsa vero tamen actu infectorum comestas carnes probabile est, etiam quidpiam ad humanorum corporum insalubritatem contulisse. Item inter plebem famem ipsam, quæ propterea tot mendicos ad urbem compulerat, ut non pauci eorum conquisito ibidem cibo faturati mox animo, & vita etiam in publicis plateis concidere visi fuerint, usque dum eis in publico Lazareto alias pro impestatis destinato, ex collectitia eleemosyna necessaria sustentatio a Magistratu suppeditaretur.

Petechiales, seu scarlatinæ illæ maculæ, quas vulgo petechias nominamus, vix apud ullum ægrum observabantur: morbillaceæ vero, alias rubeolæ dictæ, quales ego anno 1699. per æstatem hic grassatas fuisse *Anno iii. meæ Chronolog. Med.* §. *XL.* & seq. descripsi, communiter apud omnes, præcipue in dorso magis conspicuæ: quibus tamen non raro elevatæ quæpiam pustulæ instar variolarum interspergeban-

gebantur, ſæpe etiam diſcuſſis jam illis exanthematibus undecima morbi die, 14. vel etiam tardius ſuperveniebant, miliares quædam puſtulæ totum corpus denſiſſime cum pruritu obſidentes: ſubinde vero hydatides, ſeu limpidiſſimo ſero repletæ veſiculæ, eis ex aſſe ſimillimæ, quæ perfuſione cutis aqua fervidiſſima excitari ſolent. Et iſtæ potiſſimum poſt ſe traxere ægri, utpote aliunde jam prius enervati, inevitabilem interitum, ſicut illæ non facile.

Variolæ quidem, & morbilli etiamnum quoque adhuc una graſſabantur inter infantes, & adultos, minori tamen cum ſævitie, quam elapſo Decembri, præter unicam monialem, apud quam variolis denſiſſime perſperſam uſque ad duodecimam morbi diem ſecuriſſime procedere videbantur; duodecima autem epidermis, ſeu extrema illa cuticula, quæ veram cutim contegit, adeo elevata conſpiciebatur per faciem & totum reliquum corpus, præcipue brachia, latentibus ſubtus variolis, ut ad humerum digitis apprehenſa, per totum brachium uno tractu detrahi potuerit, idem puta de facie. Et iſta 13. morbi die obiit. Plura hic mihi eſſent adhuc de epidemia hac valde multis fatali commemoranda: quod ea vero potiſſimum retigerim in Chronol. mea Med. loco citato deſcribendo febrim morbillarem apud nos anno 1699. ſimiliter, etſi non adeo ferociter ſævientem, benevolum lectorem eo ablego. Interea ſolum adhuc id hic adjiciens, quod epidemia iſthæc malignitate parum a peſte ipſa recedens tota hyeme, & vere, præcipue Majo menſe, uſque in Junium, qui erat amœniſſimus, eatenus, in omnem ætatem, & ſexum præſertim in quoad faciem cæterum ſaniſſimos ſævierit, ut tale quid noſtra memoria hic Labaci adhuc nunquam fuerit obſervatum. Neque hoc ſolum hic Labaci, ſed ſucceſſive & per reliquam provinciam, præſertim circa Sitticium in parochia S. Viti, & circa Rudolphsbertum in parochia S. Ruperti, ubi maximam ſubditorum partem e medio ſuſtulit.

Ex ſexu muliebri tamen utero gerentes præ aliis impegerant, utpote communiter abortum paſſæ, & retractis a lochiali fluxu ad interiora exanthematibus. Idem fere puta de eis mulieribus, quibus mox in mali principio, aut ſub ipſa exanthematum eruptione menſtrua proruperant.

A Junio uſque ad exitum Auguſti erant fere omnia benigna; de variolis autem, & morbillis nec auditum quidem: e contra febres tertianæ, præſertim Octobri menſe (quamvis is fuerit una cum Septembri, imo & Novembri, præter ſolitum amœnus) adeo contumaces, & inconſtantes, ut poſt tertium, vel quartum paroxyſmum communiter degenerarint in lentas continuas per plures hebdomadas, non obſtantibus idoneis remediis, continuantes; ultimatim vero rurſus in intermittentes terminatæ: quæ vero erratice ægros apprehendebant, ſerius, aut citius in quartanas mutabantur, quas tamen omnes ſequenti methodo, & remediis, propterea bene annotandis, feliciter cicurabam. Primo purgabam corpus ter, quater, vel quinquies (pro exigentia videlicet cacochymiæ, vel cachexiæ) communiter pridie paroxyſmi (quia ea die tolerantius ſe habere ſolent ægri) tali ptiſana. ℞. fol. ſen. ſ. ſt. ℥iij. ſalis tartari ℥ß. flor. viol. martial. paſſul. min. mund. an. p. i. ſ. per noctem infuſio in loco calido in ſ. q. aq. agrimon. vel borrag. vel aq. com. vel etiam in jure pulli pro colaturæ ℥iv. Mane prævia levi ebullitione ſ. expreſſio, & potio. Vel talibus pilulis. ℞. pil. tartar. ſchrœd. ℥ß. exrr. gentian. cent. min. an. gr. iv. reſin. jalap. pin. ſup. gr. v. vel vij. m. cum tinct. tart. ſ. pil. n. ix. intermediis diebus fiat humorum digeſtio, & obſtructionum reſeratio. ℞. Eſſent. abſynt. agrimoniæ, elixir propr. parac. tinct. tartar. martis aperit. ſpir. ſal. ammon. an. ℥j. m. doſis mane & veſperi gutt. xxx. ultimatim. ℞. pulv. patrum ℥iß. conf. alkerm. ℥ij. antim. diaph. ℥iß. arcan. dupl. ſal. abſynt. cent. min. card. ben. ammon. an. ℥ß. m. cum. conditura cort. citr. ſ. elect. molle. Doſis diebus apyrexias mane & a prandiis tribus horis ante paſtum caſtaneæ magnitudo, ſuperbibendo aliquid aq. card. bened. vel vini melioris: die febrili autem eadem quantitas in declinatione æſtus febrilis, continuando id ſaltem ſemel de die per 4. circiter hebdomadas: etiam poſt expugnatam febrim, cum exactæ diætæ obſervantia.

Qua ratione autem feliciter ceſſerit febrium malignarum, & petechialium curatio eis ruſticis, de quibus mihi ex Comitatu Cillienſi perſcripſerat certus amicus, quod illi ſeſe in ſummo febrili æſtu frigidæ immergere ſoliti ſint? Ego non capio. Quod vero pedibus, & reliquo corpore tumefacti ad potum cent. min. & immerſionem pedum in aquam fimi detumuerint, ejus demum ratio reddi jam poteſt.

Anni 1716.

A Tricennio huc recordor, nos quidem varias hyemes ob non minus copioſas nives, quam aſperam auram perdifficulter ſuperaſſe, in primis hyemen anni 1709. a me in Ephem. Nat. Cur. centur. 1. & 2. ſub titulo: Conſtitutio anni 1709. deſcriptam; nullam tamen fere difficilius, quam cujus conſtitutionem nunc communico; hyemem videlicet currentis anni 1716. Iſta ſiquidem vix aliquando, ab intercurrentibus breviſſimis auſtris aliquantum refracta nivium copia, & frigoris aſperitate per totum adeo ſævierat, ut æquinoctium vernum, quod alias apud nos hyemis finis eſſe ſolet, longe exceſſerit, obque indeſinenter furentes aquilonares ventos, indeque ſumma ariditate conſtrictam terram arbores, non niſi primo circa dimidium Maji in folia, & flores, idem puta de ſatis in ariſtas, erumpere ſiverit: exemplo alias noſtra memoria nunquam viſo, præterquam ante annos circiter 50. quo recenſet certus ſeptuagenarius illius hyemis frigus uſque ad Maji exitum adeo inſtitiſſe, ut paſſim neceſſe fuerit ſeſe a frigoris intolerabilitate lignis excalefactis fornacibus tueri. Omnes tunc, addit dictus ſeniculus, deſperaverant de ſatorum fere emortuorum, & frugum vel tolerabili ubertate; interea vero tamen conſecutum fuiſſe annum adeo fertilem, ut is raros ſibi habuerit pares. Quemadmodum idem ipſum inexpectata Dei benedictione factum admiramur & nos currente hoc anno.

A dimidio Maji demum prægreſſis pluviis tempus vernum, & ſucceſſive terræ viror, efflorescentiaque, quam vernam amœnitatem continuarat & Junius, cum Julio, & Auguſto menſibus, terræ frugibus vel propterea opportunis, quod fertilibus, eiſque brevibus pluviis ſæpius ad colonorum votum interſpergerentur. Sique September jam nominatorum menſium temperiem ſaltem proportionate ſecundaſſet, uberiorem annum optare non potuiſſemus. Quod hic vero per totum fuerit pluvioſus & frigidus, maturandoque fagotritico, noſtrorum colonorum pani quotidiano, uviſque plane importunus; factum eſt, quod fagotriticum vix maturatum, uvæ vero plane fere non. Unde vina non minus pauca, quam ultra modum acerba, proculdubio in futurum colicorum, & arthriticorum, nec non aliorum ab acido, & auſtero oriundorum, affectuum cauſa extitura. Arborei fructus e contra, præſertim poma, fuere copioſiſſima.

Veluti exhauſtis demum per pluvioſiſſimum Septembrem nubibus autumnus ſubſecutus fuit præter morem & expectationem acceptus, terra nivibus non niſi 11. Decembris, cum intenſo tamen frigore, cooperta.

Hinc humana corpora ſicut per hyemis decurſum multum fuere ab omnis generis defluxionibus perpeſſa, ita vernо tempore præſertim a pectoris affectibus; adeo ut de actu phthiſicis nemo mortem evaſerit: plurimi alii vero eidem obnoxii prima ſibi ejuſdem injecta fuiſſe fundamenta etiamnum deplorent. Per reliquum anni decurſum vero demum fere meræ indiſpoſitiones ſporadicæ.

Qualis erat, ut ſaltem unam vel alteram curationem pro uſu medico ſubjungam, heruli illius, qui pridem cachecticus, & ſcabioſus veluti repente fuit a ſcabie per ſe liberarus, inciderat e contra in vehementes epatis punctiones, febrim acutam continuam, ſitim tuſſim, vigilias &c. Huic præmiſſo clyſtere fuere ſanguinis ex baſilica brachii dextri emiſſæ unciæ v. Hinc pro febris ſufflaminatione talis pulvis bis quotidie introſumendus datus. ℞. ſpec. de gem. frigidis, diatrag. frig. antim. diaph. ocul. 69. ana gr. v. nitr. perl. iij. m. f. pulv. Et ab extra præmiſſa unctione ung. de alth. anodyn. & ol. viol. iterato ſuperpoſitum tale cataplaſma. ℞. Herb. malv. althæ. melil. flor. roſ. rub. ana mj. herb. hyoſc. m. ß. farin. ſem. lin. fœnugr. ana ℥j. m. dentur minut. conciſa pro ſacculo in lacte decoquendo. Et intra novem dies, obortis interea ſæpius ſudoribus, habuimus levamen deſideratiſſimum; adeo ut aliis ulterius non indiguerimus, quam corporis expurgatione, & quibuſdam levibus becchicis.

Item certæ Comitiſſæ dyſuria cum intolerabili regionis veſicæ ſive a ſimplici urinæ acrimonia, ſive a viſcoſitatibus (de arena ſiquidem nihil fuit animadvetſum) oriundo dolore: quæ tamen infra 12. horas ceſſerat (fruſtra prius applicatis quatuor clyſteribus, tot unctionibus, & cataplaſmatibus ex parietaria &c. combinatis) ad ab extra applicatam dolenti regioni theriacam ol. ſcorpion. Matrh. perſperſam, & ad introſumptam ex vino ℥j. radicis parreiræ bravæ ante biennium per Germaniam a *D. Lochnero*, Illuſt. noſtræ Academiæ directore, divulgatam. Poſt trium circiter hebdomadarum intervallum in idem malum reciderat eadem Comitiſſa cum urinæ cruentæ excretione, & eadem ipſa remedia experta fuit ſibi fuiſſe ſicut prius, maxime proficua. Suaviſſime ſiquidem urinam promovet laudata radix quomodocunque introſumpta, per ſe, vel cum aliquot granis ſalis geniſtæ, & ejus acrimoniam cum admiratione temperat. Quemadmodum id expertus ſui quoque in memetipſo, & primo his diebus apud nephriticis doloribus detentum Jeſuitam.

Et denique, ut alia præteream, arthritis illa, quam vehementem patiebatur certa puella, intra paucos dies his ſolis liberata: primo purgabatur hoc bolo ſpecifico, & propterea mihi in arthritide familiari. ℞. elect. caryocoſt. ℥iij. ſpec. diatereb. mynſ. ℥j. m. cum ſacch. f. bolus. Hinc ex iſchiatica pedis emiſerat ℥v. ſanguinis, & ſudabat quotidie ad hunc pulverem itidem ſpecificum. ℞. Pulv. march. oſſ. microcoſ. phil. præpar. antimon. diaphoret. ana ∋ß. cinnab. nat. præpar. gr. iij. m. f. pulv. qui mane ſumatur ex decocto theæ cum decocti ligni ſaſſafr. viſc. querc. & rad. liquir. facto veſperi vero ex aqua beton. Et convaluerat intra dies duodecim.

His ipſiſſimis remediis recordor me pluries curaſſe quoque dolorioſiſſimas iſchiaticas, ſolis adhuc ſubinde in ſubſidium vocatis cataplaſmatibus, ſeu fomentis anodynis. E cura compendioſa, commoda, & tamen, ſi continuantur, magis, quam quis ſibi perſuadere poſſit, efficax.

Anni 1717.

QUantum ad annorum ſalubritatem, & humanorum corporum valetudinem conferat regulata ſuis temporibus proportionata aeris temperies, jam toties a nobis dictum eſt, præſertim in chronol. noſtra med. Id quod equidem etiam manifeſte comprobavit ad finem decurrens annus 1717. Is ſiquidem, quod hyeme fuerit competenter frigidus, præterquam circa Februarii dimidium, quo frigore eatenus exhorreſcebat, ut inde vel arbores ipſæ fuerint notabile damnum perpeſſæ, præſertim molliores, quales ſunt perſicæ; vere temperatus: æſtate ſaltem Junio, & Julio menſibus æſtuoſus; quamvis, quantum publica nova peregre retulerant, alibi inſolenter rempeſtuoſus: autumno fere veris inſtar amœnus, humana corpora per totum adeo bene valuere, ut Medicis fere nullum negotium faceſſerint, niſi circa ſporadice patientes. Unicum occurrerat, quod videbatur quibuſpiam quid ex aere forte ab auſtris taliter infecto ſuam originem traxiſſe, epilepticæ nimirum convulſiones, quæ Septembri menſe intra eclipſim lunarem, & ſolarem plures homines unis iiſdemque diebus præter omnem expectationem adortæ fuerant. Duorum talium cura mihi obtigerat: tertii alteri meo collegæ. Duo mei ope divina fuere feliciter ad ſanitatem perducti: tertius ille, qui puella ſeptennis erat, e medio ſublatus. Duo illi mei non niſi primo exacto integro triduo aliquantum ad ſe redire & titubanter fere incipere fuere obſervati: tertiam illam autem, uti dixi, quarta morbi die ſuccumbere oportuit; num tamen revera, uti multis credebatur, ad eorum internecionem quid contulerint memoratæ eclipſes? Aſtronomiæ cultores certius dijudicare noverint. Interea mihi remedia, quæ meos duos priſtinæ valetudini reſtituiſſe videbantur, breviter ſpecificare lubet, forte in ſimili caſu quoque aliis ſervitura. Primum autem, a quo curam auſpicandam eſſe judicaveram, erat applicatio ex acrioribus, ſpecificiſque confecti clyſteris. Secundum, & priuſquam clyſter præpararetur, cochleatim propinandum mixtura hæc antiepileptica: ℞. Aq. hirund. comp. cum caſtor. epilepticæ Langii, ceraſ. nigr. flor. tiliæ an. ℥ß. liquor. cc. ſuccin. ℥j. eſſent. anodyn. gr. IX. m. f. potio. Tertium & ſeqq. frictiones crurum deorſum verſus, peruncto verticis ungu. alabaſtrino cum ol. rutæ, cran. hum. & ſuccin. commiſto. Quartum columbarum, & pullorum vivorum recens per dimidium diſcerptorum vertici raſo iterata applicatio. Quintum naribus ☉ volatil. ſuccini admonitio, nec non pulv. ſternutatorii per pennam in nares inflatio, ſucceſſive vero, & poſtquam ægri jam nonnihil ſeſe recollegerant, facilinſque quid introſumere poterant, pulvis march. ſpec. diacinnab. mynſ. & ☉ volat. ſuccini. Ultimum etiam corporis expurgatio. Quæ ſingula quidem etiam ſæpius iterare oportuerat, quin & alteri eorum, quæ puella 17. annorum erat, & menſtruis deficiebat, venam in talo ſecare, priuſquam plene convalnerint.

Puel-

Puellula illa ſeptennis a 4. hebdomadis prius febricitans, erat poſt mortem cultro anatomico ſubjecta, & deprehenſum, quod ejus cerebrum quoad piam matrem fuerit undique multa viſcoſitate obductum, quoad ventriculos autem plurimo, eoque procul dubio acri ſero, ſeu lympha repletum; unde vellicatum nervorum principium conjecturabatur convulſionum illarum immediata extitiſſe cauſa, meatuum cerebri a ſero illo inundatio autem mortis ipſius. Prouti ea de re perſpicaciter D. Anton. Pacchionus Regienſis Medicus Romanus *in Epiſt. de glandulis conglobatis duræ Meningis* ad Magnif. D. D. Lucam Schroeckium data in *Ephem. Nat. Curioſ. Dec.* 4. *An. I. & II. App.*

Hinc mihi, uti reor, non vane perſuadebam quoque meos duos ægrotos ex ſimillima cauſa idem ipſum malum primitus contraxiſſe. Primus ſiquidem, qui vir obeſus erat valde, bibulus, & pridem quoad memoriam defectuoſus, ad fauces tantas a capite defluxiones patiebatur, ut niſi ei injectionibus per os (poſtquam is jam aliqualiter ſeſe recollegerat, & os aperire poterat) tempeſtive ſuccurſum fuiſſet, ei infallibiliter vel ex ſolo hoc accidente intereundum fuiſſet. Adhærebant ſiquidem fruſtatim utrinque circa uvulam fauces ab aere, qui ob obſtructas nares inſpirando ſaltem per os attrahebatur, indurata phlegmata nonniſi dictis injectionibus, & gargariſmis inde avellenda. Frequenter etiam ſimillima ſputa ejiciebat. In puella quidem iſta cauſa ſeſe non adeo clare manifeſtabat; conquerebatur tamen, poſtquam ad ſe redierat, de gravitate quadam oculorum, obturatione aurium, & narium, ac ſi eo ipſi aliquid defluxiſſet, qui oculi etiam ipſi diu poſtea debiles, & vacillantes, præque fibrarum muſcularium a ſero relaxatione veluti confluentes permanſerant. Communiter forte & apud alios ſimilium convulſionum cauſa eſt ſimilis cerebri a nimia, eaque acri lympha inundatio, & proprerea ei revellendæ, & diſcutiendæ nihil æque prodeſſe ſolet, quam tempeſtive nuchæ, brachiis, cruribuſque, vel ipſi etiam raſo vertici adhibita veſicantia, quæ cauſa forte etiam Florentinis eſt, quod infantibus ſuis vix natis, ut eos ab epilepticis inſultibus, quibus illi endemice obnoxii eſſe ſolent, præſervent, nucham actuali igne adurant.

Recordor etiam in aula Averſpergica ante annos ex epilepſia defunctum infantem, & poſtea anatomico cultro in mea præſentia ſubjectum cerebrum ſimillime habuiſſe conſtitutum.

Reliquos affectus, qui mihi alias per anni decurſum occurrebant curandi, tractabam feliciter methodo, & remediis in Chronolog. mea medica notatis: puta febres, arthritides, colicas, hæmoptyſes &c. Rarius tamen quid obſervaveram in duobus ſubjectis circa pulſum: nimirum quod unus eorum melancholico-hypochondriacus qui ſanus communiter habuerit pulſum adeo tardum, ut priuſquam ſubſequens pulſus conſequebatur antecedentem, facile apud alium ſanum tres pulſationes prærerierint: qui tamen poſtquam elapſo Auguſto in febrim malignam incidiſſet, pulſum habuir adeo frequentem, & per omnes vitioſas differentias varium, ut talem nunquam obſervaverim. Propterea mox adhuc in principio morbi malum morbi exitum prædixeram. Tam notabiles ſiquidem naturæ a connaturali ſtatu receſſus non poſſunt, niſi peſſima quæque ominari. Vir alias erat robuſtus, & in actionibus ſuis accuratus, ſed tardiſſimus, ſæpius vertiginoſus, & ſubinde leviter inſultibus epilepticis obnoxius.

Alter vero ſimiliter robuſtus cum in febrim ſimilem incidiſſet, in decimum uſque diem pulſum, & urinam præ ſe tulerat adeo ordinatum, & naturalem, ut niſi contrarium ſuaſiſſent peſſima quæque, quibus una detinebatur, ſymptomata, virium nimirum ingens proſtratio, linguæ ariditas, inquietus ſomnus, delirium, tendinum ſubſultationes &c. eum quis nullatenus febricitaſſe, neque ſingulari periculo fuiſſe ſubjectum credidiſſet: qui 13. morbi die ſupervenientibus convulſionibus tamen ſuccubuit.

Adeo parum ſubinde fidere licet etiam optimo pulſui, & urinæ, niſi reliqua ei bonitate correſpondeant, parum etiam de præſentia, vel abſentia febris edicere; quantumcunque febrium præſentia vulgo communiter arguatur vel ex ſola pulſus frequentia, & inæqualitate; ubi vero hæc duo non animadvertuntur, ibi hoc ipſo non cenſeatur adeſſe febris.

Conſtitutio Epidemica Ferrarienſis Anni 1715.
Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

POſtquam annis proxime elapſis lues peſſima boves miſerabiliter invaſit, atque copioſiſſimi imbres tellurem inquinaverunt noſtram, rotumque agrum Ferrarienſem ſtagnantibus aquis peſſime vitiatum vidimus, ita ut ſemina futuræ meſſis pro majori parte deperdita fuerint, unde cariras, ac inopia anni 1715. ſurrexit, facta eſt etiam ſanitatis jactura.

Martio menſe vix inchoato, magnus buſonum & ranarum numerus obſervatus eſt, & increſcente vere innumerabilis culicum, vermium, ſerpentum, muſcarum, papilionum, locuſtarum, erucarum, aliorumque inſectorum copia ſuper terræ faciem apparuit, & liberum aeris campum occupavit, ex quo nonnulli multas ægritudines in humano genere prædixerant. Verno etiam tempore adhuc currente maximi ſolis æſtus in Maji fine corpora noſtra vexarunt, mox aura nebuloſa & humida, dolorum dentium, capitis, & rheumæ pars ſurrexit. quæ tamen brevi in multam eſt mutata ſerenitatem. Acceſſit Junius, & ſummis caloribus corpora noſtra affecit; hinc exordium habuere febres quædam, quæ prima facie tertianæ ſimplicis notam præferebant, mox duplicatæ pertinaciter utrunque ſexum omneſque ætates invadebant; primo enim rigor incipiebat, qui ad plures horas durabat, vomitus amari ſucci aderat, cardialgia, dolor capitis, & eximia ſuccedebat ſitis; in multis tormina, & ventris fluxus, in aliis ſumma alvi ſtypticitas, inappetentia in omnibus, ac vigiliæ aderant. In tali, ac tanto autem numero febres iſtæ invadebant, ut nulla Religioſorum tam marium, quam fœminarum Monaſteria, nullus denique in urbe locus fuerit ab hoc febrili incendio immunis. Miſerandum erat videre unum vix in domo ægrotare, dein paucos poſt dies totam febricitare familiam; ſic cœnobia, xenodochia videbantur, & rura repleta febricitantibus, in timidis nonnullis ac effeminatis conragionis timorem crearunt, ægrotantes creſcebant in dies, & ſine ſalute primorum, numerum augebant ſecundi, ut vix ſufficerent Medici ad tanras ægrotorum viſitationes; dies enim licet æſtivus ad rale miniſterium brevis erat. In curatione talium febrium primo lenitiva proponebantur ad educendas pravas materias in primis viis hærentes, & hoc die pari, & vacua fiebat; elapſa autem impari, in qua febris redibat, venæ ſectio celebrabatur; ſed hic notavi, die talis remedii, quo febris, quia tertiana, abeſſe debuerat, acceſſionem duplicatam, & ex ſimplici, duplicem factam fuiſſe, & continuam, ſicque majus minari periculum; qua experientia edoctus, impoſterum nunquam in talibus curandis febribus venam ſecari juſſi, ſed ubi opus erat, cucurbirulas ſcarificatas tantummodo applicari mandavi; alterantia, cordialia, clyſteria, narcotica, diuretica, & ſudorifica incaſſum ſemper fuere adminiſtrata; imo ſummum illud remedium nempe cortex chinæ chinæ, per plures dies exhibitum, parum aut nihil præſtabat auxilii; ſive cum vino generoſo, ſive in bolo ſyr. abſynth. confecto in decoctione, tinctura, extracto, ſyrupis, in rotulis, aliiſque modis exhiberetur. Medicorum aliqui iſtum pulverem cum rhabarbaro, zedoaria, gentiana & centaurio min. mixtum dederunt, aliique pulverem corticum fraxini, & corticum aurantiorum, baccarum juniperi ſimiliter experti ſunt. Si in aliquibus ceſſabat febris, brevi redibat, ac ter & quater recidivam patiebantur ægrotantes. Ego & uxor mea dilectiſſima, ſub Auguſti finem ab hac febri correpti, uſque ad Novembr. ea laboravimus. Sic inter alios ſub feſto Paſchatis Clariſſ. Dn. Hieronymus Baruffaldus Philoſophiæ Doctor Excellentiſſ. atque amicus meus ſuaviſſimus, pertinaciſſimam hanc febrem, pravis ſtipatam ſymptomatibus, uſque ad æquinoctium autumnale fuit paſſus; ego optima inſtituta victus ratione, & ad plures dies aſſumpto vino generoſo, in quo chinachinæ infuſa fuerat, tandem convalui; uxor vero mea, quia purgata, & aliis pharmaceuticis remediis uſa eſt, ſanguine etiam e vena pedis emiſſo ad febrem cicurandam, ſemper in pejus ruebat, & majores patiebatur febriles inſultus. Modo quartanæ duplices apparebant, modo ſimplices, hinc tertianæ redibant, inde duplices fiebant, iterum quartana, imo in aliquibus de ſeptima in ſeptimam diem revertebantur febres, pertinacem, & malignam ſemper ſervando naturam. Obſervatum eſt, nonnullos aerem mutaviſſe, aliaque loca petiiſſe, ibique morantes ſanitatem recuperaſſe. Reverſi vero Ferrariam, illico a nova febri vexati ſunt.

Pauca fuere funera, ſed longiſſimæ convaleſcentiæ, hinc in multis obſtructiones obortæ, in aliis crurum, & pedum intumeſcentia, in aliquibus icteritia, ſurditas, tremor, ac ſcabies, ſigna erant infirmitatis elapſæ. Notatum fuit in pejus ſemper ruere ægrotos, atque recidivare faciliter, ſpirante euro, qui ventus pertinaciter ad plures dies perſeverabat. Cauſam inquirentes nonnulli, nimium ſideribus tribuentes, putaverunt, ſtellarum influxum malignum, primo boves, inde homines affeciſſe. Alii calorem æſtatis nimis intenſum, longum, atque moleſtum accuſabant, quatenus extenuando corpora, & humores fundendo, nec non ipſos ſpiritus diſſipando, hujuſce naturæ febres excitaret. Multi in vino cauſam horum morborum latirare autumabanr, eo quia anno elapſo 1714. ob cæli inclementiam ex uvis fere immaturis vinum aciditate abundans confectum fuerit, quod aſſumptum craſim humorum, ac fermentorum vitiando tales febres excitaret. Non pauci cadavera boum, lue peſſima anno elapſo denatorum, & hinc inde paſſim ſepulta, cauſam iſtarum calamitatum agnovere: dicebant enim, particulas nobis infenſas, ac mortiferas cadaverum corruptione elevatas atque per poroſitates terræ ad aerem inquinandum ſublevatas infectionem in humoribus noſtris peperiſſe. Nec defuerunt, qui nimis creduli conſtitutionem a faſcino & maleficarum artibus diabolice provenire crediderunt. Aliqui, cum quibus ego facio, cogitaverunt cauſam harum febrium internam fuiſſe humores viſcidos atque tenaces, concoctu difficiles ac vix ſeparabiles, nec ſine longo rempore conſumi aptos; externam autem cauſam in vitio terræ conſtitutam eſſe, cum enim annis elapſis, ex copioſis imbribus, & fluminum diluvie, tota facies noſtræ telluris tecta apparuerit, & per conſequens viſcera ejus coinquinata a ſtagnantibus aquis fuiſſent, unde infectæ ex pravis humoribus herbæ paſcua nociva exhibuerint. Ex hoc morbi animalium, arborum multarum obitus, rubigo ſegetum orta, particulæ enim nitroſulphureæ aſſidue elevabantur, & fructus adhuc tenellos & uvas nondum maturas adurendo, ſpem colligendi alimenta furabantur; quin puteorum noſtrorum aquæ, quibus juſcula, pultes &c. conficiuntur, particulis iſtis imbutæ, vitium cum alimento præſtabant. Qui exactam vivendi normam obſervant, ſæpe pejus vexabantur, quam illi, qui diætæ regulas aſpernati, omnis generis cibaria pro libitu ac voluntate aſſumebant. Aliqui intemperantes, ante acceſſionem largam vini generoſi quantitatem potabant, ac inde ſe ad ſomnum & ſudorem componebant, & nonnulli tali modo ſanitati ſunt reſtituti. Alii omnimode ſe abdicarunt a vino, abſque ullo fructu: febres enim pari pertinacia procedebant, atque diætam, quantumvis regulis propriis exercitam, eludebant. Ad effugiendam peſſimam hanc conſtitutionem ad rura ibant non pauci, verum quia agri nobis vicini, eadem valetudine afficiebantur, parum utilitatis experti ſunt. Qui vero extra noſtra confinia proficiſcebantur, atque vel Bononiam, Mantuam, Patavium, Veronam, Venetias, atque Romandiolæ urbes pergebant, ii ſanitatem facile recuperabant. Non minus accidit nonnullis, qui tædio affecti ad exteras urbes ſe contulerunt adhuc febricitantes, ut abſque alio remedio priſtinam recuperaverint ſanitatem, & bene valentes in patriam redierint. In puellis paſſim obſervabatur in præſenti conſtitutione magna lumbricorum copia; per vomitum enim & per feceſſum vermes in febrium exordio prodibant, & multi pueri ex hac peſte denati ſunt. Hyſtericas inſuper affectiones in fœminis, talibus febribus conjunctas præter modum notavi, earumque inſultus fortiores, atque frequentiores maxime in febris principio, & augmento. Fructus pene omnes verminoſi, ac ingrati ſaporis, ita ut bonæ ſubſtantiæ fuerint illi ſoli, qui ab exteris ad nos mittebantur, & præſertim illi optimi ſucci erant, qui a Patavinis montibus veniebant. Poſtremo tandem obſervavi per publicas noſtras vias, per vicos, & plateas, ſi quid aquæ, aut alterius humiditatis, ad paucos dies permaneret, viridem colorem, ac fœtorem emittere, quod non tam facile annis tranſactis eveniebat. Faxit Deus, ut hæc terminante anno 1715. finem habeanr, atque meliorem anni venturi 1716. conſtitutionem poſſimus ſani deſcribere.

Annorum 1716. & 1717.

FRigus hyemale quod 1715. menſe Decembri incœpit, anno etiam 1716. uſque ad menſem Martii perduravit; multæ nives, cum ventis borealibus ſuper faciem terræ glaciem ad multas hebdomadas con-

conſervarunt, & licet remiſſum ſub Martii finem videretur frigus, attamen recruduit menſe Aprili, & uſque ad Majum non ceſſavit. Itaque hoc durante frigore, gravedines multæ, ac pleuritides obſervatæ ſunt; quinimo oculorum inflammationes paſſim obortæ & pertinaces adeo extiterunt, ut nonnullæ ad menſem uſque protractæ, patientes vexarint. Ver acceſſit, & imbres frequentes tellurem infeſtabant noſtram, flumina augebant, & ſegetes nimio madore irrigabant; ſi vero mutatis ventis ſerenitas apparebat, vix ſol igne ſuo terram fovebat, ſtatim elevatis aqueis vaporibus nebulæ denſiſſimæ obortæ ſunt, hinc natæ in hominibus ſurditates, apoſtemata, & vagi dolores cum flatibus. Æſtas calidiſſima ineunte Junio derepente invaluit, unde multæ tertianæ febres, tam ſimplices, quam duplices obortæ ſunt, cum nauſea, vomitu materiæ amaricantis, capitis dolore, ac immodica ſiti, quin imo nonnullos tertiana pernicioſa vexavit, quæ omnes ope chinæ ſanatæ ſunt, prius tamen leviter alvo exonerata. In autumni primordiis pluvia multa, qua ceſſante, ſerenitas uſque ad Kalendas Decembris continuavit, ita ut ſemina terræ bono omine tradita, & magna uvarum copia feliciter collecta, vinaque optima repoſita fuerint. Hoc autem tempore ſalubritas aeris, corporibus humanis bonam valetudinem impertita eſt, ita ut præter aliquas leves quartanas, & placidas erraticas febres, nil aliud mali quoad ſalutem Ferrarienſibus acciderit; ſolummodo notatu dignum fuit, autumni tempore, multas gravidas abortum paſſas fuiſſe, ſine ulla cauſa manifeſta. December ſanus extitit.

Terminato Decembri, menſis Januarius ingreditur anni 1717. & frigus primo remiſſum apparuit; aſt die hujus menſis undecima, aura ſeptentrionalis rigida advenit, & tam fortiter agitavit auras, ut quædam arbores, quidam muri ab ejus impetu, erutæ, ac collapſi ruerint. Quatuor dierum ſpatio borealis hic ventus dominatus fuit, quo ceſſante illico magna nivis copia deſcendit, inde frigida ſerenitate favente, uſque ad ſecundum anni menſem nives perduraverunt, mox aura dulciori reddita, diſſolutiſque nivibus, ſub finem Februarii frigoris ſævities evanuit. Hoc vero tempore, anginæ multæ, colici dolores, ac febres catarrhales ubique debaccharunt, imo epidemia in infantibus tali hyeme incepit variolarum, quæ poſtea toto anno 1717. miſerrime perſeverans puerorum ſtragem multiplicavit, & quod notabile fuit, hujus anni hyems, quoad morbos, plus juvenes, quam ſenes affecit; horum enim vix unum aut alterum curandum habui. Ineunte vere multæ nebulæ denſiores obſervabantur, quæ tandem in pluvias terminabant. Sequebatur, imo ſemper major fiebat epidemia variolarum in puellis, ac nonnullæ malignæ febres obortæ ſunt, quæ in principio leves apparebant, progreſſu tamen temporis funeſtæ, ac mortales manifeſtabantur, ex quibus febribus quatuor noſtri medicinæ Doctores, præter alios denati ſunt, primus Dn. Andreas Zuffi, alter Dn. Joſeph Vaccarius, juvenis optimæ ſpei, tertius Dn. Cæſar Lollius diſcipulus meus, & quartus tandem Dn. Franciſcus Salmius, ætatis annor. 5⁰. compater meus honoratiſſimus, & omni ſcientiarum genere inſtructus. Partus difficiles multi, & multæ pariter icteritiæ, Acceſſit æſtas, cujus menſibus magna ſiccitas, & auſtrini venti calorem augebant; ſequebantur malignæ febres, atque nonnullos vexabant tertianæ duplices melioris notæ, cum vomitibus in principio acceſſionis, ac dolore capitis ſævo, qui non niſi declinante febre miteſcebat. Menſe Auguſti nonnullæ occurrerunt dyſenteriæ, quæ tamen Deo adjuvante ſanatæ omnes fuere. Erat miſerandum cernere quotidie infantum cadavera variolis enecata ad tumulum deferri. In principio Septembris cælum mutavit faciem, & calore remiſſo, aquas dedit ſalutares ad terram irrigandam, ſic maligna febrium conſtitutio mitigata fuit, & tantummodo ſubortæ vertigines, tuſſes, ac gravedines. Increſcente autumno iterum ſerenitas rediit, atque aureis ſolis radiis toto Octobris menſe gaviſi ſumus. Cereris, Bacchi, ac Pomonæ dona hoc anno non modica fuere collecta, & inaletudines paucæ homines male habuerunt; non ita tamen in bobus, ac ſuibus accidit; in illa quippe animalia mors falcem immiſit; unde timor colonos invaſit, ne epidemica lues in bovino genere anni 1713. reſurgeret, & lacrymas iterum excitaret.

Cæterum præter dictas febres, & magnam variolarum copiam cum lumbricis in puellis, annus 1717. ſalubris dici potuit, nullæ enim apoplexiæ, paucæ quartanæ, in minima copia ſcabies, ac articulorum dolores. Menſe Decembri hyems apparuit, ſed parum ab autumno differebat, frigus enim tolerabile, ac mite obſervabatur. Quod vero notabile fuit hoc anno, extitit ventorum frequens copia, unde pericula multa, imo naufragia in mari Adriatico ad noſtra ora, & Pado, aliiſque noſtris fluminibus acciderunt, ſubverſis enim navigiis merces non tantum, ſed homines etiam miſerabiliter deperditi fuere. Æſtivo tempore magis infectorum copia ſegetes infeſtabat, ac hominibus ruri præſertim degentibus moleſtiam inferebat. Arthriticos annus præſens modice infeſtavit, & leviter tantum tacti, cito ad conſueta exercenda munia redibant. Ardente ſirio multi canes in rabiem perciti fuere, quod aliis annis mitius evenire obſervatum fuit. Parturientibus, ac puerperis Lucina favit, ita ut vix una puerperii vel partus tempore obierit; hyſtericas affectiones, ut plurimum mites, & magis in juvenibus, quam ſenibus tuſſes, & gravedines in autumni principio, hypochondriacis, ac melancholicis præſens annus nec profuit, nec nocuit; eorum enim ordo parum conſilia Medicorum imploravit, unuſque ex illis tantummodo gradum fecit ad maniam, nonnullæ obſervatæ fuerunt icteritiæ flavæ, abſque præviis morbis, vel doloribus ortæ, quæ tamen adeo leves fuerunt, ut abſque læſione actionum non ſolum apparuerint, verum ſine ullo prorſus remedio evanuerint ſponte; iſtæ autem potius in juvenibus, quam in ſenibus obſervatæ ſunt. Lue venerea affectos peſſime vexatos vidimus, & multos ex hac peſte mortuos, licet multa tentaverint remedia, & ad uſum ipſius mercurii deſperati confugerint; ſic poſtremo Andreas Pareſchius Ferrarien. gallica lue affectus poſt decocta ſalſæparil. Ligni Guajac. & ſudoribus tentatis, tandem ad mercurialem unctionem deſperatus advenit, qua admiſſa gingivæ, linguæ, aliarumque oris partium gangræna ſuborta miſerabile veneris ſectatoribus exemplum, ultimam clauſit diem; in Sanctimonialibus pauciſſimi morbi, & Regularium Religioſorum ſacerdotum nonnulla tantum funera; noſterque Antiſtes Cardinalis de Verme ætatis ann. 77. febri maligna correptus ſancte obdormivit in Domino, in cujus cadavere reperta ſunt pene omnia viſcera ſana. In aliquibus noſtri ſuburbii locis nonnullæ febres malignæ peticulares, & contagioſæ naturæ, uno enim ægrotante, brevi temporis intervallo tota ſimul ægrotavit familia; hæc tamen influentia trium tantummodo menſium ſpatio perduravit: accedente enim autumno omnino evanuit. Impetigines multæ in fine Novembris adultos affecerunt, quæ uſque ad anni finem pertinaciter duravere. In principio Decembris ophthalmiæ multæ, pertinaces tam in maribus, quam in fœminis. Obſervavi tandem in multis pauperibus ſola diæta multas febres ſanatas, ſicque cum Jo. Damaſceno in ultimo aphoriſmo concludendum, *Diæteticam medicinam præſtantiorem eſſe pharmaceutica, & chirurgica.*

ELEN-

ELENCHUS RERUM OBSERVATIONUM.

SECTIO PRIMA.

CAPUT I.

De Morbis Acutis in genere.

MOrbus naturæ conamen in ægri ſalutem, pag. 1. Morbi partim ab aere, partim a varia fermentatione, & humorum putrefactione, ibid. Peſtis & arthritidis naturæ medicatricis inſtrumenta, ibid. Ratio morborum acutorum, ibid. Febres intermittentes acutis, licet minus proprie, accenſendæ, ib. Chronicorum ratio, ibid. Acuti ab aeris alteratione impreſſi epidemici dicuntur, ibid. Acuti a particulari corporum ἀνομαλίᾳ, quovis cujuslibet anni tempore invadentes, intercurrentes ſeu ſporadici dici poſſunt, ib.

CAPUT II.

De Morbis Epidemicis.

EPidemicos, tum a propriis quibuſdam ſymptomatibus, tum a medendi ratione diſpari, differre ab invicem conſtat, pag. 2. Febrium continuarum epidemicarum diverſæ ſpecies, diverſa omnino methodo ſunt curandæ, ibid. Febres ſtationariæ ab occulta alteratione in terræ viſceribus aerem contaminante pendere videntur, ibid. Stationariæ dicuntur, quæ generalem anni conſtitutionem ſequuntur, neque extra illam comparent, ibid. Intercurrentes quæ omnibus annis competunt, ibid. Senſibiles aeris qualitates ad has producendas facere poſſunt, non ad illas, ibid. Unde epidemicorum alii regulares, ibid. Alii anomali, ibid. Epidemici vel ſunt vernales, vel autumnales, ibid. Vernalium alii circa æquinoctium vernum ad ſtatum perveniunt, circa ſolſtitium æſtivum evaneſcunt; alii æquinoctium autumnale, brumaleque ſolſtitium præſtolantur, ibid. Cholera morbus per unum menſem, dyſenteria, febres quartanæ, & tertianæ autumnales, vix ultra duos epidemice graſſantur, ibid. Intermittentes autumnales aliquandiu ſub continuatum ſpecie nonnunquam latent, ibid. Epidemici prædominantis genio σον χρονοι omnes ſe accommodant, ibid. Quo ab hyemis frigore preſſo, inferioris ordinis epidemici ſe efferunt, ibid. Diverſarum febrium rationes a cauſa morbifica in humano corpore aggeſta perperam deducuntur, ibid. In novis febribus ad magna remedia tardius procedendum; Indicationem a lædentibus & juvantibus præſertim eſſe ſumendam, pag. 3.

CAPUT III.

Conſtitutio Epidemica annorum 1661. 62. 63. 64. *Londini.*

TErtianæ hujus conſtitutionis ab intermittentibus tertianis aliis differentia, p. 3. Febris continua hæc intermittentium quaſi compendium, ibid. Unica hæc fuit febris continuæ ſpecies ab an. 61. ad an. 65. ibid. Quo ordine morbi epidemici hanc conſtitutionem pervadebant, & ſe mutuo excipiebant, ibid. Febris continua hujus conſtitutionis aliarum omnium præcipua videtur, ibid. Cæteris etiam frequentior, ibid. Symptomata ejus magis peculiaria, ibid.

CAPUT IV.

Febris Continuæ hujus Conſtitutionis.

FErmentationis atque ebullitionis vocabula minus proprie in febrium negotio uſurpantur, p. 3. In quibus differt ſanguinis ebullitio a liquorum vinoſorum fermentatione, ibid. Febrilis ſanguinis commotio vel ad materiæ heterogeneæ ſecretionem dirigitur, vel ad immutandam ſanguinis diatheſin, ibid. In utroque caſu id maxime indicatur, ut ſanguis intra modum naturæ propoſito congruentem continuatur, ibid. Quibus nocet venæ ſectio, ibid. Quibus eadem prodeſt, 4. Quibus emeticum eſt propinandum, quibus ab eo abſtinendum, ibid. Id ſi prætermiſſum fuerit, ubi indicabatur, diarrhœa inſequitur, ib. At non ſemper in febribus malignis, ibid. In quo conſiſtit hujus diarrhœæ periculum, ib. Et ab exhibito emetico, non vero ab aſtringentibus ſtatim ſiſtitur, ib. Emetica antimonialia periculoſa niſi copioſe diluantur, ib. Ubi indicatur utrunque, venæ ſectio vomitorium debet præcedere, ibid. Emeticum in morbi initio propinandum, vel quovis morbi tempore, modo vires ferant, ib. Periculum a vomitione cohibita, emetico prius non propinato, ib. Poſt emeticum hauſtus paregoricus hora ſomni exhibendus, ib. Nonnunquam etiam diaſcordii doſis ſatis larga præſcribenda eſt, vomitoria ex infuſione croci metallorum nullis infra adoleſcentiam conſtitutis tuto exhibentur, ibid. Sanguinis æſtus in nonnullis venæ ſectione repetita, in aliis clyſtere alternis diebus injecto frænandus, ib. Plura de uſu enematum, ibid. Cardiaca quibus conferunt, & quo morbi tempore exhibenda, ib. Materiæ febrilis concoctio nihil eſt aliud quam peccantis materiæ a ſana ſeparatio, ibid. Deſpumatio circa diem 14. peragitur, ibid. Refrigerantia poſt diem 14. exhibita morbum protrahunt, ibid. Cardiaca moderatiora in morbi principio, calidiora in progreſſu adhibenda, ibid. Formulæ cardiacorum, ibid. Si fermentatio recte procedat, nullis omnino remediis eſt opus, ibid. Circa diem 15. potio purgans ſumenda eſt, ne ſcilicet ſedimentum a fermentatione hic illic depoſitum in ſanguinem remigrans recidivam conciliet, ibid. Quare purgatio non ita neceſſaria eſt poſt febres, alioſque etiam morbos vernales, atque poſt autumnales, ibid. Purgationis omiſſio poſt morbos autumnales, plurium morborum fons, ibid. Catharſis ad diem decimum ſeptimum quandoque eſt differenda, ibid. Diæta & regimen convaleſcentium, ibid. Vinum Maloganum annoſum vel aliud e generoſis ſenibus in morbi fine confert ad phlegma viſcoſum expectorandum, ibid. Errores medentium quandoque in morbi malignitatem, & ſcorbutum ſolent transferri, ibid. Non tamen negatur febres alias malignas eſſe, alias cum ſcorbuto complicari, p. 8. Refrigerantia & enemata ſerius exhibita materiæ morbificæ deſpumationem, maxime in grandævis, retardant, ibi. Adoleſcentulorum juxta cubantium calor his præ cæteris omnibus prodeſt. Cujus ratio redditur, ibid. Symptomata quædam hujus febris propriam ſibi curam poſtulant, ibid. Phrenitis & vigiliæ pro pacto tractandæ, ibid. Narcotica vigente febre non proſunt, at in morbi declinatione præclaros effectus edunt, ib. Ejus rei ratio redditur, ibid. Ante diem duodecimum, vel etiam decimum quartum, non ſunt exhibenda, ibid. Æger, ſi id commode fieri poſſit, prius eſt purgandus, ibid. Vigiliæ poſt febrem quomodo conſopiendæ, ib. Oleum Amygdal. dulcium in tuſſi reliquis anteferendum, parce, at frequenter ſumendum eſt, ibid. Narium hæmorrhagia huic febri ſymptomatica ut curanda ſit, p. 6. Ea nonnunquam permittenda, utpote qua morbus critice aliquando ſolvitur, ib. Poſt hæmorrhagiam immodicam quamlibet purgandus eſt æger, ne recidivam patiatur, ibid. Singultus, ſenibus maxime accidens poſt copioſas evacuationes, ſæpe mortis eſt prænuncius, ibid. diaſcordii doſis liberalior ſpecificis omnibus in eo ſedando præfertur, ibid. Diarrhœa, ob vomitorii in principio exhibendi omiſſionem obortа, emetico ſiſtenda eſt. Si ea exhibito emetico nihilominus ſupervenerit, enema aſtringens injiciendum, ibid. Ad genuinam ſanguinis depurationem duplex ſecretio requiritur, & quæ per fæces fit, & quæ per flores, ibid. Hæc ſenſim & paulo pleniori διαπνοῇ potius quam ſudore manifeſto peragitur ut plurimum, p. 7. Separatione hac per flores jam facta, minus periculoſa eſt diarrhœa, ib. Paſſionis illiacæ cauſa duplex, obſtructio & irritatio, ibid. Quo pacto ea producitur, ibid. Argenti vivi & globulorum uſus in ileo parum conducunt, noxam ſæpe inferunt, ibid. Methodus qua ileus curandus eſt, ibid. Ventriculus prius eſt roborandus, quam ingeratur catharticum, alias emeticum evadet, ibid. Diæta & regimen hoc morbo laborantis, ibid. Et ab eo jam convaleſcentis, ibid.

CAPUT V.

Febres Intermittentes.

IN febrium intermittentium paroxyſmis tria tempora ſpectanda ſunt, exhorreſcentiæ, ebullitionis, deſpumationis, p. 7. Ratio harum omnium redditur, ibid. Qui in febris paroxyſmo pereunt exhorreſcentiæ tempore fato funguntur. ib. Unde eſt, quod redeunt paroxyſmi, ib. Paroxyſmorum deſcriptio, ib. Paroxyſmorum reduplicatio vel a materiæ febrilis exceſſu atque activitate, vel a proſtratis ægri viribus producitur: in hoc caſu paroxyſmus adventitius primarium inſequitur, in illo eum antevertit, p. 8. Utriuſque ratio indicatur, ib. Febres intermittentes vernales ſunt, vel autumnales, ib. Quæ quidem eſſentialiter diſtinguuntur, ib. Vernales omnes vel quotidianæ ſunt, vel tertianę, ib. Quare paucæ febres continuæ vere occurrant, niſi in conſtitutione epidemica, ib. Intermittentes vernales rariſſime diuturnæ, ſemper vero ſalutares, ib. Tertianæ vernales a phlebotomia & catharſi indebite celebratis, protrahuntur, ibid. Ægrorum ab his convaleſcentium nonnulli in maniam incidunt, ibid. Tertiana autumnalis epidemica haud ſemper vacat periculo, ibid. Quartanæ autumnales natu grandiores quandoque jugulant, ibid. Juniores non niſi appetente ſolſtitio brumali frequentius etiam æquinoctio verno, ab iis liberantur, ibid. Qui ſemel quartana laboravit, haud diu ab ea ſecunda vice mulctabitur, ibid. interttinentes vernales ſuo arbitrio poſſint permitti, cum neminem jugulent, ibid. & ſeq. Curantur nunc emetico, ibid. Nunc diaphoreticis, nunc etiam enematibus, ibid. Phlebotomia manu liberaliori celebrata diuturnas eas reddit, ibid. Intermittentes autumnales haud ita facile ſubmoventur, ibid. Earum paroxyſmi plerunque una eademque diei hora variis ægris contingunt, ibid. Harum typus, præcipue epidemicarum primis invaſionis diebus difficulter diſtinguitur, ibid. Quartanæ genuina autumni ſoboles, ibid. Quotidianam hac tempeſtate nullam obſervavi unquam, p. 9. Intermittentes autumnales oriuntur a ſanguine in decidentiæ ſtatu conſtituto, & proinde impreſſioni morbificæ magis obnoxio, ib. In febribus autumnalibus tam continuis quam intermittentibus, fermentatio, naturæ ductu, ſpatio horarum 336. aut circiter peragitur, ibid. Excipiuntur tamen iſtæ febres, quæ a levi aliqua offenſa ex ſex rerum non naturalium abuſu ortum ducunt, ibid. Adoleſcentulorum item febres & eorum, qui ſanguine ſpirituoſo ſunt præditi, ib. Quæ ad fermentationem requirantur, ibid. Febres intermittentes æque ac continuæ iis ſunt curandæ, quæ ad deſpumationis opus perficiendum adhibentur, ib. Catharſis (niſi modo intra dicendo inſtituta) præſertim vero phlebotomia in intermittentibus autumnalibus ubique nocent, ib. Intermittentium tertianarum autumnalium curatio, ib. Tertianæ duplicis curatio, ib. Cortex Peruvianus inducias ſæpius quartanæ impetrat, quam eam debellat, ib. Magno cum ægri emolumento exhibentur qui paulum ab ejus uſu reſpirat a morbo, ib. Methodus exhibendi corticis, ib. Idem & in tertianis qua vernis, qua autumnalibus cum fructu exhiberi poteſt, ib. In infantibus, & florentibus ætate, ſive tertiana, ſive quartana laborantibus, tota res naturæ permittenda, ib. & ſeq. In provectioribus fermentatio cardiacorum & corroborantis diætæ beneficio ſuſtinenda, p. 10. Aeris mutatio his neceſſaria eſt, jam perfecta ſanguinis deſpumatione; ante hoc tempus minus convenit, ib. Saltem oportet ut medicamento cardiaco forti hoc temporis articulo utantur, ib. Calidiora citius exhibita, vel morbum duplicant, vel in febrim continuam permutant, ib. Sublato morbo æger ſedulo purgandum eſt, ib. At non niſi elapſo menſe uno, a quo non paroxiſmi tantum, ſed etiam ea alteratio, quæ diebus iis, in quos incidere debuerat paroxyſmus, perſentiſcitur, prorſus evanuerint, ib. Purgatio quoties repetenda, & quibus intervallis, ibid. Quorſum hauſtus paregoricus hora ſomni aſſumendus ſingulis vicibus, ibid. Symptomata febribus intermittentibus vernis pauca ſuperveniunt in

decli-

declinatione, autumnalibus plura, & graviora, ibidem. Hydropshic ſymptomaticus unde oritur, ibidem. Juvenes raro obſidet, niſi catharticis per febris decurſum ſæpe iteratis, accerſitus fuerit, ib. Recens catharticis & aperientibus facile ſanatur, ib. Hydrops ex febre intermittenti natus non niſi poſt febris diſceſſum catharticis expugnandus, at infuſionibus rad. raphani ruſticani, fol. abſinthii, baccarum juniperi, Cinerum geniſtæ, & ſimilibus tentari poteſt, ib. Infantum ventribus inflatis, tuſſi, & rachitidi quo pacto ſubveniendum, quoties a febribus autumnalibus iſta naſcuntur, ib. Curatio non aggredienda priuſquam febris penitus evanuerit, ib. Abdominis inflatio in pueris. & crurum tumor in adultis, febres has brevi ſolvendas prænunciant, ib. Veræ rachitides rarius occurrunt, niſi iis annis quibus intermittentes autumnales prædominium habent, ib. Tonſillarum dolor poſt febres ſive continuas ſive intermittentes, cum raucedine, oculis cavis, & facie Hippocratica mortem certo imminentem prænuntiant, ib. Mania peculiaris intermittentes diuturniores excipiens, modo longe diverſo ab aliis ejus ſpeciebus, cardiacis ſc. generoſioribus ſananda, ib. Nec venæ ſectionem, nec catharſin, nec enemata poteſt ferre, ib. Mania communis alio modo tractanda eſt, ib. Ejuſdem curatio, ib. Febris continua atque intermittentes jam deſcriptæ, ſoli ferme erant morbi epidemici qui per annos 1661. 62. 63. 64. emicuere. Eadem ab anno 1664. ad hunc uſque annum, quo hæc edimus, rariſſimæ Londini comparuere, p. 11. & ſeq. De variolis hujus conſtitutionis nonnulla, ibid.

SECTIO SECUNDA

CAPUT I.

Conſtitutio Epidemica Annorum 1665. & 1666. Londini.

FEbris continua epidemica novi generis una cum morbis aliis inflammatoriis graſſari incipit, p. 11. Ejus ſigna diagnoſtica, ibid. Diarrhœa, quam in priore febre diximus aſſumpto emetico præcaveri potuiſſe, hic ab eodem provocabatur, ibid. Peſtis ſæviſſime debacchatur. Varia ejus tempora, ibid.

CAPUT II.

Febris Peſtilentialis & Peſtis.

FEbrium nonnullarum, quæ pro malignis vulgo habentur, ſymptomata, non a morbi indole, ſed a therapeja perperam adminiſtrata proficiſcuntur, p. 11. Febris vere maligna cum peſte ſpecie convenit, nec ab ea niſi ob gradum remiſſiorem diſcriminatur, ibid. Variolæ & peſtis oſtendunt morbos epidemicos a diverſa aeris maſſæ craſi pendere, ib. Qualis ea ſit plane ignoratur, ib. Peſtis vix Britanniam noſtram frequentius quam poſt annorum circiter 40. revolutionem devaſtat, ib. Febres quæ anno uno vel altero poſt graviorem peſtem graſſantur peſtilentes ſunt, & ſimilem medendi rationem ſibi vindicant, ib. Præter aeris διάθεσιν requiritur etiam μιάσματος a peſtifero aliquo corpore vel immediate, vel mediate tranſmiſſi fomes ad peſtem excitandam, ib. Quæ ab aere jam infecto latius propagatur, ib. Quoties epidemica eſt tempore inter ver ac æſtatem ambigente exoritur, ib. Alio aliquo tempore oppido raro, ib. Aeris diſpoſitio quantumvis λοιμώδης, Peſti excitandæ per ſe impar videtur, pag. 12. Nec peſtis epidemica erit niſi accedente idonea aeris diatheſi, ib. Modus invadendi deſcribitur, ib. Repentina examinatio niſi in peſtis admodum funeſtæ exordio vix contigit, ib. Quibus tumores ſine febre & gravi aliquo ſymptomate prorumpunt, ii nulla egent curatione, ib. Morborum eſſentiæ perinde ac animalium ſtirpiumve nos latent, ib. Non cauſarum, ſed methodi experientia comprobatæ cognitione, affectuum plurimorum curatio abſolvitur, ib. Peſtis eſt febris ſui generis, a particularum ſanguinis ſpirituoſiorum inflammatione originem ducens, ib. Febres peſtilentes ab inflammatione ſunt remiſſiores, ib. Ignis ſacer peſtis imago quædam, ib. Peſtem ab inflammatione oriri pluribus argumentis conficitur, ib. Alexipharmaca aliaque calidiora medicamenta per accidens tantum proſunt, ſc. quatenus diaphoretica ſunt, ib. Vinum liberalius hauſtum & antidota fortiora complures veriſimiliter in peſtem præcipitarunt, p. 13. In curanda peſte, aut naturæ ſuccurremus ejuſdem ductum ſequendo, aut methodum tutiorem ab ejus methodo diverſam ſubſtituendo, ib. Alexiteria tam in hoc quam aliis morbis omnibus, evacuationem potius ſolicitando, quam virtute aliqua ſpecifica prodeſſe videntur, ib. Peſtis per abſceſſum in emunctoriis, febris peſtilens, per diaphoreſin maxime ex naturæ lege ſolvi videtur, ib. Diverſa itaque his morbis medendi ratio adhibenda eſt, ib. Sudores in peſte excitati nonnunquam funeſti, ib. Bubonis eruptionem materiam alio verſum diſtrahendo ſæpe impediunt, ib. In aliis morbis naturæ ductum ſequi, in peſte ei renunciare Medicus tenetur, ib. Vel per ſanguinis miſſionem, vel per ſudores peſtis expugnanda videtur, ib. Phlebotomia larga manu ac repetitis vicibus celebrata, nullo tumore protuberante, nemini adhuc, quod ſcimus, unquam funeſta, ib. Parca, vel tumore jam conſpicuo, inſtituta, quare ſemper damnoſa, ib. Venæ ſectionem in peſte convenire plures iique graviſſimi ſcriptores jampridem ſenſerunt, p. 14. Botalli teſtimonium luculentiſſimum, exemplis probantis innumeris, venæ ſectionem in omni peſte ſupra omnia remedia ſalutarem eſſe, ib. Confirmatur idem hiſtoria admiranda & irrefragabili hic apud noſtros, ib. Peſtilentis fermenti per διαφόρησιν diſſipatio evacuationi per venæ ſectionem quo nomine anteferenda, ib. Quibus illa urgetur difficultatibus, ib. Maculæ purpureæ peſtilentiales a fibrarum ſanguinearum diſſolutione oriri videntur, non ſecus ac vibices a plaga fortiori inflicta, ib. Diaphoreſi juſto prærnaturius abrupta, bubones prodire jam incipientes vel remanent, vel nunquam ad legitimos abſceſſus perducuntur, ib. Idem in variolarum abſceſſulis etiam accidit eadem de cauſa, ib. Quibus argumentis author inductus eſt ut aliam ab ea quam hactenus cum ſucceſſu uſurpaverat methodum, novæ hnic febri adaptaret, ib. Febres continuæ circa veris finem & initium æſtatis vel intermittentes, vel in pleuritides alioſque generis inflammatorii morbos promptiſſime faceſſunt, ib. Febris peſtilentialis (dubitatur an non vera peſtis illa fuerit) tam peſte jam incipiente graſſari, quam eadem parcius ſæviente ab authore venæ ſectionibus repetitis curata fuit, ib. Sanguis hic aut ſufficienti quantitate, aut non omnino detrahendus, ibid. Quam ob cauſam author ab hac methodo deſiſtere coactus eſt, ib. Ejus rei hiſtoria, ib. Qualem deinde medendi rationem ſubſtituit, ibid. Venæ ſectio, diaphoreſi præmiſſa, eam & tutiorem reddit, & expeditiorem, ib. Capitis obtectio ab ſudores ciendos multum confert, ibid. Ubi primum materiæ morbificæ radii verſus ambitum corporis ſe exporrigunt alvi profluvium & vomitiones ab iiſdem orta ultra ſedantur, ibid. Hiſtoria id confirmatur, ibid. Diaphoreſis ad naturalis diei ſpacium ſemper continuanda, ibid. Ab abſterſione ſedulo cavendum. ib. Nec induſium niſi poſt horas 24. a finitis ſudoribus mutandum, ib. Si ſudores citius abrumpantur, recrudeſcit illico ſymptomatum ſævitia, ib. Objectioni Diemerbroechii reſpondetur, contra prolixiorem diaphoreſim, ib. Oſtenditur ægros haud inde debiliores reddi, at vires e contra recipere, ib. Æger in ſudoris vigore juſculis ac ſorbilibus confortativis refici poteſt, ib. Catharticum poſtridie exhibendum, ib. Mirus hujus methodi ſucceſſus in febre peſtilentiali, ib. Tumore jam enato venam aperire Author non ſuſtinuit, ib. Qua lege tuto id tentari poſſe videtur, ib. Authoris ſinceritas; ib. Quid per naturæ nomen intelligi is velit, ib.

SECTIO TERTIA

CAPUT I.

Conſtitutio Epidemica Annorum 1667. 1668. partim etiam Anni 1669. Londini.

VAriolæ in conſtitutione peſtilentiali rariſſimæ comparebant, p. 15. Quo anni tempore invaleſcebant maxime, quo minuebantur, ibid. Novum febris genus cum variolis exoritur, invaleſcens quoties illæ minuerentur, quoties invaleſcerent, recedens, ib. Cum variolis una etiam diſparuit, ib. Diarrhœa ſe his comitem adjungit, ib. Morbus hic nihil aliud eſſe videbatur quam febris quæ tum regnabat, introverſa, ibid. Hæ variolæ genuinæ præ cæteris, ac regulares, a quibus ut in ſuo genere perfectiſſimis, tum vera morbi hiſtoria, tum medendi methodus eſt deſumenda, ibid. Non tantum febris quædam propria, ſed & peculiare variolarum genus cuilibet conſtitutioni peculiari competit, ibid.

CAPUT II.

Variolæ Regulares.

QUo anni tempore ingrediuntur variolæ regulares, quo etiam irregulares, ibid. Variolæ vel diſtinctæ ſunt, vel confluentes, ib. Diſcretarum ſymptomata ubi primum invadunt, ib. Eruptio quo tempore accidit & quo ſe habet modo, ibid. Diſcretarum hiſtoria, p. 15. Confluentium hiſtoria, ibid. Et morbi magnitudo unde æſtimanda, ibid. Salivatio in adultis, in infantibus diarrhœa, confluentes fere ſemper comitatur, p. 16. Febris in inſultu primo uſque ad eruptionem, dein circa tempus maturitionis puſtularum præcipue dominatur, ib. Sub veſperam exacerbatur morbus, ib. Variolis diſcretis laborantes octavo, confluentibus vero, undecimo die maxime intereunt, ib. Illorum cataſtrophe deſcribitur, ib. Regimen calidius quibus minus officiat, ib. Horum item, ib. Alia ſymptomata utrique generi variolarum communia recenſentur. Phrenitis ſc. affectus comatoſus, maculæ purpureæ, ibid. Mictus ſanguineus, ſanguinis ſputum, a qua cauſa hic naſcantur, ibid. Urinæ ſuppreſſio totalis quibus maxime contigit, & quo morbi tempore, p. 17. Symptomata a frigore ſuſcepto oriunda pauca ſunt & raro occurrant, ibid. Inflammatio videtur hic morbus tum reliquorum etiam humorum, ib. Duo habet tempora, ſeparationis & expulſionis, ibid. Indicationes curativæ duæ 1. Ut æquabilis tenor ebullitionis conſervetur. 2. Ut abſceſſuli ſuſtineantur debito modo, ib. Cavendum ne nimium aſſurgat ebullitio, & quamobrem, ib. Quo diutius natura ſeparationem molitur, eo certius & univerſalius abſolvit, ib. Regiminis juſto calidioris noxæ, ibid. Nondum conſtat vel unum ex eo periiſſe, quod variolæ primo non eruperint, ib. Ebullitio venæ ſectione, clyſteribus, emeticis, catharticis e contrario non eſt minuenda, ib. A venæ ſectionis atque aliarum evacuationum uſu promovetur ſæpiſſime eruptio, nunquam impeditur, ib. Argumenta contra remedia evacuantia, ib. Regimen calidius non tantum ſecretionis, ſed quovis morbi tempore vitandum; & qua de cauſa, ib. Cavendum pariter a frigore: a quo etiam puſtularum eruptio impeditur, ib. Gradus caloris earum expulſioni promovendæ accommodatiſſimus naturalis omnino eſt, ib. Cardiacorum uſus quando indicatur, ib. Repetitis ebullitionibus in ſanguine excitatis ægrorum mors potiori jure tribuenda eſt, quam venæ ſectioni, ib. Curatio, ib. Variolæ ante diem quartum, qui eruptioni proprius eſt, haud temere in cutem propellendæ, ib. Nimia hac diligentia ex diſtinctis confluentes poſſunt fieri, ib. Non opus eſt, ut æger ante diem quartum lecto addicatur, ib. Sanguinis mictus, e maculæ purpureæ ætate florentibus ideo nonnumquam ſuperveniunt, quod lectulo præpropere nimis aſſignatur, ib. Cardiacum blandius die quarto exhiberi poteſt, ſi eruptio parum pro votis ſuccedat. Laudanum liquidum & diaſcordium reliquis præferuntur, ib. Nec vel urgente diarrhœa eſt illud propinandum, ib. In quo caſu ſanguis mittendus eſt, ib. In genere diſcreto atque æſtivo tempore, ager ſingulis diebus per horas aliquot e lecto poteſt ſurgere, p. 18. Ejus commoda, ib. In lecto quoties jugiter cubandum eſt, non ſunt adjicienda ſtragula præter ea quibus ſanus conſueverat, ib. Sudores non ſine ingenti periculo promoventur, ib. Vinum Canarinum, vel aliud cardiacum in fine morbi exhibendum, ne halitus putridi in ſanguinis maſſam poſtliminio revertantur, ib. Diæta etiam calidior eandem ob cauſam, ibid. Diſcretum genus ex ſua natura omni vacat periculo, ib. Phlebotomia regimen calidius minus periculoſum reddit, ib. Unde eſt quod tenuioribus æquior ſit hic morbus, quam divitibus, ib. Variolæ confluentes haud minus a diſcretis diſcrepant, quam ab illis ipſa peſtis, ib. Æger hic in lecto aſſidue continendus, at modice tectus, nec uni ejus parti affixus. At perſæpe verſandus, ut evitentur ſudores, ib. Ptyaliſmus, qui evacuationi per puſtulas pleniori hic ſubſtituitur, in vigore conſervandus, ib. Cum eruptione incipit & die undecimo minuitur, ib. Tumor faciei dicto die evaneſcit; cum quo ſi ſalivatio una diſpareat, in lubrico ſunt res ægri; ib. Salivatio quo pacto promoveri poſſit, ib. Narcotica ad ſuſtentandum ptyaliſmum præ cæteris quibuſcunque faciunt, ibidem. Quare non niſi adultis ea ſunt indulgenda,

genda, ibid. Paregorica quæ afferunt adultis commoda, ibid. Poſt plenam eruptionem ad morbi uſque finem tuto & utiliter ſumuntur. ibid. Qua hora potiſſimum exhibenda ſunt, ibid. In variolis confluentibus hanc minus certo infantes diarrhœa comitatur, quam adultos ptyaliſmus. p. 19. Diarrhœa in hac variolarum ſpecie ſalutaris, in diſtincta non item. Mulierc ularum eandem ſiſtentium opera multa infantium millia perire, ibid. Facies ultimis morbi diebus oleo amygdalarum dulcium inungenda, ibid. Sub hoc regimine a cicatricibus non valde metuendum, ibid. Olea & linimenta officiunt hic magis quam proſunt, ibid. Curatio ſymptomatum, ib. Ad promovendum faciei intumeſcentiam paregoricum debet propinari, ibid. Nonnunquam die octavo, Sanguis e brachio copioſe extrahendus, ibid. Auræ etiam liberiori exponendus, ibid. Non quod puſtulæ recedant, perit æger, ſed quod facies non turgeſcat, ibid. In quo variolarum genere, & quo in caſu phreneſis venæ ſectionem indicat, ib. Phreneticorum exempla ſuadent ut aere liberiori iſti reſocillentur, ibid. Hiſtoria miranda cujuſdam pro mortuo expoſiti, & eo pacto convaleſcentis, ibid. In variolis confluentibus, ſi æger die undecimo a ſaliva jam viſcidiore pene ſuffocetur, gargariſmate, vel etiam emetico fortiori ſublevandus eſt, ib. Coma etiam ſanguinis contemperatione ac ventilatione curatur, ib. Ut & maculæ purpureæ, ibid. Mictus ſanguineus, & ſanguinis e pulmonibus eruptio ubique mortem prænunciant, ibid. Urinæ ſuppreſſioni quo pacto occurri poteſt, ib. Puſtularum depreſſio, & diarrhœa in variolis diſcretis medicamenta cardiaca poſtulant, p. 28. Unde natus videtur tumor de crebra puſtularum retroceſſione, ib. Poſt morbum atrociorem ſanguis quare e brachio extrahendus, ib. Æger ad tres vel quatuor vices purgandus eſt, ib. Crurum tumor ſponte non faceſſens, quo modo tolli debet, ibid.

CAPUT III.

Febris Continua hujus Conſtitutionis.

DEſcribitur hæc febris, pag. 19. Ejuſdem cum variolis proſapiæ omnino fuit, ib. Methodo tamen eadem qua illa curari non debuit, ib. Natura hic evacuationem per ptyaliſmum deſignaſſe videtur, ib. Unde oritur diarrhœa tam in hoc morbo, quam aliis inflammatoriis, ib. In febre conſtitutionis intermittentibus epidemicæ, materia erat craſſior, non niſi prævia digeſtione a ſanguine ſeparanda, ib. In hac non item, p. 20. Ejus curatio, ib. In hac febre, aliiſque morbis inflammatoriis, phlebotomia & refrigerantia parum prodeſſe ſolent, ſi æger in lecto indefinenter ſe contineat, ibid. Æger in hoc morbo a ſudoribus non levabatur, ſed inde, pejus habuit, ibid. Quibus rationibus ductus authorum plerorumque Theoriæ hic adverſatur, ib. Febris hæc a nudo potius calore, quam ab humore aliquo e ſanguine expellendo, pendere videtur, ib. *Cocta, non cruda ſunt medicanda*, tam ſudores reſpicit, quam dejectiones, ib. Venæ ſectio & ſanguinis contemperatio diarrhœam huic morbo familiarem præ cæteris ſiſtebant, ib. Regimen calidum & periculoſius erat, & pluribus gravabatur ſymptomatibus, ibid. Febris hæc per ſalivationem non raro ſolvebatur, ibid. Qua oborta, nulla convenit evacuatio, ib. Refrigerantia ſalivationem promovent, quam reprimunt cardiaca calefacientia, ib. Diarrhœa epidemica ſine febre, ejuſdem cum hac febre eſſentiæ videbatur, eadem plane habens ſymptomata, parem medendi methodum poſtulat, ib. & ſeq.

SECTIO QUARTA.

CAPUT I.

Conſtitutio Epidemica partis Anni 1669. atque integrorum 1670. 1671. 1672. Londini.

QUi morbi ineunte Auguſto 1669. ſunt ingreſſi, p. 21. Cholera morbus menſe Auguſto fere finiebatur, ib. Quare tormina ſine dejectionibus dyſenterias duratione non æquabant, ibid. Febris dyſenteria ſe ad tempus ſubducente, magis graſſabatur, ib. Morbilli variolis anomalis conſtitutionis dyſentericæ viam ſternebant, ib. Quo ordine varii morbi ſe oſtendebant per annum 1670. ibid. Quo item, anno 71. ib. Quo item, anno 72. ib. Menſis Julius certiſſima autumnalium epocha, uti vernarum Februarius, 106. morborum circulus per omnem hanc conſtitutionem, ib. Uti morbi epidemici in ſubjectis particularibus, ita etiam conſtitutiones generales ſuas habent periodos, ibid.

CAPUT II.

Cholera Morbus.

CHoleræ morbi deſcriptio, p. 21. Cholera ſicca, ibid. Curatio choleræ morbi nec catharticis nec aſtringentibus eſt tentanda, & quamobrem, ibid. Quo pacto perficitur, ib. Ægro in extremis fere verſante ad laudanum recte confugiendum eſt, ibid. Cholera morbus qui quovis alio anni tempore invadit, ab hoc legitimo toto cælo diſtat, ibid.

CAPUT III.

Dyſenteria.

TOrmina ſine dejectionibus nec ſua natura nec curationis methodo multum a dyſenteriis diſſidebant, p. 22. Dyſenteria autumni initio ſolet invadere, appropinquanti hyemi cedens pro tempore, ibid. Dyſenteriæ deſcriptio, ibid. Cardiacorum & regiminis calidioris in hoc morbo incommoda, ib. Inteſtina quandoque gangræna afficiuntur, ib. Aphthæ mortem imminentem ut plurimum denunciant, ib. Hic morbus licet adultis, maxime grandævis, ſæpe exitialis, infantibus perbenignus eſt, ibid. Epidemici ubi primum oriuntur principio magis ſpirituoſo videntur inhæreſcere, & ad occaſum vergentes magis craſſi indies atque humorales redduntur, ibid. Id contigit ob refractas particularum inimicarum vires, a quibus pendet conſtitutio epidemica, ibid. Probatur exemplo peſtis & dyſenteriarum, ib. Curatio, ib. Dyſenteria hæc febris videtur inteſtiua introverſa, ibid. Humores acres vena ſecta revellendi & per cathartica educendi. Sanguis contemperandus, ib. Paregoricum quare temperatius hic exhibendum quam poſt purgationes ſolet, ib. Aqua cardiaca temperatior poſt venæ ſectionem & catharſim ſemel celebratam concedenda maxime grandævioribus, p. 23. Hi etiam lectulo magis addicendi, ib. In morbo contumaciori paregoricum ſingulis diebus mane & ſero ad ſeptimanas aliquot tuto poteſt, & debet exhiberi, ib. Curatio alvi fluxus ad diarrhœam tantum aſſurgentis. ibid. Infantes quo pacto in hoc morbo tractandi, ib. Laudani liquidi ſimplicior præparatio, ib. Narcoticorum vis non tam ab artificioſa præparatione, quam ipſius opii excellentia nativa videtur pendere, ibid. Opium eſt remedium cardiacum præſtantiſſimum, ſi non unicum, hactenus cognitum, ibid. Dyſenteriæ, incipiente illa conſtitutione, ad modum fere choleræ morbi optime curabantur, non item ſequentibus annis, ibid. Dyſenteria eodem modo in Africa per ea tempora ſanabatur, ib. Exempla aliquot adducuntur, ibid. Teneſmus ſub finem hujus morbi non eſt ab ulcere recti, ſed a materia mucoſa qua inteſtina duplicantur, ibid. Topicum qualecunque hic nocet, ibid. Sola diæta analeptica prodeſt, ibid. Dyſenteriæ inveteratæ venæ ſectione repetita curatæ exemplum, ibid. Dyſenteria, cum non ſit epidemica, laudani ſolius uſu eſt curanda, ibid.

CAPUT IV.

Febris Continua hujus Conſtitutionis.

FEbris dyſenterica deſcribitur, p. 23. Aphthæ unde tam in hac febre, quam in dyſenteriis pervicacioribus, ibid. Aeris qualitates manifeſtæ non ſunt cauſæ epidemicorum productivæ; eos tamen vel excludunt, vel admittunt pro tempore, ibid. Febris ſtationaria quæ ad epidemicum prædominantem attinet, Julio potiſſimum ſævit: Autumno vero appropinquante, magno epidemico cedit, ibid. Nominatæ febres ſymptomata varia a ſua natura aliena, a manifeſtis qualitatibus mutuantur, ib. Unde tot febres novæ vulgo audiunt, ibid. Febris ſpeciem optime dignoſcet, qui ad alios morbos eodem anno ingruentes diligentius attenderit; & ad ſymptomata modum evacuationis ſpectantia, p. 24. Ad methodum inſuper, vel medicamentum, a quibus febris facillime vincitur, ib. Febrium ſtationariarum ſymptomata vel intenſiora ſunt, vel remiſſiora, prout intenduntur vel remittuntur ſymptomata epidemicorum ad quos pertinent, ibid. Febris hæc eadem methodo qua dyſenteriæ curabatur, ibid. Niſi quod paregorica purgationibus interjecta obeſſent, ibid. Tardius convaleſcentibus laudanum in parva doſi, biduo triduove a poſtrema catharſi elapſo rite concedebatur, ibid. Auræ liberior uſus viribus renovandis in primis conferebat febre fugata, ibid. Unde anſa ad hanc praxin inſtituenda m data eſt, ibid. Ad comprobandam medendi methodum in acutis requiritur ut morbus quaſi ſuopte cedat, ib. Adoleſcentes ſtupore ad carum accedente perculſi, maxime qui in ſudoribus extorquendis operam collocarant, nulla arte ſublevari poterant, ibid.

CAPUT V.

Morbilli.

MOrbilli quo anni tempore regnant, p. 24. & ſeq. Eorum deſcriptio, ibid. Et hiſtoria, ib. Regimen juſto calidius quæ hic afferat incommoda, ibid. Et quo pacto iiſdem poſſit ſubveniri, ib. Morbillorum curatio, ibid. Morbillis & natura & medendi ratione cum variolis convenit, ib. Infantes febre, dyſpnœa aliiſque accidentibus poſt morbillorum diſceſſum laborantes, venæ ſectione ſola liberantur, ibid. Phlebotomia haud minus tuta infantibus quam adultis, ibid. Convulſionibus puerorum dentientium præ ſpecificis quibuſcunque opem fert, ibid. Infantum item pertuſſi, vel tuſſi convulſivæ, ibid.

CAPUT VI.

Variolæ Anomalæ hujus Conſtitutionis.

VAriolæ anomalæ diſtinctæ quibus diſcriminabantur a genere diſtincto regulari, pag. 25. Ad confluentium naturam illæ propius accedebant, inflammationis majoris participes, ibid. Confluentes anomalæ quibus diſcrepabant a confluentibus regularibus, ibid. Curatio variolarum utriuſque generis, ibid. Inflammatio in his quam in regularibus intenſior, regimen temperamentum magis adhuc efflagitabat, ib. Fluxus menſium, tempore non conſueto, liberalem liquorem refrigerantium uſum ſuadet, & quare: ibid. Remedia cardiaca & regimen calidius hic adhibita plurimas mulieres peſſundederunt, ibid. Hiſtoria cujuſdam fluxu menſium una cum variolis laborantis inſignior, ibid. & ſeq. In genere diſcreto ſatis erat ut æger pro ſitis modo cereviſiam tenuem potaret, p. 226.

CAPUT VII.

Colica Bilioſa.

QUO nomine hic venit tractanda, p. 26. Vel dyſenteriam diuturniorem excipiebat, vel a febre ordiebatur, ibid. Ejus morbi deſcriptio, ib. In iliacam paſſionem facile tranſit, ib. Cauſa morbi eſt acris aliquis ſive humor ſive halitus e ſanguine in inteſtina excuſſus, ibid. Curatio venæ ſectione & cathartico leniente perficitur, ibid. Si a fructibus horariis aut cibo δυσπέπτῳ oritur morbus, ventriculus eſt eluendus & anodynum exhibendum antequam ſecetur vena, ibid. Quando intendendæ catharticorum vires, & quam ob cauſam, ibid. In magna ventriculi debilitate & vomiturition narcoticum cathartico præmittendum, ibid. Anodynum mane & ſero exhibendum quotidie, & ſpatio inter purgationes medio, & poſt ſingulas purgationes, ibid. Tutiſſime repetuntur narcotica urgente hujuſmodi dolore, non item ubi ille deſierit, ibid. Enemata carminantia diuturniorem morbum reddunt, ibid. Cum evacuationes copioſiores non diu ante colicæ adventum fuerint inſtitutæ, a paregoricis omnino incipiendum eſt, pag. 27. Ejus rei exemplum proponitur, ibid. Equitatio, cæteris non proficientibus, curationem nonnunquam abſolvit. Cautiones circa eam, ibid. Exemplum memorabile, ibid. Unde eſt quod equitatio tantum præſtet in morbis chronicis quam plurimis, ibid. Qualis diæta hic conveniat, ib. In morbo diuturniore, & magna debilitate aquæ epidemicæ, mirabilis, aut alterius ſimilis uſus debet concedi;

& qua-

& quare, ibid. Diæta tenuis quare aliquandiu poſt depulſum morbum eſt obſervanda, ibid. Colica hyſterica bilioſæ ſimillima, ibid. Quibus potiſſimum fœminis contingit, ibid. Ejus deſcriptio, ibid. Leviſſima animi commotio dolorem revocat, ibid. Exercitium item præmature nimis ſuſceptum, ibid. Vapores, ſic vulgo dicti, ſymptomata pariunt parti quam obſederint accommoda, pleroſque morbos affabre ſimulantes, ib. Colica hyſterica bilioſam nonnunquam mentitur, ibid. Quandoque etiam vel renum, vel etiam veſicæ calculum, Enematibus, aliiſque lithontripticis exaſperatur, ibid. Sedatur anodyno, ibid. Nulla corporis pars, ſive interna, ſive exerna ab ejus inſultu eximitur. ib. Nec venæ ſectio, nec catharſis hic celebranda. Nocent & enemata, ib. Hic morbus a ſpirituum ἀταξίᾳ potius quam vitio humorum videtur naſci, ibid. Emetica etiam fruſtra propinantur, ib. In fœminis tamen temperamenti magis ſanguinei & viraginibus, nonnunquam vel phlebotomia, vel catharſi, vel utraque anodyno via aperienda eſt. Hæc methodus doloris ſymptomata tantum reſpicit, non cauſam morbi, ibid. Hic morbus in ictero ſolet deſinere, ibid. In cujus curatione nulla purgantia niſi rhabarbarum & ſimilia ſunt uſurpanda, ib. Hujus icteri curatio, ibid. Curatio icteri communis, ibid.

SECTIO QUINTA.

CAPUT I.

Conſtitutio Epidemica Anni 1673. atque integrorum 1674. 1675.

EXoleſcente conſtitutione dyſenterica, nova ſuboritur circa initium Julii 1673. Syllabus morborum ſe per hoc triennium excipientium, quo ordine invaleſcebant, recedebantque, pag. 28. Dyſenteria & diarrhœa pro hujus febris ſymptomatibus potius quam morbis eſſentialibus erant habenda, ibid. Poſt ſubitam tempeſtatis mutationem catarrhi & tuſſes ſe huic febri adjungunt, unde naſcuntur ſymptomata peripneumonica & pleuritica, febre eadem manente, ibid. Conſtitutio hæc perquam eſt anomala, ut & ejus morbi, ibid.

CAPUT II.

Febris continuæ hujus Conſtitutionis.

NAſcente morbo majora erant inflammationis ſigna, quam eo jam provectiore; pag. 28. Symptomata huic febri peculiaria recenſentur, ibid. Affectus quidam comatoſus hanc febrim comitabatur, nonnunquam in aphonia deſinens, ibid. Qui eo paſſu diſceſſit quo vires æger reſumpſit, ibid. Remedia calidiora & diaphoretica ſymptoma hoc accerſebant, ibid. Ubi primum erupit hæc febris, nullum habuit epidemicum ſibi σύγχρονον, unde ejus ſpecies difficilius inveſtigabatur, ibid. Phlebotomia in hac febre haud plus ſemel celebranda erat; repetitis enematibus ac medicamentis refrigerantibus curatio abſolvebatur, ib. Epiſpaſtica poſteriori cervici applicata hic magis ex uſu quam in aliis febribus, ibid. Curatio ib. & ſeq. Enemata quo uſque repetenda, p. 29. Quare e lecto ſurgendum erat quotidie, ibid. Cavendum tamen ne diutius quam par eſt æger e lecto abſuerit, ibid. In morbi declinatione tutius æger in lecto jugiter decumbit, quam vel initio, vel in ſtatu; & quare, ibid. Diaphoreſis non omni febri debetur, ib. Sudores a prævia digeſtione fluentes proſunt, nocent alii, ib. Intermittentium paroxyſmi, & febris ejus conſtitutioni παραχμῇ ſudorem criticum poſtulant, ib. Febris item peſtilentialis vel primis morbi diebus, ibid. In hac febris ſpecie, quæ ſine ſudoribus potuit fugari non ſine diſcrimine ii ſolicitabantur, ibid. Stupor comatoſus a nimia curatricum diligentia ſudores importune provocantium, ut plurimum invitabatur, ibid. Quo pacto ſymptoma hoc vincebatur, ibid. In morborum curatione nocet quandoque feſtinatio, p. 30. Etiam incongrua ciborum genera convaleſcentibus nonnunquam indulgenda, ib. Spiritus vitrioli ad phreneſin debellandam egregie contulit, ibid. Dyſenteria ſymptomatica quo pacto tollebatur, ib. Diarrhœa a narcotico, ubi opus erat, ſiſtebatur, ibid. Narcoticorum uſus hoc ſolo in caſu hic erat probandus, ibid. Convaleſcentium ſudores nocturni unde orti, & quo modo tollendi, ibid.

CAPUT III.

Morbilli.

MOrbilli anomali hujus conſtitutionis quibus maxime differebant a regularibus jam deſcriptis, pag. 30. & ſeq. Febris morbilloſa nunc venæ ſectionem tulit, nunc enemata: Methodo morbillis dicatæ conceſſit, ibid.

CAPUT IV.

Variolæ Anomalæ hujus Conſtitutionis.

VAriolæ hujus conſtitutionis nigras anni 1670. ſatis referebant, pag. 30. Putredinis majoris erant ſoboles naturæque magis craſſæ ac inconcoctilis, ibid. Quanto mitior morbi ſpecies, tanto citius puſtulæ ad maturitatem, morbus ad finem perducitur, ibid. Per tres haſce conſtitutiones, poſterior variolarum ſpecies priorem ſemper exuperavit, tum quoad majorem putredinem, tum quoad morbi materiam minus coctilem, ibid. Species nova hæc videtur e priore jam inveteraſcente ſuborta, ibid. Morbi epidemici ab aere effluviis a minerali aliqua fermentatione repleto, oriri videntur, ibid. Eouſque propagantur, donec expiraverit ſubterranea illa halituum minera, ibid. Curatio, ibid. Indicationes plane contrarias ſuggerit hic morbus, ibid. Quæ in variolis aliis confluentibus feliciter ceſſit methodus, hic non profecit, ibid. Spiritus vitrioli omnem numerum abſolvit, ibid. Quo tempore & modo exhibendus, ibid. Quæ ab eo liberalius ſumpto commoda, pag. 31. Nihil ab eo incommodi, licet ſalivationem fere ſiſtat, cujus vicem ſubeunt dejectiones aliquot, ib. Nullum variolarum veſtigium vel apud Hippocratem vel Galenum, unde excuſatior methodus nova, cum modernorum tantum curationibus adverſetur, ibid. In curatione febrium varioloſarum eadem pariter de cauſa innovandum fuit, ibid. Videntur morbi certas habere periodos pro occultis alterationibus quæ terræ viſceribus accidunt, pro varia ſcilicet ejuſdem ætate ac duratione, ibid. Unde novæ morborum ſpecies exoriuntur, prioribus etiam extinctis, ibid.

CAPUT V.

Tuſſes Epidemicæ cum Pleuritide & Peripneumonia ſupervenientibus.

EX improviſa ſymptomatum mutatione febris, quæ eadem manebat, pro pleuritide eſſentiali, aut eſſentiali peripneumonia ab incautioribus eſt habita, p. 31. & ſeq. Medendi methodus eadem quæ febri hujus conſtitutionis quadrabat; ab illa vero quæ pleuritidi veræ conveniebat, longe diverſa, p. 32. Non eo anni tempore invadebat febris hæc, quo ſolet pleuritis, ib. Curatio, ibid. Tuſſis ex qua προφάσει naſcitur, ut & febris eam comitans, ib. Nova hæc febris in febris ſtationariæ tum regnantis nomen & familiam ſtatim tranſit, ibid. Tuſſis ſine febre, abſtinentia a carnibus, moderato exercitio, & ptiſana pectorali refrigerante curabatur, ibid. Nec narcotica, nec liquores ſpirituoſi, nec diaphoretica hic tuto uſurpabantur ad ſedandam tuſſim, ibid. Et quare enemata (tam in hac quam aliis febribus) fractis jam morbi viribus non ſunt repetenda; maxime in fœminis hyſtericis, viriſque hypochondriacis, ibid. Pleuritis vera ſola repetita venæ ſectione curatur. In hac febre ſemel, vel ut plurimum bis, venam ſecaſſe ſatis erat, ibid. De pleureſi maligna dicta, quæ venæ ſectionem non fert, ib. In pleureſi ſymptomatica non multo plus ſanguinis ſymptomatis ratione educendum eſt, quam febris nomine, a qua pendet, educi debuerat, ibid. In febrium curatione anni conſtitutio, quatenus huic alterive epidemico producendo favet, ob oculos ſemper eſt habenda. ib. Curatio tuſſis ſine febre, ib. Malignitas in particulis calidiſſimis ac ſpirituoſiſſimis, humorum in humano corpore contentorum naturæ adverſantibus, conſiſtere videtur, ibid. Particulæ dictæ aſſimilando agunt, ibid. Hæ in peſte ſudoribus eliminari poſſunt; Non vero in iis febribus, in quibus particulæ aſſimilantes non ita ſunt ſubtiles, ibid. Uſu calefacientium actuatæ, magis aſſimilant particulæ calidæ, & humores extenuati minus reſiſtunt, ibid. Docet experientia purpureas febrium maculas, & variolarum puſtulas nigras a calefacientibus augeri. A regimine vero moderatiori minui ſolet, ibid. Particulæ νοσηραὶ in peſte ita quandoque ſubtiles ſunt, ut ne ſanguinem quidem in ebullitionem attollant, unde æger ſine febre perit, ibid. in malignis aliis epidemicis ita parca febris ſigna conſpiciuntur, nonnunquam ob confuſionem in ſanguine & humoribus nonnunquam etiam ob metaſtaſin mineræ maligna in genus nervoſum, vel alias corporis partes, ibid. Nulla alia methodus medendi malignitati qualicunque, præter eam quæ epidemico cui inhæret, debetur, ibid.

CAPUT VI.

Anacephalæoſis.

QUinque conſtitutionum genera, quinque nimirum aeris diatheſes, quæ totidem febrium epidemicarum ſpecies peculiares producebant, hoc tractu deſcribuntur p. 33. & ſeq. Harum prima, depuratoria quæ dici poteſt, præcipua naturæ febris, p. 48. Huic adaptantur axiomata quæ tradiderunt Hippocrates aliique Medici antiqui: ſequentibus febrium ſpeciebus vix accommodanda, facile tranſibant, in aliis vero rariſſime, ibid. Febris continuæ ſpecies poteſt dignoſci, primo ab aliis epidemicis eo locorum tum graſſantibus, ibid. Secundo a propriis cujuslibet febris ſymptomatibus, ibid. Ægri ſive ſudatio, ſive ſiccitas in hoc vel illo morbi tempore, febris ſpeciem præ cæteris demonſtrat, ibid. Cognitio ſpeciei novæ febris vertente primum anni conſtitutione, a perdiligenti atque accuratiſſima circumſtantiarum omnium obſervatione pendet, ibid. Indicatio a juvantibus & lædentibus ſumenda ad curationem ſaltem relinquitur, ibid. Ubi nondum conſtat, quid ſit agendum, nihil agendo & Medico & ægro optime conſulitur, ibid.

SECTIO SEXTA.

CAPUT I.

Febres Intercurrentes.

FEebres ſtationariæ quæ a particulari anni conſtitutione pendent, & ſingulæ ſuo ordine graſſantur. Intercurrentes quæ cum ſtationariarum quibuslibet, ut etiam & ſecum invicem eodem anno differentes commiſcentur, p. 33. Intercurrentes ſunt febris ſcarlatina, pleuritis, peripneumonia notha, rheumatiſmus, febris eryſipelatoſa, angina. In his, febris morbus primarius videtur, & reliqui affectus tantum ejus ſymptomata, κρίσεως modum, vel partem in qua illa ſit, ſpectantia, ibid. Intercurrentes nonnunquam, licet non ita frequenter ac ſtationariæ, epidemice graſſantur, ibid. Duo hæc febrium genera quoad cauſas externas ſæpenumero conveniunt, ib. Plures præmatura veſtium abjectione, & ſubita refrigeratione poſt exercitium, quam peſte, gladio & fame ſimul omnibus, pereunt, ibid. Veſtes quibus quis aſſueverit non niſi menſe uno ante ſolſtitium æſtivum ſunt deponendæ, ibid. Quoties hi morbi eſſentiales non ſunt, ſed febrium ſtationariarum ſymptomata, iſta methodo tolli debent qua febris illa curatur, ibid. In genere ad anni febrim ſerio attendendum eſt, ibid. Qualia ſunt ſymptomata quæ invaſionem febris ſtationariæ comitantur, talia omnino erunt ſymptomata quæ inſultum ſive anginæ ſequuntur, quoties ejuſmodi febris accidentia ſunt tantum; quo ab eſſentialibus diſtinguunrur, ibid. Anni tempus quo intercurrentes plerique infeſtare ſolent, eſſentiales ii fuerint, an ſymptomatici, ſubinnuit, ibid. In febrium curatione maximi momenti eſt ſcire qua porta ſit excludenda materia febrilis, ibid.

CAPUT II.

Febris Scarlatina.

EXeunte æſtate ut plurimum invadit præ cæteris, p. 34. & ſeq. Deſcriptio morbi, ibid. Curatio, ib. Nec venæ ſectione, nec enematibus, nec cardiacis eſt opus. A carnibus tantum & ſpirituoſis liquoribus æger abſtineat, nec foras prodeat, nec lecto perpetuo affigatur. ib. Quid agendum, ſi convulſiones vel coma ſupervenerint, ib.

CAPUT

CAPUT III.

Pleuritis.

QUare tempore inter ver & æstatem medio potissimum invadat, pag. 34. Temperamento sanguineo præditos rusticos frequentissime aggreditur, ib. Morbi historia, ib. Febribus quandoque supervenit, sæpissime ex intempestivo ac præpostero calidorum medicamentorum usu, ib. De pleuriticorum sanguine quædam notatu digna, ib. Curatio pleuritidis, ibid. in adultis raro minori quam 40. circiter unciarum sanguinis impensa sanatur, ibid. Diarrhœa repetita venæ sectione sistitur, ibid. Æger e lecto quotidie eximendus ad horas aliquot, ibid. Hic morbus expectorationi eliminandus non sine ingenti periculo committitur, ibid. Curatio punctura tendinis, ibid.

CAPUT IV.

Peripneumonia Notha.

SUb hyemis exitum emergit: Paulo habitiores & crassos, virilem ætatem assecutos, vel prætergressos, liquoribus spirituosis addictos præcipue aggreditur, p. 35. Morbi descriptio, ibid. In habitioribus nulla fere febris indicia, vel ob interceptam circulationem, vel pituitæ, qua sanguis gravatur, copiam, ibid. Curatio venæ sectione, remediis pectoralibus, diæta refrigerante perficitur, ibid. In crassioribus maxime ætatis florem prætergressis cum minus feliciter cedat venæ sectio, repetita catharsis crebrior est substituenda, ibid. Sanguis e brachio ægri in lecto jacentis extrahendus, ibid. Vera peripneumonia a pleuritide in eo tantum differt quod pulmones universalius afficiat, ib. Notha hæc peripneumonia ab asthmate sicco distinguitur febre, quam illa semper habet comitem, ibid. Quam egregia præstat spiritus vini in ambustorum curatione, ibid.

CAPUT V.

Rheumatismus.

ANnis florentes maxime, atque autumno præcipue invadit: a repentino frigore post calefactionem admisso plerumque oritur, pag. 36. Morbi historia, ibid. Febris sæpe recrudescit ob materiam morbificam intempestivo externorum usu repercussam, ibid. Arthritis sæpe audit hic morbus, quoties a febre sejungitur: non est tamen, ib. Eo desinente æger nonnunquam membrorum motu ad mortem usque privatur, ibid. Lumbago rheumatica, alia hujus morbi species, describitur, ibid. Morbi curatio, ibid. Utraque morbi species ab inflammatione orta, venæ sectione & refrigerantibus tollenda est, ibid. & seq. Ab anodynis abstinendum, quorum usu morbus finitur, ibid. Quo tempore purgandus æger, ibid. Dolores a rheumatismo imperite tractato reliqui pro scorbuticis sæpe habentur, ibid. Scorbutus non ita frequens apud nos morbus, atque a vulgo putatur, ibid. Multi ex iis affectibus qui scorbutici audiunt, vel affecta sunt morborum fientium, vel nondum perfecte devictorum reliquiæ, ibid. Probatur illud exemplo arthritidis, podagræ, atque hydropis, ibid. Methodus medendi non adulterinis illis symptomatibus, sed ipsi morbo, seu perfecte formato est accommodanda, ibid. In rheumatismo inveterato longius spatium inter venæ sectiones repetitas est interponendum, ibid. Fontanella in crure, & spiritus quivis volatilis hic prosunt, ibid. Rheumatismi scorbutici curatio, ibid. & seq.

CAPUT VI.

Febris Erysipelatosa.

DEscribitur morbi species notissima, pag. 27. Describitur species alia rarius occurrens, ib. Curatio materiam peccantem evacuantibus, partibus jam impactam discutientibus, & sanguinem contemperantibus, absolvenda, ibid. Topicis etiam post catharsin applicandis, ibid. Quæ diæta hic conveniat, ibid. Pruritus ferini curatio, ibid.

CAPUT VII.

Angina.

TEmpore ver atque æstatem interjacente juvenes præ cæteris, & temperamento sanguineo præditos, rufos item, invadit, pag. 37. Morbi descriptio, ibid. Curatio sanguine copiose detracto primum e brachio, mox ex ranula utraque; litu ex melle rosaceo & spiritu vitrioli, gargarismate, dein catharsi perficitur, p. 38. Enema etiam refrigerans emolliens quotidie injiciendum est. A carnibus, a lecto per horas aliquot singulis diebus abstinendum, ibid. Angina symptomatica eadem methodo, qua febris, cujus symptomata est, debet curari, ibid. Nonnullæ febres intercurrentibus annumerandæ, vulgo pro symptomatibus tantum habentur, ibid. hujusmodi sunt hæmorragia narium, hæmoptoe, ibid. Describitur narium hæmorrhagia, ibid. Ejusdem curatio, ibid. Quo nomine catharsis hic instituenda, ibid. Hæmoptoe ejusdem fere indolis cum hæmorrhagia jam tractata, ibid. Eandem fere quam hæmorrhagia methodum medendi sibi vindicat, nisi quod catharsin minus ferat; a qua, præsertim repetita, æger facile in tabem conjicitur, ibid. Conclusio, ibid.

Epist. Resp. prima.

ANnus 1676. eosdem peperit morbos quos prægressi 1673. 74. & 75. pag. 40. Exolescente hac crasi, mitiores quam pro suo genio evadebant morbi, & minus epidemici, ibid. Non tam manifesta, quam occulta aeris temperies morbis epidemicis favet; nisi quod symptomata aliquando, ibid. Morbilli licet non admodum epidemici, longius tamen quam pro more suo procurrebant, ibid. Non tamen diversam medendi methodum ad usitata postulabant, ibid. Exeunte æstate, cholera morbus epidemice sæviebat, atrocioribus solito convulsionum symptomatibus stipatus, ibid. Anodyna fortiora, & frequentiora quam alias unquam indicabantur, ibid. Historia eo laborantis, & convalescentis, ibid. Usque augenda, & repetenda est laudani liqu. dosis cum symptomata subjugaveris, ibid. Tres sunt effectus in quibus opio parata indicantur, ibid. Dosis & repetendi vices cum symptomatis magnitudine sunt conferendæ, ibid. Anno 1677. sicco pede præterit Author, per integrum ejus decursum valetudinarius, ibid. Anno 1678. febres intermittentes per 13. annos exulantes epidemicæ rursus audiunt, ibid. Hyeme paululum satiscentes variolis, aliisque per id temporis epidemicis locum cedebant, ibid. Olim quartanæ frequentius occurrebant, nunc dierum aut tertianæ, aut quotidianæ, & moris plane diversi, ibid. Cardiacis, & regimine calido adeo præter indolem suam incruduere, ut tacto cerebro haud pauci extinguerentur, ibid. In tertianis & quotidianis per sudorifica curationem moliri periculosum est, ib. Ita enim quæ intermittebat febris, fit continua, ibid. Æthiologia ejusdem, ibid. Venæ sectio & catharsis morbum protrahunt, ibid. Nonnunquam e longo corticis Peruviani usu species quædam rheumatismi scorbutici inducitur; sed rarissime, & facile curatur, ibid. Cortex insignium est virium non in hoc tantum morbo, sed & in uteri, & ventriculi affectibus, ibid. Ob quæ præjudicia, & rationes temere deductas cortex male audit, ibid. Vel ipsos curavit quos purgavit, ibid. Haud illæ nobis arrogandæ sunt facultates quas natura negavit, ibid. Provocantur Philosophi ad unicam differentiam specificam in natura enodandam, ibid. In morborum curatione non oportet alicui hypothesi indulgere: sed rejectis speculationum commentis, experientiam cum recta ratione conjunctam tanquam indicem, atque magistram sequi, ibid. Cortex Peruv. 25. plus minus abhinc annis primum cœpit inclarescere, ibid. Duæ causæ memorantur, ob quas in desuetudinem abierat, ibid. Herculeum est medicamentum si qua par est cura propinatur, ibid. Quibus rationum momentis ductus est Author ut hanc suam methodum excogitaret, ibid. Methodus exhibendi, ibid. Vel in forma pilul. vel electuar. vel in infus. ibid. Si ob idiosyncrasiam (quod sæpe accidit) expurgetur æger, cum laudano est exhibendus, ibid. Eadem methodus (sed in dosi minori) valet in tertianis, & quotidianis, pag. 41. Tertianæ, quotidianæque non ita raro in continuarum fere speciem vergunt, præsertim ægro regimine justo calidiore mulctato, ibid. In quo casu a remissione quantumlibet exigua oportet corticem ingerere, nec paroxysmum præstolari, ibid. Maxime continuis apyrexiam conciliat Cortex, modo regimine justo calidiore non impediatur vis, ibid. nec obstat vinum in quo exhibetur, ibid. Quo magis proclivis est in continuitatem febris, eo majori in dosi detur Cortex, ibid. Quibus arridet infusio paretur, ibid. Si vomituritio incesserit laudata hic methodo est compescenda, & tum Cortex ingerendus, ibid. Teneræ infantium ætati Julapium accommodatur, ibid. Quare in tertianis sæpe, & quotidianis medicam, non nisi post biduum curationem, absolvit, ibid. Si omni adhibita cautela æger recidivam patitur, decoctum amarum exanctorato cortici succenturietur, ibid. Æger nec a cibo, nec potu qui ad stomachum facit, arcendus est, fructibus horariis, & liquoribus frigidis exceptis, ibid. Carnibus eupeptis, euchymis vescatur, vinoque modice utatur, ibid. Aura frigidior vitetur, ut & omnes evacuationes, blandiss. enim Catharsis, vel enema e lacte saccharato in recidivæ discrimen conjicit, ibid. Febres Symptomatibus stipatæ quæ Apoplexiam veram mentiebantur, ibid. Quibus indiciis judicandum, ibid. Cautio de methodo medendi, ibid. Senes imperite tractati in Diabetem aliquando incidunt, ibid. In omni Diabete invigorandus est sanguis, ibid. Methodus therapeutica, ibid. Medicam. formulæ, & diætæ, p. 42. Eadem methodo, (nisi quod præmittenda est phlebotomia & Catharsis) sanatur & fluor muliebris, ibid. In tertianis verminalibus, temperamento sanguineo, & florente ætate quid agendum, ibid. Methodus in gratiam pauperum, ibid. Anno 1679. sub initium Julii eædem febres vires deintegrabant, & mense Augusto immaniissime debacchabantur, ibid. Cum Novembri subingrediebantur tusses ἐπιδημικώτεραι, quarum mala indoles adumbratur, ibid. Ad tussim puerorum convulsivam proxime accedebant, ibid. In earum causam inquiritur, ibid. Curatio recte insistitur Venæ sectione & Catharsi, ib. Pectoralibus gratificamur ægris, sed non diu iis immorandum, & quare, ibid. Sudorifica non ita tuto adhibentur, ibid. Sæpe iis accenditur Pleuritis, ibid. Misso sanguine, & epispastico nuchæ applicato Catharticum propinetur, ibid. Qua sola methodo tussis puerorum convulsiva expugnatur, ibid. Ratio redditur quare in omnibus morbis epidemicis phlebotomia Catharsi præmittenda est, ibid. Cui multiplex experientia, dux & magistra opt. suffragatur, ibid. Empirici & scioli perstringuntur, ibid. In accurata Naturæ operationum observatione vera praxis med. fundatur, ibid. Febres duas e tribus in medicina facienda partes occupant, ibid. In quem scopum unice collimant Empirici in earum curatione, p. 43. Non facile dijudicant speciem, ibid. Quævis peculiarem postulant medendi methodum, ibid. Eadem per diversos gradus diverse tractanda, ibid. Minutiora quæ observanda sunt non facile enumerantur, ibid. Semper erit quod posteri adjiciant, ibid. Tusses modo dictæ, si imperite tractentur, febrem accendebant, ibid. Methodus therapeutica, ibid. In febre a tussi si ter purgetur æger, sufficit, ibid. Post mensem unum vel alterum cessabat tussis, sed febris quoad cætera ejusdem indolis grassabatur, ibid. Eadem febris usque ad initium anni 1680. se extendebat, ibid. Febres intermitt. cum surgente anno apparebant, ibid. Perseverabant ad initium 1685. sed non adeo epidemice ac in 4. primis annis, ib. Generalis constitutio intermitt. producendis favet, ibid. Verosimile est febrim depuratoriam postliminio reversuram, ibid. In Peste, & febribus inflammatoriis obest corte x, ibid. Epidemici alii alios ordine excipient, ibid. Æger Rheumatismo laborans si phlebotomia liberiori manu celebrata curetur, variis morbis obnoxius redditur, ibid. Diæta e sero lactis phlebotomiæ loco substituta, ibid. Historia, ibid. Leviora sunt ingenia, quæ res vilipendunt quod simplices sunt, & apertæ, ibid. Dicta methodus aliis etiam morbis accommodaretur, ibid. Casus rarior cujusdam qui mercurium subt. corros. deglutiverat, repetitis aquæ tepidæ hausibus ab orci faucibus erepti, ib. Cautio de diæta lactea in virilem ætatem prætergressis, & vino assuetis, ibid. Post tertiam Venæ sectionem Cath. exhibeantur, repetanturque, ibid. Ita viam sternes paregoricis, ibid. Purgantia sint e lenitivis, ibid. Affectus quidam qui febres intermittentes excipiebat nunc Rheumatismum, nunc dolorem nephriticum æmulans commemoratur, pag. 44. Eandem vendicabat medendi methodum, quam morbus cui adhærebat, ibid.

Epist. Resp. Secunda.

NIl vetat, at jubet charitas luis venereæ curationem docere, pag. 77. Quando primum hic morb. Europam appulit, ib. Cujus regionis Endemius, ib. Magna celeritate grassabatur primum, nunc languet indies, ib. Centum retro annis Gonorrhœæ virulentæ specie se primum ostendebant, ib. Quot modis propagatur, ibid. Quibus gradibus proce-

procedit, ib. Varia enumerantur ſymptomata, ib. Conſtrictio virgę erectæ dolorificæ eſt ſignum παθογνωμονικώτατον, ib. Ardor urinæ, carunculæ in urethra eroſa, unde Iſchuria, ſcroti inflammatio, ib. Quomodo Gonorrhœa adoleſcit in veram luem, p. 78. Bubones, dolores vagi nocturni, ib. Cruſtulæ, & purrigines leproſæ, ib. Exoſtoles, ulcera Phagedænica, Tragœdiæ, Cataſtrophe, ib. Natura huis eſſentialiis nos latet, ib. Nec mercurius, nec ligna exſiccantia proprie hic audiunt ſpecifica, ib. Alia debet eſſe evacuatio in Gonorrhœa, alia in lue formata, ib. Gonorrhœæ curationis cardo in remediis catharticis vertitur, ib. Quibus præ cæteris purgantibus cedit, ib. Diæta refrigerans a carceribus ad metas, ib. Methodus obſervanda circa Catharſin, ib. Quid denuo faciendum ſi purgationi non ceſſerit Gonorrhœa, ib. Quid in Idioſyncraſiis, ib. Quid in iis qui ægre purgantur, ib. Diæta inter curandum, ib. In quo caſu vena tundenda, p. 79. Catharſis hic ad inſtar omnium eſt, ib. Qui mundificat bene, bene ſanat, ib. Incommoda ex aq. mineralibus, & aliis adſtringentibus, ib. Item e lignis exiccantibus, ib. Methodus curandi glandem præputio contectam, & inflammatam, ib. atque etiam ſcrotum inflamm. ib. Lues confirmata non niſi per ſalivationem ab hydrargyro excitatam poteſt extirpari, ib. In ejus curatione corporis per evacuantia præparatio damnatur. ib. Ut & correctiva in ungnent. & Cathart. ib. Æger ter inungendus, ib. Quibus remediis Pthyaliſmus extimuletur; ib. Gradus ſalivationis ſedulo obſervandus, ib. Quid ſi purgaretur æger, p. 80. Convaleſcente ægro, potius promoveri debet pthyaliſmus, quam cohiberi, ib. Refrænandus tamen in ſtatu, ſi juſtos limites tranſiliret, ib. Poſt ſalivationem non neceſſaria eſt Catharſis, ib. Cautio ne ſalivatio importunius urgeatur, φύσεως ἀντιπραττόση, ib. Qua methodo optata potiaris arena, ib. Mercurius dicatur ſpecificum mediatum. ib. Quid agendum ſi Lues & Gonorrhœa una ſtabulentur, ib. Curatio Exoſtoſis, ib. oris exulcerati, ib. Diæta, & reliquum ægri regimen, p. 81. Quare hoc morbo mulctati in Galliam commigrare coguntur, ib. Quo tempore carnes teneriores indulgendæ ſint ægro, ib. Hæc methodus uſitata expeditior, minus periculoſa, & recidivæ minus obnoxia, ib.

Diſſertatio Epiſtolaris.

RAtiones quæ Authorem inſtigarunt ad obſervationes haſce edendas, p. 83. Febres intermittent. quæ primum an. 1677. caput extulere, anno vero 1681. regnabant, iis tempeſtatibus graſſabantur maxime, quæ cum earum indole magis faciebant, ib. Quo ordine morbi ſe invicem excipiebant, ib. Variolæ ἐπιδημικάτατα factæ ſunt, ib. Qua data occaſione maculæ purpureæ extrudebantur æger pro exanthematum numero. ib. Sanguinis mictus, & maculæ purpureæ, vel pauciſſimis, vel nullis apparentibus puſtulis ægrum e medio tollant, ib. Status diverſo tempore pro ratione morbi, ib. Confluentes tanto diſtinctis periculoſiores, quanto confluentibus peſtis, ib. Juvenes in ætatis flore omnium maxime periclitantur, ib. Puſtulæ & phlegmonis comparatio, ib. Denſa puſtulatum eruptio coercenda, & quare, ib. Unde oritur, & a qua προφάσει, ib. Die ſexto ab invaſione omne puſtularum examen conſpicitur, ib. Quo morbi tempore æger inſolidum lecto adjudicandus, ib. Eſſentia morbi videtur in inflammat. conſiſtere, p. 85. E qua varia ſymptomata oriuntur, ib, Peccantem materiam in ſanguine ſola febre amolitur Natura, in maſſa carnea apoſtemate, ib. Pus reſorptum ſanguinem inquinat, ib. Pthyaliſmus ab intenſo febris calore ſiſtitur. ib. Eventus pendet a jacto fundamento, ib. Quot mala a regimine calido oriuntur & a modice frigidiuſculo commoda, ib. In quo caſu æger libero aeri exponendus eſt, ib. Quomodo accidat, ut æger in morbi principio tollatur, ib. Sanguis miſſionem non tanti eſſe ac ejuſdem contemperationem, probatur inſtantia, ib. Quantum valet reiterata Catharſis ſanguine nondum inquinato, ib. Objectiones contra regimen moderatum retorquentur, p. 85. & ſeq. Incommoda a puſtulis præpropere elicitis, ib. Lecti calor quantus, ib. Nec febris coercenda, nec ſudor provocandus, ib. Æger lecto arcendus, ne forte variolæ forent e confluent. genere. ib. Nihil ſuo judicio tribuit Author niſi quatenus experientia conformi, ib. Dogmatici invidiam depellit. ib. Quocunque modo tractentur variolæ, aliquando inſigniter confluent, ib. Quantum dandum ægrorum appetitionibus, p. 86. Naturæ, non Arti mos eſt gerendus, ib. Morbi acuti ſunt qui DEUM habent Authorem, ſicut Chronici ipſos nos, ib. Quale bonum eſſet Ars medica, ſi vere Ars eſſet, ib. Infantes ſpaſmo correpti ut tractandi. ib. Quantum hic errari ſolet quum ſymptomata pro affectibus eſſentialibus habentur, ib. Poſt ſpaſmos in infantibus raro inſigniter confluunt variolæ, e contra, poſt affectus comatoſos, ib. In utrovis effectu quomodo tractandæ, ib. Quo enormiora ſunt ſymptomata, eo magis confluunt variolæ. ib. Poſt amiſſum ſanguinem Emeticum eradicativum exhibendum, ib. ſp. vitriolis cereviſiæ tenuiores immiſcendus, ib. Liberior aeris appulſus magis confert ad ſanguinem contemperandum, quam evacuantia quævis, ib. In quibus hæc methodus obſervanda, ib. Die ab invaſione ſexto æger lecto addicetur. ib. De variolis confluent. tantum hic agitur, ib. Medicamenta paregorica ſunt hic quaſi ſpecifica, ib. Quo ſedatiores ſunt ſanguis, & ſpir. eo commodius & ſeparatio fit mat. varioloſæ, & puſtulæ adoleſcunt. ib. Quo nomine ſyr. de Maconio laudano liquido eſt præferendus, ib. Doſis ſymptomatum gradui adaptanda, ib. De adultis impræſentiarum agitur, ib. Infantibus tamen aliquando danda ſunt hypnotica, ib. Toties repetenda ſunt, donec metam attigerit, ib. obſervatio, ib. Calor lecti eludit medicamenti vires, ib. Quod etiam in Febribus intermit. aliquando accidit, ib. A ſexta ab Invaſione nocte ad 17. exhibendum Anodynum. ibid. Temporius in ultimis morbi diebus ob paroxyſ. veſpertinum, ibid. Æqua doſi ib. Si ægro nauſeam creaverit ſyr. de meconio, laudanum liq. ejus vices ſuppleat, ib. Objectioni reſpondetur de diſcrimine Pthyaliſmum retundendi, p. 87. Quare non æque indicatur Diacodium in infantibus, quo caſu propinandum, ib. Duo Cardines in quibus variolarum curatio vertitur, ib. Die decimo epiſpaſt. nuchæ applicandum, & quamobrem, ib. Die undecimo vix micat pulſus, ib. Alium inciſum pedum plantis admovendum a die octavo donec æger extra aleam poſitus fuerit, ib. Diæta per totum morbi decurſum, ib. Vino, inſtante maturatione, indulgendum, ib. Sudores evitentur, ib, Caſus rarior, ib. & ſeq. Variolæ inſigniter confluentes, licet ut plurimum, non tamen ſemper tertio ab invaſione die erumpunt, p. 88. Omnia hæc theoremata ad confluentes tantum pertinent, ib. Hiſtoria inſignior de quodam a Petechiis, & mictu ſanguineo faciliter liberato, ib. Par methodus in cauſarum paritate (quantum fert utriuſque morbi Genius) adhibeatur, p. 89. Non Phantaſiæ, ſed phænomenis practicis litat Anthor, ib. Probi Medici officium, ib. Unde eſt quod quæ Medica appellatur, confabulandi potius, quam medendi Ars evaſit, ib. Naturæ operationes deprehendimus, ſed modus operandi nos ſemper latebit, ib. Inſtantia in Cerebro, ib. Non quæ librorum lectio ſuggeſſit, ſed quæ propria experientia docuit, hic tradit Anthor, ib. Affectus hyſterici Chronicorum pars media ſunt, ib. Pauciſſimæ fœminæ, vel viri ſedentarii ab iis liberantur, ib. Affect. hyſteric. & hypochon. analogia, ib. Omnes fere affectus æmulatur, ib. Apoplexiam refert, & Hemiplegia ſolvitur, ib. Quas præcipue adoritur fœminas hæc ſpecies, ib. Spaſmos gignit horrendos Epilepſiæ perſimiles, ib. Strangulatus uteri quibus temperamentis familiaris, ib. Exteriorem capitis partem impetens cum vomitione enormi clavum hyſtericum parit chloroſi laborantibus familiarem, ib. Cordis palpitationem excitat in infirmioribus, & febre alba palleſcentibus, ib. Tuſſim etiam hyſtericam, quæ pituita ſcatentes fatigat, ib. Iliacam paſſionem mentitur cum frequenti vomendi nixu, & bile porracea rejecta. Ictero ſolvitur paroxyſmus, ib. Deſperatio de ſalute indiviſus ejus comes, ib. Quo corporis habitu locum habet hæc ſpecies, ib. Paroxyſmum Nephriticum mentitur, ib. Calculum veſicæ, & Iſchuriam parit: ſed rariſſima eſt hæc ſpecies, ib. In iis, qui fractis ſunt viribus a repetitis ejus inſultibus, ib. Nunc vomitiones excitat, nunc Diarrhœam ſed ſine dolore, ib. Quibus competunt, ib. Partes exteriores carnemque muſculoſam infeſtans dolores excitat tumoreſque, ib. Differentia inter hoſce tumores, & hydropicos, ib. Dentibus licet ſartis tectis ab omnique defluxu liberis atrociſſ. & expugnatu difficillimos dolores affigit, ib. Dolorem in dorſo certo certius perſentiſcunt quotquot hoc affectu tanguntur, ib. Partem cui inſederat teneram relinquit, ibid. Externarum partium refrigeratio quaſi viam ſternit, ib. De ſpirit. Dejectione, ſive ſubſidentia conquerunt ægri, ib. In riſus, & lacrymas effunduntur nulla data anſa, ib. Limpida urina copioſe reddita eſt ſignum pathognomicotaton, ib. Flatus nidoroſi, & ructus acidi, ib. Atrociſſima animi pathemata in ſinu fovent, p. 90. Qui hiſce affectibus tentantur, ingenio utplurimum pollent, ib. Difficile eſt multiformes affectus hyſtericos enumerare, ib. Cauſæ eorum procatharticæ, ib. Diagnoſis. Cauſæ προηγούμεναι, ib. Antecedens, ib. Cur plures fœminæ quam mares iis fatigantur, ib. Speciei illius quæ Uteri ſtrangulatus dicitur, deſcriptio, & origo, ib. Illius quæ Colicam biliosam æmulatur, ib. Color viridis, in rejectis unde, ib. Clavi hyſterici æthiologia, p. 91. Urinæ limpidæ, ib. Hiſtoria, ib. Phtyaliſmi hyſterici unde, ib. Frigus, Fletus, & Cachinni, ib. Caſus cujuſdem fletui immodico ex nulla προφάσει obnoxii, ib. Infirma ſpirituum σύνασις quot animi, & corporis intemperies parit, ib. Morbi fomitem in materia non deliteſcere inſtantia elucidatur, ib. Spirituum ἀπαξία humores putridos aliquando gignit, ib. Hinc etiam αἰσθεξία, chloroſis, & hydrops teſtium, ib. Diatheſis hyſterica eſt cauſa primaria, ib. Quemadmodum & μίασμα ſpirituoſum in febre quartana, ib. Præcipua indicatio curativa ſanguinis corroborationem indigitat, ib. Quare venæ ſect. & Catharſis præmittendæ, ib. Ab Anodyno aliquando & remediis vulgo dictis hyſtericis curationis tela ordienda eſt, ib. Poſt Venæ ſect. & Catharſ. omnia ægro videntur in pejus ruere, ib. Remedia chalybeata per 30. dies ſumantur, ib. Nihil magis erigit ſpiritus, ib. Indicio eſt effectus in chloroſi, ib. In quibus, Venæ ſect. & Catharſi omiſſis, cum chalybe recta incipiendum, ib. Nuda chalybis ſubſtantia quavis ejuſdem præparatione efficacior, ib. Crudæ forſan mineræ vis maxima, ib. Ab officioſa Chymicorum ſedulitate medicamenta ſæpe nativis ſpoliantur viribus, ib. Præcipuæ eorum vires a Natura, ib. Quod teſtantur Opium, & cortex Peruv. ib. Syr. chalibis a ſubſtantia ejuſdem ſecundus, ibid. Et in chalybis, & aquar. mineralium uſu Cathartica melius omittuntur. ib. Repetita Cathartica in imbecillis, & infantibus plurimum officiunt. ib. Unde tumores in infimo ventre, glandulæ præternaturales in meſenterio, &c. ib. Poſt evacuationes univerſales confortentur ſanguis, & viſcera, p. 92. Medicam. formulæ quæ huic intentioni inſerviunt, ib. In ventris tumoribus poſt longas febres intermitt. repetita Catharſis indicatur, ib. At in Rachitide vera ſemel, vel bis ad plurimum, & dein alterantia, ib. Non pauci infantes a Catharticis ſæpe repetitis interempti ſunt, ib. Objectioni fit obviam de chalybis aculeis in inteſtinis hæſuris niſi expurgentur, ib. Hyſterica dicta remedia in forma ſolida uſurpanda ſunt, ib. Methodus & remed. formulæ, ib. Si chalybeata perturbent, laudanum ſingulis noctibus ſumendum, ib. ubi ſymptomata mitiora ſunt, pil. hyſter. ſufficiant, ib. Idioſynchraſiæ ſunt obſervandæ, ib. Inſtantia in laudano liq. ſyr. de meconio vices gerente, ib. Si chalybs malo vincendo par non ſit, adeundæ aq. minerales, ib. & ſeq. Obſervanda inter bibendum, p. 93. Ob purgativa iis miſta difficilius operantur, ib. Infuſ. clavorum equinorum ſi modo debite aſſumantur, eundem cum aq. miner. effectum ſortiuntur, ib. In quo caſu aq. Bathonienſes adeundæ, ib. Theriacæ Androm. vis, ib. Vinum Hiſpan. vel corroborantibus medicatum, vel ſimplex quantum valet, ib. Cort. Peru. ad ſpir. invigorandos eximia eſt vis, ib. Præcipue in fœminis quæ ſpaſmis urgentur, ibid. Diæta lactea in temperamento bilioſo tenui, & colica hyſterica affectis, ib. Sed non omnibus ex æquo convenit, ib. Nihil tamen adeo impenſe ſanguinem & ſpiritus firmat, fovetque ac diu multumque equo vehi, ib. Hiſtoria notabili comprobatur, ib. & ſeq. Nec in hypochondriacis magis quam in tabidis phthiſiciſque pene deploratis locum habet hoc exercitii genus, ib. Inter chronicos Phthiſis duos fere Trientes jugulat, ib. Nec mercurius in Lue Venerea, nec Cortex in intermit. efficaciores extent, quam in hac curanda (obſervatis obſervandis) exercitium laudatum, ib. In Paroxyſmo hyſterico ad fœtida confugiendum, quæ ſpiritus ab excurſibus in ordines compellunt, ib. Quæcunque fœtent, huic intentioni inſerviunt, ib. Si vehemens dolor, vomitio enormior, aut Diarrhœa inceſſerit, ſolo laudano cohibentur, ib. In quibus evacuationes præmittendæ, & quamobrem, ib. In quo caſu a laudano incipiendum, ib. Vomitiones enormes doſin max. & ſæpiſſime repetitam indicant, ib. Paregoricum vel in forma ſolida exhibeatur, vel vehiculo parco, ib. Capitis motus vomitionem provocat, ib. Recidiva ut præcavenda, p. 194. A dolore, & vomitione Medicis frequentius imponitur, quam aliis quibuslibet ſymptomatibus, ibid. In illa ſpecie quæ paroxyſmum Nephriticum

imitatur judicanda quam graviter errari solet, ib. Ut & illa quæ calculum renum, colicam bilioſam vel Iliacam paſſionem ſimilat, ib. Quas repetitis ſuis evacuationibus Medici non ſolum non compeſcunt, ſed irrirant, ib. Præſertim emetico propinato, ib. De Diagnoſi ergo ſedulo cavendum, ib. Plurimæ puerperæ pereunt, quod debito citius e lecto exurgunt, unde lochiorum ſuppreſſio, phreneſis, ſpaſmi, febres, ib. Vix decima perit mulier vel ex dolore, vel quod vires partui ferendo non ſint, ib. Ad diem ſaltem decimum jacere debent, ib. Indicationes curativæ duæ, ib. Si remedia uſurpari ſolita votis non reſpondeant, ab iis temperandum, ib. Emplaſt. hyſter. umbilico admoveatur, & elect. cum Julap. hic laudato exhibeatur, ib. Si hæc malum non devincunt, laudanum una ſaltem vice tentandum, ib. Quod aliquando lochiorum fluxum revocat, ib. Narcorica cum hyſtericis & Emmenagogis propinentur; ib. Si non ſequantur lochia, rejiciantur narcotica & hyſteris ac Emmenagogis enema addatur, ib. Enema non repetendum, ſed temporis συμμετρία præſtolanda, p. 95. Poſt diem 20. res fere in vado eſt, ib. Si remedia nihil proficientia obſtinatius ingerantur, & morbum, & ſpir. perturbationem angent, ib. Hiſtoria, ib. In quo caſu boni Medici eſt rem toram aliquandiu Naturæ committere, ib. Sæpe fluxus menſium immodicus ſive in puerperio ſive extra idem Affectus hyſterici cauſa fit, ib. Prima ſpecies poſt partum laborioſiorem primis ſolum diebus ingruit, & brevi ſe proripere ſolet, ib. Victus ſit incraſſans, ib. Medicam. formulæ, ib. Species altera licet omni tempore accidit circa æt. anno 45. vel 50. quo menſes ceſſaturi ſunt, præcipue invadit, ib. Hyſterica forriora evitentur, ib. Merhodus medendi cum medicament. form. ibid. Uteri procidentiæ Curatio, ib. Concluſio, ib.

Tractatus de Podagra.

QUos præcipue invadit Podagra, p. 99. Diverſus ejus mos pro ratione ſubjecti, & tempore invadendi, ib. Quo tempore, & modo Podagra regularis ægrum aggreditur, ib. Quo ordine & quibus ſtipata phænomenis partes laceſſit, ib. Paroxyſmus graphice depingitur, ib. Nunc hic, nunc illic tragœdias excitat, ib. Dolor ſemper noctu recrudeſcit, mane vero remittitur, ib. Ex ſerie paroxyſmulorum conſtat paroxyſmus, ib. In diverſis diverſo tempore ſolvitur, ib. Quomodo ſe habet æger quoad urinam, alvum & appetitum, ib. Pruritus in diſceſſu & pedum deſquammatio, ib. Pro majori, vel minori unius paroxyſ. ſævitia, vel ſerius, vel citius revertitur paroxyſmus, ib. In Podagra inveterata, vel indebita medicatione turbata phænomena ſunt diverſa, ib. Pedes peccantis materiæ ſedes genuina ſunt, ib. Jam varias corporis partes occupat, ib. In digitis &c. tophos generat, in cubitis tumorem album excitat, ib. Femur, genuque &c. ut impetit, ib. Per annum fere integrum durat paroxys; ibid. Paroxyſmi particulares diutius ſæviunt, nec ante diem 14. caſtra movent, p. 100. In intervallis artus ſunt, ib. Quanto magis æger ambulando pedes firmare contendit, tanto periculoſius morbi fomes viſceribus imminet, ib. Venarum hæmorrh. dolore, ructu nidoroſo, appetitus proſtratione infeſtatur, ib. Urina illa imitatur, quæ in Diabete excernitur. Dorſum, aliæque partes moleſte pruriunt, ib. Dolores in metatarſo lancinantes, & ſpaſmi intendinibus muſculorum tibiæ ut ægrum invadunt, ib. Doloribus recedentibus ægritudines, laſſitudo ſpontanea, & in diarrhœam propenſio ſuccedunt, ib. In Podagra diuturniore ægritudine potius quam dolore conficitur paroxyſmus, ib. Quo vehementior eſt dolor, eo citius præterlabitur paroxyſmus, & diutius abeſt, & vice verſa, ib. Calculum renum in quamplurimis parit, ibid. Qui aliquando meatus urinarios obſtruens ægrum e medio rollit, ib. Animus corpori compatitur, unde æger variis paſſionibus obnoxius eſt, ib. Morbi Cataſtrophe, ib. Plures divites, & ſapientes, quam pauperes, & fatuos interemit, ib. Si quas fœminas (quod perraro eſt) non niſi vetulas, & viragines infeſtat, ib. Neque pueris, neque juvenibus minores vera, & genuina vexantur, ib. Leviculam tamen vellicationem præſentiunt, quibus ex traduce morbi ſeminium impreſſum eſt, ib. Morbus ἀπεψίᾳ ortum debet, ib. Qui vino, veneri, laboribus improbis, ſtudiis intenſis, cæteriſque, quæ ſpiritus exhauriunt, coctiones deſtruunt, & partium tonum laxant, nimium indulſere, hunc morbum accerſunt, ib. & ſeq. In curatione, Venæ ſectio, Catharſis, & ſudores non indicantur, p. 101. Venæ ſectio ut pugnat cum judicatione quam cauſa antecedens ſibi vendicat, præcipue in iis qui ætate ſunt provectiores. ib. Quo modo hydropi aditus aperitur, ib. Quando in juvenibus locum habet, ib. Ut ab Emeticis, & Catharticis æger de vita periclitatur, ib. Ab humoribus intro verſus inteſtina ſolicitatis quæ mala ingruunt, ib. Catharſis nec paroxyſmo ad peccantem materiam minuendam, nec in fine ad reliquias amoliendas, nec ad ventri aditum præcavendum omnino prodeſt, ib. Unde ſpirituum σύστασις infirmatur, & disjicitur, p. 102. Quo pacto fiat ut æger confeſtim convaleſcat, ſed pœnas impoſterum ab ἀταξίᾳ pendat diriſſimas, ib. Quibus nominibus ſudores officiant, ib. In omnibus morbis, dempta ſola Peſte, ſudores prolicere non tam Medici eſt, quam Naturæ provincia, ib. Hic affectus ob contra indicationes curatu perdifficilis eſt, ib. Cauſæ antecedenti, & Continenti obviam eundum eſt, ib. Quo ſenſu cauſa continens intelligenda eſt, ib. Præcipua curandi intentio in eo verti debet, ut coctioni conſulatur, ib. Quæ proprie digeſtiva appellantur, ib. Medicamenta quæ hanc intentionem adimplent, ibid. & ſeq. Curatio in iis ſumendis, ib. Quo in caſu, quanto major eſt ſimplicium numerus, tanto potentius medicamentum operatur, ib. Forma Electuarii quo Author uti ſolet, ib. Quo nomine theriacæ Androm. præferendum eſt, ib. Inter ſimplicia cortex Peruv. primas obtinet in ſanguine corroborando, ib. Quantum hujuſmodi medicamina in aliis Chron. pleriſque juvant, ib. Differentia inter morbos acutos, & chronicos, ibid. Ejus cauſa indagatur, ib. Qui morbi Epidem. audiunt, qui intercurrentes, & ſporadici, ibid. Indigeſtio communis eſt Chronic. pars, ibid. Ex eo probatur, quod ſenes magis hiſce affectibus obnoxii ſunt, quam juniores; & ad eos gignendos magis facit hyems quam æſtas, ibid. Equitationis emolumenta, in morbis chronicis pleriſque, Phthiſi præcipue, ſtupenda ſunt, ib. Herbæ excaleſacientes quæ adferunt commoda, ib. Licer in Podagra lædant, in aliis tamen chronicis pleriſque Venæ ſectio, & Catharſis corroborantibus, & digeſtivis præmittenda ſunt, ib. Sed cum morbi cujuſque curatio remed. corrobor. innitur, evacuationes qualeſque officiunt prorſus, p. 103. Digeſtiva haud obiter, ſed aſſidue, & conſtanter ſunt uſurpanda. ib. Nam cum erroribus ſive his, ſive illis, tota corporis œconomia ſit quaſi funditus everſa, eadem de novo extruenda, atque redintegranda eſt, ib. In digeſtivorum uſu, præcipue in paroxyſ. intervallis perſeverandum, ib. In cibo, potuque quæ mediocritas ſervanda, ibid. Cur ægri palato conſulendum, ib. Unica ciborum ſpecie ſingulis paſtibus veſcatur, ib. Acria, ſale condita, & aromata evitentur, ib. Prandere tantum expedit, ib. Liberaliorem cereviſiæ tenuioris hauſtum ob calculum renum generari aptum nocte ſibi indulgeat, ib. Diæta lactea qua ratione magis obeſt, quam prodeſt, ib. Potus ſit Cerev. tenuis Lond. ib. Vinum de facto officit, & quare, ib. Neque tutius a vino aſſuetis liquores nimis refrigerantes in uſum revocantur, p. 104. Quis modus in potu ſtatuendus, ib. Copia, & luxus nativæ, tum animæ, tum corporis rectitudini vim infert. ib. Ab ineunte ætate ſatis commode potaretur aqua, ib. In Podagra inveterata potus diæteticus (cujuſmodi hic forma præſcribitur) plurimis nominibus prodeſt, ib. Quando primum commodiſſime in uſum trahitur, ib. In quo caſu vinum Hiſpanicum, illudque præ aliis ægro indulgendum; ib. Ob quas rationes lectus mature petendus, præcipue hyemis tempore, ibid. Animi pathemata, nimiaque ad ſtudia, & res ſerias applicatio ſpirituum ſyſtaſin ſolvunt, ideoque evitanda ſunt, ib. & ſeq. Cæteris omnibus, quæ indigeſtionem impediunt, ſanguinem corroborant, & partibus firmitudinem conciliant, exercitium corporis facile palmam præripit, ib. Quotidianum & moderatum ſit oportet. ib. Quod qui ſpernit ad calculi generationem erit proclivior, & in diſcrimine ne a materia tophacea in articulis admodum aucta omni motu privetur, ib. Exercitatio non tantum tophorum generationi officit, ſed veteres, & induratos plerunque ſolvit, ib. Equitatio aliis exercitiis præferenda eſt, ib. Frequenter curru vehi eodem fere recidit, ib. Idque ruri potius aere perflato, & ſalubri, quam in urbe, ib. Quam improvidus ſenex Veneri indulgens, ibid. Regimen hoc utut religioſe a quovis obſervetur, ab enormioribus podagræ inſultibus tuetur, eum ramen ab omnibus immunem præſtare non valet, ib. Totius corporis habitus, quoad fieri poſſit, in paroxyſmorum intervallis eſt immutandus, ib. Morbi fomitis expulſio Naturæ, (ut in Febribus intermir.) permittenda eſt, ib. Qui ſymptomatibus coercendis incumbit, morbi curationem remoratur, p. 105. De errore in victu ab ægro ſummopere cavendum, ib. A motu currus minus dolebit, quam in Cathedra quieſcens, ib. A quo etiam ſomnus invitatur, ib. Et Calculus quadantenus præcavetur, ib. Atque etiam totali artuum ad motum impotentiæ occurritur, ib. Morbi digeſtionem ſine exercitio in ſenibus fruſtra quis ſperet, ibid. In quo caſu lectus, & Diæta tenuis neceſſaria ſunt, ib. In quo exercitium, ib. Ipſe dolor aliquando amarum licet, magnum tamen eſt remedium, ib. Inrer ſymptomata a quibus æger in paroxyſmo de vita periclitatur ventriculi debilitas cum torminibus maxime eſt familiare. ib. Qua data anſa ingruit, ibid. Ei mitigando vinum Canarienſe confert maxime, ſed nec illud, nec Cardiacorum aliud quodlibet ægrum, ſi exercitio non utatur, ſervare poſſe exiſtimandum eſt, ib. In quo caſu ad laudanum ſtatim confugiendum eſt, ib. In quo ſudores provocandi, ib. Quibus Author aliquando ſuæ vitæ conſuluit, ib. Materiæ peccantis in pulmonum lobos metaſtaſis qua methodo curanda, ib. Sudores hic ſedulo evitentur, p. 106. In paroxyſmo nephritico ut æger tractandus, ib. Plures indebita medicatione quam podagra perimuntur, ibid. Remedia externa nocere quandoque poſſunt, prodeſſe nunquam, ib. Uſtulatio partis affectæ Hippocratem non latebat, ib. Nihil intereſt utrum moxa, an lino crudo fiat, ib. Dolorem aliquatenus mitigat, ſed cauſam Podagræ antecedentem non attingit, ib. In doloribus quorum in partibus internis ſedes eſt, locum non habet, ib. De ſpecificis quanta hic, & alibi decantentur, ib. Venæ ſectio, & purgatio alternatim celebrata in contuſionibus continua ſolutione, & quavis organorum læſione quantum valeant, ib. Quiſquis alia petit medicamenta ad Lucianum relegandus eſt, ib. Therapeja radicalis adhuc Democriti puteo latet, ib. Quam tamen quandoque inventum iri Author nullus dubitat, ib. Unde eluceſcet quantum hallucinati ſunt dogmatici morborum eſſentiis dignoſcendis, ibid. Et quam inauſpicato in febrium cauſis inveſtigandis vel ſolertiſſimi ingenia ſua exercuere, ibid. Cujus rei Cort. Peruv. repertio exemplum eſt ſatis luculentum, ibid.

De Hydrope.

OMnis hominum ætas, ſexus omnis ab Hydrope nonnunquam inſeſtatur, p. 106. Fœminæ magis quam viri obnoxiæ ſunt. ib. Hi ætate ingraveſcente, illæ ubi jam parere deſierint, ib. Foveæ a digitorum impreſſione in ſurarum parte inferiore primum mali indicium, ib. Quare non perinde certum in fœminis, atque in maribus, ib. In ſenibus vero a multis annis Aſthmate laborantibus hydropem non certo indicant, ib. Si generaliter loquamur, ſuræ, & tibiæ intumeſcentes etiam in viris pro ſigno hydropis ſupervenientis habendæ ſunt, ibid. Pedibus cruribuſque ad extremum extenſis in abdomen ruentes aquæ, dein & umbilicum exonphalon quandoque conſtituunt, ib. Tria nunc morbum ſtipant ſymptomata, Dyſpnæa, urinæ paucitas, & ſitis intenſa, ib. Unde originem trahunt, ib. Pro rata qua partes quas obſidet morbus, augentur, aliæ magis magiſque gracileſcunt, ib. Impetu tandem in viſcera nobiliora, & vitalem arcem facto, æger caraclyſmo quaſi ſubmerſus perit, ib. Cauſa morbi in genere eſt ſanguinis debilitas, ib. Illi debilitando quæ operam commodant, ibid. Hydrops teſtium in fœminis obiter notatur, ib. Aliæ ſunt duæ ſpecies in fœminis hydropem mentientes, ib. & ſeq. Illa carnium intra abdomen excreſcentiæ præternaturali, hæc flatibus ortum debet, quin ingravidationis ſigna pariunt, p. 107. Neutra harum ad morbum, de quo agitur, referenda eſt, ib. Quas præcipue exercent, ib. Indicationes curativæ duæ, aquas contentas evacuare, & ſanguis robur inſtaurare, ib. Cathartica quæ vel ſegnius, vel mitius operantur, officiunt magis, quam proſunt, ib. Utrum ægri corpus facile, an ægre, Catharticis cedat, ſolicite inquirendum, ibid. Purgatio per ἐπικρασιν non tantum non imminuit tumorem, ſed adauget, ib. Quare expurgatio fortis, vel nimia, juſto debiliori præferenda eſt, ibid. Quas ob cauſas maxima celeritate quam ægri vires ferre queant, aquæ exantlandæ ſunt, ib. Hydragoga quem uſum obtinent in iis difficiles, quem in iis qui faciles purgatu ſunt, ib. In iſtis qui Catharſi prompte cedunt ſyr. de ſpina Cervina aquas ſat copioſe elicit, ib. Id habet incommodi hic ſyrupus quod inter purgandum ingentem ſitim provocet, ibid. Catharticis lenioribus opus ſuum cum bona euphoria

non

non peragentibus, fortiora ſunt tentanda, quod hiſtoria probatur, ib. Quo caſu hydragoga ſola vix votis reſpondent, ſed lenioribus calcaris vice permiſta, efficaciſſima evadunt, ib. Potionis forma pro robuſtioribus, ib. Alia, ib. & ſeq. Tertia calefaciens inter purgandum, tum & corroborans, ib. In iis qui ægre purgantur aliis δραςικώτερα ſunt Elaterium, & infuſ. Croci metal. p. 108. Emeticæ operationis ratio inveſtigatur, ib. Cæcos dari meatus ex abdominis cavitate in inteſtina de facto liquet, ib. Hippocrates in ſcenam ducitur. ib. Quam curioſa corporis humani inſpectio, & fabricæ notitia, tum Medicis, tum Chirurgis neceſſaria eſt, ib. In acutis quibuslibet, & Chronicis pleriſque ſpecifica quædam ineſt proprietas nulla corporis contemplatione in lucem eruenda, ib. Mens divini Senis in loco ſupra citato explicatur, ib. Majora licet organa patent, exiles tamen meatus oculos acutiſſ. vel microſcopio exquiſitiſſime elaborato adjutos effugiunt prorſus, ib. Cognitio noſtra ad τὸ ὅτι aſſurgat, ſed τὸ διότι nullatenus attingat, ib. Et quæ innoteſcunt, & ad quæ cæcutimus impellunt ut divinum Artificem ſuſpiciamus, & adoremus, ib. Chimiæ laus, & emolumenta intra quos limites coercenda, ib. Medicinæ faciendæ defectus in eo non vertitur quod neſciamus, quo pacto huic, aut illi intentioni ſatisfacere debeamus; ſed quod non ſatis ſciamus quænam ſit illa intentio, cui ſatisfaciendum eſt, ib. Ad judicium in hac re rite formandum naturalia morborum phænomena atque juvantia, & lædentia diligenter obſervata, collata, & trutinata conferunt maxime, ib. Exquiſitiſſimæ ſpeculationum diſſertationes quam labili fundamento innituntur, ib. Hypotheſes ſolidas, & genuinas Praxi quadantenus originem debere exemplo comprobatur, ib. Vomitio ab Emetico excitata hydropicorum aquas ἄνω, καὶ κάτω potenter evacuat, ib. Hydropicæ cujuſdam curatio Emeticis, & Catharticis abſoluta. ib. Tria hic notatu digniſſima, ib. Ἀταξίαι ab evacuationibus excitatæ ut occurrendum, ib. In quo caſu convenit ut tota res evacuantibus per inferiora committatur. Decoct. ex interiore cortice Sambuci eodem modo quo Crocus metalli morbum hunc depellit, non autem vi aliqua ſpecifica, ib. In quibus caſibus Emetica & Cathartica malum augent, totaque curatio in ſanguine, ac viſceribus corroborandis, firmandiſque vertitur, ib. Huic intentioni aeris mutatio, & exercitium quale quale demum ſit, apprime reſpondent, p. 109. In conſtitutione infirma, & hyſtericis, aquæ diureticis educendæ ſunt, ib. Efficaciſſima e ſalibus lixivialibus fiunt, ib. Medicam. forma, ib. Cineres geniſtæ in vino Rhen. ac quantum hic valent, ib. Aquis evacuatis debilitas ſanguinis medicam. calefacientibus, & corroborantibus præcaveri debet, præſertim in ætate provectioribus, ib. Quæ in Podagra laudantur, an hic locum habere poſſint, ib. Vinum a quo in podagra abſtinendum, pro potu ordinario in hydrope uſurpetur, ib. Morbi plerique Chronici indigeſtioni ortum debent, ib. In eſſentiales & ſpecificas morborum tam Chronicorum, quam acutorum differentias penetrare non datum eſt, ib. Curationem in utriſque non ad eſſentialem eorum naturam, ſed ad cauſam magis generalem dirigere cogimur. ib. Curandique methodum naturæ, vel experientiæ indiciis accommodare, ib. Æger inter curandum, poſt potus aquis datas, vel vinum, vel Cereviſiam generoſiorem potare teneatur, ib. Liquores generoſi, modo ſpir. diſtillatione eliciti non ſint, ſoli aliquando hydropicos in principio curarunt, ib. Cereviſia medicata pro pauperibus, pro ditioribus, vina, & Electuarium digeſtivum laudantur. ib. Liquores minus generoſi parce admodum bibendi. ib. Sitis ut reſtinguenda, ib. Chalybs in hydrope incipiente haud infimum ſibi vindicat locum, ib. Allium ſolum hunc morbum depulit aliquando, ib. Cujuſmodi hydrops evacuantia non depoſcit, ib. Cum ſanguinis corroborationi navatur opera, totaque res in eo ſolum cardine vertitur, æger nullo modo expurgandus eſt, ib. Ita enim tumor, qui minui cœperat, augebitur, ib. Morbus ad ſupremum gradum provectus artis ſubſidia ſpernit, ib. Quare tamen Medici eſt non animo cadere, ſed morbum tanquam nuper cœptum aggredi, ib. Topica in forma Cataplaſmatis, vel linimenti minus nocent, p. 110. Unguent. a Cathart. fortioribus confecta atque abdomini applicata quas turbas faciunt, ib. Veſicatoria gangrænam ſæpe invitant, ib. Quare vulnus leviſſ. in hydropicorum carne curatu eſt difficillimum, ib. Concluſio, ib. poſt ſcriptum de Febre hyemali, cujus hiſtoria & curatio traduntur, ib. Schedula monitoria de novæ Febris ingreſſu, ib. Proceſſus integri in morbis fere omnibus curandis, ib.

INDEX

RERUM ET VERBORUM

TOTIUS OPERIS COPIOSISSIMUS.

A.

Abdominis Tumor *in Hydropica, ex tumultu a Catharticis excitato, novum aquarum proventum simulans.* 108. Diacodii Syrupo *integre repellitur* 109.

—— —— *Infaneum, circa Lienem præcipue, Febribus Intermitt. Autumn. diuturnioribus eos discrutianeibus enatus*, primarium est incidium *eas abituras; neque hæ prius discedere solent.* 10.

—— —— *pro varia Febrium Constitutione* varius *est, jam* scirrositatem, *jam* flatuositatem *tantum, æmulans.* ibid.

Abortus *remediis iisdem, quibus Mensium immodicus fluxus sistitur, præcavetur; Catharticis & succis Herb. omissis.* 91. 148.

Abscessus. *vid.* Apostema.

Acu-punctura *in Hydrope, non minori, quam Vesicatorii adplicatio, periculo vacat.* 110.

Acuti Morbi, *vid.* Morbi Acuti.

Adfectio Hypochondriaca, *vid.* Hypochondriaca Adfectio.

—— Hysterica *vel* Adfectus Hysterici, *vid.* Hysterica Adfectio.

Adfectus Comatosi, *vid.* Comatosi Adfectus.

Adfectus nervosi *V. S. & Purgationibus repetitis sæpe indigent; uti in* Chorea Sancti Viti. 113.

—— plurimi *Scorbuti nomina insigniuntur, qui sæpe* vel *effecta morborum* Fientium, *h. e qui nullum adhuc certum induerunt typum:* vel *infelices* reliquiæ *morbi, non perfecte curati, tantummodo sunt.* 36. *Quod argumentis ex Arthritide incipiente, Podagra, Hydrope, evincitur.* 36. 37. confer. itidem. 5. *ad* 6.

Adfectuum plurimorum *Curatio, non eausſarum, sed veræ atque expertæ Methodi, cognitione absolvitur.* 12.

Adolescentes *a Variolis plus periclitantur, quam* Fœminæ *vel* impubes. 84.

Adolescentium *juxta cubantium calor, debilibus corporibus, profiguus admodum.* 5.

Adpetitionibus ægrorum, *in Morbis plus sæpe dandum, quam artis regulis.* 85. 86. *Exempl. hujus.* 85. *ad* 86.

Adpetitus prostratus *ex humorum depravatione.* 91.

Adstringentia, *in Cholera, cuta non sunt, in initio.* 21.

—— *in Gonorrhœa virulenta scroti tumorem producunt,* Luem veram, *& alia mala, inducunt.* 78. 79.

Adulti, *in Variolis Confluentibus,* Salivatione *vexantur fere certo; & semel tantum omissam vidit Auctor.* 16. *In Variol. Discretis, prodituris, ad* Sudores *proni quam maxime sunt, non vero infantes.* 15. 16.

Ægri periculo pleni, *respectu curationis modi, si inter primos occurrant, in Epidemica nona Constitutione, donec Morbi genium cognitum sit.* 2.

—— *a Peste convalescentes, postea saniſſimi, nec aliis Adfectibus, uti post alios Morbos coneingit, obnoxii sunt.* 12.

Ægritudines *ab omni ævo cur terris incubuerint.* VIII.

Ægritudo vehementior *in Variolis, ipsas Confluentes fore prædicat.* 86.

Aer *occulta quadam crasi, seu inexplicabili conditione, variis temporibus, varios Epidemicos Morbos producit.* 1. 11. 24. 112. *Exemplo sunt Variolæ ac in primis Pestis.* 11. *Hancque* Aeris Dispositionem, *quidquid Philosophaneium turba nugetur, plane ignoramus.* ibid.

—— *Effluviis terrenis inquinatus, Epidemicorum Morborum causſa producens, & propagans aliquamdiu, considerandus.* 1. 30. 112.

—— *ad hoc illúdve tempus particulis scatet, Humani corporis, ut & aliquando Brutorum Oeconomiæ adversantibus; quod an fiat, quoniam Terræ viscera varias Mutationes subeant, unde Vapores exhalantes aerem inquinant;* vel *quoniam Atmosphæra inficitur ab alteratione ex Corporum Cœlestium quorumdam Conjunctione, idem erit, saltem inde Morbi producuntur Epidemici dicti, istius generis, ac illa μιάσματα inducere valent.* 102.

—— Pestilentialis *utut sit, tamen per se solus non videtur aptus Pestis suscitandæ.* 12.

—— *ita per terræ quemdam tractum, tum laborantium, tum cadaverum halitibus ita contaminari potest, ut ipsum remotum a Peste correptis, absque fomite vel personali consortio, modo corpus ad adflatum excipiendum paratum habeat, inferre valeat.* 11.

—— Pestilentialis Constitutionis, *Dei bonitate, varius occurrit, quam ille, qui aliis Epidemicis Morbis, minus exitialibus, suscitandis inservit.* ibid.

—— contemperatus, *in* Variolis, *plus quam V. S. impetum Morbi cohibet.* 85.

—— frigidior, *in* Variolis, *admittendus, qualis intelligendus? illoque modo plures a morte sunt liberati.* 95. 96. *Ubi* Phrenitis, *hic, ex defectu faciei intumescentiæ, adest, quaneæ tum necessitatis ille sit, docent ægri, qui Nutricum curam fefellere, & aeri semet exposuere, felici eventu.* 19.

—— *post* Corticis Peruviani *usum vitandus, donec vires restauratæ fuerint.* 41.

—— liberior, *in* Variolis, *quantum refocillee ægros.* 85. *Et in hoc casu, per Pulmones reciprocatus, plus facit ad sanguinem contemperandum, quam alia quæcumque.* 30.

—— *nimis in* Febre Scarlatina *vitandus.* 34.

—— manifesta quadam Crasi *Tussim, seu novum Epidemicum Morbum, An.* 1679. *sub fine, infert.* 42

Aer *pro* Podagricis, *in quo se exerceant,* rusticanus *quare* urbano *præferendus.* 104.

Aeri libero, *in* Variolis, *quandonam exponendus ager.* 84.

Aeris Constitutio. *vid.* Constitutio Aeris.

—— mutatio *in* Febre Quartana *post illud tempus, quod sanguis ad suam despumationem perficiendam exigit, eantummodo convenit, nec prius; & quare.* 10. *In* Hydrope *quando requiratur.* 109.

—— particulæ *cum humoribus nostris non convenientes, nudoque sanguini admistæ,* unam, *Morbos* producentium, Causarum universalium Classem *constituunt.* 1.

—— Qualitates manifestæ *seu* sensibiles, *uti & Res. 6. N. N. corpora nostra, ad hujus illiusve Morbi Epidemici generationem magis minusve disponunt.* 2. confer 34

—— Febres, *quæ in qualibet Constitutione se exserunt, quidem non vero illas quæ Constitutioni cuidam propriæ ac peculiares sunt producunt.* 2.

—— Qualitates manifestæ *Constitutioni cuilibet generali, eantam vim imprimere non valent, ut Epidemicorum, qui ad eam referuntur,* causſæ Productivæ *sint; verum illos tantum intromittere vel excludere possunt, hocce vel illo tempore, sub eadem Constitutione; proue illis plus vel minus favent, illis temporibus, Qualitates manifestæ.* 23. confer. 2. *Hinc sese Morbi hi exserere solene ea tempestate, ad quam sensibiles illæ Qualitates sot destinaverunt.* 23.

—— occultæ *Epidemicis plus favent, quam* manifestæ. 184. *Nonnulli tamen horum quoad Symptomata a manifestis pendent.* ibid.

Aeris Temperies *Epidemicos aliquando elicit, ut citius invadant; & e contra.* 2.

—— *quo uberiore, vel parciore adparatu, ad* Febres Intermittentes *producendas donata, eo maturius, vel tardius ipsæ inducunt.* 6. & 8.

Æstas *Morbos Chronicos minus progignit, quam Hyems.* 102.

Æstate *Podagræ irregularis Paroxysmus paulo mitior est.* 100.

Æstuatio *in Febribus Continuis quomodo dirigenda.* 4.

Ætas *hominis unius Experimentis supra Morbos instituendis, par non est.* 1.

Alexipharmaca *pleraque calida sunt.* 12.

—— quælibet, *forte, materiam Morbi per sudores evacuando potius, quam* specifica *quadam virtute, ægrotantibus succurrunt.* ibid.

—— *in* Peste, *calidiora quamvis, prosunt per accidens, quatenus nempe* Diaphoretica *simul sunt.* ibid. *Eorum vero vis occultæ specificæ indoli, eanquam antipestilentiali, non referri debet.* ibid.

—— Antivenerea *ut Mercurius, & Sarsaparilla, evacuando forte potius, quam specifica virtute agunt.* ibid.

Alexiterium Pestis proprium, *in Naturæ sinu abditum, adhue delitescie.* 13.

Alium *in Hydrope incipiente solum, evacuantibus missis, hunc Morbum aliquando depulit.* 109. Pedibus *adplicitum omnium optime revellit; hinc Adultis* Variol. Confl. *laborantibus adplicatur.* 87.

Alvi profluvium, & Vomitus, *sudoribus, in Peste curantur* 14.

Alvus, *in Variolis Discretis, eoto morbo fere constipata.* 15.

Ambustio *Spiritu Vini omnium optime curatur, si lintea eo malida adplicantur, & aliquandiu retineantur.* 36. 150.

Amentia, *sive Mania, post Febres Intermitt. Autumn.* 10.

Anatomiæ *quænam notitia Medico necessaria.* 108.

Anethi *semen* specificum *habetur in Singultu, sed non semper juvat.* 6.

Angina *quibusnam cum Symptomatibus invadat, & progrediatur.* 37. 144. Tempore *quolibet, eo tamen, quod ver atque æstatem interjacet maximo adgreditur,* ibid. *Unde hoc.* 38 A calore, *intensum* frigus *subito excipiente, plerumque oritur.* 2. Juvenes, & Sanguineos, *sed præcipue* rufos, *adficit.* 37. Periculo *plenus Morbus, sæpe brevi suffocans.* ibid.

—— *qua Methodo curetur.* 38.

—— Symptomatica *eodem Methodo qua Febris, cujus Symptoma est, curari debet: quod probe notandum.* ibid.

in Angina *Febris pro Morbo primario habenda; & reliqui adfectus, a quibus nomen mutuatur Morbus, tanquam Symptomata, quæ a materia febrili, a modo crisεos, a parte in quam ruit, pendent, considerandi.* 33.

—— Gargarismata *non, ut vulgo soles, usurpanda, sed sine agitatione in ore detinenda, donec incalescant.* 38. *Partes inflammatæ* Melle Rosar. cum Sp. Sulph. *tangantur.* ibid

—— V. S. *fortis in brachio, tum in ranulis, instituenda.* ibid *Et si Febris ac dolor inde minuuntur,* Cathartic. lenitivum *perutile.* ibid. *Hisce non minutis,* V. S. *iteranda in brachio,* Catharsi *in diem posterum rejecta.* ibid. *Et si Morbus post* V. S. & Catharsin *non cedit, quod oppido rarum, quid agendum.* ibid. 145.

Anginæ Epidemiæ. 34.

—— *verno tempore An.* 1665. *Londini, post hyemem frigidum, & siccum gelu, grassantur.* 11.

—— Pleuritides, *aliæque* inflammati Sanguinis adfectiones, *per aliquot septimanas,* Pestis *Londinensis exortum antecesserunt.* 12.

Aniculæ *Medicorum Simiæ, stolidæ, ac infelices.* 19.

Anima *Mundi Philosophorum.* 14.

Animi commotio *Apoplexiæ speciem, in Puerperis Hystericis, sæpe excitat.* 89.

—— compages *magis delicata, quam corporis structura.* 91. *Qualis ab Auctore concipiatur.* ibid.

—— Pathemata *Spirituum systasin solvunt.* 104.

—— *in Hypochondriaca seu Hysterica adfectione,* atrociora. 90.

—— *in Podagra sunt vitanda.* 104.

—— Robur, *unde.* 91.

—— & Corporis *motus violentiores* Adfectum Hystericum *excitare valent.* 27.

Animus *in* Hystericis & Hypochondriacis *quomodo sit constitutus.* 90. *In* Podagra *inveterata, contagio tandem etiam ita adflatur, ut rectius Iracundiæ, quam Podagræ, Paroxysmus dici queat.* 100.

Annorum Constitutiones. *vid.* Constitutiones.

Annus, *quo Pestis Londini grassabatur, cæteroquin salubris, & mitissimus fuit.* 12.

Anodyna *vid.* Paregorica.

Ἀνορεξία *ex Humoribus depravatis.* 91.

Anthraces, *in Peste, adustam faciem, pyrotici actualis impressioni non absimilem, habent.* 12.

Antidotalia calida *Pestem potius invitant, ut Vinum ipsum liberalius adsumptum, quam arcent.* ibid.

Antimonialia Emetica *Puerulis, infra adolescentiam constitutis, numquam tuto exhibentur.* 4 *Neque tuto umquam præbentur, nisi copiose diluantur.* ibid.

Antiscorbutica *Hydropem, ex Febre Intermitt. Autumn. natam, expellentia* 10. & 143.

Antivenerea Alexipharmaca. *vid.* Alexipharm. Antivenerea.

Aphorismus *Hippocratis* 2. §. 1. *tam in Sudoribus provocandis, quam in subducenda alvo, locum habet.* 101. *Imo non tam Catharsin quam* Diaphoresin *spectat.* 115.

Aphthæ, *Dysenteriis recedentibus supervenientes, unde nascantur.* 23. *ad* 24.

—— *in Dysenteria, a Cathartico & aliis neglectis, mortem denunciantes.* 22.

—— *in Febre* Dysenterica *unde nascebantur.* 24

—— An. 1669. *ubi hæc recedebat, erant frequentiores quam in Febre ulla nota; & quare?* 23. *ad* 24.

—— *in Febre* Epidemia *nova, A.* 1685. *recidivam* Febrium *inducunt, quæ Sym. ptomatica tantum est.* 112.

—— *Cortice* Peruviano *quandonam sanentur.* 113.

Apoplexia *qualis sit Morbus.* 146. *Quomodo tractanda, tum in* Paroxysmo, *eum extra eundem.* ibid.

—— *Febribus Intermitt. An.* 1678. *supervenions, erat* Febris ipsa, *caput impetens.* 41. *Signa unde hoc constabat.* ibid. *Sed* Cortice Peruviano *curabatur.* ib.

Apoplexia vulgaris *causſam non habet eamdem, quam* Hystericarum *Apoplexia.* 89.

—— *in* Podagrico *paroxysmo,* sudoriferis *exhibitis, cur nascatur.* 101.

Apostema *ealis Naturæ Machina in carnibus, qualis Febris in humoribus.* 20. sive, *Naturæ est Methodus, qua partes firmas, ab extraneis libera, quemadmodum Febris materiam peccantem ex Sanguine amolieur.* 84.

Apostemata *quomodo Febrem, resorpto pure excitent.* ibid.

—— *ad Pestis veræ curationem, nondum excitari a nobis possunt; neque tuto per Cardiaca hoc tentaretur, licet ea sola, forte, hoc efficerent.* 12.

—— *in Peste ubi ad maturitatem perveniunt, licet Pestilentialem Morbum tollere possint, incertam ac fallacem tamen constituunt curationem.* ibid. 14.

Apozema *aperiens & Antiscorbuticum.* 142.

—— *pectorale in* Morbillis *ad Tussim.* 23. *In* Pleuritide. 35.

—— *purgans post Febres Interm. Autum. propinandum,* Hydropem *ex iis natam sæpe tollens.* 10

Aqua *pura, & cruda ni ab ineunte ætate adsumatur, nocua.* 103.

—— *si potatur in iis, qui spirituosis liquoribus diu adsueti fuere, Hydropem parit.* 107.

—— *Podagricis, pura & cruda periculosa.* 103. *frigida ab* Auctore *Podagrico imprudenter potata, Diarrhœam excitavit, quod materia in Artus non eliminabatur; quam Sudoribus curavit.* 105.

Aqua *pura* Oleo *præfertur ab Auctore, ad dilutionem veneni, ex Mercur. subl. corrosivo, adsumti.* 76.

—— *Menthæ in Vomitu egregie confert.* 7. *In* Ileo *vero.* ibid.

—— Mirabilis, *in Colica biliosa, quandonam conducae.* 27.

—— *Rosarum capiti adplicata vigiliis medetur.* 6.

—— stillatitia composita *Antiscorbutica.* 37. 151.

—— —— *ad Podagram.* 102.

—— —— *in Rheumatismo Scorbutico.* 37.

Aquæ Bathonienſes *in Hyſterica Adf ſi Tunbrigienſes non juvant, adeundæ* 92. *Qua methodo ſumendæ, & quamdiu.* ibid.
— Cardiacæ *temperatæ.* 22.
— Chalybeatæ, *vid.* Aquæ Minerales.
— *in Calculo Renum, ſæpe mortem accerſerunt.* 131.
— Epidemicæ, *in Colica bilioſa, quando conveniant.* 17.
— Ferreæ, *vid.* Aquæ Minerales.
Aquæ Hydropicorum, *maxima celeritate, quam ægri vires ferre queant, h. e. ſingulis diebus, expurgentur, & quas ob cauſſas.* 107. *Nonnunquam vero dies unus aut alter intercalari poteſt.* ibid.
— *Vomitione per Crocum Metallorum, ex abdominis cavitate, per ſedem, & per os, potenter evacuantur.* 10.
— *in Hydrope, Vomitorii ope, non ita prompte expelluntur, ubi levis Abdominis tumor adeſt, quam ubi ingens aquarum copia adgeſta fuerit.* 109.
Aquæ Hydrop. *quomodo ex Abdominis cavo in Inteſtina tranſeant.* 108.
— *in Hydropica, diebus Purgationibus liberis, per ſedem copioſe excernebantur, & ſub finem per Urinas etiam.* ibid.
Aquæ Minerales *Ferri Mineræ ſunt participes.* 92. *Nihil ſunt quam ſimplices aquæ, virtute Mineræ, per quam tranſeunt impregnatæ; quod, Clavos, ex calceis Equorum, aquæ communi injiciendo imitari poſſumus.* ibid.
— artificiales *quomodo ex clavis fiant.* ibid.
— — & Naturales, *diverſos effectus non edunt.* ibid. *Diureticæ ſunt & aliquando Ventrem movent.* ibid.
— *quare ipſo Chalybe potentius agant.* ibid. *Viam ſibimet ipſis ſæpe præcludunt, ſpiritus exagitando, turbandoque.* ibid.
— *ubi ſumuntur, ſi aliquod Symptoma, Morbo proprium, ſupervenial, & tranſitum Aquarum impediat, ab iis per diem unum, alterumve, abſtinendum, donec tranſierint.* ibid.
— *ſine Purgantibus intercalatis efficaciores multo, quam ſi interim exhibeantur hæcce,* 92.
— *in Calculoſis, ubi tantum lapilli in Renibus hærent, omni æſtate liberaliter epotæ, præſtantiſſimum ad eos exturbandos, horumque incrementum impediendum, medium eſt,* 132. 146. *Quid agendum ubi hæ non proſtant.* 150.
— *non uſurpandæ, niſi prius noteum fuerit Calculum majorem non eſſe, quam ut per Ureteres tranſire queat; cum alias multum noceant.* 132. 146.
Aquæ arti & nat. *purgantibus admiſtis, in Calculoſis, quomodo noceant, ſi Calculus major, quam ut ex Renum pelvi ejici queat.* 132.
— *in Diarrhœa, Ventris Torminibus, Vomituritione, a Febre oriundis, perniciosæ ſunt.* 114.
— *in Eryſipelatoſæ Eruptionis ſpecie.* 37.
— *in Gonorrhœa virulenta quare noceant,* & Scroti tumorem, *ut* & Carunculas, *producant.* 79.
— *in Hyſterica Adf. ubi Chalybs non juvat.* 92.
— *Podagricis quandonam male cedant.* 132
— *Sulphureæ calidæ uti Bathonienſes, in Hyſterica Adf. ubi Tunbrigienſes non juvant, adeundæ.* 92.
— *Tunbrigienſes ad Hyſtericam Adf. ſi Calybs non juvat.* 123. *ad Icterum pertinaciſſimum.* 28.
Ardor *Urinæ in Gonorrhœa virul. qualis.* 78.
Arenulæ *Nephritidem ubi cauſſant, quid agendum.* 94. *ad* 95.
Argentum vivum, & Globuli, *plus mali, quam boni, præſtant, in Ileo vero.* 7.
Argumenta *Peſtem inflammatorium eſſe morbum quæ perſuadent.* 12.
Ariſtoteles *Melancholicos ingenio cæteris præſtare aſſerit.* 90.
Aromata *in Podagra quare vitanda.* 103.
Aromatica, *ſi eorum ſpecies quædam miſceantur, quaſi* aliquid tertium *gignunt; quod in ita conjunctis majorum eſt virium in pari quantitate, quam in eorum quelibet.* 102.
Ars Medica *haud rectius, quam ab ipſius Artis exercitio, atque uſu, perdiſcenda.* VI
Ars Med. *duobus mediis ulterius provehi poteſt, tum ope* Hiſtoriæ Morborum *exquiſitæ, tum* Methodi medendi fixæ ac conſummatæ. VIII. Hæc vide ib. & IX.
— *ſi illa Methodo ſemper traderetur, ut Indicationes ex Hiſtoria Morbi, ſeu Morborum Phænomenis, obſervando elicerentur, hocque Experientia firmaretur,* non vileſceret, *quin potius illuſtraretur;* & difficilior reddita, nonniſi ſapientes & peritos admitteret, *atque rudi vulgo de uno aliove Morbo forte tantum conſtaret; nam uti major ſubtilitas in Naturæ operationibus, quam in alia arte, ſic Ars Medica quam Natura præciperet, ingenium vulgi longius ſuperaret, quam ea, quæ a Philoſophia docetur.* 42.
— *Febrium Curationem per Diaphoreſin tmitari nequit: quid neſcit quomodo materiei ad exitum præparanda; iſtius præparationis nulla habet indicia;* & *deinde ignorat quantum temporis in ſudore perſiſtendum.* 115.
Arthritis *ſæpe habetur, quod verus* Rheumatiſmus *eſt, quamvis eſſentialiter differant; ſed fit quando hicce a Febre ſejungitur.* 36.
— & Peſtis *nec non plerique* alii Morbi, *Naturæ Medicatricis inſtrumenta ſunt.* 1.
— *Scorbutum quandonam mentiatur.* 36.
In Arthritide *ubi exigua Malignitatis ſuſpicio, haud minus ac* in Peſte, *materiæ morbificæ retuſus fatum acceſſit.* 13.
Articuli digitorum & *Ligamenta in* Podagra *irregulari quomodo adficiantur.* 100.
Articuli *in* Rheumatiſmo *ſæpe invertuntur, ceſſante jam dolore.* 36.
Artus *in* Podagræ *irregularis Paroxyſmorum intervallis quomodo ſe habeant* 100.
Artuum, *in* Podagra, *impotentia ad motum præcavetur vectione in curru, ipſo Paroxyſmi tempore.* 105.
— dolor, *in* Variolis, *ingens ac ſi ex Rheumatiſmo, Confluentes eas fore prædicat.* 86.
Aſcites verus, *pro deplorato habitus, æque certo, ac alii permulti, qui non ita funeſti vulgo æſtimantur, ſubjugatur, modo viſcera non ſint corrupta.* 109.
— inveteratus, *quomodo partes corrumpat, & inſanabilis fiat.* ibid. *Aeeamen curationem Medicus adgredi debet, quia ignorat, quantum noxæ viſceribus illatum.* ibid.
Aſthma *inveteratum, & derepente recedens, in viris habitus plenioris, tumorem Surarum excitat, Hydropicorum æmulum, ad mortem uſque comitantem.* 106.
— *quomodo curandum.* 150.
— ſiccum *Febrim non habet, unde a* Peripneumonia notha, *diſtinguitur.* 36.
Ἀταξία *Hyſtericorum malorum cauſſa.* 27.
— Spirituum *Materiam viridem, bilioſam,* ἄνω καὶ κάτω *plerumque ſemper exprimit;* ſive *ipſa fuerit a Convulſionibus,* ſive *ab Hyſterica adfectione;* ſive *a motu Maris in nave;* ſive *a Purgantibus, vel Vomitoriis, excitata.* 90.
— Hypochondriacæ *ſeu* Hyſtericæ Adfectionis προηγούμενα *ſeu efficiens cauſſa interna videtur;* cujus *origo, ſeu* antecedens cauſſa, *eſt debilior illorum crafis, quæ facile diſſipantur aut perturbantur.* ibid 91. *Hinc non videtur Hyſterica Adfect. Morbus a depravatis humoribus pendens, licet ille ipſos inficere valeat.* ibid *Quod utrumque* Aſſertum *pluribus Argumentis firmatur.* 90 91.
Ἀταξία *humores putridos, in* Hyſterica Adfect *diuturniore, quomodo gignat.* 91. *Ee quinam exinde Morbi.* ibid.
— *Hypochondriacorum, & Hyſtericarum Symptomata, ut* Uteri ſtrangulatum, *quomodo producat* 90. 91.
— Dolores *producens, in* Hyſterica & Hypochondr. Adf. *comparatur actioni vitri Incenſorii.* 90.
Auctor *ſapere non audet ultra quam res ipſa loquitur.* 30.
— *errores ſuos ſolito ſuo candore, ab Amicis, annoſa & repetita experientia melius edoctis, reprehenſos cupit.* III.
— *an alii eadem cum ipſo aſſerane, non ita quærit, quam, utrum ea quæ tradit, cum veritate conſentiant.* 99
— *quid de* Operum ſuorum *repetita lectione promittat.* 110.
— *in* Acutorum Morborum *Hiſtoria tradenda, non tam metam figere, quam aliis animum addere tentat.* XII. *Tractatum de* Morbis Acutis *edendo, viam præmonſtraſſe exiſtimat, qua Viri docti Morborum Hiſtoriam & Curationem poſſint inveſtigare.* 77. *Objectioni reſpondet, quam contra ſuam de* Morbis Acutis *doctrinam, quod* Malignitati, quæ pluribus horum Morborum adhæret, non ſatis adverſetur, *fieri poſſe prævidet.* 32. *ad* 33. *Veterum & Recentiorum de* Malignitate *Opinionem non rejicit, ſed ſuam de ea ſententiam exponit.* 32. *ad* 33.
Auctor Chronicorum Morborum *Hiſtoriam promittit.* 77. *Temeritatis, quod tanta Laudani copia in* Cholera *exhibuerit, non eſt inculandus.* 40.
— Epidemicarum Conſtitutionum *viciſſitudinis cauſas, ex Aeris manifeſtis. Sydenham Opera Medica.*
qualitatibus nondum expiſcari potuit. 2. *Quæries* Epidemica Conſtitutio *nova ingruit, anceps hæret, qua nempe via inſiſtet, ut ægris ſubveniat; unde* unus, *aut* alter, *eorum in principio vitæ periclitatur.* ibid. *Dum* Epidemicorum Morborum *Obſervationes aliquot Annorum ſuccedentium, ita tradite, qualem* finem *habuerit.* 3 *Cum de Morbis* Epidemicis *Conſtitui* 1676. *ad* 1680. *ſcriberee; jam per triginta Annos circiter Podagra, & diu Calculo, eriginta multatus fuerat.* 39. Et Morbos Epidemicos *An* 1677. *non deſcribie, quia eo eempore Mictu ſangnineo, dein Podagra ſæviſſima, per tres menſes, cruciatus fuit.* 40.
— *in* Febribus *ejuſque Symptomatis deſcribendis, adeo ſinterus, ut nullas* Opiniones, *nullaque cerebri* figmenta, *orbi vendere cupiat.* 38. *Veniam rogat, quod in eruenda certiore Methodo,* ad Febres *ejuſque Symptomata, debellandus, ſpretis aliorum judiciis, ſuo magis confuſus, in ſemitas, nullo aneea pede calcatas, ingreſſus fuerit, &* rebus novis ſtuduerit. ibid. *Integritate ſolita* fatetur, *ſe non ſemel in* Febribus *ubi de natura earum nondum conſtaree, & ſibi & ægris* nihil agendo, *optime conſuluiſſe; dum interim invigilans percepiſſet vel Febrem evanuiſſe, vel ad Typum redactam fuiſſe, unde cognoſceretur.* 33. *De curatione* Febrium Intermittentium *adhucdum ignota conqueritur.* 9. *Serio monet, de perquirendis mediis,* Febres Intermittent. Autumn. *citius, quam ſolet, debellantibus.* 10 *Cuidam novæ* Febri, Peſtilentiali *quaſi dein repertæ, &* Peſtem Lond. ipſam prægreſſæ, *Meebodum diverſam ab ea, quam hactenus cum ſucceſſu, in hujuſmodi fere Febribus, uſurpaverat, adaptare cogitur.* 13. *Interturbatur ægrorum damno, præadſtantium protervia, ne eam liberaliter V. S. inſtieuat, in* Febre Peſtilentiali, *Peſtem Lond. inſecuta.* 14 *Hinc in* Febre Peſtilentiali *illa de modo curandi, a V.S. diverſo, cogitat.* ibid. *Et Curationem hujus* Febris Peſtilentialis, *aliam, quam per V. S. frequenteriorem, invenit.* ibid. *Hujuſque inventæ Methodi ſucceſſus.* ibid.
Auctor *in* Hydropicis *curandis, initio ſuæ* Praxeos, *decipitur, uſu* Syrupi Spinæ Cervinæ, *quod hujus ope curata Hydropica, quæ facile purgabatur, exiſtimarit omnem Hydropem iſto* Syrupo *curari poſſe.* 107.
— *in* Hyſtericæ Adfectionis *Hiſtoria tradenda, illud facit juxta vera Naturæ Phænomena, & propriam Experientiam.* 89.
— *ad* Medicam Artem, *de ea ne vel ſomnians, quomodo Celeberr.* Th. Coxe M. *D. hortatu, ſerio ſe adcinxerit.* III. *Quare ſe ad* Artem Medicam *nondum perventiſſe putat.* 105. *Qua ratione* Medendi Scientia *ulterius promoveri queat, Tract. de Morbis Acutis, poſt diuturnas meditationes, & fidam plurium Annor. Obſervationem in medium proferre decrevit.* VIII. *Perpulchre de* Medicorum in Morbis curandis nimia feſtinatione *ratiocinatur.* 19.
Auctor Medicamenta *in Hydrope ſimplicia, & inartificialia, quod tradat, arguentes redarguit.* 109. 110.
— *de* Mictu Sanguineo *a Calculo renibus impacto, tum de* Podagra, *quæmala in ſemet ipſo expertus, miſeratione erga ſodales commotus, tantum ſcribit.* 131. 132.
— *in* Peſte & Peſtilentiali Febre *deſcribendis, veniam rogat, quoad* Dogmata Theoretica, *naeuram Morbi quæ reſpiciunt: verum quoad* Praxin *adſerit, ſe omni fide, ea tantum propoſuiſſe, quæ* exploratiſſima *habebat; & ægros ſuos ita tractaſſe,* ac ipſemet tractari cuperet, *ſi hocce morbo ægrotaret.* 14. *Difficuleates, in* Peſte *curanda.* ſudoriferorum *effectu, ſubortas* 13. *ſua Methodo curativa ſolvit.* ibid. *Hiſtoriam* Peſtis *tradit, quia Medici alii, quieoto tempore adfuerunt, de ea nihil, publici juris fecerunt.* 12 Fugientium *turbis,* Peſtis *metu, amicorum ſuaſu, ſe adjungit.* 14. *Tempore* Peſtis Lond. *maxima parte, complurium militiarium intervallo ab Urbe ſemotus fuit.* 12 14.
— *in* Pleuritide, *Curationem fruſtra tentat, per aliam præſtantiorem viam, quam per V. S.* 35.
— Podagræ *An* 1660. *immaniore quam ante, Paroxyſmo, adficitur; quem & Calculus Renum & Mictus Sanguineus inſecuti.* 131. De *Podagra Tractatum edens, jam, per triginta quatuor Annos, ab ea vexatus fuerat.* 99. *Et calamum regere impos adjuvatur a* Joh. Drake. ibid. *Podagricus in ſemetipſo* Diarrhœam, *ex materia morbi in artus non eliminata, ſed retropulſa, propter Aquæ frigidæ imprudentem uſum, enatam,* Sudoribus, *ubi nec exercitiis, nec Laudano, neque Cardiacis, vel nec adſtringentibus cederet, curavit.* 105. Sententiam *ſuam revocat, ſc.* Podagra adfectis Purgantia minime conducere. 131.
Auctor Rheumatiſmi *Curationem, tempore aliter edoctus, in quibuſnam emendat.* 76 Rheumatiſmi Scorbutici *Curationem cum publici juris facit,* privato ſuo commodo publicum præfert. 37.
— *ad* Variolis *decumbentes, ne amplius arceſeretur, cur exoptabat.* 85. *Cujuſnam eſſentiæ Morbus ſine* Variolæ, *ignorat cum aliis.* 16. *Quod in* Variolis curandis Methodum *novam induxerit. eo magis erit excuſandus, quod hæc Recentiorum tantum Curationibus, cum* Hippocrati ac Galeno *ignotus Morbus fuerit, adverſetur.* 31. *Qualem de ſua,* Variolis *Diſcretis & lenibus, modendi Methodo fidem habeat.* 18. *Integerrimus in exponenda Methodo* Variolarum *curandarum.* 85. *In ſua* Variolas *curandi Methodo, non phantaſiæ, ſed Phænomenis practicis litat.* 88. 89. *Quare non definiat, an Salivatio ac Diarrhœa, in* Variolis Confluentibus, *ſæpe a Natura fuerint ſubſtitutæ, quod parvum hoccs puſtularum genus materiem Morbi non ita exterminare queat, ac majores Puſtulæ, in Diſcretis, faciunt.* 16. *Venæ ſectionem negligit in* Variolis. 31. *De* Variolis *An.* 1680 *ſcribit ideo, ut, quæ olim deficiebant ex iis,* quæ experientia jam annoſior ſuggeſſerat, *ſarciret.* 84. *Filium ſuum,* Variolis Anomal. Diſcret. *laborantem, ſua Methodo reſtituit.* 26.
Auctor *iſtius Sententiæ non eſt,* Venereæ Luis *Curationem docendam non eſſe; cum ſui negotii exiſtimet corpora ſanare, non vero ægros cenſorio vexare faſtu, Deo relinquens ſontes caſtigare.* 77.
Auctores *in* Morbis, *horumque* Hiſtoria *ſive* Phænomenis, *deſcribendis, ealia vulgo præbent ſubſidia, quæ ſequentem potius in* præcipitia *agant, quam in genuina* Naturæ Methodo indaganda *dirigant; nam nihil tradunt quam* Hypotheſes, *quas laſcivientis ingenii luxuria peperit,* ad quas *etiam* Praxin *ſuam, in hominum perniciem* non ad rei veritatem, *componunt.* 77.
— *qui Venæ Sectionem in* Peſte *commendarunt.* 13.
Aura liberior *in Tuſſi Epid.* 1675. *concedenda.* 16. 32.
— in Variolis *vid.* Aer liberior.
Autumno *humores ſunt viſcidiores quam Vere.* 8.
Autumnus *Dyſenteriis favet.* 25.
Axiomata *Hippocratis aliorumque Veterum,* de Materia Febrili præparanda ad Criſin per ſudores rite faciendam, *iſti ſoli Febris Conſtit.* 1661. *ad* 1664. *qua* Intermittentes *ceteris prædominabantur, videntur adaptanda.*

B

Balſamus *e Mecha, Terebinthina genus liquidum, & purum, in Gonorrhœa virul. bonus.* 79.
Bolus *purgans in Diarrhœa.* 23.
Bolus Diaphoreticus *in Peſtilentiali Febre.* 14.
— *in Pruritu ferino.* 37.
Botallus (*Leonardus*) *unus, qui, æque ac* Sydenham, *totum Peſtis curationis negotium in copioſa Venæ ſectione collocat.* 13.
Botalli *argumenta luculenteiſſima exemplis plurimis ſtabilita, V. S. in omni Peſte, ſupra omnia remedia ſalutarem eſſe.* ibid.
Botanica *ſenſuum teſtimonio debee inniti.* 3.
Braſſicæ *folium in Pleuritide lateri imponendum.* 35.
Bubo, *vel* Parotis, *in Peſte, Febri ardenti ſuperveniens, ægros a luctuoſo diſcrimine ſæpe liberat.* 12.
Bubones *in Peſte quomodo ex Materia Morbi ſubtiliſſima & maxime inflammabili fiant.* 20.
— *in Peſte, ue alii tumores inflammatorii, in Abſceſſum terminantur.* 13.
— Peſtilentiales *ſuppurantes licet, in Peſtilenti Febre, incerti ac fallacis tamen ſucceſſus ſune.* 13. 14.
— *interdum ex improviſo diſparent.* 13.
— *Diaphoreticorum præmaturorum actione quomodo impropellantur & turbentur.* ibid.
— *retrocedentes, Maculis purpureis ſuccedentibus, letale.* ibid. *Cujus ſæpe cauſſa ſudoris expreſſio importuna.* 12. 13.
Bubones Venerei, *ex Gonorrhœa virul. primum Luis gradum conſtituunt.* 78.
Butler M. D. *in Africa Dyſenteriam & Febrem Dyſentericam eodem modo, ac Auctor in Anglia, curat.* 23.

C

Cachexia *ex Humoribus depravatis.* 91.
Calculi *minores ex* Renum *pelvi non meliut deturbantur quam Aquarum Chalyb. uſu.* 132.
Calculus *an major quam ut per Ureteres tranſeat, vel an lapillorum congeries in pelvi hæreat, quomodo dignoſcatur.* 132. 146.

— *ex decubitu in dorso supra lectum submollem, primam originem suam, in* Podagricis, *sæpe desumis*. 131.
— *Nephritidem ubi caussat, quid agendum*. 94.
— Renum *vel* Vesicæ *aliquando videtur adesse, quod tantum effectus quidam Hystericæ Affectionis est*. 27. 99. *Hujus Exempl. notabile, ubi Calculo dicata nocebant, Narcotica vero juvabant*. 35
— *qua ratione se manifestaverit in ipso Auctore*. 131.
— *in* Podagra *inveterata plerumque nascitur*. 105. *Quid tum agendum*. ibid.
— *Podagricis supervenienti, unde?* 100. *In Ischuream aliquando excitans, ægrum de medio tollit*. ibid.
— *in Podagricis Potu acri, & attenuante, tum excitatur, tum generatur*. 104 *An ejusdem Podagricæ materiæ morbificæ portio?* 100. *Exercitio corporis constantiore prohibetur; sed præsertim* Equitatione, *nisi grandior ætas, aut Calculus major impediverit; tum vero Vectione in curru utendum; sed utrumque fiat in aere rusticano potius quam in urbano*. 104 confer. 105. *Dein præcavetur lautieri usu Cerevisiæ tenuis*. 103. *Tum usu Potus Diætetici*. 104.
Calculus *ubi adest, & vel Nephritidem, vel Mictum sanguineum producat, quænam medela*. 105. 131 132. 146.
Calefacientia *Antidotalia Pestem potius accersunt, quam præveniunt*. 12.
— *in Apoplexia cur noceant*. 146.
— *in Chronicis, vid.* Herbæ Excalefacientes.
— *Corticis Peruviani salutarem actionem delent, in Febribus Intermitt*. 40. 41.
— *in Dysenteria, & ætas florida, qualia Phænomena inducant*. 22.
— *a Medicis in* Febribus *male exhibentur, ad Venenum suppositum per cutim expellendum, ubi* Refrigerantia *requirebantur*. 115.
— *in* Febribus acutis *quot mala inferunt*. 113. in Febre Epid. *An*. 1673. *caput adsciebant*. 28. *In* Febre nova Epid. *quandonam Iliacam passionem excitare valent*. 114. *In* Febre hyemali *vitanda*. 110. *in* Febribus Interm. Aut. *citius exhibita, vel has duplicant, vel in Continuas permutant*. 10. *In* Febribus Interm. *Pueris exhibere periculosum*. ibid *In* Febr. Intermitt. *An*. 1678. *tamquam Oleum camino additum, eas exasperabant*. 40. *In* Febre nova hyemali, *quænam mala inferant*. 112. 113. *In* Febre Variolosa *Salivationi officiunt*. 20.
Calefacientia *in Hydrope, quando, & quare, conveniant*. 109.
— Maculas purpureas *in Febribus augent, pro gradu quo calefaciunt, & contra*. 32.
— *in Malignis Morbis quibusdam, quare lædant*. 32.
— quælibet *in* Morbillorum, *&* Variolarum *Curatione nocent*. 25. *Peripneumoniam lethalem inducunt, aliaque mala inferunt, quibus temperantibus & V. S. succurritur*. ibid.
— *Pleuritidem Symptomaticam, quandonam inferant*. 35.
— *in Pleuritide vero obesse possunt, quo minus V. S. omnem Curationis numerum absolvat*. 32.
— Medicamenta vegetabilia *in Podagra, quæ amaricant vel linguam feriunt, vera sunt in hoc Morbo Digestiva: sed certa cum cautione usurpanda*. 102. *In aliis* Chronicis *quoque quare conducant*. ibid. confer. ibid.
— *in Rheumatismo exhibita, frequentioris solito V. S. caussa esse possunt*. 36.
— Spirituosa *in Tussi Epid*. 1675. *sine periculo non exhibebantur*. 32. ibid.
— *in Variolis quænam mala, & quo tempore præsertim, inferant*. 16. *In* Expulsionis, *initio præsertim, æque ac in* Secretionis, *statu nocere possunt*. ibid. *Et quare*. ibid. *In* Eruptionis *finem, Junioribus, & Sanguineis præsertim, præmature exhibita, eidem potius* obicem *ponunt, temperantibus amovendum*. ibid. *Et in temperamentis vegetis, ex* Discretis, *sæpe* Confluentes *inde vedduntur*. 17. *Initio Morbi exhibita* Confluxum Pustularum *inducunt, illo modo, quo Aeris intemperies An* 1681 *illud ipsum producebat*. 234. *Ea præmature exhibere, sive ægrum* lecto *adjudicare, ante* diem quartum, *æque nocuum*. 17. 18.
Calefacientia *ubi* Symptomata *a nimio frigore, vel ab Evacuationibus indebitis*, concedenda, *sed non diu* 19.
— — Anomal. Confluentibus *exhibita in Dysenteriam quandonam eas mutabant*. 26.
— — *Menstruorum fluxu tempore non solito superveniente, adhibita, admistis licet adstringentibus, letalia sæpe fuere*. ibid.
— *Pustulas nigras augent, pro ratione qua calefaciunt; & contra*. 32.
— — Regularibus Confluentibus *magis adhuc quam in Regul. Discret*. vitanda. 18 *Salivationem sistant*. ibid.
— — Discretis *sudorem, per se promptum, urgentia, quantum, & quomodo, noceant*. 16. Intumescentiam *Faciei, quæ octavo die adesse debet, nec non* ruborem *inter Pustulas, avertunt*. 19.
— — *sudoret promoventia, quandonam* minus noceant, *facieique tumorem non ita impediant*. 16.
Calida in Febribus, Variolis, &c. *vid.* Calefacientia.
— tempestas *insperata*, acri gelu *succedens*, Dysenterias, *mense Novemb. An*. 1678. leves *caussavit*. 28.
Calidum Regimen, *vid.* Regimen Calidum.
Calor *Febris ipse fere sufficit ad* Materiæ concoctionem, *ut sudore expelli queat; nec calefacientibus iis fervidis, forinsecus adlatis, indigemus*. 29.
— *frigido diuturniori Vere, derepente succedens*, Pleuritides, *Anginas, qualis. cunque fuerit Constitutio, inducit*. 34. confer. 2.
— *Lecti in Febrib Intermitt. vim Corticis* Peruviani *enervat*. 87.
— — *Rheumatismum promovet*. 36.
— *in Variolis Const. vim Morbi adauget, & vim Paregoricorum enervat*. 87. *Plura* de Lecti calore in Variolis, *vid.* Lectum.
Calor *in Pleuritide nocuus*. 35.
Canis tabidi *morsus, hujusque Curatio*. 150.
Capillorum *abrasio in Phrenitide a calefacientibus inducta*. 113.
Capitis Dolores *in Febre* Dysent. An. 1669. *frequentiores, sed* Sudores *variores*. 23.
— *motus, in Vomitione, ex Hysterica Adf. ipsam præ cæteris provocat*. 94.
— Obtectio lacinia lanea *ad Sudores ciendos mirum quam conferat*. 14
Carbunculi *ac* Bubones *in Peste materiæ expulsioni inserviunt, uti Pustulæ in Variolis*. 20.
Cardiaca *servant ægrum, ubi, a* Venæ-sectione *temeraria, damna inlata*. 3. *Naturam languentem adjuvat ubi* refrigerantibus, aut Clysteribus, *debilitata*. 9.
— *in* Apoplexia, *cur noceant*. 146. *In* Dysenteria, *qualia, quando, & in quibus, propinanda*. 22.
— moderatiora, *vti & calidiora quo tempore* Febris, *& quonam in casu gradatim &c. sumenda*. 5.
Cardiaca Febribus contin. *An* 1661. *&c. initio quare non exhibenda*. ibid. *Circa earum finem, quando necessaria*. ibid. *Post Evacuationes institutas, quænam esse debeant*. ibid. *Quando in initio propinanda*. ibid. *In debilibus requiruntur, ut Febres spatio* 336. *hor. b. e.* 14. *diet. depurationem suam absolvere queant*. 9.
— inopportuna *transmutant* Febres Intermittentes *in* Continuarum *speciem*. 40. 41. *Et Corticis Peruviani salutarem effectum delent*. 41.
— *&* Corroborantia *in* Febribus Interm. Autumn. *ad Naturam sublevandam, quando & cur conveniant*. 9 *Sustinent adhuc Senes per tempus aliquod*. 10.
— *in* Febre Scarlatina *quare damnosa?* 34.
— *in* Febre Variolosa *Salivationi obsiciunt*. 20.
— *in* Mania *post Febr. Intermitt. diuturn. nata, exiguntur*. 11. *Eorum usus quando dimittendus*. ibid
— *vetantur in* Phrenitide *præsertim ante usum Narcoticorum*. 6.
— *in* Variolis *nocent, quod* Ebullitionis *statum nimis evehant*. 17. *In tempestiva quænam mala producant*. 85. *Initio si vitantur Maculæ purpureæ, & Mictus Sanguineus præcaventur*. ibid. *Ante* diem quartum *non necessaria*, Diarrhœa *quamvis adsit*. 17. 18. Mortis *sæpe caussa sunt, licet V. S. prægressæ sæpius imputetur*. 17.
— — Discretis *sudorem, per se satis promptum, urgentia, qua ratione noceant*. 16.
— — *præmature exhibere, & lecto ægrum adjudicare, ante* diem quartum, *æque nocuum est*. 90. *ad* 18. Quarto die *quandonam exhiberi queant*. 17. *Sed* Paregorica *esse debent, & qualia*. 18 *Effectum hic quomodo edant*. ibid. Omni tempore, *quanam occasione exhiberi queant; & quænam tum illa sunt*. 19. Confluere *faciunt Pustulas, si inopportune adplicentur*. 17. *Hocque præsertim in temperamentis vegetis*. ibid. *In* Eruptionis *finem & ad eam accelerandam, præsertim in junioribus & sanguineis, in initio præmature exhibita, Eruptioni potius* obicem *ponunt, temperantibus dein amovendum*. ibid. Retrocedentibus Var. *ex V. S. inopportuna, vel frigore nimio adplicato, adhibeantur; sed caute, neque nimis fortiora sint*. ibid.
Cardiacorum Generosiorum *Formulæ* 11.
— Moderatorum *series*. 5.
Carnes *vetantur in* Podagræ *Paroxysmo, si ab iis abstinere sine alio incommodo possunt; alias modice concedendæ*. 105. *Harum usus* Hypochondriacos *&* Hystericas *restaurat*. 91. *Et abstinentia ab iis Morbum sæpe invitat*. ibid. confer. ibid.
Caruncula *in Gonorrhœa Virul. est caro spongiosa in Urethra, ab ejus excoriatione enata, sensim indurata, Urinæ viam intercipiens*. 78. *Ex ulceribus sibi adnatis ichorem sæpe quemdam evomunt; quod tum pessimum malum*. ibid. *Ex Aquis Mineral. sæpe nascantur*. 79.
Casus rari *ad Historiam Morborum non pertinent. IX.*
Catamenia, *vide* Menstrua.
Cataplasma, *ad dolores ab Allia pedibus adplicito excitatos*. 87. *In* Hydrope, *Abdomini adplicitum ad discutiendum, nec nocet, nec prodest*. 109. *In* Podagræ *paroxysmo, quod Auctori præ ceteris profuit*. 106. *In* Punctura Tendinis *a V. S*. 35. *In Rheumatismo*. 36. *In* Scroti *inflammatione a Morbo Venereo*. 79.
Catarrhi, & Tussis Epidem. *An*. 1675. *videantur*. 28.
Cathartica, *vid.* Purgantia.
Catulus *vivens, in Ileo vero, nudo ventri quamdiu accumbendut*. 7.
Caussæ Proximæ & Conjunctæ *solæ a nobis possunt cognosci; & ex iisdem eantum Indicationes Curativæ sunt mutuandæ. X. Intellectui se sistunt, vel sensus testimonio, vel Anatomicis Observationibus ab aliis jam factis*. ibid.
— Remotiores *Morborum, seu primæ, sunt inperscrutabiles, neque ex iis, sed ex* conjunctis *solis cognoscendis*, Indicationes curativæ *sunt mutuandæ. IX.* Quod demonstratur. ibid. confer X.
— — Morbificæ *Symptomatum peculiarium perceptione, deprehenduntur. VIII.*
Caussarum Differentia *quælibet specifica nos latet*. 26.
Cerebrum *humanum ita, forte, constitutum, ut non tam quid absolute verum, quam quid maxime conveniens, ac suis Naturis adcommodum, percipiat*. 116.
— *Sensus & motus fons, ac Cogitationum & Memoriæ officina, quamvis nobis adpareat, tamen ex ejus substantia adsignare nemo poterit, qua ratione ex naturæ ejus vi, & structura partium, hæc illave facultas necessario fuerit exsecunda*. 89.
Cerevisia generosior, *in Hydrope, iisdem sub conditionibus admittitur ac Vinum*. 109.
— medicata, *in Hydrope, pro Pauperibus*. ibid.
— purgativa. 142.
— *cui Macis aliquid incoctum, ad Diaphoresin, in Pestilentialibus morbis, continuandam* 14.
— *cum Rhabarbaro pro Infantibus, quomodo paranda, & qua ratione adsumenda*. 115.
— tenuis *Calculum arcet, in* Podagricis. 103. *In* Calculo *hausta ante motum in Curru, Mictum Sanguineum præcavet*. 131. *In* Febribus, *ægris non denganda, sed potius commendanda*. 5. *cura Aurantiorum succo, in* Febrili ardore. ibid. *cum Vitrioli spiritu, in* Mictu cruento, & Petechiis, *ex Febre acuta*. 83. *In* Morbillis Anom. *An*. 1674. *pro potu*. 30. *In* Peripneumonia notha. 36. Lond. *in* Podagra *optimus potus, lupulata sit vel non*. 103. *In* Tussi Epid. *ubi Febris &c. adsunt*. 32. *In* Variolis *orgasmum temperat*. 39. *In* Variolis Anomalis Discretis, *pro Potu sufficit*. 26.
— *In Variol. Confluent. qualis eligenda*. 87.
Chalybs *in* Chlorosi *exhibitus quomodo pulsum & faciem immutet*. 91. *In* Hydrope, *initio Morbi haud infimum sibi vendicat locum*. 109. *In* Colica Hypochondr. *&* Hyster. *in primis confert, non ad Symptomata lenienda, sed radicem Morbi exstirpandam*. 148. *In* Hysterica Adf. *ad dies triginta adsumptus, post Evacuationes, Remedium est præstantissimum: Et qua ratione agat*. 91. *Statim ante Evacuationes exhibentur, ubi nimis debiles ægræ*. ibid. *Si eam curare non valet, Aquæ Minerales adeundæ*. 92 *Quæ si non juvant, Aquis Sulphureis calidis utendum*. ibid.
Calybs *in* Substantia *omnium optime, & suto, & citius, opus persolvit*. 91. *Ipsius Minera e terra effossa nondum ignem passa, an præstantior adhuc*, ibid. *In* Syrupi forma *post substantiam, præ cæteris formis conducit*. 92.
— *in Substantia adsumptus, sine Purgantibus intermistis, an in Visceribus hærens nocere possit?* ibid.
— *sine Purgantium intermistione citius & præstantius suum edit Effectum*. ibid.
— *Exhibitus, si corpus nimis turbet, Laudano utendum*. ibid.
Chemia *plurimum emolumenti Medicinæ adferens, non tamen sola habenda Ars, quibus illa promoveri tantum possit*. 108.
Chemici *Medicamentis suis nondum meliora præstare possunt, quam alii succis, vel Decoctis, simplicium*. 90. *Remedia optima nimis officiosa sedulitate enervant sæpius*. 91.
Chirurgus, *in* Castro Duntsar, *V. S. audaci ac liberali, Milites a Peste sanat*. 13.
Chlorosis *idem ac* Febris alba, *speciei Hystericæ Adfect. ex Humoribus depravatis*. 91.
— *ea Methodo qua Hysterica Adf.* sanatur. 92. 150.
Chlorosi *laborantes Clavo Hysterico frequentius adficiuntur*. 89.
Cholera Morbus *ex Epidemicorum Familia, Augusto exorsus, mensis spatio, sua percurrit tempora*. 2. 26. 147. *Alio mense, quam Augusto non grassatur, licet eadem caussæ adsint; ac si in aere eum aliquid, quod specificam hanc alterationem producit, resideret*. 22.
Cholera Morbus *alio tempore, quam Augusto, invadens, a* Legitimo *toto cœlo distat*. ibid.
— *intra* 24. *horas interficere potest*. 21. 147.
— siccus *itidem datur, cujus unum modo vidit exemplum Auctor*. 27.
— legitimus describitur. 22. 147.
— *a fructibus bonariis excitatur*. 22.
— legitimus *An*. 1669. *antea numquam ita* Epidemicus, *grassari incipit, semper intra* Augusti *cancellos contentus, vix* Septembri *mense adparet*. 21. 38. 147. confer. 2. *Ejus* Symptomata. 21. 147.
— *ejus Symptomata licet a crapula videantur, & eodem fere modo curentur, alterius tamen Naturæ Morbus est*. 21. 147.
— curatur *partim* diluendo, *& partim* evacuando *humorem peccantem*. 21. Adstringentia & Narcotica *intempestive exhibita pluribus malis occasionem præbent, inimicum visceribut includendo, & bello intestino occasionem præbendo; hincque Febrem accendunt, quæ Emetico tantum tollitur, adeoque initio tuta non sunt*. 4. 21 Evacuantia *tamen hic etiam tuta non sunt*. 22. confer. 21. *Et* Cathartica *exhibere idem esse, ac oleo ignem exstinguere*. ibid. 22. *Jusculum ex* Pullo *multa* aqua *cocto, tam per Os, quam* Enemata, *adsumptum, Syrupis lenibus admistis, magnam partem absolvit, initio Morbi*. 21. 147. Possetum *loco* Jusculi *ad abluendum stomachum exhiberi potest*. ibid. *Quamdiu ita abluendum*. ibid. Paregoricum, *abluto jusculis ventriculo exhibendum*. 21. *Vomendi conamen majorem haustum Medicamenti vetat*. 39. *Post horas* 10. *vel* 12 *vomitus & dejectionis, si Medicus accersitus eantum, frigescentibus extremis*, Paregorica *illico exhibeat; atque mane & sero aliquandiu in iis continuandum*. 22. 147.
Cholera Morbus *An*. 1676. *exeunte æstate Epidemice regnare incipiens, atrociores Convulsiones, & diuturniores, habuit*. 39.
— Curabatur *ut legitimus*. ibid.
— *Anodyna fortiora, & magis repetita solito, exigebat*. ibid. *Quietem corporis, ne vomitus de novo excitaretur, diuturniorem commendabat*. ibid.
Choleræ Morbi species *in Infantibus ex Dentitione vel Crapula*. 147. *Quomodo curetur*. ibid.
Chorea Sancti Viti *qualis Morbus sit*. 113. 146. *Ætates teneras adoritur*. ibid.
— *Caussam quamnam ponat*. 113.
— curatur, *minuendo humores V. S. & Purgantibus; dein genus Nervosum roborando*. ibid. confer. 146.
— *ubi semel invasit, facile sequenti* Anno redit; *quomodo præcavenda*. 113. 146.
Chorea *raro adhuc Auctori occurrit, & quinquies modo vidit, ac curavit*. 113.
Chronici Morbi, *vid.* Morbi Chronici.
Cibi *eupepti in Febribus* Interm. *& modicum Vinum, ubi* Cortex Peruvianus *nihil amplius efficit, rem sæpe absolvunt*. 41.
— *in Gonorrhœa virulenta quinam sumendi, quinam vitandi*. 79.
Cicatrices *post Variolas unde fiant, & cur primis diebus non adpareant*. 15. *Ab humoribus nimis calidis fiunt; sed Auctoris Methodo præcaventur*. 31.

——— Anomalas, An. 1670. *ad* 1672. fœliores *erant*. 22. *Poſt Confluentes* fœdæ *unde fiant*. 16 *Poſt Diſcretas raro relinquuntur*. 15. Linimentis *an præcaveri queant?* 19. *Regimine temperato præveniuntur*. ibid.
Cicero *laudatur*. 39. *Quod de ſuperſtitioſis dicit, Melancholicis quadrat*. 90.
Circulationis *Sanguinis impedimentum & quaſi ſtrangulatus, a* Venæ-ſectione, *in Febribus, neglecta, quando*. 3
Clavus Hyſtericus *deſcribitur*. 90. *Quomodo ex ſpirituum enormitate procedat*. ibid. *Quomodo* curetur. 147.
Clyſter-, *vid.* Enema.
Cocta non cruda ſunt medicanda. 20.
Cogitationes nimiæ *Podagricis obficiunt*. 84.
Colica bilioſa *Conſtitut An.* 1670. *ad* 1672 *deſcribitur*, & 147
—— Chronicis *cum adnumerare debeat, quare inter* Acutos *hic deſcribatur*. 26. *Hanc præcedebant Symptomata, quæ Dyſenteriam iſtius temporis præcedere ſolebant: & Dyſenteria ipſa aliquando præcedebat*. ibid
Colica bilioſa *quoſnam, & quo tempore præſertim adoriatur*. ibid.
—— *Incipit cum Febre aliquot horarum, ſi Dyſenteria non præceſſerit*. ibid.
—— *Dolorem quantum inferat*. ibid
—— *ex Hyſterica Adfect. orta*. 90. confer. 89. *Quædam Hyſtericæ Adfectionis merus effectus* 27
—— *ab eo, quam Hyſterica Adfectio ſimulat, exquiſite diſtinguendo in Curatione*. 94.
—— *à Nephritico dolore quomodo diſtinguatur*. 147.
—— *in Iliacam Paſſionem facile tranſit*. 26. 147.
—— *ab humore acri ſanguinis, ad Inteſtina translato, orta videtur Auctori* 26.
—— curatur *evacuando humorem* antecedentem *in venis*, & continentem *in viſceribus, tum impetum & dolores compeſcendo*. ibid. *Quæ perſolvuntur* V. S. Anodynis, & Catharticis. 16 147 confert. 27. *Quæ Methodus feliciſſime Auctori præ aliis ceſſit, ubi* Enemata *carminantia crabrones irritent & Morbum diuturniorem reddant* 25. *Sed a* Narcoticis, *omiſſis aliis, incipiendum aliquando, ubi ante Morbum hunc ægritudo quædam evacuationes copioſiores expoſtulaverit*. 26. *ad* 27 *Rei Exempli tra litur*. ibid. *Si ægro alvo non facile ſolubilis, leniora Cathartica non exhibenda*. 26. *Catharticorum vim quandonam eludat*. ibid *Si* Cathartica *Ventriculo retineri nequeunt*, Anodynum *præmittendum eſt Cathartico; ſed quidem horis duodecim, & ultra, interpoſitis*. 27 *Anodyna poſt Catharſin, & diebus inter Purgationes, mane & ſero exhibenda*. ibid *Ubi non amplius purgandum, in uſu tamen*. Narcoticorum, & larga quidem doſi, *continuandum mane & ſero, donec dolores ceſſaverint, & non ultra*. ibid. *Ubi Fructus horæ, vel Cibi δυσπέπτοι Morbi cauſa ſunt, ventriculus Zythogala antequam alia inſtituantur, diluendus*. 26 147 *Dein exhibeatur* Narcoticum, *& ſequenti die vena ſecetur*. ibid. Diæta *quænam*. 27 *Diu adhuc poſt Curationem in illa continuandum*. ibid. Equitationem *vero poſtulat hic Morbus*. ibid. Dolor *ubi* recidivus, Paregorico *hic de die exhibito, prævertitur, vel eo non juvante* Equitatio *unum ſupereſt remedium, vel in* Cuiru *vectio, ſimul tum* Anodyno, *poſt debitas Evacuationes, ſi diu continuentur*. ibid.
Colica bilioſa *ubi non bene tractata, ſi languor adeſt & macies, quænam exhibenda*. 27. 147.
—— Hypochondriaca *eodem modo concipitur & curatur, ac* Hyſterica. 148. 27.
—— Hyſterica *deſcribitur*. 131. *ad* 28. 147. *Ad unguem Colicam bilioſam refert*. 27. *Quaſnam aliquando præcipue* Mulieres *adficiat*. ibid. Icterum *aliquando comitem habet*. ibid.
—— *a Spirituum* ἀταξία *& inordinato motu, potius quam humorum vitio a liquo*, producitur. ibid. *Hoc* Cauſſæ antecedentes *probare videntur*.
Colica Hyſt. *proprie iſt* Adfectus Hyſtericus, *Coli partes adjacentes occupans*. ibid. Dolor *licet vehemens in eo, nullum tamen vitæ diſcrimen adportat, niſi perverſa cura*. ibid. Dolor *in eo Morbo acutiſſimus, ubi ſolvetur Paroxyſmus*. ibid. Icterus *hic aliquando comitatur, brevi ſponte evaneſcens*, ibid. *Vel ex hoc Morbo oritur*. ibid. *Animi leviſſima commotio Symptomata revocat*. ibid. *Exercitium præmaturum idem facit*. ibid
—— *aliter longe* curatur, *quam* Bilioſa. ibid. *V. S. Purgationes, Enemata, vetantur; Anodyna rem abſolvunt*. ibid 93. *Paregorica quandiu, & qua Methodo uſurpanda*. 147 *Præſtat vero Zythogala ventriculum abluere ante uſum Anodyni*. ibid. *Anodyna poſt Curationem, ut in Colica bilioſa, continuanda ſunt*. 27 *Verum aliquando ob humorum in corpore abundantiam, Phlebotomia, vel Catharſi, Anodyno via aperienda eſt; quod tum præſtantius agit, & minori doſi*. 27. 147. *Hejus Morbi* Curatio radicalis *alio loco traditur; ſed Symptomatum Curatio exhibetur*. 27
—— *Lactea Diæta præprimis curatur, ubi repetita Narcoticorum vis nihil amplius, cum recidiva fit, juvat*. 93.
—— *ſi per Paroxyſmos adfligit, ad tos prævertendos quid agendum*. 147. Chalybs *tandem poſt varia uſurpata, in primis Morbum eruere valet*. 148.
Colica Pictonum *quinam Morbus; & quomodo curetur*. 147
Collutorium *in Oris exulceratione intolerabili, ex Salivatione Mercuriali*. 80.
Color *Evacuationibus rejectæ materiæ, non tantæ auctoritatis eſt, ut inde de Malignitate dijudicemus*. 27.
—— Interſtitiorum Puſtularum *in Variolis Diſcretis*, octavo die *ruber, inſtar Roſarum Damaſcen. ex inflammatione legitima; ſi enim pallor adeſt, malum*. 15 16.
—— *Materiæ viridis, in Hyſtericis rejectæ, quomodo ex ἀταξία Spiritum*. 90
—— Puſtularum, *in Variolis, harum* naturam *quomodo diſtinguat*. 16.
——— Anomalis *Diſcretis*, An 1674 non niger *erat*. 30.
——— Genuinis *naturaliter* ſubflavus *eſt*. 16.
—— ruber *in Variolis*, in Interſtitiis *Puſtularum, inſtar Roſar. Damaſc.* Octavo die *incipient, bonus; ſi cito recedit, malus*. 15 16.
—— *ſaturatus, Chemica arte, ex duobus limpidis liquoribus exhibetur*. 90.
—— *viridis humorum noſtrorum excretorum, non magis exigit, ut acres hiſint, quam ubi iſti acres, ut virides ſint exigant*. ibid.
Colorum *ſpeculatio adeo lubrica, ut de corporum natura, in quibus adparent, nihil certi poſſit deprehendi*. ibid
Coma, *in Febribus, plerumque Naturæ committendum, tumque tuto, licet tarde, recedet*. 29. *Confirmatur Hiſtoria*. 30.
—— *in Febre Epid. An.* 1673. *ad* 1675. *qualis fuerit*. 28. 29
—— & Stupor *in Febre Epid. An.* 1673. *ad* 1675. *Naturæ ope ſenſim recedebat, ſed aliquando* triceſimo *tantum die*. 29. 30. *Quo tempore abſurda licet peteret æger, erant concedenda*. 30.
Coma *ex Febre nova Epidemica a calore lecti*. 112.
—— *in Febre nova Epidemica, ubi adeſt opyrexia, adeſſe videtur, ſi linguæ albedinem excipiat*. 113.
—— *in Febre nova Epidemica, ubi adeſt, vel calefacientibus ubi inductum, tractandum ut Phrenitis*. ibid
—— *in Febre nova Epidemica, naturæ committendum, poſt V. S. & Purgationes inſtitutus*. ibid.
—— *in* Febre Scarlatina *Infantium, quomodo tractandum*. 34.
—— *a Paregoricis, poſt purgantia exhibitis, non excitatur, ſed potius amolitur quod ſi Auctor cogitaſſet, cum in Febre Comatoſa, An.* 1673. *Enomata præſcriberet, auſus fuiſſet Purgantia exhibere*. 112.
—— *in Variolis, aliquando Symptoma eſt* 16.
——— Confluentibus *ex calido regimine natum, contraria methodo, qua & præcaveri potuiſſet, itidem tollitur*. 19.
Comatoſi Adfectus *in Febrium* Intermittent. *Paroxyſmis, tam in Infantibus, quam Adultis, ſæpe invadentes, non adtingendi, quin adgravetur malum; ſed Febris tantum, cujus Symptoma ſunt, tollenda*. 86.
——— *Variolas Confluentes præcedere ſolent*. ibid. *Quid tum agendum*. ibid.
Combuſtio, *vid.* Ambuſtio.
—— *in Podagra, ad dolorem commitigandum, Remedii genus eſt, quod, Indiis Orientalibus* Moxa, *ſeu Muſci Indici, ope acceptum licet feratur, & Europæis incognitum habeatur, Hippocrati jam ante his mille annos, ope* Lini cruci *cognitum fuit*. 106. *In podagra incipiente tantum prodeſt*. ibid. *Combuſtio illa cauſſam Morbi antecedentem, h. e. Indigeſtionem, non attingit, neque in Podagra inveterata, aut perverſa cura intro repulſa, aliquid præſtabit*. ibid.
Commotio Febrilis *h. e.* Commotio inordinata maſſæ Sanguineæ, *Febris vel cauſſa, vel comes, a Natura quem in finem concitetur*. 3
——— *maſſæ Sanguineæ, qui differat a Fermentatione liquidorum*. ibid. *A natura concitatur, tum ob materiæ ipſi adverſantis ſecretionem*, ibid *tum ad ſanguinis renovandum ſtatum, & immutandam diatheſin*. ibid. *Sic tamen, in utroque caſu, hoc inditatur, in* Febr. Contin. *præſertim, ut illa intra modum. Natura propoſito congruentem, ſiſtatur, h. e. ne hinc plus æquo gliſcat, nec illine nimium torpeat: & quare*, ibid.
Commotionis *Vocabulum, in exponendis Febribus, cur potius quam vel* Fermentationis, *vel* Ebullitionis, *arrideat Sydenhamo*. ibid.
Computatio *in Variolis, ſemper a primo Morbi inſultu fit*. 16.
Concoctio Materiæ febrilis *quid ſit*. 5 *Urina in Febribus Continuis, in declinatione præſertim, hanc denotat*. ibid.
——— *in Febribus, quæ, exoleſcente Intermittentium Autumn prædominio vigebant*, decimo quarto die *plerumque contingebat*. 33. *Acceleranda at temperantibus dictis non eſt*. 5.
Concoctionem Materiæ febrilis *promoventia* Remedia, *Medicis dicta, non intelligit Sydenham*. 5. *Quid juxta ipſum ſint*. ibid.
Concoctiones *æſtivo tempore cur melius perfolvantur, quam hieme*. 105.
—— *Motu corporis juſto ut promovintur, ſic juſto vehementiore læduntur*. 104.
Conditum, *vid.* Electuarium.
Confluentes Variolæ, *vid.* Variolæ Confluentes.
Conſtitutio Epidemica generalis unde pendeat, *vid.* Conſtitutiones Epidemicæ.
——— *quælibet Morbos parit, a Morbis ejuſdem generis, alio tempore graſſantibus, multum abludentes*. 2.
—— Generalis quælibet *propria ac peculiari ſibi Febris ſpecie funeſtatur, quæ extra illam nuſquam comparet*. 23. 15.
—— Anni quælibet *huic illive Morbo Epidemice producendo* favere *ſolet, & alios Morbos concurrentes, in ejus* ſimilitudinem *detorquet*. 32.
—— alicujus Anni generalis variis ſpeciebus Epidemicorum communis, *eorum materiam ita effingit, & format, ut licet ab invicem, quoad* Typum *& formam ſpecificam* diſtent, *præcipua tamen* Symptomata *omnibus* paria *ſint; atque utut* diverſæ *hæ quoque fuerint* ſpecies, *quoad* tempus invaſionis, ſævitiæ, & remiſſionis, *conſimiles ſint*. 2.
—— Epidemica Univerſalis *eadem manet, licet Epidemici Morbi, qui ad eam referuntur, nunc excludantur, nunc intromittantur, certo tempore prout* aeris qualitates manifeſtæ *illis plus vel minus favent*. 24. confer. 2. *Quæ* Aeris manifeſtæ qualitates *eam habent in hoc Epidemicos poteſtatem, ut intromittantur aut excludantur prout illis favent, atque hi ſe modo exferere poſſint ea tempeſtate, ad quam ſenſibiles illæ qualitates eos deſtinaverint*. 24.
Conſtitutio Epid. totius anni, *a Morbo circa Æquinoct Autumn. maximopere furente, nomen ſuum adipiſcitur*. 2. *Et licet alii ſub eadem Conſtitutione occurrant Morbi, ille qui a Conſtitutione generali pendet, & principatum obtinet, Autumno iterum dominabitur, ipſique reliqui omnes cedunt; ut patet in Variolis An.* 1661. *ad* 1664. *Autumno, Epidemicorum coorti, Febribus nempe cedentibus*. 11 *Tum in his Morbis, Dyſenteriæ An.* 1669 *ad* 1672. *autumno, adſidue cedentibus*. 21.
—— Epidemica generalis *ſuas Periodos augmenti, ſtatus, & declinationis, haud alias quam* Epidemici *iidem in ſubjectis particulari. habent*. ibid.
—— quælibet generalis *exacto aliquot Annorum curriculo, faceſſit, atque alteri locum cedit*. 2. 89. *An itaque* Conſtitutiones Epidemicæ aliæ *dantur quam ab Auctore traditæ, an vero, exacto quodam Annorum curriculo, aliæ alias, certo ac conſtanti ordine, excipiant, ignoras Auctor isidem*. 33.
—— Epid. *in Variolis Anomalis An.* 1670 *ad* 1672 Phænomena *plura inſigniora, a Conſtitutione An.* 1667. *ad* 1669. *differentia, producit* 25.
——— *Regularibus Confluentibus*, Maculas purpureas, *Puſtulis interſparſas, quandonam exhibet*. 16.
Conſtitutio Varioloſa triplex *Auctori fuit nota, quarum gradus adeo diverſi fuere, ut poſterior priorem ſemper exſuperavit, cum* ratione putredinis, *tum minoris concoctilicatis*. 30
Conſtitutiones Epidemicæ *variis Annis variant*. 2 confer. ibid. *Quæ varietas reperitur tam reſpectu Symptomatum, quam ratione medeæ*. ibid. *Et* hujus diverſitatis cauſſa hactenus latet. 2. 133. *Equidem illæ ſuam vim, ut Epidemicos Morbos producant*, ab occulta & inexplicabili quadam Alteratione in ipſis terræ viſceribus, unde aer *effluviis humana corpora huic illive Morbo addicentibus, determinantibuſque* contaminatur, quamdiu ſtat hæc, illave, Conſtitutio *obtinent*: non *vero* a manifeſtis aut ſenſibilibus Aeris Qualitatibus, *ut calore, frigore, &c. hoc pendet; ſed* illa Conditio recondita Conſtitutionum cauſa productiva Epidemicorum Morborum eſt 24 confer. 2. & 34. *An forte Corporum cæleſtium influxus hanc Epidemicorum Conſtitutionem producerit?* 102.
——— *partes inimicas, aeri permiſtas, in initio valentiores habent, quam ubi earum vires refractæ*. 22. *Exemplum datur in Peſte, & in Dyſenteria Conſtit. An.* 1669. *&c.* 22. 23.
——— *quæ* Intermittentes Autumnales *promovent, communibus annis multo ſæpius recurrunt, quam illæ, quæ ad* Epidemicos *cæteros faciunt*. 3.
—— Peſtilentiales aeris, *Dei bonitate, rarius eveniunt, quam iſtæ, quæ aliis Morbis Epidemicis, minus exitialibus, ſuſcitandis inſerviunt*. 11.
Conſtitutionum Genera quinque, *currentibus An.* 1661 *ad* 1675 *exſtitere: quinque nimirum aeris* Diatheſes, *totidem* Febres Epidemicæ *peculiares*. 33.
1. Conſtitutio Epid. *An.* 166[illegible]. *ad* 1664. *quæ ferme nihil, quam* Febres Contin. & Intermittentes, *quæ ultimæ tamen principatum obtinebant, produxit*. 4. 38. Variolæ *tamen qualibet æſtate conferti ſſimæ quoque invadebant; ſed Autumno Febribus cedebant*. 62. *Traditur hæc*. 3 11.
2. ——— *An* 1665 & 166. *quæ* Peſtilentialis *fuit: hacque durante, delitescebant Variolæ, quæ brevi poſt adparuere*. 15 *Traditur hæc*. 11. 15.
3. ——— *An.* 1667. 1668. *& partim* 1669. *Varioloſa fuit; continebat* Variolas, *ſimulque* Febrem *novi generis* Varioloſam *dictam, quod Puſtulis demtis, non multum ab illis abhorret*. 15. *Acceſſit isid. An* 1668. Diarrhœa Epidem. *ejuſdem Naturæ ac dicta Febris*. 20. *Traditur hæc*. 15. 21.
4. ——— *An. pro parte* 1669. *ad* 1672. Dyſenterica *præprimis fuit, nam & Cholera Morbus, & Variolæ, atque Febres Intermittentes, quæ tum graſſabantur, quolibet* Anno Autumno *ſuperveniente*, Dyſenteriæ *cedebant*; Febris vero Dyſenterica *hyeme regnabat*. 21. *ad* 106. *Traditur hæc*. 21. 28. *Quo ritu & ordine ſe mutuo ſubſequentes iterum ſibi invicem cedentes, Morbilli, Tormina ventris, Variolæ, Dyſenteriæ, Febres Dyſentericæ, & Febres Intermittentes, ſeſe habuerint*. 21. Conſtitutio *hæcce nondum penitus exſtincta erat, quando Conſtitutio nova An* 1673. *eſt ingreſſa*. 28.
5. ——— *An.* 1673. *ad* 1675. *inſecuta eſt*. *Hujus omnes* Morbi *præquam Anomali & irregulares fuere*. ibid. *Funeſtabatur quidem primo Anno* Febre Continua *illa Conſtitutio, quamvis tum nondum virtus iſtius erat, ut Conſtitutionis præcedentis Morbos penitus excluderet*. ibid. Morbilli *altero An. inſecuti ſunt, & Variolæ ingreſſæ dein*; Tuſſes *tandem, ſupervenientibus* Pleuritide & Peripneumonia *ortæ*. ibid. *Traditur hæc*. 28 33.
Conſtitutionum Genus alterum *ab Anno* 1676. *ad* 1685 *traditur*. 39. 76. *In eo Morbi Conſtitutio An.* 1676. *Morbos eoſdem ad Conſt. An.* 1673. *ad* 1675. *ſed mitiores & minus Epidemicos peperit*. 39. 40. *Aeris tamen Qualitates manifeſtæ peculiares, illo* Anno, *quoad calorem & frigus, erant*. 39. *Quid inde concludendum*. ibid.
Conſtitutio generalis *An* 1678. *ad* 1685. *adeo* Febr. Intermitt. *favebat, ut* Febrim Continuam *nullam toto tempore niſi forte ex perverſa cura, viderit* Auctor. 42.
——— nova *Ann.* 1685. *primo exſolvente gelu, menſe* Februario, *ſe manifeſtavit* 112. *An mutata ſit Conſt. præ manifeſtis aeris qualitatibus Annorum binorum* 1683. & 1684 *ſæviſſimo frigore ita notabilium, ignorat Auctor; cum pro comperto habeat Epidemicorum ſpecies non pendere a ſenſibilibus aeris Qualitatibus*. ibid.
Contagium *quomodo propagetur*. 32.
Continuæ Febres, *vide* Febres Continuæ.
Contuſiones *V. S & Purgantibus, alternatim iteratis, tutiſſime curantur*. 106. 150.
In Contuſionibus *quænam ſpecifica vulgo habentur*. 106. *Quænam vero ad artis regulas exhibenda*. 150.
Convulſiones *ſive* Vapores, *promiſcue, vocari poſſunt Hyſtericæ Adfectionis Effectus* 27.
——— *partium particularium, forte Adfectum Hyſteticum conſtituunt*. ibid.
—— Infantum, *vid.* Epileptici adfectus, *vel* Epilepſia.
Convulſivi motus *non ſemper Evacuationes inhibent*. 113.
Cordis Scrobiculus *in Variolis dolet* 15.
Cornu Cervi Spiritus, *in Infantium dentientium Febribus, arcanum*. 115
Corpus humanum *cur ſibi non ſemper conſtet, ſed ægritudinibus obnoxium*. VIII.
——— *variis malis, quod variis impreſſionibus forinſecus adventantibus excipiendis aptum, obnoxium eſt*. 1.

Correctiva *dicta Purgantibus admista*, Catharsin *reddunt laboriosiorem*. 79.
Corroborantia, *vide* Roborantia.
Cortex Peruvianus *vulgo* Pulvis Patrum *apud Londinenses jam, tempore Sydenhami, ab Annis circiter viginti quinque, ad Quartanas curandas*, notus *fuerat*. 40. *Quasnam laudes mereatur* ibid.
Cortex Peruv. *solus, specificum Medicamentum notum hactenus*. XIII.
— *Dogmaticorum insitiam, in dignoscendis Morborum essentiis ac Remediis, detexit*. 106.
— *Senatorem, Capitaneum, & Pharmacopolam, Londini necat*. 40.
— *innocens, & mali nihil inferens, Medicamentum, Princeps Remediorum haberi seve potest*. ibid.
— Rheumatismi Scorbutici *speciem, facile superabilem, si umquam quid mali, infert; sed raro*. ibid.
— *damnatus fuit, paulo postquam inclaruerat*, 1. *Propter* Periculum *quod inferebat; cum aliquando, licet raro, necaret, quando ante adventum Paroxysmi exhibebatur*. 2. *Ob* Recidivam; *nam intra* 14. *dies recidivas Paroxysmus*, in morbo recenti, nec tempore mitigato. *ibid. Hæc* duo incommoda *removere tentat Auctor*. ibidem.
— infamiam *obtinuit*, vel *propter mala Intermittentes diuturniores subsequentia, ne quidem gustato Cortice*; vel *ob facilitatem, qua sine evacuatione sanat: unde existimant materiam Febrilem inclusam*. ibid. *Quæ ultima difficultas solvitur*. ibid.
— Periculum, *non ex sua natura infert, sed quia immediate ante Paroxysmum deglutitus Naturam impedit, quo minus materiam Febris aggestam sua Methodo expellat: hinc potius* exhibendus ilico post Paroxysmum, diebus intermissionis, usque dum novus invadat. ibid.
Cortex Peruv. *qua Methodo exhibendus*. 9. 40. 41. 42.
— *si Methodo, jam ante ab Auctore descripta, administratus fuisset, viverent forte non pauci, quos jam terra tegit*. 42.
— *vires confortandi & invigorandi eximias habet, si* gr. xx. *mane & sero, sumantur, ad septimanas aliquot*, 123.
— *adstringente virtute an Febres fugat, non tam facile demonstratur*. 40.
— purgando, *Febrem aliquando tollit*. 40. 41. *In quo casu, quare, & quomodo*, Laudanum *cum* Cortice *adsumendum*. ibid.
— *ad* Aphthas, *& Singultus, in Febre nova Epidemica quando*. 113. 116. *Ad* Apoplexiam *Febri Interm. supervenientem*. 41.
— *Diæsam qualem exigat*. ibidem.
— *ad* Febrim fugendam *ubi exhibetur, nil nisi Methodus observanda venit, Diæta & Regimine quocunque, susque deque habito*. 106. *Lecti calor non prodest hic*. ibid. *Ejus calore enervatur*. 87.
— *exhibendus neque* Catharsin, *multo minus* Venæ sectionem, *præmittendam expetis: & quare*. 9
— *in* Febrib Intermit. *neque* Cathartica, *neque* Enemata, *aut* Evacuantia *quæcunque, curato jam Morbo, sine metu Recidivæ admittis*. XIII.
— *si aliter, quam quæ* vehiculo *inserviunt admiscetur, aut ignorantia fit, aut dolo malo*. 41.
— *vomitu si rejiciatur, quid agendum*. ibid.
— *intervallo a Paroxysmis longiore potius, quam paulo ante exhibendus*. 10. *Paroxysmum instantem subito confodens, quid mali inferat*. ibid. *Paroxysmum intervallis quomodo repetendus*. ibid. 4. *Diebus Paroxysmos disterminantibus exhibitus, novæ mineræ adcumulationem impedit, reliquiis istius materiæ per Sudorem ultimi Paroxysmi eliminatis, sicque prævertitur Paroxysmus novus*. 41 confer. 40. *Exhiberi debet in interjectis Paroxysmorum spatiis; tum postea repeti, ægro jam convalescente*. 41 42.
Cortex Per. Recidivam *habet, quod sanguis non satis saturetur vi febrifuga: Quare devicto morbo, justis intervallis ejus usus repetendus*. 40. 41. Recidivæ *prævenjendæ caussa*, octavo die, *post ultimam dosin iterandus; quod sic dein, tertio quartove, faciendum*. 41.
— *non pertinaciter nimis exhibendus, ubi Recidiva frequentior; sed ejus loco Decoctum amarum*. ibid.
— in Febribus Intermittentibus *est absolute* specificum. 106.
— — — *omnibus aliis palmam præripit*. 141.
— — — *quasi miracula præstat; licet quibusdam non placeat, quod tam certo ac subito curet*. 93.
— — — *An* 1678 certissimam spem *fecit*. 140. *Et isti tamquam Herculeo Medicamento, si justo exhibetur*, fidendum. ibid.
— *a* — — *mole multatos ægros, eorum magno emolumento, parum refoc llat; dum hos ab ipsis per duas, tres, septimanas liberavit*. 9. *Dyscrasiæ, quam Paroxysmi induxerunt, sine ope Catharticorum, subvenit*. 41.
Cortex Peruv *ubi* Febres Interm. *in* Continuarum *speciem vergunt, nihilo minus est exhibendus, ut apyrexia redeat*. ibid *Sed etiam multo majori dosi tum indigemus*. ibid. *Verum in sua actione* lecti *calore & calefacientibus, interturbatur*. ibid confer 87. 106
— *an in* omni Intermittentium *Constitutione, æque conducat, ignorat hoc nondum expertus Auctor*. 43.
— *in* Febribus Intermitt. Autumn. *quomodo exhibendus*. 10. *Præmature tamen nimis ingestus, quid noxii inferat*. 9. *Hinc ne nimis præmature ingeratur, nec prius quam Morbus parum protritus; nisi ægri nimia debilitas exigat*. ibid.
— *in* Febre nova Epid., *si Methodo tradita non omnino cedat, adhibendus*. 115. *Idem in Febre hac, quare a Medicis nonnullis aabibitus*. 114. *Sed successus voti raro respondet*. ibid.
— *in* Febribus Tertianis Vernalibus *ac* Autumnalibus, *æque ac in* Quartanis, *exhiberi potest*. 10.
— *solus fere Febrem Quartanam licet fugare videatur*, Inducias *tamen potius impetrat morbo, quam quod eum debellet*. 9.
— *qua Methodo in* Febre Quartana *exhibendus*. 10. 25 *In hac expugnanda ad* ℥j. *in doses dispertitam, exhibendus venit*. 41. *In* Febre Quotidiana & Tertiana *possunt* ℥vj. *sufficere*. ibid. *Si ad* Continuarum *speciem vergunt* ℥iß. *vel* ℥ij. *requiruntur*. ibid.
— *in* Febribus Quotidianis & Tertianis, *non uti in Quartanis, primum Paroxysmum, sed secundum tantum, vulgo quare antevertat*. 40. 41.
Cortex Peruv. *in* Febrib. Intermitt. *non tantum, sed tum in* Uteri, *tum* Ventriculi, Adfectibus *summa præstat*. 40.
— *in* Hysteriça & Hypochondr. Adf. *præsertim, ubi Spasmi distorquent, bona præstat*. 93. *Sed non tam certo succurrit ac in Febrib. Intermitt*. 12.
— Infantibus *quomodo exhibendus* 40. 115. 143.
— *in* Morbis inflammatoriis *omnibus nocet*. 43
— *in* Podagra *tamquam Digestivum, mane & sero, ad aliquot grana adsumtum, prima obtinet* 102.
— *Rheumatismum Scorbuticum, ubi diu iteratis vicibus adsumtus, sæpe infert*. 37. *Estque hoc unicum incommodum ex hoc Remedio illatum, quod notum*. ibidem.
— Sambuci *interior in* Hydrope Ascite *agit uti* Crocus Metallorum, *non vi specifica*. 101
Coxe (*Daniel*) M. D. *a Dysenteria Const. 1669. ad 1672 primo An. Methodo Auctoris curatur*. 23.
— (*Thomas*) M. D *hortatur Auctorem ut Medicinæ se tradat*. 111.
Cranium *grandius qui habet, Podagræ obnoxius*. 99.
Crapula *Febres producit*. 34.
Crocus Metallorum *in Hydrope, & Sambuci Cortex, eadem ratione agunt, non vi specifica*. 109.
— *Quomodo adsumendus, & quoties repetendus*. 105. 108. *In* Variolis Regular. *quandonam & quo modo adsumendus*. 19.
Crurum Tumor, *vid.* Tumor Crurum.
Crustæ *in* Variolis *corpus obtegentes, habitus putridos, & olentes, non sine vitæ periculo reprimunt*. 26 *Quibus mediis tum occurrendum* ibid.
Crustulæ *in* Lue Venerea, *flavescentes, quo signo internoscantur: & latiores, uti* Lepra *describitur, variis in partibus reperiuntur*. 78. *Quo majori copia adsunt, eo Dolores in corpore minores*. ibid.
Cubiti *in Podagra irregulari quomodo adficiantur*. 100.
Curatio Adfectuum *plurimorum, non caussarum, sed veræ atque expertæ Methodi, cognitione absolvitur*. 12.
Curationes Morborum, *vid.* Morborum Curationes.
Curationis *in Morbis Acutis recte instituæ character*. 24
Currus *in Calculosis Mictum Sanguineum non excitat, si per vias lapidibus non stratos vehuntur* 131.
Curru *itinera conficere loco Equitationis, in Morbis curandis, utcumque substitui potest*, 93.
— vectio, *ad* Colicæ biliosæ dolores, *vid.* Equitatio in Colica biliosa.
— *in* Podagræ *inveteratæ Paroxysmo quid boni præstet*. 106. *Quandonam viro vetatur, & lectulus præferendus*. ibid.
Curvatura Penis *in Gonorrhœa virul. a fræno constricto*. 78.
Cuticula *Humerorum & dorsi non nunquam deperditur, si Variolæ Confluentes sævissimæ*. 15.
— *in Sanguine Pleuriticorum tenax, subalbida, post primam Sectionem V. S. unde fiat*. 35. *Si* exagitetur *digito sanguis ille recens*, non nascitur *illa*. ibidem.
Cutis Adfectus, *vide* Cutis Eruptiones.
— Eruptio quædam minus frequens *describitur, ejusque Curatio proponitur. Hæc species a refrigerantibus abhorret*. ibid.
— quænam *Aquas ferreas pro remedio exigat*. ibid.
— Eruptiones, *Chronici modo sint Adfectus, Methodo qua Febris Erysipelatosa*, V. S *scilicet & Catharsi iteratis, curantur quam plurimæ*.
— — *Ubi his non cedunt quid agendum* 37 144
— *Methodo alia, quam Febris Erysipelatosa tractandæ*. 37.
— inæqualitas, *Variolis discretis deciduis*, nec foveæ, *in facie, primis diebus adparent, propter Squammulas Pustulis succedentes*. 15.

B.

DEbilibus *Adolescentulorum adcubitus mire interdum prodest*. 5
Decocta Lignorum *post* Salivationem *Mercurial. non exhibenda, quia* Recidivæ *caussa esse possunt*. 80. *In* Gonorrhœa virulenta *plus mali, quam boni, inducunt*. 79.
Decoctum *in* Ictero *ex Colica biliosa*. 28. *In* Febrib. Tertianis Autumn. *vulgare Antifebrile in Anglia, unde conficitur*. 9.
— album, *quomodo paretur* 150.
— *In* Dysenteria *quomodo paretur*, 22. *In* Variolis Anom. *æstum temperans*. 26.
Decoctum amarum Antifebrile *in Tertian. An* 1678. 41.
— Purgativum 142. *In* Febribus Intermitt. *ubi Recidiva frequentior*. 41.
— Aperiens & Antiscorbuticum. 141.
— Diæteticum. ibid.
— *ad* Hydropem *ex Sambuci cortice*. 109. *In* Pleuritide essentiali *Pectorale*, 35. *Pro Potu Diætetico in* Podagra. 104 *Usus ejus init um fiat soluto quodam Paroxysmo, tumque in eo perseverandum in Paroxysmis, & extra ipsos per totam vitam*. ibid.
— Pulli *in Cholera*. 21. 147.
— Vulnerarium, *cum Spiritu Vitrioli, in* Mictu cruento *ex Febre acuta*. 88.
Democriti, *de Morbis ab Utero productis, sententia quomodo intelligenda*. 99. *In Democriti puteo Podagræ radicalis Curatio adhuc latet*. 152.
Dentibus *Hysterica Adfect. non parcit*. 90.
Dentitioni *Infantum superveniens Convulsio sola Venæ sectione curatur*. 25. Specifica *vulgaria hic minus tuta sunt*. ibid.
Depuratio *sanguis genuina fit secretione, & per fæces, & per flores*. 7.
Desperatio *in Hysterica Adf. de recuperanda sanitate plerumque adest*. 89 90. confer. 89.
Despumatio Febrilis, *seu tertium* Intermittentium *Paroxysmi tempus, quid sit*. 7.
— Febribus Continuæ *quibusnam caussis, & mediis, impediatur*. 5. 6.
Desquamatio *in Morbillis An.* 1670. *usi in* Febre Scarlatina, *farinosum quid in cute relinquit: quod in Morbillis An.* 1674 *non contingebat*. 30.
Diabetes *quid, unde nascatur, quales edat* Effectus. 41. 149. Indicationes curativæ & Medela. 41. 149.
— *in* Febribus Intermitt. *Senibus quando, & unde superveniens*. 41. *Quomodo curanda*. ibid.
Diacodium *Laudano præferendum*. 114.
Diæta, *qua Auctor Mictu Sanguineo a Calculo, & Podagra, laborans usus est describitur*. 131.
— *in* Angina, *carnes, & earum jusculæ, vetat; Vegetabilia & farinosa prescribit*. 38. *In* Apoplexia, *Paroxysmo sublato, qualis*. 146. *In* Chronicis Morbis *quare observanda*. 103. *In* Colica Biliosa. 27. *Diu continuanda*. ibid. *In* Cortice Peruviano *utentibus*. 41. *In* Diarrhœa, *eadem in Dysenteria*. 23. *In* Dysenteria. ibid. *In Dysenteria ex Torminibus ventris, in Febre nova Epid. oborta*, 114. *In* Febre Dysenteria. 24. *In* Febre Epid. *An.* 1673. *ad* 1675. *quænam*. 29. Febrim *in Tussi Epid. An* 1675. *præcavens*. 32. *In* Febre Erysipelatosa. 37. *Cardiaca & corroborans in* Febrib. Intermitt. Autumn. *quando, & cur, necessaria*. 10. *In* Febre hyemali. 110. *In* Febre Variolosa. 20. *In* Febribus Continuis. 5. *In reconvalescentibus a Febribus Continuis*, ibid. *In* Gonorrhœa virul. *qualis*. 79. *Quare refrigerans*. 78. *In* Hæmorrhagia narium *qualis*. 38 *In* Ileo *vero, qualis*. 7. *In* Lue Venerea *ubi salivatio adhibetur*. 80 *In* Mensium fluxu *immodico*. 95. *In* Mictu Sanguineo, *a Calculo, qualis ab Auctore instituta*. 125. *In* Morbillis. 25 *In* Morbillis Anom. *An.* 1674. *quænam*. 30 *In* Podagræ *Intervallis respectu Cibi* quantitatis, qualitatis, temporis. 103. *Cur hic Palato aliquando consulendum*. ibid. *In Podagra religiose observanda*. ibid. *ad* 105 *Usus religiose vero observata enormioribus insultibus quidem liberat, & majora intervalla procurat; sed ab eo insultu, exeunte hieme præsertim invadente, tueri omnino non potest*. 104. 105. *In Podagræ Paroxysmis*. 105
Diæta Lactea *in* Podagra. 103. *Qua ratione magis obest, quam prodest*. ibid. *Emolumentum per breve, ac fugax modo, infert*. ibid *E* Sero Lactis *Phlebotomiæ loco, in* Rheumatismo, *substituitur*. 43 *Exempl. in Casu*. ibid. *In Morbis pluribus quam Rheumatismo V. S. loco substitui posset, ni obstarent præjudicia vulgi*. ibid. *In iis vero qui virilem ætatem prætergressi, & qui vino ac spirituosis potatis, nocet multum ac Hydropem infert*. ibid.
— *in* Salivatione Mercuriali *pro Lue Venerea*. 80.
— *in* Tussi *Epid.* 1675. *absente Febre, &c* 32
— *in* Variolis Anomalis *nigris An.* 1670 *temperans*. 26 *In* Variolis Anom. nigris *An.* 1674. *qualis*. 30. *In* Variol. Anom nigris *pessimis*. ibid. *In* Variolis Confluentibus. 87 *In* Variolis *Regularibus*, primis initiis, *ex temperatis seu refrigerantibus, & facilioris digestionis, commendanda*. 17. *In* Variol. Regul. Discretis, *post Eruptionem, adhibenda*. 18. *&* confer. 17. *Sed sub finem* Cardiaca *paulo, ob halitus putridos, sit*. 18
Diaphoresis, *vid.* Sudor.
Diarrhœa 146. *In Febribus aliquando oritur a vadiit inflammatoriis in Intestina inversis*. 19. 20.
— *in Febribus Continuis, ex neglectu Emetici, ubi in principio Morbi vomendi propensio adest, excitari solet*. 4 6.
— *in* Febribus *inflammatoriis*, Emetico *non tantum non impeditur, sed quandoque creatur*. 6. *Sic in Febre Const. An.* 1665. *Emetico non præcavebatur, ut in aliis sæpe, sed provocabatur*. 11.
— *in* Febribus, *ubi proclivitas ad vomendum comitatur*, Emetico, *vix adstringentibus, tollitur*. 4. *Sed, si Emetico non cedit*, Enema adstringens *adplicandum* ibid.
— *in* Febrium continuarum *declinatione, an tamquam critica permittenda, vel sistenda*. ibid.
— *in* Febribus continuis *non tam sæpius, at quidem vulgo existimatur*, critice *morbum solvit*. ibid.
— *si nimis, in* Febribus continuis, *toleratur, mediam modo sanguinis depurationem procurat. &c.* ibid.
— *in* Febr. contin. 1661. *&c. quandonam, & quidnam, producere valebat*. 3. Vomitorio *quomodo avertenda*. 4. *Quomodo alvus noceat*. ibid. *Symptomata, quomodo curanda* 6
— Constit. *An* 1668. *Febre Variolosa adhuc regnante*, Epidemice *grassabatur, & Dysenteriam subsequentem prægrediebatur*. 20. *Qua tum regnabat post* Febrem Variolosam, *ipsa erat Febris Variolosa, ejusdem essentiæ, sed forma diversa, seu in Intestina introversa, nullo signo febrili exterius se prodente*. ibid. *Qualia* cum Febre Variolosa Symptomata *communia, præcipue dolorem, ad scrobiculum cordis, & alia, habuerit*. ibid. *Dolorem hunc ad Epigastrium usque exporrigebat*. ibid. *In Epigastrio inflammationem habuit aliquando, quæ in Apostemate, & morte, terminabatur*. ibid. Curatio *ejus*. ibid. *Hæc perficiebatur eodem modo ac illa Febris Variolosæ; Venæ sectione scilicet, Regimine refrigerante, Diæta simili*. ibid. *Si contrariis tractaretur, &* purgantia lenitiva *aut* adstringentia *adhiberentur, ex leni natura in exitialem transibant*. ibid.
Diarrhœa *An* 1670 *ad* 1672. *Dysenteria regnante, quomodo curabatur, in Adultis, tum in Infantibus*. 23.
— *in* Febr. Epid. *An.* 1675. Symptomatica *quomodo curabatur*. 29. *&* 30. Autumno *potius Symptoma, quam Morbus essentialis erat*. 28. 30.
— *in*

— *in* Febre varioloſa, *unde & quomodo curetur*. 20.
— *ex* Hyſterica Adf. *cum rejectione materiæ viridis, ſed ſine dolore, quandonam*. 89.
— *in* Morbillis, *a Calefacientibus, diu fatigans*. 25. *Poſt Morbi receſſum ſupervenions*, V S. *curanda*. ibid.
— Peripneumoniam *excipiens, V. S. curanda*. ibid.
— & Vomitiones *in Peſte & Febre Peſtilentiali, ſudore excitato, illico ſiſtuntur*. 14. *Hiſtoria confirmatur*. ibid.
Diarrhœa *in* Pleuritide *ac aliis inflammatoriis Morbis, quare aliquando contingat*. 20. *Pleuritidem veram excipiens, V. S. curanda*. 25.
— *in* Podagra *inveterata, ex materia Morbi ad Artus non eliminata, quod Aquæ frigidæ uſu fieri poteſt; ſi Laudano, exercitio, cardiacis & adſtringentibus, non cedat, per Sudorem curanda*. 105.
— *in* Salivatione Mercuriali, *initio ſæpe, ſimul ac Mercurius Sanguini admiſcetur, antequam Salivatio bene adſurgat, exoritur; quæ Opiatis reprimenda, eum & Salivationem, & Curationem, inde pendentem, impediat*. 79.
— *in* Variol Anom. peſſim. *Salivationis vicem quando ſubeat*. 31. *In* Variolis Confluentibus *aliquando* Eruptionem *præcedit, & quare*. 18. *Atque aliquando poſt illam protrahitur*. 18. *Neque Paregoricis ſiſtenda, quia Natura rem abſolvit*. 18. *In* Adultis *Symptoma periculoſum eſt, ex frigore nimio ortum*. 16. *In* Infantibus *æque certo, ac* Salivatio *Adultis, matureſcentibus Puſtulis ſupervenit*. 18. *Aliquando tamen non ita certo adeſt*. 16. *Iis tamen ſaluearis eſt*, 10. *Et Infantes* tardius *invadit, quam Ptyaliſmus Adultos, ſed ſibi commiſſa ſingula Morbi ſtudia* decurrit. 16. *Materiæ morbificæ* eliminandæ *inſervit*. 18. *Adeoque Infantibus* inſervit, *uti Salivatio Adultis, Naturæ dono*. ibid. *Hinc* non ſiſtenda, *in iis, ſed Naturæ committenda; nam Mulierculorum conſilio male ſuppreſſa Infantium millia leto dedit*. ibid. *Quare hic Diſcrimen non adferat ac in Diſtinctis*. ibid.
Diarrhœa Confluen. & Salivatio, *hæc in Adultis, illa in Infantibus, Symptomata ſunt non prætermittenda*. 16. *Et adeo in hac* ſpecie *neceſſaria, ac ſunt* Puſtulæ, *vel & faciei, ac* manuum *intumeſcentia*. ibid. *An a Natura ideo ſubſtitutæ, quod per parvulos Abſceſſus materia exterminari, ac in Diſcretis per majores, nequeat, quare non definiat Auctor*. ibid.
——— Diſcretis *Symptoma* anomalum *ex repercuſſione Variolarum a* frigore *nimio, vel* Evacuationibus *indebitis, oriri ſolitum*. 19.
— *Variolas Epidem. Conſtit.* 1667. *ad* 1669. *ultima æſtate præſertim*, concomitans, *erat tantum* Febris Varioloſa *iſtius Conſtit. ineroverſa*. 15.
— colliquativa *in Tabe, altiſque Chronicis, moreem anteire ſolet*. 93.
Diaſcordium *ad* Diarrhœam, 23. *Ad Diarrhœam in* Salivatione Mercuriali. 80.
— *in Febribus Continuis quando exhibendum*. 4.
Dies eruptionis *in* Variolis, *vid.* Eruptionis Dies.
Die Primo, *in* Morbillis, *calor & frigus ſe expellunt*. 24.
Diebus prioribus *Natura* Variolas *digerit*. 16.
Die Secundo, *Febris manifeſta, in* Morbillis, *& alia Symptomata ingruunt*. 24
——— *vel* Tertio, Variolæ Anomal. Confl. *Conſtit. An.* 1670. *erumpebant*. 25.
Die Tertio, Variolæ Anomalæ Diſcretæ *erumpunt*. ibidem.
——— Variolæ Confluentes Regulares *erumpunt*. ibid.
——— *in* Var. Confl. *quid contingat*. 15.
——— Quarto, *vel* Quinto, Morbilli *erumpunt*. 24.
——— *erumpebant* Morbilli Anomali, An 1674. *ſemper*. 25.
——— *in* Variol. Confluent. *incluſive ab eruptione puta, omnes Puſtulæ in conſpectu ſunt, nec plures exſpectandæ*. 84. 86.
——— *erumpunt* Variolæ Diſtinctæ Regulares. 25. *Nam hicce Variolarum Eruptionis proprius eſt, ac naturalis, dies*. 17.
——— *in* Variol. Diſcret. *quid contingat*. 15.
— Sexto, Morbilli *exſiccari incipiunt*. 24.
——— *in* Variol. Confluent., *ab invaſione puta, Puſtulæ omnes in conſpectu ſunt, nec plures expectandæ*. 84. 86.
— Octavo, Morbilli *evaneſcunt in facie*. 24.
——— *in* Variol. Diſcretis, & Undecimo, *in* Confluent. *Symptomata Anomala quænam adſunt*. 16.
——— *in* Variol. Confl., & *poſt, quid contingat*. 15. *Tumor Faciei incipit* & undecimo *ſubſidet, incipiente tum tumore Manuum*. 87.
——— *in* Variol. Diſcret. *quid contingat*. 15. 16. Facies *ſi non tumet, & Puſtularum* interſtitia *palleane, malum*. 19. *In* Diſcretis malignis *Conſtit. An.* 1661. *ad* 1664 *periculum aderat, illo die*. 11.
Die Nono, Morbilli *undequaque diſparent*. 26.
— Decimo *tantummodo, Puerpera tenerior & vaporibus obnoxia, ſe e lecto contineat*. 94.
— Undecimo, *in* Variolis Anomal. Confluent. *mitioribus*, Febris ſecundaria, *dicta, a Pure, exoritur*. 84 85. 87. *Et periclitatur æger, præ copia Puſtularum*. 84. *Hinc* dies *ille vulgo periculo plenus, niſi Medicus ſe interpoſuerit*. 116 *Et hoc die* Mors *invadere ſolet*. 85. Caloris & Inquietudinis *Paroxyſmus ſemper vexat*. 87. *Hinc Parcgorica temporius, quam aliis diebus, h. e.* hora quinta *exhibenda, ob Paroxyſmum veſpertinum*. Ibid. *Et horum defectu plures exſtincti*. ibid. *Hoc die quoque* Tumor Manuum *incipit, ſubſidente eo tum Faciei, qui ad Puſtularum maturationem uſque perdurat*. ibid.
——— *in* Variol. Regul. Confl *quid contingat*. 16. *Periclitantur tum, eoque plerique moriuntur*. 26. *Sed licet diſcrimen inferat, eo ſemel elapſo ſalva res erit*. 30. *Et qui moriuntur, ex Saliva ſpiſſa ſuffocante intereunt*. 19. *Saliva aliquando adeo viſcoſa, ut ægrum, ſtupore inducto, ſuffocet*. ibid.
——— *in* Variol. Regular. Diſcret. *quid contingat*. 15
— Decimo quarto *in* Febr. Epid. *An.* 1673. *ad* 1675. *qui vulgaribus Symptomatibus adfecti erant, reſtituti erant*. 28.
——— *in* Variolis Confluent *mediocris generis*, Febris ſecundaria, *dicta, a* Pure, *exoritur*. 84. *In* Variolis Anomalis Confluent. *An.* 1670 *ad ſummum* Decimo ſeptimo *periculum adeſt, quibus ſuperatis, ſalva res*. 30. *Et die* decimo quarto *morientur tantum, in* Variol. Confluent. Anom. *Conſtit. An.* 1670 *ut plurimum*. 25
Die decimo quarto *vel* quinto, *in Var.* Regular. *Diſcret quid fiat* 15.
— Decimo ſeptimo, *in* Variolis Confluent. *peſſimi generis*; Febris ſecundaria *dicta, a Pure, exoritur*. 84 *Hoc die morientur aliquando, in Variol. Confluent. Anom. Conſtit. An.* 1670. *Hocce vero præterlapſo ſalvi erant*. 26.
— Viceſimo, *in* Lochiorum *ſuppreſſione, jam fere in vado res eſt*. 94
——— *in* Variolis Anomal. Confl *An.* 1674. *& aliquando poſterioribus adhuc, periculum adeſt*. 30. 16. Variol. Reg. Confluent. *quid contingat*. 16.
——— primo, *in* Febre Epid. *An.* 1673. *ad* 1675. *ubi Morbus pertinacior, reſtituti erant*. 28
——— Octavo *in* Febr Epid. *An.* 1673. *ad* 1675. *qui Comate adfecti erant, ſæpe reconvaleſcere incipiebant*. ibid.
— Triceſimo *in* Febre Epid. *An.* 1673. *ad* 1675. *qui Comate laborabant, reconvaleſcere aliquando tantum incipiebant*. 28. 29.
Diemerbroekius *Venæ ſectionem, in* Peſte, *damnat*. 13. *Refutatur cum aliis, qui Diaphoreſin culpant, ac ſi inde ægri debiliores fierent*. 14.
Differentia *inter* Febres Continuas *Autumnales*, & Intermittentes *Autumnales, quomodo conſideranda*, 3.
— Specifica, *ne quidem ulla, a Philoſophis enodari poteſt*. 40.
Differentiæ *inter* Morbos Acutos, & Chronicos, *percepta cauſſa, ad invenienda veras Indicationes horum Morborum, magni momenti eſt*. 102.
Digeſtiva *in* Podagra *vocantur, quæ Naturæ opem ferunt in muneribus ſuis rite fungendis, ſive Pharmaca, ſive Diætetica, ſive Gymnaſtica, fuerint*. ibid.
— Media, *vid.* Medicamenta Digeſtiva.
— *in* Chronicis *Morbis debellandis, quare adeo valeant*. 103. *Quamdiu in eorum uſu perſeverandum*. ibidem.
— *in* Febribus Intermitt. *Conſt. An.* 1661. *ad* 1664. *ob materiæ craſſitiem Evacuationi erant præmittenda*. 20.
— *in* Podagra *quantum conducant. Et quando uſurpanda*. 103.
Digiti, *in Podagra non Regulari, quomodo adficiantur*. 100.
Digitorum Articuli in Rheumatiſmo, *vid.* Articuli Digitorum.
Diſcrimen, *vide* Periculum.
Diſtinctio Febrium Intermitt. *in* Vernales & Autumnales, *quam neceſſaria Medicinam excolenti ſit*. 8.
Divites *a Variolis quare interficiantur magis quam Plebs*. 18.
Diuretica *in Hydrope, loco Purgantium, ubi vel Conſtitutio debilis, vel Hyſterici Adfectus, hæc vetant*. 109. *Hic tum præ cæteris omnibus inſerviunt* Salia lixivioſa. ibid.
Dogmatici *quomodo tam in dignoſcendis Morborum eſſentiis, quam in Medicamentis, quibus eos adgrediuntur, hallucinentur, conſtitit invento Cortice Peruviano*. 106.
Dolor, *in Ileo, unde*. 7.
— Penis, *in* Gonorrh. *virul. dum erigitur*, noctu *præprimis vexat; eſtque ſignum Pathognomicum*. 78.
Dolor *in* Pleuritide *punctorius, quo tempore incipiat, & quem Thoracis locum occupet*. 34.
— *in* Podagra, *Pharmacum Naturæ eſt amariſſimum; quo enim ille* vehementior *fuerit, eo citius tranſit Paroxyſmus*. 100.
— *in* Podagræ *irregularie* Paroxyſmo, *toto tempore non perdurat, ſi modo pars adfecta quieſcat*. ibid. *Minima motus contrarietate acceſſitur, ſed ſubito iterum evaneſcit*. ibid. Podagræ Regularis *ingruentis ſimilis eſt illi, qui Oſſium diſlocationem comitatur*. 99 *Quando, & quomodo, incipiat, procedat, deſinat, & recrudeſcat*. 99. 100 *Veſperi ſemper augetur & ſub Galli cantu levatur*, 100 Sudoriferorum *ope, in Paroxyſmo exhibitorum exacerbatur*. 105. *In* Podagræ inveteratæ *Paroxyſmo, potius leniendus quietе in lecto, quam Anodyni uſu, niſi nimium ſæviat*. 106. Vectatione, *in Podagræ inveteratæ Paroxyſmo, excitatus, quandonam ferendus, ad Mortis periculum effugiendum*. 105.
— *in* Scrobiculo Cordis, *in* Febre Varioloſa. 98. Variolis Regularibus *jam inſtantibus tantum notus*. 19. 20.
——— *& Variolis, & Febri Varioloſæ, tum & Diarrhœæ An.* 1668 *communis fuit*. 21. *Sed in Diarrhœa hac ad uſque Epigaſtrium extendebatur ille*. ibid.
Dolores *in* Hyſterica Adf. *ex ſpirituum nimio impetu*. 90. *Medicis facile imponunt; cum ſæpe aliorum Morborum ſpeciem præ ſe ferant*. 94 *Exempl. in Paroxyſmo Nephritico, & Colica Biliioſa*. ibid.
Dolores in Hyſterica Adf. Teneritudinem in partibus, *tactum refugientem, ac ſi fuſtibus fuiſſent exceptæ relinquunt*. 119. *Laudano compeſcendæ, ſi omnino* intolerabiles; *quin aliqs Evacuantia prius adhibeantur*. 93.
— Luis Venereæ *præſentiam initio indicantes*. 78.
— *in* Lue Venerea, *progreſſu temporis, quinam adſunt*. ibid.
— Rheumatici, *vid.* Rheumatici Dolores.
Drake (*Joannes*) *Auctorem, dum manu tremula calamum regere nequit, in conſcribendo Tractat. de* Podagra & Hydrope, *adjuvat*. 99.
Dux Hetruriæ *quo modo a Peſte immunem ſe ſervaverit*. 12
Dyſenteria *proprie habetur*, ubi frequentes ſunt Dejectiones, cum Ventris tormínibus & colluvie mucoſa, *ſive ſanguis admiſceatur, ſive non*. 22. *Ejus* Deſcriptio. ibid. 146.
— *Autumnalis eſt Morbus*. 2. 21. 25. *Sed* Hyems *ipſi obeſt*. 21. 25. *Autumni initio fere ſemper* invadit; *Hyeme, pro tempore*, recedens. 22. *Sic menſe Auguſto prognata uſque ad hyemem excurrit, vel, duorum menſium ſpatio, curſum ſuum abſolvit*. 2.
— *Verno ingrediente, & alio quoque tempore, ſi* aura *calidior gelu ſuperveniat, vel* annus *epidemice faveat, non nullos adficere poteſt*. 22.
— *non rite curata in initio, ad Annos aliquando, licet raro, diſcruciat, craſi ſanguinis infecta; qui curanda*. 23.
— *dolores ſummos non tantum, ſed ingens quoque vitæ diſcrimen* adfert, *ſi non perite tractetur*. 22.
— *quo ſenſu ſit aliquando* Febris *introverſa & verſus Inteſtina determinata*. 22. confer. 111.
Dyſenteria *Adultis exitialis non raro*. 110. *Infantibus benignior; & diu illi hanc ferunt, ſi modo res Naturæ committitur*. ibid. *In Infantibus, quomodo curanda*. 23.
— *Species varias, uti Variolæ & Epidemici alii, diverſis* Conſtitut. *habere poteſt*. 22.
— Endemia Hybernorum *an cum aliis conveniat, quare ignoret Auctor*. ibid.
— Epidemica, *Conſtit. An.* 1669 *ad* 1672 *an cum aliorum temporum Dyſenteriis conveniat, ignorat Auctor*. ibid. *Ubi per decem Ann. vix comparuerat iſte Morbus, poſt Febrem Varioloſam, & Variolas ipſas, harumque comitem Diarrhœam, graſſari incipit, menſe Auguſto*. 15 20. 21. *Hanc Novum Febris genus comitatur*. 21. *Adpetente* Bruma *recedit, graſſante tum* Febre Dyſenterica; *ſed* Autumno *An.* 1670. *inclementius redit*. ibid. *Hyeme iterum* recedit, *regnante tum iterum Febre Dyſenterica* ibid. *Et tertio* redit *An.* 1671. *ſed mitior, & iterum ſuperveniente Hyeme, cedit; regnantibus iterum Febre Dyſenterica cum Variolis*. ibid. *Tandem An.* 1672. *Auguſto redie, non pauca ſed mitior, & hyeme recedit*. ibid.
——— Febris *ſui generis, in Inteſtina introverſa, Auctori videtur*. 2. *Calidos & acres ibi deponens humores, & impetu vaſa ſanguinea aperiens, dum ſimul Inteſtina, ſuo niſu hos expellere ſatagentia, mucum naturalem exprimunt*. 22. confer. 2.
Dyſenteria Epid. Symptomata *quænam habuerit*. 22 *Primo ingreſſu* Symptomata *uti alii Epidemici, atrociora habuit, quam in ſtatu; licet tum plures adgredereur, mitiora eamen erant, uti & in declinatione*. ibid. Tormina *recedebant pro gradu adoleſcentiæ Conſtitutionis*. ibid.
——— *primo Anno, ut alii Epidemici, Naturæ ſubtilioris fuit*. ibid. 23. Humoralis *quoque magis*, ſub finem *Conſtitutionis erat: in* initio *enim nullæ dejectiones moleſtabant; ſtercoroſæ ita non erant, tormina atrociora; ubi fatiſcente* Conſtitutione *omnia contrario habebant*. 22 *Humoralis, in ſua declinatione, magis quod fuerit, quid circa* Epidemicorum *naturam denotet*. ibid.
——— *iiſdem, quibus primo Anno ſanata, ſequente Anno non curatur*. 23. *Curatio, primo Anno, differt a Curatione generali; & qualis fuerit*. ibid: *In principio* Sero lactis *frigide hauſto, & calide per Enema quater injecto, poſt V S. inſtitutam, dein ut* Cholera, *diluentibus, curabatur; ſed* Sero Lactis *loco Juſculi vel Zythogalæ*. ibid *Quæ Methodus repudianda, licet faſtuoſo Remediorum adparatu non ornata*. ibid. Per *V. S. iterum curatæ Exemplum*. ibid. Catharticis *primo Anno, quam* diluentibus & temperantibus, *quare non ita cedebat*. ibid.
— hæc & Febris eam concomitans, *a Doctore* Butler *in Africa ſanatur, eodem modo ac ab Auctore, in Britannia*. ibid.
— *Conſtit. An.* 1670 *ad* 1672 *Epidemice ſæviebat, una cum Variolis Anomalis, Autumno ſemper primas tenens*. 25 *Variolis in* pares *concurrebat* ultimo Autumno, *ceterum primas Autumno tenens*. ibid. *In* Variolis Anom. *An.* 1670. *ad* 1672. regimine calido *tractatis, ſæpe inſerviebat materiæ eliminationi, ſingulari eventu*. 26.
Dyſenteria *An* 1673. *Novembri menſe, poſt acre gelu, ſuccedente calore, hinc inde ſpargitur adhuc; nec poſtea amplius iſtius ſpeciei adparet*. 28.
— Autumnali *An.* 1675. *potius Symptoma quam Morbus eſſentialis erat*. 28 30.
— *in* Febr. Epid. *An.* 1675. Symptomatica, *quomodo curabatur*. 142. *In* Febre nova Epid 1685. *ex Torminibus Ventris oborta, Laudano ſolo curatur*. 114. *Quare hæc potius ita compeſcenda, quam vulgari* Methodo *tractanda*. ibid. *Sed, Dyſenteriæ ubi Epidemicæ graſſantur, primo Evacuationes in uſum revocandæ*, ibid.
— Symptomatica. 28.
Dyſenteriæ variæ 21.
— ſpecies, *in Variol. nigris peſſimis, neglectu* V. S. *obortæ*. 31.
— Curatio *in genere*. 20. 23. 146 147. *Indicationes curativæ ſunt*; Venam ſecare *ad revellendum impetum*; Humores contemperare, *eoſque per Catharſin ſubducere*. 22. *Sed* Laudano *ſolo aliquando cuto curatur*. 23. 114. 147. *Ubi Morbus contumacior, quid agendum*. 22. 23. Symptomatum *Curatio*. 23
Dyſentericorum Febres *Symptomata habuere ſimillima iis Febris Dyſentericæ*. 24.
In Dyſenteria *ætas ſi florida, quid mali contingat*. 22.
——— Aphthæ *mortem denunciantes, a Cathartico neglecto, & calefacientibus, adſtringentibus adhibitis ortæ*. 22 24
——— Calefacientia *quæ mala producant*. 22.
——— Dejectiones mucoſæ *cum vel ſine ſtriis Sanguineis, quales ſe habeant*. ibid. *Unde fiant*. ibid. Stercoroſæ *aliquando interponuntur, ſine dolore inſigni, in initio*. ibid. Mucoſæ, *progreſſu morbi, in eodem ægro*, dolorem *in Inteſtino recto excitant*, ibid.
——— Stercoroſæ, *progreſſu morbi, in eodem ægro, quare per Inteſtina tenuia*, dolorem *vehementem excitent*. ibid.
——— *Conſt. An.* 1669. *ad* 1692. *circa finem*, Dejectiones Stercoroſæ *magis erant, quam Mucoſæ*. ibid.

——— Diæta. ibid.
——— Frigus *manuum ac pedum Mortis periculum infert*. ibid.
——— Gangrena *Inteſtinorum aliquando*. ibid.
——— Potus frigidus *admittitur*. ibid. *Potus tepidus*. 23.
——— *ubi* Recidiva *quid agendum*. ibid
——— Sanguis ſincerus *progreſſu Morbi aliquando, cum Mortis periculo, exit* 22 *Unde illud*. ibid. Sudores Anomali *concomitantes, cur nullius fuerint emolumenti*. 33.
——— Teneſmus *quando, & unde, vid* Teneſmus.
Dyſpnœa *in Hydropicis, unde*. 107. *In* Morbillis *An* 1674. *recedentibus, major erat, & magis in Peripneumoniam vergens, quam in aliis*. 23. *In Morbillis, Infantibus, poſt Morbi receſſum, letalis accidens, V. S. curanda*. 25. Calefacientibus *hic inducta, V. S. quoque curanda*. ibid. *In* Pleuritide eſſentiali, *Tuſſi ſuppreſſa, V. S. neglectu, aliquando fere ſuffocat*.

E

EBullitio Febrilis, *ſeu* ſecundum *Intermittentium* Paroxyſmi tempus, *unde fiat*. 7.
Ebullitionis *atque* Fermentationis *vocabulis, cur non æquo, ac* Commotionis, *in exponendis Febribus utatur Auctor*. 3.
Ecleema, *vid*. Linctus.
Ecthymata, *vid*. Exanthemata.
Effluvia *Aerem contaminare poſſunt ad Epidemicos ſuſcitandos Morbos, eoſque aliquandiu propagandos*. 30.
Elaterium *quid ſit, ejus doſis, & quomodo exhibendum*. 107. *In* Hydrope *præſentiſſimum Medicamentum, in iis qui ægre purgantur*. ibid.
Electuarium *ad* Aphthas *&* Singultum, *e Chortice Peruviano, in Febre nova Epidemica*. 113 *In* Apoplexiæ *Paroxyſmo ſublato exhibendum*. 146. *In* Chorea Sancti Viti *roborans*. ibid. *In* Diabete. 41. *In* Diarrhœa *adſtringens*. 23. 147. *In* Febr. Interm. *ex Cortice* Peruviano. 10. 41. 42. *In* Febre nova Epidemica, *roborans*. 113. *In* Febre Tertiana duplici, *corroborans*. 9. *In* Febre Quartana *ex Core. Peruv*. 135 143. *In* Fluore muliebri. 41. 95. *In* Hydrope, *digeſtivum, ad roborandum quale*. 109. *In* Hyſterica Adfectione *Chalybeatum*. 92. *Aliud corroborans*. 142. *In* Ictero 28. *Ad* Lochia *ſuppreſſa ex Hyſterica Adf*. 94. *In* Mania communi, *poſt evacuationes factas Cerebrum corroborans*. 11 *In* Menſium Fluxu immodico *adſtringens*. 95. 41. *In* Mictu cruento *ex Febre Acuta*. 88.
Electuarium *in* Podagra, *quo Auctor tanquam Digeſtivo uti ſolet*. 102. *Quo nomine Theriacæ Andromachi præferendum*. ibid. *Ad ejus compoſitionem Simplicia, palato quæ minus ingrata, ſunt eligenda, cum ad omnem fere ætatem in ejus uſu perſeverandum ſit*. ibid. *Quando præcipue exhibendum; & quare*. 104. *In* Prurtu ferino. 37. *In* Rheumatiſmo Scorbutico ibid.
Emetica, *vid*. Vomitoria.
Emmenagoga *in Lochiorum ſuppreſſione, Hyſtericis miſta*. 94.
Empirici, *Morborum Hiſtoriæ & Methodi medendæ ignari, de cerio humano ludunt & majorem edunt ſtragem, quam Morbi eorum auxilio deſtituti*. 42.
——— *in* Podagra, *ex* Catharticis, *quæ adſtute celabant, exiſtimationem ſibi, cum damno ægrorum, quomodo comparavit*. 101.
——— *armis inſtruuntur, quibus Medicorum opera imitari queant, ubi ſcriptores potius in Remediis tradendis, quam in Genuinis Indicationibus expiſcandis occupantur*. 15.
Empiricus inſulſiſſimus *Medicamenta Medicamentis æque adjicere novit, & ſolet magis, quam Medicorum prudentiſſimus*. 33
Emplaſtra Epiſpaſtica *cervici, in Febribus caput petentibus, cum fructu adplicantur*. 29.
Emplaſtrum *pedale in* Chorea Sancti Viti. 113 146
——— *in* Hyſterica Adfect. *umbilicale*. 92. 142. *Hyſtericum Umbilico adplicandum ubi* Lochia ſuppreſſa. 94.
——— *ad Lumbos in* Menſium fluxu immodico, *poſt primam Purgationem adplicandum*. 95.
——— *e Mucilagin*. Præputii labiis *tumidis imponendum*. 79.
Empyema, *poſt* Pleuritidem *eſſentialem, quandonam*. 35.
Emulſio *in* Angina *qualis exhibenda*. 38. *In* Febre acuta *cum Mictu cruento*. 88. *In* Febre hiemali *qualis*. 110. *Refrigerans, in* Gonorrhœa virulenta. 79 *In* Hæmorrhagia Narium. 38. *In* languore Febrili, *cardiaca* 5. *In* Mictu cruento, *ex Febre acuta*. 88. *In* Mictu ſanguineo *in Variol. Conſt ex quibus*. 130. *In* Pleuritide eſſent. *leniens, & refrigerans*. 35 *In* Rheumatiſmo *qualis*. 36. *In* Sputo Sanguineo *in Variol. Conſt. ex quibus*. 130.
Enchymoma, *vide* Vibices.
Enema *in* Alvi dejectionibus *quibuſvis, anodynum*. 22. *In* Calculo *ex Podagra diuturniore*. 105 *In* Cholera Morbo, *ex juſculo tenui, & Syrupis leniori-bus*. 21. *In* Diarrhœa *quodnam*. 23 *In* Diarrhœa Febrium contin. *adſtringens*. 6. *In* Dyſenteria *præfractiore anodynum*. 147. *In* Dyſenteria Conſtit. 1669. *ex ſero Lactis puro, poſt V S., & largiter adſumtum per Os ſerum Lactis frigidum*, quater *injectum, initio Conſtitutionis, Tormina, & Dejectiones ſanguineas tollebat*. 23. *In* Febre acuta *cum* Mictu cruento *&* Petechiis. 88 *In* Febribus contin. *Sanguinem refrigerans*. 4 *In* Febre Cont. *An*. 1661. *&c. quandonam*. ibid. *In Febre Contin pro Pauperibus, ex Lacte Saccharato*. 6. *In* Febre Contin. *poſtridie Emetici exhibiti, quando, & quale adplicandum*. 4 *In* Febre Eryſipelatoſa *quando & quale*. 37. *In* Febre Varioloſa. 20. *In* Gonorrhœa *virulenta*. 79 *In* Hæmorrhagia Narium, *quotidie injiciendum, quale*. 38. *Ex Tabaci fumo commendatiſſimum in* Ileo. 114 147. *In* Lochiorum ſuppreſſione *ex Lacte ſaccharato, ſemel tantum eſt adplicondum, uti de Narcotico dictum* 94. *In* Mictu cruento *ex Febre acuta*. 88. *In Paroxyſmo* Nephritico *a Calculo*. 132. *In* Nephritide *ex Podagra diuturniore*. 105. *In* Rheumatiſmo *quale, quando, & quamdiu exhibendum*. ibid.
Enemata *in* Angina, *qualia & quando injicienda*. 38.
——— *carminantia, in* Colica bilioſa, *crabrones irritant & Morbum diuturnio rem reddunt*. 26 *In* Colica Hyſterica *plus nocent, quam profunt*. 27. *In* Diarrhœa, *adſtringentia, parva quare ut ſint mole, oportet*. 6.
——— *&* Refrigerantia Medicamenta, *in cauſſa eſſe poſſunt, quo minus Deſpumatio Febrium, ſpatio* 107. *hor. h. e.* 14. *dierum perſolvatur, ſed in longum evagetur*. 9.
——— *in Febribus quibuslibet*, fractis Morbi viribus, *non diu* repetenda *ſunt, præſertim in* Hyſtericis *&* Hypochondriacis; *& quare*. 32.
——— *in* Febribus continuis *quando parce, vel & neutiquam, adhibenda*. 4 5 *Quando largiter adhibenda*. 4. *In* Febre Epid. *An*. 1673 *ad* 1675. *propter diateſin inflammatoriam & ſtuporem ſenſuum, ſæpe iteranda*. 20. *In* Febre Intermitt. *Cortice Peruviano curatis, ſive metu Recidivæ, etiam leniſſima, non admittuntur*. 41. *In* Febre Morbilloſa, *non conducebont*. 30. Febre Scarlatina *quare deneganda*. 34 Febr. Tertianas *vernales ſæpe tollunt*. 8 *In* Febre Tertiana duplici *interdicenda*. 10. *In* Febre Varioloſa *ubi Ptyalismus adeſt, vitanda*. 20. *In* Gonorrhœa virul. *ſi ægri a Catharticis abhorreant, vel iis pertinaciter refragantur, in auxilium vocanda: at cum non æque tuto, viciſſim hinc tum Catharſis, tum Enema, exhibenda, ne* Lues *exoriatur*. 22 conf. ibid. *Qua Methodo hoc fiat*. ibid.
Enemata *in* Ileo vero, *per os rejiciuntur; quod Morbi hujus ſignum individuum*. 7. *In* Iliaca Paſſione *licet acria, in* Emetica *abeunt*. 7. 26.
——— *inter Laudani uſum, ex Lacte ſaccharato modo ſi fuerint, iſtius effectum deſtruunt*. 03 confer. 94.
——— *in* Nephritide *ex Calculo, vel Arenulis, neceſſaria, ut laxentur & dilatentur meatus* ibid. *In* Nephritide *ex Hyſterica Adf. potius nocent*. ibid. *In* Soporoſis Adfectibus *valde utilia*. 20. *In* Pleuritide *eſſent, ex quibus conficienda*. 35 *In* Tuſſi Epidem. *ubi Febris &c. adſunt, quotidiana*. 32. *In* Variolis, *evacuantia, initio an conducant*. 17.
——— Refrigerantia *Sanguinis robur, & tonum relaxant*. 5 *Quandonam* loco Venæ ſectionis *in quibuſdam Febribus continuis, ſubſtituenda*. ibid.
Enemata *in Febribus continuis, quo uſque & in quibus, iteranda* ibid. *Vetantur poſt largam Venæ ſectionem, & in ætate provecta*. ibid. Senibus *minus quam aliis conducunt*. ibid.
Epidemica Conſtit., *vid* Conſtit. Epidem.
Epidemici Morbi, *vid*. Morbi Epidem.
Epilepſia *Adultorum an forte curari poſſet, in Chorea Sancti Viti, adaugendo doſin Venæ ſectionis & Purgantium*. 113. 146.
——— *Puerorum*. 149.
——— *ex* Hyſterica Adf. *caput obſidente, in Fœminis ſanguinis, & ſere viraginibus*, Uteri ſtrangulatus *dictus, deſcribitur*. 89.
——— *Infantium dentientium, nono vel decimo menſe, aut a ſeptimo ad decimum, ſupervenientes, ubi inflammatio Gingivarum*, V. S. *exigunt*. 25. *Hæc quæ, in hoc caſu, quibuslibet aliis ſpecificis ſola anteferenda*. ibid.
Epileptici Adfectus *Infantium dentientium Materiam viridem biliosam, ut in Hyſteriea Adf. exprimunt*. 90. 149.
——— *Infantium non amplius dentientium, Variolas, Morbillos, vel Febrem Scarlat. indicant*. 86. *Hi quomodo tractandi*. ibid. *Et* cavendum *ne pro Convulſionibus eſſentialibus habeantur*. ibid.
——— Febrium Interm. Paroxyſmos *aliquando, ſed raro, præcedunt*. ibid.
Epileptici Adfectus *in* Febre Scarlatina *Infantium, quomodo tractanti*. 34.
Epileptici Paroxyſmi, *in Variolis, Diſcretis præſertim, jam jam prolituris*, Infantes *vexantes, indicant plerumque hunc morbum mitem, & boni moris, futurum* 15. *Hi Variolas Diſcreeas præcedentes, ſæpe, Infantium damno, pro Eſſentialibus Adfectibus evacuantibus tractati, unde Puſtularum eruptio fuit impedita*. 86.
Epiſpaſticum *in* Angina, *cervici vel nuchæ quando adplicandum*. 38. *In* Febre Epidem. *An*. 1673 *ad* 1675 *ad* Comatoſum Adfectum *ſuperandum nuchæ imponendum*. 29. *Nuchæ in* Febre nova Epid. *Infantibus adplicandum* 114. *In* Febre Scarlatina *quandonam adplicandum*. 34. *In* Tuſſi Epid. *ubi Febris &c. admiſta*. 32. *In* Variolis, *ad Epilept. Adfectus Infantium*. 86.
——— *Pedibus in* Variolis Confluent. *ex Allio, in Adultis, adplicandum, a* die octavo, *omni die renovando, donec periculum abſit*. 87. Confer 88.
Epiſtolæ Brady *ad* Th. Sydenham. 39.
——— *G.* Cole *ad Th.* Sydenham. 83.
——— *H R.* Paman *ad Th.* Sydenham. 43.
Epithemata *in* Podagra, *adplicita, ſæpe nocent, profunt numquam*. 106.
Epocha, *Febrium Intermitt. Autumn. certa, eſt menſis* Julius. 21. *Febrium Intermitt Vernal. menſis* Februarius *eſt* ibid.
——— *in Variolis, primi inſultus* dies *eſt*. 15.
Equitatio *firmat Sanguinem, ac ſpiritus, quam maxime*. 93 *Effectus in nobis egregios illos præſtat, quatenus* impetum *omnem in Venirem, ubi vaſa excretoria plura, determinat; illaque mille ſuccuſſionibus ingeminatis exagitat; tumque calorem excitat; dein* humores *ſtagnantes adſtimulat, diſſipat per totum, & eliminat: tandem perpetuo* motu *Sanguinem exagitando permiſcet, renovat, ac vigere facit*, ibid.
Equitatio *in* Morbis Chronicis, *&* Phthiſi *præſertim, cur ita conducat*. 103. *In* Colica biliosa, *aut vitio in* Curru, *unicum remedium*, (*exhibito interim anodyno ad* Dolorem recidivum *Colicæ biliosæ exſtirpandum*,) *poſt debitas Evacuationes, ſi aliquamdiu continuentur*. 29. *In* Hypochondr. *&* Hyſtericis *ſummi momenti, & ſanitatem præ ceteris conciliat; Et hujus rei exemplum*. 93 *Idem in* Phthiſicis, Tabidiſque, *præſtat*. ibid.
——— *in* Phthiſicis *curandis magis efficax, quam* Cortex Peruvian. *in Intermitt., vel Mercurius in Lue Venerea, ſi obſervanda obſervensur*. ibid. *Viribus ægrorum adcommodari debet, ut primo ſit modica non violenta, ſic gradatim aſcendendo pro ratione virium increſcentium*. ibid. *In Phthiſicis non juvat, niſi longa initera emetistur æger*. ibid. *In Adultioribus ad Phthiſin ſanandam multo diutius, quam in Junioribus, continuanda*. ibid.
——— *&* Vectio in Curru *in* Chronicis quam pluribus *præſtantiſſimum remedium, modo quis in illo improbius perſeveret; Et hujus rei ratio*. 27.
——— *ſed conſtans & aſſidua, in Morbis* Chronicis, *ac* Podagra, *ſi grandior ætas, vel Calculus non intercedant, adeo præſtans eſt Medicamentum, ut ſi huic ſimile quis haberet, quod celare vellet, opes inde ampliſſimas facile adcumularet*. 104
Equus *ad cinum ſuam pertingit ſeptem annorum ſpatio*. 7.
Eruptio Puſtularum, *in* Variolis, *tardior celeriori præferenda*. 17. *Sæpe impeditur & ſupprimitur a violentia Morbi & a nimio impetu, Puſtulas ſe mutuo opprimentes nimis urgente*. 83. confer. 86. *Adeoque* non acceleranda (*ubi de Variolis quædam ſuſpicio*) calidis & cardiacis, *ut graviter ægrotent; nam* non necant *Variolæ* quia tardius erumpunt, *niſi calefacientibus* impeditus fuerit egreſſus; *hicce tum temperantibus alliciendus*. 17. *Verum ubi* calefacientibus *nimis acceleratur, peſſimum, & ex Diſcretis in* Confluentes *inde ſæpe mutantur Variolæ*. ibid.
——— *adjuvari* quarto die *aliquando, ſi pro voto non ſuccedat, poterit; ſed per* Cardiaca blanda, paregorica, *quæ æſtuanti Sanguini frœnum injiciunt;* ante *hunc diem vero non*. 17. 18.
——— Anomal. Diſcret. *non quarto, ut in Diſcretis Regular., ſed* tertio die, *ut in Confluent., contingit*. 25.
——— Confluentibus Regularibus *ut plurimum* tertio die, *ante illum aliquando, raro poſt, contingit*. 25.
——— Diſcretis Regular. *naturaliter, & ut plurimum*, die quarto *contingit*. 15. 17. *Raro* citius, *ſed aliquando* ſerius. 15. *Quænam* Symptomata *tam in Adultis, quam Infantibus, præmittat* ibid. *In laxiori temperamento, aliquando, ſine inſigni ægritudine prægreſſæ, ſenſim ad* expulſionis *periodum pervenie*. ibid.
Eruptio Puſtularum Regularibus *Evacuationibus oportune inſtitutis, aliquando promovetur*. 17.
Eruptiones Cutis, *vid*. Cutis Eruptiones.
Eruptionis Puſtularum tempus, *in* Variolis, *dicitur, ubi Natura* ſeparatam, *priori tempore*, materiam *parvorum* Abſceſſuum, *ſeu* Puſtularum, *ope, amandat, atque expellit*. ibid
——— *ab eo in* Morbillis *adeo diſcrepat, ut Morbus* erumpens *utetque, inde, facile diſcerni queat*. 15. 25.
Eryſipelas, *vid*. Febris Eryſipelatoſa.
Evacuantia *ubi roborantibus Curaeio innititur officiunt prorſus*. 103.
——— *in* Apoplexia *Febribus Intermitt. ſuperveniente mortem inferunt*. 41. *In* Cholera, *tuta non ſunt*. 32. *In* Dyſenteria Epidemica, *vid*. Purgantia. *In* Febre nova *Epidemica, licet convulſivi motus, aut ſubſultus adſint, ideo non deneganda*. 193. *In* Febrib. Intermitt. *Morbum prorahunt*. 40. *In Febr. Intermite Cortice Peruviano curatis, quæcumque vitandæ, metu Recidivæ*. 41.
——— iterata *in* Febribus, *licet neceſſaria, corpus debilitant; unde facto quaſi Spirituum Syſtemate, Symptomata leviora, quaſi Febrium reliquiæ, remanent; quæ tempore recedunt, vel Paregorico ſuperantur*. 115.
——— *in* Hydrope *quomodo agant. & quænam ſint*. 107. 109. *In* Hyſtericæ Adf. *curatione, quænam initio inſtituenda, & quare*. 78. *Inter Paregoricorum uſum non exhibenda, ne motu excitato, Symptomata revocentur*. 94. *In* Nephritis ſpecie, *Febres Intermitt. concomitante, ſummopere vitanda*. 76. *In* Podagræ *Curatione non modo infructuoſa, ſed & nocua*. 101. confer. ibid. 102. *Paroxyſmum Podagricum cur excitent*. ibid. *In* Variolis, *ut V S. Enemata, Emetica, &c*, in initio *vitanda, ſi fieri poteſt*. 17. *Quo ſenſu nocere poſſint*. ib. *In quibuſnam requirantur*. 86. *in quibuſnam vero denegentur* ib.
Evacuantia *in* Variolis *non minori cum periculo motum requiſitum* retardare *poſſunt, quam* calefacientia *eumdem nimis accelerare*. 17.
——— opportune *adplicata aliquando* Eruptionem *Puſtularum promovent*. ibid.
Evacuationes *juſto copioſiores, in Morbis, quidnam producere valeant*. 10.
——— Sanguinis indebitæ *Adfectum Hyſtericum* excitare *valent*. 27.
——— *ſponte a Natura fieri ſolitas, imitari velle ſæpe ſtolidum eſt*. 29.
Eventus *in* Variolis *a Curationis fundamento, primis diebus jacto, pendet*. 84.
Exanthemata *in* Morbillis *An*. 1670. faciem *primo, in* Morbillis *An*. 1674 humores *primo occupabant*. 30
——— nigra, *in Morbillis, Adultis contingentia, & interitus ſigna, quomodo tractanda*. 25.
——— Peſtilentialia *imminentis leti ſæpe indicia, a* Sudoriferorum, *in tenuiori humorum portione, Morbi nempe ſedi, impetu facto, fibris fractis & comminutis, exiſtantur, in iis ſcilicet qui difficulter ſudant*. 13 *Et in iis, qui facile ſudant, Bubonum materia intropulſa & furiente, itidem producuntur*. ib.
Exanthemata *in* Variolis, *vid*. Puſtulæ.
Excrementorum alvinorum *liquidiſſima conſiſtentia indicat Diarrhœam non criticam*. 7.
Exercitium corporis, *inter ea, quæ humorum indigeſtionem impediunt, hinc ſanguinem roborant, ac firmitudinem conciliant, facile palmam præcipit*. 104. *Et Calculum quoque prohibet*. ibid.
——— *juſto vehementius Spiritus diſſipat, hinc Concoctiones lædit*. ibid.
——— *in* Hydrope *loco Purgantium quando*. 109.
——— *validius in* Gonorrhœa virul. *ſeroti inflammationem excitare poteſt*. 78. *Vel recidivam, ſi reliquiæ quædam adfuerint, producere valet*. ibid.
——— *in* Morbis Chronicis, *vide* Exercitium corporis in Podagra.
——— *in* Podagra *& Chronicis pleriſque, ſive Equo, ſive Curru, conſtans & aſſiduum, adeo præſtans eſt Medicamentum, ut ſi huic ſimile quis haberet, quod celare vellet, opes inde ampliſſimas adcumulare poſſet*.

posset. 104. *Pro* Podagricis *primarium est Equitatio, ni grandior ætas, vel Calculus major, obsint; tum vero Vectione in curru utendum*. ibid. *In* Podagra *tam in Paroxysmis, quam eorum interstitiis, commendatur, licet ægro displiceat*. 105. *In aere rusticano, potius quam in urbano, instituatur*. 104 *Licet ægro durum videatur, propter senium; & socordiam huic Morbo naturalem, neutiquam omittendum, aut ex aliis adhibitis nihil frugis reportabitur*. 104. 105. *Sed justo vehementius non sit, tale vero quale senibus, qui primarium sunt subjectum, competit*. 104.

Exercitium *in* Podagræ Paroxysmo, Curru vectio, *ægro brevi multo minus doloriſum videbitur, quam quies domi in Cathedra ipsi molesta est, & præterea somnum placidum illi insubsequentem noctem conciliabit*: Calculum *quodamtenus præcavebit*: Impotentiæ artuum *ad motum occurret*: *In senibus materiæ inconcoctilis adsimilationem parum adjuvabit*. 105. *Quandonam vero vetatur, & lectulus ejus defectum supplere debeat*. ibid. *Ubi vero ægritudo, animi deliquia & similia adsint, ut Libitina evitetur, cubiculo æger non includatur, sed molestiam vectationis in aere liberiore substineat; & dolorem, amarissimum licet Naturæ remedium, ut vitæ prospiciatur, ferat*. ibid. *Non modo* Tophorum generationem impedit, *verum & Tophos veteres, atque induratos, solvit, modo cutim nondum destruxerint*. 104. *In Podagræ inveteratæ Paroxysmo, ad ventriculi languorem confer*. 105.

—— *in* Podagra & Chronicis Morbis, *quotidianum esse debet, cum totius corporis habitus sit immutandus: quin in Podagra* exercitatio *per vices intermissa, fortassis nocere poterit, Paroxysmum accersendo, ubi quis ab ea desuevit*. 104. confer. 103

Exercitia corporis *modica in Tussi Epid. An. 1675. conceduntur*. 32

Exercitio *calefacti sollicite vitare debent frigus*. 34

Exhorrescentiæ febrilis tempus, *est illud in quo pereunt, qui ex Febr. Interm. moriuntur*. 7

—— *in Febribus Interm. ratio*. ibidem.

Exomphalos *in Hydropicis unde*. 106. 107

Exostoses, *seu* Tubeta Ossium, *in Lue Venerea quales*. 78. *Quomodo curandæ*. 80

Expectoratio *in Pleuritide essentiali liberior facta, Symptomatibus finem imponit*. 34. *Tamen ad Curationem attingendam non proponitur, ab Auctore, sed V. S.; quia expertus est Methodum hanc non modo tædiosam, sed & periculo plenam esse, quia aliquando pars quædam materiæ non coctæ Expectorationem supprimere potest; tum quia expulsionem materiæ morbosæ, pro suo arbitrio, melius per aperturam Venæ, quam per Tracheam, dirigere potest*. 35

Experientia *Medicorum Magistra*. 78

Expulsionis tempus *in Variolis, idem ac* Eruptionis.

Externa, *vide* Topica.

Extractum Absinthi & Centaur. min. *in Febr. Tert. Vernal. An.* 1678. 42

F

Faciei flaccidita*s*, *in Variolis Regul. Discret. ex calefacientibus, & sudoribus nimiis, producta*, Paregoricis, V. S., & aura frigidiore, *tollitur*. 19

Faciei Tumor, *vid.* Tumor faciei.

Facies *in Variolis*, Cicatricibus *ne deturpetur, an aliquid agendum, præter Regimen temperatum*. ibid.

—— Confluentibus, *ultimis diebus ob pustulas crustosas, rigida*, Ol. Amygd. dulc. *inungitur, & quare*. ibid.

Facultates humanæ *non majoris, quam quæ percipiendæ vel* Theologiæ Naturali, *vel* Philosophiæ morali, *vel* Arti Medicæ, Mathematicæ & Mechanicæ, *inserviunt*. 40

Fama Medici, *vid.* Medici Fama.

Faucium, *in Variolis Discretis*, dolor *incipit cum Pustularum eruptione, & cum harum incremento augetur*. 15

Febres *duas partes, e tribus, in faciunda Medicina occupant*. 42. 89

—— *id solemne habent, quod cum rigore & horrore, quas totius corporis calor sequitur, adgrediantur*. 12. 22

—— *pro causa externa, quamplurimum*, Vestium præmaturam abjectionem, *vel* refrigerationem post incalescentiam ab Excercitio, *habent*. 160. *Atque tum pro Constitutione Anni, vel humorum dyscrasia, variæ exoriuntur*. 34. *Et ab his duabus caussis, plures quam Gladio, Peste, Fame, simul sumtis pereunt*. ibid.

—— novæ, *quot Annis sub eadem Constitutione, quare enatæ vulgo sæpe videantur, quæ tamen eædem sunt*. 24

—— Constitutioni generali *propriæ, æstate, ubi corpora excalefacta sunt, invadunt, sed Autumno, Principi Epidemico iterum cedunt*. 24

Febres & Morbi Epidemici *simul grassantes, miram habent affinitatem*. 33

—— novæ speciei *Auctori ubi sese, jugiter sibi invicem succedentes, obscurunt, quæ ad eas pertinent, & ab eis pendent, sedulo congerit*. 6

—— quædam *sunt, quæ singulæ suam sibi Methodum medendi a reliquis diversam postulant*. 42. *Quædam per* Diaphoresim, *aliæ per* Catharsin, *eliminandæ veniunt; quædam a Naturæ* peculiari Methodo, *sine* evacuatione *sensibili, ablegantur, & quomodo*. 29. *Per Diaphoresin quænam, per Catharsin quænam sint curandæ, Experientia docet, non Ratio*. ibid.

—— Diaphoresim *licet a Natura curentur sæpe quam optime; id sibi privilegii adrogare Ars nequit, sine discrimine, ob plures rationes*. 115

—— Sudoriferis *sæpe accenduntur, quæ vel sponte, vel V. S. abivissent*. ibid.

—— *quæ in παραχμῇ* Sudorem criticum *postulant, sunt* Febres Intermittentes, *quarum Paroxysmi particulares id postulant; tum* Febres *talis Constitutionis, quæ ad Intermitt. Epid. producendas unice facit: Et nisi in iis Methodus eo dirigatur, pejores fiunt*. 29. Febris Pestilentialis *vero caussa quia subtilis, jam primis diebus*, Sudoribus *difflari potest*. ibid.

Febres *tenui* Diæta, *modo* Intermittentes *non sint, absque alia* evacuatione *aliquando solvuntur*. ibid.

—— quam plurimæ *per* V. S. & Purgationem *multo melius, quam per ullam aliam Methodum curantur*. 115. *Præsertim quam per* Diaphoresin. ibid.

—— *ubi* curandæ, *non modo* duabus Indicationibus, *uti vulgo obtinet, satisfaciendum venit; ut nempe* Sudoriferis materies morbosa evacuetur, *tumque* Symptomaticis supervenientibus obviam eatur, *hoc equidem Empiricus novit; sed Historia Morbi esse debet, ut noscatur cujus speciei Febris sit; tum an Phænomena ex ipso Morbo, an ex curandi Methodo nascantur*. 42. *Errat, qui non continenter attendat ad* Constitutionem *Anni, alicui Morbo faventem, & reliquos in ejus similitudinem detorquentem*. 32. *Maximi momenti est scire*, quanam Evacuationis via *Materia febrilis sit excludenda*. 34. 115

Febrilis Materies *solo ipsius Febris calore, fere ad Concoctionem, ut sudore expellatur, duci potest, ut calefacientibus iis fervidis, forinsecus adlatis, non indigeamus*. 29. *Istius Concoctionem, jam ab initio promovendam vulgo clamant Medici, licet temperantia tum exhibeant; unde quid sibi velint, ignorat Sydenhani*. 5. *Ejus* Concoctio *quid sit*. ibid. *Quid ipsam promovere revera sit*. ibid.

Febris *Instrumentum, seu solemnis Machina Naturæ est, dedita opera fabricata, ut ejus adjumento partes impuræ & nocuæ, a puris & sanis, secernantur & per emunctoria corporis dein expellantur*. 1. 5. 12. 20. 85. 102. *Hujus ope si* Natura *critice* Materiam morbificam *solvere norit*, sanitas *insequitur*; *vel* Mors, *si ab eadem materia oppressa* Natura *fatiscat*. 1.

Febris *cum Apostemate quamnam habeat Analogiam*. 20

—— *Naturæ Methodus est, qua materia peccans ex Sanguine amolitur, uti Abscessu eadem ipsa partes firmas ab extraneis liberat*. 84

—— *in* Morbis Malignis *cur mitior adpareat, quam Morbi violentia, ex Virium prostratione deducenda, exigere videtur*. 32. 116. *Quomodo ex V. S. emicuerit hæc, Casus singularis*. 116. *In* Peripneumonia notha *vix reperitur ob interceptam Circulationem, arctato nimis Pulmone*. 35. *Sic in* Peste *Febris aliquando non adparet, dum perit æger*. 32

—— Primaria *Naturæ videtur illa, qua Intermitt. Autumn. Constit.* 1661. *ad* 1666. *cæteris prædominabantur; & soli hujusmodi* Febri *quæ* Depuratoria *vocanda, adaptari debent* Axiomata *Hippocratis & aliorum Veterum*, de præparanda materia Febrili, ad Crisin per sudores rite faciendam. 33

—— Morborum Intercurrentium *primarius Morbus est: & reliqui Adfectus, a quibus illi Morbi nomen mutuantur, ut Angina, Pleuritides, &c. Symptomata modo sunt, a materia Febrili, a modo criseos, a parte in quam ruit, pendentia*. ibid. *confer*. 35

—— *unius Anni, ab altera, ita differt, ut qua Methodo jam ab ea ægros liberaveris, alio Anno eadem ipsa forsan e medio tolles: hocque pendet a varia Constitution. Epidem. natura*. 1. *Nam Febris quædam propria ac peculiaris, cuilibet Constitutioni peculiari competit*. 15

Febris *in* Infantibus *non facile semper distinguitur, an a dentitione, an vero alterius speciei, sit*. 115

—— *Commotionem in corpore ponit, pendentem a Natura, quæ* vel *materiam inimicam excernere*, vel *sanguinem in novam diathesin immutare, tentat*. 3. *Ex quolibet horum vero fiat, Indicatio semper erit, Commotionem febrilem ita dirigere, ut vel non exorbitet, vel etiam non langueat*. 4

—— una eademque, *diversa sua periodo, diversimode tractanda sæpe est*. 42

Febris alba *idem ac* Chlorosis, *species Hystericæ Adf. ex Humoribus depravatis, est*. 91

—— *ex* Cholera *male tractata, Emetico tantum tollitur*. 4

Febres Continuæ *varias, pro varia anni* Constitutione Epidem., *Species ponunt*. 1. *Et uno anno aliam longe, & diversam a præcedenti, pro anni* Constitutione, *medelam postulant*. ibidem. *Febris Continuæ vero* species varia expiscatur, *licet singulæ Symptomatis communibus implicentur*; Primo *ex* aliorum Epidemicorum *Morborum, tum tempore grassantium*, Genere: *ut qui speciem Variolarum regnantium quamdam cognoscit, illi satis constabit de* specie Febris *cujusvis, per id temporis grassantis*. 33. Secundo *ex Symptomatibus Febri cuilibet, præter communia, singularibus*. ibid. *Febres quælibet Symptomata, præter communia, alia habent certa, tamquam Distinctionis notas, quas singulis* speciebus *impressit Natura*. ibid. *Et distinguuntur sic præcipue, tum* sudatione, *tum* siccitate, *hoc illove Morbi tempore; modo illæ sibi fuerint permissæ, nec incongrua Methodo tractatæ*, ibid. *Exempla vide* 33. *At* Febris nova *cujus speciei sit, surgente primo Constitutione, cum nulli adhuc Epidemici Morbi, quos Febris prævertere solet, adparuere, ut indagetur arduum est*. ibid.

Febres *sine Evacuationibus, sola Diæta, si in initio tractentur, quomodo sæpe curantur*. 29.

—— Epidemicæ *quæ vel* Putridæ, *vel* Malignæ, *vel* Petechiales &c. *dici solent, licet denominationem eam obtinuerint hactenus, ab insigni alteratione sanguini impressa, vel Symptomate quodam evidentiore; potius Nomina sua sortirentur a Constitutione*. 2. *Quare vero ita censeat Auctor*. ibid.

—— Verna tempestate, *præsertim quæ æstatem propius adtingit*, quare paucæ occurrant, *nisi Constitutio fuerit epidemica*. 8. *Circa Veris finem, & Æstatis initium minus producuntur, verum illa tempestate, vel in* Intermittentes *vel in* Pleuritides, *& id genus inflammationes, sua sponte dissiliunt*. 13. *In* Intermittentium *castra, maxime Autumno pendente, migrantur*. 116

—— *ex* Intermittentibus Autumnalibus, *defectu purgationis in fine morbi, sæpe enascuntur*. 5

Febres Contin. Autumnales & Intermit. Autumnales *quodnam discrimen habeant*. 9. Continuæ, *æque ac* Intermittentes, *conceptam effervescentiam* (*licet hæ uno tenore, illæ partitis vicibus, eadem defungantur*) *spatio* 107. *hor. h. e.* 14. *dierum absolvunt; si scilicet Naturæ negotium permittatur, neque medicamentis Refrigerantibus aut Clysteribus, hujus ordo interturbetur, aut corporis debilitas* ipsa impediat. ibid. *Sed non nullæ harum, quæ ex levi offensa, ex* 6. *R. N. N. oriuntur, transeuntis & incerti genii, nequc ad destinatam periodum pertingunt*. ibid.

—— *atque* Intermittentes *principatum obtinuere, durante Constitutione Ann.* 1661. 11. *iisque Variolæ cedebant*. ibid.

Febris Continua *Compendium quoddam est* Intermittentium, *uti harum singuli* Paroxysmi *hujusce sunt Compendium*. 3

—— Epidemica *Const.* 1661. *ad* 1664. *aliarum quotquot sunt, cur præcipuæ & Coryphæa habeatur*. ibid. *Unica species in rerum natura tum temporis Auctori nota*. ibid. Intermittentibus *subsecuta, ejusdem fuit genii; &* Intermittentium Autumnal. *Compendium, uti harum singuli Paroxysmi istius sunt, compendium, videbatur; nec, nisi ratione durationis differebat*. ibid. *Hanc Febrium unica facile in Intermittentium Castra transibat; sed sequentium Annorum Febres rarissime*. 33. *Unde patet quod cum* Intermittentibus *istius Constit. natura conveniret*. ibid. *Ad* Intermittentium Autumnalium *Classem quare referebatur*. 3. *Et quum raro surgente anno comparebat, liquet altera ratio, cum Febr. Intermit. Autumnalium Classi adnumeretur*. ibid. *In quibus a* Tertiana *ejusdem Constit. differebat*? ibid. Quartanis *Autumnalibus succedit, ad usque Ver debacchatur, ubi tum* Intermitt. Vernal. *locum cedit*. ibid. *Quamdiu ex propria indole perdurabat? nam male tractata diutius adfligebat*. ibid. *Ubi* hujus despumatio *circa diem Decim. quart. foret, refrigerantibus ad diem Vigesimum primum & ultro, protrahitur*. 5

Febris Epidem. *Constit.* 1661. *ad* 1664. Symptomata *sibi singularia quænam habuerit*. 3. *Plura si male tractabatur supervenientia*. ibid.

—— *quomodo* curabatur. 4. *In quibusnam* V. S. *instituebatur, in quibusnam non, & qua copia; quandonam repetenda*. ibid. *V. S. præcedat Emeticum* ibid. Vomitorium *quandonam erat exhibendum, ad avertendam instantem alias Diarrhœam*. ibid. *Quo tempore morbi exhiberi potcrat*. ibid. Paregoricum *post Vomitorium vesperi exhibendum*. ibid. *Diascordium pro* Cardiaco *quandonam exhibendum*. ibid. Clyster *quandonam exhibendum*. ibid. *In quibusnam vetatur*. ibid. Cardiaca *ante evacuationes quare non exhiberet Auctor*. 5. *Quibusnam suo tempore, evacuationibus peractis, uteretur*. ibid. *Qua ratione omnia illa media dirigebat*. ibid. 6. *Quandonam post Morbum purgationem celebrabat* 5. Curatio *Febris hujus, in* Pauperibus, *quomodo cum successu, ab Auctore instituatur*. ibid. Recrudescere *solet, quod notatu dignum, post usum Clysterum & Catharticorum, quæ Febrem prius quasi profligaverant*. ibid. *Quomodo tractanda tum*. ibid.

Febris Epidem. *An.* 1667. *ad* 1669. *cur* Variolosa *dicta*. 19

Febres Continuæ Depuratoriæ *An.* 1661. *ad* 1664. *quare fæces Intermittentium videbantur*. ibid. Epidemice grassari *nequeunt, nisi retusa acie Constitutionis Intermittentibus faventis*. 43

Febres *a* Dentitione. 149

Febris Depuratoria *vocatur, ubi Natura omnia Symptomata ita moderatur, ut Materiam febrilem rite concocta, certo suo tempore, vel per διαφόρησιν, vel διαγνῶσιν, expellat*. 33. *Et talis fuit* Febris *Constit. An.* 1661. *ad* 1664. ibid. & 142

—— *quomodo* curanda. 4. 8. 142

Febris Dysenterica, *novi generis Febris, Constit.* 1669. *ad* 1672. Dysenterias & Tormina Ventris sicca, *concomitans, eos etiam adsciens, qui hisce Morbis non laborabant*, Dysenterica *quare dicta*. 21. 23. *Hæc Evacuationibus per alvum exceptis, per Constitutionis decursum, Dysenteriæ in omnibus, simillima fuit*. ibid. *Subducebat se paululum, dum alii istius Constitut. Morbi prævalebant, nec tamen omnino desinebat*. 24. Symptomata *ejus eorumque varietates describuntur*. 23. 24. Febris *hæc in Aphthas, plus quam ulla nota Febris, propensior erat; quare*. ibid. *Dysenteria absente, vel se subducente magis grassabatur*, (confer. ibid.) *una cum* Variolis *mitioribus hinc inde concomitantibus*. 21. *Et An.* 1669. *Dysenteria hieme repulsa, vigebat*. ibid. *Sed An.* 1670. Julio *mense jam prævalebat, &, Dysenteriis hieme repulsis, grassabatur iterum*. ibid. *Hanc vero An.* 1671. *fugarunt* Tertianæ Intermitt. *sed* Julio *mense de novo repetebat*, Autumno *iterum Dysenteriis cedens, &, his frigore fugatis, hiemem totam denuo contristans* ibid. *Tandem An.* 1672. Julio *rursus invadebat, Autumno iterum* Dysenteriis *cedebat*. ibid. *& hieme, fugata Dysenteria, redibat*. ibid.

Febris Dysenter. *An.* 1671. *pluribus differebat, ab ea An.* 1672. *ejusdem*

Con-

Constitutionis; utraque tamen, facie, tempore invasionis *& Methodo medendi, in eadem* Febre specifica, *concurrebat*. 24.
—— *Dysenteriam Epidemicam, in aliis locis itidem, concomitatur, ut docet Dysenteria in Africa, quam tractavit Dr.* Butler. 23.
—— *curatur irritando Evacuationes, quæ in Dysenteriis contingunt, ut expellantur humores acres*. 24. *Hinc* V. S. *&* Purgationes, *ut in Dysenteriis; sed abstinendum a Paregoricis; & quare*. ibid. *Qua occasione* Methodum *hanc adripuerit Auctor*, ibid. *Nullis aliis indigebat*. ibid.
In Febre Dysenterica *Paregorica post Curationem, ubi vires non redeunt, ut sæpe in Hystericis, quare conducant*. ib. *Quotics & quando exhibenda*. ib.
In Febre Dysenter. *Adolescentes, præcipue si in initio sudores iis extorserant, non numquam* delirabant, *non uti Phrenitici, sed stupore, quasi Caro adfecti: Et* nulla arte *sublevari poterant*. ibid.
Febres Epidemicæ *sunt vel* Stationariæ *vel* Intercurrentes *seu* Sporadicæ. 1. 2. 33. 34.
—— *Regulas ad curationem Generales non admittunt*. 2. *Hinc quid Medico ubi grassari incipiunt, ut curationem dirigat, agendum*. 3. *Neque juxta varias annorum crases, aut ejusdem anni varia tempora, adhuc dum distingui potuerunt, a Sydenhamo*. ibid. *Et* Febrium Epidemicarum *diversarum ratio, ubi arcanæ annorum Constitutioni hæ innituntur, non videtur a caussa morbifica, in homine aggesta, deduci posse*. 2.
Febris Epidemica *speciei cujus sit, quomodo noscatur*. 24. *Et uti ex Epidemico tum temporis grassante, dignoscitur ejus species; sic ex* Febre *quadam conspecta, quisnam ei jungatur Morbus Epidemicus, sive Dysenter. sive Morbilli, &c. noscitur*. 33. *Quod tamen, in Nova Febris specie, vertente primum Anni Constitutione arduum*. ibid.
—— *cujus species perspecta & indoles, eadem Methodo, qua semel sublata fuit, curatur semper, donec exstincta illa specie, novum genus oboriatur*. 1. 2.
—— Morbos alios *hac Constitutione itidem prodituros, ut plurimum prævertit*. 33
Febris Epidem. *alicujus Constitut.* repentina aeris quadam manifesta alteratione, *materiam morbificam in* Pectus *deponere potest, eadem ipsa interim remanente, sed Symptomata istarum partium tum simul producente*. 31. 32
—— Continua *Constit. An.* 1661. *ad* 1664. *ubi* Intermittentes Autumn. *prædominium habebant, unica fuit, in qua Natura Symptomata sic mitigabat, ut materia Febrilis, debita Coctione præparata, per* diaphoresin *suo tempore expelleretur. Et videtur hæc Naturæ* primaria Febris, *duplici de nomine*. 33. De eadem reliqua *vid. Tit. De* Febre Cont. Epidemica 1661. *ad* 1664.
—— *Constit.* 1673. *ad* 1675. *An.* 1673. *ingreditur, circa initium* Julii, *alterius Constitutionis Morbis nondum plane expulsis, & pari passu cum illa procedentibus, neutro Morbo admodum grassante, & per illum* Autumnum, *ac* Hiemem, *progrediebatur*, Dysenteriæ *mense* Novembri, *sed leniores, hinc inde, post acre gelu succedente calore, spargebantur nec amplius istius speciei adparuere*. 28. *Phrenitis sine stupore, sed raro, aderat*. 31. *Initio magis erat Inflammatoria, ut patuit ex Symptomatibus Pleuriticis*. 28. *Variolarum nigrarum An.* 1670. *reliquias referebat*. 28. 29. Symptomata *hujus Febris propria*. 28. *Quibusnam comitata quando desinebat?* ibid. *Hanc comitabatur* Coma *quoddam aliquando in* Aphoniam *desinens*. ibid. *Et qui ita adfectus* vigesimo octavo, *vel* trigesimo die *tantum convalescebat*. 28. 29. Delirium *leve in* Adultis *aderat; & in* Pueris *somnus abruptus cum stertore*. 28. *Delirium hoc* Coma *potius stupore æmulabatur*. 29. *Hæc* Comatosa *Auctori vocatur, ob insignem stuporem comitantem*. 30
Febris Continua *An.* 1675. *initio* Julii, *longe lateque depopulata, circa* Autumnum *in viscera cœpit converti, specie* Dysenteriæ *&* Diarrhœæ *se prodens, per quam viam sibi fugam quærere adfectabat*. 28. *Vel caput petebat Stuporem inferens*. ibid. *Sed tum temporis Anni prædominio potiebatur, ita ut Diarrhœa & Dysenteria potius Symptomata, quam Morbi essentiales, essent*. 28. 29. *Catarrhi & Tusses se huic Febri adjungunt, post subitam tempestatis mutationem*. 28
—— *curatur*. 28. 30. *Quare ad* Methodum *inveniendam hic diutius hærebat Auctor*. 29. *Qua ratione Medelam adsecutus fuit*. ibid. *Post* V. S. *pro viribus ægri semel institutam* Epispasticum *largum nuchæ adplicandum*. ibid. *Sequenti die* Enema *in tempore adplicandum, & quotidie* reiterandum, *sed non post decimum quartum diem*. ibid. *Post hæc Morbus sibi committendus*. ibid. *Nec ulla Evacuatio violenter instituenda*. ibid. Diæta *sit tenuis*. ibid. Lecto *quotidie abstinendum, vel ei vestibus indutis incumbendum, capite elato*. ibid. *Si a lecto, diutius quam par est, abstineant,* Rheumatici *dolores, vel* Icteri *species, suboriuntur; & quid tum agendum*. ibid. *In declinatione autem Morbi, ubi mitior est, potius lecto decumbat, ut vitentur dicta mala*. ibid. *Solvuntur Objectiones eorum, qui existimant hanc Methodum tantum sufficere, ut impetus a capite divertatur, non vero, ut materia Febrilis concocta per Sudores eliminetur*. 29. *Sine* Sudoribus *hæc* Febris species *sæpissime fugatur; hinc non sine discrimine sollicitantur illi, capite tum gravato*. ibid. *Si vero sponte prodeant, & levent, non contemnendi*. ibid. *Per* V. S. *&* Enemata *felicius succedebat Curatio; nam* Diaphoretica, *plura* Anomala Symptomata, *&* discrimen, *inducebant*. ibid. Coma *&* Stupor *huic Morbo comes, quibuslibet remediis tentatis, debellari non poterant, sed Naturæ si committeretur tuto, licet tarde, recedebat*. ib. *Aliquando ad* Tricesimum *diem defertur convalescentiæ primum signum; quo tempore absurda licet adpetant, concedenda*. 30. *Confirmatur Historia*. ibid. Phrenesis *sine stupore, quæ aliquando sed raro aderat, inducias non ferebat, sed cito nocebat, nisi* Vitrioli Spiritus *cum Cerevisia tenui propinaretur*. ibid. Diarrhœa, *&* Dysenteria *Symptomatica*, V. S. *&* Narcotico *sanabantur; addito aliquando Cardiaco*. ibid. Diarrhœa *tamen cum minus afficiebat, non multum curabatur, nisi cum periculum inducebat, tumque* Narcoticis *erat reprimenda*. ib. Sudores nocturni *convalescentibus supervenientes, in debilibus & emaceratis, Tabem aliquando inducentes*, Vino Malacensi, *nocte & aurora, ad* cochl. v. *vel* vj. *adsumto, profligabantur*. ibid.
Febris Continua *An.* 1679. *oboritur similis illi An.* 1675. *hiemali* (242.), *ex Tussi imperite tractata; quæ tamen ut Tussis curabatur*. 42
—— novæ speciei, *An.* 1685. *primo ex solvente gelu, mense Februario, exorta est, dissimilis illi, quæ ab An.* 1675. *ad* 1684. *per octennium scilicet, invaluit*. 112. *Per omnes Angliæ Regiones latius vagata est, longe magis tamen Epidemice in aliis locis, quam Londini sæviens*. ibid. Hæc *eadem est, quam Auctor, in ea tum temporis hallucinatus, nomine* Febris Hiemalis *&* Febris Peripneumonicæ *tradidit, ac ad Intercurrentes relegavit, & quam deinde, æstate superveniente, ad* novam Constitutionem *redigendam omnino censuit*. ibidem. *Et* Hiemalem, *quam olim a colluvie serosa oriri putabat Auctor* (vid. pag. 110. *postea invenit nihil esse, quam simplicem* Sanguinis Inflammationem, *ad quam jam Indicationes Curativas dirigendas, suadet*. 113. *Hanc* Febrem novæ speciei, *Cortice Peruviano, quare non nulli Medici profligare tentarint*. 114. *Sed successus raro votis respondit*. ib. *Unde liquido constitit* hanc Febrem, *ab istis Constitutionibus* 1677. *ad* 1685. *toto cœlo distare*. ibid.
—— Infantes *æque ac* Adultos *adficiebat*. 115.
—— *ne primordium sit* Febris Depuratoriæ, *olim Pestem immanem prægressæ, metuere videtur Auctor, & quare*. 116
Febris *hæc licet* Continua *prorsus esset, tamen ingruente nocte exacerbescebat*. 112. 114
—— *Qualia habuerit* Symptomata. 112. confer. 110. *Quæ Sudore spontaneo nocturno aliquando mitigantur*. 113. *Æstivo tempore*, ventris Torminibus, *præcipue se manifestabat*. 114. *Nihilominus* V. S. *&* Catharsi *repetitis curanda erat; exhibendo Pilul. Cochias, loco Potionis, si hanc stomachus non fert*. ib. *Si Dysenteriam ex iis Torminibus nanciscatur, hæc consueta Methodo tractari non debet, sed illico* Laudano *compescenda, & quare*. ibid.
—— Curatur *Evacuantibus, ut V. S. Purgationibus, iteratis; Epispasticis; Paregoricis insuper, adhibitis*. 112. *Interponuntur temperantia* 113. Aphthæ *& singultus si adsunt, Cortice Peruviano curantur*. ibid. Diæta *quali utendum*. ibid. *Non ita tamen tractanda, ut Evacuantia ad* Symptomatum *omnium sublationem exhibeamus, letale hoc foret; hæcce, equidem, leviter hinc inde remanentia, tempore disparent sponte sua, pro ratione, qua redit sanitas; sunt enim modo Evacuationum reiteratarum, & a Cibo potuque adsuetis abstinentiæ, quæ corpus debilitant, progenies: unde* Vapores, *haud secus ac in fœminis, elevantur; qui etiam Paregoricis superantur*, 115
Febris Continua, *licet aliquando alia Methodo, quam V. S. & Purg. curetur, non statuendum inde, illam Methodum præstantiorem aliis, & quare*, 116. *Quænam vero sit optima Method. quomodo dijudicetur*. ibid.
—— Methodo traditæ *omnino non cedens, ad Corticem Peruvianum, ut certissimum medium recurrendum*. 115
—— *in* Hystericis *evacuantibus protrahitur, hincque Paregorica & Hysterica adhibenda; & victus pro lubitu concedendus*. 113
—— recidivam *unde habeat, & quomodo hæc prævenienda*. 112. *Est tantum Symptomatica tum, & ab Aphthis nata*. 112. 113
—— *Quomodo in* Infantibus *curanda*, 114
Febris Erysipelatosa *Rusticis* Syderatio *audit*. 37. Speciei duplicis *est*. Una *vulgaris cujus Phænomena antecedentia & præsentia describuntur*. ibid. Altera *species varius occurrit; & describitur quoad caussas antecedentes, & phænomena præsentia*. ibid.
Febris Erysipel. tempore quolibet, *præsertim tamen exeunte æstate incessit*. ib. Partem *quamlibet, at præ reliquis faciem, occupat*. ibid. 144
—— *Cum quibus* Phænomenis *incipiat*. 37 *In* Gangræna *aliquando terminatur*. ibid. *Pustulæ apparent, ac si apes aut vespæ aculeis suis punxissent*. ib.
—— *Vulgaris, & non vulgaris, eodem modo* curantur, *nisi quod ultimæ species externis mediis minus egeat*. ib. 144. Venæ sectio *una, & subsequens* Catharsis, *in tempore adhibitæ, plerumque curant*. 37. Venæ sectio *quando & quibus intervallis sæpe iteranda*. ib. Diæta. ib. Julapium *quale & quando exhibendum*. ibid. *a* Lecto, *per horas aliquot, quotidie temperet æger*. ib.
Febris Hectica *Infantium qualis, & quomodo* curanda. 115. 149
—— *post Pleuritidem essentialem quandonam*. 35
Febris Hiemalis *quolibet Anno, ab Hieme ingruenti, usque ad Ver adultum, invadit, in Febrium Intercurrentium Classem recensenda*. 110. Unde *oriatur*. ibid. Peripneumoniam *notham* (*pag.* 39. *descriptam*) *quæ Febris hujus species est, producit aliquando: non numquam* Symptomata *excitat quæ hic describuntur*. 110. confer. 112
—— *a Peripneumonia notha, ut ex caussa, & symptomatis patet, non nisi gradu differt*. 110
—— *si male tractetur quænam Symptomata, tandem letalia, adipiscatur; quæ tum falso Malignitati adscribuntur*. ibid.
Febris Hiemalis *curatur V. S. & repetita Catharsi, ut exundans pituitæ colluvies, ob hiemis analogiam congesta, revellatur, tumque subducatur*. ib. *Exhibitis interim Paregoricis, & Decoctis ac Eclegmatibus Pectoralibus, &c.* ib. *Raro adeo sævit, ut non post unicam V. S. & tres Purgationes cedat*. ib. *Si errante diagnosi, pro* Stationaria *habeatur, plurimorum interitus caussa erit*. ib.
—— *&* Peripneumonia *hæcce in Forma* Postscripti *delineata* ib. *illa est quam postica Auctor tradit, Titulo* de Novæ Febris ingressu 112. *simul agnoscens* suum errorem, *& qua ratione in eum inciderit, referens*. ib.
Febres Intercurrentes *vocantur* Febres Continuæ *quædam, quæ omnibus in universum Annis* (160.) *qualibet sub Constitutione, competunt, &* ab hoc illove aeris temperamento, tamquam caussa productiva, ortum ducunt. 1. 2. *A* Stationariis differunt, *quod hæ ad certam Annorum seriem & Constitut. determinentur*, Intercurrentes *omnibus Annis communes sint, qualiscumque sit Constitutio*. 34. Conveniunt *vero cum* Stationariis *sæpe quoad* caussas *externas ac Procatarcticas, licet quoad caussas ab aere submini*stratas *longe dissideant*. ibid. Febres Intercurrentes *omni fere Anno invadunt*, 27. *Plures simul non corripiunt, quia* non a caussa generali *ab Aere pendente, quemadmodum Constitutio universalis*, verum a particulari, corporum particulariumi *ἀνωμαλίᾳ, qua Sanguis atque humores vitiantur*, oriuntur. 1. 34. 102. *Tamen* Epidemice *non numquam, quamvis* non ita frequenter, *haud minus ac Stationariæ, grassantur, quando earum* caussa mediata *generalis, quædam aeris manifesta qualitas est, corpora ita disponens, ut certæ Sanguinis & humorum oriantur dyscrasiæ, quæ illarum* caussæ immediatæ fiunt. 160. *Exempla*. ib. *Hæ Febres jam parcius jam inclementius sæviunt, & cum Stationariis, & secum invicem, eodem Anno indifferenter commiscentur*. 33
Febres Intercur. *præcipuæ sunt* Angina, Febris Erysipelatosa, Febris Scarlatina, Peripneumonia notha, Pleuritis, Rheumatismus. 2. 33
Febres quædam *Intercurrentibus jure merito essent adnumerandæ, quæ vulgo non Febres, sed Symptomata modo habentur, quoniam cito transeunt, & in hoc vel illo Symptomate desinunt; quod Symptoma tamen revera tantum ex illis Febribus sequitur*. 38. *Tales sunt* Hæmorrhagia Narium *&* Hæmoptoe. ibid.
Febres Intermitrentes *per* 13. *An. fere exulantes, Epidemicæ rursus, anno* 1678. *audiunt*. 40. *Anno* 1677. *in Autumno primo exsertæ, quotannis increbrescentes, Epidemicæ factæ sunt, donec ad ἀκμὴν perventæ, jam iterum decrescentes rariores ita factæ, ut tandem An.* 1682. 1683. *vix Epidemicæ viderentur*. 112. *Et jam An.* 1678. *Vere denuo subortæ, Æstate & Autumno ita sæviebant, ut omnes Epidemicos fugarent alios, quorum nulli reperiebantur: Hieme* Variolis *& aliis Epid. locum cedebant, donec apta tempestate redierint*. 40
Febres Intermitt. *An.* 1677. *&c.* Tertianæ *erant, vel* Quotidianæ; *nisi hasce* Tertianas duplices *adpellare velimus*. ib. *non amplius in ἀκμὴν desinebant, præsertim calidis adhibitis*. ib. *Et* Remissionem *loco Intermissionis concedentes, ad speciem* Continuarum *perventæ*, recto Cerebro, *jugulabant. Interim ad* Intermitt. *Classem erant referendæ, & Cortice Peruviano itidem, sed majori dosi, debellandæ*. ibid. 41
—— Apoplexiam *aliquando comitem habebant, quæ ipsa Febris erat, caput impotens*. 41. *In quo casu, ab omnibus Evacuantibus revulsionis fine, ut in Apoplexia essentiali requiritur, cavendum erat*. ib. Diabetis *in senibus caussa aliquando fuere, Morbo jam curato*. ib. *Quomodo hæc vero curanda*. ibid. Nephritidis *speciem aliquando comitem habuere; quæ ut ipsa Febris, neutiquam V. S. aut aliis* evacuationibus, *curari debebat*. 76
—— *nec* Sudorifera *nec alia evacuantia, ut* V. S. *&* Catharsin, *admittebant, cum ex illis in* Continuas *mutarentur*. 40. *Ex hisce vero in longum* protraherentur. ib. *Unde ad* Corticem Peruvianum *confugit Auctor, ex quo nihil mali, sed plurimum boni, vidit*. ibid. *Et nulli magis, quam hoc Herculeo Medicamento confidebat, si justo exhiberetur*. ib. Periculum *infert, &* Recidivam *concedit intra quatuordecim dies, quando ante Paroxysmum exhibetur*. ib. *Quæ duo incommoda removit Auctor sua exhibendi Methodo*. ibid. *vid.* Cortex Peruvianus.
Febres Intermirt. *quolibet An. resurgentes, usque ad An.* 1685. *perdurarunt*. 42. Continua *nulla, Constitutione generali An.* 1678. *ad* 1685. *durante, & Febribus Intermitt. favente, ab Auctore visa, nisi ex perversa Curatione*. 43
—— *An.* 1679. *eædem erant An.* 1678. *jam* Julio *redintegrantes & Autumno debacchantes*, Novo Epidemico *tandem sub mense* Novembris *locum cedentes*. 42
—— *An.* 1680. (*ut solent Epidemici*) *illis Morbis certa tempestate, quibus nempe ista favebat, ut hieme* Tussi, Febribus Peripneumonicis, Variolis, *postquam* Autumno *debacchata fuerat, cedebant: vere autem redibant; donec An.* 1681. *minus Epidemicæ factæ Variolis locum integre cesserint*. 84
—— *quæ An.* 1681. *regnabant adhuc dum erant illæ, Anno* 1677. *quæ regnaverant*. ibid.
Febres Intermittentes *Epidemicæ unde Nomina sibi desumant varia, & discriminantur*. 2. *Exquisite describuntur*. 7. 11.

——— *Epidemice ſæpius graſſantur, quam aliæ.* 33
——— *raro* Londini *comparuere, a quo tempore* Peſtis *regnavit.* ibid.
——— *inter Morbos Acutos, quo ſenſu relegandæ.* 1.
——— *calidioribus mediis, citius exhibitis, vel duplicantur, vel in* Continuarum *ſpeciem permutantur; & exinde in* lethales *verti poſſunt.* 10. 40. *Tum ex* Continuis, *circa Veris finem, & Æſtatis initium, ſæpe producuntur.* 13.
Febres Intermitt. *æque ac* Continuæ *ſuam depurationem ſpatio 107. hor. h. e.* 14. *dierum, naturaliter abſolvunt.* 9. *Materiam a Sanguine ſejungendam adeo craſſam habent, ut ſine prævia digeſtione, ad Evacuationem debitam diſponi nequeant.* 20.
——— *& Continuæ quamvis quoad tempus, quo materiam ſuam expellere ſolent, non differant; quod ad earum tamen ſpeciem, atque Naturæ proprietatem attinet, & a* Continuis *& a ſe invicem plurimum differunt.* 9.
——— *Materiam febrilem, diebus liberis, adgregant, quam Natura Paroxyſmè novi impetu expellit.* 40.
——— tria *quaſi diverſa* tempora, *uno Paroxyſmo, involvunt.* 7. Horum ratio. ibid. Paroxyſmi *exquiſita deſcriptio.* 7. 143. *In Paroxyſmo qui moriuntur, tempore Exhorreſcentiæ fato funguntur.* 7. 8. 9 *Sudore prorumpente, inquietudo & alia evaneſcunt, atque ἀπυρεξία ſuccedit.* 40. Quare redeant Paroxyſmi, *vid.* Paroxyſmus.
——— *in* Infantibus, *vel* ætate florentibus, *non attingendæ, ſed* Naturæ committendæ: *quin alias Morbus in longiſſimum tempus procurrit, & mille ſymptomatibus periculoſis gravatur, ſi præſertim vel* purgantia, *vel* Venæ ſectiones *adhibeantur,* 9. In Infantibus *ſive Tertiana Autumnali, ſive Quartana laborent, plerumque, ſanguine ſua depuratione defuncto, ſponte evaneſcunt.* ibid. Senibus *vero Autumnales præſertim, periculoſæ.* ibid.
Febres Intermitt. *diuturniores, Humores ſua mora ubi depravaverint, non tamen curandæ per ea, quæ humores expurgant, ſed per Specifica.* 91. 9
——— *non oppugnandæ tempore Paroxyſmorum, ſed horum æſtu conſopito.* 105
——— *Corticis Peruviani ope, ægrorum magno emolumento, per duas, treſve ſeptimanas deliteſcunt.* 9.
Febres Intermitt. *ad* duo *Genera revocantur, quorum unum* Vernales, *alterum* Autumnales *complectitur.* 7. *Quæque in tempeſtatibus intermediis oboriuntur, atque minus frequentes, ad haſce reducendæ.* ibid. *Quæ* diſtinctio *quam neceſſariæ Medicinam excolenti eſt.* ibid.
——— *cum* Autumnales *tum* Vernales, *quamvis reſpectu Paroxyſmorum, & typorum diſcriminis, haud adeo diſſimiles, interim eſſentialiter diſtinguuntur.* ibid. *Illarum* Hiſtoria. 8.
Febres Intermitt. Autumnales *unde oriantur, juxta Auctorem.* ibid. *Invadunt circa Junium (quæ earum eſt Epocha.* 37.) *ſi Conſtit. datur Epidemica; alias Menſe Auguſto, vel Septembris initio; ſerius raro.* 8. *Poſt ſe varios relinquunt Morbos, ut Hydropem, Rachitidem, Tonſillarum dolorem & inflammationem, Maniæ quamdam ſpeciem.* ibid. 10. *Diuturniores, in* Infantibus, *ſi fuerint, non diſcedunt, quin* Abdominis tumor *progignatur.* 143. 10. *Et* Crurum tumor *aliquando in* Adultis. ibid. Senibus *periculoſa.* 9. 143.
——— *in variis; plerumque una eademque diei hora contingunt.* 8.
Febres Intermitt. *Autumn. non uti Vernales, Typum genuinum ſtatim induunt, ſed* Continuas *Febres ita aliquando imitantur, præſertim* Epidemicæ, *ut niſi prudentiſſimo diſtinguantur; donec, exeunte Autumno, larvam abjiciant.* 2. 8. Febris Intermittentis *Autumnalis An.* 1661. ſinguli Paroxyſmi *compendium* Febris Continuæ, *uti* hæcce *compendium* harum, *videbantur.* 3
——— *cum ratione durationis, tum & periculi, longe aliter ſe habent Vernalibus.* 8. *Si* Tertianæ, *ſed Epidemicæ non ſint, atque ſanos invadant, benignæ ſatis tum ſunt aliquando, inſtar Vernalium.* ibid. *At ſi* Epidemicæ, *& ſenescentes, aut cachecticos feriant,* non vacant periculo, *& ſæpe in futurum Ver protrahentur.* ibid. *Si* Quartanæ *fuerint, erunt Tertianis omni ratione pejores.* Seniores *aliquando brevi jugulant: in ſenectutis modo qui ſunt confinio, licet non in eodem ſint diſcrimine ut brevi exſtinguantur, non niſi verſente anno liberantur a Febre & extenuati non oriuntur.* ibid. Junlores *morbum hunc melius ferentes, aliquando circa ſolſtitium Brumale, ac frequentius verno Æquinoctio, liberantur. Catharſi vero, vel Venæ ſectionis ope in Autumnum inſequentem ipſam illam Febrem deducunt.* ibid. *Sic* Infantes *tenelli in cunis, licet cum ea Febre per Menſes ſex conflictati, de ea tamen triumphant.* ibid.
——— *Ab Auctore nulla adhuc dum certa praxi curantur, antequam ſtatas ſuas fermentationes, h. e. deſpumationis opus, peregerint.* 9. *In curſu ſuo inhibere* eaſdem, *non ſolum, ſed & eas abrumpere,* Methodo aliqua certa, *aut* ſpecifico medio, *qui noverit,* Civis officio, *humano generi rem illam patefacere tenetur.* ibid.
Febres Intermitt. *Autumn. non tam facile ac Vernales amoventur.* 8. *Curationem quare tam difficulter admittant, perpenditur.* 9.
——— *quomodo* curentur. 54. *&* ſequ. *Quare eadem in iis utatur Methodo Auctor, ac in* Continuis, ibid.
——— *Quartanæ præſertim, non attingendæ, niſi poſtquam ſanguis tempus illud exegerit, quod ad deſpumationem ſuam perficiendam requirit.* 10 *Ubi* curandæ *veniunt,* Indicationes *ſumè debent;* vel *ex ſollicita obſervatione Methodi, qua ſe Natura liberare tentat;* vel *ex cauſſæ ſpecificæ morbi perceptione ut ſpecificum medium adquiratur.* 9.
——— *maxime* Epidemicæ, *Venæ Sectionem, non, abſque Morbi prolongatione, & ſeneſcentium morte, admittunt.* ibid.
——— *quomodo tractandæ, ſi Cortici Peruviano non cedunt.* ibid.
——— *penitus ſublatæ, nec ante, ad alios morbos periculoſiores vitandos, præſertim in provectioribus ætate,* purgantia *exigunt.* ibid. *Hæc autem citius exhibita Morbum contumaciorem reddunt.* ibid. *Hæc vero qualia, quando, quo tempore. & quoties, adſumenda.* ibid.
——— *vel* Tertianæ *ſunt, vel* Quartanæ. 8. *Sed ita connexæ, ut ſæpe vices permutent, mox tamen ad priſtinum genium redituræ.* ibid. Quotidianæ *non ſunt, ut quidem Vernales.* ibid.
Febres Interm. Quartanæ, Quotidianæ, Tertianæ *ſuo loco videantur.*
Febres Intermitt. Vernales *ad Menſem Februarii; ad menſem vero Auguſti referuntur Autumnales.* 8 *aut Julii* 21. *Aliquando tamen maturius, aliquando tardius invadunt: Quod ab uberiore, parcioreve, in aeris temperie, ad has Febres producendas, apparatu, pendere videtur.* 8. *Quo vero maturius vel tardius invadunt, eo magis vel minus* Epidemice *deprædantur.* ibid.
——— *oriuntur a ſpiritibus prius concentratis, jam calore excitatis viſcidos humores, hieme in ſanguine congeſtos, ut ſeſe ex iis extricarent, diſſolventes, per ebullitionem hanc vernam.* ibid. *Harum Hiſtoria.* ibid.
——— *ſemper ſalutares, raro diuturnæ.* 8. *Nunquam letales.* ibid. *Poſſunt tamen ob perverſam medelam moras trahere ad tempus* Autumnalium *uſque: licet inde letales non fiant.* ibid. *Incipiunt menſe* Februario. 21. *Mala cura, ad tempus* Autumnalium *protractæ, ipſa illa tempeſtate, ipſis contraria, exſtinguuntur.* 8.
——— *vel* Quotidianæ *ſunt vel* Tertianæ. ibid.
——— *pauciores ſtipantur, in ſui declinationis ſtatu, concomitantibus Symptomatibus, quam* Autumnales. 10.
——— *quæ de cauſſa ſæpe mora ſua* Autumnales *æmulantur, quamvis facilius cedant.* 8.
——— *quomodo* curandæ. 8. 9.
Febres Interm. *Vernales ſuo arbitrio permittendæ; & quart.* 8.
——— *Evacuantibus quibuſcumque pertinaciores fiunt.* ibid. *Et diuturniores.* ibid.
——— *Conſt.* 1661. *&c. ſuccedunt* Continuis, *& circa Calendas Maji* Variolis *locum cedunt.* 3.
a Febribus Intermitt. Vernalibus, *licet protractis, iis tamen gravibus Symptomatibus, quæ* Autumnales *ſequuntur, non excruciantur convaleſcentes.* 8. *Sed ſi nimis debilitati, adhuc Evacuationibus extenuentur ægri, in Maniam, brevi tamen evaneſcentem, aliquando incidere poſſunt,* ibid.
Febres *quædam tum* Intermittentes, *tum* Continuæ, *tranſeuntit & incertigenii ſunt, nec ad periodum deſtinatam pertingunt; hæque præſertim ex vitio in 6. R. N. N. ortæ.* 9. *Hiſce Morbis correpti ſubito convaleſcunt.* ibid.
Febris *ex* Lochiorum ſuppreſſione, *in Puerperis tenerioribus incautis.* 94.
——— mali moris *ob Choleram intempeſtive laudano, vel adſtringentibus, cohibitam; Emetico ſolum curatur.* 4.
Febres Malignæ *quænam vocentur.* 115.
Febris vere maligna, *ab aliis ſpeciebus tota idea, ac ingenio, diſſidet; nec eſt omnium dicrum Morbus.* 11. *Cum* Peſte *ſpecie convenie; nec ab ea, niſi ob gradum remiſſiorem, diſcriminatur.* ibid.
——— *in Malignis admodum Morbis, aliquando* parca *adparet,* tum *ob miram particularum ſubtilitatem, ut in Peſte;* tum *a particulis concluſis;* tum *quod genus* nervoſum, *vel humores extra ſanguinem, per Metaſtaſin, ſint adfecti.* 32
Febris Malignitas *aliquando plus a Therapeja perperam adminiſtrata, quam a venenoſa morbi indole, proficiſcitur.* 11. *& quare.* ibid.
——— Maturationis, Secundaria *dicta, vel &* Putrida, *in Variolis Confluent. uti & in aliis Apoſtematibus fit,* a Pure *in ſanguinem reſorpto, quando contingat.* 32. 84. 85 87. 130. *Quomodo excitatur.* 84. confer. 85. 87. 155. *& ſeq. In mitiori ſpecie* die undecimo, *in mediocri genere* decimo quarto, *in pejori,* decimo ſeptimo, *fieri ſolet.* 84. 130. *Quo parcius ſanguini Pus admiſcetur eo levior.* 84
——— Morbillioſa *An.* 1674. *duobus primis menſibus, quibus hi Morbilli prodierant, intercurrens, in quibus a* Morbillis *differebat.* 36. *Immanior erat, ad* 14. *dies, & plures, perdurans.* ibid. Curabatur *ut Morbilli.* ibid. *V. S. nec Enemata admittebat.* ibid.
——— *in Morbillis,* die Secundo, *conſummata adeſt.* 24. Octavo die *augetur.* 25.
Febris Peripneumonicæ *hieme ſæpe obſtruuntur.* 84. Febris Peripneumonica *quædam, nullo non hieme, occurrit.* 112
Febres Peſtilentiales, *uno vel altero, poſt graviorem Peſtem, anno graſſantes, ejuſdem ac Peſtis, cujus reliquiæ habendæ, indolis ſunt, & ſimilem ſibi medelam vendicant.* 11. confer. 12. *Et ſic, Peſte Londin. jam parum moderatione, ejuſdem generis Febris ab Auctore reperitur, quam quæ jam ante Peſtis invaſionem graſſabatur.* 14
Febris peſtilentialis *per diaphoreſin univerſalem expellit materiam morbificam, quam* Peſtis *ipſa per Abſceſſus eliminat; unde qui Febrem hanc alitèr, quam per Diaphoreſin curat, via a Natura diverſa inſiſtit.* 13
——— *An.* 1665. *verno tempore, menſe Martio, poſt hiemem frigidam, & ſiccum gelu caput extulit, eo modo, ac ſi* Febris Continua Epidemica novi generis *fuiſſet; ſed a Continuis præcedentibus valde diverſa erat, neque cum ipſa Peſte exſtincta, verum in Ver. An.* 1667. *uſque excurrit.* 11.
——— *hæc ſingularis ſpeciei, An.* 1665. *&* 1666 Peſtem Londinenſem *præceſſa, an* Peſtis *nomine inſignienda dubitat* Auctor, *Symptomatibus equidem iiſdem, ac ipſa Peſtis, ſtipata fuit.* 14 *Et non niſi ob gradum remiſſiorem diſcriminabatur.* 11. *Quænam habuerit* Symptomata. 11. 13. *Omnibus ab Auctore riee perpenſis, conſideratur tamquam* Inflammatio *circa partes ſpirituales deliteſcens.* 13. *Subſequentium omnium Inflammatoriarum ſe ducem præbuit, & Chorum duxit.* 33
——— *illa inſoliti genii, Auctoris animum exagitat, ut ejus naturam, ad concinnandam medelam, adſequatur.* 13. *In initio, ubi nondum cognita,* Vomitorium *ad præſervandam Diarrhœam, propinat* Sydenham, *& eventu contrario, nec exſpectato, ſtupefactus, aliam, quam in Febribus adhibere, per aliquod tempus ſolebat, medelam requiri percipit.* ibid. *Exſtincta prius Fœmina nobili, in homine altero & aliis quampluribus, Methodo ad* Pleuritidem *uſitata, curatur.* ibid. 14
Febris Peſtilent. *poſt* Peſtem, *quanam Methodo alia, quam* Phlebotomia *frequentiore, ut curetur, ab Auctore deſideratur.* 13. 14 *Qualem invenerit Auctor.* 14 *Hujus Methodi tam felix ſucceſſus, ut nullus æger deſideratus fuerit.* ibid. Curabatur *juxta Auctoris inventum, V. S. ſemel inſtituta, Sudoriferis & dein Purgantibus.* ibid. *Quæ ſudorifera cura quomodo dirigenda.* ibid.
In Peſtilentiali Febre *Diaphoreſis quantum proſit, patet ex levamine, quod perſentiſcitur dum ſudore diffluunt ægri; ubi ſimul ac ſudor abrumpitur, omnia iterum in pejus ruunt.* ibid. Sudores diffluentes *juſculis, ovis ſorbilibus, & aliis eardiacis, refocillandi* ibid. Sudor *poſt artificialem, quaſi naturalis, levans, &c.* ib. Sudores nulli ſponte *prorumpebant, at eum omnium Symptomatum levamine vel primis Morbi diebus excitari poterant; in quo quam maxime differebat a Febre Conſtit. præcedentis.* 33.
Febris Putrida *Variolis Conſt. ſuperveniens. vid.* Febris Maturationis.
Febres Quotidianæ, *pro lubitu,* Duplices Tertianæ *appellari poſſunt.* 40
——— *improprie aliquando adpellantur, quæ vel* Tertianæ duplices, *vel* Quartanæ triplices, *ſunt.* 8
Febres Quotidianæ An. 1678 *vid.* Febres Intermitt. An. 1678.
Febris Quotidiana *quænam dicatur.* 7.
Febres Quartanæ *olim frequentiores erant, ſed* An. 1678. Tertianæ *aut* Quotidianæ *graſſabantur.* 40.
Febres Quartanæ *ſoboles Autumni genuinæ ſunt.* 8. confer. x.
——— Autumnales Epidemicæ, *uſque ad hiemem exturrunt, vel, duorum menſium ſpatio, curſum ſuum abſolvunt.* 2. *Qua ratione curandæ* 9. *&* ſeq. *Æque ac Vernalibus, in* Infantibus *præcipue, tum in* ætate vigentibus, *Naturæ potius commendandæ, nec multi quid perpetrant.* 10. *In* Senibus *vero ſunt* periculoſæ, *præſertim Autumnales.* ibid.
Febris Quartana *quænam dicatur.* 7. Triplex *quando dicatur.* ibid.
——— *ſub Autumno ſemper ingreditur.* x. *Et vix ante* Vernum Æquinoctium *fugari poteſt.* ibid.
——— Saniſſimum *corripere poteſt, ſi modo duos, treſve dies in locis paludoſis egerit.* 91
——— *qualia parit* Symptomata. 8. *Diuturnior humores inquinans, uti Hyſterica Adfectio diuturna Cachexiam, aliaque mala inducit.* 91
——— *Medicinorum opprobrium.* 9. *Et cur.* 40
——— *quem ſemel, cujuſcumque ætatis vel temperiei fuerit, cruciavit, alia vice, quod ſcitu dignum,* non multum fatigabit, *ſed brevi diſcedet.* 8
——— *Conſtit.* 1661. *&c. Autumnali tempore aliis prædominatur, tumque vela contrahit.* 3
——— *quomodo in Senet, ſeneſcentes, agat.* 8. 10. *Quomodo a Junioribus, Infantulis tenellis, feratur.* 8. confer. 10
——— *Qua ratione per Corticem Peruvianum* curetur. 40. 41. *Cortici Peruviano ſoli licet cedere videatur; tamen hicce illi morbo potius inducias impetrat, quam quod eum debellet.* 9. *Nec a repetito ſæpius medicamento, niſi longo temporis tractu expugnatur.* ibid. *Cortice Peruv. quaſi ſopita, poſt duas treſve ſeptimanas recrudeſcens, haud ſegniut quam prius laceſſit.* ibid
In Febre Quartana Catharſis *æque fere nocet ac Venæ ſectio, non tamen uſque adeo, niſi crebro repetatur.* 9. Venæ ſectio *adeo nocet, ut in Juvenibus morbum ad 6. menſes & ultro producat, in ſenioribus non modo protrahat, ſed & in mortis periculum conjiciat.* ibid. Aeris mutatio, *poſt illud tempus, quod Sanguis ad ſuam deſpumationem proficiendam exigit, tantummodo convenit, nec prius.* 10 *Quare ante illud tempus non conveniat.* ibid. *Aeris mutatio ſuo tempore ſi non concedatur, quid agendum.* ibid. *Et quo Medicamento utendum.* ibid.
Febris Scarlatina *deſcribitur, juxta Phænomena ſua.* 34. *Multos, ſed* Infantes præ ceteris, *infeſtat.* ibid. *Omni tempore, ſed* Æſtivo præſertim *incidit.* ibid.
—— Curatur *abſtinendo a V. S. Enematibus, Cardiacis; a Carnibus, Spirituoſis, Aura nimis libera, Purgante ceſſantibus Symptomatis exhibendo.* ibid. *Si* Convulſiones, *vel* Coma *initio Eruptionis,* Infantibus *præſertim ſupervenerint,* Epiſpaſtica *cervici adplicanda;* Paregorica *ſingulis noctibus exhibenda;* Hydrogala *præſcribenda.* 34
——— *decedens ſquamas farinoſas relinquit.* 30
Febris Secundaria *Variolis Confluent. ſuperveniens. vid.* Febris Maturationis.
Febres Stationariæ *dicuntur, Febres quædam Continuæ quæ* Conſtitutioni alicui propriæ ac peculiares ſunt, *ſuo ordine invaleſcunt,* neque extra illam uſquam comparent. 2. *Hæ a particulari quadam, ac* nondum ſatis cognita *cujuſdam Anni Conſtitutione pendent, & cetrit Morbis dominantur, per totam Conſtitutionem.* 33. 34. *Non ab Aeris manifeſtis Qualitatibut uti* Intercurrentes *producuntur.* 2. 34. *Verum ab Aevis Qualitatibut ſenſibilibus jam* promoveri, *jam* retardari *poſſunt (Conſtitutione Univerſali interim ejuſdem Naturæ manente)* prout illis favent vel adverſantur *prædictæ Qualitates.* 24. confer. 2. *Unde ſe exſerunt, ea tempeſtate, ad quam dictæ Qualitates eas deſtinaverint, donec alteri Morbo, ſeu Febri Epidem. quem aliæ ſubſequentis Tempeſtatis Qualitates advocaverint, cedere cogantur.* 24. confer. 2. *Ab* Intercurrentibus *Epidemicis differunt, quod hæ omnibus Annis communes ſint,* Stationariæ *vero ad certam Annorum Conſtitutionem determinantur.* 34. *Conveniunt vero cum* Intercurrentibus *ſæpe, quoad cauſſas externas ac Procatarcticas.* ibid.

Sym-

— Symptomata *habent differentia, ratione intensionis vel remissionis, pro modo quo se* varia *Constitutionis tempora, ad quam pertinent, habent.* 24. *Symptomata diversa a Constitutionis Natura, ex manifestis alicujus mensis aeris qualitatibus quoque mutuantur: unde quibuslibet annis* novæ *apud vulgum, propter Phænomena diversa existimantur, licet eædem sint.* ibid. *Exemplum, in Febre Dysenterica An* 1671. *&* 1672. *quæ differebant respectu qualitatum sensibilium temporum, in quæ incidebant.* ibid.

Febres Stationariæ *sunt Morbi plerique omnes, qui a pag.* 3. 33. *fuerunt descripti.* 34.

Febris Stationaria, *est Febris Epidemica Constitutionis generalis.* 110.

— *quælibet, si Julio potissimum sævias, Autumno adveniente, magno Epidemico a quo Annus insigniri solet, & cui omnes Epidemici ad hanc constitutionem pertinentes cedunt, cedere debet.* 24. *Et quare.* ibid.

— An. 1675. *Tussibus supervenions* Autumno, *& Symptomata* Pleuritica *& Peripneumonica excitans, eadem erat, quæ* Julio An. 1673. *ingressa fuerat.* 28. *Sed in Pectus illa tempestate determinabatur.* ibidem

Febres Tertianæ An 1671 *grassantur*, verno tempore, *& Febres Dysentericas, ac Variolas, parum reprimunt.* 21.

Febris Tertiana *quænam dicatur.* 7.

Febres Tertianæ, Autumnales, Epidemicæ, *usque ad Hiemem excurrunt, vel, duorum mensium spatio, cursum suum integre persolvunt.* 2.

— Autumnales, *præmaturæ h. e.* Julio *ingressi, non uti Venerales, genuinum Typum statim induunt, sed continuas Febres simulant ita, ut ab invicem difficile discriminari queant: sed Autumno exeunte, larva abjecta, Intermittentes vel Quartanas, vel Tertianas, se esse palam fatentur: quod observatu necessarium.* 2.

Febres Tertianæ Autumnales *constit* An. 1664. *quibusnam Symptomatis, ab Intermitt. Tertian aliis, discriminabantur.* 3.

— — *onst.* An. 1661. *initio Julii, invasere.* ibid *At superveniente, hiemis frigore extinctæ sunt.* ibid. *Et ubi desinere incipiebant, insequebantur aliæ.* ibid.

— — — *quomodo* curandæ. 9. Purgantia *hic* Sudoriferis *mista, quibus, contrarios motus excitando, Paroxysmi processus confunditur atque turbatur, multum commendat Auctor.* ibid

— duplex *quomodo* curetur. 9. *Enematibus in eo interdicendum.* ibid. Sudorifera, *ut in Tertian. simpl., itidem, sed* sine Purgantibus *exhibenda.* ib

— — *æque ac* Vernales, *in* Infantibus, *&* ætate vigentibus, *Naturæ potius commendandæ, nec mali quid perpetrant.* ibid. *Sed* Senibus *sunt periculosæ, præsertim Autumnales.* ibid

Febres Tertianæ Vernales *licet, modo invadant mense* Februario, *tamen circa* Solstitium Æstivum *pariter se subducunt.* 2. 21. *Quartanarum typos num. quam induunt, ut faciunt* Autumnales 8.

— An. 1678. *Cortice Peruviano non indigebant; sed* curabantur, *si æger præsertim Sanguineus,* V. S *Emetico, & Antifebrilibus amaris.* 41.

Febres Tertianæ An 1678. *vid.* Febres Intermitt An. 1678.

Febres Variolosæ *ex Constitut pendentes, si Variolæ pristinis seculis nusquam comparuerint neutiquam antea exstiterunt.* 31. *Hinc non ita culpandus Auctor, si in Methodo ipsas curante aliquid immutaverit; cum eo Recentiorum Observationibus tantum adversetur.* ibidem.

Febris Variolosa *potius a nudo calore, & sanguinis æstu seu inflammatione violenta, quam ab humore delitescente, & coctione antequam expellatur indigente, pendere videtur.* 20.

— ac Variolæ Regulares, *ab eadem Constit. aeris pendentes, si non eædem, saltem ejusdem Naturæ fuere, & prosapiæ, excepta eruptione.* 11. 20. *Iisdem cum Symptomatibus adgreditur, se exonerat* ibid *Et simul cum Variolis Regularibus maxime fuit* ibid. *Hinc* Febris Variolosa *merito habetur Variolarum soror.* 20.

— *Ptyalismo quomodo fugam sibi quærebat.* ibid.

— *minus recte tractata, quibusnam cum Symptomatibus ad septimanas sex vel octo, nisi mors intercederet, protrahebatur.* ibid.

— *quia per Salivationem, non per Abscessulos, eliminatur, alia Methodo quam Variolæ, licet Morbus satis similis, curanda.* ibid.

— — *ubi* curanda, *quibusnam fundamentis* Indicationes Curativæ *superstrui possint.* ibid. *Cum materiam crassam, prævia digestione antequam evacuetur inargentem, non habeat, sed contra* materiam facile inflammandam, *nec Natura Evacuationes per modum Eruptionis constituat; rei summa erit* Inflammationem *sedare* Evacuantibus *& contemperantibus.* ibid.

Febris Variolosa *curatur* Venæ sectione, Enematibus, Julapiis, Sero lactis *ac* jusculis farinosis, ibid. Regimine refrigerante *tractanda, quamvis Sudores frequentes adsint.* ibid.

— An. 1668. *in Diarrhœam, introversione ad Intestina, mutata est.* ibid.

Febris *in* Variolis *quandonam adsit, remittat, redeat.* 15. 16. Variolis Confl. *vero, etiam ad multos dies, ab eruptione, discruciat; in Discretis contra.* 15.

— — — — *tempore invasionis unde.* 113

— interfint, *in Variolarum initio, eas Confluentes fore prædicat.* 86.

In Febribus *Variolas Anomal. concomitantibus, cur* Sudores *Anomali qui simul copiosiores adfuere, nihil evolumenti præstiterint.* 33

Fermur *in Podagra irregulari quomodo adficiatur.* 103.

Fermentatio *quamnam mutuationem liquidis inducat.* 3.

— — — *liquidorum in quibus differat a* Commotione *massæ Sanguineæ* febrili, ibid.

— — — — *in sanguine, (quæ & Commotio vel Ebullitio Auctori dicta) Natura* solemnis *est* Machina *in Febribus, qua sanguinem, ab intestinis ivi nitis, liberare conatur.* 7.

Fermentationis *atque* Ebullitionis *vocabulis cur non utatur potius, quam* Commotionis, *Auctor* 3.

Fermentationum *genera plura & Putrefactiones* humorum *ultra modum retentorum, Classem unam Caussarum universalium, Morbos producentium constituunt.* 1.

Festinatio *in Morbis curandis quam pessima, plures ægros vita spoliat.* 33. confer. 29.

Flatus *Abdominis Tumores, ac si a collectione Aquarum productos, excitare valent, ubi Hysterica Adfectio Purgantium tumultuosa actione advocatur.* 108.

— *in Hysterica jam Acidi, jam Nidorosi unde.* 89.

— — — *ex Hysterica Adf sine ulla sæpe caussa.* ibid. *Non modo in Fœminis, sed etiam in Viris* 91.

Fluor albus. 149

— *Muliebris, seu Mensium fluxus immodicus curatur* Venæ *sectione, dein Catharsi, Corroborantium usui præmissis.* 42 confer. 95. 149.

Focus *in Variolis Discret. hieme tantum exstruendus.* 18.

Fœditas Cicatricum *in Variolis Confluent. Regimine temperato quomodo præcaveatur.* 19.

Fœminæ *Hydrope, ubi parere desinunt, præprimis adficiuntur.* 107. *Ubi Steriles sunt licet juniores quandoque occupantur.* ibid.

— *paucissimæ ab Hysterica Adfectione, nisi quæ multum laborant, liberæ sunt.* 89 *Ratio hujus traditur.* 90

— Nobiles *quædam Charitatem suam in pascendis* Pauperibus *potius, quam in iis medicandis, collocare deberent.* 35.

— Podagra *raro, nisi Vetulæ, vel Viragines fuerint, adjiciuntur.* 100.

Fœminæ *in* Variolis *minus periclitantur quam Adolescentes.* 84 *In Variol. Anomal.* Menstruorum fluxu, *tempore non solite adfectæ, unde periclitentur; & qua ratione a Regimine calido, & adstringente, sæpe exstinctæ fuerint.* 26.

Fœtor *in Variol Anom. nigris pessimus.* ibid.

Fomentum *in Febre Erysipelatosa.* 37. *Quando & quomodo adplicandum.* ibid.

Fontanella *in Rheumatismo inveterato, post V. S. iterata, cruri adiplicanda.* ib.

Formulæ *ut conscribantur, non ita Medici officium videtur, quam ut veræ Indicationes evuantur, ad quas Curationes sint dirigendæ.* 102.

— Medicamentorum *in Praxi magis familiares.* 114. 115.

Formularum *seu Remediorum ingentem Sylvam quare non tradat Auctor* XII.

— *pomposa apud Practicos expositio, Agyrtis modo favens, utilitati ac splendori rei Medicæ plus obesse, quam prodesse solet.* ibid.

Fotus *emollient, in* Gonorrhœa viru *præputio tumefacto adplicandus.* 79. *Ad* Uteri procidentiam. 95.

Fovee, *Variolis Discretis deciduis, nec ulla cutis inæqualitas, in facie primis diebus adparent, propter squamulas pustulis succedentes.* 15.

Fracastorius *de Felicitate modo, laudatus.* V.

Fraxini semen *virtute lithontriptica laudatur: unde Mannam eadem vi pollere concludit Auctor.* 31.

Frigida tempestas, *in Variolis Discretis, ægro aliter satis cessuro, ob perversam medendi Methodum, per Regimen calidum,* sæpe salutaris. 18.

Frigus cadaverosum *partium externarum, in* Hysterica Adfect. *Symptomatis sæpe viam quasi sternit.* 89. confer. 90. *Et periculum non infert, nisi ab Evacuatione enormi procedat.* ibid.

— *in* Dysenteria, Mortis *periculum infert.* 22.

— *ab Exercitio calescentes sedulo vitent.* 34.

— humidum, *calorem placidum, An.* 1675. *mense* Octobri, *subito excipiens,* Tusses *numerosiores producit.* 31.

— — — — magnum, *mense Octobris, tepidæ, instar æstatis placidæ, tempestati derepente subsequens Anno* 1675. Catharros *&* Tusses *induxit* 28.

— subitaneum *post excalefactionem Rheumatismum inducit.* 36.

— *in* Variolis, *neque* Calor, *Eruptionis tempore excedant. Utriusque Excessus periculosus.* 17.

— — — — *utriusque Generis, nocet admodum, & multa mala producit.* 19 17

— — — retrocessus Pustularum, *& Faciei ac Manuum* detumescentiæ, *caussa esse potest.* 17

Fructus Horarii *Choleræ ansam præbent.* 22.

Furfur *seu* Porrigo *Capitis quomodo curetur.* 151.

Fuscitas *in Variolis Confluentibus eo major, quo morbus atrocior.* 16.

G.

Γαλακτοποσία *in* Podagra 103. *Qua ratione magis obest quam prodest.* ibid.

Galenus *Calefacientia Febres Intermitt. irritare, jam observaverat.* 10.

In Gallia *migrare, qui Salivationis Mercur. effectu debilitati, & exhausti, cur sæpe debeant.* 80.

Gangræna *ex Erysipelate.* 37 Intestinorum *in Dysenteria aliquando.* 38.

Gargarisma *in Angina quale.* 38. *Non vulgari modo usurpandum, sed sine agitatione contineatur, donec incalescat.* ibid, *In* Aphthis *post Ileum a Tormintibus ventris in Febre nova Epid.* 114. *In* Variolis *Const.* salivam spissam *& viscidam* diluens. 19.

Generationes Rerum *Natura certissimis ubique legibus, ac artificio sibi soli intellecto, exsequitur.* 66.

Genistæ Sal *lixiviosum in Hydrope quare commendandum.* 109.

Genu *in Podagra irregulari quomodo adficiatur.* 100.

Glandulæ Mesenterii, *in Infantibus, ex Purgantium frequentiori usu, sæpe indurescunt; quod* Strumæ *Soboles, & Morti præluditum.* 92.

Glans, *in Gonorrhœa virul. præputio tumido, duro, si contegatur, Purgantia non juvant, ni simul Emollientia adplicentur.*

Globuli *&* Argentum vivum *plus malt, quam boni inferunt, in* Ileo *vivo.* 7.

Gonorrhœa Virulenta *est stillicidium liquoris cujusdam* seminis instar *in initio diei* flavescentis *ac si Vitellum Ovi dilutum esset; in virulentiore* viridescentis, *admisto sæpe* aqueo humore sanguine *tincto.* 78. *Morbi genus; quo a centum retro annis sese primum* Lues Venerea *manifestare solet, & per quam ni virus suum ejiciat, Sanguinem inficit.* ibid.

Gonorrhœa Virulenta *quomodo adoriatur & procedat.* ibid. *A virgæ carnosa substantia primum infecta quomodo exoriatur.* ibid. *Hinc virulenta materia, ut substantiam glandis porosam, non per Urethram exstillare ab Auctore vija* ibid. *Si Scrotum a* motu violentiori *vel a* repercussione materiæ *inflammentur, lenius procedit.* ibid.

— — — *Symptomata varia habet, ut* Doloris sensum *in erectione præsertim nocte, quod signum hujus Morbi Pathognomicum;* Incurvaturam *penis a fræno contracto,* Ardorem Urinæ; *& ab erosa urethra* Caruncolas, *plurium malorum caussam.* ibid. confer. 80.

— — — *diuturnior, vel adstringentibus suppressa, quomodo* Luem veram *producat* 78.

— — — — *si cum Lue Venerea confirmata concurrat, curata prius Lue, curanda venit.* 80. Lue *Salivatione sublata, quomodo Gonorrhœa tractanda.* ibid.

— — — *Salivatione non curatur.* ibid.

— — — *Curatur præcipue* Catharticis, *in quibus Curationis cardo vertitur; hocque tum ratio, tum experientia dictant.* 78. confer. 79. *Hydragoga præ ceteris conducunt* 78 Singulo die, *ad quatuordecim, vel plures, donec* color *materiæ* flavus *evanuerit,* continuanda. 78. 148. *Si nimis cito* relinquantur, *ichore adhuc manente, in summitate colis adparente, minima occasione recidiva fit.* 78. *Si* Purgantibus *non cedat lenioribus, fortiora dentur.* 79 *Denique* Balsamica. ibid. 148.

Gonorrhœa virulenta Diætam *refrigerantem quare expostulet.* 78. *Quales* Cibos *vetet; quales admittat* 79 148.

— — — *facile mutatur in* Luem, *si æger a Catharticis abhorreat; vel si pertinaciter purgantibus refragetur.* 79. *Tumque V. S. &* Clysmatibus *succurrendum, licet non æque tuto fiat.* ibid. 148. *Hinc vicissim exhibenda tum* Cathartica, *tum* Enemata. 79. *Qua Methodo hoc fiat.* ibid. confer. 79. 148.

— — — V. S *in sanguineis quando exigat.* 79. Aquas Minerales *non admittit.* ibid. Adstringentia *intempestiva vetat.* 78. 79.

— — — — *ex Decoctis Lignorum exsiccantium plus mali, quam boni imperit.* ibid

A Gonorrhœa virulenta, *qui purgantur ægrius, difficilius curantur.* ibid.

In Gonorrhœa virulenta, qui ichor, mane præsertim guttatim adparet. *vid.* Ichor in Gonorrhœa virulenta.

Goodall (*Carolus*) *M. D. Auctoris in Curatione comes, qualis fuerit.* 39. *Auctori* Casum singularem *communicat.* 88. *Auctorem semper tutatus est,* ibid.

Guttæ *D.* Goddard, *e D.* Goodall *quæ parantur, ceteris* Spiritibus volat. *præferendæ.* XII.

H.

HAbitus totus corporis *mutandus, & refingendus; in Podagræ Curatione, datur.* 103.

Hæmoptoe *ejusdem indolis cum* Hæmorrhagia Narium *Auctori habetur.* 37. *Cum nominis Discrimen modo pendeat a loco, per quem Morbus sibi viam secit.* ibid *Quo sensu Febribus adnumeranda.* ibid *Febris quoque est, quæ Nomen habet a crisi, qua soluta fuit.* ibid. *Quos & quando præcipue invadat.* ibid.

— *curatur iisdem ac Hæmorrhagia Narium, excepta Catharsi.* ibid. 150.

— *in* Variolis 16. 130. 146 *Ejus* Curatio. 130. 146.

— *&* Mictus Sanguineus, *in Variolis, mortem certo prænuntiant.* 16. 19.

Hæmorrhagia Narium, *describitur* 37. 150.

— *tamquam Febrium Continuarum Symptoma, unde.* 6. *Et quomodo tractanda.* ibid. *Quo sensu Febribus adnumeranda.* 37. *ut plurimum, in initio, præ se fert indicia, quæ sibi per Nares viam facit.* ibid. *In* Variolis *Phrenitidem levans;* V. S. *indicat.* 19.

— *quomodo* curetur. 37. Remedia *Interna.* ibid. 150. *Externa.* 37. 150.

— *in* Febribus *non semper sistenda, verum sæpe permittenda; & quare.* 6. *Sistentia vulgo, in Febribus Continuis, cur sæpe non minus juvent, quam si gladio ignem exstinguere satageremus.* ibid. *In* Variolis *pessimis Vitrioli Spiritus usu, in Cerevisia tenui, coercita.* 31.

— *recidivam singulis annis minitatur, si modo æstuet corpus.* 37.

In Hæmorrhagia Narium *Catharticum quandonam exhibendum.* ibid.

— *æque ac* Hæmoptysi, *calor & dolor sinciput torquent.* 37. 150.

Hæmorrhagia quælibet *immodica, nisi, ea sedata,* Purgatio Leniens *exhibeatur, recurrere solet.* 6.

Hæmorrhagiæ *Hystericam Adf. sæpe invitant, ubi contrarium foret, si ejus fomes in materia aliqua involveretur.* 91. confer. 90.

Hæmorrhoidales Venæ, *in Podagræ irregularis Paroxysmorum intervallis, dolent.* 100.

Hæmorrhoidum *Dolor & Curatio.* 149.

— *Fluxus immodicus.* ibid.

Halitus Magni *Hystericæ Adf. non sunt caussa.* 91.

— *Putridi, in Variolis Discretis, a materia purulenta prodeuntes, circa finem,* Pustulis crustosis *retropelluntur.* 18.

Haustus *Emeticus.* 4. 141. 143.

— *in* Febre Quartana, *languentem sanguinis depurationem promovens.* 10.

— *in* Hæmorrhagia, *Sanguinis impetum sistens, in Febribus Continuis.* 6.

— *in* Mictu cruento, *unus & alter.* 88.

— *in* Pleuritide essent, *refrigerans, post V. S. exhibendus.* 35. 144.

— Paregoricus *in* Cholera, *poſt ablutionem Stomachi*. 38. *Fortior ubi neceſſitas urget*. 147. *In Cholera, An.* 1676. 39. *In* Chorea Sancti Viti *poſt Catharſin*. 113. 146. *In* Colica biliosa. 26. *In* Diarrhœa. 23. 147. *In* Dyſenteria *ex Terminibus ventris, in Febre Nova Epid. oborta*. 114. *In* Febre nova hiemali, *poſt Catharticum*. 112. *Poſt* Emeticum *in Febribus Continuis*. 4. 143. *Et Emmenagogus in* Lochiorum ſuppreſſione. 95. *Ad* Tuſſim *in Morbillis*. 25. *In* Phrenitide. 6. *In* Podagræ Inveteratæ *Paroxyſmo, ubi Mortis metus ex receſſu materiæ*. 105. *In* Variol. Regul. Conſt *exhibendus, poſt plenam Eruptionem*. 18 *In Variol. Anomalis*. 31. *In Variolis Conſt.* ſexto die *exhibitus*. 88. *In Variol.* peſſimis. 31. *Poſt V. S. in* Mictu, *vel* Sputo ſanguineo *in Variolis Conſt.* 129.

Hauſtus Purgans *in* Colica Biliosa, *ex quibus fiat*. 26. *In* Dyſenteria. 23. *In* Gonorrh. virulenta, *plurimum conducens*. 79. *In* Ileo vero. 7. Peripneumonia notha. 36.

— *ad* Vomitum compeſcendum, *in Corticis Peruviani uſu*. 41.

Herbæ Amareſcentes *& acres, ad Podagram utiles, qua cautione uſurpandæ*. vid. *Vegetabilia ad Podagram*.

— Excaleſacientes, *ipſa hieme, calorem æſtivum Sanguini communicant*, 102. *Si æſtate uſurpantur, præcaventur mala, quæ a tempeſtate pendent; alias ſæpe nimis ſero veniunt*. ibid. *In* Chronicis *æque ac Podagra, maximo ægrorum commodo adhibeantur; hac cum differentia, quod in Chronicis Catharſis ſit præmittenda*. ibid

Hieme *exeunte, Podagræ Paroxyſmus invadere ſolet*. 100. confer. 99.

Hiems *rigidiſſima An* 1683. *ut nemo non viventium illi parem, vel frigoris gradu, vel temporis tractu, viderat*. 112.

— *Dyſentericis contraria*. 21. 25

Hiems *Morbos Chronicos potius gignit quam Æſtas*. 102.

Hippocrates *laudatus*. 1. *In* Medicinæ bonum *quid præſtiterit*. VIII. *De* Methodo medendi *laudatus*. 42 confer. IX. Medicæ Artis Baſin *quidnam poſuerit*. ibid. *Quamnam habuerit* Theoriam. ibid. *Eos* reprehendit, *qui plus Speculationi, quam Naturæ judicio, h. e. Obſervationibus Practicis, ſive Phænomenis Naturalibus, ut & Juvantibus & Lædentibus, dare ſolent*. 108. *Quomodo* intelligendus, *ubi*, in Libro de Priſca Medicina, *aie, quod, quæ de Natura a Sophiſtis dicta aut ſcripta ad Artem Medicam minus ſpectant, quam ad Pictoriam*. ibid. *De* Morbis Chronicis *laudatur*. 77. *Ubi in* Ileo *Follium uſum, & in* Cancro *nihil agendum præcipit, non minus de Medicina meruit, quam ſi pompoſis Remediis omnia implevisſet*. XII.

— Combuſtionem, *in Podagra, ope* Lini crudi, *ad dolorem mitigandum jam inſtituebat, uti in India Orientali per Moxam, nec non in* Europa, *hodie facere ſolent*. 106

— Variolas *non cognoviſſe videtur*. 31.

Hippocratis *& Veterum Aphoriſmi, de* paranda *materia Febrili ad Criſin per Sudores, Febribus ſeu* Morbis Intercurrentibus *adcommodari nequeunt, ſed aliis*. 33.

Hirudines, *in Febre nova Epidemica, Infantibus adplicandæ*. 92.

Hiſtoria Morbi *alicujus ſi diligenter perſpecta habetur, par malo remedium adferri poteſt*. IX. *Sola* veram medendi Methodum *indicare poteſt*. 42. 43.

Hiſtoria Morborum *ad Praxin quam utilis*. IX. *Hactenus in* Sylvam immenſam, *ſed fructu perexiguo, quare excreverit*. VIII. Adcurata deficit *hactenus, quia Symptomata haberi ſolent confuſi Naturæ, de ſuo ſtatu dejectæ, effectus, quæ vix adnotatione digna videntur*. IX *Ubi* deſcribenda, *ad plura advertendum venit, quam vulgo putatur*. VIII. *Quæque ad* Quatuor *reducuntur* Capita ibid.

— Genuina *ubi tradenda*, 1. Morbi *omnes* ad definitas *&* certas ſpecies *revocandi*: 2. *Hypotheſibus ſepoſitis Morborum* circa Phænomena, *ac* Naturalia *utcumque* minuta, *adnotentur*: 3. Phænomena naturalia *ſeorſim ab* Accidentalibus *enarrentur*: 4. Anni tempeſtates *huic illive generi faventes obſervandæ*. VIII. IX.

— Acutorum, *ab Auctore, non tam ut metam figat, quam ut aliis animum addat, traditur*. XII

— Hyſtericæ Adfect. *quare difficulter deſcribenda*. 90.

— Naturalis *peſſime tradi ſolet, ut docet Verulamius*. VIII.

— *Variolarum vera, earumque* Methodus medendi, *deſcribenda, ex quonam* Genere *harum fitri debeat*. 15.

Hiſtoria Singularis, *ſeu* Caſus, *Viri* Cholera *An.* 1676. *laborantis*. 39. *Baronis Annesly* Colica biliosa *laborantis & Narcoticis ſolis ab Auctore curati*. 27. *Pauperis Colicæ biliosæ doloribus vexati, Equitatione ſanati*. ibid. *Viri Hypochondriaci, tandem* Diarrhœa colliquativa *correpti, diuturna Equitatione perfecte curati*. 93 *Viri, a* Dyſenteria *acuta Conſtit* 1669 *Methodo Auctoris curati*. 23. *Viri*, Dyſenteria *Conſt.* 1669 *ad* 1672. *laborantis, & Methodo Auctoris, initio Conſtitut. inſtituenda, curati*. ibid. *Fœminæ Dyſenteria inveterata laborantis, & curatæ* ibid. *Juvenis* Febre Acuta *violenta, cum Petechiis & Mictu Sanguineo, An* 1681. *laborantis, per D Goodall. Auctoris communicata*. 88. *Comitis Salisburienſis* Febre Dyſenterica *laborantis, & curati*. 24 *Juvenculæ Febre Dyſenterica laborantis, Dyſenteria jam prius adfectæ, & curatæ*, ibid. *Pueri*, Febre Epidem. *An.* 1674 *laborantis, Auctoris Methodo curati; Et a Comate vel ſtupore, quo laborabat tempore reſtituti*. 29 *Dominæ Febre Epid. An.* 1675. *laborantis, &* Dejectionibus Symptomaticis *adfectæ, Methodo Auctoris curatæ*. ibid. *Pueri Febre Epid. &* Pleuritide Symptomatica *An.* 1675. *laborantis, & Methodo Auctoris curati*. 32. *Fœminæ nobilis, mortuæ ex* Febre maligna, *Peſtem Londinenſem An.* 1665. *prægreſſa*. 13. *Juvenis, Febre maligna laborantis &* poſt V. S. tantum validiore facta. 115 *Juvenis* Febre Peſtilentiali *laborantis, defectu Phlebotomiæ copioſæ, defuncti*. 14 *Juvenis Peſtilentiali Febre laborantis, in quo leni excitato madore, Medicamenta diaphoretica, illico retinebantur. Medici Morrice*, Febre Varioloſa *laborantis*. 20. Hydropicæ *ex incarceratione, ab Auctore curatæ, notatu digna; tum ob copiam aquarum, quam diebus a Purgatione liberis reddebat; tum ob intumeſcentiam Abdominis, ex Hyſterica Adfectione excitatum; denique quod Vetula, Menſtrua diu non paſſa, de novo eadem habuerit*. 108. *Hydropicæ, initio Auctoris praxeos, ipſius curæ commiſſæ*, & Syrupo Spinæ Cervinæ *curatæ*: 107. *Hydropicæ Syrupi Spinæ Cervinæ ope* pejus habentis. ibid. *Viri* Hypochondriaca Colica, *ad Iliacam accedente, cum Urina limpidiſſima, laborantis*. 90. *Viri Hypochondriaci* flentis immodice. 91. *Comitiſſæ* Adfectu Hyſterico, Calculum Veſicæ ſimulante, *laborantis, Narcotico curatæ*. 27. *Viri ab* Ileo, *Auctoris Methodo curati*. 114 *Fœminæ, cui*, Lochiis ex Hyſterica Adf. ſuppreſſis, *Auctor poſtquam ſua Methodo nil profecerat, nulla Remedia amplius adplicuit; atque Muliercularum tum conſilio, V. S. in pede inſtituta, intrrit*. 94 Maniæ *ex temperamento frigido, & infirmiore*. 11. Fœminæ Morbillis, *calefacientibus exaſperatis, laborantis, Methodo Auctoris curatæ*. 25. *Infantium* Morbillis *An* 1674. *ægrotantium, & curatorum Methodo Auctoris*. 30. *Viri*, Mercurio ſublimato corroſivo *adſumpto, ſolo* Aquæ, *per ſuperiora & inferiora injectæ, uſu, ab Auctore curati*. 43 *Chirurgi*, Venæ ſectione *audaci ac liberali, in* Caſtro Dunſtar, *Militis a Peſte ſanantis*. 13. *Pharmacopolæ* Rheumatiſmo *laborantis, & Diæta ex ſero lactis abſque V. S curati* 43 *Pueri* Varioloſi *Methodo Auctoris, e Lecto nempe eximendo & Paregorica exhibendo, reſtituti*. 87. *Fœminæ nobilis* Variolis Anom. nigris, *Conſt* 1670. *laborantis, &* Menſium profluvio *tempore inſolito adfectæ*, Auctoris Methodo *feliciſſime curatæ, miſcente adeo Morbo, ut nec* delirium *adfuerit, &* nigredine *quaſi depulſa, in* flavedinem *potius abierint Cruſtæ*. 26 *Filii Auctoris* Variolis Anom. diſtinctis *laborantis & Methodo Patris reſtituti*. ibid. *Infantis* Variolis Anom. nigris *Conſt.* 1670. *cum* Veſiculis *in femoribus peſſimi ominis, laborantis & exſtincti*. 25. *Infantium* Variolis nigris peſſimis *laborantium*. 31. *Juvenis Variolis nigris peſſimis*, poſt compotationem *largam, laborantis*. ibid. *Juvenculæ ex* Variolis inſigniter Confluentibus, *undecimo die exſtinctæ, primum V. S. ſæpe iterata a Rheumatiſmo ſanata*. 85 *Juvenis a Variolis Confluent. Methodo Auctoris, integro ibi deducta, ſanati*. 87. 88. Juvenis Variolis Regular. *laborantis, qui mortuis adſtantibus viſus, nudus menſæ imponitur & reſurgit*. 19. *Varioloſæ ex* Syrupo de Meconio *peſſime habentis, ſed* Laudanum *cum levamine ferentis*. 92.

Homo *variis malis obnoxius*. 1. *Ad ἀκμὴν ſuam pertingit ſpatio*. 21. *Annorum*. 7. Exterior *uti conſpicitur ex partibus ſenſibilibus, &* Homo interior *datur, ſpiritualis fabricæ, rationis lumine tantum concipiendus*. 90.

Hooping Cough *ſeu* Pertuſſis *Infantum V. S. juvatur, plus quam ullis Pectoralibus*. 24.

Horæ medicinales, *pro Remediis adſumendis, quales* 109.

Humores *ſpretiem quamdam contrahunt in corpore noſtro, vel nimia in eo mora, vel conſtitutione ævis morboſa, vel contagio venenoſo; unde Effectus cum eſſentia ſpeciei iſtius convenientibus, ſive Symptomata ſingularia, producuntur*. XI.

Hydragoga *in Gonorrhœa virul. primaria ſunt*. 78.

— varia. 107. 108.

Hydrogala *in Colica biliosa, pro Potu, vel* Cereviſia tenuis. 27. *In Dyſenteria*. 22 *In* Febre Scarlatina *Infantium, ubi Convulſiones vel Coma*. 34. *In* Gonorrhœa virulenta. 79 *In* Morbillis. 25. *In Morbillis Anom. An.* 1674. *pro Potu*. 30. *In* Tuſſi Epid. *ubi Febris &c. adſunt*. 32. *In* Variol. Anom. 30. *In Variol. Anom grata & utilis*. 26. *Præſertim* tempore Maturat. ibid. *In Variol. Anom. quatenus* æſtum fervidum *temperat*, Salivationem inſuper *promovet*. ibid. *Finito morbo*. 31.

Hydropici Juniores, *Aquis expulſis, aliquando roborantibus cur non indigeant*. 109. Seniores, *vel debiles, roborantibus, poſt evacuatas aquas, opus habent*. ibid.

— Tumores *unum ex graviſſimis Symptomatibus, Intermitt. Autumnales, diuturniores, inſequentibus*. 8.

Hydrops *omnem* Ætatem *&* Sexum *infeſtat*: Fœminas *vero magis quam* Viros. 106. 148. Tumore ſurarum *mane evaneſcente, primo cognoſcitur; præſertim in Viris; nam in Gravidis, vel iis quibus menſtrua deficiunt, hoc fallit; & in Viris Aſthmaticis, ab eodem derepente liberatis, itidem decipiet*. 138. confer. 148. *Hunc ſubſequitur* Abdominis Tumor, *aquæ congios pluret ſæpe continentis, a quibus Exomphalos*. 106. 107. *Qui vero* Tumores Abdominis *in Fœminis contingunt*, ab excreſcentia Carnium in Abdomine; *vel* a flatibus: *præſertim in viduis, aut ſero nubentibus, & graviditatis idea ipſis imponunt, ad hunc Morbum non ſpectant*. 107.

Hydrops *Symptomata* tria *primaria habet*; Dyſpnœam, Urinæ paucitatem, Sitim intenſam. 107. 109. 148. *unde hæc oriantur*. 107

— *ubi adeſt, pro rata, qua partes obſtiſſæ tumnt, reliquæ gracile. ſcunt*. ibid.

— *necat, ubi Abdomine aquas non amplius continere apto, nobilia viſcera & vitalem arcem ipſæ invadunt*. ibid.

— *pro* Cauſſa *habet* Sanguinem debiliorem: *cujus debilitatis* Cauſſa *præſertim* V. S. *nimia; vel Morbus quidam diuturnior; vel* liquorum ſpirituoſorum *ingurgitatio*. ibidem. Teſtes Fœminarum *alio modo adficiuntur hoc Morbo*. ibid.

— *pro* Cauſſa proxima *habet Aquas abundantes*. 109.

— Indicationes Curativas duas *abſolvendas ponit; tum* Aquarum evacuationem, *tum* ſanguinis roboris reſtaurationem. 107 148. *Evacuatio*, prima Indicatio, *quomodo perſolvatur & quibuſnam mediis*. 107. 109. Purgantia *quæ, & quando, eo inſervientia*. 107. *ad* 107. 148. *Per* Vomitum *&* Seceſſum *ſimul agentia*. 107. 108 109. Corroborantia *loco Evacuantium, quando*. 109. 148. *loco* Purgantium *&* Emeticorum, *quæ & quanda*. ibid.

Hydrops *non ſemper curatur, licet utrique* Indicationi *ſatisfactum ſit; ſed ad ſupremum gradum provectus, corruptis partibus, omnis ſubſidia ſpernit*. 109. *Curationem tamen adgredi debet Medicus, & quare*. ibid.

— *Aquis expulſis, media parte tantum curatus erit: hinc ſecunda Indicatio per* Roborantia, *tum perſolvenda, ad novum proventum præcavendum*. 109. 148. *Juniores hoc auxilio ſæpe non indigent*. 109. *Perficitur* iiſdem, *quibus in Podagra, paucis additis*. 109. 148. *Tum nullo modo purgandum*. 148.

— Purgantia validiſſima *&* celerrima, *præ ceteris omnibus Morbis poſtulat*. 107. 148. Evacuantibus *ἄνω καὶ κάτω quibuſnam in Caſibus non tantum non juvatur, ſed pejor fit; verum, ſanguinem ac viſcera* roborantibus, *&* aeris mutatione, *ac* exercitio, *tractandus venit*. 109

— Purgantibus ſolis, *non Vomitoriis, curandus venit, ubi collectio Aquarum non ingens*. 108.

— *qui vel* Pedes *tantum, vel etiam Ventrem, ſed modice, inflavit, non ſtatim per Cathartica & Emetica, ſed* calefacientibus *&* roborantibus *curandus*. 109 *Et in eo caſu cavendum ab omnibus Catharticis, quæ illico tumorem recedentem revocant*. ibid.

— *Liquores tenues & refrigerantes cur non ferat, & e contra* liquores generoſiores *tamquam efficax medium admittat*. ibid Pro Potu *concedit Vinum, ad roborandum; ſed non adſumendum antequam meatus parum recluſi, & portæ aquis datæ fuerint*. ibid. *Cereviſia generoſior loco Vini*. ibid.

Hydrops Topica Medicamenta *non plurimi facit*. ibid. Unguenta *e Cathareticis, &* Veſicatoria *præprimis, damnat* ibid.

— *ibi incipit, ubi deſinit Scorbutus, quomodo hoc dictum intelligendum*. 36. 37.

— *ex Febribus Interm. Autumn.* 10 *Febrium Autumn. Interm.* Symptoma, *unde enaſcatur*. ibid Juvenes *raro obſidet, niſi* Cathartici *accerſita*. ibid. *Si recens. Aperientibus & Catharticis facile curatur*. ibid 139. *Cathartica vero ante diſceſſum Febris fruſtra dantur: ſed Antiſcorbuticis expellitur*. ibid. & 143 148.

— *Scorbutum quo ſenſu aliquando mentiatur* 36.

— *ex V. S. in* Podagra *mox a Paroxyſmo* 101

— *ex ſubita* Spiritus Vini interdictione, *in adſuetis, oriri poteſt* 36

— Teſtium in Fœminis *quid; & quomodo ab Humorum depravatione, ex ſpirituum ἀταξίᾳ, in Hyſterica Adf. diuturna, oboriatur*. 266. confer. 107

Hydropicorum ſitis *quomodo fallenda*. 109

Hypercatharſes *ſæpe natæ a purgationibus etiam lenitivis, quod Medicus non inquiſiverit, utrum æger facile aut difficile expurgaretur*. 107. *A Purgantium violentia*, hodie non metuuntur, *cum Remedium hoc certiſſimum, Laudanum, habeamus*. ibid

Hypercatharſis *inſanabilis ab Unguentis purgantibus, abdomini illinitis*. 109

Hypochondriaca Adfectio *in Fœminis* Hyſterica *vocatur*. 89 90. 142

— *Splenis, & viſcerum, Obſtructioni imputata, in omnibus convenit cum* Hyſterica Adf. *Uteri vitio adſcripta*. 89. Animi Pathemata *atrociſſima fovet*. ibid. 90.

— quæ mala tum in Corpore, tum in Anima, excitet; *vid.* Hyſterica Adfectio.

Hypochondriaci *quomodo ſint anima conſtituti*. ibid.

Hypotheſes *ſpeculationibus Philoſophicis innixæ, quare omnino ſint futiles:* illæ *vero, ex Phænomenorum naturalium & Practicorum Obſervatione natæ, ſtabiles manent*. 108. confer. IX.

Hypotheſis Philoſophica, *quævis, in ſcribenda Morborum Hiſtoria, ſeponenda*. ibid.

Hyſterica Adfectio *Chronicorum omnium*, frequentiſſime occurrit, *horumque* pars media *eſt*. 89. *Poſt Febres, Morborum frequentiſſimus*. 84. *In Maribus* Hypochondriaca *vocatur*. 89. 90 142.

— *Uteri vitio ab Antiquis fuit adſcripta: convenit in omnibus cum* Adfectione Hypochondriaca, *ſplenis & viſcerum obſtructioni imputata*. 89

— *Fœminas tamen multo crebrius quam Mares corripit; licet Uterus non peccet, ut voluit Antiquitas*. ibid. *Ratio hujus datur*. 90. Fœminis *pauciſſimis, niſi laboribus adſuetis, parcit*: Viros *quoque ſedentarios tentat*. 89.

Hyſterica Adfectio *quomodo* corpus *male adficiat, & conquaſſet, adeo ut inſtar ædis ruinas minitantis tantum non corruat*. 87 89

— *Animam adhuc magis ægrotare facit quam corpus*. ibid. *Cujus Ægritudo raditur*. 89. 90. Deſperationem *de ſanitate recuperanda ſoles in animum inferre*. ibid. confer. 89. Animi Pathemata *atrociſſima fovet*. 89. 90

— Frigus cadaveroſum *partium externarum, Symptomata præcedens, ſæpe habet*. 89. confer. 90. *Et periculum non infert, niſi ab evacuatione enormi fuerit*. ibid. 91.

— Diagnoſin *difficilem, præ ceteris quibuslibet* Morbis, *&* perobſcuram, *habet*. 89

— Apoplexiam *inducere poteſt; & in Puerperis magna Hæmorrhagia paſſis, vel partu laborioſo cruciatis, vel animo commotis, ſatis frequens*. ibid. Calculum Renum *aliquando & Veſicæ, exquiſite ſimulat*. 27. Flatus *excitare valet hujuſmodi, ut Abdomen, tamquam ab Aquis collectis, intumeſcat*. 109. *Flatus jam* Acidos, *jam* Nidoroſos, *e ventriculo eructare cur faciat*. 89 Lacrymas *nunc, nunc* riſum, *ſine ulla cauſſa, excitat*. ibid 91 Lochiorum ſuppreſſionem *cum diris & letalibus Symptomatibus, inducit*. 92. *Quomodo occurrendum*. 94. 95. Podagram, *in Fœminis gracilioribus adoleſcentibus*,

bus, vel conſtantioris ætatis, aliquando mentitur; nam vetulas tantum vel viragines Podagra infeſtat. 100.
Hyſterica Adfectio *Pulſum ſanorum ſimilem ſiſtit, utut æger ſtrangulari videatur.* 90.
—— *Sudores nocturnos quomodo eliciat.* 91.
—— *Urinam limpidam tamquam Pathognomicum ſignum habet,* 89. 90. 142. *Exemplum.* 90.
—— *Salivationem Mercuriali ſimilem, quomodo excitet.* 91.
—— *varietate multiformi ſe oſtendit, & nullum non æmulatur adfectum.* 89. confer. ibid. Pro parte *corporis quam occupat,* Symptomata *partis competentia ſtatim producit; adeo ut Medico ſagaci opus ſit, ne iſta, a Morbo eſſentiali hujus illiuſve partis, pendere arbitretur.* 89. 142.
—— *Caput externum occupans,* Dolorem *vehementem in quadam parte pollice tegenda,* Clavum Hyſtericum *dictum, adfert, præſertim in iis, quæ Chloroſi laborant.* ibid. *Quid ſit iſte Clavus, & quomodo fiat.* 90. 142.
—— *Caput internum occupans, producit* Apoplexiam; *quæ frequens in* Puerperis; *ubi ſanguinis multum amiſere, vel partu laborioſo cruciatæ, vel paſſione animi commotæ fuere.* 89. *Producit* ſpaſmos *perſimiles* Epilepſiæ, *qui* Uteri ſtrangulatus *dicuntur, & deſcribuntur.* ibid.
—— *partem quamlibet corporis, ſive internam, ſive externam, adficere valet.* 27. 89.
—— *partes externas, ut* Crura, Humeros, Manus, Maxillas, Tibias, *occupant, nunc* Dolores, *nunc* Tumores *excitat.* 89. confer. ibid.
Hyſterica Adfectio Dentibus *non parcit, quos, nulla alia cauſſa concurrente, crudeliter adficit.* 142 *In* Dorſo dolorem *vehementiorem aliquando excitat.* 89. Inteſtina *occupans* Diarrhœam *excitat cum rejectione materiæ viridis, ſed ſine dolore.* ibid. Colicam biliоſam *imitatur, ubi partes* Colo *adjacentes occupat.* 27. *In Colon, & regionem Scrobiculo Cordis ſubtenſum, impetum faciens,* dolorem, *ſimilem* Iliacæ Paſſioni *aut* Colicæ biliоſæ, *infligit, cum vomitu enormi; ſubſequente dein* Ictero, *Paroxyſmum, quaſi ſolvente; accedente* deſperatione *de recuperanda ſanitate.* 89. confer. 90. *Fit præſertim in laxis, crudiſque habitu, vel quæ Fœtus grandiores ſunt enixæ.* 89. *Hic Adfectus docet Morbum ex ἀταξίᾳ Spirituum ortum.* 90. Pulmones *obſidens,* Tuſſim Hyſtericam *excitat, non adeo tamen frequentem, & pituitoſas exagitantem.* 80. *In* Renes *incurſans partis dolorem,* Nephriticum Paroxyſmum *omnino mentientem, ut vix an a Calculo, an ab hoc Morbo ſit, niſi aliquando Vomitu materiæ viridis, vel nota adfectione animi, diſtinguentibus, dignoſcatur.* ib. Ventriculum *adficiens Vomitiones excitat, rejecta materia viridi, ſed ſine dolore.* ibid. Veſicam *adficiens Calculum æmulatur.* ibid. *in* Vitales partes *incidens* Cordis Palpitationes *excitat, præſertim in macilentis, vel Febre alba pallеſcentibus.* ibid.
—— *ubi diſceſſerit a parte adfecta, teneritudinem in ea relinquit, ac ſi ipſa verberibus fuiſſet peſita.* 27. 89. 142.
Hyſterica Adfectio, *ſive* Vaporum, *ſive* Convulſionum *particularium partium, ratione agat,* eodem *modo ſolvuntur Phænomena; & pro* parte *quam occuparit Symptomata, iſti parti adcommoda, parce: unde pleroſque Morbos homines vexantes ſimulat, quamvis ſua Natura,* unus idemque Morbus *ſit.* 27.
—— *in* Materiæ viridis, Bili Poraceæ *ſimilis, excretionem, tam ἄνω quam κάτω, ægros ſæpe incitat.* 90. confer. 89. 90. *Hoc tamen, Morbum in humoribus, horumque acrimonia, reſidere non magis indicat,* quam *Vomitus perſimilis, navigantibus in irrequieto mari,* vel *Infantibus in Paroxyſmis Convulſivis, ſupervenient, illud indicaret.* 90. *Nec magis ſequitur quod viride eſt acre eſſe, quam quod acre eſt viride eſſe.* ibid. *Hyſterica & Hypochondriaca Adfectio non a* Menſtruo ſanguine, *aut* ſemine, corruptis, *halitus excitantibus; nec a* Succorum depravatione; *nec ab* humoribus acribus, *enaſcitur.* 91. *Quod ſi verum eſſet Purgantia, Vomitoria, Hæmorrhagiæ & alia, quæ Morbum invitant, potius eum fugarent.* ibid. confer. 90.
—— Cauſſas Προηγεμένας *ſeu* internas efficientes *ex* Ἀταξίᾳ *Spirituum Animal. in hanc illamve partem, nimia copia, & nimio impetu, ruentium, unde tum Symptomata producuntur, deducit.* 90. confer. 94. 27. *Et quod ab hujuſmodi inordinato motu, potius quam ab humorum aliquo vitio, licet ipſos inficere valeat, producatur Morbus, Cauſſæ occaſionales probare videntur.* 27. 91. *Et Argumentis pluribus firmatur.* 90 *ad* 91. *Iſtius* ἀταξία originaria cauſſa *debilior evaſis* Sanguinis. 93. *Et præſertim debilior craſis, ſive nativa, ſive adſcititia,* Spirituum; *unde facile diſſipantur aut perturbantur hi.* 90. 91. *Eorum ſyſtemate fracto & debilitato.* 94. 108. 115. *Et hinc* Hyſtericæ *fere omnes de ſubſidentia Spirituum conqueruntur.* 89.
—— *ex Spirituum debilitate, non nativa, ſed adventitia, oritur; ſi Menſium fluxus fuerit immodicus, ſive in Puerperio ſive extra.* 95. *Quid agendum ſi in Puerperio* 94. 95. *Quid ſi extra illud.* ibid.
Hyſterica Adfectio *diuturna Humores corporis inficere valet, licet ipſa ex iis non immediate pendeat; eodem modo ac Quartana diuturnior.* 91. *Et quinam Morbi ab hac humorum depravatione.* ibid.
—— *periculo per ſe vacat, niſi perverſa cura exaſperetur.* 27. *Hinc non letalis ſua Natura, ſed vi malorum ſubſequentium, aliquando necat.* 94.
—— *curatur,* imminuendo prius humores vitiatos *diuturnitate Morbi, ſi ægri vires conceſſerint; tum* corroborando *Sanguinem, quæ præcipua eſt Indicatio: ſed ſi Symptomata, ut Dolores, Vomitiones, Diarhœæ urgeant, nec inducias ferant, Anodynis ſopiendum, priuſquam aliquid peragatur. Symptomata leniri ſolent mediis, fœtida exhalatione Spirituum impetum reprimentibus.* 90. 142.
—— V. S. *& Catharſin quando exigat.* 91. 142. Chalybem, *quandonam expoſtulet, & qua ratione hicce adſumatur.* 92 142 Theriacam Andromachi *non denegat pro roborando.* 93. 142 Corticem Peruvianum *auxiliatricem novit.* 93. Fœtidis *quomodo delectetur; quænam illa ſint.* 143. 93. Clyſterum *frequentiorem uſum renuit.* 32.
—— Chalybe *ſi curari nequit,* Aquæ Minerales *adeunda.* 93. 142. *Quæ ſi necdum juvant, Aquis Sulphureis calidis utendum.* 93. 142.
—— *Lacte ſolo, omnibus aliis fruſtra tentatis, ſæpe curata fuit, in temperamento biliоſo ac tenui.* 92. 142.
Hyſterica Adfectio *levior, ſine V. S. Catharſi, Chalybe, ſed ſolit Pilulis Hyſtericis, ſæpe curatur.* 92.
—— extra Paroxyſmum *quomodo tractanda, ut cauſſæ originariæ occurratur.* 90. 93.
—— in Paroxyſmo *quomodo tractanda.* 93. 94. 142.
Hyſtericæ *aliquando ita abhorrent a Medicamentis Hyſtericis, ut ex iis in vitæ periculum conjiciantur: quæ tum omittenda.* 92.
In Hyſtericæ Adfectionis *Curatione quibuſnam Formulis Remediorum uſus fuerit Auctor.* 92. 142. 143.
Hyſtericorum Adfectuum *Claſſi* Rheumatiſmus Scorbuticus *fere referendus videretur, niſi ipſum remediis Hyſtericis minime ceſſiſſe comprobatum fuiſſet.* 93.

I.

Jalapa *radix in* Gonorrhœa Virul. *ſæpius ſola Pauperibus profuit.* 78.
Ichor *in* Gonorrhœa virul., *qui mane præſertim, urinæ ardore & ſtillicidio diſparentibus, in ſummitate colis, digito compreſſi, guttatim adparet; non eſt a debilitate, ut vulgo putant, ſed a reliquiis contagii, minima occaſione, uti poſt nimiam potationem, exercitium validius, novas tragœdiat excitantibus.* ibid.
—— *in* Variolis Conſl. *loco Puris, ſi ſanguis exæſtuet, adparet.* 86.
Ictерus *ex Colica Hyſterica, nullis Catharticis, vel ſolo* Rheobarbaro, *curandus; & quare.* 27. *Si pertinaciter adhæreat, quomodo curandus.* 28. 148.
Ictерus, *a lecto, nimis quam par eſt, abſtinendo, in Febre Epid. An.* 1673. *ad* 1675. *aliquando, ſed raro, & in declinatione Morbi,* oriebatur; *hinc tum potius* lecto *decumbat æger; & quare.* 29.
—— *us* curetur. 28. 148.
Idioſyncraſiæ *in Adfect. Hyſter. Curatione, ratio habenda.* 92.
Ignis Sacer *qualis Morbus apud ſaniores Medicos.* 22. *Fere ut Peſtilentia invadit,* ibid.
—— *Latinorum, Peſtis imago non obſcura videtur.* ibid. *Suſpectus de malignitate Auctoribus, ut ex methodo tractandi liquet.* ibid. *A* Peſte *quomodo differat.* ibid.
—— *Naturæ ope diſcutitur in corporis partem quamdam externam, ſpecie* Tumoris (*vel eo deficiente maculæ rubræ* Roſa *dictæ*) *ad alas & inguina, haud ſecus ac in Peſte, ſicque ſolvitur Morbus critice.* ibidem.
Ileus *ſeu* Iliaca Paſſio *quid ſit, & quomodo fiat ex Inteſtinorum inverſo motu.* 7. 146. *Hujus Inverſionis cauſſa duplex; vel Obſtructio ſcilicet; vel Irritatio.* ibid.
—— *duplex ponitur,* verus *ſcilicet, tum Iliaca Adfectio* notha. ibidem.
Ileus verus *tamquam* Febrium Continuar. *Symptoma; quomodo excitatus,* 7.
—— *totius tractus Inteſtinorum, a Ventriculo, choream ducente, ad majora Inteſtina uſque, inverſum motum ponit.* ibid. *Hinc* Clyſteres *per Os rejiciuntur.* ibid.
Ileus verus *habetur Sydenhamo, qui ex humoribus acribus, primo Ventriculum invertentibus, naſcitur.* ibid. *Eum* curandi Methodus *nulla fere cognita Auctori habebatur.* ibid.
—— *qua* Methodo *ab Auctore tractetur.* ibid.
—— *ex uſu* Argenti vivi & Globulorum, *plus mali quam boni accipit.* ibid.
—— Colicam *biliоſam inſequent.* 26.
—— *a* Calefacientibus, *in Febre nova Epid. quomodo excitetur.* 114. *Non ut de Torminibus ventris dictum* (ibid.), *tractandus ac ipſa Febris: nam ultra unam V. S. progredi nequit Medicus, & Cathartica Emetica fiunt.* ibid.
—— *hicce* curatur, *ſi poſt* V. S., *Clyſma ea* fumo Nicotianæ *exhibeatur, tamquam optimum.* ibid. *Quo non juvante* Purgans *fortiſſimum exhibendum.* ibid. *Sublato morbo, quamdiu a Purgatione abſtinendum.* ibid. *Paregoricæ quando exhibenda.* ibid. confer. 147.
In Ileo vero *primo, erit* corroborandus Ventriculus, *quam exhibendum* Catharticum, *quod alias* Emeticum *ſit.* 7. 26. 147.
—— *Catulus vivens nudo ventri quamdiu accumbendus.* 7.
Iliaca adfectio Notha *vocatur Sydenhamo, illa, quæ ab Obſtructione ſit; quia in hoc caſu motus contrarius ingeſtorum, potius, quam inteſtinorum, eſt habendus.* ibid. *Non* totius *Inteſtinorum* ductus, *ſed illorum tantum, quæ ſupra ſedem Obſtructionis ſunt, inverſionem ponit.* ibid.
—— *ab* Hyſterica Adfect. *in laxis & crudis habitu, vel fœtum grandiorem enixis,* Ictero *quaſi ſolvitur, ſubſequente deſperatione de recuperanda ſanitate.* 89 confer. 90. *Hic adfectus docet Morbum ex ἀταξίᾳ Spirituum ortum.* ibid.
In Iliaca Paſſione *Cathartica Medicamenta in* Emetica *tranſeunt, nec non* Enemata. 7. 26. 147.
Imaginationis *læſæ per Cardiaca reſtitutæ Exemplum.* 11.
Indicationes Curativæ *bonæ, ac certæ, non ex ſpeculatione Naturæ principii corporis, ſed ex obſervatione exquiſita φαινομένων Morborum, & eorum quæ ex Juvantibus & Lædentibus ſaquuntur, tum & Remediorum, atque Medendi Methodi, qua utimur, tandem in ſe diligenter collatorum, petuntur.* 108. *Hinc ad* Phænomena Naturalia *Morborum diligenter advertendo, maximæ eliciuntur, & veræ.* V. *Adeoque Symptomatum peculiarium perceptione, deprehenduntur.* VIII. *Et quidem ex minutiſſimis Morbi circumſtantiis.* IX.
—— *ex Cauſſit conjunctis & proximis, quæ ſolæ a nobis cognoſci poſſunt; non ex remotioribus, quæ inſcrutabiles, ſunt mutuandæ.* XII. *Quod demonſtratur.* ibid. confer. ibid.
—— genuinas *plus præſtat ſolertes veros Medicos expiſcari, quam Remediis excogitandis inhærere.* XV.
Indigeſtio *illa Morborum Chronicorum quid ſit, in corpore ipſam conſiderando.* 102. *Quod Argumentis ſtabilitur.* ibid.
—— *Humorum Podagræ primaria cauſſa.* 100.
Infantes Convulſivi *Materiem biliоſam viridem, ſimilem iſti Hyſtericarum, ἄνω καὶ κάτω rejiciunt.* 77.
Infantes Convulſivi *Corticem Peruvianum quomodo adſumere poſſint.* 41.
—— *Evacuantibus vexati quomodo reſtaurandi.* 91.
—— Febre, *ſive* Tertiana Autumnali, *ſive* Quartana, *laborantes, ſanguine depuratione ſua defuncto, ſponte ſanantur ſæpiſſime.* 9. *Et tenelli de Febre Quartana in cuneis ſæpe triumphans jacent.* 8.
—— *Purgantibus, in* Tumore Abdominis, *ſæpe repetitis, quamplurimi interempti.* 92. *Hujus Tumoris, & duritiei,* medela, *per* Linimentum. 10.
—— *ubi Spaſmis corripiuntur, qui a dentitione non amplius procedere poſſint, de* Variolis, Morbillis, *aut* Febre Scarlatina, *cogitandum.* 86. 145.
—— *in* Variolis *multum dormiunt.* 87.
—— Conſl. *quali ſuſtentantur* Diæta. 18.
—— Diarrhœa *adficiuntur, uti* Salivatione *Adulti.* 16. 18. *Diarrhœa tamen non ita certo ac Salivatio diſcruciat.* 16. *Licet certo ſatis.* 18. 145.
—— Diſcretis *erupturis,* Epilepticis *Paroxyſmis ubi adficiuntur, ſemper Variolas boni moris, & majores, indicantur.* 15. 145.
—— Sudoribus, *ut Adulti, neutiquam vexantur.* 15. 145.
In Infantibus *V. S. æque tuta, & neceſſaria, aliquando eſt, atque in Adultis.* 25.
Inflammatio Tonſillarum. *vid.* Tonſill. Inflamm.
Inflammatio ſpecialis *Variolas conſtituit.* 16.
Inflammatio *in Variolis, in* interſtitiis *Puſtularum,* octavo die *incipiens, bonum; ſi cito recedit, malum.* 15. 16.
Infuſio *Croci Metallorum, in* Hydrope, *præſentiſſimum Medicamentum, in iis, qui ægre purgantur.* 107. *Ad quam doſin exhibenda & iteranda.* ibid. *ad* 108. confer. ibid. *Quomodo* operetur. 107. *Quænam ipſi* Purgantia *nonnumquam, & quando, admiſcenda.* ibid.
Infuſum *Corticis Peruviani, cum Vino Rhen.* 41. 143. *Hujus* ℥jv. *Corticis in ſubſtantia* drach. unius *virtutem continent.* 41.
—— *Rad. Serpent. Virgin. contra Tertianas, cum Vino albo.* 143.
Ingravidatio *ſæpe habetur, quod nil niſi vel* Carneæ excreſcentiæ *in Abdomine, vel* Flatus *diſtendentes, præcipue in viduis, vel ſero nubentibus, ſunt.* 107.
Injectiones *in Gonorrhœa virul. præſertim acres, ab Auctore non commendantur.* 79.
Inquietudo, *in Variolis Diſcretis, &* Vigiliæ, *Phrenitidem minitant.* 18. Paregorica *ibi indicantur, & juvant.* ibid.
Inſania *ex Lochiorum ſuppreſſione, ab Hyſterica Adf. in Puerperis teneris, nimis cito ſurgentibus.* 94.
Intercurrentes Febres. *vid.* Febres Intercurrentes.
—— Morbi Acuti. *vid.* Morbi Sporadici.
Interſtitia Puſtularum, *in Variolis Diſcretis,* die octavo, *inflammantur, & colorem Roſarum Damaſcen. æmulum exhibent; ſi e contra albeſcunt, malum.* 15. 16. confer. 31. 145.
Intumeſcentia *Faciei & Manuum in Variolis, frigore nimio decedit.* 31.
—— *Faciei ac Manuum in Var. nigris peſſim.* 1674. *itidem ſalutaris.* ibid.
Inunctio *in Lue Venerea ad Salivationem excitandam, ex quibus & quomodo, at quamdiu, fieri debeat.* 79. 80.
Juliapa refrigerantia *Salivationem in* Febre Varioloſa *inferunt.* 19.
Julapium *in* Apoplexia. 146. Cardiacum. 141. *Roborans in* Chorea Sancti Viti. 114. 146. *In* Dyſenteria, *Cardiacum.* 22. *In* Febre hiemali. 110. *In* Febre Tertian. dupl. *corroborans.* 9. *In* Febre nova Epidem. *unum & alterum.* 113. *Ex Cortice Peruv. in* Febre nova Epid. *pro Infantibus.* 114. *Ex Cortice Peruviano pro Infantibus in* Febre Intermitt. 100. *Diaphoreticum in* Peſtilentiali Febre. 14. *In* Febre Contin. Variol. 20. *In* Hæmorrhagia *Narium quale debeat eſſe.* 38 *In* Hyſterica Adfect. 92. *Cardiacum in* languore Febril. 5. *Ad* Lochia ſuppreſſa *ex Hyſterica Adf.* 94. *Adſtringens in* Menſium Fluxu immodico. 95. *In* Mictu cruento. 88. *Adſtringens in* Mictu ſanguineo *in Variol. Conſl.* 131. Perlatum. 141. *In* Pleuritide. 35. *In* Pruritu ſerino. 37. *In Rheumatiſmo refrigerans & incraſſans.* 36.

Juniores *ætate* Febrem Quartan. *quomodo ferant*. 87.
Juſcula Avenacea *omnibus anteponit Auctor*. 5.
—— *& Hordeacea in* Lebr. Contin. ibid.
—— *in* Variolis Conſl. 87.
—— *farinoſa non cornea in* Morbillis *conducunt*. 25. *In* Moraill. Anom. *An.* 1674. *commendanda*. 30. *In* Rheumatiſmo *proponuntur*, carnea *rejiciuntur*. 36.
Juſcula *in* Dyſenteria, ex Ovinis carnibus. 22.
—— *in* Febr. Tert duplici *qualia exhibenda*. 9.
Juſculum *in* Cholera Morbo. 21.
—— —— Avenacenm *in* Podagra *non regulari tempore Paroxyſmi commendatur*. 105.
—— *in Podagra, idem fere præſtat, ac Lactis ſolius uſus*. 103.
Juvenes *Athletico habitu, & Sanguinei, in Febribus, illico Venæ-ſectione, ne periclitentur, indigent*. 4.
—— *diuturno morbo confecti*, Pueri, Senes, *Venæ ſectionem in Febribus vetant*. ibid. *Et quare*. ibid.
—— Hydropem *ſibi, ut Febribus Autumn. uſu nimio, & inconſulto, Cathartico rum, accerſere poſſunt*. 10.
—— Podagra *genuina non adficiuntur; licet qui ex Podagricis nati, illa ætate aliquid præſentiant*, 101.

K

D. KEndrink *Auctori amiciſſimus*. 95.

L

LAc Cereviſiatum, *vid.* Zythogala.
—— crudum *tepefactum, in Dyſenteria quando exhibendum*. 23.
Lacrymæ *ex Hyſterica Adf. ſine ulla ſæpe cauſſa*. 89. *Etiam in Viris*. 91.
Lactea Diæta *in* Hyſterica Adf. *quando uſurpanda, in temperamento bilioſo & tenui; & ubi Narcotica ſæpius repetita; ubi recidiva fit Colicæ Hyſt. non amplius juvant*. 93. *In quibuſnam non conducat*. ibid. *In* Podagra 103. *Qua ratione magis obeſt quam prodeſt*. ibid.
Lactis Natura & Proprietates, *reſpectu Nutritionis & inſtaurationis*. 93.
Lactis ſerum. *vid.* Serum Lactis.
Laudanum *nimis repetitum Digeſtiones vitiat, & Functiones naturales debilitat*. 94 *Ubi frequentius exhibetur, intra ſingulas doſes, tantum ſpatii interjiciendum, ut quid prior præſtiterit, ante noſcamus, quam aliam repetamus*. ibid. *Ejus Uſus non immediate Nervis nocet*. ibid.
—— *ad* Corticis Peruviani *vim purgativam ſiſtendam*. 40. *In Infantibus*. 41. Dyſenteriam *ex Terminibus ventris, in Febre nova Epid. obortam celerrime, & certiſſime, ſiſtit*. 114 *In Dyſenteriis Epid. prius Evacuationes inſtituendæ*. ibid. *In* Hypercatharſi, *a nimia purgatione, certiſſimum eſt Remedium*. 107. *In* Hyſtericæ Adf. *Paroxyſmo, ubi* dolor *urget, quanam cum circumſpectione exhibendum; & an ipſi Evacuationes præmittendæ vel non, & quando*, 93. 94 confer ibid. 142. *Ubi Vomitus enormis, illico exhibendum, pro ratione Symptomatis*. 94. *Exhibitum ſemel, continuandum in ejus uſu, donec Symptoma debellatum; ſed interim Evacuantia nulla adhibenda, ne motu excitato Symptomata revocentur*. ibid. *In* Nephritico *Paroxyſmo poſt V. S. & Enema*. 132. *In* Podagra *inveterata, ſi* dolor *intolerabilis*, 106. *In Podagræ inveteratæ Paroxyſmo, ubi* Mortis *metus ex receſſu materiæ*. 105. *Podagræ Paroxyſmum a* Purgantibus *oboriturum reprimit*: Quod Auctori in mentem nondum venerat, dum Tract. de Podagra ſcripſit. 131. *Ad* Vomitum *compeſcendum in Corticis Peruviani uſu*. 41.
Laudani liquidi *Auctoris deſcriptio*. 23. *Quare aliis formis ſit præferenda*. ibid. *Hujus* guttæ xvj *idem valent ac* Syrupi de Meconio ℥j. 87.
—— *In Infantibus doſis*. 86.
Laudanum liquidum, *ad* Diarrhœam *in Salivatione Mercuriali*. 80. *In* Variolis *ad Epileptic. adfectus Infantium*. 86.
Laudano liquido *Auctor tandem antepouit Syrupum de Meconio, in Variolis*. ibid. *Laudanum liquidum tamen propinandum, ſi Syrupi frequentior uſus nauſeam creaverit*. 87.
Laudanum ſolidum *Londinenſe, quare anteponatur Laudano liquido, & Syrupo de Meconio*. 131. *Illius* doſis. ibid.
Lecti calor *non prodeſt in* Uſu Corticis *Peruviani pro fuganda Febre*. 106.
—— Febres Intermittentes *in* Continuarum *ſpeciem tranſmutare valet*. 40. 41. *Et Corticis Peruviani ſalutarem effectum turbat*. 41.
—— nimius *in Febre Eryſipelatoſa rejicitur*. 37.
—— *quomodo ſanguinem exagitet, & in caput mittat*. 113.
—— *in* Variolis *Morbum ferociorem reddit*. 86.
Lecto *in* Angina *quotidie abſtinere quare debeat æger*. 38. *In* Comate Febrili *abſtinendum, vel cum veſtibus incumbendum*. 113. *In* Hæmorrhagia Narium, *quotidie per horas aliquot abſtinendum*. 38.
Lecto *Defixi ægri, Febribus continuis laborantes, poſt* Purgationem *adſumtam, non amplius detineantur*. 5. *Ex eo ſurgendum quotidie in* Febre Epid. *An.* 1673. *ad* 1675. *& ſi debilitas vetat, veſtibus indutis, ei incumbendum, capite elato*. 29. *Si nimis tamen abſtineant, præſertim in declinatione Morbi, quid fiat*. ibid. *Hinc caveant, ne nimis pro una vice ſurgant*. ibid. *In* Febre ſeu Nova Epidem. *incarcerandi ægri: Non ſine periculo etenim detinentur in eo*. 112. confer 111. ibid. *Miliares eruptiones exinde naſcuntur*. 112. *In* Febre Scarlatina *perpetim non adfigatur æger*. 34. *In* Febre Varioloſa *non continendus æger*. 20. *Licet Sudoribus æger vexetur*. ibid. *Fœmina illico addicenda ſimulat* Lochia ſuppreſſa. 94 *In* Mictu ſanguineo *abſtinendum*. 88. *In* Morbillis *quando & quandiu æger adfigendus; non tamen præter modum tectus ſit*. 25.
—— *in Morbillis An.* 1674 *addicebantur*. 30. *Indefinenter adfigi, præſertim æſtate, in omnibus* Morbis inflammatoriis, *per V. S. & Refrigerantibus, curandis, nocuum*. 25. *In* Phrenitide *inſtante, vel jam calefacientibus invitata, in Febre nova Epidemica, abſtinendum, vel cum Veſtibus decumbendum*. 113. *In* Pleuritide *quotidie, pro Viribus, eximendus æger; quod plurimi momenti, quin alias Medicamenta vix profeiant*. 35. *In Pleuritide, præſertim æſtate non continendus æger*. 25.
Lecto *in* Rheumatiſmo. *præſertim æſtate, non continendus æger*. ibid. *Sed aliquot horis de die abſtinendum*. 36. *Abſtinendum* in Tuſſi Epid. *quotidie ubi Febris &c. adſunt*. 32.
—— *in* Variolis *primis diebus* Lecto *non adfigendi ægri*. 85. 18. *Et illi non addicendus æger ante Eruptionem Puſtularum, & priuſquam hæ integre ſeſe in conſpectum dederint*. 84 86. *Lecto ante* diem quartum *pertinaciter addicere ægrum, æque malum, ac intempeſtive Cardiaca ingerere*. 17. *Junioribus præſertim, nimis cito illi adfixis, Symptomata letalia, ut Mictus Sanguineus, Maculæ purpureæ, oboriuntur*. ibid. *Sed eo primis diebus abſtinere Moculas purpureas & Mictum ſanguineum præcavet*. 85. confer. 17.
—— *in Variolarum initio, quibuſnam Symptomatibus præſertim abſtinere cogatur æger*. 86. *Quid tunc agendum*. ibid.
—— *in Variolis abſtinendo primis diebus, Eruptio, negari nequit, utcumque impeditur, quæ tamen ſufflaminatio, & Symptomata inde ſequentia, tutius feruntur, quam mala, ex Puſtularum & inde ſubſequentis puris abundantia oboritura*. 85. confer. ibid. *Lecto in Variolis adfigere ægros Incautioribus neceſſe videbatur ideo, quia ſudores, ipſi preclives, inde plus manantes, Febrilem æſtum levabant; quod tamen ipſum letalitatis ſæpe cauſſa fuit*. ibid.
—— *in Variolis, poſt V. S. ægrum committere peſſimum*. ibid.
Lecto *in Variolis quo die addicendus æger*. 17. 34. 84. 86. *In Variolis, initio, etiam ante Eruptionem, quandoque addicendus æger*. 86. *Infantes primis diebus tutius committuntur, ubi Convulſ. præcedunt; quia, poſt eas raro multum conſtuunt Variolæ*. ibid.
—— *committi qua ratione ibi ſe gerere debeant, reſpectu motus vel quietis, copiæ ſtragulorum, atque ſudoris*. 87. 145
—— *In* Variolis Anomalis Diſcretis, *quandonam addicendus*. 26. *Quare addicebatur*. 30. *Lecto quandanam adjudicandus in Variol. Anom. nigr. peſſimis*.
—— *in* Variolis Conſl. *primis diebus, non adfigendi ægri*. 84. 850. *Et ubi, initio, eas* Confluentes *fore prævidemus, non niſi nocturno tempore commit-*
tendus æger: & quare. 86. *Atque, ut minori copia prodeant, & coeant; non niſi* Sexto die *ab invaſione, ægrum addicendum, quomodo Natura digiſto monſtret*. 84. 130. *Nec abſtinere* die ſexto *ægri amplius valent*. 88. *A* die ſexto *in eo ſe contineant, uſque ad* decimum ſeptimum. 145. Infantes *in Cunis nunc jaceant, nunc iſtinc auferantur*. 19.
—— *æger adjudicandus, tam ad promovendum manuum & faciei Tumorem, quam Puſtularum elevationem &c. ſed modice tegatur, & corpus hinc inde transferae, ad* Sudores *vitandos, præſertim exeunte morbo, adpetente jam* Febre Maturationis, 18. confer. 145.
—— *in* Variolis Diſcretis *oboriturus, an primis diebus abſtineant vel non, idem erit*. 85.
e Lecto *ſurrectionem quænam contra indicant*. 86.
Lectuli, *initio in Variolis, nimiut uſus quomodo Morbum exacuat, & Puſtularum numerum adaugeat*. 18. 84.
Lectulus *in Podagræ inveteratæ Paroxyſmo Exercitii defectum aliquatenus ſupplet*. 105. *Quandonam, Exercitio dimiſſo, æger in eo fovendus, adhibita tenui Diæta*. ib *Quandonam vero ipſe ille Decubitus enecat*. ibid.
Lectum *Podagrici hyeme mature petant*. 104. *Hoc enim, bruma præſertim, Solis vicem gerit*. ibid.
—— *Puerperis tenerioribus quodnam emelumenti adferat*. 94.
Lepra *Morbus eſt ex iis, qui olim exſtitere, jam occiderunt, vel ætate confecti exolevere, & raro compavent*. 31. *Apud Medicos depingitur, ac ſi eſſet* Lues Venerea, *reſpectu cruſtularum latiorum partes occupantium*. 78.
Lienis *regio Infantum, in Febr. Autumn. intumeſcens Febris fugam prænunciat*. 10. *Intumeſcentiæ hujus deſcriptio*. ibid.
Linctus *in* Febre Hyemali. 110 *In* Pleuritide *eſſentiali*. 35. 144. *In* Tuſſi. 151. *Increaſſant*. 141. *Ad Tuſſim in Morbillis*. 25.
Lingua *nigra & ſicca in* Febr. Contin. 1661. &c. 3. *In* Febre hyemali *alba*. 110. *Arida, ſi male tractetur*. ibid. *In* Febre nova hyemali, *quomodo ſe habeat*. 112. In Febre Varioloſa *qualis*. 19, 22. *In Febre Varioloſa a Regimine calido quantum mutata*. 20. *In* Variolis Regularibus *incipientibus ſimilit ac in Febre Varioloſa*. 19. ſed vide ibid.
Linimenta *in Hydrope, Abdomini illinita ad diſcutiendum, nec obſunt, nec proſunt*. 109.
Linimentum *in* Pleuritide *ad latus inungendum, ſuperimponendo Braſſicæ folium*. 35. 144. *In* Pruritu ferino. 37. 144. In Rachitide. 10. 149. In Tumoribus Abdomlnis *Infantium, ex Rachitide vera, vel ex Scrophulis*. 92. *Hoc etiam Axillis adfricandum*. ibid. *Ad* Ulcus *Glandis, vel Præputii, φύμοσιν creans*. 79. 149
Linteamina Lecti, *pro Phthiſicis Equitantibus, calefacta eſſe debent*. 93.
Linum crudum *in Podagra ad partem adfectam leniter uſtulandam, idem præſtabit ac* Moxa. 105.
Liquor *in Febre Eryſipelatoſa parti læſæ adplicandus*. 37.
—— niger *in Variolis Confluent. loco Flavi humoris, ſi ſanguis exæſtuet, effluit*. 86.
Liquores *generoſi in* Hydrope, *modo non ſint Spiritus deſtillati, Morbum incipientem ſæpe ſoli curarunt, præſertim ſi Aromaticis impregnati fuerint*. 109. 148. *Liquores refrigerantes & tenues, licet ægris ob ſitim grati, quare non concedendi*. 109. *Et ſi eorum uſui indulgendum ſit, porce iis utendum*. ibid.
—— Spirituoſi *in Tuſſi Epid* 1675. *vitandi*, 32.
—— *in* Variolis Anom. *temperantes, & Salivationem promoventes*. 25. 26.
Lochia *ſupprimuntur per* Hyſtericam Adfect. *in Puerperis tenerioribus excitatam, quod nimis cito e lecto ſurgant*. 94. *Suppreſſa per Hyſtericam Adf. diriſſimæ* Symptomata, *cum magno vitæ periculo, inducunt*. ibid. *Quomodo* occurrendum. ibid. confer. 148. Quibus Indicationibus *tum ſatisfaciendum*. 280. Medicamento *fortiora non uſurpanda, nec in mitiorum uſu perſeverandum*. ibid. *Ubi Emplaſtro* Emmenagogis, *Paregoricis, Enemate, adplicatis, non redeunt*, nihil amplius agendum; *ſed tempori res committat prudens Medicus*. 94. 95.
Lochiorum *fluxus nimius quomodo ſiſtendus*. 148.
Lock (*Johannem*) *Elogiis quibuſnam dignum cenſuit Auctor. VII.*
Lucianut *in Τραχυκεφάλαι Podagræ Perſonam introducit eos adloquentem, qui Arcana habere jactant*. 106. *Tum & eos, qui cum eo Morbo diu conflixere*. ibid.
Lues Venerea, *ex* India Occidentali, *An.* 1493. *primum in* Europam *adpulſa, antea cognita non erat*. 77. Endemius Morbus Americanis *putatur: ſed Auctor potius e regione aliqua* Nigritarum Guineæ *conterminorum ortum putat; quia Morbus illis populis, Luis noſtræ ſimillimus, & forte idem*, Yavvs *dictus, Endemius eſt*. ibid. *Hinc Hiſpani in America videntur hanc contraxiſſe ex Africanis ibi delatis*. ibid. 78.
—— *non ea celeritate ac ante graſſatur; quod ſi foret, exſtincta brevi eſſet Gens humana, vel in Noſocomiis langueret*. ibid. *Sed inſtar Vegetobilis tranſplantatæ, Europæo ſolo non lætata, languet in dies*. ibid.
—— *in initio Symptomatis quibuſnam prodierit*. ibid. Gonorrhœæ virulentæ *ſpecie*, ulcuſculis in pudendis *aliquando concomitantibus, a* centum retro annis, *ſe primum oſtendit, per quam, ni virus probe ejiciat, ſanguinem inficit*. ib.
Lues Venerea *propagatur vel per* generationem; *vel per* Contactum, *quod aut* lactatione, *aut* concubitu *in eodem* lecto, *præſertim in Infantibus, raro in Adultis; tum* coitu, *fit*. ibid.
—— oritur *ſæpe a Gonorrhœa virul. diuturniore; vel a Materia virul. adſtringentibus intempeſtivis coercita*? 78. 79. *Facile illos ægros adoritur, quorum corpora, ubi Gonorrh. laborant*, Cathartici *fortius obſiſtunt*. 79.
—— Cruſtulas & Porrigines *in variis partibus, ſed flaveſcentes, & aliquando latiores, uti* Lepra *deſcribitur, habet*. 78. *Et quo majori copia adſunt, eo dolores in corpore minores*. ibid 149.
—— Dolores, in initio, *quoſnam, ejus præſentiam deſignantes, habeat*. 78. *Dolores*, progreſſu temporis, *quales habeat*. ibid. 149
—— Fxoſtoſes, *excreſcentiis in tibiis Equorum ſimilet, habens*. 78. 149. Ulcera Phagedenica, *temporis progreſſu, quænam, & ubi, habeat*. ibid.
—— Symptomata *quænam in* ſummo gradu *habeat*. ibid.
—— *cujus Naturæ, quam eſſentialem vocant, ſit, ignorat Auctor*. 207. *Videtur inflammationis particeps*. ibid.
Lues Venerea *quomodo* curanda *veniat, non nulli indicare æquum non æſtimant*. 78. *Auctor contrariæ eſt ſententiæ*. ib.
—— Vacuantibus *curari vult; qualem quoque vim poſſident, quæ huic curandæ primaria*. ibid. *Et ut a Gonorrhœa adhuc longe diſtat, ſic* Evacuatio *qua hæc ejicitur differre debet*. ib.
—— *per* Salivationem *ab* Hydrargyro *tantum exſtirpari poſſe, ubi* confirmata, *putat Auctor*. 79. *Hæc autem quomodo inſtituatur*. 79. 80. 149. *Si* Gonorrhœam *comitem habet, priut Salivatione tollenda* Lues, *tumque Gonorrhœa facilius curatur*. 80.
—— Specificum *nullum habet Remedium, cujus ope ſine* evacuatione *curetur*. 78. *Hincque* ſudorifera *quælibet æque valent ac* Ligna *illa* exſiccantia: *Et ſi aliud Medicamentum daretur, quod Salivationem moveret, pariter ac* Mercurius *ad ſanandam Luem valeret*. ibid.
—— *quare in Gallia facilius ſanetur, quam in Anglia*. 80.
—— *non ſanatur Mercurii aut Sarſaparillæ virtute ſpecifica, ſed vi evacuandi*. 12. 13. 78.
—— *Recidivam unde habeat*. 79.
Lumbago Rheumatica *Rheumatiſmi ſpecies eſt, licet vulgo non credatur*. 36. *Deſcribitur*. ibid. *Ejus* Curatio, *eadem ac Rheumatiſmi*. ibid. &c.
—— Nephriticum *Paroxyſmum mentitur, excepta vomituritione*. ibid. *Ejus dolor imponit Medico tamquam* Sabulum *vel* calculus *adeſſet*. ibid.
Lumbago cauſſam *materiam Rheumatiſmi* inflammatoriam, *eas ſolas partes urentem, adgnoſcit*. ibid.
Luxus *Animo & Corpori quantum lædat*. 103.

M

MAculæ Gonorrhœæ virul. initio, *vid.* Puſtula.
Maculæ *in* Febre Scarlatina, *quales & ut a Morbillis differant*. 34.
—— purpureæ, *unde*. 115.
—— Petechiæ, *tum* Virium ſubita proſtratio, *ſigna habentur* Malignitatis, *quæ Phænomena ſolvuntur ab Auctore*. ibid.
—— Febrium *augentur Calefacientibus, & contra*. 31. 32.
—— *In* Febre nova, *Hyemali, a Calefacientibus*, 112. 113.
—— *In* Febre Scarlatina, *quando*. 84. 85.

— In Febre Varioloſa, *Ptyaliſmo diſparent*. 20.
— *In* Morbillis *quando*. 84. 85.
— *In Morbillis V. S. & refrigerantibus ſublatæ*. 25.
— Peſtis *ſub adventu*. 115. 116.
— *In Peſte præſentanei inseritus nuntij, raro ſine Febre contingunt*. 12.
— *In Peſte vera, Bubonibus retrocedentibus ſuccedentes, certiſſimi mortis indices*. 13.
— *In Peſte ob V. S. non ſatis iratam, cur erumpant*. 14.
Maculæ *in* Variolis, *interſperſæ Puſtulæ*, Mortis prænuncia, *æque ac in Peſte*. 16. 84. 130. Confluentes *ut plurimum comipantur*. 84.
— *In* Variolis Confl. *ubi Mictus ſanguinis vel Sputum ſanguineum, adeſſe ſolent*. 130 *Aliquando, vix adhuc adparentibus, vel paucis modo Variolis, comparent*, & præmaturam Mortem *accerſunt*. 84 *In Variol. Conſt. An.* 1681. *Eruptionem ſæpe præveniebant*. ibid.
— & Mict. Sang. *in Variolis unde*. 85. 115. 116. Cauſſa *harum* vel *Conſtitutio aeris favens*. 16. 84. Vel *a Lecti ſæpe calore, præſertim in junioribus*. 17. Vel *ex Regimine* calido. 19. 84. *Tum ex Sanguine inflammato*. 115. *In Variolis a Regimine calido, præſertim æſtate, & in Juvenibus*. 84. *Quomodo fiat*. 85. *In Variolis An.* 1681. *ex Siccitate Anni inaudita*. 84. *Avertuntur V. S. tempeſtiva*; Vel *Regimine* temperato, 19. 85. 115.
— & Mictus Sanguineus, *Regimine temperato, non curantur amplius, ubi jam adſunt*. 84. 85.
Magnitudo Morbi, *in Variolis Confluentibus, pro* quantitate, *& more, Variolarum, quæ* Faciem: *non quæ* reliquum corpus, *obſident, æſtimari debet*. 15. 16. 145.
Malignitas *in* Morbis, *quid*. 32. 33. confer 115. *In Epidemicis pleriſque ſatis conſpicua, & cum Veteribus tum etiam Neotericis notata, quomodo ab Auctore intelligatur*. 32. 33. *Hujus quænam ſigna haberi ſoleant*. 115. 116.
Malignitas *Morbi non in omni ſpecie per Sudores eliminatur, licet in* Peſte *propter ſubtilitatem partium fieri queat; nam in Morbis ubi ſunt minus ſubtiles, & craſſioribus inviſcata*, Diaphoreticis *adgravantur mala*. 32. *Quælibet in Morbis*, Evacuatione *eadem, qua* Morbus *ipſe* Epidemicus, *cui inhæret, tollitur; ſive id fiat per* Sudores *poſt concoctionem, ut in Autumn. Intermitt. vel Continuis; ſive per alias vias ut in Variolis per* Abſceſſus, *ſive per Artis præſidium Evacuationes fiant*. 32. 33.
— Morborum *in quibuſnam partibus, quæ in propriam indolem, illas quæ obſiſtunt inflectunt & adſimilant, conſiſtat*. 32.
— *aliquando plus a Therapeia perperam adminiſtrata, quam a venenoſa morbi indole, proficiſcitur*. 5 6. 11. conſer 110. *Hujus rei ratio*. 11.
— *per Sudorifica, aliaque calida Medicamenta, non numquam augetur*. 32. 115. *Et ſæpe contemperantibus edomatur*. ibid.
Malignitatis notio *vel verbum, ab hominibus inventum, ipſis, Pyrii pulveris inventione, letalius fuit*. 115.
— præſentiam *Medici petunt vel ex* Maculis purpureis & Petechiis, *vel ex* Virium proſtratione, *ubi Febris Symptomata non vehementiora*. 115. 116.
Malthus, *Pharmacopola, Rheumatiſmo laborans, Sero Lactis curatur*. 43.
Mane *corpus magis firmum & robuſtum cur ſit*. 104.
Mania communis. 11. 150. *In Vegetis hominibus oritur*. 11. Cauſſa *ejus nimis exaltata & vivida ſanguinis craſis*. bid. 150. Curatio *hujus diverſa longe ab illa alterius ſpeciei a debilitate*. 11. *Quomodo* inſtituenda. *Abſolvitur* α. Evacuantibus, *ut humores a capite derivarentur*. 11. 150. *Sed* β. *Quæ cerebrum ac Spiritus roborant non omittenda*. 11. *Hiuc* Roborantibus *utendum*. ibid.
Mania peculiaris *ac ſui generis*, a debilitate, *poſt Febres Intermittentes, Quartan. præſertim ex perverſa medela*, Evacuationibus *nempe, nimis diu protractas, aliquando naſcitur, in* Stultitiam *non numquam degenerans*. 8. 10. 150. *Hujus apud Auctores nulla mentio*. 10.
— *Ejus a Mania communi differentia reſpectu cauſſæ plane oppoſita*. 11.
— *Evacuationes, ut V. S. & Catharſin, uti alia Amentiæ ſpecies, non fert*. ibid. *Verum ab illis vires ſibi adquirit*. 10. *Imo ex ſolo Enemate e Lacte Saccharato fere ſanata rerudeſcit*. ibid.
— *Ejus* curandæ Modus. 150. 11. *Metus hic a Febre, ob Regimen calidum, vanus*. ibid. *Quomodo aliquando pro ratione Virium incrementi* recedat. 16.
Mania particularis *altera, debilitate, Febribus non prægreſſis, ex frigido, & infirmiori temperamento*. ibid. Curatur *eadem Methodo ac altera particularis ſpecies*. ibid. *Exemplum in Gravida*. ibid.
Manna *quid ſit*. 131. Lithontriptica vi *quare prodita exiſtimetur ab Auctore*. ibid. *In* Calculo *purgans lithontripticon; in* Podagricis *tamen non innocuum, niſi inſuper Paregoricum adſumatur*. ibid.
Manna *quomodo adſumta in Mictu Sanguineo a Calculo, ab Auctore*. ibid.
— *in* Aquis Mineral. Catharticis *adſumta, in Calculoſis, quomodo noceat*. 132. *Cum* Sero Lactis & Succo Limonum, *in Calculo, uſurpatur ab Auctore, cum levamine*. 131. *Et ad menſe ſingula hebdomade iteratur; dein bis in ſeptimana adſumitur*. ibid.
Manus, *in Variolis Confluentibus intumeſcere ſolent, tum Faciei* tumor & Salivatio *ceſſant*. 16.
Mapletoft *Med. D. Auctoris in medendo ſocius*. 31.
Mares *Hypochondriacæ Adfectioni minus obnoxii ſunt quam Fœminæ*. 93. *Ratio huju. redditur*. 90.
Martialia *vid.* Chalybeata *ſeu* Chalybs.
Materia Febrilis *in Intermittentibus quando adgregetur*. 40.
— excreta; *poſt* febrilem commotionem, *vitioſa eſſe poteſt, licet Sanguis antea bonus*. 3. *Expellitur quoque, quia Natura ejus conſortium ferre amplius non poteſt* ibid.
Materiæ Febrilis *concoctionem promovere quid reipſa ſit*. 5.
— *concoctæ ſigna poſt dies tredecim vel quatuordecim adparent*. 42.
Materia Medica *cur adeo immenſa*. XI.
— *Morbi in Podagra irregulari, in Paroxyſmorum intervallis, numquam perfecte diſſipatur*. 100.
Materies viridis *Bili porraceæ ſimilis, in* Hyſterica Adfect. *ſæpe rejicitur*. 89. 90. *Et licet Purgantibus fuerint deterſa Inteſtina, tamen Paroxyſmo ingruente, talis ſubſequitur materies: imo quo frequentius hæc fuerint exhibita, uti & Vomitoria, eo uberior iſtius materiæ ſeges*. 90.
Maturatio Variolarum Diſcretarum Regular. *octavo die incipit, & quibuſnam cum Symptomatibus*. 15.
Maturationis Febris *ſeu* Secundaria *vel* & Putrida *dicta, in Variolis Confluent*. 18. 26. 130.
Meatus cæci, *ex Abdominis cavitate in Inteſtina, dantur*. 108.
Medica Ars, *vid.* Ars Medica, *vel* Medicina.
Medica Praxis *ſi ſcribendi vel docendi ordinem reſpicias, ex Hypotheſibus orta licet videatur; nihilo minus ipſæ Hypotheſes, ſi modo Regulæ certæ ac ſolidæ fuerint, Praxi originem debent; quod Exemplo confirmatur*. ibid.
Medicamenta *præſtantiſſima a Natura præcipuas vires accipiunt, quum ipſa illas ſuo igne elaboret, atque evehat; quod docent Cortex Peruvianus, & Opium*. 91 92.
— Specifica *quænam intelligenda juxta Auctorem*. XI. *Quo ſimpliciora eo meliora*. 102. *Specifica nulla, uno* Cortice Peruviano *excepto, cognita*. XII.
— *ad Morborum magis inſignium curationem, in patrio cujuſtibet ſolo, data, veroſimile videtur*. ibid.
— *ex Plantis deſumta, reliquis, uti ex* Animalibus *nimis ſimilibus, vel ex* Mineralibus *nimis diſtantibus, primam præripiunt*. ibid. *Ex alia Tribu deſumta prodeſſe tamen poſſunt*. ibid.
Medicamenta *ſimplicia adeo tradit Auctor, ut ad Materiam Medicam vix poſſint referri; & ab Hippocratis Methodo in eo non deflectit*. XV.
— *ſimpliciora a levioribus tantum ingeniis vili penduntur*. 38.
— viliſſima *quoque habita Hominibus, ab Orci faucibus liberandis, quomodo inſervire queant, ſi Medici ſolertia dirigantur; Exemplo comprobatur*. ibid.
— optima *Chemicorum nimis officioſa ſedulitate enervantur ſæpe*. 91.
— calidiora, *in Febribus Continuis, quando concedenda*. 5.
— Concoctionem *Materiæ febrilis* promoventia, *Medicis dicta, non intelligit Sydenham*. ibid.
— Refrigerantia *& Clyſteres in cauſſa aliquando ſunt, quo minus Deſpumatio Febrium ſpatio* 107. *hor. h. e.* 14. *dierum, perſolvatur, ſed in longum evagetur*. 9
— *Febrim Continuam, ad diem decim. quare. ſoluturam, in vigeſimum diem & ultro, protrahunt*. 5. 6.
— Hyſterica roborantia. 26. Hyſterica fœtida *quænam dicantur*. 91. 93. *Dum roborantia adhibentur interim exhibenda*. 91.
— *Quædam ſunt* Naturalia *ex Plantis & Animalibus; quædam* Artificialia, *ut præſertim ſpir tus fœtentes, ex Animalium partibus, qui omnes Creaturæ ignis ſunt*. 93. *Medicamenta Hyſterica, ubi Fœminæ ab iis nimis abhorrent, ſunt omittenda*. 91. *Diutius agunt ſi forma ſolida, quam liquida deglutiuntur*. ibid.
Medicamenta roborantia *in* Hydrope *loco Purgantium, quando neceſſariæ*. 109.
Medicamenta *in* Morbis Chronicis, Digeſtiva, *ſunt eam Pharmaca, quam victus ratio, Exercitatio, & ſimilia*. 102. 103. *Quæcumque fuerint, plus præſtant, quam quis exiſtimare poſſit*. 103.
— *eadem ſunt quæ in* Podagra. ibid.
— *in* Chronicis *pleriſque, æque ac in* Podagra, *ex calefacientibus quæ amarescunt, vel linguam leviter feriunt, quare conducant*. 102. confer 103.
— *Pharmaca, ſtricte dicta, ſola* Morbos Chronicos, & Podagram *nen curant, ſed victus ratio concurrere debet*. ibid.
Medicamenta *in* Podagra Digeſtiva *quænam*. 102. *&c. Qua Cautione, ne fomes Morbi irritetur, in eorum uſu procedendum*. ibid. *In Paroxyſmorum intervallis, & quam fieri poteſt longiſſime ab inſecuturo, in uſum revocanda*. 318. *Conſtanter & adſidue uſurpanda, quia corporis habitus omnis alio traducendus eſt, atque homo integer quaſi nova incude refingendus, ut Coctionum robur & firmitudo partium pedetentim reducatur*. 103.
— externa *in* Podagra *an dentur*. 105. 106. *Aliquando nocent, proſunt numquam*. 106. *Si Refrigerantia & repellentia fuerint*, periculoſa. ibid. *Ubi* experiunda, *ſub initio Paroxyſmi ſunt tentanda, non ſub declinatione ejus, ne ſucu. nobis fias*. 105.
Medicamentum externum *in Podagræ Paroxyſmo quod ſolum bonum fuit, quale*. 106.
Medicamentum *ex pluribus Simplicibus miſtis conſtans, quandonam potentius operetur*. 102.
Medici *in Morbis depellendis non ſatis lenes feſtinant*. 29.
Medici Fama *in* Variolis *tractandis, ubi de* caloris *gradu Expulſionis tempore applicando agitur, in anguſto verſatur, ob vulgi non modo, ſed & ipſius artis Profeſſorum, calumniam*. 17.
Medicina *jam multis ſeculi ante* Æſculapium Ægyptium, *qui mille annis* Græcum *anteceſſit, quare neceſſario excoli debuerit; licet ejus natales, uti & aliarum Artium, indigitari nequeant*. VIII. *Quam* antiqua, *haud minus ac Nili fons inveſtigatur; cum ab initio exſtiterit, jam diligentius, jam frigidius exculta*. ibid. Varie exculta *etiam fuit, pro vario tempore & varia regione; & dein pluribus mediis ampliata*. ibid.
— *quomodo ulterius promoveri queat, Auctor* Tract. de Morbis Acut. *poſt longas Meditationes, ac fidam plurimorum Annor. Obſervationem, in medium proferre decrevit*. ibid. *Incrementum*, duobus mediis, *nempe, Hiſtoria Morborum graphica & naturali, tum Methodo curandi, ſeu Praxi, ſtabili ac conſummata, capere poteſt*. ibid. confer XII. *His vero* tertium *accedit, Specificorum Remediorum ſcilicet* inventio. ibid. *Primum traditur*. VIII. IX. *Alterum traditur*. ibid. XII.
— *Chemiæ utilia Medicamenta non nulla, debet; ſed errant, qui Medicinam nulla re magis, quam Chemicorum inventis, promoveri poſſe, volunt*. 108. *Non deficit in eo, quod indigeamus mediis, Indicationibus ſatisfacere aptis; ſed quod Indicationes quibus ſatisfaciendum eſt, ignoremus: Hocque non niſi ab exercitato, pari certitudine noſcitur*. 100. *Quomodo vero hæc cognitio acquirenda*. 108.
Medicina *cur uti reliquæ Artes incrementa ſumere poteſt, ſine priſcorum Hominum injuria, quidquid dicant illi, qui prætextu reverentiæ pro Antiquioribus, ab iis diſcedere nolunt*. ibid. *Duplici hominum genere in progreſſu ſuo impeditur;* primum *eſt eorum, qui nullum ſymbolum ad artem ſuam conferentes, aliis, qui vel minimum conferre videntur, ſuccenſent, ac ſi ab Antiquioribus, ſpecie reverentiæ, diſcedere non auderent;* Alterum *eſt eorum, qui Speculationes, ad Morborum curationem nihil facientes, moleſte ingerunt, & ſic ignibus fatuis Medicos in errores ducunt, potius quam ipſis viam præmonſtrant*. ibid.
— *ad Experientiæ leges & normam niſi exerceatur, exulanda potius*. 42. *Cum laude non exercetur, ſi ad ſubtiliores in Praxi minutias non attenditur*. 88. *Non rectius quam ad ipſius uſu addiſcitur*. VIII.
— *acceſſionem* Practicam *quantulamcumque longe pluris facere debet, quam inanem ſubtilium ſpeculationum pompam*. 14.
— *ubi Methodum quamdam certam, vel leviſſimi Morbi debellandi prodidit, majoris felicitatis eſt, quam Tantali vel Cræſi Theſauros adcumulaſſe*. 39.
— Practica *in Indicationibus genuinis expiſcandis, non ita in Remediis excogitandis, præcipue ſtat*. XIII.
Medicina *in Variolarum genere, ubi Exanthemata pauca & diſcreta, nullius eſt momenti*. 86.
Medicinæ Pompa, & dignitas, *non tam in* Formularum elegantia, *quam* Morborum Curatione *cernitur*. 110.
Medicus & Chirurgus *ſtructuræ humani corporis probe gnarus quare debeat eſſe*. 108. *Tamen Morbis ineſt τι Θειον quod ex ejus contemplatione indagari nequit*. ibid.
— *curam omnem in* expiſcanda Morborum Hiſtoria, & *adhibendis* Remediis quæ Magiſtra Experientia indicat, *debet collocare, rejectis Speculationum commentis*. 40.
— & *Formularum Præſcriptor toto cœlo differunt*. 87.
— peritiſſimus *æque probus, ubi aliquando* nihil aget, & *alio tempore efficaciſſima adhibebit Remedia; licet a vulgo ignavo negligentiæ vel ignorantiæ tum* reus *habeatur*. 33. *Bonus ac probus ubi fuerit, ſuo pulchre defungitur munere, tam in Acutis, quam Puerperarum Morbis, cum, ubi de ſucceſſu certios non fuerit, nihil potius ſentat, ſi æger de die in diem pejus modo non habet, quam quod ægrum in geminum diſcrimen, cum ex ipſo morbo, tum ex ſuo experimento, conjiciat*. 94.
— *ad* Hyſtericas Adfect. *a Morbis eſſentialibus partium diſtinguendas, ſagax, & arte peritus, ſit oportet*. 89.
— *in* Variolis *Diſcretis nihil habet, quod agat, niſi ſibi & aliis imponat: ſi vero jactet, tum in* Variolis Confluent. *tentet, quantum in Arse valeat, præſertim, in Juvenibus, & vino potatis*. 88 *In Variolis incipientibus, in eo tantum ægro ſuppetias ferre poteſt, ut Puſtularum numerum coerceat, ne confluant*. 84
Medicus *in Variolis, ubi ſanguis educendus, vel aura frigidior adplicanda, ad conſcientiam ſuam potius, quam ad incertam famam, ſe componat*. 19.
Meditationes *niniæ Podagricis nocent*. 103.
Melancholia *Podagræ, præ ceteris comes ſemper adhæret: & profundat cogitationes producendo, hic ledit*. 104.
Melancholici *quo animo ſint conſtituti*. 89 90. 91. *Ingenio ceteris præſtant*. 90.
Membra *in Rheumatiſmo, motu omni, ceſſatis jam doloribus, ad mortem uſque ſæpe privantur, digitorum articulis inverſis*. 170.
Menſes *in* Hydropica *quinquagenaria, eaſdem diu non paſſa, quaſi flumine denuo erumpunt*. 109.
— *quo tempore ætatis deſinere ſoleant*. 102.
Menſium Fluxus immodicus, *ſæpiſſime fœminas invadit, paulo ante tempus, quo Menſes omnino ceſſaturi ſunt*. ibid. *In Puerperis, poſt Partum plerumque laborioſiorem natus, brevi quoque ſe proripere ſolet*. ibid.
— — — *Hyſtericam Adf., quam Vapores vocant, excitare valet*. ibidem. *Quid agendum ſi in Puerperio contingat*. ibidem. *Quid, ſi extra illud*, 95.
— — — *in* Variolis Anomalis, *tempore* non ſolito *ſuperveniens, quare periculum inferat*. 26. *Et* Calefacientibus, Cardiacis, adſtringentibus, *ſæpiſſime letalis Morbus factus*. ibid. *Hinc* temperantibus & diluentibus *tractandus*. ib.
Menſium Suppreſſio *ea Methodo ac Hyſterica* Adf. *ſanatur*. 92.
Menſura Venæ ſectionis, *in Febribus continuis*. 4.
Menthæ aqua ſtill. *in Ileo vero*. 7.
Mercurius, *in Lue Venerea curanda, evacuando ſorte potius, quam vi ſpecifica, agit*. 12. confer. XIII. *Vim ſpecificam, ad debellendam Luem Veneream, non majorem habet, quam ſcalpellum Chirurgicum ad Pleuritidem ſanandam, vide* 80. Specificum mediatum *in Lue Venerea tantum dici poteſt*. ibid.
— dulcis *ad ſalivationem exſtimulandam, in Lue Venerea*, ibid. *Ad Salivationem ſuſtinendam, quando uſurpandus*. 79.
Metaſtaſis Podagricæ *materiæ in Pulmonis lobos, ex frigore in Paroxyſmo ſuſcepto*,

pto, aliquando, licet raro contingit: in quo casu Podagræ ulla ratio habenda, sed Morbus tamquam Peripneumonia curandus. 105.
Methodus vera Artis Medicæ tradendæ, *vid.* Medicina.
Methodus medendi *vera est, quam recta ratio, non speculationum commentis, sed tristo & naturali cogitandi modo innixa, dictat.* 110. *Et vera ex Historia Morbi sola peti potest.* 42. confer ibid.
— Auctoris *ad Morbos curandos fuit, ut diligenter & adcurate ad* Phænomena Morborum Naturalia *adverteret, indeque Indicationes Curativas eliceret. VI. Exemplum in Observat. circa Febres & Methodo hai curandi.* ibid.
Methodus Hippocratis *medendi, Caussarum conjunctarum, & immediatarum, cognitioni superstructa, Artis Medicæ damno, derelinquitur, dum remotioribus Caussis speculatores vani incumbunt. X.*
— *ab Auctore quæcumque tradita, non cerebri quoddam figmentum, in musæo excogitatum, sed constanti pragmatica stabilita.* XII.
— medendi *certa, ac consummata, quænam sit. X. Confirmatam undique, in quovis Morbo, stabilire difficile.* ibid. *Quænam præferenda in Curatione Morborum sit, quomodo dijudicetur.* 116. *In Morbis Acutis ea ad sanationem maxime confert, quæ Evacuationis modo, quem Natura statuerit, opem fert. XI.*
— *curandi* Febres *per* V. S. & Purgationem, *in Febribus quam plurimarum specierum, plus præstabit, quam alia quædam Methodus.* 115. *Præsertim quam illa per* Diaphoresin, *quæ admodum incerta, ac dubia.* ibid.
— Pestilentiales Febres, *ab* Auctore *reperta post Pestem, adeo salutaris fuit, ut ex suis ægris nullus desideratus fuerit.* 14.
— *diversa ab ea, quam hactenus eum successu usurpaverat Auctor,* novæ Febri *cuidam dein Pestim est reperis ac adaptari debee.* 13.
— Febrem Varioloſam *præ cæteris optima, Auctori videtur Regimen temperans & refrigerans.* 20. *Contraria Methodus, licet sæpe resurgant ægri, magnum infert Discrimen & Symptomata auget.* 102.
Methodus curandi Variolas, & Historia *ipsarum vera, ex Variolis Constitutionis. An.* 1667. *ad* 1669 *est desumenda, qua Regulares, & in suo genere omnium perfectissimæ, fuere.* 15.
— *ab Auctore proposita, non ipsius judicii auctoritati innititur, sed Phænomenis practicis, postquam sedulo fuerit observatum,* a quo Regimine mitius aut sævius Variolarum genus producatur; *superstructa fuit.* 85.
— Auctoris *in Variolis Confluentibus tractandis,* Symptomata *pessima præoccupat, & benignum reddit Morbum.* 19.
— *Variolat Discretas* tractandi, *ab ea* Auctoris *diversa, quænam Symptomata prodeant.* ibid.
Methodus Naturæ *varia & adcurata, quam ad Morborum generationem adhibet. a nemine hactenus pro rei dignitate satis observando est adsecuta.* 2.
Miasma *Pestiferum vel immediate, vel mediate, suscipitur.* 11.
Miasmata *Epidemicos Morbos producentia, oriuntur, vel a Vaporibus e Terræ visceribus, mutationes quasdam passis, aerem inquinantibus; vel ab Atmosphæræ alteratione propter corporum quorumdam cælestium Conjunctionem.* 102.
Mictus Sanguineus *a Calculo Renibus impacto.* 131. 146 *In Calculosis curru vehendis per vias, lapidibus stratas; quomodo præcavetur.* 132 *Ex Calculo Renum post ambulationem subortus.* 131. *Motu Currus, excitatus.* ibid.
— *quomodo tractandus: & quali* Diæta *in eo utendum.* ibid. *&c.* confer 146. *Plurima Remedia sine successu adhibet Auctor* 131.
Mictus Sanguineus *Mannæ usu curatur in Auctore.* ibid.
— *in* Febribus *plerumque letale.* 88. *In* Febre Scarlatina *quando.* 84 85.
— *in* Morbis Acutis *unde, & quid indicat.* 88. *In Culcitra corio tecta æger dormiat.* ibid.
— *in Morbillis, quando.* 84 85.
— *in* Variolis *Confluentibus æque ac Discretis, quare Adolescentibus, Vegetis, & Vino potatis, contingat.* 16. *Sub initio Morbi, sæpe nullis, vel paucis hactenus, erumpentibus Pustulis, plerisque adhuc latitantibus, prodit, & ægrum ante plenam Eruptionem e medio tollit.* 84. confer 115. 130.
— — *unde.* 85 *A Lecti sæpe calore, si nimis cito ei adfigantur, præsertim junicres ægri, excitatur.* 18 *In genere, Regimen quodcumque calidum illum provocat.* 84 85. *Quomodo hoc fiat.* ibid
— — *insanabile plerumque malum, Mortem prænuncians.* 19. confer. 16 84. 85. 130.
— *quomodo præveniendus* Regimine *temperato, ex* Sydenhami *Methodo.* 32. 85. *V. S. tempestiva sæpe præcavetur.* 18.
— & Maculæ purpureæ, *Regimine temperato non amplius curantur, ubi jam adsunt.* 84. 85. *Quomodo adhucdum curari possent.* 130. 131.
Miliares eruptiones, *in Febre nova, hemali, Morbillis non absimiles, nisi quod rubeant magis, & squamulas furfuraceas non relinquant, a Cardiacis & Lecti calore.* 112.
Millington *Medicus Doctissimus una cum Sydenhamo ægrum Variolis nigris infectum visitat.* 26.
Minera Ferri, *ignem nondum passa, in Hyster. Adf. & Chlorosi, ipso Ferro an plus præstaret.* 91. 92.
Mineralia, *in usum Medicum adplicata,* Indicationibus potentius, *quam* Vegetabilia *vel* Animalia, *quare respondeant:* 15. *Specifice tamen non medentur.* ibid.
Minutiæ subtiliores *in Praxi indagandæ, sine qua Medicina cum laude neutiquam exercetur.* 88.
Mistura Cardiaca *in languore Febrili.* 5. *In Tertian. Autumn. Sudorifera.* 9.
Morbi *ab omni ævo eur adfuerine. VIII.*
— *regnant hisce temporibus quidam, aliquando interituri, &* novis *cessuri speciebus.* 31. *Sic & exstitere olim, qui vel ætate pene confecti exolevere, & raro comparent; vel occidentes penitus* novis *cedunt* speciebus. ibid.
— *species novas, prioribus exstinctis, cur habere possint.* ibid
— *ad certas species, ubi eorum tradenda Historia, quare revocandi. VIII. Complures, sub eodem titulo, citra speciei distinctionem tractati, dissimillima sunt indole.* ibid.
— *facie sæpe* variant, *pro vario medicandi processu; adeo ut* non nulla Symptomata *non tam Morbo sæpe, quam* Medico, *debeantur. IX.*
— *qui certum aliquem typum adgnoscunt, ut v. g. Febr. Quartana, sub quo genere comprehendatur. XI.*
— *Tempestates Anni, nec pauciores, sequuntur, occulto quodam Naturæ instinctu; non nulli sunt omnium horarum. IX. Hujusque rei notitia Medico in quibusnam multum prosit.* ibid.
Morbi *alii* Acuti, *alii* Chronici, *duobus principiis sibi invicem contrariis, dantur.* 1.
— Acuti & Chronici *in quibusnam differant.* ibid. 102. *Quomodo essentialiter differant, & quænam sint specificæ humorum depravationes, quæ, in* his *ab indigestione tanquam caussa generali, in* illis *a sanguinis inflammatione, tanquam universali caussa, pendent, ignoramus; & in extimo Morborum cortice tantum hæremus.* 109.
Morbi Acuti *ut plurimum Deum Auctorem habent;* Chronici *nos ipsos.* 86.
— *quinam vocentur.* 1. 102.
— *plus quam duas tertias Morborum partes comprehendunt.* 108.
— vel *ab aeris inquinamento,* vel *a particulari corporum anomalia, gignuntur.* 1. *Hineque distinguuntur in* Epidemicos, *& in* Intercurrentes *seu* Sporadicos. ibid. 102.
— *pro* caussa *externa quam plurimum,* Vestium præmaturam abjectionem, *vel* refrigerationem post incalescentiam ab Exercitio, *habent.* 34. *Quique tum specie varia, pro Anni Constitutione, vel humorum Dyscrasia, exoriuntur.* ibid. confer ibid. *Et ab his duabus caussis plures, quam Peste, Gladio, fame, simul sumtis pereunt.* ibid.
Morbis Acutis *omnibus,* & Chronicis *plerisque, τὸ Θεῖον inest, quod, ex Contemplatione exactissima corporis humani, indagari nequit.* 108
In Morbis Acutis *Medendi ratio non eomprobatur ex eo, quod feliciter cedat, (nam Multercularum temeritate aliquando curantur) sed quod suopte genio quasi recedat Morbus.* 24.
Morbi Chronici *quinam vocentur.* 1. 102.
— & *Acuti in quibusnam differant.* 1. 102. confer 109.
— *non Aeri ica immediate, ac Acuti, suam originem debent, sed* Humorum Indigestioni; *ad quam caussam universalem eamdem omnes referri debent.* 102. *Quæ quomodo concipienda.* ibid. 103. *Quodque Argumentis stabilitur.* ibid.
— *non facile describuntur, quia apud Auctores* (Hippocratem *& paucos alios si demas*) *nulla reperiuntur vestigia ad iter faciendum; horumque subsidia potius oberrare faciunt* (*quoniam Hypotheses tantum, & lascivientis ingenii lusus*) *quam quod mentem, in genuina Naturæ Methodo indagantem, dirigant.* 77.
— Scorbutum *sæpe, quamdiu* vel *adhuc nascuntur, neque Typum certum ceperunt, vel pro parte fugati, neque omnino debellati sunt, existimantur esse.* 36.
— Hyeme *potius quam Æstate gignuntur.* 103.
— *ut* curentur, *Habitus totius corporis, uti in Podagra, immutari debet; hinc Remedia diu continuanda, & corporis exercitium quotidianum præprimis colendum.* 103. 104.
— & Podagra, *Medicamentis solis non curantur, sed Victus ratio concurrere debet.* 103. *Herbis excalefacientibus cur sanari debeant.* ibid.
Morbi Epidemici *sunt illi* Morbi Acuti, *qui durante arcana quadam aeris Constitutione, hominum corpora inficiente, gignuntur, & lacessere pergunt,* plures adficientes, *neque alio ullo tempore invadentes.* 1. confer. 11.
— *a* Caussa *generaliori, sive externa, ex aere pendente, h. e. ex aeris occulta quadam diathesi, sive arcana alteratione, non a peculiari Humorum erasi, nisi, quatenus ab aeris Miasmatibus inficiuntur hi, pendent.* 1. 2. 11. 24. 102. confer 33. 34. *Caussa hæc Productiva,* Conditio *certa* recondita, *&* inexplicabilis Constitutio, *dicitur, quia hanc* dispositionem plane ignoramus. 1. 11. 24. 184. *Qua ratione Aer ita inficiatur, ut Effluvia, Morbos hosce Epidemicos, alicujus singularis Constitutionis,* producentibus, *scateat.* 30. 31. 102. 112.
— varii, *qua de caussa in* eamdem *Constitutionem ineidant.* 24.
— *ab Aeris* occultis *Qualitatibus licet magis pendeant, quam a* manifestis (1. 17. 24. 39) *Tamen pro tempore in eos talem habent potestatem ha* Manifestæ Qualitates, *ut illos intromittant vel excludant, varia tempestate, pro ut ipsi favent,* universali Constitutione *interim prorsus eadem manente.* 24.
— quidam, *quoad Symptomata non nulla, ab aeris quoque* manifesta Diathesi *pendere solent.* 39. *Exempla hujus asserti, Morbilli: & Cholera An.* 1676. *traduni.* ibid.
Morbi omnes *ea maxime* tempestate *grassantur, quæ cum eorum indole magis facit; &, aliena tempestate adpetente, iis Epidemicis cedunt, quibus illa magis favet.* 84.
— *faciem sui plane dissimilem habent, non tantum respectu Anni* tempestatum, *sed & respectu* Constitutionum *diversorum Annorum,* a quibus pendent, *ab invicem discrepantium.* 1. *Longe plus ab invicem diversitatis ex diversorum* Annorum Constitutione, *quam ex variis* Anni tempestatibus, *habent.* ibid. *Externa quadam specie, & non nullis Symptomatibus, licet incautioribus* convenire *videantur, interim, tum ratione Symptomatum, tum medendi modo,* discrepant, *& alienæ sunt indolis.* ibid. *Hæcce* disparitate *diversorum ab invicem annorum* Constitutiones, *a quibus pendent, referunt.* ib. *Constitutionem hanc generalem si respicias, adeo* diversi *reperiuntur* diversis Annis, *ut qui jam hac Methodo ab iis, puta* Febribus Continuis, *liberantur ægri, aliis Annis eadem Methodo forte e medio tollantur.* ibid. *Hinc in initio Constitutionis, aliquando vita prima periclitantur ægri, donec Morbi genium perspectum habeatur.* ibid.
— *Plures uno eodem Anno grassantur; sed* Unus *eorum* prædominio reliquorum potitur; *illis tum parcius sævientibus, cum hic augetur, & vicissim.* 2. *Et hujus* Vicissitudinis *aeris temperies, huic illive favens, in caussa est.* 2. 24. *Unde in eadem Constitut. hic Morbus aliquando se exseruit, alteri locum cedens, prout aeris sensibilis qualitates, hoc illove tempore, illud destinavere: Sed* Constitutio universalis *eadem manet, sive Epidemici, ad illum, qui eo Anno regnat, adtinentes, aeris quadam manifesta qualitate, promoveantur vel retardentur,* hac illave tempestate 24 confer 2. *Exempl. in* Febre *Stationaria Constit An.* 1669 *ad* 1672 *hæc* Julio *propter calorem aeris sævit, &* Autumno, *Morbo magno, a quo insignitur Annus,* Dysenteriæ *se. cedit.* 24.
Morbi *ab invicem ut clavus a clavo* pelluntur. 21. *Qui tamen cedunt non omnino* evanescunt, *sed* rarius *invaduns.* ibid.
— *alii* continua quadam serie, *ceu facto circulo,* alios *an semper excipiant? an vero omnes indiscriminatim* nulloque ordine, *pro culta aeris diathesi, mortales incessant? vix unius hominis brevis ætas perquiret.* 1.
— *Quo ordine sese excipiant, ut dignoscatur, quædam Auctori commoda videatur* Methodus. 3.
— *quibus annis varia specie grassantur, tamen omnes, modo quo adgrediuntur, atque invadunt, consentiunt.* 2. *Nam Morbi ea tempestate prædominantis, genio συγχρονοι se adcommodant, quotquot illo Anno invadunt.* ibid. *In generali vero Caussa, singularum specierum productrice, quamvis quoad Typum &c. distent, omnes conveniunt.* ibid. *Nam Constitutio singularum specierum materiam ita effingit, & formae, ut in pluribus congruant.* ibid.
Morbi Epidemici *quilibet suos habent Periodos,* Augmentum, Statum, & Declinationem. 21. *Sed Morbi diversi, tempore diverso ad statum perveniunt.* 2.
— omnes *emergentes e Naturæ sinu, subtilioris principii sunt, quam ubi* adolevere: *& quare.* 22. 28.
— *initio atrociora quam ubi Constitutio* adolevit. 22. 25 confer 21. *Exempl. in* Peste & Dysenteria. 22. *Et* cum ad ἀκμὴν pervenerunt licet plures adficiant, tamen Symptomata eorum mitiora sunt, quam in principio; *ut in* Dysenteria *Constit* 1669. *&c. contigit* ibid. *Ubi jam statum suum transgressi, quoad Symptomatum vehementiam, & ægrorum numerum imminuuntur.* 25. confer 21.
— *multo plus quam unius Medici ætatem, priusquam eorum species,* Characteres, *medendi ratio singularis, &c. rite percipiantur, exigunt. Et quare.* 2.
— *a Natura elegantí & subtili artificio in natalibus suis exsuuntur, ut patet in Cholera Morbo, qui alio vaenie quam Augusto, non invadit, licet eadem dentur caussæ; ac si in aere illo mense aliquid, quod specificam hanc alterationem producit, resideret.* 22.
— *alii sunt* Regulares, *& ex his Epidemicorum Historia edisenda est;* Alii Anomali *nulli Typo adstricti, tam quoad Symptomata, quam medendi Methodum, & mali moris sunt.* 2 *Unde illa disparitas.* ibid.
Morbi *dantur vel* Autumnales, *vel* Vernales: *quique alia tempestate subnasci videntur, ad eam tamen relegantur, quam proxime contingitur.* ibid. *Hinc de ipso Æquinoctio, ubi dicitur, statim ad amussim non intelligendum.* ibid. *Nam aeris quadam temperie ita alliciuntur aliquando, ut maturius invadant; & e contra* ibid.
— Autumnales, *intra* duorum mensium *spatium &* nomen, *& Epidemicorum* naturam, *omittunt.* ibid. *Exorti* Augusto *mense, sæpe intra unius* mensis *limites concluduntur aliquando, ut Cholera; non numquam ad* Hyemem *excurrunt, ut Dysenteriæ, Quartanæ, &c.* ibid.
— Vernales *quo tempore se ingerant, & cursum absolvant.* ibid. *Maturæ h. e.* Januario *invadentes, circa* Æquinoct. Vernum *ad statum perveniunt, dein imminuti circa* Solstitium æstivum, *fere evanescuas; ut* Morbilli & Tertianæ Vernales, *quæ licet serius paulo, ue* Februario, *emergant, tamen circa* Solstit. Æstiv. *pariter se subducunt.* ibid.
— *Alii interim* Vere *orti non nisi sub* Æquinoct. Autumn. *statum adipiscuntur, nec ante* brumale frigus *vertuntur in fugam, ut* Pestis & Variolæ. ibidem.
Morbi Epidemici varii *Annorum* 1661. *ad* 1665. *vid.* Constitutionum Genera quinque.
— *An.* 1677. *ab Auctore propter Morbos ipsum eo tempore cruciantes, non describuntur.* 40.
Morborum Epidemicorum *Historia ex quonam eorum genere addisci queat.* 2.
Morborum Variorum, *qui a specificis aeris alterationibus oriuntur, species tradere impossibile.* 3.
— Observationes *aliquot annorum succedentium, quo fine, in humani generis emolumentum, ita tradiderie Auctor.* ibid.
In Morbor. Epidemicorum *generatione Natura quomodo ludat.* 15.
Morbi Fientes *dicuntur Auctori, qui nullum adhue certum induerunt Typum.* 37.
— — *ab Humoribus depravatis, ex Spirituum* ἀταξίᾳ, *in Hysterica Adf. diuturna.* 91.
— Infantium. 110.
— Inflammatorii *plurimi, verno tempore,* Lond. *Ann.* 1665. *post hyemem frigidam, & siccum gelu, grassantur.* 11.
Morbi Intercurrentes *seu Sporadici vocantur, qui non a caussa adeo generali, sed ab hac aut illa peculiari sanguinis inflammatione, ex particulari corporum* ἀνωμαλίᾳ, *seu intemperie, producta, oriuntur, plures simul non corripiunt*

ut Epidemici; nullo non tempore, quo Epidemici graſſantur, indifferenter invadunt, & Annis fere quibuslibet occurrunt. 1. 102. confer. 33. 34
— *aliquando ſunt* Eſſentiales; *aliquando Febrium Stationariarum* Symptomata, ſive Adfectus quidam hos Morbos omnino referentes, & Febribus Stationariis ſupervenientes, *modo ſunt.* 34.
— diſtinguuntur *quatenus* Eſſentiales *vel* Symptomatici, *quo* Hi *talia habeant Symptomata, qualia Febres Stationariæ, quarum Accidentia ſunt, habere ſolent.* ibid. α. Illi vero *quolibet Anno pari modo adgrediuntur, nec aliquid commune, cum Stationariis iſtius temporis, habent.* β. *Symptomata habene perſpicua, nec aliis naturæ φαινομένοις obſcurata.* γ. *Suo Invaſionis tempore tandem quoque dignoſcuntur.* ibid.
Morbi Eſſentiales *ſi fuerint, & aliquis eos eamen* Symptomata tantum *eſſe voluerit, conſiderari modo poterunt, ut* Symptomata Febrium ad quas ſpectant proprie, & quæ ſemper ac neceſſario talia Symptomata producunt ibid. Exempla *in Angina & Pleuritide.* ibid Eſſentiales *a peculiari ſanguinis inflammatione cum pendere videantur,* curari *poterunt eumdem refrigerando & comtemperando, eum materiam morbificam eliminando.* ibid.
— Symptomata *ſi fuerint* Stationariarum, *aliquam Conſtitutionem ſpectantium, tum ex his Febribus* per accidens tantum, & non neceſſario, producunt. ibid. Symptomatici *ſi fuerint,* curantur *iſta Methodo, qua Febres cujus Symptomata ſunt: ſi enim ad Anni Febrit curationem non attendamus, cum ægri diſcrimine ingenti erramus.* ibid.
Morbi Intercurrentes *ue Pleuritis, Angina, &c. Febrim pro Morbo primario habent: & reliqui Adfectus, a quibus hi Morbi nomen mutuantur, tamquam Symptomata conſiderandi, quæ, pro materia Febrili modo criſeos, parte in quam materies ruit, variant.* 33.
Morbi Hiſtoria. *vid* Hiſtoria Morbi.
— Natura *non ex ſpeculatione naturæ principii corporis, ſed ex Obſervatione exquiſita φαινομένων Morborum, & eorum, quæ ex Juvantibus & Lædentibus ſequuntur, tum & Remediorum, atque Medendi Methodi, qua utimur, tandem diligenter inter ſe collatorum.* 108.
Morborum cauſſas *generales binas putat Auctor*; particulas *nempe Aeris ſanguini peregrinas, ipſique admiſtas; eum humorum* fermentationes, *nec non Putrefactiones humorum, ultra modum retentorum.* 1.
— Curationes *non ad Eſſentialem eorum naturam, ſed ad cauſſam ipſorum magis generalem, a nobis diriguntur; curandi Methodum variantes, vel* pro indicio Naturæ ſpontaneo, *vel* Experientiæ filum inſequentes: *Et fit hoc, quoniam eſſentialem* Morborum differentiam ignoramus, & *communem cauſſam, quæ in* Acutis *ſanguinis inflammatio, in* Chronicis *indigeſtio eſt, eandem cognoſcimus, neutiquam ſpecificam humorum depravationem, ex hiſce prognatam, percipere idonei.* 129.
— Hiſtoriæ, *eorumdem Phænomena continentes, ab Auctoribus ex Hypotheſeων officina deducuntur, maxima parte.* 77.
— Acutorum Hiſtoria *quare ab uno homine, imo decem, non facile tradatur.* ibid
— Phænomena, *an a* curandi Methodo, *an a* Morbo ipſo, *perſcrutandum eſt.* 42. 43.
— ſpecies *quælibet, æque ac animalium aut Vegetabilium, adfectionet ſibi propriat, ab eſſentia ſua promanantes, ſortitur.* 12.
Morbilli *ex Epidemicis Vernalibus Januario plerumque invadentes, circa Æqui noct. Vern ſtatum adquiſiti, ingraveſcentes, adpetente* Solſtitio Æſtivo, *fere diſparent.* 2. 39.
Morbilli *Infantes plerumque adgrediuntur, & qui iiſdem mœniis encluduntur omnes.* 24. confer. 28 145.
— *periculo omni vacant, ſi modo perite tractentur; ſed* Calefacientia *plura mala inferunt.* 24 confer. 25.
— *a* Variolis *ex Eruptionis die diſcerni poſſunt* 26.
— Symptomata *quænam habeant ubi ingrediuntur.* 104. 145. *Quænam die* ſecundo. 24. Lacrymarum *in Oculos effuſio ingruentis Morbi certiſſimum ſignum.* ibid. Maculæ rubræ in pectore *alterum certiſſimum indicium præbene.* ibid. Sternutatio *eruptionem præcedit.* ibid. Diarrhœa *ſubviridis in Infantibus dentientibus accedit.* ibid. De quarto *non numquam* quinto *erumpunt.* ibid. Eruptionis tempore *Maculæ rubræ ubinam & qualeſnam adpareant.* ibid. Symptomata *tum non deliniuntur ut in Variolis, excepto* Vomitu. ibid *ad* 25. 145. Die ſexto. *quid fiat* ibid. Die Nono *jam in facie & undequaque diſparuere, delinquentes ubique quaſi* farinoſum *quid* 25. Cum Octavo *die fere evanuerint, putat vulgus deceptum, quia Variolæ diutius manent, eos* intropelli, *præſertim cum* Symptomata *quædam tum temporis ſuperveniant, ut Febris, Dyſpnœa, Tuſſis moleſta.* ibid Symptomata *hæc a Calefacientibus producuntur, & præſertim* Peripneumonia, *quæ plures jugulat, quam ullum Symproma.* ibid. Regimen calidum *autem quænam mala ultro inferat, vide.* ibid.
Morbilli *quomodo* curentur. ibid *ad* 25 145.
— *An.* 1670. *ingrediuntur* Januario *menſe, & aucti uſque ad* æquinoctium vernum, *omnes infantes infeſtant, & iiſdem ſenſim gradibus recedentes,* Julio *menſe* evaneſcunt, *nec tota vigente Conſtit. niſi ſemel parumper comparent.* 24 21. *Hi* Variolas Anomalas Conſtitutionis Dyſentericæ, *introduxerunt.* 21. 25.
— *An.* 1674 *inicio* Januarii, *ſpecie diverſa, ab iis An.* 1670. *ingrediuneur.* 30. *Omnes familias, præ ceteris Infantes, adficientes.* 28. *Uſque ad* Æquinoct Vernale *increſcebant, dein paulatim recedentes, elapſo* ſolſtitio Æſtivo, *evanuere.* 28. 30 Anomali *magis & Typum minus ſervantes, reſpectu* Eruptionis, *quam An* 1670. *erant.* ibid. *Et utraque ſpecies* Variolas nigras *introduxit.* 28. Die quarto *erumpebant.* 30. Differentia *inſuper erat, quod illi* faciem *primo, hi vero humeros & cæteras partes prius occupabant.* ib Deſquamatio *farinoſa hic quoque, ut in aliis, non aderat.* ibid. Febris & Dyſpnœa, *recedentibus Morbillis, accidentes, pejores erant.* ibid. *Periculoſiores erant, ſi male tractarentur.* ibid. *In reliquis, cum* Morbillis *An.* 1670. *conveniebant.* ibid. *Horum* Curatio, *eadem ac Morbillorum An.* 1670. *quod* Hiſtoria *probatur.* ibid.
— *An.* 1676 non adeo Epidemici, *longius tamen ſolito procurrebant, & ad Æquinoctium ferme Autumnale pertingebant; quod forte a calore iſtius Anni.* 39
Morbilli *An.* 1675. *curabantur, ut alii.* ibid.
In Morbillis *Symptomata ex Calefacientibus nata, quomodo tractanda.* 25. Symptomata, *Infantibus ex Calefacientibus ſupervenientia, quomodo V. S. curanda.* ibid.
— recedentibus *Symptomata quænam, ex calefacientibus producta, ſuperveniant, & quomodo V. S. curanda.* 25 145.
— Nigredo Exanthematum *Adultis modo contingit, ex* Regimine calido, *eoſque interficit, niſi ſuccurratur V. S. & temperantibus.* confer ibid.
Morbus *quodnam Naturæ* conamen, *ab Auctore, ponatur.* 113.
— *quomodo detegendus, ut ad ſuam familiam relegetur, quando poſt vela irregularium Symptomatum latet.* 36. 37.
— *idem facie ſæpe variat pro vario medicandi proceſſu. IX.*
— *indole ſæpe emnina invertitur, ultra conſuetum morem, alia medendi ratione temere inſtituta, quam Natura ſibi ad Morbi ſolutionem propoſuerat.* 11.
— Epidemicus *dicitur, qui unus idemque, certa aliqua tempeſtate, plures homines ſimul adficit.* ibid. *Idem in eadem Conſtitutione, facie diverſa pro ratione principii, ſtatus & declinatione, ſe oſtentae;* quod notare magni momenti. 2.
— Princeps *Anni vocatur, qui ſub Æquinoctio Autumnali, dominium arripit.* ibid. *Circa* Æquinoctium Autumnale *maxime furens,* Conſtitutioni Anni *iſtius nomen impertit, & reliqui tum graſſantes Morbi, hujus ingenio, quantum poſſunt, ſe adcommodane:* Exempl. *in Variolis & Febre Varioloſa, &c.* 2. Autumno *invadens, hyemis frigore preſſus recedit; & Epidemici ſub eo merentes tum ingraveſcunt, donec Anni Princeps eorum vires denuo frangat.* ibid confer. 24.
Morbus *novus in fine An.* 1679. *ex manifeſta aeris craſi oboritur.* 42.
— Malignus *qua ratione in aliam transferatur.* 32.
— Specificus *qualis Adfectio habeatur.* X.
Morrice M. D. *Febre Varioloſa laborat.* 20.
Mors ex Febre, *cum Naturæ molientis vires, Materiæ morbificæ virtute ſuppreſſæ, fatiſcunt.* 1.
— *in* Variolis Confluent. *plerumque, Undecimo* die, *ubi ex hoc Morbo moriuntur, contingit.* 16.
— Salivatione *ſuppreſſa, quibuſnam eum Symptomatibus contingat.* ibid.
— — Diſcretis, *plerumque, die Octavo, ſi ex hoc Morbo moriuntur, contingit.* ibid.
Morſus *Canis rabidi.* 150.
Motus violentior *in Gonorrhœa* inflammationis Scroti *ſæpe cauſſa.* 73.
Moxa *in Podagra ad partem adfectam leviter uſtulandam, ue commitigetur dolor, Indiis Orientalibus acceptum refertur, & Europæis novum Remedii genus habeetur, licet* Hippocrati *jam ante bis mille annos vulgare fuerit, cum* Lino crudo *ad hoc uteretur.* 106.
— *non plus præſtabit, quam* Linum Crudum *Hippocratis.* ibid *In* Podagra *vero* incipiente *tantum prodeſt, non ubi inveterata, vel perverſa cura intus repulſa.* ibid.
Mulierculæ *Puerperam V. S. intempeſtiva jugulant.* 94.
— Sciolæ *Arsem in hominum perniciem, quam non didicere, ſæpe exercent.* 18.
— *in* Variolis, Confluent. *Diarrhœam ſiſtendo,* Infantium *millia necarunt.* ibid.
Muſcus Indicus. *vid.* Moxa.

N

NArcoticæ, *vid.* Paregorica.
Natura *Sydenhamo habetur* complexus naturalium cauſſarum, *quæ ſic a ſupremo Numine fuere diſpoſitæ, ut ad Opera deſtinata ſe certo quodam ordine, atque methodo, adcingane.* 15. Generationes Rerum *certiſſimis ubique legibus, ac artificio ſibi ſoli intellecto, exſequitur.* 66. *Hæc omnia altiſſimis tenebris obvelat.* ibid. *Quo profundius intuetur, eo plures ejus luſus, ingens varietas, & divinum artificium operationum ejus, quæ* captum noſtrum *ſuperant, conſpiciuntur.* 22. *In* Operationibus *ſuis ſubtilior, quam alia quælibet Ars.* 42. *Quid faciat, & quibus in Operationibus utatur* Organis, *quamvis deprehendamus; modus vero quo operatur ſemper latebit.* 89 *Noctes æque dies noſtris rebus* invigilat, conſulitque, *& ſponte ſua machinatur, quo ægrum a Morbe reliquiis tueatur, ac muniat,* 109.
— *optima* Morborum *Medicatrix. X.*
— *Artis adminiculo ubique non indiget, ut probatur.* 29. 30. *In Morbis ſanandis aliquando pauciſſimis, aliquando nullis Remediis indiget. X. Sed, ubi* deficit, *ei ſuccurrendum; ubi* effrœnis *coercenda, juxta Hippocratis Regulam, in Arte Medica primariam.* ibid.
Natura *in Morbi cauſſa expellenda, ſæpe invita in aberrationes dilabitur, ut docte ab adſiſtente Medico ei ſubveniatur. XI.*
— *in Acutis Morbis producendis adeo multiplex, incerta, & delicata, ut unius hominis, imo decem, non ſie eorum Phænomena Graphice depingere.* 77.
— *in Chronicis Morbis non habet Methodum tam efficacem, ad materiam ejiciendam morbificam, ut cum eadem manus jungentes Morbum debellare valeamus, XI.*
— *in* Febribus *non minus, quam ubique, methodo quadam certa, atque ordine, progreditur.* 7.
— *a* materia febrili *eodem modo exhorreſcit, ac a toxicis deglutitis.* 46. Symptomatibus quibuſnam *eamquam remediis, licet ingratis, utitur, ut materiam peccantem, &c. excludat.* 1. *Quod opus, ab ignaris, ſæpe inceturbatur.* ibid. *Quo munere alioquin nunc* tardius, *nunc* celerius, *fungitur, pro varia, qua nititur, methodo.* ibid. *Particularum, quas ſemel excernere, & exterminare, in Febribus, cœpit ſanguis, conſortium cur amplius ferre nequeat.* 3.
— repurgat *ſibi permiſſa, in Febribus Continuis æque ac Intermittentibus, Maſſam Sanguineam, ſpatio* 107. *horarum.* 9. *Cardiacis in debilibus adjuvanda, ut Febres ſpatio* 107. *hor. h. e.* 14. *dier. depurationem ſuam abſolvant.* ibid.
— *cum Materiam morbificam, vi ſua, critice norie ſolvere, ſequitur ex Febre* Sanitas. 1. *Si, viribus Materiæ morbificæ ſuppreſſa, fatiſcat,* Mors *ex Febre ſequitur.* ibid.
Natura *in Epidemicorum Morb.* generatione *quomodo ludat.* 15. *Et in eorum* productione, *quodam artificio, (manifeſtis aeris qualitatibus ſcilicet) triumphat.* 24.
— *in* Febribus Intermitt. *Autumn. a Medico ſublevanda, ut negotium peragere poſſit.* 9. 10.
— *plus feſtinare, & tempora materiæ Morbi ſubigendæ, & deſpumandæ, citius, quam in aliis, percurrere videtur.* 43.
— *per Cortic. Peruvian. quo minus materiam febrilem, tempore ἀπυρεξίας adgregatam, Paroxyſmi impetu eliminet, quandonam* impediatur. 40.
Natura Podagræ *eſt Morbi fomitem ſemper in Articulos rejicere.* 101.
Natura, *in* Variolis, per ſe *maxime valet Morbum ſuo ordine ac via præſertim in junioribus & vegetis, tum ſecernere, tum etiam expellere.* 17.
Naturæ *conamen quodnam* Morbus *dicatur Auctori.* 1.
— ductum *in Morbis curandis, at neutiquam in Peſte, ſequi debet Medicus.* 13.
— intentio, *qua Morbos ea ſolvere cupit, ſi alius medendi rationis* inſtitutione temeraria, *uti ſæpe contingit, invertitur, mutatur integre* Morbi facies, *& ultra conſuetum ejus morem accidentibus ſtipatur anomalis.* 11.
— Judicia *rerum veritati ſuperſtructa, non niſi cum ipſa Natura intercident.* 108.
Naturæ Methodus *varia & adcurata, quam ad Morborum generationem adhibet, hactenus a nemine pro rei dignitate ſatis obſervando eſt adſecuta.* 2.
Needham (*Gualterus*) M. D. *Auctorem ad Obſervationes de Morb. Acut. edendas inſtigat.* 6.
Nephriticus Paroxyſmus *ex Hyſterica Adfect. ſeu Spirituum nimio impetu verſus Renes, omnino par & ſimilis videtur illi, qui ex Calculo vel Arena; tamen diverſa omnino Methodo uterque curatur.* 94 146. *Ex Hyſterica Adfect quomodo dignoſcitur ab eodem ex Calculo.* 89. Eum *aliquando mentitur Adfectio quædam* Lumbago Rheumatico dicta. 36.
Nephritis *quædam Febres Intermitt. Conſtit. An.* 1678. *&c. aliquando excipiens, ut ipſæ Febres curari debebat, & V. S. aut aliis* evacuationibus *exaſperabatur* 76.
— *in Podagra inveteraſcente, in ſtatu vel declinationis, Paroxyſmi generalis, vulgare Symptoma.* 105. *Quid tunc agendum.* ibid.
Nicotianæ fumus, *in Ileo, inflatus ſpecie Enematis, præſtantiſſimum remedium.* 114.
Nigredo *in* Morbillis. 25.
— *in* Variolis Anomal. *Conſt. An.* 1670. *in* ſubjecta carne, *ſub Veſiculis nigris quaſi ambuſtis, conſpicitur.* ibid. *Superatur malum in Nobili ægra* Hydrogala, Vino Canarino, *&* Paregoricis. 26.
— *An.* 1674. tanta, *ut Puſtulæ fuliginem æquarent.* 30. *Sed uſu* Spiritus Vitrioli *diluti malum ſuperatur.* 31.
— *Diſcretis An.* 1760. in externis cruſtis, *ultimis diebus adfuit.* 25.
Nigredo in Variolis *Regularibus An.* 1767. in Puſtularum ſummitate, *aeiculæ capitis inſtar, inter Symptomata Anomala, adfuit.* 16.
Nodulus *naribus adplicandus in Hyſterica Adf. Puerperarum, ex immodico Menſium fluxu.* 95.
Nutrices *in Variolis, quam ſæpe errent, nimis officioſæ, ubi* caloris gradum, *Expulſionis tempore, requiſitum definire volunt; cum res illa earum judicium ſuperet, propter ea, quæ conſideranda, &* ſagacem Medicum *expoſtulent.* 87.

O.

OBjectiones *Dogmaticorum ab Auctore ſolvuntur, de ægris Lecto, in Variolis, primis diebus adfigendis vel non.* 85.
Obſervationes Morborum Epidemicorum, *aliquot Ann. ſuccedentium, quo fine, in humani generis emolumentum, ab* Auctore *traditæ.* 3.
— *ſive* Caſus. *vid.* Hiſtoria ſingularis.
— particulares, *in Medicina, non magnam adferunt utilitatem, præſertim quæ ad fidem Medicamentis quibuſdam conciliandam, inſtituæ.* X.
Obſtrenix *rudis, vel jactabunda, quomodo Puerperæ lædere poſſit.* 94.
Obſtructiones *Mul erum* dictæ, *ea Methodo ac Hyſterica Adf. ſanantur.* 92.
Odontalgia *ex Hyſterica Adfect.* 89 90.
Oleum Amygdalarum dulc. *quaſnam habeat Facultates. In* Febribus *ſine noxa poteſt adſumi.* ibid. *In* Peripneumonia notha. 36. *In* Pleuritide *poſt V. S. poteſt adſumi.* ibid. *In* Peripneumonia notha. 36. *Præſtantiſſimum, in* Tuſſi Febrili, *medium.* 6. *Et Bechicis aliis anteeponendum.* ibid. *Parce autem, ſed frequenter adſumendum; & quare.* ibid. Variolarum aridarum *cruſtis illinitur.* 19. Viribus attritis *ſubvenit.* 6.
Oleum Lini *ſeminis recens expreſſum, in Pleuritide poſt V.* 35.

Ophthalmiæ *Curatio*. 146.
Opiata, *vide* Conditum.
Inter Opiata *quoad vim ipsam nullum fere est discrimen*. 38.
Opii *egregia* virtus *& mirandi* Effectus *non artificis singulari, quam vocant, præparationi, sed nativæ ipsius Plantæ bonitati, debentur*. 23.
Opium *adeo præstans Medicamentum, sed* in hominis periti manu, *ut sine eo claudicet Medicina*. ibid.
—— *& Opiata in* tribus Adfectibus indicantur; *in vehementi dolore; in Vomitu vel Dejectione enormi; in Insignioribus Spirituum Animalium* ἀταξίαις. 40.
—— *Cardiacum est, omnium fere in Natura præstantissimum; neque tantum somno conciliando, demulcendis doloribus, ac Diarrhœæ sistendæ inservit; sed majora præstat, quam ab ullo Remedio facile speratur*. 23.
Ordo *quo* Morbi Epidemici *Constitutionis An*. 1661. *&c*. Tertianæ Febres *scilicet*, Variolæ, Quartanæ Febres, *&* Continuæ *se mutuo insequebantur*. 3.
Os exulceratum *post Salivationem Mercurialem, nullis Remediis leniendum*. 80. *Et quare?* ibid. *Sic & sponte evanescit, ubi curæ liberiori commissus æger*. ibid *Si tamen ferri nequeat, quid agendum*. ibid.
Os exulceratum *est Symptoma totius curæ Salivationis molestissimum*. ibid.
Oscitatio matutina *in Podagricis jam multum ætate passis, quid efficiat*. 100.
Ovaria Fœminarum, *vid*. Testes.

P

Palpebræ *in Variolis Discretis jam maturantibus, ita instantur, ut æger luce aliquando privetur*. 15. *Quod & ante hoc tempus non numquam, ob numerum Pustularum, contingit*. ibid
Palpitatio *Cordis ex Hysterica Adf. quisnam præprimis vexet*. 89.
Paludosa loca *Febrem Quartanam procurare possunt*. 121.
Panatella *in Dysenteria*. 22 23.
Paracenthesis, *in Hydrope, non minus, quam Vesicatoria, periculi infert*. 109
Paralysis *ex Vini usu immodico*. 103.
Paregorica *in Adfectibus tribus indicantur*. 39 86. *Ubi exhibenda, Remedii vis & repetendi vices, cum Symptomatis magnitudine sunt conferendæ; & quare*. 39.
—— *quonam modo sutissime exhibenda, ut definiatur dosis*. 86. 87. *Ubi frequentius exhibentur, intra singulas doses, tantum spatii interjiciatur, ut, quid prius præstiterit, ante noscamus, quam aliam repetamus*. 39. 86. 94 147.
—— *nimis sæpius repetita* Digestiones *vitiant, & Functionis naturales debilitant*. 94.
—— *exhibenda plerumque post* Purgantia, *cum, vel mitissima hæcce, tumultum excitent*. 10.
Paregorica *in* Cholera Morbo *post ventriculi ablutionem*. 21. *Quid, in initio, mali præstent*. ibid. *Post horas X. XI. Vomitus & dejectionis, frigescentibus extremis, Medicus accersitus illico exhibeat: atque mane & sero aliquamdiu in iis continuandum*. 21. *In Cholera Morbo An* 1676. *fortiora, & frequentiora solito, requirebantur*. 39. *In* Chorea Sancti Viti *post Catharsin*. 113. 145.
—— *in* Colica Biliosa *Cathartico, ubi Vomituritio tanta, ut purgans retineri nequeat, sunt præmittenda; & certo temporis intervallo*. 26. *Post Catharsin, & quolibet die a purgatione libero, mane & sero exhibenda*. 26. *Post V. S*. 26. 147. *Post Vomitorium ex Zythogala, quando*. 26. *Quandonam, aliis quibuslibet omissis, præmittenda*. 27. *Rei Exempl. traditur*. ibid. *Continuanda adhuc post usum Catharticorum, sed largiore dosi mane & sero, donec cessarint Dolores; nec ultro adsumere tutum*. ibid. *Et nisi dolor summus adsit, sufficiet mane & sero adsumere; si plus requiritur, qua ratione caute pergendum*. ibid. *Ad dolorem recidivum expellendum. XI. In* Colica Hysterica, *Ad moderandas Spirituum perturbationes omnino requiruntur quamvis viridis vomitu rejiciatur materies*. 27. *Ubi Evacuationes præmittendæ erant, minori dosi efficiunt post has, quod prius majori non valebant*. 27. 93. 147. Coma, *quod a tumultu, quem Purgantia in Febricitantium sanguine excitant, amolitur; de quo Auctor nondum cogitaverat, cum Febre Comatosa Enemata præscribebat, Purgantia exhibere non ausus*, 112. *In* Comatosis adfectibus *Variolas præcedentibus*. 86. *In* Dyarrhœa. 23 *In* Dysenteria, *in principio*. 22. *Infantibus qua dosi exhibenda*. 23 *Diu hic usurpata, non nocent adeo ac inexperti credunt*. ibid. *Diebus a purgatione liberis, mane & sero, quare exhibenda*. 22. *Post Cathartica singula, sed temporius, quam alitur, quare exhibenda*. ibid. *In* Dysenteria *præfractiore, quoties de die exhibenda*. ibid. *In non Epidemica, omissis Evacuantibus, tuto exhibetur*. 23. *In* Dysenteria Febris novæ Epid. *ex Torminibus ventris orta, quomodo exhibenda*. 114. *In* Febr. Contin. *post Vomitorium*. 4. *In* Febre Dysenterica, *Purgationibus interjecta, nocent*. 24 *Ea curata, languentibus viribus, ut præsertim in Hystericis, quare conducant*. ibid. *Quoties vero & quando exhibenda*. ibid. *In* Febre Epid *An*. 1673 *ad* 1675. *non facile in usum erant revocanda, ob fluporem comitem, nisi* Diarrhœa *periculum inferat*. 30. *In* Febre Epid. nova *ubi Tormina ventris & vomituritio adsunt, post Cathartica, qualia*. 114. *Diacodium tamen præfertur*. ibid. *Si Purgantia non adsumta, hora somni non danda; & quare*. 112. *In hujus exitu, ad expellenda Symptomata leviora, ab evacuationibus repetitis excitata*. 115 *In* Febribus Intermitt *post Cathartica quare exhibenda*. 10. *In* Febre Scarlatina *Infantium quando exhibenda*. 34. *In* Febribus *tutius & certius, post Purgantia, officio suo funguntur*. 115. *Post Emetica in* Febribus Vernalibus *danda*. 8. *In* Hæmorrhagia Narium, *quando, & quare*. 38. *In* Hydropica, *ad tumorem Abdominis, post aquas expulsas superandum, qua ratione exhibita*. 108 109. *In* Hysterica Adfect. *si Chalybis usus corpus perturbet*. 92. *Curationis hujus initio, quare & quando*. 91. 93. *Ubi Dolor vel Vomitus, Paroxysmo urgente, quanam cum circumspectione exhibenda; & an ipsis Evacuationes præmittendæ vel non, & quando*. 93. *In Vomitu enormi illico exhibenda, pro ratione Symptomatis*. ibid. *Forma solida, potius quam liquida, quare exhibenda*. ibid In *Vomitione hac ubi adsumuntur, quiescendum summopere*. ibid. *Post Vomitionem superatam, mane & sero post paucos dies continuanda*. 94. *Post V S. & Catharsin, si hæc requiruntur, multo minori dosi efficiet, quod prius majori non persolvisset*. 93 94 28. *In* Ileo, *ante Purgantia, quando exhibenda*. 114 *Purgantibus exhibitis. horum operationem deorsum, licet paradoxon videatur, adjuvat*. ibid. *Casu confirmatur*. ibid. *In* Lochiorum suppressione *ex Hysterica Adf tentanda semel, ubi alia non juvant*. 94. *Et Emmenagogis addi possunt*. ibid. *Sed non ultro repetenda, ne nimis obstipent*. ibid. *Verum ad Emmenagoga redeundum*. ibid. *In* Mensium Fluxu immodico *omni nocte sumenda*. 95. *In* Morbillis *omni vespera, ad Tussim Infantium qualia*. 25. *In* Nephritico Paroxysmo, *post V. S & Enemata*. 132. *In Nephritide ex Hysterica Adf. fere sola conveniunt*. 94 *In Nephritide ex Podagra diuturniore*. 105. *In* Phrenitide *non in initio, sed quo tempore, & quam larga dosi, propinanda*. 6 *Formulæ horum*. ibid. *In Phrenitide a Variolis quibuslibet*. 145. *In* Podagra *inveterata si dolor intolerabilis*. 106. *Post Purgantium usum in Podagricis Calculo laborantibus, id efficiunt, quod hæc Cathartica tuto adsumantur, contra quod ante censuerat Auctor*. 131. *In* Rheumatismo, *vesperi post Purgationes, quare exhibenda*. 36. 43. *In hac Morbo frequentioris Venæ sectionis causa esse possunt, quia figant Morbum, non tam facile dein Venæ sectioni cessurum*, 36. *Hinc vitanda per omnem Morbi cursum, quamdiu Venæ sectione tantum curatio expectatur*. ibid. *Neque in vigore Morbi Ἀσθενοτικὸν promissam præstant* ibid. *At tamen tempore didicit Auctor quoque, ipsa Morbum non figere, si Cathartica sæpius iterentur, post tertiam V. S*. 43. *In* Tussi Epid. 1675. *non sine periculo exhibebantur*. 32.
Paregorica *in* Variolis, *ubi* Alvi fluxus, Dolores atrociores, Spirituum motus inordinatus Vomitus enormis *adsunt, præcipue sunt exhibenda*. 87. *Adultis tantum. Infantibus autem non, exhibenda*. 18. 31 *Infantibus equidem non ita conducunt, quia somnolenti &c. nisi periculum adsit*. 86. confer. 18. *Quando ergo exhibenda*. 86.
—— —— Anomalis nigris *exhibenda*. 26. 31. *Omni nocte quamdiu exhibenda*. 31.
—— —— Confluent. *adeo specifica, ac Cortex Peruv. in Febribus Intermitt*. 86. *Sydenham Opera Medica*.

Et quare. ibid. *Spiritus consopiunt aliquando, licet non dormiant ægri, & hoc sensu prosunt*. ibid. *Sed ad Spiritus compescendos non juvant, ni æger e lectulo eximatur*. 87. *Pacato sanguine*. 19. Eruptionem *perficiunt*. 18. *Somnum conciliando* Phrenesin *avertunt;* Tumorem *partium requisitum, ut Faciei ac Manuum præsertim, promovent & protrahunt, ac certiorem illum, & diebus requisitis majorem, præbent*. 87. Salivationem *pra aliis promovent, nec non* suppressam *revocant*. 18 19. *Et si hæc ad horas aliquot iis quasi sistitur, mox felicius & magis cocta resurgit*. 18. 87 *Et salivationem licet supprimerent, tutius esset illud ferre, quam a Narcoticis abstinere*. 87 *Post V. S. in Mictu, vel sputo sanguinis in hoc Morbo requiruntur*. 13 Adultis *utiliter sed moderate, post plenam* Eruptionem, *ad Morbi finem usque exhibentur*. 18 145. *Missa necessitate alio tempore exhibendi,* sexta *nocte ab invasione danda, & sic omni vespera ad* decimum septimum diem, *& ultro*. 87 conf. 145 *Ratio hujus*. 87. *Hora vero* sexta, *vel* septima, *vespertina sumenda* 18. Undecimo die *temporius, h. e.* hora quinta, *quare propinanda*. 87. *Aliquando bis de die, aliquando ter, ea exhibere opus*. ibid. *In* Infantibus *non modo non conducunt, sed &* Diarrhœam *iis necessariam, supprimunt*. 18. confer. 146. 147.
Paregorica *in* Discretis *ubi inquietudo, & vigiliæ*, Phrenitidem *minitant, usu veniunt*. 18. 145 *Faciei* subsidentiam *& inter Pustulas* pallorem, *ex calefacientibus, & sudoribus nimiis, ortum, tollunt*. 19.
Paregoricum Auctoris *in Dysenteria*. 22. 23.
Paroxysmi *Febrium Intermittentium descriptio*. 7. *Ejus tria diversa* tempora. ibid.
Paroxysmorum *Febrium Intermitt. reduplicatio ex duplici causa, quarum una efficit, ut* adventitius *antevertat* primarium; *altera ut* primarium *insequatur: & quare*. 8.
Paroxysmus *in Febribus Intermitt.* redit, *quia, eliminato per sudores ultimi Paroxysmi hocce, quod diebus liberis adcumulatum fuerat, de novo adgregari talis materies incipit, diebus liberis, donec eam Natura Paroxysmi impetu iterum eliminet*. 40. conf. 41. *Qua de causa revertatur statis temporibus*. 7. *Sed cur in una Febre Interm. plus temporis, quam in alia exigat, antequam revertatur, ignorare se, cum aliis, fatetur Auctor*. ibid.
—— *Corticis Peruviani ope sensim, non illico, opprimendus*. 9 10.
—— Podagræ *cur ab Evacuantibus excitetur*. 101. *Non est unus, sed ex serie Paroxysmulorum constans* Paroxysmus. 100. 102 105. 150. *Et brevior aut diuturnior est pro ætate ægri; jam ad quatuordecim dies, jam ad duos menses adscendens, jam non nisi æstate recedent*. 100.
—— *Irregularis quomodo, ab ea Regularis, differat*. ibid.
—— *Regularis major recedens, pruritu vix ferendo, furfurum decidentia, & desquamatione*, pedem *adficit*. ibid. *Quo mitior fuerit, eo citius redibit, & si sævior fuerit, non nisi post annum revertitur*. ibid.
Particulæ, *quas semel excernere & exterminare cœpit Sanguis, cur a Natura ferri amplius nequeant*. 3.
Partus laboriosus *in Apoplexiæ Speciem Puerperas Hystericas haud infrequenter conjicit*. 89.
Passio Hysterica, *vid*. Hysterica Adfectio.
Pauperes *a* Gonorrhœa *virulenta sæpius liberati fuere* sola Jalapii radice. 78.
Pectoralia Medicamenta *vulgaria Tussim quare non curare possint, quin potius iis tempus teratur, & Tabes aliquando inducatur*. 42
Pedes *in* Podagra *Materiæ peccantis sedes sunt genuina; hæcque si alias occupat partes, quid indicet* 100. *In Podagræ irregularis Paroxysmorum* intervallis, *vix unquam doloris sunt expertes, & ubi ambulando minus dolentes fuerint redditi, morbi fomes Visceribus periculosius imminet*. ibid. *In Podagræ Paroxysmi* recessu, *prurito vix ferendo, furfurum decidentia, & disquamatione, adficiunt*. 99.
Pellicula *in Variolis Anom. Confluent. An*. 1670. *alba, resplendens*, undecimo die *faciem obtegent, describitur*. 25.
Penis curvatura, *vid* Curvatura Penis.
—— Dolor. *vid*. Dolor Penis.
—— Tumor *in Lue Venerea quomodo discutiendus*. 149.
Περιπτικὰ *Remedia idem ac* Digestiva.
Peregrinatio *in Regiones Australes cur pluret Morbos sanet*. 102. 103.
Periculum *in Variolis pendet ab* Exanthematum multitudine *& e contra*. 84. *Ratio*. ibid.
Periodus Febrium *tum* Continuarum, *tum* Intermittentium, *comprehendens effervescentiam, qua Natura earum materiam expellere solet, eadem est*. 9.
Peripneumonia Notha *est Febris Intercurrentis species, Symptomatis Peripneumonicis pluribus ditata*; quotannis *emergent*, initio Hyemis, *vel sæpius* ea exeunte, nascente Vere; *usque ad Ver adultum persistens, si Morbi materia copiosa fuerit*. 35 110 144 *A* Febre Hyemali, *ut ex causa & Symptomatis liquet, non nisi gradu* differt. 110. *Habitiores ac crassos, virilem ætatem adsequutos, sed præsertim prætergressos, Spiritui Vini multum addictos*, adgreditur. 35. 36 *ejus ratio*. ibid.
—— oritur *a Colluvie pituitosa in sanguine adgesta & in* Pulmonet determinata. 36.
—— *cum* Asthmate sicco *in glutibus conveniens, in multis tamen differt, ut Febre, quæ in Asthmate abest*. 36. 144.
—— *cum* Febre *incipit, quæ ex frigore & calore noscitur*. 35. 36. *Verum Febris, & inflammationis signa minora ac obscuriora, quam* Peripneumonia vera *habet*. 350 144 *Aliquando ob arctatos Pulmones non percipitur hæc. & abesse videtur*. 35. *Febris pro Morbo primario habenda; & reliqui Adfectus, a quibus mutuatur Morbus, tamquam Symptomata, quæ a materia febrili, a modo criseos, a parte in quam hæc erupit, pendent*. 33. 35. *Hinc consideratur tamquam suæ Febris Symptoma ex Materia febrili in Pulmones deposita; quo sensu ita gradu majori a Pleuritide differt*. ibid.
Peripneumonia Notha Symptomata *quænam habeat, exponitur*. ibid. *Qualia* Signa *habeat* Pathognomonica 112. 144
—— Curatur. *V. S. ut Sanguis a Pulmonibus revellatur; sed in omnibus non est repetenda*. 35. *Quomodo in lecto potius instituenda*. ibid. *Tum, secus ac in Peripneumonia vera* (36.), Catharsi *post V S. crebriore, in iis præsertim, ubi non repetenda V. S*. 35. confer. 144. 105. Diæta *refrigerante*. 35. 36.
Peripneumonia Vera *a Pleuritide tantum differt, quod* Pulmones *universalius adficiat*. 36.
—— *&* Pleuritis *essentialis eodem modo, V S. scilicet & refrigerantibus, curantur, non adhibita tamen Catharsi, ut in Peripneumonia notha*. ibid.
—— *in Morbillis, lethalis magis quam ullum Symptoma, a* calefacientibus *inducitur*. 25. V. S. *curanda etiam post Morbum*. ibid.
Peripneumoniæ, *definente Vere, unde*. 8. *Verno tempore, Lond. An*. 1665. *post Hyemem frigidam, & siccum gelu, grassantur*. 11.
Pertussis *seu* Hooping Coug. *Infantum V. S plus quam ullis Pectoralibus, juvatur*. 25.
Pestiales aeris Constitutiones, *vid*. Constitutiones Pestilentialis aeris.
Pestilentialis Febris, *vid*. Febris Pestilentialis.
Pestis, *& Arthritis, nec non plerique alii Morbi, Naturæ Medicatricis Instrumenta sunt*. 1
—— Epidemica *ubi invadit, ea Anni parte, quæ inter Ver & Æstatem ambigit, h. e. surgente Anno, exoritur*. 11 *Et quare*. ibid. *Crescente Anno invalescit, ut circa Autumnale æquinoctium ἀκμὴν attingat; dein collabascit, & Brumali frigore evanescit*. 11. 12. confer. 2. *Raro alia tempestate ingreditur, aut tum non multum debacchatur. Hinc ubi* Sporadicus *modo Morbus existit, nullo tempestatis discrimine paucos adfligit*. 11.
Pestis *cujus Essentiæ sit Auctor ignorat* 12 *Sed ab Inflammatoria διάθεσι ortum suum ducit; quod argumentis evincitur pluribus*. 11. 12 *Videturque Febris peculiaris ac sui generis, ab* inflammatione *particularum Spirituosarum Sanguinis*. 12 confer. 13. *Et pendet ejus ferocia a majori, vel minori, subtilitate hujus inflammationis*. ibid. *Ubi inflammatione minori existit*, Pestilentes Febres *producit* ibid.
—— —— *ab* occulta *plane* aeris *quadam* crasi *pendet*. 11 *Sed ut excitetur & propagetur, non modo aeris διάθεσις, ceu causa communis, verum & alia procatarctica nimirum μιάσματος susceptio, a pestifero aliquo corpore, accidat oportet*. ibid. *&* 12. *Quin alias vicina loca haud ita immunia se præstarent*. ibid *Ubi vero locum quemdam devastavit, non amplius vel fomite, vel personali consortio indiget; verum quemlibet vel semotum, modo corpus ad adflatum excipiendum paratum habeat, aer, tum laborantium halitibus, tum mortuorum cadaveribus, contaminatus, inficere valet*. 11.

— tempora *Incrementi ac Declinationis sua habet*. 12. *E genere* Epidemicorum Vernalium *usque in brumale frigus protrahitur*. 2. *Frigore brumali domatur*. 11. 12. *Neque unquam hujus Morbi daretur finis, si Anni Vicissitudines, & aeris mutationes in ejus virus nihil imperii exercerent*. 12.

Pestis *Britanniam vix frequentius, quam post Annorum circiter quadraginta revolutionem, summo vigore, adoritur*. 11.

— *Italiam occupans, excepta Hetruria*. 12.

— *An.* 1665. *Londini debacchari incepit, circa exitum* Maji *& initium* Junii *postquam* Febris Pestilens. *jam a Mense* Martio *grassata fuerat, & invalescens quotidie circa* Æquinoct. Autumn *statum attigit, tumque sensim recedens, brumali frigore fere delesa, circa Ver An.* 1666. *omnino fuit abolita, remanente adhuc* Febre Pestilent. 11. *Et, quod notandum, idem Annus mitissimus & saluberrimus fuit; qui nempe a Peste* immunes *erant, numquam saniores fuerant; & qui ab ea sanati, postea saniores quam ante erant*. 12 *Hujus exortum praecesserunt, per aliquot septimanas,* Pleuritid An gin. aliaeque Adfectiones inflammatoriae. ibid. *Unius septimanae decursu circiter* 8000. *hominum delevit*. 11 confer 14

Pestis *cur tam cito neeat, si Naturae non concedatur tempus febrilem motum excitandi*. 12 *Sed non nisi circa initium ejus, vel incrementum seu statum, tam* subito necat. ibid. *Et quare*. ibid. *At non nisi in ejus popularis, ac funestae quidem, exordio, hoc consingit*. ibid. *Primis enim mensibus, dicta Pestis omnes incopinantes fere exstinguebat; adolescens vero non necabat, nisi Febre prius & aliis Symptomatibus laboassent*. 22.

Pestis *ingruens* Symptomata *quaenam habeat*. 12. *Raro citra* Febris *praesentiam ingruit*. ibid. *Aliquando tamen Tumores erumpunt, Febre non praegressa; licet Auctor suspicetur semper horrorem praecessisse*. ibid. Febris *quoque aliquando non adparet, dum perit aeger*. 32. 33.

— *non nullos adeo laetos aliquando adscit, ut per publicas plateas ambulare queant*. 12.

— Curatur *vel Natura, vel Arte*. ibid. Natura *alia ratione* Pestem veram, *alia ratione* Febrem Pestilentialem, *curat; quos modos nos quoque insequi oportet*. 13 confer 20 *Si sua Methodo Natura pergit, nec aberrat,* Pestem veram *per Abscessum*, & Febrem Pestilentialem *per Diaphoresin, sanat* 13. *Abscessus illi sunt Tumores Glandularum, Bubones dicti in suppurationem abeuntes*. ibid. *Sed hunc Curationis modum sequi non possumus, quia illa A. postemata, arte nostra, excitare nondum valemus*. 13. 14. Cardiacis *enim tuto hoc non tentatur*. 13. Sudores *quoque multum obsunt, licet post illos in conspectum aliquando veniant Bubones, cum inde saepe retropellantur incepti hi Tumores*. ibid. *Et sic Sudoribus extortis plures jugulati*. ibid. *Nam hinc materiae retropressioni, forte imputari posset, quod Malignitati adscribitur*. ibid. *Hinc aleae plena res hanc tentare Methodum, quam Natura sola perficere potest, si non perturbetur*. 13 14 *Quare, in* Peste curanda, *Naturae ductum non sequi, ut in aliis Morbis, sed ei renuntiare debet Medicus: cujus Effati neglectu Pestis Tumulus non parum fuit adauctus*. 13.

Pestis *Artis, non Naturae, Methodo ubi curari debet*, dupliciter *id fieri potest*; vel *per V. S.* vel *per Sudores*. ibid. *Pestis equidem* Alexiterium proprium *in Naturae sinu abditum adhuc delitescit; quare eadem nisi ratione quadam Mechanica tolli potest*. ibid. *Per Venae Sectio* Curatio. ibidem. *Haec, ubi instituitur. debet fieri in Lecto, & quare*, 14. *Debet dein fieri nondum adparente Tumore*. 13. 14. *Et tandem debet esse larga: parca enim, vel tumore jam conspicuo, ubi instituta, semper damnosa fuit, & Phlebotomiae, ita perverse administratae, contrariae sententiae Patroni, inter quos Diemerbroekius, argumenta sua debent*. 10. *Plures Doctores V. S. hic instituendam, jam pridem censuerunt, qui recensentur*. 13. *Sed cum uno L. Botallo totum Curationis negotium, in copiosa V. S. collocavit Sydenham*. ibid. *Et hujus Methodi Exemplum singulare in Castro Dunstar*. ib. *Et in Peste Lond. quoque, nisi liberalior foret V. S. potius nocebat*. 12. *Curatio per* Sudores, *isti per V. S. anteferenda videtur Sydenhamo; tum quia non aeque virus prosternit, tumque Curationis modum infamiae periculo non objicit*. ibid *Sudor spontaneus quidam valde salutaris*, 14. *Quare hic Morbus Sudoribus facile curetur, & alii Morbi maligni pejores fiant?* 32. *Quomodo dirigenda illa* Cura *Sudatoria*. 14. *V. S. prius semel, instituenda*. ibid *Sudor continuus & prolixus requiritur, non interpolatus*. ibid. *Refelluntur* Diemerbroekius *& alii, quod Diaphoresin interpolandam suadeant*. ibid. Notatu dignum *Auctor habet, quod, diaphoresi, materia morbifica versus ambitum corporis exporrecta, illico Excretiones Ventriculi sedentur, adeo, ut Medicamenta adsumpta retineantur: quod* Historia *confirmatur*. ibid. *Per Sudorem cura quaenam adhuc dum habeat difficultates*. 13.

Pestis *&* Febris vere Maligna *specie non, sed tantum gradu discriminantur*. 11.

— *ab* Igne Sacro *quomodo differat* 12.

Pestis Historiam *Auctor scribit, quod alii qui adfuerant toto tempore Medici, de eo nihil divulgabant*. ibid.

ad Pestis Prophylaxin *non conducunt calida, ut deprædicatur: imo Vinum, & fortiora, Morbum advocarunt*. ib.

in Peste, Bubones *quomodo fiant propter materiam Morbi subtilissimam, & maxime inflammabilem*. 20. *Ubi erumpunt bonum* 12.

— *Materia Morbi a Sanguine segreganda subtilissima & maxime inflammatoria est*. 20 confer 12. *Tamen* Alexipharmaca, *calidiora licet, auxilium praestant; quatenus scilicet diaphoretica sunt*. ibid. *Verum illa ipsa, si sudorem forte non moveant, pessima*. ibid

— Maculae purpureae, *malum signum*. 12. 13.

— Tumores *prorumpere bonum*. 13.

— Sudores artificiales *an Apostemata desiderata provocent?* 12. *Quandonam saepe funesti*. ibid *Horum eruptio sine Sudore magis fuit salutaris*. ibid. *Ad magnos equidem Sudores Bubo non numquam dispar est*. ibid, & seq.

In Peste per Apostematum *maturationem, Curatio admodum incerta ac fallax*. 14.

Petechiae *&* Maculae purpureae, *tum Virium subita prostratio, Malignitatis signa habentur, in Morbis; & solvitur ab Auctore, unde fiant* 115 116

— *in* Febre nova hyemali *a calefacientibus*. 112. 113. *In* Febre Variolosa. 19 20. *A Regimine calido auctae* 20 *In* Morbis Acutis *unde, & quid indicent*. 88. Pestis *sub adventu* 154 *ad* 157. *In* Variolis Confl. *unde*. 115. 116. 130

Petechiarum *&* Mictus Sanguinei *singularis* Casus *a D. D. Goodall. communicatus*. 88

Phaenomena *in* Hysterica Adfectione *eodem solvuntur modo, sive ipse Morbus tamquam* Vapores *elevati, sive tamquam* Convulsiones *partium particularium considerentur* 27.

— Morborum *Accidentalia, a Methodo curandi saepe pendent*. IX.

— *Naturalia, qui recte perceperit, ille Indicationes Curativas veras elicet*. VI

— clara *ac* naturalia, *utcunque* minuta, *Hypothesibus sepositis, ubi illorum Historia tradenda, adcuratissime notanda*. IX *Hoc autem fecit Hippocrates*. X.

— peculiaria *&* perpetua *seorsim ab* accidentalibus, *& adventitiis, enarrentur* IX. *Et quare hoc ita fieri debeat*. ibid.

Vid. Morborum Phaenomena.

Philosophia *in Medicina quid mali adtulerit*. 89

— *Medici quaenam esse debeat*. 110. Moralis *quid sit*. 40. Naturalis *specificam differentiam nullam enadare potest*. ibid

Philosophus *Empirico, in Medicina, quod famuletur, demonstratur*. 108.

— *quare nemo mortalium evadere possit*. 110

Phlebotomia, *vid.* Venae sectio.

Phrenitis *Cardiaca non admittit praesertim ante usum Narcoticorum*. 13.

— *in* Febre Epid. *An.* 1674. *quomodo curanda*. 29 30. *Vitrioli Spiritus hic primas tenet*. ibid.

— *ex* Febre nova hyemali *a calore lecti*. 112. 113 *Immo non numquam per se, at non ita vehemens, ac in Variolis vel aliis Febribus, ut potius lene sit Delirium*. 112 *Ubi invaluit, nulla restant Febris indicia, sed pulsus tandem pessimus fit*. ibid *Et Apyrexia adesse videtur, si linguae albedinem excipias*. 113. *Quomodo regimine refrigerante & abstinentia a lecto, avertatur*. ibid. *Calefacientibus inducta, curatur regimine refrigerante, Capillorum Abrasione*. ibid. confer 19. *In* Febre Variolosa *ex sudoribus nimiis a Regimine calido*. 19 20. *Sudore coacto, in* Febribus, *quandonam excitari queat* 33. *A Venae sectione neglecta in* Febribus, *quando*. 3. *Tamquam* Symptoma Febrium Contin. *unde oriatur: quaenam ejus signa; qui curetur &c.* 6. *Ex* Lochiis *suppressis per Hystericam Adf. in Puerperis tenerioribus nimis cito surgentibus, nascitur*. 94 *In* Pestilent. Morbis, *inferri potest, nimia vi ad Sudores proliciendos excitata, in iis qui difficulter sudant*. 13.

Phrenitis *in* Variolis *frequens* Symptoma. 19. *Sed* anomalum, *ex nimio Sanguinis calore*. 16. *Et plerumque ex* calefacientibus *ortum*. 17.

— Confluentibus, *nata ex* calefacientibus, *Methodo* contraria *ut praecaveri, sic etiam tolli, potest*. 19. Paregoricis *quomodo cohibeatur & praecaveatur*. 18.

— Discretis, *copiose manante* Sudore, *& sponte sua* repulso, *oboritur*. 19. Instans *metuitur ex inquietudine & Vigiliis; & tum Paregorica juvant*. 18. Mortem *indicat in propinquo, ubi aegritudo vehemens, urina pauca ac frequens, simul adsunt*. 19. Curatur *unice vehemens ubi fuerit*, V. S. larga, aura frigidiore, narcoticis, ibid. *V. S. quod* exigat *docent Haemorrhagiae narium subitaneae*. ibid.

— omnibus, *V. S.* non semper indicat; *sed in* Distincto *tantum genere, ubi facies tumet, Pustulae magnae sunt, & Regimen calidum fuit adplicatum, praecipue*, ibid,

Phthisis *duos fere Trientes eorum, quos Morbi Chronici jugulant, interficit*. 93. Describitur. 151. *Hujus* Curatio. 151. *& seq.*

— *Hydropis causa, Evacuantia ἄνω seu κάτω, prohibet*. 109.

Phthisici *Equitatione saepe sanantur*. 93. *Estque in iis primarium Medicamentum*. 151.

Phymosis *quomodo curanda*. 79.

Pilulae Chalybeatae, *in* Hysterica Adfect., *duplicis generis*, 92.

Pilulae Cochiae *laudantur*. 26. 27.

— *Ad* ℈ij, *exhibitae semper alvum laxant*. 114. In Febre nova. Epid. *ubi stomachus Potionem non ferat exhibendae*. ibid. *Potio tamen praeferenda*. ibid. *Tempore quo sudor*, in Tertiana Autumn. *provocatur, danda*. 9. *In* Tussi Puerorum *convulsiva dantur*. 42.

— *ex* Cortice Peruviano. 40 41.

— *ex* Elaterio *&* Pil. *ex* Duob. *in Hydrope*. 107.

— foetentes *Hystericae*. 92. *Tales Ventrem minime turbantes*. ibid.

— *Matthaei loco Paregorici in* Nephritico Paroxysmo, *post V. S. & Enema*. 132. *In Nephritide ex Podagra diuturniore* 105.

— Paregoricae *&* Emmenagogae *in Lochiorum suppressione*. 94.

— purgantes *finito* Apoplexiae *Paroxysmo, exhibendae*, 146. *In* Colica bilios*a*, *quaenam optimae*. 26. 27. *In* Fluore Muliebri. 41. *In* Gonorrhoea virul. 41. 78. *In* Hysterica Adfect. 92. *In* Ileo, *ex Torminibus ventris, in Febre nova Epid*. 158.

Plantae *Materiae Medicae omni palmam praeripiunt, & omnium maxime de Remediis, ad insigniores Morbos, inveniendis spem faciunt; & hoc quoniam* Animalium partes *cum nostro corpore nimium conveniunt*, Mineralia *nimis dissident: Hincque* Plantae magis explorato nobis innotescere deberent. XIV.

Plebs, *a Variolis, cur minus trucidatur, quam Divites*. 18.

Pleuritides, Anginae, aliaeque sanguinis inflammationes Adfectiones, *frequentissimae fuere, per aliquot septimanas, quae* Pestis Londin. *exortum antecesserunt*, 12.

Pleuritides *post* Febr. *Continuas, circa Veris finem, & Aestatis initium, saepe grassantur*. 13. *Verno tempore Lond. An.* 1665. *post hyemem frigidum, & siccum gelu grassantur*.

— *desinente Vere, unde*. 8.

Pleuritis Essentialis, *vera*, Morborum frequentissimus, *describitur juxta Phaenomena*. 34. 35. 144. *Quo* tempore *Anni praeprimis infestet, & grassetur*. 32 37.

— Quosnam, *prae reliquis, adgrediatur*. 11. 13. 34.

— Febris *pro Morbo primario hic habenda; & reliqui Adfectus a quibus nomen mutuatur Morbus, tamquam Symptomata, quae a materia febrili, a modo criseos, a parte in quam materia ruit, pendent*. 33. 35. Initio *cum horrore, & ceteris Symptomatibus* adest. 34. *Cum aliis Symptomatibus* progreditur, *& ab his, quae ex illa prius nata*, adaugetur. ibid. *Et tandem pro ratione liberioris expectorationis, una cum reliquis, aegri salute*, minuitur. ibid. *Sed* redit *Hecticae specie si res in Apostema vergit*. ibid.

— Dolorem punctorium, *quo tempore adquirat, & quo Thoracis loco*. ibid. Tussim *qualem habeat*. ibid. Diarrhoeam *unde habeat*. 19. 20.

— Expectoratione *sputi subeuenti plerumque sensim solvitur, nullo redeunte Symptomate*. 34.

— *In* Suppurationem *quandonam abeat*. ibid.

— Sanguinem *post primam saltem vicem eductum, instar sevi liquati in superficie, purulentum quasi, habet*. 34. 144. *Cuticula haec tenax in sanguine, si hicce recto flumine non profilierit, haud ita adest, & minus tum etiam levaminis a Venae sectione persentiscitur*. 34.

Pleuritis *Inflammationi sanguinis propriae, de specificae, ortum debet*. ibid. *Ex Sudoriferis, in Tussi exhibitis, An.* 1679. *obortа quoque est*. 143. *Ubi tanquam Symptoma Febris, ad quam proprie spectat* (34.) *consideratur, ex praecipitatione* (35.) *materiae suae Febris in Pleuram itidem oritur, ut docet sanguis eductus*. ibid.

— *a subito* calore, *intensum* frigus *subito excipiente*, saepe oritur. 2.

— periculosior *aliis Morbis; facile* vincitur, *& tam certo ac tam* brevi tempore, *quam alius quidam, debellatur, si perite tractetur; quin contra, inter potentissimas orci fauces recensenda*. 35.

— Indicationes curativas *quales admittat*. ibid.

— Curationis *spem praecipuam ponit in* Venae sectione. ibid. 35. 36. *Larga V. S. itidem non nocet*. 35. *Et* Diarrhoea, *hic aliquando superveniens, eadem V. S. sistitur*. ibid. *Haec autem quomodo instituenda, & iteranda, & ad quam dosin, tum in Adultis, tum in Pueris*. ibid. 144 Levatur *V. S. ultima, si non ante; tumque* Cathartic*um exhibeatur*. 35. Notandum *interim, quod Pleuritis vera & Essentialis, qualibet Constitutione indifferenter infestans, repetitam V.S. indicat; non vero si alicujus Febris Symptoma est, sed ratione istius Febris tum, reiteranda modo*. 32. confer. 34

— *per* Expectorationem *materiae coctae quare non vult, ut curetur, uti per V. S., Auctor*. 35. *Et* Pleuritis sicca *ab Hippocrate quamvis damnetur, tamen per V. S potius quam per expectorationem Pleuritidis Curationem instituendam suadet Auctor*. ibid.

Pleuritis Diaetam *qualem exigat*. ibid.

— Medicamenta *quaenam ferat*. 35. *ad* 144. Enemata *non admittit, aut lenissima tantum; & quando*. 35.

— *Lecti Calorem nimium vetat; adeo quidem ut, nisi ex eo quantum potest eximatur aeger, nec V. S. nec refrigerantia, multum proficiant*. ibid.

Pleuritis *a* Peripneumonia vera *gradu minore differt tantum, quod haec Pulmones universalius adficiat*. 35 36 *Eodem tamen modo, V. S. scilicet, & refrigerantibus, curantur, excepta Catharsi, quam Peripneumonia vera renuit, sed Peripneumonia notha admittebat*. ibid

Pleuritis Symptomatica, *per accidens Febribus superveniens quibuscumque, oritur ex materia febrili, adhuc cruda, in Febris initio, ad separationem debitam nondum praeparata, in Thoracem praecipitata*. 34. confer 32. 34.

— *infertur saepissime ex* usu Calefacientium intempestivorum, *in Febribus exhibitorum*. 34. *Vel* ex Sudore, *initio Febrium coacto, praesertim tempestate, & aetate faventibus*. ibid. *Vel a V. S. in Febribus neglecta*. 3. *Aliquando ex Aeris manifesta alteratione, materiam Febrilem in Pectus deponente*. 32.

— *An.* 1675 *Tussi superveniens*, maligna *erat quam maxime*. ib. Neque V. S. *praesertim iteratam, ut aliter solet*, ferre *poterat*. ibid. *Nec, ultro eam admittebat, quam requirebat* Febris, *cujus Pleuresis haec* Symptoma *erat; uti semper contingit, ubi Febris Epidemica, ex repentina aeris quadam manifesta alteratione, in Pectus materiam deponit, ipsa eadem interim remanente; hinc si* Febris *repetitam V. S. respuat, nocebit & eadem in hac* Pleuritide. ibid. confer 34.

Pleuritis *An.* 1675. curabatur *ut Febris Constitution. hujus, in pectus determinata*. 32. *&* confer 34.

Podagra *Articularis Morbus etiam vocatur*. 100. *Fomitem Morbi quoque semper in Articulos rejicit, ex sua Natura*. 101.

— *Quosnam invadere soleat, tam respectu* vitae generis, *quam* habitus & structurae corporis, *nec non* aetatis, *ac* labis hereditariae. 99. *Juniores admodum occupans, initio nec Regularis, nec crudelis; sensim tamen castra metatur, typum sibi formet, & ferocissima fit*. ibid. Divites *plures interemit quam* Pauperes, *plures* Sapientes *quam* Fatuos, 100.

— Insipientes *paucos occupat*. 104. Foeminas *raro adficit, nisi Vetulas vel Virgines*. 100. 157.

— *pendere videtur a Concoctione, seu Digestione, tam in partibus, quam succis corporis, praecipue Nervosis sive Spiritibus, labefactata*. 101. confer 103,

— *Caus-*

— *Cauſſam habet duplicem juxta Auctorem; nempe Cauſſam antecedentem, quæ eſt humorum indigeſtio a calore & Spirituum defectu orta; tum Cauſſam continentem, quæ proprie fomitem Morbi conſtituit orta a mora humorum in corpore (quæ mora ab incoctione dicta pendet) eos acriores & quaſi putridos reddente, unde calentes & exæſtuantes Paroxyſmum conſtituunt.* 101. 102.

Podagra *ex Vini uſu immodico oriri poteſt.* 103.

— Regulares *& Typum ſervans quo tempore Anni, diei, ingruat, quænam præmiſſa incommoda; qualem Pedis partem primo occupet; & quo ordine dein laceſſere pergat;* deſcribitur. 99. 100. 157. *Primo unum Pedem adficere ſolet.* 100 157. *Raro utrique Pedes in initio ſimul adficiuntur.* 100.

——— *Seniores ubi adoritur, nec tam immaniter ſævit, nec tam ſtatas habet Periodos, quam ſi ætate Juniores occupaverit; & hujus rei ratio.* 99.

——— Paroxyſmum *habet vel breviorem vel diuturniorem, pro ætate ægri, vel diuturnitate Morbi; & qua ratione hoc differat.* 100. *Paroxyſmus hujuſmodi* major, *ſeu* generalis, *dicitur, qui quaſi unus ad duos, tres, menſes extendere ſe videtur: ſed non eſt unus* Paroxyſmus, *verum ex ſerie Paroxyſmulorum ſe mutuo ſuccedentium, & quorum poſterior quilibet priore, & mitior, & contractior, ſemper eſt.* 100. 101. 104. 105. 157. *Hoc tamen ubique ſervant quod dolor noctu recrudeſcat, mane vero remittatur* 100. Recedente *tandem Paroxyſmo Pes adficitur pruritu, furfures deciduntur, & deſquamatio fit.* ibid. *Tandem ereξia ægri, & adpetitus, redeunt.* ibid. *Si jam vehemens fuerit Paroxyſmus, non niſi poſt annum revertitur.* ibid.

Podagra regularis *Dolores habet inclementiores, quam* Irregularis Podagra, *verum hinc quoque Proxyſmos breviores, & Intervalla inter eos longiores, & magis perfecta.* ibid.

——— *neq; Juvenes neq; Pueros adficit; ſed Juvenes, qui ex Parentibus Podagricis nati, aliquid modo præſentium iſtius Morbi.* 100. 101. confer. 157.

Podagra non Regularis *ſeu* Anomala *vocatur, cujus Phænomena diverſa a* Regulari. 100.

——— *talis ſit* vel *ob perverſam Medelam*, vel *ob ſubjecti debilitatem, propter Morbi diuturnitatem.* 99. 10.

——— deſcribitur. 100.

——— Paroxyſmos *particulares*, majorem *conſtituentes, multo longiores habet, non ad unum vel alterum diem, ſed per quatuordecim, perdurantes.* 100. 157. Symptomata, *diverſa ab iis Regularis Podagræ, qualia.* ibid.

——— *In Paroxyſmorum Intervallis jam non, ut Regularis, valetudinem concedit; ſed plura mala ægrum vexant; quæ mala exponuntur.* 100. 157. *Tandem, Natura materiem ad extremitates relegare non amplius apta, Symptomata quoad dolorem fiunt mitiora, ſed Paroxyſmi longiores; & artuum dolor; loco articulorum ægritudo quædam, cum quadam propenſione ad* Diarrhœam, *vexant: quæ omnia ubi Articulorum dolores vigent iterum receduns; hocque alternatim.* 100 *Interim* Moroſi *fiunt Ægri, animo etiam contagio adflato, ſibi aliiſque graves.* ibid *Et ultimo, viſceribus infarctis, Materia ad extrema non amplius pulſa, vitam cum morte commutant.* ibid.

Podagra quomodo curanda. 101. 106. 157. 158.

— *a nomine* radicaliter *extirpari hactenus potuit; ſed Remedium adhuc inventum iri, credit Auctor.* 106

— *ergo, una cum ejus tractandi Methodo, ab Auctore, quum eam curare ſe poſſe non jactet, cur tradatur?* ibid

— *quare* non *adgredienda tempore* Paroxyſmorum, *ſed in eorum* Intervallis. 105. *Nam Fomitem, ſeu materiam talem morboſam, habet, quæ Naturæ inviolabili lege ſemper in Articulos rejici debet, nec inde ſine diſcrimine revellitur, aut alia Methodo, quam ea quam Natura præmonſtrat foras ejicitur, cui ſoli permittenda, cum ipſius omnino Opus ſit, quod ſua Methodo ſola peragit.* 101 102 105 *Adeoque ipſa Materiam peccantem* ſuo modo exterminat; *in* Articulos deponit, *&* per inſenſibilem tranſpirationem diffat · *quare nobis non licet eam, vel* V. S. *vel* Catharſi, *vel* Sudoribus, *ejicere.* 101.

— *non curaretur etiam, quod* Symptomata *ejus coerceretur ac remorarentur, cum contra Curationi hoc adverſaretur.* 105. Sed *illis* Symptomatibus *occurrendum tamen eſt, quæ falſa medendi Methodus produxit.* ibid. *Tum & iis, a quibus æger de vita periclitatur.* 105. 158. *Adeoque Symptomata quædam tamen habet, quibus in Paroxyſmo occurendum; ut præprimis ſunt* Ventriculi languor, Tormina ventris. ibid. *Sic non* Podagra Regularis, *ſed qua mala cura exacerbata, in* Paroxyſmo *tractanda: & quomodo.* 105. 158.

Podagra incipiens *per* Moxæ, *vel* Lini *crudi*, Uſtionem, *tantum levatur; ſed non attingit hoc cauſſam Morbi antecedentem, h. e. Indigeſtionem; nec in Morbo inveterato, aut perverſa cura intro repulſo, juvabit,* 105.

— *ubi* radicaliter curanda, *Coctioni indigeſtionibus ſublotiis, præpri mis conſulendum; ita tamen, ut interim, data occaſione, quæ humores acres leniunt, itidem adhibeantur.* 102 126. confer. 158 *Hinc* curatu perdifficilis, *quia* duabus Cauſſis, *admodum contrariis, ut quæ huic proſint alteri obſint, obviam eundum eſt; nempe* Antecedenti, *ſeu Indigeſtioni humorum; tum* Continenti, *ſeu Humorum calori & exæſtuationi, quæ proprie* fomitem *Morbi conſtituit, dum Articulos obſidet, vel quæ poſt Paroxyſmum adhuc in ſanguine delitescit, ſeparationi inepta,* 101. 102.

— *ergo ubi ſananda, exigit Concoctionum reſtaurationem; ſanguinis, & partium, roborationem; quæ omnia totius corporis Habitus immutationem & redintegrationem ſemper ponunt.* 101. 103 104.

— Evacuantibus *non attingenda, & quare,* 101. 102

Venæ ſectio *quantum noceat.* ibid. *ad* 101. Catharſis *quantum lædat.* ibid. *Verum in iis qui Mictu cruento ex Calculo Renum laborant, Manna omni Septimana eſt concedenda.* 131. 157. Sudorifera *quomodo obſint.* 101. 102. 157.

Podagra *ut* curetur, *Corporis habitus omnis alio traducendus eſt, atque homo integer, quaſi nova incude, refingendus; hinc diu, conſtanter, & aſſidue, in* Digeſtivorum *uſu continuandum, ut Coctionum robur, & partium firmitudo, pedetentim reducatur.* 103. confer. 104. 107 Digeſtiva *hæc, quid ſint?* 102 Quænam *talia ſuppeditet* Materia Medica, *& qua ratione uſurpanda.* ibid.

— Pharmacis *ſolis non curatur, ſed* Diæta *ſeu* victus ratio *concurrere debet.* 103. *Hæc* in Podagræ intervallis, *Cibi Quantitatis, Qualitatis, Temporis, reſpectu, qualis.* 103. *Reſpectu Lactis ſoliut uſus.* 103 *Reſpectu Potus, ut Cereviſiæ, Vini,* 103 104. *Aquæ puræ.* 103. *Potus Diætetici ſeu Decoctorum ex Lignis.* 104. 104 158 *Somni, & Vigiliarum, temporis.* 104 *Animi Adfectuum.* ibid. 104. 158. *Reſpectu Motus & Quietis.* ibid. *Reſpectu Veneris uſus* ibid. 158. *In* Podagræ Paroxyſmis, *reſpectu Cibi & Potus quantitatis, ac qualitatis, tum Exercitii.* 105. 158. *Ubi ἀγωνία ſuam attigit Morbus, ob Paroxyſmi, primo inſultu, atrocitatem, Exercitium, ceterum adeo ſalutare, vetatur; & decubitus in lecto, ad certum tempus, una tum tenui Diæta requiritur.* ibid. *Quandonam vero, in Podagræ inveteratæ Paroxyſmo a lecto abſtinendum, ut Mors vitetur; moleſtiam potius vectationes ſuſtinendo, & dolorem, amariſſimum licet Naturæ remedium, ferendo?* ibid.

Podagra *inveterata Diarrhœam excitat, ſi materia in Artus non eliminatur; quomodo tum occurrendum.* ibid.

— *a Cathartico, etiam leni, accerſetur.* 131. *Minitans vero tum Paroxyſmus, ob Purgantia data, Laudano reprimitur:* Hocque nondum animadvertat Auctor, cum Tractatum de Podagra ſcripſit ibid.

— *per* Metaſtaſin *aliquando, licet raro, materiem Morbi in Pulmones deturbat, cujus cauſſas* Tuſſis brumalis, *ex frigore in Paroxyſmo ſuſcepto: in quo caſu nulla Podagræ habenda ratio, ſed Morbus tamquam Peripneumonia curandus, Sudores, hic nocuos, caute vitando.* 105 157

— retroceſſa *quomodo cognoſcatur* 131. 132. *Et quomodo, a periculo inde imminente, ſe liberaverit Auctor.* ib. *Retroceſſio hujuſmodi materiæ morboſæ periculoſa admodum.* 12. 13.

— *Scorbutum quandonam mentiatur.* 37

Podagricis *Cogitationes nimiæ admodqm obſidiunt.* 84. *Hincque plures, indebita Medicat. quam ipſo Morbo, fuere perempti.* 106.

Pompa Remediorum *in Moribundis ſæpe male collocatur.* 43.

Porrigo *ſeu* Furfur *Capitis.* 150.

Porrigines in Lue Venerea *vid.* Cruſtulæ.

Poſſetum. *vid* Zythogala.

Potatio *nimia in* Gonorrh. virul. *recidivam quando producat.* 78.

Potatores *Hydropici, aliis frequentius, fiunt.* 107.

Potio Cardiaca *in* Variolis, *ubi Symptomata ex nimio frigore vel Evacuationibus indebitis.* 19.

Potio purgans *Auctori.* 5. 141.

— purgans *in* Colica biliosa, *aliis anteferenda.* 26. *In* Febrib. Continuis. 5. *In* Febre nova hyemali. 112 *Quando iteranda.* ibid. *Ad ſubducendam materiem revulſam.* 110. *Quando iteranda.* ibid. *In* Hydrope, *pro robuſtis in quibus alia non operantur, una & altera.* 107. *Simul calefaciens inter purgandum & corroborans, alia.* ibid. *Purgans & Vomitum ciens.* 108.

— *vid* Hauſtus.

Potter *Capitaneus Londini Cortice Peruviano occiſus.* 40.

Potulentorum, *in Podagræ Regularis Paroxyſmo, tertia pars tantum per veſicam redditur.* 100.

Potus *in* Dyſenteria *qualis.* 22. 23 *Frigidus in Dyſenteria qualis.* ibid. 23. *In* Febre Dyſenterica. 24. *In* Hydrope *conceditur ab Auctore ad* Ibiß. *vel* Ibij. *ſingulis diebus.* 103. 109 *In* Hyſterica Adfect. *Puerperarum a nimio Menſium fluxu.* 95. *In* Podagra *optimus, qui non nimis Vinoſus, nec nimis Aquoſus, ut Cereviſia tenuis Lond lupulata vel non; vel Aqua cum Vino, præſertim in mitiori.* 103. *In* Podagra, *vehementiori, & prevectiore, omni ſpirituoſitate careat, &* Potus Diæteticus *propinetur.* 103 104. *Hicce palato quantum fieri poteſt gratus ſias.* ibid. *Adpetitum plus favet aliis liquoribus.* ibid. *Et hoc commodi habet, quod illi, qui eo utitur, concedat liberiorem in cetero victum. quam ſi Vino vel Cereviſia uteretur.* ib. 32. *In iſſi Epid.* 1655. *abſente Febre, &c.* ibid. *In* Variolis Anom *tempera & Salivationem promovens, qualis.* 26.

Præputio ſi Glans contegitur. *vid.* Glans.

Praxis Medica *unica vera in Obſervatione Operationum Naturæ fundatur, hoc eſt.* Indicationes ex ipſis Morborum Phænomenis elicit, dein Experientia firmat; *ue fuit Hippocratis illa.* 42. *Lapis Lydius eorum qui Medicinam profitentur, eſt* 108. *Apud plurimos Auctores ad Poſtulata quædam ex Hypotheſibus & laſcivientis ingenii luxuriis, deducta, non ad rei veritatem, componitur.* 77.

— *in Variolis*, Eruptionis *tempore, ubi de* caloris *gradu adplicando agitur in incerto, ac lubrico loco conſtituitur.* 17.

— *vid* Medica Praxis, *vel* Medicina.

Prognoſis, *in* Variolis, *Mortis vel Vitæ pendet a* multitudine, *vel* paucitate Exanthematum. 84. *Ratio hujus.* ib. *Bein* Προγνωστικὸν *in Variolis Conſt. varo fallax, & bonum, ex* Tumore *Faciei & Manuum* Salivationi *ſubſequente, deſumendum.* 16.

Proſtatæ *in Gonorrhœa virulenta adeo tempore adficiuntur, ut in Cadaveribus efferato ulcere depaſtæ, repertæ fuerint.* 78.

Protuberantiæ, *in Rheumatiſmo, ad digitorum internas potius, quam externas, partes excitantur.* 36

Pruritus ferinus *quomodo curandus.* 37.

In Pruritu ferino *Sudor. omni mane qua ratione provocandus.* ibid.

— *Venæ ſectio, ante Remediorum uſum, quare exigatur.* ibid.

Ptiſana *in* Peripneumonia notha. *pro Potu.* 36.

— *in* Pleuritide eſſentiali *pro Potu.* 36.

Ptyaliſmus. *vid.* Salivatio.

Pueri, Senes, Juvenes *diuturno morbo confecti, Venæ ſectionem in Febribus vetant; & quare.* 3.

— Podagra *non adficiuntur.* 100.

Pueris *Febribus Intermitt. laborantibus* calidiora *exhibere periculoſum.* 10.

Puerperæ *Apoplexia Hyſterica, quandonam frequenter ſatis adficiantur.* 89.

— *teneriores lecto decumbentes, quidnam emolumenti inde habeant.* 94.

Puerpera *tenerior & Vaporibus obnoxia, ante diem decimum, e lecto ſe non contineat.* ibid. *Si nimis cito ſurgat, Hyſterica Adf ex qua Lochiorum ſuppreſſio, cum diris & letalibus Symptomatibus, adfcitur.* ibid. *Vix decima* moritur, *ex defectu virium, vel ex doloribus, a partu; ſed inde plerumque, quod e lecto cito nimis ſurgat.* ibid.

Pulſus *in* Febre nova hyemali *ſanorum non abſimilis.* 110. 112. *Languidus & inordinatus, ſi male tractetur.* 110. *Qualis, ubi Phrenitis adeſt, & Mors inſtat.* 112. *In* Hypochondriaca *vel* Hyſterica Adfectione *ſimilis ſanorum eſt, ut ut ſtrangulari videantur.* 90 *In* Variolis Confluent. *die undecimo vix percipitur, adeo obruitur a Pure ſanguis.* 110.

Pulvis adſtringens *in Mictu ſanguineo & Sputo ſanguineo in Variol. Conſt.* 129.

— Cardiacus *in languore Febrili.* 5.

— *ex* Cortice Peruviano *in Febr. Interm. cum* Vino rubro, *aliis modis anteferendus.* 41. *Nec obeſt Vinum licet ad Continuarum ſpeciem vergant.* ibid.

— Patrum. *vid.* Cortex Peruvianus.

Pulvis Pyrius *inventus non letalior fuit hominibus, quam* Malignitatis *virbi inventio.* 115.

Punctura Tendinis *dolorem duodecim horas poſt V S. modo infert, qui circa Axillos præcipue reperitur, tumore vix majore Avellana ſuborto; ex orificio interim ichore effluente, quod primarium ſignum.* 35. 150 *Quomodo* curetur. 150.

Purgantia *quælibet Naturæ quare inimica dicantur, ab Auctore.* 107. *Vel mitiſſimo quoque tumultum plerumque in corpore excitant.* 10 *Repetita ſæpius, in Adfectibus fere quibuslibet, præſertim in imbecillibus, & Infantibus*, plurimum obſiciunt, *& Tumores in infimo ventre horum excitant.* 91. 92. *Facilius vel difficilius operantur, pro corporis Idioſyncraſia; quare cautus ſit ſemper Medicus, de ægri corporis, ad Cathartica ferenda aptitudine, vel ineptitudine; nam hujus neglectu Hypercatharſes a levioribus etiam Purgantibus quandoque obortæ.* 107. *Si* Correctiva *dicta admiſta habeant; Catharſis redditur laboriosior.* 79, Leniora *in Robuſtis aliquando plus præſtant, quam validiora: Sic etiam aliquando teneriores homines fortiſſimis purgantibus æque cedunt.* 103. *Poſt* V S. *omnium maxime refrigerant.* 112. Paregoricis *viam ſternunt.* ibid *Et iis adjuvari poſſunt.* 114.

— *in* Angina, *lenitiva quandonam, poſt Venæ ſectionem, exhibenda.* 38. *Et quandonam in poſterum diem rejicienda.* ibid Cum Chalybe, & Chalybeatis, *vel ipſorum uſus tempore, quare non exhibenda.* 91. 92. confer. 92 *In* Chorea Sancti Viti. 92. 113. 146. *Quoties & quando repetenda.* ibid In Cholera morbo *damnantur.* 21. *In* Chronicis Morbis *ante uſum roborantium vel Digeſtivorum exhibenda.* 103 *Et ubi ſemel Corroborantia & Digeſtiva adhibentur, non intercalanda. In* Colica Hyſterica, *quandonam.* 27. *In* Colica biliosa *quando.* 25. *Ad tertiam vicem non numquam repetenda.* ibid. *Quandonam augenda.* 27. *In Febricitantibus* Coma *quomodo inducant; illudque*, Paregoricis *exhibitis amolitur:* quod ſi Auctori in mentem antea veniſſet, non Enemata tantum, ſed ipſa Purgantia, *in Febre Comatoſa An.* 1673. auſus dare fuiſſet. 112. *In* Comate Febrili, *Calefacientibus excitato, nocent.* 113. *Purgontia, & V. S. alternatim iterata* Contuſiones *tutiſſime curant.* 106. Corticis Peruv *uſum ne præcedant.* 9. 10. *In* Diarrhœa, *qualia.* 22. 23. 147. *In* Dyſenteria, *& quoties iteranda.* 22. 23 147 *Ultra tertiam vicem Methodo Auctoris raro exigebantur.* 22. 23. *Quandonam uſum Laudani præcedere debebant; & quando non.* 23. *Poſt* Febres Autumnales *magis, quam poſt* Vernales, *neceſſaria.; & quare.* 5. *In Febribus* Continuis *quando, & quare, tempeſtiva.* ibid *In Febre* Dyſenterica. 24 *Quoties inſtituenda.* ibid

Purgantia *in Febre* Epidemica *quacumque, non exhibenda, in principio ſtatuve Morbi, niſi V. S præmiſſa: quod probe obſervandum.* 112. *In Febre* nova Epid. *V. S. quare, & quandonam iteranda.* ibid. *Et hic non nocent, ut quidam putant, ſed requiruntur, quia poſt V. S. propinata, ſurame refrigerant, &* Narcoticis *viam ſternunt.* 115. *In Febre* Eryſipelatoſa *qualia eſſe debeant.* 37 *Et quale Paregoricum aliquando, hora ſomni, inſuper exhibendum.* ibid. *In Febribus* Intermittentibus *Diabetem ſenibus quandonam inferebant.* 41. *Febres Intermittentes, in Infantibus, ac ætate florentibus, longiores, ac pejores, reddunt.* 9. 10 40. *Provectiores ætate in mortis periculum conjiciunt.* 9. 10. *Et in lebito celebrata Febres Interm.* Vernales *prolongant* 8 *Non niſi certa conditione in Febr. Intermitt.* Autumn., *tentanda.* 9. *Poſt Febres Interm.* Autumn *penitus ſublatas, nec ante, ut periculoſiores inſecuturi Morbi, præſertim in provectioribus ætate, vicentur*, neceſſaria *admodum.* 10. *Eadem vero prius exhibita* Morbum *contumaciorem reddunt: & quare.* ib *Hydropem quoque accerſunt; neque eam natam tollunt. Exhibenda proin tantum menſe uno elapſo, cum ſcilices non modo Paroxyſmi, ſed etiam ea alteratio, quæ diebus iis. in quos incidere debuerat Paroxyſmus, perſentiſcitur, prorſus evanuerint.* ib. *Qualia, quo tempore, quibus intervallis, adſumenda; quoties repetenda.* ib. *Si per* Corticem Peruv. *curatæ fuerint, non exhibenda quin inde Recidiva adſi.* 41. In Peſtilentiali *Febre poſt Venæ ſectio & Diaphoreſin, quale exhibenda.* 14. *In Febre* Quartana *æque fere nocet ac Venæ ſectio; non tamen uſque adeo, niſi crebro repetatur* 9. *Qualia poſt Febr.* Scarlatii.

latinam. 34. *In Febre* Stationaria. 143. *Sudoriferis mista, ante Paroxysmum exhibita*, in Tertian. Autumn. *commendantur*. 9. *Sudoriferis*, in Tertiana duplici *non admiscenda, & quare*. ibid. *In* Febre ex Tussi *male tracta nata, per tres dies institutis sufficiebant*. 42. *In* Gonorrhœa virul. *Remedia sunt, in quibus Curationis omnis Cardo vertitur*. 78. *Hydragoga præ ceteris conducunt*. ibid. *Diu continuanda; si enim nimis citò relinquantur; reperta mane adhuc gutta Ichoris in summitate colis, redibit Morbus*. ibid. *Si ab ægro sumi nequeant, vel si iis pertinaciter refragatur, facile Lues oritur; & quomodo tunc succurrendum*. 79. *Post Luem Salivatione sublatam, quamdiu vitanda*. 80. *In* Hæmorrhagia Narium *quandonam exhibenda*. 38. 157. *Lenientia nisi exhibeantur, post Hæmorrhagiam immodicam, recidiva metuenda*. 7. *In* Hæmoptoe, *præsertim repetita, Tabem inferunt*. 38. Hydragoga *dicta in iis, qui ægre purgantur, vix aliquid efficiunt; & si aucta dosi exhibentur tumultum Sanguinis promovent, & plus augent; hinc, ut bene operentur, leniora Cathartica iis admiscenda*. 107. *Per* ἐπικρασιν *quæ agunt, in* Hydrope, *Tumorem potius adaugent, quam minuunt*. ibid. *In Hydrope præ ceteris Morbis, validissima requiruntur & celerrima; ut Aquæ maxima celeritate, quam ægri vires ferre queant, exantleatur*. ibid. *Quæ vel segnius vel mitius operantur quare efficiunt magis quam prosunt*. ibid. *Hinc Curationis cardo in Hydrope pendet ab exacta inquisitione, num æger facile, num difficile Catharticis cedere soleat*. ibid. *Fortiora, & nimis moventia, justo debilioribus sunt præferenda, quia Laudano occurrere hodie certo possumus*. ibid. *Singulis diebus exhibenda; & quas ob causas*. ibid. *Non numquam vero dies unus aut alter intercalari potest*. ibid. *In Hydropicis prompte Catharsi cedentibus quænam*. ibid. *Varia plura*. 149. *Duo Palmaria, pro iis qui ægre purgantur, cæteris* δοκιμώτερα, *sunt* Elaterium & Infusio Croci Metallorum. 107. Ubi per roborantia, vel & lixivialia curamus, exquisite vitanda: revocant eadem illico jam recedentem tumorem. 109. *Frequentiora in* Hystericis *id modo efficiunt, ut Materiæ biliosæ viridis, uberior enascatur seges; & quare*. 41. *Hystericam Adf. sæpe invitant, ubi contrarium foret, si ejus fomes in materia aliqua involveretur*. 91. confer. 90. *In initio quare & quando*. 91. *In leviori specie omittenda*. 92. *In Hystericæ Adf. Paroxysmo ubi Dolor urget post V. S. quandonam instituenda, ante usum* Laudani. 93. 94. *In* Iliaca Passione *fiunt Emetica*. 7. 26. *Licet fortissima, Intestina non permeant*. ibid. *In Ileo vero non exhibenda prius, quam roborato ventriculo, quin alias Emetica evadunt*. 7. *In Ileo ex Torminibus ventris, in Febre Epid. nova, fortissimâ exhibenda, quænam*. 91. *Si evomantur Paregorica prius exhibenda*. ibid. *Ope Paregoricorum retinentur, & operationem suam deorsum sistunt, licet paradoxon videatur*. 114 *Pro* Infantibus *optima quæ ex Rhabarbaro cum Cerevisia*. 115. *In* Lue Venerea *quare non exhibenda ad corpus pro Salivatione præparandum*. 79. *In* Mictu Sanguineo, *a Calculo, post V. S.* 131. *In* Nervosis Adfectibus *repetita, sæpe congrua; ut in Chorea Sancti Viti*. 113. *In* Peripneumonia notha *post V. S. crebriora, præsertim ubi hæc reiterari non debet*. 36. 144. *Quo die iteranda*. 36. *In* Peripneumonia vera *non conducunt*. ibid *In* Phrenitide, *ante Narcotica, assumenda*. 6. *In Phrenitide a Calefacientibus inducta, nocent*. 113. *In* Pleuritide *Symptomatica ad finem*. 32. *In Pleuritide Vera post V. S* 35. *In* Podagra *cur Empiricis quibusdam, eadem celantia adstute, existimationem conciliarunt cum damno ægrorum*. 101. *Ad Materiam Morbi ejiciendam, neutiquam conducunt*. ibid. *ad* ibid. *Sed Materiam ab articulis intus repellunt, & Morbum retrocedere faciunt*. ibid. *Hinc Podagricis lædunt*. 102. *Adeoque nec in Paroxysmo, nec post eum, neque ante ipsum, neque Vere vel Autumno, exhibenda*. 101 *Paroxysmum sæpe accersunt, etiam lenia; nisi Laudanum insuper adsumatur, tum non nocent, ut tempore observavit Auctor*. 131. *Inter V. S exhibenda, quando Metastasis materiæ ad Pulmones adest*. 105. *Exhibenda quoque Manna ubi Mictus Sanguinis adest*. 131. 157. *In* Rachitide *ex Febr. Autumnali qualia esse debeant? Non vero nisi Febre fugata exhibenda, & quare*. 12. *In Rachitide vera quandonam lotum habeant*. 92. *In* Rheumatismo *qualia*. 43. 144 *Post diem octavum ab ultima V. S. qualia exhibenda*. 36. *Post tertiam V. S., sæpius iteranda, ut Sanguini parcatur, & Paregoricis locus daretur, satius fove, quia tum ab his* non figitur Morbus, *Auctor tempore didicit*. 23. *Post* Salivationem Mercurial. *in Lue Venerea non exhibenda, quia Recidivæ caussa esse possunt*. 80 *In* Tussi convulsiva *Puerorum, quomodo juvent*. 42. *In Tussi* Epid. 1679. *continuanda donec convalescat*. 42. 43. *In* Rumore Abdominis *Infantium nimis repetita, horum plurimos interfecere*. 92. *In Tumoribus Abdominis Infantium, post Febres Intermittentes diuturniores, indicantur*. 10. *In Tumoribus Abdom. Infantium, ex Rachitide vera, non nisi semel vel bis, ante usum Alterantium, admittant*. 92. *In* Variolis, *initio an conducant*. 17 *Et quid mali producere possunt*. ibid. *Sanguine nondum inquinato, Variolas distinctas reddunt*. 85.

Purgantia *In Variolis* Anom. ibid. *Post Variolas* Confluentes *curatas*. 88.

Purgantibus ægre (79.) *Salivatio etiam Mercurialis ægre plerumque instituitur*. 80.

Purgationis Omissio *post Morbos Autumnales, plus quam ulla caussa*, multorum Morborum *fons est*. 5

Pus *in sanguinem quomodo resorbeatur & Febrem excitet*. 84. *Post Pleuritidem essentialem Thoracis cavo quando recondatur*. 35. *In* Variolis *in sanguinem copiose regurgitans*, in fine Morbi suffocat. 85

Pustula *in Gonorrhœa virul. initio, dein in Ulcus Aphthosum abiens (a Shanker*. 78.) *in* non Recutitis, *quomodo incipiat & protedat*. ibid.

Pustulæ *in* Febre Erysipelatosa *non vulgari Urticarum punctura referunt*. 37. *In vulgari adparent, ac si apes aut vespæ aculeis suis lædissent, & aliquando in Vesiculat attolluntur*. ibid.

—— Variolosæ, *si Maculas purpureas interspersas habent, letale*. 16.

—— *in* Variolis, *paucæ omnem salutis spem constituunt; & e contra*. 84. *Hujus Ratio*. ibid. *Ergo non propellendæ, ut densæ sint, eum ab horum numero discrimen pendeat, sed potius coercendæ*. ibid. *Intempestive autem & nimio opere prodeuntes, quot malorum caussæ*. 85. *Profusissimæ vero fiunt; vel propter* naturam ægri calidiorem; *vel ob* Calefacientia intempestiva; *propter in* lecto decubitum nimium & præmaturum. 84. *Ne copiosæ nimis fiant quomodo præcavendum, aere liberiore &c*. 85. *Ex frigore nimio flaccescere solent*. 30 *In* Infantibus *sæpe non prodiere, quia Epileptici adfectus Discretas præcedere soliti, pro essentialibus adfectibus evacuantium ope fuere tractati* 86

—— *in* Variolis Anom. nigris Confluent *An.* 1670 *initio ab* Erysipelate *vel &* Morbillis, *vix, nisi Eruptionis die, aliisve signis, discernebantur*. 25. Pustulæ nigræ *augebantur pro ratione Calefacientium, & contra*. 87. Materiem *eructant nec flavam nec fuscam, sed* rubro saturato *concretum sanguinem imitantem*. 25

———— *An.* 1674. nigredine *fuliginem æquabant; &* perpusillæ *erant, ubi numerosæ*. 30

Pustulæ in Variolis Anom. Discretis *An.* 1670. *quomodo ab iis generis Discreti Regularium, disterminabantur*. 25. Nigræ *itidem fiebant, diebus ultimis*. ibid.

———— *An.* 1674 *paucæ ubi erant, non erant minores quam in aliis generibus, & rarissime* nigræ. 30

—— *in* Variolis Regularibus subflavum *colorem naturaliter habent*. 16. Nigredinem, *quod Symptoma anomalum est, in summitate aliquando habuere, sed hæ Regininis temperati ope*, sensim *per fuscum in* subflavum *colorem transibant*. ibid.

———— Confluent. *An.* 1667. *naturaliter quales; & quid de iis dicendum habuerit Auctor*, vide. 15. 16. Copiosiores *futuræ, quod patet, ex faciei, primis diebus, ad instar pulveris e limatura aciculorum undique respersa, prædicunt Mortem vel undecimo, vel decimo quarto, vel decimo septimo, involaturam, utut æger & sibi, & adstantibus belle habere videatur*. 84. Majores *in manibus ac pedibus, quam reliquo corpore; & quo plus ab extremis distant eo* minores 16. Causticam qualitatem, *unde Cicatrices fiunt, si Regimine temperato tractantur, non induunt*. 19 *Crustis factis halitus putridos a materia purulenta in Sanguinem retropellunt*. 18. Deprimuntur *naturaliter, nec mali quid hoc portentat*. 19. *Sed tamen ignaros deterret, qui etiam in Distinct. Variolis augmentum exspectant ante diem, non gnari temporis, quod Natura destinavit: Unde natus Rumor*; de crebra Pustularum retrocessione. ibid. Depressio *ex frigore vel evacuationibus indebitis, quomodo superanda*.

Pustulæ in Variolis Discretis *An.* 1667. magnitudinis *Pisi grandiusculi fuere*. 15. *Maturescentes*, die octavo *in* Facie, *ex lævibus atque rubris, asperiores evadunt & subalbidæ, & tandem magis flavæ: ubi in* Manibus & reliquo corpore, *progressu Maturationis minus asperæ, & albæ magis, conspiciuntur*. ibid. Desquamatione *in facie & reliquo corpore*, discruptione *vero in manibus*, abeunt. ibid. *Post mortem ægri, quandonam* elevantur *adhuc & rubescunt*. ibid. Repercussæ *ex* frigore, *vel* evacuationibus *indebitis, qui tractandæ*. 19.

Putrefactiones humorum *ultra modum retentorum, ut &* Fermentationum *varia genera, Classem unam caussarum universalium, Morbos producentium, constituunt*. 1.

Q

Quæstio, *qui Morborum medela administrabitur, dum eorum caussæ latent? solvitur*. 12.

Quartanæ Febres, *vid.* Febres Quartanæ.

R

Rachitides veræ *variæ occurrunt, nisi Intermittentes Autumnales, ex Constitutione Epid. prædominium habeant, quod* notatu dignum. 10.

Rachitis *vera, ejusque* Curatio. 149. *Post Febres Autumn. nata, qualis; ejusdemque Curatio*. 10.

Rachitis *quomodo curanda una aut altera Purgatione, Linimentis, Vino & Cerevisia medicatis*. 92.

Rationis Momenta *adeo varia & subtilia, ut Theoria quæcumque plausibilis, iis innitens, a quodam pulchre stabilita ab alio, tumque iterum ab altero, majoris adhuc verisimilitudinis specie, invertatur; quod tandiu fiet, donec* ultima humani ingenii potentia *consummata sit*. 115. 116.

Recidiva *in Dysenteria, reiterationem Methodi Auctoris expetit*. 23.

—— Febris, *notatu digna, post usum Clysterum & Catharticorum, quæ Febrem prius quasi profligaverant*. 5. *Quid tum agendum*. ibid.

—— *in* Febr. Intermitt. *Cortice Peruviano curatis, ab Evacuantibus, Catharticis, Enematibus, inducta*. 41. *In* Febr. Quartanis *post Corticis Peruviani usum rarior, quam in Quotidianis ac Tertianis*. ibid. *In* Gonorrhœa virul. *ex Decocto Lignorum sæpe fit*. 79.

Recutitus *seu* verpus *qui non est*, Gonorrhœæ virulentæ *initio, sæpe* Maculam *vel Pustulam, instar Morbilli erumpentis, in glandis quadam parte habet, in Ulcus mutandam, a Shanker dictam*. 78.

Refrigerans summum *est Catharsis post V. S.* 115.

Refrigerantia *in* Morbis acutis *quid efficiant boni*. 32 33. *In* Febribus Malignis *proprie conducunt, licet ibi errantes Medici per Calefacientia & Alexipharmaca sua Venenum suum, ista dictum, per cutis poros eliminatum velint*. 115. *In* Phrenitide *instante, ut & calefacientibus inducta*. 113. In Podagra, *ut Liquores refrigerantes, quare vitanda*. 103. *Externe adplicita periculosa* 105.

Regimen Calidum, & Sudoris provocatio, *in* Febre Variolosa *licet prodesse posse videantur, tamen, docente Experientia, nocent*. 20. *Methodo Auctoris plane oppositum, licet cum eo aliquando resurgant ægri, magnum infert discrimen, & Symptomata vehementer auget*. ibid. *Sudores extorquens Phrenitidem inducit*. 19. *Sæpe Symptomata producit, post Sudores extortos nascentia, quæ Morbi malignitati falso adscribuntur*. 20.

—— *in* Variolis *quomodo noceat*. 85. *Quam mala Symptomata in Constitut. 1674. producebat*. 30.

—— *vide* Calefacientia & Cardiaca.

—— calidius *in* Variolis *tempore Expulsionis, quid efficiat, vide* Calefacientia.

—— temperans & refrigerans *in* Febre Variolosa *videtur*. *Auctori Methodus præ ceteris optima*. 20. *Ptyalismum adjuvabat*. ibid. *Non metuendum, quamvis Sudores copiosi adsint*. ibid.

—— *in* Variolis Confluent. *Symptomata duo pessima*, Mictum Sanguineum & Maculas purpureas, *antevertit; Quæ duo ni præcaveantur, ubi jam adsunt, non curantur*. 85.

—— minus adcuratum, *in* Variolis, *Plebi quam Divitibus, illi Variolas æquiores reddit, quam his*. 18.

Regimen *in* Variolis *quale conducat vel obficiat, non ex Opinionibus, sed ex Practicis Observationibus, deduci tantum debet*. 85.

Regula, *in Variolis*, Venæ sectioni & Evacuationibus, *quam objiciunt*, a Circumferentia ad Centrum non esse movendum, *nullius est; & quare*. 17.

Remedia, *vide* Medicamenta.

Remediorum *seu Formularum ingentem Sylvam quare non tradat Auctor XIV.*

—— Formulæ in Praxi magis familiares 141. 142.

Renes *dolore quonam, nascente Calculo, sensim adficiantur*. 131.

Repellentia *in Podagra, externe adplicita, periculosa*. 106. *Quid mali præstent* 105.

Res 6. non Naturales *peccantes corpora nostra, ad hujus illiusve Morbi Epidemici generationem, non minus ac manifestæ aeris qualitates, magis minusve disponunt*. 2. *Qui Morbi tum Varii exoriuntur pro Constitutione Anni & humorum dyscrasia*. 34.

Respiratio, *in* Pleuritide Essentiali *metu Tussis ab ægro reprimitur*. ibid.

Rhaum-barbarum *in Dysenteria sine alio* purgante *leni exhibitum, quare non conducat*. 22. 23. *Cum Cerevisia in Infantibus purgans optimum*. 115. *Quomodo paretur*. ibid.

Rheumatici Dolores *nimium a lecto, in Febribus Epid. abstinendo, præsertim in declinatione oriri possunt; & quid tum agendum*. 29.

—— *quidam pro* Scorbuti Symptomatis *habentur, incautis*. 36.

Rheumatismus *omni tempore, sed maxime* Autumno, *incessit*, & ætate florentes *præcipue adficit*. ibid *Hic morbus a Scriptoribus sicco pede tractatur*, vel *quod eum pro* Arthritide *habuerint, ubi sine Febre adparebat, licet examinanti multum differre constet: vel, quod de novo ad reliquam Morborum Iliadæ accesserit*. ib. *Frequentissimus nihilo minus est; & licet, Febre depulsa, raro occidat, tamen ob dolorem insignem & diuturnitatem, notatu dignissimus*. ib. 144.

Rheumatismus *inflammatoriam caussam agnoscit, ut patet argumentis*. 36. *Ex frigore subitaneo post calefactionem plurimum oritur*. ibid. A calore lecti *intenditur*. ibid.

—— *incipit cum* Febre *ejusque Symptomatum caterva*. ibid: *Quæ sensim evanescens manente dolore, sæpe* recrudescit, & *quando*. ibid. *Febris pro Morbo primario habenda; & reliqui Adfectus, a quibus nomen mutuatur Morbus, tanquam Symptomata, quæ a materia febrili, a modo criseos, a parte in quam Materia ruit, pendent*. 34.

—— *non eodem vigore*, Febre depulsa, *sed, ad instar Arthritis, subinde lacessit*. 36. *Et licet, tum* Mortem *quidem non inferat, quare tamen non contemnendus*. ibid. confer. 144.

—— *Protuberantias in digitorum interna potius, quam externa, parte excitat. Et membra motu omni, cessatis jam doloribus, sæpe ad mortem usque privat, digitorum articulis inversis*. 36.

—— *sponte sæpe tandem desistit*. ibid.

—— Podagram *in Fœminis gracilioribus adolescentibus, vel constantioris ætatis, aliquando mentitur*. 131.

Rheumatismus Verus *quomodo* curandus. 36. 43. 144. Indicationes Curativæ. 36. Venæ sectio *in latere adfecto ilico instituenda*. ibid. *A sola V. S. Curationem sumi debere censebat Auctor*. 36. 103. *Quoties hæc iteranda, & quando*. 36. 144. Calefacientia *exhibita Venæ sectionis frequentioris caussa esse possunt*. ib. *Enemata e Lacte Sacebat. diebus a V. S. liberis, injiciebantur*. 36. 144. Medicamenta *incrassantia, refrigerantia, & simile* Regimen, *nec non Diætam adæquatam, ex Decoctis farinosis, Jusculis carneis tenuissimis, commendabat. A lecto de die per aliquot horas abstinendum volebat*. 36. *Sed vidit, tempore, Auctor hujus Methodi per V. S. frequentiores incommoda*. 43. *Hinc eam mutavit*. ibid. *Et per Diætam tenuem, ut* Serum Lactis, *curare cum successu tentat, in quibusdam*. ibid. *Sed in aliis post secundam, vel ad summum tertiam, V. S. jam* Cathartica *& insuper* Paregorica *exhibet*. ibid. *Et sic incommoda a V. S. præcavet*. ibid.

In Rheumatismo Paregorica *quodam tempore vetabat Auctor, utus sæviret dolor, si per V. S. solam curatio expetebatur, quia, ut putabat, Morbum figebant; hincque V. S. frequentiorem postulabant, neque in vigore Morbi* ἀγαλγησίαν *promissam præstabant*. 36. 43. *Hinc* ipsa *non nisi, octo diebus elapsis, post* Cathartica, *sed* lenitiva, *exhibita, propinabat; & quare*. 36. *Verum, ubi Methodum mutavit citius* Paregorica *quoque exhibere jubet, ubi citius Cathartica exhibentur*. 43.

In Rheumatismo *Dolores Venæ sectionis imminuti, non tamen omnino evanescunt; sed tantum ubi Vires resarcitæ; maxime æstate subsequente*. 36. *Verum, si æger perversa Methodo forte tractatus, tum Dolores vagi, per omnem vitam sæpe ægrum discruciant, qui incautis Scorbuti Symptomata habentur*. ibid.

—— inveterato *V. S. iterata, Fontanella, & Spiritus volatil., cum Vino Canarino omni mane & sero adsumti*, Curationem *absolvunt; sed longius spatium, inter Venæ sectiones reiterandas, est interponendum.* 37. *Venæ sectione illa iterata Morbus hicce eruitur, vel eo deducitur ut aliis facile curetur.* ibid.

Rheumatismus Scorbuticus *quidam datur, licet inter verum Rheumatismum & Scorbutum discrimen intercedat; & quare ita vocetur.* ibid. *Describitur cum sui differentia a vero Rheumatismo.* ibid. *Protuberantias tales ac Verus, in partibus raro excitat.* ib.

—— *Fœminas præ reliquis adoritur, tum Viros imbecilliores.* ibid. *Hinc fere videtur species* Adfectus Hysterici, *sed Hysterici remediis non cedit.* ibid.

—— *Corticis Peruviani longiori usui ortum sæpe debet.* 27. 40.

—— *Chronicorum præcipuorum ad instar, in diuturnitatem longam aliquando se protrahit.* 37.

—— *quomodo* curandus, ibid.

Risus *ex Hysterica Adf. sine ulla sæpe caussa.* 89. 91.

Roborantia, & Cardiaca, in Febrib. Intermitt. *Autumn. ad Naturam sublevandam, quando, & cur, conveniant.* 9. 10.

Roborantia *in* Hydrope *eadem sunt, quæ in Podagra; paucis additis, tradita.* 109. *Quando & quare conveniant*, ibid. *In* Hystericæ Adf. *curatione, post Evacuantia, dentur; inter hæc primarium Chalybs.* 91. 92.

Rosa, *in Igne sacro occurrens, quid vocetur.* 12.

Rubedo, *in Variolis*, in interstitiis *Pustularum, instar Rosar. Damasc.* octavo die *incipiens, bona, si cito recedit malum.* 15. 16.

Ructus nidorosi, *in Podagræ irregularis Paroxysmorum intervallis, vexant.* 100.

Rumor, *de Variolarum* retrocessione crebra, *unde ortus.* 19.

S.

SAl Absinthii *cum succo Limonum, ad Vomitum, in Ileo vero.* 7.

Salia lixiviosa, *in Hydrope, ad Diuresin movendam, præ ceteris optima.* 109.

Saliva *in Variol. Const. viscida est* undecimo die. 16. *Quibusnam tum succurrendum.* 19. 145. 146. Cardiacis *dictis præpropere incrassatur ita, ut pernicies inducatur.* 87. *Vid.* Salivatio.

Salivatio, *in* Hysterica Adf. *similis ac ex Mercurio.* 91. *In* Febre Dysenterica *raro juvabat, uti in* Febre *Varioloſa solebat.* 23. confer. ibid. Febrem Varioloſam, *uti ipsas Variolas, placide solvere solebat.* 20. *Et Maculæ purpureæ hac ope evanescebant.* ibid. *Quomodo hic sub finem Morbi excitatur.* 19, 20. *Estque hic* critica excretio; *cujus defectus, nisi aliam ars suggerat, ad aliquot septimanas perseverat Morbus.* ib. *Numquam non salutaris quoque hic; hinc ubi adest cavendum a V. S. & Enematibus.* ibid. *Aliquando, per ipsam Naturam, in* Diarrhœam *vel in* Sudores *profusos, pervertebatur.* ibid.

Salivatio Mercurialis, *in* Lue Venerea *confirmata, omnem numerum absolvit, juxta Sydenhamum.* 79. *Sed Gonorrhœam non valet sanare.* 32.

—— *quomodo instituenda.* 79. 80. *Ad præparandum corpus, Catharticis, Balneis, V. S., non indiget, & quare.* 79. *Sustinetur melius, si nihil prius agatur, quam si evacuantibus*, ante ptælium, quasi incisi sint Nervi. ibid. *Quonam Unguento fricandæ partes ad eam excitandam; & quænam fricandæ.* ibid. 80. 149.

—— *quomodo & quando incipiat a Frictione.* 149. *Et si non procedat, qua ratione per Turbith minerale provocanda.* 80. 149. *Antequam bene adsurgat, sæpissime oritur* Diarrhœa, *quæ* Opiatis *reprimenda.* 80. Difficulter *in iis, qui difficulter purgant* (79.) excitatur. 80. *Et non nimis obstinate tum urgenda, quin Dysentericæ dejectiones modo fiant, aliaque horrenda Symptomata.* ibid. *Quomodo tum procedendum.* ibid.

—— *certis gradibus modificanda, ne ægrum in periculum conjiciat; & ad quamnam copiam evehenda.* 79. 149. *Lintea, ubi permutanda, sint prius usitata.* 79. *Si* violenta *nimis, Cathartico reprimenda paulum.* 80. 149. *Si* languescat *nimis cito, quomodo* Mercurio dulci *excitimulanda.* ibid. *Ubi* per Diarrhœam *enervatur, quid agendum, ut revocetur.* ibid.

Salivatio Mercurialis Diætam *qualem exigat.* 80.

—— *convalescente ægro, non cito cohibenda, sed leviter sustinenda.* ibid. *Et* Oris *post eam* exulceratio *sibi tantum concedenda.* ibid. *Vide* Os exulceratum.

—— *Methodo Auctoris instituta, vario de nomine expeditior, itidem minus periculosa, recidivæ minus obnoxia.* ibid.

Salivationis Mercurialis *effectu, qui debilitati & exhausti in Galliam cur sæpe migrare cogantur.* ibid.

Salivatio *in* Variolis Anomalis Confluent. *An.* 1670. *major erat adhuc; quam in aliis.* 82.

—— Discretis *An.* 1670. *adfuit æque ac in Const. in hac specie.* ibid. *Quid inde concludatur.* ibid.

—— nigris *pessimis An.* 1674. *itidem salutaris adfuit.* 31. *Hic vero, ante* undecimum *diem, sine periculi metu, quomodo sisti poterat.* ibid.

—— Regularibus Confluentibus, *in Adultis Symptoma genuinum, non minoris momenti, quam* Pustulæ, *ac partim* Tumor, *est; & semel tantum ipsam* abfuisse *norit Auctor.* 16. *Harum individuus comes esse debet; & quare.* 84. 145. *Et* certius *vexat Adultos, quam Diarrhœa Infantes.* 16. 145. *Omnino* non sistenda, *sed Naturæ committenda.* 118. Eliminandæ *quippe Materiæ morbificæ inservit.* ibid. *Est enim, in iis, e præcipuis Naturæ* Evacuationibus, *& in locum istius, quæ per Pustulas majores in Discretis contingit, substituitur.* ibid. confer. 16. *Et in tuto ægrum ponere solet.* ibid.

Salivatio in Variolis Regularibus Confluentibus *prodit Eruptionis initio, aliquando post.* 16. 18. 145. *Cessat, vel saltem, saliva spissa facta, minuere & decrescere incipit, undecimo die, licet adhucdum utcumque perduret.* 16. 18. 87. 145. *Sed Tumore Faciei ac Manuum compensatur.* 15. 16. 18. 87. 145. *Ubi integre* cessat, *Faciei quoque evanescit tumor, sed* Manus *tum intumescunt.* 16. *Aliquando, sed raro, postquam cessavit, recrudescit.* ibid.

—— —— ne sistatur *ante* diem undecimum *cavendum*; periclitatur *enim tum æger & quare.* 16. 18. *Si* desinit *sponte sua*, undecimo die, *neque* facies *intumescat; aut ejus loco* manus *intumeant, aut hi tumores ejus vicem subeuntes, evadant, moritur æger.* ibid. *Quibusnam vero cum Symptomatibus.* ibid. Promovenda *Cerevisiæ tenuis, & liquorum temperantium usu.* 16. 17. Sustentanda *Narcoticis, præ aliis quibuscumque.* 17. 78. *A* Paregoricis *licet parum imminuatur, tamen non penitus cessat, sed, intervallis ab adsumpto Anodynis remotis, melior resurgit: tum quia vires ægri restauratæ; tum quia hoc modo mucilius saliva excoquitur.* 87. Protrahenda *Narcoticorum itidem ope, quod aliquando ad* diem decimum quartum, *& ultro, fit.* 18. Supprimitur calore *nimio*, calefacientium *usu*, & abstinentia *a liquoribus Sanguinem* diluentibus. 18. 26. *Tum a pure resorpto quoque sistatur.* 84. Revocanda, *si justo citius suppressa, itidem Narcoticorum ope.* 18. *Suppressa ex Salivæ visciditate, ut æger in suffocationis sitometu*, Emeticum *juvare solet, & fortius.* 19. *Tamen* certius *in hoc casu adhuc medium desideratur.* ibid.

Salus *in Variolis pendet ab* Exanthematum paucitate; *& e contra.* 84. *Ratio hujus.* ibid.

Sanguinea massa *repurgatur ordinario, in humano corpore, si Naturæ negotium permittitur, spatio* 336. *hor. h. e. dierum* 14. *aut circiter.* 9.

Sanguinis jactura *major* Apoplexiæ *speciem Puerperis Hystericis, aliquando infert.* 89.

Sanguis *Spirituum Fons & Origo.* 91. *Per se imbecillior in pueris.* 3. *Spirituum copia destituitur in decliviore ætate, atque in Juvenibus diuturno morbo confectis.* ibid.

—— purus *in Dysenteria quando.* 22.

—— *in Pleuritide vera, V. S. eductus, instar sevi liquati spissus, in superficie quasi purulentus, post primam saltem Venæ sectionem.* 35. 144. *Et secta vena si recto flumine, ob orificium angustius, non prosiliat, cur Cuticulam albam non contrahat, ignorat Auctor.* 35. *Et tum hujusmodi Sanguis eductus levamen quoque non infert ac aliter.* ibid. *Recens extractus, digito si agitetur, crustam illam tenacem, albam, non contrahit.* ibid.

Sanguis Pleuriticorum Sanguini V. S. educto similis, *respectu cuticulæ albæ, reperitur, in* Dysenteria *inveterata.* 23. *In* Febre Epid. *Const.* 1673. *ad* 1675. *in initio.* 28. 29. *In* Febre Erysipelatosa, *plerumque semper.* 37. *In* Febre nova Hiemali 110. 112. *In* Febre Pestilent. 13. 14. *In* Hæmorrhagia Narium. 38. *In* Peripneumonia notha. 35. 36. *In* Pestiferis; *ubi simul calorem Sanguinis Pleuriticorum & Rheumatismo laborantium, quoque habet.* 14. *In* Podagra. 103. 104. 105. *In* Rheumatismo, *ubi tam similis ac ovum ovo.* 36. *In* Variolis Confluent, *ante Eruptionem.* 88. *Post Variolas Confluentes*, ibid. *Post Variolas* vehementiores. 19.

Sanguis *in* Febre Contin. Epid. 1665. *a Pleuriticorum Sanguine differebat.* 11.

Sanitas *ex Febre, ubi Natura vi sua Materiam morbificam superans critice eam norit solvere.* 1.

Sarsaparilla, *in Lue Venerea curanda, evacuando forte potius, quam vi specifica, agit.* XII. 12.

Scientia *intuitiva non datur, qua fretus Principia quis queat substernere, quibus mox superstruat; sed humanæ naturæ abjectior conditio, intra angustios cognitionis, quam* de quinque sensibus *haurire potest, limites coarctatur.* 108. 109.

Scioli, *in speculationibus spem omnem ponentes, majorem edunt stragem, quam Morbi, eorum auxilio destituti.* 42.

Scorbutica Symptomata, *non nunquam, vocantur Dolores a male curato Rheumatismo superstites.* 36.

Scorbutus *non tam frequenter, apud nos, occurrit, ac quidem vulgo putatur; hoc enim si foret, in immensum crescerct, & omnem fere Morborum numerum absolveret.* ibid. *Verum istius nomine plurimi donantur Adfectus, qui vel* Morborum Fientium *effecta; vel* infelices reliquiæ. *Morbi non perfecte curati, tantum sunt.* ibid. *Dein illa, quam sæpe Medici Scorbuto scribunt diuturnitatem Morborum, ipsorum tantum perversæ curæ debitam.* 5. 6.

Scorbutus *quænam habeat* Symptomata. 151.

—— *quibusnam* curetur. ibid.

Scorbutus *ubi desinit, ibi incipit* Hydrops, *vulgaris Regula quomodo accipienda.* 36. 37.

—— *aliquando Febris Quartanæ Symptoma est.* 8.

Scroti *inflammatio & tumor, in Gonorrhææ virulentæ adfectione*, oritur *vel a* motu violentiori. 78. 79. *Vel ab* adstringentibus, *quorsum referuntur* Aquæ Minerales. ibid. *Curatur Fotu emolliente, Cataplasmate, Catharticis, & refrigerantibus; tum & V. S. si tumor & dolor urgent.* 79.

Senes, *in Febribus Interm. Catharticis debilitati sæpe in paroxysmi primo rigore diem obeunt.* 9. 10. *Morbis Chronicis quare Juniores magis obnoxii.* 103.

—— *in* Podagra, *sine exercitio, numquam levamen obtinent; sed a materia inconcoctili, eorum naturam Viribus superante, tamquam a Veneno enecantur.* 107.

—— *&* Senescentes *Febrem Quartanam difficile ferunt.* 8.

—— Juvenes *diuturno morbo confecti*, Pueri, *Venæ sectionem in Febribus vetant.* 3. *Et quare.* ibid.

Serum Lactis *in* Dysenteria *frigide adsumitur, & tepide per Clysma injicitur, Constitutionis* 1669. *&* 1672. *initio* 23. 147. *In* Febre Varioloſa, *Diarrhœa vexante, usu veniebat.* 20. *Ptyalismum quoque hic promovet.* ibid. *In* Rheumatismo *magna copia usurpatum, loco V. S. præsertim adeo frequentioris, substituit Auctor.* 43. *Sed in iis, qui ætate provectiores, vel qui Vino & spirituosis potati, nocet multum ac Hydropem infert.* ibid.

Serum Lactis *in Morbis pluribus quam Rheumatismo, V. S. loco substitui posset, ni obstarent præjudicia vulgi, quod* Remediorum pompa *decipi vult, qua ipsos moribundos, ceu bestias immolandas, ornari cupit.* ibid.

—— *Dysenteriam curavit exhibitum in lecto, cum determinatione ad Sudores, per 24. horas.* 23.

a Shanker *Ulcusculum est in pudendis ex Lue Venerea, primum Morbi indicium.* 78. *In quibusnam contingat, & in quibusnam non.* ibid.

Siccitas & Sudatio, *in Febribus, hoc illove tempore*, species *harum præcipue distinguunt; si modo Febres, sibi permissæ, incongrua Methodo non fuerint perturbatæ.* 33. *Exempla vide* ibid.

—— partium externarum, *in Febre Cont.* 1661. *qualis fuerit.* 3.

—— validissima *An.* 1681. *Vere & Æstate invaluit.* 84. *Hæc Variolas istius Const. acutiores quam reddiderit.* ibid.

Singultus, *tamquam Febrium Continuarum Symptoma, consideratum.* 6. *Senibus plerumque accidit, post evacuationes copiosas: & sæpe mortis prænuncius.* ibid. *Sæpe exturbis ac tumultu, ab* asperioribus Medicamentis, *orum ducit: tum semina Anethi, aliisque, quasi specificis, non curatur; Diascordii vero larga dosi tollitur, quod Naturam adjuvat, per se non aptam sedare tumultus.* ibid. *In Febre quadam qualis fuerit, & quando recesserit; si non nimis Remediis excitaretur.* 112. *Aliquando Cortice Peruviano curatur.* ibid.

Sitis *intensa in* Hydropicis, *unde.* 107. *Quomodo fallenda.* 109.

Somnolentia *in Variolis Regul. Discretis*, prodituris *jam, in Infantibus præsertim, præcedere solet.* 15.

Somnus *in Podagricis placidus tempore Paroxysmi conciliatur vectione in curru.* 105.

Spasmi *Epilepsiæ persimiles ex Hysterica Adfect.*, *in quibusnam fœminis oboriantur*. 89
— *ex Lochiorum suppressione post Phrenitidem, lethales*. 94
— Infantum, *vid.* Epileptici adfectus.
Species Febris Continuæ *quomodo ex aliis expiscetur*. *vid.* Febres Continuæ.
— Febrium, Sudatione vel Siccitate, distinguuntur, *vid.* Siccitas & Sudatio.
Species Morborum *quid constituat æque ignoramus, ac quid* Equum, *vel quid* plantam quamdam *constituat*. 12.
— Morborum *unde*. 11.
Specifica Differentia, *vid.* Differentia specifica.
— *a Nugivendulis, in Morbis Typo indutis non tantum, sed & in minime formatis, ut læsionibus externis, itidem deprædicantur*. 106
— *neque in Acutis neque in Chronicis habemus; & quare*. 109
— *in* Contusionibus *decantata, id efficiunt, ut vera curandi Methodus divertatur*. 106 *Talia sunt* Sperma Ceti, Tegula Hybernica, &c. 106
Specifica Medicamenta, *vid.* Medicamenta Specifica.
— *desideranda in* Morbis Acutis, *tam ad evitandas Evacuationes, quas Natura indicat; quam ad præcavenda mala seu aberrationes, in quas sæpe dilabitur Natura*. XII. *In* Morbis Chronicis *requiruntur ad* Speciem *Morbi destruendam*. ibid.
— *ad* Podagram *non novit Auctor, ac ea Promissores quoque ignorare veretur*.
Specificum *in* Febribus Intermitt. *est Cortex Peruvianus*. ibid.
— *in* Lue Vener. *esset, quod sine Evacuatione eam curaret*. 78.
Sperma Ceti *in Contusis non est Specificum*. 106
Spinæ Cervinæ Syrupus, *in Hydropicis facile purgantibus, Aquas solus sufficienter educit*. 107. *In difficile purgantis, summa dosis nihil agit*. ibid. *Hujus in hoc Morbo facultates; sitim tamen excitat inter operandum*. ibid.
Spiritus Vini *ut in Chirurgia tantum usui veniret, optandum esset*. 39. *In* Ambustis, *omnibus remediis anteponendus*. ibid. *Quomodo adplicandus*. ib.
— *Nunquam in adsuetis, subito ac derepente est interdicendus, sed sensim ab eo abstinendum, ne Hydrops fiat*. ib.
— Ustulatus *in Tussi, An.* 1675. *& Spiritus non modo Pleuritidem & Peripneumoniam invitabant, sed mortis periculum inferebant*. 32
— Vitrioli, *vid.* Vitrioli Spiritus.
Spiritus Volatiles fœtentes, *ex Animalium partibus*, facultates habent, *quæ subjectis suis haud primitus inerant; sed* Creaturæ ignis *sunt, easdem possidentes virtutes, ex quacumque etiam parte procudantur*. 93
Spiritus excitans *in Apoplexia*. 146
Spirituum ἀταξία. *vid.* Ataxia Spirituum.
— *copia destituitur Sanguis in Senibus, ac in Juvenibus diuturno morbo confectis*. 18
— debilitas *Hysthericam Adf. caussans aliquando adventitia est*. 95
— Fons & Origo *Sanguis*. 91
— *Subsidentia in Hystericis plerumque occurrit*. 89. 90
Sporadici Morbi, *vid.* Morbi Intercurrentes.
Sputum *in* Pleuritide essentiali, *tussiendo*, initio *redditum*, tenue & *parcum; sæpe particulis sanguineis intermistum*. 34. 111. Progressu *copiosius, magis coctum*, & Sanguineum. 34. 144. *Et pro ratione liberioris expectorationis sanguineum esse cessat*. ibid. *Aliquando vero* tenue remanet, (*reliquis Symptomatibus non remittentibus*) *ad momentum interitus ægri usque*. 34
— Sanguineum *in* Variol. Confl. *quomodo adhucdum curari possit*. 130. 131. Ex Pulmonibus *letale* Symptoma, *sed rarum; initio tum Variol. Confl. Pustulis nondum erumpentibus, vel plerisque adhuc latitantibus, contingens, & indubitato mortem prænuntians*. 15. 19. 116. 130
Squamæ, *in* Febre Scarlatina, *furfuraceæ ad instar farinæ, bis terve redeuntes*. 35
— *in* Variolis Confluent. *eo* lentius *abscedunt, quo Morbus atrocior*. 15. 16. *Et* furfuraceæ, *indolis corrosivæ, foveas excavant, quas prius obtegunt, dein deturpatur inde vultus*. ibid.
Squamæ in Variolis Discretis, *succedentes Pustulis in facie, foveas implent, & impediunt quo minus, primis diebus, cutis inæqualitas adpareat*. 15
Stationariæ Febres, *vid.* Febres Stationariæ.
Status, *in* Variol. Regul. Confluent. *præcedens* Eruptionem, ib. *Tempore* Eruptionis. ibid. Eruptioni *subsequens*. ibid. *Tempore* Desquamationis. ibid.
— Discretis *præcedens* Eruptionem ib. Eruptionis, *die quarto*. 15. 16. Maturationis *incipientis*, die octavo. 15. *Maturationis progredientis*. 16. *Maturationis peractæ*, die undecimo. ibid. Desquamationis, die decimo quarto *vel* quinto, *& ultro*. ibid.
— Separationis *in Variolis, quid*. 16. *Si* velox *nimis, quid mali inferat*. 17. *Quare longius tempus ad suum opus exigat, Separatio, quam* Expulsio. 16
Sterilitas *Mulierum ab Hydrope Testium, ex Hysterica Adf. diuturna*. 91
Stillicidium *in Gonorrhœa virul. quale*. 78.
Stipticus Liquor *Sydenhami ad Hæmorrhagiam Narium, & partium externarum*. 38
Stragula *in Variolis ne* obruant *ægrum*. 18. *Modica esse debent, ut in sanitate solet*. 88. *Si calefaciant nimis, & auferantur, inde* Eruptio *sæpe acceleratur*. 17.
Stragulis *in Morbillis An.* 1674. *non obruendi erant Infantes*. 30
Strangulatus Uteri *docet Hysteric. Adf. ex ἀταξία Spirituum ortam*. 90. *Est* Epilepsia, *ex Hysterica Adf. caput obsidente, in Fœminis sanguineis, & Viraginibus fere, quæ describitur*. 89 *Unde excitatur*. 90
Structuræ corporis *humani cognitio quo usque pertingat*. 198
Studia *Podagricis nocent*. 101. 104
Studio *adsiduitas nimia Melancholicos sæpe reddit homines*. 90
Stupor, *in Febre Epid. An.* 1673. *ad* 1675. *in Infantibus major erat quam Constit. præcedenti*. 29. *Uterque nullis remediis debellari poterat*: & *Naturæ si committeretur, sensim recedebat*. ibid. *Confirmatur Historia*. 29. 30
Stygmata *in Variolis*, vid. Cicatrices.
Succus *Limonum cum sale Absinthii, ad Vomitum in* Ileo *vero*. 7
— *Plantaginis, & Urticæ, in Mensium Fluxu immodico*. 95
Sudatio *vel* Siccitas, in Febribus quid nos doceant. *vid.* Siccitas & Sudatio.
Sudor. *Naturæ Methodus genuina & adcommodatissima, quæ Febrilem materiem digestam, per corporis habitum expellit: quod tamen Ars imitari non audet, sine discrimine, ob plures rationes*. 101. 115.
— artificialis *in* Contusis *adeo extortus, loco quod prodesset, ægrum in periculum vitæ conjicit*. 106
— *in Febribus quibusdam elici potest, in aliis non*. 11. 33
— *tum artificialis, tum naturalis, nec non spontaneus nocturnus, & similis, quid boni, quid mali præstiterit, in Morbis, ac quomodo provocandus, in* Febre Epid. nova. 110. 112. 113. *In* Febribus Intermitt. 40. *In* Febre Pestilentiali. 13. 14. 19. 20. *In* Febre Variolosa. 33. 20. 33. In Podagra. 101. 105. *In* Tussi Epid. *spontanei boni, alii letales*. 32. *In Pruritu ferino*. 37.
Sudor coactus, *in Febribus*, Phrenitidem, *& Pleuritidem Symptomatic. infert*. 35
Sudores *vel Critici sunt, vel Symptomatici*. 29
— *in Morbis non tuto arte Medica, sed Naturæ tantum ductu eliciuntur, Pestem si demas*; quia adsequi non possumus, quanta materiæ pars excretioni illi obeundæ est parata. 101
— *ante* materiæ coctionem, *sine periculo non expelluntur*. 115 *Quam Coctionem sola Natura novit, non ars*. ibid. *Et Morbos, vel Febres, levantes, ii sunt, qui a* prævia digestione, *satisceente Morbo*, fluunt, *non qui primis diebus erumpunt*. 29. *Qui* Febrium initio *prodeunt sunt Symptomatici; unde liquet quam inopportune Sudores initio Febrium exprimantur*. 115.
— Anomali *copiosiores Dysenterias, ac Febres Variolarum Anom. concomitantes, cur nullius fuerint emolumenti*. 33
— *In* Febribus suo genio permissis, *eos non expellentibus, temerarie extorquentur*. 29. *In* Juvenibus, *calidioris præsertim temperamenti, ægrius proliciuntur*. 13
— *in omni Malignitatis specie non conducunt ad elimandas partes morbificas*. 32
— Nocturni *in* Febre Epid. *An.* 1673. *ad* 1675. *reconvalescentibus superveniens, quomodo superandi*. 30. *In* Hystericis, *unde*. 92
Sudores *in* Febre Dysent. 1669. *rari, sed capitis Dolores frequentiores*. 23. *Adolescentibus hic initio extorti*, Delirium *iis inferunt stupidum*. 24.
— *in* Febr. Intermitt. *Paroxysmum finientes, materiam febrilem fere totam eliminant, quæ diebus liberis adcumulata fuerat*. 40 confer. 40. 41. *Quomodo, & quando, in* Tertian. Autumn. *provocentur*. 9
— *In* Peste *&* Morbis Pestilential. *quare sanent*. 32 *Vomitum & Diarrhœam hic illico sistunt*. 14. *Aliquando vero adeo funesti, si Bubones retropellunt, ut vix tertium evadat*. 13. *In* difficulter sudantibus. *Exanthemata pessima quare advocent*. ibid. *In* facile sudantibus *Bubonum introcessum caussant: & si nimis tamen cito abrumpantur, quid mali hic patrent*. ibid. Continuandi *per* 24. *horas ut omnem Bubonis materiem dissipare valeant*. 14.
— *In* Variolis, *a calefaciente Regimine excitati, quantum lædant*. 17. *Primis diebus nimium expulsi, impediunt ne Pustulæ bene erumpant, neque probe maturationem adquirant*. 13. 18.
— Regular. Confluent. *inopportune* extorti *omnia mala parant*. 16. Vitandi *ergo, quia lenem humorem, quo diluendæ sunt Variolæ, amandant*. 18. *In initio nimis expulsi quomodo lædant, & Mortem advocent*. ibid.
— Discretis *ante* Eruptionem *in* Adultis *tantum, copiosi; in Infantibus numquam ab Auctore sunt reperti*. 15. 16. *Atque eo tempore Discretas futuras prænuntiant*. 15. *In* Eruptione *itidem; & aliquando in tempus Maturationis usque*, Adultos *vehementer vexant*. IX. Vitandi, *quantum potest, Eruptionis tempore, cum non sine ingenti periculo promoveri possint*. 18. Prompti *per se satis, cur tam avide ab ægris, eorum damno urgeri soleant*. 16. *Copiose manantes, & sponte sua deficientes Phrenitidem inferunt*. 19
Sudores in Variolis Regular. Discretis calefaciente *Regimine, & calidis, ubi urgentur*, Pustularum *&* faciei *tumorem, quæ* octavo die *adesse debent; tum* Interstitiorum *inflammationem quare impediant*. 16. 19. *Et* nimis propulsi *quare Mortem inferant*. 16
— evanescentes, *octavo die*, calefacientibus, *eos nimis urgentes adhibitis* (ibid.) *quomodo revocentur*. 19. *aliquando* nulla arte, *instante jam Morte, revocari possunt*. 16
— Malignis *Constit.* 1661. *ad* 1664. *octavo die* abrupti *revocari non poterant*. 11.
ad Sudores *in* Variolis *ut ad sacram Anchoram Fœmine confugiunt*. 87
Sudorifera *a Vetulis, & Medicastris quotidie inopportune exhibita, pluribus lædunt*. 120.
— Methodus *ad Curandas* Febres *quantum Methodo per V. S. & Purgationes, periculosior, & magis incerta, pluribus argumentis stabilitur*. 115. *In quibusnam* Febribus *prosint, in quibus noceant*. 8. 29. 40. 42. 115.
— Purgantibus mista *ante Paroxysmum exhibita, in* Tertian. Autumn. *commendantur*. 9. *Sine* Purgantibus *sunt exhibenda*. in Tertiana duplici. ibid. *Et quare*. ibid.
Sudorifera *quæcumque in* Lue Venerea *æque prodesse possunt, quatenus evacuant, quam* Ligna Exsiccantia. 78
— *in* Malignis *quibusdam* Morbis *pessima, in* Peste *bona*. 32. *Horum, in Peste tractanda, incommoda, ac difficultates solvit* Sydenham *sua Methodo curativa*. 13.
— *in* Phrenitide *a calefacientibus inducta nocent*. 113
— *in* Podagra *ad Materiam Morbi ejiciendam, nequiquam conducunt*. 101. 102. *Tamen obsciunt minus quam V. S. vel Purgantia*. ibid.
Suppuratio *in* Pleuritide essentiali, *neglectu Venæ sectionis, vigente inflammatione, contingit*. 35. *Quænam tum sequantur*. ibid.
Syderatio *Rusticis etiam dicitur* Febris Erysipelatosa. 37
Symptomata *quædam media sunt, licet ingrata admodum, quibus Natura materiam peccantem &c. excludit*. 1. *Quod Opus aliquando, ab ignaris, interturbatur*. ibid. *Et sæpe haberi solent hæc* confusi *Naturæ, de statu suo dejectæ*, Effectus; *hinc ea* exquisite adnotare *operæ pretium non videtur; unde* Historia Morborum *adcurata hactenus deficit*. X.
— *non nulla, in Morbis, aliquando non tam* Morbo, *quam* Medico *debentur*. IX.
— irregularia *ubi Morbum aliquem obvelant quomodo hicce eruendus, ut ad familiam suam relegetur*. 36. 37
— pecularia *distincte percepta in* Caussarum morbificarum, *& Indicationum curativarum cognitionem deducunt*. X.
— vehementiora *fiunt in Morbis, si Natura, materiæ morbicæ vi oppressa, satisceat*. 1.
Symptomata seu Effectus ab essentia alicujus Speciei &c. *vid.* Humores, Speciem &c.

—— Febris Cont. 1661. *ad* 1664. singularia. 3. *Quænam in his Febribus* Emetico, *mire*, *tollantur*. 4. Febrium Intermitt. *Autumnalium diuturniorum*, *pessima quænam*. 8. Febr. Intermitt. *Vernalium respectu Autumnalium*, *in declinatione*, *pauca*. 10. *In* Paroxysmo *Febrium Intermitt. vulgaria*. 7. *Febrium* Tertianarum *An.* 1661. *quænam fuerint*. 3. *Febrium* Stationariarum, *aliquando differentiam duplicem admittunt*. 24

—*in* Lue Venerea, *ope Salivationis per Frictionem*, *quando minuere incipiant*. 79

— *Morbillis decedentibus supervenientia quænam*, *& quomodo V. S. curanda*. 25

— Podagræ Regularis, *&* Irregularis, *vid.*. Podagra.

Symptomata Genuina *Variolarum Regularium*, *tam Confluentium quam Discretarum* 15. 16. 145

—*in Variolis tempore invasionis quænam*, *& unde*. 84. *Variolis Discretis erumpentibus*, *sua sponte cessant*. 86

— Variolarum Regular. *pessima*, *& lethalia*, *tempore Eruptionis*, *Venæ sectione*, *in quibusnam hominibus*, *prævertuntur*. 18

— *in* Variolis, *quænam ingentem materiæ Variolosæ copiam*, *& discrimen*, *a Pustulis exitum certatim quærentibus*, *hasque brevi confluxuras*, *indicant*. 86. *Quid tum agendum*. ibid.

Symptomata Anomala *in Variolis Regular.* Confluent. *æque ac* Discretis, *Morbi quolibet statu*, communia. 16. *Fiunt* vel *a calore nimio*, vel *a frigore*, *aut frigidiusculo ac debilitato sanguine*. 16. 30. *In* Confluentibus *undecimo die*, *&* Discretis *octavo die*, *occurrentia tamquam magni momenti expendenda*; *& quare*. 16

—— *in Variolis Regular.* Discretis, *ex mala harum tractatione oriuntur*. 16 Quænam *sunt*. 19. *confer* 17

—— *Variolis Reg.* Confluentibus *&* Discretis, quænam singularia. 16

—— legitima *in Variolis* Regular. Confluent. *tum* Discretis, *initio*, *communia quidem*, *sed atrociora sunt*; *& præterea in Confluent. propensio in Sudores multo minor*. 15

—— Variolas Regul. Confl. *solas*, *ante Eruptionem concomitantia aliquando*, Eruptionem *non numquam*, *sed non sæpe*, *reprimentia*, *has quoque Confluentes futuras indicant*, ibid.

—— *in* Variol. Regul. Confl. *hisce jam erumpentibus*, *ut & etiam Febris*, *non evanescunt*, *ut in* Discretis, ibid.

— Variolarum Confluentium *duo*, *non parvi momenti*, *in Adultis* Salivatio, *in Infantibus* Diarrhœa, *quorum prius certo magis*, *concomitantur*. 16

— *pessimi generis*, *Paroxysmi instar*, *vesperi ægrum vexant*. 18. *Quæ Paregoricis præcaventur*. ibid.

— Lethalia, *ubi*, *Salivatione jam cessante*, 11. *die*, *exstinguitur æger*. 16. Lethalia *in* Variolis *ut Mictus sanguineus*, *Maculæ purpureæ*, *in* Junioribus *præsertim*, *quod* lecto *nimis cito adfigantur*, *nascuntur*. 17

Symptomata Variolarum Regul. Discretarum *quibus ab initio*, *in Adultis æque ac infantibus*, *stipantur*, *quænam* 15

— *in* Variolis Regul. Discretis *Mortis prænuntia*, *quænam*. 11. 16. 145

— Variolarum Discret. malignarum *Constit. An.* 1651. *ad* 1664. *grassantium*. 11

— *in* Variolis Utriusque Generis a *materiæ Repercussione ex Frigore nimio*, *vel Evacuationis inopportunis*, *quænam sint*, *licet oppido rara*, *& quomodo tollantur*. 19

— *in* Variolis a calido Regimine, *eadem quæ a nimia inflammatione pendere solent*. 29

—— a Regimine frigido *nimis*, *Faciei ac Manuum intumescentiam impediunt*, *& Pustulas flaccidas reddunt*. 30

—— *quæ ex* Frigore *nimio*, *vel Evacuationibus indebitis contingunt*, rariora multo, *quam quæ ex* Calefacientibus *& Cardiacis*, *licet Vulgus hæcce minus culpet*, *quam illa* 19

Syrupus Chalybis *quomodo fiat*. 91. 92

— *de* Meconio *qualis præferendus aliis* 104. 105. *Præfertur etiam tandem ab Auctore suo Laudano*. 86. *Qua dosi exhibendus*. ibid. Unica j. *hujus idem valet quod Laudani liquidi gutt.* xvj. 87. *Tamen aliquando ferri nequit*, *tumque Laudano utendum*. 92. *In* Variolis *ad sesquiunciam una vice exhiberi aliquando debet*. 87. *Ad Unc.* jß. *una vice*, *in puero exhibuit Auctor*, *iterata vice*. 87. *In* Variolis Confluent. *Juveni*, *sexto die*, *ad Unc.* j. *propinatur*. 88. Decimo die *ad Unc.* jß. *Die undecimo mane & vesperi iterum ad Unc.* jß. *singulis vicibus*. ibid.

Syrupus Spinæ Cervinæ. *vid.* Spinæ Cervinæ Syrupus,

T

TAbacus *in* Ileo, *fumo inflatus specie Enematis*, *præstantissimum remedium*. 145

Tabellæ, Apoplexiæ *Paroxysmo finito*, *exhibendæ*. 146. *In* Tussi Epid. 1675. *absente Febre &c. ubi a suscepto frigore*, *exhibendæ*. 32

Tabes. 150

Tabes *Abdominalium partium*, *in Infantibus sæpe excitatur*, *nimis frequenti Purgantium repetitione*. 92

— *ex Hæmoptoe*, *a repetito Cathartico*, *nasci potest*. 38. *a Medicamentis Pectoralibus quomodo sæpe fiat*. 42. *Ex Pleuritide essentiali quandonam*. 35

— *deplorata Equitatione*, *tamquam Specifico*, curatur. 93

Tacitus (*Titus*) *quid obtrectanti Metello regerat*. vii.

Tegula Hybernica *in* Contusis *non est specificum*. 106

Tempestas calida, *vid.* Cálida Tempestas.

— frigida, *vid.* Frigida Tempestas.

— *Morbis*, *inflammatoriæ diathesis*, *producentis maxime idonea*, *est illa* inter Ver & Æstatem *ambigens*. 11

Tempestates Anni *Morbos haud pauciores*, *Naturæ instinctu*, *proprios habent*. ix. *Hujusque rei cognitio Medico*, *in quibusnam quam pluribus*, *multum prodest*. ibid. *Huic minus plus illi*, *Morbo favent*; *& quare ipsæ notandæ Tempestates*. ibid. *In quibusnam*, *Ægritudines ingruere consuevere*; *cur non melius notarint Medici*, *cum adeo necessarium illud fit*, *miratur Auctor*. ibid.

Tempora, *in uno* Intermittentium *Paroxysmo*, tria *spectanda sunt*. 7. *Horum ratio*. ibid.

Tempus Eruptionis, *vid.* Eruptionis Tempus.

Tendinis Punctura, *vid.* Punctura Tendinis.

Tenesmus *est adsidua desidendi cupiditas*. 23. 146. *In* Dysenteria, *quando*. 22. *In ea non est ab* ulcere *Intestini recti*, *sed quod materies morbosa in ipsum devoluta*, *viribus ipsius expelli nequeat*. 23. confer 22. *Adultis exitialis*, *Infantibus benignus*, *licet al mentes perduret*. ibid. *Frustra* Topicis, *ut Clysteres*, *Fotibus &c. curatur*, *quia parti adplicata*, *plus debilitant*. 23. *Sed* curandus *per ea*, *quæ corpori in genere vires addunt*, *ut* Diæta analeptica, *&* Cardiacis; *unde sæpe* tolerandus, *donec ea pro lubitu ingeri queant*. ibid.

Terebinthina Cypria *in Gonorrhœa Virul.* 79

Terræ effluvia *Morbos Epidemicos variis gignere possunt*, *infecto prius aere*. 30. 31. 102. 112.

Tertianæ Febres, *vid.* Febres Tertianæ.

Testes *Fœminarum Hydrope quomodo adficiantur*. 107

Testiculorum rotatio *quædam*, Gonorrhœæ Virul. *initio percipitur*. 78.

Testis tumor, in Gonorrhœa, unde, & quomodo curandus. *Vid.* Scroti tumor.

Thamesis *Nobilis fluvius*, *An.* 1683. *prævalido gelu ita compaginatus fuit*, *ut & currus & officinas*, *solidi instar pavimenti facile sustentaret*. 112

Theologia Naturalis *quid sit*. 40.

Theoria Rationis Momentis innixa, quam lubrica, & facile invertenda. *Vid.* Rationis Momenta.

— *Hippocratis*, *qualis Medicorum vera debet esse*, *Naturæ exquisita descriptio fuit*. x.

Therapeia *perperam administrata*, Malignitatem *in Febribus dictam aliquando potius producit*, *quam Venenosa quædam* Morbi indoles. 11

Therapeutica solertia *Veteribus debetur*.

Theriaca *Andromachi in Hysterica Adfect.*, *tum in aliis pluribus malis*, *summe commendatur*. 93. *In* Febre Pestilent. *feliciter usurpatur*. 14. *In* Podagra *præ cæteris ubinam confert*. 102

Thomas *M. D. cum Auctore Operis socius*. 11

Tonsillarum lethalis inflammatio *unum ex gravissimis Symptomatibus* Intermittentes Autumnales, *diuturniores*, *insequentibus*. 8. *Quandonam in his mortem præ foribus denunciat*. 9

— dolor & inflammatio *quandonam mortem imminentem præmonstrent*. 10. *Et quænam Symptomatis hujus caussa*. 9

Tophaceæ Concretiones *Cretam vel Oculos Cancr. æmulantes*, *ad Articulos digitorum*, *cutim destruentes*, *in* Podagra irregulari. 100. 104

Tophi *in Podagra ex quanam materia enascantur*. 104

— *in Podagricis Exercitio corporis constantiore*, *præsertim* Equitatione, *considerandis*, *ab incremento inhibentur*, *non solum*, *verum & veteres*, *si modo cutim non destruxerint*, *solvuntur*. ibid.

Topica Medicamenta in Hydrope. *Vid.* Hydrops Topica &c.

— *Infantium corpora facile penetrant*. 92

Tormina Ventris sine dejectione, *nullis sc. excretionibus* stercoreis *vel* mucosis *subsequentibus*, *in* Constit. Dysenterica *An.* 1669. *&c. quomodo Autumno grassari incipiebant*, *& Torminibus istius temporis Dysenteriæ respondebant*, *imo Dysenterias numero fere superabant*. 21. 22. confer 114

— *hæc* curabantur *ut Dysenteriæ Constit. istius*, 22. 114. *Quomodo tamen Curatio primi Anni ab ultimorum Annorum*, *diversa esse debuerit*. 23

— *in* Febre nova Epid. *ubi præcipue Morbum constituebant*, *ut ipse Morbus*, *curabantur*. 114

Tubera ossium *seu* Exostoses, *in Lue Venerea*, *qualia*. 78. *Quomodo curanda*.

Tumor *Abdominis in* Fœminis *duplex*, *ad Hydropem non spectans*; unus *a Carnium in Abdomine excrescentia præternaturali*: alter *a flatibus*, *Ingravidationis signa producens*, *plerumque in viduis*, *vel in iis*, *quæ sero nupsere*; *& ipsis sæpe imponens*. 107

— *in Abdomine*, Infantibus *sæpe contingit*, *Purgantium nimis frequenti repetitione*, *qui eo plus augentur*, *quo plus purgatur*; *Donec istarum partium Tabes & putredo insequatur*. 91. 92. *Ex Rachitide vera*, *Purgantia quando exigat*. 92. *Sive a Rachitide vera*, *sive a scrophulis*, *quomodo curandus*, ib. Reliqua. *vid.* Abdominis Tumor.

Tumor *Crurum in Febribus Intermitt. Autumn. diuturnior*, *harum sæpe decessus signum*, *in Adultis*. 10

— *in* Cubitis, *ex Podagra irregulari albus*, *dein ruber inflammatus*. 100. *In* Variolis Confluent. *jam curatis*, molestus *supervcniens*, *iisque familiaris*, *qui curandus*. 19. 20. confer 15

— Faciei *ac* Manuum, *in Variolis* non *adeo requiritur*, *si* Pustulæ perpaucæ *fuerint*, 16. *Ceterum* Evacuatio, *insignis admodum habetur*. 16. 18. *Nec non minus*, *suo tempore hic* requisitus, *quam* Salivatio. ibid. *Absens autem pejoris est ominis quam si* Ptyalismus *interceptus fuerit*. 87. *Primo in* Facie, *præsertim in Variol. Discretis*, *excitatur*; *dein* Manuum *&* Digitorum *insequitur*. 15. 145. *Ab* octavo die *usque ad* undecimum *reperiri solet*, *tumque cessante jam Salivatione*, *subsidere*, *& minui parum*, *in* Facie *solet*, *incipiente jam tumore* Manuum, *moriente aliter ægro*. 16. 87. *Nec tamen omnino*, *illo diem*, *in* Facie, *sed post diem unum aut alterum*, *recedere modo debet*. 16. *In* Manibus *tum Tumor succedit ilico*. ibid. *Quæ proxime a Facie intumescunt*. 145. *Ab* undecimo die illo; *usque ad Pustularum*, *in iis*, *maturationem*, *persistat*. 87. *Et ut serius adhuc*, *quam illa Faciei*, *recedat*, *plurimi momenti est*. 18

Tumor Faciei *ac* Manuum *conservatur contemperantibus ac diluentibus*; *Calidis & Cardiacis vitatis*. 26

— Promovetur Paregoricis *non modo*, *sed ad debitum terminum subfulcitur & protrahitur*. 18. *Tum Contemperantibus Sanguinem*, *& aura frigidiore*. 19

Tumor Manuum in Variolis, *vid.* Tumor Faciei.

— Pustularum *&* Faciei, *in Variolis Discret. tum* Interstitiorum Inflammatio, *cur a Sudore*, *hic naturali*, *nimium expresso per* calefacientia, *impediatur*. 16

— Surarum, *Hydropis licet primum signum*, *præsertim in Viris*, *tamen sæpe*, *in his*, *tum & in Fœminis*, *fallit*. 152

— Hydropicorum similis, *in Viris Asthmate diu vexatis*, *& derepente abeunte*, *oboritur*; *hyeme*, *& humido aere*, *invalescens magis*, *atque ad mortem usque eos concomitans*. ibid.

— Tibiarum *ex* Hydrope, *quomodo differat*, *ab eo ex* Hysterica Adf. 89. Tibiarum, *&* aliarum partium, *in* Variolis Anom. *quomodo incipiebat*; *& tandem in Suppurationes*, *& Apostemata*, *desinebat*. 30

Tumores Externarum Partium *quasnam præcipue adoriuntur*, *in* Hysterica Adf. 89

— *in* Peste vera, *laudabili vim erumpentes*, *nisi Sudoribus inopportunis perturbentur*, *boni*. 12. 13. *Non prægressa Febre*, *exorti*, *vix nocent adfecto*, *neque eum a communibus vitæ muniis abstrahunt*. 12

Tumulus Pestis, *quomodo fuerit adauctus*. 13.

Turbith Minerale, *in* Lue Venerea, *ad Salivationem promovendam*, *quando*, *& quomodo usurpandum*. 79. *In* Gonorrhœa Virul. *facile primas fert*, *& quomodo exhibendum*. ibid.

Tusses *hyeme qualibet*, *& sub ejus adventu sæpe adfligunt*. 31. 42. 84. *In* Febre nova Epid. *eo citius recedebant*, *quo remotius ab Hyeme invadebat Morbus*. 107

Tussis *quo citius curatur*, *eo minor insecuturæ* Tabis *metus*. 42

— *Quomodo* curanda. 151

— Convulsiva *Puerorum Febrem comitem non habet*. 42. Curatur *V. S. & Catharticis*, *repetitis*, *sed lenibus*. ibid.

— Febrium Continuarum Symptoma, *unde fiat*, *quomodo corrigenda*. 6. Post Febrim, *in Senibus*, *non tam periculosa*, *ac existimatur*. *Quomodo curanda*. 5

— *Epidemica An.* 1675., *ex subito frigore calorem suscipiens*, *orta*, *nemini parcens*. 31 *Numero*, *non modo*, singularis *erat*, *sed periculo*. ibid. *Si Febris & Pleuritis se ipsi admiscebant*, *quænam præcedere solebant*. 32

— caussam *habet ejus Materiem antea in caput*, *jam in Pulmones*, *depositam*; *Febre interim eadem manente*, *iisdemque mediis cadente*; 31. *confer* 32

— curatur *hæc*, *ut & quæ ab eadem caussa nascuntur mala*, V. S. Clysteribus, *abstinentia a* lecto, *&* refrigerantibus. 32. *Operam dando simul*, *ut Febri*, *quæ huic paratissima est*, *occurratur*. ibid. *Quomodo occur-*

occurrendum. ibid. *Si Febris nondum accersita, curatur* Tussis, *sine V. S., modo* calefacientia & spirituosa calida *non dentur, quæ sine periculo, vel Pleuritidis, aut Peripneumoniæ, invitatione, hic non exhibentur*. 80
Tussis leniter *& non* hostili manu, *ut copiæ Remediorum, V. S. iterata, ac similibus, tractari volebat*. 32. Catharsis, *finito Morbo*, *exhibebatur*. ibid.
—— *Si* Pleuritis essentialis *adesse videretur, curabatur tantum ut Febris istius Constitutionis*. 31. 32. *Unde liquet* Pleuritides, *&* Peripneumonias, *tum enatas, Febris istius Constitutionis Symptomata, & accidentalis Tussis soboles esse*. 31
Tussis Epidemica *An.* 1679. *ex aeris manifesta crasi, ceu* novus Epidemicus Morbus, *mense Novembris infertur; & quare* 42 *Vomitum & Vertigines inducit*. ibid.
—— Sicca *prius*, humidior *dein paulo; & a Tussi convulsiva Puerorum, non nisi Febre, dissidens*. ib. *Si imperite tractaretur accedebat Febris similis isti Hiemali, An.* 1675. *sed quæ ut Tussis curabatur*. ibid. 43
—— *Curabatur* V. S. Epispastico *&* Catharsi. ibid. 43. *Aliquando sponte sanabatur*. 42
—— Hysterica, *non frequens, pituitosas exagitans, a* Convulsiva *quomodo differat*. 89
—— *in Morbillis, fatigat, sed non periculosa, nisi* post Morbum. 25. confer. ibid. *Quomodo tum tractanda*. ibid. *In Morbillis* Anom. *An.* 1674. *quomodo curanda veniebat*. 30
—— *in* Pleuritide essentiali, *crebra* adfligit, *& valde* cruciat; *hanc æger præ dolore inflammatorio coercere tentat*. 34. *Pro ratione liberioris expectationis, sensim* minuitur. ibid. *Sed*, Venæ sectionis *neglectu sæpe* suppprimitur, *suffocanti* Dyspnœæ *dominium cedens*. ib.
Tussis *in* Podagra, *materiam in Pulmones alliciens, Metastasin ibi, licet raro creat; in quo casu, Morbus tamquam Peripneumonia tractatur: & quomodo*. 118. 158

V

Vapores, *sive* Convulsiones, *promiscue vocari possunt* Hystericæ Adfectionis effectus *seu* Hysterica Passio, 27. 94.
—— *a* Vomitoriis *plus invitantur, quam a* Purgantibus. 108.
Variolæ *Hippocratis & Galeni tempore, quod cognitæ non fuerint, inde constet*. 31. *Adcurate ab Auctore per plures Annos observatæ. quare evulgentur*. ibid. *Harum* essentiam *ignorat Auctor cum reliquis hominibus* 16. *Inter* Morbos calidos *cum sint recensendæ, hinc minus peccatur* frigore, *quam* calore, *in iis*. 16. 19. Inflammationem singularem *a cæteris, ponunt, cujus particulas Natura primo digerit, coquit, tandemque formæ Abscessum eliminat*. 16. 89. *A quorum ergo Natura non abludunt; nam & eorum varios status percurrunt*. 16. *Hincque per Abscessus, hic, uti in Peste per Carbones, ac Bubones, ejicitur materies*. 20
—— *Febri, Phrenitidi, Maculis purpureis & similibus, præ aliis Morbis obnoxiæ sunt*. 30. 115
—— *ab aeris quadam crasi*, Constit. Epid. *producente, ut cæteri* Morbi Epidemici, *oriri videntur*. 11
Variolæ Epidemicæ, *& iis Annis, quibus Epidemicæ Constitutionis prædominium obtinent, si* Regulares *& mitiores, circa* Æquinoct. Vernum *invadere solent*. 2. 15. *Et tandem invalescentes, sub* Æquinoct. Autumn. *statum adipiscuntur, coque præterlapso, in* brumale frigus *usque perdurant, quo tandem vertuntur in fugam*. 6. 7. *Si* Anomalæ, *seu* Irregulares *fuerint, quo tum & periculosiores, maturius nonnunquam quam mitiores, h. e.* Januario *mense, invadunt*. 15. Hyeme *aliquando oboriuntur, ut An.* 1680. *post Febrem Epid., sed non Epidemicæ tunc erant*. 84.
—— *Epidemicæ factæ nemini parcunt, nisi prius hoc Morbo adfecto; nec tamen sufficit adulterino quodam Variolarum genere, quod ad hunc Morbum nihil adtinet, laborasse*. 15
—— *pro* Constitutione *peculiari, quæ incessunt, haud secus ac Febres Epid., vario se habent modo, ac* peculiaris Generis *sunt: hoc Annorum serie* aliam, *aliis* alteram, Speciem *referentes, utut interim* Juxta Phænomena *communia* convenire *videantur*. 11. 15. 33. *Ad quodnam* singularis *fuerit referenda, a die, quo erumpunt Pustulæ, ab harum magnitudine, atque colore, &c. experto facile constabit*. 33. *Quælibet porro, quod* notatu dignum, *quo mitioris sunt Speciei, eo citius earum Pustulas ad maturitatem, & Morbum ad finem, perducunt*. 30. *Sed eo tardius tum quoque erumpunt*. 15
—— periculi *plus, vel minus inferunt, pro* Pustularum numero, *quarum paucitas omnem salutis spem constituunt; & e contra*. 84. confer ibid. *Hinc ubi copiosæ prodeunt, unicum est, in quo suppetias Ægro, initio Morbi, adferre potest* Medicus. ibid. Ætatis *&* Sexus *respectu, periculi plus, vel minus, inferunt*. ib.
Variolæ *pro diversa Constit. quemnam etiam diversum* periculi terminum *habeant*. 30
—— *in* Anomalas *seu* Irregulares, *& in* Regulares *seu* Genuinas *vel* Legitimas, *ab Auctore dispesci solent*. 15. 19. Regulares *&* Genuinæ *quare ita vocatæ*. 15
—— *in* Confluentes, *tum in* Discretas *sive* Distinctas *seu* Interstinctas, *iterum dividuntur tam Anomalæ, quam Regulares*. 15. 116. 145
—— Confluentes *&* Discretæ *licet essentialiter non differant, & quædam Symptomata habeant communia* (15.); *tamen ab invicem immaniter discrepant, & tanto intervallo distant, ut per illustriora quædam Symptomata facile discriminentur, licet hoc Vulgus non animadvertat*. ibid. confer. 18. 84. 130
—— *Methodo nova a* Sydenhamo *tractantur, quod ægre ferri non posse existimat, cum non Veterum, sed Modernorum tantum Curationibus adversetur*. 31. *Solebant diro calidiorum, tum* Regiminis, *tum Remediorum, usu, tractari, imo & aliquando curari; contraria tamen hic, ac plane opposita, Methodus, temperata ac refrigerans, feliciter cedit; quomodo itaque dijudicari debeat, quænam optima sit*. 116. confer. 18
Variolæ triplicis Generis *præsertim, ab Auctore, hoc Opere describuntur, juxta* tres Constitutiones *diversas, per quas gradibus se ita illæ promovebant, ut* posterius Genus prius *semper* exsuperaret *respectu putredinis, & materiæ incoctilitatis*. 30. confer 84.
Variolæ Constitutionis 1661. *ad* 1664. *quare non describantur a Sydenhamo, sed de iis tantum pauca tradantur*. 11. *Diris Symptomatibus brevi jugulabant hæ*. ibid.
Variolæ Regulares Constitutionis 1667. *ad* 1669. *illæ sunt, ex quibus tanquam in suo genere omnium perfectissimis*, Variolarum Historia *vera*, & Methodus Medendi, *sunt desumendæ*. 15
—— *seu* Legitimæ, *postquam durante Constit. Pestilent. fere delituerant, circa* Ver *An.* 1667. *incepere, & auctæ, sub* Autumno *Epidemicæ factæ sunt; sed, superveniente brumali frigore, parcius lacessebant: proximo Vere iterum invaluere, earum impetu Hyeme iterum coercito: tertio demum*, Vere *surgente, increbrescebant, sed minori impetu; atque Augusto penitus intercidere, surgente Dysenteria*. ibid. Benignæ *erant, plures infestantes, & paucos jugulantes*. 15. *Hasce comitabantur* Febris Variolosa, *& toto tempore*. 15. 19. 20. *Et* Diarrhœa, *ultima æstate*. 15. 20.
—— Discretæ *quædam*, Phænomena Naturalia *seu* Genuina *habent; inter quæ*, Statu, *seu tempore*, Invasionis, *notatu digna sunt, in* Adultis, *ingens in Sudores propensio*. 15. *Hocque Variolas minime confluxuras prænuntiat*. 15. 145. *In* Infantibus *Stupor & Somnolentia*. 15. *Tum & aliquando Epileptici motus; qui boni moris, atque eas in procinctu esse, & non confluxuras, indicant*. 15. 86. 145. *In* utraque ætate, *uti & Specie, a primo insultu, Febris præcipue dominatur, ad Eruptionem usque: inde dat inducias ad Maturationem; quo elapso desinit*. 16. 145. *Dolor, in Scrobiculo cordis, admota manu*. 15. 19. 20. 145
Variolæ *Notandum interim, quod in laxioribus temperamentis, aliquando, sine insigni ægritudine prægressa sensim, atque gradatim, ad Eruptionis periodum pervenere*.
—— *In* Eruptionis Statu (*qui tardior quam in Confluent.* 18.) Quarto die *ab Invasione, si primum etiam includat, raro citius, non nunquam serius* (15.) *contingente, erumpentes* Pustulæ *considerandæ veniunt*. 15. 17. 145. 25. *Symptomata prioris Status minuuntur*. 15. 18. 145. *Sudores in Adultis persistunt*. 15. 16. 18. *Faucium dolor cum Pustulis surgit & augetur*. 15. 145. *In* Maturationis Statu, *exordientis* octavo die, *dies in hac Specie* fatalis, Pustulæ, *præsertim in Facie* (*nam in reliquo corpore aliter habent*) *læves & rubræ, asperæ jam, per album in flavum, pro maturationis ratione, abeunt* colorem *illis tum genuinum, & in eum, quo mitior fuerit Morbus, magis vergentem* 15. 16. 26. 27. *Tumque* maturæ *hæ tandem, similem luteum liquorem vomunt*. 15. 25. 145. Intervall. *Pustul. in Facie, prius albæ, interim, & quo mitiores Variolæ magis, rubent instar Ros. Damn.; inflammata, tensa, dolent, tument unæ cum Palpebris, quæ si Pustulæ copiosæ citius quidem tument*. 15. 16. 145. *Dein &* Manus, *ac Digiti, intumescunt, quod æque salutare ac Pustularum eruptio, si hæ numerosæ*. 16. 17. *In* Excrescentiæ *vel* Decidentiæ Statu, *Suppuratione*, undecimo die, *ad summum evectæ, Pustulæ maximæ factæ, exarescere & decidere* incipiunt, *recedente Faciei tumore*. 15. 145. *Die decimo quarto vel quinto funditus disparent, in Facie, in reliquo corpore nondum*. ibid. *Et in Manibus disruptione, ac in Facie, & reliquo corpore, desquamatione, recedunt*. ibid. *Denique* Cicatrices *oboriuntur, quæ tamen in hac specie raræ, nisi confluant*. 15
Variolæ in Eruptionis statu Phænomena Anomala, *ipsis* singularia *a* perversa tractatione *habent*. 16. *Occurrunt* die Octavo. *& bene expendenda sunt, quia moriuntur illo die, qui ex hoc Morbo pereunt*. ibid. Mortis *hic prænuntia quænam*. ibidem. *Fiunt præprimis ob Cardiacorum & Regimen calidum, quibus Sudor per se promptus satis, nimis exantlatus, subito cessat, nullis mediis revocandus; unde tumor partium requisitus denegatur; hinc plura mala, & quæ tumere, rubere deberent, pallent & flaccescunt, Pustulis interim rubentibus atque elevatis, etiam post ægri mortem*. 16. 17. 19. 145. *Non enim moritur ægèr ob retrocessum Pustularum, sed quod Facies non turgescat*. 19
—— Anomala *cum Confluent. Variol.* communia, *quolibet Morbi Statu occurrentia, habent*. 16 *Et producuntur ex* Calore Sanguinis *proprio, vel ex caussa externa; & sunt* Phrenitis *satis frequens, Coma*. 16. 145. *Tum Maculæ purpureæ, læti nuntia, Pustulis interspersæ*. 16. 84. 145. *Pustularum subsidentia & flacciditas, cum maculis nigris in harum summitate depressa*. 16. 145. *Micbus cruentus in Adolescentibus, quibusdam, & Sputum Sanguineum, quod tamen raro; bina Symptomata mortis certa prænuntia, initio Morbi plerumque contingentia, Pustulis nondum vel vix erumpentibus, & in tali* Specie *occurrentia, quæ in maxime Confluentes adolescerent; nisi ante morerentur*. 16. 19. 145. *Urinæ suppressio, præsertim in Juvenibus, & in Discretarum declinatione*. ibid. *Dein ex* Frigore Sanguinis, *ab aere, vel V. S. inopportuna, aut Catharsi nimia, inducto; quæ mala rariora, quam quæ a nimio Calore*. 16. 19. *Attamen Pustularum retrocessus, una cum* Diarrhœa, *Adultis periculosa, & partium detumescentia, aliquando ex eo consequitur*. 16. 19. 30
Variolæ Regulares Confluentes *quædam* Phænomena Naturalia *&* Specialia, *habent; quædam cum Discretis* Communia, *& hæcce præprimis habent* Tempore Invasionis. 15. *Sed ea vid.* supra. *Hæcque atrociora ubi reperiuntur, quam in Discretis, ut Febris & alia, de Confluentibus futuris tum constet*. ib. 86. *Sudor Spontaneus tantus non adest, ut in Discretis*. 15. 145. *Jam* Specialia *ipsis, non multa, tamen quæ quo graviora, eo certius indicant eas Confl. fore, nec sine magno periculo*. 15. 16. *Diarrhœa Eruptionem præcedens, & aliquando protracta post illam*. 15. *Unde oriatur*. 18. *Tum Dolor acutissimus, in lumbis, latere, artubus, ventriculo, Vomitus enormis, Anxietas, Ægritudo, Vertigo*. 15. 16. 86. 145. Tempore Eruptionis, *nunc Erysipelatis, nunc Morbillorum, ritu prodeunt, quod fit ut plurimum* tertio die, *aliquando citius, raro tardius, licet aliquando post contigerit*. 15. 16. 88. 145. *Et quo citius ante illam, eo magis confluunt*. 15. 145. *Si ad quartum vel quintum diem defertur, atrox Symptoma est in caussa, hinc periculosæ futuræ*. 15. 16. 145. *Hæ Variolæ erumpentes, vix a Morbillis nisi a tempore Eruptionis distinguuntur*. 16. 145. Post Eruptionem *Symptomata priora non desistunt, & Febris ad multos dies adhuc excruciat, & vix desinit ante Maturationem*. 16. 18. 145. confer 16. 145. *Et, si vehementior fuerit Morbus, sub vesperam, cum aliis Symptomatibus exasperatur*. 84. *Præsertim diebus intra* undecimum *&* decimum septimum. 105. *Pustulæ non in molem auctæ, ac Discretarum*. 16. *Et depressiores multo sunt, quam in illis; unde Medicorum error aliquando; & falsus de Pustularum retrocessione rumor*. 19. *Pellicula quasi vesicula rubra, dein in album abiens, ex imolicitis sibi invicem Pustulis conflatur, nec multum elevatur*. 19. 145. *Hæc post diem* Octavum *exasperatur, & in fuscum, non flavum, abit*. 16. 145. *Sed quo propius ad subfuscum vergit, eo pejores Variolæ, & magis confluentes*. 145. *Quo in flavum magis vergit, eo mitior Morbus*. 16. *Pustulæ Manuum, ac Pedum, majores quam Facici & reliqui corporis, & quo altius ab extremitatibus ad Truncum itur, eo minores*. 16. 145. *Magnitudo porro Morbi, & periculi, pro Pustularum in Facie numero, tantum æstimari solet* ibid. 84. *Tibiæ quoque tument in hac Specie*. 30. *Symptomata interim duo, non parvi momenti, & in hoc genere adeo necessaria, quam Pustulæ vel Facici ac Manuum tumor, adsunt, quæ* Adultis Salivatio, *in* Infantibus Diarrhœa 16. 18 *Illa, si fœtorem excipias, Ptyalismo a Mercurio excitato similis est*. 16. *Cur adesse debeat, quando incipiat, desinat. vid.* Salivatio in Variol. Regul. Confl. *Ubi incipit desinere*, Undecimo die, *quænam adsint Symptomata*. 100. 145. *Facies quoque detumescit, sed ejus loco Manus intumescere solent, aut debent, ob Pustularum exiguitatem*. 16. 18. *Diarrhœa vero, licet certo satis, tamen non tam certo discruciat Infantes, ac Salivatio Adultos*. ibid. *Verum ubi adest, salutem his adfert non periculum*. 20. *Nec adeo matura eos invadit, ac Salivatio; & ubi ingruit, ni arte sistatur, singula Morbi stadia percurrit*. 16. *Quare necessaria hæc sit excretio?* ibid. Tempore Desquamationis, *præterlapso die Octavo*, Pellicula *in Facie, fuscior adhuc, desquamatur, & aliquando post* vicesimum diem *separatur*. 16. 145. *Quo fuscior eo lentius abscedit*. ibid. *Humeri, & dorsi, Cuticula aliquando etiam deperditur*. ibid.
Variolæ Regulares Confluentes Phænomena Anomala specialia, ex perversa

versa tractatione, *adipiscuntur*. ibid. *Occurrunt hic* Undecimo die, *& bene expendenda, cum eo die qui ex hac Specie intereunt, pereant.* 16. confer 87. *In crudiori adhuc genere moriuntur* decimo quarto *die, in crudissimo* decimo septimo; *aliquando, sed raro, non ante* vicesimum *moriuntur*. 145. *Horum caussa Sanguinis nimius fervor*, vel *Sudor nimis extortus*. 16. 26. 84. *Primarium est* Salivationis *subita suppressio, nec Faciei tumore persistente, aut Manuum, istius vices supplente, subsequente*. 16. 18. 145. *Hoc Symptoma solum omnes fere jugulat, qui in hac specie moriuntur*. 19

Variolæ Regulares Confluentes Symptomata Anomala communia *cum Discretis quænam habeant. Vid.* Variolæ Regular. Distinct. *&c.* confer 84. 86

Variolæ Anomalæ nigræ *Constitutionis* 1670. *ad* 1672. *; per Morbillos introductæ, & una cum Febre Dysenterica, & Dysenteria, grassantes, sed his Autumno primas cedentes*, Januario *mense jam ingressæ, a Variolis Regularibus Phænomenis insignioribus, discriminabantur, atque ad aliam Classem reducendæ omnino videbantur*. 21. 25. 26. 30. *Et eædem*, quod notandum, *ut Epidemici solent, primo atrociores, ultimo Anno, remota sævitia, & nigredine, induta flavedine, Benignæ sunt factæ, respectu generis*. 25. 26. 30. *Cur* Variolæ Constitution. Dysentericæ *vocatæ*. 21

— Phænomena *quæ habent* Singularia, *non quæ Communia, exponuntur*. 25

— Discretæ *discriminabantur a* Regularibus Distinct. *Eruptionis Tempore*. ibid. *Pustularum mole, asperitate, colore*. ibid. *Ptyalismo, qui ut in Confluent. at non semper, aderat: unde constabat ad Confl. naturam magis accedere, & inflammatorias magis esse*. ibid.

Variolæ Anomalæ Confluentes *discrepabant a* Regularibus Confl. *admodum*. 25. 26. *Nam Die* secundo *vel* tertio *erumpebant*. 25. Febris *inflammatoria major quam in aliis*. 26. Pustulæ *in* facie *instar Erysipelatis*; reliquo corpore *congeries ex Pustulis conflata*. 25. *Quomodo a Morbillis, & Erysipelate distinguebantur*. 26. Vesiculæ *inter Pustulas, in femoribus, in nigredinem abeuntes aderant*. 25. *Has brevi mors insequebatur*. 26. Pellicula alba *resplendens*, undecima die, *primo in Facie, atque maturitate in* nigrorem *fuliginosum abibat*. 25. *Qualis ex ea stillabat singularis materies?* ibid. *Ægri ad Salivationem procliviores*. 26. Discrimen, (*ni vesiculæ inter Pustulas, instantem Mortem designantes, aut Calidis mors præcipitata*,) *die* decimo quarto *aderat: aliquando* decimo septimo *expectabat; quo die elapso nullus moriebatur*. 26. 30. Furfures *diu adhærebant*; & Stygmata *fœdiora in cute*. 26. Notandum, *Dysenteriis tum regnantibus, has Variolas, calido Regimine excitatas, per Dysenteriam sæpe sibi viam paravisse*. ib.

Variolæ Anomalæ, Nigræ, Pessimæ, *Constitut.* 1674. *& 75. istis An.* 1670. *adeo similes, ut eadem renatæ viderentur*. 30. *Pluribus tamen, ut Putredine (hic longe maxima*. 31.) *tum incoctilitate, dissidebant*. 30. *Hinc* Species nova *videtur ex præcedente suborta*. ibid.

Variolæ Pustulæ immaturæ *erant* fuscæ; *si vero* maturæ *& numerosæ, quia tum pusillæ*, Nigredine *fuliginem æquabant*. 30. *Si* pauciores *essent, non minores tum, quam in aliis generibus*, & raro nigræ. ib. Salivatio, *nec non* Faciei *ac* Manuum tumor, *hic quoque salutares*. 85. Fœtore, *ubi maturæ, omnes fugabant adstantes*. 30. Periodum *suam tardius absolvebant*, & diutius hærebant, *quam ulla species nota*. ibid. Dies fatalis *ne quidem* decimus septimus, *sed* post vicesimum *adhuc trucidabant*. ibid.

— Confluentes *plures orco dabant, quam ulla species, & Pestem pernicie ægrorum fere æquabant*. ibid. *Nec tamen nisi maturæ necabant*. ibid. *Si* Discretæ *aliquando forent, non pejores erant aliis*. ibid. *Et satis benignæ*. 31. Tumores *quidam, si ægri evaderent, quod raro, enati in Apostemata ibant*. 30

— Confluentes pessimæ *An.* 1681. *Epidemicæ fiunt Lond.* 84. *Hyeme incipiunt, An.* 1680. *pergunt usque in Annum sequentem, ubi Æstate increscentes, tandem* Ἐπιδημικώτατοι *factæ, stragem ingentem edunt*. ibid. *Siccitate inaudita istius Anni acuuntur vehementer*. ib. Eruptionis tempore, *Exanthematibus nondum plane expulsis, Maculæ purpureæ exoriuntur, præmaturam Mortem accersentes*. ib. *Horum* confluxus *iterum incitabatur* aeris intemperie, *eadem ratione, qua Scioli ac Medicastri*, Regimine calido *& Cardiacis suis, illud ipsum facere solent*. ibid. Post Eruptionem *Corpus, ac in primis caput, copia Pustularum calefiebat adeo, ut æger, nisi* Infans, *Vigiliis & inquietudine vexaretur*. 86. *Quo* sedatior *erat Sanguis, eo majores & minus confluentes Pustulæ; & contra: hinc quo* tumultuatior *magis, eo tardius ad separationem pertingebant, tumque &* ichor, *loco puris, fiebat; &* Nigricans humor *quidam, loco flavi coloris Pustulis continebatur*. ib.

Variolæ curandæ *ubi veniunt*, Indicationes *seu* Methodus medendi *cuidam Fundamento superstruendæ*. 16. *Sed* Indicationes *contrarias plane suggerit hic Morbus, nam* calidum, *æque ac* frigidum, *nimis justo Regimen obest*. 30. *Et quod præcipue hic agendum requiritur, præsertim in* Speciebus vehementioribus, *erit, α. ut* Sanguinis ebullitio compescatur, *β. Tum ut* Pustularum elevatio, *atque* Faciei *&* Manuum *Tumor procuretur*. 31. *Notandum enim est Morbum hunc*, duo *habere* Tempora; *primum* Separationis *est; alterum* Expulsionis. 16

— Indicatio Tempore Separationis, (*in quo Natura Ebullitione febrili*, per tres *vel* quatuor *dies, partes inflammatas seligit, congregat, & relegat, quod citius etiam persolvitur, quam sequens*. 16.) Curatur *ne* Ebullitio *illa* exorbitet, *neque nimis* langueat. ibid. ad 17. *Quo enim separatio tardior, modo non langueat, eo melius illa absolvitur*. ib. Natura *enim sibi permissa, in Junioribus præsertim, per se dives, & satis edocta, materiam debito ordine, ac via secernit, & expellit*. ibid. *Sic Variolæ primo non erumpentes, minus timendæ, quam quæ præmature retrocederent*. 17. *Cavendum itaque solicite, tum a* Regimine justo nimis calido, *sive fuerit ex stragulis lecti: ex aere loci calefacto; ex Calidis nimis & Cardiacis Mediis; præsertim vigente ætate, in Plethoricis, vel æstatem inter & ver*. ib. *Ex his Variolæ nimis protrusæ, & separatione tumultuario procedente, confluunt*. ibid. Vel Sudores *fiunt ingentes opus turbantes*. ibid. Vel *alia plura mala, oppositа Methodo numquam observata*. ibid. confer 16. 17. *Cavendum itidem a* Regimine refrigerante nimis, *ut per Evacuantia instituta, ne Ebullitio nimis langueat*. ibid. *Inde enim Pustulæ quasi repercussæ detumescunt*. 31. *Et quare*. ibid. *Si vero Confluentium metus adsit minimus, non modo V. S. sed & Emeticum propinandum* 17. 145. *Præmissis his Evacuationibus, aliquando tum melius erumpunt*. 17. Indicatio Tempore Expulsionis, *curat, ut* Abscessus *excitati* suos modos bene percurrant; *unde* Curationis summa pendere solet. ibid. *Ergo præstandum, ut Pustulæ debito modo sustineantur, quo rite atque ordine destinatam Periodum adsequantur*. ibid. *Hoc tempore, plus adhuc alio, cavendum a* Regimine calefaciente. ib. *Quomodo vero hæc noceant*. ibid. *Quæ mala producant*. 16. 17. 30. *Porro vid.* Calefacientia, *vel* Regimen calidum. *Quandonam vero Cardiaca convenire possint*. 17. *Exquisite tamen vitandum, ne ægrum* Frigoris injuriis *exponendo Eruptionem impediamus*. ibid. *Hinc* Caloris Gradus *optimus*, naturalis *est; qui ab hoc deficit, huneve excedit, periculosus est*. ibid. *At hunc* definire Gradum *ardua res! & quæ prudentem ac sagacem Medicum expostulat, propter plura quæ pensanda, & Nutricum, inde sæpe errantium, judicium superant*. ibid. *Quare in hoc casu tum Morbus tum Praxis Medica, in incerto, ac lubrico loco sistuntur; atque Medici fama in angusto versatur; & quare*. ibid.

Variolarum Curatio Generalis *ante* Eruptionem. 17. 18. Aura *liberior interdicitur*. 17. Diæta *excupeptis, & temperatis, demto* potus frigore, *commendatur; nec improbatur rustica ex lacte cum pomis cocto*. ib. Calefacientibus *& Cardiacis ne acceleretur Eruptio, ut ante diem quartum sæpe satagunt*. ib. *Sæpe hoc illi potius quasi obex; vel, quod malum, Confluentes factæ sunt, quæ per se Discretæ fuissent*. ib. *Quo tardius prorumpunt eo melius*. ib. *Nemo enim interiit, quod ocyus prodierint Variolæ, nisi Calefacientia impediverint; hinc ubi earum suspicio, non illico propellendæ*. ib. Lecto *addicere ante* diem quartum, *æque malum, ac Cardiaca intempestiva*. 17. 18. Cardiaca *sed Paregorica si Eruptio, ex voto, procedat, quare exhibenda, & quando*. ib. *V. S. quandonam instituenda*. ibid.

— Regularium Discretarum Curatio specialis, post Eruptionem. 18. *Discretas fore unde constet*. ibid. *Omni prorsus periculo vacant*. ib. *Regimen calidum absit*. ibid. Diæta *vero tenuis, & temperans*. 17. 18. *E* Lecto *quotidie quando, & quare, surgendum*. 18. *Si ei incumbendum; Stragula ut in sanitate sint*. ib. *Quomodo vitandi Sudores nocui in eo*. ibid. *Focus an exstruendus*, ib. Cardiaca *suppurationis tempore, quænam, quando & quare*. ibidem. Diæta *cur tum Cardiaca paulo*. ibid. Paregorica *quænam suadeant*. ibid. *V. S. in hac specie per se nocens, quandonam concedenda*. ibid. *In hac Specie, oppositа Methodo tractati tot periere, ut pudeat in tam levi Morbo*. ib. *Ratio cur ex Plebe, in hoc Morbo, pauciores pereant quam inter Divites*. ib.

Variolarum Regularium Confluentium Curatio specialis *Ante* Eruptionem *innititur, ut Pustularum nimis frequentia prævertatur, tum ab hac* Multitudine *vel* Paucitate, *dependeat discrimen aut salus*. 84. *Post Eruptionem*. 18. 19. 84. *ad* 86. *&c. Hæ periculosæ admodum*. 18. Paregorica undecimo die *temporius h. e. hora quinta exhibita, inopinato, Mortem sæpe antevertunt*. 87. *Vulgus harum & Discretarum male Curationem ex æquo prædicat*. 18. *Hæ Medici artem vere occupant, non vero Discretæ, nisi Medicus sibi & aliis imponat*. 88. *Hinc vera Medela* duobus *his innititur; ut initio Morbi præcaveatur, ne materies, nimis fota, seu nimis adsimilata, exorbitet, & Pustularum ingentem* frequentiam *procreet*. 87. confer 84. 86. 87. 88. *Tum ut* Spirituum *inordinatus motus, ab inflammatione externarum, & puris acrimonia, excitatus compescatur*. 87. confer 84. 85. 86. 87. *Duas has Indicationes qui persolvit, jam ut Medicus satisfacit, quamvis nondum ut Formularum Præscriptor*. 87. *Hinc Curationis exitus pendet a modo, quo æger fuerit tractatus*. 86

Variolarum Regularium Discretarum *&* Confluentium, Symptomatum Curatio, *ex Methodo, diversa ab illa Auctoris, enatorum*. 19. *Symptomata ex* Regimine refrigerante *&* frigore *externo, quomodo tractanda*. 19. confer 16. Pustularum depressio *in Confluentibus non timenda, cum nihil habeat, præter Morbi morem*. 19

— post Pustularum recessum Curatio. ibid.

— Anomalarum nigrarum *Constitut. An.* 1670. *ad* 1672. Curatio. 26. *Regimen temperatum, per* liquida *æstum mitigantia; præsertim* Maturationis Febre *vigente;* tum Hypnotica, *opus persolvunt*. ibid. *Hi* liquores *quid faciant, & qui Ptyalismum adjuvent*, ib. *Hi sæpe etiam Variolas* Confluentes futuras, *in boni moris Discretas transmutarunt*. ibid. Mensium fluxus *insolito tempore, hic frequens, qui tractandus*. ibid.

— pessimarum *Constitut.* 1674. *ad* 1675. Curatio. 30. 31. *Methodum, in aliis Var. Confl. optime cedentem, hic non profuisse, quæritur Auctor; & plures interibant*. 31. *Unde concludebat præter* temperantia *etiam, quæ* Putrefactioni *vincendæ paria, requiri*. ibid. *Hinc quo* Vitrioli Spiritus, *tamquam specificum quid, reperitur*. ibid. *Qua ratione exhiberetur*. ibid. *Ejus porro dotes*. ibid. *Ex eo Saliva unde eimo die non ita suffocabat, sed alie dejectiones, ut Diarrhœa vices subibant, quæ tum vel sponte, vel Hydrogala, vel Narcoticis, sanabatur*. ibid.

Variolarum Regularium Confluentium Pessimarum Curatio. 84. 89. *In iis* Vitrioli Spirit. 86. 88

In Variolis *pauci moriuntur, quia tardius erumpunt; ubi contra plures letho dantur, quoties Pustulæ intempestive, & nimio opere, exiguntur*. 85

— Confluentibus *Medici solertia quid valere potest, præsertim in Juvenibus, vel Vino deditis, patet*. 88. *Et in hac specie pendet Curationis exitus a modo, quo æger primis diebus, fuerit tractatus*. 86. *Verum exquisite notandum, quod cum* periculum *a Pustularum frequentia, modo, pendeat; quod hæ omni ope sint coercendæ*. 84. 86

— Discretis *vix refert, qua Methodo utatur, qui medebitur*. 86. 88. *Nam Medica ope non indigemus, & sponte sua, ac Naturæ vi se solvunt*. 116. 88. *Sed* perversa cura *tamen lethales fieri possunt*. 130

— *a* Lecto *abstinentia quantum profit, pluribus indicatur*. 17. 84. 86. confer 84

Vegetabilia *ad Podagram* Digestiva, *qualia sint*: Mitiora *acrioribus præferenda, ne stimulus Morbi fomitem adaugeat*. 102. *Horum aliquot* Species permissæ, *plus faciunt, quam ex iis unum* simplex; *ac si quoddam* Tertium *inde foret*. ibid.

Venæ, *in* Podagra, *membri vexati, vigente dolore, tument*. 100

Venæ Sectio, *in* Infantibus, *æque tuta, & necessaria aliquando, ac in Adultis*. 25

— lecto *decumbente ægro, facilius multo fertur, quam recto corpore*. 36

Venæ sectio *in* Angina, *eodem die iteranda, sine Catharsi, ni Febris & dolor V. S. minuantur*. 37. 38. *In* Apoplexia, *qualis esse debet*. 146. *In* Chorea Sancti Viti. 113. 146. *Quoties, & quando, repetenda*. 113. 114. 146. *In* Colica biliosa *largior; & aliquando post Emeticum*. 26. 147. *In* Colica Hysterica *quando*. 27. *In* Convulsionibus *Infantium* dentientium *specificum est*. 25. Corticis Peruviani *usum ne præcedat*. 9. 10. *In* Diarrhœa *non exigitur*. 23. *Sed in Diarrh. Variolosa*. ibid. *In* Dysenteriæ *initio*. 22. 23. *In inveterata iteretur*. ibid. *In* Febribus *semper Catharsi præmittenda*. 115. *In quibusdam Febribus prodest, in aliis nocet*. 3. *In* Febre Acuta *cum Mictu cruento & Petechiis*. 88. *In* Febribus Contin. *aliquando non prodest*. 4. 19. 30. *Si ex Intermitt. Aut. natæ, nocet*. 4. *Aliquando non necessaria*. ib. *Ejus mensura*. ibid. *Quando vero, & in quibus iteranda*. ib. *Emeticum, ubi utroque indigemus, præcedere debet* ib. *In* Febre Dysenterica. 24. *In ea Const. An.* 1661. *&c. Pueris & Senibus non conducebat, sed in Juvenibus, Athleticis, plura mala ejus neglectu, ut* Pleuritis *&c. inferuntur: qua copia*. 4. *In* Febre Epidem. nova, *tantum ubi signa Peripneumoniæ nothæ adessent*. 112. *Fit tum ad revellendam materiem; & iteratur*. 110. *In Infantibus qualis instituenda*. 115. *In* Febre Erysipelatosa, *& quando iteranda*. 37. *In* Febribus Intermitt. Autumn. *nocet, & Morbum protrahit*. 9. 40. Vernales *itidem prolongat*. 8. *Infantibus has Febres pejores reddit: seniores in mortis periculum conjicit*. 2. *In* Febre Morbillosa *non ferebatur*. 30. *In* Febre Pestilent. *necabat si Tumores jam adparebant, nisi certa sub conditione*. 14. *Cæterum largissima juvabat, uti in Pleuritide; pericr nocebat*. 13. 14. *Methodum tamen mutat Auctor*. 14. *In* Febre Quartana, *Junioribus & Senioribus nocet*. 9. *In* Febre Scarlatina, *cur rejiciatur*. 34. *In* Febre Tertiana *quid efficiat*. 3. *In* Febre ex Tussi *male curata*. 42. *In* Febre Variolosa *quando mox necessaria, & iteranda*. 20. *Quando vitanda*. ibid. *In* Gonorrhœa Virul. *ad temperandum; & in iis, qui difficile purgantur*. 79. *Tum ubi scroti tumor & dolor ingens*. ibid. *In* Hæmorrhagia Narium, *in brachio*. 38. *In* Hysterica Adfect. *quare & quando in initio*. 91. 92. *In leviori specie* omittenda. 92. *Quandonam & in quibus ante Catharsin & Laudani usum*,

usum, quod tum certius agit. 93. 94. *Hanc Adfectionem sæpe invitat; & quid inde deducatur.* 90. *In* Lue Venerea, *ante Salivationem, non instituenda.* 79. Maniæ *aliquando causa.* 12. *Et in eadem, nimis repetita, stultitiam infert.* 11. *In Mensium immodico fluxu, extra Puerperium* 95. *In* Mictu cruento a *Calculo.* 131. *Ex Febre Acuta.* 88. *Ex variolis Confl.* 130. *In* Morbillis *& ipsis Infantibus, quare, & quando iteranda.* 25. *In* Morbis Chronicis, *aliis sæpe præmittenda.* 102. *In* Morbo Epidem. *quolibet, recenti, ante Catharsin, contra Methodum vulgatam; quare.* 42. *In* Nephritide *ex Calculo quandonam, & quando omittenda.* 132. *& quare.* 94. *Si Morbus ex Hysterica Adfectione, omittenda.* 94. 27. In Nervosis Adfectibus *repetita sæpe bona.* 113. *In* Peripneumonia Notha, *quandonam iteranda, quando non.* 35. 36. *In* Peste *& Febr. Pestil. ante Bubonum eruptionem, & in Lecto, quod diaphoresin tutiorem reddit, instituenda.* 14. *Larga & plus semel iterata nulli funesta fuit, in Peste Londin.* 13. *Et totum Curationis negotium in ea copiosa V. S. cum L. Botallo, collocat Sydenham.* ib. *Atque ea in Castro Duntsar Milites servantur,* ib. *Parca vero, & adparente tumore, instituti solet, necat, quod plures deterruit.* ibid. *In* Phrenitide, *quando.* 6. *In* Pleuritide essentiali, *qualibet Consit. indifferenter infestante. Curationis præcipuum fere sufficiens, & omnem numerum absolvens, si calida non ingerantur, & pro necessitate iteretur.* 32. 35. 36. *Nec larga quid damni infert.* 35. *Qua copia instituenda & quoties iteranda in Adultis, & in Infantibus.* 35. 144. *In* Pleuritide Symptomatica *sæpe non ferri potest.* 32. *In* Podagra *quomodo ingenter noceat.* 101. *In Juvenibus vero vino excalefactis institui potest. Nec non ubi Metastasis materiæ ad Pulmones.* 105. 158. *In* Pruritu ferino, *quandonam* 37. 144. *In* Rheumatismo *in latere adfecto, ilico instituenda, ante Catharsin.* ibid. *Repetenda præsertim in Juvenibus.* ibid. *Tertio tamen celebrata sufficit, & Cathartica potius iterentur, ut Sanguini parcatur, & Paregoricis locus detur.* 43. *Ejus minori repetitioni supplet Serum Lactis, in quibusdam.* ibid. *In* Rheumatismo inveterato, *quo modo iteranda, & quid faciat.* 37. *In* Scroti tumore & dolore vehementi, *a Lue.* 78. 149. *In* Sputo Sanguin. *in Variolis Confl. in Tussi* Epid. *An.* 1679. *requisita, & repetenda.* 42. *In* Variolarum initio, *non in omni, sed ubi Symptomata graviora eas Confluentes fore indicant.* 17. 31. 86. 145. *Tum ubi Phrenitis quia facies non tumet.* 19. *Tamen, in hoc Morbo, minus quam aeris contemperatio, vel Catharsis iterata, Morbi violentiam cohibet,* nec ita, *ac Auctor prius censuerat,* Pustulas intra justos limites coercet. 85. *In initio, ubi celebratur, fit præcipue, ut Mictus Sang. Maculæ purpuræ & alia vitentur.* 18. 31. *Male, in quodam casu negligitur ab Auctore.* 31. *Cum* Evacuantibus, *in initio, quomodo nocere possit; & an vitanda.* 17. *Si* inoportuna *fuerit, Pustularum recessum, nec non Facici ac Manuum detumescentiæ causa esse potest.* ibid. *Si justa, in* Confluent. *erumpere Pustulas aliquando facit.* ib. *In* Var. Discretis *potius nocua.* 18. *At tamen instituenda ibi, si perverso zelo calefacientibus curatum voluerint ægrum* ib. *In* Regularibus, *si Morbus fuerit vehementior, pustulis jam deciduis, quare instituenda.* 19. *Post* Variolas Confl. *pessimas curatas quare.* 88

Venæ sectio *&* Purgantia, *alternatim iterata* Contusiones *tutissime curant.* 106. 150. *In* Febre Epid. nova, *in Adultis, tum in Infantibus, quoties repetenda.* 112

Venæ sectionis *non congruentis, in* Febribus, *Effecta, sanguinem debilitare, ut despumationi impar sit: quod damnum Cardiacis resarciendum.* 3

Venenum *Medici supposuere in Febrib. Malignis, hocque per Calefacientia, & Alexipharmaca, per cutim expellendum putarunt errantes; cum contra in illis tum Refrigerantia omnino conducant.* 115

Venter induratus *unum ex gravissimis Symptomatibus, Intermitt. Autumn. diuturn. insequentibus.* 8

Ventris Tormina, *vid.* Tormina Ventris.

—— Tumor, *vid.* Abdominis Tumor.

Ventriculi debilitas *Symptoma Podagræ inveteratæ sequela, quomodo tractanda.* 105. *In recenti spirituosis excitatur.* ibid.

Venus *in Podagricis cur noceat.* 104. *Præmatura, & nimia, cur Podagram advocet.*

Verpus, *vid.* Recutitus.

Vertigo, *in* Variolarum *initio, has Confluentes prænuntiat.* 86

Verulamius *de* Historia Naturali *qualis tradi solebat, quid censeat.* VIII.

Vesicatoria in Apoplexia *nuchæ adplicanda,* 146. *In* Comatosis Adsect. *Variolas præcedentibus.* 86. Comate febrili, *Calefacientibus excitato, nocent.* 113. *In* Febre, *ex Tussi male tractata, nuchæ.* 93. *In* Febre Epid. nova. 111. *In* Hydrope *Gangrænam facile invitant: & quare.* 109. *In Phrenitide a Calefacientibus, nocent.* 95. *In* Tussi Epid. *quare nuchæ adplicanda.* 42. *In* Variolis Confl *perampla & acria quandonam adplicanda, ut die undecimo suum effectum edant, materiæ peccanti exitum præbendo, Tumori & Salivationi subveniendo.* 87

Vesiculæ, *in Variol. Confl. An.* 1670. *inter Pustulas, sero limpido distentæ cum subjecta carne nigra.* 25

Vestimenta consueta *non sunt deponenda, nisi mense uno ante Solstitium æstivum: nam ab horum præmatura abjectione plurimæ Febres enascuntur.* 34

Vetulæ *Sudoriferis suis quam sæpe nocent.* 115

Vibices *seu Maculæ in cute nigræ quomodo excitentur.* 13

Victus ratio, *vid. Diæta.* Incrassans *in Mensium fluxu Puerperarum immodico.*

Vigiliæ *post Catharsin, & V. S. omnium maxime Vires subruunt.* 104. *Et vespertinæ plus nocent, quam diluculo surgere.* ibid. *Post* Febres *Aqua Rosfrigidæ consopiuntur.* 6. *In* Variolis Discret. *quid indicent.* 18

Vini Spiritus, *vid* Spiritus Vini.

Vino adsueti, *in senio, aquam aut aquosa sumentes brevi internecantur.* 103. confer 104

Vinum immodicum *corpus laxat & emollit, ac coctiones subvertit; unde bibaces plurimis Morbis obnoxii.* 203. Modicum *autem & Cibi eupepti, ubi Cortex Peruv. nihil amplius efficit, rem sæpe absolvunt.* 41

—— *Antidotalis instar Pestem potius accersit, quam præcavet.* 12

—— *in* Cutis Eruptionibus *quibusnam concedendum.* 37. *In* Febribus Intermitt. *licet in Continuar. speciem vergant, cum Cort. Peruv. exhibitum, non nocet.* 41. *In* Gonorrhœa Virul. *vitandum.* 79. *In* Hydrope *conducit, tum modo, ubi meatus recluse & porta aquis data.* 109. *In* Podagra *haud concedendum non obstante adagio: nam fomes Morbi excitat &c.* 103. 104. *In adsuetis tamen derepente ne interdicatur; præferendum tum Hispanicum.* 104. *In* Variolis Confl. *quando exhibendum.* 87

Vinum Canariense *&* Hispanicum *in* Diabete. 41. *In* Dysenteria *ex Tormin. Ventr.* 114. *In* Hysterica Adf. *vel solum vel aromatisatum, omni nocte, hora somni, mira facit.* 93. *In* Infantibus *purgantibus debilitatis, cum herbis roborantibus.* 92. *In* Podagra *quandonam concedendum, sed cum exercitio.* 104. 105. *In* Variolis Anom. *semicostum quando conducat.* 26. 31

—— Malaganum *vel* Falernum *sive* Muscatum, *in* Tussi *post Febr. Contin.* 38

—— medicatum *in Choreæ Sancti Viti roborans.* 114. 146. *In* Diabete. 41. *In* Febr. Tert. Vern. *pro pauperibus.* 42. *In* Fluxu Muliebri. 41. *In Hydrope.* 109. *Pro Divitibus.* ibid.

Vir *prudens quare quis evadere potest, Philosophus autem nemo Mortalium.* 110

Viri *Hydrope, ætate præsertim ingravescente, adsciuntur.* 106. Sedentarii *tentantur, ut Fœmina, Hysterici Adf. sic dictis.* 89

Vires *subito prostratæ, Maculæ purpureæ, & Petechiæ, in Morbis, Malignitatis signa habentur; quorum ratio redditur ab Auctore.* 115. 116

Virulenta Materia *in Gonorrh. per Glandis substantiam penetrans.* 78

Viscera *debilia & putrefacta in* Hydrope *Evacuantia vetant.* 101

—— *in* Podagra irregulari, *si ambulando ex pedibus materies dissipatur, periculose adsciuntur.* 100. *In* inverterata *adeo infarciuntur materia, ad extremitates non amplius explosa, ut Mors insequatur.* 102

Vitri incensorii *actio Spirituum exorbitantium impetus sitati, in* Hysterica Adf. *comparatur.* 90

Vitrioli Spiritus, *quia stipticus, non convenit in Morbis, quorum Curatio Purgationi innititur,* 113

—— *cum* Cerevisia *tenui vel Decocto vulnerario in* Febre Acuta *cum* Mictu cruento, *&* Petechiis. 88

—— *in* Phrenitide *Febris Epid. An.* 1674. *unicum remedium.* 29. 30. *In* Variolarum *initio ubi, ex Symptomatibus, Confluentes eos prævidemus.* 8. 145. *In quibusnam omitti possit.* 86. *In* Variolis Anom. nigris, *pessimis, ingentis usus.* 31

Ulcera *Phagadenica, in* Lue Venerea, *quædam.* 78

Ulcus Glandis, *a Schanker, in* Gonorrh. Virul. *in non recutitis, vel qui numquam eo Morbo laborarunt.* ibid. *Ubi* Phymosin *excitat, quid agendum.* 79

—— Vesicæ *quomodo cognoscatur, & curetur.* 150

Underwood, *Senator Londinensis, Cortice Peruv. occisus.* 40

Unguenta *purgantia, in* Hydrope, *Hypercatharsin insanabilem excitare valent.* 109

Unguentum *in* Pleuritide essent. *Brassicæ folio imponendo, quale.* 35. *Ad* Salivationem *excitandam, ex Mercurio, quibus partibus adplicandum.* 79

Vomendi propensio *Emeticum indicat absolute; nec sine ægri periculo, Medicique molestia, omittitur.* 4. 13

Vomitio *in* Peste *Diaphoretica rejiciens,* Sudoribus *brevi sistitur, qui certa ratione excitandi.* 14

Vomitiones *ex* Hysterica Adf. *Meditis imponunt, aliorum Morborum præ se ferentes speciem, ut Nephritidem, vel Colicam biliosi.* 94

—— virides, *non semper talem humorum depravationem denotant, cum hic color a Spirituum inverso motu excitari queat.* 27

Vomitoria *ex Croco Metallorum, infra adolescentiam constitutis non propinanda: Adultis vero non nocent, si* copiose diluantur, *ope Zythogalæ.* 4

—— *in* Hydrope, *ex Croco Metall. Aquas ἄνω & κάτω potenter evacuant.* 108. *Non ita prompte Aquas expellunt, ubi levis tantum Abdominis tumor, quam ubi ingens harum copia adgesta.* 108. 109. *In* Hysterica Adf. *Paroxysmum sæpe invitant; quod non foret, si Morbi fomes in Materia aliqua involveretur.* 91. confer 46. *Sed præterea Materiæ biliosæ viridis uberiorem copiam excitant.* 41. *In* Podagra *idem præstant ac Cathartica.* 101

Vomitorium *in* Apoplexia *quale.* 146. *In* Colica biliosa, *ex Zythogæla, quando conducat.* 26. 27

—— Diarrhœam *in Febribus, vix adstringentibus obedientem, fugat.* 4. *Eamdem in Febribus Contin. quoque arcet, neque nisi raro, aliter evenit.* 6. 7. *Sed in Febribus inflammatoriis eam potius excitat.* ibid. *Hinc in Febre Pestilent. nondum cognita Emeticum, plane contrario eventu, propinavit Auctor.*

Vomitorium *in* Febre Contin. *quando exigatur, ni ætas aut debilitas contraindicent.* 4. *Quænam harum* Symptomata, *præter Diarrhœam, mirifice eruat?* ibid. *An initio neglectum postea exhiberi queat?* ibid.

—— *Venæ sectionem semper insequatur, ubi utroque indigemus* ibid. *Omni tempore Febris, si occasio jubet, modo vires dentur, adsumendum, & quare.* ibid. *Qua hora diei adsumendum.* 4

—— *in* Febribus Intermitt. Vernal. *quando adsumendum.* 16

—— *in Tertiana Vernal. An.* 1671. *quale.* 41. 42

—— *in* Variolis *initio Morbi an conducat?* 17. *Ubi Symptomata eas* Confluentes *fore indicant, initio ægrum refocillat* 86. confer. 88. *Hinc in iis, simul una cum V. S. ubi harum suspicio adest, præscribendum.* 145. *Dein, ubi* Saliva *spissa facta,* undecimo die, *quasi suffocat, propinandum.* 19

Vomitum *&* Alvum moventia *simul, in Hydrope, proponuntur.* 108

Vomitus *Capitis motu, ubi dispositio adest, præ cæteris provocatur.* 94

—— *e* Corticis Peruv. *usu quomodo compescendus.* 41. *Ex* Febre Epid. nova, *æstate, quomodo tractandus.* 114. *Ex* Hysterica Adf. *cum rejectione materiæ viridis, sed sine dolore, quandonam.* 89. *Si enormes sunt, Anodynorum usum, horumque dosin sæpe repetitam, forma præprimis solida, exigunt.* 94. In Peste, *una cum alvi profluvio Sudoribus curantur.* 14. In Variolarum *initio, si enormes,* Confluentes *eas fore prædicant.* 86

Urina *designare potest operantem Naturam, dum impuras a puris partes secernit, h. e. dum concoctionem Materiæ Febrilis, in Continuis præsertim, & in harum declinatione persolvit.* 5. Crassa, *vel &* tenus, *Cruditatis indicium.* 3

—— cruenta *a* Calculo, *ambulatione, vel vectione, excitatur: quomodo se habeat, ubi subsidet.* 131. *vid.* Mictus Sanguineus. *In* Diabete *qualis.* 41. 42. 149. *In* Febre Cont. *An.* 1661. *&c. qualia Cruditatis præbebat indicia: & quandonam prodibant, in ea, Coctionis signa?* 3. *In* Febre hyemali, *turbida & intense gubra fuit.* 110. *In* Febr. Intermitt. *plerumque rubra saturata, ut Ictericorum, cum pulvere lateritio præcipitato.* 41. *In* Febre Variolosa *fallax.* 19. 20. *In* Hydrope *suppressa penitus, post Emeticum, sæpe iteratum.* 108. *In* Hydropicis *parca, unde.* 106. *In* Hystericis *&* Hypochondriacis *limpida semper & copiosa.* 89. 90: *In* Nephritide *nigra, ac fabulosa, V. S. vetat.* 132. In Peripneumonia notha *turbida est & rubens intense.* 35. 36. *In* Podagræ irregularis *intervallis, similis ac eorum, qui Diabete laborant.* 129. *In* regulari *Paroxysmo qualis.* 100 *In* Variolis Malignis *frequens & pauca, paulo ante Mortem.* 11. *In* Discret. Regular. *frequens, & pauca, Paregorica indicat.* 19. In Regularibus *incipientibus similis ac in Febre Valiolosa.* 19. 20

Urinæ ardor *in* Gonorrh. Virul. *qualis.* 78. 148. *Ejus Suppressio ex* Hysteric. Adf. 89. *Suppressio in* Variolis Confl. *in junioribus familiaris.* 16. 88. *& unde.* 19

Ustulatio in Podagra per Moxam, *vid.* Moxa.

Uteri procidentia *quomodo curanda.* 95. 146

—— Hysteric. Adf. *sæpe infert, post partum laboriosum.* 95

—— Strangulatus, *vid.* Strangularus Uteri.

Uterum *Sexcentarum ærumnarum auctorem statuit Democritus.* 90

Y

YAUWS, *in Insulis Caribes Morbus Endemius, nostræ Lui Venereæ simillimus; &, uti Lues nostra, sanatur salivatione Mercuriali, licet Guajacum & Sarsaparillam, integris ibi Viribus, obtineant.* 77. 78

Z

ZYthogala *Emetici actionem facilitat.* 4

—— *in* Cholera *loco* Fusculi *ad diluendum.* 21. *In* Colica biliosa, *ante alia, si Morbus a fructibus, ad diluendum.* 26. 147. *In Dysenteria.* 22. 23. In Febre Acuta, *cum Mictu cruento & Petechiis.* 88. *Cum Salvia incocta, in* Febribus Intermitt. Autumn. *sudoriferum.* 9. *Cum rad. Alth. incocta, in Nephritico paroxysmo.* 105. 106. 146. *Cum Saliva alterata in* Pestilentialibus Morbis, *ad Sudorem continuandum.* 14. *Cum rad. Alth. in* Podagra, *ubi Nephritis adest.* 105. 106

GUILHELMI

MUSGRAVE

MEDICI DOCTORIS,

Incliti Medicorum Londinenſium Collegii, & Regiæ Societatis Socii,

DISSERTATIONES DUÆ,

I. DE ARTHRITIDE SYMPTOMATICA.

Ἀγαθοῖσι δὲ Ἰητροῖσιν αἱ πλάναι ἢ ἀπορίας. *Hippoc.*

II. DE ARTHRITIDE ANOMALA, ſive INTERNA:

Καὶ τοῦτο εὖ Ὁμοιότητες εἰδέναι χρὴ, ὅτε Αὔετε ἡ Νοῦσος, ὅτε Μεταπίπτει ἐς ἕτερον Νοῦσον. *Hippoc.*

EDITIO NOVA ACCURATIOR.

ELENCHUS
PRIMÆ DISSERTATIONIS
DE ARTHRITIDE SYMPTOMATICA.

Cap. I. DE Arthritide Symptomatica *generatim*. pag. 227
II. De Arthritide *Rheumatiſmo* ſupervenienti, Symptomatica falſo appellata. 228
III. De Arthritide ex *Chloroſi*, & *ex Menſium ſuppreſſione*. 229
IV. De Arthritide *Hydropi* ſuperveniente. 230
V. De Arthritide *Melancholica, Hypochondriaca, & Hyſterica*. 232
VI. De Arthritide fixa *Scorbutica*. 234
VII. De Arthritide *Lui Venereæ* ſuccedenti. 237
VIII. De Arthritide *Aſthmatica*. 239
IX. De Arthritide *Febri* ſuccedanea. 240
X. De Arthritide ex *Colica*. 242
XI. De Arthritide *Morbis* quibuſdam *Cuticularibus* ſubjecta. 243
XII. *Corollaria & Spicilegia* quædam habet, cum *Epilogo*. 245

ELENCHUS
SECUNDÆ DISSERTATIONIS
DE ARTHRIDE ANOMALA SIVE INTERNA.

Cap. I. DE Arthritide Anomala *generatim*. pagina 248
II. De *Ventriculi Affectibus* Arthriticis. 250
III. De *Colica* Arthritica. 255
IV. De *Diarrhœa* Arthritica. 257
V. De *Dyſenteria* Arthritica. 260
VI. De *Abſceſſu Inteſtinorum* Arthritico. 262
VII. De *Melancholia* Arthritica. 263
VIII. De *Syncope* Arthritica. 265
IX. De *Calculo Renum* Arthritico. 266
X. De *Aſthmate* Arthritico. 267
XI. De *Catarrho*, *Tuſſi*, & *Peripneumonia* Arthritica. 269
XII. De *Phthiſi* Arthritica. 271
XIII. De *Angina* Arthritica. 273
XIV. De *Capitis Dolore*, & *Vertigine* Arthritica. 276
XV. De *Apoplexia* Arthritica. 279
XVI. De *Paralyſi* Arthritica. 281
XVII. De *Doloribus* in Corpore vagis, fixis; de *Ophthalmia*; de *Eryſipelate*; & *Achoribus* Arthriticis. 284
XVIII. De *Epiphora*, & *Dolore Dentium* Arthritico. 285
XIX. Corollaria *continet*, *cum* Epilogo. 286

PRÆFATIO.

Quotcunque inſpexi de *Arthritide* ſcribentes, in eo ſunt ad unum omnes, & quidem elaborant, ut tantummodo morbi iſtius, qua *Exquiſiti*, *Genuini*, *Legitimi*, ſuoque ordine *Primarii*, Doctrinam excolant, & diſciplinam edant: ea videlicet illius notitia, quæ ex ipſa manat, vel elicitur, contenti, de *Larvata*, ſive *Symptomatica*, *Arthritide*, num quæ ſit, aut qualis, aut quanta, aut quota, aut quam a ſe diverſa, aut *Arthritida Primigeniam* quam mimice & quantum imitetur, (etiamſi hæc ad illam illuſtrandam exponendamque apprime conferunt) parum, vel minime ſoliciti.

Quid ab his hominibus ſtudeatur, & in iſto genere quouſque proficiatur, non eſt hujus inſtituti, exquirere. Impræſentiarum nos, experientia duce & præſide, proponimus, in iis affectionibus, quæ *Podagræ* & *Arthritidos* regularis appellatione paſſim inſigniuntur, explicandis ſanandiſque, (ut, a Medico quod ſuſcipitur negotii, luculenter id tractetur; &, ad ægrotorum commodum & ſanitatem, quod ampliſſimum fieri poſſit, id demum agatur) primum, in *Arthritida Primigeniam* & *Symptomaticam*, earum diviſionem; tum *Symptomaticæ* in ſuas partes diſtributionem, conſtantiſſime ante omnia religioſiſſimeque conſervari.

Quanto ille, & quam digne, riſu exciperetur; qui, dum artem exercere profeſſus ſit gemmariam, omnes illos, quotcumque circumferuntur (ita vulgo nominati) *Adamantes*, tanquam *legitimos* & *veros* æſtimaret; atque adeo acciperet? Annon *Artificem* potius deceret, quid *Adamanti legitimo* proprium ſit, inveſtigare; eoque poſito, tanquam regula & norma, de *Pſeudo-Adamantibus*, & eorum a *Vero* diſſimilitudine & diſcrepantia judicare? Nonne etiam delectaret *Falſorum* varietatem, magnam utique & multiplicem, ut a *legitimo* alii quam longiſſime removentur, ementiti, factitii; ut ad eum alii propius accedunt; alii *Colore* translucido æquiparant: alii *Duritie* tantum vincuntur, a *Vero Adamante* non niſi ab *Artifice* peritiſſimo diſtinguendi, diligenter expiſcari?

Non minus fixum aut immobile fundamentum in experimentis habet *Arthritidos* illa in *Primigeniam* & *Symptomaticam*, & *Symptomaticæ* in ſuas *Species*; quam habet *Adamantis* hæc in *Legitimum* & *Falſum*, & *Falſi* in *Partes* ſuas, diviſio diſtributioque.

Quanti vero interſit hæc notari, & hiſce perquirendis quam egregie locetur res & ſalus *Arthriticorum*: ex eo conſtat, quod, iis prætermiſſis neglectiſve, jure merito verendum, ne dum uni eidemque tantum morbo, nempe *Arthritidi*, videamur; revera nos, quodque eſt certiſſimum, multis, iiſque longe inter ſe diverſis, & diverſa ratione impugnandis, obſiſtere contingat, id eſt, ancipiti prorſus eventu, prælium, ne in tenebris committamus.

Eum recte curaturum credunt, qui Rationalem Medicinam profitentur, quem prima Origo cauſæ non fefellerit: neque curari id, quod ægrum eſt, poſſe, ab eo, qui quid ſit, ignoret. Sed *cujus rei non eſt certa notitia*, quod *ejus opinio certum reperire remedium non poteſt. Celſus, Præf. L. 1.*

Hujus quidem modi diſtinctionem, a clariſſimo *Mortono*, in *Phthiſiologia*, fuſe jampridem doctequè lucubratam eſſe video; &, iſtius opera, morbum omnino difficillimum explicari, graviſſimum curari. Sed, in chronicis pleriſque aliis, ab *Auctoribus* celeberrimis, aut penitus omiſſam, aut aride nimis & jejune proditam: quam tamen, & in aliis perutilem, & quidem neceſſariam fore, ideoque multum deſiderari, diu ſum arbitratus: in *Arthritide* vero quamplurimum; eo certe plus in *Arthritide*, quo diutius illa cæteris affectionibus, quo crudelius humanum genus acerbiuſque infeſtavit; &, in illo, quo frequentius *Symptomatica* reperitur.

Qui, quod inſigniſſimus *Baglivius*, magnum *Italiæ* decus & ornamentum, hac in parte ὁμόψηφος, graviter errare Medicos exiſtimat, qui putant nonnullos morbos eſſe *Primarios*; ab iiſdem cauſis productos: eandemque etiam medendi methodum expoſcentes; eum, per repetitas graviſſimorum Medicorum obſervationes, certo conſtiterit, eos eſſe *Secundarios*; a diverſis cauſis pendere; *Specie* differre: propria habere ſymptomata, propriaſque methodos expoſcere. Et inter præcipua artis deſiderata illud merito reponit, *Ut ſcilicet ſinguli quique morbi in tot* ſpecies *ſubdiſtinguantur*, *quot ſunt* morbi primarii *a quibus foventur*, *aut cauſæ vehementes conſtanteſque quibus producuntur*. Praxeos Medicæ *Lib. 2. Cap. IX.*

Poſita ergo hac *Arthritidos* diviſione, & in præſenti miſſo, tamquam *Poſtulato*, diviſorum membro priori, ſcilicet *Arthritide Primigenia*; poſterius aggredior, nempe *Symptomaticam*, hoc conſilio & ſpe fretus, ſi prius copiæ debellentur hæ *Auxiliares*, hoſtem poſtea facilius depelli & evinci poſſe *Principalem*.

Dicam itaque *Arthritidem Symptomaticam*, & in ea *Species*, quotquot uſquam mihi innotuere, comprehenſas: ut illius *Ratio generalis*, & harum *Deſcriptiones* & *Diſtinctiones*; ut, a morbis ſuis *Primariis*, earum *Ortus & Emerſiones*; ut, in *Arthritida Primigeniam*, earum *Migrationes* & *itinera*: in ſtatu maxime degeneri & peregrino; ut earum *Facies* & *Proprietates*, (variæ, Jupiter) ut ὁμοιότητες *Arthriticæ* uſquequaque aperiantur: *Curationes*, & *medendi Intentiones* earum ſingulis accommodatæ, & (quoad potero,) congruentes, ut eliciantur: poſtremo, totum id quod dicimus, ut *Hiſtoriis*, optima fide traditis, tanquam tot *Teſtibus*, ſtabiliatur, confirmetur. Hoc *Libelli* hujus *Opus* & *Argumentum* eſt.

Lectorem autem illud admoneri decet; quoniam ea, quæ a *Nobis*, nullius *Sectæ* aſſeclis, imo *Sectam* omnem fugientibus, & *Hiſtoricam* (ea quidem una exercenda, vindicanda) *Medicinam* colentibus, ſiſtuntur & in medium proferuntur; aut eventa habet, aut ex iis ultro nata, vel facillime ducta; iſta vero eventa colligenti maximam partem præbuit *Damnonium* hocce *Orientale*; quod idcirco *Medicina* hæc (ea vero ejus pars præcipue, quæ de *Scorbutica* eſt *Arthritide*) quodammodo *Provincialis*, & *hujus Populi Propria* eſſe videatur. Utinam ſane tanto & tam nobili populo par inveniatur.

DIS-

DISSERTATIO PRIMA.
DE
ARTHRITIDE SYMPTOMATICA GENERATIM.

CAPUT PRIMUM.

Art. I. UT morbi recte dignoscantur, videndæ sunt, (quod docet (*a*) *Hippocrates*, ὅσαι ἐξ οἵων εἰς οἷα διαδοχαὶ νοσημάτων: h.e. *Quæcunque fiunt Morborum vicissitudines, & ex quibus in quo succedant.* Vertente clarissimo *Mediomatrico*, pariterque textum in hunc modum interpretante: *Morborum Successiones, vicissitudines, & exceptiones, esse inspiciendas; ut facilius de toto eorum exitu existimes.* Et, *Hæc oportere omnia ad eam Morborum Transmutationem transferri, quæ solutionem quandam præ se fert, & Naturæ Benignitate alio Morbum ablegat.* Quibus præfatis, ex divini senis oraculis, ad gratiam, & fidem, operi nostro conciliandam, (quod ad ea se conformari, frustra quidem, & ambitiose nimis, exoptavit,) ipsam rem aggredior, ex illoque sancto quasi fonte nostra omnis manabit oratio.

II. Præter istam *Arthritida*, quæ causam habet continentem propriam, & peculiarem, quæ suis viribus pollet, & est ex se sufficiens: ideoque *Exquisita* audit; nec ab affectu quovis alio, perfecto, mutuatur, sive ducit, originem; unde *Primigenia* (quæ quidem in præsentia, postulati loco ponenda:) alia est *Arthritis*, quæ a morbo aliquo antecedente profluit: quæ alteri morbo debet ipsum id, quod nascitur, &, quod existit: & (a *Primario* illo) *Derivata*, *Secundaria*, *Symptomatica* uti, (præ *Arthritide Exquisita*,) *Mendax*, *Simulata*, *Falsa*, jure merito nominetur.

III. Fusius dicam: *Arthritidis Symptomaticæ* cum *Primigenia*, si primas earum facies conferamus, & illa quæ sunt exteriora spectemus, in plerisque convenit: (par etenim ratio paroxysmorum: iidem utrinque typi, similes causæ, & principia, nec non effectus, seu reliquiæ, sive fructuosæ, sive contrariæ:) proindeque generali nomine *Podagræ*, & *Arthritidos*, utrisque communi comprehensæ magnam partem ἀδιαχείτως sub eo delituere; morbus idem esse, judicatæ. At, a vero quantum id abhorret, iis facile innotescet, qui earum εἶδος ἢ ἴδος penitius scrutabuntur. *Arthritidis* enim *Primigeniæ*, morbus exquisitus, γνήσιος sui ordinis princeps, peculiarem & sui generis conjunctam habet causam; proprio utique marte agentem; vel per se, vel procatarcticarum stimulo, paroxysmos facientem; a nullo vero affectu alio, aut primitus acceptam, aut in operibus dependentem. E diverso, *Symptomatica* morbo alteri succrescens, vel materiam, (id est causam continentem,) vel minimum materiæ in hujusce generis *Arthritida* μετεσπισμὸν, illi *Primario*, quo (directe vel oblique ortus ejus promovetur, refert acceptum: itaque tum morbi, unde fluxit, primarii; tum *Arthritidos*, quam æmulatur, exquisitæ, de natura, tanquam hybrida, participat.

IV. *Symptimaticæ*, quas hoc terrarum tractu vigere comperimus, sunt ex rheumatismo *Arthritis*, ex chlorosi, & mensibus suppressis, ex hydrope, melancholia, scorbuto, lue venerea, asthmate, febre, dolore colico, affectibus cutaneis: perplures sane, dignæque omnes quæ in *Luciani* Drama prodeant Τραγοποδαγρικὸν: quarum tamen catalogum haud dubie augebit industria posterorum.

His affecti, eos qui in *Arthritide* sunt *Exquisita*, numero videntur, (si recte calculum ponas,) exæquare; imo quidem, (mea sic est ratio,) vincere: ut *Damnonio* nostro *Arthritidos* pars dimidia, sine ulla dubitatione, sit hodie *Falsa*.

V. *Symptomaticarum* ratio generalis in eo locari reperitur, quod, cum morbi sunt ab *Arthritide Primigenia* diversi, & intervallo quodam distantes, stationes suas *Primarias* linquunt, & erga *Arthritidem* moventes, ei sensim appropinquant: simili fere modo, ac in hypothesi *Copernicana*, planetæ apogæum (sive punctum illud ellipseos, quod a sole remotissimum) deferentes, versus solem inclinant; donec hypogæum (sive punctum ejus quam proxime solem) pertigerint.

De appropinquandi modo ut rite cogitemus, non solum ex arthritidos *Primigeniæ* symptomatibus aut pluribus acceptis, aut diutius servatis, is existimandus: ne hoc, utrunque, judicium fallax, & incertum: imo potius a primario plus minusve exuto, (ut in sequentibus patebit) addiscendus. Verum enim vero *Primarii* exuviæ simul cum usurpato *Arthritidis Primigeniæ* vultu, *Symptomaticas* omnium certissime commonstrant.

Specialis harum est conditio, quod a stationibus *Primariis* quo celerius, quo longinquius, ejusdem classis *Symptomaticæ* deflectunt, eo rarius ad eas revertuntur: hoc est, quo plura morbi *Primarii* symptomata deposuerunt, eo insolentius resumunt; eo celerius *Arthritidis* puræ symptomata usurpant; eo constantius retinent.

VI. Secum dissentiunt *Symptomaticæ*, si earum externa respicimus; quod aliæ, εὐτοκίᾳ; aliæ partu difficili, eduntur: aliæ a *Primigenia* ægrius; aliæ libentius, decedunt; aliæ ad parentem cito regrediuntur; aliæ vix unquam, aut ne vix quidem; aliæ sæpius; aliæ rarius, Παροξύνονται.

Harum autem *Paroxysmos* si attenderimus, sunt illi profecto longi, breves, acerbi, mites, abnormes, idonei, continui vel intercisi, eadem plane varietate inconstantiaque, qua sunt *Arthritidos* exquisitæ paroxysmi; & reliquias sive fructus habent (sicut illi) quæ cujusque ferocitati & magnitudini, plerumque respondentes.

Partus istam diversitatem facit diversa *Primariorum* indoles, & in *Arthritidem* propensio: nam, quo cujusque *Primarii* materia virus *Arthriticum* magis refert; &, materiæ *Arthritidem* facienti, quo plus favetur, eo certe vividum magis *Arthritidos* simulacrum, eo magis solidum emergit Ἔκμαγεῖον. Et e contrario.

VII. Sed, (quæ cum primis ad exponendas hasce *Symptomaticas*, conducit differentia;) Alia *improprie*, ex vulgi tantum opinione, sic appellatur: quippe quoniam paroxysmos, ad normam *Arthriticam* formatos, & compositos, habet omnino nullos; nec materiam, ei quæ est *Arthritica*, (quantum ex utriusque signis judicare licet) ulla ex parte comparem. Hujusmodi una est, quæ rheumatismo superat, quæque *Symptomaticarum* nomine, quoties de iis verba fecerimus, a nobis ea re excluditur. Alia *magis proprie* dicta, quæ de morbo alicui *Primario* manifeste & palam ἐπιγινομένη, *Primigeniæ* ritu, per se vel aliunde stimulata, & adjuta, paroxysmos celebrat.

VIII. Illa etiam duplex est. Altera generatione, quæ dicitur *Æquivoca*, procreatur. Gravi quodam morbo laborat æger; eoque partim, vel penitus subacto, natura, sui demum juris & vegetior facta, miasma *Arthriticum* in sanguine occultum, sanguinem & quicquid intus virium est depascens: (maxime vero si pharmacis ea proritetur) ad πὰ ἔξω θεν appellit; itaque (præter spem & expectationem omnem sæpe) gignit *Arthritidem*. Huc pertinet *Arthritis* ex chlorosi, & ex hydrope; quæ quidem, accurate si dixerimus, *Secundariæ* potius, quam *Symptomaticæ*, censeantur: ut infra ostendetur.

Altera, quæ κυκλοτέρως *Symptomatica*, eandem cum *Primario* (contra quam modo dicta,) sed mutuam, & ab eo derivatam, habet materiam, vel ipsam, vel aliqua ex parte alteratam: vel integram, vel cum alio quodam mistam; sed in aliam corporis regionem, quæ transvehitur; aliaque ratione (id est *Arthriticæ*,) quæ operatur. Nam, ei quod ineptum est eliminando, per morbos hunc vel illum, pro inepti ratione & corporis constitutione, varios, dum incumbit natura; (unde horum morborum φύσεις ab *Hippocrate* dicuntur ἰητροὶ,) sæpe quidem fit, vel propter eos nimis remissos, & instituto impares, vel ob materiam parum tractabilem, & δύσλυτον, quod illius pars in corpore, necdum istis molitionibus exturbata, restet. Hanc natura, prælium redintegrans, secundo aggreditur; &, quoniam ausis prioribus exciderat, alia jam methodo conficere, alio morbo, scil. *Articulari*, proscribere contendit. Atque hunc in modum oritur *Arthritis Symptomatica*; cujus species sunt *Arthritis* melancholica, scorbutica, quæ hi venereæ, quæ asthmati, quæ febri, quæ dolori colico, quæ morbis cuticularibus succedit.

IX. Hoc autem minime celandum, quod raro illa, *quæ maximæ propriæ Symptomatica* est, *Primarium* sequitur nisi multorum dierum, veterem, & ab ætate quasi venerabilem, chronicum: &, quod illa, serius quam *Primigenia*, nec nisi grandiores, invadit;

(*a*) Ἐπιδημιῶν ἀτμῖμα τριτον.

eos ſcilicet, qui, cum affectu *Primario* diu conflictati, cum eodem ſimul inveteraſcunt. Id quod de altera iſta *magis propria* parte, confirmari vetant experimenta; quippe quæ, robuſtioribus, quæ junioribus, congruere hanc, evincunt.

X. Verum, ut ultra diſtinguam *Symptomaticas*, earum quæ ſunt ἰδιωπάθεια morbi primarii, (a quibus derivata ſui generis materia, quæ in *Arthriticæ* modum agere conatur, hæ ſingulæ potiuntur,) cum valide inter ſe diſcordant; *Symptomaticas* item haſce, utcunque prima facie conſimiles habeantur, ſpecie tamen, pro ipſorum materia, pro illa primariorum diverſitate, inter ſe differre, non eſt improbabile, peculiarem habent ſigillatim omnes naturam; proprium ἦθος; & curationes exigunt proprietatibus ſuis accommodatas. Nam,

XI. In exercenda medicina, quoties occurrit *Arthritis Symptomatica*, morbi *Primarii* ratio, & modus omnino inveſtigandus; therapia probatiſſima diligenter expiſcanda; & ex iis, una cum *Arthritidis Primigeniæ* doctrina, ſtudioſe conſiderateque penſitatis, eliciatur, & in quadrum redigatur, optima medendi perfectiſſimaque indicatio.

(a) *Neque enim credant, (qui Rationalem Medicinam profitentur,) poſſe eum ſcire, quando Morbos curare conveniat, qui, unde hi ſint, ignoret:* Neque eſſe dubium, quin alia curatione opus ſit, ſi a lue Venerea; alia, ſi a melancholia; alia, ſi a ſcorbuto; alia, ſi ab hydrope; alia, ſi a chloroſi, (& ſic de cæteris affectibus, toto, quod dicitur, cælo diſtantibus, & ſecundum illam differentiam diverſe medicandis) *Arthritis* oriatur.

XII. Etſi vero *Symptomaticæ* ratio compoſita, ab utroque parente (tam eo qui genuit, quam eo qui adoptavit,) ætiologiam, therapiam, ex parte accipit; tamen non id indiſcriminatim, & æquali factum eſt menſura; ſed modo, & proportione, prorſus ſingulari. Nam in paroxyſmo ab *Arthritide*, therapia maximopere; extra vero paroxyſmum, in ejus vacatione, prophylactica quæ colatur, a morbo præcipue *Primario*, haurienda.

XIII. Quæ quidem prophylaxis, & in ea quæ eſt medicina vel late ſumpta, cum, ad morbos, veteribus chronicis, iiſque gravioribus, ſecundarios, & malum δυσαλθὲς (*Arthritidem*) æmulantes, evertendos, excolatur; diutius quidem, & contentius, ad menſes aliquot ducenda: ſæpe etiam per annos, ſtatis temporibus, repetenda eſt: ut nempe morbis ita pertinacibus, inveteratis, ſanatu difficillimis, curatio par & æqualis adhibeatur. Iſta vero prophylaxeos diuturnitas alias longior, alias brevior, ordinanda, pro ſingula curationum ſingularum difficultate: quod in ſequentibus ſpeciatim, & preſſius, exponetur.

XIV. *Arthritidis Symptomaticæ* a *Primigenia* diverſitas, inque membra partitio, ab artis profeſſoribus non ſatis obſervata, id effecit, ut æthiologia *Arthritica* hodieque trunca, debilis, imperfecta, perturbata, minime conſtet; nec cum ægrorum ſymptomatibus concordet. Neque enim aliter fieri poteſt, cum, quæ una, & ſimplex, æſtimata fuit affectio, varia prorſus eſſe deprehenditur, & multifariam compoſita.

XV. At, quod magis dolendum, & in humani generis incommodum (ut nequid gravius dicam) ceſſit immane quantum; id etiam fecit hoc Παράδειγμα; ut, quæ non uno endemque modo conſtrui, quin potius variari, & pro morborum differentiis, diſcrepantia, diverſitate, aliis aliiſque indicationibus paſſim muniri, debuerat therapia, auguſta nimium, manca, & delumbis, eſſe reperiatur; utpote *Arthritidis* unius *Primigeniæ* baſi, & fundamento, nimis arcto) ſuperpoſita; cum Medici, tum ægroti, ſpem, & vota, decipiens. Infelices *Arhriticos*! & eo quoque nomine miſerandos, quod, dum adverſus morbos convulſivos; adverſus phthiſin; adverſus febres intermittentes; aliaſque quam plurimas; dum, adverſus graves & Herculeos affectus, medendi intentiones aptas, ſolertes, commodas. excogitavit ætas, in *Arthiritide* ſananda, pellendaque tam parum profecit.

XVI. Prædictas *Symptomaticas* hac methodo diſcutiam; Primum nempe remotiſſimam, & ab *Artbritide Primigenia*, quam longiſſime disjunctam: deinde reliquas, eo ordine, quo ſunt, in ſua cujuſque ellipſi, minus remotæ dum ad illam denique pervenero, quæ ab *Arthritide Primigenia*, vel abeſt quam proxime, vel ipſa eſt: per totum hunc decurſum, & univerſum percurrendo *Syſtema Symptomaticum*, habito reſpectu, quoad ejus fieri poteſt ad acceſſum, & proximitatem: quæ quidem hoc tempore potiſſimum advertenda. En! opuſculi partitionem;

Arthritis

Symptomatica

Primigenia. *Falſo* ſic appellata, quæ Rheumatiſmo,

Minus proprie dicta, quæ { Chloroſi, Hydropi, Melancholiæ,

Magis proprie dicta, quæ { Scorbuto, Lui Venereæ, Aſthmati, Febri, Colicæ, Morbis quibuſdam Cuticularibus,

Supervenit.

(a) *Celſi* Lib. I. Præf.

In ipſis partibus tradendis, primum, morbi cujuſque *Primarii* flationem dicam: tum, ejus in *Arthritidem* progreſſum: deinde *Secundarii*, jam facti, & in aditu maxime propinquo ſiſtentis, diagnoſin qualemcunque: poſt, a cognatis *Secundarii*, & *Artrhitide* exquiſita, illius differentiam: tum, morbi, ejuſque ſymptomatum, in primis urgentium, curationem: deinde, iſthæc illuſtrandi ergo, hiſtorias: hæc autem, non eadem ubique ἀκειβείᾳ, quanta tamen opus eſt, ſcriptura perſequar.

CAPUT II.

De Arthritide Rheumatiſmo Supervenienti, Symptomatica falſo appellata.

Art. I. PRiuſquam ad *Veras* aggrediamur *Symptomaticas*, omnino neceſſarium eſt, *Arthritidem* ex *Rheumatiſmo* ortam, ita *falſo* nominatam, propter ejus cum *Veris* ſimilitudinem, & ne iſtam in illarum numero ponentibus, operi noſtro deeſſe, videar, expediri; eaque re, de ipſo *Rheumatiſmo*, mendoſæ hujus *Symptomaticæ* affectu *Primario*, paucula quædam præmitti.

De *Arthritide Vaga*, quatenus *Rheumatiſmum* referat, & illius appellatione ſe occultet, alius loci eſt differre: de *Rheumatiſmo*, quam ille *Arthritidem* imitetur, ac quaſi vices rependat, hujus & temporis, & loci eſt.

II. *Rheumatiſmus* ille, cui quidem uni quantum Ego reſcivi, ſuccreſcit hæc *Symptomatica*, (nam a *Scorbutico* minime unquam, nedum alio quovis *Rheumatiſmo*, prognatam memini) ſemper incipit a frigore, cauſa hujus affectionis evidenti fideliſſima: ex qua celerrime ſanguini, præcipue vero ab exercitationibus incaleſcenti, *Lentor* inducitur; qui, in muſculis & membranis, infarciens capillaria, circuituri fluminis meatus obſtruit; dolores, & interdum tumores affert. Quæ ineſt ſanguini, pituitæ, ſive ſeri craſſioris maſſa, horæ paucarum aliquando *Sexageſimarum* ſpatio, momento temporis, fere tota *lenteſcit*, & (uti cera per ſyringem injecta,) ductus implens exiguos, impedimenta, moras, oppilationes creat, pro ipſius craſſitie plus minuſve pertinaces.

III. Qui fiat tanta, tamque ſubita γλισχρότης, (haud explicatu facile problema) profeſſores Medicos, optima quidem ingenia fatigavit. Sunt, qui lac acescens, ſi admoveatur igni coagulum cito contrahere perpendentes, & lac immiſſum venis ſtatim coagulari confirmantes, binis hiſce poſitis, ſibi videntur rei ſummam explicaſſe, dubiique vim in totum diluiſſe: at quo jure, qua ἀπέλεγξι, (præfato virorum de Republica bene meritorum honore,) paucis expendam.

Primum, experimentis *Boylianis* manifeſto conſtat, acidi, præter ſalis marini, vel ejus æmuli, quantitatem perexiguam, atque huic coagulationi producendæ minime ſufficientem, nihil natura ſanguini ineſſe; neque de horum experimentorum fide, per *Vieuſſeniana*, dicam? an *Chiracciana*? quicquam (a) derogatur.

De altero argumenti membro, etſi, apud magni nominis (b) anatomicum, tanquam experientia proditum, lac immiſſum venis illico denſari, perſcribatur; tamen, quod vacillet hac in parte, non tam auctoris, quam (ex ea, qua verſamur, rerum caligine) eventi fides & reſtimonium, ideoque dubium æſtimetur, habeo dicendum. Cum enim, varias olim, *Oxonii*, injectiones, & quidem hanc ipſam lactis vaccini, quantitate ſatis locupleti, exercendo, ſanguinem inde ne vel minimum coagulari, ſive concreſcere, tametſi hac illac agitatum, accurateque ſpectatum, deprehenderim; virum clariſſimum, profeſſorem eximium, aut animali minus ſano, aut aceſcenti lacte, fuiſſe uſum, haud injuria ſuſpicatus ſum.

IV. Deinde, non ſolum ab acido fieri in ſero animali coagula, teſtatur id (c) *Boylei*, per *Oleum Tart. per Deliquium* illi adjunctum, perque *Spiritum vini* probe rectificatum, coagulari ſerum aſſerentis. Quinetiam, ut ſymbolum meum conferam, *Rheumatiſmo* laborantis ſerum, per calorem, & exinde quam citiſſimum frigus, (utrunque ſcilicet impenſum,) in gelatinam admodum lentam, viſcidam, firmam conciliari & cogi nobis experimento patuit. Hoc enim brevi evenit, quando, hujuſce rei tentandæ gratia, iſtiuſmodi ſerum, cochleari contentum, & ſubjecta lucerna calefactum, aqua frigidiſſima ad cochlearis marginem immergeretur.

Ab acri vero ſale alcalico, quam ab acido, *Lentorem* fieri, longe probabilius: ſagaciſſimi enim (d) *Baynardi*, Collegæ Nobiliſſimi, experimento liquet, *Rheumaticorum* urina, ſalis alcalici ejus, quem habent ſani bonaque utentes valetudine, partem quaſi trigeſimam, nec quidem ſupra, deſtillando elici. Unde conjicitur, ſalem iſtum acrem, pungentem, aſperum, acutum, in ſanguine retentum, pituita (forſan adjuvante oleo, veluti in ſapæ compoſitione,) irretiri involvique &, ad viſcidum in *Rheumatiſmo* faciendum, ad dolores, & tumores inferendos, opere quidem maximo contribuere.

At, quod rem abſolvere videatur, *Rheumatici* cujuſdam ægri vena pertuſa, ſero *Syrupum Violaceum* inſtillavi; unde mixturæ, brevi temporis ſpatio, *Color viridis:* Et ejuſmodi ſero, *Sublimati ſolutione*, parce quidem & tantillula quantitate, addita, quam citiſſime ad fundum ſe demiſit concretum *Albiſſimum*.

Ipſi porro pelliculæ, ſanguini *Rheumatico* innatanti (ut videlicet, in ea ſalis quid dominetur, anquirerem) *Solutionis* dictæ guttis aliquot affuſis, ejus ſuperficiem ex hinc *Albere*, cum pleriſque aliis aſtantibus hujus experimenti teſtibus, notabam.

Siqua igitur hiſce probationibus fides, vel a calore frigoreque vehementibus & continuis, vel a ſale alcalico intus retento, vel utroque lentorem hunc oriri, veriſimile eſt.

V. Quoties e viſcido redemptus, priſca gaudet δρόμῳ & more naturali circumagitur ſanguis, evaneſcit tumor, quieſcit dolor, convaleſcit æger: contra vero, affectu male tractato, id eſt perſeverante, viſcido, nondum victo correctoque, nonnunquam oritur *Arthritis* iſta, quam dico, *Symptomatica*. Nempe, cum abundat τὸ γλισχρὸν, qua viſciditate, qua acredine, vehementiores, pariter ut

Arthri-

(a) Hac de re, qui plura voluerit, adeat clariſſimi *Pitcarnii* Diſſertationem Med. ultimam: ut & almi Coll. *Romanorum* Archiatrorum ad Cl. *Vieuſſenium* Reſponſionem.

(b) Vid. Cl. *Lowerum* de Corde, Cap. 2.

(c) vide *Humani Sanguinis Hiſtoriam*, Partem 3.

(d) Acta Phil. Lond. N. 215.

Arthritis ipsa, profert distensiones, dolores, tumores, aliosque non paucos effectus utrique huic vitio communes.

Frigidam vero *Arthritidem* æmulari gestit hic affectus, illiusque partes sustentare: Nam, neque dolor æque acerbus; nec inflammatio perinde contumax; neque declinatio similiter propera, ac in illa *Arthritide*, quam appellamus *Calidam*. Nihilominus fatendum est, quod, si *Rheumatismo Scorbutico*, aut *Venereo*. *Arthritis* ista superveniat, (posse vero supervenire, nullam recipit controversiam) ob asperum aliquid, ac stimulans, interfusum, & dolorem magis acutum, & inflammationem magis infensam esse.

VI. Autumno maxime intenduntur hi dolores; eo videlicet tempore, quod fluxionibus favet, (quanquam & alias anni tempestates iis prorsus immunes esse, nequaquam affirmandum,) & diu, nonnunquam ad totum hyemale spatium, ubi morbus inveteravit, excurrunt; sæpe quidem intercisi, at a levissimo frigore recidivi; quod diuturno familiare *Rheumatismo*. Turgent articuli. Farctura extante, & in tumorem albidum, & tanquam Οἰγηματώδη, cutim elevante. Unde digitorum motus semper impeditus, interdum abolitus: Huc illuc digiti torquentur: manus nonnunquam retroagitur; sicque cubitus, ut pars ejus interior jam emineat.

Cum *Arthritidis* personam qualemcunque capessivit *Rheumatismus*, raro quidem exuit; ad vitæ usque terminum plerunque perferens. Si modo sanum id, quod intus, & incolume totum est, extremam aliquando senectutem, sed digitis, sed artubus mulctatus, æger adipiscitur; *Podagram* interea, tanquam humani generis pestem & perniciem, tanquam malum, vel ipso teste experto, acerbissimum, (qua tamen genuina fortasse nunquam est affectus) increpans acerrime.

VII. Quamvis enim nonnulla *Frigidæ Arthritidos* Symptomata gloriatur hic affectus: tamen, si rem attentius perspexerimus, cum ea parum convenit. Cutis sanguini (sic, ut in *Rheumatismo* solet esse) densa, & quam in *Arthritide* multo densior, post quietem supernatans, hoc abunde arguit: confirmat id, quod gelatina, quamdiucunque commissuris immorata est, nunquam in tofos indurescit, quodque commissuris minime contenta, cum internodiis eas pari fere proportione premit: tum vero omnium maxime, quod nullo cardiacorum, utut *Actu* vel *Potentia* calidorum, abusu; vel quavis alia de causa (contra quam *Arthritis* omnis, sive *Primigenia*, sive *Symptomatica*, sive *Calida*, sive *Frigida*) in paroxysmum, qualis est *Arthritidis*, vel levissimum, evehatur unquam *Species* hæc *Adulterina*.

VIII. Ad hasce *Rheumatismi* reliquias, duras equidem & pertinaces, prævertendas, valet ea, quæ morbi istius curationem habet, quæ sanguinem attenuat, medicina, ab auctoribus, illam ex instituto tradentibus, haurienda. Cui tamen unum, ut mea memoria est, ab iis prætermissum, adjiciam; nempe, quod, ad dolores *Rheumatismi* minuendos, ad sanguinem alterandum, & τὴν γλισχρότητα devincendam, conducit, supra quam quis expectaret, vomitio; sed vehemens, sed iterata. Quod unde efficitur, sanguinem exagitando, concretiones inhibendo, motumque illi novum expeditioremque tum intestinum, tum periodicum, imprimendo; an quovis alio modo fiat, in medio relinquam.

Hoc autem gratis dictum, ne quis existimet, fidenter affirmare possum, sola *Infusione Croci Metallorum* ad quatuor vices, quantitate bene magna, tot diebus continuis, ab athletico quodam & multarum virium ægro, contra *Rheumatismum* hausta, unde cum εὐφορείᾳ toties evomit; *Rheumatismum* gravem, & permolestum, me novisse penitus & radicitus extirpari. Cujus quidem historiæ mentionem non ideo feci, quod tristem & severam, ne dicam periculosam, hanc curationem, vix centesimo cuique tolerabilem, in communem indistincte usum, inducere conarer, aut in animo haberem; (quæ enim hæc temeritas!) sed tantum, ut emeticum ab hoc affectu per se considerato, non ex omni parte respui, seu vetari, submonerem; imo quadantenus indicari; &, quoties vires, & quæ sunt ægri cætera consentiunt, posse ministrari.

IX. Ad easdem reliquias præsentes extirpandas, requirit indicatio, quæ quidem unice attendenda, ut tollatur iste lentor, ut crassa, pertinax, & viscida materia, quæ junctiuras obstruit, & in tumores cutim earum effert, causa videlicet conjuncta, corrigatur emendeturque, cujus gratia, e *Regno Vegetabili* depromantur *Antiscorbutica* quæ dicuntur, sale volatili referta; qualia sunt *Radices Armoraciæ*, *Cerpæ*, *Ari*, *Allii &c. Folia Cochleariæ*, *Nasturtii Hortensis Indicique &c. Semina Sinapios*, *Cochleariæ &c.* Quæ quidem omnia, recte & artificiose comparata, debitoque more data, viscidum incidant, tenuent, resolvant, perque renes demum expellant quicquid alienum est, & inidoneum.

Huc, eodem fere nomine, respiciunt *Spiritus C. C. Urinæ*, *Fuliginis*, *Salis Armoniaci*, *& id genus alii Volatiles*, *sive simplices*, *sive oleosi*.

Quid per *Oleum Terebinthinæ*, medicamentum mire penetrans, & *deobstruens*, (pulmonis illud solvit pituitam, in catarrhis pertinacibus farcturam ejus allevat: in tingendo marmore, colorum illud optimum laudatissimumque vehiculum est:) Quid, inquam, in lentore *Rheumaticorum* reducendo per illud præstatur, quando hoc hortatur analogia, fiat periculum. Prosit autem tum interne sumptum, tum externe applicatum, e. g.

℞. *Ol. Tereb. gutt. iv. ad vi. vel si Febris Suspicio nulla vetuerit*, *plures*. *Conf. Anthos* ℥j. *Syr. de Rubo Idæo q. s. f. Bolus*, *hora somni deglutiendus*, *cum Julapii Haustu*.

℞. *Aq. fol. Ari*, *Angelicæ*, *Ulmariæ* ἀἁ ℥v. *sp. Croci* ℥ij. *Sambuci q. s. cum Marg. pti. & Sacch. f. Julapium*.

Balsamo Sulf. Terebinthinato artus motu privati, cum frictione, bis die, superillinantur; vel etiam *Vernice Terebinthinata*.

Camphoræ sapor acris & pungens, odor aromaticus penetrantissimus, igni comprehendi facilitas eximia, sed præ cæteris quibuscunque in auras abitio celerrima, partes ejus subtilissimas tenuissimasque ostendunt. Ideoque nunquid ægrotantibus hisce nostris, ad incidendum & tenuandum in eorum capillariis lentum illud viscidumque, & quantum ab illius auxilio sperari possit adjumenti, merito exquiratur. Dari possunt *ejus Grana v. vel vi. Oleo Amygd. dulc. soluta*, *cum Conf. flor. Borag.* ℥j. *Syr. Cort. Citreor. q. s.* (*ut f. Bolus*) *cum Jul. Haustu*, *hora somni*, quod quidem tempus exhibendi præfero, quoniam per noctem insequentem (noctu vero, quam interdiu, in his ægrotis, ad superficiem corporis sanguinem magis efferri verisimile est) una cum sanguine ad τὸ γλισχρὸν appulsum majori cum impetu, favente flumine rapidiori, in id arietet. Quinetiam *Epithemata Camphorata* possunt externe partibus affectis admoveri.

X. Sin hæc e *Regno Vegetabili* frustra esse reperiantur, & operi impatia, e *Regno Minerali* conducat optime *Mercurius*; illo nempe pacto sanguini commistus, & obstructionibus advectus, ut incidendo dividendoque viscidum illud attenuet, solvat, colliquet. Quare ptyalismum hoc in casu levem institui, diuque proferri, (modo per ægri vires, & alias res licuerit) e re futurum arbitror. Nec non ad eum finem *Mercurium* partibus iisdem læsis, per unguenta, per emplastra, posse cum fructu superponi.

At si ista non sentiat, quæ junctiuris inest, gelatina, *Suctu* frequenti validissimoque, per fistulam ad eam rem fabricatam & orificio prius facto immissam, evocetur. Hoc in *Arthritide* vera laborantibus fieri, vulgare jam & pervagatum est: multo vero tutius in rheumaticis posse credibile est. Hæc autem operatio non nisi recens affectis, & dum liquida est materia, promittit sanitatem. Articulos gelatina per suctionem inanitos, *Vino ustulato* sæpius fovere, & *Emplastro* quodam (*Stomachico* puta *Magistrali*) a gangræna defendere tutarique oportebit.

Istam medendi legem, secundum morbi indolem & genium delineatam, ut in ejus initio probabilem, adduco; sed nullo quidem experimento (fatebor enim) confirmatam. De morbi historia plus satis constat; & etiam nunc in vivis sunt, qui hujus veritati fidem faciunt, & astipulantur; de medicinæ vero hujus usu, & victoria, nihil habeo, quod dicam. In affectu inveterato, cum viscidum id induruit, quod tenuetur, minus verisimile est.

Omittendum vero non est, quod, τὴν γλισχρότητα rheumaticorum sanguini accedentem putrefactione sola tenuari dissolvique posse opinatus, Medicus perillustris, clarissimus (*a*) *Floyerus*, (cujus hoc est argumentum, quod ovorum albumina, quæ quidem gelatinam hanc nostram cumprimis referunt, putrefactione liquefiunt) ad eam, his in corporibus non minus quam in tussi laborantibus, promovendam, emollientia, maturantia, colliquantia, (qualia sunt *e Rad. Glycyrrhizæ*, *Sarsæ*, *Chinæ*, *Iræos*, &c. ex *Hordeo*, *Passulis*, *& ejusmodi aliis comparata*) non sine multa probabilitate præcepit. Utrum hæc, quæ in liquando solvendoque pulmonis phlegmate, tot ab annis, tanrarum virium & ἐνεργείας esse merito prædicantur, in artuum illo rheumaticorum valeant, operæ pretium esse experiri.

De *Symptomatica* falso, & ex vulgi tantum more, sic appellata, quæ habebam, effunduntur: Itaque iis, quæ ad *Veras Symptomaticas* aditum præcludere viderentur, de via dimotis expeditisque *veras* jam attento.

CAPUT III.

De Arthritide ex Chlorosi, Alba, & ex Mensium Suppressione.

ART. I. EX *Symptomaticis* ita κυρίως appellatis, illæ primum expromendæ veniunt, quæ ortu, quod dicitur, *Æquivoco* generantur: quarum e numero principatum postulat *Arthritis* a *Chlorosi* nata. Quod autem uspiam ita nascatur, quod adolescentulæ, virgineo dudum morbo languentes, necdum illo prorsus liberatæ restitutæque doleant *Arthritide*, a nonnullis idem habeatur, ac si *Lucam Bovem* (ut in proverbio est) *Locusta* pariat; id est, Ἀδυνάτων ἐν. Sic a morbo, hisce puellulis parum congruenti, immunes eas reddere, incolumes præstare, videatur, tum ætas præmatura, tum affectio dissimilis. Ita vero sentientibus, ut ne calculum adjiciam, indubitatæ fidei cogit experientia; nec istam ætatem, nec hanc affectionem, illas ab *Arthritide* penitus tueri comprobans.

II. Ut autem dicam, qui fieri potest, quod, ex morbo sic dispari, morbus sic dispar oriatur, advertendum est; quod *Arthritis* eas tantum modo pallidas (quantum mihi observare licuit) aggreditur, quæ miasmate hæreditario supra modum vitiatæ & imbutæ, ad istud mali naturæ inclinatione pervicaci, momento maximo, pronæ sunt, & diriguntur.

De cujus rei veritate satis, ut opinor, ex eo liquet, tum quod illa, quæ ad *Arthritidem* inducendam more agunt usitate procatarctico, (qualia sunt crapula, satietas, Venus immoderata, lues venerea &c.) virginibus hisce imputari minime posse cogitandum est: tum etiam, quod *Arthriticæ* hujus classis stirpe sunt cum primis *Arthritica*.

III. Exinde patet, quod *Arthritidos* ex *Chlorosi* procreatio, non eo sensu capienda, quasi hanc quæ fecit, illam etiam faceret, *eadem Numero*, *vel Specie*, materia; sed nova ratione, agens, nova perpetrans φαινόμενα; (quod tamen in plerisque *Symptomaticis* usu venire palam est.) Nostra quidem alia res est. *Chlorosi*, sive sanguinis Μόλυνσι, abituræ supervenit, & simul cum vultu colorato, cum robore, cum mensibus, ne multa, cum sanguinis Μεταφορᾷ horum societati se immiscens, ex accidenti prosilit *Arthritis*, peculiarem habens materiam, causam propriam continentem, a *Chloroseos* illa, multum abludentem.

IV. *Symptomatica* hæc *Arthritis* interdum *Vaga* est; Artus hinc inde subsultando peragrans; dolore pungenti, & rodente gravans; aliquando *Rheumatismi* nomine delitescit: alias, articulis inhæret, & *affixa* est.

Vagæ Diagnosis incerta, & tenebricosa; uti *Arthritidis Vagæ primigeniæ*. Lucem tamen afferat, de parentum morbis, numnam illi pedibus doluere: &, an ægra *Rheumatismi* causis evidentibus, præsertim frigore, paulo ante subjecta fuit, quæstio. *Fixa* vero, teneritudine junctiurarum, dolore, rubore, primum molli, deinde successu temporis lapidescenti, & rosaceo, se ostendit.

V. Hæc cum morbi ratio sit, in eo ponenda indicatio, singularis, & præcipua videtur; ut, a peccante materia, jam nunc *Arthritidem* moliente, per muliebria, primo quoque tempore, sanguis expurgetur; & sic *Chlorosi*, sic *Arthritidi*, simul semelque occurratur. Omnium maxime conducet, (dummodo res annuerit familiaris, & iniri nuptias permiserit) ἐν γαστρὶ ἔχειν. Quum, partu naturali, quo in uterum, tanquam in sentinam, universi corporis inquinamenta secluduntur ad inanienda, & vacuanda fœminarum corpora, nihil efficacius valentiusve, certe hippiatris illud notissimum, & multiplici comprobatum usu: nec, cur hominibus denegetur hoc consilii, video. Procul dubio laborantes isti medicinæ generi minime refragabuntur;

(*a*) Vide *Humorum Animalium statum præter Naturam*. Cap. xi.

quin medico, naturæ tam miniſtro, facile obtemperabunt. Medicinæ vires, & mirificos effectus confirmabunt, ſuarum gratia, matronæ.

VI. Sin nulla fuerit nuptiarum opportunitas, ad menſes, (qui hac in parte ſecundas vendicant) omni auxilio, omni ope, & induſtria promovendos adnitendum eſt; ea ſpe, & fiducia fretis, *Arthritidos* materiam, & cauſam continentem, per eos facile commodeque poſſe perturbari. Atque hunc in finem *Martiata*, ſed, (ut illorum vires, & poteſtates, ad uterum recta collineentur,) aptiſſime cum *Emmenagogis* copulata, vel artificioſe interpoſita, fructum ingentem, meſſem ampliſſimam, pollicentur.

Si menſes omnino nulli ſunt, ex iis concreta, & compoſita, ad tempus diutinum & continens, cum exercitatione & purgatione debitis, adhibeantur. Si fluunt, ſed diminute, illi, interlunii tempore, bis die, *Martem* uſurpari proderit; ſed illo, quamprimum menſes inſtiterint, neglecto, ea dari, quæ hos ciendo naturæ rem (qua nihil efficacius, conducibiliuſve) ſuo ipſius more, promovebunt. *Marti* nullum aptius vehiculum, quam *Aquæ Martiatæ*, per urinam exeuntes; nec uno tantum nomine, *Pallidis* his *Arthriticis* conveniunt, coctionem integrant; ſanguinem exaltant; æſtuque exundanti, virus *Arthriticum* abluunt abripiuntque; tum *Arthritidi*, tum *Chloroſi*, ſimul adverſantes.

Horum autem uſui, & præmitti catharſin expediet, & ſeptimo quoque die circiter interponi, ne ab aqua in corpore alicubi reſtante, aut ab alvi tarditate, aut a ſanguine roborato, nimis evecto, exaltatoque (quod ſæpiſſime ſolet accidere) ſit periculum. Cujus quidem modi catharſeos intercalationem, ab antiquis ſummo conſilio præceptam, & diligenter inſtitutam, non ſine ægrorum incommodo, & diſcrimine, dudum ab aliquibus omitti video.

Quæ vero reliqua generalem morbi hujus curationem reſpiciunt, & materiam νοσερὴν, par renes expellentia, ſive ortum ejus & incrementum inhibentia, complectuntur, ex *Arthritidis Primigeniæ* prophylaxi non inutiliter ducantur. Atque hæc de *Arthritide*, quam, quod *Albarum* eſſe reperiatur, appellamus *albam*.

VII. Alia eſt *Arthritis Symptomatica*, priori propter affinitatem adjungenda, quæ adultas, (ut jam dicta juniores,) quæ ſteriles affligit, & catameniis, aut omnino nullis, aut aliquanto parcioribus, donatas. Hac affectæ craſſiori plerumque habitu ſunt, viragines, ſedentariæ, voce gravi, neque ſemper imberbes; Morbus, *Arthritidi Frigidæ* appropinquans, negligenter, & languide Παροξύνει; Junctiuras denique recrementis explet, motu privat.

Occluſa nempe, quam charam, quam utilem, quam amicam habuit naturam, per catamenia ſanguinem expurgandi, via, materiæ vis in eo conſtructa & coacervata eſt: quæ, graves & periculoſos inferendo morbos, œconomiæ crebro miſcet, turbat, evertit omnia. Sin materiam natura vincit, porta hac vel ilia, eam expellit, nec raro in articulos trudit, Dædala rerum conſervatrix.

VIII. Iſta vero, non niſi corporibus *Arthritidi* perferendæ (malitia vel acquiſita, vel hæreditaria,) præparatis, obtingunt; & illa potiſſimum ætate, quæ provectior, & ingraveſcens, per methodos ſuccedaneas naturæ defectus ambit quodammodo reſarcire.

Et quoties a laudabili deſideratiſſimoque κατορθώματι deſciſcens, natura *Arthritidem* molita eſt, raro utique preſſus retro agit, raro catamenia renovat; quin *Arthritidi* impoſterum inſiſtens, illius beneficio vitam quam poteſt longiſſime, quamque beatiſſime producit.

IX. Cum mali hujus partu allevandi ſpes omnis fruſtrata, & a catameniis obſcura eſt, & tenuis; eam medendi legem optime poſſe fructuoſiſſime ſervari judico; quæ, per *Cathartica*, materiam peccantem, in ſanguine congeſtam, & res novas affectantem, expellit. Ut autem illa ægrarum conditioni quadantenus accommodentur; primum eligantur ea, quæ ſanguinem fundendo, & a ſeſe illius partes ſeparando, menſium movendorum expectatione Medicum accedant; (hoc autem modica doſi, potius quam magna, fieri certiſſimum eſt,) Tum, ad eundem finem, *Emmenagogis* implicentur, & fiant *Purgationes*, quæ dicuntur *Hyſtericæ*. Poſtremo, omni tantummodo menſe alterno, (nec quidem amplius, ne purgatione nimis libera & frequenti, materia alio ablegata, menſium ſpes interrumpatur) eaque lunæ quadrante, qua præcipue ſanguis ζυμοῦσθαι, & ſe attollere cœpit, vere & autumno, iterum ſæpiuſque repetantur: nec, quæ earum vires infringendo retundant, aut motum ſanguinis inteſtinum ſufflaminent, admittantur, hora ſomni, poſt purgationem, paregorica, e. g.

℞. *Calom. quinquies ſub.* gr. xv. *ſpecier. Conf. de Hyac. Conf. Roſ. rubr. aa* ℈i. *Syr. de Symph. q. ſ. f. Bolus, ſera nocte deglutiendus.*

℞. *Pil. de ſuccino* ℈i. *Aloes Roſat.* ℈ß. *Aſſæ fœtid. Pul. Caſtor. ſcammon. aa* gr. v. *Balſ. Per. q. ſ. f. Pil.*

Si iſto ritu purgatio, in hujuſmodi *Arthriticis* celebretur, de catameniis poſtliminio reſtituendis ſpes affulgebit aliqua, (modo ætas, & naturæ ordo conſentiat) aut, ſi votis & expectationi non reſpondeant iſta, capiti tamen, & partibus internis, per catharſin certiſſime cavebitur, ne a pleuritide lædantur; quod quidem minime ſpernendum, atque adeo ſtudioſe laborandum.

X. Si menſium ſpes fefellit omnis, neque reſtat ulla illius anchoræ fiducia, majori quantitate catharticum (*Aloeticum* autem eſto; vel *Decoctum amarum purgans*) illoque menſis tempore, quod ſolebat eſſe eruptionis, εὐκαίρως adhibendum: Tum, ano materiam quod emittat, itaque menſium vices ſuppleat; tum etiam *Arthritidis* (quæ hominibus hiſce auro contra, & cum vita æque, pretioſa,) ſpei quod indulgeat. Quæ quidem regula, tam illi commoda, tantique (ſi appoſite obſervetur,) eſt momenti, ut nihil ſupra.

Hiſce porro ex uſu erit fonticulum aperire; aut, ne vetus exſiccetur, inſpicere: Et, ſi quod per fluorem album, vel aliud quodvis, παρὰ λόγον, erat excrementum; ut permaneat, perduretque vel etiam in ægrarum commodum augeatur, eniti.

XI. Corollarii vice, memoria tenendum, in iſto pari *Symptomaticarum* impugnando (Dii Deæque!) quantum interſit; altera purgationem non niſi levem, & raram eligit, altera, tum fortiorem, tum frequentiorem; altera eam, non niſi alterantibus, (id eſt, principali auxilio) viam præparantem: altera, tanquam ipſum principale; altera Chalybem deſiderat, & in eo fere ſpem ponit omnem; altera eundem metuit, fugit, ut fatalem abhorret. Brevi dicam, altera ſanguinem augeri τῷ μιτεωείζεσθαι; altera minui, & deduci, poſtulat. Adeo nempe contraria *Symptomaticis* hiſce therapeja; imo, ut fieri poteſt, in eodem corpore.

Hiſtoria Arthritidis Vagæ, Fixæ, ex Chloroſi, fugatæ.

VEteris *Arthritici* Filia, duodeviginti annorum, ventriculi dolore quaſi colico, cum faſtidio, nauſea, vultu pallido, reſpiratione moleſta, menſium defectu, aliiſque ſymptomatibus *Chloroſin* oſtendentibus, afflicta eſt. Poſt annum, materia quædam artuum commiſſuras, earum autem intervalla magis, occupavit, diu, miſereque cruciavit. Teneritudinem, torporem inibi, doloremque peperit, acerbum: aliud ex alio. Ceſſavit interea ventriculi dolor: perduravit Ἀνορεξία, Δυσπεψία.

Dum ita ſe res habet, primo emeticum, tum catharticum, meo conſilio, datum eſt; & deinceps iteratum. Ob atroces, & fere continuos artuum dolores, ſanguis detrahitur. Poſt quas evacuationes, ad appetitum acuendum, ad ſanguinem evehendum, & menſes ciendos, (quem mihi ſcopum hac in re palmarium propoſui,) *Martis Nutriti*, ℈ß. cum vehiculo convenienti, bis die deglutiit. Et omni mane aquarum ferratarum, *Totoneſii* in ſuburbiis, ℔ij. exhauſiis; cum ſp. vol. Oleas (ad Διάρεσιν, & calorem augendum,) guttis circiter triginta. Hac methodo menſes perplurimos, interpoſito ſubinde lenienti, obſervata: dolor iſte rheumaticus: (ſic habebatur,) & teneritudo primum mitigantur, demum in totum fere devincuntur. Viget appetitus & digeſtio. Aliqua ſunt catamenia. Facies colorata fit & vivida. Scintillant oculi. Salus ex omni parte perfectior & integrior; niſi quod tumoribus albis, mollibus, teneris, & (ab iis) Δυσκινησία junctiuræ artuum infeſtentur. Quæ quidem accidentia tempeſtate pluvia plus ſolito ſæviere.

A *Rheumatiſmi* (ſic perperam dicti) exitu, triennio vix elapſo, tumores indureſcunt, & nodi fiunt tofacei, tum numero plures, tum magnitudine conſpicua; ſed & diverſa, & longe diſſimili: alii namque granum triticeum; alii piſum; alii nucem æquantes avellanam, digitorum articulos, eorumque regiones tumefaciunt; in articulis, permanentes; ſed in eorum interſtitiis, evanidi, inconſtantes. Erat dextri ſummitatis cubiti cæteris major; nuci juglandi par; initio mollis; ſenſim exinde lapideſcens. Juxta cubitum ſiniſtrum, tumor albus eo tempore digito cedens, in tofum abiturus. Adhæc pruriunt artus, & quidem moleſtiſſime; & emittunt puſtulas. Per biennium iſta *Podagræ* tulit ſymptomata, ſed lenis, ſed benignæ; neque toto hoc tempore, vel ſemel unquam, in paroxyſmum evectæ. Ab ejus ortu, ventriculo, & iis quæ ſunt intus, bene; ob illam artus aggredientem, procul dubio melius. Menſes, per univerſum hoc biennium, mediocres.

Anno incipiente 1700. præter iſta, quæ memoravi, *Arthritidos* ſymptomata, de ventriculi (præſertim a paſtu) dolore, inflatione, aliiſque Δυσπεψίας indiciis, porro quiritatur. Ut therapiam, tum ad iſta præſentem, tum prophylacticam, inſtituerem, Auctor eram (ἄνω κ᾽ κάτω ſæpius præmiſſa catharſi, & primis viis uti par erat exoneratis,) ut, per quatuor menſes, omni mane, ſextam inter & octavam, aquarum ferrat. ℔ij. (quarum ℔ß. foliis *Theæ* alternanda) ebibat. Decima ſequenti, hauſtum infuſi.

℞. *Summit. Trifol. paluſtris. Pug.* ii. *Aq. Pluviæ bullientis* ℔ß. *Infunde ad Amaritiem ſufficientem: Colaturæ Coch.* v. *adde ſp. Junip.* ℥i. *Tinct. Aurant. gutt.* x. *f. Hauſtus.*

Quarta pomerid. Bolum e Conf. Trifol. paluſtr. Flaved. Aurant. aa ℈i. *Millep. pp.* ℈ß. *Chal. Nutriti* gr. v. *Syr. Garyoph. q. ſ. cum leni Cathartico ſubinde repetendo.*

Interdicta, per totum hunc Decurſum, Cereviſia, Potui dabatur Ordinario Decoctum. ℞. *Rad. Chinæ Sarſæ aa* ℥iß. *coq. in Aq. fontis Ferratæ* ℔iv. *ad* ij. *Colaturæ adde Spiritus Juniperi, cum ſacchari Cryſtallini, q. ſ. f. Decoctum.*

Veſcebatur εὐπεπτοις, εὐχυμοις, *& Sanguinem temperantibus, ſummitatibus ſcil. Beccabungæ, Naſturtii Aquatici, & Hortenſis, Urticæ, Rapa, Battata, Piſo, Paſtinaca, una cum Agnina, Pullina, Vitulina, & iſtiuſmodi aliis.*

Harum rerum obſervantia diligenti, ſedulaque corpus ægræ νεωτειίζεται. Nodi partim minuuntur, partim evaneſcunt. Pruritus ceſſat: tolluntur puſtulæ: augetur appetitus: coctio perficitur: ſanguis, expulſo per renes utrumque inimico, fermentationem, & Πγεύματωσιν acquirit naturalem; quam monſtravit εὐχροια, εὐσαρκία. Quod auſpicatiſſimum judicavi, recte poſtea fluxere catamenia, & quo rectius, eo certius fugatur, cum ſatellitio ſuo, *Arthritis*. Ut, neque puſtulæ, neque pruritus; neque Tumor; neque dolor; jam, per annos perplures, ex eo tempore, reverterentur. Quod quidem indubitandum, optimæque fidei Argumentum: *Per Emmenagoga &c. poſſe hujuſmodi Arthritidem, etiamſi Nodoſam, & Hæreditariam, auferri depellique.*

CAPUT IV.

De Arthritide Hydropi ſuperveniente.

ART. I. AD alteram illam e *Symptomaticis minus propriis*, ex recenſione principio dicta properamus; nempe ad *Hydropis* ἐπιγέννημα: eoque libentius, quia crebro hoc occurrit, & uti ſpero, in hujuſce populi commodum & tutelam explicetur.

Quod *Arthritidi* ſuccreſcat *Hydrops*, eſt facile perceptu, & ordini, quem in hominibus e medio tollendis, ſervare ſolet natura, maxime conſentaneum eſt: At, e contrario, quod *Hydropi Arthritis*, etiamſi aliquando accidit, tamen; naturæ methodo quaſi inverſa factum, inter ejus Δυσκόλια non inique cenſeatur.

II. Ut de re tam utili, tam jucunda, tam explicatu digna, pro ejus dignitate, quantum potero, dicam luculenter; advertere oportebit, quod ab hepate, aut viſcerum aliquo nobiliori, ſive ſcirrho, ſive alia quavis indomita labe vitiato, quicunque ſit *Hydropicus*, rario is Ὑδρογειᾷ, &, quo nobiliori, eo rarius: Hoc enim in caſu, ſic in pejus ire ſolent omnia; ſic corruere; ut ſi qua olim emicuit *Arthritis*, a morbo graviori, & magis imperioſo, (totas ægri vires totum hominem exertente & fatigante,) ei plerumque officiatur, tanquam majoris morbi auctoritate victæ, & paroxyſmum raro unquam recte facere contingat: Verum in corpore taliter affecto corruptoque rariſſime omnium exoritur, & naſcitur *Arthritis*.

Sin ea fuerit *Hydropis* ratio, quod, ſalvis viſceribus, aut parum læſis, ab una partium ſanguinis ἀμετρείᾳ, & malo ejus habitu, (ad viſcera

scera contaminanda, quantumvis apto, & proclivi) ducat originem; ex eo, præsertim medicato, exoriri posse *Arthritidem*, iterum & sæpius observavi.

III. In eo sanando, sive *Anasarca*, sive *Ascites* sit, cum aquæ quod abundat jam prius emissum est, amaris & chalybeatis, tum ad corrigendum sanguinem eumque roborandum, tum mehercule in primis ad eximendam A'νορεξίαν *Hydropi* familiarem, ex usu medico, insistimus. Quæ quidem medicamenta in exaltando sanguine tanti sunt momenti, tantarum virium, ut, si æger nec ætate neque morbis fuerit debilitatus, idemque seminium habeat in sanguine *Arthriticum*, exulante eo & in articulamenta misso, ex *Hydrope* in *Arthritidem* persæpe recta progrediatur.

Imo quidem ita fieri potest, & aliquoties evenisse novi, ut, ubi consistant vires, & *Arthriticum* miasma in sanguine copiosum, efficax, & jam ad ἀκμὴν evectum, insit, absolutis quæ ad *Hydropa* exsiccandum opus erant, evacuationibus, & salvis naturæ viribus, sine dictorum, vel istiusmodi alterantium usurpatione, *Podagra* quidem afficiantur.

IV. Utcunque fuerit, natura (sive per se, sive medicamentis adjuta,) novos init operandi modos, novam ambitionem. Spiritus, qui in œconomia animali tuenda sustinendaque indesinenter occupati, omnem absolvunt operam, totum opus perficiunt, mala vitæ ratione dudum oppressi, & fero fere submersi, *Chalybis*, cæteraque *Alterantium* vi suo tempore (hoc est, remotis impedimentis) exhibita, tandem incitati emergunt, denique Αἱματωσιν promovent genuinam; appetitum, & coctionem emendant; materiam e sanguine pellunt alienam; itaque eam instaurant, depurgant, & longe reddunt vegetiorem.

V. Dum in his versantur, si seminium intus latuerit *Arthriticum*, (diu vero, & silentio latuisse, sæpenumero comperimus, nec in paroxysmum evehi,) ad illud amoliendum, expellendumque iisdem hi urgentur medicamentis. Hinc in sanguine primum discordia; tum, ea paulatim glisscente, (ut in veneno, si quod demissum fuerit, eliminando,) orgasmus, supra naturæ modum, (qui lenis usque & placidus esse solet) supra tenorem ordinarium, vehemens, & cum impetu. Ad exturbandum inimicum, summis undique viribus & copiis, omni industria, contenditur. Hic labor, hoc opus. Post aliquot dierum luctam (est ut citius) iste fugatus, & loco cedens, qua data porta viam capessit. Articulum aliquem externum petit: dolorem, aliaque profert, *Arthritici* quæ sunt paroxysmi signa Παθογνωμονικά.

VI. Bono quidem omine, in conspectum venit hujusmodi *Arthritis*. Est, quod ovans exclames, *Arthritice*!

Χαίροις, Μακάρων πολυπραοτάτη.

Morbum enim vix ausim appellare. Descendens cælo, te salutat, *Diva Arthritis:* (Feret hæc *Latinitas*!) Tum Annos elargitur, tum valetudinem, si non integram, & omnibus numeris beatam, certe desiderabilem: & medentium, & dolentium encomiis celebratam: divinam hospitem, fac, grate accipias; fac, colas.

Ita natura, prioti sanguis δυσκρασίᾳ ferme obruta, *Hydropis* edit symptomata; at brachia secundo agitans, & sese colligens, aliam rerum faciem, aliam inducit symptomatum catervam, atque adeo *Arthritidem*.

VII. Ex prædictis sequitur, quam nulla hic loci necessaria, quæ adversus hanc *Arthritidem* (speciose, scilicet!) cudatur, therapia. Quorsum enim ad tollendum morbum medicina, cum ipse morbus sanat; utrique pharmaciæ armamentario præferendus; *Chimicorum*, & *Galenicorum*, copiis, universæ gentis medicinæ consilio major; viribus potentior.

Si recte rem putemus, in eo potius sudandum est, ut *Arthritis* ista non tam obtundi possit, quam ordinari & augeri; utque æger, morbo primario feliciter & prospere commutato, nutriat *Arthritidem*, foveat, tueatur, servet.

VIII. In hunc finem *e Regno Vegetabili seligantur Amara, & Antiscorbutica acriora, Radices scil. Gentianæ, Zedoariæ, Serpentariæ Virg. Contrayervæ, Ari, Armoraciæ &c. Summitates Agrimoniæ, Centuarii min. Trifolii fibrini, Cardui ben. Absynthii utriusque Salviæ tenuifol. Verbenæ, Chamædryos, Scordii, Marrubii alvi, Matricariæ, Cochleariæ &c. Flores Salviæ, Chamæmeli, &c. Semina Cochleariæ, Cardui, Sinapios &c. E Regno Minerali, (quod instar omnium erit,) Ferri Præparata; præcipue Mars cum Sulphure præp. Martis, Alcohol. sive Pulvis subtilissimus, ejusque Tinctura.* Quæ quidem *Singularia*, cum eorum similibus, sunt in hisce auxiliis; & forma convenienti composita, & quantitate & methodo rectis exhibita, summo erunt præsidio, tutelæ optimæ. En brevem curationis Scenographiam.

IX. *Sumat Æger, (Hydrope, Medicina propria, & peculiari, prius sublato,) omni mane, Canarini Simplicis, vel Rhenano, si usus fuerit, diluti, Rad. Gentianæ summit. Agrimoniæ, Centaurii min. Cort. ext. Aurant. alterati, coch.* vi. *cum Tinct. Martis gutt.* xx. *& (si videbitur) Sp. vol. oleos. gutt.* xx. *Quarta pom. Bolum, e Pul. Rad. Ari C. Conf. Fol. Abs.* ℔. *(vel Flor. Salviæ) ana* ℈i. *Alcohol. Martis* ℈ß. *cum Syr. Garioph. q. s. Hora decumbendi, Pulv. Serp. V. & Zedoariæ, (vel Contrayervæ) aa* ℈ß. *cum Syr. Abs. Simp. q. s. ut f. Pilulæ Bolo, & Pilulis, superbibat Julapii Coch. quatuor, vel quinque.*

℔. *Aq. Cardui, Gent. Comp. Cin. hordeat. aa* ℥v. *Abs. Comp.* ℥i. *Marg. pp.* ℈ß. *sacch. q. s. f. Julapium.*

Quibus insistat, menses binos, vel etiam ternos; cum Purgatione, Septimo, vel Decimo, quoque die intercalanda. Eaque prout opus fuerit, exinde repetat.

Ad nauseas & ægritudines subitas, quibus ventriculi vitiis, istiusmodi homines, præcipue poculis si indulgent, non minus quam a conceptione mulieres, affliguntur; quoties perneccssum erit, *Canarini Zedoaria medicati momentum: quod nempe viribus suis reficiat ventriculum, & focillet: quantitate vero nimia non exurat.*

Cerevisia Rad. Armoraciæ, Summit. Trifolii fibrini, Marubii albi, vel Salviæ tenuifol. siccat. Seminibus Cochleariæ, vel Sinapios, Infusis, alterata, in potum ordinarium ministretur.

X. Quinetiam, licet abdominis lacus, tibiarum tumor extiterit omnino nullus; ad *Hydropa*, quasi furca, propellendum, artis erit, in corporibus ei recipiendo pronis, vere & autumno præcipue, bis terve, alvo, debitis ex intervallis, aquam detrahere; itaque ne recrudescat *Hydrops*, efficere.

Porro, ad eundem scopum oculum manumque dirigens, in eligendis, tum ad arthritida invocandam, tum ad intercalarium, hydropa propulsandum, medicamentis; cum, *Arthritidem* inferri, spes & consilium est; e re futurum arbitror, drasticum & stimulans (quo in paroxysmum sanguis citetur) leniori cuivis & mitiori, utut iterato longe præponere. Quo circa *Tinctura Sacræ* ℥. *ad* iii. *aut Pil. e Duobus* ℈i. *ad* ℈iß. *aut Aloes rosat.* ℈iß. *Res. jal.* gr. v. *ad hoc Negotii præferre soleo.*

Sed & de liquidis ægrum quam maxime solicitum esse conducet; abdicataque si quam antea complexus est, inutili libertate, neque plus, nec aliud bibat, quam coctioni, & nutritioni, quod sufficiat. Quantitatem potus diminutam compenset generositate.

XI. Adhæc, in ruinis sarciendis quoniam occupati sumus, nec ad propositum faciens vel minutulum quodvis, ex prudentia medica, præteriti decet, e lecto mane, pro anni tempestate, quam primo urgeat æger; ut motus, ut aprici fructus, & utilitates, decerpat, & in prandium magis esuriat. Vesperi mature cubet; ut spiritibus somno alendis reparandisque sit tempus opportunum.

Quinimo, dicta medicamenta quo prosint magis tum etiam alias ob causas, apprime confert, ut æger, bis die, sub Jove, corpus exerceat, ad calorem usque vel certe, quam enixe vires ferent. Unde motus sanguinis tum intestinus, tum periodicus, intendatur; humores effœti, & emeriti amandentur; spiritus animales recreentur; appetitus ad vigorem pristinum & latratum naturalem reducatur; & œconomiæ ratio usquequaque renovetur.

Quæ quidem res a nobis eo lubentius in præceptis ponitur; quod ab *Hydrope*, seu potius ipsa morte, beneficio *Podagræ*, quos ego novi redemptos, horum pars major, laboriosis illud exercitationibus aliquatenus acceptum retulere.

XII. Ab *Hydrope Arthriticorum* quotquot dictam methodum meo hortatu ire, rectcque percurrere commemini, nemo unquam miserc, nemo, (quantum intelligere possum,) calamitose doluit. Deinde, quamvis alius liquidis, neque paucis, neque probatis indulgeret: alius ad *Hydropa* maxime proclivis cerneretur; nemo tamen horum, eo, jam per annos complures urgetur recidivo: Non pauci integre satis, & alacriter egere: Aliqui vero sic, *Arthritida* si demas, ut raro unquam melius. Quod quidem, notatu dignissimum, *Arthritidi* potissima ex parte deberi, agnoscendum est.

Has ob causas, nullis certe elogiis hanc *Arthritidem*, ejusque in accessu, opportunitatem, in paroxysmis, clementiam, in *Hydropicis* sublevandis, perpetuitatem, in defendendis, constantiam, optima promerentem encomia, digne me, & uti par est, prosequi posse existimavero: multiplici usu, variisque doctus experimentis, eam *Hydropicis*, præsertim senioribus, esse sum[illegible]m, & securissimam spem, columen, & tutelam.

Quanta vero adversus *Hydropem Arthritidis* est potentia; tantæ profecto medicinæ, quæ *Arthritidem* primo novam introduxit; quæ postea tardam accessit; quæ denique segnem & languentem excitat (pace vestra liceat dixisse) vires & utilitates.

Si *Arthritidos* hujus symptomata, perpessu graviora, medicinam postulaverint, *Primigeniæ* doctrina deprimi potest.

Hist. I. *De Arthritide, Hydropi probe curato, feliciter accedente.*

NObilis quidam apud *Damnonios*, a nativitate obesus, nondum annos assecutus viginti quinque primum quieti plus solito indulsit (quod a corpulentia fuisse credebatur.) Deinde sensim levi quavis de causa, frigus contraxit: tussi creberrime gravatus est; catarrhis subinde pene obruitur. Sub idem tempus somnolentia tristi & periculosa, paulatim obrepente, tenebatur; ut mensæ accumbens, vel cibi capiendi, vel ludi gratia; aut rebus quoquomodo arduis implicatus brevi temporis spatio, nec absque casus periculo, nutaret. Hisce circiter diebus, pedes late accepti, & deinde venter, retento intus fero, gradatim extumebat. Pedes impressionem digiti facillime accepere. Venter (quod ipse non sine quadam admiratione sum expertus) pugnum fere dimidiatum. Hypogastrium occupavit externum aliena quædam materia, partes cuticulares tumore duro & inæquali, variato, plus minus purpureo, & postea nigricante sic obducens, ut gangrænam præ se ferre judicaretur. Porro sitis, & respirandi difficultas (ob ventris ὄγκον, & diaphragma in thoracem elatum,) impensissime urgebat. Urina interim exigua, subrubra, turbida, vultus ægri demissus, pallidus; vox humilis, tremula, languens. Ægre tulerunt familiares, virum, ortu præclarum, gentilitii nominis principem, patriæ decus, & ornamentum, ipso ætatis flore, morte tam inexpugnabili, tam immatura, surripi: Quod tamen in fatis esse putabatur, & percrebuit.

Cum pectore laboravit, & difficili spiritu, *Tinct. Sulf. gutt.* xii. *ex Syr. Balf. Coch.* i. *deglutiit, simul Julapii cum Perlati Haustu.* Quo præsentissimo remedio, spirandi spatium & anacatharsis multum & æqualiter augebantur. Contra vitium abdominis, atrox certe, terribile, *Decocto sequenti* lanea, per expertissimum Dominum *Jac. Jenkinson*, Chirurgum hujus civitatis ordinarium, immerguntur: &, liquore expresso, calidissime creberrimeque imponuntur.

℔. *Summit. Abs. Rom. Menthæ, Cardui ben. Abrotani aña Mii Bacc. Lauri vulg. sem. Fenic. dul. Carvi ana* ℥i. *Coque in Cerevisiæ fort.* ℔vi. *ad* iii. *adde postea sp. vini vulg.* ℔i. Potu isto tempestive adhibito, venter restituitur.

Ad *Hydropa* tum me, aliquanto post, accingo. Huic ut occurratur, quam primum tuto fieri potuit, *Pil. Rudii* ℥ß. *Res. jal. gr.* v. *cum Balf. Per. q. s. niane deglutiit*; & ex voto quoniam pilulæ operabantur, ad vices octo vel decem, a bidui vel tridui intervallo illas repetiit; eo nempe usque dum seri, quod erat nimium, omne deturbatum est. Eumdem etiam in finem *Tinct. Diureticæ gutt.* xxxx. cum *Vini albi* haustum, bis die, purgatione liber, assumpsit.

℔. *Millep. siccat. & pul.* ℥ii. *Coccinellæ Pul. & N. M. ana* ℥i. *Sp. Juniperi, & vol. Oleosi ana* ℥i. *Misce, & Vitro arctissime clauso, Igne Arenæ, per noctem, digere; Mane, per Emporeticam filtra Tincturam Diureticam.*

Cerevisiam dedimus libere medicatam.

℔. *Summit. Cochlear. Miss. Radiculæ, sem. Sinapios ana* ℥ii. *Coccin. N. M. ana* ℈i. *misce infunde in Allæ mediocris* ℔ii. *pro potu ordinario, usus tempore colandæ, & cum simplici Alla temperandæ.*

Absoluta hoc modo *Hydropis* curatione, ad ejus prophylaxin animum applicui, ea præcipiendo quæ sequuntur.

℞. *Conſ. Flor. Salviæ, Flaved. Aurant. ana* ℥vi. *Pulv. Rad. Ari Comp.* ℥ß. *Salis Martis Riveriani* ℥ii. *Syr. Garyoph. q. ſ. f. Elect.* ℥i. *bis die, cum Hauſtu Julapii. Nonnunquam, ejus Vice, Tinct. Martis gutt.* xx. *cum eodem vehiculo. Singulis autem diebus quartis quintiſve, ad ſex vel octo vices, ne abundet ſerum, & Syrupo ſequenti Catharſis iterata eſt.*

℞. *Diagrid.* ℥vi. *Pul. Cinnam.* ℥ii. *Sp. Vini* ℔ii. *Uſtulando coque ad dimidium; Colaturæ adde Sacchari Cryſtallini* ℔ß. *f. Syrupus. Doſis* ℥j.

Hiſce diligenter uſurpatis, non ita diu poſt dolore primum convexi pedis, tum vicini calcis, poſtremo, digiti majoris articulum majorem mordente, afficitur. De contuſione, & ad limen neſcio quod illiſione (qui iſtiuſmodi affectorum mos eſt) initio queſtus, de *Podagra* tandem minime dubitavit. Partim evacuantibus, partim cardiacis, ad paroxyſmum effertur miaſma *Arthriticum*, quod ad eum uſque diem in obſcuro poſitum, ne hilum quidem micuit. Paucos aliquot dies duravit paroxyſmus; (ideo forſan pauciores, quod humorum ano tanta vis ejiceretur;) omni hyeme, & autumno, jam per quadriennium elapſum, ad unam circiter hebdomadam, conſtantiſſime redux. Ad tollendam Ἀγρυπνίαν, & dolorem minuendum, *Frictione* utitur, manu molli, tenerrime peracta, qua ſola quies, & ſomnus illi conciliatur.

Ab iſta medicina, vix concipi poteſt, quantum ægro eſt emolumenti: Primum, a *Catarrho* plane liberatur; tum a *Gangræna* (medius fidius) imminente; tum ab *Hydrope*; & dira ejus ſymptomatum Cohorte; tum a *Somnolentia* pertinaci graviſſimaque; tum denique ad ea profligandа omnino omnia, inducitur *Arthritis*; felici quidem omine, auſpicio ſaluberrimo, nam, a prima ejus acceſſione, *Catarrhus*, & *Somnolentia*, prorſus evanuere; *Hydrops* effugit.

Vere & autumno, in majorem cautelam, ſeptimo quoque die, ad tres vel quatuor vices, *Mannæ* ℥iii. *Aq. Aldfordenſis* (*ſummit. Abſ. Rom. parum alteratæ*) ℔ii. *ſolutas, hoſce per dies, ingerit.* Medicinæ vero præterea nihil.

Corpus hodie præcraſſum expedite movet: equo identidem exercer. Ab hoc affectu, uxorem iterum tertioque gravidam fecit *Arthriticus*, & quidem nunc primum, etſi jam pridem maritus. Una *Arthritide*, ſed nec ea gravi, affectus, vitæ ſpem præbet tum multæ, tum incolumis: *Damnonium* vovet.

Hiſt. 2. De Arthritide, Aſciti, ejuſque Remediis auſpicato agnata.

VIr quidam ætate conſtanti, cum, ex mala vitæ ratione, ventriculus læderetur, coctio depravaretur, ſiti permoleſta inexplebilique urina pauca, & lixivia, corripitur. Quibus ſupervenit tumor primum pedis infimi, & cruris; deinde femoris, & demum abdominis; ſeroſus, & digito cedens; *Aſcites* ſcilic. exquiſitus, omnibus numeris perfectus.

Ad affectum ancipitem, &, ubi primum me arceſſivit, inveteraſcentem, quin & jam diu rationalem medicinam eludentem, extirpandum, cum in primis neceſſarium erat, ut humores, in lacum confluentes, vel catharſi, vel diureſi, amandarentur; tum, ut appetitum quæ exacuant, coctionem inſtaurent, ſanguinem corroborent, ea exhibendo, *Tumores* arcerentur; *per Vini ſcillit.* ℥iß. *Per extracti Enſtach.* ℥ß. *Reſ. jal.* gr. v. (*Calom.* gr. xvi. *ad* xx. *alternis vicibus adjectis*) *cum Syr. Domeſtici q. ſ. ut f. Pil.* utriuſque generis facta eſt *Purgatio*; & veſpere, poſt utriuſque vices ſingulas paregorici beneficio, *Quies*. Poſtea, quoniam vires ex διαφορία conſenſere, Pil. vice, *Bolum ex Elaterii* gr. iii. *Diacrid.* ℈ß. *Conſ. Viol.* ℥ß. *Syrup. Roſ. ſolut. q. ſ. deglutiit. Diuretica* Chartulis ſeponuntur, & aliæ mediocris, in potum ordinarium modica quantitate detrahendæ, totidem ampullis infunduntur.

℞. *Baccar. Junip. Milleped. ſiccat. & Pulv. Sem. Dauci, Pul. N. M. ana* ℥ß. *Summit. Abſ. R.* ℥i. *miſce.*

Catharſi crebro, & donec aqua omnis educta eſt, diebus primum alternis, deinde tertiis, quartiſve, repetita, ad alteram indicationem, ea quæ ſequuntur, adhibeo.

℞. *Tinct. Myrrhæ* (*Liquore Nitri fixi prius ſolutæ; tum Spiritu Vini rectificato extractæ,*) ℥ii. *Pul. Gent.* ℥ii. *Macera per noctem; mane f. expreſſio Tinct. Stomachicæ. Doſis gutt.* xx. *cum Tinct. Martis totidem, & Vini Hauſtu, horis duabus medicinalibus Catharſi interpoſitus. Poſt Catharſin ut Digeſtivis ſedulo inſiſtamus, manc. Tinct. Martis. Hora ante prandium, Canarini, & Rhenani, paribus menſuris, Gentiana alterat. Hauſtus. Quarta pom. Bolus Chalybeatus, cum Jul. Hauſtu.*

Quibus continenter ad menſes aliquot uſurpatis, & ex intermiſſione quadam ſæpius repetitis, *Eccropotico* nonnunquam intercalato; quinimo crebrius ſub Jove exercitationibus, liquidorum irem imminuta quantitate, debitoque *Sex naturalium* uſu, æger appetitu, & coctione recta de novo potitur. Vires redintegrantur, cum bono corporis habitu, cum εὐχροίᾳ καὶ εὐτροφίᾳ.

Poſt *Hydropa* fugatum, en brevi *Arthritidem*, dolore, tumore, pedum articulos occupante, conſpicuam. Ægrum illa jam primum adoritur: Poſthæc ſæpiſſime. Rictus ſub acceſſum acidus, fidum uſque ſymproma, præcurrit, & de receptione monet.

Profecto minime dubitandum, quin *Arthriticum* in hujus ægri ſanguine ſeminium, ante paroxyſmum, ad tempus aliquod, detuliſſet; forſan etiam *Hydropi*, licet occulte, ſymbolum contuliſſet: Neque veri minus ſimile, quod a dictis alterantibus *Arthritis* exciretur: quodque ex ea recte ſe habente, anni poſthæc ægro quam plurimi, per eoſque ſanitas obveniat.

Huc etiam addam, (rei tam lætæ infauſtum abſit omen) quod ex frigido viri hujus temperamento, & in ſerum abituro, ſequitur; cum demum eum vires deficient, & ingruet ſenectus (ὁ γὰρ ἥκεται μόνον) quamvis *Hydrope* jam per annos plures ſit immunis, nec denique ſuccumbat illi, cavendum eſt. Sed, ut quam poteſt diutiſſime ſe defendat, *Hydragogum* ſæpius ſumat, vitam agat temperatam, coctionem, ipſam utique ſaluris ſummam, tueatur religioſe, moneo & exhorror.

Demonſtrat Hiſtoria (cum præcedenti) poſſe *Arthritidem Hydropi* ſupervenire, poſſe iſtius remediis ſuſcitari.

Hiſt. 3. Podagra Aſciti, per Naturæ Vires, ſuborta.

DOminus D. vivido & alacri vir ingenio, ſummæ ſpirituum ὁρμῆς, neque *Venerem*, *neque Bacchum* nimio plus abhorrens, ætate media, ſiti immodica, urinæ exiguo, crurum & abdominis tumore, ſignis *Aſciten* oſtendentibus, afficitur. Ut affectu tam ancipiti ſe liberer quam celerrime, *Cathartica* & *Diuretica* præſcribunt, donec humor nimius pertinaci illorum uſu, exulat: itaque fauſte primis diebus ægroto ſuccurritur.

Natura onere ſublevata, ſuique iterum arbitrii facta, aere aprico, equiratione crebra pernicique adjuta, rebus ſuis ſerio incumbit, & quidem bonis avibus. Brevi enim *Arthritis* tum primum eluxit: Quæ ſemel bis ſtatis anni temporibus recurrens, ſanguine quod alienum erat expellens, eundem purum & inquinamento liberum præſtabat.

Huic ego (naturæ ut ſuccurram, & opituler) commendavi *Chalybis & Amarorum Compoſitiones.* Utramque *Xerano* miſtam, menſes quotannis plurimos, ſed interpolatos, & ſecundum varias anni τροπὰς idoneos, uſurpavit. Hinc avidius appetiit; perfectius coxit; rectius & commodius doluit.

Multos ille annos, gaudio & dolore variatos, ad uſque ſenium, ætatem prolongavit; optimo ſane cum eventu *Arthriticus*; *Hydrope* per *Arthritidem*, adeo poſthæc immunis, ut tametſi liquidis tenuioribus plus æquo indulſerat, nihil hinc tumoris, nihil *Hydropici*, ſuboriretur.

Convincit hiſtoria, (ſublatis impedimentis,) vel ipſius naturæ viribus, *Arthritidem Hydropi* poſſe ſuperaddi.

Hiſt. 4. De Hydrope, & per Diureſin & Abſtinentiam victo: cum Arthritide, per Amara, & Chalybeata famulante.

QUidam, e regione Sancti *M.* poculis & otio nimium indulgendo, vitiata coctione, congeſto Κακοχυμίας gurgite degenerumque plenitudine, ſuccorum cum vix ætatis medium exceſſerat, *Hydrope* corripitur. Facies illi pallida, ſpiritus difficilis, ſitis importuna. Urina parca & lixivia, venter inrentus. Ut malo occurrat medicus (certe ingenioſiſſimus) & laborantem ſublevet; primum, ab inutili libertate (ne quid gravius dicam) abſtinere ſuadet, utpote morbi fontem quod exſiccet, neque potionem ultra vult, quam ut vitæ ſatisfaciat, neque aliam quam diureticam. *Cinerem ideo Geniſtæ dedit, Potui cum Abſ. Rom. ſummit. admiſcendum.* Obtemperavit æger, neque plus libra, nec quidem interdum plus ſelibra, nyctheмeri ſpatio, ſorbillavit, per omnem abſtinentiam, quam cum congium quotidie exhauſit, nihilo magis ſitienter. Urinam hinc ubertim excrevit, aliquanto forſan uberius quod indies equitavit; quod quidem exercitandi genus haud parum ad Διάρησιν conferre, pervulgatum eſt. Seri facta ſupervacui expulſione, digeſtivorum ope cœpit de novo eſurire, concoquere, nutriri. Cibus, ita modica potione ſolutus, ξύμωσιν καὶ μετεωεισμὸν acquirit longe perfectiorem, quam immodica cum immergeretur. Brevi poſt dolore pedis afficitur, & genuino more ποδάγικὰ, deindeque ſæpiſſime Natura, (quæ ſemper πὰ δέοντα ποιεῖ) *Hydrope* liberata, & ſuarum rerum potita, *Arthriticum* miaſma, clam in ſanguine detentum, amolitur; idque quoties ſe contumacius extollere, aut criſtam illud erigere conatur.

Quando mecum, de ſalutis ſtatu ſervando, ſermonem habuit, temperantiam ejus laudavi, morborum victricem, expultricem optimam, ſaniratis obſidem fideliſſimam, & illius uſum, laudando, commendavit. Quo ventriculi ſervem εὐπραγίαν, necnon, in ſenium vergente ægro, labeſcentem ſuſtineam; Auctor ſum, *a prandio Canarini Hauſtum, omniumque mane Infuſi amari alterantis Coch. ſex cum Tinct. M. gutt.* xx. *bibat.* Hac & ejuſmodi methodo, multos ille annos vitam protrahit, *Aſcitico* omni tumore vacuam. Qui pedum erat exinde rumor, brevi, ſemper *Arthriticus*, evanuit. Uni ille *Arthritidi* & abſtinentiæ debuit, quod ſenuerat; &, præter ſpem humanam, quod valuerat.

CAPUT V.

De Arthritide Melancholica.

Art. I. EXpeditis *Æquivoci Ortus Symptomaticis* ad eas ſpecies, quæ ſunt *Univocæ*, quæque materiam, cum affectu primario eandem, ſed alio ritu operantem, alia φαινόμενα edentem, præ ſe ferunt, id eſt, ipſam operis partem potiſſimam, accedo.

Harum e numero, primas obtinet *Melancholica*; quippe quæ, tametſi *puram Arthritidem* eo uſque æmulerur, quo ad *Symptomatica*, (Κυριωτάτως ſic dictæ,) rationem & partes ſuſtinendas opus ſit; tamen ei diſſimillima eſt, & in ellipſi ſua diſtat *Univocarum* omnium longiſſime.

Ut vero rem occipiam, præter iſtam animi depreſſionem, quæ, genuinæ *Arthritidos* ſymptoma, paroxyſmos ejus pene omnes, & quo majores eo major, antecedit (alibi explicanda) alia eſt, *Melancholiæ* nomine inſignita, quæ ad menſes, ad annos, ſæpe perducta, arthritidem, inſultus recte & creberrime facientem, introducit.

II. *Melancholia*, quæ *Arthritidem* progignit, (de latius ſumpta dicere, in præſenti ἀπροσδιόνυσον) duobus pendet. Quorum prius ſpiriruum animalium a natura debilitas & reneriſudo. Revera, conſtitutio illorum delicata, ut perceptione homines & acumine, ut ingenio & conſilio præclaros reddit; ſic ærumnis, ſic etiam morbis ſubjicit. Ex eoque factum eſt, quod alias levi de cauſa in ἀπαξίας illi graviſſimas adigantur; quod alias humilirates, & depreſſiones patiantur afflictiſſimas; quod diutius inordinati *Melancholiam* oſtendant non raro immedicabilem.

Iſta vero illorum a natura debilitas, ſæpe ſtudiis impenſioribus, otioſo vitæ genere, & nimis ſedentario, nonnunquam morbis, inedia, vigilia, & aliis ejuſmodi ſexcentis, augetur & intenditur. Atque hæc ſpirituum debilitas, *Melancholiæ* non inepte προηγουμένη audit.

Poſterius, quicquid ſpiritus per ſe infimos (ſive extra, ſive in intermiſtum) afficiendo, *Melancholiam* parit προκαταρτικῶς.

Hujus autem ordinis ſunt humores pravi & vitioſi; vermes, aliæque res permultæ, primis viis, utero, hac vel illa corporis cavitate, collectæ, animi perturbationes, & in *ſex non Naturalibus* errata quam plurima.

III.

III. Hisce natus originibus, affectus iste (sive *Melancholia* dicatur, sive *Morbus Hypochondriacus*, sive *Hysterícus*) aliquando *Arthritidem* imitari, & ejus ritu pedibus, manibus, ægrum privare nititur. Hoc est, inimicum id, ac alienum, quod ante, (in fistula plerunque alimentaria spiritus urgendo) *Melancholiam* peperit; natura, novas agendi methodos, nova ineunte consilia, in articulos truditur, & *Arthritida* producit *Symptomaticam*.

Esse vero hanc *Arthritida* puram putam *Symptomaticam*, ipsa *Melancholiæ* causæ continente & proxima, generatam, satis (ut opinor,) eo constat, quod illa quoties exoritur, & ad gradum elevatur quantumcunque rata hæc & perpetua proportione deducitur. Qua quidem re, ad exponendam istius *Arthritidis* naturam, eamque in *Symptomaticarum* numero collocandam, nihil poterit persuadere magis, vel evincere luculentius.

IV. Interea vero temporis, non est reticendum, quod hæc *Arthritis*, præ aliis suæ tribus *Symptomaticis*, fere clementer se gerit, & junctam habet cum severitate lenitatem. Quod *Melancholicorum* sanguini, supra quam aliorum δυσμεταβλήτῳ; an eorum spiritibus segniter, & in materia separanda dimittendaque otiose se gerentibus; cuicunque demum causæ debeatur: de re sic in operto acta, tenebris sic obscurata, nullus ausim disceptare.

Sin *Melancholicos* indulgere Baccho aut Veneri (quorum alterum usitatissimum, alterum minime novum) aut etiam ad *Arthritidem* hæreditario propendere, contigerit; itaque habitos ea multum infestari, crudelius extorqueri: Nihil inde propositioni nostræ derogabitur, neque ex eo vacillabit illius veritas. Cum ista morbi acrimonia causis peregrinis adventitiisque oriatur, nec sit hujus qua *Melancholici*.

V. Ex miti hujus *Symptomaticæ*, (& uti solet esse) nimis leni ingenio, factum esse censeo, quod ea qui tenentur, in antiquum statum redeuntes, *Melancholia*, cum cito recidiva, tum magnopere sævienti, creberrime conflictantur. In ea videlicet delenda perimendaque, non multum facit *Arthritis* tam ignava, tam languens, tam socors vix sublevando affectui primario, nedum auferendo, par.

Ut *Symptomaticæ* hujus diagnosis apertius intellecta planius exponatur, de conditione pristina, de morbis ægri veteribus exquirendum. Quæ per se difficulter, ex hac indagine palam & facillime dignoscatur: e. gr. si æger diu melancholia, demum arthritide, laboraverit; & hac quo magis, eo remissius illa, maxime, si hoc iterum sæpiusque comparuerit; quin *Arthritis* ista sit *Melancholiæ*, nihil (ut existimo) dubitandum.

VI. *Melancholiæ Essentialis*, sive delirii cum tristitia, metu, &c. in *Arthritidem* migrantis, therapia, nondum usu confirmata, unicum enim morbi istius exemplum adhuc notavi, (idque imperfectum, & omne genus medicinam respuens) nobis hoc tempore prætermittenda est. *Arthritide*, Morbi *Hypochondriaci* sive *Hysterici*, sobole, cum affectorum vis abundat, ejus curatio paucis explicanda.

In hujus *Symptomaticæ* prophylaxi (nam in paroxysmo ejus, ultra quam veræ & genuinæ sanando, nihil habeo quod dicam) maxime juvabit alienum id ac inimicum, quod, in primis viis, (antequam sanguinem ingreditur,) morbi causa extat *Hypochondriaci*, sed e sanguine expulsum, & articulis suffusum, paroxysmum facit *Arthriticum* amandare, dimovere, amoliri; tum, ejus incremento, & regerminationi obstare; posteaque, depressos spiritus, medicamentis ex proposito datis, directe allevare, languentes suscitare, & erigere; itaque morbo huic universo, (qua primario, qua secundario) simul semelque occurrere.

Atque hunc in finem impedimenta, siqua fuerint in coctionis Ἐργασείῳ (nulla vero non esse maxime probabile est, primo quoque tempore, per catharsin, (alteram, vel utranque) tollere, ad ὑστερα depurganda, aliud *Stomachicum* (*Pil. puta Stomach. cum G. Dec. Amarum purgans., vel Aquas Purgantes*) seligere; ad inimicum, in sanguine contentum, foras eliminandum, aquas haurire diureticas; cum iis, *Alcohol Martis*, semel bis die, deglutire; omni hebdomada, ventrem movere; menses binos, his insistere; ad annos aliquot, repetere; cavendo alvi tarditatem, ex *Marte*; febrem, & *Arthritidis* paroxysmum.

VII. Ut horum nonnulla fusius ediseram; profecto tanti est, in hoc affectu, ventrem (ut dixi) crebro movere: & ab Ἀπεψίας reliquiis immunem præstare, ut, vel eo solo, *Aquis præcipue purgantibus*, *Tartaro Laxanti*, & *Manna* peracto, (*Arthriticum* ex *Melancholia* non unum, egregie saluti prospexisse; noverim. Tempori protutbatur id, quod illico spiritus, ventriculi & intestinorum fibras incolentes,) adoriendo, mœrorem affert *Hypochondriacum*; vel, in articulos effusum, *Podagræ* paroxysmum.

Cum primis autem prodest hujusmodi affectis antedicta *Solutio*, quod blande alvum, quod leniter, quodque certissime, subducat; iis, qua *Melancholicis*, qua *Arthriticis*, (neutro enim nomine, fortiora, & δρασικώτερα convenient) aptissime.

Sed nec *Aquarum Diureticarum* vim (quales sunt *Bathonienses*, *Astropenses*, *Bamptonenses*, aliæque permultæ) adversus hunc affectum, satis prædicare valeo; vel, ut decet, laudem illis deferre. Coctionem illæ conciliant, digestionem: illæ confirmant: illæ sanguinem expurgant: illæ spiritus permulcent: illæ *Melancholicis*, & *Hysthericis*, solatio: illæ *Arthriticis* incolumirati.

Quibus nulla suppetit *Diureticorum* copia, usui sit *fusum Theæ*, aqua pluvia comparatum, a ℔ ß. ad j. bis die, potum. Nam per renes sanguinem, modo diu satis usurpetur, eluit; &, ad *Vapores* (qui dicuntur) relevandos, ad *Hypochondriacos* flatus sopiendos, confert mirifice.

Quæ per tot sæcula *Melancholicorum* medicina fuit, e *chalybe præparata*, ea quidem, ex *Melancholia* sive *Hypochondriaca* sive *Hysterica* ποδαγεικῶσι, potiori jure convenit: modo præmissa catharsi, artificiose selecta, & dosi & methodo rectis, adhibeatur. Spiritus enim animales incitat, exaltatque; in radios vibrat acutissimos, ἐνεργετικὰς, tum etiam, miasma *Arthriticum*, (modo exigua dosi fuerit exhibitum) blande ad πὰ ἔξω θεν emittit: &, in partes internas neu relabatur; spiritus animales neu obscuret; tenebrasque iis offendat, efficacissime operatur.

Quibus autem nec *Aquæ*, nec in forma sicca *Ferrum*, mederi poterit. Eos interdum adjuvat *decoctum Corticis*, simplex, vel (pro re nata) *Chalybeatum* roborat ventriculum εὐπεπσιαν infert; &, ad spiritus stabiliendos (quod *Hypochondriacis*, & *Hysthericis*, lucrum pergrande,) summarum virium & momenti est. Multum valet, hac in parte, simplex; propter id, quod habet cardiaci & nervis propitii: multo vero magis armatum; medicamentum, si quod unquam, Πολύχρηστον.

Sed nec omittendum, quod aliquando cerevisia, utut defæcata, tantas ventriculo parit cruditates, in *Arthritidis* materiam postmodum abeuntes; ut, una hac objecta, &, *Aqua fontana* cum vini pauxillo; vel, *e Sarsa*, *China*, *&c. Decocto*; vel *infuso Theæ*, cum lacte vaccino, in ejus locum suffecto, ægris exinde melius successerit.

Hist. 1. *De Arthritide, Melancholiæ diuturnæ succrescenti.*

CLarissimus *D.* erectiori vir ingenio, in Medicis ævi celebetrinis, (antecessorem, hac in urbe, compotem, & sanum, utinam æquis passibus sequi daretur;) *Melancholia* sensim obrepente, ætatis flore, exiit de potestate. In hujus morbi genium, & morem, ut diligenter inquirerem, & de eo curiæ renunciarem, prænobilis *Eveshamii* magni *Angliæ* Cancellarii (cui apud nos, hujusmodi affectorum, a *Rege* cura est commissa) per literas mandato, *Dec.* 18. 1697. laboranteni visitavi.

Fuit ille (liceat tanti viri memoriæ, tamque literati infortunio, paulisper immorari,) tum temporis septuagenarius: vultu constanti, & augusto: capite orbiculato, neque, si corpus spectamus, aut ingenium, magno: voce suavi, & canora: gestu corporis decoro.

Veterum doctrinam, ut erat παλαιόφιλος excusserat; ad medicinam conversus, eam de proprio ditaverat. Primus enim *Respirationis usum primarium* detexit; detectum, contra præclarum impugnantem, pertinacissime defendit; acutissime vindicavit. Nemo unquam Medicus illustrior, neu qui arti plus tribuerat.

Nonnullorum vitia, me audiente, leviter & quidem argute perstrinxit; at viros sapientia, nobilitate, virtute præcellentes digne prosecutus est. Clarissimi *Bigodi* sagacitatem, & in diagnosticis peritiam; *Davei* lene, at solers ingenium; *Dikei* literas, & acumen admirabile; singularem *Entii*, nuper adversarii, semper amici, humanitatem & doctrinam, elegantem, variam, paratam; nobilissimi *Courtenæi* (quanti vero, & quam magnifici viri!) celsum & sublimem animum, stemmati suo, quod est regale, parem, multis laudibus efferebat. Sed omnium maxime *Cantabrigiam*, almam matrem, *Athenas* hujus regni alteras, pie grateque, λόγοις ὑψίστοις, prædicavit. Quin &, agnovit filium, mater.

Hæc cum, a quoquam proferri, aliquis audiverit; Annon, eum, animi summa rectitudine, judicio acri & perfecto, aliisque plurimis virtutibus, plane invidendis, insignitum existimaverit. Ita profecto fuit; jam alia res est. Quæ protulimus, ea præbuerunt *Lucida* (sic appellantur) intervalla; tum rara, tum brevia, densissimis nubibus, & interdum animi concitationibus (tanquam fulgore, & tonitru) discreta. Audivimus Ἀκροάματα, summo digniissima Philosopho, quæ sunt iis maxime contraria, simul & semel coram dicentem. Piguit, doluit eruditionis optimæ reconditissimæque fragmenta, (tanquam *Sybillæ* folia, vento agitata,) cum astrictis, numero soluta; cum latinis, Græca; cum physicis, Ethica; cum veteribus nova; cum profanis, sacra, misceri, perturbari, confundi. Nullibi gentium tot tantarumque disciplinarum chaos. Dii vestram fidem! Quam pusilla res homo, vel literatus. Dudum ille noster temporis volumina præsentis præteritique, & in eo quæ sunt omnia, dudum ille terram, cælum, sidera, vasta universi sistemata, spatia pene infinita, animo est complexus; hodie, ne sui quidem compos.

In causis hujus affectionis, primum ponenda est, tanquam προηγεμένη, ad eam a natura diathesis, quam utique perspiceret physiognomon, & animus commoveri aptus. His adjici oportebit cœlibatum, sive nimiam castitatem. Tum, in procatarcticis, casu e plaustro, cranium, annis olim puerilibus, læsum: (nudato capite cicatricem aperuit.) Deinde, studia nimium flagrantia. Post, *Decoctum Coffee*, plus satis potum. Ad extremum, animi perturbationem, spei frustrationem.

Causæ tantarum virium evidentes, antecedentem a natura cœptam, malisque moribus adauctam irritantes, morbum peperere, per se magnum, sed tempore qui roboratus, medicinam respuere, curationis spem excludere, cerneretur.

Quod vero ad rem nostram maxime pertinet, digitorum articulos ostentavit, tumefactos, inflammatos; *Chiragra*, multos annos, per intervalla, sed languenti, neque satis importuna, tactos. Procul omni dubio, si plus *Articulis*, capite minus ægrotasset. Fuit tamen, gravi & diuturnæ *Melancholiæ*, *Arthritidem* suboriri posse, quod abunde comprobaret.

Hist. 2. *De Morione, Melancholia Hypochondriaca, & Arthritide interempto.*

SUnt qui morbum *Hypochondriacum*, uti etiam *Arthritida*, sapientiæ solum professores, ingenii dotibus præcellentes, infestare, iisque, tanquam ad tanti muneris temperamentum, sortito dari confirmarunt. Eorum opinionem, ὅτι τὸ πολυ probabilem, a perpetua veritate longe abhorrere, constat. Habet *Damnonia*, quod perpetuitatem perimit. Novi egomet haud ita pridem (attendite Philosophi!) *Morionem*, multos annos flatu, βορβορυγμοῖς, aliisque *Melancholiæ* sexcentis *Hypocondriacæ* symptomatibus, demum etiam (ætate propemodum affecta,) *Arthritide* conflictatum, adeoque graviter (ne de acrimonia quæstio sit,) ut ætate constanti diem obiret supremum, his affectionibus interemptus.

Hist. 3. *De Arthritide Hypochondriaca, Purgantibus præoccupata.*

VEteri quidam amicitia mihi conjunctissimus, post homines natos maxime *Melancholicus*; mali accessiones alias ab animi pathematis, alias a cibo crassiori, δυσπέπτῳ, vel potu immoderato; hasce carnis æstu notabili, illas algore; hasce pulsu tum majori tum crebriori; illas raro & humili: utrasque spirituum mira dejectione Μικροψυχίᾳ non vulgari, ejulatu miserabili signata, habuit. Sub ingressum senectutis, *Arthritide* tenebatur: ea, quæ *Melancholiam* perturbationibus procreatam, ne semel quidem unquam excep.t;

cepit; alteram autem (id est, intemperantiæ sobolem) frequenter. Raro cuivis unquam mortalium fortunatius cessit dolore. Nubes illa supercilii dissipatur; spiritus se expandunt; ut materiam, in primis viis congestam, (*Hypochondriaci* causam mali continentem) in artus ejici liqueret. Ad eam initio præcidendam, & utrumque morbum antevertendum, *Aquis purgantibus*, *Sale Cathartico*, & *Tartaro Laxanti* additis, interanea purgavit. Usum purgationis creberrimum suadebat utilitas.

Cum, *Arthritidos* cippo forte detentum, ad diem statum iter conficere, voluit professio, partibus tumefactis, & dolentibus. Hirudines admoveri, sicque causam mali conjunctam evocari, jubeo. In re arctissima, summæque necessitatis, hoc artificii valuisse, certo certius est compertum.

Hist. 4. De Morbo Hypochondriaco, cum Arthritide agnata, Aquis Astropensibus subacto.

NObilis quidam apud *Dobunos*, affectione *Hypochondriaca*, ventriculi inflatione permolesta, cogitatione inquieta, spirituum tremore, confusione crebra, & ex illa sudore, cum repentino, tum vero abundanti & profuso, diu afflictatus, ætate provectior, *Arthritide* correptus est, quam in *Melancholicis* observari solet, sæviori, longeque immaniori, quippe paroxysmos puræ & genuinæ κατ' ἐξοχὴν, quæ profuderit.

Cum eos secuta erat singulos, primis statim diebus, animi protenus sudum & serenum, *Hypochondriaci* affectus intervallum; materiam ejus productricem, & primis viis inhærere solitam extrorsum pelli, omnino cogitandum erat.

Contra par malorum δύσφορον & δύσκολον, ut duos simul liniam parietes, nihil antiquius judicavi, quam dyspepsian, quæ utriusque fundamentum erat, pro mea parte, corrigere; tum simul, alienum & factiosum id, quod *Arthritidis* causa est conjuncta, foras eliminare. Quocirca alvo, *Pil. de Succino Crat.* ℈i. *Tart. Qu.* ℈ß: *Res. scam.* gr. iv. & *Aq. Astrop.* ℔ii. *hora post ingestis*,) prius subducta, iterumque septimo quoque die soluta, aquas haurit *Astropenses*, diebus otiosis, ad ℔iv. ad dies sexaginta.

Ut Πέψις emendetur; dum *Martiati* aliquid præcipio, (quod ægri res volebat, non nolebant aquæ parum *Ferratæ*) spe decipior. Tanta ægro sive ἰδιοσυγκρασία, sive spirituum teneritudo, atque minerale istud digerendum nescio quæ impotentia; ut ex eo, tametsi modica quantitate sumpto, statim inciderit in diarrhœam, animi depressione, spirituum dejectione mira, stipatam.

Aquas autem *Astropenses*, blandas, præcellentes, benignas, tum *Hypochondriacis*, tum *Arthriticis*, & tenerrimis plerisque omnibus convenientes, omni ætate, (magnum ad beatam vitam præsidium nactus,) per annos quam plurimos repetit; earumque beneficio & tutela, senectutem (uti audio) lætam, & desiderabilem, adipiscitur.

Hist. 5. De Gonagra miti, Hysterica, Chalybe &c. concitata.

PLacet, *Arthritidem* minutulam, & (uti videtur) artificiosam, memoriæ committere. Mulier lectissima, cum primis delicata, fragili constitutione, patre orta *Arthritico*, nondum ætate media, ἐν τοῖς γυναικείοις bene habens, ἀπορεξίᾳ & δυσπεψίᾳ gravi diutinaque *Melancholia*, spirituum insolita *depressione* affligitur. Horum omnium causa esse videbatur materia quædam mali moris, ventriculum aggravans, & per œsophagum linguam omni mane feriens. His ut occurratur, purgato primum hac illac corpore, *Amara Chalybeata* cum levi subinde eccoprotico per menses aliquot usurpavit. Ex horum usu symptomata profliguntur ad unum omnia. Esurire, cibare, lætari, missis tristitia & metu in mare *Creticum*. Genu tantummodo alterum, debilitate, & dolore acri pungente, sed tolerabili continenter impeditum; ut e sella assurgendo, gradus scalares, vel acclive quodvis, ascendendo, vix fit. Erecta firmo stetit talo. Mitissimus hic affectus erat, neque rubore, neque tumore insignitus, qui tamen εἶδος *Arthriticum* præ se tulit: laneis partem affectam involvi jubeo: calide vestiri: &, *Melancholia* si recruduerit, cum *Amaris* iterari *Chalybeata*. Morbi istius hasce reliquias percepit; hosce fructus, quod (*Arthriticorum* more) ex paroxysmo vegetior, quod alacrior, evasit, & diu perseveravit.

Hist. 6. De Arthritide Hysterica.

NObilis Matrona, molli & præter cæteras delicato habitu, *Hysterica*, blande nimium misericors (ut omnia fere omnium infortunia deplorans, & alieno mærore mærens,) decies enixa, annis procedens, sine causa ulla evidenti, cœpit macrescere, & languere, potius quam ægrorare. Hoc a familiaribus in malis positum, in lethalis alicujus chronici prognosticis: At in bonum, omni spe votoque majus, aliquanto post mutatur. Dolet, tumet, rubet pedis articulus ex *Podagra*. Corpus ortu persanum, ab omni labe hæreditaria, quantum inaudiverim, immune, tot partubus, aliasque τοῖς γυναικείοις expurgatum, taliter occupari, profecto demiratus sum. Mali vero causa tanto sufflamine major. *Arthritidem* boni esse ominis, & in ægræ commodum cessuram, existimavi. Hospitem grate, & benigne, (suo more) accipiat, hortor: calefaciat, vestiat, &c. ut in *Arthritide Primigenia*.

Paroxysmi re absolura, ad ea, quæ tum morbum *Hystericum*, tum *Arthritida* prævertant, speciatim ad *Digestiva*, propero: *Præmisso* (*e Pil. Stomach. cum G.* ℥ß. *Scam. pul.* gr. viii. *Ol. Cin. ch. gutt.* i. *El. propr. q. s.*) *Lenienti*; cui vespere, loco *Narcotici*, ægre admodum inimici (quippe spiritus deprimere, & nimio plus pessundare, solebat,) *Bolus*, *e Pul. Cantian.* ℥ß. *Conf. Anthos* ℈i. *Syr. Melissoph. q. s. Sufficitur cum Jul. Haustu Hysterici deglutiendus.* Tum, ad roborandos alendosque spiritus, *Decocti Corticis Martiati* haustum, horis duabus medicinalibus, in mensem usurpandum, & *Theæ infusum* (quod, ad eos permulcendos, & vapores sopiendos, ex usu diuturno, commodissimum experta est; quodque sanguinem per renes expurgare aptum,) in dies singulos, præcepi. Partim medicamentis, partim *Arthritide*, blanda & perbeata, fideliter recurrente factum est; quod, per hosce dies sexagenaria, εὔχροος, & εὐσαρκος conspiciatur; ex *Arthritide*, jam vetusta, melior. Unos enim pedum tumores (an arthriticos? an hydropicos?) hodie molestos sert, cætera bene habens.

Hist. 7. De Arthritide Melancholica, cum ventriculi, &c. Affectione, per Arthritidem levata.

QUidam mediæ ætatis, ad *Iscæ* ostium, *Melancholicus*, ventriculi distentione, Βορβορυγμοῖς aggravatus, flatu emisso sublevatus, appetitum pronuper intercidi, ventriculum mane moveri, & biliosum ejicere, respirationem impediri, carnem absumi, conqueritur. Hisce postea supervenit dextri coxendicis dolor, qui ad genu brevi se transfert, ibique tumori locum facit, pallido, frigido, seroso. Ab hoc tempore ventriculo, & iis quæ intus sunt, melius, imo μικροψυχία, quam miserabilem, & degenerem, æger subjerat, ab *Arthritidis* conspectu, minuitur. Eatenus *Melancholiæ* sanatio *Arthritis*; eoque magis, quod supra quam in *Arthritide* frigida, supra quam in *Melancholicis*, solet fieri, extumescit.

Ego, naturæ famulari contentus, & rerum ejus promovendarum satagens, in *Arthritide* firmanda, medicos adhibeo conatus, quantos possum maximos. Primas ergo vias leniente subtraho; vesperi, post purgationem (quo humor extra propellatur) *Bolum*, *e pul. Cant. Ther. Androm.* & *Syr. Pap. Errat. cum Haustu parum Diacodiato*, *sumi præcipio*. Dein, eodem, *Pul. Rad. Ari. C.* ℈ß. *Alchol. Martis* ℈ß. *cum Jul. Haustus*, *bis die per mensem*, *cavendo alvum obduratam*. *Panno Wallico*, *Aqua Reg. Hung.* & *Sp. Lavendulæ conspersо*, *vestiatur pars affecta*. *Cane pejus & angue*, *vitentur revellentia*. Horum ope remediorum, æger auspicato Ποδαγρικᾷ; animo nempe alacri, sanis visceribus, & ob *Podagram* tutioribus.

CAPUT VI.

De Arthritide Fixa Scorbutica.

Art. I. MElancholiæ proxima est *Arthritis* ea, quæ *Scorbutum* excipit, sed longo proxima intervallo; quippe *Primigeniæ* similitudinem quæ multo plenius apertiusque referat, ad eamque multo propius accedat: morbus certe, apud nos, ingenio & natura valde peculiari; quique evolvatur, & diligenter explicetur, aptissimus. Ut de illo dicam enucleate, & dilucide, de ipso *Scorbuto*, ex quo emanat, prius dicendum est.

De *Scorbuto* ea, quæ ab *Eugaleno*, aliis ejus fere affeclis, dedita opera produntur literis, vel omnino prætermittam, vel leviter tangam: & illa potius (ex scripti hujus instituto) quæ nostræ ditionis sunt, & in hac regione mali istius in *Arthritida* metamorphosin patefaciunt, studiose persequar.

II. Anni sunt haud ita multi, cum apud *Damnonios* (quod, a senioribus indigenis, iisque fide dignissimis, & in medicina diu multumque exercitatis, accepi,) *Scorbutus* sic grassabatur, ut per illos artem qui *Exomæ* (nobiles sane) Medici factitarunt, in hujus unius morbi curatione, quod præscriptis passim agitatis testatum fecerunt, non parum occuparentur; & grandiores hodie nihil æque ac *Scorbutum* crepent. At diebus hisce nostris rarius observatur hic affectus, & tantummodo σποράδην. Cujus quidem mutationis ratio, suo statim loco, declarabitur.

Sed nec qui nunc dierum est *Scorbutus*, illi qui vicinos *Belgas* (populares meos) imbuit, id est, genuino, & vulgari, per omnia consimilis invenitur. Cum agri *Somersetensis*, uliginosi magnam partem, & depressi, (aerem crassum & humidum trahentes incolæ, maculis subnigris, ulceribus malignis, crurum dolore, respiratione difficili, lassitudine spontanea, nervorum debilitate, hydrope, gangræna, & istiusmodi aliis) *Scorbuti* exquisiti signis, creberrime divexantur: Quæ apud *Damnonium*, tractum inæqualem, siccum, optime ventilatum, aere subtiliori puriorique gaudentem, neque stagnis inquinatum, raro visuntur.

III. Qui vero *Damnoniorum* est *Scorbutus*, in imo ventre Βραδυπεψίαν habet, præcordiorum inflationes, ructus, oris vitia quamplurima, gingivarum scil. tumores spongiosos, sanguinem vel levi suctione, vel alia quavis facili de causa emittentes, interdum etiam Ἐπιλίδα; dentes sæpenumero laxos; vacillantes, cariosos; & primores, ipsa nonnunquam adolescentia seu deciduos, seu exesos; salivam acrem, salsam, pariterque copiosam; anhelitus fœtorem, (putredinis indicium) ut rectissime morbus iste Στομακάκη audiat: In cute maculas, sæpe rubicundas, interdum flammatas; parvas identidem, & rotundas, aliquando majores; papulas item densas, scabras, asperas, irritabiles, cum margine purpureo, catervatim, in cubito præsertim orientes; quæ ad eminentiam & confractum quandoque notabilem elatæ, & demum exsiccatæ, squammulas emittunt, tenues, subalbicantes, furfuraceas; quibus decidentibus locus apparet ruber & inflammatus. His adde pruritum, isti fidum eruptioni comitem, & partium affectarum æstum, ab unguium vulnusculis impensissime urgentem: volas porro aridas, æstuantes, duras, sæpe etiam callosas, contra diapnoen occlusas, nec ullo eam labore admittentes. Quibus adjici oportebit crurum tumorem admodum insignem, maxima ex parte calidum, & acri sero exsudante prurientem.

Ista præcipuæ notæ sunt indicia *Scorbuti* per hosce tractus hodie serpentis, & *Arthritidi* alludentis: Neque *Scorbuticum*, nisi tali fere modo affectum, pedibus unquam hic loci dolere recolo: Ut calido unice *Scorbuto* (cujus ista signa sunt Ἁπλωτικά) hac in regione suppullulet *Arthritis*.

IV. Utrum hujus *Scorbuti*, scil. *Calidi*, sit ubique sui generis materia, sive innata, sive adventitia, quæ causæ continentis obeat negotium, & dicta pariat symptomata; sic, ut ex ea sola pendeat morbi hujus ratio Αἰτιολογία. An interdum modo hoc fiat, & in hac affectione præcipue malo alicui contagioso secundaria: sed alias ea vitiosæ sanguinis ζύμωσι (quod doctissimis quibusdam placere constat) ascribenda: Tametsi præsto sunt, momenti ponderisque haud exigui, quæ prius suadent argumenta; cum in utranque partem disputari possit, nec id agatur hoc tempore; in medio relinquam.

Audacter autem, opinor, affirmare possum, non ab cæli solique sive siccitate, sive humiditate, sive alia qualicunque facultate, nec ab ullo in *Sex non naturalibus* errore, suos ignes, suas flammas, *Scorbutum* hunc nostrum, proxime, & omnino omnes recipere; Verum ab alia potius causa, in obscuro posita, paucis observata, & ab alio fonte, derivare.

V. Hoc ut innotescat, advertendum est, quod, ante centenos hosce annos, (ex esu piscium, uti verisimile, nimio insulsorum,)

Damno-

Damnonio lepra quam atrocissime grassaretur, & in populum sæviret, forsan non minus, quam in *Judæa* olim, endemia.

Utrum ob eam templum illud extrueretur, quod e veterum monumentis, optima fide auctor, nobilissimus *Caræus*, *in Cornubia perlustrata*, tradidit, Anno Mundi 3172. a *Cunedago* ibi fuisse positum, & Apollini (medicinæ inventori & præsidi) sacratum; etsi ita esse non improbabile videatur; res est antiquitate nimio plus obscurata, quam de qua decernam, aut disceptem absolute.

Certo vero certius est, quod ante sæculum Nosocomia, quibus ab integris secluderentur corrupti, tam hac nostra *Exonia*, quam alibi per universam usquequaque *Damnoniam*, incolarum pietate condita, extiterant quamplurima; Quæ quidem eorum frequentia tum morbi crebritatem, tum item acrimoniam, abunde monstrat.

VI. *Lepra* ista, quæ, ut clariss. denunciat *Caræus*, circa sæculi novissime lapsi initia populum miserrime lacessivit; dum ætas labitur, & dies diem docet; partim ex salis communis usu, partim etiam tabacci (quorum ille optimum, modica quantitate, receptissimumque condimentum, sanguinem tuetur, putredinem arcet: Hoc autem, vulgi delicium, sive ore masticatum, sive tubo haustum, salivam movet, putres evocat humores,) cicurata, pertinax illud τὸ Ἄγειον adeo deposuit; ut sæculo superiori circiter medio, in *Scorbutum* degeneravisse, comperiretur, antecessoribus nostris facessentem negotium.

Verum, ex quo *Damnonii* remediis prædictis *Pomaceum* addiderunt, & usitate potarunt; morbi istius vis & ferocia tam magnopere subigitur, ut hodie, quam olim, multo rarior, sicut etiam multo mitior, observatur: Ita nempe, contra *Scorbutum* mali moris, contra inveteratum *ferinum*, & in plerisque hæreditarium, id est, crudelem, magnum, & difficilem, egregie valuit pomorum succus.

Atque hujus fere generis & prosapiæ est, qui his temporibus in *Damnonio Scorbutus* se exercet. Hinc illæ frequentes papulæ; cutis ille pruritus intolerabilis; color ille flammeus, fervor importunus; exanthemata; lichenes; squammulæ; veteris scilicet lepræ reliquiæ; ignis nondum penitus extincti scintillulæ.

VII. Prius vero, quam de *Scorbuti* hujus in *Arthritida* migratione & excursione verba facere occepero; de ipsa *Arthritide* pauca proponere, &, a se ut discedat illa, notare, necessum habeo: prius, illa *Arthritidos* in vagam & fixam distinctio recolenda, & morbo præsenti accommodanda.

Arthritis vaga scorbutica, *Westphalorum* & *Gueldrorum* morbus endemius, qui tum adolescentum, tum adultorum lumbos, dorsum, artus, vicissim occupare & multum infestare solita est; uti locum hoc in tractu talis, qualis passim ab auctoribus depingitur, quod unquam sciam, nullum acquisivit; ita nec hoc in scripto requirit ullum.

Et quamvis aliquando *Scorbutus* iste noster, *Vagam* eam *Arthritidem*, quæ nobis observetur, æmulari videatur; tamen frequentius, & quidem præcipue, *Fixam Arthritidem* imitari gestit; & quoties corpus (vel a natura, vel malis moribus, & vitæ ratione perperam ordinata) appositum, ad tempus aliquod affixit, nono vel decimo plerunque lustro, pedum (maxime) articulos invadit, dolorem infert; tumorem, cum ardore, aliisque *Podagræ* calidioris symptomatibus. Ex intervallis paraxysmos iterat, genuinæ instar; sique una demas *Scorbuti* indicia, *Genuina* existimetur.

VIII. Nec cui mirum illud existimandum, quando in utroque patet affectu (tam nempe *Scorbuto*, quam *Arthritide*,) partes, primum easdem obtinere causas remotiores, (victum, utputa, salsum, & crassum,) tum etiam Δυσπεψίαν; dein acre aliquid, aut saltem alienum in sanguine, eumque valde inquinans, & corrumpens, tum habere *Scorbutum*, tum *Arthritida*, postremo, naturam utrobique grave aliquid eliminare & expellere conari; hic, per glandulas extremitatum articulares, unde paroxysmus *Arthriticus*; illic, per salivarios, & cutis *Miliares*, unde prædicta, & cutis, & oris symptomata.

Scorbutum autem adeo (sive causas, sive materiam, sive ipsam morbi rationem, & symptomata maxime fida & constantia, spectemus,) *Arthritidi* persimilem, eam etiam ἐν τῷ Παροξύνειν æmulari & referre, ut observatu facile, sic neque intellectu difficile.

IX. Mitiores autem paroxysmos habet hæc *Arthritis*, (ut illius aliquam diagnosin expromam) quam vel exquisita & calida, vel lui secundaria, neque dolore tam acerbo conjunctos: lenitatem explet diuturnitas.

Ut vero pressius dicam, hujus *Arthritidis* omnium maxime proprium est, quod affectus primigenii non pauca symptomata constanter retineat; ita, ut ex *Scorbuto Arthriticos*, scabie, maculis, gingivarum vitiis, renitente licet medicina, & exeunte paroxysmo, adhuc infici, (tametsi minus forte, quam ante natam *Arthritidem*,) aspiciamus.

Hoc autem in iis potissimum teneri arbitror, qui ex *Scorbuto* cæteri, confirmatoque Ποδαγρικῶσι; nam, a recenti & evidenti causa suscitato, & ad dicta usque symptomata evecto, qui laborant, (uti posthæc exemplo patefiet) iis nonnunquam aliter obtingat, & durante *Arthriditis* paroxysmo *Scorbuti* lateant istius symptomata.

X. Quomodo vero *Calidus* unice *Scorbutus* (quod supra comprehensum est) *Arthritidi* gignendæ sufficere videatur; nec a frigido vel semel ortam memoria tenuerim; huic respondet, quod ea, calido quæ suboritur, *Arthritis* semper reperitur *Calida*, τὸ Πατρὸς τὸ Πάθος.

Sed nec omittendum est, quod, uti *Scorbutum*, huic *Arthritidi* primarius, in eo potissime versatur, ut inepti aliquid per glandulas exterminet cuticulares; & *Arthritis* ei secundaria, per articulares; ita, tam huic, quam illi, obsunt repellentia: quippe quoniam humoris ad τὰ ἔξω ἔκδοσιν amandationem relegationemque a natura designatam, utilem profecto, caram, & vitæ cum primis necessariam, derepente interrumpunt & internarum partium mala gravissima, sæpe ipsam mortem inducunt.

XI. in paroxysmo, (quæ medendi optima *Intentio*) materia articulis impacta, blande foras elicienda; quem in finem extrinsecus imponatur tumori lene quoddam attrahens; quare videlicet *Ceratum illud viride* ex quo fiunt petasothecæ; vel *Brassicæ Folium*, fibris crassioribus purgatum, & ad mollitionem contusum. Tumori post noctem, (modo calide, quod juvat, artus involvantur laqueis) adhærere solet vapor, per invisibilia foramina emissus, & in rorem condensatus. Ab ejus usu dies aliquot producto, doloris sedatio tum fida, tum etiam tuta, subsequitur. Quæ quidem artificiosa Διαπνοὴ, ea forsan de causa magis liberalis, quod materia per habitum corporis sua natura pronior, & aptior sit, quæ expellatur.

Quinimo, per totum paroxysmum magnopere caveant ægroti, ne materia, protenus eliminanda, retro agatur; quod ob eorum sanguinem (quod veresimile,) vitiosum, & conragio *Scorbutico* corruptum, raro (uti liquet) his humoribus, *Arthritide* detentis, impunis error; sæpe etiam lethalis.

Sin pravo externorum usu, aliave quavis de causa, materiam jam fugentem, quasi clausis foribus repelli, vel fixi obtigerit; ad fores quam primum aperiendas, eam & extra evocandam, aut in balneum pedes calidissimum immergantur, aut fotu imbuantur, aut articulo dudum affecto, vel proxime illum, applicetur epispasticum, vel cucurbitula: Er, interea temporis, ut ab interioribus extrudatur humor *Arthriticus*, cardiacum aliquid *e Pul. Cantian. Lapide Goano*, *theriaca Androm. Elect. ex Ovo*, *vel Sp. C. C. Succinat. gutt. aliquot cum idoneo vehiculo*, ægro stragulis cooperto detur, &, prout opus fuerit, repetatur.

XII. Extra paroxysmum, evacuantibus materia peccans e corpore κατ' Ἐπικράσιν amandetur; alterantibus corrigatur; digestivis illius augmentum, & regerminatio, inhibeatur. Hæc e diversis classibus selecta, in ordines, sive series, ut artis est, pro ægri constitutione, malique more, formari, pro annique tempestate variari, oportebit.

Ad domandam morbi hujus malitiam, maximopere valet *Mercurius*; cujus præparata mitiora, (id est, *Calomelas*, & *Mercurius præcipitatus albus*) causam ejus continentem impetendo aggrediuntur, & per aliud aliudve excerniculum, pro ipsius quantitate, & ægri corpore vel ad purgationem, vel ptyalismum, ad Διάρησιν, vel Διαφόρησιν proclivi, eliminant exterminantque. Et tametsi hujus ea materiæ ferocia, quæ vel ptyalismo laudabili diutinoque non ex toto ubique cedat, & se se submittat; (nam post diutinum, & ex omni parte laudabilem, nonnunquam recrudescere hunc affectum in propatulo est) ex hoc remedio, alienum illud acre, morbi materiam continentem, quam maxime obtundi; sanguinem eximie purgari, *morbum* quam plurimum mitigari, constat. Quare si ætas, vires, cæteraque quæ sunt ægri, annuerint, nihilque repugnaverit, ptyalismum lenem, sed prolixum (ut tempore lenitudo expleatur) fieri suaderem.

Ubi ptyalismo, vel ægri moribus vel animo, τοῖς ἐκ ἐφ ἡμῖν, nihil loci superfuerit, sequentem methodum ingredior. Vere & autumno, (facta prius in plethoricis venæ sectione) proderit, *Per Calomel. sera nocte. Pil. Eustach. & Res. Jal. mane seq. quinto, vel sexto quoque die ad tres vel quatuor vices*, vel, *per Salem Catharticum, Manna, & Tartarum lax. Aq. hordeat. solutum, diebus alternis tertiisve, ad sex vel octo vices, purgare: Neque Medicinam interturbet Articularis, si oriatur, Dolor; quin pertinaci potius Purgatione sæpiusque iterata vincatur.*

Deinde *Antiscorbutica*, quæ dicuntur, cum *Antiarthriticis* maritatata, usus erunt eximii. Sumat æger, omni mane, post dictam purgationem, *Infusi* seq. haustum.

℞. *Summit. Trifol. fibrini siccat. pug. ii. Anthus p. i. funde in Aquæ font. fervefactæ q. s. ad Alterationem modicam, Colatura* ℥iii. *adde Salis Martis* gr. iiii. *Tinct. Aurant. gutt.* xx. *Sp. Menthæ Haustus.*

Quarta pomerid. Pulverem, vel Pilulas deglutiat.

℞. *Pul. Fol. Theæ siccat.* ʒß. *Salis M.* gr. iij. *Pul.* N.M. gr. v. *Sacch. albiss.* gr. xv. *f. Pul. vel cum Syr. Melissoph. Bolus*, vel

℞. *Conf. Flor. Salviæ, Æthiopis Min. ana* ʒj. *Syr. Garyoph. q. s. f. Bolus.*

℞. *Cerussæ Antim.* ʒi. *cum Extr. Gent. f. Pil. vel*

℞. *Pul. Zedoar.* ʒß. *Alchol. Martis* gr. viii. *vel* x. *cum Extr. Gent. f. Pil.*

Hisce singulis Vehiculum sit Julapii, vel Infusi, Haustus.

℞. *Aq. Ulmariæ, Fol. Ari, e Succis ana* ℥v. *Sp. Juniperi* ℥ii. *Marg. pp.* ʒß. *Sacch. q. s. f. Jul. vel ex Summit. Salviæ tenuifol. & Aq. font. comparetur Infusum, Sacch. Dulcandum.*

Quibus *Alterantia* prædicta minus arridient, placeat profitque *Succos Herbarum Martiatos*, semel bis quotidie potare. Quod sequitur magnarum virium est, & sæpe a nobis usu probatum.

℞. *Succi Cochleariæ partem unam, duas vel tres (pro Ægri Constitutione plus minus Calida.) Succi Limon. p.* i. *Misce, per digestionem Clarifica: Dosis Coch.* i. *cum Salis M.* gr. iij. *Sacch. q. s. ex idoneo Vehiculo, per Mensem, post debitam Evacuationem.*

Horum Usui interponatur, septimo quoque die, vel Solutio Cathartica, vel Pil. Tart. Bontii, vel Stom. cum G. ʒj. *ad* ℥ß. *cum Scam. ge. qliquot &c.*

Erit autem perutile; si initio æstatis, locum habeant *Aq. Ferratæ Diureticæ*; quibus, ad ℔ij. omni mane, inter sextam & oct. haustis, circa decimam *Vinum* aliquod *Stomachicum*, *Amaris* (si placet) *Alteratum*, supponatur: persistatque æger ad hebdomadas sex, octo, vel x.

Vel, ad urinam domi movendam, itaque sanguinem a spurcitie vindicandum, valet *Infusum Theæ ad* ℔i. omni mane, potum; unde leniter, idoneo liquore, per renes, id quod alienum abluatur.

Pomaceum his hominibus sanguinem contemperat; sed periculum est, ne ab eo *Arthritis* augeatur. Si secus fuerit, (tuto enim nonnullos eo poculenti genere gaudere certissimum est) in potum ordinarium, præsertim æstate, ministretur. Hyeme *Cerevisia* si extrudi reputerit, *Rad. Oxylap. Milleped. Summit. Hed. ter medicata esto.*

XIII. Ut ad *Symptomata* transeam, obiter hic notandum, quod *Crepitus Ossium*, qui (ut alibi dicetur) *Arthritidis* hac in regione symptomata pervulgatum est, neque *Scorbuto*, (forsan ob originem & genium ejus peculiarem) neque *Arthritidi* regionis hujus *Scorbuticæ*, quoad observavi, unquam accessit.

Quæ ad oris vitia, cæteraque *Scorbuti*, quo tempore *Arthritidem* mentitur, accidentia spectant, cum non huc proprie referantur, ex Auctoribus de *Scorbuto* passim in unum depromantur.

De uno *Pedum Tumore*, eo scil. qui *Symptomaticæ* huic *Arthritidi* quodammodo proprius esse videatur, verbum superaddam.

Cum *Pedum Tumor*, tum *Scorbuto*, tum *Arthritidi* familiaris sit; quod *Arthritidis Scorbuticæ* succedat, minime mirandum. Certe senioribus, crassis, & obesis, *Scorbuto* veteri in falsam *Arthritidem* mutato laborantibus, sæpe licet notate pedes & crura, non solum tume-

tumefieri; verum etiam cutis rubore, pruritu *ferino*, poſt digitorum vulnera quantumvis levia colore plane flammeo, nunc item fluxu dierum aliquot ichoroſo, immane quantum affici, a ſcalpendo manus ſi ad tempus aliquot æger abſtinuerit, (abſtinere vero perdifficile eſt) cuticula ſuboritur paulo albidior, ardens, renuis, in ulcuſcula rurſus ex ungium ſulcis confeſtim abitura. Qui hoc modo affliguntur, etſi paroxyſmos graves, duros, immites *Arthriticos* olim perpeſſi ſunt, articulis his diebus & minus & rarius dolent; materia ſcil. *Arthritica* partim in cruribus depoſita, & ſaris ſtagno diluta, partim per glandulas cutis miliares ἀδήλως exſudante. Eo ſæpe uſque ingraveſcit hoc ſymptoma, ut aliquando rationem τῶ ἐπίγοντος ſuſtineat; ut dolorem, pruritum, Ἀργυπνίαν creando, turbas ægris & negotium quam moleſtiſſimum faceſſat; ideoque medicum enixe poſtulet auxilium.

XIV. Requiritur indicatio, ut intolerabilis illa humorum acrimonia citiſſime tutiſſimeque mitigetur. Hoc autem optime fit evacuationibus per anum & renes factis, tum etiam per humorum alterationem; externe vero balneo, fotu, illorum ferociam temperanti. Quorum omnium, ut & reliquorum huc pertinentium, una connexorum, quando exemplum ſtatim ſubjungam, lectorem illuc (brevitatis ſtudio) remittam. Hoc autem addo, quod in celebranda catharſi ſumma utique cautione, ſummo opus erit conſilio; ne forte; catharſi ſumma utique cautione, humoris ille fluxus, & ad arriculamenta ῥοπὴ, ἀτίχνως inſtituta, humoris ille fluxus, & ad arriculamenta præſidia, quæ ad iſtorum hominum vitam & tutelam, omnino neceſſaria eſt, in eorum incommodum, ærumnam, perniciem interpellatur.

Hiſtor. 1. *Ab Arthritide Scorbutica, ulcus male tractatum: Unde Viſus Abolitio, deinde Abſceſſus, & demum Mors.*

AGricola *Devonienſis*, ſexaginta circiter annorum, craſſus, obeſus, *Scorbuto* papulis in capite & manibus inſignito, plus quinquennium inquinatus, contra affectum pertinacem, & Medici, (quem conſultorem habuit (doctiſſimi præſcripta eludentem, *Evacuantibus, Alterantibus, Mercurialibus, Antimoniatis*; e regno *Minerali*, rum e *Vegetabili* quam plurimis a nobis inſtruitur. Cum circa utrumque æquinoctium, eandem medendi viam, uſu diutino comprobatam, iterum ac ſæpius eſſet emenſus; & jam, more uſitato, bolum *Mercurialem*, detracto prius ſanguine, demiſiſſet; multus inde ſanguinis orgaſmus :| dejectiones haud paucæ: atque adeo copioſæ, tumor, haud ita diu poſt in utroque malleolo magnus, ſubmollis cum dolore, rubore, lævore, diu perſiſtens, plane *Arthriticus*.

Ut ægro proſpiciam, quieti illum indulgere, materiæ, quam *Medicam* vocant, diæta uti; &, ut a fractura & recrementis, oſſium juncturas vindicem, & defendam, tumoribus *Epiſpaſtica* admoveri, laqueis eos involvi; calide veſtiri jubeo. *Epiſpaſticis* ſuccedit *Ulcus* hic illic ſuperficiarium, ex ichoris acrimonia moleſtum, ſed bene coloratum, expletu facile neque periculoſum. Æquo ferat illud animo exhortor, quippe quod e re futurum, & lucro ægrum majori, ſi non interturbet ipſe, remuneraturum.

Contra ille ſtomachari, de neglectis rebus ſuis deplorare; & citiſſimæ curationis ſpe allectus, Agyrræ neſcio cui auſcultare. Hic autem, protinus, medendi qua pollebat arte, omiſſis univerſalibus, carne ulcus obduxit, cicatrice texit. Hinc æger capite, facta materiæ in illud translatione, ſubito perculſus; viſus hinc imminutio, & brevi abolitio. Congeſtis aliquanto poſt humoribus, in regione lumbari fit abſceſſus; ex quo imperite tractato, ulcerato, & parres vicinas (ut accepi) corrodente, diem ſupremam obiit miſellus.

Hiſtor. 2. *Scorbuti Calidioris Soboles Arthritis.*

QUidam e T. vir blandus, comis, generoſus, a victu lauto dapſilique, dum eſſet juvenis, *Scorbuto* afficitur; cui, ætate progrediente, accedit *Podagra*. Numeravit annos quinquaginta, cum utroque gravatus me primum conſuluit. *Hujus* paroxyſmum habuit plerunque anniverſarium, niſi ſi genio nimium indulgendo, vel alio aliquo in *Sex non Naturalibus* errato, ſæpius accerſerer. *Illum autem* oſtendebat gingivarum tumor, & papulæ, cubiros ſummopere fœdantes, cum prurigine & apicibus innumeris, acutis, confertim oriundis Materia nunc ulcuſcula formavit, paulo poſt ſiccata in ſquamas abire ſolita ſubalbicantes; quæ ut deciderunt, locus apparuit ruber, a fricando ſtatim flammeus.

Ut utrique malo pro virili parte occurram, tum ea, quæ materiam apte exprimant peccantem, tum quæ potenter alterent, adhibeo. Principio *Calomelane* (cartharſi, ne deorſum illud elabatur, prius peracta) ſalivam moveo: eoque quoties ſaliva parcior exigebat iterato, ad ſex hebdomadas ptyaliſmum profero; Poſteaque *Cinnab. & Ceruſſæ Antimon. ad* ℈ß. *Pul. Rad. Ari Comp.* ℈j. *Syr. Meliſſoph. q. ſ. ut f. Bolus horis tribus medicinalibus ſumendus, impero, cum Infuſis ſeq. cochl.* v.

℞. *Summit. Trifol. palud. Siccat. Mi, Aq. Lactis Alex.* ℔ii. *Sp. Junip.* ℥iv. *miſce, & ad Alterationem idoneam Infunde: Colaturæ adde Tinct. Aurant.* ℥ii. *f. Infuſum. Perſtet autem menſes binos, interpoſito ſeptima quaque die Eccoprotico.* Efferam hanc materiam ut ultra ſubigam, aquas æſtate ſequenti *Diureticas*, hortatu noſtro ſeſquimenſem haurit, cum *Salis Martis & Nitri purificati Præparatis*, quantitate, vehiculis, & methodo convenienti.

Hac medendi arte, morbi materia, non parum mitigata, diu ſane conticet: cum vero, annis aliquot poſt, ſævire iterum, Ὀργιᾶν, & de novo tumultus inchoare cœperat; conſilio jam mutato (quoniam pedes jam tumebant, veſperi præcipue, digitum admittentes, & ſeniori & compotatori hydropa minitari videbantur; tumores autem aliqua ex parte *Scorbuticos* eſſe, tum inflammatio, tum etiam maculæ comprobarunt) *per Caloni. & Pil. Euſtach. ana* ℈i. *e Duobus* ℈ß. *Purgationem inſtituo; & deinceps, & altera vel tertia quaque poſt die, per ſolutionem cathorticam; ſicque viciſſim repeto.*

Hiſce medicamentorum ordinibus, non ſine aliqua formularum mutatione, vere & autumno, ſæpius renovatis; addito inſuper, ad alterandam in potum ordinarium cereviſiam (*e Rad. Oxylap. Summit. Trifol. palud. Sem. Bardan. Bacc. Junip. Flaved. Aurant.*) *Sacculo, & Martis Sale cum Conſ. Trif. & repetito*; *Ægrum Arthritide Scorbutica* graviter oppreſſum (levibus ſubinde hujus paroxyſmis, veluti ad ſalutis rem facientibus, ex induſtria provocatis) ad ſenectutem, & quidem lætam perduxi.

Hiſt. 3. *Morbus Articularis, Scorbuti Alumnus, cum Vomitu Bilioſo,* Ἀνορεξίᾳ, *& Volarum Ariditate.*

QUinquaginta vir annorum, gracilis, tener, acri & bilioſo ſanguine donatus, *Scorbuto*, & ei ſupernata *Arthritide* diu conflictatus eſt, cum Ἀνορεξίᾳ, nauſea, ventriculi inflatione, ructu ſæpe acido, vomitu frequenti & cholerico, capitis dolore, & a paſtu ſomnolentia, cute arida, denſa, nec ad Διαπνοὴν idonea, ſquamulis hic illic catervatim obſita, in manuum volis dura calloſaque Pollicis pedis ſiniſtri majorem, dextrique brachii articulum infeſtare ſolita eſt *Arthritis*; ſed neque tumore, neque dolore vehementi; quin levi potius, in tempus diutinum projecto, inæquali, & creberrime interciſo, diuturnitate penſata levitas. Paroxyſmos omnium certiſſime pomaceum accerſivit, idque vel parce ſumptum; ſic, ut ex poculo communi ſemel iterumque ſiccato pes doleret. Plures ille methodos, eaſque probabiles, a Medicis celeb. præſcriptas expertus, hanc commodiſſime, & idcirco ſæpiſſime, proſecutus eſt.

In paroxyſmo, *Braſſicæ Folium* tumori impoſitum acre ſerum elicuit, dolorem mitigavit. Extra paroxyſmum, ad prophylaxin, præmiſſa per Aqq. *Aldorfenſes* (alvum hæc ſubducunt) ter quaterve catharſi, *Bathonienſium*, omni mane ℔ii. decima ſeq. *Infuſi amari Alterantis* hauſtum uſurpavit: quinta pom. *Bolum e Chal. Nutrito &c. deglutiit*, ſuperbibendo julapii perlati coch. aliquot; interponendo identidem lene quoddam emolliens, & alterantium uſum ad hebdomadas ſex vel octo quotannis proferendo.

Hac, inquam, methodo anniverſaria, ad artus, ad ventriculum, præcipue ad vomitum quod attinet, maxime levatus, a malo tam *Scorbutico*, quam *Arthritico*, graviori, ſe jam multos annos immunem præſtitit: hodieque illam ad ſenectutis principia perductus, non impune negligit, uſque vero manſit iſta, quam modo dixi, volarum ariditas, calloſitas, ut opinor, uſque manſura.

Hiſt. 4. *Scorbuto ſuborta, & ejus Eruptionibus adjuncta, Arthritis.*

DUm in hiſce verſor, Fullo me appellat *Exonienſis*; vir robuſtus, athleticus, ætate media, conſtitutione ſanguinea. Frontem illi, tempora, atque faciem propemodum omnem fœdarunt, turpiter infecerunt puſtulæ, ſobrio certe & temperanti, (tanquam ebrioſo) magnæ rubicundæque eum intervallo coccineo, flammeo. Æſtus & pruritus erat univerſalis, maxime vero partium obſeſſarum; noctu per ſtragulas ingraveſcens. Turgebant venæ, & ſanguinem plus ſolito ζυμοῦσθαι & ebullire, commonſtrabant.

Hæc cum acceperam, virus in ſanguine *Scorbuticum* efferri & cælo (quamvis inſtabant rum temporis ſaturnalia miriſſimo, & efferveſcentiæ provehendæ apto) favente proſcribi, ſum opinatus: neque enim alio de affectu vel ſomniare erat. Sanguinem mitti jubeo, deinde alvum molliri, alia deinceps ſuo quæque loco præcepturus. Sanguini cremor impurus, ſebaceus in cyathis quieſcenti, poſt aliquod tempus innatavit.

Ex *Reſ. Jalapii, Extracto Euſtach. deglutiuntur Pil.* quibus inanitur alvus. A cathartico, ſanguine commoto continuatoque, ægrotans Πολυαγεῖ adeo nempe naturæ perinde erat, humorum vitioſorum Διωκάμεις & Ἀκρόστιχας, per articulos, atque per cutim, exterminare; & tam levi de cauſa, ad illam ab hac evacuatione, diſcedir illa digrediturque catharſim, quam quidem amplius deſtinaveram, ad εὐημερίαν prorogo; ne videlicet, nimium ſubtrahendo, inrercidatur res articularis, & prorſus abſcindatur. Ad eam e diverſo confirmandam augendamque lenem interdum ambulationem, cothurnos laneos, quibus in pedes humor demittatur, invitetur, impero; repellentibus interdico.

Extra paroxyſmum, ad *Arthritidos* hujus puræ putæ *Scorbuticæ* prophylaxin, ut ſanguis corrigatur, ea præcipio, quæ ſequuntur.

℞. *Succi, e Naſturtii Aquat. Summitatibus expreſſi Partes iv. Succi Limonum p.* 1. *per digeſtionem fiat clarificatio.*

℞. *Conſ. Fr. Cynosbat.* ℥i. *Salis Martis Riverian.* gr. iv. *Syr. de Corall. ſ. q. s. f. Bolus.*

℞. *Aq. Ulmariæ, Meliſſæ, e Succis ana* ℥iv. *Linac. Lumbr. Marg. ana* ℥ii. *Marg. pp.* ℥ß. *Sacch. q. s. f. Julapium.*

Præmiſſa Venæ ſectione, & per Vinum & Oxymel. Scillit. Vomitione; perque Salem Cathart. Manna, & Tartarum lax. Juſculo Avenaceo ſolutum, Purgatione; & deinde ſeptimo quoque die repetita: ſumat, diebus otioſis, horis duabus medicinalibus, Bolum cum Jul. Hauſtu; biſque indies Sacci Clarificati coch. 1. *cum Seri Lactis, vel Poſſeti Hauſtu, idque per menſem unum alterumque, cavendo Alvi Tarditatem.*

Hiſt. 5. *Pedum Tumor Scorbuticus, Arthriticus, cum Pruritu* ferino.

DOminus E. generoſus, agricola *Devonienſis*, ætatis flore *Scorbuto*, & deinceps *Arthritide*, tentabatur: illius fluxu dolores *Arthriticos* ſenſim miteſcere, ſed & eodem tempore pedes tumeſcere, percepit. Ingruente ſenectute; corpulentus & obeſus. Pedem utrunque tumefactum moleſte tulit. Cutis admodum diſtenta eſt, rubicunda, gravate pruriens, poſt levem aliquam digitorum injuriam flammea, ichorem ſalſum & acrem ad dies aliquot exudans: Ob pedes æquo grandiores & extenſos ſolicitum, *Hydropis* timor cruciavit; ſed de *Hydrope* tanquam inſtanti, aut præſoribus, (cum urinam ſatis copioſam, probeque coloratam excerni; neque ſitim intendi; ſed e contrario appetitum a tumoris initio magis latrare deprehenderim) non eſſe quod ſe tantopere afflictum haberet, pronunciavi.

Quo auxilium adhiberem medicum, in eo laboravi, ut humoris acrimoniam, indefinenter acerbam, evacuantibus alterantibuſque quam celerrime reprimerem. Hunc in ſcopum, rebus uſquequaque collineatis, conceptis hiſce verbis præcepi.

℞. *Calom. quinquies ſub* gr. xv. *Spec. Conf. de Hyacinth. Conf. Roſ. r. ana* ℈i. *Syr. de Symph. q. s. f. Bolus, ſera nocte ſumendus: mane ſeq. Pilulas e Rudii* ℥ß. *Reſ. Jal.* gr. v. *Ol. Junip. ch. gutt.* i. *Balſ. Per. q. s. deglutiat, cum cuſtodia. Quarto vel quinto quoque die, ad quinque vel ſex vices, utrunque repetat diebus otioſis, horis duabus medicinalibus, Bolum e Cinnab. & Ceruſſæ Antim. ana* ℈ß. *Cort. Citreor. Cond.* ℈i. *Syr. Garyoph. q. s. Hora ſomni Pil. ex Æthiopis Min. (cum Mercurii crudi, & Flor. Sulf. ana p. æ. ſine igne facti)* ℈i. *Syr.*

Me-

Melissoph. q. f. assumat cum Jul. Haustu. Potui vero sit Infusum seq.

℞. *Calcis vivæ* Devonienſis, (*id est, fortissimæ*) ℔ß. *solve in Aq. pluviæ* ℔xxiv. *ad* xii. *coquendo evaporatis. Post Clarificationem leniter detrahe liquorem, eique adde Rad. Sarsæ, Chinæ, L. Sassafr. ras. ana* ℥iii. *Cort. ejusdem, Baccar. Junip. ana* ℥iß. *Milleped. siccat. No.* 200. *Coccinell.* ℥ii. *Uvar. passar. exacin.* ℥vi. *Infunde clausa, Balneo Arenæ, per noctem; Colaturæ adde Tinct. Aurant.* ℥iß. *f. Infusum, per se, vel cum exiguo Canarini loco Cerevisiæ usurpandum. Externæ vero, Desiccantibus Repellentibusque Cane pejoribus & Angue vitatis, Fotum adhiberi jubeo.*

℞. *Summit. Malvæ, Althææ, Lauri vulg. ana* Mi. *Flor. Chamæm. Sambuci ana* Mß. *coque in aq. font.* ℔iv. *ad* ii. *sub finem adde Lactis Vaccin.* ℔ii. *Immergantur Lanea, Pedibus, quoties Pruritus instigaverit, applicanda. Utroque denique Brachio Fonticulus aperiatur.*

His obtemperando æger multum profecit; pruritum hunc *ferinum* mitigavit; ad diutinum tempus delevit, & quoties reverteretur, hisce præsentissimis auxiliis; perfugio, & præsidio salutis certissimo, creberrime propulsavit.

CAPUT VII.

De Arthritide Lui Venereæ Succedenti.

Art. I. QUod immoderata Venus ad *Arthritidem* inclinet, eamque crebro introducat, ab antiquo positum est, ab omni sæculo decantatum; sic, ut in ejus προηγμένοις haud injuria cum primis habeatur. Similiter notandum, quod postremis his temporibus, cum isti luem (forsan ad humanum genus monendum deterrendumque) adjicere, rerum Auctori, Rectori, placuit, ab illa utique in *Arthritida*, tam facilis migratio, ut ætate nostra, quæ luis imperium longe lateque dilatavit, frequenti populo stabilivit, tyrannida confirmavit, ab affectu, quem resciverim, nullo, facilior quæquam aut usitatior.

II. Istam rem inspicienti, & ejus rationem perpendenti extra controversiam videtur, primum, quod hoc commune cum *Arthritide* (ut taceam alios affectus) habeat *Paursa*, nempe invictum (*a*) & ἀνεπιδεον τὸ, massam inquinans ac corrumpens sanguineam, utriusque morbi causam esse proximam & continentem: deinde, quod *Paursæ* etiam miasma, non minus quam *Arthriticum* illud, cum extollit se & ingravescit, e sinu suo ejicere, & sanguine expellere, vim operamque det natura: Ad hæc, quod virus *Venereum*, e sanguinis flumine jam expulsum, solidisque partibus inhærens, non pauca faciat Symptomata, cum *Podagra Paursæ* communia; membranis scil. dolores; ossibus, cariem: cuti, ulcera: unde denique conjectari licet, istorum affectuum miasma simile, & alterum alteri tanquam germanum, existere. Eccui vero novum videatur, quod, in materia simili tractanda ejiciendaque, natura (quæ nihil temere, nihil oscitanter, sed norma & consilio semper agit) evacuatione utatur simili, porta eadem, id est, articulis?

Has ob causas & hujusmodi alias, quæ est hodie *Arthriticorum* pars haud exigua, ab *Lue* incipientes, ad *Arthritida* perducuntur, nec grallatorem usquam veterem, aut decrepitum quempiam, & admutilatum obtuemur *Arthriticum*, quin apud vulgus suspicio de infausta olim militia confestim oriatur.

III. Nemo autem hominum (quantum auribus, vel oculis accepi) a recenti *Lue* & nuper contracta, natam unquam *Arthritidem* detexit; neque nasci posse facile concedam: motu sanguinis non minus intestino, quam periodico, cum eo commisceri intime; corpusculorum illius varie figuratorum appulsu frequenti, mutari egregie, atque ita tanquam mutari & evehi diutius miasma *Venereum* prius oportebit, quam arriculis illidi, & ad *Podagram* inducendam impingi potuerit.

Hac de causa raro grandiores, & ætate procedentes (serius scil. quam *Primigenia*) invadit hæc *Arthritis*, id est, ex sola *Lue* derivata; juniores vix quidem, at nullo modo adolescentes; quippe quibus evehendo miasmati nondum tempus sit idoneum.

IV. Sed e diverso, nec a veteri *Paursa*, terra, horrida, carie & ulceribus spurcata, *Arthritidem* generari vel solere, vel etiam posse, cogitandum est: id quod minime ex istius defectu, quin potius naturæ, quæ debilitata, fracta, enervata, hosti fugando, *Arthritidi* moliendæ, impar reperiatur.

Hisce medii generis *Paursa*, *Arthritidos* genitrix, causam habet, sanguini per minima insinuatam, ac quasi municipem, potius quam hospitem, ob affectatas res novas exulantem, & præfracte & cum luctu, licet ex naturæ mandato, per articulos abeuntem.

V. *Lui Venereæ* sua natura ad *Arthritidem* inclinanti & tendenti, manus affert adjutrices, calcar addit, Empiricorum mos ille pernicioſissimus, quo, in curanda gonorrhœa, puris suppressioni propere nimis insistunt hi Ardeliones; neglecta interim vel remisse facta, quæ maximopere, quæ studiosissime præmitti debuerat, purgatione. Ita enim intus hostis retentus, sanguinem integrior, & fortior subintrat, parteſque primum *Paursæ* agit principes; demum ævo labente *Arthritidos* speciem præ se fert: & ab hac istorum περιουσία potissimum, ex *Lue* tot ubique *Arthriticos* esse, jure merito suspicemur.

VI. Illis de *Affectu Primario* præmissis, de ipsius ægri corpore jam proxime dicendum est; quod utrum *Arthritidem* (secundario) adsciverit, an secus, ex illius ad eam propensione pendet quam plurimum: Quo major erga *Arthritidem* a natura corporis proclivitas, eo planius ab ea (mendaci) absorbetur.

Porro intelligendum est, quod etsi ista *Lues* in *Arthritidem* μεταβασις sæpissime sit in eodem corpore, tamen nonnunquam diversa complectatur: cum a mariti *Lue*, *Arthritis* in uxore per concubitum accendatur, & illam iste incestet. Hujus rei, utut nova credatur, historias omnino luculentas & exceptione qualibet majores, quando plures in adversaria retulimus, unam itemque alteram huic Capiti subjicere non gravabor.

Nec quidem hanc *Arthritidem* improprie *Lui* secundariam, tametsi corpus aliud exerceat, appellari posse existimo, quandoquidem ex *Lue* γνησιωτάτης oriatur, illiusque naturam, εἶδος ἢ ἦθος, nihilo certe minus quam si in eodem corpore sit, participat. Neque magis novum aut peregrinum hoc habendum, quam quod, in gnatos aut alumnos, oculorum *Epiphora*, seu quid aliud morbi a parentis aut nutricis *Lue*, derivetur: quo quidem nihil magis in vulgus notum, aut pervagatum.

VII. Qui hac *Arthritide* conflictantur, sæpe macilenti sunt, tenues, vultu quodammodo subsidenti, &, ipsius præsertim margine, lurido; oculis retractis, quodque eorum album esse debuerat, interdum subluteo; voce fusca, & cum roncho edita: verum non naturæ, sed morborum opera. Nimirum duram hi homunciones servitutem serviere; primum *Deæ Blandæ* obsecuti, deinde *Lue*, postremo *Arthritide*, laborantes.

VIII. Morbi hujus dolores vagi & erratici (sive præcurrentes, sive ejus accessionibus interpositi) a *Rheumatismi* doloribus eo distinguantur, quod hi posteriores a frigore tum ordiri, tum reverti, soleant; a vagæ *Arthritidos*, ut & a *Rheumatismis* istis, quod illi, origine nati *Venerea*, nocturni magis sint: deinde quod, ipsius paroxysmi hac in *Arthritide*, dolores, quam alia quavis, *cæteris paribus*, (ob acriorem causam continentem) atrociores sentiantur: Raro enim videas immanius vociferantes, quam a *Paursa* qui dolent articulis. Hoc, inquam *cæteris paribus*, quatenus ad sanguinem, ad animales spiritus, & ea universa quibuscunque doloris fumus plus minus patibiles, respiciamus. Quin etiam (præmisso, e *Primigeniæ* doctrina, quod dolor quo vehementior, eo paroxysmus regularis brevior, eo plerumque rarior) nulla unquam *Arthritis* paroxysmos habet adeo acri dolore stipatos, tam cito reversuros, tam simul longum duraturos.

Hæ sunt hujusce affectus certæ quædam conditiones, in eo illustrando signandoque usus & momenti haud exigui: quas si fides optima deficiat, neque semper illæ morbum oculis ex voto subjiciant, quicquid in diagnosi desideratum est, ex *Lue* percurrenti & ejus vestigiis perunctando adimplendum.

IX. Quousque se laudabiles ostentant paroxysmi, suum habent commodum, suas utilitates; quam autem primum interciduntur, aut multum illi remittuntur (ut aliis *Arthritidos* speciebus) non hoc nihil periculi. Si intercisis hisce nulla fuerit eruptio cuticularis, nulla aurium suborta humiditas, nullum uspiam ulcus, hæmorrhagia nulla, *Congestio* nulla; sed e contrario, in muliebri sexu sistantur etiam menses, & partus omnino cesset; Diis hoc iratis accidit. Porta jam obturata omni, & occlusa fugæ via, in caput transferri solet hoc casu materia νοσηρὴ, & vel apoplexiam, vel motus convulsivos, ægro fere fatales, excitare. Cujus quidem eventi, iterum & sæpius a nobis observati, mentionem idcirco feci, quod ex eo prognosticum haud inutile, tametsi mæstum, identidem eliciatur.

X. In hujus *Symptomaticæ* paroxysmo, ad doloris impetus solito majores quodammodo sedandos, & ex aliqua parte permulcendos, hypnotica dari prodest, pro rei necessitudine (caute tamen, ne illorum abusu materia morbi nervis impingatur) dimetienda. Reliqua, quæ ad paroxysmi therapiam pertinent, ex alio fonte (*Primigenia* scilicet *Arthritide*) ducta, ad hoc negotii facillime accommodentur.

XI. Quæ vero pars curationis *Prophylaxin* habet, & in accessionum intervallis exercenda est, a *Lue Venerea* mutuatur indicationem. Nam *Antisiphyl.* (cum evacuantibus, tum alternantibus) a miasmate causa morbi conjuncta, sanguis tuendus. Heic loci e *Lignis*, *ex Antimonio*, *e Mercurio*, *comparata*, quæ quam alia quavis *Arthritide*, in series ac methodos artificiose digesta, commodissime proponantur. Certe *Mayernus*, (*b*) experimentis & usu longe nobilissimus, *Mercurio* (*penitissima corporis subeunte, instar viverræ, jugulum morborum petente, Fermento eorum adorto*) *Arthritidem venereum certo curari*, non dubitavit asserere. Si per vires liceat, & nihil adversetur, usus hic eximii *Salivatio*; quæ tametsi in *Arthritide Primigenia* & ægroti & medici votis sæpe excidat, in hac *Arthritide Symptomatica*, ab ipsa *Luis* ipsissima profluente causa, magnarum esse virium, virtute singulari, æstimanda est. Quæ vero *Salivæ* optima movendæ ratio, quis modus obeundus? utrum spissus ille, paucis aliquot hebdomadis sed jugi rivo, qui absolvitur; an potius rarus, sed ad tempus diutinum qui excurrit; utrum continuus, an intercisus eligendus? id, ex ægri rebus omnino decernendum est.

De tempore *Ptyalismum* instituendi maxime opportuno, ut verbum addam; æstas a nonnullis præfertur, eo forsan nomine, quod durante illa sanguis scilicet evectus huic operi paratior habeatur; tum quod a frigore minus ea tempestate periculi: contra facit spirituum languor & impotentia, æstati propria, qua ad ptyalismum inhabilis redditur ægrotans; & media profecto hyeme, qua firmiores sunt ὁρμώντες, & longe vegetiores, quam æstate, qua fatiscunt, expeditius stadium hoc percurri constat. Ver autem ego malim, & hoc incipiens, quo æger per se ad hoc officii promptus, & tempore, ut ad salivam protrahendam, sic ad vires exinde resarciendas, diutino fortunatus.

Qui *Sputum* horret, *Calomelana* per anum exturbari patiatur. Dentur idcirco *gr.* ejus v. cum *Astringentibus*, bis die, per triduum, vel quatriduum. Postea *Catharticum*, quo *Mercurius*, cum pravis ab eo subactis & devictis humoribus, expellatur. Huic autem muneri *Catharticum*, quod ventrem leniter, at certo vacuet, sanguinem minus agitet (ne videlicet *Arthritis* irritetur) imprimis seligendum: conducunt *Aquæ Purgantes* cum *Manna hauſtæ*, post *Extracti seq.* ℥ß. *ad* ℈ii. horas ante aliquot deglutitos.

℞. *Agarici*, *Hermodact. Helleb. N. Epithymi*, *Turpeti*, *Mechoac. ana partes* ii. *Salis Tart. p.* i. *cum Spiritu Vini digerendo; exprimendo; tum Scammon. pul. partem unam addendo; dein evaporando, f. Extractum.* Repetenda vero hujusmodi purgatio, cum præmisso *Calom.* quarto vel quinto quoque die, tantisper dum materia νοσηρὴ, vel tota prorsus expelli, vel evacuando enervari, jure merito credatur. Sin ex ulceribus, & saliva, os affectare *Mercurium* advertas, ad eum subtrahendum, veluti frequentius, sic etiam copiosius, adhibenda *Catharsis*: Et quidem hisce *per Salivam*, *per Sedem*, excrementis, optime omnium perfectissimeque miasma hoc eliminari posse cogitandum est.

In sanguinis crasi redimenda, & veneno (si quod intus delituerit) cicurando, nusquam quidem non oportet *Decoct. L. Sii. Sassafr. cum utriusque cortice*, forte & efficax, pro anni tempestate, per hebdomadas aliquot, ne dicam menses, affatim quotidie, post usum *Mercurii*, miscere.

Aquæ

(*a*) Vide φυσικώτατον *Listerum*, Colleg. Doctissimum, de *Lue Ven.*

(*b*) In *Prolegomenis* ad Tractatum *de Lue Venerea*.

Aquæ porro *Diureticæ*, quales ſunt *Bationenſes*, *Bamptonenſes*, (valentiſſimum potentiſſimumque ſanguinis Καθάρσιον) recte diuque perpotæ, ad eluendam morbi hujus materiam non parum promittunt. Cujus quidem rei amplam & luculentam hiſtoriam, huic Capiti ſubjectam licet perlegere.

XII. Quinetiam poſthæc, ad majorem cautelam, aut *Aquæ* (ſi conveniat) omni æſtate repetendæ, aut omni vere, & autumno per *Merc. d. & Aq. Purgantes*, primum purgare corpus; deinde per *Alterantia* (qualia ſunt *Cin. & Ceruſſa Antimonii*, *Æthiops Min. Panaceæ Hartmanni*) humore ejus corrigere juvabit. Imo quidem iis, qui, vel conſtitutione infirmiori, vel annoſiores, ſalivam, ventrem, & urinam, moveri reſpuunt, *Antiſiphyl.* prædicta, cum *e Lignis Decocto*, ſummi erunt adjumenti.

Hiſt. 1. De Arthritide impura, Aquis Diureticis ſubacta.

FŒmina quædam e *Brigantio* integerrima, viro diſſimili juncta, poſt annos aliquot dolores ſenſit, per muſculos & membranas exteriores fere omnes, erraticos, rodentes. Caro interihæc tabeſcit: vultus pallet: vires enervantur. Currente media ætate, (id quod auſpicato incidit) ſæpius enixa eſt. A quo deſierat ὦ γαστὶ ἔχειν, *Rheumatiſmus* (quod dicitur) ingraveſcit, doloribus nocturnis, iiſque peracutis ſtipatus: præter quos, externarum partium internodia laceſſentes, per ſeptimum & octavum ætatis luſtrum & quod excurrit; artuum alii junctura rum erant pene omnium, fixi, & permanentes; cum earundem tumore, rubore, ardore, cæteriſque quod eſt paroxyſmi *Arthitici* Παθογνωμονικόν. Verum, in muliere ſanguinis parum calidi, temperante, morboque fatigata, tumores nec in eam molem efferuntur; nec æque rubent, nec pariter dolent, nec quæ alia ſymptomata ſunt, ſimiliter urgent, ac in *Arthritide* calida maximeque recta; imo ad *Frigidam* propius accedunt, tempus in diutinum procurrunt, & cito revertentia *Arthritidem* quaſi continuam, & perpetuo Παροξυόσαν, indicant. Quo tempore mulctantur artus, viſcera, & quæ intus ſunt tuta omnia. Cum ad tempus, etſi pauxillum, iſti liberantur, (quod utique non ſine ſummo diſcrimine plus ſemel obtigit) illa ſtatim afficiuntur. Tumoribus, gelatina turgidis, ætate fugiente, ſuccedunt toſi, numero complures; granum nunc hordeaceum, nunc fabaceum æquantes. *Antimonii Mercuriique Præparati* longum utebatur; at *Aquis Diureticis* (quas, ad libram unam alteramque omni mane, plerunque per dimidium anni, aliaſque in potum ordinarium perpetuo fere adbibit) omnium maxime profecit. Jam quadragenaria major, & (quod dictu neceſſarium) matrimonio paucis annis ſoluta, faciem ſic ſatis coloratam, *Rheumatiſmum* (ita loqui amat humanitas) mitiorem, robur adauctum, aliaque naturæ revireſcentis ſigna, læte gloriatur. Ob partus aliquammultos, & menſes ordinate juges; ob materiam per articulos pulſam, *Arthritida*, ſi non rectiſſimam, tamen utilem; ob medicinam opportune & diligenter adhibitam, vitam hæc Matrona piiſſima, venerabilis, etiamnum agit vitalem, actura (quantum hac in re conjicere datum eſt) diuturnam.

Probat hiſtoria; ex *Lue*, alio corpore exiſtente, poſſe alio, per concubitum, ſuboriri *Arthritida*; tum etiam *Aquis* præſertim *Diureticis*, poſſe permulceri.

Hiſt. 2. De Arthritide, Luis Sobole, a Δυσπέπτοις, *irritata, Febrim excitante, Caput aggreſſa.*

P*Aturſa* quidam adoleſcentia tactus (cujus perperam tractatæ, qua ſanguine, qua vultu, ad ſenium uſque paſſus eſt reliquias) vertente nono & decimo vitæ luſtris, ex macie priſtina corpulentus & habitior factus, Ποδαγικὰ. Plures ille paroxyſmorum vices ſubierat, triſtes ſane & calamitoſos, (ſed rectos & idoneos) cum, ex crapula cibo difficili & inepto avide ingeſto facta, αἰὼ τῇ κάτω aſſatim ejecit: capitis hebetudine, & vertigine correptus; pulſu celeri: æſtu univerſali. Quando in febres iſtius tempeſtatis (erant enim alius plane indolis) affectionem iſtam πυρετὼ referre neutiquam valuerim, & *Arthritidos* inſultus cum multiformes, tum etiam (tanquam lupi in fabula) ſemper huic ægro, minima quavis ex cauſa evidenti, paratos eſſe recoluerim; ex ea, ſed αἰωμάλως ſe fundente, illam optime derivari poſſe, una cum ægro, & qui aſtabant aliis harum rerum haud ignaris, judicavi: eique fundamento firmiter innixus, hunc in modum (profecto, quam in febre *eſſentiali*, vel capitis morbo quovis idiopathico oporteret, longe diverſum; imo in horum pleriſque contrarium) curationem ordinavi.

Ut *Arthritidis* materiam, capiti impactam, illinc excitem, & in artus partim expellam, partim invitem, pulverem primum *e Chel. C. C. & Purp. quarta quaque hora, cum Jul. Hauſtu, exhibeo. Deinde Phœnigmos* (*e Sem. Sinapios, Summit. Rutæ, Raſ. Radiculæ, Halecis fumo indurati ana part.* 1. *Fermenti vet. p. iv. cum Aceto vini Albi, ad Conſiſtentiam Cataplaſmatis*) *componi & applicari jubeo.* A *Pulvere* ſuſcitantur *Spiritus*, oritur diaphoreſis; a *Phœnigmo* malleolis (ea ſolebant, in hoc corpore, *Arthritidos* ſtativa eſſe) admoto, & quoties refrixit, quoad tumor hinc inde oriatur, renovato, caput omnino ſanum & incolume redditur, idque præſentiſſime. Tumoribus, ad majorem cautelam, (ut ne in ſanguinem, quod evocatum eſt, relabatur) epiſpaſtica ſuperaddi jubeo; unde ichoris *Arthriticis* fluxus ad dies aliquot jugis, ad aliquot annos ſalutaris: mitior enim aliquandiu poſt *Arthritis*, quod affectionem hanc *Arthriticam* eſſe ab eventu comprobavit. Cum jam lucuſcula per ſe exſiccarentur (ne quidem antea, ne fluxum tam felicem, tam blandum, tam ex omni parte benignum beatumque quodammodo abſcindere videatur) ventriculum, me hortante, movit: diebuſque poſthæc otioſis *Trifolii Paludoſi Infuſum*, *horis medicinalibus; Menſes binos, bono cum fructu quotidie potavit.*

Hiſtoria confirmat *Arthritidem*, *Luis Venereæ* progeniem, poſſe Δυσπέπτοις irritari; poſſe caput invadere.

Hiſt. 3. Lui Venereæ ſuccreſcens, Caput impetens, Arthritis.

SUb hujus ſæculi initium, fœmina quædam, ortu incolumis, piiſſima, lectiſſima, nec uno nomine ſpectabilis, marito jam olim paturſa, nuper *Arthritide*, diro morborum pari, mulctato, & miſerrime cruciato, annos circiter viginti nupta, ſemel bis peperat; exinde diu catameniis recte eſt potita. Poſtea *Scabiem* habuit aliam in cubiti ſummitate, ſiccam, ſubfuſcam, multiplicem, cum interſtitiis & ambitu purpureo; aliam in capite ſubalbidam, ſquammatim decidentem: in femore, & latere, impetigines, & mali moris maculas: his adde capitis; in tota parte ſiniſtra, & colli poſterioris, dolorem nocturnam. Ad hæc hallucis articuli majoris primum teneritudo, deinde dolor acutus & pungens; tumor item, & rubor ſupervenit; quæ quidem ita ſunt accidentia, ut *Arthritidem* oſtendant. Certe dolor ad integrum uſque menſem aliquoties manſit, alios atque alios digitorum articulos, pedum etiam plantas, identidem torquens, a cathartico improvide ingeſto exacerbatus; ſic ut de *Arthritide Lui* ſuccreſcente minime dubitandum.

Ut eruptiones tolleret, ex refrigerantibus neſcio, quid temperatum clam oblinivit; unde brevi caput tremere, manus & pedes Παραλύεσθαι cœpere; nec erecto corpore ſtare, nedum ambulare, potuit. Hiſce circiter diebus menſes ſupprimuntur, quæque vitia nota & manifeſta erant, ab eorum una ſuppreſſione naſci putabantur. Caput inde plus ſolito afficitur, magis enim magiſque tremit, vel ex imbecillitate antrorſum inclinat. Cum oculi ſomno conniverant, horror ingruit univerſalis, & ex improviſo totius ſubita corporis exultantia. Fugiente ſomno, brevis ſtupor, & motus ſæpe convulſivi, tum labii ſuperioris, tum oculi ſiniſtri, tum etiam totius capitis. Oculi porro dolor, viſus obſcuritas, & caligo. Sub hæc utriuſque genu, ſed occipitii maxime frigus intolerabile; faciei rubor erat; alvo, ſoluta refectio: cum ingraveſcerent ſymptomata, nec quo illis occurreretur, a quoquam unquam, quod ſciam, quicquam adhibitum, (ex prima enim morbi origine, rem ejus totam pertinaciſſime occultavit) tandem, fallente lingua & tertiatis verbis, ſummum enarrat, & implorat (heu! poſt bellum) auxilium. Nam inſultu graviſſimo, motibus convulſivis, & Ἀναισθησία comitato, brevi tempore morbus abſumit ægram, meliori fato (ſi Deo viſum eſſet) digniſſimam.

Hoc caſu miaſma *Venereum*, quod & *Podagricum*, intra ſanguinem aliquandiu retentum, neque partu frequenti, neque medicamentis, aut diminutum, aut ſatis cicuratum, naturam aggravare cœpit; cum inimico illa colluctatur; & ejus eliminandi ſatagens, *Arthritidem* molitur. Cum autem (ob ſanguinem forte Δυσμεταβλητον, vel alia aliqua de cauſa) ad *Arthritidem* ægra minus ſit proclivis; cumque per cutim, virus parce expellatur, & jam menſes ſuppreſſi ſint, adeoque fugæ via omnis occluſa; caput illud aggreditur, & genus nervinum, itaque laborantem opprimit.

Monet hiſtoria, *Paturſæ Podagram* æmulatæ materiam, in aliud corpus aliquando per concubitum infundi; in illo, veteri ſævitia procedere; caput denique obſtructis exeundi viis, adoriri.

Hiſt. 4. Arthritis Lui ἐπιγραμένη, *victu, Digeſtivis, & Equitatione moderata, tandem Inteſtina invadens, Sanguinis* αἰὼ τῇ κάτω *Miſſionem pariens.*

C*Upidinis* in caſtris, a prima juventute verſatus, miles quidam, *Mollior*, (quod ajunt) *Anſeris Medulla*: ejuſque præliis haud parum contuſus, circa mediam ætatem *Arthritide* corripitur; quæ, omni fere anno, ſuapte ſponte, acceſſiones iteravit; a malis autem moribus ſæpius, ſupra modum invitata. Cum annos æger nondum habuit quadraginta, in *Aſcitem* incidit, durum (Jupiter!) & ancipitem, quem demum eluctatus, curæ meæ aliquanto poſt occurrentis, ſe commiſit, ut adverſus *Podagram* (ipſo confitente reo) minime *Primigeniam*, item adverſus *Hydropa*, prophylaxin obſecrans. Claudum aſpicio, emaciatum vultu, præſertim ipſius margine, lurido; ſed oculo flagranti, ſed animo alacri vividoque.

Et medicinæ, & aquis mineralibus hoſtem internecinum hortor, quod illis tentare non liceret, diæta & exercitatione, quoad ejus fieri poſſit, conficere conetur: Ideoque equo, ſæpe, & multum, ſe oblectet; de victu maxime ſolicitus, non niſi Ἀπέπτοις nutriatur, &, a prandio ſemper Rubellum (quod vini genus ventriculo erat gratiſſimum, & uſu diutino probatum) hauriat: mature ſe in lectum det, parce, vel non cœnatus. Nec quid adhibui medicamentorum, præter *Infuſum Gentianæ*, *Zedoariæ*, & *Cubebarum*, eodem vino paratum, omni mane uſurpandum, & *Pil. Stom. cum G*, omni menſe, ad tuendam ſervandamque coctionem, *Arthritide* permittente, aſſumendas.

Horum adjumento (vitandis ſimul iis, quæ obeſſent) diu vixit ille, *Arthritide* non niſi recta, quantumvis *Symptomatica*, ſed acri, (forſan ob peculiarem ejus materiam, magis) ſed acerbo dolore comitata prægravatus.

Verum ad ſenectutis principia perductus, *Febre* cum *Diarrhœa* laboravit, & alvo reſtricta abdominis ſecuta eſt inflatio, ventriculi & inteſtinorum dolor; auſteræ poſtmodum materiæ, deinde ſanguineæ per os, brevi vero nigræ (pariter ſanguineæ) per anum miſſio. Ab ingruente *Dyſenteria Arthritis* ὦ τοῖς ἔξωθεν nulla. Ut his opitularer, per literas rogatus, primo *Leniens, præcepi*, *Sennæ & Rhab. Xerano infuſorum*, *Tum Bolum aſtringentem & Cardiacum*, (*eo nempe, quo in artus expelleretur arthritis*) *ter die cum Infuſi amari Hauſtum deglutiendum.*

Iſtius hominis initio *Lue*, *mox Arthritide*, tum *Hydrope*, iterum *Arthritide*, qua recta, qua reflexa & *Dyſenteriam* inferente, iiſque ſuo genere graviſſimis, affecti, robur & patientiam ſæpe demiratus ſum: Hæc enim univerſo animo præſenti, forti, & illis omnibus majori toleravit: ſpiritu nempe animali firmo, alacri, & elaſtico donatus; equitando ſummopere levatus; nam, ex podagra fractum, imbecillem, languidum, eo ſolo certiſſime citiſſimeque frequenter reſtitutum, obſervavi. Si flatus poſtulaverit, nec *Arthritidis* vetuerit paroxyſmus, bis terve hebdomada injiciatur enema.

℞. *Flor. Chamæm. Mi, Sem. Fenic. d. Carui ana* ℥ii. *Coq. in Aq. font.* ℔i. *ad* ℔ß. *Colaturæ adde Canarini* ℔ß. *Ther. Andem.* ℥ß. *Sac. rubri* ℥iii. *f. enema.*

Et in tormina *Decoct. e Carminantibus*, veſica incluſum, & ventri admotum; aliaſque pannus *Wallicus* abdomini imponendus.

Diu illum *Dyſenteriæ* ſuperfuiſſe audio, & tandem emaciatum, morbis & ætate confectum, diem ſupremum obiiſſe.

Hiſtoria ſignificat *Arthritidem Lue venerea* procreatam, victu idoneo, digeſtivis, ſed præſertim equitatione, non parum ſublevari, *Dyſenteriæ Productricem* auferri.

Hiſt.

Hist. 5. Arthritis, Lui Venereæ superveniens, melancholiam, Caliginem, Vertiginem, Convulsionem universalem, & demum Mortem, inducens.

OCcurrit e plebe viri cujusdam historia, natu integri, *Lue*, dum adhuc adolescereet, corrupti. Huic affectui, multum ope medica retuso, nequaquam extirpato, constanti jam ætate, supernata est *Arthritis*; quæ, lustris minimum tribus, recte agens, & omni anno semel iterumque redux, tandem in *Anomalam* degeneravit: sesquiannum nulla fuit. Exinde æger melancholia, gravedine, caligine, sensim est afflictus; uti etiam vertigine, eaque gravi adeo, ut in notos & familiares sæpe insciius irrueret. Cum iter aliquando intempestive faceret, ex frigore, primum visu, deinde sensibus internis omnibus, ipsoque judicio læso, per dies aliquot deliravit. Arthriticos hos etrores esse, quando mihi persuasissimum erat, (& tribus ab incursu mali primo mensibus, cum recurrere immaniorem, cum, auditus gravitate præmissa, vultus pallore, flatibus ἄνω κ) κάτω creberrimis, urina limpida copiosaque, spiritu difficili; & demum Ἀναισθησία accedentibus deprehenderam) quæ medendi ratio plurimum profecit ita se habuit: ut capiti succurratur, sanguinem mitti jubeo; ventremque per enema, per catharticum, subduci; & ad hostem in artus evocandum, utrique malleolo (solebat æger illis dolere) *Phœnigmum* applicari, tumoribusque hinc inde ortis *Epispastica*. Humor effluxit ichorosus copiose; magis vero, quod *Cardiaca*, (*Pul. Gascon. Vinum Hispanicum rubrum, Sp. vol. oleos.*) promota in auxilium, & quotidie exhibita, ad τὰ ἔξωθεν materiam expulere. Porro, in *Prophylaxin* crebra fit *per Pil. Rufi*, sed lenior, *Purgatio*: Et, utroque latere spinæ, inter homoplatas, fonticulus, sex pisorum capax.

Atque hisce artibus, labotantem, & tanquam animam agentem, ab ipso orco eripui. Verum materia, proptet naturam refragantem, neve satis evocata, neve paroxysmum, utut tentatum, faciens tegularem, caput, dudum enetvatum, iterum aliquandiu post adorta, ægrum media nocte post somnum placidissimum, *Spasmo* universali correptum, brevi tempotis spatio interemit, & indicio fuit, eam, quæ *Arthritidos* est a *Paturia* natæ, jam non amplius expulsam, interdum παλινδρομῶν, cetebtum adotiti, convulsionem univetsalem, eamque lethalem, ægro affette.

CAPUT VIII.

De Arthritide Asthmatica.

Art. I. *Asthmati* succtescit *Podagra* crebetrime pituitoso, sive ei quod a phlegmate pulmoni inhærente, & bronchia infarciente, sicque spiritus meatum obstruente, factum est: Hoc in causa morbi hujus idiophatici, proxima & conjuncta, ponitur; dum in primis iis stabulans saburra, & sanguis in canaliculis ad plethoram actus, sociam aliquando opetam adjungit, & ad hunc effectum confert κατὰ Συμπάθειαν.

Spiritu hac de causa difficili laborantes, interdum pet se, alia ex medicina, nono & decimo plerumque ætatis lustro, tato quidem maturius, Ποδαλγῆσι. Si, per victum inordinatum, Δυσπεψίαν, aliasve causas antecedentes vitium copiose alitur, & in sanguine congeritut materia, *Podagra* effectrix, proprio illa marte potest, & per se, in Paroxysmum erumpete; verum multo facilius patatiusque, si medicina fuerit extimulata.

II. Sunt autem stimulo, huic *Arthritidi*, uti aliis plane permultis, cujuscunque fuerint generis, *Cathartica*: quando eorum beneficio, ad amoliendum hostem, eumque in articulos extrudendum, natura promptius & habilius operatur; tum, ad hoc operis, e cathartictis Δραστικώτερα, præcipue faciunt; quando sanguinem exagitando, (quando ante dixi) novum affetunt orgasmum, quem e vestigio sequitur alieni ἐξαγωγή.

Valent hac in parte *Alterantia*, ad debellandum *Asthma* vulgo adhibita, quotquot uspiam a naturæ partibus stant cardiaca, & in fugando hoste ei opitulantur: quæ quidem alterantia, *Antiasthmaticorum* maxima, vel saltem immensa, portio putanda est.

III. De *Arthritidos* hujus materia, minime recentem illam esse, sed in corpore quod diu paroxysmum extiterat, in eo se occultans, vel hac de causa merito, suspicari licet, quia nemo repente Ποδάγεια. Imo quidem verisimile est, quod in corpote phlegmatico, tussi agitato, pituita involvatur, simulque cum ea, pulmoni commissa, per sputum illa κατ' Ἐπίκρασιν excernatur.

Quod ad amplectendam hanc sententiam me impellit, eique confirmandæ stabiliendæque unum sufficere videatur, non leve pondus argumenti, hoc est, (hujusce *Arthritidis*, prout observavi, Χαρακτηριστικὸν) nempe; quod aliis omnibus *Arthritidis* qua veræ, qua symptomaticæ speciebus, eo nomine dispar, æstate lætetur. Cum *Arthritis* reliqua omnis sua natura hyeme, vel minimum Sole infra æquinoctium vergente; hæc nostra, eo supra, imo ipsum circa Cancri tropicum aliquando erecto, suapte sponte, neque ex causa ulla evidenti Παροξύνεται.

IV. Illud tamen nequaquam ita capiendum, ac si hæc *Arthritis* omni omnino hyeme prorsus obdormire, neque per illam tempestatem quicquam unquam moliri soleat. Contra φαινομένη hujus ætiologiam, eo locari censendum est, quod hyeme, quo quidem profecto tempore cutis densatur, fallit δύσπνοιαν, & in pulmonem mittitur pituita, cum eadem in eum miasma etiam *Arthriticum* abripiatur, æstate vero cum superficiem & ambitum corporis humidum evocetur, extra idem tendat & artus appellatur. Ut hyeme ab *Asthmate* vincatur, sub ejusque vultu & persona delitescat, æstate propria eluceat.

V. Propterea quod *Arthritidis* hujus materia frequenti expulsione magnam partem eliminatur, profluere autumno, quod illius paroxysmi, utut dolore, tumore, rubore, aliisque symptomatibus, satis ad diagnosin signati) rato utique infestissimi cernantur, aut ex eorum numero, qui rosis, qui ulceribus, qui ossium catiæ, cæterisque fructibus istiusmodi acerbissimis, vel etiam nodis, doloribus diutinis, & id genus mitioribus, affligunt ægros, sed tolerabiles, & æquo animo ferendi sunt.

Cum autem istud sive paroxysmorum tempus, sive eorum clementia, non eo usque huic *Arthritidi* propria est, ut ex eorum altetutto, vel utroque possit illa internosci, quo aliquod Ἀπλωτικὸν, in medium promam, quotiescunque *Asthmati Pituitoso*, præsertim gtavi & diutino; maxime vero omnium, quoties usitate, & ex more subjicitur *Arthritis*; hæc ipsa est, quam ego *Asthmaticam* appello; primigeniæ, si paroxysmos, eorumque symptomata circumspiciamus, certe persimilem, successione luculentius, & fere sola agnoscendam.

VI. Ex dictis sequitur, quod *Arthritis* hæc *Asthmatica*, tametsi puram materiam & puram *Arthriticam* habere, per seque omnino veram esse concedamus; (quod tamen itane sit, an secus haud definitu facile) quando quidem *Asthmati* submissa est, ipsaque ejus materia gaudet, in *Symptomatis* censenda est; habita, videlicet, morborum successionis, & tam primarii, sive genuini, sive spurii (*Asthmatis*) quam secundarii (*Arthritidis*) ratione.

Ex eoque patet, quam sit ea sui generis ἐν τῷ πράττειν æstimanda, quam modo peculiari expugnanda; a vera *Arthritide* separata, quoniam nulla hæc successionem præ se fert, nullum agnoscit morbum primarium, a cæteris vero *Symptomaticis* quibuscunque, quoniam *Asthmate* subnata, ab eo pectoris, spiritus, tussis, sputi, considerationem deducit, necessarioque comprehendit.

VII. Ut hæc apertius exponantur, quoties de epicœnæ hujus *Arthritidis*, nunc pulmonem, nunc artus infestantis ὑπάρξει, constiterit, & curationem meditabimur, haud dubie prodest in priori statu (tametsi *Pituitosum* existimetur *Asthma*) rem *Arthriticam* non negligere; quin ad *Asthma*, quoties ingravescat, depellendum, in externis, simul atque fieri potest, dolorem excitare; quo nempe facta materiæ ad articulos Διαδοχῇ levetur pulmo. In eo certo operam locari commodissimam; in eo intentionem utilissimam, non inani conjectura, sed experimentis ex medio usu depromptis, & (ut opinor) ratione fretus, habeo persuasissimum. Hoc igitur spectans, *venæ sectione* vel prorsus abstineo; vel, quam in simplici pituitoso *Asthmate*, sanguinem minori quantitate detraho: ne scilicet natura, missione nimia & improvisa debilitetur, enervetur, & *Arthritidi* ptotrudendæ impar reddatur.

VIII. Catharsin per *Aloetica*, sive quævis illa, quæ tum alvum moveant, tum etiam sanguinem exagitent, & in orgasmum adigant, instituo. Novi quendam *Asthmaticum*, *Arthriticum*, qui *Spiritu Cochleariæ Aureo Purgante*, (cum *Scammonio*, *Julapio*, *vel fortasse Gambogia* comparato) ad guttas circiter triginta, ex vehiculo convenienti, felicissime creberrimeque utebatur: satis enim hinc dejecit, nec ita diu post optato doluit. Potionem ego sequentem, hujusce classis, sed magnarum vitium *Arthritico*, secundis avibus, semel iterumque propinavi.

℞. *Fol. Sennæ* ℥ß. *Fibrarum Helleb. nigri*, *Turpeti ana* ℥j. *Coq. in aq. font. q.s. ad* ℥iij. *Colaturæ adde Syr. e Spina*, *Elix. Salutis ana* ℥ß. *f. Potio.*

Catharseos ea quidem *Asthmaticis* utilitas, ut, præterquum alvum, etiam pulmonem exonerent, quandoquidem pituitam ab ea tenuari, discutique, sputum abundantius exantlari vulgatissimum est. Atqui purgatione jam semel instituta, non opus erit, ut de illius repetitione (quæ, a pituita simplici *Asthmatici*, per neque *Podagram* medendis, sæpe necessaria) nisi ex intervallo quodam, & urgente nova intus saburra, simus soliciti: ne scil. nimium exhautiendo, natutam, *Arthritidem* rectam & regularem impense desiderantem, alio infauste divertamus.

IX. Ad ea potius progredior, quæ, ut debelletur *Asthma* & (illius gratia) commoveatur *Arthritis*, validius connituntur: ideoque omni mane, haustum *Infusi amari Chalybeati* misceo, *Bechicis*, ne ventriculo, per se nimium languenti & obtuso, officiant, ad tempus pomeridianum relegatis. Tum vero, quarta circiter hora, iterumque nona vespertina *Balsf. Peruviani*, vel *Chilienfis*, *vel Sulf. anisati*, vel *Tinct Sulf.* Dosin majusculam, (*Tincturæ puta gtt.* xv. *ad* xx. *& de Balsamis simili proportione*) ex *Syr. Balsamici*, vel *e Succo Eryfimi*, *Coch. i.* cum allæ fortioris, vel decocti pectoralis clarificati, hausto præcipio.

Post dies aliquot hisce medicamentis collocatos, quamprimum iis efferetur sanguis, & pulsus digitum fortius repellet, statim, extra, loco sæpissime dolenti, admoveatur *Ceratum viride*, vel *Emplastrum Cephalicum*, *cum Picis Navalis pari quantitate*: vel, (si placuerit) *Phœnigmus*. Tumori demum facto, si locus erit, vel, si in digitis sit tumor, carpo, vel malleolo vicino *Epispasticum*, ut evocetur *Arthritidis* materia, nec in sanguinem repelli permittatur.

Altero vero statu, quo propria persona agit, & artus invadit *Arthritis*, ei studiosius insistendum, per amara, per *Chalybeata*, per idonea cujuscunque generis *Cardiaca*, si placuerit, excitandæ, per involucra, per crepidam, cæterumque mundum articularem, si viguerit, tuendæ servandæque. Rata enim esto, & indubitatæ fidei norma, naturam *Asthmati* descripto per *Arthritida* occurrere, medicari, & in ejus paroxysmo, conciliando præstandoque opottere illam adjuvari.

X. Intetea vero temporis, si istius ordinis sit *Asthmaticus*, qui sputo carere nequit, tametsi dolet articulis, ad illud sive retinendum, sive revocandum, *Bechica* vel e præscriptis in minori quantitate, vel leniora quædam, ut *Balsamum Gileadense*, seu *Lucatelli*, vespere præsertim, ex vehiculo jam scripto, assumantur: quorum beneficio, mane sequenti sputum egregie projicitur, nec ad meridiem usque (quod ab iisdem, mane demissis, solet evenire) obtundetur appetitus.

Etsi dolor & vigilia, comites *Arthritidis* importuni, premant ægrotantem, hypnetica tamen, quæ in *Asthmatis* speciebus aliis pleriisque omnibus, tum etiam in *Arthritide*, nonnunquam ope sunt eximia, virium pene divinarum, in hoc affectu, dosi aliqua notabili non sunt temere largienda; quippe quæ, cum multum *Asthmati* pituitoso, tum etiam non parum *Arthritidi*, sua natura vix satis asperæ, repugnent. Ad invitandum somnum, artes exerceantur, ut minus nocivæ; quales sunt *Lectio*, *Frictio*, *Palpitatio*, & ejusmodi alia.

XI. Simul ac castra in externis partibus metata est *Arthritis*, ibique fixit; abolescit corporis universi gravitas, spirituum hebetudo, respiratio angusta: tussis magna ex parte discutitur: pituitæ quod vesiculis inhæsit pulmoneis, ejicitur; perque *Arthritida*, jam demum regularem, cautum est, ne quid supra modum in eas infundatur: verum in iis, quibus *Pituitosis* ex consuetudine opus est sputatio, persistit ea usque, sed diminute.

Solet hujus *Symptomaticæ* paroxysmo adjungi (qui, cum *Asthmati Pituitoso*, tum ita *Arthritidi* veræ interdum a satellitio) *pedum*

tumor.

tumor ſeroſus, digitum accipiens, ægro ſæpe metum hydropis incutiens; qui tamen brevi temporis ſpatio, ambulatione, & motu corporis leni & idoneo aufertur. Hujus item pellendi ergo, frictio, bis die peracta, cum linteo craſſiori, adhibeatur.

XII. Qui nuper hac *Arthritide* deſederunt, in regionem eos apertam, & ventilatam quam primum migrare, equitatione crebras exerceri, convenit: movetur enim inde, quod in pulmone reliquum eſt pituitæ; & ſimul is ſanatur, & tono reſtituitur: quinimo ſpiritus eo reficiuntur animales, redintegratur appetitus, inſtauratur œconomia. Et quidem hunc in modum tractatos, ex hoc affectu vegetiores, & quam ante aggreſſionem longe tutiores obſervavi, donec otio, ſatietate, victu dapſili & opiparo, eidem iterum tradantur.

Cui quidem malo ut quodammodo occurrerem, e re futurum arbitror, cibi potuſque rationem aptam accurate proſequi; ventriculum digeſtivis roborare, Ἀπεπσίας fæces, & reliquias eccoproticis identidem ſubducere; itaque tum *Aſthma*, tum *Arthritidem* opportune præcavere.

XIII. Sicco nonnunquam *Aſthmati*, exquiſito, dicam, an notho? certe idiopathico, nec inflationibus nato, ſubnectitur *Arthritis*. Spirandi premuntur organa, per humores quantitate nimia illis commiſſos, neque vero in veſiculis pulmoneis ſimul depoſitos, & ſpiritus pro cauſæ hujus magnitudine plus minus eſt difficilis: tuſſicula eſt, anhelatio: & pectus interdum maxime gravatum. Nullos hoc *Aſthma* (quantum ego reſcivi) aggreditur, niſi partium inſigni conformatione, vel inclinatione hæreditaria, ei qui proclives ſunt; & autumno ilios, & euro increbreſcenre (pro more pituitoſi) maximopere infeſtat.

Cum aliquandiu ſæviit, interdum ei ſe adjungit *Arthritis*, tam cito ſecuta, & ea ſpiritus levatione, quæ humorum Μετάσασιν in externas partes; eoque harum dolore, qui *Arthritidem*, aut genuinam, aut eam probe ſimulantem, abunde monſtret.

XIV. In *Arthritide* hac *Aſthmatica* per venæ ſectionem, & purgationem materia pectore detrahenda, tum iis, ſpiritus animales quæ diffundant; quæ per fibras longe projiciant; quæ motus eorum regant; maxime vero omnium, quæ in artus mareriam pellant, ibique figant, omnino inſiſtendum eſt. Neque enim inhibeatur hæc *Arthritis*, multo minus ſupprimatur repellaturque atque adeo intendatur, in ægri ſalutem augeatur. Minime vero dubitandum, quin ægri vita & incolumitas per *Arthritida* recte moderatam conſervetur, ſanciatur.

Arthritidis Aſthmate, qua ſicco, qua pituitoſo natæ, exemplum mox ſubjiciam. *Aſthmati* ab inflatione (per nobiliſſimum *Floyerum*, graphice depicto) nulla unquam, quod meminerim, eſt ſubnata.

Hiſtoria 1. *De Aſthmate Pituitoſo, per Arthritida mitigato.*

VEtus quidam e proximo, triginta annos Δυσπνοϊκὸς labori olim aſſuetus, nuper ob ætatem emeritus, ideoque craſſior, & obeſior factus, difficilius ſpiravit. Hyeme, Anni 1696. (quo quidem tempore, propter autumnum humidiorem, & frigus inde impenſiſſimum, graſſabantur *Catrhari*) multum laceſſabatur ea *Aſthmatis* ſpecie, quæ (a materia) *pituoſa* nuncupetur. Pectoris enim oppreſſione, ſpiritu ſublimi laboravit, & deinde tuſſi, primum arida, poſtea pituitam exantlante, craſſam & tenacem. Neque ſpiritum ſine anhelatione traxit, neque cervice niſi noctu erecta; eo vero facilius, quo pituitæ plus emiſſum.

Ut opem feram, ex curatione *Aſthmatis* familiari, ventrem ter quater, diebus ſemper quatuor interpoſitis, ſubduco, majoriqne deinceps intervallo: *Anacatharſin* ad augendam, *Maſſæ pillularis* ℈j. *ex Linctus*, *Cochleari*, quarta pomeridiana & hora ſomni, deglutiit, cum vini medicati hauſtu: omni vero mane, quæ ventriculum tueantur *Infuſi amari Alterantis*, *Xerano compati*, *Coch. aliquot.*

℞. *Balſ. Lucat.* ℥ß. *Flor. Benzoin* ℥i. *Balſ. Sulf. Aniſati* ℥ß. *Succi Glyocr.* ʒi. *cum pice liq. f. Maſſa pilularis.*

℞. *Syr. e Succ. Eryſim. Ol. Amygd. d. r. ana. p. a. cum Sacch. Cryſt. probe temperando, f. Linctus.*

℞. *Allii inciſi* ℥ß. *Sem. Aniſi, Croci ana* ℈ß. *Infunde in Xerani* ℔i. *poſt debitam Alterationem coletur Infuſum.*

Poſt aliquod tempus (*ut mutatione Medicatorum a Nauſea caveretur*) *Tinct. Sulf. gut. xii. ex Syr. Balſ. Coch. i. pilularum loco aſſumpſit.*

Ægro hiſce ſublevato ſic, ut Προφύλαξιν *aggredi jam liceret, ad eam præſtandam, Xerani Rad. Gent. Summit. Abſ.* ℞. *Cent. M. Marrub. albi, & Fr. Cubeb. alterati, hauſtum, omni mane Senex potavit, idque per menſes multos.*

Horum ideo remediorum mentio a nobis facta, quoniam iis proſpere utebatur, tum ea hyeme, tum poſt ſæpiſſime. Nam cum *Aſthma*, per reliquum vitæ, ſub brumale ſolſtitium, ſemper recurreret, ad hæc ille, certiſſima præſidia, recurrere ſolebat.

Anno 1698. vertente vere, cum inſultum *Aſthma* vice jam tertia, triſtem & ſeverum renovaſſet, ægro in hunc uſque diem *Arthritide* (quod putavit) immuni, neque de illa ſomnianti quidem, dolet halli pedis ſiniſtri articulus major: inflammatur, rubet, ardet, more pertinaci & plane *Podagrico*. Gratulor vicino, de morbi tam commodi, tam ſalutaris, adventu. Contra ille obmurmurare, doloriſque impatiens, ex dolore periculum metiri. Ego vero exhortor, pulmonem eo liberari, anhelationem minui, contendo, & *Aſthma* per *Arthritidem* oportere vinci.

Hyemem Anni 1700. telerabilem habuit, ver inſequens periculoſum, ſole enim ſupra æquinoctium evecto, ſpiritus admodum gravis, imo quam per anteactum ſeſquiannum gravior; ægritudo univerſalis: appetitus proſtratus: nauſea & ſitis erat permoleſta. Cum ita diu valetudine quadam obſcura teneretur, ſolſtitio inſtante æſtivo, tempeſtate fervidiſſima, paroxyſmorum, quos unquam perpeſſus erat, omnium graviſſimo, correptus eſt *Arthritico*. Per univerſum pedis convexum extenſa eſt inflammatio, elata, ardens; ad calcem, ad tibiæ medium tumor; pulmo ab incipiente eo tutior, expeditior; ventriculus avidior. Placuit novam rerum faciem obtueri; perjucundam humorum Μετάσασιν contemplari; ad eamque promovendam *Tinct. M. & Elix. propriet. d. ana gutt. xx. cum Xerani Amaris alterati Hauſtu, bis in die, ſumendas imperavi*. Porro vini iſtius (quando jam ætate grandiori delicium erat, neque ventriculo ingratum) ℔ß. quotidie bibendam, quo nempe, miaſmate *Arthritico* in pedem exulante, ſanguis purgaretur; defenderetur pulmo.

Menſes circiter binos duravit paroxyſmus, & ægrum uſquequaque beatiorem fecit, vegetum nempe, acutum, alacrem, ventriculo præter modum avido & latranti, ut decennio noviſſimo nunquam magis. Unus illum pedis tumor gravatum habuit, qui tamen commodum ſuum, & utilitatem tædio longe majorem attulit; cum a materia pedi affixa pulmoni melius ceſſiſſe, minime indubitandum eſt.

De hujus ægri *Arthritide* nequaquam prætereundum, quod aliis *Speciebus*, quæ Anni dimidio hyemali ſua natura παροξύνται ad unam omnes, hac ex parte multum abſimilis, æſtatem amat: hyeme ne ſemel quidem in externis; partibus, ſole citra æquinoctium verſato, jam ter emicuit, & paroxyſmos totidem perfectiſſimos exegit.

Paroxyſmi, modo tam memorabili, tam præter morem reduces, iſtius *Aſthmatis* naturam indigitant, exponunt; & in *Arthritidem* illud ex facili migraturum eſſe, & diebus ſaltem hiſce poſtremis, a puro *Aſthmate* pituitoſo non multum abhorrere monſtrant.

Hiſt. 2. De Arthritide, Aſthmati ex Plethora, feliciter adjuncta.

VIr nobilis, craſſus, plethoricus, decennio labente ſexto, *Aſthmate*, cui ex thoracis brevitate, abdominis prominentia, præcordiorum diſtenſione, pronus erat, afficiebatur. Quo me tempore primum accerſivit, afflictim ægrotavit; pene ſuffocatus, ſpiritum traxit ſublimem, & ob organa conſtricta laborioſe: tuſſiendo nihil excrevit.

Spiritus impedimenta, per catharſin & venæ ſectionem deduco. Deinde, quibus coctio perficiatur, itaque flatus pervertatur, quibus roborentur Ὀρμῶντες, dilatentur, expandantur, adeoque modo omni augeatur reſpirandi ſpatium, ea præcipio quæ ſequuntur.

℞. *Conſ. Abſ.* R. *Pul. Rad. Ari C. ana* ℈i. *Chal. Nutrit.* ℈ß. *Syr. Meliſſoph. q. ſ. f. Bolus.*

℞. *G. Ammon. Bdellii ana* ʒiß. *Flor. Benzoin. Extr. Croci aa.* ß. *Balſam. Lucat. q. ſ. f. Pilul.*

℞. *Aq. Rutæ, Hyſſopi aa* ℥xii. *Pæon. C. Bryon. C. aa.* ℥iv. *Marg. pp.* ʒß. *Sacch. Cryſt. q. ſ. f. Jul.*

Sumat Bolum omni mane, Pil. quinque omni nocte cum Julap. Hauſtu, eique inſtillentur Tinct. Caſt. gutt. xx.

Quod liberius ſpiraverit, id *Evacuantia*; quod adhuc multo magis, id ex propoſito fecerunt *Alterantia*, ſed diutius uſurpata. Iſti vero libertati par, novum exoritur malum, ſi modo ita poſſit appellari, quod in vitæ tutelam, quodque ægro auſpicatiſſimum evenit: Quippe compoſitionum jam dictarum & iſtiuſmodi aliarum opera factum eſt, quod humeri dolor, tumor, rubor, ne plura, quod *Arthritis* emicuit; quod per artus, ex eo tempore quam plurimos peragravit: quod frequentem in eos crudelitatem exercuit: quod exinde pectori pari menſura longe melius. Conſtat enim, & omni majus eſt exceptione, quod ab *Arthritidis* exortu ſpiritui pulmonique longe felicius ceſſit: ut ægro jam fere unicum reſtet tempori tam *Arthritidos*, quam *Aſthmatis*, cauſas remotiores prævenire; aut deinceps *Aſthma* per *Arthritidem* curare.

De Arthritide Febri Succedanea.

Art. I. ARthritides chronicis oriundas hucuſque dedimus; de illis *Febre*, qua *Continua*, qua *Intermittente*, morbo acuto, quæ naſcuntur hodie ſermonem faciemus.

A *Febricula* quadam *Arthritidis* paroxyſmum ferme omnem exordiri, manifeſtum eſt. Differt autem illa, brevis ſcil. parva, ſymptomatica, quæque ad Tribum, aut *Febrium* perfectarum claſſem ullam referri nequit, ab ea, quæ a nobis hoc tempore dicenda, exquiſita, & in genere ſuo conſummata eſt.

II. Cum *Febris* nonnullius ſpeciei ratio, & eſſentia in eo poni videatur, quod effervescentia ſit, ob ἑτερογλωσσίαν, & indomitum aliquid, in ſanguine contentum, eumque perturbans, (illius nempe expellendi ergo) concitata. Aliæ vero *Febres*, quod ab auctore (*a*) nupero argute propoſitum) de obſtructis glandulis, & inæquali, quæ deinde ſequitur, enormique fermentatione, oriri cenſeantur. Immo quidem omnes, cujuſcunque generis ſint, hoc inter ſe commune habeant, & in quo conveniant, quod ſanguinis motum, & orgaſmum ægrotanti talem faciant, qui ſupra naturæ tenorem, (mitis ille & benignus eſſe reperitur) immodicus, vehemens, & morboſus eſt: palam eſſe reor, quicquid horum reſpicias, quemcumque fontem adeas, *Febris* in *Arthritidem* abitum & Παρέκβασιν, ut naturæ, ſic rationi conſentaneam, deduci poſſe perfacile.

III. Ut enim hiſce ſingulis parumper inſiſtam, quoties a miaſmate, (quod prius dixi) *Febris* occepit; nec incomprehenſibile, nec explicatu difficile eſt, ab eodem primum concito, & debacchanti, *Febrem*, ab ipſo poſtea lenito, ſubactoque, *Arthritidem* accerſiri; ſic, ut eadem ſit utriuſque cauſa (quæ dicitur) conjuncta, ſed diverſo modo longeque diſſimili agens; nunc iracunde omnia, ſupera, & infera, conturbando, pacate nunc, & leniter, rem gerendo.

Cui quidem opinioni favet id quod ſequitur, cum experientia maxime conveniens, eſſe nempe virus *Arthriticum* ſanguini movendo, *Febri* concitandæ valde per ſe appoſitum; quodque raro ut paroxyſmus (integrum volo, & numeris abſolutum,) ſit ἀπύρετος committat. His autem addere proclive eſt, quod idem, quoties exulare arduum eſt, orgias in ſanguine pertinaces, id eſt *Febrim* accendat, quoque magis arduum, eo magis pertinaces. Itaque materia, ſive *Febrilis*, ſive etiam *Arthritica*, utrumque poſt affectum, tam videlicet *Febrim*, quam *Arthritida* progignere.

IV. Sin a glandulis obſtructis (quod altero loco confirmavi) *Febris* oriatur, miaſma tamen *Arthriticum*, in ſanguine quieſcens, & obſturum, ſive per hanc, ſive per aliam quamcumque *Febrilem* effervescentiam, in paroxyſmum adigi poſſe, & impelli, nihil utique vetat, quinetiam veriſimile eſt. Quando per æſtum ambulando, equitando, aliove quovis exercitationis genere, adſcitum, ſive etiam diaphoreticis, interne ſumptis, ſanguinem exagitantibus, paroxſmum effici poſſe certiſſimum eſt, & frequenti conſtat experimento.

V. *Arthritidos* hujus a *Febre* deſcendentis ortum, & natales, quam quæ maxime, illuſtrant ea, quæ a nobis de *Angina Arthritica* in *Anomaliis* ſunt perſcripta. Quanquam enim *Angina* illa videatur, at ma-

(*a*) Vide *Synochorum Theoriam Novam*, addam etiam Αἱτιολογωτάτω, impreſſam *Londini* Anno 1721.

at manifesto sit *Arthritis Anomala*, (quod suo loco divulgabitur) ideoque infra debeat exquiri; tamen in præsentia notari potest, hanc *Arthritidem* non nisi *Febre*, eaque magna, & gravi præcedente, esse.

Ratum igitur esto, & persuasissimum, *Febri*, id est, morbo acuto, non minus certo, quam hydropi, quam lui venereæ, quam scorbuto, quam morbo hypochondriaco, quam alii cuivis affectui, chronico, & diuturno, *Arthritidem*, tametsi forte rarius, supervenire.

VI. Ratione paroxysmorum, una est *Arthritis* ex *Febre* nata; quandoquidem illi (ut istam rem video) & inter se, & ab *Arthritidis primigeniæ* paroxysmis haud multum discrepant. Ratione vero ortus, non uno nomine diversa est, & a se dissentiens. Alia enim *Arthritis* ex materia *Febrili* παροξυνούσῃ; alia ex tranquilla, & dormiente; alia ex ipsa *Febris* materia; alia ex diversa, & a febrili distincta; sed per *Febrim* in paroxysmum casu & fortuito evecta, procreatur; alia habitudini πυρεκτικῇ in *Febrem* crebro erumpenti, sed tandem interciſæ; alia *Febris* insultui subjicitur; alia *Febri* continuæ; alia intermittenti; alia denique usitate, & ordinis quadam perpetuitate; alia semel tantum, & quasi casu. Harum ego exempla statim expromam, & ea quæ dicuntur confirmabo experimentis.

VII. De curatione monendum, quod quæ febri, sive Ξωώχῳ, (cujus exemplum est insigne) sive Ξωεχεῖ, subjiciatur *Arthritis*, sic, ut ea glisccnte, & ferociam exercente hæc in conspectum se det, omni diligentia, summo, quo possumus, studio promovenda est; quo nempe per illius augmentum minuatur *Febris*. Et quidem omne illud, quod, in curanda hujusmodi symptomatica, notatu dignum & diligentius persequendum invenitur, in ea provehenda collocatur. Cujus quidem rei, qua perfici possit, methodus, quando toties hoc scripto enarratur, non est, hoc loco quod de illa speciatim agam.

Verum in hujusce *Arthritidis* prophylaxi navanda est opera, ut *Febris* illius, cujus ea symptomatica fœtus est & germen, habeatur ratio. Si habitudine, uti dixi, Πυρεκτικῇ *Arthritis* oritur; in eo laborandum, ut istam tum habitudinem, tum *Arthritidem*, efficiens materia, *Venæ sectione*, *Catharticis*, (*lenientibus*, & *blandis*,) *Aquis Diureticis*, *Diæta Lactea*, & istiusmodi aliis, in *Arthritide Calida* præscribi solitis, exterminetur, corrigatur, prævertatur.

Si Febri Ἐρυσιπελατώδει supervenire, eique crebro (in constitutione cholerica, quod aliquando exploratum) subesse, gestiat *Arthritis*; cum utrumque morbum, naturæ (sui defensionem molientis, & alienum nunc per ambitum corporis, nunc per articulos expellentis) opus esse cogitandum est, eniti oportebit, ut, dum insultus sit, utrique faveatur; *Febri* scil. per diaphoretica, *Arthritidi*, per cardiaca, causam utriusque continentem expellendo; & dum vacatio fuerit, causa utriusque antecedens *Aquis Diureticis* eluenda, *Lacte Asinino*, & mediæ materiæ diæta, permulcenda.

Simili fere modo procedendum, si ab ulla alia *Febre* ortum habet *Arthritis*; illius scil. prophylaxis secundum morbum antecedentem omnino instituenda, & in affectos studiose derivanda.

Hist. 1. *Arthritis Synocho-Secundaria.*

MErcator *Exoniensis*, suavissimis moribus, & leni vir ingenio, vultu florido, & constitutione sanguinea donatus, Cereri & Baccho (quod quidem illius temperamenti hominibus familiare) per ætatem mediam indulgendo, favente etiam corporis ad *Arthritidem* inclinatione, hæreditaria, septimum, vel octavum agens ætatis lustrum, illa corripiebatur.

Dolor hujus affectionis signum prima acie luculentum, per annos plures πλανητικὸς, hos illos artus pervagatus est, rheumaticus esse visus; neque prius quam articulis est affixus, arthriticus censebatur. Hic autem dolor, hæc *Arthritis* ita obfirmata est, ut æger, annos habens vix quinquaginta, membra permoleste traheret, gravia scilicet, δυσκίνητα.

Catarrhis item, autumno & hyeme fauces usitate obsidentibus, infestabatur; qui materiam forsitan *Arthriticam* ex aliqua parte dimitterent, & imminuerent.

Sexagenarius prædium petiit suburbanum, ubi ob aerem apricum & bene ventilatum, victu pleniori se implevit. Exinde per biennium, articulis parum doluit; sed coloratior, sed habitior factus est. At, væ arthriticis crassescentibus! Dum ita res erat, & ad morbum aliquem magnum & gravem corpus paratum, ex frigore, mense Octobris 1701. febricitavit, & quidem paulo posthæc infestissime. Algor erat, sopor, lingua subfusca, tussis, dolor lateris, qui sanguinis missionem suadere videretur: febrium mos, per illam tempestatem epidemicorum malus, dissuasit: pulsus ægri languidus & inæqualis, cum voce tremula, suspirio frequenti, spirituum inconstantia repugnarunt.

Ego certe rem mecum volvens, materiam νοσηρὰν, seu *Febrilem*, seu *Arthriticam*, in ambitum corporis oportere, & quidem commodissime per cardiaca & diaphoretica posse extrudi, febremque optime *judicari* opinatus, sic præcepi.

℞. *Pulv. Lapid. Contray.* ℈j. *Conf. Lujulæ* ℈ß. *Syr. Melissoph. q. s. f. Bolus, quarta, 5ta, vel 6ta quaque hora (ea scilic. frequentia, quæ ad excitandam diaphoresin sufficerit) assumendus, cum Jul. Haustu.*

℞. *Aq. Melissæ, lactis Alex. ana* ℥vi. *Theriac. Epidem., ana* ℥iii. *Margar. pp.* ℥ß. *Sachar. q. s. f. Julap.*

℞. *Rad. Petasit.* ℥ii. *Scorzon. Cond.* ℥i. *Hord. mundat.* ℥ß. *Coq. in Aq. Font.* ℔iv. *ad ii. Colaturæ adde Sacch. Crystal. q. s. f. Decoctum Nycthemeri spatio ebibendum.*

Ex horum usu sudor extillavit, emanavit; & inter hæc emicuit dolor pedis arricularis. Partium mearum esse duxi naturæ obsecundare, & pro virili dolorem intendere, tumorem excitare, materiam artubus infigere. Quocirca *Phænigmum ex Raf. Radiculæ, Sem. Sinapios, &c.* pedi affecto applicavi. Hinc paroxysmus *Arthritidos* absolutus, dolore vehementi, tumore, ardore; &c. notabili signorum globo stipatus, progrediente paroxysmo, & quidem pro ejus progressu, declinavit febris. Facta denno ἀπυρεξία, propter animales spiritus, qua *Febre*, qua *Arthritide*, debilitatos, & pessundatos, propter appetitum debilem, & prostratum, instaurandum, *infusi amari alterantis* haustum bis quotidie potavit.

Tametsi omnis *Arthritidos* paroxysmus *Febrim* habet, in prima acie flammas excitantem, & quidem in plethoricis & sanguineis similis fere modo, & utriusque mensura, ut qui multum doliturus sit, multum ante febricitet, & contrario; non adeo tamen accendi solet evehique, nec ita perseverare, febris ista *Arthritidis* paroxysmo præludens, ac quæ modo a nobis declarata est. Ideoque febrim istam *Essentialem* esse, tandem in *Arthritida* desinentem, pro certissimo habendum.

Tanti esse judico, isthæc commemorare. Primum, ut ostendam *Arthritida*, non semper ratione totius morbi, sed & unius ratione paroxysmi, posse esse aliquando secundariam.

Deinde, hujus nostræ symptomaticæ paroxysmum, quam maxime possumus, esse promovendum, augendumque, ut illius augmento de morbi primarii, de *Febris* acrimonia & viribus derogetur.

Hist. 2. *De Arthritide Habitudini* πυρεκτικῇ *Subjecta.*

VIxit jampridem apud nos spectabilis & illustris fœmina, vultu vitali, temperamento post hominum memoriam maxime sanguineo, patre prognata *Arthritico*; quæ, dum media ætas ageretur, *Febre*, eaque magna, creberrime revertenti, & raro annum amplius absenti, lacessita est. Quicquid inidonei & naturæ proposito alieni, in sanguine coactum, per illam magnopere, temporibus statis, deturbatum est; sanguis expurgatur; atque adeo res salutis sarta tecta, & ad tempus aliquot immunis. Cum vero, progressu ætatis, sanguis imbecillior, & efferri minus proclivis erat; *Febris* intercidit, ex eoque tempore (quamvis ægra sæpissime enixa est, nec adhuc fefellere, quinetiam more prorsus salutari fluxere, catamenia) desubito prosilit *Arthritis*; non ea quidem frigida, segnis, ignava, lento gradu prorepens, paroxysmum habens languentem, at diffusum, & ad temporis spatium excurrentem, (qualis solet esse fœminarum) sed e diverso vegeta, sed acuta; quæ calorem habuit universalem intensum, partis affectæ inflammatum; quæ ruborem plane igneum; quæ tumorem insigniter protuberantem; quæ dolorem acriter mordentem; quæ paroxysmi cujusque symptomata difficilia, gravia, rapidiori gyro exacta; quæ denique paroxysmum brevi circuitu redeuntem, & animi alacritatem articulorum nodos tofaceos, cæteraque *Arthritidis* calidissimæ consummatissimæque vestigia relinquentem est amplexa. At (quod hoc capite præsertim observandum) a *Febre* ad *Arthritidem* tam propere, transituque tam exiguo, abripiebatur ægra, ab incunabulis affecta, ut materiam in sanguine latentem, primum per *Febrem*, ea vero cessante per *Arthritidem* ejici, sine ulla dubitatione statuendum: Sic, ut *Arthritis* superveniat *Febri*, & (quod in præsentia discutiendum) ex istius quasi cineribus exoriatur.

Hist. 3. *De Arthritide, cum Febre* Ἐρυσιπελατώδει *vices exercente.*

NObilissimus senex, hypochondriacus, *Arthriticus*, paroxysmos habuit olim frequentes; per biennium ante quam hæc scriberem, nullum. Delinquente verum *Arthritide* regulari, simili proportione ingruit vertigo; & interdum Ἀναισθησία, ut, his affectibus procedendo longius, æger in humum persæpe caderet; &, ne cum damno præcipitaret, summum erat periculum. Quinetiam, membranæ, & ligamenta cervicis, per acceptum miasma *Arthriticum*, dolore multum affecta, spasmo identidem riguere. Nuper item ventriculus ægrotavit, acidum, ærosum, cholericum ejiciens. Hoc ego tempore accersitus, & hosce capitis affectus, meras esse *Arthritidis* nuper occultatæ anomalias advertens, quæ ad materiam ex capite ducendam, &, vel e corpore, vel in artus, solicitandam, per venæ sectionem, & catharsin, erant necessaria, persequi destinaveram; cum (eccam!) ultro se transfert *Arthritis*: ejus vero, tanquam clavo trabali, sistendæ figendæque gratia, *Phænigmum* in præscriptis dedi.

℞. *Fermenti veteris partes iii. Raf. Raph. Sylvestris, Sem. Sinapios. Fimi Columbini ana P. i. cum aceto vini albi ad Cataplasmatis consistentiam temperentur super linteo duplicato pars calida extendatur, totis utrisque pedibus applicanda; laneis cingenda, cum refrixerit repetenda, donec usque tumor augeatur.*

Si ex doloribus Syncope suboriatur, Sp. C. C. gutt. cum Jul. Cardiaci Coch. quatuor vel quinque assumantur.

Horas post duas tumuit utrinque malleolus; ex eoque caput, supra quam dici potest, allevatum. Diu manebat inflammatio; oculi vigor restitutus: capitis tutela est. Istam autem historiam, (alius certe inscriptionis, si modo dicta perpendamus) huc loci retulimus, quod, de hoc affectu, cum ægroti Medico familiari & domestico, quo tempore nobis sermo intercederet, nuntiavit vir præclarus, omnem hanc *Arthritidem* ex *Febricula* pendere; quæ, eruptionibus quibusdam in cute miliaribus sociata, commode, & cum sanguinis depuratione, vigere, & insultus anniversarios agere soleret; nuper autem intermitteret: ea carere cum nequiret æger, sic, ut dictum est, *Arthritide* laboravit.

Hist. 4. *Quartanam, Cortice suppressam, Arthritis sequitur cum* Arenulis.

NEc continuæ tantummodo, *Febri* etiam *Intermittenti*, pedisequa est *Arthritis*: Cujus rei historiam, luculentam (Hercules!) & notabilem, ad hæc admisscre non gravabor. Etiamnum in vivis est ob præclare acta vir insignis, qui, ante decennium & quod excurrit, de valetudine, tum præterita, tum eo tempore præsenti, certiorem me sermone fecit. Fuit illi, robusto a natura & athletico, nec adolescentiam prætergresso, ob tabem forte veneream, (hoc enim subolebat) corpus summe fœdatum, Κακοχυμίᾳ mire inquinatum; sub qua Προηγουμένῃ *Febre* primum *Quartana* correptus, eaque tum gravi, tum diutina, conflictatus est: donec cortice (quem ἄνω καὶ κάτω præcessit catharsis) Peruano levaretur. Nondum hebdomada quartanam siluit, cùm inopinato doluit, tumuitque, & quidem tum temporis primum pedis digiti majoris articulus. *Podagra* erat, signis suis diacriticis satis superque manifesta. Ut morbus non tam perimi & deleri, quam sopiri; non tam extirpari, & de medio pelli, quam vultum mutare videatur. Hoc autem casu fieri ne quis existimet, urgente, non ita diu post, eadem necessitate, *Quartana* scil. recidiva; *Febrifugum* idem cum repetere necessum erat, idem iterum evenit, præclusa etenim per

Quartanam exturbandi hoſtem methodo, natura ejus auxilium molitur, & quidem derepente, (ſic, ut prius) per *Arthritidem*.

Cum *Arthritis* ægrum deſeruit, depravato ſanguine & humorum εὐκρασίᾳ penitus everſa, ſubſtituit ſibi alterum in ægro exercendo quaſi collegam, *Calculum*. Materia per renes partim expulſa, & eo loci in arenulas coacta, & concreta, vomitum, Στραγγουρίαν, dolores acerbiſſimos, cruciatus intolerabiles, induxit, eoſque tam frequentes, ut rara ſex menſium ab his vacatio; quin affectus hujus vel illius eſſet inſultus; & eorum fere alternatim. Longe hinc agentem quando ita voluit per literas ſuaſi, ut debita præparatione, per venæ ſectionem, per utramque catharſin, præmiſſa, aquis diureticis ſanguinem purgaret. Vino, quoniam ei inimicum erat, & perraro impune hauſtum, penitus abſtineret. Quid horum factum ſit, quave utilitate, mihi per diſtantiam omnino latet.

Hiſt. 5. De Quartana in Arthritidem mutata.

IN morborum ſucceſſionibus & derivationibus explicandis, nonnullius momenti videatur id, quod de *Quartana* in *Arthritidem* mutata, altero jam exemplo, proferetur. Vitam hoc tempore apud nos urbanam ſequitur, inſigni probitate, nec quo melior eſt, homo; qui, cum media circiter ætate eſſet, per autumnos ſeptem ex aliis alios, ut ab ipſo audivi, laboraverat *Quartana*: exeunte Anno 1696. miſere torquebatur. Ut ægro natura imbecillo debilique primo quoque tempore Medicus ſubveniret, per *Decoctum Corticis*, & *Opiata*, morbum ſufflaminavit, *paroxyſmos* ejus ſuppreſſit: quæ ad auferendam, & expellendam morbi materiam opus eſſent, iis ad tempus opportunum & magis idoneum neceſſario dilatis. Non defuerunt, qui paroxyſmis liberato, & immuni, ut a reliquiis *Febrilibus* eum tuerentur, certiſſimum probatiſſimumque hac in re auxilium, *Acidulas* proponebant, & tantum inducias, non autem pacem, inire morbum, acriter urgebant. Hiſce vero poſthabitis vitæ genus quietum, neque laborioſum ſatis agens, ab *Arthritide*, quam antea parvam, & mediocrem tulit, gravi nunc & moleſta non ita poſt deſedit. Recurrit *Arthritis Quartanæ* copiis adjuta, tum multo fortior, tum item frequentior: variis poſtea ſymptomatibus ſignata, morem varium aſſecuta, donec æger *Arthritide*, *Quartanæ* viribus adaucta, depreſſus, nec ab imbecillitate ei vel tolerandæ, vel curandæ par, e vivis exceſſit.

CAPUT X.

De Arthritide ex Colica.

Art. I. AFfectio *Colica*, ſic a veteribus ab inteſtino *Colo* nomi-nata (quamvis *Cæcum*, & *Tenue* quodque inteſtinum, imo *Ventriculum* eodem affici certiſſimum eſt) hiſce regionibus adeo graſſatur, ut in morbis hujus populi pervagatiſſimis, tanquam vernaculus habeatur.

Prætermiſſa vero *Colica*, cum fortuita, tum ſymptomatica, tum hyſterica pure dicta, aliiſque ejus ſpeciebus, quæ ad Dionyſum noſtrum nequaquam pertinent; ut de illa tantum, quæ *Arthritidem* præcurrere, in eamque (falſam & mendacem) mutari ſolet, faciam ſermonem, eſt illa diuturna, alvo plerunque dura, creberrimis interdum *Dejectiunculis* ſoluta, dolore potius conſtanti & obtuſo, quam acri & acuto ſignata; nec non eos potiſſimum invadit, quibus *Inteſtinalis* fiſtula muco parum oblita, vel quibus illius fibræ tenuiores, vel ſpiritus haſce incolentes ſunt teneriores; citoque irritabiles. Quique ad hoc morbi homines a natura proni ſunt, ex pravo victu, frigore vel Δυσπεψίᾳ, cauſis hac in re procatarcticis, in eum præcipitant.

II. Quoniam vero *Colica*, quæ *Arthritidem* antecedit, natura multiplex & diverſa eſt, ut de hac aperte & luculenter dicam, de variis illius membris omnino aliquid differendum.

Alia igitur, a materia peccante, *Bilioſa* dicitur, & ei qui proclives ſunt ætate adulta, maxime vero ſi natura δυσπλαγχνοι ſunt, & cœli æſtus, aut iniqua victus ratio præceſſit, torminibus primum, deinde nauſea, ſapore ingrato, amaro, & vomitione poſtmodum *Cholerica*, premuntur. Alvus his diebus aſtricta, at incommode. Urina ruſa; faciei, ſed oculorum præcipue, quod album eſſe debuerat, fit luteum. In bilis per os ejectione peculiare aliquid notandum, quod in ſcrupulis poſitum nonnunquam ægrum male habet: a ſumpto quippe emetico, niſus & conatus inter robuſtiſſimos, bilis ſæpe ne hilum ejicitur, quæ tamen prompta alias & abſque ſtimulo libere ſolet exterminari. Bilis hæc incerta per os emiſſio, ejus in duodenum vel ſaltem in ventriculum impulſo flumini ſimiliter incerto, videtur reſpondere. Cum inteſtinis inhærendo ea diu laceſſivit, ab alvi duritie ſuppreſſa & retenta, ſanguinem redux per lacteas ſubintrat, eumque tam incedit, ut hoc tempore febriculam, æſtu ſitique immodica, urina icterica ex luteo rubenti, cute arida & denſa, pulſu frequenti, & elato, manifeſtam, liceat obſervare, per ſanguinem materia ad caput uſitate fertur, & ὑπερῷον atrociſſime impetens, aut ægrum apoplexia perculſum derepente interimit, aut in nervos ſe inſinuans eos reſolvit.

III. Hoc, inquam, morbi hujus εἶδος καὶ ἦθος ordinarium eſt, verum aliquoties, certe plus ſemel notavi, poſt iſtiuſmodi, quam modo dixi, dierum aliquot febriculam, dolere, tumereque, interdum etiam ardere, partium extremarum articulos; idque, ſignorum ſive complexum ponderibus ſuis, ſive ordinem examinemus, more prorſus *Arthritico*.

Qua vero proportione fulget efferturque hæc *Arthritis* normam per artus & articulos extollens, eadem plane caput defenditur. Ut ea quam fauſta quantaque ægri cum utilitate oriatur, illis ſolum innoteſcit, qui ex hac parte *Arthritidis* mala, tametſi gravia, tolerabilia tamen; ex illa vero bilis caput invadentis ſævitiam; ad eaque hujus periculum, intime perſpectum habeant; qui, inquam, hæc cum illis oppoſita conferant, æquaque lance perpendant.

Quinetiam de capite conſervato quæ a nobis traduntur, de inteſtinis item proponi poterunt; eatenus certe, ut, quemadmodum materiam peccantem artus ſuſcipiant, ad eandem modum ea liberentur inteſtina; & ex eadem translatas, & pro ejus menſura levetur *Colica*; quoque plus ægri dolent articulis, eo minus interaneis.

IV. *Colicæ Bilioſæ*, cum ἐπιφύεται *Arthritis*, in eo medicam locari decet operam, eam præferri indicationem, qua externis quibuſcunque materia foras ejectetur. Quæ ad hanc rem auxilia, noſtris hominibus explorata profuere, per ea, toties hoc ſcripto paſſim memorata, non eſt hoc tempore ut percurram. Sed, quæ hujus curationis quædam proprietas eſt, cardiaca interna, utut aliis curationibus ad paroxyſmum conciliandum idonea, hic loci vel prorſus omitti, vel caute admodum uſurpari par eſt; ne, incitata febre, & mutata ſimul inclinatione materiæ, confertim ea in cerebrum impellatur. Quem utique impulſum eo magis perhorreſcas, quod huic affectui primario (*Colicæ* nempe *Bilioſæ*) jure quodam avito proprius eſſe reperiatur; tum quod iſtius materiæ in artus expreſſio non ita familiaris ſit, aut morborum ordini tam conveniens, immo potius fortuito facta, & facillime abſcindenda.

V. Alia vero *Colica*, apud *Damnonium*, ex pomaceo immiti & acido, nimis uſurpato, derivatur, id quod ex eo liquet, ſiquidem illos ſolum infeſtat, qui potioni iſti aſſuevere, eademque ratione qua ſunt aſſueti: ſic, ut iis tempeſtatibus, quæ pomaceo abundant, creſcat & in vulgus ea graſſetur. Contra vero, Pomona copiam negante, rarius obverſetur.

Septimo & octavo ætatis luſtro ſæpe *Colica* tentantur ii, qui vinum hoc indigena potare ſoleant, itaque pergræcari: Et, ubi illa confirmatur & jam inveteraſcit, non raro *Colicæ* ſuppullulat *Arthritis*, cum articulorum εἰ τοῖς ἔξωθεν dolore, tumore, cæteroque apparatu, ad puræ & genuinæ *Arthritidis* faciem ordinato.

VI. Iſtam metamorphoſin, in iis corporibus, quæ *Arthritidi* parata jam olim habuit, natura per ſe nonnunquam molitur, ſæpe vero numero per cauſam aliquam evidentem & procatarcticam, virus irritantem & extra propellentem. Hujus autem generis eſſe ſolet per draſtica, & ſupra modum elateria, purgatio: illa enim corpori inimica, non tam peccantem, & pravum expellunt humorem, quam univerſum ſanguinem exagitant, & perturbant: cui demum motui & perturbationi (pari propemodum more, atque de *Aſthmatica*, de *Hydropica*, aliiſque pluribus ſymptomaticis, ſupra declaratum eſt) creberrime ſubſtituitur *Arthritis*. Et ab hiſce pharmacis ἀτεχνως ſumptis, aliquam multi *Colici* Ποδαγρικῶσι.

Nonnunquam uſu venit, ut ex cardiacis (*Aqua* puta *Mirabili*, *Uſquebac*, *Theriaca Andromachi*, *Zinzibere*, *Chalybe*, *aliiſque id genus*) *actu* vel *potentia* calidis, adverſus *Colicam*, vel præſentem permulcendam, vel quieſcentem abigendam, adhibitis, ex ventriculo & inteſtinis in artus amandetur aliena ſanguini materia, & in iis munus & officium colat uſquequaque *Arthriticum*.

VII. Habet hæc *Arthritis* dolorem, præ quod in aliis pleriſque *Symptomaticis*, acutum; ſed ab *Arthritide* recta, & genuina, tum item omnibus *Symptomaticis* eo primum diſtinguitur, quod in *Colicam* ex facili revertatur, iterumque *Arthritidos* perſonam capiat, iterumque deponat. (Enim vero materia νοσερὰ, inteſtina, & artus viciſſim premens, morbos hoſce, *Colicam* & *Arthritida*, mutuo ſe excipere facit & alternare:) Deinde articulorum oppilationes, ſteatomata, abſceſſus, tofi, ulcera, quæ exquiſitæ *Arthritidi* crebro *Secundariæ* hujus noſtræ raro accedunt: quod, ex materia partim per anum expulſa, partim inteſtinis dolorem inurente, ſicque articulis parcente, fieri credibile eſt.

VIII. Eſt & alia, *Podagræ* gignendæ apta, quæ a *Dyſpepſiis* emanat, *Colica*. Qui ad tuendam alendamque vitam ingeritur victus, etſi nec qualitate, nec quantitate peccet, propter vitiatam coctionem, in maſſam turpem degenerat; in viroſam, & inimicam: deeſt cibi ventriculo ſine tumultu concoctio ſive liquatio, tranquilla, facilis, & perfecta: deeſt ejuſdem in putredinem verſi, motus per inteſtina lenis, certus, æquabilis: deſunt, inter duras & liquidas dejectiones figuratæ, hora conſueta excluſæ, nimirum laudabiles: quæ, naturæ rectum agentis ſemper comites, ejus œconomiæ monſtrant integritatem. Sed e contrario adeſt a cibo gravitas, inflatio, ructus: maſſæ adeſt inutilis, ſpumoſæ, & cruditatibus plenæ, tum acrimonia, tum ab ea τόροι, vel contorſiones interaneorum ærumnoſæ: adſunt denique dejectiones, vel plures, vel pauciores, nunc liquidæ nimium, nunc coactæ, naturæ modum hac vel illac excedentes; cum deſurgendi cupiditate importuna, doloreque ani, & aliis accidentibus, quæ coctionem depravari, & ejus officinam a καταρρώματι deſciviſſe, planum faciunt, & magnopere probant.

IX. Qui ſunt hujuſmodi Κακοσόμαχοι, provecta ætate, aliquando tandem *Arthritide* vexantur, ea, quæ jam delineatam opere quam maximo repræſentat; ab aliis vero *Symptomaticis* diſtat longiſſime. Illius inſtar *Colicam* exceptat, quoties catharticis fortioribus, vel cardiacis, ad exteriora mali materia protruditur; tum a *Colica* excipitur, quoties materia, vel ad inteſtina retroceditur, vel in primis viis de novo generatur: quorum alterum ſæpe, & ex facili fit; alterum quotidie.

X. Si quis autem *Arthritidem*, *Colicæ* hujus vel iſtius proſapiæ ſupervenientem, non tam *Symptomaticam*, & *Secundariam*, quam *Primigeniam*, eſſe contenderet; ipſamque *Colicam* (aliter atque prima facie videretur) *Arthritidem* eſſe, ſed anomalam, & demum regularem; profecto quidem hac in parte neque difficilem me inveniet, neque vehementer repugnantem; ut neque temere concedentem. Dubium eſſe fateor, vel Apolline dignum, & nodum Æſculapio vindice. Nihil habent ſymptomata, quod λόγοις ἀναγκαστικοῖς alterutrinque fidem hac in re conciliet; atque adeo, dum iſta ſilent, præciſe aliquid ſtatuere temerarium habeatur. Utcunque fit, haud minori jure *Symptomatica* eſſe confirmetur hæc *Arthritis*, ac contra negetur: immo quidem majori; propterea quoniam *Colicam* manifeſte inſequitur, eamque ſæpe veterem, & (quantum hac in re perſpicere datum eſt) genuinam, & exquiſitam: verum utut res ſe habeat, in arte factitanda eodem fere recidit; nam dubiæ hujus *Arthritidos*, nunc inteſtina, nunc artus infeſtantis, pro duabus iſtis ſedibus, & ab altera ad alteram illius migrationibus, curatio propria ac peculiaris excogitanda eſt; nec in hac *Arthritide* ſananda depellendaque medicinam uti decet, quis exercuerit, niſi *Colicam*, cui ea ſubjicitur, ob oculos poſuerit, & ex hujus conſideratione illam vincere tentaverit.

XI. Hanc ad normam agenti conſentaneum videtur, ſive a pomaceo, vino ſubacido, cereviſia veteri, vel a dyſpepſia proficiſcenti. *Colicæ Arthritis* ſubnaſcatur, quod paroxyſmi ferme eadem, ac in *Arthritide* exquiſita, medendi ratio; prophylaxeos autem alia atque alia, eſt, pro cauſæ remotioris diverſitate: verum, ac in *Colica Arthritica*, nequaquam alia. Ubi in poculis erratum, mos ille perniciosiſſimus primo quoque tempore abrumpendus: tum quod intus alieni, iterata catharſi deducendum. Hunc in finem aquæ purgantes, per ſe,

vel,

vel, cum δυσλυσία postulaverit, per salem catharticum adjutæ, conducunt egregie. Quotiescumque vero *Colicam* a dyspepsia sequitur *Arthritis*, coctionis Ἐργασήριον bene & frequenter purgari, coctionem digestivis stabiliri, pari fere ritu atque in *Arthritidos Exquisitæ* prophylaxi, oportebit.

XII. Novissime corollarii loco addam, hujus tribus *Symptomaticis* præter cæteras sui generis quascumque, præter *Arthritidem* exquisitam, omnibus hoc commune esse, quod istarum paroxysmi per eccoprotica subin iterata maxime, vel præcaventur, vel saltem minuuntur.

Histor. 1. Arthritis Colicæ Biliosæ Secundaria.

FŒmina quædam, constitutione post hominum memoriam maxime *Cholerica*, nunquam οἱ τῷ γαστεῖ ἔχουσα, sub ætatis flexum, *Colica* pertinaci *Biliosa*, cum ingrato sapore, Δυσορεξία, vomitu bilis frequenti, dejectionibus raris, & parum coloratis, urina rusa, ore luteo, & lenta quadam febricula premebatur. Horum autem malorum procatarcticam habuit errorem in victu assiduum, utputa crassorum, & δυσπίπταν estrix. Ubi alvum inanientibus (præsentissimo illi remedio) plus semel levaretur *Colica*, ex bilis incremento, constantiaque & acrimonia, menses post aliquot, iterum & sæpius, recidiva est. Fugiente sæculo superiori, cum affectui gravi tollendo tempus aliquod apud nos impenderet, præter *Colicam* memoratam, pedum item orta est debilitas; quæ primo aspectu paralysim, hujusmodi *Colicæ* ἐπιγλύπημα familiarissimum, prædicere videretur. Quo per anum bilis exularet, neque se in nervos insinuare permitteretur, catharticum adhibui. Iteratum insecutus est utriusque (sed potissime dextri) pedis tumor, malleolum, & pedis convexum, hallucem autem præcipue, distendens; quem comitabatur hujus majoris articuli teneritudo mirifica, dolor pungens, rubor, ardor revera *Arthriticus*. Per æqua vero proportione increscit *Arthritis*, qua minuitur *Colica*. Cum de suis exinde interponerem, matre admodum *Cholerica*, & demum *Arthritica*, fuisse prognatam, veterique *Arthritico* diutius junctam accepi, sic, ut vitium partim hæreditarium, partim contagiosum esse suspicari liceat. Recte se habent muliebria, & cum περιῤῥοίᾳ.

Ad medicinam morbi genio accommodandam, in eo fui, ut materiam, quo possim artificio, extra dimoveam; ideoque internis eam protrudentibus, externis eam invitantibus, diversis scilicet diverso modo idem operantibus, insisto; ut & toti malleolo, & dextri pedis summitati, *Epispasticum* imponi; sinistrum pedem laneis involvi, calideque vestiri: & paulo postea soccos, ex cerato illo viridi, quo fiunt petasothecæ, perpetuo gestari jubeo. Unde exudavit humor, nec inutiliter: quandiu enim perduravit iste fluxus, recessit usque *Colica* & visa est declinare.

Erat autem ista, per articulos, crisis imperfecta; quod reliquum erat materiæ, finita re *Arthritica*, & ejus spe fallente omni, avitos intra limites se recepit, moreque proprio agens caput est adortum: ideoque de hujus ægrotæ malo non est quod amplius addam: unum istud volui, ex *Colica Biliosa* posse *Arthritidem* exoriri.

Histor. 2. Arthritis Colicæ ex Pomaceo ἐπιγιγνομένη.

VIr amplissimus, animi & fortunæ dotibus insignis, natu integerrimus, ætate constanti, venatione aliisque exercitationibus otiose, & raro se fatigans, poculis plus solito indulgere cœpit. Ex temperamento sanguinis præfervido, in deliciis habuit pomaceum, vinum indigena; propterea quod, (defæcatum modo, & tenue) absque sanguinis immodico fervore, pro illius natura potionis, hilaritate animum perfudit. Nondum ita din indulsit, cum, dolore *Colico*, & annos aliquot deinde post *Arthritico*, teneretur, utroque interdum magno, sed tolerabili. Sic se habuerunt hi affectus, ut semel quidem unquam concurrerent; ut nec vices, aut periodos remeandi certos unquam exercerent; contra, nullo ordine (pro materia, vel in intestinis, vel in sanguine ex causa evidenti congesta, & ad ἀκμὴν evecta) ægrotum alter; & alter occuparet; interea temporis notatu erat facillimum, *Arthritidem* hanc, ab ipsissima *Colicæ* materia, in artus translata, haud dubie fieri. Itaque se rem habere in propatulo fuit, tam ex eo quod *Arthritis* sæpenumero *Colicam* exciperet, eamque (sic, ut duratio paroxysmi erat) mitigaret; quam etiam, ab eadem ægrotum quod ad tempus aliquod defendere cerneretur.

De vitanda morbi hujus utriusque προφάσει vir nobilis non nimis solicitus, solito ex more egit. Prophylaxin autem utilem, efficacem, simplicemque Deus illi fortunavit. Quoties enim dolor intestinorum ingrueret, inter ipsa ejus initia ut occurrat, *Syrupi Domestici* præter propter unicam idoneo vehiculo temperatam, hauriendo; morbum οἱ καιρῷ præcidit, contudit, fregit. Quid? quod eo ipso causam *Arthritidis* προηγουμένην primis viis avulsit. Ceterum, vere & autumno, aliasque quoties intestinorum inflatio, æstus corporis universalis, & plethora (quæ materiam recrudescere, & gliscere indicavit,) exigere videretur, aquas *Alfordenses* in se ingurgitando, fistulæ intestinali proluendæ satagebat: adeoque *Colica* causam conjunctam, *Arthritidos* remotam, amovendo, utriusque sævitiam magna ex parte antevertit.

Neque mitti oportebit, quod ex frequenti materiæ πλεονεξίᾳ, & *Arthritidos* paroxysmis (qui per annos plus viginti creberrimi fuere, ut & regulares) tametsi articulos hodie corruptos, recrementis *Arthriticis* distentos (neque temere) quivis expectare potuisset, vir hic egregius aliter multo pedes, manus, habiles exercet; eorum usquequaque compos impræsentiarum est, & quantum præsentione possum assequi futurus.

Histor. 3. Colicæ, ex Dyspepsia diuturna, Gonagra superveniens.

MAtrona quædam *Colico* dolore, annos pene viginti conflictata est, ut raro mensem immunis ageret; ut indies propemodum gravaretur. Torquebantur intestina, & post vermiculationes unius circiter horæ πειέττωμα quoddam acre & pungens, non sine dolore sphincteris acutissimo, quantitate modica dejici solebat: dejectiones secuta est spirituum submissio, sive languor, incredibilis; unde in lectum se projicere, quocunque fors permitteret, medio interdum itinere, donec ægra somno, vel quiete, vires integraret, identidem necesse habuit. Deficienti maxime profuerat cardiacum, vel *acta* ca-

lidum aliquid pytissare. Post breve deliquium, vitæ munia sicuti prius, repetiit. Cibum sic satis sumpsit, & quamvis eo, ut dixi, more crebro lacessita est, vires & colorem retinuit. Plures illa Medicos (doctos, Jupiter! & exercitatos) hac de re consuluit; quibus, ut ipsa mihi renunciavit, communis erat, quæ & maxime probabilis, sententia, *Colicam* hanc a *Dyspepsia* proficisci. Sub finem anni supra quam moris erat, urgebat *Colica*, & hysterica affectione sociata dominam valde emaciatam, debilem, languentem pene confecerat. Nihil potius illius causa volui, quam alvum aperientibus expurgare materiam, turbas illic concitatas, & inquietem paregoricis sopire, & componere; cumque restituissem, ut tenerem quem cœperam locum, & ægram fido tuerer prophylactico, *Decocti Corticis Martiati* haustum, bis vel ter in singulos dies propinavi.

Habet illud Decoctum pul. patrum, & Limaturæ Ferri ana ℥j. *in Aquæ pluviæ* ℔viii. *coquuntur ad* ij. *per pannum Wallicum fit Colatura; Cujus* ℥ij. *adduntur Aq. Hystericæ Londinensium* ℥ij. *Tinct. Aurant. gut. x. Syr. Caryoph. q. s. fit in usum præfinitum Haustus.* Remedium hoc, ad menses aliquot, ad congios plures usurpatum, magnum attulit momentum. Melius inde perfectiusque concoxit ægrota; rarius & tolerabilius doluit; bonis erat viribus.

Æstate proxima, majoris utilitatis spe allecta, ad aquas se recepit, quas antea commode adversus hunc affectum hauserat, *Tunbrigenses*. Martiatorum, qua præparatorum, qua naturalium, usu, partim etiam currus agitatione milliaria quadringenta brevi spatio metientis (quod hercle vero proximum) in artus statim ab itinere, propellitur materia νοσηρή. Erat utrunque genu natura imbecille, nec ad motum, maxime ad declivem, idoneum satis. Utrumque obtorpebat, nec absque dolore flectebatur: dolori adjunctus est utrinque tumor, cum mira debilitate, & motu læso; rubor autem nullus, ex temperamento corporis (quod opinor) frigido, neque ardor ullus apparebat, sed tumor, qualis solet esse frigidæ *Arthritidis*; Interea temporis τοῖς ἐντέροις adeo prorsus integra est, ut nunquam magis.

Ut *Gonagræ*, morbo *Colico* hunc in modum ἐπιγιγνομένῃ, pro facultate mederer, utriusque affectus habita ratione, *Aquam* adhibui *Spadanam;* cujus ampullam modice tepefactam, instillatis cuilibet ℔ß. *Sp. vol. ol. gutt.* aliquot horas inter sextam, & nonam, omni mane exsiccavit.

Decima Seq. Vini albi Lusitanici Haustum, Gentianæ Zedoariæque Infuso alteratum; Quarta pom. Decocti Cort. Martiati Haustum, cum Hibernorum *Usquebach pauxillo. Quinimo, Septima quaque die (quoniam illud Tormina, subinde recurrentia, postularunt) Cathartico e Calomel.* ℈ß. *Extr. Eustach.* ℈j. *Scam. pul. Castor. Assæ fœtid. solut. ana gr. v. diluculo sumendum. Vesperi Bolum e Ther. Androm.* ℥ß. *Zinzib. in Indiis Cond. Conf. Fruct. Cynorrhod. ana* ℈ß. *Syr. Aurant. q. s. cum Aquis idoneis & Diacod.* ℥ß.

His auxiliis, qua per renes, qua per anum, emissa est causa *Gonagræ* conjuncta; utriusque genu tumor subsidit: *Colicæ* item materiam, cum emolumento ægrotæ lauto & locupleti, tum ejici, tum ex parte aliqua præcaveri constat.

Non est autem reticendum, quod ex dyspepsia brevi tempore recurrente, denuoque materiam ministrante, *Colica* recruduit; & femoris dextri internodium menses inde post aliquot infestavit dolor; idem fere ac si *Rheumaticus;* vagus certe, quippe qui ad acetabulum coxendicis sensim ascenderet. Hunc comitabatur ejusdem *Pedis* (late sumpti) totius debilitas: qui tamen dolor &c. non alius esse jure potiori censeatur, quam *Arthriticus*, ex materia recens orta partem nuper affectam, & eo nomine debilitatam, occupante.

Hisce vero diebus, anno nempe 1702. *Gonagra*, & omne genus *Arthritide* immunis ægra, affectionibus interdum *Colicis*, at frequentissime hystericis, quibus olim per *Gonagram* utriusque liberabatur, afflicta, aquis prædictis usa est, & fructum ex ea re ingentem retulit.

Hist. 4. Ex Colica Paralyticus, Arthriticus, Inunctione trucidatus.

DOminus R. propter viam *Apsamensem*, ætatis flore, *Colica*, quam *Pictonicam* appellant, aliquandiu gravatus, ex more & progressu istius mali ordinario, incidit in *Paralysin*, artus exinde marcidos, graciles, ἀκινήτους habens, per reliquum vitæ clinicus, *Paralysi*, sub ejus initium, accesserunt dolores erratici, incerti, horum illorum artuum internodia cruciantes, autumno & tempestate pluvia maximopere sævientes, & tam ad amussim *Rheumatismum* simulantes, ut æger eo morbi plus decennium ægrotasse (Medico, nec indocto, nec inexercitato, tota cum vicinia consentiente) passim haberetur.

Cum ætas præcipitavit, dolor iste vagus in fixum mutatus est articulorum juxta positorum, & nova symptomatum cohorte stipatum; id est, tumore, rubore, lævore, &c. quæ cum *Arthritidem* eo loci jam esse *Fixam*, cum a decennio fuisse Πλανητικὴν, vel luce clarius ostenderunt. Materia in articulos impulsa, & *Arthriticos* ibi paroxysmos faciente, perrarum aliquod, notatuque dignum, observare licuit; artus scilicet eosdem ex *Paralysi* flaccidos, macerrimos, tantum non emortuos; ex *Arthritide* floridos, inflammatos, vegetæ & vitalis vitæ indicia commonstrantes.

Cum eo loci res erat; perfectæ (videlicet;) consummataque curationis spe deceptus, circumforaneo cuidam, hominum impudentissimo, nec quidem vulgi stupore nobili, se vitamque suam commisit. Hic sartum tectum protinus ut ægrotum redderet, membrorumque omnium omnino compotem, *Unguento* illa nescio quo (*Mercuriali*, an secus,) oblinivit. Quid exinde factum est? Qui per annus aliquam multos, si vitæ momenta perpendamus, sic satis habuit, (bene enim appetere, concoquere, dormire, generare; similiaque eum officia recte obiisse, certo certius est) ista inunctione absque ulla concurrente causa, tanquam *Asthmate*, suffocatus, animam agere cœpit, & aliquanto postea expiravit.

CAPUT XI.

De Arthritide, Morbis quibusdam Cuticularibus subjecta.

Art. I. QUæ suppressioni *Gonorrhœæ* virulentæ subjicitur *Arthritis*, ad luem ea pertinet veneream; cujus quidem mali

ista suppressio in causa est, & cui *Arthritis* illa proxime succedit. Quæ scabiem *Scorbuti* flammeam, quæ *Paturſæ* siccam, quæ *Febris Eruptionem Miliarem* sequitur, ea non tam horum symptomatum, quam ipsorum est morborum Ἐπιγόνημα: nec ea re hujusce loci. Quæ *Achoribus*, quæ *Hæmorrhoidibus*, quæ *Ulceribus*, aridis & siccatis supereſt, illa hoc capite perstringenda est.

II. De affectibus hujus *Symptomaticæ* primariis generatim acceptis primum observandum est, quod multa naturæ opera & labore, illi (uti *Arthritidum Symptomaticarum* morbi primarii plerique omnes) materiam, quam habent ineptam, inidoneam, & alienam, in ambitum corporis expellunt, ibique exterminant. Quo quidem nomine, cum *Arthritide Primigenia* recta, & legitima ad amussim concordant.

Tum, de his notandum, quod, quoties eorum materia, seu victu pleno & immoderato, sive otio adaucta, per excernicula priora minime expressa, in sanguine cumulata fuerit, ex ea sanguis discordiam, & turbas subit, supra naturæ modum vehementes, atque his succedit alieni per articulos expulsio, id est, ipsa, quam diximus, *Arthritis Symptomatica*.

Deinde advertendum, quod *Arthritico* durante paroxysmo primariæ maxima ex parte conquiescunt affectiones; sistuntur evacuationes istæ morbosæ, latices isti exiccantur: eo vero ad exitum perducto, scaturiunt denuo, & quidem tantisper, dum nova repullulante, & urgente materia, prælium redintegretur, & Λῆψις *Arthritica* revertatur.

III. Ex eo vero, quod *Symptomatica* hæc nostra morbo semper alicui externo submittatur, pronum est conjicere, eadem illa, cum primario suo, sed aucta, sed in orgasmum majorem evecta, & per excerniculum insolitum, ideſt, articulos expulsa, gaudere materia: necnon exinde tum a reliquis *Symptomaticis*, tum ab *Arthritide Primigenia*, vel prima facie distingui.

Sufficiunt enim, ex Instituti nostri ratione, morbi hujus derivationes successionesque, propter quas in *Symptomaticarum* numero ille censeatur; tametsi concedamus (quod tamen non concedimus) materiam ejus cum pure *Arthritica* revera *Specie* convenire. Et quæ res est, ut plane & latine dicam, ex hujusce morbi ortu & metamorphosi quam facillima, ex ejus concordantia, & similitudine cum *Arthritide Primigenia*, vel eandem his utrisque esse materiam, alio corpore in ano, alio in tibiis, alio in auribus, αἰωμάλως, postea vero in artubus, ὀρθῶς, se gerentem; vel *Symptomaticæ* huic nostræ materiam esse, *Arthriticæ* illi longe simillimam, & germanissimam, existimandum est. Et quia hæc *Arthritis* vel ipsa est *Primigenia*, vel ei quam simillima, idcirco de illa postremo hoc loco differuimus.

IV. *Symptomatica* tam peculiaris subjicienda est curationi quodammodo peculiari. Etiamsi enim in ejus paroxysmis eadem medendi ratio, & in eorum intervallis idem victus, ac in *Arthritide Primigenia* valebit; in iis tamen alia locum merebitur, immo vindicabit, quæ huic affectioni propria est medicina, mirum quantum a prædictarum methodis varianda.

Nihil enim ægro per vacationes paroxysmorum commodius, aut quod adjumenti plus contulerit, quam ut morbus, quicunque fuerit primarius, sustentetur, alatur: ut e. g. *Ulcus*, siquod extiterit *Cuticulare*, ne carne obducatur aut arefiat, per *Cathæretica* sive carnem modice rodentia, eniti. Placet hunc in finem *Aqua Viridis exedens Barbettiana*.

Ad *Achores* revocandos *Epispastica* prope aures applicentur; vel lenia quædam *Attrahentia*, quæ humorem illuc peccantem & vitiosum invitent, eliciant.

Ut *Hæmorrhoides* aperiantur usui esse possunt *Aloetica* interne adhibita, externe vero *Hirudines*.

Quemadmodum salutares sunt evacuationes, per *Ulcera*, per *Achores*, per *Hæmorrhoides*, hæ prædictæ, ideoque promovendæ, ita quidem, si hydrops, colica, tussis, apoplexia, vel siquid aliud mali, ex earum suppressione oriri videatur, omnino necessariæ sunt, & primo quoque tempore conscisendæ.

Atque ista volui de *Arthritide Morbis his externis* supervenienti, quæ pro eorum numero multiplex habenda, & diversa: Hoc autem capite, propter eorum convenientiam & *Arthritidum* iis enatarum vicinitatem, ac si una tantum esset, explicatur.

Hist. 1. *De Arthritide Aurium Achoribus subjecta.*

CUrrente sæculo priori, *Damnonio* hoc *Orientali* florebat ordine equestri gens, humanitate, opibus, & pietate insignis, illoque tantum nomine infelix, quod ea tota, tam fœminæ quam mares (erant autem illæ quamplurimæ) *Podagra* miserrime torquerentur.

Harum una, articulos non adeo graviter affectos habens, dolore, artus alios aliosque perreptante, multos annos est afflicta. *Rheumatismi* nomine, pro vulgi more, malum isthuc appellatum est, quod tamen potius *Arthritis Vaga* æstimandum. Decedente eo tussis exoriebatur, facta in pulmonem materiæ μεταπτώσι, & phthisi paulo post occubuit.

Hujus *Arthriticæ* filius jam quadrimus aurium morbo tentabatur; ex omni parte tumuerunt illæ; præcipue vero *Helix*. Tumor initio ruber & φλεγμονώδης, brevi exinde tempore subalbicans. Serum illud acre, quod intus contentum, in tumorem cutim extulit; fibras autem cuticulares fodiendo, spirituſque earum incolas irritando, pruritum immanem, perpetuum & fere intolerabilem excitavit; in crustam posthæc albidiorem condensatum est; quæ quidem crusta, demum exarefacta, & in squamulas divisa, decidit; relicto loco, tanquam a variolarum frustulis, inflammato. Confertissima erant hujusmodi excrementa, & quidem adeo crebra, ut propemodum perpetua viderentur. Veteri subito nova messis successit; pro materiæ peccantis abundantia, & cæli humiditate (quæ ad hujusmodi ῥύσεις contribuere notabatur) major Ichor autem, quando largiter profluxit, non sine fœtore erat gravissimo, naribusque ingratissimo: ea spes amicorum erat, ut ætate progrediente sisteretur iste fluxus, & quidem tuto; ex eoque annis puerilibus ita profuso, melius & tutius augeretur quod vitæ reliquum.

Ineunte quidem adolescentia, forsan ob exercitationes eo tempore vehementiores, fluxus est remissior: at annorum vix triginta, vir sobrius, neque *Veneri*, neque *Baccho* deditus, *Arthritide* corripitur, post homines natos acerbissima. Per idem tempus aurium illa affectio major recurrit, sed cum *Arthritidos* paroxysmis vices habens alternatas. Horum enim vacationibus scaturiunt aures, at natura paroxysmum moliente, ad eumque sese, quasi accingente, siccantur hæ; & ab his siccatis, instantis paroxysmi non leve ortum est indicium.

Hæc sunt, quæ de hujus *Arthritidis* ortu & derivatione dicenda habui; quæque si recte judico, illius generis eam esse ostendunt, cujus materia partim per *Achores*, partim per *Articulos* expellitur: eaque ratione, quod ordinario, prior illa sufficiat evacuatio, quamprimum autem ὑπὲρ μέτρον in sanguine cumulata & congesta fuerit materia, itemque ad exilium parata, paroxysmum illa concitet *Arthriticum*. Sic, ut materiæ ad hanc vel illam partem determinario, ex ejus quantitate & naturæ nisu fortiori, prorsus pendeat. Si vero ipsam spectemus materiam, esse illam, utrique harum pari fere mensura propensam, & æqualiter faventem.

Sunt autem alia, quæ cum aliis quibusdam *Arthriticis* huic nostro communia, memoratu digna censeantur. Primum, præter labem hæreditariam modo dictam, causam hujus & *Arthritidos* & *Achorum* antecedentem esse procul dubio *Dyspepsiam*: Cibo enim difficiliori (porcina, bubula, & istiusmodi aliis) nimium delectabatur; is autem ventriculo minime confectus, simul cum corpore morbum alere judicetur. His addendum ægri genus vitæ otiosum, neglectis scil. exercitationibus, quibus juniores satietatis mala seu prævertunt, seu resarciunt. Otio facta est (quod tertio notandum) perspirationis diminutio; cuticulæ universæ, manuum vero præsertim, ariditas unde humores intus retinentur; unde malorum ilias, urina huic ægroto in paroxysmo pro doloris & inflammationis ratione rufula, alias straminea, semper autem pro quantitate poculenti larga. Ingruente pluvia semper ille venarum distensionem, sanguinis orgasmum, corporis hebetudinem persensit. Complures ille periclitatus est, per *Aquas Bathonienses*, per *Cathartica*, sanguinem expurgandi methodos. Nulla vero profuit. Adeo illi sanguis intractabilis, & δυσμεταβλητος. In cibo δι' χύμῳ καὶ δι' πέπτῳ parce sumpto, quo morbi causa præpediretur, spes sita erat prophylactica. Ille vero Cereri indulgens, & quicquid gratum erat, utut difficile cocto, demittens, bis terve anno ferme omni desedit *Arthritide*.

Unum adjiciam, quod huic ægro proprium esse videatur; *Arthritida* nempe aliquando dextram invadere patellam: drachmæ occupare spatium: per dies aliquot durare: paroxysmum autem insequentem, diuturnum esse, gravem, genuque labefactare, & valde imbecillum reddere. Ob genu imbecille factum est, quod gradus scalares multos facilius expeditiusque sursum, quam seorsum iret: quando in descendendo necessum, ne corpus antrorsum rueret, summis illud viribus cohiberi. Hoc autem silicerniis, & depontanis fere omnibus commune.

Hist. 2. *De Arthritide Ulceribus suboleſcenti, Epiſpaſticis alleviata.*

ULceribus, quæ cutim mordent & exedunt, ἐπιγιγνομένης *Arthritidis* varia præsto sunt exempla; ex quibus uno, quod ob oculos rem hanc omnem plane & perfecte repræsentabit, contentus ero.

Vivit etiamnum apud nos, ætate adhuc constanti vir, cujus ut in ipsis *Arthritidos* paroxysmis, ita non minus in eorum originibus, occurrunt plurima notatu longe digniſſima.

Ingruente paroxysmo præmitti soler fastidium, symptoma creberrime prænuncium; tum urinæ tenuis & pallidæ, tanquam in *Hysterica affectione*, profluvium: nonnunquam etiam mandibulæ dolor, quasi propter imminentem Ὀδοντολγίαν: spinam autem ischiique ossis inter acetabulum, usitate dolor acutissimus, pariter ac ab affectu illo molestissimo, quem idiomate nostro *a Crick* appellamus: ab illo vero diversus, eo quod vagetur, & spinam perreptans ad homoplatarum usque intercapedinem ascendat. Eo loci quam diu iste viget, spiritum æger difficillime trahit, ac si *Asthmate* pene suffocatus. Hoc in statu, pomaceo liberaliter ingesto, sæpe ille ad tempus aliquod paroxysmum protelat: Grallator alias artium exinde compos. Hæ vero tantum induciæ sunt, eæque breves & infidæ. Die enim postero, qua pedibus, qua manibus, soler universe & quidem acerbissime dolere. Cum deferbuit sanguis, in carne musculosa tumores facere materiam νοσηρὰν: durosque & longos, restis in modum, excitare; & per artus alios aliosque πλανητικὴν arriculos aggravare, constat.

Quemadmodum *Febris* & dolor accedunt & intenduntur, urina magis flammea & rubra est: iste vero rubor remittit simul cum dolore, idque ejus proportione. Veteris jam *Arthritici* summitatem cubiti sinistri tumor occupat Οἰδηματώδης, nuci jugulandi par, tofos habens intermixtos, duritie & mobilitate distinguendos.

Hæc sunt, ad hujus *Symptomaticæ* paroxysmos quæ præcipue spectant; eorum vero de origine considerandum est, quod æger hic noster *Ulcusculis*, quorum alia minora erant, pisi majoris secti basin exæquantia, alia ad diametrum Thaleri largiora, omnia vero tibias obsidentia, ante multos annos afflictatus est. Quibus cum *Arthritis* subjiciebatur, quamprimum hujus cura mihi demandata est, nihil prius habui, quam ut, naturæ methodum imitando, ejusque vestigia reprimendo, materiam per cutim elicerem. Ideoque *Vesicatoria*, quibus id negotii perficiatur in usum proposui; quin & malleolo, carpo, cæterisque articulis dolore cruciatis, vel eos quam proxime, nunc plura, nunc pauciora, prout exigere videretur ægri res, admovi.

Hæc autem eo cum successu acta sunt, ut acris seri fœtidique admodum, uncias sæpe quatuor, identidem sex, nonnunquam octo, unum idemque extraheret *Emplastrum*: Unde vicini dolor articuli statim mitigatus, & paulo post sublatus. Artificiosis hisce colis adeo delectabatur æger & profecit, ut quoties dolor recruduit, ac si esset αἰσθητὸς, ipsius sæpe numero *Epispastica* superponi juberet; ut eodem tempore, sex septem interdum gereret.

Ex eorum dolore & fluxione macescit æger; caro illius impendio absumi, vires debilitari & pessumdari solent; sed cum emolumento & fructu certe amplo locupletique. Quamprimum enim *Ulcera* exsiccantur, somno & fame postliminio restitutis, cibo multum idem reficitur: vires reparantur. Hisce vero adaugendis non parum conducit aer apricus, & pomaceum; quorum alterum mirifice appetitum acuit; alterum animales spiritus fovet recreatque.

Cum miasmate *Arthritico*, sive per paroxysmum, sive per epispa-

epiſpaſtica, liberatur æger; nemo unquam hominum vegetior, nemo hilarior. Ut coctio recta ſit, *Infuſo amaro Chalybeato* me hortante utitur; nonnumquam etiam, ad ſanguinem inſtaurandum, *Aquis Germanorum Spadanis*; utroque certe, eventu non infelici, imo feliciſſimo. Redit exinde Ἀσαρκα ſanitaſque ſic, ut horum in paroxyſmorum intervallis uxorem quotannis gravidam faciat, valetudine, ſi unam excipias claudicationem, factus integerrima: donec cibi abundantia, & ſatietate corpus ample nutritum, & nimis ſit impletum; inque artus denuo erumpat humor, iterumque Παροξύνηται.

Hujuſmodi cyclus, paroxyſmum ſimul cum vacatione continens, quotannis in annos ſingulos ter quater repetitur. Solet autem paroxyſmus nunc unius menſis eſſe, nunc duorum, interdum etiam trium, pro materia plus minus cumulata & evecta.

Ulcera, quæ ab *Emplaſtris* ſunt *Cuticularia*, brevi tempore ſanantur; maxime vero quoties *Aqua Calcis vivæ* abluuntur.

Cum aliquando pedes tumefierent, ad detrahendum, miaſma *Arthriticum*, una cum ſero in iis depoſitum, amici cujuſdam hortatu catharticum e fortioribus aſſumens, malo id eventu fecit, adverſo *Æſculapio*. Si evacuationes ſpectemus, inſtar omnium erant, in paroxyſmo, *Epiſpaſtico*, in vacuationibus, *Diuretica*. Horum autem uſus uti perrarus fuit, illorum vero creberrimus; illis potiſſimum deberi agnoſcendum eſt. Quod, dolore æger etiamſi acerrimo ſubin urgeretur, tamen ei ſuſtinendo tolerandoque uſque par exiſteret; neque per decennium nuper elapſum, etiamſi tot triſtiſſimis acceſſionibus comitatum, ſi præcipuæ notæ viſcera, ſi vitæ pondus attendamus, enervaretur, aut multum debilitaretur.

Hiſt. 3. De Arthritide (cum Febre Intermittente) ex Hæmorrhoidibus occluſis.

His affinis illa *Foreſti* obſervatio, de *Hollandiæ* præſide quinquagenario, qui, cum *Hæmorrhoidibus* affici ſoleret; ex iis occluſis in *Tertianam* incidit, & paulo poſt in *Podagram & Chiragram*, adeo vehementes, ut per dies viginti lecto affigeretur.

Hujus mali cauſam eſſe, vir clariſſimus exiſtimavit, non ſolum phlebotomiam ac cartharſin prætermiſſam, ſed (cum aliis quibuſdam) & quidem maxima ex parte *Hæmorrhoides ſuppreſſas*: neque vero perperam; ratus enim id, quod erat, per lenientia, ventrem inanivit. Quo ſubducto, & dolore cataplaſmatis mitigato, in excrementis denuo conſpicitur ex *Hæmorrhoidum* apertione ſanguis. Hoc viſo, ſanitatem Medicus pollicetur, & quidem brevi admodum æger *Arthritide* liberabatur; neque annis poſt ſex dolores *Podagricos*, *Chiragricos*, aut *Articulares*, etiamſi illa jam ætate quæ ad hoſce prona & proclivis, ſenſit.

CAPUT XII.

Corollaria & Spicilegia quædam cum Epilogo.

Art. I. *Symptomaticarum* iſti, quem protulimus, cenſui *Corollaria*, quæ ex his recognitis ſive omnibus, ſive pluribus, inter ſe comparatis oriantur, & *Spicilegia* quædam, quando ad illas amplius illuſtrandas utraque nonnihil conferant, jam denique ſuperaddam.

Ex omnibus, gregatim ſumptis, omnino liquet, quod ἰδιωτάτων iis, quæ puræ & germanæ *Arthritidi* ſunt vicinæ (id eſt, *Arthritidi Colicæ*, *& Morbis Cuticularibus* ſupervenienti) maxime conſentire cernuntur illæ, ſi, miſſa morborum primariorum conſideratione, & ab iis *Symptomaticarum* emanatione omni, illarum *Materiam* tantum intueamur, quæ *Chloroſi* & *Hydropi* ἐπιγιγνομέναι *Symptomaticæ minus propriæ* nominantur. Iſte vero conſenſus ex illarum ſimili materia proficiſcitur. Vicinis illis *Speciebus magis propriis* materia, vel *Arthritidos* genuinæ ipſa, vel (uti ſupra declaravimus) ei quam ſimillima eſt, (ſicut, e diverſo, *magis propriis*, ſed remotioribus, pro diſtantia, diſſimilis) jam vero *Symptomaticis minus propiis* materia, (quod item oſtenſum eſt) pura puta eſt *Arthritica*: unde elucet dicti veritas. Ex quidem ob iſtam *minus propriarum* cum *Exquiſita Arthritida* convenientiam, *magis propriis* poſtponi illæ poterant, imo (ut ordinem hac in parte corrigam) debuerant.

II. Secundo: De *Symptomaticis magis propriis* advertendum, quod nihil me movebit, ſi quis e perſpicacioribus & nimio plus ſubtilibus, eadem materia morbos oriri poſſe diverſos, eoſque *Specie* diſtinctos aſſerens, *Luis* ex. gr. materiam, non *Arthritida Falſam*, & *Mendacem*, ſed *Exquiſitam* & *Genuinam* parere contenderit: itaque *Symptomaticas* (aliter quam a nobis ſtatutum eſſe videatur) & inter ſe, & cum *Arthritide Exquiſita* congruere, pro certo habuerit; nihil, inquam, iſtuc me movebit.

Primum enim, morborum *Materia*, ſive *Cauſa Conjunctæ*, revera ſunt in obſcuro; & quis atomorum globus, ſive χηματισμὸς ex. gr. *peſtem*, quis *Variolas*, quis *Hydrophobiam* & ita affectum quemcunque contagioſum, aut exigua materia, quaſi fermento natum, afferat & producat, Deo ſoli cognitum & perſpectum eſt: nec quis unquam mortalium hæc in operto naturæ fabricata fideliter repræſentaverit, aut palam exhibuerit. Ideoque de *Symptomaticis* hiſce noſtris, utrum germana ſunt *Arthritis*, an ejus tantummodo *Simulacra*; cum in utranque partem diſputari poteſt & quidem fruſtra; *ex Earum Materia per ſe conſiderata*, non eſt temere decernendum, quia philoſophis magis oculatis, λεπτοτάτων λήρων ἐρεῦσι, miſſum illud faciemus.

Tum, de illarum materia, *ſecundum phænomena*, ſi ſentire & judicare liceat; certo certius eſt, primum, diverſis illas primariis affectibus, iiſque *Specie* diſtinctis, exoriri. Deinde, eorum *materiam*, ſignis ſuis diacriticis uſque manifeſtam, propriiſque remediis impugnandam, in ſtatu peregrino illas retinere. Et quoniam morborum *Specificatio* a nulla alia reducenda magis, quam ab illorum materia peculiari, ſignis ſuis diacriticis oſtenſa: his conſequens videtur, illas *Symptomaticas*, pro affectuum diverſitate primariorum, *Specie* diſtingui, propriaſque poſtulare medendi methodos; ut & propria vocabula.

Neque enim, tertio, ſiquis eas *Arthritidis* nomine comprehenderit, earum mutabit naturam, aut curationes; ſed, nimis lata ſignificatione, vocem eam, morbum ſingularem exprimere ſolitam, reddet *Æquivocam*; morbos longe disjunctos, eoſque non paucos, complectentem, qua quidem re, οὐ τῷ ὀνοματοποιεῖν nihil magis fugiendum.

Nos certe opus practicum moliri, & hos affectus eo modo tractare ſtuduimus, qui ad eos tollendos, aut mitigandos, maxime conducat: quem in finem, ut in ſuperioribus *Arthritides* alias *Genuinas*, in *Secundariis* & ſenſu laxiori *Symptomaticis* cenſuimus; quod *Chloroſi*, quodque *Hydropi* ſubjiciuntur; ita hic multo ſatius eſſe duximus, tametſi veræ ſint omnes hæ *Arthritides* (quod tamen ita eſſe, nec a quoquam unquam probatum, nec a nobis conceſſum) ut *Adulterinæ*, interque ſe diverſæ, & *magis proprie Symptomaticæ*, habeantur: Quoniam hæc poſitio, ad earum curationes & aptius lucubrandas, & felicius exigendas, uſus eſt immenſi.

Perimetrum circulare ad ſuam diametrum in ratione *Tripla-ſeſquiſeptima*, ſive ut 22. ad 7. eſſe ſtatuunt, & quidem omnium conſenſu recte ſtatuunt, *Geodatæ*: Quamvis id non tam ex rei veritate, quæ profecto nulla eſt, quam ex poſitæ commoditate & in ſolidis dimetiendis utilitate, factum eſt.

III. Unum adhuc reſtat, quod quidem me ſolicitum habet, quodque Lectorem moveri par eſt, non eam hujus ſcripti mentem eſſe, quæ *Melancholia*, *Scorbuto*, *Lue*, vel alio quovis morbo e primariis ſupra dictis laborantem, *primigenia* ſimul *Arthritide* laborare poſſe diffiteatur: quin e contrario (quantum video) poſſe ita fieri, (ut illorum altero qui ægrotet, *Podagra* ſimiliter ægrotet *primigenia*) lubens agnoſco. Mihi vero cum hiſce ſolum morbis negotium, qui ſtatum priſtinum vel partim vel omnino deſerentes, ſub falſa *Arthritidos* imagine laceſſunt ægros.

IV. Præter has *Imagines Arthriticas*, quæ ſuo quæque genere perfectiſſimæ, & omnium, quas ego notavi unquam, maxime ſunt elaboratæ: aliæ cernuntur minus perfectæ, neque tam ex amuſſi ad exemplar illud ingens, *Arthritida* videlicet *primigeniam*, formatæ. Sunt illæ fœtus naturæ, ſed abortivi; ſunt illæ conamina, ſed languida, & frequenter vacua. Habent tamen nihilominus dolorem; aliæque tumorem, aliæque etiam ruborem, breves habent plerunque paroxyſmos, neque ex ſtadiis omnibus perfectis conflatos; atque adeo interciſos, interruptos.

Harum *Abortionum* cauſa, ex naturæ imbecillitate, & ad *Arthritidem* eluctandam impotentia; vel ex materiæ defectu peccatricis; vel ex ſanguine δυσμεταβλήτῳ, & ad *Arthritida* ſubeundam minime apto & proclivi, ut intelligo, petenda eſt: Certe tanta illarum Ἀπορία, mos ita dubius, ut ad haſce noſtras *Symptomaticas* nihil eſſe cenſeantur, neque ſermone longiori perſequendæ.

Minime vero tacendum, quod hæ *Abortiones* nunc, ut aliorum morborum aliæ non paucæ, (quod jampridem detexit clariſſ. *Sydenhamus*) apud vulgus *Scorbuti*; nunc etiam *Rheumatiſmi*, facti, vel imperfecti, nomine inſigniuntur; & paſſim curationi, pro hoc vel illo nomine, (quam autem auſpicato conjectari facile eſt) ſubjiciuntur.

V. Poſtremo addam, quod *Articulares Glandulæ*, quæ tantopere in ſtatu corporis ſecundo & naturali, per ſecretam mucilaginem, (*a*) articulorum motui, immo vitæ animali conſervandæ; in ſtatu ejus vitioſo adverſoque ſanguinis depurationi & purgationi, pari modo inſerviunt: quando per has exprimitur venenum, in alio corpore Ποδαγρικὸν: in alio, *Melancholicum*; in alio, *Scorbuticum*; in alio, *Venereum*; in alio, *Febrile*; aliud videlicet aliudque longe diverſum, ſumme pernicioſum. Ut dictæ *Glandulæ*, ex incerniculis totius corporis celeberrimis ſint: neque per *catarrhos*, infantum; neque per *Rheumatiſmum* muliebrem, fœminarum; neque per *Hæmorrhoida*, provectiorum; quam per Φύσιν hanc *Articularem* ſeniorum vita, ſalus, & incolumitas magis ſuſtentetur.

EPILOGUS.

Ita demum abſolvimus *Syſtema Arthritidum Symptomaticarum*, eas *Species* percurrendo omnes, non quas imaginatio peperit; non quas opinio commenta eſt, vel auctores, ſcripta ſua compilantibus, ſunt elargiti; ſed quæ nobis uſu & experimentis; quæ obſervatione & exercitatione medica occupatis, ſeſe prodiderunt.

Harum modos & proprietates expiſcari ſuimus conati, medendique rationes & indicationes ſingulas, quam poſſimus aptas idoneaſque, earum ſingulis accommodare. Nunc *Calcar* adhibendum, & *Arthritidem* in nonnullis omni induſtria promovendam; nunc contra, *Freno* opus eſſe, & morbos artificioſe ſiſti ſufflaminarique oportere: materiam nunc per *Locos Muliebres*; nunc per *Renes*; nunc per *Ambitum Corporis*; nunc per *Anum*, nunc per *Os*, *evacuari*; nunc, emiſſa evacuatione omni, *alterari*; nunc & alterantibus & evacuantibus neglectis, tantummodo *præcaveri*, in ipſoque ortu *ſupprimi*, debere demonſtravimus.

Si, in ponendis hiſce indicationibus, iſque deſignandis, erraſſe nos conſtiterit, (in re vero tam multiplici, tamque intricata, nihil errare, pluſquam humanum eſt) certe ſuam cuique *Symptomaticæ Arthritidi* propriam eſſe, ex derivatione propria, naturam; tum item harum ſingulis, pro ſua cujuſque derivatione & natura, curationem excogitandam eſſe propriam & peculiarem, omnino comprobatum eſt.

Jacto iſthoc fundamento, quæ mediocriter (pro earum dignitate, ſi quidem mediocriter) a nobis aperiuntur *Symptomaticæ*; tum eas amplius explicare; tum eas illuſtrare; tum earum numerum explere poterit obſervatio poſterorum, quibus in medio relinquam *Scrofulæ*, *Rachitidos*, *Pſoræ*, *Diabetis*, *Icteri*, *Dyſenteriæ*, aliorumque complurium chronicorum erga *Arthritidem* inclinationes & demigrationes, ſi quæ ſint, & qualeſcumque, evolvendas: eſſe vero plurimorum; eaſque longe inter ſe diverſas, & diſcrepantes; ex jam prolatis, quæ a nobis, ut dabatur occaſio, perpaucis annis ſpatio cogerentur, abunde veriſimile eſt.

Animus erat, de *Arthritide Anomala* quæ habuimus dicenda, his ſubnectere; ſed, in præſentia, manum hac de tabula, & ſpatio jam exacto, ſiſtentes (anhelantium more curſorum) pauliſper reſpiremus.

(*a*) Vide Clariſſimi *Haverii Oſteologiam novam*, Diatribam *De Glandulis Mucilaginoſis*.

FINIS.

Δόξα τῷ ἐν ὑψίστοις Θεῷ.

DISSERTATIO SECUNDA.
DE
ARTHRITIDE ANOMALA.
SIVE INTERNA.
PRÆFATIO.

IN Diſſertatione non ita pridem edita, de morbis iis ſermonem fecimus, qui ab *Arthritide Primigenia* diſtincti, natura & indole plus minus remoti, ſtationes ſuas deſerunt; ad illam appropinquant; ejus ritu paroxyſmos agunt, *Artus* affligunt: quoniam vero, præter *Arthritidis*, ſive *Symptomaticæ*, ſive *Primigeniæ* paroxyſmos eos, qui in artubus omnino locum habent, & a me *Idonei*, *Recti*, & *Regulares* appellantur; alios adhæc inſultus faciat *Arthritis* utraque, & interdum *Trunci* partes has illas, ſedes, & regiones intret alienas, atque illas ſæpe mulctet graviſſime, hos utriuſque *Arthritidis* errores, has obliquitates, & Ἀνωμαλείας hoc loco exponere decrevimus.

Dari vero ſibi poſtulat hæc Diſſertatio, (& quidem optimo jure poſtulat dari) ſuos eſſe *Arthritidi* cancellos, ſuos limites certos, & definitos; quibus ſe quandiu continet, tandiu *Regularis* illa judicari poteſt; quotieſcunque vero eos excedit tranſilitque, toties *Anomala*. Dicam planius & apertius *Arthritidis Subjectum*, unos *Artus* eſſe *Regulare*, proprium, & ſuum hanc illos vendicare; domicilium in illis collocare: contra vero, organicam *Trunci* partem aliquam, ſive *Provinciam interiorem*, non niſi *deviam* uſurpare; non niſi *Anomalam* invadere. Quæ quidem harum in corpore regionum deſignatio partitioque, non ex arbitratu noſtro fieri, vel opinionis commentum eſſe, verum, e diverſo, in natura ſtabile, & fixum habere fundamentum uſu, & experientia confirmatum invenietur.

Quotuſquiſque Medicorum *Impetiginem*, e. g. virus in *Cutim* effundentem, ſquamas (ſic, ut moris eſt) præ ſe ferentem, animo perpendens, *Cutim* illi propriam eſſe ſedem, non exiſtimaverit? quotus etiam quiſque eſt, qui, relicta *Cute*, ſi materia vitioſa *Pulmonem* ingrederetur, & *Tuſſim* faceret; non, hanc illius a ſuo in alienum locum aberrationem eſſe, judicaverit? Quis hujuſmodi *Tuſſim*, a vulgari & exquiſita diſſidere, multumque diſcrepare, non libenter affirmaverit? Quis, alia medendi methodo, quam quæ *Tuſſi* conducat exquiſite, tractari eam oportere, vel ſecum dubitaverit? Immo quidem iſtiuſmodi *Tuſſim*, etiamſi *Bechica*, reliquaque remedia *Pulmoni* dicata, minime reſpuerit; tamen, per materiæ translationem in corporis ſuperficiem, in ſedem illi uſitatiſſimam, (unde *Pulmoni* cautum eſſet, donec e corpore prorſus expellendæ ejus daretur occaſio) id eſt, per renovatam *Impetiginem*, modo renovari poſſet, appoſite curari, quis in arte noſtra prudens abnegaverit?

Quæ hic de *Impetigine*, mutato nomine de *Arthritide*, narretur fabula; pari enim modo, atque illi ambitus corporis, huic artus, *Subjectum* & ſedes eſt exoptatiſſima. Quod vel eo liquet, quoniam hos ſuapte ſponte adit *Arthritis*; hos incolit; hos invita, plerunque exacta, linquit; hos celerrime reviſit; *Truncum* autem, niſi coacta, raro premit; cauſa nempe fortuito aliqua naturæ conſilium mutante, rationem morbi conturbante, morem alterante: unde jure merito, quæ artuum eſt *Arthritis*, habeatur *Regularis*; quæ reliqui corporis, *Anomala*. Simili etiam modo, atque de *Tuſſi Impetiginoſa* diximus, quæ e. g. *Tuſſis* eſt *Arthritica* (quandoquidem ex miaſmate *Arthritico* fiat) a vulgari & primigenia *Tuſſi*, ſi recte comparetur illi, primum differre exiſtimetur. Poſtremo, ut in *Impetiginoſo Tuſſiente*, nihil hac *Tuſſi* laborantibus conducibilius, nihil *Arthritidi* huic *Anomalæ* magis aptum, quam ut in viam ea, quaqua poſſit arte, reducatur, & fiat. *Regularis*, id eſt, in artus ut ejiciatur.

Præmiſſa hac *Arthritidos* (in *Regularem*, & *Anomalam*) diviſione, tanquam hujus ſcripturæ baſi, de *Arthritide Anomala* diſſerere non jucundum modo, verum etiam utile; ſed & difficile cogitandum. Eſt enim illa, primum, perobſcura, tenebris occultata, neque perpetuo animadverſa; maxime, ſi ex primo ejus aſpectu, nempe ſymptomatum concurſu, (qui vulgi mos eſt) diagnoſes ſtatuantur. Partium quas invadit, morbos, adeo examuſſi illa proprios & vernaculos, imitatur; ad eorum modos ſe tam accurate comparat; ex eorum vultu, ſuum tam mimice componit; ut a Medicis omnis ſeculi omnino omnibus, aut prætermiſſa, aut tantum leviter tacta; a nemine unquam hominum, quod ſciam, explicata fuerit; nedum a quoquam, uti par eſt, impugnata.

Deinde illa ita numero (veluti erroris alias natura) multiplex eſt; ut raro ullam in *Trunco* regionem, ea prorſus immunem; nullam fere, quam non aliquando ingrediatur, animo liceat comprehendere, ut *Trunco* quot partes ſint organicæ, tot propemodum *Arthriticæ* ſint earum *Anomaliæ*. Porro tam a ſe diverſæ ſunt, ut malorum, quotquot undique corpus humanum infeſtent, eorum omnium vix ullum magis, vix ullum obſervare licet æque πολύτροπον, πολύμορφον.

His adde poſtremo, importunam ſemper eam eſſe, (ſed ratione valde diſſimili, & inæquali) imo quidem non raro ſumme periculoſam; quoties nimirum miaſma *Arthriticum* viſcus aliquod e nobilioribus, & ad vitam maxime neceſſariis ingreſſum illud ſic, ut aſſolet, corrumpat. Hoc autem crebro fieri, hæc noſtra *Diſſertatio*, niſi quid me fallit, manifeſtum & teſtatum reddet. Teſtatum, inquam reddet, *Arthritida* non ſolum (*Regularem*) artubus dolores, tumores, toſos, aliaque iſtius generis mala (quæ *Arthritidem* omnino omnem indicare, vulgo fuere judicata) inferre; verum etiam (*Anomalam*) modo *Ventriculo Nauſeam*; modo, *Inteſtinis Tormina*; modo, *Renibus Nephritida*; modo, *Pectori Aſthma*; modo, *Pulmoni Tuſſim*; modo *Faucibus Anginam*; modo, *Cerebro Apoplexiam*; modo *Nervi Paralyſin*: &, quod *Trunci* partes, affectibus indigenis ſatis ſuperque afflictatas, uſque novis & peregrinis aggravet; uſque miſeros mortales excruciet; tunc, ut ſæpe accidit, maxime crudelis, quando minime ſuſpecta.

Tantæ peſtis & tam funeſtæ impetum, ut Ego pro virili ſiſterem; harum *Anomaliarum* Doctrinam, & diſciplinam attentavi: Quos in *Trunco* locos adeat *Arthritis*; quibus in corporibus, quæ præferat *Diverticula*; quæ *Latibula*: itaque quos illa, generatim; quos, ſpeciatim, *Mæandros*, *Anfractus*, & *Obliquitates* amet: quibus de cauſis eas incipiat; qua velocitate percurrat; quo eventu terminet; quodnam item *Anomalæ* cujuslibet Εἶδος; quæ *Accidentia*; qualis, a morbo partis affectæ proprio *Differentia*; qua demum arte præcipue quam peculiari, & privata, quælibet oppugnari, quaque præcaveri debeat, tradere conatus ſum.

Circuli, curvarum linearum perfectiſſimæ, natura & proprietatibus explicatis; ea re minime contenti Geometræ parvam & tantum inchoatam iſtiuſmodi linearum matheſin, eſſe putavere; niſi etiam curvæ minus regulares enodatæ fuerint: atque ideo *Ellipticam*, *Aſymptotas* aliaſve curvas, *Circulari* minus perfectas, ſuſcepere, & in iis extricandis operæ multum impendere; tam ſibimet ipſis, quam aliis, utile & jucundum.

Quæ vero me ad opus hoc aggrediendum impulerunt, in primis duo ſunt. Alterum, quo *Damnonios*, Populum nobiliſſimum, & de me optime merentem, *Arthritide Anomala*, perinde atque *Recta*, multum urgeri vexarique, jam diu obſervaverim, illaque multo plures, quam hac occidere; ut *Arthritis Anomala* morbus non immerito *Lethalis* habeatur; uti, quæ *Recta*, *Salutaris*: raro enim hæc ægrotum interimit, niſi *Anomala* prius facta. Quibus tamen hominibus, cum pleriſque aliis, morbi illius facie miſere deceptis, de vero ejus ingenio, nempe *Arthritico*, raro unquam ulla fuit ſuſpicio. Et tantopere ſub aliena larva debacchatus eſt in eos hic affectus, ut, ex iis qui Ἀνορεξίᾳ, qui *Colica*, qui *Syncope*, qui *Phthiſi*, qui *Aſthmate*, qui *Apoplexia*, (ne dicam alios affectus, utique complures) exquiſita, pura, & genuina perimi, & e medio tolli cenſerentur; revera *Arthritide*, unum eorum aliquem æmulante, & larvam induente, non pauci, atque adeo (quod veriſſimum eſt) permulti fuerint ſublati: non ſolum morte, ſed & ignota ejus cauſa, infelices. Quas tamen eorum *Arthritides Anomalas*, methodis hiſce noſtris opportune adhibitis, quam iis, quæ continentem, & Proximam earum cauſam minime attigerint; nec quidem unquam reſpexerint: facilius cedere potuiſſe, conjectura ducor ad ſuſpicandum.

Quod vero præterea calcar, atque animum, ad ſcribendum dedit, altum erat illud de *Arthritide Interna*, ſive tollenda, ſive dignoſcenda, apud Auctores medicos ſilentium. Etſi enim patet, eam, ut, & periculum, quod eam inſe-

qua-

quatur, non esse novum, aut artis professoribus ignotum; tamen, quia neque illud periculum, neque ipsa *Arthritis*, multo minus ejus curatio, dedita unquam opera, vel pro ejus dignitate, & momento, fuit a quoquam unquam exposita, nec, quod sciam, inchoata; idcirco ejus Doctrina, quatenus diagnosin, & therapiam ejus comprehendit, inter artis Medicæ defectus, & desiderata, non immerito censeatur.

Ne vero quis, ex eo medicinæ consultorum hac in re silentio, *Arthritidis* hujus in dubio ponat Υπάρξιν, & de morribo, non tam gravi periculosoque, quam commentitio imaginarioque, disputare me coarguat; Operæ pretium existimo, veterum, quorum authoritate morbus ille (*Arthritis* scil. *Interna*) confirmari possit, e multis aliquot testimonia proferre.

Annos certe millenos abhinc septingentos (i. e. sub *Augusti Cæsaris* Imperium) *Aretæo* ille *Cappadoci* innotuit, ita de *Arthritide* verba (*a*) facienti, Τισὶ δὲ νέμεται ἐς τὴν τῦ παντὸς σκλήρος ὁδόδον. Id est, *Quibusdam in omnis Corporis ambitum vagatur*. Et deinceps, Η δὲ μετάβασις ἐς νῶτα μῦας, ἢ Θώρηκος. Α'πισον, ἢς ὅσον ἕρπει τὸ Κακόν. Σπόνδυλος ἀλγέυσι ῥαχιός τε ἢ αὐχένος, ἢ ἐς ἄκρον ἐρεύδει τῦ ἱερῦ ὀστέυ. i. e. *Transitus quoque in Dorsi Thoraciſque Musculos fit: Incredibile est, quam late Malum* (i. e. Arthritis) *serpat. Vertebræ Dorsi, Cervicisque dolent, & in summo Sacri Ossis Dolor inhæresci*t. Et paulo post Τένοντες, Α'δένες, Μῦες ξυῶ εἰπάσι ἀλγέυσι. Γνάθων ἢ Κροτάφων μῦες νεφρῶν ἢ χύσιος ἡ Ἡδοχή. Ω τῦ Θώματος. i. e. *Tendines, & Musculi cum distentione Dolorem patiuntur, nec non Maxillarum & Temporum Musculi. Item cum Renibus, & Vesica communicatur. O Rem admirabilem!*

Secundum hunc *Galenus* apertissime, *Satius*, inquit, *est, ut Humores pravi relictis Principalioribus partibus in Ignobiliores ferantur, quam quod ab Ignobilioribus in Principes impellantur. Aspeximus etenim sæpe in his, qui* Articulari *Morbo, aut* Podagræ *obnoxii erant, quod, repulsis ab Artubus Humoribus eo delatis, illi in Principem aliquam Partem contendentes, Homini interitum attulere: cui ea sola relinquebatur Spes Salutis, si iterum possent ad Artus revelli*. (*b*).

Paulus etiam *Æginet*a nonnullorum meminit, *qui Aures, Dentes, Guttur, & nonnunquam Jecur, Lienemque, Arthriticis Doloribus conflictari pronunciant: A quibus, nisi desubito Vitium in Artus sese recipiat eructetque, periculum brevi tempore Laborantes occupaverit*. (*c*)

Adhæc *Ætius* (*d*) (*Jano* interpretante *Cornario*) *Qui vero*, ait, *extreme ab hac affectione* (nimirum Arthritide) *apprehenduntur, his & Spinæ Vertebræ, & Costarum Junctura, & Genæ dolent: aliquibus autem & Iris, sive Corona pupillam Oculi ambiens: neque est aliqua Ossium Connexio, quæ ab hac Affectione sit immunis*.

Quibus animadversis *Trallianus* (*e*) sapienter monet, *Ne astringentibus & repellentibus in affectis Partibus utendum esse, nisi totum prius Corpus Recrementis liberaveris. Nam quod Articulis influit, ne ad Principales Particulas recurrens, Suffocationis causa fiat Ægro, periculumque Mortis adferat, metuendum est*. Et in sequentibus, *Multos attonitos*, inquit, *fieri conspicimus, ubi Pedes tentari desierint*.

Quid? quod *Demetrius*, inter recentiores Græcos, *Pepagomenus*, *Michaelis Palæologi* Medicus, his assentiatur; Libro (istius Imperatoris jussu) de *Podagra* scripto, *Non tantum*, inquiens, *in* manus, pedes, *omnes* articulos *tales ferri* fluxiones: *verum etiam in* cerebrum, jecur, *atque adeo ipsum* cor. *Easque teterrimas esse liberatuque difficillimas*. (*f*)

His accedunt ætate nostra *Sennertus*, *Sylvius*, *Etmullerus*, *Sydenhamus*, & complures alii: ut, tametsi *Arthritidos Internæ*, qua late patet, diagnosis certa & fidelis, supersit nulla; nedum ejus ulla curatio propria; morbum tamen eum, Medicorum omnis fere ævi opinione, revera esse; eumque magnum, & ancipitem esse, omnino constet: & quidem mirari aliquando subiit, in morbo, toties a veteribus significato, per tot sæcula genus humanum affligente, explicando curandoque; ab eorum temporibus ad hunc usque diem, progressum adeo parvum fieri; adeo nihil agi: Utinam, quæ a nobis hanc ob rem in medium feruntur, proposito respondeant.

Illud denique adjiciam, unde Lectori *Hippocratis* æmulo, (id est, Præceptoris in medicina optimi Discipulo) Dissertatio nostra, uti spero, commendetur, & gratiam ab eo ineat: omnem hanc *Arthritidum Anomalarum* disciplinam, sive ætiologicam, sive therapeuticam, cum medicina *Hippocratica*, quantum in me est, convenire; &, (posthabitis hypothesibus, naturæ vero judiciis tum avide investigatis, tum etiam diligenter examinatis) ad ejus normam & legem componi. Nec enim ille parum auspicato medicinæ operam dat, qui id aliter facit, quam *Natura* duce, & comite *Ratione*: Hoc autem minime omnium illi videntur facere, qui, neglectis phænomenis, *Naturæ* nomine venditent *Opiniones*; itaque sibi, suique similibus fraudi, aliis sint ludibrio.

Quare, de humorum *Transitu Migrationeque* & ab artubus in partem aliquam internam *Recessu*; de eorum in ea parte *Receptione*; deque eorum medicamentis ore sumptis, in artus *Expulsione*, extra vero applicatis, *Revulsione*, creberrime nobis sermo. Sunt autem ista plane *Hippocratis* Μεταστάσιες, Διαδέξιες, Α'ποχειρίσιες, Α'ντισπάσιες. Imo quidem, hanc nostram medendi methodum, verbis generalibus, ipse divinus senex proposuit, præcepitque: Præcepit enim Α'ντισπᾶν, ἢ μὴ ᾗ δεῖ ῥέπει. ἢ δὲ ὅκη δεῖ, τετοίοισι δεῖ σωμᾶν, οἷως ἕκαστα ῥέπει. Id est, *Revellenda ea, quæ quo non' oportet, repunt: Sin autem quo convenit, iis Viam sternere oportet, ut singula eo vergant*. Quo quidem aphorismo, (tanquam oraculo, *Apollinis* instinctu edito,) tum *Anomalæ*, tum *Primigeniæ Arthritidos* curatio tota brevi comprehenditur.

Morbi *Hipochondriaci* diversitates & morborum innumeras aliorum imitationes, quæ per omne ævum Medicis fucum, ægrotantibus molestiam fecerunt; a clarissimo *Sydenhamo* graphice depingi, solertissime curari vidimus. Utinam etiam *Arthritidis*, morbi similiter multiformis varietates, simulationes, flexiones, *Anomalias* qui exprimeret, & pro rei dignitate, & amplitudine describeret, par esset *Sydenhamo*. Hisce vero desperatis, huc spectantia, quæ a me fuere passim observata, lubens in medium fero; ea spe fretus, etiamsi non perfectas & absolutas, tamen nonnullas harum *Anomaliarum*, per hæc nostra qualiacunque, fieri tum Historias, tum curationes.

Habes, Lector, instituti rationem & consilium: utrique fave.

(*a*) Lib. 2. Cap. xii. Ed. in Fol. August. Vindel. 1603. per Henischium.

(*b*) Α'πὸ γὰρ τῶν Κυειωτέρων μοείων ἐς ἀκυρώτερα μεθίσατε τὰς λυπᾶντας χυμὰς, ἐκ ὑπὸ τῶν ἀκυρωτάτων ἐς τὰ κυειώτατα, βέλτιον ἐσι Πολλάκις δ' ἤδη τεθεάμεθα, τῶν ὑπὸ τὰ κῶλα φρομένων ὑμῶν ἐν ἀρθείτισί τε ἢ ποδάγραις ὑποκρυσθένάτων ἐκεῖθεν, εἰτ' ὑπὸ τι Κύειον ἐλθόντων, ἀποθανόντα τὸν ἄνθρωπον, ἔξω τὸ μίαν ἐλπίδα σωτηείας, ἐὰν δυνηθῶμεν αὖθις ὑπὸ τὸ Κῶλον αὐτὰς ἀνασπᾶσαι. In *Hippocratis* Librum de Natura Hominis, Commentario II. ad Textum quintum: Editione *Parisiensi*.

(*c*) Τισὶ δὲ ἢ ὦτα, ἢ ὀδόντες, ἢ φάρυγξ, καίποτε ἢ ἧπαρ. ἢ σπλὴν, τῶν ἀρθειτικῶν μετεχον ἀλγημάτων ἐφ' ὧν μὴ ὀξὺ τάχος ἐν τοῖς ἄρθροις ἡ μετάπτωσις ἐγίνετο, Κίνδυνος ἐν ὀλίγῳ κατελάμβανε τὰς Καμονπας. Libro 3. Cap. 78. Editione Aldina.

(*d*) Vide ejus Tetrabibli tertiæ Sermonem quartum, Cap. vi. Editione Frobeniana. Basileæ MDXLII.

(*e*) Ε'γὼ δὲ φημι, μηδὲ τοῖς σύφασι ἔ ἀπὸ κρύσθαι δυναμένοις ὑπὸ τῦ πεπονθότων ἐλειν κεχρήσθαι, μὴ πρότερον ὅλον ἀσθείττον ἐργασαμένον τὸ σῶμα. Τὸ γὰ ἐπίῤῥυτον ἐν τοῖς ἄρθροις, δέος ἐσὶ, μὴ πρὸς τὰ κύρια μόρια καλινδρομῆσαν, αὖτιον γένηται τε τὰ καταπνιγῆναι, ἢ κινδυνεύσαι θανάτῳ τὴν Πάσχοπα. Ε'πὶ πολλῶν ὁρῶ μὲν πληγμὰς ἐπακολυθᾶντας, τῶν Ποδῶν ναυσαμένων τὰ ῥόυματίζεσθαι. Vide Alexandri Tralliani, Lib. II. Cap. I. Basileæ MDLVI.

(*f*) Ου μόνον δὲ εἰς Χεῖρας, ἢ Πόδας, ἢ εἰς παῖπα τὰ Α'ρθρα γίνονται οἱ τοιῦτοι Ῥόυματισμὸι, ἀλλὰ ἢ εἰς Ε'γκέφαλον, ἢ εἰς Η'παρ, ἢ εἰς αὐτὴν τὴν Καρδίαν, ἅτινά τίσι δεινότατα, ἢ δυσαπαλλακτότατα. Cap. v. Editione *Parisiensi*, per *Charterium*.

DE ARTHRITIDE ANOMALA, GENERATIM.

CAPUT PRIMUM.

Art. I. CUm materia peccans, & aliena, quæ *Arthritidos* ſive *Primigeniæ*, ſive *Symptomaticæ* cauſa proxima, continens, & conjuncta eſt; poſt aliquam in ſanguine moram, naturæ demum moleſta, ideoque expellenda, jam exilio patata eſt; permagni ſane refert, quas in corporis partes ea mittatur; quibus in locis deponatur: Si enim in *Artubus*, maxime vero ſi eorum commiſſuris; ſicque ut de ejus in ſanguinem reditu nullum ſit peticulum; profecto quidem hoc eſt ipſum naturæ propoſitum, quod in ſui defenſionem omni illa ſtudio, ſummis viribus attentat: hæc morbi hujus ſolutio fida, accommodiſſima: hæc *Arthritis* exoptatiſſima, quæque jure merito nominetur *Regularis*.

II. SIN aliter acciderit, & ad corporis *Truncum*, ſive aliquam ejus partem, materia fuerit appulſa, & in ea malum more ſuo machinata; longe alia rerum facies, alius eſt eventus: nam aut nulla morbi fit ſolutio, aut ſaltem inepta, naturæque votis minime reſpondens. Novus ex eo morbus exoritur, iſque ſæpe periculoſus, ſæpe pernicioſus; indole, & ingenio propter materiam ab *Arthritide* ductam, admodum ſingulari. Atque hæc iſtius materiæ, in ea quæ intus ſunt, e ſanguine ablegatio, & in iis commoratio; quandoquidem ex primo naturæ inſtituto (quæ ſemper *Regularem* præfert, &, quoad fieri poteſt, molitur *Arthritida*) minime peragatur; verum multo aliter ex illius errato, vel defectione: hæc, inquam, *Arthritis* a nobis appellatur *Anomala*; ea vocis iſtiu ſignificatione, qua apud veterem (*a*) Etymologum legitur *Anomalia*, *id eſt*, *extra Regulam*.

III. *Arthritidum Anomalarum* Διαγνώσεις difficultatibus quamplurimis involutæ, tenebris denſiſſimis obſcuratæ ſunt; ut autem excudam, & ante oculos ponam earum rationem aliquam generalem, omnino diſtinguendum eſt inter eas *Anomalas*, quæ *Regulari* nullo præcurrente paroxyſmo ſunt; & eas, quæ regularem *Arthritidis* paroxyſmum inſequuntur.

Illæ quidem partium, quas afficiunt, morbos tam mimice legitimos & exquiſitos imitantur; ut internoſcere illas, & ab hiſce charactere proprio diſcriminare, prorſus ἀδιάφορον exiſtimetur. Quis enim, e. g. morboſam iſtam affectionem, quæ in corpore, ad hoc uſque tempus immuni, neque *Arthritidis* paroxyſmo regulari vel ſemel unquam tentato, vel ei (quantum apparet) proclivi locum habens, anginam inducat; eamque anginæ legitimæ tam ſimilem, ut neque ovum ovo ſimilius: quis, inquam, iſtuc malum? quis hanc anginam, *Arthriticam* eſſe ſomniaverit? quando nulli teſtes, ſymptomata nulla, vel minima quidem ex parte id arguere videantur? Nihilominus tamen *Arthriticam* eſſe poſſe hanc *Anginam*, omni dubio procul uſu medico confirmatum eſt. Quare prætermiſſis hiſce, quæ, ut nunc ſunt ſymptomata, & eorum interpretationes, ſupra captum humanum eſſe cenſeantur; ad eas progrediar *Anomalas*, quæ, paroxyſmum *Arthritidis* regularem a tergo ſecutæ, *Diagnoſes* habent probabiliores.

IV. HÆ vero *Diagnoſes* non ex caterva ſive globo ſymptomatum, ſimul ſemelque concurrentium, (quod in affectibus pleriſque locum obtinet) expectandæ; ſed ex ſymptomatum ſerie, vel ordine, in longum producto, capiendæ ſunt. Ut autem iſtæ catervæ, Συνδρομαὶ ab antiquo παθογνωμονικαὶ fuerunt nominæ; ita quidem hi *Ordines*, *Patognomonici* non inepte nominantur.

Qui quidem *Ordines Arthritidum Anomalarum Pathognomonici*, pro iſtarum *Arthritidum* diverſitate, diverſi ſint, oportet; & quidem alias conveniunt, alias inter ſe magnopere ſunt disjuncti. Conveniunt in eo, quod ad unum omnes ab *Arthritide regulari* ſumant initium; quandoquidem, de *Anomalæ Arthritidos* ὑπάρξει minime unquam conſtabit, niſi de *Regulari Arthritide* præcurrente prius conſtiterit. Atque hæc iſtarum Διαγνώσεων pars prima eſt.

Diſcordant eo, quod, eodem loco incipientes, diverſas omnes ingrediantur vias; uti radii ejuſdem circuli, ab eodem puncto, nempe centro, incipiunt; ſed in varia peripheriæ puncta deſinunt. Ut hoc exemplo clarius oſtendatur, *Dyſenteria*, v. g. *Phthiſis*, & *Apoplexia Arthriticæ* conſentiunt in eo, quod ab *Arthritide* regulari, & in artus ſæviente, exordiantur omnes: verum, quoniam miaſma nunc ad inteſtina appulſum eſt, ubi loci *Dyſenteriam* facit; nunc ad pulmonem, ubi *Phthiſin*; nunc autem ad cerebrum, ubi *Apoplexiam*; idcirco *Arthriticæ* hujus *Apoplexiæ*, *Phthiſeos*, *Dyſenteriæ* *Diagnoſes* ex cerebri, pulmonis, & inteſtinorum, nempe ex locorum affectorum ſignis, maxima ex parte ſunt eliciendæ. Atque iſta locorum, ab *Arthritide* in eos translatas affectorum, accidentia, Διαγνώσιων harum eſt quod reliquum.

Quoniam vero hi affectus poſtgeniti, *Arthritidem regularem* nunc e veſtigio ſequuntur; nunc ex intervallo, eoque alias brevi, alias longiori; magna profecto, ob hanc rem, earum eſt diverſitas. Alii originem plene & plane confitentur *Arthriticam*; alii, utrum habeant, an ſecus, minime declarant. Adeoque, ut diagnoſes haſce finiam, hic *Canon* iſtorum affectuum *Pathognomonicus*. Quo certior *Arthritidos* regularis ὑπαρξις, & illius materiæ, in ea, quæ intus ſunt, quo poſtea certior eſt translatio; eo confidentius *Anomalam*, & quidem in parte jam nuperrime occupata, eſſe *Arthritidem* poſſimus ſtatuere.

V. CUM autem *Arthritidem* ea, quæ intus ſunt, *Anomalam* infeſtare dicam; vox (*intus*) ut & alibi (*Partes internæ*) uti etiam τὸ (*Anomalam*) & (*Truncus*) ſic a me ſumuntur, ut *internæ Partes* ſint trunci omnes: *Truncus* autem tres ventres comprehendat, & cum artubus (quorum reſpectu partes ejus dicuntur *Internæ*) conſtituat univerſum corpus. Ut autem voces (*internæ*) & (*intus*) & (*Truncus*) ſenſu largiori, ita vox (*Anomala*) ſtrictiori accipitur: Non enim omnes *Arthritidos* in trunco *Anomalias*, non artuum ullas, tractare propoſitum eſt.

VI. HINC *Arthritidem* inter *Regularem* & *Anomalam*, quæ ſit differentia, quod diſcrimen, explicatu facillimum. Primum enim illa tantum artus invadit, eorumque præcipue articulos; tum humerum, & coxendicem, tum cæteros omnes: Hæc corpus reliquum; cujus partes, nunc *contentas*, nunc *continentes*; aliaſque ſæpenumero adoritur, multifariam affligit.

Deinde *Arthritidos* regularis, cuicunque articulo affixæ, quoſcunque attus pervagatæ ſymptomata, ſimul ſumpta, inter ſe conſentiunt, ſimiliaque faciunt *Pathognomica*, & (quod de ſimilium triangulorum lateribus ſolet dici) ὁμολογοῦσι. Nam in *Arthritide* regulari fixa, dolorem fere perpetuo, tumorem creberrime, ruborem ſæpe, neque raro ardorem & tofos cernimus: & in vaga dolorem, unde ipſius nominis ratio, vagum; cui nonnunquam accedit tumor albus, & tanquam οἰδηματώδης. Contra vero *Anomalæ Arthritidos*, uti in locis ea longe plurimis eſt, ita longe plurima & diverſa ſunt ſymptomata; in ordines ejus *Pathognomonicos* & numero plures, & valde diſſimiles (ſecundum partes ab hac *Arthritide* tentatas & affectas) diſponenda, & digerenda.

Poſtremo *Arthritis* regularis eſt a natura potiſſime petita; maxima ex parte tuta, perpetuo deſideranda, criſis; ut ad vitam ſervandam in primis neceſſaria; neque alium quemvis (niſi id caſu fiat) morbum gravem, & ærumnoſum habens ſupervenientem. Hæc contra ortus eſt ſiniſtri, & ex naturæ fruſtratione; raro abſque ægroti periculo, interdum ſummo comitata, exituque crebro fatali. Adeo nempe a *Regulari* diſtinguitur *Anomala Arthritis*.

VII. Id autem memoria tenendum, non ſolum exquiſitæ *Primigeniæque Arthritidos* eſſe has Ἀνωμαλίας, verum etiam *Simulatæ Symptomaticæque*; eaſque eſſe *Arthritides Symptomaticas*, quæ *Primigeniam Arthritida* non tantum modo recte agentem, ſed etiam deviam, ſed *Anomalam* ſequantur, & in rebus permultis æmulentur. Hujus autem verbi vis, & interpretatio non ita intelligenda, ac ſi omnes *Symptomaticæ* ad *Anomalias* ἀδιακρίτως omnes æque proclives eſſent; e contrario, has illis ſæpius, & longius excurrere, & quidem ad alios corporis locos, eſt exploratiſſimum.

VIII. At truncum illa univerſum non æqualiter infeſtat, aut pari modo lædit; verum, ut in provincia exteriori *Arthritis regularis*, ſedem in pedibus principalem ponit; quam creberrime frequentat, habitatque conſtantiſſime: aliam ſecundi ordinis ſedem elegit, nempe manus articulos; quos aliquanto rarius, ſæpe tamen inviſit: alios habet tertii, videlicet genu, cubitum, humerum, & coxendicem; quos articulos adit, quaſi invite, omnium rariſſime. Ita quidem in provincia interiori, ſive corporis trunco, *Arthritis* ſe gerit *Anomala*. Namque omnium ſæpiſſime ventriculum, & inteſtina petit, & in iis tyrannidem exercet: hinc Ἀνορεξία, Δυσπεψία, *Vomitus*, hinc *Colica*, *Dyſenteria*, *Diarrhœa*; hinc interdum *Abſceſſus Arthriticus*. Sæpe caput, tanquam arcem munitiſſimam aggreditur; & nunc *Vertiginis*, nunc *Cephalalgiæ*, nunc *Apoplexiæ* partes ſuſtinet *Arthriticæ*. Aliquando etiam in nervos ſe inſinuat; unde *Paralyſis Arthritica*. Non raro pectoris regionem, ſpirandique tentat organa; & eſt vel *Aſthma*, vel *Tuſſis*, vel *Hæmoptoe*, vel *Phthiſis Arthritica*. Aliquando etiam fauces invadit, & ſub *Anginæ* vultu ludificat ægrotos. Interdum gingivas, & appellari ſolet *Dentium Podagra*. Interdum renes afficiendo *Calculum* infert, *Dyſuriam*, *Stranguriam*: alias, ſcil. aliaſque trunci partes, viſcera, membranas, muſculos, glandulas, tendines, ligamenta, ne dicam oſſa, penetrat inficitque, ut in omni trunco, quod ea liberum, & ex toto ſit immune, vix reperiatur.

IX. Ne cui vero *Arthritidi* videatur alienum, tot ei, vel erranti, *Anomalias* obtingere, hincque morbos, ſi eorum facies ſpectemus, numero tam multos, natura tam diverſos, illam diffindi, & diſpertiri; hoc cum animo cogitet. Primum, virus *Arthriticum*, ſanguine commiſtum, una cum eo corpus univerſum circumvehens, in ſingulos ventris ſinguli receſſus, in partes corporis omnino omnes immitti, earumque adyta intrare. Deinde, iter ad articulos non adeo recta facere miaſma illud, ut in aliis corporis regionibus minime unquam divertatur; verum ex contrario, ad partem trunci aliquam appulſum, in ea ſæpe morari, ſedemque tanquam propriam occupare. Poſtremo, illa commoratum, illius affectum aliquem, ſed novi moris affectum, ſed *Arthriticum* inducere tum poſſe, tum etiam ſolere. Ut *Arthritidis* imperium, uſquequaque dilatatum, amplum eſſe conſtet, pariterque fere atque humanum corpus immenſum.

X. Cauſæ loco proximo perpendendæ veniunt; Eæ vero, uti mihi videtur, ita ſe habent. Alia eſt *ipſum Miaſma Arthriticum*, vel in ſanguinis ſinu incluſum, vel ad corporis extremitates amandatum; quod tamen iis minime defixum, aut inhærens, repercuſſu proclive ſit, & in trunci organicam partem aliquam facile repellatur.

Alia *in ipſis Trunci partibus*, quæ miaſma depoſitum accipiunt, ineſt. Earum enim infirmitas & ἀτονία major, minor; eaque interdum naturalis, alias acquiſita, redit eas *Arthritico* plus minus oneri ferendo idoneas. Atque hæ duæ cauſæ *internæ* ſunt, & procatarcticæ, & in *Anomalis* hujuſce generis quibuſcunque locum obtinent.

Alia eſt *externa*, & evidens cauſa; uti emplaſtra, cataplaſmata Ἀποκρυστικά, frigus, & quidem omne, quod materiam, vel a τοῖς ἔξωθεν repellens, vel iis affigi prohibens; ad ea, quæ intus ſunt, illam intrudat. Atque hæc cauſa frequens & pervagata, minime vero conſtans, & perpetua eſt. Trunci enim partes aliquando debiles, & ἄπνοι nulla omnino urgente vi externa, onus per ſe recipiunt ultroque ſuſtinent.

XI. DIFFERUNT inter ſe *Arthritides Anomalæ*, primo ſecundum *Locos ſive Subjecta*; Alia enim eſt ventriculi; alia inteſtinorum; alia pulmonis; alia faucium; alia cerebri; alia nervorum; &c. Et quidem adeo differunt; ut, tot diverſæ inter ſe morborum ſpecies, a pleriſque omnibus fuerint exiſtimatæ.

Tum, in eodem ſubjecto, differunt ſecundum *Cauſas*. Ut enim illæ varietate magna diſtinguuntur; ut illæ nunc fortius, nunc remiſſius agunt; utque hoc illoque modo, πολυτρόπως implicantur; *Anomaliarum* oritur *Arthriticarum*, quæ pari gaudet diverſitate, vis & copia ſimiliter varia.

Dicam planius, & diſtinctius; primum *ratione Materiæ*, ſive cauſæ continentis; quam modo puram putam *Arthriticam*, modo alie-

(*a*) *Iſidori* Libri 1. Cap. 27.

alienam, uti *Scrofulosam*, *Scorbuticam*, vel istiusmodi aliam, habet hæc *Arthritis*; modo materiam recta e sanguine effusam; modo ab extremis partibus translatam; modo in iis partibus sævientem, membranas acriter rodentem; modo mollem, edentulam; modo in iis nuperrime; modo ex intervallo. Unde *Arthritidum Anomalarum* multiplex varietas, discrimen ingens.

Deinde, *ratione Subjecti*, nunc illud a natura debile; (uti sunt glandulæ ferme omnes:) nunc materiæ vitiosæ a sanguine secernendæ natura destinatum; (uti præcipue sunt conglomeratæ:) nunc malis moribus illud debilitatum, (quod in ventriculo sæpissime observatur;) nunc, prægresso aliquo morbo, (quod in hæmoptoicorum pulmone,) suscipiendo miasmati *Arthritico* magis paratum est. Unde etiam harum differentiæ *Anomalarum* pene innumeræ. Alia porro est differentia, ad hunc ordinem referenda: nam ab alio *Subjecto*, uti a faucibus, ad artus facillime, sua quasi sponte adit; expeditissime, promptissime demigrat; ab alio, ut a nervis, non nisi difficillime removetur, & summis medicinæ viribus, remediis, veluti μοχλικοῖς; interdum vero ne quidem ullis. Unde etiam ἐν τῷ διαπίνειν harum *Anomalarum* magna diversitas.

Postremo, *ratione Causæ externæ*; nonnunquam mero extremitatum robore, partium internarum ἰσορρόπιν exuperante; sæpe emplastris, cataplasmatis, unguentis, linimentis repellentibus; nonnunquam aere perfrigido; nonnunquam pedum, in aquam frigidam, vel salsam immersione; alias ligaturis, aut tibialibus nimis angustis fit *Arthritis Anomala*.

Ex hac varietate qua *Subjecti*, qua *Causarum*, *Arthritides* sunt *Anomalæ* tam variæ, tamque multiformes, & detectu sæpe tam difficiles, ut vel *Æsculapio*, vel *Herculi* Medico facessant negotium.

XII. MEDENDI indicatio generalis est, ut *Arthritide Anomala* pars affecta quam citissime, quam tutissime levetur. Hoc autem fit, materiam in ea depositam partim e corpore evocando, partim in artus transferendo. Evocatur e corpore materia modo venæ sectione, modo catharsi; modo diaphoresi, modo epispasticis, modo apophlegmatismis, modo errhinis: Quæ quidem omnia, sicut hujusmodi cætera, quando *Arthriticis* omnibus *Anomaliis* simili nequaquam modo adversentur; verum e contrario, aliis alia: quæ illorum auxiliorum quibus *Anomaliis*, quaque ratione opponantur, infra speciatim explicabitur.

In præsentia dicam, e corpore materiam evocantibus (quæ primo loco erant) etiamsi crebro necessariis, non iis ita crebro solis, ægrum sanari; interdum lædi: *Lædi* nimirum, quoties perperam & imprudenter electa, vel incaute & supra modum ea fuerint adhibita, unde nonnunquam malum augetur, aut alias ægri conditio pejor reddita est. *Non autem semper sanari*, quia materia, quæ relicta est in corpore, *Arthritica*, tametsi evacuationibus retusa, quando jam maturata & ad ἀκμὴν est evecta, brevi se attollet, iterumque turgendo cristas eriget, neque nisi propriis excerniculis (id est, glandulis articularibus) ejus fiat excretio, vel minimum artubus appositio, sanguini quies erit. Præmissis igitur, qua par est, evacuationibus, optime feliciss imeque curatio perficitur, per materiæ in artus translationem. Hoc enim ipsum est naturæ propositum; hoc illi maxime optatum; quod dum molimur, ei laboranti, neque alienum ex more, & qua via soleat debeatque exturbanti, ferimus suppetias. Ἀ δεῖ ἄγειν, ἔχει ἀὴ μάλιστα ῥέπη (ἡ φύσις,) ταύτη ἄγειν, διὰ τῶ ξυμφερόντων χωρίων. Hoc est, *Quæ educere oportet, eo ducenda, quo maxime Natura viam affectat, per loca convenientia*, Hippocr. Aphorism. XXI. lib. I.

Medicamenta, huic intentioni apta & inservientia, sunt duorum generum; quæ ore sumpta materiam in artus amoliantur, quæque extra iis admota, eo illam invitent.

Interna, *Arthritidem expellentia*, sive Ποδαγραγωγά, sunt e classibus cardiacis, & diaphoreticis, magna ex parte, selecta præsidia; uti

Pulveres *Zedoariæ*, *Contrayervæ*, *Gentianæ*, *Serpent. Virg. e Chel. C. C. Purpureus* Batei, *Lapid. Goani*, *L. Contrayervæ*, *Species Diambræ*, *Confect. liberantis*; Cl. Fulleri *Pulvis Alexipharmacus*; *ejusdem P. Stomachicus amarus*; Cl. Wilisii *P. Bezoarticus*; *Pulvis Ruber* Exonienses: *Flores Salis Armoniaci*; *& id genus alii*.

Electuaria, *Theriaca Andromachi*, *Mithridatium*, *Elect. de Ovo*.

Spiritus *C. C. Simp. vel Succinatus*; *Sp. Sanguinis humani*, *Urinæ*, *Volatilis Oleosus*, *Serici*, *& ejusmodi alii*.

Vinum *Album Gallicum*, *Campanum*, *Mosellanum*, *Rhenanum*, *Burgundicum*, *Burdigalense*, *Lusitanicum*, *Pomaceum*, *maxime subacidum*.

Quoniam autem *Ferro*, ad extrudendam *Arthritida*, nihil potentius inveni; aut quod ægrotanti sæpius sit auxilio; quod efficax, & tutum; quod annorum usu multorum a me expertum, ejus *Præparatum* accipe.

℞. *Limaturæ Ferri* ℔x. *Sartagine*, *vel Patella terrea*, *vitro obducta*, *Urinam madefac humanam*, *æstivo Sole*, *vel ad Ignem sicca; iterumque* (*Spatula Ferri particulas*, *ne coalescant*, *bis in die agitando*) *irrora*, *donec abeat in Rubiginem Massa*. *Exesam*, *& Rubigine confectam eam in mortario ferreo contunde: Tusam*, *& in Pulverem redactam Situlæ*, *quatuor circiter Congios Aquæ fontanæ continenti*, *injice*. *Pulverem cum Aqua commisce*. *Hora post quadrantem*, *Aquæ*, *quod summum est*, *& minus turbidum*, *leniter detrahe*; *& ad Pulveris*, *in ea natantis*, *siccitatem evapora*. *Quod in situla relictum est humoris*, *similiter evaporetur*. *Pulvis in fundo crassior*, *Urina irroretur*; *&c. uti prius*. *Itaque Nutritio*, *Tritura*, *perque aquam Separatio*, *repetatur*, *donec omne Ferrum in Pollinem mutabitur*. *Carthæ Emporeticæ*, *Coni in formam circumvolutæ*, *Pulveres siccatos inde*; *Aquam fontanam fervefactam*, *paulatim*, *& per vices*, *superaffunde*; *donec urinoso sale penitus abluto*, *existillabit Aqua insipida*. *Pulverem denuo exsicca*, *& usui serva*.

Est illa *Rubigo Ferri* subtilissima, merum *Alcohol*, non solum *Arthritide*, verum etiam chronicis pleriisque aliis, ægrotantibus, præcipue teneris & imbecillibus utilissimum. Dosis ℈ß. semel, bis in die, pro re nata.

Pulvis Ruber Exonienses *ita præparatur*.

℞. *Cacumin. Anagallid. Scabios.*
Draconis, *Betonicæ*, *Scordii*.
Tormentillæ ana ℥iv. *misce*;
incisa digere, *igne arenæ*, *horas* XXIV. *in Vini albi Lusitanici* ℔iv. *Vitro probe clauso*. *Tunc fiat Colatura*: *& Expressio*.

℞. *Boli Armenæ pul.* ℔i. *Infuso prædicto in spissitudinem Linimenti temperetur*; *crebro agitetur*, *sole exsiccetur*; *rursus irrigetur*; *&c. Itaque Massa Infusa nutriatur*: *Ac cum ultima ejus semilibra*, *illi addatur*

Mithridatii ℥i.
Diascord. ℥iß.
Conf. Alk.
Pul. Rad. Curcumæ ana ℥ß. *Serp. Virg.*
Croci Brit. ana ℥ii. *misce*, *exsicca*; *f. Trochisci*, *vel Placentulæ*, *solis æstu durandæ*, *loco calido servandæ*, *Dosis* ℈i. *ad* ℥ß. *vel* ℈ii.

Ad *Arthritidem* expellendam *Pulveres*, *Boli*, *Pilulæ*, post evacuationes necessarias exhibendæ.

℞. *Ferri hujus Nutriti*, *sive Alcohol Martis* ℈ß. *Sacchari albiss.* g. XV. *Pul. Nucis Myrist.* gr. V. *f. Pulvis cum vini Haustu assumendus*.

℞. *Pul. e Chel. C. C.* (vel *Lapid. Contrayervæ*, vel *Rubri*) ℈i. *Alcohol. Martis* ℈ß. *f. Pulvis*.

℞. *Ther. Androm.* ℈i. (*ad* ℥ß.) *Alcohol. M.* gr. V. (*ad* X.) *Syr. Caryoph. q. s. f. Bolus*, vel

℞. *Pulv. e Chel. C. C.* (vel *Alexipharmaci*) ℈i. *Spec. Diambræ*, *Ferri Nutriti ana* ℈ß. *Conf. Alk. q. s. f. Bolus*.

℞. *Pul. Serpent. Virg.* ℈i. *Alcohol. Martis* ℈ß. *Ol. Absynth. Chym. gt.* I. *Ext. Cent. q. s. f. Pil.*

Detur aliquod ex hisce compositionibus, semel, bis, terve in die; uti res ægroti postulet, & patiatur; cum idoneo vehiculo, *Vino* puta, *Pomaceo*, vel *Julapio Cardiaco*.

Si liquidum malis, in eundem finem propinetur *Infusum amarum*, *cum Tinctura Martis*; *vel ejus Alcohol.*

℞. *Rad. Zedoar. Gentian. ana* ℥ii.
Cacum. Abs. Rom. Agrimon.
Cort. exter. Aurant. siccat.
Croci Brit. ana ℥i. *misce*, *& digere*, *in Vini rubri Lusitanici* ℔ii. *ad idoneam alterationem*: *Tunc f. Colatura*. *Dosis* ℥iij. *cum Alcohol Martis* gr. V. *ad* X.

Sunt & alia medicamenta, *Arthritidi* protrudendæ apta; quæ *Anomalis* quibusdam singularibus occurrunt, & suis in locis tradentur: hæc autem maxime communia.

Internis hisce Ποδαγραγωγοῖς, vel hujusmodi aliis, dies quatuor aut quinque usurpatis; si in artibus nihil excitabitur doloris, ad ea, quæ extra imposita *Arthritidem* ad τὰ ἔξω ferunt eliciant, descendendum est. Articulo dolere solito admoveatur *Empl. ex Gummi Caranna* vel *Oxycroceum*, vel *Cephalicum*, *cum Picis Burgund. dimidio*, *triente*, *vel quadrante*. Valet *Urticatio*, veteribus in usu adversus dolorem ischiaticum, valent *Balnea*, sed calidissima, uti etiam *Pelles Animalium* recens detractæ. Vel applicetur *Ceratum illud viride*, *ex quo fiunt Petasothecæ*; vel si vires ægri ferant, & res in dubio versetur, *Phænigmus*

℞. *Fermenti vet. partes* ii.
Sem. Sinapios.
Ras. Raph. Sylvestr. Allii,
Cacumin. Rutæ; *Fimi Columbini*, *ana partem unam*; *cum Aceto Vini albi contunde*; *ad spissitudinem Cataplasmatis redige*.

Admoveatur ejus portio, quam fieri potest, calidissima, cum vestitu apto, laneorum nempe involucris; & quamprimum illa refrixerit; donec tumor erit, usque eo renovetur. Ægrotanti, si inter cruciatus animo defecerit, *Julapium Cardiacum*, vel, quod præferre soleo, *Vinum* aliquod generosum sæpius propinetur. Tumori demum facto, ne sanguini reddatur in eo contentus humor, *Epispasticum*, cujus beneficio is educi possit, applicetur.

Ubi nulla præsentis auxilii necessitas, aut ægrotus debilis, & tener, doloris fuerit impatiens, tibiis, vel cubitis (prout *Arthritis* imos, vel supremos artus solet occupare) primum *Epispasticum* commune superponatur; quo duodecim vel duodeviginti horis post detracto, imponatur id, quod sequitur.

℞. *Axung. Porcin.* ℥iiß. *Empl. Melilot. s.* ℥iß. *Pul. Cantharid.* ℥i. *m. f. Emplastrum*.

Hujus *Epispastici* auxilio, dies sex, octo, vel decem educatur, quamdiu nempe visum fuerit, ἰχωρώδες αἷμα. Quacunque via progrediare, salutaris hæc severitas, inanem omnem clementiæ speciem longe multumque vincens, *Arthritidem* paucis diebus solet allevare. Ita falsum est quod effluit, ut ex eo sæpe pruritus, & partium aliquando vicinarum inflammatio, & tam diutinum esse flumen observatur, ut ne perpetuum sit, interdum extimescat æger. At, quantum mihi notare licuit, inanis hæc solicitudo. Nam, ichore supervacuo exulante, concidunt symptomata; ex quo æger vegetior, appetitu avidiori, animo majori est donatus; ab *Arthritidis* accessione nova ad tempus aliquod incolumis.

At Tribum *Arthriticorum* delicatam, mollem, & doloris impatientem instare video; quæ periculum ex dolore meticus, & ex ἀλυπίᾳ felicitatem, omnem hanc *Arthritidis* expellendæ medicinam, illiusque professorem crudelitatis arguit; neque inter hæc tormenta (*Phænigmos* scilicet aliaque dolorem excitantia) aliter, quam in *Phalaridis* Tauro, vivi contendit; neque sine indignatione quadam me objurgat, ac si verbis *Æschyli Prometheis* usa.

Ἔλαφον, ὀξὺς πτήμάτων ἔξω Πόδα
Ἔχει, παραινῶν, νοσθετοῦντε τὰς κακῶς
Πράσσοντας. Ist est.

Facile, *quisquis Pedem extra mala habet*, *adhortari*, *& monere infelices*. Et, ut verum fatear, querimonias hac de re me plus semel audivisse, non dissimulabo. Pii aurem Medici est, dum morbum sedulo & artificiose conatur relevare; quidquid in ea re occurrat impedimenti, studio, & constantia vincere, vel patienter ferre. Exponenda igitur his hominibus est *Arthritidos Anomalæ* malitia; & quanto melior, & mitior sit hæc crudelitas, quam per misericordiam methodus; illa brevi, & tolerabili dolore sanitarem; hæc quiete, multo detestabiliori, mortem accelerat.

His in genere præmissis, *Anomalas Arthritides* speciatim explicandas, jam nunc aggrediar.

CA-

CAPUT II.

De Ventriculi Affectibus Arthriticis.

Art. I. A *Ventriculi* & *Inteſtinorum* malo, nempe dyſpepſia, creberrime potiſſimeque naſci *Arthritida primigeniam*; ex ejus doctrina, luculenta & idonea, liquido patebit. Ejuſdem *Arthritidis* ut etiam *Symptomaticæ* naturam exquirenti manifeſtum erit, nullam in univerſo corporis trunco partem, *Ventriculo* & *Inteſtinis*, eam utramque perfectam anteponere; nullam frequentius ingredi: nullam diutius tenere; nullam gravius affligere; nullam ſæpius repetere. Quæ quidem res, uti methodi noſtræ, ab *Arthritide* eorum *Anomala* incipientis, rationem abunde comprobat; ita quidem merito requirit, ut, quæ ſit hujus ſævitiæ frequentiæque cauſa, ſtudioſe examinemus.

Quo vero clarior & dilucidior *Anomalarum*, haſce partes ſic infeſtantium, expoſitio ſit; de iis, quæ in *Ventriculo* locum habent, hoc capite; de iis, quæ in *Inteſtinis*, ſuo ordine poſtea diſputabimus: ut, in quibus ea inter ſe concordent omnia, & in quibus diſcrepent ex conjunctis & juxta ſe poſitis facilius innoteſcat.

II. Ut *Ventriculum Arthritis* occupet, & in eo commoretur, duo videntur eſſe neceſſaria. Primum, in ſanguine miaſma *Arthriticum*, ſive nativum, ſive malis moribus acquiſitum. Sæpe quidem nativum, huic affectui ſuo marte generando, par & æquale reperitur. Sin ebrietate, gula, vel utraque id adaugeatur; fortius inde factum, omnem molitur efficacius acceſſionem, præcipue *Anomalam*. Neque tantummodo ineſſe ſanguini, & cum eo circumvehi ſufficiet; niſi etiam in fugam abiturum; niſi exilio; quocunque vult natura, fuerit paratum. Alterum eſt, ut huic miaſmati accipiendo, in tunicarum vel fibrarum intervalla adſciſcendo, *Ventriculus* accommodetur; & ad illud in receſſus intimos admittendum, aptus & conveniens ſit.

III. ADVENAM illius accipit *Ventriculus*, ſæpe propter imbecillitatem ab incunabulis ductam, ipſoque ortu factam, ob quam in illo expellendo arcendoque partes minime poſſit ſuſtinere.

Et quidem tanti, ad inferendum hunc affectum, momentique tam magni, eſt hæc imbecillitas, ut ex iis, qui eo laborarunt, antea *Ventriculo* laborare, plerique omnes invenirentur. Illa vero, quam dixi, imbecillitas aliquando ſubita eſt, & uti conjicio, ex improviſo. Quoties nimirum Venere abſumantur; vel, ex dolore, timore, aliove quovis animi pathemate, recedant ſpiritus animales; *Inteſtinorum* membranæ flacceſcant; itaque advenæ, ſeſe intrudendi non ad ἰσοῤῥοπίαν adverſentur, atque adeo viam aperiant. Cujus quidem rei, (*Anomalia*, videlicet, hoc in loco *Arthriticæ*, a mœrore inductæ) exemplum mox ſubjiciam.

Nonnunquam autem crudum, acidum, bilioſum, aliudve aliquod ineptum & vitioſum, in *Ventriculo* coacervatum, miaſma illuc allectat, & tunicas ejus irritando vellicandoque, ut in iis illud deponatur, efficit: non alio modo forſan, quam, in ambitu corporis *Epiſpaſtica*, *Phœnigmi*, & id genus *Attrahentia* vulgo dicta, cutim mordendo ſtimulandoque, ſerum, & nonnunquam ipſum ſanguinem ad ſe invitant, & quaſi attrahunt. Quod quidem uſu venit admodum frequenti, ſic, ut in cauſis hujus *Anomaliæ* procatarcticis nihil, ut opinor, frequentius.

Interdum miaſmatis, in *Ventriculum* miſſi, cauſa eſt externa: uti *Cataplaſmus*, *Emplaſtrum*, aliudve quodvis iſtiuſmodi repellens: quo ne extra in articulis maneat, neve in eos emittatur *Arthritis*; verum e contrario, ut in *Ventriculum* pellatur, effectum eſt creberrime. Atque huc referri frigus oportebit; ſeu balnei, ſive aeris fuerit: & quidem, multum hac in re valere frigus externum, iterum & ſæpius obſervavi.

Ex hiſce cauſis, qua antecedentibus, qua evidentibus; ſed ratione, modo, & ἐν ερείᾳ alias alia, valdeque inter ſe diverſa operantibus; *Anomalias* notare licet, in *Ventriculo Arthriticas*: quarum εἶδος ἢ ἦθος, ut ad illa deſcendamus, plerunque tale eſt.

IV. Cum *Arthritis* aliquandiu *Regularis* fuit, & in artubus acceſſiones receſſioneſque multas ex intervallis iteravit; ſæpe quidem videmus, paroxyſmum ejus, vel ex *Frigore*, *Emplaſtro*, *Cataplaſmo*, *Unguento*, vel iſtiuſmodi aliquo externo repellente, vel poſt ſatietatem, aut crapulam; & in victu erratum aliquod, nunc abſcindi abrumpique; ſi nempe eſſet: Sin nullus fuerit tunc temporis paroxyſmus, ſpatio præter morem excludi prorogarique. Hanc paroxyſmi regularis ſive interruptionem, ſive intermiſſionem, nonnunquam ſequitur Ἀ'νορεξία, cibi faſtidium; eique poſtea ſe adjungit pectoris gravitas; & deinde ructus, vomitio, & interdum cardialgia. His ſæpe additur *Inteſtinorum* oppreſſio, dolor, conſtrictio, & aliquando æſtus, reſpiratio impedita & anguſta, oſcitatio crebra, cephalalgia, vertigo, & interdum mœſtitia, Σκότωμα, faciei pallor, & poſt aliquod tempus imbecillitas univerſalis, & totius corporis macies.

Etſi hæc ſymptomata fortaſſe nunquam in eodem corpore ſimul ſemel obſervantur omnia; ea tamen horum caterva creberrime videtur, quæ *Ventriculum* maxime, ſecundum cum *Interranea*, malo quodam inteſtino affici, gravarique ſignificet; eique κατὰ συμπάθειαν ἐπιγίνεσθαι, tum imo ventre, tum medio, tum etiam ſupremo, cum ſyſtemate nervino, ea, quæ recitavimus, ſymptomata: quod ea ſingulatim examinari facillime patebit.

Abs quo hæc intus oboriuntur, rara in extremitatibus *Arthritis*. Fixus, vagus dolor, tumor rarus. Qui diu clinicus fuit, nonnunquam, hunc in modum affectus, expedite & prompte ambulat. At, quod externo omni dolore pejus, magis indies inteſtina mala magiſque ingraveſcunt: Sic, ut æger (niſi fortunate *Deus* ſe interpoſuerit, &, vel tempeſtate ab immoderata & perfrigida, ad mitem & benignam mutata; vel medicina appoſite adhibita, reducta fuerit *Arthritis regularis*) inedia, languoribus, & dolore confectus, e medio ſenſim abiens, poſt menſes aliquot triſtiſſime actos, mortem denique miſellus obeat.

V. Quicunque hæc ſymptomata, maxime vero eorum ordinem, quo ex aliis emanent alia, judicio rite ponderavit, mecum, ut opinor, ſentiet; *Arthritidem*, olim regularem, nunc *Anomalam* fieri, & in *Ventriculum* divertere. Cujus rei probabilitas ex hiſce paucis, ſimul conſideratis, omnino ſumi poteſt. Primum, quod nullum unquam hominem, niſi *Arthriticum*, adoriatur hic affectus. Deinde, quod nec eum, niſi miaſmate *Arthritico*, eoque maturo, & volatili turgentem. Deinde, quod neque illum, niſi vel a paroxyſmo vacuum, vel eum habentem interciſum, imperfectumque. Deinde, quod e veſtigio ſequatur recte *Arthritidos* defectum. Quibus omnibus, uti par eſt, penſitatis, nihil veroſimilius videtur, quam quod *Arthritidos* materia, *Ventriculum* appulſa, dictam moveat tragœdiam. Hujus autem opinionis fides ut amplius ſtabiliatur, hoc, quo nihil clarius, nihil luculentius optari poteſt, unum ſuperaddam; nempe quod *Arthritide regulari* denuo inducta; (id eſt, materia *Arthritica* a *Ventriculo* in artus amandata) nihil huic affectui citius, nihil tutius medeatur.

VI. Senes hac *Anomala* maximopere conflictantur: quorum ſanguis, in miaſmate, per ætatem ingraveſcente; expellendo; quorumque viſcera, propter imbecillitatem ætate creſcentem, in eodem avertendo, minus valent. Sed non iis propria eſt habenda; quando in adultos, in illis juniores ſæpenumero cadat: Et quidem adeo, ut *Anomaliarum*, quotquot ſunt, *Arthriticarum* nulla unquam, quod meminerim, magis. De cujus rei cauſa, ut conjecturam faciam, nihil magis in promptu, aut veriſimilius habeo dicendum, quam iſtam in victu incuriam; licentiam iſtam (inutilem dicam, an pernicioſam?) qua iſtius ætatis homines in mala ſe innumera immergunt. Quod ut pateat, unicum iſthuc adjicere neceſſum eſt, in juvenibus ab errato in potu aut cibo, incipere eam quam ſæpiſſime ſolere.

De anni tempore, quo potiſſime gliſcat, enunciari poteſt; etiamſi nullum illa non arripiat tempus, nullo tamen magis vigere, quam autumno, quo, ad ſpumam omnem *Arthriticam* e ſanguine eructandam, vires exerit natura, & ut illam ad ſe alliciant, per fructus horæos æſtate devoratos, & in ductu ſuo retentos computreſcenteſque inteſtina præparantur.

VII. Hæc cum hujuſce *Anomalæ* ratio ſit creberrima, operæ pretium eſſe videatur, eam cum *Arthritide regulari* paucis comparare, & utramque, quaſi trutina, examinare. Age igitur, calculum ineamus, & initio, quod in confeſſo eſt, ponamus, diatheſin in ſanguine *Arthriticam* tam hanc, quam illam præcedere. Deinde miaſmatis, e ſanguine ablegationem ſimiliter utranque anteire: Et quidem, in his duobus, eis inter ipſas convenire.

At, quod altero loco dicendum, in quibus ſecum diſſentiant, ſunt quam plurima. Nam in acceſſione regulari ſanguinis orgaſmum, pulſum celerem, carnis æſtum, eumque aliquando ingentem, naturæ nixum molitionemque plus minus intenſam obſervare licet: contra vero in *Ventriculi Arthritide*, nihil horum evenit; at anxietas, inquietudo, languores ægrotantem urgent. Illa naturæ vegetæ, vividæque, & magnum aliquod moventis opus; hæc fatigatæ, hæc oppreſſæ, & oneri ſuccumbentis. Poſtremo, illa vitam reddit ſecuriorem, hæc mortem imminentiorem. Tantum inter haſce *Arthritides* eſt diſcriminis: & tam certo, ſi earum altera *Regularis*, altera huic contraria eſt.

VIII. Neque de iſtarum *Anomaliarum* Hiſtoria, vel ejus fide, derogari quicquam arbitror; ſi forſan earum aliqua (prout diverſæ ſunt, & eorum numerus pene infinitus) ſine ulla ſive e prædictis, ſive alia quavis evidenti cauſa, fiat; vel, ſi una cum paroxyſmo regulari, non autem poſt eum, uti nos ſtatuimus; vel, ſi ab ejus interruptione intervallo, quam propoſuimus, longiori. Quandoquidem fingi poteſt, in ipiis hiſce *Anomalis* quædam ineſſe perfectio; quam in deſcriptione nuper allata conati ſumus exprimere: Et quotquot eam habent *Anomalæ*, cenſeantur ἀκριβεῖς, ſuoque genere abſolutæ; quæ vero carent, & ab ea deſciſcunt, minus perfectæ: De quibus tamen omnibus ſententia, per regulam datam, per *Anomalam* abſolutam, facillime ferenda eſt.

IX. Illa porro ſymptomata, quæ dicuntur *Hypochondriaca*, notitiam *Arthritidum* in ventriculo *Anomalarum* identidem obſcurant, earumque diagnoſin interturbant. Nam cum ea ſenes ſæpiſſime invadant; eoſque maxime, qui poſt madidam, & temulentam juventutem, mutata vitæ ratione, ſenectutem degunt ſobriam & ſiccam, a vino ahſtinentia languores fere perpetuos, ructus, anxietates, triſtitiam, & nonnunquam dolorem, aliaque *Ventriculi* mala non raro infert; quæ *Anomalam* in eo *Arthritidem* diuturnam (qualis ea interdum eſt) non parum æmulantur. Ut autem eam internoſcat, & ab affectu hypochondriaco diſtinguat; ejus inſultus explorare, modos eorum, vehementiam, & intervalla perſcrutari, medentem oportebit: unde ab illo iſtam facile deducet.

X. Hiſce libet adjicere, perinde fere eſſe, *Anomalam*, ut per ſe eſt, ſpectemus, utrum artubus relictis in *Ventriculum* materia directo ſe inſinuet; an vero primum in fauces, in partem aliquam contuſam aliamve quamvis; & tandem, quaſi per circuitum, ineat *Ventriculum*: cum diverſa iſta progrediendi via, ad naturam hujus *Anomalæ* permutandam, ne hilum quidem faciat.

Idem etiam erit, ſive *Anomala Arthritidem* fixam, ſive erraticam ſequatur, ſive neutram harum; ſed miaſma, ſine ulla in artubus mora e ſanguine recta in *Ventriculum* mittatur: Idem, inquam, erit; modo mitti conſtet. De iſtarum *Anomalarum* natura, eamdem nempe eſſe omnibus, nihil dubii eſt; de earum ὑπάρξει modo certi eſſemus.

Hoc autem adnotandum, uti ætate provecti, (quod ſupra poſitum eſt) quam juniores: Ita labe *Arthritica* ab ortu inquinati, quam integri: grandioribus, quam maturis parentibus oriundi appetitu malo, quam bono donati, *Arthritide* frigida & languenti, quam calida & acri dolere ſoliti: *Anomaliis* his aſſueti, quam iis ſemper liberi, hac *Anomala* citius, & diutius ægrotant.

XI. Medendi indicatio *Ventriculum* quam citiſſime, quam tutiſſime levari, & ab *Arthritide*, ei incumbente, liberari poſtulat; quem in finem, duo ſemper conſideranda, ut & ſæpe exequenda veniunt.

Prius, ut per catharſin idoneam, & ægroti rebus convenientem, impura & aliena iſta maſſa, in *Ventriculo* contenta, qua ad eum quaſi attrahi, & (tanquam compede) in ejus tunicis detineri ſolet *Arthriticum* miaſma, foras per os, per anum eliminentur.

Poſterius, ut peracta catharſi, vel, ſi nullius uſus erit, prætermiſſa, *Ventriculo* dimoveatur, in extremas partes exulet *Arthritis*. De quibus ordine.

Si reſpiratio anguſta & præpedita, ſi *Ventriculi* gravitas, & inflatio, maxime vero ſi ructus, ſi nauſea, ſi vomitio urgebit; adhibito leni emetico, ſed tamen efficaci, modo vires annuerint, & nihil repugnaverit, *Ventriculum* moveri plane opus erit. In emetico ſeligendo curam & cautionem multam impendi, neque tantam rem negligenter agi oportebit. Ut enim, modo tuta, vomitio neceſſaria, ita, quæ languida, eſt inepta, & quæ juſto vehementior, eſt periculoſa.

Qui

Qui sunt *δ'ἔμετοι*, iis satis esse solet *Foliorum Theæ Viridis*, vel *Cacuminum Cardui Decoctum*, copiose potum, ad quatuor, quinque vel sex egurgitandi vices, ad octo, decem, vel duodecim libras, si cum *διαφορίᾳ* fieri potest, demissum. Quibus segne nimis hujusmodi decoctum, neque satis irritans, conducat libris singulis, alternis, tertiisve, *Salem Vitrioli* pro re nata adjicere. Qui non nisi difficulter vomunt, iis opus esse videatur initio *Vinum vel Oxymel Scillit.* Vel ex eorum æquis ponderibus compositum, ad duas vel tres uncias sumere: &, post horam quasi dimidiam, possetum aliquod simplex, vel amarum. Qui vero *Arthritici* possetum, aquam tepidam, vel liquidum aliud aliquod quantitate bene magna, vel nequeunt, vel nolunt bibere; iis ne detur ex officina emeticum, maxime cavendum. Ut etiam aliis id incommodo esset, ita quidem *Arthriticis* præcipue. Ne viz. allecta e sanguine ad *Ventriculum* materia multa, ejecta vero nulla, laboret æger. Est ubi nec possetum, neque decoctum, nec medicamentum aliud quodvis exhiberi potest; propterea quod, ex eorum quopiam, torminibus, spasmis cito inutilibus corripiatur æger, in primis vino deditus. Hoc casu, vino affatim, & ad vomitum usque sumpto, sæpiusque repetito, rejectoque, (quod simul & emetici & cardiaci vires habeat) totum isthuc, utut difficile, & plenum opus alea, nonnunquam absolvi, itaque ex fati faucibus ægrum eripui.

Quæ per vomitum evacuari solet materia, nunc biliosa, nunc quæ in *Ventriculo* computruit & coaluit, cruda est, maxime post *Anomalam* ex Cerere vel Baccho natam. Respirationis spatium ex eo dilatari, pectoris gravitas auferri solet: quinetiam ipse vomendi nixus, & quæ ab eo sanguinis agitatio est, ad *Arthritida Ventriculo* excutiendam aliquando non parum facit, & æger statim *ποδαγρικὸς*.

Hora post finitum vomitum, maxime si pharmaco moveatur, (ut in intestinis quicquid assumptorum manserit, evocetur) enema vulgare injiciendum; eoque, quo reficiantur vires, *Bolus ex Theriaca Androm. & Pul. Cantiano, una cum Vini ustulati Haustu, dandus. Tunc infusionis amaræ Vino Lusitanico, vel Xerefano factæ Haustum, cum Pul. Cantiani* ℈i. *vel* ʒß. *ter quaterve in die* assumat æger, donec alvo tempus erit inaniendæ.

Si vires ægri patiantur, interposito die uno post vomitum, instituatur purgatio: Sin imbecilliores eam vetuerint, in aliud tempus differatur: quam autem primum commode fieri potest, eam aggredi juvabit. In ea ordinanda curæ esse oportebit, ut ægri viribus conveniat; ut, in ductu alimentari quicquid insit alieni, tuto illud emittatur; sed neque medicamento tam forti, tanquam elaterio, ut faciat hypercatharsin. Uti hæc ægroto non nisi periculo plena, ita quidem purgans nimis lene exhiberi, malum erit. Hoc casu enim, nisi brevi repetita fuerit purgatio, illuc, ubi peccatum erat, postea, majori cum incommodo, redeundum; & venter iterum movendus. Ratum enim esto, auspicatissimam hujus *Anomalæ* curationem fore, si a *Ventriculo & Intestinis* bene purgatis ordiatur. Mihi solemne est, per *Tincturæ Jacræ* ʒiii. *vel* iv. *vel per Extr. Rudii* ʒß. *ad* ℈ij. *vel per Pul. Warwicensis quasi* ʒß. *vel per Mannæ & Salis Cathartici Solutum, addito Elixir Daffæano, Alvum ducere*; &, si spatio sex horarum nihil effluxerit, clysterem immittere; vesperi post purgationem, (uti post vomitum) bolum exhibere.

Interdum accidit, post utramque catharsin, non nimis parcam aut debilem, nauseam manere importunam; ipsaque medicamenta, quæ sanguini suscitando, *Arthritidique* transferendæ sunt a Medico destinata, ore confestim reddi. Hoc, uti conjicio, fit per acre illud *Anthriticum* miasma, quod *Ventriculi* tunicis inhæret. Ad vomitum hunc inanem, imo noxium compescendum, *Laudani liquidi gutt. instar* x. *cum Aq. Cin. fort.* vel *Abs.* C. vel *Sp. Menthæ* ʒii. quarta, quinta, vel sexta quaque hora misceantur; ea nempe dosi, & frequentia, quæ vomitionem tollat, & in ventriculo *Podagragoga* retineri faciat. Laudanique dosibus, post vomitionem aliquantisper compositam, intervallo ea medio interponantur, sic, ut si laudanum horis sexta & duodecima, remedia *Arthritidem* moventia tertia & nona exhibeantur. Quamprimum ea retinet, *Ventriculus*, tanquam inutile quoddam, ne dicam ineptum, & postea nocivum, omitti laudanum, & in methodo præscripta progredi juvabit.

Hæc autem omnia circa catharsin a me proposita, de iis tantummodo ægrotis intelligi velim, quibus & purgationis utriusque opus, & ejus sustinendæ vires sunt. Quoties autem ejus nulla in conspectu necessitas; (quod in *Anomala* per mœrorem inducta, aliisque paucis observare licet) vel quoties eam admittere nequeat ægrotantis imbecillitas; a *Podagragogis*, omissa ea, incipiendum. De quorum usu verba jam proxime faciemus.

XII. Peracta re cathartica, quæ prior erat medendi *Intentio*, ad alteram illam, quæ *Arthritidem Ventriculo* moveri jubet, &, quoad fieri potest in artus mandari, properandum est. Hoc ut effectum reddam, iis utor non modo stomachicis, quæ *Ventriculo* contra inimicum defendendo; verum etiam iis cardiacis alexeteriisque, quæ sanguini, eum in corporis ambitum pellendo, quæ miasmati exturbando conferant. Quoniam vero istarum classium medicamenta non prosunt omnia; selectiora quædam, & huic proposita utiliora, in medium feram.

Possunt illa vel *Pulveris*, vel *Boli*, vel *Pilularum* vel *Infusi* forma exhiberi: Atque hisce pene omnibus *Ferri* (propter ejus excellentiam, & in *Arthritide* expellenda vires mirificas) præparatum aliquod adjiciam.

℞. *Pul. e Chel. C. C.* (vel *Purpurei*, vel *Lapidis Contray.* vel *Goani*, vel *Rubri Exon.*) ℈i. *ad* ℈iß.
Serp. Virg. ℈ß.
Chal. Nutriti gr. v. *misce f. Pulvis.*

Loco *Rad. Serpent.* dare licet *Gentianæ*, *Zedoariæ*, vel *Contrayervæ* tritæ, eandem vel majorem quantitatem.

℞. *Pul. Rad. Ari C. P. Rubri Exon. ana* ℈i. *Alcohol Martis* gr. v. *misce f. Pulvis*, vel
℞. *Spec. Diambr.* (vel *Aromat. Rosat.*)
Pulv. Gascon. ana ℈i. *ad* ʒß.
Chal. prædicti gr. v. *misce f. Pulvis*, vel
℞. ZZ. *in Indiis Cond.* ℈i. (vel *Piperis in racemis C.* gr. vi.)
Pul. purpurei ℈i. *ad* ʒß.
Chal. N. gr. v.
Syr. Abs. S. q. s. f. Bolus, vel
℞. *Spec. Diambræ.*
Pul. Lap. Contrayervæ ana ℈i.
Alcohol M. gr. v.
Conf. Alk. q. s. f. Bolus, vel
℞. *Spec. Aromat. Rosat.* (vel *Dianthos*) ℈ii.
Flor. Salis Armon. gr. x.
Syr. Garyoph. q. s. f. Bolus, vel
℞. *Conf. Abs. Rom. Pul. e Chel. C. C. ana* ℈i.
Ol. Sem. Carvi gutt. i.
Chal. N. gr. v.
Syr. Cort. Citreor. q. s. f. Bolus, vel
℞. *Theriac. Androm.* (vel *Mitridatii*, vel *Elect. Stomach. a Clarissimo* Fullero *descripti*)
Pulv. Gascon. ana ℈i.
Chal. prædict. gr. v.
Syr. Menthæ q. s. f. Bolus, vel
℞. *Camphoræ* gr. v.
Pulv. Rad. Contrayervæ gr. xv.
Extr. Rutæ q. s. f. Pil. vel
℞. *Piperis longi pul.* (vel *Spec. Diatr. Piper.*) gr. v.
Pulv. Gentian. ℈ß. *Myrrhæ* gr. v.
Extr. Cent. Min. q. s. f. Pil. vel
℞. *Pul. Serp. Virg.* ℈i.
Chal. N. gr. v.
Syr. Aurant. q. s. f. Pil.

Cum enim *Bolo*, *Pulveris*, vel *Pilularum* dosi, sumendus est *Julapii* haustus.

℞. *Aq. Cardui*, *Menthæ*, *lactis Alex. Gent. Comp. Abs.* C. (vel *Cin. fort.*) *ana* ʒiij.
Marg. pp. ℈ij. *Sacch. q. s. f. Julapium.*

Olea Chymica, Sacchari beneficio, in *Julapium* addita, longe illud efficaciissimum reddunt. In forma liquida placet hujusmodi *Infusum.*

℞. *Rad. Zedoar. Gentianæ.*
Cacum. Absinth. Rom. Agrimon. (vel *Trifol. Palustr.*) *ana* ʒi
Coccinell. ℈i. *Cort. ext. Aurant.* ℈ii.
Infunde in Vini rubri Lusitanici, vel *Xerani* ℔ij. *ad idoneam alterationem*; *tunc f. Colatura. Dosis* ʒij. vel iij.

Simili modo ex *Aromaticis*, *Cortice Winterano*, *Fruct. Cubeb. Sem. Cardamom. Ex Seminibus Anisi*, *Carvi*, *Fœnic. d. Cochleariæ paretur Infusum.* Quilibet autem *Infusi*, sive *Amari*, sive *Aromatici Haustus* habeat *Tinct. Martis Feburianæ*, vel *cum Succo Limoneo præparatæ gutt.* x. vel *Alcohol M.* gr. v.

Pauperibus *δ'πόρισον* esse potest *Allii*, *Croci*, *Zinziberis*, *& Radiculæ rasæ*, *cum Absinth. Roman. Cacuminibus* infusum. Est ubi nulla in forma sicca placent medicamenta, nec ulla quidem *Infusa.* Hoc casu tum prodesse, tum placere potest *Spiritus Menthæ*, vel *Juniperi*, vel *Spiritus Absinthii.* Nonnullis magni æstimatur, & quidem multarum virium est, *Aquæ*, quæ nuncupatur *Hispanorum Arthritica*, cujus hæc est formula.

℞. *Caryophyllorum Aromaticorum, Nucum Myristic.* ZZberis, *Maceris*, *Cinnamomi*, *Piperis nigri*, *Croci*, *Zedoariæ*, *Galangæ*, *Baccar. Juniperi*, *Corticum Citreorum & Aurantiorum*, *Spicæ nardi*, *Cubebarum*, *Aloes Hepaticæ*, *Ligni Aloes. Calami Aromatici*, *Stœchados*, *ana* ʒß.
Cacum. Salviæ, *Ocymi*, *Rorismarini*, *Menthæ*, *Majoranæ*: *Baccarum Lauri vulg. Pulegii*, *Ras. Gentian. Florum Sambuci*, *Ros. alb. & rubr. Chamæpit. Chamædryos*, *Calamenthæ*, *Molissæ*, *Origani*, *Macricariæ ana Mii.*
Ficuum, *Dactylorum*, *Amigd. amar. Nucum Pinearum*, *Nucleorum*, *Uvar. passar. major. ana* ʒvj.
Mellis Virginis ℔j. *Sacch. optimi* ℔j. *Moschi triti* ʒj.
Incisa & contusa indentur Spiritus Vini Canarini optimi ℔xv. *Infunde dies* x. *vel* xii. *tunc in MB. destilla.*

In affectibus stomachi & intestinorum *Arthriticis* valentissima habetur.

Dosis ʒß. cum sacchari momento, vel cum mica panis, uti videbitur, repetenda.

Est etiam externi usus, ad *Dolorem* mitigandum *Articularem*; modo calidissima dolenti articulo superlinatur.

Transacta catharsi, vel si nullus ei locus fuerit, prætermissa, ad jam dicta medicamenta, sive iis non multum absimilia, descendo, eaque hoc sumenda ordine præcipio. Mane, horam circiter nonam, *Infusi Haustum* ministro; tertia pomerid. *Pilulas*, vel *Pulverem*; nona vespertina *Bolum*, maximeque *Theriachalem*; & tertia matutina *Pulverem*, vel *Pilulas* exhibeo, cum *Vini Lusitanici*, vel *Julapii* haustu, post eorum quodlibet.

Aliquando tridui, vel etiam bidui spatio, interdum citius, hujusmodi remediis, ac methodo datis, exturbatur *Arthritis*, & articulis impingitur; ubi nimirum sanguis tener, & tractabilis subito medicamenta sentit, eisque facile obtemperat; Alias non nisi longo tempore, sit tranlatio; Alias, non nisi aliis insuper remediis in auxilium, & operam sociam vocatis.

Quando biduum istiusmodi *Podagragogis* dicatum fuit; si tumoris, si doloris nihil erit obortum; locis *εἰ τοῖς ἔξωθεν* occupari solitis, admoveatur vel *Empl. Cephalicum cum æquali quantitate Picis Burgundicæ*, vel *Ceratum viride*; vel utrique cubito, sive tibiæ *Epispasticum*, quo in artus humor evocetur.

Si remedia tum interna, tum externa, modo dicta, viribus ita junctis, *Arthritidi* removendæ minime sufficiant; intendatur, oportebit, eorum alterum, vel utrumque, & auxiliis (si videbitur) novis & ascriptitiis augeatur. In remediis siccis, *Chalybis Nutritii Dosis ad* ℈ß. in liquidis *Tinctura Chalybis*, ad guttas xx. amplificetur. Porro, hora quaque media, remediis præscriptis interponere juvabit *Vini Lusitanici Haustum*; sic, ut ejus ℔ij. vel iij. nycthemeri spatio, si quantitatem ejus isto tempore, (qua per se, qua cum medicamentis sumpti, universam comprehendamus) ebibantur. Hoc autem in iis præcipue locum habet, qui *Vino* diu consuevere, & sine noxa indulgent; verum, ex contrario, non abstinent sine noxa: quorum e numero non pauci sunt, *Anomala* isthac ægrotantes. Qui *Vinum* hoc modo potare nequeant, ii *Spiritus C. C. succinatis guttas aliquot*, *cum Julapii Haustu*, horis istis interpositis sumant, eo autem usque (ut huic præcepto finem imponam) evehendus, eo continuandus, ore datorum, tam vini, quam pharmacorum usus, si nihil repugnaverit, donec, æstu & orgasmo in sanguine facto, *Ventriculus* allevabitur.

Inten-

Intendenda eodem tempore externa, & quidem eo usque quoad in locum aliquem externum, *Arthritidi* recipiendæ aptum, humor coactus, & in eo tumor excitatus fuerit. Hunc in finem pelle vervecina recens extracta, artus involvantur. At nihil certius hac in re, nihil præsentius, quam *Phænigmum* acrem & stimulantem applicare calidissimum; & dum tumor oriatur, tantisper renovare frigescentem. Qui vero auxilium illud, ut graveolens, hoc, quia crudele, abhorreant delicatuli; per laterem, aut ferri laminam calefactam, linteoque inclusam, & loco admotam, idem præstare poterunt.

Ut autem promptius *Arthritis* educatur, vel in lecto, vel cubiculo, se a frigore, per omnem hujus methodi decursum, tueatur æger. *Panatella*, *Gelatina C. C. Jusculo pullino*, & ejusmodi tenuibus, concoctuque facilibus vescatur. Si dolor, arte factus, forte fortuna nimius, ad lipothymiam tendat; de eum facientibus, de cutim irritantibus aliquid detrahendum. Si febris exardeat, vel omittenda sunt *Cardiaca*, quæ sanguinem accendant. *Decoctum album* ad arbitrium suum bibat, itaque temperetur æstus. Eo denique modo, peragantur omnia; quo, cum ἀφορίᾳ finem propositum ægrotus assequatur; quoque per tolerabilia semper usurpata, citò tutoque foras *Arthritis*, etiamsi non jucunde, eliciatur. Nequis autem, methodi hujus sive novitate, sive insolentia motus, cardiaca tam fortia, tamque larga a me præscripta, tanquam aliquod ὑπέρμετρον actum improbaret; sciat omnino velim, ut hoc semel dicam, copia, quæ rem efficiat, me contentum esse minima: sed neque nesciat, eam (quod profecto non temere dictum) & magnam sæpe oportere, & sine damno, esse. Nam (ut, meos quod attingit, dicam) etsi complures ea medicina ferventes, & ad tempus ejulantes novi: eorum tamen multos, ad sanitatem perductos; neminem vero unquam hoc æstu læsum, quod meminerim observavi. Cujus id in causa esse videatur, quod, quibus illa fortiora, & quasi Μοχλικά, sive interna, sive externa, opus sint, iis sanguis plerunque frigidus; nunc malis moribus, nunc ætate debilitatus, nec ad febrim concipiendam aptus.

Quamprimum orgasmo satis vehementi sanguis exagitatur, solet ille virus *Arthriticum*, quod in *Ventriculi* tunicis inhæret, & vasis capillaribus continetur, abluere, resorbere, circumvehere; & tandem, quocunque vocant extremitatibus applicata, ibi deponere: Sic, ut unius horæ spatio, post *Phænigmum* admotum, tumor interdum oriatur.

Dum morbus ore sumptis oppugnatur; aliquando ea, quibus ventri extrinsecus impositis, viscera foveantur & corroborentur, non negligenda. Placet igitur, bis vel ter in die, sotu sequenti, vel huic consimili, ope sluparum e panno *Wallico*, aliove quovis raro uti.

℞. *Cacum. Abs. vulg. Menthæ.*
Flor. Rosar. Chamæm. ana ℥ß.
Sem. Anisi, Carvi ana ℥ij.
Pulv. Cinnam. Cubeb. Garyoph. Aromat. incis. N. M. ana ℈j.
Sp. Vini vulg. ℔ß.
Vini rubri Lusitanici ℔i ß. macerentur horas tres vel quatuor, vitro bene clauso, in *Balneo Mariæ*: colatura calidissime adhibeatur.

Vel *Emplastrum* abdomini admotum continuo geratur.

℞. *Terræ Japon. Balsam. Chilien. vel Peruan. ana* ℥ß.
G. Galbani ℥j.
Picis Burgund. ℥ij.
Empl. Stomach. Mag. ℥ß.
Ol. Cin. chim. N. M. ana gutt. ij.

Ista vero, post purgationem maxime profutura judico; Et quidem maxime, vel ætate, vel morbo enervatis: quorum viscera topicum postulent auxilium. Ne vero, quod in robustis libribus & sanguineis suspicari oporteat, non tam illa *Ventriculum* defendant, quam ipsorum abusu *Arthritidem* allectent, Medico curæ erit.

Tumori jam facto, & ad magnitudinem conspicuam & notabilem evecto, (ne, quod insit humidi, in sanguinem remigret) admovere soleo *Epispasticum*; itaque ferum in eo contentum educere. Salsum illud, acre, virosumque esse constat; cutim etenim inflammat; pruriginem facit permolestam. Dies sæpe fluit compluscules; aliquot interdum hebdomadas; & ad libras interdum aliquot: Ut, ipsum *Arthritidos* miasma, ipsam causam continentem una cum sero ejici, non sit dubitandum.

Hactenus occupati fuimus in adducendis Ποδαγραγωγοῖς; verum, ut primum tumor cum dolore factus est idoneus, statim de remediorum internorum sive dosi, sive frequentia, sive utraque, remittendum est aliquid; neque majori copia jam utendum, quam quæ, *Arthritidi* continuo propellendæ, &, ne intus refluat, inhibendæ, satisfaciat. Huic autem operi pars eorum dimidiata plerunque sufficit. *Bolum* igitur e. gr. duodecima quaque tantum hora, *Chalybisque Dosin* non nisi vicibus alternis & duplo intervallo damus.

Sin eveniat, ut, vel ob aeris inclementiam & tempestatem perfrigidam; vel ob errarum in cibo & potu, aut aliud quodvis, artubus relictis, *Ventriculum Arthritis*, dum hæc aguntur, repetat, (quod quidem minime rarum est) causa ejus recidivæ diligenter exquirenda, & sine mora removenda est. Si novæ in *Ventriculo* cruditates, aliæve impuritates sint collectæ, leniente quodam & alvum molliter inaniente, deducantur. Si ex algore contrahatur cutis, itaque repercutiatur humor in tumore comprehensus; per calorem externum, per vestitum, aliaque, jam dicta, applicata, denuo evellatur. Utroque vero casu, interna plena manu sunt administranda: Ut nempe locum, quo per infortunium, vel ex incuria & negligentia cessimus, cum industria & vigilantia recuperemus.

Et quidem nullo, quod sciam, hujus *Anomalæ* casu (ut tandem hoc argumento aliquando finiam) *Podagragoga* vel fortiora, vel majori quantitate danda; quam ubi illa recidiva est, aut in corpore cruditatibus onerata; propter imbecillitatem minime purgando, longaque morbi obsidione debilitato: illi enim ex *Chalybe*, *Zinzibere*, *Pipere* composita: illi *Spiritu* maxime volatili referta, &, quam a nobis dictum est, longe copiosius sumpta, sæpe vix sufficiunt, imo sæpenumero ne vix quidem. Æger enim, misere afflictus spirituum inexplicabili dejectione languens, inter remedia, utut ardentia & cardiaca, de *Ventriculi* frigore & depresso animo clamans, e vita, & quidem interdum inopinato, stupente undique astantium multitudine, excedit.

Quamvis id desiderandum, & quidem in primis optandum, ut articulo ϖ τοῖς ἔξωθεν aliquod figatur *Arthritis*: nihilominus interdum satis erit, e. gr. in *Arthritidis vagæ Anomalia*, si ad internodia sua reducatur: Imo quidem ex miasmate tantum resorpto, & in sanguine retento, itaque *Ventriculo* immuni facto, ægrum aliquando novi servatum. At in *Arthritidos fixæ Anomalia*, omnium commodissimum, exoptatissimumque erit, si denique in articulo aliquo defigatur.

Id autem observatu facillimum, pariterque visu jucundissimum, quod, quibus gradibus dolor, tumor, aliaque rectæ *Arthritidis* symptomata in extremis partibus oriantur & augeantur; iis plane illa, quæ post vomitum manent *Ventriculo*, leventur, & imminuantur: speciatim, iis omnino passibus Ἀνορεξία, ventriculi dolor, cibi fastidium, cardialgia, nausea, &c. vincantur & fugentur; quibus succedit fames, cibi concoctio, oculorum vigor, & scintillulæ, aliaque redempræ & recuperatæ salutis indicia. Ut ægrotanti denuo rectam in viam reducto, ire sua sit in eadem sedulo & constanter progredi, donec *Arthritidis* materia ὀρθῶς emissa, spumaque omni effusa, tum is alacriori, tum etiam tutiori vita fruatur.

In hujus *Anomalæ* prophylaxi valent *Aquæ Ferratæ*, diu rectèque potæ; quibus adjungi possunt remedia *Stomachica*, famem & coctionem promoventia, cum modice restringentibus; speciatim *e Conf. Abs. R. Flor. Ros. rub. Fruct. Cynosb. Pul. Rad. Ari C. Sale Martis*, *Ente Veneris*, *& ejusmodi aliis*, *lege medica*, *composita & assumpta*. Danda etiam opera est, ut dyspepsia, frigus, aliæque causæ evidentes, maxime quam primum repullulavit, & in sanguine renovatum est *Arthriticum* miasma, evitentur. Prodest etiam fonticulum in brachio; vel infra genu, prout *Chiragra*, vel *Podagra*, est frequentior, aperire. Qui vero sibi hac in parte prospicere minime curabant, *Anomalam* eos expectare par est, tum crebro, tum graviter recidivam.

Hæc est illa medendi methodus, quam meis utilem & salutiferam, in tractanda isthac *Anomala*, expertus, si per tenuitatem nostram licuerit, aliis commendare velim, donec ea meliorem dies docebit.

HISTORIA I.

In Ventriculum *&* Intestina *irruens* Arthritis, *foras expulsa.*

Historiarum agmen ducat Venerabilis & Prænobilis Dominus, *RICH. ANNESLEY*, in Ecclesia Cathedrali nostra, *Exoniensi*, Decanus; in *Hiberniæ* Regno Baro *Altham*; Magni Comitis de *Angleseÿ* Filius: Qui, cum naturæ muneribus eximiis, cum ingenio plane divino, ex Illustrissimo Parente derivatam (*Nam*, ut dictum est, *ad bona cuncta ne quidem* Aganiemnon *natus*) accepit *Arthritidem*. Id autem huic *Arthritico* bene cessit, quod per annos complures apte, quodque recte dolerent; & quod, in paroxysmis quoties spuma e sanguine effunderetur *Arthritica*, non id cum vitæ periculo, (sic, ut in plerisque solet *Anomaliis*) sed cum ægri emolumento & tutela perageretur.

Ita illi vitæ ratio si non integra, minimum incolumis diu fuerat; cum, ab *Arthritide* aliquando feriatus ultra modum, ex ea tanquam antecedente causa, miasmate *Arthritico* corpus habens ἐμπιπλάμενον, in malum incidit gravissimum, in summum capitis periculum.

Nam horæos fructus nimio plus devorans, biduo vel triduo post, nempe quam primum ii in *Ventriculo* computrescentes illum aggravarent; primum, cardialgia, tum animi deliquio, motibus convulsivis, spasmo oris cynico, ut vel ipsam animam agere videretur, est correptus. Statim, atque tragœdia incœpit, arcessitus ad ægrum advolavi, malique tam atrocis, tam etiam repentini scisitando causam indagans, eam, quam memoravi, esse inveni; neque nisi vomitione tolli posse judicavi.

Quando vero huic ægroto, medicamentorum minime amanti, propter aliquod ex natura fastidium, *Emetica* abhorrenti, neque sine periculo toleranti, ea, quæ pharmacopolii sunt, *Emetica* non conveniret, vel liceret dare; aliam tentare vim necesse habui. *Vini*, ægro familiaris, rubri, Lusitanici quantitatem bene magnam exhibui; eaque ore rejecta, haustum repetii; & quidem eatenus *Vino*, & tam celeriter dato, donec ἄνω cruditatum massa omnis ejiceretur; quæ quidem magna erat, impura, acida, graveolens. *Emetici* hujus *Cardiaci* beneficio factum est, ut tum *Ventriculus* exoneraretur, tum etiam eodem tempore a deliquiis æger incolumis servaretur. Tormina, quæ postridie supererant, *Intestina* etiam premi ostenderunt: Et quidem aliter, quam in vulgari *Colica*, ea premi mox constitit. Nam cum æger jam diu ab *Arthritide* claudus fuisset, ea, quæ jam in visceribus congesta sunt, impura, materiam artubus inhærere gressuque ægrum privare solitam, ad τὰ εἴδον, ad se vocarunt: Quod vel ex hoc innotuit, quoniam visceribus æger acerbissime dolens, eodem tempore pedum factus est compos; & quidem magis, quam per annos ante multos. Huc enim illuc expedire, & erecto corpore, quasi vinculis solutus, ambulavit, ut ab artubus ad *Intestina* materiam μεθίστασθαι *Arthriticam* minime ambigatur.

Ad *Intestina* expurganda leniens præcepi, & deinceps aliquot post diebus altera vice. Dolor, qui post purgationem utriusque generis satis vehementem mansit, *Intestina* aggravans, naturam mali *Arthriticam* adhuc plenius monstravit.

Ut in artus hospitio novo moveretur hostis, (quod jam proxime faciendum) *Pulvere Gasconio*, &, quod in hac re momenti erat maximi, *Vino* prædicto usus est æger. Quorum ex usu, primum dolor, deinde tumor, cum cute lævi & nitente, ortus est, & chiragram indicavit. Tum post longam intermissionem rediit fames, & ex alimento largiori paulatim vires; ut, qui fulurro, languide & debiliter, verba jam diu ediderat, voce iterum nunc viva loqueretur; iterumque gravidam faceret uxorem.

Ægrotanti profuit, quod ea fuit illi spirituum animalium vis, & tam *Elastica*, quanta utique raro observatur, quanta putari potest maxima: Quæ quidem plurimum in eo restituendo valuit.

Annos posthæc alioquin multos exegit vir præclarus, purgantibus, coctionem corrigentibus, & *Arthritidem* expellentibus, ea, *Ventriculum* & *Intestina* multum affligente, cum fere conclamatum esset, allevatus.

HISTORIA II.

Arthritis *idonea*, *Balneo frigido in* Ventriculum, *& ea quæ intus ſunt, repulſa.*

HOmo adoleſcens, Καλοκἀγαθὸς, ætate provecto patre oriundus, eaque de cauſa corpore tenerrimo, ſpirituque animali minus firmo donatus; cum e quinto vitæ luſtro nondum exceſſerat, *Articulari* morbo plus ſemel laboravit. Appetitum habuit admodum languentem, coctionem imminutam; unde ali deſinere cœpit, & inopia conſumi. Cum eo res deducta erat, conſilio certe non optimo uxorem duxit. Adeo nempe verum eſt, infortunia raro ſolitaria mortalibus obvenire. Matrimonio nihil huic homuncioni gravius, nihil unquam intolerabilius eſſe potuit. Corpus cito enervatum, & vitæ vix ſufficiens innuptæ, maritali vero impar, æſtus invaſit univerſalis, febricula Συνεχὴς; cui poſtmodum acceſſit *Dolor Articularis*, cum tumore, &c. ſignis *Podagræ* παθογνωμονικοῖς.

Ut æſtum mitigaret, dolorem allevaret, aliaque, quæ ægrotum maximopere urgebant, accidentia reprimeret; quando calor invitaret æſtivus, aqua pedes immerſit, in frigida & ſalſa (nempe marina) conſiſtens. Hic pedum evanuit tumor, rubor, *Podagræ* indicia; ſimul & vomitus & inteſtinorum dolor eſt obortus, iſque diuturnus, ingens, ſic, ut ex eo plane colligi poſſit, materiam ad ductum alimentarem, e pedibus transferri νοσηρὰν. Sub id tempus, ut viſcera, quæ multum exæſtuarunt, refrigeraret, reficeretque, fructus horæos ad gulam uſque devoravit; devoratos, nec eorum, nec cujuſvis generis cibi tenax, ſtatim ejecit. Cumque iſte victus non unius tantum dieculæ eſſet, verum aliquot menſium, & omni eo tempore *Ventriculi* gravitate, vomituque, & dolore, vel continuo, vel ex brevibus intervallis redeunti, æger afficeretur; & medicinam aut negligeret, aut ea perperam & perfunctorie uteretur; iſto denique ſtatu erat, quo nullum medicina præſidium, nullam operam conferre potuerat.

Uti, ad hujus viri interitum, ſociam operam quamplurima dare; ita quidem ex iis aliquo in numero eſſe, ne dicam primas obtinere, *Arthritida* veroſimile eſt; quandoquidem materiæ νοσηρᾶς, ſive *Arthriticæ*, pedibus affixæ, ad ea quæ intus ſunt, translatione, tanquam cardine principali, tota res morbi verſa eſt.

HISTORIA III.

Recta Arthritis, *& in* Ventriculo Anomala, *ſe viciſſim excipientes, cum* Anomalæ *curatione.*

VIR generoſus, ætatis mediæ, *Arthritide Symptomatica*, ſed & ea languenti, neque ſatis regulari, diu per vices ægrotavit anno MDCCIV. circa æquinoctium autumnale, hallucis articuli majoris, globique infra poſiti dolore tentabatur; poſtea vero plantæ pedis, & deinde malleoli; ſed eo incerto, & vago.

Elapſo vix triduo retroceſſit humor (cujus tamen rei quid in cauſa eſſet, dubium erat) neque amplius pedem momordit. Ægrotantem e veſtigio invaſit algor univerſalis, tanquam febri præludens intermittenti. Huic accedebat *Ventriculi* gravitas, pectoris oppreſſio, nauſea, reſpiratio anguſta, & in ſuprema regione *Vertigo*, & ſomno appropinquante ſubita ſpirituum exultatio.

Anomaliis olim *Arthriticis* vexato, & earum non ignaro, laboranti minime latebat, hunc *Ventriculi* affectum, etſi prima facie vernaculus appareret, eſſe revera peregrinum; & in *Ventriculum*, relictis pedibus miaſma *Arthriticum*, hujuſce mali cauſam, mitti. Qua ductus opinione poſſetum hauſit, amaris alteratum; ad vomitum uſque copioſum; ad impuræ, crudæ, bilioſæ vomitum materiæ. Ano etiam, injecto ea nocte *Enemate*, ſubducta eſt ejuſdem quantitas non exigua. Cervici admotum erat *Epiſpaſticum*; *Pulvis* datus *e Chelis C. C.* Illo multum ſeri elicitum; hoc animales ſpiritus, humiles antea & depreſſi excitabantur. Interpoſito die uno *Tinctura ſacra* levabantur *Inteſtina*, *Bolus e Pul. prædicto*, *& Theriaca Androm.* eo veſpere refecit ægrotantem. Poſthæc, horis tribus medicinalibus, *Alcohol Martis* ℈ß. *cum Conſ. Abſ. R. Spec. Aromatici Roſati*, *& Syr. Cort. Citreor. forma Boli deglutiit*: *cum infuſi amari*, *Vino Xereſano facti*, *vel Vini ſimplicis uſtulati Hauſtu*. *Pedibus Emplaſtra*, *ex Cephalico*, *& Picæ Burgund. pari quantitate*, *applicata*, continuo gerebantur. Si caligo, vel lipothymia poſtularet, vel quoquomodo ſpiritus deficerent, in præceptis erat, *Sp. C. C. ſuccinati* guttæ aliquot, cum *Julapii* vel *Vini Hauſtu*, darentur.

Hiſce aliquandiu uſus, æger beneficium inde bene magnum accepit: purgatis etenim *Inteſtinis*, ad τὰ ἔξω amandata eſt *Arthritis*. Pedum factus eſt dolor; tumque brevi tempore cibum capeſſivit æger: melius, quam ſolebat, eum concoxit. Quin illi lætiores eſſe ſpiritus animales, commodiuſque vitæ rem agi, vel ex una oculorum acie plane conſtabat.

Cum eo loci res erat, de valitudine reſtituta nimium ſecurus, *Emplaſtra* pedibus abjecit: Hoc autem obſervatu digniſſimum conſequebatur, quòd intus cito remeans, materia, ab integro τὰ Ἔντερα invadens, nauſeam iterum induxit. *Emplaſtris* iterum admotis, & medicamentis ad menſem unum alterumque continenter uſurpatis, omnia proſpere cedebant.

Huic ægroto inter alia, tutelæ gratia præcepi, ut, fonticulum infra genu aperiret; & ut quas olim ſummo ſuo commodo potavit, aquas *Bamptonenſes* iterum hauriret.

Habes *Arthritides*, rectam & in *Ventriculo Anomalam*, ſe viciſſim excipientes; cum *Anomalæ* curatione, alienum expellentibus & educentibus abſoluta.

HISTORIA IV.

Arthritis *ſemel iterumque*, *in* Ventriculo Anomala, *toties expulſa.*

AGricola ſuburbanus, ætate maturus, *Arthritide*, uti ex intervallis ſolebat, dolens, ex halecum eſu immodico, materiæ bilioſæ & crudæ vomitu, dolore *Ventriculi*, & *Inteſtinorum* immani, reſpiratione difficili, cordis palpitatione, *Cephalalgiaque* premebatur. Magna erat viſcerum oppreſſio, & quaſi conſtrictio. Tabacci, qui in numero deliciarum erat, uſus jam nullus. Ut primum illa intus ſuborta ſunt mala, deliquit illico *Arthritis* externa, quæcunque fuit articulorum. Nutriculis, & familiaribus palam erat, ab *Arthritide*, membra relinquente, cum *Inteſtinis Ventriculum* impetente, totam hanc oriri malorum Iliada.

Medendi intentio erat, purgato prius ductu alimentari, ſuam in ſedem, in artus propellere *Arthritidem*: ideoque *Vinum* exhibitum eſt *Scilliticum*, poſteaque *Pulvis Warwicenſis*; unde αἰὼ τὰ κάτω multum, & cum εὐφορίᾳ purgatus æger: peracta catharſi, data ſunt *Cardiaca*; iiſque poſtmodum auxilio erant externa, *Arthritidem* educentia, articulis admota.

Horum beneficio viſceribus remota eſt *Arthritis*, & in artus amandata: Verum, propter erratum aliquod *in Sex non naturalibus*, cum ad viſcera brevi poſt redierit, ea, quæ ſequuntur, in uſum adhibui.

℞. *Theriac. Androm.* ℥ß. *Pul. e Chel. C. C.* ℈ij. *Conf. Alk. q. ſ. f. Bolus*, *omni nocte cum Vini rubr. Luſitanici Hauſtu ſumendus.*

℞. *Gentian.* ℥j. *Zedoar.* ℥ij. *Infunde*, *igne arenæ*, *in Vini prædicti* ℔ij. *ad idoneam alterationem*, *tunc f. Colatura*; *Sumat Colaturæ* ℥iv. *additis Tinct. Martis*, *& Aurant. ana gutt. x. horis duabus Medicinalibus: cum Pulv. Rad. Ari C.* ℈ij. *Chal. Nutr.* ℈ß. *Bis in die ſumat Spir. Vol. Oleoſ. gutt. xv. cum Vini prædicti* ℥iv. *Potui ſit Decoctum album*, *cum Aq. cin. fort. Utrique Tibiæ applicetur Epiſpaſticum.*

Auctis in hunc modum *Cardiacis*, & majori quantitate, ſed neque nimia, datis, viſcera plane liberata, articulis affixa eſt *Arthritis*, æger reſtitutus.

At ille, ut erat Δύσπλαγχνος, & *Arthriticis* pronus *Anomaliis*, iis, ſed diverſis formis, ſæpe recurrentibus affligebatur: de quibus ſuo loco.

Hiſtoria profert *Arthritidem in Ventriculo* & *Inteſtinis* ſemel iterumque *Anomalam*, toties arte medica remotam, foras ad domicilium proprium, ad τὰ Ἄκρα pulſam.

HISTORIA V.

Arthritis *iterum ac ſæpius in* Viſceribus Anomala, *toties in Artus ablegata; cum ejus* Prophylaxi.

VIR quidam, a prima ætate *Arthriticus*, quinto & ſexto vitæ luſtro, magnos articulorum habuit dolores; ſeptimo & octavo, *Ventriculi Inteſtinorumque*. Cum enim corpore valde imbecillo, ſanguine tenui, cumque infirmis eſſet viſceribus, poſt frigora, ſatietates, & cruditates fere omnes, per hoſce annos, *Arthritidi* rectæ vix ſufficientes, ad ea, quæ intus ſunt, appelli ſolita eſt *Arthritis*. Harum Ἀνωμαλίας, ad rem noſtram conferentes, nonnullas in medium afferre non gravabor.

Menſe Oct. MDCCV. propter cruditates, maxime a fructibus ὡραίοις, in *Ventriculo* & *Interaneis* collectas; omiſſa, qua ad ea tuenda ſolebat uti, medicina, appetitu læſo, nauſea, dolore *Ventriculi*, pectoris gravitate, ſpiritus anguſtia, oſcitatione crebra corripiebatur.

Ut tanto onere, *Viſceribus* incumbente, *Arthritidem* iis impingente, levaretur æger; purgatio per os, per anum, mediocris, & ejus viribus æqualis, adhibebatur. Cum vero, propter imbecillitatem ægri, nullus ei medicinæ, qua ad ventrem inaniendum opus erat, daretur locus; neque *Cardiaca*, ore data, tametſi fortiſſima multum prodeſſent; ire in pejus omnia, conclamatam eſſe rem, quotquot adſtabant, exiſtimarunt omnes. Nec quidem temere; pulſus enim debilis, membra pendula, & quaſi reſoluta, faciei pallor, corpus ſubfrigidum fidem fecit opinioni.

In hoc miſerrimo rerum ſtatu, *Vinum Luſitanicum*, modica doſi, ſed crebra propinavi: quo, ad libras aliquot ſine vomitu poto: pulſum augeri, vires aliqua ex parte refici notabam. Utrique tunc malleolo, ubi ſedem habuit primariam *Arthritis*, *Phœnigmum* admovi, quam ferri potuit, calidiſſimum, frigidumque renovavi, quoad dolor & tumor exoriretur: hoc vero paucis horis ſpatii perfectum eſt:

℞. *Cacum. Rutæ*, *Sem. Sinapios Raſ. Raph. Sylveſt. ana part. i. Fermenti vet. p. iii. cum Aceto Vini albi miſceantur*, *& fiat* phœnigmus.

Tumori, ne in ſanguinem alienus humor retrocederet, *Epiſpaſticum* applicui; cujus virtute, quantitas ſeri bene magna eliciebatur. Dies etenim permultos, ne dicam hebdomadas, effluxit; & quidem flumine tam jugi, tamque magno, ut pro certo habeatur, foribus his apertis inimicum in auxilium mitti; cauſam *Arthritidis* continentem una cum ſero amandari.

Hujus ſententiæ confirmandæ gratia, duo ſubjiciam, quæ eam maximopere probare, omnique ſuſpicione liberare mihi videntur. *Alterum* eſt, quod, qua proportione ſerum emanavit, ea plane augeretur reſpirandi ſpatium; ea, rediret fames; ea, *Ventriculi* gravitas; ea, dolor reliquaque omnia ſymptomata tollerentur. *Alterum* eſt, quod diutiorem ab *Arthritide* vacationem, longiorem ab ejus paroxyſmo quietem, ex eo tempore quam per annos ante complures, æger obtinuit, ſanguine nimirum, methodo jam dicta depurgato.

Ut autem extrudatur *Arthritis*, ut evacuatio ſeri tam benigna, tam commoda, promoveatur, utque ei tolerandæ ſuſtinendæque par reddatur æger; vinum ei, jam dictum, quotidie dedi bibere, & quidem affatim; *Martiſque Alcohol* bis in die ſumendum præcepi: eo quidem cum eventu, quod, uti primæ rerum mutationi conciliandæ multum contribuit *Phœnigmus*; ita ei continuandæ *Mars*; utraque vero ratione *Bacchus*.

Biennio poſt, cum ex *Ventriculi* gravitate, materiæ bilioſæ vomitu, oſcitatione, pandiculatione, aliiſque ſignis iſtius *Anomaliæ* in hoc ægroto prænunciis, eam in propinquo eſſe præſciverim, *Aquis Purgantibus*, ſemel iterumque opportune datis *Ventriculum* & *Inteſtina* purgavi; malum, eo loci manſurum, anteverti.

Ut contra *Arthritidem ægrotum*, contraque *Anomalam* ejus *Ventriculum* defenderem, *Aquas Bathonienſes* biberet; ea, quæ roborent *Ventriculum*, ſimulque faciant, ut bene concoquat, (*Chalybeata* nempe, *Stomachica*, & *Aſtringentia*) ſumeret, ægroto inter *Anomaliarum* initia ſuaſi. Et quidem adeo ille fecit imperata, cumque exitu tam felici, ut, qui claudus antea, pedum vix compos, non niſi difficulter incederet, milliaria duo vel tria ambulando jam facile metiretur: Ex eoque tempore ſanior & integrior evaſit, diuque perſtitit. Neglecta vero poſtea, quam dixi, prophylaxi, vel parce, & indiligenter adhibita, multum ille torquebatur *Arthritide*, nunc recta, nunc *Anomala*, donec ea, multis poſt annis, confectus & oppreſſus, e vita ceſſit.

HI-

HISTORIA VI.

Cum plenitudine Arthritis, *partim recta, partim (in Ventriculo)* Anomala, *Purgationibus Podagragogis allevata.*

CIvis *Iscanus*, vitam agens inertem, & desidiosam, ea de causa *Plethoricus* & *Arthriticus* evasit. Ætate constanti, postquam ex intervallis sæpenumero recteque doluerat, tumore pedis dextri tenebatur eo, qui tum *Arthritidem*, tum *Plenitudinem*, manifeste agnosceret: Cum eo simul orta famis imminutio, cibi fere omnis fastidium; similemque habuit cum eo progressum, & vehementiam. De causa malorum istorum altera, communi, nempe *Plethora*, nemo unquam dubitavit; de altera, nempe *Arthritide*, pedem afficiente, quando dolor *Articularis*, cæterumque pathognomonicon, eum monstraret, non est controversum: Sed de ea locum in *Ventriculo* habente, æger murmurare; &, *Podagram Ventriculi* morbum esse commentitium, & imaginarium, æstimare visus, multa secum inusitare.

Ego, ut ejus ingenio morem gererem, humanissimum, & priscis moribus, artisque medicæ cumprimis intelligentem, Dominum Doctorem *Hele*, eo tempore medicinam hac urbe factitantem, consilium vocari lubentissime consensi. Huic ego totius morbi, sic, ut erat, compositi, historiam enarravi; maxime vero *Arthritidem*, olim importunam, nuperis diebus nimio plus quietam, explicui. Quibus audiris, propositam ille viam mecum calcare non est dedignatus. Socia igitur opera ægroto antea perpurgato, *Chalybis & Pul. Rad. Ari* C. a me datorum usum, sed aucta quantitate, continuantes, hisce verbis consulimus.

℞. *Pul. Rad. Ari C. e Chel. C. C. Chal. cum Sulf. pp. ana* ℈ß. *Ext. Calami Aromat. q. s. f. Pilul. horis duabus medicinalibus sumendæ, cum Hausto seq. Julapii.*

℞. *Aq. Menthæ Flor. Chamæm. ana* ℥v. *Stephani, Gent. C. ana* ℥iij. *Marg. pp.* ℈ij. *Sacch. q. s. f.* Julapium.

℞. *Sp. Vol. Oleos. Castorei ana* ℥ij. *misce, sumat gutt.* xxxx. *primo mane, & horæ somni, cum Julapii, vel Vini alicujus Stomachici Hausto.*

Horum usu medicamentorum, maxime vero *Pilularum*, multo & diligenti, famem æger conciliavit; unaque opera humores *Ventriculi* tunicis vitiosos exturbavit.

Historia dicit *Arthritidem*, cum plenitudine conjunctam; partim rectam, & in extremitate corporis agentem; partim *Anomalam*, & in *Ventriculo* latentem; sed & eam medicina expulsam, in sanguinem relegatam.

HISTORIA VII.

Arthritidem *ex animi perturbatione* Anomalam, *in viam ducunt* Ποδαγραγωγά.

DOmina *R*..... quinquagenaria major, *Arthritide* frigida diu mulctata, eaque pedem nuper afficiente, propter animi pathemata, & turbas, nescio quas, domesticas, materiam *νοσηλὼ* (interciso paroxysmo) in *Viscera* retroactam habuit. Remisere malleoli (id est, partis affectæ) symptomata, dolor tumorque, & simili proportione intendebatur Ἀνορεξία; nausea, acidi & pituitosi vomitus, oscitatio, Σκότωμα, cum affectione *Ventriculi* Idiomate nostro appellata (*Waterpangs*;) Nam œsophagum ascendens, bis vel ter in die, ad ℥iij. vel iv. ab ægrota, tanquam utero gerente, aqua ore ejecta est. Hanc affectionem imbecillitas spirituum, palpitatio cordis, faciei pallor, vox tremula, languens, & inusitata animi dejectio sequebatur.

Ab *Arthritide Anomala*, & ad ea, quæ intus sunt, inversa, symptomatica ista proficisci minime dubium erat. Hoc historia morbi, & symptomatum ordo demonstravit. Utque deviam *Arthritidem* in locum proprium, artus ducerem, propositum mihi palmarium erat, & medendi indicatio.

Quem in finem, impedimentis, quæ *Stomachum* & *Intestina* premerent, per alvi dictionem expurgatis, *Infusum amarum Martiatum, horis duabus medicinalibus, Bolum Cardiacum; (e Pul. Cantiano, Chalybe Nutrito*, &c.) *horæ somni, cum Jul. Haustus Spiritus vol. Oleos. gutt. aliquot, sæpius in die, cum idoneo quolibet vehiculo dedi.* Unde fructus, brevi temporis spatio, spe omni major, votis par. Restituta sunt viscera, scintillarunt oculi, doluit iterum malleolus, servata est ægra, & quidem una *Arthritidos* amotione, & in pedes ἐξαγωγῇ.

HISTORIA VIII.

Arthritis *vaga primo Partibus ex contusione lapsis; deinde* Ventriculo *hærens, in Sanguinem resorbetur, in Artus emittitur.*

VEtula quædam, origine *Arthritica*, dolores habuit diu per artus huc illuc erraticos; postea, contuso corpore (cum ab equo forte cecidit) læsis & debilitatis partibus inhærentes. Hi vero deinceps, locis hisce relictis, nescio qua de causa *Ventriculum* invasere: namque nausea, & vomitio secuta erat permolesta, cum motibus convulsivis, & hystericis aliquot accidentibus.

Nihil clarius esse potuit, quam quod ea, quæ olim membra infestaverat materia, peccans & *Podagrica*, primum partibus contusis, deinde *Ventriculo* committeretur: Atque huic confisus opinioni, principio curandum existimavi, ut vomitu sedato materia *Ventriculum* aggravans per anum ejiceretur. Præmissis igitur *Laudani* guttis aliquot, sub ejus præsidio pilulas exhibui purgantes; quarum ope, ut & enematis postmodum immissi, ægrota dejecit impura bene multa. Peracta catharsi, *Pulvis e Chel. C. C. & Rad. Ari Comp. ana* ℈ß. *tertia quaque hora, sumebatur; cum Julapii hausto Hysterici*, & *Sp. Vol. Oleoso.*

Hisce remediis ex lege usurpatis, notatu jucundum erat, quibus gradibus sanitatem ægra recuperaret. Primum, ut ex istiusmodi *Cardiacorum* usu solet, calor oriebatur universalis, eique tandem aucto, & magnum in modum evecto *Ventriculi* succedit allevatio; sic, ut a sanguine celerius & rapidius circumvecto, miasma *Arthriticum*, *Ventriculi* tunicis infixum, resorberi, & in sanguinis sinus recondi censeatur.

Ad tuendum *Ventriculum*, & *Arthritida* procul emittendam, *Tinct. Martis (ex ejus Limatura & succo Limoneo confecta) gutt.* xx. semel bis in die sumendas, cum *Infusi amari alterantis Hausto*; præcepi. Quorum ope *Ventriculo* cautum erat, & recte egit *Arthritis*. Nam ex illorum usu (uti posthæc, ex illis repetitis, sæpe) ægrotavit Anus hæc articulis; at, per integrum jam decennium, & eo amplius, ne semel quidem, ut observavi, *Ventriculo*, vel partibus infirmatis. Tanti usus sunt, in ordinanda *Arthritide*, *Chalybeata*.

HISTORIA IX.

Multum interesse, qua tempestate laboret æger hac Anomala, *ad eamque removendam, tam externa, quam interna; nonnumquam in corpore validissimo requiri.*

UT autem pateat, multum interesse quo anni tempore, qua tempestate laboret æger hac *Anomala*; exemplum hujusce rei magnum adducam. Homo *Damnonius*, propter *Isca* ripam agens, *Arthritidem* habuit a parentibus ductam, autumno vel hyeme maxima ex parte redire solitam. Hyems erat, cum, nescio qua de causa, *Ventriculum Arthritis* iniit, eumque crudelissime gravavit.

Cum eo loci res erat, accitus, de morbi ingenio & natura ex symptomatum ordine judicans, *Arthriticum* eum esse comperi, & in artus materiam amoveri vitiosam quam citissime debere. Atque illuc rursum dirigens, *Vini & Chalybis* eam quantitatem dedi, eoque cum eventu, ut ex animi sententia pes doleret, *Ventriculus* sublevaretur: ægri vero rebus favere, & ad educendam *Arthritida* non parum conferre, inventa est cæli, medio hyeme, clementia.

Sub id tempus, vento, qui aliquandiu mitis fuerat, in aquilonem mutato, tempestas ingruit acerbissima, frigus intensissimum: atque hujus sævitia, ambitum corporis urgente, retroacta est, in ea, quæ intus sunt, *Arthritis*. Expellentibus altera vice usus sum, &, ut materia denuo extruderetur, elaboravi: quod tamen, nisi remittente prius frigore, minime patratum.

Iterum pede doluit ægrotans, & quidem eo usque, donec renovato frigore *Arthritis* jam tertio *Ventriculum* invaderet. Huic autem adeo jam per frigus (quo ut terra obriguit, ita valde constricta fuit ægri cutis, humidumque intus actum) infixa est; ut eo loci dehinc ad ipsum vitæ terminum maneret; neque *Vino*, neque *Ferro*, etsi plena manu exhibito, neque ulla *Cardiacorum*, etiamsi fortissimorum, vi dimoveretur.

Qui per *Phænigmos*, & ejusmodi externa *Arthritidem* evocantia, fieri potuerit, (quando tyroni, militiam istam nuper ingresso, mihi nullus erat tum temporis eorum usus) nihil habeo, quod dicam. Ex eo vero didici, *Ventriculi* hunc affectum unis ore assumptis, in corpore validissimo, non semper auferri; verum externa, in auxilium & operam iis sociam adjungi, nonnumquam oportere.

HISTORIA X.

Cibi fastidium, & Astema, ex Arthritide Ventriculum *infestante; ea expulsa, sublata; ea denuo repulsa, recidiva.*

SEnex *Arthriticus* dolore pedum, cui olim assueverat, aliquandiu liber, appetitu læso, difficili respiratione laboravit: utroque tam urgente, ut in dubio non modo salus, verum etiam vita esset. Tum denique de Medico quæritare cæpit. Cum illam esse rerum conditionem, mihi denunciatum est, ab *Arthritide* inversa, *Ventriculum*, & spirandi organa afficiente, turbas hasce concitari, sum arbitratus; ideoque, quando ægri vires infractæ consumptæque purgationem minime paterentur, primo quoque tempore *Bolum, ex Pul. Cantiano, & Theriaca Andromachi deglutiendum, una cum Vini rubri Haustu, spirituque vol. Oleos. gutt. aliquot, dedi, & hora quaque quarta repetii. Cardiaco* isto forti & generoso, pro re nata, repetito, factum est, ut in artus statim expelleretur *Arthritis*; ut ab ea dolerent, tumerent articulamenta, felici huic humorum Μεταβάσει debuimus, quod in mediis periculis, in extremo discrimine non omnino spe destitueremur.

Ut eum quem ita nacti fuimus, locum teneremus, *Infusum* dedimus *amarum, Vino Xerefano* factum, modica quantitate, ter in die, potandum. Unde quidem multum æger articulis doluit, multum profecit. Hæc autem æstate acta, & favente cælo vix aderant saturnalia, cum malum recruduit, propter hyemis inclementiam, forsan gravius, & intolerabilius, *Chalybe*, *Cardiacis* valentissimis tentata est curatio; sed nequicquam. Morbo, hyeme, senecta oppressus æger e vita excessit. Qui vero per evacuationes opportune adhibita fieri potuerat, quando earum nulla mihi data fuit opportunitas, nihil ausim affirmare. Iis autem, modo vires annuissent, opus fuisse autumo.

En *Asthma & Ἀνορεξίαν*, & *Arthritide Ventriculum* infestante: ea vero in artus expulsa, eadem sublata: repulsa denuo *Arthritide*, recidiva eadem, importuna, mortifera.

HISTORIA XI.

Ex Arthritide Cardialgia, *ut & alias* Ἀνορεξία *per Cathartica & Humores in Artus expellentia feliciter curata.*

SEnex honorabilis, a multis annis paralyticus, *Arthriticus*, sexagenario major, tumore pedum continuo leboraverat tali, qui hydropa antecedere, præque foribus eum esse videretur ostendere. Totum enim propemodum pedem ad genu usque occupavit, digito prementi cessit, ejusque foveam retinuit diutinam. Jampridem autem, (quod in hoc casu maximi est momenti) evanuit tumor omnis, sive *Hydropicus* seu *Arthriticus*.

Erat insuper huic ægroto, quæ quidem paralyticis familiaris, sputatio jugis, sic ut diei spatio semilibram sæpe expueret, & quidem quo plus, (quod observatione longa palam erat) eo illi melius. Nam, cum noctu lecto, cum interdiu cathedræ perpetuo figeretur; itaque exercitatione pene omni, ejusque effecta, tum urina, tum perspiratione liberiori, privaretur, majori salivatione usa est natura, & per eam aliarum evacuationum defectus quodammodo resarcivit. Saliva

au-

autem, hoc tempore suppressa, una cum tumore pedum abeunte, aliisque mali moris symptomatibus in periculo versari ægrum manifestavit.

His adjiciendum, quod paucis post diebus *Cardialgia* suboriretur; quæ, cum perpetua fere esset, & Ἀνορεξίᾳ, cum *Melancholia*, tanquam satellitibus stipata, ægrum adeo confecit, ut simul & caro multum, & una cum ea vires absumerentur.

Cum mihi jam antea daretur, celeberrimi hujus viri rebus invigilare medicis, salutique prospicere; malum illud nihil aliud esse judicavi, quam *Arthritidem* inversam, *Ventriculo* fixam, & quæ ab ejus *Anomalia* fluxerunt accidentia. Proindeque, ut *Ventriculus* & *Intestina* primum exonerarentur, & tunc in artus emitteretur *Arthritis*, conceptis hisce verbis, præscripsi.

℞. *Aloes rosat. Pulv. Myrrhæ, Scammon. ana* ℈ß. *Ref. Jal. gr.* v. *Ol. Abs. Chym. gutt. j. Extr. Cent. q. s. f.* Pil. v. *mane deglutiendæ.*

℞. *Tart. Laxant.* ℈iv. *cum Juscul Avenacei hausta, circa horam decimam sumendus; si* Pil. *tardius operabuntur.*

Hora somni post purgationem, sumat *Pulv. e Chel. C. C. & Marg. ana* ℈ß. *cum Aquæ Cin. hord. ten. Melissæ ana* ℥iß. *Pæoniæ C.* ℥iij. *Sp. vol. Oleos. gutt.* xx. *Conf. Alk.* ℥j.

℞. *Conf. Abs. Rom.* ℈j. *Pulv. Rad. Ari C. Alkool. M. ana* ℈ß. *Syr. Abs. q. s. f.* Bolus.

℞. *Tinct. Myrrhæ* ℥j. *Sp. vol. Oleos.* ℥ß. *Pul. Gentian.* ℥. *misce, igne arenæ digere, f.* Tinctura.

Præmissa purgatione, sumat *Bolum* bis in die, cum *Julapii* hausta; hora ante prandium, *Tinct. gutt. q* xxx. *ad* xxxx. cum idoneo quovis vehiculo.

Pharmacis hisce assumendis, solito diligentius æger, alias pharmacorum osor, incubuit; & quidem eorum viribus *Arthritis*, a *Ventriculo*, & iis quæ intus sunt remota, in artus exulare, dolere articuli, tumere pedes; quodque est hoc amplius, abire *Cardialgia*, redire fames, incolumitasque, pro ægri ætate, cæteraque ejus conditione, magna.

Quando ex quiete nimia, aliisque in *sex non naturalibus* erratis, vitium alio tempore contraxerat *Ventriculus*; paucis post diebus detumuere pedes; fluere desiit saliva. Malum ex eo notabatur ingravescere. Cibi enim omnis obortum est fastidium, *Intestinorum* æstus, & dolor erat: faciei pallor. Ab ore & pedibus, ad τὰ εἴσω, ad *Intestina* humorem *Arthriticum*, & serosum ejus vehiculum ferri constabat. Per *Vinum* & *Oxymel Scilliticum*, perque *Solutum purgans*, ductum alimentarem exinanivi. Pituita & cruditate omni amota per *Infusum amarum*, forte & generosum; perque *Chalybeata* factum, ut *Ventriculo* fames, ut ori saliva, ut pedibus tumor; ut faciei color: Verbo dicam, expulsis, ad τὰ ἔξω humoribus viciosis, ut ægro nobili conciliaretur, quanta maxima potuit, incolumitas.

CAPUT III.

De Colica Arthritica.

Art. I. POst affectus eos, qui in *Ventriculo* sunt *Arthritici*, lata ducente via, ad illos, qui attingunt *Intestina*, descendendum est: Quorum e numero *Colicæ* dandus est principatus; tum quod ea frequentissime omnium occurrit; tum quod (uti solet evenire) magno cum supplicio laborantium. Hæc autem *Colica*, minime uno contenta *Intestina*, fistulam a *Ventriculo* ad anum omnem, etiamsi non eodem tempore, tenet, & in ea sedem ponit. Imo quidem sæpe fit, ut cum *Intestinis* hac *Colica* vexatis, *Ventriculus* etiam, & quidem ἰδιοπαθικῶς, afficiatur, nonnunquam multum affligatur.

II. *Colicæ* vultum induit *Arthritis* & fixa, & vaga, & regularis, & *Anomala*, & primigenia, & symptomatica. Horum omnium membrorum omnino nullum extat, quod interdum ita non faciat. E symptomaticis vero ea creberrime, quæ *Colicæ* succedit; quæ a *Colica* incipiens, in eam desinit. Ea citissime partes has invadit;

Ad limina nota,
Ipsa domus se fert;

& artus & *Intestina* vicissim occupans sedem habet ambiguam. In natu grandioribus, & infirmis (qui *Anomaliarum*, ut dixi, *Arthriticarum* mos & consuetudo est) induit sæpissime; in athleticis, & ætatem nondum mediam ingressis, aliquando. Hujus autem metamorphoseos modus & ratio talis est.

Cum æger diu recta *Arthritide* per vices doluit, & jam ætate provectus est; vel ex debilitate, vel alia aliqua de causa statim exquirenda. Natura paroxysmos identidem intermittit; & nullos, aut raros, aut parvos & breves edit. Paroxysmorum istam defectionem usitatissime sequitur, ocius aut tardius, in iis, quæ intus sunt, novum quoddam malum; interdum autem caterva symptomatum illa, quæ *Colicam* manifeste indicat. Primum, universi corporis ægrotationem, & Ἀνορεξίαν æger; non raro nauseam quoque sentit: tum *Dolore Intestinorum*, qui plerumque fixus; & eidem quasi puncto (pali instar) hærens, portionem quandam abdominis tantillam (quod sæpe observavi) præcipue ἀμφὶ τὸν Ὀμφαλόν, pungit excruciatque. Huic symptomati aliud fere æquale est, pectoris nempe oppressio; & tanquam ab opere incumbente gravitas, quæ, ut hujusmodi *Colica* afflictis fere cunctis accidit, ita quidem iis molestissima est. Hæc duo symptomata, (Στρόφοι nimirum, & gravitas pectoris) summa & primaria judicentur; quibus secundo loco annumeranda præcordiorum distentio, Βορβορυγμοὶ, ructus materiæ plerunque biliosæ vomitus, alvi segnities. Tertio loco, accidentia κατὰ συμπάθειαν nata; qualia sunt oculorum languor spirituum dejectio, vigilia, animæ remissio, anxietas, &, si morbus duraverit, universi corporis imbecillitas & macies.

Etsi non semper, tamen sæpe autumno incipit hæc tragœdia; &, nisi opem auspicato medicina fert, per insequentem hyemem ægrum affligit, & quidem miserabiliter. Nam a prima *Intestinorum* aggressione, statu, tristitia, dolore languet ille & deprimitur; noctu vigilat, interdiu lamentatur: dies nocteque calamitosas agit; donec somno, cibo, refectionibus vitæ necessariis privatus; vomitu creberrimo lacessitus, dolore fractus & enervatus, macie confectus, serius citiusve (prout illius vires sunt) vitam cum morte ærumnosissimam commutet.

III. Ex his phænomenis, de morbi hujus genio & natura statuere, non erit difficile. Quid enim magis in propatulo, quam quod materia ista *Arthritica*, quæ ad τὰ ἄκρα propelli sueta est (Natura novis utente consiliis, alioque instituto) jam in visceribus deponatur, ibique dictam moveat tragœdiam; illa famem tollit: illa Δυσπεψίαν infert; illa vomitum ciet; illa præcordiorum inflationem creat; illa pectus aggravat; illa dolere facit *Intestina*.

IV. Unde sequitur, quod in hoc affectu detegendo, ejusque formanda diagnosi, quamquam prima facie plurimum valere videantur e prædictis aliquot symptomata; Στρόφοι præcipue, & pectoris gravitas; tamen, cum *Colicæ* huic *Arthriticæ* illa non sunt tam propria, quin aliis *Colicæ* speciebus eadem conveniant; hanc ob rem *Arthriticam* nostram ut rite dignoscamus, alio progrediendum est. A nullo autem alio fonte melius petenda est illius notitia quam a morbo præcedenti, *Arthritide* scil. *regulari*: præsertim ab illius nupero paroxysmo; ab ejus silentio, sive intermissione, paroxysmum istum insequente; & *Colica* isti silentio superveniente. Quam quidem morbi historiam, ejusque aliam ex alia partem ordine perspicuo fluentem, quisquis studiose ponderaverit: de *Colicæ* hujus natura, eamque revera esse *Arthriticam*, ut opinor, minime dubitaverit.

V. Hæc, de causa hujus *Colicæ* proxima, sive continente, quæ est ipsa materia *Arthritica* τοῖς Ἐντέροις infusa: qui vero ea infundatur, sive quæ sint hujus morbi causæ remotiores, loco jam proximo dicendum.

Eæ duum sunt generum, externæ, vel internæ. *Externæ* materiam hanc, extremitatibus sive commissam, sive committendam, intro pellunt, & *Intestinis* illidi faciunt. Cujus ordinis sunt frigus, tibialia nimis arcta, vincturæ, emplastra, unguenta, cataplasmata, &c. repellentia. Frigus, uti *Colicum* exquisitam ab omni ævo incutere, & vel ideo in causis ejus evidentibus locum non ultimum mereri; ita quidem *Arthriticam* identidem antecedere, eique producendæ multum conferre, certissimum est.

VI. *Internæ* sunt permultæ; earum vero princeps habeatur *Intestinorum* a natura imbecillitas, sive Ἀτονία; qua, ad sustinendum humidorum in corpore libramentum, imparia redduntur illa, &, (secundum leges a mundi principio ratas & stabilitas) oneri nimio tum accipiendo, tum ferendo, prona. Quæ quidem causa, quandoquidem constans, & perpetua est, non modo *Colicæ* conducit primum afferendæ intendenæque; sed, quod magis est, eidem postea sæpius revocandæ redintegrandæque.

Alia magnæ ad hanc *Colicam* efficacitatis causa, impuritatum & cruditatum massa est in visceribus cumulata. Res notissima est, ab hepate a pancreate, granduliisque fragiformibus, in ductum *Intestinorum* mitti sanguinis impuritates & recrementa: pari etiam modo notum est, a *Ventriculo* cruditates accipi creberrimas: in *Intestinis* sisti copiosissimas. Quoties vero *Arthritico*, quoties Δυσπλάγχνῳ id obvenerit, ad progignendam hanc *Colicam* mirum quantum operetur. Alienæ huic massæ contagio & afflatu inficiuntur *Intestina*: & *Arthritis* intro (non aliter quam *Emplastro*, sicut ante dictum, aut *Phœnigmo* attrahente pedibus admoto extrorsum) invitata est. Verum, ut hic loci φευομένῳ, sæpe a me notati, mentionem faciam; nullæ unquam impuritates hac in re plus efficere videntur; aut ad *Colicam* gignendam magis valere, quam quæ sunt *Biliosæ*: quod, ægrotantium excrementis, sive ore, sive alvo redditis, ostendi solet. Impuritates iu hujusmodi ægris hac via copiosius e sanguine effundi, id facere videtur; quod, vitam agendo sedentariam, parum ii per cutim emittant, humoresque per Διαπνοὴν expelli solitos, intus ferri, & in *Visceribus* deponi sinant.

Inter hasce causas porro censenda sunt, & quidem merito, aliena ore demissa, ut fructus ὡραῖοι, &c. pomaceum nimis acidum, immoderate sumptum; aliaque in victu, præcipue frigido, errata.

VII. Hujus morbi notionem quicunque rectam habuerit, a *Colica*, humoribus, aut flatu orta, a biliosa, hysterica, reliquisque speciebus, quantum ille separetur, facile perspexerit. E contrario, quænam species ad hanc nostram maxime appropinquent, & qua in re, ut videamus: Ratione *Originis*, *Colica Humoralis*, quoad a quiete nimia & aeris constitutione frigidiori fiat, eatenus cum *Arthritica* concordat, & eandem habet cum ea causam evidentem, quæ materiam utrobique committat *Intestinis*. Ratione *Materiæ Colicam* hanc maxime repræsentat ea, quæ pestilens; (qualis ab *Ægineta* describitur (*a*). Hujus autem *Colica*, ut & *Humoralis* cum *Arthritica* similitudo tam languida, tam mediocris: ut in hac re Medicus, si symptomatum attendat ordinem pathognomonicum, ne decipiatur, non est ut multum vereamur.

VIII. Hæc, ut ab aliis morbis sejungatur hic affectus, jam a se quemadmodum differat, & quotuplex sit, examinemus.

Ratione *Materiæ*, nunc pure *Arthriticæ*, nunc autem (ut in tribu symptomatica) *Scorbuticæ*, *Scrofulosæ*, &c. differentias habet, cum affinibus symptomaticæ tribus *Anomaliis*, communes.

Ratione *Subjecti*; modo eidem quasi puncto, uti terebrum, infigitur, modo, sed raro quidem, *Intestina* pervagatur; modo etiam *Ventriculum* comprehendit.

Ratione *Causarum Procatarcticarum*; alias externa aliqua materiam repellente; alias massa in ductu alimentari coacervata, & eam intus alliciente; alias binis hisce causis conjugatis; alias earum agente nulla, sed mera viscerum imbecillitate, contrahitur.

Itaque licet hic affectus unam eandemque retineat naturam; modos tamen, & ejus accidentia, præ se fert diversa.

IX. *Colicam* exquisitam raro vitæ spatio aliquid demere, magnaque ex parte periculo vacare, pervulgatum est. E diverso *Arthriticam*, morbum sæpe lethalem esse, semper autem periculosum, habemus exploratum. Si pectoris gravitas, si *Intestinorum Dolor*, præcipue pungens, diu perstiterit; malum. Gradatim it in pejus æger, donec e medio cedat. Rata unquam, hoc casu incolumitas, nisi *Arthritide* in extremis partibus apparente; sed neque ea omni, aut semper. Nam si *Dolor* erit *Articulorum*, manente interea in visceribus sterquilinio; ab isto dolore externo spes evanida, inanis. Intus statim allicitur *Arthritis*, & ægrum sæpe opprimit.

At si *Intestinorum* dolor, pectoris oppressio, alvique tarditas penitus tollatur, simulque sit in extremitatibus *Arthritis*; ea morbi facies hilarior: is status optabilior.

Si vero prorsus sileant eorum, quæ intus sunt, querelæ; si revertatur appetitus, & eodem tempore fulgeat in extremis partibus *Arthritis*; tunc demum æger ἔξω βελῶν; tunc gallum Æsculapio litabit. Quod ut fiat, quaque methodo medendi jam p. ō. xime dicetur.

X. Quan-

(*a*) Lib. 3. Cap. 43.

X. Quandoquidem ad hunc affectum interdum febris, a bile orta, se adjungit, in curationis initio id agendum, ut pulsus, ut æstus, ut sitis, ut reliquorum febris indiciorum habeatur ratio; &, ad præcavendam φλεγμονὴν si opus erit venæ sectione, in ipso limine operis ea fiat, parce vero, neque supra modum huic symptomati levando necessarium; ne, eum nimis excedendo, *Arthritidis* posthæc expellendæ tollatur omnis facultas.

Secundo loco videndum, una cum *Intestinis* utrum *Ventriculum* ἰδιοπαθικῶς afficiatur; præsertim, cruditate & alienis rebus utrum aggravetur: Hoc casu nihil antiquius habendum, quam ut, epoto *Teæ*, vel *Cardui Decocto* (neque enim *Emetica* suaderem valentissima) cieatur vomitus.

Postridie vomitus, si vires ægri permiserint, aut interposito die uno, fiat purgatio; vel per *Extractum Eustachianum*, & *Res. Jalap.* quibus si placet, adjungi potest *Mercurius dulcis*; vel *per Syr. e Spina*, & *El. Salutis*, vel, si febris urgeat, *per Manna*, & *Salem Catharticum*, *Aqua hordeata solutum*, vel per aliud quodvis purgans, ad hanc rem appositum. Vespere, tam eo post vomitum, quam eo post purgationem, nihil paregorici (nisi si ὑπερκάθαρσις, aut aliquid improvisum id exegerit) adhibeo, ne illo *Arthritis*, in paroxysmum eruptura, tanquam sufflamine, retineatur.

Adeo valet hac in re, & tanti est momenti purgatio, ut omissa illa sive negligenter acta, si non mundentur *Intestina*, perturbata erit curatio; & post conatus in ea varios incassum factos, sæpe illuc redire necessum erit, ubi per negligentiam est peccatum; ad *Intestina* nempe expurganda. Quare, si purgatio minus perfecta fuit, neque rebus ægri conveniens, omnino repetenda est, & quidem eo usque, donec proposito respondebit. Atque hoc casu, diebus purgationi interpositis, nunc *Pulveribus Testaceis*, nunc *Infuso amaro alterante*, illis, si acido; his, si bile abundent *Intestina*, ne plane nihil agam, insisto.

Quibus absolutis, & iis, quæ viam præcludebant, amotis expeditisque, (quo quidem iter quasi medium confici videtur) ad *Arthritidem* extrudendam, nec quidem citius, incumbo. Hunc in finem faciunt, præter *Arthritidem* expellentia, (Capite primo memorata) nonnulla remedia *Colicæ* ab antiquo propria, ut & *Aromatica*, quæ cum prædictis non nepte complicentur. Hæc autem sunt pulvis *Zedoariæ*, *P. Rad. Ari Com. P. Aurant. C.C.* Fulleri, *P. ejusdem Bezoarticus*. *Sp. Diatr. Piper. Sp. Calaminth. simpl. Sp. Diambra*. *Dianthus.* Elect. *e Baccis Lauri*: *Mithridatium*, ZZ *in Indiis cond. cum ejus Syr.* Olea *Chymica*, *Bacc. Juniperi*, *Seminum Cumini*, *Carvi*, *Fœniculi dulcis*, *Anisi*, & *ejusmodi Carminantium*, & *Aromaticorum*. Vinum *Xerefanum*, *aut Rubr. Lusitanicum simplex*, *vel amaris* & *Aromatibus alteratum*.

His munitus auxiliis, ad *Arthritidem* expellendam, & in artus amoliendam, ita progredior. Ægro in lectum dato, *Pulverem*, vel *Bolum*, vel *Pilulas* præcipio.

℞. *Pul. e Chel.* C. C. ℈iß. ℈ii.
Chal. Nutriti gr. v. misce f. Pulvis Comp. vel
℞. *Pulv. Zedoar.* ℈ß. *Spec. Calaminth. Simp.* (vel *Diambræ*) ℈i. *Alcohol Martis gr. v. f. Pulvis*, vel, forma Boli.
℞. *Elect. e Baccis Lauri* (vel *Mithridatis*) *Pul. e Chel.* C. C. *ana* ℈i. ℈iß.
Alcohol. M. gr. v. Syr. Aurant. q. s. f. Bolus, vel
℞. ZZ *in Indiis cond. Pul. Rad. Ari* C. *ana* ℈i. *ad* ℈iß. *Chal. N. gr. v. Syr. N. M. q. s. Bolus*, vel
℞. *N. Myrist. cond. Spec. Diambr. ana* ℈i. *Chal. N. gr. v. Os. Junip. Chym. gutt. i. Confect. Alk. S. M. q. s. f. Bolus*, vel, forma Pilulari.
℞. *Spec. Diatr. Piper.*
Pul. Serpent. Virg. ℈ß.
Chal. Nutrit. gr. v. Extr. Rutæ q. s. f. Pil.
Hisce compositionibus superbibatur *Vini Xerefani*, vel *Rubri Lusitanici*, vel *Julapii* haustus.
℞. *Aq. Cardui*, *Menthæ*,
Lactis Alex.
Chamæm. Comp. ana ℥iii.
Sp. Juniperi ℥ß. *ad j.*
Marg. pp. ℥ß.
Sacc. albiss. q. s. f. Julapium, vel
℞. *Aq. Lactis Alex.* ℥xii.
Sp. Cerevis. Brunsvicensis ℥iv.
Marg. pp. ℥ß.
Sacch. q. s. f. Julapium.

At si forma arridet liquida, *Infusi* haustus, cum adjecto *Marte*, detur ebibendus.

℞. *Rad. Zedoar. Galangæ*, *Calami Aromat.*
Cacum. Absynth. R. ana ℥ii. *Bacc. Junip. Croci Brit. ana* ℥i. *Infunde in Vini Xerefani* ℔ij. *ad alterationem idoneam*, *tunc coletur* Infusum.
℞. *Hujus Infusi* ℥iij.
Alcohol Martis gr. v. f. haustus, *ante bibendum agitandus*.

Ex hisce, vel hujusmodi medicamentis, sumatur aliquod, quarta, quinta, vel sexta quaque hora, medioque medicamentorum intervallo, *Vini*, e prædictis vel ejusmodi generosis, haustus, ea quantitate, quam æger tuto poterit haurire maximam. Quæ quidem regula, de medicamentis etiam tenenda est: ea nempe dosi, & frequentia oportere illa dari, quæ non aliam febrim, sive in sanguine orgasmum, excitaret; quam quæ, *Arthritidi* ad τὰ ἔξω amovendæ, satis inveniretur.

Ita subinde fit, in robustioribus scilicet, aut spiritu animali valde *Elastico* donatis; ut a *Purgatione*, maxime si utraque (tam ea, quæ ἄνω movet, quam ea, quæ κάτω) præcesserit; sive propter agitatum sanguinem, sive propter impuritates (quibus uti dixi, in visceribus retineri solet *Arthritis*) expulsas; ea jam suapte sponte erumpat in articulos, & evadat *Regularis*. Hoc quandocunque fiet, unicum restabit, ut eo loci illa, quicquid iracundiæ permanet, exerceat; quicquid humoris effundendi, offundat. Verum, ut hoc interdum, &, quoties fieri contingit, auspicato fiat; ita quidem, e contrario, antequam illuc perventum, & *Arthritis* artubus affixa erit, plures sæpe interveniunt difficultates, plures scopuli deteguntur, qui moras in sanando ægro medenti faciant gravissimas, quibus, quasi digito demonstrandis, jam proxime incumbam.

Interdum igitur *Intestina* torqueri, & spasmis ita contrahi manifestum est, ut medicamentum ea purgans, etiamsi Δραστικώτατον, non sentiant: multo minus obsecundent, & obtemperent: quo rerum statu, abdomini *Fotum* admovere oportebit, eumque aliquoties repetere.

℞. *Cacum. Abrotan. Artemis. ana* ℥i.
Rad. Aristoloch. rotund.
Flor. Chamæn. ana ℥ij.
Bacc. Junip. ℥j.
Sem. Carvi, *Fœnic. d. ana* ℥ß. *coq. in Aq. Font.* ℔x. *ad v. Colaturæ adde Sp. Vini vulg.* ℔j. *pro Fotu Ventris calidissimo*.

Post omnem fovendi vicem, eo, quod sequitur, *Venter* illinatur.

℞. *Unguenti Martiani* ℥ij.
Ol. Tereb. vel *Picis liquid.*
Rhod. Ch. gutt. vi. f. Linimentum.

Galbanetum Paracelsi, ut apud *Riverium* est, (Capite de *Colica*) *Linimenti* hujus locum implere, & totus eo venter illini potest.

Nonnunquam autem, maxime in teneris corporibus, etiam postquam *Intestina* fuerint purgata, multæ restant eorum contractiones, multus dolor; nunc continuus, nunc intermittens: qui quidem eorum affectus, cum sit omnino Σπασμώδης, partim *Fotu*, & *Linimento* prædicto; partim *Enemate* sequenti (quod animales spiritus mulcere, delinire, & in ordinem poterit redigere) vincendus est.

℞. *Vini Canarini* ℔ß.
Elect. e Baccis Lauri ℥ß. *f. Enema*, alvo diu retinendum.

Est autem, ubi *Ferri* præparata, propter imbecillitatem, *Intestina* respuant, & quam citissime ano ejiciant, una cum medicamentis ei conjunctis. His ægrotantibus e re esset, omisso *Ferro*, medicamenta præscripta per se dare.

Alias observare licet non modo *Ferrum*, sed & aliquando *Pul. Testaceos*, *Arthritidis* propellendæ causa datos; duros scilicet difficileque, descendere, & per alvum reddi. Quoties hoc fiat, astringenda prorsus ea priusque in *Arthritide* dimovenda, quicquam profeceris: neque enim, fluente alvo, *Arthritis* expectanda *regularis*. Ea vero, *Terra Japonica*, *Creta*, *Sanguine Draconis*, & ejusmodi mollioribus astricta, per *Ther. Androm. Elect. e Bacc.* per *Species prædictas*, *e Regno Vegetabili sumptas*; perque *Olea Chymica*; illa nempe remedia, quæ minus irritent, progredi juvabit.

Quamprimum medicina, quæ *Arthritidem* extrudat, ægri rebus est aptata usui ejus interno, per bidui, vel tridui spatium insistendum est; eoque tempore in ea consumpto, si per hosce dies in artubus nulla in conspectum venerit *Arthritis*, ad *Emplastra*, *Cerata*, *Phænigmos*, & ejusmodi *Arthritidem* evocantia, (Capite primo relata) confugiendum est. Quinimo postquam in articulis apparuerit, Ποδαγραγωγοῖς ore sumendis usque uti conveniet; donec articulis hærens, & affixa de suo in *Intestina* reditu & παλινδρομίᾳ, locum ea suspicioni nullum relinquat. Hoc autem punctum cum attigeris, & in rectam *Arthritidis* viam denique redieris; in ea, cum remediorum portione dimidiata (duplo scilicet eorum intervallo, vel *subdupla* dosi, ut in capite præcedenti declaratum est) procedere juvabit; & quidem dies quatuor, sex, vel octo; eo nimirum usque quoad alienum sive per extremitates eliminetur, sive in eas adeo protrudatur, ut de *Intestinis* iterum, intra breve spatium, impetendis nihil metuamus.

Notatu vero hoc dignissimum, atque adeo jucundissimum, quod, articulis quamprimum fixa est, *Arthritis*, læto quidem omine, spem & vitam pollicetur. Visceribus statim melius est; quæque intus mali fuerint vestigia, subito tolluntur. Oculorum acies, vultus vigor, fames, & concoctio restituitur, & in vado res salutis est.

Diæta per totum hunc decursum, qualis & quanta esse debeat, ex omni parte κατὰ μέτρον ordinanda est. Nihil admittendum, quo in ea uspiam peccari possit, *Panatella*, *Gelatina*, C. C. & *Eboris*, *Panis biscoctus*. *Jusculum*, *pullinum*, maxime autem *Vinum* prodest, vel *simplex*, vel *Decocto albo* temperatum. Certe *Vino* assuetis ab eo permagna expectatio, permagna est utilitas: quare iis præsertim illud largiter exhibeo; eam nempe quantitatem, quæ calorem *Intestini* conciliet; quæ *Arthriticum* miasma ex iis ad τὰ ἄκρα pellat; quæque eo loci id impune figat. Hanc autem operam optime navat: quod e *Lusitania* rubrum hodie nobis apportatum est; ægro ad ℔ß. ad libram integram, vel etiam duas, nycthemeri spatio, si ad rem propositam opus fuerit, concessum. Alvus si dura, (quod, tum lecto incumbenti, cum *Colica*, tum *Arthritide* laboranti familiarissimum) *Enemate Oleoso*, vel *e Jusculo Vervecino*, lubricante, diebus alternis mollienda.

Interdum observare licet, ægrum: *Arthritide* e visceribus expulsa, perque artus exulante, penitus emancipatum; ventris adhuc inflatione, doloreque *Intestinorum* urgeri; sic, ut exspes & despondens ille, per tanta artis molimina, parum in salute sua renovanda fieri, postque iter procellosum & scopulis plenum, in ipso potu se denique periturum opinetur. Hæc autem flatuum, & naturæ morbo debilitatæ, sunt indicia. Valet hac in re, ad flatus educendos, enema *e Vini Canarini* ℥xii. *Elect. e Baccis Laur.* ℥ß. diebus continuis, vel alternis immissum; valet *Infusum amarum*, & ejusmodi *Stomachica*, quæ tum famem acuant, tum etiam coctionem emendent.

Ista medendi methodo (primum nempe vias purgando, posteaque foras *Arthritidem* mittendo) *Colica Arthritica* laborantem curare soleo; cumque hanc methodum, huic *Colicæ* aptam, multoque usu comprobatam, & confirmatam esse noverim; idcirco lubens in medio eam propono; aliorum meliora, modo proferre dignarentur, sequi paratissimus.

XI. In *Prophylaxi* enitendum, ut roborentur *Intestina*, contraque inimicum, ne illuc denuo se intrudat, obfirmentur; simulque, ut reliquiæ τῶν Δυσπέπτων nullæ, massa impuritatum nulla, in iis posthæc collecta, eum ad se alliciat. Qua de causa, hujus classis *Arthritidos* studere fami, & concoctioni, ductum alimentarem eccoprotico sæpius purgare, aliisque *Stomachicis*, cum modice restringentibus uti, oportebit. *Aquas Minerales* multis hac in re prodesse novi, tam *purgantes*, quam *Diureticas*. Non pauci apud nos huic *Colicæ* proclives, aquas *Alfordenses*, vel *Salem Catharticum*, aut *Tartarum laxantem*, aqua hordeata solutum, bis vel ter in anno bibunt: itaque cruditates, a *Ventriculo* in *Intestina* derivatas, tempori tractantes, *Podagræ* præoccupant materiam, ano expellunt. Nonnulli meo hortatu commode *Purgantibus* aquas adjunxerunt *Diureticas*. Ut autem *Aquæ Bathonienses* ab antiquo *Colicæ*, ita quidem ei, quæ *Arthritida* est, quæ cæteris adversari censeantur. *Aquarum usui Diureticarum* interponantur ea, quæ ad propositum faciant *Alterantia*. Hora nempe decima, *Infusi amari* Vino albo *Lusitanico* facti, *Haustus*: quin etiam post prandium quotidie, ejusdem *Vini* simplicis cochlearia aliquot. Hora quarta pom. *Elect.* seq. ℥i. cum vehiculo convenienti.

℞. *Conf.*

℞. *Conf. Fruct. Cynosb.*) vel *Ros. rub. per Set. traject.*) *Abs. Rom. ZZ. in Indiis Cond. ana* ʒ ℔.
Salis Martis ℈iv.
Syr. ZZ. ʒiſs. *Ol. Cin. Ch. gutt. v. f. Electuarium* vel.
℞. *Trochiſc. Hedych.*
Conf. Flaved. Aurant. ana ʒſs.
Salis M. ʒi. *Spec. Diamb.* ʒi.
Alcohol. M. ʒiii.
Syr. Abſ. ſ. q. s. f. Electuarium.

Quatenus vero ab externo frigore oriatur hæc *Colica*, veſtitu idoneo, vitatoque aere nimis gelido, illud eatenus fugiendum, hæc cavenda.

Id adjiciam, quod hoc effectu laborantes, quotquot ætate maturiores, & voluptatibus, aut rebus civilibus impediti, *Prophylaxin* neglexere, raro ſine mulcta id fecerunt: ſæpe quidem magno cum ſalutis, ſæpe cum ipſius vitæ, damno.

XII. Placet denique, citato divini ſenis oraculo monſtrare *Arthritidis* hanc in *Colicam*, & *Colicæ* rurſus in *Arthritida* migrationem, *Hippocrati* non fuiſſe incognitam. Ita enim ille: Ω' τὸ Ε'τερον ἐπὶ δεξιὰ Α'ρθριτικὸς, ἦν ἡσυχώτερος, ἐπεὶ δὲ τάυτω ἐτρώθη, ἐπιπονώτερος. Id eſt, *Qui articulari Morbo detentus, Inteſtini dolore dextra parte vexabatur, levius habebat: ubi vero hic curatus fuit, magis dolebat.* (*a*) Quod de *Colico Dolore*, in *Morbo Articulari* obveniente, eumque allevante; poſtea vero, facta humoris huc illuc tranſpoſitione, in *Arthritidem* iterum mutato, eſt intelligendum. Sed hæc hactenus.

HISTORIA I.

Colica Arthritica *male tractata, demum lethalis.*

VIR ex *Tremulorum* ſecta, probus, & generoſus, ingruente ſenectute, integrum decennium, bis ter quotannis ægrotavit *Arthritide*; nunc pedem, nunc manum occupante; ſemper autem regulari. Annus erat vitæ ſexageſimus, cum ea primum intermiſit, neque more priſtino ægrotum viſitavit. Iſtamne vero quietem, & a dolore immunitatem, bonam, optabilem, & commodam exiſtimaverit? Imo potius formidabilem, exitioſam. Doloris enim ſalutaris, & externi vice, alio intra anni ſpatium *Inteſtinorum*, præcipue περὶ τὸν Ο'μφαλὸν acerbo, & conſtanti, & fixo eſt correptus. Interea temporis languenti proſtratoque ei ſucceſſit oculorum gravitas, faciei pallor, totius corporis macies & imbecillitas. Ad hæc colerica & cruda, vomitu emiſſa *Ventriculum* aggravari oſtenderunt.

Increſcente morbo, Empirici conſilio, *Aquæ ferratæ*, ut & e *Ferro præparata*, aliaque permulta ſunt adhibita; eo vero cum eventu, ut ab *Aquis interanea* nimio algore, a *Ferri præparatis*, utpote concoctu & confectu difficilibus, e veſtigio diarrhœa vexaretur.

Ad ſenem hunc denique accitus, eumque graviter ægrotantem, neque intra catharticorum opem (quæ alias eſſent neceſſaria) locatum inveniens, ore datis ποδαγραγωγοῖς *Arthritidem*, educentibus extra applicatis, ut in artus ea transferretur eniſus ſum. Et eheu! fruſtra, *Viſceribus* hærens miaſma *Arthriticum*, & coctionem impediens, aliud ſibi malum adſcivit comitem; nempe *Ventriculi*, & τῶν Ε'ντέρων impuritates: quibus utriſque depreſſus æger, viribus ſenſim inclinatis, poſt anni dimidium, e vita diſceſſit.

Sæpe quidem mihi in mentem venit, robuſto huic ægroto, tametſi vetulo, fuiſſe melius conſultum; ſi, *Colicæ* principio facta purgatione, miaſma, per idonea, per ſtomacho minus gravia, per e *Regno Vegetabili* ſumpta *Cardiaca*, fuiſſet expulſum. Illud initio fieri potuiſſe, vero non eſt abſimile: At oppreſſo ei, viribuſque deficienti, ipſa mediçamenta, neque nimis conſiderate electa, neque nimis ſcite data, mortem accelerarunt.

Hiſtoria narrat *Arthritidem* diu *Regularem*: at quæ progreſſu ætatis, *Inteſtina* perturbans, *Colicam* fecit, neglectaque thetapiæ opportunitate ægroto mortem maturavit.

HISTORIA II.

Arthritis *vaga*, Colicam *mentita*, *ad* regularem Arthritida *reducitur*, *cum ejus Prophylaxi.*

PEllio quidam ad *Iſcæ* ripam, annos habens quadragenos, athleticus, & bene coloratus, patre generatus *Arthritico*; dolore artuum huc illuc vago; hyeme præſertim, & tempeſtate pluvia; cum articulorum tumore, rubore, nitore crebro recurrente, diu infeſtatus eſt. Hujus ſeculi initio, deſubito ceſſavit artuum dolor, ſed inteſtinorum ortus eſt obtuſus, conſtans, una cum febre quadam ſymptomatica, pulſu magno.

Nihil probabilius viſum eſt, quam, in ægroto jam diu *Arthritico*, materiam alienam *Inteſtina* invaſiſſe; quod utique judicium, emiſſi poſtmodum ſanguinis, ſuperficiem tegens gelatina, craſſior certe & albidior (quæ *Colicam* genuinam raro comitatur, *Arthritidi* vero familiaris eſt) abunde confirmavit.

Ut ægro proſpicerem, nihil prius habui, quam univerſum *Arthritidis* ordinem mutare, id eſt, *Inteſtina* verſus ſanguinis impetum & inclinationem, arte quanta poſſim maxima, ſiſtere; & materiæ vitioſæ ad ea, defluxum impedire. Secundo, ut ad ea, quæ ſunt extra dirigatur, &, ex *Arthritide Anomala*, fiat illa *Regularis*.

Ut utrique ſatisfacerem indicationi ſanguinem detraxi, *Catharticum*, *ex Pil. Rud. Scammon. & Calomel.* dedi. Veſpere poſt purgationem, ut ſanguinis orgaſmum incitarem, & ſimul *Arthritidem* in artus amandarem, *Pul. e Chel. C. C.* ʒſs. ſexta quaque hora, cum *Julapii Perlati* hauſtu miſcui: &, ordinata re diætetica, diſceſſi.

Quid ex eo fit? Intra biduum recrudeſcit *Dolor articularis*; cumque vel adhuc lecto ægrum detineri crederem, domi meæ me ſalutat, alacris, jucundus, deque noviter reverſo hoſpite gloriatus. Digiti in pede magni articulum iſte, more ſuo, primum & majorem, plantæque ligamenta potiſſime momordit. Placuit ſane, & pergratum fuit, tam facili ægrotum redimi, durioribus ſuetum. Quæ ad *Prophylaxin* facerent, in aliud tempus, & magis opportunum, diſtuli.

Sydenham Opera Medica.

(*a*) Vide *Epidem. Lib.* vi. *Sect.* iv. & in eam *Galeni* & *Foeſii* Commentaria.

Ea vere, menſe Majo ſequenti, ſic erat: *Præmiſſa Venæ ſectione, perendie ſalis Cathartic.* ʒſs. *Mannæ* ʒii. *Aq. purp.* ℔i. *Solutas ebibat; omnique hora deinceps hauriat, donec uſque reddiderit; itaque diebus tertiis, quartiſve, ad tres vices, repetat. Poſtea omni mane, Aqq. ferratarum* ℔ii. *ebibat; quinta pomerid. ſequentis Elect.* ʒi. *cum Julapii hauſtu ſumat.*

℞. *Conſ. Flor. Salviæ* ʒi. *Pul. Rad. Ari Comp.* ʒſs. *Pul. Cor. rub. e Chel. Simp. ana* ʒiſs. *Salis Martis Riveriani* ʒi. *Syr. Garyoph. q. ſ. f. Electuarium. Cereviſia Cacuminibus Hed. ter. Baccis Junip. Sem. Dauci, in potum ordinarium, medicata eſto. His in menſem unum alterumque incumbat.*

Ex eorum uſu, propitio cum Deo, multos ille annos, tum *Anomala*, tum recta *Arthritide* immunes, egit; ad medicinam hanc ſtabiliendam, & figendam, exemplar utique luculentum.

HISTORIA III.

Colica, *ex Quiete* Arthritica, *in* Arthritida *regularem verſa.*

MAgnificus ſenex, *Arthriticus*, paralyticus, aut ſellæ, aut lecto complures annos inſidens, humoribus vitioſis (qui, non uno exercitationum genere, in omnes membrorum partes, cum eorum *Dolore Articulari*, ſolebant exprimi) occaſionem dedit, aut in viſcera plus æquo immitterentur, ut in iis commorarentur.

Ex hac potiſſimum cauſa, menſe Majo, MDCCII. in *Dolorem Colicum* vir illuſtris incidit. Interea vero temporis ſalivatio, quæ diu magna fuerat, ſuppreſſa; pedum tumor, qui jam multis annis immenſum, imminutus eſt, facta videlicet humorum ad *Inteſtina* translatione. Pectoris fuit totius gravitas, & oppreſſio, tanquam ab onere quodam moleſtiſſime ei ſuperimpoſito.

Morbi hujus hiſtoriam contemplanti mihi perſpicuum erat, humores inverti & jam *Inteſtina* verſus, eorum fieri inclinationem. Quo circa, primum huc incubui, ut fæcibus, quibus ipſa premerentur, & tanquam retinaculis eo loci detineretur *Arthritis Inteſtina* quam citiſſime liberarentur; ideoque *Pil.* ex Calom. Ref. Jal. Extr. Euſtachiano* dedi; quibus ſatis ex voto dejecit æger impura, bilioſa. Purgationem e veſtigio ſecuta eſt a *Vomitu*, *Colica*, & oppreſſione dicta immunitas; ut etiam in extremis partibus *Arthritis*. Hujus promovendæ gratia *Guttæ*, quæ ab Inventore nuncupantur, *Godardianæ*, & *Alcohol Martis*, bis in die ſumpta ſunt. Ita naturæ ferebatur auxilium, aptum quidem, & ejus agendi modo accommodatum: recte enim doluit, & δ'καίρως, ægrotans. Quid enim ſeptuagenario, morbis & ætate confecto, poterat accidere fortunatius? Cum *Arthritide* redux eſt & ſalivatio, & pedum tumor.

Nihil hujus *Arthritidos* in *Colicam* metamorphoſi manifeſtius; nihil hujus *Colicæ* ad *Arthritidem* unctione deſiderabilius.

HISTORIA VII.

Colica *multarum Hebdomadum* Arthritida, *eadem Methodo curatæ.*

SExagenarius quidam, ingenio a natura ſubtili, rebus agendis elaborato, *Arthritide*, ſemel bis anno conſtanter reduce, per decennium afflictatus eſt: quo quidem tempore nonnunquam catharro, fauces invadente, & in tumorem eas elevante ſæpe correptus eſt. Huic catharro ſe adjunxit, & quaſi latus clauſit, febricula quædam; itaque *Anginæ* ſpeciem præ ſe tulit. Poſt dies aliquot, huic affectui ſupervenerunt indicia *Podagræ*: digiti nimirum majoris articuli primi dolor, tumor, ardor: & plane indicarunt iſtum ſive catarrhum, ſive *Anginam* eſſe omnino *Arthriticam*; & *Arthritidem* hoc modo deviam, abnormem, *Anomalam*, demum in rectam conformem, idoneam migrare.

Cum hujuſmodi *Anomalias* iterum & ſæpius eſt pertæſus, anno MDCCII. propter uſum pomacei tenuis, acidique, immoderatum, incidit in *Colicam*, dolore non tam acerbo, quam pertinaci, & conſtanti comitatam; umbilici regionem, ſive potius illius portionem tantillulam indefinenter aggravantem. Ab hac *Colica* ſpiritus animales multum & oppreſſi ſunt. Crebra hinc ſuſpiria, magna animi dejectio, magna corporis dibilitas, Στρόφος auxit frigidorum uſus imperitus, improſperus; cardiacis potius, & calidis evincendo. Dum ex *Colica* decedit æger, in articulis externis emicuit *Arthritis*; ſed quæ, brevi intus ſe propipiens, vana ſpe decepit ejulantem.

Quando *Colica*, binos circiter menſes ægrotaverat, & quidem adeo graviter, ut pejori loco res eſſe vix potuerat: id egi ſedulo, ut quicquid alieni, quicquid cholerici (quo maxime ſe gravari renunciavit æger) ductu alimentari incluſum eſſet, quam citiſſime per anum ejiceretur: ea ſcilicet opinione fretus (quod ante dictum eſt) vanam & fruſtra *Arthritidos* regularis in artubus excitandæ, ſpem & expectationem fore omnem; quandiu *Inteſtina* fuerint immunda, fæcibuſque onerata. Quocirca præmiſſo, qui humorem evacuandum molliret, paratumque redderet exilio *Pulvere Alcaliſato*, mane multo *Extracti Euſtach.* ʒſs. *cum Aq. Cin. hord.* ʒii. *El. Salutis* ʒſs. *propinavi*. Inanitis ex ſententia viſceribus, iiſque, quæ viam obſtruerent, amotis, ipſum curationis apicem attentavi; nempe ut *Arthritidis* materiam ab *inteſtinis* eruerem, & in artus propellerem. Quem in finem, omni mane, *infuſi cochl.* v. cum *Tinct. Martis gutt.* xv. aſſumenda dedi.

℞. *Raſ. Gent.* ʒv. *Cacum. Abſ. Rom.* ʒii. *Cubeb.* ʒi. *coccinell.* ℈i. *infunde in Vini Xerani* ℔ii. *ad idoneam alterationem; tunc fiat Colatura Hora quarta pom. Bolum, ex Pul. Rad. Ari C.* ℈i. *Alcohol. Martis, Conſ. Abſ. R. Cort. exterioris Aurant. Cond. ana* ℈ſs. *Spec. Diatr. Piper. gr.* iv. *Syr. zz. q. ſ. Hora ſomni Bolum, ex Theriac. Andromach.* ℈i. *Alcohol M.* ℈ſs. *Pul. Cantiani* ʒſs. *Conſ. Alb. q. ſ. Porro Vini rubri Luſitanici, meo hortatu,* ℔i. *quotidie potavit, Carnibus* δ'πέπτοις, δ'χύμοις, *eſt nutritus.*

Ne multis hac & hujuſmodi medicina, diligente adhibita, dolor factus eſt *Articularis:* levatus is *Inteſtinorum*, & cum fere conclamatum eſſet, ægroti vita & ſalus in tuto poſita quibus, etiam nunc poſt quadriennium, illum uti, frui, nuper accepimus.

HISTORIA V.

Colica Arthritica, *Vomitu*, *Purgatione*, Ποδαγραγωγοῖς *extra missō Miasmate*, *sublata*.

ÆTate nostra Fullo *Exonienſis*, patre ortus *Arthritico*, etiamsi adolescentiam vix egressus sæpe doluerat. Erat hujus viri *Arthritis* nunc *Anomala*, fauces invadens, (de qua alibi sermonem faciemus;) magna vero ex parte *Regularis*. Exeunte anno MDCCI. pedem occupaverat; per tridui spatium tenuerat; cum, sine ulla ἐκ τῶν ἔξωθεν προσπιπτόντων evidenti causa, abscissam excepit nausea, & dolor *Intestinorum*, una cum anxietate animi, & pectoris gravitate.

Contra hunc affectum, *Manna & Salem Catharticum*, *Aqua Alsordensi* soluta hausit; ea spe & opinione, ut humores alienos, dolorem excitantes, per anum eluendo, restitueretur. Eventus opinioni non respondit. Quare arcessitus, *Ventriculum* eriam quod a vomendi cupiditate palam erat, opprimi; neque nisi eo, per *Emeticum* prius purgato, colicam levari posse, monebam. Epoto *Cardui decocto* (fuit enim Δ'ειμὴς) bilioſa multa ejecit. Eo vespere *Pul. Gasconic.* & *Theriac. Androm. ana* ℥ß. demisit, cum julapii hausiu cardiaci. Posteto mane *Podagra*, pedis sinistri convexum, marginemque exteriorem invasit. Ex quo statim *Ventriculo*, & iis quæ intus sunt, bene. Dolor, anxietas, pectoris gravitas sublata sunt. Ut autem opus, tam feliciter inchoatum, medicina perficerem, *Chal. Nutriti* ϑß. *Pul. Gascon. Conf. Flor. Salviæ ana* ϑj. *cum Syr. Garyophyl. q.s. ut f. Bolus*, bis in die, cum Jul. hausiu propinavi: æger hac methodo commodissime doluit, morbo gravissimo levatus est.

Arthritis ista primo *Regularis*, cruditatum, quæ in *Visceribus* constructæ & coacervatæ fuerant, illecebris attracta, *Colicam* facit *Arthriticam*; iis vero per catharsin expulsis, naturæ, & partim medicinæ viribus effectum est, ut in *Arthritida* regularem illa denuo remigret.

HISTORIA VI.

Colica, *una cum Capite aggravato*, Arthritica *plus semel allevata*.

I*Scanus* artifex, ætatis anno trigesimo quarto, laboravit tertia jam vice pedibus, posthæc humero, cubito, carpo, per quadriennium, bis vel ter in annum: diversas *Arthritide* commissuras attingente, pervagante; nunquam autem diu affligente. Mense Decembri MDCCI. pedum iste vir dolorem habuit, sed brevem, neque ultra biduum manentem. Abscissum eum excepit distentio *Ventriculi*, cibi fastidium; dyspepsia, vomitus, στρόφοι, vermiculatio *Intestinorum*, & diarrhœa; quam insecuta est suffocatio, tanquam hysterica; & a flatibus, κατὰ συμπάθειαν, capitis affectus.

Ista quando jam tres circiter menses, eosque hyemales, pertulerat, ægrum visitavi; cumque humores in ductu alimentari præparantibus, & evacuantibus; materiam autem *Arthriticam*, ei adhærescentem, in artus expellentibus, curari illum oportere reperi, iis suo loco utrisque usus sum: diem nempe unum alterumque *Pul. e Chel. C. C.* quarta vel quinta quaque hora dedi; tunc catharticum e *Pil. Eustach. cum Calom.* dein, neglecto post catharsin paregorico, *Ferrum præparatum*, una cum *Pul.* prædicto; usque donec *Arthritis* ad τὰ ἔξωθεν expulsa fuit. Quod ut præstitum, confestim oculorum acies acuta facta, vigor restitutus: viscerum, & quæ intus sunt eorum omnium querelæ desierunt. Ita quidem ægrotanti opem tuli, simulque, per materiæ in artus expressionem, hunc affectum utiliter auferri posse perspexi.

Annus agebatur, aliter quam solebat, *Arthritide* regulari penitus immunis, cum Mense Aprili, MDCCIII. eundem hominem flatus, ructus, nausea, præcordiorum distentio, dolor *Interaneorum*, præcipue τὸν Ὀμφαλὸν, est adortus. Quibus sese comites adjunxerunt, ex necessitudine quadam, tanquam eadem stirpe oriundi, & Ὀμογενεῖς, oculorum languor, & capitis gravitas. Hisce omnibus ut earur obviam, primum venæ sectio, tum, per *Extract. Eustach. Syr. e Spina*, & *Elix. Salutis*, purgatio facta est; qua vincuntur imi ventris accidentia pleraque omnia. Posthæc *Pul. Gasconio*, *P. Rad. Ari C. Ol. Junip. & Cumini Chym. Ther. Androm. Chal. Nutrito*, *Infuso amaro*, & istiusmodi aliis, *Intestina* roborantibus, *Arthritidemque* expellentibus; una cum *Empl. Cephal.* parti sæpissime dolenti admoto, & *Decocto* interea *rubicundo* potui dato, affectui gravissimo penitus succutsum est.

HISTORIA VII.

Arthritis *Intestina atrocissime invadens*, *sæpissime expulsa*.

DIcam viri nobilis historiam, a me non uno nomine prædicandi, omnium utique cultu & honore percolendi. Erat ille parentibus *Arthriticis* procreatus, corporis habitudine tenera, spiritu animali emicaute & elastico donatus: Unde sæpe numero tum improviso ægrotavit; tum etiam citius spe, & contra expectationem convaluit. Amplo illi, & diviti male id obvenit, quod hæreditas, a longa majorum serie derivata, in tractu non nimium molli sita, aere frigido, & magnam anni partem immiti, perflata esset: quæ quidem cæli solique inclementia dolorem *Colicum*, atque adeo *Arthriticum* domino, una cum multis aliis, inferre censeretur.

Ver erat, anni MDCLXXXXIV. cum, nescio qua de causa, qui partes extremas solitus est excruciare dolor, eo jam cessante, intus incidit morbi vis, & sibi comitem adscivit pectoris gravitatem, tanquam ab onere impositō, permolestam. Erant tormenta *Interaneorum* peracuta, quæ ut allevarentur, *Catharticis*, si Diis placet, & *Opiatis* nimio plus elaboratum est. Nam ex nimia *Purgatione* spiritus (per se agiles, & volatiles) ita perturbati, agitati, & quidem ita profligati sunt; ut jam orbatum somno & quiete, ægrotantem, vertigine mulctatum, menteque captum, vires plane deficerent.

Hoc modo laborantem, rum primum arcessitus, invisi: cumque, ex totius morbi, maxime vero ex gravati pectoris consideratione, appareret, eum esse *Arthritidem Anomalam*, medicina auctam; ut omnibus ejus medendæ indicationibus simul semelque satis facerem, (id est, ut somnum conciliarem; ut vires reficerem; ut *Arthritidem*, ad τὰ ἔξωθεν, amolirer; itaque ægrum in tuto collocarem) *Pulveris Cantiani*, dosim majusculam, extemplo deglutiendam, eaque nocte repetendam, dedi. Ex animi sententia res successit; somno enim recreatum, & tanquam vitæ denuo restitutum ægrum quæ perpessus erat, eleganter enarrantem, mane postero audivi. Ut autem therapiam perficerem, & humorum mutata inclinatione materiam alienam artubus infligerem, *Ferri præparatum* adhibui; quod paucorum dierum spatio, eam validissime extrudendo, pectoris gravitatem, *Intestinorum* dolorem omnino omnem evicit.

Hæc erat hujusce mali therapia. Quandoquidem vero, in corpore delicato, multumque debilitato materia *Arthritica*, nunc a frigore externo repulsa, nunc a cruditatibus in *Ventriculo* & alimentari fistula contentis, intus allecta, *Colicam* hanc *Arthriticam* identidem revocaret; quibus eam auxiliis, qua methodo, quo demum eventu recurrentem oppugnavi, hisce paucis accipe.

Menses aliquot agebantur, læti quidem & dolore expertes; cum ex fructibus ὡραίοις aliisque pravis avide ingestis, & frigore eodem tempore contracto, redintegrata est *Colica*: Facta vero, per *Decoctum fol. Teæ* αὖω per catharticum mite, κάτω purgatione; datoque *Pulvere Testaceo*, & *Chalibe Arthritidem* expuli, regularem feci.

Cum alias in eodem ægrotante *Arthritidem* mero frigore repelli, & *Colicam* mentiri noverim; non nisi purgatis primum *Intestinis*, adhibitoque tum demum *Diaphoretico*, in fugam mitti illam, externa solum causa factum, experrus sum. Materiæ vero emittendæ nihil in hoc ægroto melius conducere, aut votis respondere magis potuerat, quam *Pulvis* ille prædictus, qui larga (ℨj.) dosi, & quidem crebro (tertia nempe quaque hora) demissus, dolori *Intestinorum* allevando, partium extremarum illi movendo augendoque maximi sæpe fuit momenti, & efficacitatis.

Cum vero alias hæc invaluit *Colica*, neque adversus eam *Vomitio*, *Purgatio*, *Pulveres Testacei*, ipsum *Martis Alcohol*, viribus junctis, vel nihilum profuere, ad *Bacchum*, miserorum præsidem & consolatorem, *Arthritidis* averruncum confugiens, ejus auxilio plane divino, materiam in artus commodum ablegavi.

Postremo addam, cum neque medicina, neque vinum huic ægroto, eadem *Colica* alias affecto, prodesset; languenti, & animam tantum non agenti; cum ruinosa conturbata, conclamata viderentur omnia, (quod quidem omnium expectationem vicit) opem ei, sed madido, sed bene poto, tulit *Phœnigmus*; articulis dolori suetis admotum, aliam fecit humorum inclinationem; ægrum manifestissime servavit remedium præsentissimum.

Ita quidem, multos annos Θεᾶ σὺν παλαίμα viro illustri medicinam feci; & tametsi, propter viscerum imbecillitatem, victus rationem non semper optimam; ne dicam ambulationem, equitationemque, quibus exercere se, & humores vitiosos extra pellere consuevit, intercisas; & prophylaxin omnem aut penitus omissam, aut indiligenter actam, *Intestinis* ii minima quavis de causa infunderetur: tamen ita factum est, ut in hujus *Colicæ* accessionibus, & creberrimis & difficillimis, æger semper relevaretur; & quidem eatenus, ut non nisi consumptis & exhaustis viribus, nulla vero *Arthritide* intus agente, supremum ille obiret diem.

HISTORIA VIII.

Colica Arthritica, *cum superveniente* Paralysi.

MOribus honestis & ingenio singulari vir *Arthritide* per viginti annos, autumno quoque altero, (is fuit illius hoc in ægroto typus) laboravit. Loci, quem invasit, diversitas ea fuit, ut nunc dexterum, nunc sinistrum, nunc uno eodemque tempore pedem utrumque, sed dexterum maxime lacesseret.

Excipiendum autem est, per hosce annos, quod typum ea semel atque iterum mutavit; quod autumno illo altero deficiens, insultum mense Februario fecit. Quibus vero autumnis intermisit *Arthritis*, iis semper ægrum adorta est *Epiphora*; qua ex oculis, per hebdomadas sex vel octo, serum acre & pungens emanavit; & quidem adeo perpetim & constanter, ut *Arthritis* vicem gerere, & ejus materiam secum ferre, non immerito crederetur.

Autumno Anni MDCCV. cum, in sanguine, & viscеribus, sordes & illuviem, otio & satietate, contraxerat, crassior & obesior eo factus, *Dolore Colico* corripiebatur; eoque, propter iter intempestivum, urgente frigore & imbribus, infirma valetudine susceptum, gravi demum molestoque cruciabatur. Interdum huic adjuncta est diarrhœa, qua cum alvus exonerata fuit, dolor remisit: ea vero sistente, recludit, una cum vomitione, nunc cholerica, nunc pituitosa. Ut utrique mederetur æger, clysteribus, emetico, & purgante usus est; ex eoque mala ad tempus allevata, brevi autem ex novo frigore recidiva.

Cum ad ægrum arcesserer, & præter jam dicta in morbi res minutas inquirerem; (tales initio judicantur eæ, quæ facta indagine ad explicandam morbi naturam interdum maxime conducunt:) præcipue, quæ *Arthritidos* esset conditio; quæque ad præsentem morbum ratio, quærenti patuit. Primum, *Dolorem Colicum* esse τὰ περὶ τὸν Ὀμφαλὸν afficientem, iis cohærentem, vento insuper *Intestinorum*, appetitu læso, oculorum languore, facile pallida, pulsu debili stipatum: tum paulo ante *Podagram* fuisse pedis primum unius, deinde alterius; nunc autem talum, nunc pollicis metacondylon; eam invadere, sed edentulam, neque satis crudelem: Deinde, ægrum tabescere; vires ejus enervatas, & (quod præcipue notandum erat) partes externas, non modo Διαπνοῆ, sed & calore sese privatas, ac si vitæ lampas extingueretur, multum frigescere.

Cum ista, maxime quatenus *Arthritida* respicerent, animo perpenderam, *Arthritidem* esse malum, ea quæ intus sunt, ingressam, & *Intestina* cruciantem, existimavi. Hoc in homine significavit *Arthritico Colica*, tam curatu difficilis; Hoc palam fecit ipsa tum temporis, etiamsi mitis, in artubus *Arthritis*.

Quare id conatus sum, ut e viscеribus hostis in artus exueteretur, & quidem iis, quæ sequuntur. Primo, *Catharsis* instituta est, per *Extr. Eustach.* ℥ß. *Scam. pul. gr. v. Balsf. Per. q.s.* eaque nocte *Paregoricum* cum *Bolo Cardiaco* datum est. Quando nausea alvi ductionem moneret, vomituque opus esse indicaret; *Emetico* levi, posseto nempe amaris alteraro, is peractus, ea sublata est.

Catharsi præmissa, *Arthritidi* protinus expellendæ memet accingo, compositionibus hisce usus.

℞. *Theriac. Androm. Diascord. ana* ℈i. *Diarrh. Flor. Salis Armon. ana* ℈ß. *Chal. Nutriti gutt.* v. *Ol. Cin. gutt.* i. *Syr. Garyoph. q. s. f. Bolus, nona vespertina, tertiaque matutina demittendus, cum Vini rubri Lusitanici tepefacti,* ℥iv.

℞. ZZ *in Indiis Cond. Diascord. ana* ℈i. *Pul. Cinnam. Virg.* ℈ß. *Chal. Nutrit. gr.* v. *Ol. e Sem. Anisi Ch. gutt.* i. *Pul. Macropip. gr.* iii. *Syr. Z. Z. q. s. f. Bolus, hora nona matutina, tertiaque pomeridiana cum eodem vehiculo sumendus. Porro, Nycthemeri spatio, epota alia Vini prædicti* ℔i. *Emplastrum ex diascord. & Emplast. Stom. mag. ana paribus mensuris, cum Picis Burg. q. s. Ventri impositum est.*

Horum usui, dies instar octo impenduntur: eoque factum est, ut pulsus, antea debilis & parvus, jam augeatur; & carni antea subfrigidæ, laudabilis & naturalis æstus concilietur.

Roborato itaque cruore, ad mutandam humorum inclinationem, eamque ad τὰ Ἄρθρα usque vertendam *Phœnigmum* utrique pedi calidissimum, eoque frigefacto, ad quatuor vel quinque vices, novum imperavi applicandum: posteaque malleolis ambobus *Vesicatorium*. Hinc acre serum ulcusculis elicitum; hinc *Podagra*; hinc *Gonagra*; & pro eorum ratione τῶν Ἐντοσθίων indolentia. Qua utique animadversa re, medicamenta, sed paulatim, minuimus; nunc eorum doses extenuando, nunc assumendi tempora extrahendo.

Interea vero, sorbitiones, *ex Jusculo Pullino, Avenaceo, ex Chocolata*, & ejusmodi cum tenuibus, tum *Analepticis*; sæpius in die, sed modice demirruntur. Carnes etiam εὐχυλοι καὶ εὔπεπτοι quam primum per stomachum liceat, apponuntur. Pedis sinistri calcem, dextri astragalum, utriusque hallum occupavit *Podagra*; rediit vero cum ea fames, & concoctio; rediit oculorum acies, animi alacritas; spirituum robur, & ovatio; aliaque vitæ & salutis indicia.

Cum ita res salva esse videretur & omnium opinione in portu navigaremus; alter ecce tutbo exoritur, quo in procellosum mare rursus abripimur.

Podagra, laudabilis & invidenda, (ad quam accessit *Chiragra*, ejusdem generis) æstu mordaci, cum stragulis æger coopertus incalesceret, eum noctu affecit, qui tamen per sudorem, brevi temporis spatio, magno cum ægri fructu, solitus est abire. Hujus æstus, rosionis hujus impatiens ille, ut eam vitaret, raro se in lectum commisit, cathedra totas fere noctes, hyeme frigidissima, consumpsit. Perspiratione multum hinc diminuta retunditur appetitus, brachia παραλυόνται &, nisi opportune miasma *Arthriticum* e corpore fuisset emissum, de ægro procul dubio actum esset, lecto ei denique affixo, diaphoreticis morum, aqua *Bathonienst* famem restitui. Post menses quinque tristes sane & dubios, summo vitæ periculo liberatus, æger, dicta methodo, (favente vere, Deo consilia nostra fortunante,) convaluit; excepto, quod digiti vehementer resoluti, quamvis iis multum profuit balneatio, ad consuetudinem suam autumno sequente, quo hæc scribo, minime redierant. Scripsit enim & quidem pristino charactere, lectuque facili; sed litteras vacillantes, neque semper ex æquo ductas: Cætera belle se habuit, &, quam morbo primum ineunte, longe melius.

CAPUT IV.

De Diarrhœa Arthritica.

Art. I. COlicam prædictam sequitur ejusdem numeri *Diarrhœa*; naturam habens, & curationem postulans, quodammodo privatam. Diximus, *Arthriticum* in sanguine miasma, ἀεὶ ῥύσμιον, fere perpetuo renovari, & certo quodam temporis spatio repullulare: Diximus, adauctum & evectum in *Intestina* sæpe mitti. Hisce positis, advertere licebit, nonnunquam pancreati & glandulis *Intestinorum fragiformibus* (a Clariss. (*a*) *Listero* primum, uti verisimile, detectis; a Clariss. (*b*) *Peyero* pleniss ime descriptis) illud infundi; atque hinc in cavum *Intestinorum* a natura pelli; & demum, urgente ejus acrimonia, spirituque animales stimulante crebris dejectiunculis e corpore exterminari.

II. Hanc autem *Diarrhœam* esse revera *Arthriticam* si symptomata, tum ea, quæ intercidunt, tum quæ alia ex aliis, insigni profecto ordine, emergunt, accurate, & suis ponderibus diligenter examinemus; per ea satis superque declaratum est. Quis enim, quotiescumque veteri *Arthritico*, mediis in doloribus versato ex causa aliqua evidenti, materiam in *Intestina* derivante, accipit *Diarrhœa*, eamque statim excipit doloris, & tumoris externi diminutio; postea vero libertas ab *Arthritide* diutior: quis, inquam, inficiabitur, hanc *Arthritidem*, initio rectam, *Intestina* jam petere perque alvum effugere, id est *Diarrhœam* illam esse *Arthriticam*?

Ita certe, *Arthritico* dolenti quæ hujusmodi obvenit, *Diarrhœa* est plane *Arthritica*: Quæ dolore communi contingit, & materiam, adhuc in sanguine latentem, sed in artus abituram, manifeste alio divertit, perque *Intestina* exprimit; quamvis argumento fortasse minori, certe tamen satis valido, & firmo, non alia, quam *Arthritica* est habenda.

III. Hic affectus, si consideremus ejus indolem, & causam continentem, est tantummodo unus; quippe qui *Arthritidos*, per *Intestinorum* cernicula, perque dejectiones, quam ex consuetudine, frequentiores, fugam comprehendat, oculisque semper objiciat. Si vero illius initia, sique exitus varios evolvamus, longe a se diversus est. Miasma in sanguine *Arthiticum* nunc a natura directe, & quidem eo nomine quod ingravescat, deorsum pellitur; atque istiusmodi fluor paroxismos interdum *Arthriticos* antevertens, salutaris esse reperitur. Expulso etenim inimico, clauduntur januæ, pax, & quies restituitur; viget œconomia. Hoc autem in corporibus εὐσπλάγχνοις, id est, fibris robustioribus, firmis spiritibus donatis. Sæpius autem multo, vel assumpto *Cathartico*, vel a cruditatibus, *Intestina* irritantibus, *Ventrem* aperientibus, miasma illud e sanguine elicitur, &, una cum illuvie *Intestinorum*, ano expellitur.

Hujusmodi *Diarrhœa* incerti admodum eventus est; si enim tempori cohibeatur, neque modum excedat, utilis sæpe invenitur; & quidem *Arthritidis* materiam, etiamsi via non usitatissima, tamen tuta emittere: Cui istuc consequens, quod paroxysmus non nisi diu post recurrit *Arthriticus*. At in iis, quorum *Viscera* satietate crapu-

Sydenham Opera Medica.

(*a*) Vide *Acta Philosophica* Londinensia *N.* 95.
(*b*) Vide Clariss. *Peyeri Pterga Anatomica.*

laque sunt debilitata, cum natura *Ventris* impetum comprimere, crisique legem imponere nequit; *Diarrhœa* nimium pertinaci, minimeque tolerabili, illa identidem opprimitur. Non tantum inimicus; verum etiam amici, spiritus scilicet ipsi, vigiles & præsides salutis, in exilium mittuntur: œconomiæ subversio est & plane πανολεθρία.

Hujus utriusque casus exempla mox in medium vocabo.

IV. Therapiam hisce casibus ut accommodem, in *Diarrhœa* ista *Arthritica*, quæ in sanguine initium habet, nihil inepta sedulitate stultius, dicam, an periculosius? quæ pharmacis perperam ingestis, naturæ opus sæpe interturbet, interdum abrumpat. Suo potius arbitrio ea, patiaris, agat; quodque intus læsurum erat, suo utiliter ingenio effundat; Si vero *Diarrhœa* nimium excurrat, viresque excedat, adstringentibus sistenda est; cardiacis æger roborandus. Sive per se desit *Diarrhœa*, sive per medicinam, ejus reliquiæ *Aquis Purgantibus*, *Tartaro laxante*, & *Manna* (si opus fuerit) adjectis, post tempus aliquod egerendæ sunt.

Sin a *Cathartico* accidat ista *Diarrhœa*, similiter, atque casu præcedenti, parum utilis medicina; de Ὑπερκαθάρσι, tantum cautio sit.

In *Diarrhœa Arthritica* cruditatibus exorta, quæ omnium mihi periculosissima videtur, alia res est: Hic, *Ventriculus* sæpissime aggravatur; ideoque, si ita sit, *Decocto Teæ*, vel *Cardui*, movendus. Postea, (sive vomitu neglecto,) venter leni *Cathartico* subducendus: tunc ad *Adstringentia*, & *Fluorem cohibentia* festinandum. *Bolus ex Diascord. Spec. Conf. de Hyac. Croco Martis astr. Terræ Japonica, Syr. de Ros. s.* quarra, quinta, vel sexta quaque hora demittatur, cum *Julapii Cretacei Haustu*. In *Alvum* detur *Enema*, ex *Vino Canarino, cum Gelatina Amyli, vel Diascordio Ventri* admoveantur *Lanea, Decoct. Rad. Bistort. Tormentill. Balaust.* &c. *Cervisia* generosiori facto immersa; & sæpius repetantur. Potioni sit *Infusum Ros. Rubr.* vel *Decoct. album*: Et ad vires instaurandas, *Vinum rubrum ustulatum*.

Si pulsus sinet, oprime conducet *Opiatum*, *Laudani* puta guttas aliquot, vel potius *Opii* quasi granum, cum *Theriac. Andromac.* ℥ß. ℈ii. dari.

Si periculum est, in *Dysenteriam* ne transeat *Diarrhœa*, sumatur *Emulsum* sequens.

℞. C. C. C. ℥ß. *G. Arab. Tragac. ana* ℥ii. *coq. in Aq. Oryzatæ tertiæ Decoctioni* ℔iii. *ad* ℔ii. *Colatura Amygd. d. cortice nudatis, & Sem. Pap. albi inter contundendum affundatur; iterum colata, Aqua Cin. fort. aromatizetur; Saccharo dulcetur.*

Quæcunque vero vomitum & purgationem excitent, ea non, nisi caute, in usum trahenda; ne quæ auxilio esse debuerant; ægroto imbecilli graviterque laboranti obsint. Quod quidem in monitis ideo præcipue a nobis positum est, quoniam hujusmodi laborantes, fluore multum enervati & depressi catharsi tolerandæ sæpe impares inveniantur: quo quidem in casu, *Cardiacis* & *Adstringentibus* solis utendum est.

Cujuscunque demum originis sit *Diarrhœa* prædicta, *Prophylaxis* optime per *Aquas ferratas*, & quidem jucundissime, patrata est: quibus addi potest, ut in artus eructatio fiat materiæ, e *Ferro præparatum* aliquod; omnium autem optimum id quod *Alcohol Martis* appellavi.

HISTORIA I.

Diarrhœa Arthritica *crebra & salutaris.*

MAtrona quædam, in regione civitatis septentrionali, multos annos *Arthritide* per vices ægrotavit; initio vaga, deinde fixa; nunc recta, & idonea, nunc anomala. Primum gutture, tum manu dolentem; *Angina* primum *Arthritica*, tum *Chiragra* laborantem, invasit aliquando *Diarrhœa*: de qua, ut illam supprimerem, cum arcesserer; ejus de vehementia frequentiaque percontanti, mihi narratum est, neque tam urgentem, ut quæ non possit tolerari; nec quidem aliam esse eam, quam quæ commode & utiliter possit; pariterque, alvo soluta, paroxysmumque finiente regularem, non sine ingenti fructu, ægram iterum & sæpius fuisse.

Quæ cum ita esse acceperim; vitatis hinc, quæ *Diarrhœam* intenderent; illinc autem maxime, quæ contraherent; in eo operam navavi, ut ægra mediocritatem, multo usu comprobatam, probatione multa commendatam teneret; ipsamque naturæ, Medicorum Principis in sanando methodum, omnino persequeretur. Nec quidem minus aliquid, imo majus eo factum esse arbitror; quam si inutili, ne dicam ancipiti plane, περιεργίᾳ, corrasis usquequaque medicamentis, multaque arte compositis, ægra, tanquam corbita, oneraretur.

Hoc autem, in tempestivæ illius negligentiæ laudem, addi insuper oportebit, quod, tametsi ægra sæpius ex eo tempore desedit *Arthritide*, eaque semper in *Diarrhœam* desinente, perque alvum exeunte; nihil illa damni propterea tulerit, lucri vero permultum. Cujus quidem rei causa nescio an ulla probabilior excogitari possit, quam quod ægra, spiritibus firmis, constantibus, ad munera sua obeunda paratissimis, (qui nempe tum malum civem prompte expellant, tum eo expulso foribus occludendi subito invigilent) donaretur. Rara autem hæc, *Arthritide* ἐν τοῖς Ἐντέροις ægrotantibus felicitas, quorum pars maxima, alvo vel liquida nimis, vel nimis dura, observatur. Ægra, post sex hebdomadas ab *Arthritide* triformi immunis, sanior & vegetior evasit.

Historia tradit, ex una eademque *Febre*, ad amoliendum miasma *Arthriticum* suscitata, diversis posse illud deponi locis, perque diversa excernicula proturbari; nempe per glandulas oris *Salivares*, per artuum *Mucilaginosas*, perque *Intestinorum Fragiformes*; &, cum *Arthritide* regulari, *Diarrhœam* esse posse simul *Arthriticam*, eamque salutarem.

HISTORIA II.

Diarrhœam *ex* Cathartico, Arthritica *opportune suppressa.*

ALiam novi generosam, lectissimam, cultu & honore profecto dignissimam; quæ, cum marito juncta esset *Arthritico*, ipsa etiam cito laborare cœpit. Cubiros, humeros, hos illos in manibus articulos habuit afflictos. In cubiti dextri extremitate rursus erat,

a durato ſteatomate, juglandi par: digitus ejuſdem manus longiſſimus, tofis diſtentus, motu privatus. Articulamenta, præcipue medium ejuſdem digiti infarctum. Malleolus item, pedis planta, calcis tendo, & genua laborarunt. Paroxyſmi ſolebant eſſe graviſſimi, dolore multo comitati; menſem integrum, interdum etiam alterum, permanentes.

Nuper autem, cum per hoſce ſex menſes urgeret ægrotatio quædam, torpor videlicet, inertia, una cum vertigine, viſu oculi dextri imminuto, dolore ejus, ut & univerſi corporis externi moleſtiſſimo, appetitu depreſſo, (quæ quidem omnia, neque ſatis ſixe, neque ſatis recte *Arthritidos*, erant accidentia) ſumpto, neſcio cujus hortatu, cathartico, ſed neque eo fortiori, aut elaterio; vomitu illa, & *Diarrhœa* materiæ viridis præcipitante, corripiebatur; ſic ut ſex dierum ſpatio ſexageſies minimum dejiceret. Sordium hæc *Arthriticarum* erat per ventrem evacuatio copioſa, neque ex omni parte inepta. Nam ſymptomata hinc collapſa ſunt, & evanuere omnia. Digitorum tumores, ob *Arthritida* παροξυνθεσαν eo tempore magni, ſubſedere: quæque ab iſta *Diarrhœa* fluxerunt incommoda, lucro & compendio eam conſequenti, facile cedebant. Ab effuſis hiſce purgamentis, corpus liberum, & ad tempus aliquod incolume.

Hoc pene totum naturæ opus, unum artis erat, *Diarrhœa* nimium ne excurrat, curare, & ægræ vires ſuſtentare. Hoc ego propoſitum, hanc metam ſpectans, nihil aliud, quam aſtringens & cardiacum aliquid, præcepi: illud autem opportune adhibitum, languenti, debilitatæ, pulſum humilem & imbecillum habenti, alvum compreſſit, vires inſtauravit.

Habet exemplum *Arthritidos* (cathartico viam monſtrante) in fugam ſe per *Anum* conjicientis; *Diarrhœæ* habes *Arthriticæ* curationem.

HISTORIA III.

Arthritis *Vaga* Inteſtina *occupans*, *ſolo Externorum uſu evocata eſt*, & *Artubus affixa*.

Duodeviginti annorum adoleſcens, patre inde ab incunabulis *Arthritico* natus, artuum habuit dolores; a longo tempore vagos, &, ut amicorum opinio tulit, *Rheumaticos*; cum tumore albo, ſubmolli, articulorum intervalla ſæpiſſime, ipſos etiam articulos aliquando infeſtante. Sanguini, quem identidem & copioſe detraxi, cutis uſque craſſa & denſa, brevi ſemper innatavit. Ut ejus dyſcraſiam auferat, æſtate anni MDCCV. hortatu noſtro, varia periclitatus eſt æger; *Succum* nempe *Taraxaci & Cochleariæ depuratum*, *cum Hordei*, *Rad. Gram. C. Fœnic. d. Aſparagi Decocto*; *Cryſtallum item Minerale*, *Chalybeata*; *ſuoque loco Lacticinia*, & *Aq. Bathonienſes*. Ex quibus omnibus utilitates & fructus cœpit aliquando multos, obſervantiæ pares: intermiſit dictus ille *Rheumatiſmus*.

At poſt ſeſquiannum, cum æger ſanguinem, uti par erat, minime correxerat, *Inteſtinorum* tormina, cruciatus ſubiit immanes, *Diarrhœam* pertinacem, neque medicinæ facile ceſſuram: unde enervatus, multumque debilitatus æger, neque morbum diutius, neque remedia ferre poſſe videbatur; ſed in ipſa mortis propinquitate verſari.

In hoc ancipiti & pene deplorato ſtatu, morbi naturam plane *Arthriticam* animo advertens, methodo, quam in *Anthritide Inteſtinorum Anomala* interdum non infeliciter adhibueram, uti animus fuit. Neglectis ſcilicet medicamentis, quibus ore ſumendis impar erat ægrotus, externis incumbere. Ideoque iis utriuſque brachii locis, quos excruciare ſolita eſt *Arthritis*, e *Fermento veteri*, *&c. Phœnigmos* juſſi calidiſſimos applicari, & cum refrixerint iterari; donec oborti fuerint tumores, iis, qui a *Rheumatiſmo* credebantur eſſe perſimiles. Tumoribus his, ex voto factis, admovi epiſpaſtica: unde ichor, ad hebdomades aliquot, jugiter effluxit.

Quantum hinc utilitatis, quæ commoda, quam ſubita curatio, capi vix poteſt. Quo tumor eſt evectus pari certe cum eo paſſu ſublata tormina; ſuppreſſa *Diarrhœa*: quinimo novatur appetitus, reſtituuntur vires. Ægroti ſtatus, ſive viſcera, ſive artus ſpectemus, omni dolore paulo poſt immunis, quam per annos aliquot anteactos ſanior, & quidem multo jucundior evaſit.

En *Arthritidem*, artus pervagari ſolitam, *Inteſtinis* adhæreſcentem; cum torminibus, *Diarrhœam* inducentem, ſolo externorum uſu ad πὶ ἔξω θεν evocatam.

HISTORIA IV.

Cruditatibus exorta Diarrhœa Arthritica, *Medicinæ viribus inhibita*.

Vir ampliſſimus, antiqua *Damnonii* nobilitate natus, *Podagra* utroque ſtemmate derivata conflictatus, ejus impetum bis vel ter in annum conſtanter eſt perpeſſus. Ad hoſpitem tam certam, tam fidelem, pro utriuſque ingenio accipiendam, mundum ille *Arthriticum*, comptum adeo ac elegantem, in promptu, apparatum habuit, ut, e Ποδαγετώντων natione magna & lauta, raro ullus unquam magis.

Annos ille permultos hunc in modum (id eſt, duriter) exegit; cum ad tuendam concoctionem opera, diligentiaque, quam omni vere & autumno, per catharſin, &c. ponere ſolebat, penitus omiſſa, vitaque acta nimis ſedentaria; primum, plane conticuit *Arthritis*; neque more ſuo, in extremis partibus eluxit; mox, in *Ventriculo* & *Inteſtinis*, ſordium maſſa collecta, compreſſa eſt. Hinc Ἀνορεξία, ructus ſæpe impuri ſapor ingratus, a paſtu ventriculi gravitas, præcordiorum diſtentio; hinc oſcitatio creberrima (ſymptoma *Arthritidos*, in viſceribus latentis, huic ægroto familiare;) dolor a flatu lateralis, pungens: illarum videlicet impuritatum indicia. Hæc ſubſequitur *Diarrhœa*, qua tum illæ, tum quæ *Viſceribus* adhæſerunt *Arthriticæ*, per anum exprimuntur.

Cum autem iſta *Diarrhœa* neque naturæ rebus, nec ægroti votis reſponderet; per *Decoctum Teæ*, ventriculum; per *Rhabarb. Infuſum*, addito *Salutis Elixir*, *Interanea* purgavi; itaque facta, quanta opus erat, evacuatione, per *Diaſcordium*, per *Crocum Martis*, & ejuſmodi alia, *Ventrem* cohibui. Aqua, ſed cocta, & vino miſta, potui daretur; cibi, ſed ſolidi & intus manſuri, paululum caperetur, in præceptis poſui. Ut autem appetitum languentem, & proſtratum excitem, ut *Arthritica* ſanguinis recrementa ad πὶ ἔξω θεν propellam; & in artubus, uti moris erat, deponi faciam, *Aquas Bathonienſes omni mane hauriendas*, *Bolum e Pul. Rad. Ari C. Conc. flor. Salviæ*, *Chal. Nutrito*, *Syrupoque Garyoph. cum Vini hauſtu dimittendum*, *præcipio*: itaque in viam *Arthritida* reduxi; ægrum σὺν θεῷ reſtitui.

Diarrhœam, cruditatibus exortam, miaſma *Arthriticum* ad πὶ Ἔντερα invitantem, perque anum effundentem, arte curatam, exhibet hiſtoria.

HISTORIA V.

Diarrhœa Arthritica *lethalis*.

Dominus C. tum *Cereris*, tum *Bacchi* cultor egregius, *Arthritidem*, non uno nomine hæreditariam, malis moribus, victu autem inordinato maxime, auxit & exaſperavit. Ab ineunte pueritia minime temperatus, adoleſcentiam vix ingreſſus, cacochymiæ factus eſt *Arthriticæ* gurges, neque tam affectu iſto tentari, quam ab eo occupari diceretur; anni enim vix dimidium vacavit.

Cum ita materia gravaretur *Arthritica*, eaque de cauſa in ſtatu eſſet dubio; caſus intervenit, qui exitum ægrotanti fecit non minus ſeverum & triſtem, quam improviſum & inopinatum. Ea fuit tempeſtas, quæ fructibus ὡραίοις cœpit abundare: hos ita devoravit, præcipue (quod maxime appetiit) fragum; ut diu nihil aliud eſculenti capeſſiverit. Vini autem loco, quod τῶν ὡραίων frigidum mitigare debuerat, lac, vel aqua fontana erat, ſaccharo dulcata.

Gulæ tam inſolitæ poſt impenſam circiter hebdomadam, *Diarrhœa* immani æger eſt correptus; quæ non ſolum maſſam *Ventriculo* & *Inteſtinis* incluſam; verum etiam *Arthriticam*, in ſanguine contentam, & exilio paratam, ano ejicere jure merito cenſeatur. A dejectionibus ita crebris & immodicis, vires adeo proſtratæ ſunt & peſſumdatæ, ut ægri res (iis, quæ opportune data auxilio eſſe potuerant, neglectis,) ſtatim in pejus ire cernerentur. Primum enim, pulſu debili, deinde ſenſu communi vacillante; tum motibus convulſivis, & deliquiis atrociſſimis, & brevi tempore revertentibus eſt oppreſſus.

Ita quidem ægrotans, qui, dum *Arthritis* impetus fecerat idoneos, etſi vitam non beatiſſimam, at non temnendam, imo tutam egit; *Diarrhœa* (quam quidem ſolitariam, & *Arthritidi* minime conjunctam, tutius & melius, ſi non ἐκφόρως ſubire valuerat) hac exorta, illico una cum morbo, vitam effudit.

HISTORIA VI.

Aliud Exemplum Ægroti Diarrhœa Arthritica *occidentis*.

Huic conſimilis eſt hiſtoria viri, apud *Damnonios* olim notiſſimi; quæ, quantis in anguſtiis, qualique diſcrimine verſentur ii, qui fluore alvi laborant *Arthritici*, luculenter explicat. Fuit ille ætate integra laxo & obeſo corpore, alvo (quod habitioribus ſolemne) plerunque liquida. Inordinata victus ratione, quicquid occurrit avide ingerendo, vomitus aſſiduos, & *Diarrhœam* arceſſivit; quodque temere dimiſit, ſtatim ore, vel brevi temporis ſpatio ventre reddidit. Hoc etiam modo *Arthritidis* paroxyſmos quibus in ſingulos annos affici ſolebat, regularibus & idoneis, (ejus ſcilicet materiam ad *Inteſtina* ſolicitando, *Diarrhœa* fere perpetua per anum expellendo) ingruentes abſcidit, plus biennium aſpulerat; neque ad faſtidium aliquod notabile, & obſervatu dignum, unquam, eo tempore toto evehi permiſerat. Poſtratus appetitus ciborum omne genus faſtidium erat; caro abſumpta, cutis flacceſcens, languentes oculi, faciei macror, quaſi ab aurugine, flaveſcens, urina exigua, & colore rubro, ſuſpiria crebra, animi dejectio miſerabilis, pulſus debilis & celer, ſitis importuna. Quibus animadverſis, non hæc ab una *Inteſtinorum* imbecillitate (tametſi illam eſſe non negaverim,) aut natura quaſi confecta; ſed ab aggravata potius, & *Arthritide* αἱματάλως agente oppreſſa, oriri contendebam; ideoque *Arthritidem*, deviam & palantem, ad externas partes, ad artus expellendam. Cui quidem opinioni cum Medicus ægri ordinarius, & Συνεργάτης meus eſt aſtipulatus, primum ut ſordium maſſa, quæ *Ventriculo* oneroſa, *Arthritidem* eo loci detinere viſa eſt, dimoveretur, *Emeticum* dedi: *Decoctum* nempe *Cardui*, *cum Vino Luſitanico*, *propter Ægroti imbecillitatem*, *admiſto*. Phlegma ejectum eſt, cum ὀλφοείᾳ copioſum. Nullum eo veſpere paregoricum. Poſtremo mane, reſpiratio liberior, vigor oculorum vegetior, major animi alacritas, &, quod deſideratiſſimum, en etiam manus & pedis dolor, tumor, rubor *Arthriticus*: Qui, in ſtatu tam lubrico, ut augeatur, *Bolu ex Ther. Androm. Croco M. aſtring. Pul. a Chel. C. C. Syr. de Roſ. ſ. quarta quaque hora ſumitur*, *ſimul cum Vini rubri prædicti hauſtu*; *cui Tinct. Martis nutriti guit. xx. ſunt adjectæ*. *Sp. C. C. Succinatus ſubinde datur*, & *Potui Vinum Aqua Fontana cocta dilutum*. Quinimo, ut quem auſpicato nacti ſumus, eundem caute & diligenter locum tueamur, *Phœnigmos* (e *Seminibus Sinapios*, *Raſ. Raph. Sylv. aa. p. j. Fermenti vet. p.* iij. *Aceti vini albi q. ſ.*) tumoribus *Arthriticis* calidos admoveri, &, quam primum refrixerint, iterari præcipimus, donec in molem illi majores elevarentur. Aucta hoc modo utraque inflammatione, ad evocandum illius ferum, & materiam ſimul *Arthriticam Epiſpaſtica* ſuper eam impoſuimus, quibus ichoris falſi vitioſique libræ minimum duæ, ſpatio quatridui, ſunt elicitæ. Pallidior hinc paulatim urina, & ab *Arthritide* quies.

Finito paroxyſmo, ad inſtaurandam coctionem, & robur *Interaneorum* confirmandum, ſocia opera primo *Lene Catharticum*, deinde *Chal. Nutritum* adhibuimus. Diætam omnem quantitate & qualitate aptis accommodavimus.

Quamdiu κατὰ μέτρον egit, monitis & præceptis his obtemperatus æger, tulit obſervantiæ fructum. Cibum avide ſatis appetiit, tenuit, digeſſit; raro, neque niſi laudabiliter dejecit: integra & tuta videbantur omnia. Ante vero, quam vires, nupera tempeſtate labefactatas, reſarcire, valuerat, ſuo ſe iterum more gerens, & genio indulgens, *Diarrhœa* ſubito recidiva, motibus convulſivis, &c. ſtipata, paucarum horarum ſpatio eſt ſurreptus.

CA-

CAPUT V.

De Dysenteria Arthritica.

ART. I. QUæ tormina, qui *Intestinorum* cruciatus, graves utique & terribiles, ex *Arthritica* materia illorum tunicis impacta oriantur, in superioribus tractatum est. Tentemus ultra, &, utrum hæc tantummodo, an etiam alia; an his majora miseros mortales interdum non excrucient, & demum morti objiciant, serio expendamus. Quocirca, hoc Capite de *Dysenteria Arthritica*, & in sequenti de *Abscessu Intestinorum Arthritico* sermonem inferemus.

II. Et quidem hasce res inspicienti palam erit, acrem illam & virosam *Arthritidos* materiam, & causam continentem, qua dolores passim in corpore crudelissimi concitantur, qua membranæ vellicantur, & exulcerantur, qua ipsa interdum ossa corrumpuntur, & carie conficiuntur: *Intestina* etiam aliquando mordere: illius rosione perfodi, & exedi vasa eorum exilia: sicque fieri posse *Dysenteriam*, quam tradimus, *Arthriticam*. Verum, ut ab hujus morbi probabilitate, ad ejus ὑπαρξιν & experimenta medica transeam, re vera dari hunc affectum explorato constat. Ejus autem εἶδος ἢ ἴδιος, quantum expiscando consequi valeo, tale est.

III. Gracili & tenero corpore *Podagrosos Intestinis* præcipue teneris donatos, & δυσπάλαχνος aggreditur. Prærire solet dolor colicus, pariter *Arthriticus*: & cum crebris ejus accessionibus læsæ & corruptæ sunt *Intestinorum* tunicæ, debilitatæque flaccent eorum fibræ; miasma *Arthriticum*, causa aliqua externa illud intro pellente, vel intus posita eo alliciente, in arterias, (*Cœliacæ* nempe *Intestinalis* ramum, & utramque *Mesentericam*) *Intestina* irrigantes, ἀθρόως infunditur. Hinc dolor *Intestinorum* mordax, erodens, cum pulsu celeri, & febricula quadam. Si eodem tempore externis partibus *Arthritis* insit, celerrime omnis evanescit, ad τὰ Ἔντερα festinat. Vasis sanguine distentis, erosis, ruptis, in fistulam demum alimentarem is exstillat; qui, in ejus cavo collectus, alvo, & interdum ore ejicitur. Emissi quantitas sæpe unius libræ, aliquando binarum pondo. Qui tantum, & humoris tam commodi dispendium excipiunt languores, ab eo cavernæ *Interaneorum* commisso magni sunt; ab expresso, & e corpore expulso, majores. Collabuntur vires, artus frigescunt, frequens est deliquium, plane in dubio vita. Levantur ex hac evacuatione tormenta, &, si æger insultus vim & ferociam tolerare valeat, (*a*) quies sequitur, & a paroxysmi impetu *Arthritici* ad tempus aliquod induciæ. Materia modo jam dicto per *Intestina* exulante aliena, non iterabitur insultus, donec in sanguine nova condatur, & coacervetur; quam autem primum illud fiet, tam in artubus citissime, vel *Interaneis*, iterum expectandus erit.

IV. Observatu facile est, ingenio & natura quam singulari sit hic affectus, & a *Dysenteriis*, quotquot usquam inveniantur, aliis, quam diversus. Quod ut pro certo habeatur, animadvertendum (præter istam τῶν Ἐντέρων imbecillitatem, qua dirigitur sanguis, & in ea derivatur) ab una *Arthritidos* materia in sanguine contenta, affectum hunc, constanti norma & ratione manifesta, dependere: ab ea ebulliente, fieri: ab ea minuta, minui; neque nisi ab ea renovata, & in novum orgasmum excitante sanguinem, renovari: Quo quidem argumento, ad confirmandam morbi hujus Αἰτιολογίαν, nihil gravius, nihil, ut opinor, validius afferri potest.

V. Ad hujus morbi exitum, sive prognosin, ut descendam, non semper ille missione sanguinis contentus unica; verum, e contrario, insultus sæpe repetens, *Arthriticis* illos facit paroxysmis, si typos & utriusque frequentiam spectemus, respondentes & analogos. Ad hæc, vel prima vice, vel postea (secundum miasmatis *Arthritici* in sanguine incrementum) recurrens, quando videlicet miasma in tunicis *Intestinorum* adhæresci, aut affigitur, & eas suos more mordet inficitque nunc in ulcus *Intestinorum*, nunc in abscessum degenerat, itaque notas illis inurit tristissimas, morbos incutit ærumnosissimos.

VI. Profluente sanguine, commodissimum erit, ut æger conquiescat: ne, corpus nimium agitando; ne profluvium, supra quam ferri potest, intendendo, gravius ille luat: quare lecto, vel cathedræ se det, quam primum morbus ingruerit. Nefas autem habeatur ea, quæ, cardiacorum titulo, ubique ad manus sunt matronis, (quæque sua, modo oportune propinentur, non carent utilitate) sic ingerere; ut, sanguinem accendendo, noxam magis augeant, quam ægrum levent. Caute ista, neque largius adhibenda, quam ad spiritus reficiendos, & a deliquio sustinendos, opus esse invenietur. Contra, si profluvium Διαφορίαν excedat, *Laudano* illud comprimendum; ideoque linguæ super illinantur, ore teneantur illius guttæ aliquot, (quoniam demissæ vomitione reddi possint) donec cohibeatur. *Romanis* in curanda, quoties importuna fuit, *Dysenteria*, aquæ bene frigidæ, potio in (*b*) usu erat; quippe quæ astringat, vulnusque sanet: & a (*c*) recentioribus, unde confirmentur illius in sanando vires, preclara multa referuntur: quorum authoritati innixus, *Decoctum album*, *Dysenteria* hac afflictis, non sine fructu & emolumento, sæpius præcepi. Oportet autem modice, sed crebro, laborantem sorbere, & quidem eo, ad tempus aliquod, loco cibi potionisque omnis, solo uti.

Quibus curæ fuerit, ne *Intestina* nimium aperiantur, iis, etiam, ut ne astringantur nimium, aut præpropere claudantur, vitium nempe contrarium, est cavendum; &, si corpus astrictum, leniter est solvendum. Est enim illa *Dysenteria* omnino critica, ex alterutra parte, sive major, sive minor æquo, vitiosa; cum mediocris optima. Et virium contemplatione debita, mediocritas illa tum intelligenda, tum item obtinenda.

Post breve temporis spatium expelli solet inimicus, & jam tum pacari & deliniri sanguis: quod si aliter eveniat, & sanguis pertinacius descendat; quæ eum sistant, & vulnus contrahant, expediet dari *Tinct.* puta *Japonicam*, *Decoct. albo*, *vel Traumatico instillatam*; *Sydenham Opera Medica*.

(a) *Dysenteria* solvi posse *Arthritidem* notavit olim *Hippocrates*, hisce verbis. Γίνονται τούτοις (Ποδαγρικοῖσι) ἄριστα μὲν Δυσεντερίαι ἢν ἐπιγένωνται *Sanant hos* (*Podagrosos*) *optime* dysenteriæ, *si* successerint. Prædictorum lib. 2. Sect. xv.

(b) Vide *Synopsin Discursuum Magistri* Vander Heyden, *Impressum* Londini, *Anno* 1653. *pag.* 53. *& quæ sequuntur.*

(c) Vide *Celsum*, *Lib.* 3. *Cap.* xviii.

vel Balsamum Lucatelli, *cum Olibano*, *Mastiche*, *Sanguine Draconis*, *& Croco Martis astringentis*, *vel Bolo vera*, *forma Pilulari*; vel cum *Conf. Fr. Cynosbat. Rosar. rubr. per setaceum traject. Spec. Conf. de Hyacintho cum Syr. de Rosis siccis*, *forma Boli*, *ex eodem vehiculo*. *Tinctura Japonica*, solvendo *Terram* ejusdem nominis, sive *Gummi Catechu*, in spiritu vini rectificato, vitro probe clauso, igne arenæ conficitur. Lanea, decocto astringenti, cui adjectum est vinum rubrum, immersa, super ventrem imponantur.

Si prope anum vena dehiscat, ex *Gelatina amyli* vel ejusmodi Κολλωτικοῖς, *Hæmorrhagia* persistente, immittatur enema, & diutius retineatur. Interea vitentur, etsi astringant, acida; ne (propter eorum stimulum) major ex eorum usu damni metus sit, quam emolumenti spes. Cibus ex *Gelatina C. C. Eb. aut pedum Vetulinorum*: *ex Ovo tremulo & sorbili*; *ex Lacte*, *cum* oryza ei incocta; vel ex *Oryzæ Cremore*, & ejusmodi aliis, quæ simul nutriant, & incrassent, quæque vulnera conglutinent.

A therapia *Dysenteriæ*, proprie sic dictæ, hanc *Arthriticæ Dysenteriæ* therapeiam multum abludere, quilibet harum rerum vel imperitissimus videbit: quando ista purgationem, eamque interdum repetendam, enixe postularet, &, nisi illa esset, raro unquam perficeretur; hæc aut nunquam, aut certe perraro ventrem medicamentis solvi patietur.

Cum ad *Prophylaxin* accedas, nihil valentius, nihil ex omni parte fructuosius, quam *Aquæ Tunbrigenses*, sive *Bamtonenses*, vel istiusmodi ferratæ; quæ, satis diu rectèque potæ, *Intestinorum* adyta ingrediantur, vulnera persanent, ulceribus medeantur, fibras constringant, tunicas corroborent: hæ porro humorem vitiosum per renes efficacissime avertunt, itaque *Intestinæ* maximopere defendunt. Hisce vero, ad mutandam humorum inclinationem, & deducendam in artus *Arthritidem*, non incommode adjiciantur, cum astringentibus, e *Ferro* præparato.

HISTORIA I.

Tenesmum & Dysenteriam *inferens* Arthritis *omisso Externorum usu*, *lethalis*.

QUum rure Anno MDCC. mense Majo, forte agerem ad *Iscanum* ostium, me consuluit septuagenarius *Arthriticus*; qui ita sæpe doluit articulis, & quidem vere tum nuper elapso, ut in rem esse arbitremur. Sub initium Aprilis, nescio qua de causa evidenti, (nisi hoc in numero ponenda, propter res domesticas, quæ illum mire exercuere, animi perturbatio) derelictis artubus, ea, quæ intus sunt, invasit *Arthritis*. Fames, antea naturalis, ab eo tempore multum imminuta, fere nulla: animales spiritus humiles & depressi. Vidimus, at non sine commiseratione vidimus ægrum, in lecto jacentem, oculis concavis, & retractis, respiratione difficili, cibi omnis fastidio, nausea, ventriculi gravitate pene perpetua, Ἀργυτνίᾳ etiam afflictum.

Malis hisce, circa eorum initia, vires & incrementum dedit. *Lac Amygdalinum*, pessimum omnium eduliorum, & alia istiusmodi frigida. Hæc ille interdiu, noctu, demisit affatim; calida & cardiaca (ne videlicet dolorem moverent in articulis) cane pejus & angue, fugiens. Ab ipso victu confirmatum est cibi fastidium, cæterumque malorum agmen.

Puduit sane miserumque fuit ægroti, (hominis alias sapientis, & civili prudentia præclari) in tanti re momenti, in ipsius vitæ re, tam egregie hallucinati. Calidorum enim egentissimus, frigida calidis præposuit.

Malum indies aggravescens adduxit *Tenesmum*, & dein *Dysenteriam*: unde pejus omnia. Ut his occurrerem, primo *Theriac. Androm. & Diascord. ana* ʒß. *Julapii Cretacei haustu dedi*; *ex intervallis sæpius repetii*. *Potui dabatur ordinario Decoctum album*. Hinc alvus suppressa, dejectiones solidæ, & bene coloratæ.

Hasce vero inducias, quando parum fidas esse suspicarer; nisi etiam *Arthritis*, quæ τὰ Ἔντερα jam ipsis nutriculis aggravare visa est, πρὸς τὰ Ἄρθρα extruderetur; cum in fine *Podagragoga* interna (nempe *ex Rad. Serp. Virg. Pul. Cantiano*, *Lapide Contrayerva*, *Conf. Alk. Bolum*) præcepi, cum istiusmodi aliis. Quorum beneficio malleoli, & ad genu usque; carpi, & ad cubitum usque dolor, quaque ratione proportioneque doluerunt artus, liberata sunt *Intestina*. Erat autem adhuc pectus aggravatum; erat, tanquam a cingulo, strictum abdomen.

Ne vero hisce remediis, sanguinem exagitantibus, in ægroto *Dysenterico*, nimium insisterem; in *Arthritide* removenda, quantum operis maximum potueram, externis, *Arthritidem* educentibus, agere institui. Quocirca, pellem vervecinam, jam tum extractam, artubus applicari, in præceptis dedi.

Ille his gravatus, omnium, quæ dolorem excitarent, osor acerbissimus, eorum usum non admisit, non sine indignatione respuit; ut vel perire mallet, quam dolere. Neque salutis, neque ipsius vitæ consideratio, etiamsi ab amicis amantissime proposita, studiose commendata, ut animum mutaret, vel hilum fecit. Reroessit denuo *Arthritis*; & æger, viribus infractis, morbo dicam, an pertinacia? periit.

HISTORIA II.

Dysenteria Arthritica *in* Abscessum *migrans*.

DOctrinæ hujus Δυσεντερίας in superioribus traditæ, fidem conciliat agricola *Devonienses*, antiquis moribus, & malo tantum habitu infelix. Fuit ille tener, gracilis, visceribus imbecillis, *Arthritide* primo per multos annos idonea, tum αἰωμάλως *Intestina* simili frequentia impetente, aggravatus. Post αἰωμαλίας hujusmodi complures, (quibus sublevandis non incassum ei medicinam factitavi) per quas effectum est, ut ad *Intestina* citius & facilius diverteret *Arthritis*; tandem anno sæculi noviissimi postremo, exeunte vere, *Arthritide* omni jam diu vacans, novum in morem ægrotavit. Prægressa enim corporis plethora, vomitu sanguinis & *Dysenteria* corripiebatur, adeo vehementi, ut brevi spatio libræ aliquot sanguinis ore & alvo redderentur, & æger animam agere videretur.

His angustiis versato, *Bolum astringentem* (ex *Conf. Ros.* v. ℈i. *Pul. G. Arab.* ℈ß. *Sang. Drac. Boli veræ ana gr.* v. *Syr. de Cymphyt.*

phyt. q. ſ.) bis in die, cum *Julapii Cretacei Hauſtu ſumendum*, præcepi. Potui datum eſt *Decoctum Album*, & in cibum *Pedes Vitulini*. Ad ſanguinem vero quam citiſſime reprimendum & intra cancellos ſuo rerinendum, *Laudani* aliquot liquidi guttæ, bis tèr quaterve in die (modo poſtularet hæmorrhagia, & vires ægri paterentur) repetendæ. Id enim agendum arbitrabar, ut hæmorrhagiæ, quadam ex parte forſan neceſſariæ, & hinc ægroto ſalutari, modum ponerem, naturæ rebus convenientem; nec quidem alienum egi quandoquidem hac medendi via, ne lethalis iſta, ne injuria eſſet, proviſum eſt. Hiſce difficultatibus liberato (qua vulnus ſanaretur) *Tereb.* dedi *Vinetam*, forma pilulari, cum *Pul. Dialthææ*, bis in die ſumendam, &, quod ſuperbiberet, Julapium.

Quando vero poſthæc, propter reſtitutas ægri vires, ſanguinem inſtauratum, & *Arthritidem* interruptam, pulſu ille magno, cibi faſtidio, *Inteſtinorum* æſtu immodico, doloreque pungenti, cum aliis mali hujus reverſuri notis, urgeretur; brachio ſanguinem detraxi, orgaſmum ejus mitigavi; *Interaneis* proſpexi: utque pacem, quam eo nactus ſum modo, confirmarem, *Aquas Bamptonenſes*, vivas & de fonte, per menſem biberet, imperavi. Paruit æger, adjecitque cuilibet, aquarum ſelibræ, *Syr. Balſamici* ℥ß. & hora ſomni *Balſami Gilead.* ℥ß. ex ejuſdem *Syrupi* cochl. deglutiit. Recte bibendo, medicamenta recte ſumendo, rectèque vitam inſtituendo, quantos ille progreſſus fecit, vel hinc conjicere liceret, quod fame & concoctione domum rediit laudabili, vultuque bene colorato. Vitæ res & ſalutis cætera, qualis ſano, & incolumi ſolebat eſſe; &, quam dudum, multo integrior.

Nondum annus effluxit, cum *Arthritide* pertinacius ſilente, nec in artubus unquam quicquam moliente, materia vero ejus (uti licet opinari) in ſanguine congeſto, eadem fere, atque nuper, *Inteſtinorum* accidentia, materiam eo loci denuo coire, manifeſte oſtenderunt: quæ quidem mala, methodo pene eadem, qua prius, erant ſublata. Verum, ut tutelam ægro certam & diutinam præſtarem, eum hoc admonui, ut de plenitudine ſolicitum ſe haberet tanquam morbi hujus genitrice certiſſima, altrice paratiſſima.

Quæ cum ita præciperentur, vel ægti incuria, vel morbi magnitudine, & ad renaſcendum propenſione factum eſt; ut aliquoties, nec opinato, recurreret *Dyſenteria:* Cujus acceſſiones cum jam quatuor ant quinque eſſent, eæque omnes, ex intervallo anni quaſi dimidii; (quo temporis ſpatio novam *Arthritidis* materiam puliulare credibile eſt,) *Dyſenteria* tandem in *Abſceſſum* migravit, ſuo loco tractandum.

Obſervatu facile eſt, primum, ab hoc affectu, priſtinis in ventriculo & inteſtinis *Arthritidos Anomaliis* ſuccedenti, licere nobis opinari, earum locum illum tenere, & quaſi numerum explere: deinde quod cum omnes illæ *Anomaliæ* (qua in hac regione priſtinæ; qua novæ & *Dyſenteriæ*) rectos & idoneos *Arthritidos* paroxiſmos ſubſequantur, horum paroxyſmorum illæ vicem gerant: nihilque alium ſint, quam *Arthritis*, commiſſa *Inteſtinis*, & illac exulans: cujus quidem rei argumentum, idque noſtra ſententia firmum eſt; quo deſenuerit ægrum *Arthritis recta*, quo tempore, & qua portione occupavit eum *inverſa*, ſive *Anomala*; & quod *Arthritidi* rectæ, & *Anomalæ*, acceſſionum eſſent intervalla plane eadem; diſtantia par, quo nihil magis probare poteſt, affectus hoſce, (ſi tantummodo vultus eorum intueamur) varios & diverſos inter ſe, ab una eademque propagine derivari; eademque fieri materia, pari ſemper ratione nata, & quantum in ſe eſt, pari modo ſemper operante; ſed, propter aliquod ſibi externum, & locos novos ingrediente, & diverſo in iis modo agente.

Huc quodammodo referri poteſt *Dyſenteria*, quæ ad *Arthritidem* ex *Lue Venerea* generatam pertinet; cujus olim protulimus (*a*) exemplum, ſi placet, adeundum.

CAPUT VI.

De Abſceſſu *Inteſtinorum* Arthritico.

Art. I. ABſceſſus ſequitur *Inteſtinorum Arthriticus*; hic enim eſt naturæ ordo, quæ a *Dyſenteria* ad *Abſceſſum* migrare, ut ab *Hæmoptoe* ad *Phthiſin*; obſervatur. Alienum & viroſum, & ſanguinis ſinu expelli, partibus a corde remotis & debilibus immitti, tumoremque iis uſitato inferre, paſſim experientia confirmatum eſt; ad *abſceſſum* vero conficiendum proclive, & ſuapte ſponte pronum eſſe virus *Arthriticum*, vel eo conſtat, quod in artubus is identidem cernatur; eorum articulos, poſt duras & iteratas acceſſiones, quibus materiæ multum illiditur, aggravans & extendens; ſic, ut veteres *Arthriticos*, (quos omnium frequentiſſime morbus hic affligit) hac de cauſa claudos, eorumque pedes manus laqueis obvolutos ſæpe tueantur.

II. Virus illud, *Inteſtinis* a ſanguine commiſſum, in eorum tunicis nidulatur; fibras earum corrodit, exedit; ſpiritus iis incluſos extimulat, in ſpaſmos adigit. Hinc calor interdum acris, pungens, lancinans, quem ut deliniat, & humoris acrimoniam diluat natura, non alio modo, quam in apoſtemate gingivarum ex dolore dentium, vel alio quovis apoſtemate, ex aliena & virulenta materia, ſeri copiam ſuffundit: Ex his humoribus hoc in loco depoſitis, conflatur & efficitur *Abſceſſus*, qui, ſerius citiuſve, (pro ejus compoſitione, & calore innato, vel adventitio) maturatus, extenſa primum, mox rupta, vel aperta, qua includitur, pellicula, *Pus* evomit. Quod utique, ſi natura copioſe ejicitur, vel arte eximitur, ceteraque curatio recte procedit, ægroto commodum; proſcripto malo cive, conciliatur incolumitas; purgato ſanguine, ſalubritas: ſi vero latice nimis exiguo pus exprimitur, ægroto, propter retentum malum civem, difficultas; propter reliquias intus ſervatas, affectarum partium durities, & nonnunquam in gangrænam degeneratio.

III. Cauſæ hujus tumoris manifeſto binæ ſunt; quarum altera *Inteſtinorum Imbecillitas*, ſive Ἀτονία, quæ ad *Inteſtina* ſanguinem invitat; eumque (prout leges volunt *Hydraulicæ*) facit inclinare. Hanc autem eſſe, ipſa morbi natura arguit; evincit id, quod hominibus vel ab incunabulis, vel malis moribus Δυσπλάχνοις, hic affectus ſæpiſſime contingat. Altera, *Sanguinis Deputatio*, ſive miaſmatis *Arthritici* (ſecundum normam, a natura in alienis rebus exturbandis, obſervari ſolitam) expulſio: utque binæ iſtæ cauſæ ſe habent; & majores aut minores ſunt; *Abſceſſus* inde orti accidentia, mores, conditiones ſint, neceſſe eſt.

IV. Magnus hic *Inteſtinorum Abſceſſus* eſſe ſolet, duarum, trium aliquando librarum materiæ capax; contra, quam qui vulgo ſunt extremitatum: hi etenim fere parvi. Notandum etiam, nullam totius trunci partem magis, quam alimentariam fiſtulam, infeſtare: ut hæc illi regio gratiſſima; hæc ſedes (*b*) principalis eſſe cenſeatur. Tertium, addi poteſt, (quod huic noſtro *Abſceſſui*, pro ceteris ſive artuum *Arthriticis*, ſive totius corporis *Abſceſſibus primigeniis*, primum & peculiare) eſſe eum creberrime, paucis poſt menſibus, recidivum. Hæc autem omnia cauſis modo dictis, alteri nempe vel utrique potentiori, ſunt attribuenda.

Quo enim celerius *Arthriticum* miaſma in ſanguine denuo condatur; quo frequentius natura conditum expellere, & e ſanguine conetur in exilium ejicere; quo exulanti, & expulſo ei recipiendo, propter imbecillitatem, proniora ſint *Inteſtina*; eo hi illorum *Abſceſſus* majores; eo frequentiores, & qui repleantur aptiores ſint, neceſſe eſt.

V. Si in *Ano* fuerit *Abſceſſus*, eadem prope curatio, ac in *Abſceſſu Ani* primigenio. Si in *Oeſophago*, *Ventriculo*, vel *Inteſtinorum* aliquo; (quæ, extra ſenſum poſita, ortum, & incrementum, vix unquam manifeſtum eſſe ſinunt;) ante ruptam vomicam & pus evacuatum, ejus ſæpe nulla, ſive ægroto, ſive Medico, vel minima incidit ſuſpicio. *Abſceſſum* hiſce locis oriturum una, quantum video, prædicit *Vomitio Sanguinis*, ſive *Dyſenteria*, quæ appellatur *Arthritica*: qua prægreſſa, ejus prophylaxi magnopere ſtudendum: hæc enim adverſus *Vomitionem*, adverſus *Dyſenteriam*, adverſus *Abſceſſum*, erit utiliſſima.

Rupta autem vomica, in lectum ſe det ægrotans, vel minimum quieti, quoad poterit, indulgeat. Si copioſe nimis, ſupra vel intra, pus emiſſum fuerit, *Hypnotico* moderanda evacuatio, minime ſiſtenda, *Laudano* madefiant tempora, nares, lingua, donec cohibeatur, & ad Εὐφορίαν, ut ne videlicet eam excedat, redigatur. Puris autem diluendi, gradatim & partitis vicibus educendi, ulceriſque detergendi gratia, hujuſmodi *Apozematis*, quarta, quinta, vel ſexta quaque hora cyathus aſſumatur.

℞. *Hordei mundati* ℥ß. *Rad. Symphyt. maj.* ℥i. *Cacum. Betonicæ*, *Saniculæ ana* ℥ii. *Coq. in Aq. font.* ℔ii. *ad* ii. *Colaturæ adde Mellis Roſarum* ℥ii. *vel* iii. *ſ. Apozema.*

Julapium præſto ſit *Cardiacum*, aut *Vinum* aliquod generoſum; cujus, in languoribus ſummis, cochlearia aliquot hauriantur. Interea temporis (ut *Celſi* verbis utar) *Nihil facere oportet, quominus, quicquid eſt Puris, exeat.*

Cum vomitus, & diarrhœa, & puris evacuatio deſierint, ex uſu erit *Tereb.* a ℈ß. *ad* ℈i. *cum Ovi Vitelli pondere æquali temperatum*, vel *Balſ. Lucat.* ℈ß. *cum Myrrhæ pulv. q. ſ. in Pil. redact. bis in die, ex Apozematis hauſtu demitti.* Vitentur acida, vitentur acria, & quibus læſa pars exaſperetur, quibus noxa augeatur, omnia. Ipſorum *Cardiacorum* vitetur ea vis, quæ ſanguinem nimis exagitet, & e foribus jam apertis eum eliminent. *Eboris*, C. C. *Pedum Vitulinorum Gelatinis: Hordeaceis*, *Avenaceis*, *Pullinis*, *Ovinis*, *Vitulinis*, & ejuſmodi ſorbitionibus, veſcatur æger. Si alvus ſoluta nimis fuerit, potioni ſit *Decoctum album*: ſi dura nimis *Hydromel.*

Prophylaxis, ſive in *Ano*, ſive intus ſit *Abſceſſus*, *Aquis Diureticis* optime perficitur; quibus adjici poteſt *Sal* & *Crocus Martis*, *Myrrha*, *Terra Japonica*, *cum Syr. Sydon. forma Pilulari.* His enim partes vulneratæ debilitatæque contrahuntur, & defenduntur; quodque maximi eſt momenti, materia vitioſa per renes emittitur; unde viſceribus major, etſi non ubique certa, erit tutela. Conducet item *Venæ ſectio*, præſertim in corporibus plethoricis, ſique nihil repugnaverit. Conducet *Ambulatio*. *Pedum Fricatio*, & in aquam calidam immerſio: Purgatio fugienda.

VI. Unum huic Capiti, veluti coronida, ſubnectam. Veteres *Arthriticos* non tantummodo colica, aliiſque *Interaneorum* morbis, (ut ante dictum) verum etiam morbis *Ani Arthriticis* identidem affligi, nonnunquam miſere cruciari: maxime cum ætas exacta eſt, & vires jam imminutæ, ad miaſma in artus expellendum minime ſatisfaciant. Ea morbi mutatione, in *Ano* materia deponi *Arthritica*, in eam infundi videtur: cujus utique rei argumentum hoc eſt, quod quamdiu *Ani Abſceſſu*, *Fiſtula*, vel ejuſmodi morbo aliquo gravi afficiantur homines hi *Arthritici*, tam illi diu raro articulis ægrotent, ubi vero ea tollantur *Ani* vitia, recurrat *Arthritis*, (quod iterum & ſæpius obſervavi) in extremis partibus *regularibus*.

VII. Hæc, & hujuſmodi alia, cum ab *Arthritide* fiant in viſceribus, ſexcenta mala, videre licet, quam appoſite, quam bélle ſit a (*c*) *Luciano*, ex *Eraſmi Schmidii* verſione, de ea dictum.

HISTORIA I.

Abſceſſus Inteſtinorum Arthriticus *auſpicato ſanatus, recurrendo Lethalis.*

ABſceſſum in viſceribus, *Arthritica* fieri poſſe materia, probat agricola, prædio nudiuſtertius ſuburbano agens. Fuit ille corpore pertenui, Δύσπλαγχνος, annos *Arthritide* permultos, primum *Regulari* tantum, mox etiam *Anomala*, τὰ Ἔντόσθια premente, *Dyſenteriam* inferente cruciatus:

Dyſenterico ei medicinam, ex utriuſque noſtri ſententia, ite-

(*a*) Vide *Diſſertationem* de Arthritide Symptomatica, *Cap.* vii. *Hiſt.* iv.

(*b*) Vide *Celſi* Lib. v. cap. 28. §. 11.

(*c*) Σπλάγχνων δ' ἐπ' αὐτῷ φλόγιπυρον ἀρίχει κακὸν
Δίναισι φλογμῶν σάρκα πυρπολούμενον,
Οἵοῖα κρητὴρ μεσὸς Αἰτναίᾳ πυρὸς,
Ἢ Σικελὸς αὐλὼν ἁλιπόρῳ θλασφάγος,
Οὗπερ δυσεξελίκα κυματούμενος,
Σήραγξι πετρὸν σκολιὸς εἱλεῖτε κλυδών.

Viſceribuſque in ipſis ignitum diſcurrit Malum,
Verticibus Flammarum Carnem ignis more depaſcens;
Veluti crater plenus Ætnæi ignis,
Aut Siculus Canulis æquorei interſtitii,
Ubi confuſe fluctuans,
Ob fiſſuras petrarum, obliquus volvitur æſtus.

iterum ac sæpius feci; ductoque prognostico a vulneratis multumque læsis & debilitatis *Intestinis*, uti etiam ex eo, quod illam jam frequentaret *Arthritis*; de *Abscessu* ægrotantem, de eo, tanquam impendente & pertimescendo, monui. Nec quidem aliter evenit: namque elapso ab *Arthritidis* paroxysmo brevi spatio, cum jam repletum esset corpus, & dolerent *Intestina*, (quæ duo accessiones itidem *Dysentericas* solebant antecedere) materiam, rupto in *Intestinis Abscessu* purulentam αἰῶ τῷ κάτω reddidit. *Vomitum* & *Diarrhœam*, ut ne violenta nimium urgeret, *Laudano* compescui; eorum sævitiam mitigavi. Finita puris *Evacuatione*, *Bolum astringentem* (*ex Conf. Bos. rubr. Croco Martis*, &c.) *bis in die*, *Pil. Balsamicas*, *ex Bals. Lucat. Pul. C. C. C. hora somni demittendas*, *cum Julapii Hausto dedi*. Potui, quod dilueret puris acrimoniam, simulque reprimeret diarrhœam, *Decoct. Album tenue* dabatur, cibus e *Juscu-lis* & *Gelatinis*, erat *Analeptibus*. Porro, *Prophylaxeos* ergo, decem post diebus, omni mane, Aqq. *Bathonienſium* libii. paululum tepefactas, hausit; singulis selibris adjiciendo *Vini Canarini* cochl. unum alterumve. Per *Elect. Lenientis* dosin, uti opus fuit, assumptam, alvi prævenit tarditatem.

Caro, color, vires ab hac methodo augentur; sic, ut hyeme sequenti, menses inde post quatuor vel quinque, pedibus iterum doleret, & omni periculo liber esse prima facie videretur. Contra vero, ob ipsa hæc indicia salutis, (ita vulgo æstimantur) censenda erat hujusce ægri salus in dubio versari. Quandoquidem illa, tametsi quodam modo salutem, modo longe majori contrarium indicarent, & *Intestina* denuo gravari minarentur, de *Venæ sectione*, ut de *Intestinis* mihi curæ sat esse, deliberavi: vetuit corpus a natura tenerum: vetuit male constitutum: morbis mulctatum, atque adeo *Arthritidi* rectæ vix obeundæ par.

Anni circiter dimidium erat, cum recurrit acris ille & pungens *Intestinorum* dolor, novum materiæ coitum ostendens. Subsequitur, paucis post diebus, puris tenuioris subalbidique, ad tres minimum libras, paucarum horarum spatio, per os, per anum excretio. Vires ægri statim collabuntur, &, *Cardiacis* frustra, licet copiose datis, oppressis oculis obductum est Θανατοῖο μέλαν νέφος.

Notatu dignum erat, *Arthritidem* ex quo *Intestina* primum est aggressa, nova illa sede adeo delectari, ut intra triennium sexies eam inviseret; & toties vel *Dysenteriam*, vel *Abscessum* eo loci faceret: *Visceribus* scil. a natura imbecillibus, & morbi crebris insultibus enervatis, depositum, immo infusum erat, expulsioni jam tum idoneum, miasma *Arthriticum*. Sed neque præteriri illud oportebit, quod, qua proportione *Visceribus* inhæserit, ea usque *Arthritis* artubus pepercerit. Quinetiam observari potest, quod ab *Arthritidos* paroxysmis regularibus, per accessiones *Dysentericas* & *Abscessus* hosce *Intestinorum*, magna ex parte defenderetur æger: quandoquidem hisce crebro revertentibus, illi tum rariores, tum etiam mitiores invenirentur: ut, tum *Arthritidos*, tum *Dysenteriæ*, tum etiam *Abscessus* causam continentem & conjunctam, eandem prorsus, nonnunquam artus, alias *Intestina*, sed alio alioque modo infestantem, esse constet.

HISTORIA II.

Abscessus *Ani* Arthriticus *feliciter curatus*.

ANtistes nobilis, ingenio summe prædicando, nisi quod animi magnitudo superaret ingenium, *Arthritide* nativa, (ea prosperarum cum adversis, ea rerum humanarum mistura) quam & ipse minime tenuavit, est affectus. Diu ille, semel bis in anno, doluit; sed apte, sed utiliter, tandem *Ventriculum Intestina*, &, eorum extremitatem, *Anum*, a muneribus suis descisere compertum est, & novo more affici: hanc humoris nimium recipere, *Hæmorrhoides* extrudere; illam cibum minus recte conficere; istum minus appetere. Hæc autem mala, sive naturæ per se deficientis & debilitatæ, sive *Arthritidos* inversæ signa erant, (cum *Interanea* multum iis enervari confitendum est) rectæ & externæ *Arthritidi* intus vocandæ, non parum contulere.

Hujus procatarseos maleficio factum est, quod, ex errato in re diætetica commisso, materia, (quæ digitos etiam tum extendit, quæ in tumores idoneos elevavit,) *Arthritica*, intro invitata, *Ano* impacta, *Abscessum* in ea faceret. Primum, ossis coccygos regionem, mense Decembr. Anno 1692. invasit: inde per dies aliquot dolor, & totam pene hebdomadam Ἀρθρῖτις vena, Medici consilio, pertusa est. Nihilominus increvit tumor; dextram, sinistram, partes circa *Anum* omnes comprehendentes, & ad suppurationem tendens. Quo citius maturescat, ei *Cataplasma* admovetur. Horis post triginta sex, cum jam moveretur intus contentum, & fluctuaret pus, phlebotomo per *Jenkinsonium* nostrum est apertus: unde materiæ putridissimæ fœtidissimæque quasi libra effluxit; mundificantibus ab eo injectis detergitur sinus, fomentis roboratur.

Curatio perfecta, & absoluta esse visa est, cum exeunte Majo, *Arthritis*, quæ tum temporis in artubus emicuit, ob πρόφασιν nescio quam, ad *Ani* regionem, non ita pridem læsam, se proripuit, eamque magnopere corrupit. Pelle ovina, recens extracta, involvi pedes & abdomen ægrotantis, imperavi. Hinc suppuratio maturior, atque adeo celerrima, adjuvante *Ung. Basilic.* &c. per penicillum admoto, secto tumoris apice, puris altera quasi libra expressa est. Perjucundum erat notare, non tantum omnia, statim ab emisso pure, symptomata concidere; sed & appetitum, aliquandiu languentem, ex eo tempore vigere, latrare, & (quod eo amplius) ægrotantem comesa concoquere.

Quicquid hujusce mali reliquum erat, (hoc autem neque grave, neque longum,) id omne laboranti, non nimium morigero, deberi statuendum est; id etiam brevi sublatum. Nam sartus tectus evasit æger, neque, tametsi sæpe posthac *Arthritide*, hujusmodi unquam *Abscessu*, de integro laboravit.

En igitur *Ani Abscessum*, in quem, tanquam in sentinam, missa sunt *Arthritica* purgamenta: cujus rei notitia vel eo manifesta, quod ex *Abscessu* favetur artubus, neque iterum, dum nova in sanguine coacervata fuit materia, tantisper in eos sævitum.

HISTORIA III.

De Ani Arthritica, *propter Aleoticum*, Inflammatione, *cum instante* Gangræna.

MAtrona nobilis, sancta, venerabilis, ob causam alibi dicendam *Arthritica*, exeunte anno 1705. dolorem artuum, huc illuc vagum, & repentem habuit, articulos etiam aliquando, more solito, perstringentem. Sub isto rerum suarum statu, & conditione, *Tincturæ Sacræ* dosin, hortante quodam e vicinia sumpsit; heu! infausto omine, & irato *Æsculapio*: *Hæmorrhoidum* enim dolore alias afflicta, tantam earum injuriam, tam grave malum ex eo perrulit, quam quod gravissimum.

Magna vis humorum, qui in sanguine jam evecti & exilio parati erant, ut hac vel illac levi ex causa verterentur, *Aloetico* viam ostendente, ad *Anum* pulsa est, & eam distendi maximeque cruciari fecit.

Non ægræ profuit, quod e gallis, aliisque restringentibus, aqua ferrata incoctis, stuparum ope, *Fotus* adhiberetur; contra, malum ex hoc acerbius, ægram inveni, cruciatus inter & tormenta, misere oppressam. Per *Anum* humor nigerrimus, odore cadaveroso effluxit, & de *Gangræna* impendente me admonuit. Paulo post, in *Ani* margine rumore rupto, ram jugiter emanavit humor, ut de ægræ vita pene conclamatum esset, parum aberat, quin opprimeretur. Libræ minimum binæ effluxerunt, quibus nihil fœtidius, nihil graveolentius. Non nisi *Cardiacis* copiose creberrimeque datis, ægra sustentari potuerat, iisque mehercule vix quidem.

Sistente demum flumine, cisternam ejus immisso stylo exploravimus. Ab orificio, quod in dexteri podicis medio propter *Anum* erat, versus os *Coccygeum*, duas circiter uncias sinus intravit: altera vero parte, prope *Intestinum Rectum*, eique parallelus, circa quinque uncias. Tanta vero ejus latitudo, quanta humori contento responderet. Præterea, caro prope orificium ad drachmæ spatium livida, sensuque valde obtuso, νέκρωσιν in propinquo esse manifestavit.

Ut autem ea prohibeatur, eodem tempore sistatur humor, nimium profusus, per *Injectiones* aptas, aliaque topica, Chirurgis adhibita; provisum est: *Turundæ* immissæ sunt, paulatim breviores; & demum, mensis usque spatium, ne nimis cito occludatur, tanquam fonticuli, os apertum est: postea feliciter recluſum. Ex morbo gravi, & prorsus ancipiti, convaluit ægra, & partum intra breve spatium gessit.

Commonet exemplum, in corpore *Arthritico*, materia ad fugam prona saturato, quam dubia autem, imo quam periculo plena, maxime per *Aloetica*, purgatio.

CAPUT VII.

De Melancholia Arthritica.

Art. I. POst *Ventriculi* & *Intestinorum* affectus *Arthriticos*, qui appellari possunt idiopathici, (de quibus supra disputavimus) ad eos jam deveniendum, qui locis sæpe remotis & distantibus, semper autem aliis, κατὰ συμπάθειαν, inesse deprehenduntur. Hi vero, tametsi plures, & quidem prima facie longe inter se diversi reperiuntur, (uti *Melancholia*, *Syncope*, *Cephalalgia*, *Vertigo*, *respirandi difficultas*, aliique permulti,) quando hoc conveniunt, quod ex causa *primis Viis* contenta omnes exoriantur; eaque sublata, auferantur; eorum curatio, maximam partem, ex prædictis elicienda est. Par autem unum, cæteris prælucens, nimirum *Melancholia* & *Syncope*;) cum utrumque ita interdum ingravescat, ut symptoma evadat φυγόν, & morbi rationem ambiat; hoc, & sequenti capite, speciatim exponetur.

II. Nullos æque lacessit hujusmodi *Melancholia* (ut de ea primo loquar) ac qui molles, teneri, delicati, animi præditi pusillo, vel alia aliqua inclinatione naturali, *Melancholiæ* sunt ab incunabilis addicti. Quandiu horum *Arthritis* paroxysmos agit regulares, & natura, visceribus parcendo, materiam in artus alienam exprimit, tam certe diu ægrotorum prospere res succedunt: & in paroxysmorum vacationibus cor illis lætum: vultus hilaris; sudum undique, & serenum est. Quoties autem hoc salutare opus, sive prorsus intercisum, sive remisse & oscitanter actum est; maxime, quoties *Ventriculo*, & *Intestinis* committitur materia; primum, appetitus, & concoctio depravata est: hinc eo loci massa, brevi spatio putrescens, & inepta, coacervatur: hinc flatus hypochondriacus, Βορβορυγμοί, præcordiorum distentio, & interdum dolor *Intestinorum* fere continuus: hinc illi, per consensum, cerebri & nervini generis affectus; illa Μικροψυχία, illa *Melancholia*. Turpis scil. illius massæ afflatu & contagione, deprimuntur spiritus, sensui jam motuique obeundo impares. Nihil isthoc hominum genere tristius, nihil infelicius. Neque somnum capessunt, neque cibum. Pœnitet, piget, pudet, ipsos vitæ suæ tædet. Quodque omnium gravissimum est, quæ, in summis calamitatibus, perfugio; quæ ægrotantibus, solatio; quæ *Arthriticis*, certissimo esse solet præsidio; hosce plane deficit spes.

Nullas unquam *Arthritidis Anomalias* hac nostra diuturniores inveni; nec quidem multas temere frequentiores. Nono vel decimo circiter ætatis lustro, ægrotantem aggreditur; & per reliquum vitæ (nisi medicinæ viribus depulsa fuerit) eum perraro deserit; quin ex intervallis, iisque crebro brevioribus, affligit. Est autem ad *Arthritidem*, in eodem corpore *Regularem*, (si ad eam comparetur) proportione, quæ dicitur *inversa*: quandoquidem, quo minor, quo rarior, quo mitior hæc: eo major, eo constantior, eo vehementior illa; & e contrario.

III. Quod autem ita sit diuturna, causam esse puto in præcedentibus enunciatam; *Dyspepsiam* nempe, & *Ventriculi* imbecillitatem: quæ, ut usitate materiam ad *Primas Vias* arthriticam invitare solet, crebramque facit (ut ostensum est) hujusmodi *Anomaliam*, ita quidem usitata major, (qualis his ægrotis est) tum invitat allicirque magis, tum etiam arctius complectitur, retinetque diuturnius.

Ne vero, cum *Arthritide Melancholica* idem hic affectus esse censeatur, advertere oportebit, illum esse *Melancholiam* puram, & exquisitam, in *Arthritida*: hunc *Arthritidem* similiter genuinam, in *Melancholiam* desinentem, eamque propria materia facientem.

IV. Requirit *Therapia*, ut morbo ægrum prementi, *Ventriculum* & *Intestina*, ἄνω (si opus fuerit) τῷ κάτω purgantibus, primum adversemur. Ista vero blandiora sint, necesse est; e *Decocto* puta *Fol. Teæ*, vel *Posseto Carduato*, *Vomitorium*; ex *Rhabarbaro*, *Pil. Tart. Bontii*, *Stom. cum G.* vel istiusmodi aliquo leniente, *Catharticum*. Statim a purgatione, eo nempe vesperi, omisso *Paregorico*, locum habeat *Cardiacum*; quod materiam visceribus adhærescentem ex-

tra popellat: posteaque, cum ad *Alterantia* descendens, ea quantirate propinentur, sed dosibus idoneis, quæ si nihil repugnaverit, intentioni therapeuticæ (i. e. materiæ *Arthriticæ*, a τοῖς ἔνδον educendæ, & in artus ablegandæ) satisfaciat.

Vult autem *Prophylaxis*, primum, ut *Aquis Diureticis*, recte diuque potis, e sanguine virus evehatur *Arthriticum*. Deinde, ut *Arthritis*, vere & autumno, altero nempe vel utroque, si per se quiescat, medicamentis ad eam finem datis, cieatur: regulares paroxysmos, suoque numero perfectos (quoties opus erit) edere cogatur: & ut alias coctionis summa teneatur ratio, in victu minime peccetur. Quare *Eccoproticum* frequenter adhiberi, putres sæpe extrudi reliquias oportebit; & in eum finem usui erunt *Pilulæ*, quibusdam in pretio habitæ, *Melancholicæ* ab *Exonienſibus* appellatæ.

℞. *Pil. Macri*, *Stom. cum G. ana* ℥iß.
Rudii ℥j.
Resi. Jal. ℥ß.
Ol. Cin. Chym. gutt. x.
Balſ. Per. q. ſ. f. Pil.

Dosis ℥ß. primo mane, omni mense, vel, eodem intervallo, sumatur *Tart. laxantis*, *& Mannæ ana* ℥ß. *ad* ℥j. *Aqq. purgant.* ßij. *soluta*. Omni vero purgationi prophylacticæ succedat, hora somni, *Paregoricum*. Prodest porro corporis exercitatio, præsertim equitatio. Quæ vero reliqua huic affectui medeantur, ex supra dictis hauriuntur.

HISTORIA I.

Melancholia *propter* Arthritidis *accessiones minus idoneas*.

TEmpus olim nobiscum homo traduxit alienigena, ingenio prorsus singulari: affectu *Hypochondriaco* non parum mulctatus. Ægritudini importunæ permolestæque ut occurreret, *Baccho* ille, non nimium modo, verum etiam intempestive (pernoctando scilicet) indulsit: quo quidem more, *Arthritidos* pernicioſissimæ, senectutis tristissimæ posuit fundamenta.

Adolescentiam vix egressus, *Arthritide*, malo hæreditario ægrotavit, quod *Melancholiam* vel primum intulit, vel magnopere auxit. Quandiu paroxysmos edere soleret *Arthritis*, ista regulares, (satis scil. magnos & frequentes) nihil illo homine mutabilius, aut sibi dissimilius; utpote lætitia nunc elato, mœstitia nunc depresso. Quoties enim paroxysmus aliquis finierat, cantu, jocis, salibus effundendis, carminibus aut pangendis, aut recitandis occupato eo, nihil usquam gentium festivius jucundiusve: quamprimum autem *Baccho*, *Cerere*, & ignavia, nova in sanguine cumularetur materia, & jam expulsioni parata esset, nihil illo tristius, lugubrinsve.

Nondum annos compleverat quadraginta, cum *Arthritis* rarius & remissius agere occœpit; & pro illius remissione, ægrotanti evenit male: nam *Melancholia* ingravescere reperta est, & quidem eatenus, ut in eam demum mutaretur *Arthritis*; quibus autem modis, & qua metamorphoseos ratione, (quippe ad explicandam *Melancholiæ* hujus *Arthriticæ* naturam cum primis faciens) narratu dignissimum.

Qua proportione paroxysmi, sive earum acrimoniam, sive frequentiam spectemus, cessavere; ea semper, rata perpetuaque, crevit Ἀνορεξία, ea Δυσφορία; ea, flatus immodici; ea, dolor & innumeræ *Ventriculi* querelæ; ea, *Melancholia*: ut materiam ad τὰ ἔξω *Arthriticam* minime propulsam, visceribus infundi, res sit evidentissima.

Chalybem ille, *Amara*, non unius generis *Cardiaca* initio commode; *Corticem*, cum *Vino*, omnium multo commodissime; postea vero frustra, ingessit. Validus a natura, & athleticus, morbo gravi & ærumnoso, animum cum corpore pessundanti, impar, ætate adhuc constante succubuit.

Victima nil miserantis Orci.

HISTORIA II.

Arthritis Melancholico *saluti*.

HOmo *Damnonius* per omnem primam juventutem coctionis pravitate, ventriculi a pastu distensione, flatu, capitis gravitate identidem afflictus, de majori malo adveniente monebatur. Annis aliquot post, exorta *Arthritis*, nunc uni eidemque articulo inhærens, nunc per artus erratica; semper autem regularis, & cum *Morbo Hypochondriaco* (uti cum *Polluce Castor*) vices habens alternatas. Quæ istorum affectuum Ἐπαλλαγία, communem utriusque materiam esse, nunc, quæ sunt intus, afficientem: nunc, quæ extra, corrodentem, ostendebat. Gravedo etiam, per hosce dies, humorem multum, & acrem, in vacationibus *Arthriticis* emittere, sicque capitis gravitatem minuere solebat.

Sub finem anni 1702. paroxysmi, qui lenes semper, & parvi reperiebantur, *Arthritici*, præter morem intermiserunt, neque jam per annum integrum emicuit *Arthritis* ulla, sive fixa, sive contraria: quanto vero ægroti cum discrimine, vel ex eo disci potest quod nausea frequens; quod appetitus exinde prostratus; quod coctio viriosa, neque nisi liquidorum ulla; quod flatus, ὦ ἄνω καὶ κάτω sæpe emissi; quod, eis aliquantisper retentis, auditus ad tempus aliquod omnino nullus; quod dolor lateris pungens; quod spirituum defectus miserabilis; quod marcor, quasi junctis undique copiis, ægrotum pene confecerent.

Considerata istius morbi natura, plane visa est *Arthritis*, quæ diu recte egisset; jam vero, brumæ vigente frigore, sanguinemque deprimente, intus in *Ventriculum*, &c. repelleretur, & dictam faceret *Melancholiam*.

Proposita medicinæ via, ut languentes spiritus suscitarem, ut inimicum ab intestinis dimoverem, & ad artus propellerem; eum aggredior. *Aquarum Ferratarum*, *quæ in propinquo erant*, *Tawtonenſium*, modice tepefactarum selibram, hora septima matutina, hauriendam; omnique horæ quadrante, ad horas usque duas repetendam; cuilibet vero selibræ *Sp. vol. ol. gtt.* x. *vel* xv. instillandas; nona sequenti, *Infusi Teæ*, *eadem Aqua comparati*, ℔ß. hora deinde post, *Infusi amari alterantis Cochl.* v. quarta pom. *Bolum Abſynthiatum*; hora somni, *Cardiacum* sequentem, cum Julapii, aut vini Xerensani haustu demittendum, imperavi.

℞. *Rad. Zedoar.* ℥ij. *Gentian.* ℥ß. *Cacum. Agrim.* ℥ij. *Coccinellæ* ℈j. *Cort. ext. Limon. Flor. Rorismar. ana* ℥j. *Infunde in Vini Xerensani* ℔ii. *ad idoneam alterationem; tunc coletur* in fusum.

℞. *Pul. Rad. Ari C.* ℥ß. *Conſ. Abſ. R.* ℈ß. *Syr. ZZ. ex Indiis q. ſ. f.* Bolus.

℞. *Pul. Gascon.* ℥ß. *Spec. Diambræ* ℈. *Syr. Garyph. q. s. f.* Bolus.

Carnibus δ' πέπτοις ἢ δ' χύμοις, pullina sc. vitulina, agnina, & ejusmodi aliis vesci; &, loco cerevisiæ, huic ægroto pestiferæ, aquam dari bibere prædictam, cum crusta panis incocta, *Xerano* demum addito, præscripsi. Utrique *Bolo*, paucis post diebus, nempe quamprimum *Martem* ferre valuerat teneritudo *Intestinorum*, adjecta sunt ejus *Nutriti* gr. v. primoque aqq. haustui, omni mane, *Tinct. Martis Feburianæ gtt.* xx.

Porro, ad caput per nares purgandum (quoniam hoc innuere visa est *Gravedo*) *Pulverem* adhibui *Sternutatorium*, sæpius in die usurpandum.

℞. *Caulium Tabacci* ℥j. *Cacum. Majoranæ*, *Rorismar. Salviæ ana* ℥ß. *Rad. Helleb. albi* ℈i. *Moschi* gr. ii. *e Siccatis f. Pulvis* Ἐρρίνος.

Ista medicina, vix credibile est, quam celerrime restituta, & quanta ægroto sanitas. Spiritus animales, ab assumpta aqua maxime, & quidem subito recreati: paulo post vigere cœpit, & deinde latrare, appetitus; partim medicamentis, partim victu, sed aqua potissime, vegetior factus, oculos homo sustulit, vultum explicavit. *Arthritide* recta, pedem alterum occupante, postmodum est tentatus. Maximi erat momenti dolor iste regularis; utpote qui materiam, relictis visceribus, πρὸς τὰ ἔξω arceri comprobavit. Medicina eadem, vel simili dies quadraginta usque continuata, menet *Exoniæ* visitavit; ex mœstissimo, & tristissimum in modum languente, in sanum & vividum, in lætum & alacrem mutatus. Ego ut morbi recurrentis metum adimerem, & in tuto rem omnem ponerem, ad dies adhuc viginti plures, medicinæ usum protuli. Quinimo, contra *Melancholiam*, aliaque *Ventriculi* & *Intestinorum* mala, ut in posterum se incolumem præstet; de *Arthritide* curet, exhortor, ut ea rectum, & idoneum, semel minimum anno, paroxysmum edat.

Historia narrat *Arthritidem*, intus ad *Ventriculum* & τὰ Ἐντίσια missam, ægrotum mirifice lædere; *Melancholia* gravi afficere; denum medicina ad τὰ ἔξωθεν auspicato pelli.

HISTORIA III.

Melancholiam, *& Hydropa* Arthriticum, *sanat arte comparata*, Arthritis *idonea*.

ALiud dicam *Melancholiæ* hujus *Arthriticæ* exemplum, nobile & inusitatum. Vir Reverendus, antiquis moribus, per ætatem mediam, nunc *Arthritide*, nunc *Melancholia* premebatur: hujus sc. accessionibus olim, ante annos viginti; illius nuper omisso tabacci usu, ante sexennium, ortis: hujus perpessu gravioribus; illius, tum minus molestis, tum etiam raris; at semper commodis, semper utilibus; siquidem *Melancholiam* illi ad tempus diutinum, ad annum quasi dimidium, semper abegerunt.

Sub finem anni 1702. post appetitum aliquandiu læsum, *Melancholia* ille multum angebatur; Μικροψυχία & depressione spirituum importunissima, incredibili stipata. Lamenta, querimonias, ejulatus die noctuque effundentem, tanquam ægrotorum post hominum memoriam afflictissimum, audivi. Mehercule! se arbitro, nemo unquam mortalium, nec quisquam gentium æque miser. Paulo post emicuit, qui sævitia longe *Melancholiam* excellere visus erat, tumor pedum; deinde femorum, profundas digitorum foveas accipiens; isque serosus, hydropicus. Umbilici regione exudavit, tanquam e colo, liquor. His accessit difficultas spirandi, debilitas universa, & δυσκινησία, brevi tempore, fere paralytica; sitis etiam insatiabilis, urina pauca, & lixiva, potionis nec quadrante plus: Ut, de ægroto plane conclamatum esse, non immerito omnium fere sermone percrebuerit opinio.

Quo affectui tam periculoso medicinam facerem, idcirco primum ex usu esse judicavi, seri vim minuere, hydragogis amandare; tum, quibus rebus possem, *Arthritidem* (quam horum omnium causam esse suspicabar) evocare, & τοῖς ἔξωθεν infigere. Hac proposita medendi lege, *Pil. Aloeticis* facta semel iterumqae purgatione, meo jure sic præscriptum est.

℞. *Rad. Gentian.* ℥i. *Infunde in Vini albi Lusitanici* ℔ii. *ad alterationem idoneam; Colaturæ adde Tinct. Aurant.* ℥ii. *misce. Dosis* ℥iii. *sexta quaque hora, cum seq.*

℞. *Sal. Martis*, *Chal. Nutriti*, *ana gr.* v. *Rul. Serpent. Virg.* ℈ß. *Syr. Abſinth. ſimp. q. ſ. f. Pil.*

℞. *Sp. Vol. Ol.* ℥iii. *Tinct. Stom. cum M.* ℥i. *misce sumat. gutt.* xxxx. *cum idoneo quovis vehiculo, bis in die. sæpiusve, ſi languores urgebunt.*

Quantum ægrotanti ab hac methodo utilitatis, opinione majus est. Quando per evacuantia, seri, quod nimium erat, vix dimidium expelleretur; ita quidem factum est, ut natura, per cathartica perque chalybem adjuta, tum in pedem *Materiam* extruderet *Arthriticam*; tum etiam serum per renes abundantem emitteret. Septem, octo dierum spatio usurpandis hisce *Pil.* dicato, pedis sinistri doluit malleolus, & digiti majoris articulus major ejusque orbis. Dolori paulo post succesit urinæ profluvium, tam juge, tamque copiosum, ut, diebus quinque vel sex, pedum, & femorum tumor omnis hydropicus, etiamsi immanis, auferetur; & simul cum tumore, parique proportione, sitis. Ex sententia succedere omnia. Alacrem, vividum, cibi appetentem, animo plenum denuo conspexi; vitam hodie quadriennio postquam ita fuit correptus, vivit; & quidem eam, quæ sola vita est vocanda: ut vel uno hoc exemplo demonstrari possit, quantum *Hydropa*, quantum *Melancholiam* faciat *Arthritis Anomala*, quantum etiam utrunque sanet *Regularis*.

Hactenus de *Melancholia Arthritica*; ad ejusdem originis, & naturæ *Syncopem*, accedo.

CA-

CAPUT VIII.

De Syncope Arthritica.

Art. I. ALius est affectus, ei, qui præcessit, sive causæ utriusque continentis & proximæ, sive κατὰ Συμπάθειαν ortus, habeatur ratio, congener & geminus; *Syncope* nimirum *Arthritica*, hunc in locum aptissime referenda.

Ante dictum est, *Arthritidem*, maxime in corporibus senecta, vel ebriositate læsis, & enervatis, *Ventriculum*, & *Intestina* minima quavis de causa petere. Quinetiam exploratum est in eas partes ingressam *Arthritida*, non semper *Anorexiam*, *Nauseam*, *Tormina*, *Diarrhœam*, & hujusmodi morbos ἰδιοπαθικὰς inferre, sed uti nonnunquam *Melancholiam*, (in superiori capite tractatam) ita etiam interdum *Syncopem*.

II. Compertum, inquam, est, a potione nimis frigida, & tenui, vel δυσπέπτῳ aliquo, ore sumpto, & *Ventriculum* aggravante, primum, universo corpori male esse; tunc paulatim os pallere, sudore frigido deinde cuticulam madere: pulsum imbecillem, modo nimis tardum, nunc inæqualem, reddi; interdum minui tantum, alias intermittere; solvi denique spiritus animales; sensum, motumque deficere; vitæ omnes corruere facultates: interea vero temporis, *Arthritidem*, (siqua forte in articulis, antequam hæc inciperet tragœdia, comparuit) desubito recedere. Ne multis, ægrum, nisi remedio quodam efficacissimo præsentissimoque, nisi Deo in vicinia mortis opem ferente, servatus fuerit, e vivis exturbari.

Hanc ego Συγκοπὴν, quatenus a miasmate *Arthritico* commissa est, *Arthriticam*; quatenus vero per omne corpus se diffundens, a causa (in *Ventriculo*, & τοῖς Ἐντέροις sita) longe posita elucet, κατὰ Συμπάθειαν natam appello.

III. Huic ut occurratur, ancipiti prorsus, & acuto morbo, nihil æque valere judico, ac, cardiacorum permagna dosi potentium adhibita, indicationem vitalem tueri; spiritus animales sistere, & instaurare; ut & alienum (si modo id fieri possit) ad τὰ ἔξω θεν arcere. Quo circa *Aquæ Hispanicæ* quantitatem amplam, in ægri rem, plus semel dedi bibere, proque re nata repetii. Ubi illa defuit, aliam, quæ sequitur, (quando medicamenta in forma liquida citius adjuvant, & propterea solidis anteponenda sunt) præscripsi.

℞. *Aq. Abs.* ℥xij.
Sp. Menthæ,
Tinct. Lavend. C. ana ℥ij.
Sacch. albiss. q. s. f. Julapium.

Dosis ℥ß. j. ad ii. ubi usus veniat, adhibenda; &, ut per usum videbitur, iteranda.

Cum dosi prima, vel secunda, si placet, demittatur *Bolus*, seu *Pulvis* sequens.

℞. *Theriac. Androm.* ℥ß.
Flor. Salis Armon. ℈ß.
Conf. Anthus ℈j.
Syr. Cort. Citreor. q. s. f. Boltus, *vel*
℞. *Pul. Serpent. Virg.* ℈ß.
Spect. Diambra ℈j. *ad* ℈iß.
Micropip. gr. iij. ijij. v.
Ol. Cin. Chym. gutt. j. f. Pulvis.

Pauperrimis, & indigentibus (uti etiam aliis, ubi medicamenta non ad manus erunt aptiora) *Spiritus Vini* detur ustulati quantitas ea, quæ proposito respondeat: vel *Aquis Cardiacis* superaddi possit, *Spiritus C. C. Succinatus*.

Cum hisce *Frictiones* simul adhibendæ sunt; & in *Vino*, vel *Spiritu Vini* calefacto, immersæ *Stupæ*, scrobiculo cordis, & toti abdomini applicandæ, crebroque removendæ sunt.

His, vel hujusmodi similibus, utendum eo usque, donec æger refectus, & (modo hoc effectum fieri potuerit,) in solido locatus fuerit: quod utique raro fit, priusquam *Arthritis* in articulos ablegata, & iis sit infixa.

Si a Δυσπέπτῳ aliquo temere comesto *Syncope* proficiscatur, & æger facile vomat, aut ad vomendum pronus sit; quamprimum ita factum sit, ad se ut paululum rediret, per *Decoctum Theæ*, vel *Cardui*, largiter exhaustum, alienum ejiciatur. Verum, si ad incitas ita redactus sit æger, ut moræ locus relinquatur omnino nullus; quin, ad salutem ægroti quicquid peragi possit uno id, necesse fuerit, eodemque tempore peragatur omne; hoc casu, inquam, *Vini* quantitas ebibatur ea, & quidem ea celeritate, quæ tum viribus redintegrandis, tum vomitui movendo satis esse reperiatur.

At si revertantur, & importunæ fuerint hujusmodi Συγκοπαὶ; ut iis initio statim occurratur, præsto sint oportet istiusmodi *Cardiaca*, prout facto opus erit, ingerenda. Quamquam enim sanis, integraque valetudine usis, nullum unquam potionis genus hisce *Cardiacis* (*Spiritibus* nempe, & *Aquis generosis*) pestilentius aut magis noxium, si in usum communem trahantur, excogitatum fuit; tamen *Arthriticis* veteribus, præcipue vino deditis, hisque *Lipothymiis* invadi solitis, nihil, quod sciam; utilius, salutariusve. Adeo, videlicet, quibus alii, certe permulti, rebus conficiuntur, & e vivis extruduntur, iisdem ipsis alii servantur, & multos annos, eorum beneficio, vivunt valentque. Hoc autem, uti re ipsa constat, animoque a me sincero, & in humanum genus benevolo dictum, boni velim consulatur; nec in pejorem partem, & sui peniciem a quoquam, tamquam ad malos mores licentia, rapiatur. Qui *Cardiacis* hac occasione nimio plus indulserit; qui etratum tam turpe, tam stultum erraverit, ipse viderit.

HISTORIA I.

Syncope Arthritica, *foras abacta hoste*, *curata*.

MOribus & ingenio præstantissima fœminarum, eadem fere de causa, quam in sequenti Historia repetam, se in vitæ periculum redegit. Diu enim *Arthritide*, culpa non ex sua, laborans, paroxysmo gravi, imo quidem omnium, quos unquam est perpessa, longe gravissimo, vix ad exitum perducto: aquam illa fontanam, & frigidam potavit, eoque forte largius, quoniam antea non solum impune, verum magno suo commodo fuerat aquæ potrix. At in rebus humanis, utramque facit paginam opportunitas: multumque refert, in iis agendis, quæ sint earum singulis accidentia.

Circa idem tempus (ut aliud esse solet ex alio malum, ἐπὶ δ' ἀλβεσιν ἄλγεα κεῖται,) cibo quodam inepto, & difficili comesto, mirum quantum ab eo in victu errato, & quam mox adductum est discrimen. *Ventriculo* primum ægrotavit, nausea & fastidio gravata: doluit deinde vehementer, tamquam spasmis arctissime contrahentibus. Orta tunc erat hysterica (talis esse videbatur) suffocatio. Erat vomitio, sed inanis. Sensuum, & virium erat diminutio. Dum ista fiunt, *Arthritis* (quæ in extremis partibus paroxysmum, aliquot jam per menses, exercuerat) illico regressa est, ad ea, quæ intus sunt, vocata.

Plumæ juxta comburuntur; ut nimirum spiritus animales, præpostere agentes, odore fœdo coerceant, instruantque; *Aqua* datur *Hispanica*, semel atque iterum, quanta nempe *Ventriculum* reficiat, & *Arthritidem* horsum adigendo, inque artus pellendo, ægram restituat. Trium; aut eo amplius, horarum spatio, *Syncope* remisit. Dolor in extremis partibus recruduit; ægra servata est.

HISTORIA II.

Ejusmodi alia.

NAvis olim Præfectus, neque *Veneris*, nec *Bacchi* cultor parcus, & infrequens, propter iniquam eorum observantiam, *Arthritide* mulctatus est. Graviter, & diu ille doluerat, cum forte fortuna simul in eadem domo essemus, & de Navarcho nostro, tanquam animam agente, ex improviso clamaretur. Ægrum advolavi; quid hoc clamoris, inquisivi; pulsum inveni languidum, imbecillem, rarum: qui solebat esse maximus, & durissimus. Os expalluit. Anhelitus sublimis, & cum intervallo longiori tractus. Corporis superficiem frigus sudorque occupavit. Sensus, motus, vires universæ sunt collapsæ, ipsiusque propemodum œconomiæ subversa ratio.

De mali causa interroganti declaratum est, ægrum, *Pedibus dolentem*, febricitantem, sitientemque fontanam paulo ante aquam hausisse frigidam, ad ejus quasi selibram; itaque sibi malum arcessivisse.

Aquæ Ego *Cardiacæ*, maximeque generosæ, dosin illico prælargam, cum *Sp. Vol. Oleos.* guttis aliquam multis, in os immisi; &, post tempus aliquod, cum *Theriac. Androm. & Pul. Gascon. ana* ℥ß. repetii, imo quidem *Haustum* tertia vice, spatio quodam interposito repetere, necessum habui. Ne plura, non nisi remediorum summe cardiacorum immensa vi restitutus est æger.

In eo vero restituendo, duo notatu digna erant. Primum, neque ea *Cardiaca* febrim; sed e diverso æstum modo benignum, sudorem blandum, & auspicatum inferre: Cujus id in causa esse videbatur, quod ægro mari versato, frigori assueto, *Cardiaca* minime nova esseht, & quod illius sanguis, *Arthritide* diuturna depressus, non cito incenderetur. Deinde, non multo post, quam in artubus calor redierat; quod *Dolor* redierit *articularis*, & cum eo incolumitas.

Habetis *Syncopem Arthriticam*; facultatum omnium perturbationem; animalis vitæ eclipsin; *Arthritide* revocata, & ad ea, quæ intus sunt, allecta factam. Habetis eam, *Arthritide* foras abacta, sublevatam.

HISTORIA III.

Arthritide *diu ignava & inerti generata*, Syncopi *illius Paroxysmo regulari sublata*.

VIr melancholicus, solers, ingeniosus, patre natus *Arthritico*, ætate progrediens ipse doluit *Arthritide*; sed ea, quæ segnis, & ignava, paucos habuerit paroxysmos; &, ex iis paucis idoneos & laudabiles certe pauciissimos. Hujusmodi anni prope viginti erant cum, ingravescente jam ætate, diu quieverat *Arthritis*, & in ista quiete quando fortuito accidit (tanquam πρόφασις, sive causa evidens) in potulentis erratum, æger ultra morem largiore vino menses aliquot usus, non ita diu post *Syncope* correptus est. Frigus occupavit artus; pallor faciem; spiritus animales perturbati, & depressi sunt; pulsus in carpo humilis, ictuque omni tertio intermittens. Nihil fuit propius, quam ut periret. Stupebant astantes, unde, & qua ex causa, malum tam grave, tamque repentinum oriretur.

De *Arthritide* interrogavi, quam illa pridem παροξυνθεῖσα esset; & quam perfecte. De insultu ejus tum raro, tum miti certior factus, operam dedi, ut per *Arthritidem* (quoad ejus fieri posset) in artus exturbatam, malo præsenti occurreretur. Quocirca, præter *Haustus Cardiacos*, *Spirituque* C. C. vim magnam, iterum atque sæpius datam, *Electuarii Arthritici* quasi ℥j. ter quater in die sumendam, imperavi: cumque horum, & *Pul. Gasconici* ope, fausto quidem omine, pes inciperet dolere; ut bene res feliciterque verteret, & inceptum promoveretur opus, *Alcohol. Martis* grana aliquot ex *Julapio* propinavi.

Nondum ejus scrupulum demisit æger cum paucis horis spatii tantus in sanguine factus est orgasmus, quantus observatione dignissimus. Pulsus illico celerior, elatior: æstus universalis, ingens: venarum hæmorrhoidum apertio: sanguinis eruptio, sitis immodica; spirituum agitatio vehementissima; quæque spes & ratio sanitatis erat, in pede sinistro digiti & articuli maximi tumor, ruborque orgasmum indicavit.

A quantitate *Martis*, utut valentissimi, tam exigua, tantas excitari turbas, equidem perrarum est. Cassum aliquod, & viribus spoliatum *Martem*, esse nostrum hoc illius præparatum, nemo prudens affirmabit; quando tam cardiaca, prius sumpta, tam longe virtutibus exuperet, tamque potenter *Podagram* expellat.

Ut autem humor evocetur, vel minimum in articulo retineatur, *Vesicatorium* alio alioque loco impositum est; loco autem affecto *Emplastrum*, *ex Picis Burgund. & Emp. Cephalici paribus mensuris*. Pedi vero toti, ex *Cerato viridi* cothurnus, fascia lanea constrictus.

Propediem humerum, usque sumptis ore *Cardiacis*, invasit *Arthritis*; ejus alliciendæ ergo, *Empl. e G. Caranna*, cum vestitu laneo, illi superpositum est. Horum, qua intus, qua extra, adhibitorum usus partim per *Podagram*, & Ὠμαγραν, partim per *Diaphoresin*, alienum amandatum & exemptum est, spirituque instaurati; &, quam vidi gravissima, multoque omnium atrocissima, *Syncope* levata est.

CA

CAPUT IX.

De Calculo Renum Arbritico.

Art. I. REnum ille *Calculus*, qui concretio eſt *Arthritica*, cum eorum calculo vulgari, tam per omnia concordat; ut, de eo verba hoc loco facere, ſupervacuum opinarer; niſi in ejus *Therapia*, & προφυλάξει; ne dicam *Hiſtoria*, quædam occurrerent, quorum conſideratio ſpecialis habenda.

De *Calculo* primum annotatu dignum eſt, cuiquam unquam morborum eum frequentius ſupervenire, quam *Arthritidi*: quod ut aliis in regionibus aliorum obſervatione palam factum, ita in *Damnonio* noſtra eſſe certo ſcio. Minime vero cogitandum eſt, *Arthritidi*, tametſi gravi vetuſtæque, calculum eſſe *Comitem individuum*; nec quidem *fere individuum*: quando *Arthritides* aliquas nunquam, aut certe raro, ille comitetur; (raro enim *Frigidam*, quæ dicitur, *Arthritida*; raro languentem, quæ tamen *Arthritidis*, late ſumptæ, partes utique permagnæ ſunt,) nec quidem ullas ſemper.

II. Qui a cunabulis ad effectuum horum alterum, maxime vero qui ad utrunque ſunt proclives; ipſa nonnunquam adoleſcentia *Calculo*, ne dicam citius, afficiuntur. Alias vero ita fere ſe res habet. Cum *Cereri*, & *Baccho* æger diu indulſit, tam mala vitæ ratione condi, & in ſanguine coacervari ſolet, aliena illi materia; quæ, naturæ moleſta, & inimica, partim per articulos, (unde *Morbus Articularis*) partim per *Renes*, una cum ſero, quod illi vehiculum eſſe videtur, amandata eſt. Ad ureterum autem initium adhæreſcens, in *Arenulas* eo loci primum coit, uti poſtmodum arenulæ in *Calculum*. Huic autem materiæ, in ſanguine cumulandæ, maxime conferre cenſeatur diæta, ſucco lapideſcente abundans, eumque ſanguini impertiens: confert etiam mala concoctio: vaſorum conferunt *Lacteorum* ora nimis aperta: ut & *Renum* a natura imbecillitas.

III. De *Calculi* humani, generatim accepti, productione, multa quidem, tum ex ejus analyſi chymica, tum etiam pondere *Specifico* proferuntur; quæ oſſibus magis, quam lapidibus, eum appropinquare annumerarique oportere, non parum arguunt. Hæc autem omnia non tam naturæ *Calculorum*, quam certis quibuſdam eorum accidentibus, præcipue craſſamentis, a ſanguine acceptis, quæ *Calculum* magna ex parte conflant & efficiunt, debentur. *Calculi* vero ipſa Γένεσις, ex particularum quarundam lapidearum, cum affine ſale, (calcarii nempe lapidis, cum ſale ſuo calcario; vel ocræ, cum ſale vetriolico) coitione fieri; iiſque ſanguinis craſſamenta, tanquam vinculis, connecti judicentur. Iſta vero quando non ſunt hujuſce inſtituti, & a clariſſimo *Liſtero* φυσικωτάτως & dilucide, ſunt tractata; ad eum lubens quidem lectorem remitto. (a)

IV. *Calculi* autem *Arthritici* partes, & compoſitionem, ſi attente inſpexerimus, eandem fere, quæ *Calculi* renum vulgaris, & *non Arthritici*, eſſe invenimus. Hæc autem res ex duobus *Lœvenhœckii* pronunciatis, elucebit. *Calculum* cremavit ille, crematoque adjecit aquam fontanam, idem fecit cum calcaria, & roſacea *Arthriticorum* materia. In his lixiviis, beneficio microſcopii, apparuit ſalinarum copia particularum plane ſimilium, rigidarum nempe, concretioni aptarum, diſſolutioni reſiſtentium. Jam vero, (ut, quod dixi, inferam) ſi *Calculus*, ex corpore non *Arthritico* extractus, adeo cum toto *Arthritico* conveniat; multo magis, qui eſt *Arthriticus*, cum utroque, cum *Calculo* præcipue, convenire judicetur. Hoc autem, utut primo aſpectu probabile, non tam argumentis, quam experimentis ſtatuendum, & definiendum.

V. *Calculi* jam facti, ſive *Arthriticus* fuerit, ſive non, ſymptomata prorſus eadem inveniuntur: at a vulgari *Arthriticus*, ea re potiſſime diſtinguendus; quod *Arthritidis* cum ſit Ἐπιθύμια naturam ejus participet, materiam amplectatur, & comprehendat. Ideoque, utrum æger in Ποδαγριώντων numero fuerit habendus, & a paroxyſmo quandiu vacaverit, diligenter inquirendum, ut de *Calculi* natura conſtet.

A *Colica* exquiſita differt, per ea, quæ *Calculum* exquiſitum ab illa differre faciant: A *Colica Arthritica*, quod nullam ſpirandi difficultatem, nullos in umbilici regione Στρόφους; ſed nempe melancholiam adeo triſtem, & urgentem, aut materiæ crudæ, acidæ, bilioſæve vomitum adeo conſtantem habeat.

VI. Medendi etiam intentiones eædem, ac in *Calculo* vulgari; at, quod in hoc noſtro momenti eſt præcipui, per auxilia quædam propria, per methodum particularem exequendæ. Nullus enim hic, aut certe perrarus, *Acidorum* uſus, quinetiam *Fotus*, *Linimenta*, *Cataplaſmata*, aliaque dorſo applicari ſolita, maxime ſi paroxyſmus ſimul *Arthriticus* erit, tanquam periculo plena, ſunt prætermittenda, frigida.

At ejus doloti, ſi cum artuum dolore concurrat, & intolerabilis fuerit, deliniendo conducunt *Paregorica*; & quidem maxime, ſi nulla ſanguinis detractione (quæ in *Calculo* alias utiliter præmitti ſolet; at in hoc noſtro, ad ea, quæ intus ſunt, vocare poſſit *Arthritida*; vel, ut ne exulet, inhibere) præmiſſa, ægroto propinentur. Illa vero *Paregoricorum* doſis, ejuſque repetitio optima; quæ dolori ſublevando ſatisfaciens, cerebro interea non obſuerit, neque materiam ei vitioſam impegerit.

Si, nullo *Arthritidis* comitante paroxyſmo, *Calculus* erit; alia rerum facies, aliaque medendi via eſt. Hic enim, in plethoricis, & multo ſanguine diſtentis, ad prohibendam *Inflammationem*, ſecetur vena: *Enema*, *ex Decocti com. & Ol. Amygd. d. rec. ana* ℔ß: *cum Tereb. Ven. Ovi Vitello ſolut.* ℥i. *injiciantur*. Poſtero die, *Electuario leniente*, *Pul. Rhab. & Syr. Violac. forma* Boli *commiſtis*, vel, *Juſculo Avenaceo*; *cum Foliis Sennæ incoctis*, *& Manna ſuperaddito*, *purgante*, venter aperiatur, eoque veſpere *Paregoricum*, (quale ſunt *Pil. Matthæi* grana totidem, quod opii granum continebunt unum) locum merebitur. Quinimo, ſi a *Calculo* dolor urgebit, ne inteſtina ſpaſmis contrahantur, ad hoſce præveniendos, & illum compeſcendum, horas aliquot ante purgans, ſumatur *Paregoricum*; ipſumque purgans, ſi juſto lenius fuerit, ſuo tempore ſequatur *Enema*.

His, ad dilatandas urinæ vias, actis, ad *Calculum* exprimendum uſui erit *Balſamum Gileadenſe*, *Chilienſe*, vel *Peruvianum*, ex *Syrupo Dialthææ*, vel *Balſamico* datum, & bis, ter, quaterve in die, repetitum.

(a) Vide *Diſſertationem Ejus Medicinalem*, *de Calculo Humano*, *& de Petrificatione*.

Syrupus Balſamicus, quem vidi, elegantiſſimus hoc modo præparatur.

℞. *Aq. Hordeat.* (*tertiæ Decoctionis*) *colatæ*, *& per ſubſidentiam clarificatæ*, ℔iii. *Balſam. Tolutani* ʒii. *Infunde calidæ*, *ad* ℔i. *conſumptionem*; *deinde adde Sacchari Cryſtallini optimi* ℔ii. *leniter eoque ad conſiſtentiam* Syrupi *tenuioris*, *quem per linteum denſum*, *frigidum trajice*, *& uſui ſerva*.

Si forma *Boli* arridet, *Opob.* ƎSS. vel alius *Balſami* doſis, cum *Ovi Vitelli* Ƒi. temperetur, & intervallis jam dictis aſſumatur.

Hiſce vehiculo eſſe poteſt *Alla* noſtrorum hominum muſtea, (*Grout Ale*) præſertim alba; quæ cum primis generoſa, tum etiam maxime *Diuretica*; vel *Rad. Althææ*, *Glycyr. Eryng. Cond. Hordei*, *aliorumque his ſimilium* apozema; *Saccharo Cryſtallino*; vel *Syrupo Balſamico dulcatum*. Ad eundem finem utile *Foliorum Teæ Infuſum*, *libere potum*; vel, *ex Decocto præſcripto*, *& Amygd. d.* emulſum; vel id, quod ſequitur.

℞. *Amygd. d. corticibus purgatarum*, *N.* x. *inter contundendum*, *affunde Infuſi Teæ* ℔ii. *poſtea coletur* emulſum; *eique adde Aq. roſac. vel Cin. hord. & Sacch. Cryſt. q. ſ. Nonnullis Vinum album*, *vel Decoctum modo ſcriptum*, *cum Ol. Amygd. adjecto Sacchari cryſt. momento*, *propinamus*.

Extra, *Cuniculi Adipem*, dorſo ſuperillitum, adverſus dolorem mirifice valere, a ſene calculoſo, tanquam expertum, accepi.

Ad *Prophylaxin* optime conducunt *Aqq.* calidæ *Briſtolienſes*, quibus adjungantur *Opobalſamum*, & *Syrupus* e prædictis lubricans. Quibus nulla iſtiuſmodi *Aquarum* copia, illis uſui eſſet *Teæ Citreæ Infuſum*, omni mane bibere. Novi *Calculoſum*, qui methodo ſequenti renes ſubinde purgans, ad ſenectutem veterem & tutam eſt perductus. Ter, quaterve in anno *Terebinthinæ Venet.* quaſi ʒi. cum *Pul. Glycyr.* forma pil. ſumpſit; *Cereviſiæ*, vel *Poſſeti* libras aliquot ſuberbibens: confeſtim milliaria quatuor, vel quinque, equo ſuccuſſatore menſus eſt: unde ſæpe *Arenulas* excrevit, ſeque ſi non immunem, tamen incolumen ſervavit. *Cereviſia* omnium optima, quæ cum *Aqua pluviatili* comparata: illam volo, quæ, neque in nivem unquam, neque in glaciem mutata, ſincera ſit, & pura, nulla tecti calce, nullis ſalibus, aut particulis lapideis inquinata: ea aquarum omnium leviſſima; ea cum primis *Diuretica*. Medicamentis autem urinam moventibus præmitti, & nonnunquam interponi oportere ventrem & ductum alimentarem inanientia, lippis notum & tonſoribus.

Libet adjicere, in *Dyſuria*, (quæ *Calculo* interdum acccedit) quoties a ductuum urinoſorum ſpaſmis oriatur ea, nihil efficacius, conducibiliuſve, quam *Opiata* cum *Diureticis* juncta, quibus, utut urinæ alias ſiſtendæ illa conferant, ſimul & remittantur ſpaſmi, & urina cieatur.

At, a dorſi dolore, de *Renum Calculo*, ne quis temere ſtatuat, unum his ſubjungam. Olim vetulæ, hydrope interemptæ, *Anatome* interfui; quæ, cum per annos aliquot eo dolore gravaretur, *Calculoque* effici a familiaribus haberetur, illo tamen, ut ex cadavere aperto conſtitit, omnino caruit, *Reni* dextro ingens adnata erat *Hydatis*, ſive *veſicula*, ſero inſipido plena, doloris fortaſſe cauſa.

Atque hæc de *Calculo Renum Arthritico*.

HISTORIA I.

Calculo & Chiragræ *unæ occurrentibus*, *facta ſimul*

QUarto ab urbe lapide, prope *Iſcæ* oſtium, ſexagenarius *Arthriticus*, ſimul & *Chiragra* & *Calculo* doluit: illam oſtenderunt tumor, rubor articulorum; aliaque *Arthritidis* indicia, ordine & concurſu *Pathognomonico* apparere viſa: hunc in dorſi regione lumbari dolor, ut & inteſtinorum quaſi colicus; quodque fideliſſimum hac in re ſymptoma, *Arenulæ* ſub id tempus excretæ.

Morbis adeo diverſis ægrotanti, ea dari par erat, quæ contra utrunque prodeſſent, quæ neutri faverent. Itaque therapiam, *Balſami Peruani* quantitate, bene magna & frequenti, cum vehiculo idoneo, tentavi, atque adeo perfeci. *Balſami* hujus guttæ plus minus x. ex *Syr. Balſam. coch.* i. bis, vel ſummum ter in die, ſunt adhibitæ. Hoc, qua *Cardiacum*, in extremas corporis partes *Arthritidem*, qua lubricans, & *Terebinthinum*, e *Renibus* arenula per urinæ vias expelli fecit: ſicque una eademque fidelia, non infeliciter duo ſimul dealbati ſunt parietes.

HISTORIA II.

Adverſus Calculum Arthriticum *Prophylaxis*.

VIro præcellenti & eximio, qui diu *Arthritide* per vices doluit, aliquando etiam calculo, in ſe a patre derivato; cum adverſus utrumque malum *Prophylaxin* exigeret, conſului, ut exercitatione pertinaci, & crebra, ſabulum e *Renibus*, e ſanguine materiam alienam exturbaret, itaque ſaluti ſuæ proſpiciens, ſenectæ viam faceret incolumi.

Facta per *Lac Scammonii* purgatione, aquas hauſit vir illuſtriſſimus *Bathonienſes*, menſes binos, libere & recte equo aſſidue corpus exercens. His adjunxit *Balſami Peruani*, ſtomacho non ingrati, *Renibus* utiliſſimi, guttas aliquot, omni nocte, ex *Syr. Balſam. cochl.* i. cum ejuſdem aquæ hauſtu. *Renes* inde melius habuere, ſabulo purgati. Dorſi calor, qui ægrotantem multum afflixerat, evanuit. Hac, & hujuſmodi *Prophylaxi*, aquis ſcil. purgantibus & diureticis, ſtatim anni temporibus, iteratis, equitatione, ambulationeque fere continua, contra malorum par crudele, hodie vir inſignis ſe defendit, momenta vitæ propugnat.

Fatendum autem, quod hujuſmodi *Prophylaxis*, non niſi corpore perpurgato, & evacuationibus generalibus exonerato in uſum trahenda ſit, ne videlicet in *Renes* ſanguinis impuritates effundantur. Quinimo notari fas eſt, quod ipſæ interdum *Aquæ Diureticæ*, ſuccum lapideſcentem habentes, non tam e *Renibus* arenam eluant, quam iis impertiant, & in iis concretam faciant. Atque hoc caſu *infuſum Teæ*, aqua pluviatili confectum, *Diureticis* illis *Aquis* anteponendum.

HI-

HISTORIA III.

Calculus Arthriticus, *Vertigo* Arthritica, & Arthritis *regularis se mutuo excipientes*.

QUoniam vero a nonnullis, de *Calculo Arthritico* dubium existimetur, utrum ille concretio sit *Arthritica*; an non potius ex sanguinis retrimentis, emeritis, & inutilibus; per quietem, & vitam nimio plus inertem; in *Renibus* depositis, nata atque facta: unum his subjiciam, quod (opinione nostra) tollendo huicce dubio omnino satisfecerit.

Vir summa familiaritate mihi conjunctissimus, ex intervallis diu *Arthritide* recta conflictatus, enormem eam ætate suprema habuit. Loco rectæ, primum vertigine *Arthritica*, longa utique, ancipiti, & periculosa (quippe, qua in humum ne irrueret, sæpe quidem summum erat periculum) est correptus. Postea vero quamprimum iste capitis affectus inclinavit, æger *Renibus* dolere cœpit, calculosque varios, non sine ingenti cruciatu, per urinam excrevit: nunquam autem *Calculo*, nisi *Vertigine*, & *Arthritide* regulari liber, ægrotavit.

Post menses aliquot, *Pedibus* denuo laboravit; verum eo tempore, tum *Vertigine*, tum item *Calculo* immunis. Et quidem ita res erat, ut, tametsi horum affectuum alio, atque alio posthac creberrime; tamen, eodem tempore non nisi uno semper, aggravaretur. His etiam adjiciendum, quod eumdem ordinem minime tenuerunt hi affectus; verum *Calculus* interdum, post *Arthritida* diu vacantem, (cum in sanguine nova materia coacervata, novaque facta esset illius germinatio) ægrum per se invasit; interdum *Arthritidis* paroxysmum e vestigio excepit, tanquam morbus ei geminus, a communi stirpe oriundus: vel potius, in alia corporis regione, ejus pars altera.

Magni vero hic momenti esse arbitror notare, quod ex quo *Arthritidi* se adjunxit interdum *Vertigo*; alias *Calculus*; pro istorum morborum malitia frequentiaque tenuata sit *Arthritis*; & quidem ea proportione, ut ab illa demi, quicquid istis attribui, confirmetur.

Istorum autem morborum ortus, incrementum, ordo, vicissitudo, & inter se relatio, nunquid aliud significant, quam, quod ii omnes simili gaudeant causa continente; quæ nunc, in renibus, *Calculum*; & quidem hosce omnes, pro istius causæ renovatione, viribusque, tum crebros, tum vehementes pariat, & producat.

CAPUT X.

De Asthmate Arthritico.

Art. I. TRacta imi ventris *Arthritide*, ad eam jam progredior *Anomalam*, quæ est *Thoracis*, quæque respirationis organa præsertim afficit. Ubi primum de *Asthmate Arthritico*; tum de *Tussi Arthritica*, de *Phthisi Arthritica*, deinde sermonem faciam.

Asthmata sunt hujusce tituli permulta, quæ a causis alibi locorum, nec in *Pectore* extantibus, oriunda, (nauseæ, verbi gratia, colicæ, anginæ, vel hujusmodi morbo alicui *Arthritico*,) κατὰ συμπάθειαν, ἐπιγίνονται: & istorum, quibus superveniant, morborum Capitibus, sunt vel dicta, vel dicenda. Unum, hoc Capite, *Asthma* dicam *Arthriticum*, nimirum διοπαδικόν.

II. Hoc affectu omnium creberrime laborant ii, quibus breve, vel aliis male compositum pectus, aeri reciprocando minime accommodatum, & quorum parietes *Asthmate & Arthritide* fuerant, maxime vero si utroque, gravati. Hic enim, multo apparatu & molimine, producendo huic affectui, quasi studetur: cumque, nato & perfecto homini, respiratio usus sit perpetui, &, ad vitæ opus sustinendum, continui; mirandum non est, illius impeditionem, & difficultatem aliquam insignem, sæpe periculosam, sæpe lethalem esse.

III. *Asthmati* huic inferendo (ut, de aere spisso, carbonum fumo, ventis, aliisque tam hujus *Asthmatis*, quam vulgaris & primigenii causis evidentibus, nihil dicam) huic, inquam, inferendo confer miasma *Arthriticum*, pectori inflictum; illius utpote causa continens, & conjuncta: itaque ut, tametsi plures illud causas evidentes & remotas, alio sc. tempore & corpore aliam) unicam tamen habeat continentem, & proximam, videlicet *Arthriticam*.

IV. *Pectori* miasma nunc opiata, perperam adhibita, infigunt; nunc quicquid aliud *Arthritida* repellat, & pectus appelli faciat; nunc urgente nulla vi externa sive causa evidente, pectus angustum, gracile, gibbosum, breve, aliterve male formatum, ipse per se *Arthritis* intrat, tanquam domicilium maxime conveniens. Interdum evacuatione aliqua solemni (qualis est fluxio sanguinis, ulcus, vel etiam partus naturalis) suppressa, quæ miasma sensim amandare solita est; in sanguine cumulatum illud, neque, uti par est, in articulos expulsum, pectori committitur, *Arthriticæ*, utero ex more non gerentis, *Asthmate* hunc in modum aggravatæ, exemplum memoratu dignum his subnectam.

V. De hujus *Asthmatis* ὑπάρξει, & de ejus natura plane *Arthritica*, ut palam fiat, advertendum est, *Asthma* nunc e vestigio sequi *Arthritida* regularem intercisam; &, a τοῖς ἔξωθεν, ad ea, quæ intus sunt, materiæ vitiosæ fieri μεταίασιν, aperte monstrare: nunc, e contrario, *Asthma* in *Arthritidem* mutari, antiquam sedem, & avita regna, se denuo ingredi, materiam indicare: nunc, hos affectus se mutuo excipere, viceisque agere alternas: nunc ab *Asthmate*, *Arthritidem* vinci, absorberi; uti nonnunquam, ab *Arthritide*, *Asthma*. Qui quidem istorum malorum ordo, reciprocatio, habitudo, & ratio inter se nihil magis significat, quam quod, ex eadem materia, *Arthritidi* propria, nunc in artubus, nunc in pectore vires exercente, utrunque producatur; & *Asthma* illud sit revera *Arthriticum*. Quod quidem enunciatum eo magis probabile, quoniam *Arthritidem* sua gaudere materia, peculiari & propria, quæ in alias aliquando regiones evagetur, omnino constat; *Asthma* vero, non tam a propria ulla materia, quam a vitiosa aliqua communi, (sive alia quavis inimica, & aliena) una cum mala corporis febricitatione, partiumve respirationi dictarum imbecillitate, causa hujus morbi privata, fieri.

VI. Quæ vero hujus prosapiæ *Asthmata*, duum sunt generum; alterum (uti de exquisito *Asthmate* pronunciatum esse solet) siccum, altetum humidum. In sicco isthoc *Asthmate* anhelum videre licet *Arthriticum*, & tanquam animam agentem, spiritu difficili, respiratione brevi, pectore gravato, tussi vel nulla vel mediocri, sputatione parca laborantem. Qui vini spiritibus dediti fuerunt *Arthritici*, eos sicco hoc *Asthmate* plus semel ægrotare novi.

Asthmate, quod *Arthriticum* est, humido affecti, tussiendo sputum plerunque crassum, & viscidum, idque nonnunquam vitreum exantlant; unde levari solet *Asthma*, donec, nova in *Pulmonem* missa, seri vitiosi copia renovabitur: hoc autem, in teneris corporibus, tenui, laxoque sanguine, & ad colliquendum apto, donatis, & quidem autumno maxime, locum habere mos est.

VII. Pituita crassa involvitur; una cum eo, *Pulmoni* incutitur; tussique ejicitur miasma *Arthriticum*: sic, ut permultos interdum annos, inversa *Arthritis* hac via fugam capessat; eaque sputatione, (simili fere modo, atque paroxysmo *Arthritidis* regulari) a periculis gravioribus defendatur æger. Et quidem *Arthritidum*, quotquot observantur, *Anomalarum*, nullæ videntur esse benigniores, aut minus timendæ, eo, quod nunc dico, humido *Asthmate*, & diarrhœa *Arthritica*: eo videlicet, propter materiam *Pulmonibus* emissam; hac autem, *Ano*.

VIII. Ex diversis hujus *Asthmatis*, qua sicci, qua humidi symptomatibus, opinari fas est; in priori, membranas, nervos, aut musculos spiritui trahendo inservientes athici, & iis materiam impingi; unde *Respirationis*, cum siccitate labor; in altero, miasma, sanguinis sero implicatum irretitumque; una cum eo *Pulmonibus* committi, & iis inhærendo respirationem impedire: atque pro diversitate symptomatum, diversa morbi hujus *Subjecta* esse, non temere judicamus.

IX. Nonnunquam equidem *Arthritis* (quod ante traditum) ipsis a carceribus, ipso ab initio devia, neque pede, neque manu salutata quidem; *Pulmonem* adit, occupat, lacessit, tanquam *Asthma* germanum; nec ab eo facile distinguitur; donec, ætatis progressu, aliquando foras erumpat, artus exerceat, rectèque se gerat. Cujus quidem in artus translationis, hoc effectum esse solet, quod, quo rectius se gerat *Arthritis*; eo *Pulmoni*, & posthac reliquo corpori universo, melius. Qua de causa licet existimare, malum isthuc nihil aliud esse, quam *Arthritida*; primum in pectore deviam, ipsoque principio *Anomalam*; postea suo loco regularem.

X. Hujus *Asthmatis* πρόγνωσις quam legitimi, veri, & genuini, longe alia videtur. *Legitimum enim, curatu difficillimum: Juvenes non sine magno labore, Senes nunquam eo liberari dicuntur.* (*a*) Contra vero exploratum, hoc *Asthmate* laborantes, facilius allevari, sæpius liberari; & quidem interdum, (quod de vero *Asthmate* rarius affirmari potest) ex toto.

Ut autem in re tam multiplici distinctius dicam, adjiciendum, *Asthmate* isthoc *humido* gravatos: sputatione, quod dixi, servatos, sæpe diu vixisse: *Arido* affectos maximo sæpe in periculo versari; brevi tempore, non raro strangulari: sed, &, ope medica opportune adhibita, factaque humorum metastasi, nonnunquam subito restitui: denique, nulla arte sublevatos, eo se modo habere, & demum e vita cedere, tanquam *Asthmate* legitimo oppressos.

XI. Curatio tollit impedimentum respirandi; vel e corpore illud evocando, vel in artus amandando. Materiam e corpore vitiosam evocat *Venæ sectio*, & *Purgatio*; quarum illa plethoricis, & nimio sanguine distentis; hæc gulæ deditis, satietate læsis utilissima: utraque vero talis sit, oportet, ut ab ea *Arthritidis* πρὸς τὰ ἔξωθεν expulsio promoveatur. Hoc autem optime fit sanguinis detractione mediocri; purgatione quæ per *Drasticum* aliquod, & sanguinem exagitans, peracta. Detrahantur igitur, (quando res postulat, & vires ægri patiuntur) unciæ quasi novem: *Enema* brevi post injiciatur: die proximo *Purgans* (ex *Aloe*, *Syrupo domestico*, *Pil. Cochiæ*, vel ejusmodi aliquo) sumatur, sine paregorico vespere sequente propinando.

Post evacuationes hasce generales, in *sicco Asthmate Arthritico*, magnarum virium & momenti sunt *Sp. C. C.* aliique istius generis *Volatiles*, & *flores Salis Armoniaci*.

℞. *Pul. e Chel. C. C. Conf. Tussilag. ana* ℈j. *Flor. Salis Armon.* ℈ß. *Syr. Balsam. q. s. f.* Bolus, *quinta, vel sexta quaque hora, cum idoneo vehiculo demittendus.*

In *Humido*, *Vesicatorium* dorso inter omoplatas applicatum, allevandis *Pulmonibus* summopere confert. Pituitam movent, eodemque tempore *Podagram* expellunt e *Sulfure* præparata; qualia sunt *Tinctura*, *Balsamum*, & *Flores Sulfuris*: uti etiam, his affinia, & plane congenera, *Gummi Antiasthmatica*, *Ammoniacum*, *Bdellium*, *Balsama Naturalia*, *Peruanum*, *Chilense*, *Capivi*, &c. Placet *Tinct. Sulf. gutt.* xx. vel *Balsami* seq. gut. x. ad xv. ex *Syr. Balsm.* cochl. dare: & sexta, nona, vel duodecima quaque hora, prout opus fuerit, repetere.

℞. *Tinct. G. Guajac. Balf. Per. ana p. aq. misce.*

In utroque vero, tam humido, quam sicco *Asthmate*, remediis hisce, cum vehiculis idoneis, uti juvabit: usque dum *Pulmoni* conciliabitur quies, & in ducendo spiritu facilitas.

Clysteres, & *Purgantia*, quæ in vulgari *Asthmate* non incommode plus vice simplici adhibeantur, in *Arthritico* hocce post primam vicem minime præscribenda: ne videlicet humorum in artus eruptionem, quæ rebus quibuscunque aliis longe præferri debeat, sufflaminent.

Pulmoni phlegma quod impactum est, *Oleo Amygd. d. Ol. Lini*, *Syr. Balsamico*, *Cap. Ven.* & aliis ejusmodi *Anacatharticis* movendum, excreandum.

In *Paroxysmo*, siquidem urgebit ille, neque auxiliis supra dictis mitigabitur; maxime valet *Oxymel Scillit.* vel cochleatim, & per vices datum, ut eo spirandi spatium adaugeatur; vel ea dosi, qua vomitio cieatur, humorum inclinatio mutetur, & in articulos vertatur. Certe, per unam vomitionem, *Arthritidem* ex *Anomala Regularem* fieri, plus semel novimus. Nonnullis in *Paroxysmo* profuit *Fumus Tabacci*, *Potio Coffee*. Valent suo loco *Frictiones*. Non magni æstimantur *Unguenta*, vel *Linimenta*, *Asthmaticis* vulgo commendata, in re præsenti parum valitura.

Prophylaxis in *Humido Asthmate*, præmissa purgatione, instituitur per *Diuretica*; quæ serum apte & tempori amandent: per *Antiasthmatica*; quæ *Pulmonem*, & spirandi organa tueantur: per *Fonticulos*, dorso inter omoplatas apertos; vel *Epispastica*, maxime diuturna: perque ea, quæ *Arthritidis* primigeniæ *Prophylaxim* agant. *Siccum* autem *Marte* cum *Antiasthmaticis*, *Gummi* puta *Ammoniaco*, &c. juncto; iis videlicet, quæ spiritus animales una cum pectore respiciant, fugandum. In utroque, usus est immensi Aer apricus, & pro-

(*a*) Vide *Riverium*, Cap. *de Asthmate*.

& probe agitatus: uti etiam bona victus ratio: quam ut teneat ægrotans, fugiat neceſſe eſt, τὸ ποικίλον τῆς Διαίτης, a Medicis non ſine cauſa paſſim improbatum, & cibo ſimplici veſcatur.

HISTORIA I.

Adoleſcens, ab Arthritide Aſthmaticus, *Empirici Narcotico peremptus.*

AD trium ſupra viginti annorum adoleſcentem, in regione urbis ſeptentrionali, vergente ſæculo ſuperiori, anxie & propere arceſſebar. Ut ætatem hominis adimpleret, a natura ille deſtinatus eſſe videbatur. Erat enim forti, quadrato corpore, vultu colorato, uno miaſmate *Arthritico*, quod a parte acceperat, infectus, Sanguinem, ab ipſo vitæ exordio vitioſum, ipſe malis moribus non parum inquinavit. *Spiritus ardentes* avide potavit: malam victus rationem affectavit: coctionem, quaſi de induſtria, peſſum dedit.

Podagra, quæ paroxyſmum regularem plus ſemel ediderat, & dudum artus exercuerat, neſcio qua de cauſa relictis artubus, ad ea, quæ intus ſunt, translata, reſpirationis invaſit: hinc *Pectus* aggravatum, ſpiritus difficilis, reſpiratio brevis & laborioſa.

Viſa eſt materia, vel e muſculis reſpirationi inſervientibus aliquem, vel eorum membranas occupaſſe; vel in nervorum *Paris vagi* fibras ſe inſinuaſſe. *Aſthma* enim ſiccum erat; nec quicquam *Sputum*, nec quicquam *Tuſſim* ſibi adſcivit.

Dum ita res erat, Empiricus e laniorum vico, ad vitam & ſalutem (proh Deum atque hominum fidem) inſtaurandam, eſt accitus. Ille, hiſtoriæ neque caput, neque finem ob oculos habens, περιεργίᾳ familiari & uſitata, multa factitavit; nihil egit: donec elapſo pene quatriduo, propter ἀγρυπνίαν (hanc argumenti ſpeciem obtendebat) paregoricum audax, & nequam, ſub noctem dedit. Hinc illæ lacrymæ: hinc ille properus ad Medicum nuncius.

Ægrum ego ἄσφυκτον inveni, moribundum, & jam per totam, quæ præceſſerat, noctem, animam agentem. Rem aſtantibus palam feci, & (honore habito) diſceſſi. Τοῖς ἱερεῦσι, τὰ ἱερά.

HISTORIA II.

Aſthma *ſiccum* Arthriticum, *Venæ ſectione & Cardiaco ſublatum.*

INgenio, ſcriptis, & eruditione vir præclarus, *Rad. Bohun*, hypochondriacus, aſthmaticus, cruditatibus acidis, dolore artuum *Articulari*, ſæpe vago, interdum fixo, diu afflictatus; dolorem iſtum nuper acutum, ex improviſo abruptum, & interciſum habuit. At brevis iſta mali intermiſſio, Ægrotantem, olim collegam meum, & eo tempore convictorem, viſitavi, lecto inveni proſtratum, jam per noctem anhelum; &, ea reſpirandi fuit difficultas, reciprocatione crebra quaſi animam agentem. Neque *Sputatio*, neque *Tuſſis* erat ulla. Pulſus in carpo fortis, & elatus.

Ex omni parte re perpenſa, materiam *Arthriticam* in *Pulmonum* adyta, in eorum membranas, nervos, aut iis movendis inſervientes muſculos, per Μετάπτωσιν ingredi, & eos occupare cenſui.

Pertuſa meo conſilio vena, miſſus eſt ſanguis; cui, poſt horas aliquot, innatavit, gelatinæ viſcidæ ſimilis, placenta. Deinde, ut e caſtris inique uſurpatis hoſtem exturbarem, *Spirit. Volat. Oleoſi* copiam, ex idoneo vehiculo, propinavi; & pro rei neceſſitate repetii. Auxiliis hiſce paucis, & paupertinis, ſed opportune adhibitis, ſine difficultate reſpiravit æger: *Pulmone* liberato, & relicto, in pedum & manuum articulos (non novos illi locos) fugatus eſt hoſtis: confirmatus æger.

HISTORIA III.

Arthritidis *in* Paralyſin *&* Aſthma *Metamorphoſis.*

QUidam artis ſciens chirurgicæ, ſemel aut iterum in anno *Arthritide*, per luſtra quatuor recurrente, multum ægrotavit; ætate vero provectus, neque tam crebra, neque tam vehementi, per biennium minuta, & ſenſim mitigata eſt *Arthritis*; cum in ejus locum mala, multo graviora, ſimili modo & menſura, ſucceſſere: ſiniſtri nempe brachii, pediſque reſolutio, cum totius lateris imbecillitate: deinceps *Aſthma*, tam moleſtum, tamque importunum, ut non niſi recta cervice ſpiritus traheretur. Siccum autem erat *Aſthma*, paroxyſmos habens, ſed nullo *Typo* regulari ſignatos. Mari æger diu artem exercuerat; ubi *Spiritum Vini* nimium pytiſſando, tum *Arthritidi*, tum *Paralyſi*, tum etiam *Aſthmati* viam feciſſe, & fundamenta jeciſſe non immerito cenſeatur.

Ita laboranti *Venæ ſectio*, *Oxymel. ſcillit. Purgatio*, *Antiaſthmatica Podagragogis* juncta, cum aere aperto, nonnihil profuere. At cum illa morbi natura eſſet, quæ nervos, eoſque valde afficeret, quæ ſpiritus in iis contentos, (id eſt, intimum totius corporis humorem) mirifice debilitaret, eum ætas ſimul ingraveſceret, ægroque fere jam inutilis eſſet medicina; partim morbis, partim ætate conſumptum cum, ſine ullo in articulis dolore renovato, abſtulit ἄωρος Θάνατος.

Eatenus vero rei noſtræ conducit Hiſtoria; ut ex ea diſci poteſt, maxime vero ex denſo morborum ordine, ſubitaque mutatione *Arthriticam* in nervos transferri materiam; &, tum *Paralyſeos*, tum *Aſthmatis*, cauſam fieri proximam, & continentem.

HISTORIA IV.

Arthritis, *in* Aſthma, *&* Hydropa, *deſinens.*

MUlier *Exonienſis*, brevi pectore, neque reſpirationi ſatis apto, diu *Arthritica*, nuper omni dolore libera, nec pro more uteto gerens; propter haſce cauſas, annum circiter quadrageſimum, *Aſthmate* & *Tuſſi* corripiebatur; illa non parum, iſto multum excruciata.

Audita morbi hiſtoria, ſymptomatum ordinem & momentum meditanti mihi, luce clarius videbatur; illius materiæ, quæ per uterum, perque articulos ſoleret amandari; quod in corpore relictum, vel de integro cumulatum eſſet; in reſpirandi organa infundi, eorumque motum impedire. Qua quidem opinione ductus, ut aere puro, & aperto, frueretur ægra, (perpurgato prius corpore) rus illam miſi; ſed *Antiaſthmaticis*, & *Arthritidem* expellentibus munitam. Neglectis autem medicamentis nulla in articulis viſa eſt *Arthritis*; verum e contrario nova, tum in imo, tum medio ventre, coacervata eſt materia: unde tantus abdominis tumor, ſpirituſque tam gravis, ut non niſi cum ſono & anhelatione ſpiraret ægra, propemodum ſtrangulata.

Clyſteribus ex urina crebris ſubducta eſt alvus, tumor abdominis ſublatus: atque ſic amotis impedimentis, *Sp. C. C. Succin.* aliiſque *Podagragogis*, uno eodemque tempore, extruſa eſt in articulos *Arthritis*, & amplificatum reſpirandi ſpatium: atque adeo (quod attendendum) æqualiter.

Hinc aliqua curationis ſpes; at fallax, & inanis. Natura enim deficiente, neque operam conferente, fruſtra omnis medicina. In *Hydropa* incidit ægrotans, *Diarrhœa*, & narium *Hæmorrhagia*, ſymptomaticis, & ſæpe recidivis, comitatum: quibus demum oppreſſa, mortem, omnium morborum finem, oppetiit.

HISTORIA V.

Aſthma, *cum Iliade malorum*, Arthritidos *defectu* regularis, *exortum.*

VIr Reverendus, quo cum magna pervetuſque mihi familiaritas, natura firmus, temperamento ſanguineo, vultuque colorato præditus, poſt juventutem non tam intemperantem, quam delicatam, & dapſilem, matura ætate corpulentus, & habitior factus eſt; annoque 1674. & deinceps, *Arthritide* per vices ægrotavit.

Poſtea ſolum, & cælum, (quorum illud ſiccum, hoc perflatum erat) humido, & minus ſalubri mutans, ætateque procedens, *Arthritide* non, ut ante fixa, verum per artus, ad inſtar *Rheumatiſmi*, vaga & erratica, laboravit. Sed neque diu morbus iſtud εἶδος retinuit: nam paucos poſt menſes, quam in corporis ambitu ille ſævierat, *Catarrhis* & *Tuſſi* correptus eſt æger: unde ſputum magna ex parte laborioſum; utpote craſſum, viſcidum, ad imo *Pectore* citatum. *Tuſſi* acceſſit *Aſthma*, grave profecto, importunum, & quod ægrotantem multos annos, autumno maxime & tempore hyemali, divexarit. Quamvis autem *Aſthma*, nec interdiu unquam, neque noctu penitus ceſſavit; ea tamen natura erat, ut eadem nychemeri hora conſtanter redux, (tamquam ad horologii fidem) & quidem multos in menſes continuos, paroxyſmum ageret. Dum ita res erat, *Venæ ſectione*, *Vomitu*, *Purgatione*, *Decoctis Pectoralibus*, *Spiritibus*, &c. *Antiaſthmaticis*, plus ſemel levatum *Aſthma*, minime vero ſublatum.

Alias *Hæmorrhoidum* tumore, magno utique, & diutino, torquebatur æger; eoque tempore illud præcipue notandum, quod neque ſpiritum difficulter traheret, neque *Articulis* doleret.

Alias *Vertigine* tenebatur, adeo vehementi, ut quæ ægrum neque ambulare pateretur, neque erectum ſtare: durante vero illa, cætera bene ſe habuit.

Menſe Junio, 1685. ex vino nimio plus poto, incidit in *Pleuritidem*, *Hæmoptoe* comitatam: auxilio, cum pleriſque aliis, ſed omnium multo maximo, fuit ſanguinis detractio, iterata, copioſa. *Pleuritidi* nondum penitus evictæ, ſubnata *Arthritis*, in extremis corporis partibus, regularis. Ea vero, neſcio qua de cauſa, ſive quieſcente, ſive repulſa, febricitavit denuo ægrotans, *Angina* affectus. *Anginæ* paulo poſt ſuborta eſt *Arthritis* (uti poſt *Pleuritida*) regularis.

Anno plus minus 1687. ſuadente neſcio quo, fortiſſima ſumens *Hydrotica*, (ut erat æger remediorum empiricorum amantiſſimus) ſanguinem, a natura calidum, adeo exagitavit, ut *Impetigo* ſtatim erumpens corporis ſuperficiem mire turparet. Tumore lato, & inæquali, facies inflammata eſt. In *Squamulas* ſubalbicantes, & furfur, abiit tumor; eoque exeunte, loci, tanquam a *Variolis*, rubor apparuit. Multum, & diu, graviſſimo hoc affectu laboravit æger. Alio enim loco reſtituto ſanatoque, alium, ſed a noviſſimos diſtantem occupavit; & quidem ita, ut maculas creſcentes, maturas, areſcente ſimul ſemel aſpicere daretur. Facies autem maxime, & pene continuo fœdata eſt. Cui addendum, quod æſtus corporis univerſalis, pruritus, & ex eo ſpirituum inquietudo, ægrum, molli teneraque conſtitutione præditum, ſupra quam dici poteſt, excruciavit. *Impetigo* ſanguinis miſſione, purgantibus cum calomel. ſæpius iteratis, & *Antimoniatis*, eſt curatus.

Verbo dicam: ex quo *Arthritis* idonea, & regularis, ægrum deſeruit; affectu hoc, vel illo, raro autem mitiori, & minus periculoſo, annis fere ſingulis, urgebatur, ſæpe tantum non opprimebatur.

Ex *Impetigine*, mutata rerum facies; namque, anno poſt uno, vel altero, redux *Arthritis* (tanquam ex poſtliminio) paraxyſmos ἐν τοῖς ἔξωθεν, aptos & ſatis crebros, agitavit. Nihil opportunius, nihil commodius eſſe potuit: nam *Arthritidis* denuo *regullaris* ope, ſervatus æger, per extremum vitæ decennium multo magis, quam ſolebat eſſe immunis, non tam morbis, quam ætate fractus, e medio exceſſit.

Hic animadvertendum (quod quidem maximi, in re præſenti, grande pondus argumenti) ægrum, quo tempore ſive *Aſthma*, ſive *Tumor Hæmorrhoidum*, ſive *Vertigo*, ſive *Pleuritis*, ſive *Angina*, ſive *Impetigo* locum habuit, *Articulis* nunquam doluiſſe, nec quidem, in iſtorum morborum intervallis, ita crebro, aut tam graviter, atque ante *Aſthma*: unde veriſſimile, hos effectus, aliqua ſaltem ex parte, per materiam *Arthriticam*, (in pulmone *Aſthma*, & ſingulos affectus in ſingulis eorum locis facientem) excitati. Cujus enunciati fides eo confirmatur, quod in *Arthritidem*, etſi minutam, & parvam, tum *Pleuritis*, tum etiam *Angina* ſemel; *Aſthma* vero ſæpius mutaretur. At, quod (teſtium mille inſtar) omnem argumenti metum adimat, hoc eſt; per *Arthritidem*, iterum recte, & debitis ex intervallis, edentem paroxyſmo, tum *Aſthmate*, tum *Impetigine*, ne dicam alios affectus omnes, ægrum liberari; difficillimiſque vitæ annis, ſupra quam ſpes, aut amicorum expectatio fuit, defendi.

Minime vero credendum, morbis hiſce procreandis unam ſufficere materiam omnibus *Arthriticam*; quin potius ſeroſa ſanguinis eluvie v. gr. in *Aſthmate*, eam involvi, irretiri, & ſimul cum aliis ſanguinis retrimentis, per *Pulmones* exterminari. Quod vero de *Aſthmate* propoſitum, de *Impetigine*, cæteriſque affectibus jam dictis, aliqua parte affirmari poſſe, cogitandum eſt.

Hinc opinari par eſt, ægrotantem illum, bono corporis habitu a natura donatum, vitæque ratione non adeo prava, aut inepta uſum,

usum, in tot gravissimos affectus, forsan non alia potius de causa, incidisse, quam quia *Arthriticum* miasma (quod ἀεὶ φυόμενον ex more usitato, & regulari minime, sic, ut debuit, expulsum fuit) in ea, quæ intus sunt, ferretur; ibique dictos, vel ex toto, vel ex parte, eaque nunc majori, nunc minori, faceret affectus.

Unde probabile, si, longo illo multorum annorum spatio, (discessum inter reditumque rectæ, in artubus molestæ, & vehementis *Arthritidos*) quo tot tantisque modis æger afflictatus erat; habita *Arthritidos* ratione, fuisset ille tractatus, &, in *Arthritide* reducenda, locata fuisset opera; medendi viam tutioram, ægroque multo fuisse commodiorem.

HISTORIA VI.

Asthmatis *Vultum induens* Arthritis.

NOnnunquam artus, ut ante dictum est, relinquit *Arthritis*, & ingressa *Respirationis Organa*, vel ea continenter urget, vel accessionibus adeo crebris, & molestis; ut, in illa corporis regione, non tam peregrinus, quam morbus indigena, & vernaculus esse videatur. Hujus rei exemplum hic subjiciam, mihi notissimum; virum medendi arte percelebrem, eamque hodie feliciter exercentem, fuit ille parentum altero, diu *Asthmatico*; altero *Phthisico* procreatus, brevem, & male formatum habens *Thoracem*, tanquam ad *Asthma* factus, *Pectoris* affectibus ab ipso ortu proclivis existimari potest.

Post adolescentiam floridam, sed & temperatam, ætate matura, laboravit *Arthritide*, crebro recurrente, satisque apta. Anni aliquot hunc in modum agebantur, cum a *Catarrho* spirandi difficultas *Arthritidi* succrevit, progressu temporis ingravescens. Huc non parum contulit aer, fumo carbonum, salinis (e vicino mari) vaporibus, & officinarum, quæ in propinquo erant, graveolentia repletus. Flante euro, vel euro aquilone, raro ille sine difficultate spiravit; ut vel ea de causa, (vento nimirum eo exorto) sæpe lecto se ejicere, & corpus erigere cogeretur. Eo durante vento, semper Δυσπνοϊκὸς; cessante eo, vel in alium mutato, tanquam incantamento, levatus est. Cœna interdum obfuit immodica, & in victu error ferre omnis. Obfuit cutis, alias a frigore, alias ab aere nimis spisso, constipata, & impedita Διαπνοή. Quin etiam *Asthma* nonnumquam intulit, ab equitatione, vel ambulatione, vel alia aliqua exercitatione nimia, fatigatio; uti etiam nonnunquam aeris, & planetarum ardor æstivus: unde spiritus animales, sive exhausti, sive debilitati, reciprocando pectori vix sufficerent. Sæpe a cruditatibus incepit *Asthma*: namque inde flatus; inde abdominis distentio; inde thoracis coarctatio, in spiritu trahendo; inde labor, & difficultas.

Sanguis huic ægroto, *Inflammationi* contrahendæ admodum pronus erat: sæpe in *Peripneumonias*, aliasque *Febres*, (nunc *Sudoribus*, nunc *Diarrhœa*, nunc *Urinæ profluvio* signatas) evectus; semper autem pertenuis, quique minima de causa colliqueret; qui nunc per renes efflueret; *Pulmones* sero qui nunc obrueret, & spiritum elideret. Illud autem serum, post aliquam in *Pulmone* moram, vitreo sæpe colore exantlatum est.

Ingruente *Asthmatis* insultu, reliqua ejus symptomata antecedere solebat ventriculi inflatio, cum intestinorum vermiculatione, & dejectione postmodum insequente: magna *Pectoris* erat constrictio; lateris præcipue dextri, subtus mamillam: ubi loci æger in omni *Asthmate*, potissime torquebatur.

In paroxysmo *Asthmatis* (quoniam unum idemque raro diu profuit) medicamenta in usum trahebantur varia. *Mixtura* nempe *Riveriana*, *Tabacci Fumus Tubo hausius*, *Empl. Epispasticum Dorso inter Omoplatas admotum*. *Ol. Amygd. d. cum Diacod. Potio Teæ*, cum adjectis *Balsi. Sulp. Therebinthinati* guttis aliquot: at omnium maxime, certissimeque, *Inflationem* mirum in modum sicuravit, compescuit potio *Coffee*.

Ad *Prophylaxin*, & adversus *Asthma* sui tutelam, æger, (auxilium ab exploratis sumens) *Eccoprotico* identidem adhibito, temporis cruditates exterminavit, itaque malum anticipavit. Profuit *Decoctum Corticis*, eo namque sanguini robur conciliatum. Profuit diætæ ratio accurata; cœna parca, vel nulla; loco cerevisiæ *Vinum Burdegalense*, aqua dilutum; profuere *Fonticuli*, dorso aperti. Id autem, ut recte concoqueret, & frigus evitaret, ægro præcipue curæ erat.

At, quod rem nostram maxime attingit, eamque non parum illustrat, ex quo tam gravi *Asthmate*, omni mense, ne dicam hebdomade, recidivo laboravit æger (id est, per decennium ultimo lapsum, & quod excurrit) rarius, minus ille doluit articulus: &, quod in primis notandum, hujusmodi dolor, quoties occurrit, e vestigio *Asthmatis* insultum est secutus, eique connexus: ut, ab eadem causa communi, nempe *Arthritica*, non immerito fieri credatur uterque hic affectus; & quod *Asthmati*, natura tam *Arthritico*, per *Arthritidis* paroxysmum regularem, (modo vires aliæque ægri res annuerint) utiliter occurratur.

Huic quidem ægro persuasi, ut quo fieri posset artificio, præsertim *Marte*, & *Phœnigmis*, a pectore longe arceretur, in extremas partes evocaretur *Arthritis*; ea nimirum opinione ductus, quo plus *Pedibus*, eo illum minus *Pulmone* laboraturum. Neque huic opinioni refragatus est æger; imo maxima ex parte consensit: istam autem medendi viam excluit ægri constitutio tenera, *Phœnigmorum*, aliorumque, quæ dolorem excitarent, usum non admittens. Quæ ad hanc rem adhiberentur omnia, *Pectori* ne obessent, *Asthma* ne inferrent, potius quam ut *Arthritida*, cavendum erat.

Ut autem Historiæ nobili finem imponam, habetis *Arthritidem*, dolore articulorum, tumore certisque omnibus numeris absolutam, germanam, exquisitam; habetis, inquam, eam castra mutantem; pectus invadentem; idque sic afficientem, ut in *Asthma*, morbum illius regionis proprium, & vernaculum, mutari existimetur.

HISTORIA VII.

Ab Arthritide *repercussa*, Pectoris *externi Oppressio*, Spiritus *impediius*.

VIr insignis, illustri domo natus, post adolescentiam opiparam, & non nimis siccam, sub ingressum juventutis *Arthritide* correptus est; eaque multos annos apta, & regulari laboravit. Pede doluit, cum, a frigore repercussa, *Arthritis* sternon, & respirandi organa derepente invasit. Pectus hinc gravatum: impeditus spiritus: nulla vero expuitio, nulla *Tussis* erat; ut in membranas musculosque, pectus ambientes, materiam impelli vitiosam, omnino judicemus.

Vomitu, quando illi proclivis erat, per *Decoctum Cardui* cicato, tametsi non multum ejecit, dilatavit tamen spiritum, & caput dolore affectum allevavit. Visum erat *Diaphoresi* materiam evocare; quem in finem *Epithemate* (ex *Aq. Reginæ Hungariæ*, *Tinct. Lavendulæ*, *Spirit. Vol. Oleos.*) immersa lintea, *Pectori* applicantur; stragulisque simul pro rei necessitate adjectis, sudor elicitur exoptatissimus, utilissimus. Verum materia nondum penitus educta, sed interdum *Inguen*, nonnumquam *Oculos*, alias *Cervicem*, modo etiam *Genu* afficiente, ut magis regularem *Arthritida* facerem, & extremarum partium articulis infigerem, *Infusi amari* haustum, cum *Tinct. M. gutt. xx.* bis in die sumendum, imperavi: nec quidem frustra: paucorum etenim dierum spatio pes doluit: expulsa est *Arthritis*; ea, quæ intus, sunt liberata.

Alio tempore, cum a frigore pariter repelleretur *Arthritis*, ejusque materia una cum sero abrepta *Gravedinem* faceret; usu *Tincturæ Sulfuris*, (cujus beneficio materiæ inclinatio commodum mutata, & ad τὰ ἔξωθεν versa erat) æger convaluit.

CAPUT XI.

De Catharrho, *Tussi*, *& Peripneumonia Arthritica*.

Art. I. QUamvis hi affectus, quoties absoluti & legitimi reperiantur; propter diversos eorum vultus, & pathognomonica diversa, non immerito *Specie* distingui: proindeque non unius tituli esse judicentur: nihilominus has *Anomalias*, quando ab eadem causa, nempe *Arthritica*, idem *Subjectum*, nempe *Pulmonem*, afficiente producantur; propter hanc earum inter se convenientiam, & necessitudinem, una, non inepte hoc Capite, tractari fas est. Ut autem de illis clare, & perspicue dicam; primum, earum communia, quæ omnibus, vel minimum plerisque sunt; tunc, quibus illarum, quæ propria sint, ediseram.

II. Omnibus hoc commune est, illas tam cito nullos, unquam invadere, nullos æque male habere, & mulctare, ac quos sive gibbosos, sive graciles, sive *Pectore* nimis brevi, aut acuto, aliove quovis modo angusto, nec satis apto, natura fabricavit, aut etiam constitutione nimis tenera donavit. Si qui etiam *Ictu*, *Casu*, *Vociferatione*, vel *Exercitatione* aliqua vehementi injuriam *Pulmoni* intulerunt; vel a parentibus *Phthisicis*, aut *Asthmaticis* exorti, vel ipsi tales fuerunt. Hos, inquam, omnes *Arthritis* sæpe larvato vultu aggreditur; cumque ejus suspicio ne vel minima incidit; *Pulmonis* adytum intrando, membranas ejus corrodendo; tarde crebro, ac certo, perimit. His enim corporibus, *Pulmo* læsus, & debilitatus, alienum facile recipit; difficulter rejicit, itaque tandem acri, & virosо eo corrumpitur.

III. Hujusmodi corpora vexantur his *Anomaliis*. Utrum vero *Arthritis*, vel quousque ea, *priusquam se Regularem ostentavit*, *& in Artubus unquam emicuit*, *Pulmonem* afficiat; quoniam indicia non habemus manifesta, & fide digna, explicari nequit. Suspicari vero licet, naturam, in iis, qui parentibus nati *Arthriticis*, una cum ipsa vitæ lampade miasma accepere; quoties illi, ætate prima & ineunte, *Achoribus*, *Catarrhis*, *Tussi*, aliisque hujusmodi malis supra modum urgeantur, (eos autem crebro sic urgeri, & morbis his alienum aliquod exterminari constat) miasma; a parentibus acceptum, in natorum sanguine retentum, ibique copiis adventitiis quotidie auctum, hisce morbis, aliqua ex parte ablegare. Hoc autem, utrum ita revera sit, an secus; ex natorum, & parentum malis simul comparatis, optime (tametsi, propter rei obscuritatem, non sine aliqua dubitatione) colligendum. Quare in *medicis*, uti dixi, *Suspicionibus* hoc habendum, eoque magis, quoniam, data positaque conjecturæ hujus veritate, medicinæ *Arthritidem* expellendæ reducendæque, ætate hac tenellula, omnium minime locus inveniatur.

IV. Ad eas transeo *Anomalias*, quæ disquisitioni nostræ magis exponantur, & patescant. Postquam *Arthriticis* paroxysmos aliquot idoneos, & regulares sustulere, non raro accidit; maxime, si iidem corpora modo descripta habent, a paroxysmo sive interciso, nimis leni, vel raro, materiam in *Pulmonem* transferri νοσερὴν. In *Paroxysmo* interciso, vel abrupto, sæpe per *Emplastrum*, *Cataplasmum*, *Frigus*, vel externum aliquod aliud istiusmodi repellens, ad τὰ ἔξωθεν retro agitur materia, cujus utique repulsioni statim superveniunt pectoris gravitas, & fractura, spirandi angustia, asperæ arteriæ titillatio, tussis, sputum primo tenue, postea crassius; quæ quidem accidentia, qua sunt proportione, *Pulmones* affici, & in eos humidum impelli *Arthriticum*, aperte indicant. Hæc est *Arthritidos* in *Pulmonem* translatio, omnium maxime evidens & certissima.

Est autem ubi, *Paroxysmo* minime abscisso; verum, propter ejus sive lenitatem, sive raritatem, mala eadem oboriantur; & dubium magis reddant, sintne ipsa *Arthritica*, an non? Hoc autem dubium, *Arthritide* brevi post in *Paroxysmum regularem* erumpente, non raro eluitur: & ea, recte nunc demum agendo, se nuper minus rectam fuisse confitetur. Ita ex *Arthritide* regulari præcedente, comitata, vel insequente, habes de istarum *Anomaliarum* natura prorsus *Arthritica*, quibus tuto possis acquiescere.

V. Porro, in hoc concordant hæ *Anomaliæ*, (uti cum iis cæteræ fere omnes) quod sæpissime seniores, interdum media ætate viros, at rarissime juvenes, quantum observatione constet, adoriantur. Ut de meis loquar; ex hujusmodi laborantium numero, quem vidi, non exiguo, unum tantummodo adolescentem inveni; alios omnes aut ætate grandi, aut saltem matura, ac constanti.

Hujus rei causa minime obscura est; quia, licet *Arthritide* nativa, & a parentibus ducta, ægrotantes, ipsa quidem adolescentia, nonnunquam pueritia, dolent; hoc in *Arthritide* acquisita non temere cernendum. Ebrietate, gula, malisque ea moribus acquiritur; atque ideo, ante medium vitæ, raro paroxysmos inchoat regulares; perraro Ἀνωμαλίας: in sexu vero muliebri, raro ante partus, & catamenia finita.

VI. Sputi ratio est habenda. Primo illud tenue, nec quidem multum esse solet; brevi post tempore copiosius; aliquando cum humorum tanto in *Pulmonem* flumine, quantum pectus aggravet, *Pulmonem* infarciat, vocem obtundat, spiritus impediat, quodque, si diuturnum

num esse contigerit, ægri corpus attenuet, infirmet, & demum opprimat. Qua vero proportione *Sputum* excreatur, eadem fere minuitur, in extremis partibus, *Arthritis*, sic, ut quo plus *Sputi* ejiciat ægrotans, eo minus *Articulis* afficiatur, Etsi vero istiusmodi *Sputatio* maxima ex parte salutaris (quoties nimirum non immodica, neque temere suppressa) esse reperiatur, in extrema tamen senectute, nimiam, & pernicioſam, interdum novi, sic, ut ea multum æger enervaretur, & demum enecaretur. Hoc autem, ut opinor, rarissime occurrit.

VII. Nihil hos affectus esse *Arthriticos*, evidentius significat, quam unum illud, quod sint omnes *Arthritidi inversa* ratione, qua paroxysmum vel regularem, vel interruptum excipiant, vel absentem introducant, vel deficientem suppleant, & quidem ita, ut quo minor, rariorve ille, eo hi majores, ut ex imminuta *Arthritide* externa, pro affectuum horum acrimonia & importunitate, internos hos affectus *Arthritica* origine esse constet; &, a miasmate *Arthritico* pulmonem ineunte, *Tussim*, vel *Peripneumoniam* excitari.

VIII. De *Anomaliis* hisce singulatim sumptis jam proxime dicendum; & quidem, primo de *Tussi* observandum, illam harum omnium esse frequentissimam, quæque paroxysmum *Arthritidis* regularem usitatissime insequatur, raro autem comitetur, nisi ægroto valde *Arthritico pulmonem* admodum imbecillem habente; hujusmodi ego *Arthriticos*, nimirum *Phthisicos*, ægrotantes, uno eodemque tempore tussientes, & dolentes, aliquando inveni. *Tussis* hæc *Arthritica* nonnunquam in paroxysmum *regularem*, (materia in artus translata) suapte sponte desinit; promptissime vero, si *Cathartico* non nimis leni, sed sanguinem miscente, & turbante, fuerit adjuta.

De *Tussi* porro aliud notavi, silentio minime prætereundum: nempe, in nonnullis *Arthriticis* paroxysmum eam omnem antecedere; ægrum, dies quatuor, vel quinque exagitare; inter accessionis symptomata prænuncia jure merito censeri; cumque ea sputi multum ejiciatur; (aliquando permultum ejici exploratum habui) una cum eo miasmatis partem aliquam *Arthritici*, per *Anacatharsin*, quod probabile videtur, expelli.

IX. Hujus generis *Catarrhos*, uti semper *Asthma* comitatur; ita interdum *Hæmoptoe*: Immensa seri copia spiritus viæ occluduntur, unde *Asthma*; & in eodem sero demum exantlando, quia *Pulmo* (simul cum universa *Pectoris* compagine) concutitur, rapide convellitur, ipsumque serum, acre & mordax, vascula exedit; ab ista agitatione, acrimonia, fit interdum *Hæmoptoe*. Quæ tametsi ægro terribilis, horroremque ei, forsan alias meticuloso, incutiat; minime tamen pertimescenda, tanquam pessimi prorsus ominis, modo *Pulmones*, a natura εὐπνοοι, nulla evidenti causa læsi, & curatio matura, & apta fuerit instituta.

X. Hæ *Tusses* sæpe, & interdum hi *Catarrhi* ex intervallo aliquo revertuntur, quando nimirum miasma, (ut est semper nascens) in sanguine renovatum, ac cumulatum, *Pulmoni* infigatur. Accessionibus his in primis favet autumnus, qui, cum illud tempus fit, in quo, ad τὸ παροξύνεσθαι & miasma emittendum, moveri soleat *Arthritis*, & in quo *Catarrhi*, & *Tusses* grassentur exquisitæ; quidni hisce nostris favere judicetur. Unum autem hisce omnibus inesse, & quidem magnopere ad eas contribuere censeo, nempe *Pulmonum* a natura imbecillitatem, & Atονίαν: unde ii, *Arthritico* miasmati, (quandocunque fuerit in sanguine congestum, & expulsioni aptum) pectus adeunti, in se recipiendo, arcteque complectendo, perpetuo sunt parati.

XI. *Tussientibus* his *Febricula* seu nulla, sive lenis esse reperitur; sin eos algere, aut cardiacis nimium indulgere contigerit, (unde *Febris* sive accendatur, sive augeatur) *Peripneumoniam* est quod timeas. Quacunque vero de causa initium capiat hic affectus, signa eum ostendentia, quæ συνδρομὴν constituant παθογνωμονικὴν, plane sunt eadem, ac in *Peripneumonia* vulgari, & absoluta, & utrum affectus hic *Arthriticus* sit, an vero minime (nisi forte dolor *Articularis* simul occurrat, extraque dubium rem ponat) ex ejus *Historia* tantummodo petendum est. Quoties autem *Arthriticus* esse apparebit, hujus rei in eo curando rationem aliquam haberi, oportebit.

XII. *Anomaliis* hisce medendi indicatio generalis, eo, quod alienum est, citissime tutissimeque *Pulmonem* liberat: illud autem in diversis his affectibus, modo non uno perficiendum. In iis omnibus *Venæ sectio* prodest, ubi nihil adversatur; in teneris, & debilibus, vix unquam administranda; in morbis, & ætate fractis, ne vix unquam. *Hæmoptoe*, & *Peripneumonia* laborantibus est aptissima; præcipue *Peripneumonia*, qui omissa *Venæ sectione* raro curantur. Ubicunque vero instituta fuerit, caute & provide cavendus est; ut, *Arthritidi* postmodum in artus expellendæ fugandæque, natura ne reddatur impar.

Proximo loco de *Purgatione* cogitandum: ea etiam omnibus hisce malis occurrit, & probabilis videtur, ubi vires ægri consentiunt, maxime vero, ubi corpus cassum, & plenum; aut intestina sunt immunda, & nulla fuit *Venæ sectio*. Illa vero *Purgantia* jure merito præferenda, quæ sanguinem exagitando, & turbando, ad *Arthritida* movendam conferant: de quibus iterum, & sæpius alibi.

Præmissis his, ad ea descendimus, quæ *Arthritidi*, hospitio novo, & inepto, (*Pulmone* scilicet) excitandæ, & foras ejiciendæ faciant. His adjungi, & cum iis simul componi juvat illa, quæ, *Pulmoni* dicata, ei, sive per *Anacatharsin*, sive alio quovis modo inserviant. En horum exempla.

℞. *Alcohol. M. Balsam. Capivi ana* ʒß. *Conf. Fruct. Cynosbat.* ʒj. *Syr. Cap. Ven. q. s. f.* Bolus.

℞. *Flor. Sulf.* (*vel Benzoin.*) *Chal. prædicti ana* ʒß. *G. Ammon. soluti q. s. f.* Pil.

In *Tussi*, vel *Catarrho Arthritico*, (modo nulla *Febris* suspicio fuerit,) sumatur *Bolus*, vel ex *Syr. Balsamici chocl.* j. *Pil.* bis in die, cum *Decocti Pectoralis* haustu; quem quidem *Syrupum*, vel ejusmodi aliquem, alias sæpius in die lambat: alias, forma liquida siquidem arridet, iisdem temporibus propinetur *Haustus*.

℞. *Syr. Tussilag.* (*vel Cap. ven.*) ℥ß. *Tinct. Sulf. gutt.* ii. *quibus probe mixtis adde Pul. Olib. Chal. N. ana* ʒß. *Aq. Hyssop.* ℥iiß. *f.* haustus.

Loco *Tinct. Sulf. Balsamum* ejus *Anisatum*, vel *Terebinthinatum*, *Balsamum Capivi*, *Gileadense*, *Chiliense*, vel *Peruanum* certis suis dosibus adhibeantur.

Quando malum inveteravit, ad prohibendam sanguinis colliquationem *Decoctum Corticis* aliquoties præscripsi, in ægroti emolumentum non mediocre.

Tussienti prosunt *Throch. Nigri Londinenses*, *Ecligmata*, & ad sputum educendum, *Tussim* mitigandam, quæcunque tuto faciant *Arteriaca*.

Cum remediis internis dies tres, vel quatuor impertiveris; unde roboretur sanguis, & ad τὸ Παροξύνειν extimuletur; si nulla in articulis apparebit *Arthritis*, applicetur extra, parti creberrime dolenti, *Empl. Cephalicum*, per se, aut cum *picis Burgund.* quantitate æquali, vel *Ceratum viride*. Sin ista, nimis imbecillia, materiam non movebunt, & ex eorum usu nulla *Pulmoni* fiet utilitas; validioribus opus erit auxiliis, & majori mole pugnandum. Hoc casu *Phænigmi*, *Vesicantia*, *Setacea* possunt usurpari. Eo autem modo in eorum usu, progredi juvabit; ut a mitioribus semper incipias, neque nisi illa fuerint, ad severiora ascendas: cumque severioribus uti necessum erit, non nisi naturæ permissu, & sic, ut ejus vires pati possunt, intentandum.

XIII. Hac methodo, in his affectibus, *Pulmoni*, ut opinor, optime prospicitur; maxime, si tutelæ gratia, in dorso *Fonticulos* aperiat, sique aere sicco, & ventis agitato utatur æger, sique eo omnia dirigat, ut recta perstet *Arthritis*, & ex intervallis debitis recurset.

Hisce vero prætermissis, aut otiose, & negligenter actis, *Tussis* ingravescit, corpus non alitur, nullus in eotum, quæ decedunt, locum subeuntibus, succedit *Macies*: pituita, quæ principio tenuis erat, jam crassior fit, excreatuque difficilior, & interdum cruenta. Exulceratio fit *Pulmonum*, unde, tanquam exquisita φθίσι, oppressus æger, e medio excedit.

XIV. In *Peripneumonia* vero *Arthritica*, rapidiori gyro versatur res. Inter initia, morbo protinus occurrendum; alias sane non facile vincendo. Sanguinem cito detrahi, *Enema* post horas aliquot immitti. *Purgationem* die postero instituti, oportebit. *Linctus ex Oleo Amygd. d.* vel *oleo Lini*, omni fere hora delingendus. Vitanda sunt *Emulsa*, & *Decocta* nimis frigida; sique apparebit in artuum aliquo *Arthritis*, vel, eam educi posse, spes erit; per eam educentia consulendum est ægroto. Hoc enim perpetuo ratum esse arbitror, *Peripneumoniam*, ex *Arthritide* inversa, & in febrim adaucta, natam, ejusdem *Arthritidis* expulsione, & in artus amandatione, & in viam reductione (modo hoc effectum reddere licebit) commodissime posse removeri.

XV. Non ignoro Clarissimum *Sydenhamum*, Medicum ἰατόδεον, de sanandis his affectibus aliter scripsisse, nimirum, metastasi materiæ vitiosæ facta in *Pulmonum* lobos, intentionem medendi non ad ipsam *Podagram* esse dirigendam; verum, (hoc symptoma, *pari modo tractandum*, *quo* peripneumonia *absoluta*; venæ sectione *scilicet repetita*, *cum* Diæta, & remediis refrigerantibus, *ac incrassantibus*; *Purgandum insuper ægrum*, *inter* venæ sectiones, *idque* potionibus lenientibus: *Sudorem autem obesse*, *materiam* pulmonibus *impactam indurando*; *unde generantur abscessuli*, *& tandem ægri mors certissime subsequitur*.) At ego per Υγίειαν, per *Æsculapium*, per ipsius *Sydenhami* manes, oro obsecroque; quænam *Morborum Venenosorum* (cujusmodi sunt hi omnes) curatio probabilior, quam per ipsius *Veneni* e corpore, vel in artus, in partes a centro vitæ remotas, & minus nobiles, expulsionem? Annon natio Medicorum omnis, ipseque alias *Sydenhamus* ἀνεπιτήδειον, quoties ingravescat, & in orgasmum evehatur, exterminari, exturbari, ejicique jubet? Annon hoc ipsum naturæ opus, eique ministerio, & auxilio, medicorum esse, prædicatum est. Hisce vero, tanquam basi & fundamento, positis, quæ (secundo loco) medicina hanc alieni expulsionem magis promovere possit; ea, videlicet, quæ *Venæ sectiones repetitas*; *quæ Diætam*, & *Remedia refrigerantia*; quæque *Cathartica* blanda, & lenientia, (quæ quidem omnia, sanguinem deprimendo, *Venenum* in eo retineri faciant) spretis interea, neglectisque *Diaphoreticis*, *Arthritidem* expellentibus, comprehendat: An, e contrario, quæ ex remediis calidioribus, venenum, ad naturæ votum, & propositum, in artus tuto extrudentibus; quæque ex *Venæ sectione* & *Purgatione*, ad hoc opus accommodatis; quæque auxiliis, extra admotis, *Arthritidem* evocantibus, sit composita? Si a *Febre*, medicamentis calidis ne inferatur, erit periculum; hoc ut devitetur, missione sanguinis sufficienti, & calidorum usu non nimio cavendum est, sed neque rei ullius, propter ejus, qui incidere possit, abusum; speranda protinus utilitas; præsertim ubi magna, & humano generi salutaris. Altera vero ex parte *Veneno* retento, licet depresso; quam exulante, & amoto, tum commodi minus, tum periculi plus, oriri certum est: itaque esse, non suadet opinio temere suscepta, sed cogit experientia, non subleste fidei, verum iterata, firma, & (uti mihi videtur) rationi consona.

HISTORIA I.

Tussis Arthritica.

DUm hæc in manibus sunt, memet interea consulit e propinquo quidam, humili loco natus, annos circa quinquaginta, pectus aggravatum, vocem impeditam, & *Tussim* habens media æstate molestissimam. Screatu ille multum ejecit, *Tussi* exantlavit; nonnihil elanguit; febricitavit. Erat, quod *Tussim*, qua magnam, qua diutinam, qua tempestati non minus congruentem, ingenio & natura esse singulari, submonere videretur.

Quæ per anum materiam e sanguine leniter educerent, ex usu medico remedia præscripsi: quibus sumendis, postquam æger dies aliquot, tam utiliter, quam sedulo, incubuerat; novum ecce malum, improvisum, inopinatum est exortum; *Genu* nimirum dextri *Dolor*. Cumque didicerim, *Pedibus* illum antea, more prorsus *Arthritico*, doluisse; per annum autem integrum, & quod excurrit, minime; dolorem hunc *Arthritidis*, sese in *Paroxysmum* efferentis, indicium esse existimavi. Cum brevem eum, mediocrem, neque satis acutum observaverim, partim materiæ per annum, partim per *Pulmonem* ejici, *Tussimque* illam revera *Arthriticam* esse, judicavi.

HISTORIA II.

Tussis *Paroxysmi* Arthritici *Symptoma prænuncium.*

SEnex perhonorificus, morum suavitate, animique integritate clarus, cum de varia, & multiformi *Arthritidis* natura, sermones

una

una fecerimus; de sua, qua triginta jam annis per vices ægrotaverat, sciscitanti mihi confirmavit, se febricula, per omnem fere juventutem, quotannis suisse, deinde vero rheumatismo, affectum; cum hoc eventu minime reticendo, quod, ex quo hic primum apparuit, illa plane desierit, neque semel unquam ægrotantem ex eo tempore invaserit.

Rheumatismo ut mederetur, hortatu Medici, per totam *Angliam* tum temporis, celeberrimi, *Diaphoretica* sumpsit, iisque assatim assumptis, quæ per artus hic illic sparsa erat materia, jam articulis affixa est, & vulgi quidem opinione æger Ποδαγεία. Eo more *Paroxysmus* erat, ut *articulari* (digitorum maxime) *Dolore tumoreque*, noctis unius spatio, excitatis, se ostendere; &, omni vere, & autumno, multos annos reverteretur. Quod vero memoria dignissimum, *Paroxysmum* omnem præivit *Tussis* importuna, vehemens, molesta, qua, dies quatuor, vel quinque, ægrotum exagitante, multum ille tussiendo semper ejecit, & una cum pituita (quod quidem verisimile) miasmatis *Arthritici* partem. Cetera vero, quantum ab ægroto accepi, *Arthritis* se recte gessit.

HISTORIA III.

Sputatio Arthritica, *in extrema ætate nimia*.

TAbernarius quidem in vicino oppidulo, per ætatem mediam & constantem, *Arthritide* doluit recta, & idonea, grandior autem, inversa & *Anomala*. Nunc *Ventriculum* ea, nunc *Pulmonem* est ingressa; illi Ἀνορεξίαν, Δυσπεψίαν, nauseam inducens, huic, *Tussim*. Erat *Tussis* admodum molesta; pituitæ tantum movens, quantum ægrotum ætate provectum debilitaret, alimento privaret, macilentum redderet: qua vero ratione gliscebat in viscera *Arthritis*, in extremis partibus ea remisit, & quidem e vestigio; sic, ut de materiæ, ad πὶ εἴδον ἀ πῖς ἔξω, translatione, & de his affectibus, ab eadem causa communi oriundis, nihil omnino dubitandum. E *Cortice*, *Marte*, & *Sulfure* præparatis, varia præcipiebantur, una cum incrassantibus, & sanguinem roborantibus: eo videlicet, ut in artus expelleretur *Arthritis*, itaque defenderetur *Pulmo*, natura autem viribus deficiente, (πρῶτον μετὰ πάντων δεῖ φύσιος) frustra erant omnia, Medicamenta, utut probabilia, sexagenario, annis & tristitia fracto, parum profuere. Sputatione nimia, virium imbecillitate, animi mœrore, propter res domesticas depressum, & medicamenta vix sentientem, Mors abstulit, *ultima morborum Medicina*.

HISTORIA IV.

Anacatharsis Arthritica *Salutaris*.

INeunte sæculo supra millesimum septingentesimo, ad presbyterum *Exonienſem* arcessor, qui eo tempore quadragenarius, constitutione tenerrima, & jam annos septem *Arthriticus* fuit. Paroxysmo dudum gravissimo affectus est, manus, pedes, genu alterum obsidente, eoque adhuc consistente, nox apparuit *Catarrhus*, nares, os, pulmonem, more pene *ferino*, obruens. Hinc *pectoris* farctura, spiritus difficultas, *Tussis*, sputum primo tenue, postea crassum & copiosum, & imo pectore, magnoque cum molimine eductum. Quemadmodum illud σωιδρον (*Sputum* volo) increvit, ad eundem plane modum & rariorem, signa pure *Arthritica* (id est, *Dolor* & *Tumor Articularis*) sunt minuta. Ut *Arthriticum* miasma aliqua ex parte per *Anacatharsin* expelli, compertum habeatur.

Ad *Tussim* mitigandam, & *Sputum* simul movendum, *Syrupum Balsamicum* & de *Meconio*, sæpius in dies lambendos, & *Pil.* hora somni, sed modica quantitate, *Styracinas* dedi: Quod humorum niniam inhiberer *Colliquationem*, & ab ea sanguinem tueretur, *Decoctum Corticis* iisdem *Syrupis* dulcatum, imperavi: quæ cum fructu, & emolumento non mediocri adhibeantur.

Biennio post, ab una eademque causa evidenti, nempe frigore, & *Articulis*, & *Tussi* laboravit æger; eoque procul dubio magis, quoniam, cum autumnus esset, ille sanguini depurgando non parum faveret, is erat dolor *Arthriticus*, quo nunquam huic *Arthritico* major, nunquam acerbior; ea vero *Tussis*, quæ, sputatione multa, & pituita larga vi emissa, dolorem penitus abscinderet, ejusque causam, per *Anacatharsin*, amoliretur. Cujus rei veritas vel hinc eliciatur, quod doloris interruptio *Sputum* derepente sequeretur, & pari passu comitaretur. Hujus *Sputi* movendi citandique gratia, *Opobalsamum*, ex *Syrupo Balsamico* sæpius in die, non sine fructu, datum est. Omnia denique sic comparata sunt, ut *Arthritidi*, per *Pulmones* fugam molienti, via patefieret. Ex sententia res successit.

HISTORIA V.

Peripneumonia Arthritica.

MAtrona lectissima, sanctissima, majores habens inter Aborigines *Damnonios*, stirpe tam nobili dignissima, *Pectore* a natura brevi donata, nonnullis ejus affectibus, ea de causa proclivis esse visa est. Quæ, ab ipso vitæ initio, *Pulmonem* illius ingredi, *Tussimque* facere sueta fuit pituita, crassiorem jam, & ætate progredientem ægram, magis aggravavit. Hinc *Tussis* illi, per ætatem omnem mediam, permolesta; hinc *Dispnœa* fere perpetua.

Vitæ annum circiter quinquagesimum, cessante *Tussi*, locum ejus supplevit *Dolor Artuum* erraticus. Tumuerunt digiti, doluerunt articuli, præsertim *Genuæ*, & *Carpi*; qui interdum tumore, sed in omni paroxysmo dolore sunt affecti. Ruboris, splendoris interea nihil unquam est visum.

Cum materia crebro *Subjectum* mutaverit, nunc quæ extra, nunc quæ intus sunt, obsidens; frequenti observatione palam factum est, ea foras erumpente, & in *Artubus* subsistente, *Pulmones* esse tutos, *Respirationem* integram: contra, intus agente materia, immunes esse artus. *Tussienti* nihil magis profuit, quam *Trochisci nigri Londinenses*, & istiusmodi pharmaca pituitam educentia. Potioni fuit pomaceum, cerevisia longe commodius. Nihil algore pejus, hoc enim spiritus brevi impeditus, ægra pene strangulata.

Cum iter hinc in locum, carbonibus & fumo celebrem, facere decreverat; Plethoricæ, *Tussienti Asthmaticæque* suasi, ut, priusquam inciperet, sanguinem detrahendo; ventrem inaniendo, *Sputum* movendo, materiam in artus vitiosam expellendo, itineri (quando hyems erat) inauspicato, civitati *Tussientibus* infestæ, se quodammodo paratam redderet. Prætermissis autem hisce, *Tussis* itinere adaucta est, fumo spiritus impeditus, ut, accedente ad hæc febre, (Medico longe nobilissimo frustra vocato) vita paucis post diebus cederet.

Per *Tussim* veterem & humidam, id, quod alienum erat, naturam exterminasse; sicque articulis peperciisse, non improbabile est: per abruptum *Articularem* morbum, ejusque materiam *Pulmonibus* impactam, fieri *Peripneumoniam*, interfici ægrotantem, manifestum est.

HISTORIA VI.

Catarrhus, *Asthma*, *Tussis* Arthritica, *per Humorem in Artus* Ἀντισπασιν, *& deinde Evacuationem, mitigata, sublata*.

ABhinc annos tres vel quatuor, forte mihi obvenit hujusce Tituli Historia, nisi fallor, observatu, memoratuque digna. Erat in suburbiis *Totonesii*, de meliore nota, vir, olim athleticus, valentissimus, corpore quadrato, constitutione firmia, senectutem eo tempore ingressurus: qui septem annis algere, & levi quavis ex προφάσει tussire solitus, hunc in modum sæpe graviter afflictus est. Frigore quod *Tussim* & algorem creberrime præcurrit, interdum eriam effectum est; ut per artus dolor incertus, & erraticus pervaderet; ut internodia, sive articulorum intervalla, magnopere pungeret, ac si esset rheumaticus, ut aliquando *Articulos* (præsertim *Humerum*, & *Coxendicem*) morderet: cum dolore tumor. Rubor etiam interdum *articularis* erat, ut de mali natura nulla restaret dubitatio.

Olim hic illi valetudinis status erat: nuper autem, interciso, nescio qua de causa, in extremis partibus dolore, tanto in *Pulmonem* impetu & copia, morbi infusa est materia, quanto raro advertatur. Seri vi immensa pectus aggravatum est; tussiit æger indesinenter, & quidem enixe. Non nisi difficillime spiravit, neque nisi erecta cervice. Sæpe tussienti deliquit animus, neque spiritus, (cogitandi munus exercentes,) agitati jam & profligati, pristinum ordinem cito recuperarunt. Sputum modo tenue, & salsum; modo sanguine, ex tussis importunitate, interspersum. Facies pallidior, corpus attenuatum.

A quo tam mire affectum est *Pectus*, id est, per menses duos; vel tres noviissimos, nullus in extremis partibus (qui tamen alias creber esse consueverat) *Dolor*: nullæ querelæ. Quibus omnibus recte ponderatis; uti etiam quod a patre, post homines natos maxime *Arthritico*, gigneretur æger; ea fui sententia, non alium esse morbum, quam *Arthritida* vetustam, membra olim ὀδῶς nunc *Pulmonem* ἀνωμάλως excruciantem; neque facilius expeditiusve posse illam removeri, quam ejus materiam, *Pulmonem* occupantem, in membra, sedem illi propriam, quaqua possit arte, expellendo reducendoque.

Ita mecum arbitratus, post *Venæ sectionem*, utrique malleolo *Phœnigmum* (*ex Fermenti veteris part.* iv. *Seminum Sinapios*, *Fimi Columbini*, *Raf. Radiculæ*, *Cacum. Rutæ ana p.* i. *Aceti Vini albi q.s.*) calidissimum applicui, frigidum usque renovavi, donec tumor utriusque pedis est exortus. Tumori hic illic facto, vel quam proxime eum, admovi *Epispasticum*. Hæc, ut *Arthritis* evocaretur, ut autem expelleretur, eodem tempore Ποδαγρυγωγὰ præscripsi.

℞. *Pul. Gascon.* ʒß. *Ther. Androm.* ℈i. *Balf. Per. gutt.* v. *Conf. Alk. q.s.f. Bolus*, *vespere sumendus cum Julapii Haustu. Interdiu vero*, *loco Theriac. Chal. N.* ℈ß. *cum prædictis*, *forma pilulari*, *ex Syr. Balsam. cochleari. Pro potu ordinario Decoctum Pectorale*, *ex Rad. Helenii Cond.* ʒß. *Eryng. C.* ʒi. *Raf. C. C. Eb. ana* ʒiii. *Balsam. Tolut.* ʒii. *Sem. Coriand.* ʒii. *Aq. Hordeat.* ℔iii. *ad* ii. *incoctis*. *Ad Tussim mitigandam Eclegma datum est*, (*ex Syr. Balsam. de Mecon. ana* ʒiß. *Tinct. Aurant.* ʒii.) *sæpius usurpandum*. *De Tussi caveret*, *monui*; *ut ab ejus acrimonia ne Pulmo læderetur*; *ideoque Bechicis sæpe uteretur*.

Hisce positis, & jure meo præceptis, medendi viæ ægrotum commisi; ea spe plenus, si *Pulmones* adhuc integri & sani essent, sique ad τὰ ἔξωθεν humor transferretur, servari posse restituique ægrotantem, si aliter res fuerit, occubiturum.

Dolori, siti, & languori, a *Phœnigmorum* usu ortis, propriis remediis; *Paregorico* leni, *Decocto* sitim extinguenti, & *Julapio Cardiaco* medetur.

Phœnigmorum ope tumor factus est utriusque pedis, ad usque suras, egregius, immensus. *Vesicantibus* seri non parum elicitum est. Quod vero maxime auspicatum, & omnis erat optatissimi; qua serum elicitum est, ea penitus proportione mitigata *Tussis*; ea restitutum est *Pectus*. Qua de causa *Vesicantium* ulceribus, cito nimium exsiccatis, (ut, quod inesset tumoribus seri penitus educeretur) in utraque sura *Setaceum* meo consilio factum est. Hinc juge seri flumen: quicquid ab *Epispasticis* defectum, hinc suppletum est.

His auxiliis, extra, intus, simul semelque adhibitis, factum est; ut a *Tussi*, ab *Asthmate*, a pectoris gravitate, ceteroque ejus malo omni liberaretur æger: eorum autem loco subortus est *Humori Dolor* plane *Arthriticus*; iisque, si consideremus serum nuper evacuatum, satis acutus.

At quia longa morbi obsidione *Pulmones* enervatos, & debilitatos esse jam liqueret; propterea (tutelæ gratia) quando *Setacea* serum emittere jam finierant; utroque spinæ latere, inter omoplatas, aperiri *Fonticulum*, magno certe ægri cum emolumento, jussi, & *Hydragogum* aliquoties adhiberi.

Hac ille medicina, morbo certe ancipiti, & periculoso liberatus, habitum & colorem brevi tempore bonum obtinuit, omnino convaluit; neque subleśta fide testabatur, *Rheumatismum* illum veterem, quo per annos alioquin multos se gravari æger opinatus erat, *Arthritidem* revera esse erraticam; nec non illum *Pectoris* affectum, istius esse *Arthritidos* Ἀνωμαλίαν. Sic opinari suader Historia morbi; sic curatio.

CAPUT XII.

De Phthisi Arthritica.

Art. I. AFfectuum in pulmone *Arthriticorum* proximus, longeque periculosissimus est φθίσις: quæ, ut permulta habet cum absoluta *Phthisi* communia; (ita quidem propria, sive causam ejus continentem, sive medendi methodum intueamur) tam multa,

mo-

momentique tam magni habet, ut eam præterire nefas æſtimetur. Hujus autem morbi hæc conditio eſſe ſolet.

II. *Arthriticus*, ex materia vitioſa, vel per cauſam aliquam externam in *Pulmonem* repercuſſa, vel per ejus imbecillitatem allecta, acceptaque; primum, pectoris gravitate, *Dyſpnœa*, & raucedine corripitur: deinde, ſputum excreatur; quod, initio tenue, paulatim craſſeſcit. Progreſſu temporis, caro flacceſcit, ſimili fere proportione, qua craſſum id ejicitur, & paulatim abſumitur; vires enervantur. Interea vero dum iſta fiunt, nullus in extremis partibus tumor, dolor nullus articularis; aut ſi ullus acciderit, parvus, & brevis ſpatii, apparet. Creſcit autem faciei pallor, & corporis univerſi macies; & comitem, (propter vaſa, frequenti, & violenta *Tuſſi* exagitata, & diſrupta,) interdum nanciſcuntur *Hæmoptoen*. Demum, calor hecticus exoritur, cum pulſu celeri, cute arida, præſertim veſperi; quibus mane ſuccedunt ſudores ſymptomatici. Atque ita æger, tuſſe pertinaci, ſputatione multa, ſudore colliquante, *Diarrhœa* impatibili, nec quavis arte diu ſiſtenda, vel (ſi non ſit *Diarrhœa*) tumore pedum aggravatus; &, tanquam exquiſita *Phthiſi*, certe ei ſimillima, oppreſſus, cum morte, ærumnarum requie, vitam miſerrimam commutat.

III. Etſi vero ultimum hujus *Phthiſeos* ſtadium, ab exquiſitæ ultimo, (tanta earum inter ſe convenientia eſt) vix poteſt internoſci, aut ſignis diacriticis diſtingui: duo ſunt, in ejus ſtadiis prioribus, (incremento nempe, & ſtatu) quæ *Phthiſi exquiſitæ* raro conveniant, aut de ea dici mereantur.

Unum eſt, quod, aliter quam *Phthiſis exquiſita*, quæ adoleſcentum, aut juvenum morbus eſſe, neque alia, quam firmiſſima ætate, facile reperiarur, hæc noſtra *Phthiſis*, e contrario, adoleſcentes raro aggreditur; ſæpius autem conſtantes, & interdum (quod de *Exquiſita* nondum videre licuit) viros natu grandiores, mulieres autem maturius, propter naturæ privilegia, (partus ſc. & catamenia; quæ tum *Arthritida*, tum *Phthiſin* arcent) maturius ceſſare ſolita.

Alterum, quod *Calor Hecticus* (qui in *Phthiſeos* exquiſitæ ſtatu, & initio, gravis eſſe ſolet, reliquaque interdum ſymptomata præcurrit omnia) ſerius in *Phthiſi Arthritica*; nec quidem uſitate ante ſputum largiter excreatum, corpuſque eo debilitatum, oriatur. Cujus quidem φαινομένου ratio partim ex jam dictis (hunc affectum non niſi annoſiores, id eſt, ſanguine frigidiori præditos, invadere) eliciendum partim ex eo, quod *Arthriticorum*, ſiquidem juniores fuerint, ſanguis, propter frequentes *Arthritidis* paroxyſmos, neque temere incendatur, nec quidem incenſus adeo exæſtuet: Et quidem *Phthiſis Arthritica* lenta eſſe ſolet, neque multa *Febre Hectica*, niſi ultimo vertente ſtadio, comitata.

IV. Prædicto fere modo res agitur, quoties in *Pulmonem*, a natura debilem, miaſma *Arthriticum*, gravi aliqua urgente cauſa externa, impellatur; aliave quavis ei infigatur, neque medicina ſatis efficaci, vel ſatis opportuna, removeatur.

Interdum autem ad *Pectus*, non adeo recta itur; verum, a πὶς ἔξω θεν, ad τὰ εἴσω, & retro, variæ ſunt itiones, & reditiones; eæque, non niſi annorum aliquot ſpatio, peractæ; donec denique, poſt *Tuſſes* varias, graves, & importunas, ſuccedit *Phthiſis*, abſolutæ ſimilis, *Arthritica*. At, ubi *Pulmonis* διάθεσις eſt, & medicina tempori fuit adhibita; materiæ vitioſæ partim in artus exturbatur, ſcreatu partim ejicitur; *Pulmones*, crebris inſultibus debilitati, ſanantur: æger & colorem, & robur priſtinum acquirit. Quibus autem modis hæc præſtari poſſint, ſtatim exponetur.

V. Ex ſupra dictis (ut opinor) liquet, nullo modo hujus morbi indolem, & ingenium, poſſe magis patefieri, quam per ejus Τεκμηρίων. Quæ enim dixi, illi propria, quando neque ſemper, neque ſoli competant: atque adeo fidei non ſpectatiſſimæ perpetuæque, verum e diverſo dubiæ, ſint habenda, ut de morbi hujus ingenio conſtet, quæ illi cum *Arthritide* neceſſitudo; quæ conjunctio: quam illa prope *Paroxyſmum* excipiat, utrum e veſtigio, an e longinquo; utrum, & qua de cauſa, interciſum, an vero deficientem ſuppleat, & ejus vicem gerat, pro ejus declinatione, increſcens: Ne pluta; utrum ejus ratio, *Arthritidi* rectæ ſit, & quatenus ſit, inverſa, ſedulo quærendum eſt.

VI. Curatio poſtulat ut levetur; ut hoſte infeſtiſſimo, quam citiſſime, liberetur *Pulmo*: id autem modis alio alioque tempore diverſis, & quam in *Arthritica Tuſſi* aliis, elaborandum eſt.

In principio morbi, uti *Tuſſis* urget, & tantum in propinquo φθίσις eſt; multum a *Phlebotome* & *Catharſi* rite factis, expectare licet. Hiſce poteſt fieri, ut e corpore exturbetur, vel minimum ut e *Pulmone* eruatur id, quod alienum. At quia non ſemper hoc effectum eſt, nec evacuationibus illis commode confiditur; ita illæ fiant, oportet, ut *Paroxyſmi* regularis excitandi habeatur ratio; id eſt, intra modum: ne natura nimium debilitetur, & expellendæ *Arthritidi* impar reddatur.

Poſt ſanguinis detractionem, & alvi ductionem; alteram nempe, vel utranque, vel, ubi inutiles cenſebuntur, iis omiſſis, ad alia confugiendum, bechicis, & ποδαγρακτικοῖς utendum: His, ad materiæ in artus expulſionem; illis, ad expuitionem. Hos in fines *Lictus* (ex *Ol. Amygd. dul. rec.* vel *Ol. e Seminibus Lini*, & *Syrupo Balſamico*, vel *de Praſſio*, vel *de Rapo*, *aliove quovis Sputum movente*) componendus; & hora quaque altera, tertiave, ad cochleare unum adhibendus. Atque ubi nulla febris indicia repugnant; *Pilulæ ex Pul. Gaſcon. Chal. N. Succo Glycyr. Balſ. Peruan. ſexta*, *vel octava quaque hora*, adjectæ, iſto ex vehiculo ſumantur, & in potionem ordinariam *Apozema* detur *Pectorale*: vel, in forma liquida, cochleari *Eclignatis* inſtillari poſſunt, octava, quaque hora, *Balſ. Peruan.* vel *Tinct. Sulf. gutt. x.* &, intervallo omni medio, *Chal. N.* gr. vi. *vel* viii.

Eo vero uſque calidis hiſce remediis utor, quoad ſiverit a febre periculum, & *Arthritidis* expulſio poſtulaverit. Et quidem eo lubentius hac via progredior, quoniam a calidis hiſce, præſertim in ſenioribus, & *Arthritide* crebro recurrente depreſſis, non magnum unquam oriri periculum obſervavi; &, ſi quod unquam extiterit, delubito tolli poſſe, non vana ſpes eſt: at commodum e diverſo uberrimum eſt, adverſis hiſce longe uberius. Et, ne medicina hæc noſtra, tanquam nimis calida, & *Phthiſis* inepta, male accipiatur; ſancte profiteor, me ea proſpere, magnaque ægri cum utilitate, plus ſemel fuiſſe uſum: cujus ego rei ſtatim exempla proferam.

Si vero febris, ſeu per ſe, ſeu pharmacis excitata; quam ad rem præſentem opus fuerit, major exardeat, *Pulmonique* φλόγωσιν intendat: ei, per detracta iſthæc calida, per *Enemata*; per ſanguinis miſſionem; per *Corticem Peruanum*, tempori adhibitum, &, quandiu incurſat febricula, repetendum: perque alia, quæ *Peripneumoniam* tenuare ſolent, eſt cavendum. Neque enim *Arthritidem* ex *Pulmone*, niſi tuto, licet amoliri; neque vitæ, niſi per ei conducibilia proſpicere. Febre vero tenuata, medicina jam dicta (quoad commode fieri poteſt) ſimilis, in uſum denuo vocanda.

Quando remediis iſtiuſmodi internis, (*Arthritidem* expellentibus, una cum *Bechicis*) dies aliquot teruntur, nimirum duo, vel tres; citiuſve, ſi, in articulo & περὶ ἄκρων aliquo dolor fuerit excitatus; articulo jam affecto, vel qui ſæpius efficitur, extra id, quod materiam educat, applicari par eſt; eo, quo, in Capite præcedenti, aliaſque paſſim, modo declaratum eſt. His autem eo magis inſiſto, quoniam ab antiquo commendari video, veterumque uſu confirmari. „ *In tabe, ubi vehementior noxa eſt, ac neque Febricula, neque* „ *Tuſſis quieſcit, tenuarique corpus apparet, validioribus opus eſſe au-* „ *xiliis*, inquit, (*a*) *Celſus*, & *exulcerandum ferro candenti, ſic ne* „ *ſaneſcere ſinas Ulcera, niſi Tuſſis finita fuerit*. Quod quidem auxilium, etiamſi acre & ſeverum, tamen, ut in *Phthiſi* abſoluta commodum; ita in hac noſtra, propter venenum intus contentum, eliciendumque, commodiſſimum.

Unum hic monendum, ægrotantibus hiſce ponderis & momenti non exigui: *Opiata*, licet vulgo *Phthiſicis* utiliſſima, in hoc caſu ſuſpecta eſſe, neque copioſa tempore præſcribenda: ne videlicet miaſma *Arthriticum*, jam in *Pulmonem* inditum, eo loci infigant. Dentur itaque ſic, ut *Tuſſim* ſupra modum importunam inhibeant, & quietem ab ea tutam concilient. Quod autem *de Opiatis* dictum, id etiam de iis, quæ pituitam faciant craſſiorem, quæ *Pulmonem* obſtruant, eique impedimento ſint, ex parte aliqua dicendum.

Quoties hac, vel hujuſmodi via, in extremas corporis partes amovetur *Arthritis*, mirum quantum inde levetur *Pulmo*; nihil, ut opinor, ægrotantibus his commodius; quo enim magis *Articulum* illa mordet, eo minus *Pulmonem*. Vidi equidem *Tuſſim* hac arte primum fieri tolerabilem; ſputum minui, utrunque poſt auferri; vidi reſtitutam oculorum aciem, διόραρκιαν, διόχροιαν, & a *Phthiſi* incolumitatem. Quæ quidem omnia, quo certiora fiant, opus erit, *Arthritidem* tam expellentia, quam evocantia (id eſt, tam interna, quam externa) continuare; donec omne id, quod naturæ alienum eſt, e *Pulmone* fuerit dimotum.

VII. Quoniam vero *Pulmonem*, pituita diu gravatum, enervari debilitarique neceſſum erit; ad ejus robur inſtaurandum, cum primis facient *Aquæ ferratæ* per urinam exeuntes, & *Aer*. Finito igitur *Arthritidos* paroxyſmo regulari, aliaſve æger reſtitutus, prophylaxeos ergo, bibat per menſem integrum iſtiuſmodi *Aquas*; Sin earum copia non detur, vel ex ægroti re civili non ſit, eas bibere, bibat omni mane *Fol. Teæ Infuſi* quaſi ſelibram, per menſes aliquot. *Cereviſia Herbis pectoralibus*, *Hederæ nempe terreſtris Linguæ Cervinæ*, *Capilli Veneris*, *Abietis*, *Cupreſſi cacuminibus*, *Bardanæ*, *Dauci Sylveſt. Seminibus*, *Juniperi Baccis*; *Milleped. ſiccatis medicata eſto*, & *potioni datur ordinariæ*.

Aeris gratia, commodiſſime *Topoſamum* ex *Iſca* itur: quoniam ille, maritimus, *Pulmoni* benigniſſimus ſit; & nautæ raro *Tuſſi* vexentur; rariſſime *Phthiſi* moriantur. Si ægri imbecillitas, aut loci ratio aere maritimo uti non patitur, equo vectari, & quidem ſæpius, juvabit. Aerem vero profuturum arbitror, tam quia ſpiritus animales recreat; quam quia *Pulmonem* ſubintrando, eum roborat confirmatque. Proſunt etiam *Frictiones*; modo vehementer, bis terve in die, perfricentur externæ partes. Proſunt *Fonticuli* in dorſo magni, aperti, juges. Placet *Sorbitio* ex *Choeholata*, adjecto, ſi lubet, *Ovi Vitello*. Cavendi vero, & quidem maximopere, *Catarrhi*; ne miaſma, denuo germinans, & in ſanguine renovatum, ii ad *Pulmonem* abripiant: quod quidem hiſce laborantibus, ſi frigoris ſint impatientes, (uti ſunt plerique omnes) non inuſitatum; præſertim eo temporis ſpatio, quo repetere ſolet paroxyſmus.

Hac de cauſa, præter jam dicta, quæ *Pulmonum* tueantur, *Pectoralia*; quæque in primo *Phthiſeos* ſtadio, cum fructu adhibeantur; iſtiuſmodi reliqua frequenti ſint in uſu, quæ contra hoſtem non jam victum, quam repulſum, & viribus redintegratis inſultus iterarurum, eos defendant. Quare, per anni dimidium hyemale, *Decoctum L. Saſſafræ*, *cum ejuſdem Cortice*, *Rad. Chinæ*, & *Sarſæ*, *bis in die ſumatur*.

VIII. Hæc de *Phthiſi*, a miaſmate *Arthritico*, per ſanguinem, cum *Pulmone* communicato. Siquis autem *Phthiſin Arthriticam*, a fermento e nervis ſuppeditato ortam, ejuſque indolem, & tractandæ modum intueri velit; clariſſimi adeat *Mortoni*, collegæ, dum viveret; amiciſſimi *Phthiſiologiam*, Lib. III. Cap. XI.

Ut autem pateat, antiquitati non latere, materiam *Arthriticam* in *Pulmonem* aliquando invehi, & morbum ei incutere quam graviſſimum, fluxionis *Arthriticæ* mentionem fecit (*b*) *Galenus*, primum per univerſum corpus oberrantis; tum a *Pulmonibus* ad ſe attractæ, donec æger fuerit ſuffocatus, idque ſe in multis exploratum habuiſſe.

HISTORIA I.

Phthiſis Arthritica *lethalis*.

IN eunte anno ſuperioris ſæculi noviſſimo; fœmina *Cliſtenſis*, e multis una, fere quinquagenaria, me vocari voluit. *Tuſſis* illi fuit, eo tempore graviſſima; cum ſputu, interdum ſanguineo, ſemper autem, quoties ab imo pectore decurreret, craſſo, & purulento. Reſpiratio porro difficilis, vox tremula, & (ab imbecillitate) cum clangore quodam: pedum item tumor, pulſus debilis, & necticus, tabes univerſalis, virium proſtratio fuit: ut in ultimo *Phthiſeos* ſtadio ægra; *Febris* autem mitior, quam in *Phthiſi primigenia* affectis eo morbi tempore ſolet, eſſe videretur.

Diffi-

(*a*) Lib. III. Cap. XXII.

(*b*) Τὰ μὲν γὰρ ἄλλα ὑπὸ φαρμάκων, ὅσα εἰς ἀπαλλαγὴν τοῦ νοσήματος οἱ ποδαγρικοὶ πίνουσι, τὴν μὲν ἐπὶ τὰς πόδας τοῦ ῥεύματος φορὰν κωλύει γίγνεσθαι, οὐκ ἐξαναλίσκοντα δὲ τὴν ὑπάρχουσαν ὑγρασίαν, ἄλλου τινὸς μείζονος νοσήματος γένεσιν ἐργάζεται. Πλανωμένου γὰρ ἐν τῷ σώματι τοῦ ῥεύματος ὁ πνεύμων ἀεὶ κινδυνεύει διὰ τὴν τῆς ἀναπνοῆς ἀνάγκην, ᾗ διὰ τὸ μανὸν τοῦ σώματος δέξασθαι τὸ ῥεῦμα ῥᾳδίως δυνάμενος, τὸ πᾶν αὐτὸς ἐφ' ἑαυτὸν ἕλκων, ὅτῳ πνίγει τὸν ἄνθρωπον, ὅσπερ ἰσοεικῶς ὅτι πολλῶν ἐγὼ τῇ πείρᾳ μεμάθηκα. De Theriaca, Lib. I. Cap. XV.

Difficillimi, & jam obfirmati hujus morbi originem, & causam antecedentem, inquirenti perscrutantique mihi, ipsa narravit, matrem sibi fuisse diu multumque *Podagra* cruciatam, eaque demum extinctam: sibi autem ipsi, ante annum, & quod excurrit, tumere tarsum, & pedis convexum; atque adeo rubere, nitere, dolere: sed, cum mature nimis tumor aut evanescceret, aut repelleretur, quod *Tussis*, (qua, per multos ante annos, fuisset identidem afflicta) desubito ingravescens, *Phthisi* viam aperuerit; ut a materia *Arthritica*, pedem languide nimis afficiente, in *Pulmonem* irruente, longaque eum obsidione subvertente, *Phthisin* hanc oriri; &, (auxiliis medicis, sive neglectis, sive inscite usurpatis) inveterare, res esset fide omnino digna, paucis post diebus, e vivis excessit ægra, *Phthisi*, sed *Arthritica*, quæ a primigenia *Phthisi*, non facile distingui poterat, oppressa.

HISTORIA II.

Phthisis Arthritica *Medicamentis calidioribus sæpe levata.*

MErcator *Exoniensis*, gracilis, *Arthriticus* natura factus, ætate constanti leves habuit paroxysmos; extrema vero, & decrepita, jam diu nullos. Bellum pax secuta est, omnium opinione alma, tranquilla, salutaris. Sed (ut eventus comprobavit) dubia, sed fide Punica. Aliquanto post (Septembri MDCCIII.) suborta est suputatio, cum aliquo spiritus impedimento, cum *Pectore* gravato; sed, ex crassa mane pituita, assatim citata, exantlataque, ad tempus aliquot immuni. Languit appetitus; flaccuerunt artus; obtusa fuit oculorum acies, & decolor vultus. *Tussis*, sed *Arthritica* est; & *Phthisis*, ultima senectute, tempore prorsus inusitato, incipiens.

Ut contra hostem, atrocem & truculentam, ore larvato redeuntem, me paratum habeam, præmisso, ad intestina leniter inanienda, *Eccoprotico*, *Infusi amari alterantis coch.* v. *Tinct. M. gutt.* xv. *bis in die*. *Tinct. vero Sulf. gutt.* xii. *ex Syr. de Succo Erysim. coch.* i. *hora somni*, *cum Julapii Pectoralis hausto*, *demittenda meo jure præcipio*: *Spiritus item Vol. Oleosi guttas subinde aliquot*, *cum veteris Malacani hausto*. Eo nempe hæc omnia, *Phthisicis* raro præscripta; ut medicamentis hisce calidioribus, in artus, siqua fieri possit, hostis expellatur. A præscriptorum usu melius certe se habuit; tumuere pedes; levatus est *Pulmo*; tussis elisa.

Mense primo Decembri, nescio qua de causa, detumuere pedes; *Catarrhus* ortus est propemodum *ferinus*, cum sputo tenui copioso. Ut humorum partim eliminaret, *Decoctum Sennæ* (duplicatæ) *Gereonis*; partim, ad πὰ ἔξω θεν, ut amandaret, *Bolum e Pul. Rad. Ari C.* ʒi. *&c. cum infusi amari hausto*, horis duabus medicinalibus sumendum dedi. Medicamenta ex voto profuerunt: pedibus iterum paulo post, ab eorum usu, doluit æger.

At vere sequenti, (qua anni tempestate insultus iterare solita est,) cum jam plane siluit *Arthritis*, in illius locum tanquam subiecta, *Tussis* recruduit, importuna, pertinax, cum sputo tenui, raucedine, tracheæ titillatione fere perpetua, spirandique difficultate: Ad quæ *Pomacei*, ægro gratissimi, usum pene quotidianum nonnihil conferre, verisimile est. *Tussis* ista negligenter habita (toto enim sesquianni spatio, nihil unquam medicamentorum, uti docuit, assumptum est) *Tussis*, inquam, inveteravit: caro absumpta est, pulsus plane hecticus. Mense Julio MDCCI. iterum arcessitus, ea, quæ requuntur, adhibui: bis scilicet in die, *Decocti Corticis Chalybeati* ℥iv. *cum Syr. Balsamici* ʒi. *Aq. Cin. fort.* ʒi. *Hora vero somni Tinct. Sulf. gutt.* x. *eseq. Ecligmatis cochl. i. cum Jul. Pectoralis hausto*.

2ℓ. *Syr. de Mecon. Balsam. Aq. Hyssopi ana p. aq. misce*: *de quo insuper Ecligmate*, *nocturno tempore*, *sæpius ad deliniendam Tussim pitisset*. *Cerevisia Cacuminibus Hed. terrest. Rad. Chinæ*, *Sarsæ*, *Eryng. medicata erat*. *Inter Omoplatas*, *utroque Spinæ latere Fonticulus*, *sex pisorum capax*, *aperiebatur*.

Medicamentis hisce dies xx. usurpatis, micuit oculorum acies, vultus εὐχρόησε, remisit *Tussis*, largiter ex intervallis faciens pituitam. Hinc pectus liberum; hinc εὔπνοια. Pro hectico, calor mitis, blandus, benignus, plane naturalis, cum diaphoresi, tam utili, quam jucunda. Verbo dicam, omni ex parte sanior evasit æger, & a *Phthisi* visus est incolumis. At eheu! senibus incerta res salutis: autumno proxime sequenti, sine causa evidenti ulla, in *Diarrhœam* incidit, gravem, & impatibilem, excrementis liquidis, & biliosis signatam, quæ, alvum indurantibus suppressa, brevi recurrit; &, una cum tumore pedum hydropico, naturæ subversionem ostendens, ægrum, ætate grandem & imbecillum, media hyeme occidit.

HISTORIA III.

Phthisis Arthritica *incipiens curata.*

MEmorabilis certe Historia Dominici C. ex insula *Iscana*, adolescentis septem supra viginti annorum patre *Arthritico* procreati, gracilis, teneri; frigus sine injuria non facile tolerantis, & diu *Phthisici*. Ante triennium *Arthritide* correptus ille, anno novissimo (tanta morbi fuit pertinacia, pedum, manuum alium aliumque digitum invadentis, & vicissim occupantis) vix binos menses egit immunes. Paroxysmi non ex illo fuerunt genere, quod inflammatione, cæteroque istiusmodi satellitio more suo stiparentur; quin potius lenes, mites; quique in longum idcirco tempus extraherentur. Quoties animus (is autem creber fuit) pedibus imminentem antevertere paroxysmum, tibialia ne vel lectum ingressurus exuere consuevit; tam noctu, quam interdiu gerens; neque sine successu: hoc enim artificio, *Arthritidem*, paroxysmum molientem, identidem protelavit.

Hujus sæculi initio, mitius se habuit *Arthritis*, & diutius solito conticuit: *Pulmonem* interea obsedit pituita; quæ spirandi intulit difficultatem, anhelationem immodicam, pectoris gravitatem, *Tussim*, sputum, tam mane crassum, quam etiam copiosum. His accessit faciei pallor, universi corporis imbecillitas, languor, & in propinquo *Tabes*.

A materia *Arthritica* pectus aggravante, malorum hanc catervam induci, luce clarius fuit meridiana; neque enim tunc primum istius in *Pulmonem* metastasin, etsi nunquam antea tam magnam, & tam molestam, est prepessus. Tutos autem *Artus*, & dolore liberatos, quoties *Pulmo* premeretur; &, e contrario, *Pulmonem* liberum, quoties aggravarentur *Artus*, semper observavi. Calor autem vespertinus, & sudor ei usitatæ superveniens, qui, prædictis hisce accidentibus, in *Phthisi* affectis, præcipue hac anni tempestate, solent se adjungere; certe in hoc nostro ægrotante nondum emicuere.

Quibus omnibus serio pensitatis, in eo operam & studium impendi, ut primo pituitam, *Pulmoni* impactam, Ἀναχαθάρσι amolirer. Secundo *Arthritidem* deviam, & *Anomalam*, ad πὰ ἔξω ut reducerem, itaque tuerer *Pulmonem*. Ut indicationibus hisce satisfacerem, haustum *ex Aq. Hyssopi*, *Cardui ben. ana* ʒi. *Tinct. Croci* ʒℓ. *Alcohol. M.* ϑß. *Syr. Balsf.* ʒß. *omni mane sumendum*, Pilulas, *e G. Amoniaci* ϑß. *Mirrhæ pil. Alcohol. M. ana* gr. v. *Picis lip. q. s. hora quarta pom.* Alias *vero e Balsf. Lucat.* ϑß. *Pul. Dialthææ q. s. hora somni*, *ex Syr. Balsf. coch.* i. *demittendas*, *cum julapii Pectoralis hausto*, *præscripsi*. In potionem ordinariam, *Apozema e Rad. China*, *Sarsæ*, *L. Sassaphræ ana* ʒi. *Cort. ejusdem* ʒß. *Warum passarum exacinat.* ʒi. *in Aq. font.* ℔iv. *ad dimidium coctis*; *colatura Saccharo crystallino dulcatæ*. *Ægrum porro sæpius apricari*, εὐπέπτοις *vesci*, *parce cœnare jussi*, *& Hydromel interdum bibere*.

Vix per unam, & alteram hebdomadam, præscriptis usus fuerat; cum, exantlato fere omni phlegmate, spiritus liberior evasit: *Tussis* minus importuna, imo rarissima. Vires, & cum iis vultus εὐχρεια rediit. Quicquid fuerat symptomatis, breve intra tempus obtusum, & mitigatum est: paulo subactum. Quinimo corporis æstus universalis, sed blandus, salutaris, benignus, quique naturæ vigorem, potius quam *Febrim* indicaret, est subortus. Posthac intra triduum in pedum altero successit dolor, tumor, rubor, *Arthritidos* regularis signa. Hinc pectus sanum, a *Phthisi* graviter urgente liberum, &, si διάθεσιν excipias a natura *Phthisicam*, bono cum Deo, usquequaque integrum. Imo quidem postea, per annos septem, bona usus fuit valetudine; nisi quod *Arthritide* laboraverit, recte interdum recurrente & quidem (uti licet opinari) propter eam ita recurrentem, bona.

CAPUT XIII.

De Angina Arthritica.

Art. I. POst febriculam, ad expellendum miasma *Arthriticum*, a natura in sanguine concitatam, quoties ea per *Fauces* illud expellere conetur, & eo loci, una cum vehiculo, id deponens, inflammationem afferat, spirandi deglutiendique vias obstruentem, *Angina* fit *Arthritica*; morbus certe ἴδιος habens peculiare, & a Medicis parum adhuc consideratus; ab *Angina* pura, & exquisita (ne dicam alios affectus, ei consimiles, & congeneres) sive *Therapiam* intueamur, sive *Ætiologiam*, accurate distinguendus.

II. Ut autem initio, de morbi hujus ὑπάρξι verba faciam; dari hujusmodi *Anginam* omnino liquet. Primum, quod ex eodem æstu febrili, simul cum articulorum dolore, tanquam illi gemina, ἐμγίνεσθαι ea sæpe deprehendatur, & quidem (ut frequenter accidit) interposito quodam intervallo post *Arthritidos* regularem paroxysmum, quo utique intervallo novam in sanguinem materiam cumulari certissimum est; uti, cumulatam expulsioni jam esse idoneam, est probabile.

Denique, quod hæc *Angina*, per se exorta, modo perfecta sit, in abscessum desinens, & copiose pus ejiciens, paroxysmi *Arthritici* vicem explere; quod, ejus causam vacare, quod, ab ejus incursu *Podagram*, ad tempus aliquod, immunem, & salvum præstare; quod, vegetum eum, & lætum reddere; (quæ sunt *Arthriticæ* decessionis indicia) crebro advertatur.

Postremo, quod *Angina* hæc, per materiæ Νόσηρᾶς in artus translationem, alias fortuitam, alias arte procuratam, intercisa, sæpe in *Arthritidem* mutetur *Regularem*; sæpe etiam suapte sponte transeant; eadem plane ratione, qua *Vertigo*, qua *Asthma*, qua *Colica*, vel aliud quodvis Νόσημα Ποδαγρικὸν, & eodem ægri cum emolumento: ut de morbi hujus, proinde ac illorum ὑπάρξι, nullus superesse possit dubitandi locus.

III. Eos creberrime invadit hæc *Angina*, quibus, ad eam a natura factis, collum breve, crassum, humidum, tono fibrarum laxo & imbecilli præditum; itaque humoribus, tum accipientis, tum retinentis aptum: viros præ fœminis (sic enim ipsa *Arthritis*) sæpius, sed & utroque aggreditur: ex illis præcipue eos, qui media sunt ætate; ex hisce vero eas, quæ catameniis dudum orbatæ; ex utrisque maxime biliosos, sanguine præfervido, vel tenui donatos: nec quenquam, uti mihi videtur, unquam; nisi materia prius *Arthritica* (causa videlicet procatarctica) copiosa, & evecta in sanguine turgentem, jam jamque articulis doliturum. Interea vero temporis, a causis *Anginæ exquisitæ* prævalidis, & urgentibus, in partes suas, levem & quiescentem illam aliquando trahi, non est diffitendum; ita vero quæ se habet *Angina*, cum parum *Arthriticæ* sit, & propriam medendi legem minime requirat, non est hujusce tituli.

Causa hujus *Anginæ*, (externa & evidens) frequentissima est *Potatio*; maxime pomacei, aut vini alicujus tenuis, liberior; maxime vero omnium, si accedat algor.

IV. Ut ad *Diagnosin* qualemcunque descendam, præcurrit febris; eaque sæpe, quam in alia quavis *Arthritide* præmitti solet, vehementior: quæ, tametsi prorsus *Symptomatica*, febrium nonnunquam æquare videatur *Essentialem*, ardentem; & est, pro ægroti temperamento, ætate, & pro causæ evidentis magnitudine, plus minus ardens. Paulo post exoritur *Faucium Dolor*, & *Tumor* φλεγμονώδης, unde deglutiendi spirandique viæ semper arctatæ; interdum autem adeo, ut tridui, vel quatridui spatio, nihil unquam victus possit demitti, neque spiritus nisi difficillime trahatur. Saliva interdum assatim emanat; alvus adstricta est. Sanguis a *Venæ sectione* Gelatinam (uti in *Pleuritide*, & *Peripneumonia*) præ se fert, in excipulis supernatantem, puram, tenacem, sebaceam; & quidem, quam in *Arthritide* solet exquisita, magis. Utrum vero *Arthritica* sit *Angina*, necne; id, ex *Arthritide*, vel *Angina* prægressa, vel ex ea simul semelque cum *Angina* locum habente, vel, eam e vestigio insequenti, id est, ex horum affectuum ratione inter se, omnino intelligendum est.

V. De *Angina* pura & genuina, passim apud Auctores observatum est, *Viscidum* illud, quæ est illius causa conjuncta, modo in latus, modo in pulmonem transvehi; iisque in locis pleuritidem, vel peripneumoniam facere, morbos scilicet non tam materiæ, quam

locorum affectorum diverſitate diſtinguendos. Eadem de *Arthritica* narretur fabula; pari enim ritu *Anginæ Arthriticæ* materiam, ſive cauſa continens, ſæpe in pedem, nonnunquam in manum; interdum in genu (ut taceam alias corporis partes quamplurimas) transfunditur; & in illis *Podagram*, vel *Chiragram*, vel *Gonagram* affert; affectus, uti nonnullis viſum fuit, longe diverſos; at revera ejuſdem indolis, & naturæ, locorumque ratione maxime diſcrepantes.

VI. Curatio vult, ut *Fauces* quam primum liberentur, & quidem methodo ei, quæ vulgaris eſt *Anginæ*, longiſſime diverſa. Nam, cum indicatio illa generalis, duobus perficitur; quorum alterum humores evocat e corpore; alterum e parte affecta tantummodo revellit, & in artubus deponit; cumque prius illud, (quod *Venæſectione*, *Purgatione*, *Gargarizatione*, *Veſicatione*, & ejuſmodi aliis affectum eſt) utrique *Anginæ*, puræ videlicet cum *Arthritica* commune eſt; poſterius vero (quod *Arthritidem* in viam reducentibus, & paroxyſmum ejus regularem facientibus abſolvitur) uni *Anginæ*: Nos ea duo conjungentes, medendi legem, quam iterum & ſæpius, nec infeliciter ſuimus ſecuti, & aperiemus, & quaſi digito demonſtrabimus.

Quoties igitur ad *Anginoſum* aliquem accerſor, explorata prius tumoris magnitudine, reliquiſque ejus, quæ maximi ſunt momenti, ſymptomatibus, in illius cauſas inquiro; &, ſi æger fuerit ex *Arthriticorum* numero, quamdiu ab *Arthritide* vacavit, interrogo. Eam autem ſi invenio frequenter olim paroxyſmos, ſtatiſque temporibus, regulares; eoſque magnos, & vehementes habuiſſe; nuper autem præter morem, interrupiſſe: ex eo ſuſpicor, *Arthriticam* in ſanguine materiam, per hanc vacationem cumulatam adauctamque, in eo turbellas facere; jam nunc exulare; & in fauces, ob earum imbecillitatem & ἀνωτίαν, immiſſam, inflammationem in iis excitare. Major autem erit hujuſce rei ſuſpicio, ſi nauſea, & faſtidium; ſi gravitas, & torpor; ſi dolores vagi (uti ſolent ante paroxyſmum regularem) ad tempus aliquod præceſſerant.

II. Hac igitur opinione ductus, primum ſanguinem (niſi nuper ille detractus fuit) detraho, & quidem copioſum. *Enema* paulo poſt immitti jubeo. Poſtridie *Venæ ſectionem*, purgatio, per *Rhei* puta, *Sennæ*, & *Agarici Infuſum*, *cum Syr. Roſ. Solut. q. ſ.* lene videlicet aliquod, inſtituenda; quando ſanguinem exagitantia, propter ejus orgaſmum, (qui in hoc affectu jam ſatis rapidus eſſe ſolet) ne obfuerint, periculum eſt. De alvo ſolicitanda, ſi cathartico fuit inanita, per dies quatuor vel quinque poſtea nihil laboro; ne alienum ad τὰ Ἔντερα, contra naturæ propoſitum, alliciatur. Cervici *Epiſpaſticum* poſt purgationem applicandum, idque prælargum; quod nempe colli dimidium obtegat, hinc autem, horis poſt viginti quatuor, ſuccedat *Emplaſt. Meliloti*, *Cantharidum Pulvere* aſperſum, ſæpe renovandum, ut fluimen juge & diutinum ſit. Ab initio morbi uſus fere perpetui eſt *Gargariſma* incidens, aperiens.

℞. Aq. *Hordeatæ* ℔j. *Diamor.* ℥iij. *Sp. Sulf. rer. Camp. quantum Lingua fetre potuerit, fiat* Gargariſma, vel *Melli Roſaceo addatur Sp. ſalis, ſive Nitri, ad acorem ſummum & tolerabilem*: Indatur ori paululum, & cum ſaliva poſt aliquot tempus ejiciatur. Nihil vero pulvere ſequenti præſtantius efficacinſve novi.

℞. *Cryſt. Min. Sacch. Cryſtall. ana p. æq. Miſce. Teneatur Ore* ℈j. *donec Saliva abundaverit: tunc expuatur, &, horæ poſt quadrantem vel dimidium, (modo ſinat Vigilia) repetatur, Mirum, quantum hinc Salivæ.*

Proſunt herbarum *Artemiſiæ*, *Salviæ*, *Majoranæ*, *Roriſmarini*, *Sambuci*, *Chamæmel. Calaminthæ*, *Matricariæ* (quæ acri & volatili ſpiritu refertæ, diſcutiant) decoctarum halitus, obvelato capite, & hiante ore, in arteriam immiſſi. Die perendino, vel etiam citius, ſi neceſſe fuerit, de iteranda *Phlebotome* deliberandum. Iterari illam, & quidem interdum plus altera vice, poſtulabit deglutiendi ſpirandique, ſi fuerit, difficultas urgens, importuna, periculoſa, ſique venam iterum ſecari oportuerit, *Jugularis* eſto. In ſummo *Gutturis* dolore admoveatur extra *Cataplaſma*, ex *Rad. Althææ*, *Fol. Malvæ*, *Ficubus inciſis*, *Aqua Hordeata coctis*, *addita hujuſce Magmatis* ℥iii. *Cepar. coct.* ℥ij ℈. *Sem. Lini* ℥ ℈. *Micæ panis* ℥i. *Ol. Lil. alb. q. ſ.* Gargarizetur autem os *Aqua Hordeata & Lacte Vaccino*, paribus menſuris, ad ipſas fauces, capite reſupino, intromiſſis. De graviſſimo ſymptomate, (*Spiritu* nempe *intercluſo*) ut verbum addam, quoties ita ingraveſcat, ut ægro pene ſuffocato ſtatim moriendum, niſi aliquis *Apollo* intervenerit: in hoc caſu *Laryngotome*, tutiſſimum præſentiſſimumque remedium, omnino facienda. Tuto certe illam, commodeque poſſe fieri, *Arteriæ penitus diviſæ* (cujus Hiſtoriam, admodum luculentam, videre licet, *Actorum Philoſoph.* N. 258.) curatio probat.

VIII. Dum hæc aguntur, & quidem eo modo omnia, ut ne materia in partes internas transferatur: (cujuſmodi Μετάβασις in *Angina Arthritica*, quam in vera & exquiſita, tum frequentior, tum incommodior) alia faciunt ad *Faucium* allevationem *Arthritida Regularem* inducendo: quapropter *Acida*, ſicut *Pomaceum*, *Vinum Album*, aut *Rhenanum*, vel alia quævis potio, dolorem arceſſens *Articularem*, poſt purgationem, & quidem interdum libere potanda. Articulo *Arthritidi* uſitatiſſimo, vel *Empl. ex Oxycroc. Cephalico & Pice Burg. ana p. æq.* Vel, ſi efficacioribus utendum, *Phœnigmus* acris & ſtimulans admoveatur, &, prout uſus erit, iteretur. Hunc confert, quæ olim veteribus familiaris, in aqua, quanta tolerari poteſt calidiſſima, *Pedum lotio*. Tumor excitatus, *Panno Vvallico*, aliove quovis raro & molli, vel *Linteo duplicato* veſtiatur. Ut ille tumor *Artuum* in conſpectum venit, plerunque ſubſidit *Faucium* iſte, recurrit dolor, aliaque jam denuo rectæ *Arthritidos* indicia: atque tum in tuto omnia, ἐξ ὧν τρέπεται τὸ Νόσημα: quod *Hippocratis*, in ſimili caſu, argumentum eſt.

Si rumpatur vomica, *Gargariſma* componendum emolliens, & ſuppurans, (*e Decocto* puta *Hordei*, *Glycyrrhizæ*, *Ficubus*, *cum Syr. Cap. Ven.*) & demum modice aſtringens, *Juſculis Avenaceis*, *Hordeaceis*, & *ejuſmodi tenuibus* veſcatur æger; &, ut humorum efferveſcentia minuatur, utque collum verſus abſcindatur *Pons*, lecto tempore diurno, quantum poteſt abſtineat; ſella erectus ſedeat; pedes deorſum verſum inclinet; & in lecto aliàs caput elevatum, habeat. Finita, re paroxyſmi, leniente quodam alvus ſubducenda.

Exempla jam in apertum proferam, quæ lucem, uti ſpero, non mediocrem prædictis fœnerabuntur.

HISTORIA I.

Arthritis, Fauces & Artus *ſimul ſemelque occupans.*

HOmo *Iſcanus*, e regione Portæ Auſtralis, decimo ætatis luſtro, ex frigore, quod ante præceſſerat, *Anginâ* laboravit. Febris, pulſu celeri, æſtu carnis immodico ſignata fuit: *Fauces*, cum robore, tumuerunt: voce nihil diſtincte ſignificavit: ſpiritum difficillime traxit: cibi tranſitus præcludebatur. Non dubito fore pleroſque, qui ex his indiciis *Anginam* iſtam ſimplicem, & veram eſſe judicaverint; quam vero recte, confeſtim apparebit. De dolore interrogavi, Satin ſalve? Numne alias corporis partes itidem occuparet? Quem cum genu, etiam & malleoli ſiniſtri, eo ipſo tempore, tametſi mitem & tolerabilem eſſe, cum eum *Articulos* invadere, & more prorſus *Arthritico* revèrti, ſolitum acceperam; *Anginam* hanc non tam veram & exquiſitam, quam in *Arthriticarum* numero. & claſſe ponendam æſtimavi; ideoque non iis opus eſſe auxiliis, (ſanguinis ſcilicet miſſione copioſa: *Clyſteribus* crebris, *Emulſis*, & iſtiuſmodi *Refrigerantibus*) quæ quidem omnia, in affectu abſoluto commoda, in hoc noſtro partim fruſtra, partim incommoda eſſent: ſed ab hac methodo deflectendum & id, quod ſtrangulat, aut evocandum, aut in artus transferendum eſſe. Quem in finem, colli dimidio poſteriori *Veſicatorium* ſuperpono: *Cryſtalli Mineralis* ℈ß. & *Sacchari* tantundem (remedium ad ſalivam hac in re movendam efficaciſſimum) ut ore teneatur, ut retentum ſolvatur, ut ſolutum expuatur, omni horæ quadrante adhibeo: hinc fluidum ſalivis, os, ptyaliſmus hinc immanis.

Ut alteram curationis partem aggrediar, & materiæ reliquum in articulos transferam, ita præcipio.

℞. *Pul. e Chel. C. C.* ℥ß. *Conſ. Anthos* ℈j. *Serp. Virgin. pul. gr. v. Conſ. Alk. q. ſ. f.* Bolus, hora quaque octava ſumendus; cum *Julapii* hauſtu *Perlati*. Potui vero dabatur *Decoctum Sarſæ*, *Chinæ*, *Raſ. C. C. Eb. Sem. Coriandr.* genu & malleolo dolentibus, ut illuc materia invitaretur, *Empl. ex Oxycroc. & picis Burgund. ana p. æq.* admovi.

Horum uſu, temporis ſpatio perbrevi, biduo nempe; tantus artuum, & tam acris erat dolor, ut neque *Bolo* dintius, neque *Emplaſtro* opus eſſet, hoc amplius pari etiam modo & proportione, *Fauces* deturgere; ſpiritus, cibique tranſitum aperiri, *Anginam* curari, certiſſimum erat. Ægroto gratulabar, quod redierat jam in viam, itaque vale dixi.

Paroxyſmo illo, quo quidem nihil unquam utilius, nihil opportunius evenit, jam finito; cum illius eo tempore recidivi, nullum omnino periculum extaret: ut alvus ſubduceretur *Catharticum*, at (ne materia de novo irritaretur) blandum, & leniens propinavi cum *Paregorico*, hora ſomni poſt purgationem aſſumendo.

Menſes inde poſt aliquot, ad *Prophylaxin* obeundam incumbens, *Aquas* omni mane *Diureticas*, quarta pomeridiana *Pil. ex Salis Martis gr. v. Pulv. Chamæpit. gr. xv. cum Syr. Abſ. ſ. q. ſ.* demittere, initio vero, & deinceps ſeptimo quoque die, per *Salem Polychreſtum*, & *Manna aquis purgantibus ſolutum*, ventrem movere, in præſcriptis habuit.

Hiſtoria profert *Arthritidem*, primum; febriculam ex algore generatam, tum *Fauces* graviter prementem, nec quidem artubus interea parcentem; deinde *Faucibus* (Medicinæ beneficio) expulſam; & in articulos membrorum miſſam: Quæ quidem omnia, cum ejuſdem morbi irritatio & progreſſus ſint, & *Arthritide Anginam* mentiente, ſententiam noſtram magnopere corroborent.

HISTORIA II.

Anginæ Arthriticæ *ad* Abſceſſum *tendentis in* Arthritida *Regulârem Metamorphoſin.*

HUc etiam facit agricolæ cujuſdam ſuburbani exemplum, qui, annorum plus minus viginti, *Arthritide* ſubinde reverti diu affluctatus, initio veris, (neſcio qua de cauſa) *Faucium* inflammatione gravi corripiebatur, cum æſtu corporis univerſali, & pulſu magno. Dies ille complures nihil devoravit; voce nihil clare ſignificavit; ſpiritum ægre traxit. Sanguis, ingruente morbo, miſſus eſt; cui gelatina, poſt aliquod tempus, ſupernatavit denſa, craſſa. Saliva jugiter effluxit.

Ut *Fauces* quam citiſſime relevarem, (hoc enim medendi poſtulavit indicatio) ſanguinem, quoniam abundavit, iterum mitteret; &, ad ſputum augendum, *ſalis prunellæ ſaccharique cryſtallini* partes æquales ore ſæpius teneret, ſolutas poſtmodum expueret, ægroto imperavi. *Miſtura* porro data eſt, ex *Syrup. Balſam. & Aq. Cin. hord.* ad deliniendam humorum acrimoniam, & tuſſim mitigandam. *Chlyſma* emolliens quotidie injectum. Loco cereviſiæ, *Decoctum Hordei*, *Rad. Ering. C. Clycyrrhiz. Cacum. Adianth. cum Syr. Viol.* brevi poſt tempore, peropportune recidit, quod genu alterum diu multumque doleret, tumeret: unde *Fauces* levabantur, facta in hunc articum materiæ reliquæ tranſlatione: qua quidem re, ut nihil utilius, nihil eſſe potuit ægroto deſiderabilius, quando per eam gutturi maxime caveretur, vitæ & ſaluti conſuleretur.

Hiſtoria confirmat *Anginæ Arthriticæ* doctrinam; ſimulque monſtrat, iis, quæ affluxum ad *Fauces* cohibeant, quæ gravatas eas exonerent, (*Revellentibus*, ſc. *Derivantibus*, & *Reſolventibus*) *Abſceſſum* aliquando præverti, in faucibus, *Arthriticum*.

HISTORIA III.

Materia Arthritica *partim* Abſceſſu Anginoſo, *partim per Articulares Glandulas expreſſa.*

VIR ampliſſimus, nec uno nomine colendus, humida conſtitutione, collo craſſiori præditus, catarrho oris fere indefinenti, per primam omnem pueritiam delibutus, circa juventutis initia, tum *Arthritide*, tum etiam *Angina*; morbo, uti videtur, hæreditario, verum non eodem tempore, ſolebat affici. Ætate progrediente, cum ex levi in poculis errato, poſt artuum dolorem vagum, urgeret *Angina*, ſpiritus animales impendio deprimeret, ſuffocationem minaretur; neque vulgarem medicinam, etſi multiplicem, ſentiret, ad eam allevandam arceſſitus, de *Arthritide* quæro; nam quando illa nuper idoneum ex more paroxyſmum egiſſet? quænam apud ægrotum illius ciendi ratio probabilior? Cumque ad hoc operis, prævalere ceteris quibuſcunque

que *Pomaceum* inaudiverim; illius subacidi, sed generosi lib. j. alteramque propinavi, eo nempe animo, ut *Arthritida*, quam diutius silentem αὐτομάλως *Fauces* invadere subsensi, in artus propellerem. Eventus suspicionem comprobavit; paucis enim post horis, emicuit altero pede *Arthritis*. Lanea vestiri, blande tractari, molliter haberi secundum illius genium, admonui. Sub hoc tempus, aperto *Facium abscessu*, pus emissum est *Gargarisma* suppurans, & modice detergens, sæpius adhibitum.

℞. *Decocti Hordei, cum Ficubus incisis, & Vini Rubri Gallici ana* ℔ß. *Diamori* ℥ij. *f.* gargarisma.

Doluit interea, cum ardore tumuit ex animi sententia articulus: post exitum paroxysmi, Aq. *Purgantes*, quibus abluerentur reliquiæ morbi, diu potavit æger.

Anginam hanc *Arthriticam* esse constat. Primum, ex diutino *Arthritidos* silentio; tum, ex dolore prævio, antequam materia figeretur, erratico. Tertium, ex subita & facili *Regularis Arthritidos* emersione: quibus simul consideratis arguitur, præter istam *Anginæ* causam evidentem (in potulentis scil. erratur) fuisse etiam προηγουμένως, *Arthriticum* intus in sanguine miasma evectum, ebulliens, ambitiosum, quod, junctis causæ externæ copiis, naturam eo usque lacessiverit, donec illa vires recolligens, hostem in exilium, materiam alienam in *Fauces*, (ab origine debiliores) & demum, arte adjuta, in artus amandaverit.

Docet historia, in *Arthritide Anomala*, *Anginam* æmulante, spiritumque elidente, posse utiliter, artis ope ἰατρικῆς, *Arthritida* suscitari *Regularem*.

His subjiciam, ægrotum hunc nostrum, posthac *Articulis* sæpissime laborare. *Angina* vero non item: imo ratione prorsus *inversa*; sic, ut quo minus hac, eo magis illa: quæ quidem istorum affectuum, adeo inter se dissimiles mutationes pondus aliquod habent, & demum *Arthritida* se in viam dare, & magis rectam esse ostendunt.

HISTORIA IV.

Arthritis *primum* Fauces, *deinde Articulos invadens*.

MUlier lectissima, dignitate domus, suaque celebris, nunquam εὖ ἔσχε ἴκτερος, quanquam marito satis probabili diu nupta, cum annos quatuor supra quadraginta compleverat, & deficere catamenia jam menses aliquam multos persensérat, obesior, & crassior evasit. Eo corporis statu ac conditione fuit, cum, vere anni MDCCV, ineunt, febricula & tumore faucium repentino corriperetur: quibus ut occurreret, suasione amicorum, primum, sanguinem detraxit; dehinc cervici *Epispasticum* admovit: quorum beneficio quicquid humidi in *Faucibus* depositum fuerat, vel evocatum & elicitum, vel sanguini redditum & repensum est.

Post *Tumoris* abolitionem, perpaucæ agebantur horæ, cum genu alterum, tum malleolus, tum digiti in pede maximi globus, & vicinus ei articulus ordine doluere; tam recte, tamque ex more *Arthritidis* exquisitæ, ut, utrum ipsa esset, an secus, nullus extaret dubitandi locus.

Horum autem malorum ordo, quem exposuimus, *Anginæ* hujus naturam non parum explicat: nam, ut *Anginam* e vestigio secuta est *Arthritis* omnibus numeris absoluta, sic, *Arthriticam* esse hanc *Anginam*, liquido & manifeste probant. Et quidem, utrunque hunc affectum eidem febriculæ subnasci, ab ea sustentari, & in Fauces, & in artus, alienam e sanguine materiam, per eandem febriculam expelli, minime ambigendum.

Ex hac historia, & hujus numeri aliis, verisimile videtur, non tam extremæ, & decrepitæ ætatis, quam mediæ, & constantis affectum, esse hanc *Anginam*. Certe ea laborantes, qui ad hunc usque diem mihi innotuere, adolescentes, aut juvenes, excepto tantum uno, fuere omnes.

HISTORIA V.

Anginæ Arthriticæ *auspicato supervenit Arthritis Regularis*.

VIr nobilis, *HEN. COURTENAY*, Regia stirpe oriundus, & majoribus suis dignissimus, ætate media, plus semel *Arthritide* doluerat; cum, ex intervallo aliquo ab ejus paroxysmo, (nulla, quod sciam, urgente causa evidenti) *Faucium* dolore, tumore φλεγμονώδει, spirandi glutiendique vias includente, tentabatur. Gustus summe depravatus; saliva viscida, sitis permolesta, æstus universalis, vigilantia gravis, febris acuta erat. Ad therapiam vena illico pertusa est, & postridie per *Pulv. VVarvvicensem*, alvus subducta: *Vesicatorio*, cervice tota posteriori serum elicitur: omni horæ dimidio, salivam movens, adhibetur id, quod sequitur.

℞. *Crystall. Min.* ℥iii. *Salis Vol. Succini* ℥i. *Sacchari Crystal.* ℥ß. *Misce, & divide in partes æquales, N.* xxiv. teneatur ore particula, quoad dissolvatur; deinde cum saliva expuatur.

Potui datum est *Decoctum* sequens, calidissime pytissandum.

℞. *Rad. Gram. Can. Eryng. Cond. ana* ℥j. *Hordeo mundat.* ℥ß. *Coccinell.* ℈i. *Coq. in* Aq. *Font.* ℔iii. *ad* ii. *Colaturæ adde Syr. e Corall. Simp.* ℥iv, *Tinct. Aurant.* ℥i. *f. Decoctum*. Bolus ex *Salis Saturni* gr. iii. *Nitri purificati* gr. v. *Conf. Lujul.* ℥j. *Syr. Melissoph. q. s.* ter in die sumendus, cum *Jul.* hausto, & ad alvum molliendam, omni vespere *Enema* præscriptum est.

Quibus sedulo observatis, salivam mirum quantam, ac si *Mercurio* concitatam, ejecerit. *Faucibus* allevatis, spiravit, glutiit facilius. Restitit febris, quam in declinante *Angina* esse, pertinacior, & huic rei aliquid amplius subesse, neque omnia conspici, comprobavit. Accessit *Podagra*, rem totam aperiens, *Anginam* esse puram putam *Arthriticam*, curationem postulare propriam ostendens. *Bolo* igitur, & *Decocto* refrigerantibus, ne fraudi sint ægroto, omissis, ad ea, quæ *Podagram* absque nimio febris incremento promovere possint, deflecto.

℞. *Salis Martis gr. iv. Pul. Chel.* C. C. ℈ß. *Conf. Fruct. Cynosbat.* ℈ii. *Syr. Garyoph. q. s.* bolus, bis in die sumendus, cum *Julapii* hausto. Et quoniam ad invocandum augendumque morbi hujus paroxysmum regularem, plurimum valere *Pomaceum*, in experimentis est, libram illius unam alteramque, nycthemeri spatio bibat, exhortor. Pedi affecto *Ceratum* viride admoveo. Doluit exinde pes, & quidem laudabiliter. Expulsa est ad ejus articulos *Arthritis*, & relictis *Faucibus* παροξυσμοῦ. Aquas aliquanto post, finita paroxysmi re, *Diureticas* hortatu nostro hausit, alias aliasque; primum *Bamptonenses*, anno sequenti *Bathonienses*; utrasque commode.

In *Arthritidis* silentio, supra modum longo & ancipiti, *Anginæ* si acciderit; utrum *Arthritica* sit, quam merito suspectum habeas, ostendit historia.

HISTORIA VI.

Angina & Abscessus Arthriticus, *cum* Arthritide *insequenti, recta, & idonea*.

ANni sunt complures, cum adolescentem visitavi, sanguineum, robustum, & bene coloratum; cui *Faucium* cum dolore *Inflammatio* fuit, spiritus & cibi vias obstruens, (quam Græci συνάγχην nominant) cum æstu immodico, pulsu celeri. Numquid *Articulis* unquam doluerat? interrogo. Dolui, inquit, acerbissime, ter quaterve; istud vero quid ad rem? Ego quidem, maxime, reposui, nec in curatione negligendum, sanguinem quamprimum misi, sed, pro ægri ætate & temperamento, parce, & quam in *Angina* fieri solet exquisita, parcius: ea vero copia, quæ ad demittendos cibos, & spiritum reciprocandum satisfaceret. Eo vespere *Enema*. Postridie *Catharticum*.

℞. *Rhei incisi* ℥i. *Fol. Sennæ* ℥ii. *Pulpæ Casiæ, & Tamarind. ana* ℥iii. *Coq. in* Aq. *font.* ℥vi. *ad* iii. *Colaturæ adde Salis Cathart. Elect. e Succo Ros. ana* ℥ii *f. Potio*, bene mane ebibenda. Sæpius desurrexit cum levamine. *Gargarismum* resolventem (ex *Ficuum pinguium N. iv. Rad. Altææ ras.* ℥ß. *in* Aq. *Hordeat.* ℔i ß. *ad i. incoctis, Mel. Mororum* ℥iii. *Sp. Sulf. per Camp. qu. s. ad acorem temperata*) præscripsi, eumque sæpius adhibendum: in potum ordinarium, *Ptisanam* propinavi; articulis olim dolentibus, ad *Arthritidem* in eos, siqua fieri posset, invitandam, *Empl. ex Cephalici, & Oxycroc. ana p. æq.* admovi. Paucis post diebus, aperto tumore, puris emissa est quasi uncia. Lenito, non composito, sanguinis orgasmo, post breve tempus, articuli dolent, tument, rubent. *Arthritis* recte agit, & *Anginam Arthriticam* fuisse monstrat. Finito paroxysmo, ad *Prophylaxin*, purgatis prius per *Aquas* & *Salem Catharticum* interaneis, *Aquas Diureticas* omni mane hausit; hora decima seq. *Trifolii fibrini Infusum*; quarta pom. *Bolum*, cum *Sale Martis*, demisit; *Hydragogo* septima quaque die interposito, menses binos perstitit; methodumque in multos annos commodissime repetiit.

Eos, qui dolere solent *Arthritide*, *Angina* cum invadit, sitne illa genuina, an *Arthritica*, recte ambigitur; & *Anginam* contra *Arthriticam*, optimis auspiciis, consilio saluberrimo, *Arthritis* invocatur *Regularis*.

HISTORIA VII.

De Arthritide *multos annos Erratica; tunc* Anginam *iterum & sæpius simulante; postremo* Regulari Fixa.

ADdam denique historiam, tum *Anginæ* hujus nostræ naturam, tum *Arthritidis* morem varium, & incertum, cum primis ostendentem.

Pharmacopœi *Exonienses*, viginti annos *Arthritici*, uxor fere sexagenaria, *Rheumatismo*, per quinque lustra creberrime recurrente, cruciari visa est: dolore quippe artuum, brachii potissimum sinistri internodia lacessente, rodenti, erratico, vexata: *Rheumatismi* hujus larvati, originem *Pomaceo*, quæ illi potio fuit, acceptam retulit.

Sub finem sæculi superioris, circa vernale æquinoctium, *Anginæ* correpta fuit illa specie, quam *Synanchen* appellant, adeo atroci, ut (ad illam minuendam, humoresque alio detrahendos, etiamsi collo *Epispasticum* admotum, alvus enemate soluta, vena semel iterumque pertusa fuerat) toto quatridui spatio, ne hilum quidem victus ore demiserit. Eodem tempore, & pari fere proportione, carpo exorsus est tumor, cum dolore, rubore, calore, nitore prorsus *Arthritico*. Dies minimum sexaginta perduravit, in rugas demum contrahente se cuticula, & squamatim ultimo decidente; sic, ut cujus generis, quaque esset familia, tumor omnino palam faceret. Et *Anginam*, & *Chiragram*, ab eadem viscida, & acri gelatina, in sanguine producta, fieri credibile est; quæ hic illic capillaris inhærens, oppilationes, tumores, dolorem, cæteraque morbi utriusque faceret symptomata.

Adversus *Anginam*, cum humores derivantibus, & repellentibus, initio morem gerere recusaret, & maturationem affectaret tumor; *Gargarismum e Decocto Ficuum, Hordei, cum Melle Mororum* (postea ad detergendum, *Mel* adjectum est *Mercuriale*) in præscriptis dedi: externe vero *Theriacæ Ven. Empl.* gutturi applicandum. Quicquid intus purulenti fuit, tumore post quatriduum aperto, sensim expressum est.

Contra *Chiragram* imperavi, ut, admoto parti affectæ *Vesicatorio*, vel (quoniam illud abhorrere visa est ægrota) panno molli & denso, per cutim evocaretur quicquid humidi præter naturam articulis inesset. Carpi post paroxysmum manstit imbecillitas, & ad motum impotentia; quæ tamen aliquanto post evanuit: animi vigor & alacritas major, cibi appetitus, uti ab *Arthritidis* paroxysmo solet esse, avidior fuit; sic, ut ex trium pene mensium adversa valetudine, melior ægrota & sanior evaserit.

Ad tollendam utriusque causam, & sanguinem (cujus in cyatho facies sebacea) corrigendum, primum, misso *Pomaceo*, & leni per *Salem Catharticum*, &c. facta *Purgatione Teraxaci Cochlearizque Succos* clarificatos, *Lac Asininum*, *Stomachica* sumeret, imperavi. Medicina vero omni (quod ejus odium fuit) neglecta, insequenti autumno, vagos iterum dolores ægra persensit; qui tamen post progressu temporis evanuerunt, in fixos sensim mutati.

Anginam postea sæpissime recidivam habuit, vere vel autumno quotannis, in annos complures reducem, &, vel ei a latere conjunctam, vel a tergo famulantem *Arthritida*; nunc carpum, nunc digitum, nunc talum occupantem, κατὰ λόγον aggravantem, cum solita indecessionibus animi lætitia, spirituum alacritate, ventriculi lætitia.

Hoc vero cum discrimine, & quasi privilegio, quod, ex quo figi occœperat *Arthritis*, eo lenius & pacatius se vaga gesserit, eoque minus vagata fuerit, &, quæ diebus hisce fuit hujusmodi *Angina*, fere blandior observata; *Venæ sectioni*, *Vesicatoriis*, *clisteribus*, *Gargarismis* facilius cedens, & in *Arthritida Regularem* promptius, & quasi ultro abitura.

Evincit historia, primum, *Arthritidem* multos annos πλανητικὴν, & *Rheumatismi* usquequaque similem, & in *Fixam* posse demum migrare: deinde, in erraticam retrogradi, iterumque defigi. Tertium, *Arthritidem* in eodem corpore, ex eadem febre exoriri posse duplicem; in faucibus *Anomalam*; in artubus, *Regularem*. Quibus hoc adjiciendum, quod ægra, genere nata saluberrimo, cum nullum habuerit a parentibus miasma, itemque diu veteri juncta fuerit *Arthritico*; hoc contagii suspicionem alere censeatur, & *Arthritidis* a marito acceptæ.

Ita quidem *Anginæ Arthriticæ*, (morbi, nisi fallor, hactenus obscuri) secundum illius symptomata, naturam, & morem, quantum in me est, explicui; curationem exaravi; & exemplis utranque illustravi.

CAPUT XIV.

De Dolore Capitis, & Vertigine Arthritica.

Art. I. AD *Caput* jam ascendimus, & ab *Arthritide* factus in eo errationes. Istius autem morborum, uti vulgo describuntur, numerus est adeo multus; *Ætiologia*, tam difficilis; limites, & fines (propter obscuros illius partium, & (*a*) incognitos usus) explicatione sic egentes, ut nemini mirum videatur, morbos eos communiter receptos, hos a me prolatos non æquiparare. Paucas in apertum proferam *Arthritides*, in capite *Anomalias*; sed, quas exploratas habeo, quas certas, evidentes, & perspectas, *Cephalalgiam* nempe, *Vertiginem*, *Apoplexiam*, & *Paralysin Arthriticam*. De duabus primis in hoc capite, propter earum conjunctionem, sicut evenire solet, frequentem, postea de reliquis verba faciam.

II. Eos sæpe invadit iste *Dolor*, (nam de illo separatim, & primo loco dicam) qui, cum multos annos *Arthritici* fuerunt, traducto jam vitæ medio, poculis & diætæ nimis amplæ, plus æquo indulgent; exercitationi vero interea, laborique (quæ eorum mala possint corrigere) vix satis: quique ea re *Plethorici* evadunt, & solito crassiores: *Sanguinei* vero quæ ceteris quibuscunque, tum graviter hoc affectu, tum crebro affliguntur.

Ex hisce vero illos sæpissime invadit, qui collo breviore natura fiunt; vel qui, in *Capite*, vasa sanguinem vehentia, supra modum magna, habent, vel, qui nimis imbecilla, sanguinique in circuitu propellendo minus valentia: illos scilicet omnes, quibus ea corporis fabrica & compago, quæ humorum in *Caput* inclinationi, diutinæque in eo moræ, nimio plus faveat, opemque conferat. Ad hoc conferre non parum videntur, in *Cranio* foramina nimis angusta, quibus (veluti ligaturis) coarctentur *Venæ Jugulares*, & sanguis (sic, ut in venæ sectione) vasa tumefacit; itaque fibras extendendo nervinas, spirituque in iis contentos perturbando, creet *Dolorem*.

Atqui illos maximopere hic infestat *Dolor*, quando jam ætate grandes, aucta humorum vi & plenitudine simul gravati, simul iis tolerandis impares, illi, malo vehementi pariter, atque intempestivo conflictentur.

III. Sic constituto, & ad morbum hunc excipiendum aptato corpore, cogitare licet Ἀνεπιτήδευ id, quæ est *Arthritidis* causa proxima & conjuncta; post aliquam a paroxysmo quietem, iterum repullulans, se iterum movens, & attollens, itaque orgasmum in sanguine faciens, eo nonnunquam ipso (pari ferme ritu, ac in variolarum initio solemne est) *Dolorem* excitare; *Membranas* scilicet nobiles, tam intra, quam extra calvariam, aut *Tunicas Vasorum* membranaceas extendendo, *Spirituque* animales, earum *Fibras* incolentes, irritando vexandoque. Nonnunquam evenire potest, ut, in his *Membranis*, acutissimo sensu præditis, depositum miasma, virulentum & acre, pungat eas, arrodat, atque ea ratione faciat *Dolorem*.

Quocunque vero modo fiat *Dolor*, omnino palam est, eum miasmatis, sese in paroxysmum erigentis, signum esse non raro primum, & prænuncium, ad dies aliquot durare, & tunc in paroxysmum desinere regularem. *Arthritide* vero delinquente, & accessiones sive nullas, sive languidas iterante, *Cephalalgia* sæpe oritur gravis & diuturna, ægrum hebdomadas (ne dicam, menses) aliquot excruciat; & denum nisi miasma ad artus transferatur, vel a capite alias abducatur, *Apoplexiam* introducit.

IV. At de natura ejus *Arthritica* ut plane constet, non solum ex *Arthritidis* silentio defectuque oritur, (quod tamen unum magni hac in re momenti est, multumque valet) verum etiam pro miasmatis *Arthritici* renovatione, incremento, & in paroxysmum eruptione, renovatur, periodos easdem, quas *Arthritis* ipsa, servat, frequentissime in eam regularem, & genuinam migrat; & quidem raro finitur, nisi per regularem paroxysmum, quo quidem oriente statim evanescit) vel per *Apoplexiam*; quibus simul sumptis, morbum hunc miasmate *Arthritico* in caput irrepente nasci, nihil, ut opinor, indicio potest esse luculentiori.

Dolor ille non semper magnus, sæpe tolerabilis, sed dierum sæpe multorum; interdum autem pene ad delirium usque gravem observavi, patientia majorem omni.

V. Quanquam iste *Dolor* insultum aliquem *Arthriticum*, & quidem usitate regularem, vel *Apoplexiam* antecedat; interdum accidit, ex regulari paroxysmo, (repellentibus, vel animi pathemate, aliave aliqua causa intercisio, & abrupto,) enm excitari, mediaque naturæ opera, & molimine, primum apparere. Quod tamen eoden pertinet, quando utroque casu miasma, minime, sic, ut debuit, expulsum, *Capiti* inflictum est, in illud vires exercet, κῆ Ὀλύμπια δώματα ναιει.

VI. Nonnunquam ægrum hæc *Cephalalgia* per se lacessit; identidem *Vertigine* comitata: hæc enim illi est tanquam soror gemina, & comes fere individua. Adhæc aliquando accedunt tinnitus aurium, spirandi gravitas, pulsus magnus, artuum dolores vagi, faciei color saturatior, aliqua istiusmodi manifesta sanguinis Ὀργαζομένου indicia: quæ quidem omnia, ut ab *Arthritide* inerti, neque satis idonea proficiscuntur: ita quamprimum illa artus occupaverit, & ad tempus aliquod recte se gesserit, confestim ea, simul cum *Dolore* capitis, redeunt; neque aliam videre licet *Arthritida*, quam quæ ex omni parte regularis.

VII. *Vertiginis Arthriticæ*, sicut omnis, *Subjectum* est ea *Cerebri medullaris* pars, quæ cogitandi officina est: in qua, dum spiritus animales ejus inflant tubulos, & in iis sese movent, uti placuerit *Animæ Rationali*, (cujus sub præsidio, nutu, & imperio, totum istiuc *Cogitationis* opus efficitur;) hi eorum motus; sive pleno flumine, sive tenui; sive in tubulis pluribus, sive paucioribus; sive prorsum, sive retrorsum; sive magno cum impetu, sive remisso; sive inflectione, sive evolutione; sive denum alio quocunque modo, & figura ferantur illi, ipsæ videntur hominis, & valentis, esse *Cogitationes*; & pro harum varietate talem in numerum variari, ut, quo singula *Cogitatio* formetur exprimaturque, suus singulæ spirituum rite ordinatorum, & huc illuc rite fluitantium, *Motus* respondeat.

Hoc ut clarius ostendatur, quivis seipsum examinando facile perspiciet, quanta sibi in somno tranquillitas, quam alta quies, &, a sensu motuque omni voluntario (in somno, veluti in ipsa morte) vacatio. Contra, somnum excutienti palam est, primum omnium in cerebri meditullio derepente quoddam *micare*: eodemque ipso temporis articulo, *Cogitandi* solitum munus, & pensum instaurari. Prima vero *Cogitatio*, vel pro re nata omnino nova est, & jam tum incipiens; vel (quod ad hujus rei explicationem non parum confert) quæ somno interrupta quarum prior modulationi, organis pneumaticis inchoatæ, quodammodo similis videtur; posterior intercisæ, & medio systemate fractæ; sed aliquanto post elaboratæ, & ad finem perductæ. Atque istam in cerebro spirituum ἰχνεμόνιν illico sequitur (nonnunquam comitatur) motus ab ea propagatus, in corpore muscularis, &, (*b*) *Galeno* jam olim observante, *Qui expergiscuntur, e vestigio pulsus magnos, vehementes, celeres, & cum quadam vibratione habent; qui mox mediocritatem assequuntur*.

Quis autem unquam, in somno spiritus extingui, & ad nihilum redigi putavit? Annon potius credendum est, durante somno in medullaris *Cerebri* tubulis eos stagnare, & (tanquam aerem, in tibiis organi silentis) quiescere; *micansque* istud, quod expergiscentes primum sentimus, horum esse *Spirituum* in iis (ad instar venti, in tibiis organi) *Motuum*; &, quod erat explicandum, *Cogitationes* humanas nihil aliud esse, quam Πνευματουργίαν, sive *Spirituum animalium* certas quasdam, in tubulis prædictis, *Fluctuationes*, secundum leges, & regulas, ab *Anima Rationali* positas, & datas.

VIII. Hisce præmissis, altero jam loco dicendum est, in *Vertigine* spiritus animales cogitandi munere exequendo impediri; in rivulis a suis aliquot ordinandis, eorumque motibus regendis, interturbari; eumque in modum perverti, qui externa quæque *Objecta*, tanquam in gyro circumacta, repræsentet, itaque, ut ex eo fallatur *Imaginatio*, *Judicium* autem maneat integrum, & inconcussum. Perinde forsan, ac in modulamine faciendo, si una, vel altera organi tibia, rauca fuerit, & dissonans; ex illius vitio, (tametsi reliquæ omnes claræ fuerint, & illæsæ,) statim auribus peritis gravitas quanta maxima fit, harmonia perimitur.

IX. Scio nonnullos, arte nostra principes, hac de re aliter opinari; spirituque animales, acie quasi militari, & veterum itionum reditionumque tractibus relictis, in gyros agi, tradentes, per *Rotationem*, & spirituum Ἑλιγγον, *Vertiginis* modum & naturam explicare. Cum vero, quo in campo eorum acies instruantur; quo, eorum fiat Ἀταξία nulla unquam detexit Anatome: contra vero, *Cerebrum Medullare* totum, ex *Tubulis*, sive *Ductibus*, in *Cerebri Cortice* incipientibus, una hoc loco colligatis, & in *Nervos* infra divisis, & dispertitis constare; sicque spirituum gyris, & vorticibus, (aliter quam in *Tubulis*, qui quidem iis admittendis minime sufficiant) ineptum esse, quando Clarissimi *Malphigii* Anatome detexit oculatissima; longe satius videtur, per *Tubulos*, perque spirituum in iis motus, quales in rerum natura esse, pro certo habeamus; (etsi, quis spirituum motus cui conducat *Cogitationi*, prorsus ignoretur,) quam per ea, quæ nusquam inveniantur, aut esse judicentur, morbi hujus explicationem aggredi.

Quinimo, dici potest, rerum extra sitarum, totiusque hemispherii visibilis, per ea, quæ sibi sunt dissimilia, veras intus in *Cerebro* posse fieri repræsentationes: (nisi velimus, objecti *Viridis*, v. g. concipiendi ergo, *Viride* quoddam in compendio; sicque *Rubri* ergo, *Nigrum*, &c. in *Cerebro*, quo nihil unquam absurdius, statuere:) eoque posito, rerum externarum falsas imaginationes, quales sunt in *Vertigine*, per iis rebus dissimilia posse fieri dicamus; adeoque, ad earum in gyro & circuitu moventium imaginationem, etiam falsam spirituum in cerebro motu simili nequaquam opus esse.

X. At qualescunque fuerint eorum motus (neque enim in his σοχασμοῖς diutius hærere lubet) certe perturbari possunt, vel per alienum & inimicum aliquod, in *Cortice Cerebri* a sanguine depositum: hæc in penetralia, & sacrosancta adyta, se insinuans, *Spirituum* choro se immiscens; ad eos adhærescens; eosque inter se confundens: vel, per vasa sanguinem vehentia, in propinquo tumefacta, tubulosque spiritus continentes coarctantia. Quæ posterior ratio probabilior est; in *Vertigine* cranii depressionem excipiente; ubi angustiis *Spiritus* urgentur, nec, quo possint choreas exercere, thearro satis spatioso gaudent. At in *Vertigine* variolas antecedente, vel ab ebrietate, & in hac nostra *Arthritica* locum obtinere potest (uti videtur) utraque.

XI. Præterea *Vertigo* hæc, cum *Dolore Capitis Arthritico*, concordat ex amussi: similia namque cum eo corpora, crassa nempe, plethorica, maximeque senilia, invadit: similem habet originem, ex miasmate *Arthritico* repullulante, cristas erigente, fugam e sanguine conscisente: similes habet periodos, & typos, *Arthriticis* paroxysmis respondentes, eosque in nonnullis ægrotantibus numero permultos: similes habet comites, sive signa Συνδρεύοντα, dyspnœam, capitis gravitatem, aurium tinnitum, spirituum depressionem: similem etiam exitum, cum paroxysmo plerunque regulari terminetur; interdum *Apoplexiæ* cedat *Arthriticæ*.

Aliquando levis hic affectus, & *Arthritidis*, paroxysmum molientis, signum insuper primum, & prænuntium. Molestus sæpe sic, ut eo laborans, ne in humum cadat, baculo adniti; fere continuo cavere, necessum habeat. Quæ levior est, *Arthritide* regulari, se-

rius

(*a*) *Vide Clariss.* Stenonis, *de* Cerebri Anatome *Dissertationem*, *impressam* Lug. Bat. *Anno* 1671.

(*b*) Τῶν δ' ἐξ ὕπνε μεταπεπτωκότων, οἱ ἐγρήγορσιν ἐξαχρημα μεγάλοι, κῆ σφοδροὶ, κῆ παχεῖς, κῆ πυκνοὶ, κῆ τινὰ κλόνον ἔχοντες, μετ' ὀλίγον δ' οἱς συμμετρίαν ἔρχονται. *De Causis Pulsuum*, *Libro tertio*, *Cap.* x.

rius aut citius erumpente, fere concluditur. At quando nulla venit in tempore *Arthritis*, *Vertigo* interdum aggravescit, & deinde paulo post in *Apoplexiam* migrat. In *Epilepsiam*, utpote morbum confinem & proximum, *Vertiginem* mutari exquisitam, a Medicis passim observatum est; at in eam mutari *Vertiginem Arthriticam*, ex nostra, vel aliena observatione, ne semel quidem novi, ut miasma *Arthriticum Epilepsiæ* generandæ minime aptum existimetur.

XII. Curatio partim fit per ea, quæ utrisque his affectibus sunt communia; partim per iis propria. Inter communia, primum *Phlebotome* consideranda est, quæ, ut humoribus e *Capite* derivandis, tam repentino, quam magno est auxilio, sæpe commoda reperitur, &, ubi *Dolor Capitis*, aut *Vertigo* isthæc urget, maxime vero ubi oculorum caligine, faciei rubore, arteriarum in temporibus pulsu, & ejusmodi (quæ sanguinis ad *Caput* inclinationem indicant, & *Apoplexiam* minantur) aliis comitatur, apprime necessaria est: Ea vero ratione copiaque (quod in malis similibus alias sæpe dixi) mittendus sanguis, non qua vulgo in his affectibus absolutis, & minime *Arthriticis* soleat; sed qua, *Arthritidi* in artus abigendæ faveatur; nec, quam ad *Caput* allevandum opus fuerit, uberiori.

Pertusa vena, & orgasmo in sanguine novo, miasma expellente, facto, nonnunquam illico dolent articuli; sin aliter fuerit, *Purgatio* instituenda est. Si qua ventriculi querela sit, hoc tempore *Vomitio* moveatur, & quidem per *Decoctum Teæ*, vel *Possetum Carduatum* aptissime. Ea vel peracta, vel (tamquam inutili) prætermissa, protinus ducenda alvus; dato, in eum finem, e *Pil. Ruffi*, vel *Cochiæ min.* vel *e Duobus*, una cum *Res. Jal.* granis aliquot, purgante, quod nimirum intestina non solum inaniat, verum etiam sanguinem exagitet, turbet, & a miasmate, foras illud expellendo, liberet. Opus istud duplex (humores alios per alvum evocandi, alios in venis agitandi) interdum mitioribus, in constitutione scil. tenera purgatuque facilis, perficitur. Interdum *Aquæ*, sive *Alfordenses*, sive *Fontana*, *Sale Cathartico* saturata, rem conficit. Est ubi *Purgatio*, sive propter ejus lenitatem, sive propter humorum colluviem, una vice non sufficiat, atque pro re nata repetenda sit, ita vero ut *Arthritidi* τῆς ἔξωθεν affigendæ accommodetur.

Purgationem, uti par est, factam creberrime sequitur extremitatum dolor; At si usque se miasma in sanguine contineat, usque delitescat, turbis in eo intestinis & ciendis, & augendis, quam exilio, pro naturæ jussu, capessendo pronius; hoc casu, ea, quæ ore sumpta fortius *Podagram* expellant, quæque extra admota evellant, usurpentur. Quæ vero, ore data, *Podagram* expellant, non nisi caute (præmissa nempe venæ sectione, alvique ductione, & *Capite* multum iis sublevato) adhibeantur; ne, quæ sanguinis, & simul cum eo miasmatis, in artus extrudendi causa præbeantur, contra in *Caput* utrunque pellant; itaque malum intendant, & mortem arcessant. Et quidem, a *Chalybeatorum* potentissimorum, & *Arthritidem* maxime expellentium usu, manum idcirco melius abstinere possumus; quia *Cephalica*, mox dicenda, suoque tempore propinanda, istorum medicamentorum magna ex parte vices supplere judicentur.

Qua de causa, in *Dolore Capitis* (ut ad propria descendam) *Pul. e Chel. C. C.* vel *e Corall. r. e Chel. Simpl. Succini albi*; vel istius classis alii mitiores, *sive per se*, *sive cum Conserva Anthus*, vel *Conf. Flor. Betonicæ*, *& Syr. Stœchados*, vel *Syr. Pæon. Simp. sub forma* Boli, aut *ex iis Pulveribus*, *una cum Pul. dictamni Cretici*, *Castorei*, *vel Sem. Pæon. & Extracto Gentianæ*, Pilulæ *componi possunt*. Quinetiam hisce, sive *Bolis*, sive *Pilulis*, tuto interdum, & utiliter adjicere licebit. *Salis Martis* (vel etiam *Alcohol. M.* post evacuationes copiosas) gr. iii. vel iv. & compositionem, sexta, vel octava quaque hora, repetere. Omni autem ejusmodi dosi superbibere oportebit *Julapii* (*ex Aqua* puta *Cerasorum nigr. Flor. Tiliæ*, *Pæon. simp. & Comp. & Spiritu Lavend.*) *Haustum*: Mediis autem intervallis ex usu erit *Tinctura Succini*, vel (ubi febris, non immodica, siverit) *Sp. Vol. Oleos.* vel *Sp. C. C. cum Speciebus destillari*, *guttas aliquot*, *ex Cacuminum Salviæ tenuifol.* vel *Rorismar.* vel *Teæ*, *infus. Haustu demittere*. Hæc enim remedia, præmissis universalibus adhibita spiritus animales blande reficiunt, & *Arthritidi* in artus expellendæ quodammodo opitulantur. Neque *Coffeæ Sorbitio*, quando *Cephalalgiæ* ritu singulari medeatur, præcipue si *Cephalica* ei superinjiciatur, ægrotis hisce deneganda.

Simili fere modo in *Vertigine Arthritica*, post evacuationes jam dictas universales *pul. Sem. Rutæ*, *pæon. maris*, *Castorei*, *Rad. Valerian. Sylvest. Cyperi*, *Cort. Winteran.* *Cort. ext. Aurant. Species Dianthus*, *Diamosch. dul. per se possunt adhiberi*, vel *eorum aliqua cum Conf. Flor. Pæon. & Syr. eorum*, vel *Syr. N. Myrist. ex Indiis allato*, electuarii *forma*. Porro ex *pul. de Gutteta*, *& Ente Veneris*, *cum Extr. Calami Aromatici*, vel *Assæ fœtidæ solutione*, *formentur pilulæ*; vel, cum iisdem pulveribus adjungi potest, in eadem forma *Sal Martis*, vel *Sal Succini*. Ex his composita sumantur, hora quaque sexta, vel octava, dosi videlicet adeo tum frequenti, tum etiam magna, quæ spiritus animales ordinet, recreetque, non quæ confundat, irritetve. Dosi vero cuilibet æger superbibat *Julapii Cephalici* haustum: uti mediis etiam intervallis *Infusi* præscripti cyathum, cum *Tinct. Succini* guttis aliquot. Prosunt graveolentia naribus admota, *Sp. Salis Armon. cum Sale Tartari*, *Castoreum*, *Assa fœtida*, &c. prosunt etiam Εὐώδεα: *Balsamum*, quod ab humanissimo sene, D. D. *Vvatherouse*, hac in urbe Medico, dum viveret, præcellentissimo, communicatum fuit, ad tempora & nares inungendas, his aliisque *Capitis* affectibus quamplurimis, utile & jucundum erit.

℞. *Ol. Rorismar. Lavend. Majoran. Thymi*, *Origani*, *Hyssopi Chym. ana* ℈j. *Cinnam. Aurant. Angelicæ*, *Rutæ ana* ʒß. *Garyoph.* ℈ß.

Ol. Nucis Moschat. per express. ʒiv. *Ambra gris.* ʒij. *Moschi* ʒj. *Balsam. Per.* ʒv.

Ambra gris. & Mosch. ponantur super Lapidem marmoreum; humectentur Oleis; & simul triturentur Lapide molari, *donec fiat Massa*, *instar Pomati inspissata*. *Huic mixturæ adde Balsam. Per. Per horæ dimidium triturentur*. *Deinde adde Ol. N. M. per Expressionem*, *& per horam fiat Trituratio*. *In phiala servetur usui* balsamum Εὐώδες cephalicum.

Quanquam autem ista *Caput* multum allevent, spirituque labentes suscitent, non iis solis adhibenda fides. Nusquam major incolumitas, nulla perfectior curatio, quam per *Arthritidos* in artus expressionem. Quare, post diem unum, aut alterum, *Cephalicis* ore sumptis impertitum, in utroque hoc affectu (par enim utriusque ratio) *Externa*, quæ *Arthritidem* educant, adhibeantur Articulo nempe sæpissime dolenti applicetur *Empl. ex G. Carannæ part. ii. Ceræ flavæ p. j. Ol. Lumbric. q. s.* vel aliud aliquod Ἀντισπαστικόν. Hoc autem si nullarum erit virium, & *Capitis* affectus remanebit, maxime, si increscet, tanquam in *Apoplexiam* abitura, ad *Sinapismos*, *Vesicantia*, *Vestitum laneum*, & *Laqueos* hac in re idoneos, (quibus *Arthritis* summopere educatur) quasi ad sacram anchoram, confugiendum est.

Quam parum autem adjuvent in utroque hoc affectu; imo quam suspiciosa, ne dicam periculosa, sint *Emulsa*, *Decocta refrigerantia*, *Narcotica*, *Oxyrrhodina*, *Epithemata*, *Capitis Aqua frigida Lotio*, & ejusmodi alia, quæ ad compescendum sanguinis orgasmum alias cum fructu usurpentur, facile apparebit; quando illa materiam alienam, protinus evocandam expellendamque, medicina prorsus adversante, & repuguante, *Capiti* infigant. Neque satis, ut opinor, tutus sanguinis per *Hæmorrhoides* fluctus; quando eo, nimia fit humorum in anum derivatio, quæ vel *Inflammationi*, vel *Fistulæ* viam aperiat.

Ut autem materia vitiosa, tutelæ ergo, præscindatur, alioque divertatur, operæ pretium erit, *Epispasticum* brachio, vel cervici aliquando imponere; ineunte anno, (quod *Apoplexiæ* tempus esse solet) aliasve, si urgebit *Capitis* affectus, sanguinem detrahere: *Purgans*, omni mense, repetere: alvo nunquam diu astricta esse: artus, at præcipue pedes calidissime vestire. Quin & his hominibus incumbit *Errhinis*, & meditationibus, religiose vero nimia potatione, abstinere.

HISTORIA I.

Ab ignava Arthritide Vertigo, *Sanguinis missione & Alvi ductione, victa.*

QUidam annos quatuor supra quinquaginta natus, *Vertigine* affectus, dum in his lucubrandis occupor, e vicino oppidulo me appellit. Fuit ille jamdiu *Arthriticus*, paroxysmos habens, sive eorum frequentia, seu severitas inspecta sit, idoneos. Autumno anni MDCCV. *Arthritis*, ignava jam & socors facta, non eo, quo solebat, ardore & vehementia se gessit; paroxysmum, uti moris erat, laudabilem non ullum edidit; verum, in mediocri & imbecilli edendo, languide enixa est. Loco paroxysmi regularis, & acuti, *Vertigo* ægrum invasit, multumque cruciavit. Quoties enim lecto ille jacuit dextro latere, statim *Vertigine* prorsus intolerabili (quippe qua universa surfum deorsum rapidissime ferri viderentur) tanquam oppressus, & pene moribundus, posituram corporis illico mutare necessum habuit. Porro ea fuit hominis fabricatio, quæ plenum, subpinguem, brevique collo donatum eum, morbis cephalicis pronum, & proclivem abunde redderet.

Sic constituto suasi, ut quam citissime venam incideret; *Pilulis Purgantibus* (*e Rudii* ʒß. *Res. Jul. gr. v. Calom.* ℈ß. *Balsam. Per. q. s.*) Ventrem inaniret; itemque altera vice, pauculis post diebus, nisi dolor *Articulorum* novus id vetaret. Eo vero redeunte, parti affectæ *Empl. e Cephalici*, & *Picis Burg.* æquis ponderibus, imponeretur. Detracto sanguini, & parumper in cyatho quiescenti, superincrevit gelatina densa, crassa, cum superficie flavescente.

Præceptis æger obtemperavit, & quidem magno suo, quod deinde accepi, commodo.

HISTORIA II.

Vertigo Arthritica, *Purgatione in* Podagram *mutata.*

AUrifaber *Exonienſis*, vir priscis moribus,
Integer vitæ, *scelerisque purus*,
ætate progressus, & ex ea nimis desidiose acta, crassior jam & habitior factus, de nimia plenitudine, & ad motum impotentia, de *Vertigine* gravi & urgente (quæ in negotiis obeundis magno illi jam impedimento fuit) me consuluit. Cum *Arthritidem*, hujusmodi deviam, & *Anomalam*, me plus semel observasse recoluerim. Num articulis unquam ægrotaverat? Interposui. Olim sæpissime, respondit æger: hosce vero annos minime.

De morbi indole & natura certum me habens, ut eum a *Capite* deducerem, & in articulos, sedem & domicilium suum abire facerem (quæ quidem indicatio rectissima esse videbatur) viam, atque in *Vertigine* absoluta, calcari aliam oportere judicavi.

Quare sanguinis detractione (quæ propositorum alterum tantum promovere solet, alterum autem interdum inhibere) prætermissa, *Catharsin*, quæ utrisque illis satisfaceret, institui, purgante, pro Κοιλίας εὐλυσίᾳ, satis forti ad eam rem electo. *Calomel.* gr. xv. *Scammon. pul.* ℈ß. *Pil Stom. cum G.* ʒß. *cum Balsam. Per. q. s.* pilulari forma, mane demisit: sæpius hinc dejecit; hinc claudicavit; hinc convaluit.

HISTORIA III.

Vertiginem, *& in Capite* Dolorem *faciens* Arthritis, *idque usitate*, *Venæ sectione*, *& Purgatione toties in Articulos acta.*

A Romatarius hac in urbe, constitutione sanguinea, plethoricus, sexagenario major, anno MDCXCVI. *Vertigine* laboravit. Simul atque eum novi pedibus sæpe doluisse, suspectumque habui capitis hunc affectum esse *Arthriticum*; hac re considerata, primo, sanguinem detraxi; deinde alvum semel iterumque movi: postremo, animales spiritus quæ reficerent, eorum Ἀπαξίας inhiberent, ea suo ordine sumenda; fonticulos etiam utroque latere spinæ inter omoplatas aperiendos, imperavi. Quæ autem inde fruges? *Pes* iterum jam tum doluit; defensum est *Caput*; civis servatus.

Anno proxime sequenti, circa vernum æquinoctium, idem pene casus altera jam vice accidit. Intermittente enim, ultra quam soleret, *Arthritide*, rediit *Vertigo* cum *Dolore Capitis*: quæ quidem ambo venæ sectione, purgatione, pharmacisque jam dictis, in *Podagram*, (qua nihil capiti salutarius esse potuit) actutum mutabantur.

Æstate anni MDCCII. æger iterum *Vertigine*, simul cum aurium tinnitu, spirandique difficultate mulctatus est: quæ quidem mala, plenitudine & *Arthritide* nimis inerti nata, post venæ sectionem & catharsin, articulari dolore finiere.

Observationibus hisce toties iteratis, planum omnino factum

eſt, *Arthritida* ſuppreſſam, & a paroxyſmo quieſcentem, *Caput* aliquando viſitare; quin etiam derelictum illud, præ cæteris in trunco locis quibuſcunque, tanquam alteram domum frequentare. Potro, cum in alieno iſthoc, utut charo, & amabili loco diverſetur, poſſe in ſedem primariam, in artus, & articulamenta revocari. Denique nonnunquam (in iis ſcilicet ægrotis, qui firmiores, & multo robore valentes ſunt) per venæſectionem, & purgationes, quibus ſibi reſtituatur, & ſuis viribus uti, ſuoque modo agere permiſſa ſit natura, ſine multo Ποδαγραγωγῶν apparatu, poſſe egeri.

HISTORIA IV.

Capitis Dolor & Vertigo Arthritica, *ſæpe revertentes, ſimili methodo curati.*

MEdicamentarius *Exonienſis*, quo multos annos utor familiariſſime, *Arthritide* diu regulari affectus, ſub exitum ſæculi nuper elapſi mitius ſolito, rariuſque cœpit dolere. Malorum ex eo tempore ſtatim crudele par exortum eſt; *Vertigo* nempe, cum *Dolore Capitis* acuto, vel, ægrotum eo deficiente, cardialgia, cum ructu acido, & inflatione ventriculi.

Biennio poſt, cum *Arthritis* nimium ignava eſſet, nec, ut opus fuit, paroxyſmum ageret, Κεφαλαλγία rediit, una cum vagis artuum doloribus, & quidem pedum incertis.

Quid autem annos dicam? Decies ego minimum, hunc hominem hac *Vertigine* labotantem vidi: decies eum mœſtiſſime querentem audivi. Quando enim *Arthritide* multum affligeretur, neque ea ſemper regulari; quali eo modo ſe plerunque geſſerit, hiſce paucis accipite. Præceſſit dolor, hic illic erraticus, per artus, per trunci ambitum propemodum omnem: hunc excepit, ita vero, ut illius fere latus clauderet, torpor, & univerſi corporis gravitas; cum Ἀνορεξία, ſanguinis otgaſmo, & tumultu, venarumque diſtentione. His acceſſit alias articulorum, alias *Capitis Dolor*, & deinde *Vertigo*. Tam autem magna, tamque moleſta *Vertigo*, ut, qua in præceps ne agetetur, ſæpe haud immerito pertimeret. Ægroto autem forti, robuſtaque, & omnino ſitma conſtitutione prædito, ea fuit felicitas, ut, poſt dies quatuor, vel quinque, *Arthritis* ſæpe per ſe τὰ Ἄκρα peteret, eodemque tempore *Caput* deſereret. Si quando gravius urgere, diutiuſque *Vertigo* perſtare contigerit, quod aliquoties accidiſſe novi; venæ ſectione & purgatione, (altera earum, vel utraque) in articulos ſemper exulavit. Cui & hoc adjiciendum, nunquam ægri, ſeu *Vertigine*, ſeu *Dolore* afflicti, *Caput* ex toto immune, & incolume prius reddi, quam in *Articulis* dolor oboriretur; eo vero jam oborto, liberari ſemper, &, tanquam auxilio præſentiſſimo & plane divino, iſthuc incolume reddi. Qua utique re, ad iſtarum *Anomaliarum* & explicandam *Ætiologiam*, & confirmandam *Therapiam* (ut ego quidem ſentio) nihil magis poteſt conducere.

Cauſam autem ne ſilentio præteream, quare ſanguis in hoc ægroto toties, & tanto impetu in *Caput* irrueret, vel impelleretur; ipſa *Facies* eam monſtravit: *Facies*, inquam, hominis pyropi ruberrima, venis ubique turgidis ſignata, ſanguine pleniſſima. Quæ cum ita ſe haberet, vaſa, in *Capite* ſanguinem vehentia, ſupra modum magna, & immenſo ejus flumine, quod utrique iſli *Anomaliæ* daret originem, diſtenta eſſe indicavit.

HISTORIA V.

Cephalalgia Arthritica, *Venæ ſectione & Spiritu Volatili, in* Podagram *verſa.*

CUM vitam aliquot ante annis Academicam ſecutus ſit, quidam e proximo vicinus, oppidanus, ebrietati ſatis, ſocordiæque ſatis deditus, (quarum altera vim humorum magnam in corpore congerere; altera non eliminare ſolet) opem meam qualemcunque medicam imploravit. Erat illi, propter malam vitæ rationem, corpus craſſum, *Cacochymicum*, pingue, morbo non unius generis accipiendo paratum: ita vero conſtitutum ſorte fortuna invaſit *Arthritis*, & a malis gravioribus, tanquam poſſeſſione ſuum, defendit. Semel, bis in anno paroxyſmos, eoſque ſatis longos, & acutos celebravit; perque omne illud tempus abſtinere fecit ægrum. Demum, neſcio qua de cauſa, *Arthritis* intermiſit. *Cephalalgia* ſtatim orta fuit acris, & toleratu difficilis. Membranas *Capitis* majores contrahi, & in ſpaſmos obſtinate conſtringi, veriſimile eſt. Enim vero tantus ægri fuit cruciatus, quantus omnem modum excedere, quantus ſenſum communem obruere, & pene delirium inferre videretur.

Hæc ut primum novi, & ab *Arthritide* interrupta, devia, & in *Caput* inverſa, turbas has oriri intellexi; ſanguinem extemplo mitti, &, quia conſtanti vir ætate, firmoque corpore erat, non nimis parce detrahi præcepi. Spiritum poſthæc e volatilibus, cum vehiculo conveniente, dedi. Quam quidem medendi viam ideo calcavi, primum, ut alienum e capite revellerem; denique, ad τὰ ἔξω amandarem, iiſque figerem. Neque a ſcopo aberravi; hac enim medicina factum eſt, ut dolerent, ut tumerent, utque ruberent iterum articuli; & quidem (ut illa facta eſt) ſtatim, maximaque ægri cum utilitate.

HISTORIA VI.

Miaſma Arthriticum *in* Caput *immiſſum, eique* Vertiginem & Dolorem *inferens, eo repulſum, & in artus mandatum.*

TEnera conſtitutione mulier, frigida *Arthritide*, & languenti creberrime affecta, tumorem ejus pallidum, tanquam a flatu generatum, in utraque manu, & carpo, magnum oſtentavit. *Arthritide* ſic gravatæ profecto male evenir, animi *Pathemate*, propter res quaſdam adverſas, ſupra modum affligi. Eo enim effectum eſt, non ut ſpiritus ſolum perturbarentur, multumque deprimerentur; verum etiam ut rumores hi *Arthritici* prorſus ſubſiderenr, evaneſcerent. *Vertigo* ſtatim hinc exorta eſt, una cum *Dolore Capitis* & *Colli*, cum ſomno non tantum injucundo, ſed inquieto, rumultuoſo, & frequenter intetrupto. Quæ quidem mala, ſi ex omni parte *Hyſterica* dicantur, temete nimis & parum conſulte (quod ntique rei exitu probatum) id dicetetur. *Epiſpaſticum Nuchæ Cervicis* impoſitum eſt, deinde utrique brachio; quibus ſeri multum evocatur. *Pilulæ* ſumuntur *Aloeticæ* (ex *Aloes Roſat.* ℈j. *Pil. e duobus* ℈ß. *Ol. Abſynth. gr. j. El. prop. q. ſ.*) quibus alvus inanita, ſanguis agitatus. *Spiritu C. C. ſuccinato*, bis in die cum *Julapii Cephalici* hauſtu, & *Pulvere Podagram* expellente (*Chalybis* nempe *Nutriti* ℈ß. *Pul. e Chel. C. C.* ℈j. *Maceris Pul. gr. iv.*) pariter bis. die, cum *Vini Canarini* hauſtu, per dies circiter decem aſſumpto, factum eſt, ut denuo rumores, & quidem intra breve ſpatium, elevarentur; ut *Arthritis* procul a locis principibus arceretur; ut partibus a centro vitæ remotis infigeretur, & detineretur. Qua vero ratione gradibuſque ſunt hæc effecta, *Cerebri* incolumitas effecta, ipſius vitæ res ſervata eſt.

HISTORIA VII.

Caphalæa & Vertigio Arthritica, *Medicina pari, cum* Phœnigmis, *ſublata.*

VIR reverendus, ætate conſtanti, doluit *Arthritide*; nunc vaga, per hæc illa membrorum internodia; nunc articulis affixa, dolore, rubore, & tumore comitata. Primo ſupra decimum exeunte luſtro, *Cephalalgia* & *Vertigine* laboravit, tum gravibus, tum diutinis. Cum me, conſilii ergo, primum arceſſiverit, ex conſtitutione ſanguinea, vultuque florido judicavi, plenitudinis, & quidem ejus unius, has eſſe ſoboles; itaque ſola evacuatione poſſe eas auferri: quam tamen (excuſſa omni re, & initio cum ægrotante colloquio, penitus examinata) ſententiam mutare neceſſum habui, & alienam, & *Arthriticam* in *Caput* irrepete materiam, apud animum meum ſtatuere.

Hoc igitur propoſitum ante oculos ſtaruens, venam primum incidi, &, minore quantitare, quam in his affectibus abſolutis conveniret, detracto ſanguine; *Emeticum* præcepi; poſteaque *Purgans*. Quibus malum quando leniri, minime vero tolli perſenſeram, *Pilulas* (*ex duobus, & Ruffi*) draſticas adhibui, ut in ſanguine major orgaſmus cieretur, & alienum proſcriberetur. Poſtridie purgationis, ut humores excitati, foras avellerentur, ſuiſque demum locis, nempe *Articulis*, inſererentur; curæ mihi erat, utrique malleolo, quem *Arthritis* locum uſitatiſſime frequentavit, *Sinapiſmum* (ex *Fermento veteri*, *Raſ. Radiculæ*, *Sem. Sinapios*, *Cacuminibus Rutæ*, & *aceto Vini albi*) applicare.

Atque iſta methodo in *Cerebrum* inſinuantem, *Arthritida* revelli; proprio loco (nempe *Artubus*) mandavi; ſuos intra terminos, ſua ſpatia coetcui; ægrum ſanavi.

HISTORIA VIII.

Vertiginis Atthtiticæ, *cum Spirituum depreſſione gravi, Curatio.*

CIvis *Iſcanus*, *Arthritide* regulari, quotannis redeunte, per ſenectæ initium, eſt afflictus: ſexagenarius autem, vel eam circiter ætatem, paroxyſmos habuit rum paulatim minores, tum etiam rariores, demum nullos. At brevis iſta fuit ſerenitas, & ab adverſa valetudine vacatio; uti etiam dubia: malum *Arthritide* gravius ſucceſſit, longeque periculoſius; *Vertigo* nempe, cui deinceps comitem ſeſe dedit *Depreſſio* ſpirituum ſupranodum moleſta, continua.

Cum ita affectum inviſerim, pulſum magnum, & elatum obſervavi; ac ſi inſtaret *Apoplexia*. Quare venam illico pertundi, ſanguinemque ea quantitate detrahi, qua *Capiti* levamento eſſet, juſſi. Porro, quoniam iſti *Capitis* affectus non tam abſoluti, quam *Arthritici* (quod ex malorum ordine vel ipſi ægro, rei medicæ non ignaro, patuit) exiſtimari poſſent; quo *Arthritis* educeretur, *Phœnigmum*, ex ea evellentibus, acerrimum, & calidiſſimum, utrique malleolo, quæ *Arthritidis* in hoc ægroto ſuere ſtativa, impoſui; frigidum, altera quaque hora, renovavi; tumoribus, eo factis, *Epiſpaſtica* admovi; unde ſeri acris, ſalſi, vitioſi, *Arthritici* multum eſt elicitum. Æger ex eo rempore convaleſcens, annos egit poſtea permultos, eoſque pro ætate ſatis beatos, & tandem morbo, uti accepi, nephritico occubuit.

HISTORIA IX.

Ex Arthritide Vertiginoſus, *Victu nimis tenui depreſſus, e vivis exceſſit.*

VIr mihi conjunctiſſimus diu bona valetudine uſus, ætate adulta dolere cœpit *Arthritide*; quæ, propter multas equitationes, & laude dignam in victu temperantiam, raro aliter ſe habuit, quam quæ maxime regularis, quæque maxime ſalutaris. *Paroxyſmum* enim, ſemel bis in anno, cumque malo ſymptomate nullo comitatum, tanquam ad præſcriptum Medici, aut votum ægrotantis egit.

Ita multos annos, ſi non omni doloris ſenſu carens,

(τὶς δὲ, πλὴν Θεῶν,
Ἅπαντ' ἀπήμων τὸν δὲ πάντος χρόνον;)

beate tamen, & tuto, imo ipſam per *Arthritida* tuto vixit.

Huic, ingruente ſenio, acceſſit *Vertigo*, quæ, paulatim ingraveſcens, eo increvit uſque, ut ſæpe ne in humum æger concideret, periculum eſſet. Quapropter *Venæſectio*, *Emetica*, *Veſicantia*, *Purgantia*, aliaque multa, ſuo quæque loco, ſunt a viris arte noſtra præcellentibus, imperata, &, vel omnia, vel magna ex parte, ab ægro uſurpata. Cum vero iſta propoſito minime reſponderent, *Vertiginem* eam non tam exquiſitam & genuinam, quam notham, & *Arthriticam* eſſe ſuſpicatus ſum.

Sexagenario jam major, *Arthritidem*, uti illi videbatur, nimis gravem, diutius non alere; ſed per diætam decrevit tenuare: proindeque, cereviſia potenti & generoſa (quam, per annos alioquin multos, interdum ad hilaritatem, at non incommode, potaverat) abjecta neglectaque, non niſi aquoſam, nullarum virium, & vilem adhibuit. Væ autem illis, qui *Arthritida*, diu ſatietati ſuetam, abſtinentia demum nimia tentant evincere. Male habita *Arthritis* intimas in corpore regiones, ejuſque viſcera nobiliſſima invadit, unde ægri res in peſſum abiit, & (ut ſæpe accidit) in dubio vita. Minus quidem articulis, ex eo tempore, doluit hic noſter *Arthriticus*; at inauſpicato *minus*. Sanguis enim intempeſtive, & magna

ægri

ægri cum injuria debilitatus, alieno amplius expellendo, sic, ut olim, non erat. Faciem depressam, nec, ut ante coloratam, oculos concavos, vires enervatas notare familiares, & malum aliquod præ foribus ominari.

Cum vero eo res deducta esset, magni aliquid momenti accidit, dictuque non indigni. Recurrente enim *Podagra*, & insultum denuo, qualem potuit, faciente, aqua frigida pedes media hyeme immersit æger, itaque temere tumoris *Arthritici* materiam repercussit. Pectore, *Capite* subito gravatus primo tussiit, & cum impedimento spiritum traxit; mox sensus omnis, ipsa etiam mens defecit; &, tota undique astantium mirante turba, non tam excessit, quam surreptus est e medio.

CAPUT XV.

De Apoplexia Arthritica.

Art. I. DE vertigine, & dolore capitis *Arthritico* supra dictum est; speciatim, hos affectus in *Apoplexiam* non raro migrare, eaque terminari: quod quidem malum, quando hodie graviſſimum, eoque gravius, quo minus suspectum, intellectumque sit; operæ pretium mihi videtur, paulo altius ejus rationem repetere; & totam Historiam, ut potero, describere; qua, nisi me fallit animus, apparebit, hanc *Apoplexiam* non minus quam reliquas hujusce nominis *Anomalias* ἴδιος habere privatum, & propria indigere medendi methodo.

II. Docuit rerum medicarum usus, *Arthriticos*, eos præcipue, qui constitutione sanguinea, collo brevi, & toroso donati, multos ægrotarunt annos, seniumque jam ingressi sunt; maxime vero eos, qui *Cereri*, & *Baccho* indulgentes, ludoque campestri, & exercitatione corporis intermissa, fiunt plethorici, sensu motuque, nunc aliqua ex parte, nunc omni, subito privatos *Apoplexia* non rato corripi. Quæ si *Arthritidis* paroxysmo regulari, sive interciso, sive dilato, minimique, qua par est, sævitia peracto, enascatur; hanc ego *Apoplexiam* non tam exquisitam, & genuinam, quam notham, & *Arthriticam* appellabo. Ea certe est, de qua, ex communi, &, apud doctos & literatos hactenus recepta, *Apoplexiæ* Doctrina, minime fetenda est sententia; minime ordinanda medicina: verum multo aliter, ex eo, quod huic affectui proprium, de utrisque statuendum est.

III. Ut autem proprium illud explicetur, animadvertendum est, in casu jam descripto veri admodum simile esse, Miasma *Arthriticum* in corpore diu affecto, neque paroxysmis utilibus, sic, ut oporteret, expurgato, congeri & coacervari: mox sanguinem, eo saturatum, fermentescere, turgere, & in orgasmum evehi; natura sc. in sui defensionem, & tutelam, alieni summis viribus expulsionem attentante, moliente. Jam vero si acciderit, vel propter *Cerebri* imbecillitatem & ἀτονίαν, vel propter aliud quodvis προκαταρκτικὸν, in *Cerebrum* vehementius sanguinem arietare, & cum majori impetu partes ejus tenerrimas ferire; ex eo, primum *Cephalalgia*, & *Vertigo*, altera nempe, sive ambæ suboriuntur; *Caput* aggravatum; facies plenior, & coloratior est; lingua sæpe titubat; motio fit corporis incomposita; gressus inæquales; sique malum ingravescit, & validissimo ægrum insultu urget. Sensu ille, motuque interdum captus, cum oculorum, ac si in ipsa morte, vitreo colore, tanquam *Apoplexia*, perculsus est.

Hæc hujusce morbi pars prior; cui si aliud adjiciatur, & ab ejus curatione ducatur argumentum, (nullam melius sperari, nullam citius, nullam tutius perfectiusque fieri, quam per alieni, morbum in *Capite* committentis, ad articulos expulsionem) profecto quidem, ad confirmandam morbi hujus naturam Ἀρθριτικὴν, nihil deesse video.

IV. E prædictis liquet, etiamsi nullam hujus morbi, quatenus *Arthritici*, diagnosin, e symptomatum simul concurrentium globo, poterimus ullo, quod sciam, modo elicere: (nam in *Apoplexia* hac *Arthritica*, atque, exquisita motus & sensus similis est defectus, stertor, rhonchus, eademque his utrisque signorum συνδρομὴ) tamen, si ægri, diu jam *Arthritici*; si paroxysmi, dudum languidi, & inertis; si *Apoplexiæ*, languorum & eclipsin illam a tergo secutæ, habeatur ratio, horum, inquam, ex symptomatum origine, ipso morbi initio facile etit ingenium, & morem ejus *Arthriticum* investigando consequi.

V. Posito ergo hoc affectu, de ejus *Subjecto*, de causa continente, de remota, de prognosi, aliisque ejus expositioni necessariis, clare dicam, &, quoad potero, enucleate.

Subjectum *Apoplexiæ* frequentissimum, omnium, qui de illo verba fecerunt, acutissime, partem esse *Cerebri Corticeam*, affirmavit doctrina, ingenio, & humanitate vit clarissimus, *Guilielmus Cole*, collega plurimum honorandus. „ Ea (sic ille solidissime disputat) „ morbi omnis sedes, & *Subjectum* est habendum, quod materiam, „ eum committentem initio accipere, & in quo defigi illa judice„ tur: nullo autem in loco materia promptius, quam in *Cerebri Cortice* defixa, facit *Apoplexiam* (*a*). Huc eam apportant atteriæ nobiles, ingentes, in ramos divisæ tum magnos, tum etiam amplum inter se commercium exercentes. Huc allata, & eo loci sistens, vasorum sanguinem vehentium fines, (surculos sc. arteriarum, & venarum origines) extendit dilatatque. Vasorum istam extensionem necessario, & quidem e vestigio sequitur: in *Corpore Calloso*, reliquoque *medullari Cerebro*, tubulorum compressio, coarctatioque. Hinc spiritus in tubulis istis animales interpelluntur: in motu otdinando, eorum mandata; in sensu recipiendo, eorum impressiones; in cogitationibus elaborandis, eorum fluctuationes interturbantur, confunduntut. *Sensitiva*, cumque ea *Rationalis Anima* patitur eclipsin.

Quod vero multum in ea *Apoplexiæ* sede confirmanda valet; ei datæ sunt a natura venæ, prædictis arteriis, qua numero, qua magnitudine, qua denique commercio respondentes; quæ, quidquid alieni sit advectum, (facta præcipue sanguinis detractione, vel minimum Ἀντισπάσι debita) resorbent, asportantque. Hoc modo partim, ut opinor, evenit, quod qui gravissima laborarunt *Apoplexia*, sæpe curentur, de integro nunquam in eam incidentes; *Cerebri* nempe *Cortice*, sic, ut pat est, exonerato, & deinde pristinam recuperante εὐτονίαν: Quod de *Corpore Calloso* minime, si

Sydenham Opera Medica.

(*a*) *Vide Auctoris Tentamen Physico-medicum de* Apoplexia.

eum *Apoplexiæ* locum esse fingamus, expectandum; nam cum ei nulla sint, quæ tam grande onus (*Apoplexiæ* nempe causam continentem) auferre possint, animam occupabit non eclipsis solum, sed ipsa nox; *Catulli*

Nox perpetuo dormienda.

Minime vero negandum, miasma *Arthriticum* ipsos aliquando tubulos intrare *Nervinos*; spirituum undulas miscere; nubem animæ, & torporem injicere; & quidem ita semper (alias autem alia ratione) fieri conjicio, quoties hæc *Apoplexia* demigrat in *Paralysin*. ubi nulla videtut alieni, nisi per tubulos prædictos, extrudendi via;

VI. De causa hujus *Apoplexiæ* conjuncta & proxima, notatu dignum est, illam crebettime valculorum esse in *Cerebri Cortice* dilatationem, quæ *Tubulos* in *Cerebri Meditullio* statim comprimi, spiritusque facit animales in iis obstrui, & turbari. Ista vero *Dilatatio* vel a sanguinis in ea vascula irruentis, & in iis commorati, vitio, vel ab ejus quantitate provenit.

Vitium isthuc, quatenus *Arthriticum* est, a miasmate *Arthritico*, sanguinem commovente multumque exagitante ortum, procul dubio hac in re non parum operatur: Huic autem aliud vitium accedere solet, sanguinis nimirum *Lentor*; qui *Arthriticorum*, maxime vero ætate grandiorum, sanguini inesse: eique detracto, & in cyathis quiescenti, innatare deprehenditur; ita hujusmodi laborantium tum inesse sanguini, tum etiam eorum *Cerebro* inhærere, vasculaque (sic, ut dixi) refarciendo complere, & extendere jure merito censeatur.

Miasma isthuc *Arthriticum* per se, maxime vero τῷ γλισχρῷ involutum, si *Cortici* impingatur, & in eo insideat, sanguinem eo loci sistit; itaque dilationem modo dictam infert, & sæpenumero causa hujus *Apoplexiæ* proxima, uti suspicor, & conjuncta est.

Quoties autem miasma, penetrato *Cortice*, *Tubulos* in *Cerebri Meditullio* subintrat; spiritus animales tunc cominus aggreditur; & proxime tunc facta in eos impetssione, *Fluctuationes* eorum ordinarias subvertit permiscetve, donec morbus aut in *Paralysin* exit, aut morte, linea rerum ultima, concluditur.

VII. Istam autem sanguinis, seu vitiosi, seu nimii, in *Capite* moram, & mansionem, (ut de causis remotiotibus nonnihil dicam) in primis *Cerebri* creata cunabulis imbecillitas. Huc confert etiam, quicquid sanguinem impetuosius, & in *Cerebrum* copiosius impelli; quicquid etiam in eo diutius retineri faciat. Copiosius autem impellitur exercitatione corpotis, & labore pertinaci.

Anni ferme sunt viginti, cum celeb. *Matthæus Slade*, Medicus *Amstelodamensis*, *Londinum*, *Oxonia* proficiscens, & in itinere collem (ambulandi gratia) pedibus ascendens, vix superato ejus fastigio, quasi de Cælo tactus, *Apoplexia* prostratus est; neque unquam ad se rediens, animam brevi post efflavit.

Infantuli, paucis ante diebus nati, subitoque, non sine veneni suspicione, mortem obeuntis, corpus olim aperui. Nulla erant veneni in stomacho vestigia, at in *Capite*, arteriæ & venæ *Cerebrum* amplectentes, bis tanto majores, sanguinem magna illa nascendi lucta & nisu, in *Caput* infantuli nimio plus intrudi, &, tum *Apoplexiæ*, tum etiam mortis causam fuisse, verisimile reddiderunt.

Diutius sanguinem in *Capite* retineri faciunt, intet alia vincturæ colli nimis strictæ. Non ita pridem, in vicinia nostra, quidam madidus, & Baccho plenus, in lectum commissus, intra breve tempus obiit. Rigidus enim, ore livido, demortuus horis post paucis est inventus. Cum, de causa mortis adeo repentinæ inquireretur, præter ingestam liquidorum vim, collari linteo nimis arcto, & in poculis non exuto (tanquam sune in strangulatis) sanguinis reditum, maxime in corporis situ plano, & *Horizontali*, impediente, mihi probabilius inveniri, aut quidem excogitari potuit. Quæ a nobis *Apoplexiæ* puræ, & genuinæ προφάσις afferuntur (nimirum, ob accidentia prædicta, sanguinis in *Caput* invectio largior, & exportatio diminutior) possunt etiam *Arthriticis*, ob accidentia similia interdum obvenire, &, in *Apoplexiis* eorum inducendis, locum obtinete.

Huc potro referendus *Opiatorum*, ut & *Errhinorum* abusus, quibus *Arthritici* materiam in cruore alienam, magno suo cum periculo sæpe *Capite* impegerunt.

His, quæ ritu peculiari humorem in *Caput* dirigunt, adjungantur ea, quibus (externis, & evidentibus causis) a τοῖς ἔξωθεν, humor repellitur, & intro agitur: quæ cum hinc *Anomaliæ*, simul cum cæteris omnibus *Arthriticis*, sunt communes, alibi tum fusius enumeratæ, non satis explicatæ sunt.

VIII. De nostra hac *Apoplexia*, si cum *Exquisita* compatetur, observandum, quod uti vere hæc

---- *cum Spiritus Orbis*
Bacchatur ----

eoque ineunte cteberrime occurrit; & calori, se per sanguinem humanum una cum Mundi reliquo, tum temporis fundenti, eumque agitanti, debet originem: ita quidem illa, nimirum *Arthritica*, pendet ex uno miasmate *Arthritico*, præsertim augente & ebulliente; quocunque anni tempote hoc contingat. Ver autem, & Autumnus sunt tempora, in quibus id *Arthriticum* maxime ὀργιᾷ, & in *Caput* sæpissime irrumpit.

IX. De hujus *Apoplexiæ* προγνώσι jam ordine dicendum; tametsi plures ignorata morbi natura, & ob eam rem instituta medendi methodo non satis idonea, fato cesserunt; tamen (quod hujus modi laborantibus solatio sit) omnino constat, permultos ea tentatos: artificiose, sic, ut decet, tractatos, ex ancipiti morbo hoc convaluisse, vitalem diu postea vitam egisse, &, quam ab *Apoplexia* vulgari, & exquisita, longe meliorem. Cujus id in causa esse censeo, quod, debita humorum e *Capite* facta primum Ἀντισπάσι, &, deinde, restituto *Cerebri* tono, saniorem ii, tutioremque vitæ rationem ineant, libertate missa inutili, imo pernicioſa; quod, e gulæ deditis fiant temperantes, e tumulentis, sobrii: itaque omnibus sedulo vitatis, quæ aut corpus plenitudine gravent, aut gravatum orbent paroxysmis regularibus, senectutem habeant tolerabilem. Verum, ut omne id emolumenti, tum artis medicæ opus, tum observantiæ fructus est; quicunque fructum istum, minime calcata potiundi ejus via, superaverit, messem ille, nullo semente facto, (quod est unum ex absurdissimis) videtur expectare.

X. Medendi indicatio postulat, ut quam citissime *Cerebrum* alleveturt, ut mens, motusque, & sensus instaurentur. Hoc autem optime faciendum *Evacuatione*, *Revulsione*, & alieni in artus amandatione. Primum omnium inquiratur, utrum calceamentis, aut tibialibus nimis arctis, aliove quovis externo, *Arthritis* a τοῖς ἔξω repellatur,

aut in ea ne erumpat, inhibeatur. Porro, de ſanguinis in *Caput* flumine, nimis largo, & torrenti num intrudatur, num in eo diutius, quam ex œconomiæ legibus ſoleat debeatque, retineatur, eſt quærendum; & ex hiſce procatarcticis quæcunque fuerint inventa, ſunt initio removenda.

In hujuſmodi *Apoplexia* fere omni neceſſaria eſt *Venæ ſectio*: nihil ea certius, nihil citius opitulatur. Detrahantur igitur, quam primum fieri poteſt, (quam citiſſime conficies id, tam maxime proderit) unciæ xii. xiv. vel libra una ſemis pro ægri viribus & conſtitutione. Paulo poſt injiciatur *Enema* pungens, & acre; ſive ex *Urina Humana*, ſive ex *Decocto communi*, cum *Sale vulgari*, vel *Aloe roſata*, aliove id genus alvum irritante. Sub id tempus adhibeatur *Purgans*, e potentiſſimis, & ſanguinem agitantibus; *Pulvis* puta *Warwicenſis a* ℥ß. *ad* ℈ij. vel *Reſ. Jal. a gr. vi. ad x. cum Extr. Rudii* ℈j. *ſive* ℥ß. *Elix. Prop. q. ſ. ut fiant* pilulæ; vel *ex Decocti amari Purgantis* ℥iij. *& Syr. e Spina ab* ℥j. *ad* iß. potio. Si ſegnius erit demiſſum *Purgans*, neque trium, aut quatuor horarum ſpatio ventrem movebit, *Enema* repetatur. Toto iſthoc tempore, vel lecto, vel cathedra, corpore, quoad poteſt, erecto ſedeat ægrotans; ne in *Caput* depreſſum, & nimis inclinatum, humor impetu, & copia majori ſuffundatur, malumque augeatur.

Purgatione facta, de *Venæ ſectione* iteranda, & quo in loco, brachio, an cervice, deliberandum eſt. *Cucurbitulæ*, hoc tempore, dorſo (inter omoplatas) admotæ, cum multiplici *Scarificatione*, uſus ſunt eximii.

Vacuefacto corpore, operæ pretium erit articulo nuperrime dolenti *Emplaſtrum*, vel *e Pice Burgundica & Terebinthina Venet.* vel *Cephalicum cum Euphorbio*, aliudve quodvis potenter attrahens, imponere; totumque membrum, ut e *Capite* materia ducatur & loco magis idoneo figatur, laneis involucris calidiſſime veſtire. In hujuſmodi caſu, pedes in aquæ fontanæ balneum, quam potuit tolerari, fervidum immittendo, ibique retinendo; ægrum, omni ſpe vitæ pene deſtitutum, & animam, ut apparebat, jam tum agentem, ἐν καιρῷ ſervatum, aliquando novi.

Cum hæc aguntur, ad τὰ ἔξω *Arthritis* evocari, *Cerebrum* magnopere levari ſolet: natura, prædictis auxiliis adjuta, in viam redit; & opus, inauſpicato cœptum, felicius & accuratius perficit. Sin aliter res ſit, neque per ea ſanetur æger, ut alieni fiat evacuatio, quæ nominatur *Topica*, collo poſteriori dimidio, ſincipiti, vel capiti raſo *Epiſpaſticum* applicetur, & dies quatuor vel quinque geratur. Brachiis etiam internis, aut ſuris (uti *Chiragra*, vel *Podagra* frequentior eſt) admoveri poſſunt iſtiuſmodi *Emplaſtra*. Si vero anguſtiis prematur æger, & graviter laboret, *Cervici*, vel *Capiti*, ubi *Sutura Sagittalis* cum *Lambdoidea* coit, vel ubi cum *Sutura Coronali* (prout *Capitis* pars poſterior, vel anterior magis afficitur) *Cucurbitula* imponatur. Si nihil horum iſi uſum trahetur, tondere minimum ad cutim oportebit; deinde *Caput* radere, & ad relaxationem cutis perfricare; poſtremo, *Emplaſtrum e Cumino*, vel iſtiuſmodi aliud, quod Διαπνοὴν exaugeat, & humores eliciat, applicatum continuo geſtetur.

Malo uſque permanente, proderit materiam per nares, per os detrahere. Valent hanc in rem *Errhina*, quæ ſine ſternutatione ſerum educant. Sternutationem moventia jure merito vereamur, ne, vi ſua & niſu corporis laborioſiſſimo, humores in *Cerebrum* impellant, ægrumque obruant. Manducare juvat, quæ ſunt acerrima; eorumque beneficio ſalivam largiter educere.

℞. *Raſ. Raph. Ruſtic.*
Sem. Sinapios contuſ. ana ℥ß.
Pul. Pyretri ℥j. *miſce, Melle excepta & Serico incluſa ori dentur, & Sputo identidem ejecto Dentibus conterantur.* Huc confert etiam *Electuarium Apophlegmaticum* infra deſcriptum.

Interea vero temporis, dum fiunt evacuationes, ea, quæ ſpiritus animales ſtimulent, & munus ſuum obire faciant, magni, & quidem frequentiſſimi uſus ſunt, quamobrem *Spiritus Volatiles oleoſi*, vel *Sp. C. C. Juccinati, cum Julapii Cephalici Hauſtu*, crebro & aſſatim, ſic, ut requirat uſus, ſunt adhibendi. Quinimo *Pulvis de Gutteta, cum Caſtoreo, & Oleo Succini, Aſſæ fœtidæ ſolutione in Pilulas* temperatus, bis vel ter in die demittatur, cum *Julapii* prædicti hauſtu. Hæc quidem medicamenta eo potius eligantur, quoniam non ſolum animales ſpiritus inſtaurent, ſed & *Arthritidi* etiam expellendæ quodammodo inſerviant: verum præmiſſis evacuationibus, quæ appellantur *generales*, iis potiſſime utendum, ne, a medicamentis adeo *Cardiacis*, in corpore feriato & pleno, malum intendatur.

Si a prædictis ἐν τοῖς ἔξω nulla fiat *Arthritis*, ad auxilia externa, magis efficacia, progredi juvabit: ad *Phœnigmos* ſcil. aut ejuſmodi alia, quæ valentiſſime, quæque materiam evellant omnium certiſſime.

Quamprimum tumor, aut dolor ſignificabit *Arthritidem* ad τὰ ἄκρα appelli, ſtudio elaborandum eſt, ut eo loci retineatur, neque retro agatur: Hoc autem optime fit per *Epiſpaſticum*, & *Empl. Meliloti*, ordine applicata, quibus, per ulcuſcula diutine aperta, pernicioſus humor educatur. Atque huic propoſito non alienum erit, *Emplaſtro* lanea ſuperponere, laqueos iis involvere, pedemque interdiu, modo pes afficitur, deorſum verſum inclinare.

Omni hoc tempore commodiſſimæ ſunt *Fricationes*, artuum præcipue, bis vel ter in die, vehementes: quæ quidem e *Cerebro*, ſed non e corpore, ſanguinem educant, & illius ῥοπὴν ad corporis extrema vertant.

Arthritide in extrema apparente, veluti præſente Numine, ſervatur æger. Nihil auſpicatius, nihil ei felicius obvenire poteſt. Morbi, a quo idoneo & recto ægri vita & incolumitas omnino pendet, a quo (e contrario) inverſo, & Ἀνωμαλῶ, ejus periculum, quantum animo comprehendi poteſt, maximum eſt obortum; iſtius, inquam, morbi hoc modo ſublata eſt Ἀνωμαλία, iſque jam denuo factus ſalutaris.

Cum humorum plane mutatur inclinatio; quique nuper in caput irrepſere, foras jam in artus abeunt; ad eos expellendos, & promptius expediendos (nec quidem antea, ne ſurſum eleventur, & in partem iis affectam impellantur) lene quoddam Ποδαγρικαγωγὸν oportet dare: *Pulveris* ſcil. *Cantiani quaſi* ℈j. *ſexta, vel octava quaque hora*: cui, ſi viſum eſt, & tuto fieri poteſt, adjiciantur ſemel, aut in conſtitutione phlegmatica, bis in die, *Chalyb. Nutriti gr.* v. Quod tamen *Arthritidem* expellens, ſi quovis modo repellatur humor articularis, aut caput deſubito male habeat, protinus omittendum; & auxiliis externis humorem evocantibus, una cum iis, quæ ore data ſpiritus animales recreent, utendum eſt.

Diæta, per omnem hunc decurſum, a maxime ſit tenuibus: placet *Juſculum Pullinum*, *Avenaceum*, *Panatella*, *cum Uvis Corinthiacis*, *aut paſſis majoribus*; placet *Chocolata*, ejuſmodi & *Sorbitiones*, molles ieil. & faciles cibi, quibus ægri vires nutriantur, ſtomachus autem non gravetur, in cereviſiæ vicem, aut *Pomaceum*, aut *Vinum* aqua dilutum, aut *Salviæ*, aut *Teæ*, aut *Anthophilli infuſum*. Nihil gula & ſatietate, præcipue veſpertina, periculoſius. Alvo neque dura, neque lubrica ſit æger, illa caput aggravari facit, hæc ad τὰ Ἔντερα malum invitari.

XI. Ad *Prophylaxin* nihil conducibilius, quam in dorſo *Fonticulos* aperire; rus petere, aere aperto, & ventis probe agitato frui, vere & autumno alvum ſubducere, in robuſtioribus venam initio Octobris ſecare; &, quod utranque abſolvit paginam, maximeque attendendum eſt, *Arthritidos* recte παροξυνσεως curam diligenter adhibere.

Apoplexiam, in *Cerebri Cortice* locatam, curatio jam deſcripta plerunque tollit; & ea minime recidiva, ægri multos annos immunes agunt: ſi vero *Cerebri* meditullium, ſive aliquam ejus partem, tubulos oppilando *Nervinos*, morbus occupat, aut de ſubito ægrum interimit, aut in *Paralyſin* degenerat, Capite proximo tractandam.

XII. Hæc curatio & *Apoplexia*, quæ a *Cerebro* oppreſſo fit, accommodatur: ſi materia morbum committens, in *Ventriculo* & *Inteſtinis* ſita eſt, *Symptomaticæ* illius *Apoplexiæ* (cujus hiſtoriam mox ſubnectam) curatio *Purgatione* tum ἄνω tum κατω, & medicamentis ſpiritus animales excitantibus, & *Arthritidem* expellentibus, eſt tentanda.

HISTORIA I.

Vertigo Arthritica, *cum impendente* Apoplexia.

SUbacti vir ingenii, & in rebus gerendis ſubtiliſſimi, multos annos *Arthriticus*, (quo quidem tempore ſtatis ille periodis, &, ut oportebat, doluit hyemem anni MDCCI. nimia tranſegit indolentia. Ab hoc *Arthritidis* defectu, pro conſuetudine paroxyſmum minime repetentis, (tanquam omiſſa re quadam uſus egregii, & ad vitam in primis neceſſarii) ſtatim œconomiæ ratio turbata eſt: gravitate, & vertigine caput afflictum, facies ſupra modum colorata, &, tametſi hominis minime temulenti, perque ipſos hoſce dies ſobrii, nihilominus tanquam immoderato tumefacta potu. Lingua titubavit, & voces edidit non ſatis claras, notabili nempe cum impedimento. Corporis totius motus incertus, incompoſitus fuit; neque geſtu regulari factus. Quæ quidem accidentia, cum eorum ordine ſimul conſiderata, &, uti par fuit, expenſa, materiam *Arthriticam*, intus ſervatam, ægroti *Caput* adoriri, & ex ea *Apoplexiam* in propinquo eſſe, manifeſte comprobarunt.

Huic autem affectui in iſthoc homine generando, præter jam dicta, viam hæc tria patefecerunt. Primo loco, corpus ad hunc affectum concipiendum a natura promptum, utpote collum habens perbreve, cujus opera factum eſt, ut in *Caput* ſanguis impetu cum majori ferretur. Deinde, craſſus hujus ægrotantis & generoſus ſanguis, qui facile ferveſceret, minimaque de cauſa incitaretur, & in orgaſmum eveheretur: poſtremo ver, *Apoplexiarum* tempeſtas.

His adjuta Συναιτίαις, malum graviſſimum, *Apoplexiæ* vicinum, intulit *Arthritis*: cui ut occurreretur, hanc medendi rationem inii. Primo, ſanguinem miſi, & quidem copioſe, ad libram uſque integram; hoc ferente ægri conſtitutione, morbo poſtulante. Tum, adhibito *e Pil. Rudii*, & *Pul. Scammonii Purgante*, *Draſtico*, (quod in hac re commodiſſimum eſſe oſtendit uſus,) alvum inanivi, ſanguinem exagitavi, *Arthritidem* expuli. Doluit denuo articulis æger, & quidem auſpicato doluit. Nam ex ea tam *Arthritidos* ad τὰ Ἄκρα reductione, quam ex humidi, quod nimium erat, e corpore evacuatione, malo graviſſimo impendente æger liberatus, & veſtitu, aliiſque rebus idoneis, quæ a capite procul tenerent *Arthritida*, curatus eſt.

Biennio poſt, eadem ille cauſa, (ſcilicet *Arthritidis* defectu,) eadem anni tempeſtate, (nempe vere) ſimili modo eſt affectus; capite diu, & impenſe aggravato, præcipue parte ejus anteriori ea, quæ oculis ſupereminet. Vena ſemel iterumque pertuſa, *Enemate*, & *Cathartico* fortiori dato, e *Capite* in manus & pedes exturbata eſt *Arthritis*. Multum hinc æger, at tuto doluit; ejulatus edidit, at inanes; neque, curato per eos *Capite*, miſericordiam moventes. Huic autem *Arthritidis* translationi non parum contulit (nequid hac in re momenti prætermittam) *Empl. Cephalicum*, quod tendini, ad pedis pollicem pertinenti (quem in hoc ægroto locum *Arthritis* maxime frequentaverat) applicatum, eo tantopere morbi vim allexit, ut trium horarum ſpatio doloris æger impatiens, illud detrahere cogeretur. Tantæ efficacitatis in hoc affectu nonnunquam ſunt externe applicata!

HISTORIA II.

Arthritidi *repercuſſa ſuperveniens* Apoplexia.

CErveris & *Bacchi* mancipium, vitam agens deſidioſam, ex eo craſſum, & ventricoſum evaſit, ipſoque ætatis flore *Podagroſum*. Annos natus fortaſſe quadraginta, ſaginatus iſte lurco doluit: dolenti vero accidit, quod hic loci memoratu digniſſimum, non minus inſolens, quam grave infortunium. Hallucis globum, & articulum majorem occupavit *Podagra*, calore, tumore, rubore comitata, cruciatibus eum affecit, ſed periculi expers. Ut ejus acrimoniam mitigaret æger fœminæ cuidam medicinam exercenti, (leniendis ægritudinibus procul dubio doctæ) ſe commiſit. Illa medicamentum e ſuis, ſcilicet, comparavit: utrum autem ex *Solano lethali*, *Hyoſcyamo*, *Cicuta*, aliiſque id genus *Herbis*, quibus uti ſolent nonnullæ; An ex *Ovorum albumine*, *Sapone*, & *Spuma Cereviſiæ*, quod mihi renunciatum eſt, in medio relinquam. Conſtat autem, hora decima matutina remedium iſthoc, quicquid erat, loco afflicto ſuperponi: conſtat, dolorem magnum, acrem, urgentem, horæ unius ſpatio leniri; duabus horis penitus auferri: Conſtat, ægrum lecto ſurgere, cibum capeſſere ſatis modicum: Conſtat, hora ſecunda pomeridiana, ſomno eum gravari, connivere: poſt paulo obdormire: Conſtat, hora ſeptima veſpertina ſtertere, & tanquam in ſomno nimis profundo morboſoque, rhonchiſſare: Conſtat, tum primum ægri conditionem uxorem ejus ſuſpicari; nec deeſſe, qui de

ea,

ea, tanquam ancipiti, & periculo plenissima, fide illam moneret. Monitionibus illis, utut amicis, & prudentibus, spretis neglectisque, (ne videlicet *Epispastica*, *Scarificationes*, aliaque *Tormenta* medica subiret æger, in utramvis aurem etiamsi dormiens, seu potius semimortuus) constat illum, mane proximo, horam circiter quartam, e vita excessisse.

Discant hinc *Arthritici*, quam dubii sint eventus, seu potius quam fatalis, ea, quæ parti extra dolenti superposita, causam morbi repercutiant: discant, eam repercussam, & in sanguinem repulsam, posse *Cerebro*, visceri omnium nobilissimo, impingi: discant, impactam ferre posse *Apoplexiam*, posse mortem. Discant, & caveant.

HISTORIA III.

Somnus ab Opiato *profundus*, *&c. ipsa propemodum mors.*

PAri temeritate usus est, sed cum minori damno, quidam mihi notissimus, & jam inde ab adolescentia familiaris. Fuit ille *Arthritide* multos annos afflictus, & paroxysmis ejus, tam gravibus, quam diuturnis, mirum in modum emaciatus, cum, mense Martio, Anno MDCCIII. nescio qua ex causa, Μιασμα (quod in hoc *Arthritico* abundans, sanguinem infecerat universum) viscera, imo ventre contenta, subintravit. Dolor intestinorum ex eo magnus, quem ut deleniret, *Opiati* quantitatem non immodicam assumpsit. Somnus hinc profundus: horis post sex supra triginta, delirium. Mane proximo Σπασμοὶ, ipsa propemodum mors.

Detracto prius sanguine, *Sp. C. C. & Tinct. Castorei*, cum idoneo vehiculo dedi; deinde *Bolum*, & *Pilulas*, alternis, sexta quaque hora.

℞. *Fœcul. Bryoniæ*, *Pul. Castorei*, *Succin. albi*, *Assæ fœtid. ana* gr. v. *cum Syr. Artemis. f.* Pilulæ.

℞. *Pul. de Guttetæ* ℥ß. *cum Syr. Pæon. q. s. f.* Bolus.

Pedibus totis *Empl. Cephalicum*, una cum *Picis Burgund.* subtriplo: Tibiæ, & brachio utrique, *Epispasticum*; Cervici prælargum admovi. Erat etiam in præscriptis id, quod sequitur, salivam movens.

℞. *Ras. Raph. Sylvest. tenuissimæ* ℥j. *Ol. N. M. Chym. gutt.* v. *Mellis q. s. f.* Electuarium apophlegmaticum. *Teneatur ore quasi* ℥ß. *usque dum manaverit Saliva, utrunque tunc ejiciatur, omni hora repetatur* dosis.

Hac quidem medicina ἐν καιρῷ adhibita, cum in summo quidem discrimine vita esset, cum fere actum & conclamatum esset, contra omnium opinionem æger restitutus est. Et quidem, malo & intempestivo *Narcoticorum* usu, morbi vim in *Cerebrum*, & *Nervos* infigente, quanta passim incommoda ducantur, apud eos *Arthriticos*, quibus quies, utut dubia & periculosa, vita charior est, testimonio nimis amplo, & frequenti patet.

HISTORIA IV.

Arthritis, ex Acidorum usu gravior, in Apoplexiam *desinens Symptomaticum.*

ISCanus Artifex, inde ab incunabulis *Arthritide*, una cum omnibus consanguineis, imbutus, multis annis ea premebatur regulari, artus scil. afficiente, & post debita intervalla recurrente. Cum vero, de affectu valde molesto prorsus evincendo, Medicos suæ ætatis celeberrimos consultor adierat, & quidem (non sine quodam artis nobilissimæ & divinæ contemptu) incassum. Sortis suæ impatiens, & absolutæ curationis spe allectus, *Acidorum* usui, *Servo* nescio quo hortante *Medico*, totus incubuit: quali vero cum eventu, & quo fructu, narratione dignissimum est. *Pomaceum* ille regionis hujus (id est, omnium, ut videtur, acidissimum) elegit; quo, in vicem potionis ordinariæ, per biennium paulo plus aut minus, usurpato, cibi appetentiam, antea tenuem, & languentem, omni fere illo tempore, acutam & latrantem habuit, uti etiam paroxymos tum rariores, tum etiam mitiores. De nova methodo cum ægrotante sermones feci, qualemque exitum haberet, avidissime expectavi, speciatim, utrum illa quies, *Arthritidis* esset diminutio, an paroxysmi, in aliud tempus, prorogatio tantum majori demum discrimine (quod ego plus semel observavi) concludenda.

Ab induciis sævior *Arthritis*, hujus seculi initio, tum manus, tum ea, quæ intus sunt, invasit, Δυσορεξίαν, Δυσπεψίαν, ventriculi inflationem, ructus, spiritusque difficultatem introduxit. Mense Junio sequenti, post narium hæmorrhagiam, motu sensuque omni derepente captus, spiritum ex imo pectore laboriose traxit, tanquam jam statim moribundus: pulsus a natura magnus, ab affectu major erat.

Sanguinis, quam ocyssime, libra detracta est; unde linguam æger, & oculos movit. *Vitrioli albi depurati* ℥j. cum *Decocto Cardui* data est, eaque plus semel iterata, ter quater evomuit. *Enema* posthæc injectum, acre, & stimulans; unde largiter ejecit, Non nimis ea nocte dormivit. Mane sudum, & serenum; uti etiam die postero. Caput immune, ructus autem perduravit ingratus, spiritus difficilis, ut & cibi fastidium. *Arthritidem*, ἐκ τῶν Ἐντοσθίων, ore datis, expellere, extra admotis, educere sum conatus. Die, ab insultu, tertio somnolentia continua, oculorum gravitas, & color vitreus, brachiorum motus interdum convulsivi, ægro male ominabantur. *Sp. C. C. Succinatum*, cum *Aq. Cardiacis* dedi, aliaque feci non pauca, ad avertendum, siqua fieri posset, insultum; at inani opera: ægrum eo vespere subripuit

Θεὸς τε μέγας, καὶ Μοῖρα κραταιή.

Tametsi primo aspectu videatur, eum hujus ægroti casum esse, qui, ex *Capite* principaliter, & Ἰδιοπαθικῶς affecto, apte possit explicari: (hoc enim, motus convulsivi, somnolentia, Ἀναισθησία, Ἀκινησία non parum arguere judicentur; & quidem in primo insultu, nimio sanguine caput aggravari, & ex parte lædi, ob beneficium a venæ sectione non negaverim;) tamen, si Ἀνορεξίας, si flatus, si ructus, si *Arthritidos*, coctionis organa diutius obsidentis, habeatur ratio, verisimile est, eam esse hanc *Arthritida*, quæ primario ventriculum, & intestina afficeret; *Caput* autem, & *Genus Nervinum*, non nisi secundario, & συμπτωματικῶς: & quod ista *Capitis* accidentia, revera naturæ, jam pessundatæ, oppressæ, & in ruinam vergentis, essent indicia.

Si vita, sine *Dolore* jucundior videatur; videndum tamen, ne tutior non sit. Bellum honestum, sui defendendi, & publicæ salutis ergo susceptum, paci infidæ, ignobili, periculoque plenæ, longe anteponendum est.

HISTORIA V.

Apoplexia *Arthritica feliciter curata.*

MErcator *Exoniensis*, humanus, integer, & probus vir ita natura fabricatus, ut, ob colli brevitatem, & temperamentum corporis sanguineum, ad contrahendam aptus natus sit *Apoplexiam*, per viginti plus minus annos, *Arthritide* vexatus est; claudus ea jamdudum factus, neque, nisi sustinente illum aliquo, via progrediens. Cum eo ventum erat, & æger, prope sexagenarius, *Arthridem* mitescere, neque Παροξυσμὲς ex more duros, & laudabiles, iterare sensérat, statim huic sereno horrida insecuta est tempestas. Mense enim Junio, Anni MDCCVII. subita *Caligine* correptus, motu sensuque tam interno, quam externo omni privatus, *Apoplexia* perculsus est, cum oculorum, tanquam in ipsa morte, gravitate. Pulsus, sed & ille perturbatus; cum respiratione, sed alta & gravata, unicum vitæ restituit argumentum.

Mali causa satis perspecta, materiam *Arthriticam*, in *Caput* delatam, ex eo evocare nitor: quem in finem, e vestigio sanguinem, eumque copiosum mitto. Primum *Enemate*, dein *Cathartico* quam citissime ventrem emollio, *Epispasticis* cervici, aliisque locis compluribus applicatis, serum elicio. Itaque materiæ alienæ facta partim evacuatione, an protinus *Cerebrum*, ejusque incolas, spiritus animales sistam, & instaurem eodemque tempore, quod alieni reliquum est, ad τὰ ἔξω amandem; huc ego respiciens, *Spiritu volatili Oleoso*, *Julapio Cephalico*, *Haustu* etiam *Arthritidem* expellente usus sum; & ad *Arthritidem* evocandam, *Emplastris ex Picis Burgund. & Empl. Oxycroc.* pari mensura mistis, & extra plantis pedum impositis.

Cum dolere cœpit articulus (quo nihil lætius, nihil opportunius huic ægroto potuit obtingere) primum *Frictionibus*, tum *Unguento*, (*ex Ung. Nervino*, *Spiritu Tereb. & Sp. Vol. Oleos.*) articulum urgente, & irritante ungi; posthæc calide vestiri jubeo: unde doluit æger egregie, magnoque suo cum emolumento.

Atque ista quidem medicina (Deo operam fortunante) mentem, & motum ægro restitui. Cum vero gravior, & diutior insederit *Apoplexia*, sicque *Caput* infirmaverit; quod quidem ex illius sermone, vix satis constanti, aliisque morbi vestigiis, notatu facile erat; ut *Spiritibus* vigor, ut *Cerebro*, & *Systemati Nervino* robur redderetur: Villæ suburbanæ aerem siccum & apertum, spiritu ducere; & equo corpus sæpe exercere, ægroto suasi. Quibus ille mirifice recreatus, tam oculorum, quam ingenii pristinum adeptus est acumen, & argutias; atque annos jam duodecim *Arthritide* crebro recurrente, verum *Apoplexia* ne semel quidem, egit.

HISTORIA VI.

Arthritica ut occurratur Apoplexiæ.

MAtrona nobilis, illustri domo orta, verum *Arthritide* graviter afflicta, nunquam utero gerens circa nonum ætatis suæ lustrum, febre intermittente corripiebatur; ejusque paroxysmos, pro typi ratione revertentes, tres vel quatuor toleravit. Cum hi finierant, neque ulla medicina, qua materia, & causa eorum proxima eliminari posset, in usum traheretur; statim a febris abitu novum aliquod, a proposito nostro non alienum, in extremis partibus exortum: utriusque nempe malleoli dolor, & deinde tumor plane *Arthriticus*; sed, propter frigidum sanguinis temperamentum, nitore nullo, nec quidem multo rubore insignitus. Perduravit dolor, quatuor vel quinque dies, eoque exeunte, mansit tumor, alteros adhuc complures. Hujus illa modi paroxysmos, nempe *Arthriticos* ex intervallo anni quasi integri, non paucos subierat; cum inopinato *Caput* affectum est, &, tanquam invadente *Apoplexia*, perculsum. Ita laboranti, una cum aliis e *Capite* materiam evocantibus, supra quam expectare merito liceret, profuere *Frictiones*, quæ ad pedes materiam invitarunt, & eorum articulis tumores excitarunt. Hinc *Capitis* tutela; hinc ejus malum *Arthritica* esse natura, signum ἀποδεικτικὸν.

Meum erat dominæ, *Prophylaxin* ordinando, consulere. Hæc duobus comprehensa est. Primum, materiæ vitiosæ, a patre *Arthritico* acceptæ, nullo partu minutæ; verum mensibus obstructæ auctæ, (quæ tum febris intermittentis, tum morbi articularis causa esse videretur) quanta maxima fieri possit, tam *Expulsione*, quam, ne crescat, & repullulet, inhibitione: deinde cavendo, ne in caput iterum eadem irrepat.

Ut primæ harum indicationi satisfacerem, purgatio omni mense, loco τῶν Ἐμμήνων imperata est; diebus autem otiosis, *Aquæ Spadanæ*, & *Stomachica*: Ur alteri occurreretur, quotiescunque *Capitis* periculum immineret, & *Arthritis* id invaderet, ad eam educendam *Venæ sectio*, dorsi *Scarificatio*, cum *Cucurbitulis*, colli posterioris, vel totius capitis, *Vesicatio*, malleolo utrique *Phœnigmorum* applicatio, & deinde *Epispasticorum* prope locos tumefactos. Hæc, inquam, una cum *Podagragogis* ore datis, ægræ sunt commendata. Hoc autem loco id præcipue notandum, *Arthritidem* interdum ad *Caput*, ad pedes, æque fere inclinare, & in hos ab illo, levi *Frictionum* ope derivari.

CAPUT XVI.

De Paralysi Arthritica.

Art. I. VEnio ad *Paralysin Arthriticam*. Cum miasma *Capiti* appulsum, in ejus *Cortice*, speciatim, vasis illius sanguinem vehentibus, non diu commoretur; verum in glandularum ductus, in *Nervinos* sc. *Tubulos*, impellatur; ex duobus hisce, quæ sequuntur, unum semper eveniat, necesse est.

Nunc in iis, quæ sunt meditullii, *Tubulis* sistendo *Apoplexiam*, *Vertiginem*, *Oblivionem*, Ἀγρυπνίαν, *Somnolentiam*, aliumve aliquem *Cerebri* affectum creat, & quidem aliter, quam in præcedenti capite declaratum est, nimirum (ipsos spiritus in officiuis suis

comi-

cominus aggrediendo, eorumque confertim operas, & jam proxime disturbando) ἰδιοπαθικῶς; itaque ægrotantem sæpe opprimit. Quod quidem eo usque crebrum existimare licet, ut *Apoplexia* laborans *Arthritica*, quoties (*Phlebotome*, *Catharsi*, aliisque auxiliis, ei tollendæ necessariis adhibitis) idem occumbit; *Apoplexia* hujusmodi *Idiopathica*, potius quam ea, quæ in *Cerebri Cortice* locum habet, interimi judicetur.

II. Sæpe vero miasma ad eos *Tubulorum* locos propellitur, ubi *Spirituum* meatus obstruendo & vias implendo, *Paralysin* affert: eamque hujus, vel illius membri, sicut *Nervus*, qui ad hoc, vel illud membrum pertinet, est affectus. Unde sequitur, istius membri sive *Motus*, sive *Sensus* tantum, sive uterque læsus & diminutus, interdum etiam abolitus.

III. In causa *Paralyseos* exquisitæ, proxima & continente describenda, Medicis inter se non convenit. Alii enim, duce *Erasistrato* (quod a *Galeno*, ipsis *Erasistrati* verbis utente, traditum est,) a *Lenta*, *tractili*, *& excretu difficili Materia*, *Nervos oppilante*. Alii vero, a vim narcoticam, aut alias virulentam habente ipsosque spiritus confodiente, *Paralysin* fieri contendunt.

Profecto, neutrum horum, opinione nostra, penitus excludendum. Enim vero, ita posse accidere non improbabile est, ut ad committendum hunc affectum, ambo concurrant, & viribus sociatis simul operentur. Nam, ut singulatim hæc attingam, usu quotidiano patet, *Arthriticorum* sanguini γλιχρότητι (*a*) inesse; eique detracto, & in excipulis quiescenti, post breve tempus, innatare: quod utique (sive antiquorum *Pituita*, sive non) ad *Nervos* obstruendos omnino satisfaciat.

Et, quod altero loco dicendum, virosum aliquod in *Nervos* se recipere; *Spiritus* in iis contentos afflatu, & contagio perimere, & vel per se, vel cum aliquo alio *Spiritus* inimico *Paralysin* inferre, exemplo mox addendo, (*Historia* sexta) manifestum, ut opinor, & testatum fiet.

IV. Ut causas investigem magis remotas, eæ sunt, primum, in sanguine *Diathesis Arthritica*, seu virus istiusmodi indomitum, ἑτερογενὲς: in fugam, ubicunque possit, abiturum; in *Nervinum Genus* ingressurum. Quæ quidem *Diathesis*, per se multarum virium, & in hoc affectu producendo valentissima, causam interdum adjuvantem habet, nempe *Plenitudinem*, quæ, apud populum satietati deditum, cum ea solet jungi, & in hoc negotio ξυναιτιᾶσθαι, certe in hac regione, eorum, qui ex *Arthritide* perperam agente, & minus *Regulari* primum *Apoplexia*, dein *Paralysi* corripiuntur; non pauci causam istorum malorum antecedentem in sanguine duplicem agnoscunt, videlicet *Arthriticum* miasma, *Plenitudine* comitatum.

Deinde, *Cerebrum* a natura molle, aut morbo aliquo, aut ictu, aliave quavis evidenti causa, debilitatum, & *Nervi* supra modum teneri: quibus facile, per ora plus æquo dehiscentia, virus admittatur, & diu intra *Tubulos* retineatur.

His postremo loco adjiciendum, quicquid externæ, sive causæ evidentis, via tam patula materiam adeo paratam adigat. Hujus autem generis sunt aer humidus, & palustris, aliaque omnia, quæ in *Paralysi Primigenia* locum inveniant: at in hac *Arthritica*, præcipue memoratu digna sunt vita sedentaria & otiosa, mala victus ratio, frequens *Hypnoticorum* usus, *Spiritus ardentes* immoderate sumpti. *Venus* immodica, frigus, &, in corporibus calidis & biliosis, medicamentorum abusus calidorum; omniaque, quæ *Arthritidi*, ne articulis infigantur, obstent; aut iis affixam quæcunque repercutiant.

V. Ex hoc causarum apparatu, facile est conjicere, quem in modum fiat hæc *Paralysis*, & (præcurrente modo *Capitis* gravitate, modo dolore, modo vigilia, modo somnolentia, modo vertigine, modo oblivione, modo tristitia, modo mentis alienatione, modo etiam nullo præcedente *Capitis* affectu, sed intestinorum colico; modo neque hoc quidem) quam expedire virus *Arthriticum* in *Nervos* intrudatur; quaque, eos adimplendo, aliasve *Spiritus animales* afficiendo, cito *Paralysin* hanc inducat.

Ægroti vero conditio, sive morbi εἶδος pro ratione partis affectæ, aliud atque aliud esse reperitur. Si *Linguæ Nervus* παραλύεται, aut sonum æger iuconditum edit, aut verba (voce confusa blaterans) dimidiata: si, quis *Paris vagis* ramus est, ad *Ventriculum* pertinens, (quod quidem *Arthritico*, plenitudine gravato, & ex ea *Procatarxi* primum *Apoplexia*, tum *Paralysi* perculso, contigisse novi) æger omni concoctione, & quidem appetitu captus, cibi fastidio pertinaci laborat; donec, humorum penu vitalium indies decrescente, neque novis accessionibus, uti par est, refecto, summa tamersi copia beatus, paulatim marcet, tabe conficitur. *Paralyseos Arthriticæ* in corporibus *Biliosis*, maxime vero *Colicæ Biliosæ* superveniens, alia solet esse ratio, & quidem prima: Hac qui laborant, famem habent imminutam, pene prostratam; corpus attenuatum, cutim universam (at præsertim oculorum album) ictero colore tinctam, aridam, neque ex naturæ lege perspirantem. Adeo nempe diversa facies hujusce morbi, pro loci ab eo occupati, & causæ conjunctæ diversitate.

VI. *Paralysis Arthritidi* secundariæ, sicut primigenia, multiplex invenitur. *Ratione Subjecti*, nunc unius lateris, nunc unius membri est; & quidem (uti meis obtigit) præcipue linguæ: *Ratione Materiæ*, sive causæ continentis, interdum eam habet simplicem, & puram *Arthriticam*; aliquando γλιχρότητι involutam, aliquando bile, vel alio aliquo commissam alieno: alias sola, & per se occurrit, alias motibus convulsivis comitata: alia denique imperfecta est, qua non satis habiles redduntur artus, & in motibus obeundis sæpe vacillant, at non ex toto resolvuntur; alia vero perfecta, qua penduli fiunt, & immobiles; Hæc autem omnia, cum *Paralysi Primigenia*, nostræ huic *Arthriticæ* sunt communia.

VII. *Periodicam* neque ego novi hanc *Paralysin*, neque temere, propter materiam *Nervis* impactam, & cohærentem (id est, continenter eos oppilantem) esse posse judico, qualem tamen aliam observavi, nimirum Ἀφωνίαν, statis temporibus, permultos menses, ad finem pene horologii, recurrentem, (& *Regiæ* olim *Societati* (*b*) renunciavi:) contra quam *Galenus*, qui *Paralysin* nullos habere *Typos* asserit (*c*): nisi forsan (ut illustri *Pergameno* suus servetur honos) de *Paralysi* omnium exquisitissima, & *Primigenia*, sermonem ille facere, nostra vero, jam dicta, *Paralysis Hysterica* censeatur.

VIII. *Paralysis Arthritica* morbus curatu perdifficilis, idque præcipue duas ob causas. Harum altera situs est istius morbi in corpore profundus, nimirum intra *Cerebrum*; ex quo fit, quod, adversus eum quæcunque dentur, ore demittenda, remedia colum tam *Cerebri*, quam *Intestinorum* penetrantia: non parum alterentur, nec in alienum, quod est morbi adeo remoti causa conjuncta, pulsu satis valido arietet, aliasve, uti par est, afficiat. Altera vero difficultatis hujus causa est, quod in corporibus senio, vel *Arthritide* conflictatis, aliasve fractis, & debilitatis, itaque medicinam minime sic, ut par est, sentientibus, locum hic affectus plerunque teneat.

Verum, ut singularia persequar, si morbus hic *Apoplexiæ* succedat, propter injuriam *Cerebro* inflictam, curatio longe difficilior; & si recurrit *Apoplexia*, tanta plerunque vis humorum, & tam ἀθρόως in *Cerebrum* impellitur, quanta id obruatur, & ægrotus, antea debilis e medio feratur.

Si e diverso Μίασμα, sine ulla (sive per *Apoplexiam*, sive alias) in *Cerebrum* gravi facta impressione, in *Nervorum* tubulos irrepat, & se paulatim insinuet: sique interea medicamenta, malo tam immani convenientia, sint adhibita, reliquaque æger ad præscriptum agat idoneum universa; hæc illius conditio minime desperata. Habet Ἀπειλή, quod (Deo adjuvante) hujusmodi debilem, quod elumbem, quod emaciatum, quod decolorem, motu, viribus εὐχροΐᾳ, εὐσαρκίᾳ, donet: & ægrotantem, ultra quam expectatio sit, restituat. Quibus autem modis hæc curatio fiat: jam proxime declarandum.

IX. *Therapia* duplex est; vel quæ, in morbo auferendo, vel in eo, ut ne augeatur, neve renovetur, inhibendo, quæ summis viribus contendit. In prima ejus accessione (quæ quidem indicatio primo loco persequenda) ne alieni vis ἀθρόως in *Nervos* impellatur, enitendum, quem in finem, si *Plenitudo* sit cum pulsu forti, & nihil repugnet, e re futurum arbitror sanguinem e brachio, aut vena jugulari, vel *Cucurbitulis*, & *Scarificatione* dorso detrahere. Horis aliquot post *Venæ sectionem* immittatur *Enema*. *Purgatio* usus fere perpetui est, maxime vero ea, quæ sanguinem exagitet, & *Arthritidi* in artus amoliendæ faciat. Porro conducit, quamprimum morbus ægrum invadat, articulo ἐν τοῖς Ἄκροις sæpissime dolenti, *Cataplasma* Clarisi. *Batei Apoplecticum*, seu *de Raphano* Cl. *Fulleri*, aliudve quodvis acre, φοινιγμὸν excitans, applicare, & *Arthritida*, quæ jam nunc e sanguine fugam meditatur, ad τὰ ἔξω educere.

Facta humorum e capite *Antispasi*, & mutata eorum inclinatione, (nec quidem maturius, ne in *Caput* ii, impetu cum majori, a medicamentis inferantur) ad eos extra pellendos, ægroto dentur e *Pulvere Gasconico Purpureo*, aliisque mitioribus Ποδαγραγωγοῖς sic, ut artis est, composita, bis, vel ter in die, cum *Julapii* hausto *Cardiaci Cephalici*. Quamprimum tumor ἐν τοῖς ἔξω fuerit, admoveatur ei *Vesicans*, quod humorem, in eo contentum, foras eliciat, neque retro agi patiatur.

Huc etiam confert *Epispasticum*, cervici, seu collo posteriori dimidio; huc capitis ad cutim *Tonsura*, *Rasura*, & *Emplastrum* ei, de *Cumini Seminibus*, aliudve quodvis attrahens, impositum; quod nempe, post *Evacuationes* generales, si aggravatur, *Caput* allevari. Prosunt *Gargarismi*, salviam jugiter elicientes, & *Dietæ* ratio tenuis.

Interea temporis, *Spiritus volatiles*, *Tinctura Castorei*, *Succini*, &c. *Julapii Cephalici hausto*, vel cum *Anthos*, sive *Salviæ Infuso*; quæque indicationem vitalem tueantur reliqua, sive extra, sive intus, ea, qua opus fuerit, dosi, modo, & frequentia, juvat adhiberi.

Quoties autem materia *Nervis* est impacta, & infixa, ad eam tenuandam, & vias *Spirituum* aperiendas, (quæ medendi indicatio altera est) iis *e Ligno Sancto*, *& Sassaph.*, *eorumque Corticibus Decoctis opus*, iis, *e Ferro præparatis*, *Frictionibus*, *Balneatione*, *Embroche*, *Vestitu*, *Linimentis*, *Ceratis*, *Emplastris*, & id genus aliis, quæ in *Paralysi Primigenia* cum fructu præscribuntur. In *Paralysi Arthritica*, virosa afflatu facta, *Decoctum Corticis Chalybeatum* ægro multum profuisse novi.

Hic autem sedulo videndum, corpus ægri frigidum an calidum; miasma simplex, seu Γλιχρότητι involutum, an bile mistum, ut in *Paralysi Arthritica*, *Colicam Biliosam* insequente; cujus exemplum mox subjungam satis luculentum. *Calida* enim (si ad diutinum tempus, & copiose propinentur) remedia insomnes reddunt ægros, inquietos, & perpetuo quasi febricitantes, spiritus eorum animales, indesinenti tumultu & agitatione fatigati, perimuntur, nec a medicamentis hisce, utut valentissimis, & maxime *Cardiacis*, vel minimum iis robur accedit, contra, turbarum & debilitatis multum. Hujusmodi laborantes *Aqua* seu *Spadana Germanorum*, seu *Bathonienſi*, seu *Bristolienſi* (& procul dubio alia non pauca *Ferro* gaudente, perque renes exeunte) modo viva hauriatur, magnopere reficiuntur; restinguit enim illa spirituum ardorem, a bile factum, œstrum eorum mulcendo componit, & adjectis, suo tempore, & modo, *Chalybeatis*, hujusmodi affectorum curatio quam jucundissime, quam certissime perficitur.

X. In morbi hujus *Prophylaxi* nihil conducibilius, quam, ut *Arthritis* paroxysmos habeat regulares, studiose niti. Hoc enim, ut opinor, ratæ, firmæ, indubitandæque fidei axioma, *Paralyticum* hunc *Arthriticum*, quo plus artubus ægrotaverit, eo minus *Capite* & *Genere Nervino* laboraturum. Quamprimum igitur crescit; & in sanguine se attollit *Arthriticum*; si nihil vetuerit, *Purgans*, & quidem, Δραστικὸν adhibeatur, posteaque *Martis Alcohol. gr.* v. bis, vel ter in die sumi præcipiantur. Quibus in subsidium, paucis post diebus, veniat externum aliquod, τοῖς Ἄρθροις admovendum, *Arthritidem* evellens, & in horum usu perseverandum, donec *Arthritis*, si commode fieri potest, eruatur, & in artubus sistatur. Interea vero temporis, *Alvus* ne dura sit, & humores ne in *Cerebrum* eleventur, est cavendum, &, ut janua nunquam non aperta sit, qua natura, (quoties ei visum fuerit) in exilium miasma mittat, & foras extrudat, in brachio, vel dorso potius, ut fonticuli fiant, atque juges sint, curandum.

Hac quidem medicina, qua *Curationem*, qua *Prophylaxim* exhibente *Paralysin Arthriticam* tum perfectam abstuli, tum etiam (quantum ex usu licet conjecturam facere) quo minus reverteretur, effeci: & morbo, olim graviſſimo, & ad recurrendum apto afflicti, senectutem, hac tutela (nimirum *Arthritidos* beneficio *regularis*) tum longam, tum incolumen sunt adepti.

De *Paralysi Arthritica* hæc dicta sunto.

HISTO-

(*a*) Αὕτη δὲ γλίχρος, ἢ ὄλκιμος, ἢ δυσέκκριτος. De atra bile, cap. 5.

(*b*) *Vide* Acta *Philosophica Londinensia*, *num.* 242.

(*c*) Ὀλίγα τῶν παθῶν ὑπὸ τυπῶνται ὡς Ἀτροφία, Παράλυσις, κλ. *Libro de Typis*, *cap.* 2.

HISTORIA I.

Cephalalgia Arthritica, cum Paralysi incipiente *curata.*

MUlier *Exonienſis*, adoloſcentia nondum exacta, citius nimirum, quam viri ſolent, *Arthritide* laboravit. Sex ſupra viginti annos habens, permultos ejus paroxyſmos ex intervallis erumpentes, dolore primum articulari, deinde tumore, nitore, rubore ſignatos, eſt perpeſſa: quibus vero modis, & gradibus, increvit tumor, iis uſque remiſit dolor, maxime affecti ſunt pedes, nonnunquam genu, ſub acceſſionem *Arthritidis* nuperam articulum dolentem *Linimento* quodam repellente lenivit. Hinc materia dolorem faciens, ſanguini reddita; in *Caput* translata, quod vel eo palam factum eſt, quoniam ægram *Cephalalgia*, (raro alias, vel nunquam ei moleſta) jam tunc invaſit atrociſſima. Artus etiam aggravatos, & vix ſatis habiles, nonnihil affici, atque adeo inſultu *Paralytico* tentari patuit.

Contra *Paralyſin* incipientem, & *Cephalalgiam* ex *Arthritide* repercuſſa confirmatam, ea præcepi, quæ ſequuntur.

℞. *Aloes roſat.* ʒß. *Scam. pul. gr. v. Ol. Abſ. ch. gutt. j. El. Propriet. q. ſ. f.* Pil. *mane demittendæ*. Harum ægra beneficio, ter quaterve, modo laudabili, dejecit. Peracta purgatione, *Bolum* hora ſomni (*ex Theriac. Androm.* ℈j. *Pul. Purpurei*, & *Gaſcon. ana* ℈ß. *Conf. Alk. q. ſ.*) & quarta alios quaque hora, *Pulveres*, in eo contentos, per ſe aſſumpſit, ex *Julapii Cardiaci Hauſtu*. Ter etiam in die, *Spiritus*, *Vol. Oleoſ. guttæ* xv. cum poſſeti, *Floribus Roriſmarini* alterati, hauſtu. Ut autem hæc, quæ materiam in artus expellant, ita comparata ſunt alia, quæ, artubus ſuperpoſita, eam extrahant: *Emplaſtrum* nempe, *ex Saponis Veneti*, *Picis Burgund. Empl. Cephal. aquis ponderibus*, utrique genu, & malleolo applicandum: tibiæ vero utrique, & cervici *Epiſpaſticum*.

A dejectionibus *Caput* non mediocriter levatum; ab *Epiſpaſticis* multum, *Emplaſtra* attrahentia pruritus ſequebatur; uti etiam *Dolor* plane *Arthriticus*. Ægræ ſuccurſum eſt, tum magnum in modum, tum celeriter, tum etiam opportune, brevi, forſan, alias ſuccubituræ. Addam denique, facta hæc, & tranſacta omnia, tempeſtate nullo modo favente: frigidiſſima enim erat, & *Arthritidi* educendæ, (quod a me plus ſemel obſervatum) ineptiſſima.

Cum vero *Cephalalgia*, longo poſt tempore, recruduit, iterato *Cathartico*, & ambobus brachiis admoto *Epiſpaſtico*, curata eſt ægra.

HISTORIA II.

Hemiplegia Arthritica *ſimili modo curata.*

DUm in his conſcribendis ſum, obviam mihi venit hujuſce morbi hiſtoria, in eo confirmando, explicandoque, momenti non exigui. Civis *Exonienſis*, per omnem vitam ſobrius & temperatus, dolore primum brachiorum, crurum, & coxendicis, ad menſis ſpatium vago, eſt afflictus. Hunc ut tolleret, *Theriacam* ille *Venetam* aſſumpſit; cujus ope proturbatus humor, in pedis digitum miſſus eſt. Articuli enim maximi dolor, ardor, rubor erat, ſimulque globi, infra poſiti, tumor. Raro unquam *Arthritis* ulla manifeſtior.

Cum ita res eſſet, circumforaneus quidam Medicus, nunc oneribus bajulandis, nunc autem medicinæ, uti fors tulit, faciendæ operam dare ſolitus, ægro perſuaſit, ut ad dolorem mitigandum ex ſuis emplaſtrum, (nobile quoddam antidotum, a *Triphone* acceptum) dolenti articulo ſuperponeret. Quo temere facto, dolor intra breve tempus ſedatus eſt; tumor omnis ſubſidit, & repulſa, in eo contenta, materia *Caput* invaſit. Somnolentia primum, inexpugnabilis pene dormiendi neceſſitas oborta eſt; tum paulo poſt *Vertigo*; deinde *Apoplexia*, quæ vicos obambulantem ægrum humi proſtravit. In domum proxime adjacentem vectum, pulſu dubio & vacillanti, ſiniſtri lateris *Hemiplegia* laborantem, ſenſu motuque corporis univerſi prope orbatum reperi. Sanguinis ʒxij. quam citiſſime detractis, & *Enemate* in alvum miſſo, rejectoque, nonnihil levatus eſt. Ad excitandos ſpiritus animales, iis amicos, & ὁμογενεῖς, volatile, ex *Julapio Cephalio* largiter, & ſæpiuſcule dedi. Vertici, & cervici *Epiſpaſtica*, plantis pedum *Emplaſtra* ex *Pice Burg. & Empl. Cephalico* admoveri, *Sp. Salis Armoniaci*, *cum Sale Tart. præparat.* ſæpe ſubmitti naribus inſtitui: poſtridie *Pulvera Varvvicenſi* alvum moveri.

His ſimilibuſque auxiliis paucis poſt diebus verba diſtincte pronunciavit, mediocriter ambulavit, *Capiti* ſiniſtram erexit, debilem vero, & ſenſus adhuc obtuſi. Ut hæc ſecundæ valetudinis initia confirmarentur, utque ſpiritus animales recrearentur, & ad munera rite obeunda ſtimularentur, ea, quæ ſequuntur, adhibui.

℞. *Sem. Rutæ* gr. viij. *Salis Vol. Succini* gr. iv. *Conſ. Anthus* ℈ij. *Pul. Serp. Virg.* gr. viij. *Syr. Pæon. ſimp. q. ſ. f.* Bolus, *ter in die ſumendus, cum Julapii hauſtu.*

℞. *Aq. Pulegii, Rutæ ana* ʒj. *Bryoniæ C.* ʒiv. *Marg. pp.* ℈ʒ. *Sacch. albiſſ. q. ſ. f.* julapium.

℞. *Tinct. Caſtorei, Sp. Vol. Oleoſ. ana p. aq. ſumat gutt.* xxx. *cum idoneo quovis vehiculo, bis in die.*

℞. *Cacum. Calviæ tenuiſol.* ʒvj. *Sem. Sinapios, Cochleariæ contuſ. ana* ʒij. *Cort. ext. Aurant. Rad. Raph. Sylveſt. raſ. ana* ʒj. *f.* Sacculus, *quatuor Congiis Cereviſiæ in Potionem ordinariam, infundendus.*

Hac utique medicina, ſi vitæ rem ſpectemus, ad ſanitatem pervenit, ſartus & tectus, æger: cum vero ſiniſtri lateris quædam maneret imbecillitas, illius cauſa *Pathoniam*, meo hortatu, petens, *Thermas* ingreſſus eſt; unde artuum, qui defecerunt, vires & robur priſtinum pene redintegrarum habuit, ex illoque tempore, ſubinde dolens articulis, annos ille permultos egit, *Apoplexia*, & omni capitis inſultu liber, non niſi ſenio demum confectus.

HISTORIA III.

Paralyſis Arthritica, *cum* Spaſmo *Cynico*, *lethalis.*

QUidam ad *Credenum* humili loco natus, media ætate permultos annos *Arthritide* laboravit; tentationes certis quibuſdam periodis, eaſque rectas, & benignas, iterante. Menſe Majo, Anno MDCCII. tum *Chiragra*, tum *Podagra*, poſteaque *Spaſmo* oris *Cynico* (nullo capitis affectu, nedum *Apoplexia* præcedente) correptus eſt. Verba edidit imperfecta, confuſa, dimidio *Linguæ* reſoluto. Pulſum inveni debilem, vires fractas, neque venæ ſectioni, neque purgationi conſentientes.

Capiti ad cutim tonſo, & deinde raſo, *Epiſpaſticum* applicui: malleolis, & manibus (locis ab *Arthritide* frequentari ſolitis) *Phœnigmos*. Tumoribus a *Phœnigmorum* applicatione factis, *Epiſpaſtica*. Interea temporis *Pul. e Chel. CC.* ʒß. *Chal. N.* ℈ß. *ter in die, cum Vini rubri Hiſpanici* ʒiv. Porro, ter in die, debito a *Bolis* intervallo, *Sp. Vol. Oleoſi, & Tinct. Caſtor. ana gutt.* xv. *ad* xx. *cum Julapii Cephalici Hauſtu. Sp. C. C. cum Calce viva*, naribus ſubinde in languoribus admovetur. *Cereviſia*, *Raſ. Radiculæ*, *Cacum. Cochlear. Sem. Bardanæ medicata eſt.*

Quod deraſo *Capiti* impoſitum fuit, bidui ſpatio parum evocavit. Cætera profuerunt ægrotanti. Poſtquam enim *Arthritis* ad τὰ Ἄκρα fuit translata (quod ſex aut ſeptem diebus factum) *Spaſmi* omnes ſublati ſunt, vox reſtituta.

Minime vero perfecta hæc curatio; etſi enim ſputum, (*Paralyticis* fere omnibus familiare) jugiter effluxit; etſi auxiliorum uſu præſcriptorum, duos prope menſes *Arthritis* artubus inſedit; unde fames renovata, facies colorata, aliaque ſanitatis orta fuere indicia, (quæ *Arthritidi* denuo reductæ ipſe æger retulit accepta) *Linguam* tamen uſque reſolutam, memoriam inſuper labefactatam habuit.

Contra malum tam pertinax, & δύσλυτον, ad tres vices *Purgatione*, & diebus otioſis *Decocto* uſus eſt *e Lignis*, neque ſine fructu aliquo. Verum in *Nervos* tanta alieni vis irrepſerat, itaque eos corruperat, ut poſt varia medicamentorum genera incaſſum adhibita, (utpote, cauſam in corporis receſſu tam recondito locatam, quæ non dimoverent) ægrum.

Θνητὸν μέλαν νέφος ἀμφεκάλυψεν.

HISTORIA IV.

Colica Arthritica in Paralyſin *degenerans* Arthriticam.

HActenus *Arthritidos* rectæ, in *Paralyſin* abeuntis, exempla protulimus, *inverſæ* jam & *Anomalæ*, eodem modo finientis, ecce tibi hiſtoria. Tenui corpore, biliosa conſtitutione vis annorum ferme quinquaginta, quindecim vero annorum podager, ineunte anno MDCCII. pedibus & utroque genu doluit: ceſſante vero brevi tempore eo dolore, *Colica* tentatus eſt. Succeſſit brachiorum primo gravitas, & debilitas; mox *Reſolutio*, ut e digitis nullum movere poſſet. Fames abolevit, cibi omnis faſtidium fuit, quod cum jam diuturnum eſſet, ex eo reliquiſque morbi ſatellitibus, corpus jam plane emaciatum, faciei color flavus, oculorum, quod album eſſe debuit, ictericum id omne factum eſt.

Arthritidem hanc ad τὰ Ἔντερα inverſam, & a viſceribus, una cum bile colicam dudum committente, in *Nervorum Tubulos* translatam eſſe judicavi.

Ut curationis, quod fieri poſſet, abſolutæ iniretur ratio; primum, *Decocto Cardui* ventriculum moveri; *Soluto* tum *Purgante* ventrem inaniri ſedulo inſtitui. Iis, quæ impedimento eſſent, expreſſis, *Aquam* dedi *ferratam* bibere tepefactam, omni mane, ad libram quaſi integram, neque niſi ſorbillando, & paulatim hauriendam, aliaſque, loco potionis ordinariæ, eandem, cum *Vini Luſitanici* ea quantitate, quæ ad ἀπεψίαν opus inveniretur.

Magno fuit huic ægrotanti auxilio, una cum prædicti *Aqua ferrata*: nauſeam enim ademit, famem (id eſt, vitæ ſpem) reddidit; aliiſque poſthæc adhibendis viam aperuit. *Chalybem* addidi *Nutritum*, quo in articulos pulſa eſt *Arthritis*, pedis tumor & dolor factus; quæ tamen, omiſſo *Chalybe* cito decreverunt.

Hac autem medicina (ἀδροποσίᾳ nempe diu producta, continuataque, & *Chalybe* interdum adjecto) viſceribus robur, oculis vigor, faciei color reſtitutus eſt. Spirituum turbis & agitatione, quæ quidem magna & permoleſta fuit, compoſita, ſudum undique & ſerenum eſt. Ex elumbi, debili, & emaciato ægro, qua morbo, qua inedia prope jam enecto, res ſalutis adeo ſervata, & vires inſtauratæ ſunt, ut, tametſi quædam maneret artuum imbecillitas; negotia tamen obire, itinera equo longa & crebra facere valeret, vitamque alacrem, & vitalem tum ageret, tum etiam acturus eſſet.

Adeo enim ex medicina profecit, ut jam, annis poſt quatuor, multo rarius, multo illum mitius dolere, & paroxyſmis tuto carere, (manum vero ſiniſtram, ob tendines contractus, motu fere omni privatam eſſe) per literas nuper accepi.

HISTORIA V.

Arthritis primum, & deinde Paralyſis, *a materia Colicæ biliosa.*

FŒminę olim memoratæ, primum colica biliosa, deinde *Podagra* laborantis, hiſtoriam, quoniam eo tempore plenius de illa differere nihil attinebat, interruptam, hic loci continuare libet, & ad finem perducere. Remittente (ſic, ut dixi) (*a*) *Arthritidis* paroxyſmo, caput illico tentatum eſt, & quidem impenſiſſime. Somnus enim inquietus, nec qui, uti par erat, ægrorantem reficeret. Huic adde *Capitis* gravitatem, & dolorem: quod vero præcipue notandum, quoties expergiſceretur, quod diceret ageretve, nihil in promptu habuit, oppreſſo nempe *Capite*, & *Mente* quaſi nube obducta. Periculum erat, ne confeſtim *Apoplexia* proſterneretur: detractione ſanguinis periculum iſthuc imminutum, nubes ſublata. Brevi poſt tempore *Paralyſis* ſecuta eſt, qua demum ægra ἀδροποσίᾳ, & *Balneatione* diutina liberata fuit.

Quandiu hujus ægræ membra fuere reſoluta, & aquæ potationi illa incubuit, *Arthritide* tandiu immunis omni perſtitit: integra vero ad conſuetudinem rediens, & veteri diætæ ratione uſa, *Arthritide* jam nunc urgetur regulari, qua utique confirmatur, priſcos illos, ſive pedis, ſive malleoli dolorem & tumorem, fuiſſe plane *Podagricos*.

Aliam novi inteſtinis pariter dolentem, & quidem ex eadem cauſa, poſtea vero *Paralyticam*, cui, cum integrum eſſet, & intactum adhuc *Caput*, at bile ſanguis æſtuaret, ortus eſt in manibus dolor, & tumor plane *Arthriticus*; & indicio fuit, naturam hac inimicum porta conari expellere. Hi vero conatus, quantum adhuc obſervavi, languidi & pene fruſtra fuere omnes, & *Paralyſi* ceſſerunt:

(*a*) *Vide Diſſertationem. De Arthritide Symptomatica*; *Cap. x. Hiſt. I.*

runt: quæ denique *Chalybeatis*, & remediis ſanguinem evehentibus, ut & genus *Nervinum* penetrantibus, una cum *Aquarum Bathonienſium* potatione, & in iis *Balneatione* crebra, penitus ſanata eſt.

Hiſce vero obſervatis omnino liquet, materiam colicæ bilioſam, cauſam ejus proximam & continentem nunc in *Articulos* extrudi, & ab iis in *Nervos* transferri; ſicque in nonnullis corporibus eandem eſſe *Colicæ*, & *Arthritidos*, & *Paralyſeos* ordine materiam.

HISTORIA VI.

Ob Arthritidem in Nervos inverſam, Α'φωνία.

VIr bonus, cum primis honeſtus, diu meus ἐν τῷ φαρμακοποιεῖν familiaris, jam inde ab adoleſcentia *Arthritide*, ad tempus redeunti, laboravit. Vox a puſillo puero, ei denſa fuit, obſcura, nec quæ verba clare, vel articulate ſatis exprimeret, a *Nervorum*, uti videtur, imbecillitate nativa ducens originem. Ad hæc acceſſit, ob mortem filii (quem ille quam maxime amavit) dolor vix conſolabilis, ægritudo valde diſcrucians. Cum eo loci res eſſet, & paroxyſmus jam declinaret, nondum autem ad exitum perduceretur, in apricum animi cauſa æger vectari voluit. In collem proximum & vicinum, at eminentem & apertum, bruma tunc temporis ſæviente, quando, etiam tum e lecto ſurgens, elatus fuerit, ibique plus nimio commoratus, mœſtum, & imbecilli lingua *Arthriticum* invaſit primum algor, deinde vertigo, tum brevis quædam mentis alienatio, actionibus abſurdis, inſolitis, & indecoris manifeſta; deinde lateris, poſtmodum reſoluti, imbecillitas, & obeundi motus impotentia; poſtremo, & paulatim linguæ *Paralyſis*, Α'φωνία.

Non novum huic ægroto hujuſmodi malum; nam cum moris erat, exeunte omni paroxyſmo, quam citiſſime potuit, lectum abdicare, & foras illico pedem efferre, vel geſtari, raro id impune fecit: imo, quam citiſſime fecit, tam maxime pœnas dedit: tam citiſſime lingua ejus, tanquam ligamento, impedita, & (quod a familiaribus ſæpe obſervatum) aliena vox. *Non novum*, inquam hujuſmodi malum, nova mali fuit gravitas.

Ut morbo iſti medicinam facerem, quæ ſequuntur auxilia ſunt a me præſcripta.

℞. *Conſ. Abſ. Rom. Spec. Diambræ.*
Z. Z. in Indiis Cond. ana ℈j.
Conſ. Alk. q. ſ. f. Bolus.
℞. *Pulv. Serp. Virg. gr.* xii.
Caſtor.
Spec. Diatr. Piper. ana gr. iv.
Ol. e Sem. Carvi Chym. gutt. ii.
Balſ. Per. q. ſ. f. Pilulæ.
℞. *Cort. Winterani,*
Rad. Zedoar. pul. ana ʒiii.
Sem. Aniſi Carvi ana ʒi.

Cochlear. ʒi. *miſce, & infunde in Vini albi Luſitanici* ℔ii. *uſus tempore. Cochlearia duo, vel tria colentur, cum Cereviſia commiſcenda. Cereviſiæ hauſtus hujuſmodi medicatus Bolo, & Pilulis quotidie ſuperbibatur. Ampulla, ad dimidium vacua, Vino ſimplici repleatur.*

Porro infundantur in aqua fontana bulliente *Sem. Cochlear. contuſa, Raſura Radiculæ; Infuſum Diambra* dulcetur, f. *Gargariſma* ſæpius in die adhibendum. *Frictiones* artuum ſint frequentes. Sumat etiam *Spiritus Vol. Oleoſ. gutt.* xxx. cum vehiculo idoneo, bis vel ter in die, cervici *Epiſpaſticum* admoveatur, poſt dies duodecim, vel duas hebdomadas repetatur.

Horum uſu medicamentorum (non quidem perpetuo, ſed longo, & cum intermiſſionibus ad tempus diutinum producto) factum eſt, ut verba, uno aliquo quamplurima præeunte, ipſe, eadem nullo negotio clare repeteret. Vegetior item, coloratior, & hilarior evadere: cibum capeſſere, devorare. *Arthritis* ſub id tempus manu occupavit; curationis ſpem adduxit, at (eheu!) brevem, & fallacem. Relicta manu, tam inclementer ægrum habuit, ut e veſtigio *Caput* dolore, ſtupore, aliiſque mali moris accidentibus affligens, eum pene confecerit. Hoc ob alvum, incuria domeſticorum, nimis duram (unde in *Caput* humores acti) evenit. Ex paroxyſmo tam infelici, & naturæ rebus tam male convenienti, nullum *Paralyſeos* levamen, nulla vocis reſtitutio. Contra, medicamento non uno, neque impotenti fruſtra adhibito, integrum jam triennium (ſi verbum unum, aut alterum, μονοσύλλαβον, excipiatur) mutus fuit, & quod annotatu digniſſimum, per eoſdem hoſce annos, etiamſi ſatis cibi ingerens, rarius & mitius ſolito dolnit articulis.

Ut hiſtoriæ hujus ſummam brevi complectar, de hac *Paralyſi*, in homine *Arthritico*, & jam tum dolenti, frigus inſecuta, quid aliud cogitandum, quam quod humores *Arthritici*, adhuc in ſanguine relicti, effœti, & in fugam abituri, algore contracto, & anguſtato corpore, in *Nervos* impelleretur, & in eos ſe abdentes mala jam dicta committerent. Materia vero aliena, quæ e corpore expelli debuerat, in *Nervos*, natura forſan nimis apertos, & dehiſcentes, impulſa, tanta ex eo œconomiæ perturbatio, naturæque vires adeo fractæ, & debilitatæ ſint, ut, *inverſæ* in poſterum *Arthritidi* favens ea, regularem, ut olim, paroxyſmum minime moliatur.

HISTORIA VII.

Ex Morſu Canis, Arthritidis rectæ ſilentium, Stupiditas, Paralyſis, *Arthritide denuo facta Regulari, curata.*

RAra quidem, annis abhinc aliquot, & inaudita forſan *Arthritidos Anomalæ* mihi ſeſe obtulit hiſtoria, quæ, ut multa obſervatu digniſſima, ita doctrinæ huic noſtræ lucis non parum allatura continet; ideoque protinus adſcribenda eſt. Homo adhuc in vivis eſt *Iſcanus*, qui ſub exitum ſæculi noviſſimi, decimo ætatis ſuæ luſtro, pedibus ſubinde doluit. *Podagra* nimirum [illegible] germaniſſima, malleolum mordente, omnibus numeris abſoluta. Hunc in modum ea, per triennium bis terve ſingulis annis, acceſſerat; cum ex *Morſu Canis* (forſan rabioſi) *Podager* ægrotavit. Vulnera, cruribus inflicta, per menſis ſpatium, ichorem emiſere; ſanatis autem iis, ſuppreſſoque flumine, nova malorum ingruit catetva, atrox certe, & peſtifera. Primum enim late, per univerſum corpus, ſparſum eſt alienum aliquod ſanguinis Ὀργασμόν, corporis æſtum faciens immodicum. Deinde *Caput* tentatum eſt: ſedulum enim, & in agendis rebus antea verſatum, ægrum occupavit rerum ptope omnium oblivio. Stupiditas adjuncta eſt, & in ſententia de negotiis ordinariis cum judicio ferenda impotentia. Magna ſub hoc tempus erat membrorum undique omnium debilitas, & digitorum huc illuc ſerpens, tanquam ab acu pungente, dolor. Succeſſit *Tirános*, aliaſque pedum torpor, & Δυσκινησια. Simili vero ratione, qua corpus, ipſa laboravit, ipſa ſubſidit anima. Levis quavis de cauſa ejulationes æger, & lamenta edidit; non raro lacrymas. Poſtremo loco manuum, pedum *Paralyſi* correptus, eorum neutrum, niſi laborioſe, movit. Quod veto maxime notandum, *Arthritis*, quæ (ut dixi) paroxyſmos, bis, ter quotannis iterare ſolita eſt, jam inde a *Canis Morſu*, per integrum biennium (quo, prædicto more, cruciatus eſt æger) ne ſemel quidem rediit. Ut hæc malorum ilias a miaſmate *Arthritico*, multum conturbato, perque corpus univerſum, in ipſos *Nervos* acto (& quidem *Canis Veneno* forſan impellente) proficiſci, non immerito credatur.

Docti utique Medici, & experientes, in hujus ægri curam incubuerunt. Quamprimum ea mihi demandata eſſet, (quando, præter ſymptomata jam dicta, ventriculum etiam lædi, Α'νορεξια, multoque vomitu urgeri deprehenderim) primum alvum ſubduxi, tum *Decocti Cort. Chalybeati* ʒij. ter in die ſumendas imperavi. *Decocti* hujus vere *Polychreſti* uſu, cum levi corporis exercitatione diu continuato; (nempe, cum intermiſſionibus quibuſdam, ad annos aliquot) mirum quantum ex eo commodi exortum: fames enim, oculi vigor, faciei color, ſpirituum animalium robur (*Arthritide* denuo ἐν τοῖς ἔξω revertente, & paroxyſmos, ſic, ut olim, edente regulares) tum animæ, tum corporis mala finiere cuncta. Ε'υκινησια, & valetudo, poſt annorum aliquot interruptionem, omni ex parte integra, & perfecta, feliciſſime reſtituta, paulatim, tanquam ex poſtliminio, redierunt.

Si *Arthritidos* iſthoc, ex *Morſu Canis*, ſilentium, ſi ſymptomata, per iſtius ſilentii triennium oriunda, (gravia profecto, & terribilia) ſi, ex *Arthritidis* reductione, ſymptomatum iſtorum fugam animo rite perpendamus, nihil manifeſtius, quam quod a miaſmate *Arthritico*, devio, & in *Nervos* irrepente, fierent iſta *Spirituum animalium*, & *Nervorum* mala, & quod, ex eodem miaſmate in artus (ut par eſt) exulante, *Paralyſis* cum malorum iſta cohorte tolleretur.

HISTORIA VIII.

Convulſiones, *ex* Arthritide *inverſa univerſales*, *Arte medica ſublatæ.*

HIs ob morbi diſcrepantiam, an affinitatem dicam? *Convulſionem* addam univerſalium, ex *Arthritide* intus in *Nervos* acta, hiſtoriam. Vixit, annos ante paucos, in *Iſcæ* noſtræ ſuburbiis, familia, proba quidem & honeſta, neque Veneri, neque Baccho dedita; quæ tamen *Arthritidi*, ſic, ut raro, quæquam unquam magis, eſt afflicta. Fratrum unus e medio *Apoplexia* ſubreptus eſt *Arthritica*; alter *Arthritide* τὰ Ε'νδόσια premente obiit: de quibus ſuis locis. Fratrum tertius, hic noſter, articulis olim doluit, tum crebro, tum vehementer. At cum hujuſmodi ceſſavere, aut minus crebræ, minuſque vehementes fuere *Arthritidis* acceſſiones, *Convulſionibus* ille correptus eſt, obſervatu digniſſimis. Primum enim illæ partium externarum erant; deinde, mira ſpirituum in *Capite* Α'ταξία poſtea vero eclipſi comitatæ. Cum ad ægrum arceſſerer, *Spaſmis* eum graviſſimis implicitum, ſenſibus orbatum inveni: cumque diuturnitate malum ingraveſceret, (dies enim aliquot jacuit ἀναισθητος) tollendi ejus ergo, medicina, qua poſſem efficaciſſima, uſus ſum.

Præmiſſis alvum inanientibus, ut *Caput* allevarem, ad cutim tonſo, & raſo, ei *Epiſpaſticum* admovi. Quod quidem amplum, & diu adhæreſcens, optimo fuit ægrotanti auxilio; ſeri enim libras (quinque, vel ſex dierum ſpatio) minimum bonas evocavit. Interea temporis, quæ ſpiritus ſuſtentarent animales, quæque eorum motus ordinarent, ore ſumenda dedi.

℞. *Pul. Caſtorei* ℈j. *G. Galbani, Sagapeni, Aſſæ fœtid. ana* ℈j. *Opopan. ſolut. q. ſ. f.* pilulæ. *Sumantur quatuor, ex Julapii Cephalici Hauſtu, quarta quaque hora. Spiritus Caſtorei, & Vol. Oleoſ. in eundem finem, ex eodem vehiculo, ſubinde ſunt adhibiti.*

Hac ego medicina, ſupra aſtantium expectationem, ægrum excitavi, morbo eum ancipiti, & peſtifero liberavi, &, ut idem ne recurreret incommodum, *Chalybe*, & *Cortice*, præſidiis hac in re certiſſimis, ægrum munivi.

CAPUT XVII.

De Doloribus in Corpore vagis, fixis; de Ophthalmia; de Eryſipelate, & Achoribus Arthriticis.

Art. 1. VIdimus, quanta cum ſævitia partes corporis nobiliſſimas, & vitæ maxime neceſſarias agitet *Arthritis*: quam illa (tanquam malus civis, qui exulare reſpuens, rebus uſque novis ſtudeat, domos illuſtres ad factionem ſuam trahat) inteſtina, pulmonem, cerebrum, viſcera ἐν ταῖς Κοιλίαις contenta fere omnia corrumpat. Nunc, in regionibus a Metropoli, & locis principibus, longe diſſitis & remotis, in provinciæ interioris ambitu, in partibus viſcera continentibus, quid eadem faciat, quoque ſe modo gerat, diligenter exquiramus.

Horum locorum *Anomalæ*, quæ a me notatæ ſunt, in iis *Vaga*, *Fixa Arthritis*, *Ophthalmia*, *Eryſipelas* & *Achores Arthritici*; de quibus omnibus hoc capite dicam, uti ſequentibus: de *Epiphora*, & *Dolore Dentium Arthritico*.

II. *Arthriticis* iis, quibus ſanguis acri miaſmate diu multumque inquinatus, cum ad ἀκμὴν id elatum efflorescit; familiares aliquando ſunt *Dolores*, qui nunc vagantur per regiones dorſi, & lumborum, per ſcapulas, ſternon, cervicem, & caput externum: earum nempe partium aliqua incipientes, eam ad tempus aliquod afficiunt, donec alio, quocunque vult natura, transferuntur. Quæ utique loci mutatio interdum crebra eſt, & in nonnullis hi *Dolores* (quod ab *Arthritico*

non

non uno compertum accepi) per corpus serpunt externum, pene universum: *Arthritis* sic in *Trunco* vaga, non semper intellecta, *Rheumatismi* nomine vulgo delitescit; quæ tamen, si utriusque hujus morbi naturam penitus scrutemur, ab eo longe discrepat.

Nunc in eodem loco commorantur hi *Dolores*, eumque non parum mulctant. Novi hominem, cujus sanguis quando plane computruit, & in *Arthriticam* degeneravit dyscrasiam, huic, inter alias morbi hujus Ἀνωμαλίας, in regione lumborum, (ac si a renum calculo) *Dolor* immanis, & permolestus accidit; quem tamen a miasmate *Arthritico*, membranas eo loci spinam investientes stimulante, fieri probabile est. Vertebrarum hasce *Membranas*, etiamsi plurimum urgeri corrodique noverim; raro hoc fit, præterquam in iis, quibus seu ætate, sive morbis pene confectis, regularem *Arthritida* præstare nequit natura. Novi *Arthritidis* calidæ materiam, *Oculi Tunicam adnatam* invadentem, *Ophthalmiam* inferre; cum paulo post articulos inviseret, iisque paroxysmum aptum, & laudabilem excitaret, eodemque tempore finem *Inflammationi* poneret, eam omnino *Arthriticam* esse manifestavit.

Novi *Arthritida Palpebram* in vetulo quodam superiorem, mensem & eo amplius, excruciantem, quæ cum *Omagram* habuit adjunctam, & *Podagram* e vestigio sequentem, ingenium & morem suum abunde declinavit.

Faciei porro *Erysipelas* notavi, quod detractione sanguinis, factaque inde materiæ in artus Διαδοχῇ cum in *Dolorem* mutaretur istuc *Arthriticum*, naturam plane concessum est *Arthriticam*, ipsumque esse materiæ istius generis calidæ & evectæ, eo in loco ἐξάνθημα.

Nullius autem *Anomalæ* in externo corpore natura subtilior, quam quæ est *Arthritidos Achores* inducentis. (*a*) Jampridem tradidi, in nonnullis corporibus fere idem esse, utrum per articulos, an per *Aurium Ulcuscula*, id, quod alienum, emitteretur: quod quidem observatione mihi non una confirmatum. Sunt enim *Arthritici*, quibus, in paroxysmorum intervallis, (maxime si paroxysmi tenues sint, & nimium mites, aut forte intercisi) ista per *Aures* evacuatio vicem obtinet *Arthritidis* summe regularis. Sunt etiam, in quibus, neglecta re articulari, perque artuum glandulas veneni expulsione penitus omissa, natura unius *Achoris* contenta, per eos id exterminet.

III. Affectibus jam dictis, una cum aliis omnibus, quæ *Trunci* relinquuntur, *Anomalis*, hoc commune est, eas periculo, quam *Anomalæ* sunt *internæ* reliquæ, multo magis expertes esse, & ad *Regularem Arthritida* propius accedere. Cujus rei ratio, tam ex locorum a natura ignobilitate, quam ex eo, quod auxiliis etiam externis ii tractari possint, elicienda est.

Quinetiam hoc addendum, a corporis ambitu, ad ejus meditullium, a τοῖς ἰσχίοις ad τὰ ἰσχόμενα, *Arthritidem* non creberrime transferri: certe rarius, quam ipsam *Regularem*. Cujus eventi nullam aliam excogitare valeo rationem, quam quod *Artus*, a corpore longe in aerem projecti, sæpe a frigore magis patiantur; &, quæ *Arthritida* repercutiant, causis magis pateant externis; quibus hæ nostræ *Anomalæ* non sunt adeo obnoxiæ, & raro intercisæ viscera subintrant, verum e contrario in artus multo frequentius erumpunt.

IV. Communis harum *Anomalarum* medicina vult, ut, graves eæ si contingant esse, initio detrahatur sanguis; deinde purgans, (sive *Aloeticum*, sive aliud e Δραστικωτέροις aliquod) quo materiæ vitiosæ partim ano possit expediri, partim ad artus amandari, detur.

Præter hæc communia, nisi malum ingravescit, nihil est, quod amplius suadeam medicinæ. Tuta enim est, & incolumis ægroti res, si non ex omni parte placida. Quin & ii homines *Arthritici* molestius sæpe ferunt *Dolores* in articulis, etsi restituendæ sanitatis ergo factos, quam, cui medeantur illi, malum. Mos igitur iis in hoc rerum statu gerendus, &, donec malum per se inclinet, aut tempore vincatur, expectandum est.

At si urgebunt *Dolores* (quæ propria eorum medicina est) æger stragulis in lecto coopertus, aut *Spiritu C. C.* aut *Theriac. Androm.* cum *Pul. Guasc.* vel *Rubro Exonienſi*, vel ejusmodi alio *Cardiaco*, una cum *Poseto Antosato*, sive sudore materiam foras ejiciat, sive in artus amoliatur.

Quod de *Doloribus* hisce, tam fixis, quam vagis, pronunciavimus, id etiam *Erysipelate* valebit, ut nempe per *Cardiaca*, *Podagram* expellentia, miasma procul arceatur.

Si, post evacuationes jam dictas, intendatur *Ophthalmia*, sive etiam minime levetur, erit, quo organum, æque pene cum vita earum tueamur, remedio opus: quare *Collyrium* modice discutiens, & corroborans adhibeatur. Inservit huic intentioni id, quod sequitur.

℞. *Album Ovi agita*, *Aqua Rosac. dilue*, *adde Camphoræ gr. aliquot*, *f.* collyrium, cujus guttæ in *Oculum* paucæ omni mane instillentur, linteaque eo immersa palpebræ bis terve in die superponantur. Potest commode *Lapis Calamaris*, sive *Tutia* præparata *Collyrio* superaddi.

Si Ἀρθρῖται permolesti sint *Arthritici*, eandem fere recipiunt curationem, ac qui absoluti; neque enim, eorum causa, in articulis dolorem excitari velim: tanta eorum incolumitas, tam magna utilitas. Quod de hac *Anomala* (quantum mihi videtur) una proponendum.

HISTORIA.

Achores, ab Arthritide in alio Corpore generati.

POstremo ineunte sæculo, non procul ab urbe, vir egit generosus; qui, ob juventam non nimis sobriam, ea vix finita laboravit *Arthritide*. Ætate progrediente, similem ea progressum habuit, & quotannis increvit; donec artuum motu ferme omni privatus, æger demum clinicus evasit. Erat ille vir, si quis unquam, totus ex *Arthritide* factus, pari certe ratione, atque dicitur

Ὅλος ἀνθρωπος ἐκ φθιτῆς νόσου,

Cum annos prope viginti maritus sine prole esset, favente demum *Arthritide* filiam progenuit. Castissima, & venerabilis ejus uxor non tam *Lucinæ*, aut Dianæ, quam *Arthritidi* debuit, quod facta esset mater. Patris tam *Arthritici* filia, originis suæ labem & maculam non uno modo agnovit: Erat enim vultu pallido & languenti, constitutione tenerrima. Plures enixa filios, partus ei non parum profuerunt, & a miasmate nativo, magnam illius partem evacuando, tuebantur. Ἀρθρῖται autem, præcipue cum illa desierat ὦ γαστροὶ ἔχειν, erant gravissimi. *Aures* externæ, multum tumefactæ, per *Ulcuscula* vires emisere, mordax & acre, cujus acrimonia regio isthæc omnis inflammata est. *Virus* siccatum in squamas abire solitum est, in furfuraceas, subalbidas: quibus, sive sponte decidentibus, sive refricando sublatis, ichor denuo jugiter emanavit. Neque *Purgantia*, neque virtutum optimarum *Alterantia*, (a viris arte nostra celeberrimis præscripta) malum hoc vicere; modum ei forsan imposuere.

Ut semel dicam, miasma hoc indomitum & pestiferum, matronæ illius filios hunc in diem aggravat; quorum plerique omnes (sunt autem multi) *Aurium* exudationes, aut alias illius veneni notas, & indicia, veteri nempe contagio afflati, gerunt, & testimonio sunt probabili, miasma hoc virulentum, in alio corpore per *Arthritida* regularem, in alio per *Achores* a natura ejici.

CAPUT XVIII.

De Epiphora & Dolore Dentium Arthritico.

Art. I. DE *Catarrhis* iis, qui *Arthritica* facti materia pulmones, aliaque respirationis organa invadunt, & tussim frequenter inferunt, alibi disputavimus. Qui *Oris* sunt, & *Oculorum*, eadem materia facti, atque eodem e numero reliqui; eos, hoc capite dicendos, jam nunc aggrediemur.

De *Podagra Dentium* libellum olim in lucem misit *Joh. Steph. Strobelbergerus*, Thermiater Cæsareus; ut vel propterea super hac re sermonem instituere supersederem. At cum iste liber, quicquid promittat ejus inscriptio, non tam de *Dolore Dentium Arthritico*, (cujus neque therapiam propriam, nec quidem diagnosin ullam in medium profert,) quam de affectu isto, quatenus exquisito agat; integrum mihi erit, hanc *Anomalam*, cum aliis suæ Tribus, una tractare.

II. Quod accurate faciam, in primis observandum est, humores illos acres *Arthriticos*, qui, per ambitum corporis erratici, dolores ciere solent antedictos, in *Glandulas Oculis* vicinas, & secernendis lacrymis dicatas, a natura nonnunquam infundi, & jugiter isthinc emanantes *Epiphoram* creare: modo gingivas, & eas, quæ dentes circumvestiunt, membranas immitti, & Ὀδοντολγίαν facere. Qui utique affectus sæpe diutini sunt, & (humore salso teneras, sensusque acutissimi fibras urgente, spirituque eas inhabitantes stimulante) nonnunquam etiam molesti. Quoniam autem idem, ab *Arthritide* nunc a τοῖς ἔξω repercussa, & paroxysmum interrumpente, oriantur; nunc in *Arthritida* regularem desinant, utrunque vero ita tum oriri, tum desinere constat,) idcirco etiam *Arthritici* censeantur; ipsamque esse *Arthritida*, sede germana, & vix jam relictis, alieno in regno ἀνωμάλων sævientem.

III. Si morbi illi tenues sint, nec ægrotantes supra modum urgeant, curatio his *Arthriticis*, ac quæ exquisitis, eadem sit utilissima: si vero graviores periculum, vel molestiam inducant, hujusmodi velim medicinam.

Primo sanguis mittendus, speciatim, optimeque *Vena Jugulari*: tum venter resolvendus, sanguis turbandus, dato, quod ambobus his sufficiat muneribus, mane postero, *Purgante*: deinde *Epispasticum* cervici applicando: ulcuscula vero, ne arescant, *Litu* illinantur *Epispastico*, tandiu quidem, quandiu mali gravitas perduraverit. Postea, si *Arthritis* ad affectam usque partem adhæreseat, non nisi molimine quodam in artus removenda, ad rem facient auxilia, tam quæ extra applicata, educant eam, evocentque, quam quæ ore sumpta expellant. Atque hæc istorum medicina morborum est communis.

Propria requirit, ut in *Epiphora* vitatis, initio præcipue, restringentibus (ne fero, acri, & venenoso exeunti viam occludant, & fistulam inducant) *Collyriis* mollientibus seri nimia mitigetur acrimonia. Quem in finem *Lac* infervit muliebre, recens, *Oculis* immissum, uti etiam, e *Mucilagine Sem. Psyllii*, & *Cydon. Aqua Ros. extracta*, vel e *Trochisc. albo Rhasis* & *Aqua Plantaginis* collyrium.

Sin *Os Catarrhus* opprimat, & ægrotantem humorum copia, vel asperitas offendat, prodest *Gargarismis* eos tum diluere, tum elicere. Ad eliciendum, quam quod maxime, conducit *Ras. Raph. Rusticani*, ore retenta, & manducata, cujus solicitatione prægnantes se gingivæ possint exonerare.

Si *Dentem* forcipe evelli, postulaverit *Dolor*, eo, quod alveolum purget, (*Melle* puta *Mercuriali*, *cum Sale communi*, *Aqua fontana mixtis*, vel ejusmodi alio) oportebit gargarizare: quo peracto, rursus in alveolum intrudatur *Dens*, ob evulsionem utilior evasurus.

Epiphoræ hujus exemplum in capite undecimo protulimus, *Odontagliæ* vero *Arthriticæ* in manibus est historia, quam illico adscribam.

HISTORIA.

Dentium Dolor Arthriticus.

QUidam mihi familiarissimus, & in rebus agendis conjunctissimus, bilioſum & siccum habens Corpus, *Catarrhis* jam inde a cunabulis immune; ubi ad ætatis medium accessit, ex pedibus laboravit. Plurima huic *Arthritico* acciderunt, quæ attente observata, rectèque considerata, ad morbi hujus inconstantis, dubii, versatilis ingenium, & morem explicandum, valeant egregie: Unum habeo in præsentia dicere, alias alia.

Cum ætas præcipitavit, (quæ non humanam modo sanitatem, sed & ipsos morbos afficit, eorumque interturbat, & abrumpit ordinem) eclipses primo leviores, paulatim magnas, & graviores passa est *Arthritis*. Pro *Arthritide*, Junctutas artuum more suo occupante, multumque cruciante, nunc *Vertigo*, nunc *Cephalalgia*, nunc *Dolores* per universum corpus externum erratici nunc (quod ad rem nostram attinet) *Dentium Dolor* acutissimus erat: Mirum ægro videbatur, & portenti simile, morbo se vexari tam parum convenienti, vetulum nempe, pumice aridiorem, *Catarrho* dentes infestante.

Initò hac de re colloquio, dubium & solicitum percunctor, quo se modo gesserat per dies hosce nuperos *Arthritis*; utrum paroxysmos satis crebros, satis vehementes, sic, ut olim, ediderat. Neque crebros, neque vehementes æger reponit, sed in propinquo esse *Arthritidem*, ex *Cephalalgia*, ex *Doloribus* huc illud vagis, se hariolari. Quibus ego; Quid si adventantis illis *Arthritidos* signis, addas etiam Ὀδοντολγίαν: quando hunc affectum, una cum cæteris modo dictis, eadem causa

(*a*) *Dissertatione de Arthritide Symptomatica*. Cap. XI.

causa fieri verisimile sit, *Arthritica* scil. materia, naturæ jam molesta, janua non optima in fugam pulsa.

Ut in pauca rem conferam, paulo post articulos invasit dolor *Arthriticus* omnibus numeris absolutus; eodemque tempore *Dentium* ille *Dolor*, ut & omnes alii remisere. Hujusmodi Ὀδοντα λγίαν ille postea sæpenumero perpessus est, ex *Arthritidos* aberrationibus, & deliquiis semper exortam, in *Arthritida regularem* & idoneam, semper exeuntem: ut de confirmanda indole morbi hujus *Arthritica*, plura, ut opinor, addere supervacaneum esset.

CAPUT XIX.

Corollaria continet, cum Epilogo.

Art. I. HÆ sunt *Arthritidis* in *Trunco* corporis *Anomaliæ*, non dicam omnes, nec quidem ullas omnibus numeris absolutas, (certe absolutum, & perfectum hujusmodi opus vix unius sæculi, nedum hominis unius esset; sed insigniores aliquas, & quæ in facienda medicina mihi passim obvenere, notatu digniores.

Ex iis, quales sint, persuasum mihi habeo, quod apparebit, miasma *Arthriticum*, præter artuum mala, omni ævo animadversa, varios, multiformes, multumque discrepantes inter se affectus, si eorum facies, si phænomena spectemus, efficere; & quidem in hac nostra regione (forsan etiam in aliis non minus) crebro: varios scil. pro istarum partium, & locorum, in quibus sunt, varietate, multiformes, pro diversa eorum structura, & pro eorum usu, discrepantes.

Deinde, constat affectus, sic a devio hoc miasmate generatos, partium affectarum morbos proprios, & vernaculos, ad amussim omnes simulare; vultus eorum usurpare; signa vel pathognomonica præ se ferre; neque a morbis indigenis; per ea, quæ concurrunt diagnostica, posse quovis modo distingui; sed e contrario revera cum iis sæpenumero confundi,

Deinde palam, uti spero, factum est, non hos affectus, alienos & *Arthriticos*, quoties ingravescant, & jam magni fiant, etiamsi propriis affectarum partium morbis simillimos, illorum medicinis, (quæ quidem magnis, & gravibus hisce sublevandis, nequaquam aptæ, vel partes sunt;) tractari oportere; verum e diverso privis, suoque singulorum mori, & ingenio accommodatis. Ἦθος autem καὶ εἶδος uniuscujusque horum pro ejus *Subjecto* esse, & cum eo multiplicari; unde tot novæ *Arthritidis* formæ, ferequę tot diversæ earum curationes, quot inveniantur ejus *Anomaliæ*.

Deinde, diximus *Anomaliæ* singulam singulæ curationem non alio modo facilius absolvi, nec quidem auspicatius suscipi, quam partem aggravatam, & novo hoste obsessam allevando; illud autem optime effectum reddi, partim evacuationibus, tam universalibus, quam topicis; sed iis, privata ratione, quæ nimirum malis hisce maxime conducat, adhibitis, optime vero omnium per hostis expulsionem, & ab iis quæ intus sunt inique occupata, πρὸς τὰ ἔξω, ad artus ablegationem. Quibus autem auxiliis, qua medendi methodo, in prædictis *Anomaliis* hoc præstari possit, hujus scripti pagina fere omni ostensum est, & declaratum.

Hæc hujusce *Dissertationis* summa est.

II. Hisce positis, manifeste patet, quam ad hominum salutem magni sit momenti, deviam hanc *Arthritida* sectari investigare, quamque latebras ejus perscrutari, larvas excutere, & in artus suos, & domum utcunque invitam & reluctantem, eam, quaqua tuto possit arte, reducere. Nam, cum *Arthritis Regularis* & *Anomala* plerunque sint in simili ratione, de *Anomala*, tametsi per se obscura, seque multum occultante; quantum illa grassetur in vulgus, & quatenus sæviat, ex *Arthritide Regulari* laborantibus, (nempe ex illius crebritate sævitiaque, horum autem *sex non naturalibus*) cuivis liceat conjicere. Qui recte calculum hac in re posuerit, pro certo invenerit, quod, tametsi *Arthritide Regulari*, quam *Anomala*, plures ægrotant; tamen *Anomala*, quam *Regulari*, longe plures occumbant: immo quidem *Regularem* raro, nisi prius degenerantem in *Anomalam*, occidere, ita vero creberrime.

Prætermissis autem his, & harum *Anomaliarum* investigatione, (quam in suorum commodum & tutelam, medentis semper erit pro re nata exercere) sive neglecta, sive perfunctorie, vel imperite facta, necesse est ægrotos, simulatis his affectibus, *Colica* nimirum, *Phthisi*, *Asthmate*, *Angina*, ne dicam aliis ejusmodi *Arthriticis* (id est, *Arthritide* morbos illos referente) opprimi quamplurimos; quoque longius serpat, & magis glisçat *Arthritis* idonea, ea proportione plures.

III. Neque nostram hac de re doctrinam, ulla quidem ex parte, convellet, nedum eam evertet id, quod de *Arthritidis Symptomaticæ* speciebus olim dixi, (si quis hasce *Anomalias*, partium affectarum morbos esse vernaculos, & exquisitos, *Apoplexiam* v. g. veram, & genuinam, miasmate fieri posse *Arthritico*; frustraque toties, & sine necessitate multiplicatam a me *Arthritida* contenderit,) quandoquidem (ut de rerum nominibus, quæ earum naturas explicent, & tanquam icones, in conspectu ponant, eligendis & præferendis, nihil dicam) horum affectuum, utcunque nominatorum, medicina, quæ a me potissime spectata est, Θεραπευτικὴ suo usque, sic opinor, stabit talo, recto nempe & inconcusso, *Arthritidis* in artus expulsione, quod a me propositum, omnino molienda.

Quibus addi potest veteres (*Paululum* volo, *Alexandrum*, *Aetium*, *Galenum*, *Aretæum*) non solum, ἧς ἔχω, sed etiam (ut in Præfatione dixi) ἧς εἶδον *Arthritidem* exhibuisse; horumque me authoritate fuisse usum, & vestigia repressisse.

IV. Hæ, quas nunc protulimus, *Arthritidis Anomalias*, suo quæque genere graves sunt, magnæ, & immodicæ κατ' ἐξοχὴν: Alias autem minoris ordinis, easque non paucas esse suspicor, quæ nunquam eminentes, aut ad statum hunc notabilem evectæ plerumque visum fugiant & pro nullis habeantur. Enimvero usu medico vel parum exercitatis, hoc latere nequit; *Arthritide*, (præcipue frigida, inerti, languida, maxime vero omnium ea suppressa, retusaque,) ægrotantes, interdum *Humeri*, *Pectoris*, *Dorsi*, *Lumborum*, aliarumque in ambitu corporis partium *Dolore vago*, tanquam *Rheumatico*, sæpe etiam capitis affectibus, more prorsus *Hysterico*; alias aliis in corpore malis, quasi *Scorbuticis* urgeri, sæpissime vero *valetudine dubia*, & in tempus diutinum incerta, & neutra, esse. Qui quidem eorum status, ac conditiones, sensu remissiori, & leniori gradu morbosæ, natales suos *Arthritico* miasmati, cæco, in corpus subrepenti; & eo loci clam agenti, se debere, ultro videntur agnoscere: Quinetiam aliquando, multos post annos dubium hunc in modum actos; tandem, apparente paroxysmo *Arthritidis* idoneo, de istorum origine & natura malorum *Arthritica*, omnis sublata dubitatio est.

V. Quid! quod *Arthriticorum* gnatos quoties obtueor, & nunc *Achores*, nunc *Catarrhos*, nunc *acres* intestinorum *Humores*, (ut taceam alios affectus certe non paucos,) iis familiares animo complector; profecto quidem memet vix temperare possum, quin eorum ortus incusem, & affectus hosce nihil aliud esse mecum reputem, quam *Arthritidis* hæreditariæ quædam Ἀποσπασμάτια, seu scintillulas, a parentibus acceptas, in natorum corpora, simul cum ipsa vitæ lampade derivatas, & in iis, secundum eorum modum agentes.

Hæ vero cum sint tantummodo conjecturæ, nec quidem ullis fide dignis probationibus suffultæ, de iis solum *Anomaliis* scripsi, quæ indiciis certis, & argumentis, si non ἀποδεικτικοῖς, tamen valde probabilibus, *Arthritidos* esse comprobentur; iisque sui contentus maximam partem *Anomaliis*, quæ ex *Arthritidis* præapertæ, claræ, & manifestæ deliquiis oriri jure merito censeantur.

EPILOGUS.

HÆc sunt, quæ dicere habui de *Arthritide Interna*, sive in *Trunco* corporis *Anomala*, totius *Arthritidographiæ* parte (nostra quidem opinione) principali, & potissima, certe cultu & expositu omnium dignissima: in quibus exponendis eo fui prolixior, quoniam magni salutis hominum interesse judicavi, & a Medicis aut nulla fuit harum rerum mentio, vel si ulla, semper utique brevissima, quasi in transcursu facta: verum de certa *Arthritidos Anomalæ Diagnosi*; de illius *Reductione*, & ejus præstandæ methodo, nemo unquam mortalium (quantum scio) quidquam est locutus. Uti vero apud *Astronomos* ista *Solis* theoria, quæ ortus, ceteraque glorioſissimi illius Luminis phænomena describeret, omnino manca judicaretur; nisi etiam *Eclipses* ejus exhiberet, eo certe plenius, & accuratius exhibendas, quo illæ sint in chronologicis rebus illustrandis, & temporum punctis statuendis utiliores, quoque etiam explicatu difficiliores: Ita quidem *Arthritidis* historia, tametsi *Regularem* plane & dilucide tradat *Arthritida*, nequaquam absoluta, atque adeo imperfecta credatur, si nullos habeat *Arthritidis Defectus*, si nullam *Internam*: cujus insuper notitia, quo humano generi commodior; quoque fuerit ignotior, eo distinctius, eo fusiori calamo tractanda.

Quin hæc a me diligenter observata, non sine labore collecta, fideliter renunciata, & jam, animo erga humanum genus benevolo, in lucem missa, boni consulite.

FINIS.

Δόξα τῷ ἐν ὑψίστοις Θεῷ.

EPI-

EPITOME

Dissertationis Primæ de ARTHRITIDE SYMPTOMATICA.

CAPUT PRIMUM.

De Arthritide symptomatica, *generatim*.

MOrborum *Migrationes Successionesque ex* Hippocratis *Præcepto sunt inspiciendæ*. Art. I.
Arthritis *alia* primigenia; *alia* secundaria, *sive* symptomatica. II.
Quæ vel materiam, vel in huisce generis arthritida *Materiæ* Μετεωρισμὸν, *Morbo alicui Primario, & præcedenti, refert acceptum*. III.
Hujus Regionis symptomaticæ *recensentur, suntque* arthritidos, *generatim sumptæ, quasi Pars dimidiata*. IV.
Symptomaticarum *Ratio Generalis in eo sita est, quod cum Morbi sunt a* primigenia *distantes, ei tamen gradatim appropinquant. Modum* appropinquandi *certissime commonstrant: simul cum usurpato* arthritidis primigeniæ *Vultu*, primarii *Exuviæ. Conditio Earum specialis*. V.
Symptomaticarum *differentiæ, si Earum Externa, si Paroxysmos spectemus: Partus Facilitas a* primarii *Indole, & in* arthritidem *propensione*. VI.
Alia arthritis symptomatica *improprie dicta, quæ* rheumatismo *superat; Alia magis propria*. VII.
Quæ generatione procreatur vel æquivoca; ut ex chlorosi, & *ex* hydrope arthritis, *vel* univoca, *quæ eandem cum* primario *Materiam habet, quæque ob Crisin aliquam imperfectam exoritur: ut reliquæ omnes*. VIII.
Symptomatica magis propria *non nisi Chronicum vetustum sequitur, & grandiores invadit; contra quam* minus propria. IX.
Symptomaticas *hasce* specie *inter se differre, & diversas poscere Curationes, existimandum est*. X.
Ex Morbi primarii & arthritidis primigeniæ *Therapia elicitur, in Medendis* symptomaticis *Indicatio*. XI.
In Paroxysmo, ab arthritide; *in Vacatione, a morbo* primario. XII.
Prophylaxis ad menses præferenda, ad Annos aliquando repetenda. XIII.
Ætiologia arthritica, *ob neglectam* symptomaticæ & primigeniæ arthritidos *Discrepantiam, hactenus imperfecta*. XIV.
Curatioque inidonea. XV.
Methodi ratio. XVI.

CAPUT II.

De Arthritide *Rheumatismo* supervenienti, symptomatica falso appellata.

TRANSITIO. Art. I.
Rheumatismo *soli Frigore procreato succedit* arthritis: *Is autem, Sanguinis* lentore *gravi & repentino Capillaria infarciente, generatur*. II.
Qui fiat ea Γλισχρότης *exquiritur: Non a Chylo acescente: (Sanguis injecto Lacte non coagulatur.)* III.
Neque solum ab Acido, Serum ejus calefactum per Frigus subitum condensatur: rheumaticorum *Urina minus salsa: serum, addito Syrupo Violaceo, virescit: Pellicula Sanguinis, per instillatam Sublimati Solutionem, albescit. Lentorem vel a Calore Frigoreque vehementibus & continuis, vel a Sale Alcalico, vel ab utroque nasci concluditur*. IV.
Rheumatismo *male tractato subjicitur hæc* symptomatica, & arthritidem *Frigidam æmulatur*. V.
Illius Facies & Mos. VI.
A reliquis symptomaticis *ut distinguitur*. VII.
Adversus rheumatismum *valere posse Vomitionem, sed frequentem & caute præcipiendam*. VIII.
Ad hanc arthritida *requirit indicatio, ut tollatur iste Lentor. Quem in finem Antiscorbutica, Spiritus Volatiles, adhibeantur. Quid per Oleum Tereb. Quid per Camphoram agatur, periclitare*. IX.
Ptyalismus proponitur, & Emplastra cum mercurio, ut &, ad Articulos exonerandos, Suctus. Quid per Maturantia fiat, deliberandum. X.

CAPUT III.

De Arthritide ex *Chlorosi*, & ex *Mensium Suppressione*.

ARTHRITIS *a* chlorosi *Symptomatica est rarissima*. Art. I.
Eas tantum aggreditur, quæ stirpe sunt arthritica *prognatæ*. II.
Causam habet Continentem, a chloroseos *Continenti longe diversam, & ad istum morbum se fortuito adjungit*. III.
Interdum vaga est, sub rheumatismi *Nomine delitescens: Alias articulis affixa: utriusque Diagnosis*. IV.
Indicatio vult, ut per Muliebria Materiæ peccans expellatur: quæ partu Naturali; V.
Qua Mensibus. *Hisce procurandis inserviunt Martiata eum Emmenagogis juncta, Aquæ Martiatæ, cum Purgatione nonnunquam intercalanda*. VI.
Arthritidis *ex Mensium Suppressione, Origo & Mos*. VII. VIII.
Medendi Lex, ut per Catharsin, sed Modo peculiari celebrandam, Materiam dimittatur. IX.
Fonticulus aperiatur. X.
In isto Pari Symptomaticarum impugnando, quantum intersit. XI.
Historia arthritidis *Vagæ, Fixæ, Nodosæ, Hæreditariæ: ex* chlorosi, *natæ per Emmenagoga fugatæ*.

CAPUT IV.

De Arthritide *Hydropi* superveniente.

HYDROPI arthritis *etiamsi crebro supervenit, inter Naturæ* Δυσκόλτα *tamen est censenda*. Art. I.
Ab Hepate, sive viscerum aliquo nobiliori, Labe indomita vitiato, quicunque fit hydropicus, *raro Is* Ποδαγρικὸς. *At si in liquido omne vitium, ex eo sæpe oritur* arthritis. II.
Maxime vero post amara & chalybeata, hydragogis *submissa, vel (ubi consistunt Vires) statim post* hydragoga. III.
Spiritus Sero liberati, vel per Se, vel Medicamentis incitati, emergunt denique, Materiam e Sanguine pellunt alienam. IV.
Atque adeo Seminium, si quod intus latuerit, arthriticum. V.
Et quidem bono omine. VI.
Nullam postulat hæc arthritis *Therapiam nisi qua servetur, augeatur, ordinetur*. VII.
In hunc finem singularia *recensentur*. VIII.
Ut ea componantur, & in Methodos redigantur. IX.
Ad hydropa *propellendum, Vere & Autumno Aqua subducenda, & quidem Drastico potius quam Leniente: Æger nec plus, nec aliud bibat, quam Coctioni & Nutritioni quod sufficiat*. X.
E Lecto mane quam primo exurgat, Vesperi mature cubet, bis in die Corpus sub Jove exerceat. XI.
Hujus Methodi Utilitas. XII.
Historia *Prima, De* Arthritide hydropi *probe curato feliciter accedenti*.
Secunda, De arthritide ascîti, *ejusque Remediis, auspicato agnata*.
Tertia exhibet podagram, ascîti *per Naturæ vires subortam*.
Quarta De hydrope *per Diuresin & Abstinentiam victo, cum* arthritide *per* amara & chalybeata *famulante*.

CAPUT V.

De Arthritide Melancholica.

EX univoci ortus symptomaticis, *Principatum habet* arthritis *ea, quæ diutinæ succedit* melancholiæ. Art. I.
Hæc melancholia *duobus pendet*, 1. *Spirituum Animalium a Natura Teneritudine, quæ Causis evidentibus sæpe augetur*, 2. *Rebus Eos Afficientibus*. II.
Natura id, quod melancholiam *peperit, aliquando in Articulos trudit, itaque* symptomaticam *hanc* arthritida *progignit*. III.
Clementer ea fere se gerit. IV.
Ideoque melancholia, *brevi recurrente, excipitur. Ut* arthritis *ea dignoscatur*. V.
In arthritide *Morbo* hypochondriaco *subnata, juvat id, quod primis Viis includitur alieni, per Alvum amoliri, Coctionemque instaurare*. V.
Præcipue vero aquis purgantibus, tartaro laxanti & manna adjutis, *blande Alvum subducant. His superaddi possunt* aquæ diureticæ, *vel* infusum Theæ, *cum e* ferro *præparatis, vel etiam* decoctum corticis simplex, *aut* chalybeatum. *Prodest aliquando, loco Cerevisiæ,* decoctum chinæ, sarsæ *&c.* VII.
Hist. 1. *De* arthritide melancholiæ *Diuturnæ succrescenti*.
Hist. 2. *De Morione* melancholia hypochondriaca & arthritide *interempto*.
Hist. 3. *De* Arthritide symptomatica *Purgantibus præoccupata*.
Hist. 4. *De* morbo symptomatico *cum agnata* arthritide, aquis astropentibus *subacto*.
Hist. 5. *De* gonagra *miti* hysterica, chalybe *concitata*.
Hist. 6. *De* arthritide hysterica.
Hist. 7. *De* arthritide melancholica *cum Ventriculi &c. Affectione*, per paroxysmum *regularem allevata*.

CAPUT VI.

De Arthritide fixa *Scorbutica*.

MElancholicæ *proxima est* arthritis scorbutica, *sed longo proxima intervallo*. Art. I.
Scorbutus *apud* Damnonium *paulo ante frequentissimus; sed vicini* Belgii scorbuto, *hoc est, genuino dissimilis*. II.
Ejus Symptomata celebriora recensentur. III.
Utrum scorbuti calidi *sit ubique sui generis Materia ambigitur*. IV.
Lepra *jam pridem in* Damnonio *Endemia, cujus gratia Nosocomia passim quam plurima*. V.
Partim illa salis communis, *partim etiam* tabaci *usu cicurata, maxime vero* pomacei, *in* scorbutum *hunc Calidum degeneravit*. VI.
Scorbutus *hic noster* arthritida *fixam imitari gestit*. VII.
Scorbuti *hujus cum* arthridide *convenientia*. VIII.
Mites habet Paroxysmos hæc symptomatica, *sed diuturnos. Præter cætera, Morbi sui primarii retinet Symptomata*, scorbuti *præcipue veteris & confirmati*. IX.
Est semper calida. X.
In Paroxysmo, materia Articulis impacta blande foras elicienda. In pravo repellentium usu quid illi fiet. XI.
Extra Paroxysmum, vel ptyalismum, *vel per* catharsin *Materiæ Evacuatio, tum per* antiscorbutica arthriticis *maritata. Alteratio*. Succi herbarum martiati *in usum commendantur, ut &* Aqq. ferratæ diureticæ, & decoctum Theæ, pomaceum *aliquibus prodesse potest, præsertim æstate, & hyeme* cerevisia rad. oxylap. *&c. medicata*. XII.
Nullus hic crepitus ossium, *at* tumor pedum *minime prætermittendus, ejus descriptio*. XIII.
Et curatio. XIV.
Historia 1. *Ab* arthritide scorbutica *Ulcus male tractatum, unde Visus Abolitio, deinde Abscessus, demum Mors*.
Hist. 2. Scorbuti *Calidioris soboles* arthritis.
Hist. 3. Morbus articularis, scorbuti *Alumnus, cum Vomitu Bilioso,* Δυσπεψία *& Volarum Ariditate*.
Hist. 4. Scorbuto *subortæ, & Ejus Eruptionibus adjuncta*, arthritis.

Hist.

Hiſt. 5. *Pedum* tumor ſorbuticus, arthriticus *cum*, pruritu ferino.

CAPUT VII.

De Arthritide *Lui Venereæ* ſuccedenti.

AB antiquo Venus *immoderata*, *dudum autem*, lue *ad Eam ſe adjungente*, arthritidem *maxime creberrimeque introducit*. Art. I.
Horum Morborum Convenientiæ, & inter ſe Conſenſus, unde ad hanc ab illa tam facilis Migratio. II.
Nemo a recenti lue Ποδαγικῇ *Miaſma* venereum *evehi prius & maturari oportebit, quam Articulis impingi potuerit. Ideoque raro niſi Grandiores invadit hæc* arthritis, *ſcil. a* lue *derivata.* III.
Sed nec a Veteri paturſa *procreatur, ubi* arthritidi *moliendæ Natura impar reperitur.* IV.
Paturſam arthritida *parientem adjuvat Mos Empiricorum ille, quo in curanda* gonorrhœa *præpropere, & neglecta vel remiſſe facta purgatione*, Puris *excretio ſupprimitur.* V.
Luis *in* arthritidem *Mutatio, ex Ægroti Corpore ad Eam recipiendam idoneo, vel ſecus, pendet quam plurimum*, arthritis *iſta nunc in eodem Corpore cum* lue *generatur; nunc per Concubitum in diverſo. Uti a Nutricis lue in Alumnum derivetur Oculorum* epiphora, *&c.* VI.
Quodnam hac arthritide *Afflictorum Corpus.* VII.
Morbi hujus Diagnoſis qualiſcunque. VIII.
Interciſis Ejus Paroxyſmis apoplexia, *vel* motus convulſivi *plerunque fatales (ſi nulla fuerit Evacuatio) ſuperveniunt.* IX.
In Paroxyſmo, dolor Hypnoticis, ſed caute adhibendis, ne illorum abuſu, Materia Morbi Nervis impingatur, mitigandus. X.
In Paroxyſmorum Intervallis, a lue venerea *mutuo ſumenda Indicatio*, antiſyphilicis *Sanguis tuendus, e* mercurio *comparata adhibeatur, maxime vero per ea* ſalivatio: *quodnam illius inſtituendæ Tempus in primis opportunum: Placet etiam* purgatio *cum* calomelane. *Poſt uſum* mercurii, lignorum decocta *miſceantur. Valent* aquæ diureticæ, *diu rectequepotæ: Valent etiam, ex* antimonio, *&c. Alterantia.* XI.
Hiſt. 1. *De* arthritide *impura*, aquis diureticis *ſubacta.*
Hiſt. 2. *De* arthritide, luis *Sobole, a* Δυσπέπτοις *irritata, Febrim excitante, Caput aggreſſa.*
Hiſt. 3. Lui venereæ *ſuccreſcens, Caput impetens* arthritis.
Hiſt. 4. Arthritis lui ἐπιγιγνομένη, *Victu, Digeſtivis, & Equitatione moderata, tandem Inteſtina invadens, ſanguinis* ἄνω καὶ κάτω *Miſſionem pariens.*
Hiſt. 5. Arthritis lui venereæ *ſuperveniens, Melancholiam, Caliginem, Vertiginem, Convulſionem univerſalem, & demum Mortem inducens.*

CAPUT VIII.

De Arthritide *Aſthmatica.*

POdagra *ſuccreſcit* aſthmati *creberrime* pituitoſo; *quo affectu laborantes, nono & decimo ætatis Luſtro, raro maturius, dolent* articulis, *maxime ſi præceſſerit Medicina.* Art. I.
Quæ, ceu Cathartica, præcipue vero Δραστικώτερα, *ceu ex alterantibus* anti-aſthmatica, *gignendæ* arthritidi *cum primis confert.* II.
Arthritidis *hujus materia minime recens æſtimanda. Quia* nemo repente Ποδαγικὰ: *Quin potius in corpore diu illam latuiſſe, pituitaque forſan involvi; & cum ea per ſputum* κατ' ὀλίγον *externi, credibile eſt. Æſtate hæc* arthritis *lætatur quod quidem ejus* χαρακτηριστικόν. III.
Ita hæc arthritis, *hyeme minime obdormiſcens, ab* aſthmate *ſuperatur; ſub ejus perſona deliteſcit: Æſtate vero, cum ad Ambitum Corporis Sanguis liberius effertur, proprie elucet.* IV.
Ex iſta hujuſce materiæ frequenti expuitione, fieri videtur, quod arthritis *hæc omnino blanda, minimeque dolore vehementi, multo minus Tofis, &c. eſt ſignata. Indicium ejus optimum in eo locatur, quod* aſthmati *uſitate & ex more ſubmittatur; cætera* arthritidi primigeniæ *perſimilis eſt.* V.
Ex iſta ſucceſſione in ſymptomaticis *habenda eſt, & pectoris, Spiritus, Tuſſis, Sputi conſiderationem comprehendit.* VI.
Neque enim hunc modum aſthmaticos, arthritidem *negligere juvabit; quin ſimul atque fieri poteſt in* articulis *dolorem excitare, quo levetur pulmo. Hac de cauſa, Sanguinis miſſio, vel parca admodum, vel nulla, ne* arthritidi *protrudendæ natura impar reddatur, admittenda.* VII.
Per Δραστικώτερα *Catharſis inſtituenda, quibus ſanguis in orgaſmum excitetur. Catharſis etiam pulmonem exonerat, ſpiritumque liberat. Sed, quoties in ſimplici* aſthmate *Pituitoſo, non toties hoc in* aſthmate *repetenda, ne recta* arthritis *impediatur.* VIII.
Ad depellendum aſthma, *& concitandam* arthritida, *mane* inf. am. Chalyb. *exhibeatur: quarta pom. & nona veſpertina* balſami *alicujus, vel* Tinct. Sulf. *Doſis majuſcula. Diebus aliquot interpoſitis, extra loco ſæpiſſime dolenti* attrahens *admovendum; tumori, vel quam proxime illum*, Epiſpaſticum. *Quando artus per ſe invadit hæc* arthritis, *omnino promovenda eſt. Natura enim*, aſthmati *occurrit per* arthritida. IX.
Si Bechicis *opus uſque fuerit, iis, ſed lenioribus, veſpere utendum: Hinc mane ſeq. Sputum, nec ad meridiem obiundetur appetitus.* Narcotica *his* aſthmaticis *parum tuta. Ad invitandum ſomnum, ſi defuerit, adhibeatur* ſectio, frictio, &c. X.
Minuitur aſthma, *quæ proportione augetur* arthritis.
Huic ſymptomaticæ *adjungi ſolet pedum* tumor ſeroſus; ambulatione, frictione *ſæpe brevi tollendus.* XI.
Ab hac arthritide *reſtitutis* equitatio *commendanda; ut & victus idonea ratio, cum* eccoproticis, & digeſtivis, ad aſthma & arthritida *præcavendum, ſubinde repetendis.* XII.
Sicco nonnunquam aſthmati *ſubnectitur* arthritis. *Illius deſcriptio qualiſcunque profertur, & in hanc mutatio arguitur.* XIII.
Ejus curatio *breviter delineata.* XIV.
Hiſt. *De* aſthmate pituitoſo, *per* arthritidem, *exemplo notabili mitigato.*
Hiſt. 2. *De* arthritide, aſthmati *ex Plethora, feliciter adjuncta.*

CAPUT IX.

De Arthritide *Febri* Succedanea.

FEBRI *nonnunquam exquiſitæ, & perfectæ, ſuccedit* arthritis. Art. I.
Quæ quidem ſucceſſio, ſive ob aliquid ἑτερογενὲς *in ſanguine contentum, ſive ob glandulas obſtructas oriatur* febris, *perfacile capiatur.* II.
Ab eodem miaſmate (quod prius dixi) concito & debacchanti, febris; *ab ipſo lenius moto, ſed exulante*, arthritis *accerſiri ſolet. His addendum, quod virus* arthriticum *concitandæ* febri *valde appoſitum eſt.* III.
Secundo, ſi febris *a glandulis obſtructis ſit, illa obſtructio ſanguinis orgaſmum parere poteſt, ut & ille orgaſmus, (ſic ut Æſtus exercitatione quavis adſcitus)* arthritidis *Paroxyſmum.* IV.
Hujus ſymptomaticæ *Natales optime illuſtrat* angina arthritica, *quæ quidem manifeſto* arthritis *eſt* anomala, *cum* febre *magna & gravi præcedente. Morbo tamen acuto, rarius forſan quam diutino,* ἐπιγίγνεται *Arthritis.* V.
Ratione paroxyſmorum, una eſt arthritis *ex* febre *nata, eaque* arthritidi primigeniæ *perſimilis: ratione ortus, multiplex eſt, & longe a ſe diverſa, quod particulatim exponitur.* VI.
Quæ febrim *comitatur* arthritis *omnino provehenda eſt & promovenda, quæ præcipua, & unica hujus medendæ indicatio therapeutica. Verum in hujuſce* ſymptomaticæ *prophylaxi*, febris *illius, cujus* ſymptomatica *Fœtus & Germen eſt, habenda ratio. Si habitudini* Πυρεκτικῇ *ſuboleſcat* arthritis, *habitudinem iſtam efficiens materia exterminanda, corrigenda, prævertenda. Si* febri Ἐρυσιπελατώδει *ſubmittatur, durante inſultu, per* cardiaca & diaphoretica *utriuſque materia dimittenda eſt: in vacatione, cauſa antecedens* aquis diureticis *auferenda*, lacte Aſinino, *&c. permulcenda: Et ſic in aliis hujus generis* ſymptomaticis. VII.
Hiſt. 1. Arthritis ſynocho *ſecundaria.*
Hiſt. 2. *De* Arthritide habitudini Πυρεκτικῇ *ſubjuncta.*
Hiſt. 3. *De* Arthritide *cum* febre Ἐρυσιπελατώδει *vices exercente.*
Hiſt. 4. Quartanam, cortice *ſuppreſſam*, arthritis *ſequitur, cum Arenulis.*
Hiſt. 5. *De* quartana *in* arthritidem *mutata.*

CAPUT X.

De Arthritide ex *Colica.*

COLICA *in Chronicis hujus populi pervagatiſſimis eſt; ejus, quæ* arthritidem *præcurrit, Deſcriptio generalis.* Art. I.
Eſt autem ea nonnunquam biliola; *quæ breviter depingitur.* II.
Ejus in arthritidem *metamorphoſis: iſtiuſque commoditas, ſive caput, ſive inteſtina ſpectemus.* III.
In hac arthritide *materia foras ejicienda, idque remediis potiſſimum externis. Cardiaca interna (quæ hujus curationis proprietas eſſe videatur) admodum caute uſurpanda, ne in caput arietent.* IV.
Alia vero colica *eſt* (arthritidis *productrix*) *a Pomaceo immiti acidoque: Et eſt ejus proportione. Quo tempore noſtros homines invadat, confirmatæ illi, & inveteratæ ſupervenit* arthritis, *genuinæ perſimilis.* V.
Natura iſtam mutationem per ſe nonnunquam molitur, ſæpe vero numero per purgationem draſticam & elateriam, nonnunquam etiam Cardiacis internis excitata. VI.
Habet hæc arthritis *Dolorem acutiſſimum, in* colicam *ex facili revertitur, iterumque* arthritidos *Perſonam induit, iterumque deponit, raro Tofis &c. ſignata eſt.* VII.
Alia podagram *progignit* colica, *quæ ab* dyſpepſiis *oritur: Hujus deſcriptio.* VIII.
Qui ſunt hujuſmodi Κακοσίμαχοι, *Ætatis fluxu aliquando* arthritide *laborant, quæ* colicam *tum exceptat, tum ab ea ſæpe excipitur.* IX.
Utrum hæc arthritis *a* colica *derivetur, an potius* arthritis *ſit, dudum in inteſtinis Anomala, jam vero in Externis partibus recte ſe habens, etſi in dubiis ponatur in arte factitanda eodem fere recidit: Neque depelletur hæc* arthritis, *niſi* colicam, *cui ſubjicitur, intueamur.* X.
In Paroxyſmo ferme eadem, ac in arthritide *Exquiſita, medendi ratio: Prophylaxeos alia atque alia eſt, pro cauſæ remotioris diverſitate.* XI.
Hujus Tribus ſymptomaticarum *Paroxyſmi omnium maxime per Eccoprotica, vel præcaventur, vel minuuntur.* XII.
Hiſt. 1. Arthritis colicæ biliosæ *ſecundaria.*
Hiſt. 2. Arthritis, colica ex *Pomaceo* ἐπιγιγνομένη.
Hiſt. 3. Colicæ *ex* Dyſpepſia *diuturnæ*, Gonagra *ſuperveniens.*
Hiſt. 4. *Ex* Colica *Paralyticus*, Arthriticus, *Inunctione trucidatus.*

CAPUT XI.

De Arthritide *Morbis* quibuſdam *Cuticularibus* ſubjecta.

QUæ achoribus, hæmorrhoidibus, & ulceribus *ſupereſt* arthritis, *hoc Capite tractatur.* Art. I.
Morbi ejus primarii *alienum aliquid expellunt, adaucta eorum materia Turbas ciet in ſanguine, quas ſequitur* Arthritis. Arthritico *durante Paroxyſmo, conquieſcunt* affectiones primariæ. II.
Hujus Symptomaticæ *Diagnoſis: eſt ea* primigeniæ Arthritidi *conjunctiſſima: ideoque poſtremo hoc loco diſcutitur.* III.
Morbus quicunque fuerit primarius *omnino promovendus:* Ulcus, *per* cathæretica, achores, *per* epiſpaſtica, *vel leniter* attrahentia, hæmorrhoides, *per* aloetica *interne data, per* hirundines *externe adhibitas.* IV.
Hiſt. 1. *De* Arthritide *Auricum* achoribus *ſubjecta.*
Hiſt. 2. *De* Arthritide ulceribus *ſuboleſcentis*, epiſpaſticis *allevata.*
Hiſt. 3. *De* Arthritide (*cum* febre intermittente) ex hæmorrhoidibus *occluſis.*

CAPUT XIII.

Corollaria & *Specilegia* quædam habet, cum *Epilogo*.

EX *prædictis ſequitur*, *quod* ſymptomaticis *quæ genuinæ* Arthritidi *ſunt vicinæ*, (*id eſt*, colicæ, & morbis cuticularibus *ſubmiſſæ*) *maxime conſentiunt illæ*, *ſi tantum materiam earum intueamur*, *quæ ſunt* minus propriæ, chloroſi *nempe*, & hydropi ἐπιγιγνομένῃ, *ideoque* magis propriis *poſtponi poterant*, *imo quidem debuerant*. Art. I.

Si quis materiam, *v. gr.* luis, *non* arthritida falſam, *verum* exquiſitam *parere* : *itaque* ſymptomaticas *haſce*, *& inter ſe*, *& cum* Arthritide *exquiſita congruere argumentetur* : *nihil iſthuc auctorem movebit*, *quando* ſymptomaticarum *a morbis* ſpecie *differentibus ſucceſſio*, *eas etiam*, (*quoniam morborum* primariorum *materiam*, *unde ducenda earum* ſpecificatio, *manifeſte retinent*) ſpecie *differre monſtrat*, *proprias poſtulare curationes*, *ut & propria vocabula*, *ſi quis autem eas* Arthritidis *vocabulo includi voluerit*, *quanta quæſo hæc* æquivovatio τῦ (Arthritis) *ſingularem morbum exprimere ſoliti*, *jam vero quamplurimos*, *eoſque* ſpecie *diſcrepantes morbos exprimentis*. *Dato vere haſce* ſymptomaticas *convenire* (*quod tamen nec probatum*, *nec conceſſum*) *ad earum* curationes *tum explicandas*, *tum exigendas*, *ex uſu erit eas haberi differentes & diſcordantes*. Art. II.

Scorbuto, *aliove quovis e* Primariis *affectibus ſupradictis laborantem*, Primigenia *ſimul* Arthritide *poſſe laborare*, *non diffitetur Auctor*, *cui cum hiſce tantum morbis negotium*, *qui* Arthritidos *induunt perſonam*. Art. III.

Aliæ ſunt Imagines Atthriticæ *minus perfectæ*, *quæ ſæpe* ſcorbuti, *vel* rheumatiſmi *nomine appellatur*. Art. IV.

Glandulæ articulares *ſunt ex celeberrimis totius corporis excerniculis*. Art. V.

Epilogus.

Obſervationes Anatomicæ *&c. in* Actis Philoſophicis *Londinenſibus*, *ab Auctore divulgatæ*.

Numero 151.

INteſtinum canis *Cæcum* feliciter exectum.

Numero 162.

Inſtrumentum *Coctionis* primarium eſſe *Spiritum Alcali* generis *Volatilem*, & de *Glandula* in ventriculo Lucii Piſcis *Tubulata*.

Numero 166.

De liquorum in lacteas *Ingreſſu ſubito*, *coloreque* in iis *non ſemper Albo*. Contra *Walæum*, &c.

Numero 167.

Molis immenſæ *Glandula* cor bobulum, præter naturam, comprehendens.

Numero 240.

Primarius *Reſpirationis* uſus experimento illuſtratus. Pro D. *Thruſtano*.

Numero 240.

Pectoris *Hydrops* artificialis.

Numero 242.

Aphonia *Periodica*.

Numero 247.

Magni Regis *Arthuri* Cimeliarchum: in Reverendi Viri D. *Geo. Hickes* S. T. P. *Theſauro linguarum Vett. Septentrionalium Grammatico Critico*, brevi edendo, planius & accuratius deſcribendum.

Numero 258.

Bronchotoms promota.

Numero 266.

De *Polypo* raræ magnitudinis in carne reperto.

Numero 271.

Menſtrua viri cujuſdam *Hæmorrhagia*, temere ſuppreſſa.

Numero 275.

Venæ lacteæ (poſt Clariſſimum *Liſterum*) *Coloratæ*.

EPITOME

Dissertationis Secundæ de ARTHRITIDE ANOMALA, sive INTERNA.

CAPUT PRIMUM.

De Arthritide Anomala *generatim*.

ARtus *sedes* arthritidis regularis. ARTICULUS I. Truncus, *sive quod reliquum est Corporis*, anomalæ; *II.* Arthritidum anomalarum, *quæ Regularem nullum præcurrentem habent Paroxysmum, Diagnoses admodum difficiles*, III. *Earum, quæ Regularem Paroxysmum insequuntur, Diagnoses, variis Symptomatum ordinibus sunt eliciendæ. De* anomalæ arthritidos Υπάρξει *minime constabit, nisi de* regulari arthritide *præcurrente prius constiterit. Eodem Puncto incipiant hi Ordines, at diversos habent exitus. Quo certior* arthritidos *Regularis* Υπάρξις, *illiusque Materiæ quo certior, in ea, quæ intus sunt, Translatio; eo certior* anomalæ *Notitia, IV.* Internæ partes *intelliguntur esse* trunci *omnes, V.* Arthritidem *inter* regularem & anomalam *quæ sit Differentia, VI. Tam* symptomaticæ, *quam* primigeniæ arthritidos Ἀνωμαλίαι, *VII.* Trunci *Partes fere omnes, sed alias aliis frequentius, invadunt, VIII. Unde tam Vastum earum Imperium; IX. Causæ earum enumerantur, X. Ut & differentiæ, XI. Medendi Indicatio generalis, ut* arthritide anomala *pars affecta citissime, tutissime, levetur. Materiæ partim e Corpore evocando, partim in* artus *transferendo. Præmissis, quæ par est, Evacuationibus, Curatio reliqua per Materiæ in* artus *Translationem efficienda est: Quam ejus expellendæ viam Natura maxime affectat. Medicamenta huic Intentioni inservientia sunt vel* interna arthritidem *expellentia; maxime conducunt e* ferro *præparata, præcipue* Martis alcohol, *sive* ferrum nutritum; *ejus conficiendi Modus; Formulæ* Ποδαγραγωγῶν: *Vel* Externa, *quæ Articulis dolere solitis post* internorum *usum aliquem applicata, foras* arthritidem *invitent. Eorum recensio. Ichore vitioso exulante, æger ad tempus aliquod immunis est. Mitior hæc crudelitas, quam per misericordiam methodus, XII.*

CAPUT II.

De *Ventriculi* Affectibus Arthriticis.

NUllam *in* trunco *Partem magis infestat* arthritis, *quam* ventriculum & intestina, I. *Ut* ventriculum *ingrediatur ea, duo requiruntur; primum, in sanguine Miasma fugitivum; deinde* ventriculus, *ei recipiendo accommodatus*, II. *Quibus ille modis sic accommodetur. Ex Causarum diversitate magna, oritur* anomaliarum *diversitas*, III. Arthritidis *in* ventriculo *agentis Descriptio*, IV. *Quibus signis innotescat natura ejus* arthritica, V. *Senes ea plurimum urgentur. Autumno sæpe incipit*, VI. *Ejus cum* arthritide *Regulari Comparatio*, VII. Anomala *hic describitur absoluta*, VIII. *Ut ab Affectu distinguatur* hypochondriaco, IX. *Perinde est, Materia per circuitum, an recta* ventriculum *intret, & sive* fixæ, *sive* erraticæ arthritidos *sit Materia. Qui denique huic malo procliviores*, X. *Medendi Indicatio postulat* ventriculum *allevari Purgatione: & in Artus* arthritidos *amotione: utriusque Purgationis instituendæ ratio.* Vomitio, *si manet post catharsin, Laudano compescenda*; XI. *Quibus auxiliis amoveatur* arthritis, *quaque Arte tum expellatur, tum evocetur. Quæ hoc tempore Dieta.* Si ventriculum arthritis *repetat, quid faciendum. Hujus Methodi Utilitas, Prophylaxis*, XII.

Hist. 1. *In* ventriculum & intestina *irruens* arthritis, *foras expulsa.*
Hist. 2. Arthritis *idonea, Balneo Frigido in* ventriculum, *& ea, quæ intus sunt, repulsa.*
Hist. 3. Recta arthritis, *& in* ventriculo anomala, *se vicissim excipientes, cum* anomalæ *Curatione.*
Hist. 4. Arthritis *semel iterumque in* ventriculo anomala, *toties expulsa.*
Hist. 5. Arthritis *iterum ac sæpius in* viscеribus anomala, *toties in* artus *ablegata, cum* anomalæ *Prophylaxi.*
Hist. 6. *Ex Plenitudine* arthritis, *partim recta, partim in* ventriculo anomala, *Purgantibus & Podagragogis allevata.*
Hist. 7. Arthritidem, *ex Animi perturbatione*, anomalam, *in Viam ducunt* Ποδαγραγωγά.
Hist. 8. Arthritis vaga, *primo Partibus ex contusione læsis; deinde* ventriculo *hærens, in Sanguinem resorbetur; in Artus emittitur.*
Hist. 9. *Multum interesse, qua tempestate laboret æger hac* anomala; *ad eumque removendam, tam* externa, *quam* interna *nonnunquam in Corpore validissimo requiri.*
Hist. 10. *Cibi Fastidium, & Asthma, ex* arthritide ventriculum *infestante; ea expulsa, sublata; ea denuo repulsa, recidiva.*
Hist. 11. *Ex* arthritide, cardialgia, *ut & alias* Ἀνορεξία *per Cathartica, & humores in* artus *expellentia, feliciter curata.*

CAPUT III.

De Colica Arthritica.

MOrbus *hic gravis & frequens, una cum* intestinis *Ventriculum premit*, ART. I. *Ejus Descriptio*, II. *Natura* arthritica III. *Diagnosis*, IV. *Causæ remotiores externæ, quæ repellunt* arthritidem, V. *Internæ*, intestinorum *Imbecillitas, &c.* VI. *Ab aliis* colicæ *Speciebus, ut distinguatur.* VII. *Ejus Differentiæ*, VIII. *Prognosis*, IX. *In curatione, de Phlebotome, de Vomitu deliberandum; deinde Purgatio instituenda. Tum* podagram *expellentibus, una cum* anticolicis, *utendum. Eorum Formulæ, & sumendorum Methodus. Contra Spasmos* intestinorum *pertinaces Fotus, Linimentum, Enema. Quæ Dietæ ratio optima. Vinum utilissimum*, X. *Prophylaxis*, XI. *Morbus, hic* Hippocrati *non incognitus.* XII.

Hist. 1. Colica arthritica *male tractata, demum lethalis.*
Hist. 2. Arthritis *Vaga*, colicam *mentita, ad Regularem* arthritida *reducitur; cum ejus Prophylaxi.*
Hist. 3. Colica, *ex Quiete*, arthritica, *in* arthritica regularem *versa.*
Hist. 4. *Colica multarum Hebdomadum* Arthritica, *eadem metodo curata.*
Hist. 5. Colica Arthritica, *Purgatione, &* Ποδαγραγωγοῖς, *sublata.*
Hist. 6. Colica, *una cum Dolore Capitis*, Arthritica *plus semel allevata.*
Hist. 7. Arthritis, Intestina *sæpe atrocissime invadens, toties exturbata.*
Hist. 8. Colica Arthritica, *cum* Paralysi *superveniente.*

CAPUT IV.

De *Diarrhœa* Arthritica.

MIasma Arthriticum *nonnunquam* intestinis *infusum, ea stimulat, donec Ano exterminatur*, ART. I. Diarrhœa *ista ut dignoscatur esse* Arthritida, II. *Causam Continentem, & proximam, tantummodo unam habet; initium, & exitus varios. Quæ per se accidit, non raro Salutaris. Quæ Pharmacis excitatur, si modum non excedat, utilis; sin nimis pertinax fuerit, dubia, vel lethalis*, III. *In priori, Naturæ relinquendum opus, nisi nimium excurrat* diarrhœa; *tunc enim Astringentibus, ac Cardiacis eget; Reliquæ vero morbosæ post tempus aliquod Lenientibus exprimendæ.* Diarrhœa *sistenda, si a Purgantibus fiat: Si a Cruditatibus, Purgatione (altera, vel utraque) opus erit deinde Restringentibus. In* dysenteriæ *periculo, Emulsum. Ad Prophylaxin* alcohol Martis, *cum* aquis ferratis, IV.

Hist. 1. Diarrhœa *crebra, & Salutaris.*
Hist. 2. Diarrhœa, *a Cathartico*, arthritica, *opportune suppressa.*
Hist. 3. Arthritis *vaga*, intestina *occupans, solo externorum usu evocata, &* artubus *infixa.*
Hist. 4. *Cruditatibus orta* diarrhœa arthritica, *Medicinæ beneficio inhibita.*
Hist. 5. Diarrhœa arthritica *lethalis.*
Hist. 6. *Alia ejusmodi.*

CAPUT V.

De Dysenteria Arthritica.

TRansitio, I. *Miasma* arthriticum *aliquando* intestina *mordet, exeditque Vasa eorum exilia, Sanguinem vehentia: Unde* dysenteria, II. *Morbi hujus* ἴδος, III. *Dependet is a Miasmate prædicto in Sanguine renovato, idque constanti norma*, IV. *Insultus sæpe repetit, Paroxysmis* arthriticis, *si spectemus intervalla, respondentes. Nunc in Ulcus, nunc in Abscessum degenerat*, V. *Curatio: Sanguine profluente conquiescat Æger: Cardiaca non nisi caute adhibenda: Lingua Laudano superillinatur. Potioni sit Decoctum album.* Dysenteria *hæc omnino Critica. Ad eam, si nimia fuerit, inhibendam Adstringentia. Valet interdum Enema. Vitentur* acida. *Quæ conveniat Dieta. A* dysenteriæ *exquisitæ Curatione, quantum hæc differat. In Prophylaxi valent* aquæ ferro *alteratæ.*

Hist 1. *Tenesmum, &* dysenteriam *inferens* arthritis, *omisso Externorum usu lethalis.*
Hist. 2. Dysenteria arthritica *in Abscessum migrans.*

CAPUT VI.

De Abscessu *Intestinorum Arthritico.*

AD abscessum *inferendum Miasma* arthriticum *cum primis aptum*, I. *Ejus formandi ratio*, II. *Causæ ejus binæ, quarum altera dictum Miasma e Sanguine expulsum; altera* Intestinorum *Imbecillitas.* III. *Hic* abscessus *sæpe magnus, in alimentari Fistula, creberrimus, sæpe recidivus*, IV. *Si in* ano *fuerit, eadem fere Curatio, quæ in* abscessu ani *genuino; si in* fistulæ *superiori parte, raro ante puris Evacuationem sentitur.* Dysenteriæ *aliquando* ἐπιγίνεται. *Quæ, rupta Vomica, conveniat Curatura. Evacuato Pure, Balsamica, Venæ sectio interdum prodest. Aqua ferrata, cum e Ferro præparatis, & restringentibus, &c.* προφυλάττονται, V. *Veteres* arthritici *Vitiis* ani arthriticis *affliguntur*, VI. arthritis *in Viscеribus, a* Luciano *bello descripta*, VII.

Hist. 1. Abscessus *Intestinorum* arthriticus *auspicato sanatus, recurrendo lethalis.*
Hist. 2. Abscessus *ani* Arthriticus, *feliciter curatus.*
Hist. 3. *De Ani* Arthritica, *propter Aleoticum*, inflammatione, *cum instante* gangræna.

CAPUT VII.

De Melancholia Arthritica.

TRansitio, I. *Morbi hujus Mors*, II. *Dyspepsia oritur. Ut ab* Arthritide melancholica *distinguatur*, III. *Curatio Purgantibus, sed blandis) & Podagragogis peragenda: Quæ ratio Prophylaxeos*, IV.

Hist. 1. Melancholia, *propter* arthritidis *Paroxysmos minus idoneos.*
Hist. 2. *Arthritis* melancholico *Saluti.*
Hist. 3. Melancholiam, *& Hydropa Arthriticum sanat, arte comparata*, arthritis *idonea.*

CAPUT VIII.

De *Syncope* Arthritica.

TRansitio, I. *Morbi ratio*, II. *Therapia requirit Cardiaca, admodum generosa; Frictiones, interdum Vomitionem, eamque Vino movendam*, III.

Hist. 1. Syncope *Arthritica, foras abacto Hoste, curata.*
Hist. 2. *Alia ejusmodi.*
Hist. 3. *Arthritide diu ignava & inerti, generata* syncope, *illius Paroxysmo regulari sublata.*

CA-

CAPUT IX.

De *Calculo Renum* Arthritico.

RAro *cuiquam unquam Morborum frequentius ſupervenit* calculus, *quam Arthritidi*: *Eſtque vulgari* renum calculo, *Arthriticus perſimilis*, I. *Huic malo conferunt mala Concoctio*, *& Lacteorum Ora nimis dehiſcentia*, II. *Eſt hic* calculus, *Lapidis Calcarii cum Sale ſuo Calcario*, *vel Ochræ cum Sale Vitriolico*, *coitio*, III. *Ejuſdem plane Naturæ eſt cum* toſo arthritico, IV. *Ut a* colica, *tam Exquiſita*, *quam* arthritica *diſtinguatur*, V. *Si Paroxyſmus ſimul* arthriticus *erit*, *nullus hic* acidorum fotuum, *aut* cataplaſmatum *uſus*: *Proſunt interdum* paregorica. *Silente vero* arthritide, *ſi quis hoc* calculo *ægrotet*, *quæ Curatio*. Syrupi *Præparatio* balſamici. *In Dyſuria* calculo *ſuperveniente*, *juvant Opiata cum Diureticis juncta*. Dorſi dolor *judicium* calculi *æquivocum*.

Hiſt. I. Calculo *&* chiragra *una concurrentibus*, *facta ſimul Medicina*.
Hiſt. 2. *Adverſus* calculum *Arthriticum Prophylaxis*.
Hiſt. 3. Calculus *Arthriticus*, vertigo *Arthritica*, *&* arthritis *regularis ſe mutuo excipientes*.

CAPUT X.

De *Aſthmate* Arthritico.

UNum *hoc Capite tractatum* aſthma, *nimirum* Διοπαθητικὸν ART. I. *Quænam hoc Affectu Corpora maxime graventur*, II. *Cauſa Continens*, *Miaſma* arthriticum, III. *Cauſæ remotiores*, IV. Aſthmatis *hujus*, *&* arthritidis *ratio inter ſe*, *naturam illius* arthriticam *manifeſte probat*, V. *Eſt vel* ſiccum, *vel* humidum: *utriuſque Mos*, VI. *Virus* arthriticum *Pituita involutum*, *Sputatione ejicitur*; *& quidem commode*, VII. *In* aſthmate ſicco, *quodnam morbi* ſubjectum, VIII. Aſthma *interdum occurrit* arthriticum; *ſive prævio* arthritidis *Paroxyſmo*, IX. *Quæ in utroque* aſthmate, (*tam humido*, *quam arido*) Πρόγνωσις, X. *Curatio tollit Impedimentum reſpirandi*, *Venæ ſectione*, *Purgatione*, *Clyſteribus*: *Quæ* ſicco *propria*; *quæ* humido *Therapia*; *Quid in Paroxyſmo faciendum*; *quid in Prophylaxi*, XI.

Hiſt. 1. *Adoleſcens*, *ab Arthritide* aſthmaticus, *Empirici Narcotico peremptus*.
Hiſt. 2. Aſthma *ſiccum*, *Arthriticum*, *Venæ ſectione & Cardiaco ſublatum*.
Hiſt. 3. *Arthritidis in Paralyſin*, *&* aſthma *Metamorphoſis*.
Hiſt. 4. *Arthritis in* aſthma, *&* hydropa *deſinens*.
Hiſt. 5. Aſthma *cum Iliade Malorum*, *Arthritidos defectu Regularis*, *exortum*.
Hiſt. 6. Aſthmatis *Vultum induens Arthritis*.
Hiſt. 7. *Ab Arthritide repercuſſa* pectoris externi *Oppreſſio*, *Spiritus impeditas*.

CAPUT XI.

HI *Affectus*, *quoniam ab eadem Cauſa eundem Locum aggravante fiunt*, *una hoc Capite tractantur*, I. *Quoniam ii creberrime invadunt*, *quæque Corpora potiſſime laceſſunt*. II. Achores, *&* catarrhi *Puerorum*, *qui* arthriticis *orti ſunt Parentibus*, *haud immerito ſuſpecti*, III. Arthritidis *in* pulmonem Μετάβασις *omnium certiſſima*. *De minus certis quomodo judicandum*, IV. *Seniores ſæpe invadunt hæ* anomaliæ, *& qua de Cauſa*, V. *Sputi conſideratio*; VI. *Si affectus* arthritidi *Regulari apponuntur*, VII. Tuſſis *eorum omnium frequentiſſima aliquando Regularis Paroxyſmi* ſymptomata prænuncium, VIII. Tuſſim *interdum excipit* hæmoptoe, IX. *Tempus horum Affectuum Autumnus*; *multum ad eos confert* pulmonis *Imbecillitas*, X. *Ex Algore*, *vel Cardiacis* peripneumonia *nonnunquam accedit*, XI. *Medendi Indicatio communis eſt*, ut pulmo *quam citiſſime levetur*: *Ubi nihil adverſatur*, *prodeſt Venæ ſectio*; *maxime vero in* peripneumonia: *In pleriſque Purgatio*, *ſed peculiari modo facienda*: *Tum* Ποδαγραγωγὰ, *cum* anacatharticis *juncta*. *Horum Formulæ proferuntur*. *Ad prohibendum Sanguinis* colliquationem *valet* decoctum corticis. *His ſuccedunt* externa, *Arthritidem evellentia*, *quibus ſeveris*, *non niſi urgente neceſſitate*, *utendum eſt*, XII. *Ad* prophylaxin, *aperiantur in Dorſo* fonticuli. *Aere aperto fruatur Æger*; *quibus*, *aliiſque hac in re*, *idoneis*, *aut prætermiſſis*, *aut perperam adhibitis*; *Æger* ψθίσει *opprimitur*, XIII. Peripneumoniæ *quæ* arthriticæ *Curatio*, XIV. *Medicina iſthæc* (*alia*, *quam Clariſſ.* Sydenhami) *defenditur*, XV.

Hiſt. 1. Tuſſis *Arthritica*.
Hiſt. 2. Tuſſis *Paroxyſmi Arthritici* ſymptoma prænuncium.
Hiſt. 3. Sputatio *Arthritica*, *in extrema ætate nimia*.
Hiſt. 4. Anacatharſis *Arthritica Salutaris*.
Hiſt. 5. Peripneumonia *Arthritica*.
Hiſt. 6. Catarrhus, aſthma, tuſſis *Arthritica*, *per Humorum in* artus Ἀντίπασιν, *& deinde Evacuationem mitigata*, *ſublata*.

CAPUT XII.

De Phthiſi *Arthritica*.

TRanſitio, *I. Morbi hujus* ἦθος, *II. Ultimum ejus Stadium*, *cum Exquiſitæ* phthiſeos *ultimo concordat*. *Homines natu proviectiores* (*aliter*, *quam* exquiſita phtiſis) *aggreditur*: *Febris ejus Hectica*, *plerunque* lenta. *III. Nunc ex* arthritide *repercuſſa*, *hæc* phthiſis *brevi tempore fit*, *alias non niſi ſpatio annorum aliquot*, *IV. Morbi natura patet ex ejus* Γενεαλογία, *V. Curatio poſtulat*, *ut* pulmo *allevetur*. *In principio valere poteſt* phlebotome, *&* catharſis, *Poſtea* bechicis, *&* Ποδαγραγωγοῖς *utendum*, *& quidem eouſque*, *quoad ſiverit a Febre periculum*, *& poſtulaverit* arthritidis *Expulſio*. *Si* febris *exardeat*, *quid fieri oporteat*. *Hiſce dies aliquot adhibitis*, *extra admoveantur* arthritidem *educentia*. *Opiata*, *& Incraſſantia*

merito ſuſpecta, *VI.* Prophylaxeos *ergo*, *maxime valent* aquæ ferratæ, *& Aer*, *præcipue Maritimus*. *Proſunt Artuum Fricationes*, *Fonticuli*, *Sorbitio*, *Chocolata*, *Pectoralia*, *obſunt Catarrhi*, *VII.* Gaelnus *mentionem fecit hujuſmodi* Πνεύματος (*ſcil.* arthritici) *in* plumonibus, *Ægros ſæpe ſuffocantis*, *VIII.*

Hiſtoria 1. Tuſſis *Arthritica*, *lethalis*.
Hiſtoria 2. Phthiſis *Arthritica*, *Medicamentis Calidioribus ſæpe levata*.
Hiſt. 3. Phthiſis *Arthritica*, *incipiens*, *curata*.

CAPUT XIII.

De Angina *Arthritica*.

FEbricula *ad expellendum Miaſma* arthriticum, *in Sanguine excitata*, *nonnunquam parit* anginam, *I. Natura ejus* arthritica, *ut detegatur*, *II. Quæ illa Corpora*, *& quas ob* προφάσεις *invadat uſitatiſſime*, *III. Diagnoſis*, *IV. cum* angina *exquiſitæ*, *ejus convenientia*, *V. Curatio vult*, *ut Fauces*, *quamprimum alleventur*, *& quidem Methodo privata*; *Prodeſt interdum* laringotome, *VI. Uti nonnunquam* acida; *Externa*, arthritidem *educentia*, *VIII.*

Hiſtoria 1. *Arthritis* fauces *&* artus *ſimul ſemelque occupans*.
Hiſt. 2. Anginæ *Arthriticæ*, *ad Abſceſſum tendentis*, *in* arthritida regularem *Metamorphoſis*.
Hiſt. 3. *Materia* arthritica *partim* abſceſſu anginoſo, *partim per* articulares glandulas *expreſſa*.
Hiſt. 4. Arthritis *primum* fauces, *deinde* articulos *invadens*.
Hiſt. 5. Anginæ arthriticæ *auſpicato ſupervenit Arthritis* regularis.
Hiſt. 6. Angina *&* abſceſſus *Arthriticus cum* arthritide *inſequenti*, *recta idonea*.
Hiſt. 7. *De* arthritide *multos annos Erratica*, *tunc* anginam *iterum*, *& ſæpius ſimulante*; *poſtremo* regulari, *Fixa*.

CAPUT XIV.

De Capitis Dolore, *&* Vertigine *Arthritica*.

OBſcuri *ſunt in* capite *Partium uſus*, *I. Quos ſæpiſſime infeſtet* dolor *hic* arthriticus, *II. Ejus Mos*; *Signum eſt aliquando Paroxyſmi Regularis prænuncium*: *Ni tale fuerit*, *etſi in* capite *Materia remanſerit*, apoplexiam *introducit*, *III. Ut de ejus* ὑπαρξει *conſtet*; dolor *hic interdum lenis*, *interdumpene ad Delirium uſque gravis*, *IV. Paroxyſmum aliquando Perfectum*, *aliquando interciſum excipit*, *V.* Vertiginis arthriticæ *Comes fere individua*, *& tanquam Soror gemina eſt*, *VI.* Vertiginis *Arthriticæ* ſubjectum *eſt cogitandi Officina*: cogitationis *ratio probabilis*: *Videtur eſſe quædam* Πνευματουργία, *VII. In* vertigine *Spirituum* fluctuationes *interturbantur*, *VIII. Spirituum* Εἴλιγγος *a* Cl. Williſio *propoſitus*, *in dubium vocatur*. *Rerum Externarum Imagines in Capite veræ*, *ut & in* vertigine *falſæ*, *per iis Rebus diſſimilia fieri poſſunt*, *IX. Perturbantur Spiritus*, *vel ab alieno*, *a Sanguine accepto*, *hæc in penetralia ſe inſinuante*; *vel Externo aliquo Tubulos coarctante*, *X.* Vertigo *hæc in pleriſque*, *cum* dolore capitis *Arthritico concordat*: *Aut in* paroxyſmum regularem: *aut in* apoplexiam *migrare ſolet*. *Miaſma* arthriticum epilepſiæ *generandæ parum idoneum*, *XI. Horum Affectuum Curatio communis*; *tum etiam ſingulis propria*. *Balſamum* δῶδες cephalicum *Doctoris* Waterhouſe. *Emulſa*, *Narcotica*, *Oxyrrhoidina*, *&c. quæ Materiam* capiti *infigat*, *omnino fugienda*. Prophylaxis, *XII.*

Hiſtoria 1. *Ab gnava Arthritide* vertigo, *Sanguinis miſſione & Alvi ductione vita*.
Hiſt. 2. Vertigo *Arthritica*, *Purgatione in* podagram *mutata*.
Hiſt. 3. Vertiginem, *& in* capite dolorem *faciens* arthritis; *idque uſitate*, *Venæ ſectione & purgatione toties in* articulos *acta*.
Hiſt. 4. Capitis dolor, *&* vertigo *Arthritica ſæpe revertentes*, *ſimili Methodo curati*.
Hiſt. 5. Cephalalgia *Arthritica*, *Phlebotome & Spiritu Volatili in* podagram *verſa*.
Hiſt. 6. *Miaſma Arthriticum in* caput *immiſſum*, vertiginem *&* dolorem *inferens*, *eo revulſum*, *& in* artus *amandatum*.
Hiſt. 7. Cephalæa, & vertigo *Arthritica*, *Medicina pari*, *cum Phœnigmis*, *ſublata*.
Hiſt. 8. Vertiginis *Arthriticæ cum Spirituum depreſſione gravi*, *Curatio*.
Hiſt. 9. *Ex Arthritide* vertiginoſus, *Victu nimis tenui depreſſus*, *interemptus*.

CAPUT XV.

De Apoplexia *Arthritica*.

TRanſitio, I. Apoplexiæ *hujus Mos*, *& Medicinæ propria*, II. *Morbi iſtius explicatio*, III. *Morbi ex Symptomatum Ordine inveſtigatio*; IV. Subjectum *Cerebri Cortex*, V. *Cauſa continens*, *Vaſculorum in* cerebri cortice dilatio; *vel* lentor *Sanguinis*; *vel Miaſma* tubulos *ſubintrans*, ſpirituſque *cominus aggreſſum*, VI. *Cauſæ* remotæ, VII. *Ex uno miaſmate pendet* arthritico, VIII. *Prognoſis*, IX. *Curatio propria*. X. *Prophylaxis*, XI. Apoplexiæ, *a Cauſa Arthritica*, ſymptomaticæ *Curatio*, XII.

Hiſtoria 1. *Vertigo Arthritica*, *cum impendente* apoplexia.
Hiſt. 2. *Arthritidi repercuſſæ ſuperveniens* apoplexia.
Hiſt. 3. Somnus, *ab Opiato profundus*; *ipſa propemodum Mors*.
Hiſt. 4. *Arthritis*, *ex* acidorum *uſu gravior*, *in* apoplexiam *deſinens* ſymptomaticam.
Hiſt. 5. Apoplexia arthritica *feliciter curata*.
Hiſt. 6. Apoplexiæ *ut occurratur* arthriticæ.

CAPUT XVI.

De Paralysi *Arthritica*.

Materia nunc in meditullii tubulis *fistit; unde* apoplexia idiopathica, I. *Sæpe ad* tubulos nervinos *propellitur; unde* paralysis arthritica. II. *Fieri potest, vel a Materia* viscida, *vel a* virulenta, III. *Causæ ejus remotiores*, IV. *Morbi* εἶδος, *pro ratione Partis affectæ, varium*, V. *Ejus Differentiæ*, VI. Typos *habet aliquando* paralysis hysterica, VII. *Prognosis*, VIII. *Therapia peculiaris*, IX. *Prophylaxis*, X.

Hist. 1. *Cephalalgia Arthritica, cum* paralysi incipiente, *curata.*
Hist. 2. Hemiplegia *Arthritica simili modo curata.*
Hist. 3. Paralysis *Arthritica, cum* spasmo oris cynico, *lethalis.*
Hist. 4. *Colica Arthritica in* paralysin *degenerans Arthriticam.*
Hist. 5. *A Materia* colicæ *Biliosa, primum* arthritis *& deinde* paralysis.
Hist. 6. *Ob* arthritidem, *in* nervos *inversam*, Ἀφωνία.
Hist. 7. *Ex Morsu Canis, Arthritidis rectæ Silentium, Stupiditas*, paralysis, *Arthritide denuo facta Regulari, curata.*
Hist. 8. Convulsiones, *ex Arthritide inversa, universales arte Medica sublata.*

CAPUT XVII.

De Doloribus *in Corpore vagis, fixis; de* Ophthalmia; *de* Erysipelate, *&* Achoribus *Arthriticis.*

Transitio, I. *Horum quis Dolorum Mos*: *Rheumatismi nomine vulgo delitescunt* vagi. Fixi *nunc quasi Nephritici; nunc Oculos, Faciem, Aures occupat Miasma, & Ophthalmiam quandam, Erysipelas, Achores inducit. Achores Arthritici vices aliquando tenent Arthritidos summe Regularis*, II. *Affectus hi, periculo magnam partem expertes, ad regularem arthritida propius accedunt. A Trunci Ambitu varius, quam ab Artubus, ad ea, quæ intus sunt, transfertur Arthritis*, III. *Harum Anomalarum Medicina communis, propria. Nullus ob Achores excitandus Articularis Dolor*: *quod de una hac* anomala *proponendum*, IV.

Historia, Achores, *ab Arthritide, in alio Corpore generati.*

CAPUT XVIII.

De Epiphora, *&* Dolore Dentium *Arthritico.*

De dolore dentium exquisito *scripsit* Strobelbergerus, I. *Ejus Arthritici Mos & Natura*, II. *Quæ istorum Affectuum Medicina communis; quæ eorum singula propria*, III. Historia.

Dentium Dolor *Arthriticus.*

CAPUT XIX.

Corollaria *continet, cum* Epilogo.

Dissertationis summa, I. *Hujusmodi Medicinæ quæ necessitas*; arthritis *raro occidit* regularis, *raro nisi prius degenerans in* anomalam: *ita vero creberrime*, II. *Siquis hasce* anomalias, *Partium affectarum morbos esse Vernaculos affirmaverit, nostram hac de re Doctrinam minime convellet*, III. *Aliæ sunt* arthriticæ *minoris Ordinis* anomaliæ, *propter obscuritatem prætermissæ*, IV. V. *Epilogus.*

FINIS.

MECHANICA
MORBORUM;
ET
MEDICAMENTORUM,
AUCTORE
JOANNE-BAPTISTA MAZINO
BRIXIANO,
In Gymnasio Patavino Medicinæ Practicæ Professore.

QUIBUS ADJECTÆ SUNT

ANTONII COELESTINI COCCHII *Epistolæ Physico-Medicæ*, & BARTHOLOMÆI BOSCHETTI *de Salivatione Mercuriali Dissertatio Physico-Medico-Mechanica*.

Universum motus est, & aliud præter motum nihil; motus vero species duæ, & multitudine quidem utraque infinita: potentia autem altera in agendo, altera in patiendo versatur, ex harum congressu, compulsuque mutuo effectus eveniunt numero infiniti. Plato in Thæeteto vel de Scientia.

Quæ moventur, aut natura moveri omnia, aut vi, aut voluntate. Cicero de natura Deorum Lib. 2.

MARIÆ

MARIÆ VIRGINI DEIPARÆ
JOANNES BAPTISTA MAZINUS
D. D. D.

DIu multumque mihi in votis fuit *MARIA VIRGO DEIPARA* Opuſculum aliquod, licet exigua, ſeu nulla verius arte politum tibi donare, ut ſi illud minus pretio, tui certe nominis ſplendore e tenebris vindicarem. At licet ad hoc præſidium comparandum, & ad hanc grati animi ſignificationem præſtandam voluntas ſtudioſa compelleret: dignitas tua, & amplitudo, & majeſtas terris, & Cælo verenda retrahebat, quaſque dabat neceſſitas vires, timor adimebat; ſerviendum tamen neceſſitati putavi, tuique nominis aliqua ſaltem ex parte augendam gloriam, quo nihil utilius, nihil jucundius, nihilque ſuperis omnibus charius agi poteſt: His de cauſis Opus hoc meum de *Mechanica Morborum* deſumpta e Motu ſanguinis, tibi dedico, conſecroque, vel potius adfero, quod tuum eſt; cum revera, quodcunque ſit, tibi acceptum referam; ut enim Divina tua ope mihi ſcribenti ſemper adfuiſti, tu lucem ingenio, tu intelligendi vim menti addidiſti, omnibus illis difficultatibus ademptis, quæ ab hoc ſtudio me abducere potuiſſent. Tuo fretus patrocinio (non enim video, cur etiam tecum loquens, non ea commemorare beneficia paſſim, quæ a te accepi, cum præſertim memores, gratoſque homines eſſe velis, ſintque fortaſſe hæc quæ ſcripſi lecturi nonnulli, quorum animos ad Præceptorum meorum memoriam impenſe ſtudeo revocare) tuo, inquam, fretus patrocinio me ad Patavinam Academiam totius Italiæ nobiliſſimam contuli, ut a præſtantiſſimis Magiſtris ad Medicinam faciendam inſtituerer; Atque adeo tua mihi favit clementia, ut Celeberrimos illius Lycei repererim Magiſtros *Dominicum Gulielminum*, *& Antonium Valliſnerium*, modo *Cæſaris Archiatrum*, quorum quidem præſtantia Mathematicis, Philoſophicis, & Medicis, quæ ediderunt, operibus longe lateque perſpecta eſt. In Patriam deinde reverſus ad Clariſſimum Virum *Cyprianum Benaleam* Sanctiſſimæ Caſſinenſis Congregationis Monachum acceſſi, ab eodemque maximarum rerum ſcientia ornato Geometriæ principia aſſiduo labore didici, ſed tanto viro diu mihi frui non licuit, illum enim ſibi Patavinum Gymnaſium tanquam jure ſuo popoſcit, Legum Interpretem futurum: tanto hoc Præceptore, & tam ſubito deſtitutus, mœrens quærebam, quomodo incepta Geometriæ ſtudia utiliter proſequi poſſem, cum tu tandem *AUGUSTISSIMA CÆLORUM REGINA* intra illud, quod tuum eſt, tuoque a nomine nuncupatur Gratianum Collegium, Diſcipulo Magiſtrum, & Geometriæ Alumno dediſti Præceptorem Geometram *Julianum ſcilicet Bornatum* doctiſſimum, integerrimumque ex præclariſſima Societate Jeſu Presbyterum. Is ex Nobili Bornatorum familia natus omni prorſus literarum ſcientia fuit ornatus: nam & excellens Philoſophiæ & Theologiæ Magiſter, & bonus Poeta, in obſcuris vero & reconditis, & multiplicibus, ſubtilibuſque Mathematicis diſciplinis ita perfectus extitit, ut fere nunquam ei ſcientiæ ſtuduiſſe videretur, quin quod voluerit conſequutus ſit: Modeſtia præterea, animi demiſſio, vitæ probitas in illo fuerunt ſemper, tum a ſuis, tum a cunctis noſtræ Civitatis ordinibus, tum a me præſertim, qui familiariter cum illo agebam, perſpecta, & cognita. Is per aliquot annos me Geometriæ præceptis imbuit, & diutius etiam imbuiſſet, niſi repentino, boniſque omnibus acerbiſſimo fato functus ſui deſiderium ægerrime ferendum reliquiſſet; quod ſi ingenium mihi fuiſſet tanto Præceptore dignum, & in id ſtudium incumbendi otium quotidianæ Medicæ vitæ rationes dediſſent, & tuis melius uſus fuiſſem *VIRGO* muneribus, & magis Præceptorum gloriam amplificaviſſem. Pudet me quidem, *VIRGO SANCTISSIMA*, tot a te auctum beneficiis, negligenter adeo mihi conſuluiſſe, ut ingrati animi notam nulla ex parte valeam evitare. Cum igitur nullus alius reſtet tibi gratiæ referendæ modus, quam ea tibi reddere, quæ tua ſunt, opuſculum hoc excipe, quod pluribus nominibus tibi deberi intelligo, neque omnino felicem eſſe putabo, ſi & munus, & donantem non contemnas; hoc unum te etiam, atque etiam rogo, ut impoſterum ſtudia, animum, meque totum dirigas, ut tibi ſemper, & Cælo vivam; in hoc enim uno vera invenitur felicitas; cumque me jam ex magna hujus maris jactatione beatam terram attingentem aſpicies, illud oro, obteſtorque, *MARIA VIRGO DEIPARA*, ut & tempeſtatum vim ſuperare, & prædonum impetus frangere per te poſſim.

BENEVOLIS MEDICINÆ TYRONIBUS.

CUm ſapientiſſimo hoc Sæculo mira legerim a Celeberrimis Viris elaborata, quæ Naturæ opera Geometrice & Mechanice agerent, cumque Medicam Praxin agens ſæpiſſime obſervaverim plurima morborum Phænomena a Sanguinis motu eruta, ſcienter explicari non poſſe, niſi Mechanicæ leges operam & manum traderent; propterea ſtudui melioribus, ut puto, conjecturis Mechanicas plurium morborum cauſas a ſanguinis motu venari: Præcipuum itaque hujus operis officium eſt, multorum morborum cauſas quærere tantummodo a motu ſanguinis, impoſterum daturus operam, ut reliquæ etiam morborum ſpecies a Mechanico ſolidorum motu quoad potero eruantur; Ibi tamen monendum eſt, me non ubique morborum cauſas Mechanicis legibus acturum, cum non ubique apte poſſint convenire; hæ ſiquidem non coacte vocandæ ſunt, ſed ſolum, quas naturalis ratio loci commode poſtulaverit; Quamobrem laborem hunc, quamvis laconio ſermone exaratum tres in partes, claritatis gratia dividendum putavi; in quarum prima, præcipuos Maſſæ Sanguineæ motus indicandos aggredior; in ſecunda Pulmonum morbos; in tertia Ægritudines extra regionem Pectoris a vitiato motu ſanguinis orituras raptim oſtendo: Hac Methodo ſperandum credidi, me, ſi non vera aſſequi poſſem, ſaltem in tam arduis Naturæ phænomenis probabiliora aſſecuturum: Interim Tyrones benevoli hæc quamvis plana, & Tyronibus accommodata, patienti animo excipite; quærenda enim Veritas eſt.

MECHANICES MORBORUM

PARS PRIMA,

DESUMPTA A MOTU SANGUINIS.

DISSERTATIO PRIMA.

Ulgare, ac tritum adagium est apud Philosophos, quod *ignorato motu ignorari naturam necesse est*: propterea cum mechanicam morborum Theoriam, quantum possibile est, eruere a natura decreverim, consultum fuit primo, hanc a sanguinis motu venari: Etenim cum massa sanguinis quorumcunque humorum origo sit, ac basis, ex qua actiones omnes emergunt, sive sanæ, sive ægræ, procul dubio ex æqua, aut mala ratione motus massæ sanguinis, quoscunque pariter humores, aut æquo, aut iniquo motu moveri necesse est: junctis itaque motuum viribus, qua ratione natura aut pati, aut feliciter sustineri debeat, juvat inquirere; quare ibi visa est mihi congruere Platonis sententia in Timæo, *Oportet mentis, & scientiæ amatorem principales sapientis naturæ causas quærere, eas quæ necessario ab aliis quidem moventur, alia vero movent*. De universali itaque motu massæ sanguinis per arterias, ac venas acturus, quantum rationalis conjectura docuerat, necessarium putavi sedulo studium agere, ut primo intestinus particularum, seu elementorum sanguinis motus inquiratur; hoc enim cognito quid boni, quidve mali ferendum sit, quoties, aut naturalis motus, aut præternaturalis extiterit, licebit facile invenire; intento juvabit sanguinei fluidi analysis; cum autem injuria tentaverint Philosophi texturam sanguinis vocare ad trutinam, adhuc per vasa circulantis, oportuit celeberrimum Lewenhockium, sanguinem mox a vena extractum curioso microscopio rimari. Sanguis itaque duas in partes separari visus est, quarum una *fluida* est, *concreta* altera. Pars concreta duplici videtur parte componi, quarum una albescens est, aut subflava, quę ex fibris invicem complicatis retis in modum stringitur, & reticulare sanguinis crassamentum constituit; hoc ipsum observarunt celeberrimi viri Boileus, Bohnius, & Malpighius: ex fibris autem reticulariter positis efformantur areæ, seu interstitia, per quæ serum sanguinis, & globuli rubri decurrunt. Altera pars concreti sanguinis rubicunda est, quæ tota ex mininis globulis determinato ordine commixtis componitur; hujusmodi autem rubentes globuli ex aliis globulis coagmentantur invicem superstratis, qui docente Lewenhockio a propria figura plano-ovales appellantur; isti natura sua albiculantes sunt, & diaphani; cæterum si plures invicem superponantur, quotum numerus globulorum superpositus senarius sit, tunc purpureum colorem figurant; si vero plures supra senarium numerum accumulentur globuli plano ovales, tunc ruboris saturitas, & color subobscurus excritur; ex his planum est invenire, cur in aliquibus cancris, & nonnullis piscibus sanguis albescat; etenim cum in hisce numerus globulorum plano-ovalium superstratus a senario numero multum deficiat, opus est, colorem non purpureum, sed albicantem figurari.

2. Altera pars sanguinis, quæ *fluida* est, serum appellatur, quod, & ipsum duas in partes dividitur: una quidem concrescibilis est, & serum concrescibile a Medicis appellatur, eo quia igni expositum post integram fere evaporationem relinquit gelatinosam substantiam, quæ continuato calore in osseas, & consimiles lamellas densatur. Hujusmodi autem seri concrescibilis portio juxta nonnullos non distinguenda videtur a fibra reticulari crassamenti sanguinei superexpositi; alia vero pars fluida est tenuissimæ aquæ simillima, quotiescunque naturali jure se habeat, aliquando vero turbida est, aliquando flavescens, cum a naturali statu recesserit, aliquando autem lactescens, quoties chylo nondum subjugato misceatur. Serum hoc sanguinis, observante Malpighio, si supra vitrum exsiccetur, donat in ejus superficie, & vitriolica, & aluminosa, & tartarea, & nitrosa, & salso muriatica, aliorumque generum salia; præterea ex Boilei experimentis judicandum putat doctissimus Gulielminus partem serosam, seu fluidam esse ad partem consistentem sanguinis in ratione tripla, seu ut 3. ad 1. Ulterius ab instituto deficerem, si negligenter omitterem, globulos rubros elaterio donatos esse, observante enim Lewenhockio, sanguinis globuli transeuntes per quaslibet locorum angustias pressionem patiuntur, ut figuram prorsus mutent, ovales enim fiunt, & cuicunque pressioni se se eleganter accommodant, tandiu postea pristinæ figuræ restituuntur, quoties separatis angustiis ampliori in spatio devolvantur. Cum itaque animal aere, & chylo indigeat, ut vivat, & in aere, & chylo cujuscunque generis corpora salina, sulfurea, terrea, aquea &c. recondantur, jure optimo credendum est, massam sanguinis ex aere, & chylo compositam, ab aere, & cibo cujuscunque generis corpora mutuari; hæc autem suas habent moles, & figuras, & unicuique concessa est peculiaris ratio motus, & situs, juxta naturalem molis, figuræ, & gravitatis specificæ exigentiam. (*a*)

3. Hæc omnia Philosophis, & Medicis communia sunt, & prout a Boilei experimentis confirmata tuto omnes exceperunt; Verum cum particulæ sanguinis tribus præcipue motibus naturaliter affici mihi semper visæ sint, quibus animalis œconomia continuo, & mirum in modum volvitur, & sustinetur; quorum primus *motus pressionis est, seu impulsus*, secundus *separationis*, tertius vero *assimilationis*: propterea præcipua horum motuum, tum naturalia, cum præternaturalia phænomena inquirere prius necesse est; itaque quod ad *pressionis, seu impulsus motum* pertinet, quem in canalibus sanguiferis alte sustinet massa sanguinis, tria conspirant; *motus nempe cordis; arteriarum systoles seu constrictio*: & *vis elastica elasticarum particularum* massæ ejusdem. Itaque apertum est omnibus, cor a fibris varii generis undequaque circumseptum quacunque systole urgere sanguinem in arterias, qua alternatim recurrente impulsus sanguinis antecedentem premit homologo impetu, dummodo omnia naturaliter se habeant; quare successiva actione sanguinis impellentis, & reactione ejusdem impulsi componitur quædam ratio motus, quæ universa elementa sanguinis quaquaversus premens arterias conice euntes extrorsum aperit. Licet vero momentum cordis assequi posse non solum arduum sit, verum etiam pene impossibile, ut inferius (n. 15.) patebit; nihilominus certum est fore validissimum: etenim cor non solum sanguinis quantitatem certa cum velocitate debet expellere, verum etiam separare debet resistentiam, quam sanguis præcedens per omnes arterias fluens secuturo opponit; ulterius adest resistentia attritus massularum sanguinis cum internis parietibus, curvaturis, & angulosis inclinationibus vasorum, & resistentia tenacitatis massæ sanguinis, ex quibus omnibus necessario componitur ea ratio reactionis contra vim cordis, quæ nisi a validissima actione, aut validissimo momento cordis vincenda est. Impellitur itaque sanguis a validissimo motu cordis, & impulsus sanguis tot resistentias inveniens elasticas arterias necessario extrorsum urget, quoties vero arteriarum dilatatio eo devenerit, ut dilatari naturaliter arteriæ ultro non possint, cogentur lege elasticorum corporum ea ratione contrahi, qua antea fuerant dilatatæ; post dilatationem itaque contrahuntur arteriæ, a qua contractione novam sustinet pressionem massa sanguinis, urgenturque versus axem canalis arterioli contenta elementa massæ ejusdem: ibi tamen animadvertendum est, quod sicuti majores arteriæ cordi viciniores, tum ratione majoris impetus, quem a proximo corde excipiunt, cum ratione majoris quantitatis sanguinis, quam cæteris paribus majores arteriarum sectiones amplectuntur, quacunque systole majori momento dilatantur: ita vicissim majori quoque momento proportionaliter contrahuntur; quare in hisce majoribus præcipue arteriarum sectionibus probabile putaverim, massam sanguinis non solum ex glutinosis, ac viscidis, verum etiam ex tenuibus, mobilibusque particulis permixtam a contractionis momento sanguinis massulam versus centrum canalium deferri quidem debuisse, hac tamen servata lege, ut tenuiores particulæ facilius, ac citius, glutinosæ vero, ac viscidæ difficilius, ac tardius versus axem deferantur. Verum in minoribus canalium sectionibus, & præcipue in mininis arteriis a corde remotioribus, in quibus actiones, & reactiones facilius accedere possunt ad rationem æqualitatis, & elastica vibratio, seu constrictio adeo infirma est, ac tenuis, ut fere nulla videatur, aliter res agi videtur; etenim cum his impetus a corde exceptus multum imminutus sit, & pauca adsit quantitas sanguinis, glutinosæ propterea, ac viscidæ particulæ ob elasticæ contractionis inertiam a vasorum parietibus difficulter recedunt: quin imo his facillime adhærent: fluentibus interea feliciori motu subtilioribus particulis per lineam axis. Quamobrem facile est credere in majoribus præcipue arteriis cordi proximioribus elementa sanguinis a majori vibratione earundem magis magisque pressionem, ac impulsum pati debuisse. Ulterius impulsus, sive impetus promoventur a momento particularum elasticarum, contentarum in massa sanguinis; etenim cum in hac præter globulos plano ovales adsint corpora aerea, & alterius fortasse generis, quæ elasticis viribus prædita sint, cumque elastica corpora ad eam figuram se se restituant, a qua prius vi pressionis recesserant; certe solidis durisque particulis permixta tantum dilatari quamproxime debent, quantum a massularum durarum momento pressionem exceperint; deinde cum dura, & solida corpora quocumque loco tangere, ac premere possint elastici corporis superficiem, quaquaversus quoque elastica corpora compressa urgebunt, impellentque solida, quapropter duræ, & elasticæ particulæ invicem commixtæ prement, & prementur, urgebunt, & urgebuntur, sicque tota massa sanguinis a motu cordis, a contractione arteriarum, & ab elastica vibratione particularum sanguinis quaquaversus pressa mutus impulsibus continuo erit in arteriis agitanda, ut quoque circulationis motu volvatur.

Tres fasciculi motus in massa sanguiferæ.

4. Hujusmodi motus pressionis valde necessarius est in arteriis, ut debita fiat corporum contentorum in massa sanguinis resolutio; enim vero cum sanguis sit fluidum viscidum ex cohærentibus solidis, fluidisque particulis in data (n. 2.) ratione compositum, certe filamenta sanguinis, cum per minimas canalium sectiones usui naturæ trajici facile debeant, reducenda procul dubio prius erunt sub dimensionibus quodammodo infinite parvis: huic autem operi apprime conducit iste pressionis motus; etenim massulæ corporum, aut similium, aut dissimilium undequaque impulsæ a se invicem paulatim sejungi conantur; rumpuntur enim continuo motu pressionis nexus earundem inter se, & quæ primo compositæ fuerant, minus compositas paulatim fieri necesse est; verum cum massulæ quælibet magis magisque minuantur, quam earundem superficies, & massulæ cæteris paribus sint ut pondera, colligi potest, hujusmodi solida sub minori mole reddita, & sub minori pondere a sero sanguinis circumambiente ob majores massularum relictas superficies facilius sustineri; deinde motus pressionis concrescibilibus seri filamentis utilissimus est: motu enim pressionis atteruntur, & scinduntur filamenta sanguinis, minusque resistentia fiunt, ut, a cæteris particulis hinc inde agitatis facilius trajiciantur, unde serum fluidius redditum opportunæ mixtioni suspensorum corporum apte conducit:

(*a*) Vide Lewenhockium, & Gulielminum de natura & constitutione sanguinis.

cit; licet autem fluidioti in sero suspensa invicem misceantur, nihilominus hujusmodi mixtio non prohibet, quin data loci opportunitate a se invicem separari facilius possint, etenim solida, & viscida corpora taliter resoluta sub minori mole, ac pondere, quaquaversus prompta ad motum facile fiunt; quamobrem taliter disposita corpora non solum separationi exequendæ facilius accommodantur; verum etiam una cum sero per angustissima, tum vasculorum, cum glandularum foraminula permeare liberius, commodiusque possunt; Porro tali resolutionis opere elementa sanguinis una cum sero ad quandam æquilibrii rationem acquirendam disposita fiunt. Verum cum tota naturalis æquilibrii proportio in proportionali numero, pondere, mole, ac motu corporum cum debita pariter seri quantitate, in qua libere innatare debent, experimentis ac rationibus niti videatur; ideo præstat ibi primo animadvertere, quod si sulfureæ, salinæ, aut alterius generis seu consistens portio sanguinis fuerit ad partem serosam, seu fluidam in ratione 1. ad 3. ut Illustris. Boyleus, aliique celebres Philosophi toties in naturali massa sanguinis experti sunt; tunc facile emerget unum naturalis æquilibrii attributum, nempe debitus corporum numerus; tali enim numero partium determinatarum sustinetur non solum debita contiguitas corporum mobilium in massa sanguinis, verum etiam specificum, & naturale pondus eorundem, quo corpora quælibet debita seri quantitate velut in statera æquilibrantur: moventur siquidem undequaque massulæ omnes, sed tali lege, ac proportione contactus, mixtionis, ac ponderis cum aqueis particulis, ut aquea portio ad solidas, seu consistentes particulas sit semper in ratione tripla, aut quasi tripla; ita ut remaneat quantitatis aquæ ad quantitates solidas, aut consistentes hæc determinata ratio majoris inæqualitatis, quæ est inter 3. ad 1. Non solum autem necessaria est hujusmodi ratio inter fluida, & solida, seu consistentia corpora; verum etiam necessaria proportio esse debet inter solida corpora unius generis, & solida corpora alterius, videlicet inter salina, & sulfurea, & alterius cujuscumque generis inter se; quæ ratio licet determinari nullatenus possit, nihilominus certum est tantorum corporum proportionem inter se admitti debuisse, ut natura motus suos æquabiliter regat; sic enim inter aggregatum horum corporum fieri quodammodo proportionis æquilibrium, quo in statu naturali serum cum aliis corporibus, & hæc cum sero, & inter semetipsa solida, & consistentia corpora determinatam corporum, & momentorum numero, pondere, & mensura proportionem sustineant. Cæterum si corpora sulfurea, salina, & alterius generis tali numero excedant, ut supra serum expositam proportionem superent, tunc hujusmodi corpora serum undequaque tali amplexu nimis stringent, ut tandem quodammodo obruant: sic massa sanguinis excedenti parcium numero densior facta, & cum densitates sint ponderibus proportionales, gravior quoque reddita, a debito momentorum æquilibrio recedet; tali propterea vitio correptus sanguis tardiori pede fluet, & consequenter facile deponet corpora, obstructiones in glandulis, & finitimis vasorum osculis inflammationes paratura. Ulterius cor alte laborat sanguinem graviorem expulsurum, & musculi inerti motu peristaltico progredientes tractu temporis innumera mala parturient; ita etiam si hujusmodi corpora non solum numero, verum etiam dissimili mole, ac figura peccaverint, nec per excretorias glandulas, quantum par est, a massa sanguinis separentur, tunc cum ista ad cætera corpora numero, mole, & figura naturaliter se habentia majorem rationem habeant, necessario ex tot dissimilibus corporum momentis auferetur debita æquilibrii ratio, quæ justam sanguinis temperiem, & debitum motum constituit, unde febriles motus procul dubio emergent, chronici, utplurimum, & intermittentes; Ita gravius fortasse vitium aliquando fuerit, si solida corpora salina præcipue numero minora fuerint, quam par est; tunc enim massa sanguinis levior, mobiliorque facta, magisque prompta ad motum, & supra modum exaltato ulterius sulfure ruet in motus citissimos, nullaque lege mota continuas febres erit allatura.

5 Quamobrem necessaria supramodum est *Proportio motus corporum*; etenim corpora contenta in sero sanguineo tali ratione, ac lege moveri debent, ut cæteris paribus motus corporum in uno spatio vasorum sit proportionalis motui corporum in alio spatio eorumdem, & sic successive; quare quilibet motus corporum in uno spatio vasorum similem rationem habere debet ad quemlibet motum corporum in alio spatio, ut omnes motus corporum simul sumpti in uno spatio vasorum sint homologi omnibus motibus corporum simul sumptis in alio spatio eorundem; sicque cum particulæ aquæ corporibus quibuscumque circumpositæ sint, hæ proportionali impetu impulsæ proportionalibus quoque momentis movebuntur, ut tota massa sanguinis cæteris paribus homologo semper pede decurrat æquo naturæ beneficio. Ulterius ut habeatur proportionalis ratio motuum, necesse est corpora specifice leviora, eo quantitate, ac numero gravioribus minora esse, quo leviora cæteris paribus velociora sunt, magisque ad motum disposita; sic enim data tali ratione reciproca quantitatis corporum cum eorundem velocitatibus singulorum corporum momenta, ac vires debita ratione æquabuntur, quibus momentis massa sanguinis æquilibrata æquabiliter motus suos exercebit cum actionibus inter se æquabiliter proportionalibus; Verum si aliqua corpora quantitate, & motu majorem rationem habeant ad alia, manifestum est, quam facile momentorum rationes inter se dissentire debeant, quamobrem massa sanguinis multiplicibus momentorum legibus inæqualiter agitata febriliter moveri conabitur. Serum quoque non leve vitium affert, quotiescunque aut deficiat, aut excedat; sero enim deficiente, cætera corpora forti nimis contactu, ac amplexu inter se stringuntur, ut motus suos exercere libere quaquaversus inepta sint, adepto ex majori corporum contactu, majori pariter momento densitatis, & gravitatis; si vero excedat, contenta corpora majoribus in spatiis natant, nec eam legem opportuni contactus inter se servare apta sunt, quæ naturali fluido sanguineo necessaria est; laxata propterea textura sanguinis in excedenti seri copia salina corpora sub minimis dimensionibus reddita nimium exolvuntur, & sulfurea in statu inertiæ reddita inepte pigrescunt innumeris naturæ periculis; languescunt enim fluida omnia, & solida quælibet enervantur: super omnia lædunt naturalem proportionem motus sanguinis sulfureæ massulæ, quoties harum excessu momentum sulfuris momento seri majus fuerit; tunc enim sulfureæ massulæ sero copulatæ compositum efficient majori superficie circumscriptum, quam serum ipsis corporibus æquipondrans, & consequenter ex hydrostaticis tale compositum levius fiet quam par est, quare serum & sulfur motibus facile præternaturalibus adeo movebuntur, ut communicata cæteris quoque corporibus agitatione, tota quanta est massa sanguinis violento motu volvatur: fovet ultro impetum vis elastica globulorum plano-ovalium, quæ licet determinari vere non possit, tamen magnam esse certum est; etenim si in hac re liceat philosophari, cum calor præternaturalis in sanguine fiat utplurimum a causis quibuscunque externis particulas præcipue sulfureas sanguinis agitantibus, (*a*) cumque calor consistat in concitatiore particularum motu, sitque calor, ut impressiones particularum corporis alidi in quopiam objecto corpore calorem excipiente; impressiones vero sint in ratione composita ex duplicata celeritatum, & simpla densitatum particularum calidarum, proculdubio etiam calidæ sanguinis particulæ concitatiori motu agitatæ ab externa causa probabiliter accedent ad talem rationem compositam ex duplicata velocitatum, & simpla densitatum earundem; quamobrem calidæ præcipue sulfurum massulæ tali ratione urgebunt objectas, & sibi proximas globulorum plano-ovalium particulas: cum autem istæ elaterio ulterius præditæ sint, vi cujus compressæ conatus suos exercent, ut ad majus spatium & ipsæ extendantur; idcirco clarum est, quantum extendi, & ad quanto majora volumina dilatari debeant plano-ovales particulæ, quoties a sanguinis particulis alte agitatis, & præcipue a calidis sulfurum massulis in exposita ratione urgeantur.

6. Ex hisce vitiis ardentes & acutæ febres supra modum sine frigore, utplurimum soboleseunt, tandiu duraturæ, quandiu sulfureæ particulæ per loca excretoria separatæ fuerint, aut transpirationis opere alio fuerint evolatæ, usque dum remaneat ea tantummodo sulfuris quantitas, quæ cæteris paribus juxta naturale æquilibrium primo fuerat proportionalis. Ex his animadvertere facile est, quod si principia, quæ primo vitiose exaltantur, non sint sulfurea, sed salina, aut alterius generis, quorum naturalis dispositio ad motum minor sit, quam velocitas particularum sulfuris; tunc cum salina corpora cæteris paribus sulfureis graviora sint, figuris, quibus circumscribuntur nitrosis præcipue, aut nitro analogis membranas cujuscumque generis taliter irritando frigoris & rigoris affectiones primo afferent, sic arteriarum & venarum membranæ irritatæ spasmodicis contractionibus crispantur, ut minoris sectionis fiant; stringitur ptopterea massa sanguinis, ut pulsus eo tempore veluti soffocari videantur, usque dum paulatim exaltato sulfure, & salia ad statum fluoris, aut volatilitatis evecta una cum cæteris particulis immodice moveantur. Ulterius si lympha, aut aqua sanguinis quantitate peccaverit, ut ratio seri ad alia solida & consistentia corpora major sit quam 3. ad 1. tunc depresso sulfure & enervatis salibus sanguinis æquilibrium tollitur sine magno impetu tumultus, inde lenis calor, tenuis frequentia pulsuum sine siti, utplurimum sequi consuescunt, inde lymphaticæ febres exoriuntur. Ex his colligendum putaverim, quocumque loco, ac situ vasorum, aut glandularum basin, aut sedem paroxysmi febrilis locari posse; enimvero si quolibet loco vasorum, aut glandularum per aliquos canales, ut per chyliferos, aut lymphaticos, aut ab aere per pulmones transmittantur corpora in vasa sanguifera, quæ sanguini associata mutent sensibiliter proportionem corporum inter se, aut debitam rationem motus eorundem; tunc necessario vitiose moveri massam sanguinis necesse est, ut tota massa ad majus volumen extensa innumeris asymmetris motibus febriliter agitetur. Ex his quæ dicta sunt, aperte constare potest, hæc omnia facile convenire posse cum iis, quæ de motu agitationis in sanguinea massa celeberrimi Viri, Guilielminus nempe de natura, & constitutione sanguinis, & Michelottus de separatione fluidorum in corpore animali sapientissime docuerunt.

7. Ibi redeundo aliquantisper ad motum pressionis dissimulare non possum, quæ diu suspicatus sum quærens motum sanguinis in arteriis; stetit enim anceps animus, num massa sanguinis a corde impulsa in arterias lineam quandam spiralem describeret, quærendo ulterius, cujus generis futura esset hæc curva spiralis? ad hanc meditationem nonnulla movebant animum, & primo motus cordis sese torquentis; cum enim cor præcipuo fibrarum spiralium momento sanguinem urgeat, & motus impulsi sanguinis dirigi facile debeat juxta directiones impressas fluido ab organo impellente, certe ex corde spiraliter revoluto sanguinem quoque spiraliter movendum esse per arteriarum longitudinem suspicatus fueram; deinde cum arteriæ ipsæ a tribus fibrarum ordinibus vestiantur, quarum primus circularis est, rectus alter, qui circulares secat ad angulos rectos; tertius vero spiralis est, qui referente Diemerbroekio (cap. de arteriis) tum internam, tum externam tunicam obliquis fibris apte munit, qua in re Dominicus quoque Guilielminus (*b*) geometrico & mechanico artificio ductus spirales fibras amplexus est magnis operibus opportunas: itaque sanguis spirali motu a corde suscepto, videtur, eundem aut similem motum per arteriarum longitudinem sustinere: Enimvero relicto corde occurrunt fibræ spirales arteriarum, quæ spiralem motum a corde susceptum ulterius conservare aptæ sunt; deinde cum sanguis relicto corde variis motibus urgeatur eodem tempore in arteriis, quorum alter fit ab impetu cordis, quo per longitudinem arteriæ continuo impellitur, alter vero fit a motu elastico arteriarum, quo sanguis præcipue in majoribus arteriis a circumferentia versus axem transversim impellitur, & cum hisce motibus accedat eodem tempore peculiaris alter motus, quem fibræ spirales earundem contento sanguini alte donant; idcirco ex hisce motibus eodem tempore sanguini impressis emergere videtur motus mixtus ex hisce compositus, qui cum nec totaliter rectus sit, nec omnimode circularis, sed utriusque simul particeps; certe massa sanguinis a spiralibus præcipue fibris ultro mota, taliter moveri debet, ut motum mixtum, spiralem nempe, describere debeat, aut quasi spiralem, juxta quem per arterias imposterum videtur ire debuisse; Borellus quoque per vertiginosos motus (*c*) torqueri particulas, ut recte misceantur indicare visus est; Verum cum in hac re deficiant experimenta, ac necessaria data, quæ meam suspicionem tuto firmarent, reliqui meditationem, contentus hæc tantummodo innuisse, ut futuri geometræ, ac mechanici feliciori ingenio, hu-

(*a*) Per prop. 85. de motu intestino fluid. Hermanni Phorono.
(*b*) De natura & constitutione sanguinis.
(*c*) Alph. Borellus prop. 99. & Scholio Th. 2. de motu Animalium.

hujuſmodi ſpirales curvas fortunata meditatione conentur ſedulo invenire.

Motus ſeparationis. 8. Præcipua preſſionis & impulſus, quæ maſſæ ſanguinis accidunt, beneficia, aut damna huc uſque expoſita ſunt; cum modo, quo ſanguis ab arteriis in varias viſcerum glandulas neceſſario tranet peculiares liquores ſeparaturus: cumque motus corporum continentium contenta corpora tali ratione urgere debeant, homologa, quodammodo motibus corporum continentium, ſuſpicatus ſum, ſanguineum laticem in glandulis peculiarem a ſpecifica glandularum ſtructura motum probabiliter mutuari, ut ſeparanda corpora apte ſecernantur. Licet vero hanc rem celeberrimus Michelottus doctiſſimo opere de fluidorum ſeparatione plena manu tractaverit; nihilominus ſtudii gratia non verebor exponere conjecturas, quæ de motu ſeparationis fluidorum per glandulas probabiles quoque mihi viſæ ſunt, præter ea, quæ ſumma virtute ac ſtudio a tot celeberrimis Viris Leibnitio, Joanne Bernollio, & Bernardo Connoro feliciſſime expoſita ſunt; Antequam autem ulterius proſequar, fateor me pluries ſtuduiſſe, ut naturalem glandularum ſtructuram a celeberrimorum Anatomicorum obſervationibus clare perciperem; verum cum horum obſervationes ancipiti pede ubique hæreant, alii enim vaſculares, alii veſiculares, arteriarum quidem evaneſcentium ramulis, venulis, nervis, & excretoriis canalibus, munitas conjectura potius, quam experimento docuere; quamobrem inter conjecturas Malpighii ſententiam eligendam putavi, quæ glandulam a folliculo membranoſo compoſitam, varioque modo contextam voluit; huic autem ſententiæ videtur quoque aſſentiri Doctiſſimus Morgagnus in epiſtola ad ſupra laudatum Michelottum conſcripta; inquit enim: *Movent enim me ut par eſt graviſſimi Anatomici Malpighii innumeræ obſervationes, movet iſta luculenta Clariſſimi Littrii confirmatio, qui glandulas ſine veſiculis non invenere; has igitur in glandulis reperire neceſſe eſt.* An autem membranoſi iſti folliculi elaborati ſint a dilatatione arteriæ evaneſcentis, aut a membranea quadam veſicula inter arterias evaneſcentes poſita & vaſcula excretoria? ibi anceps non inquiro, cum inſtituto meo utræque res faveant; enim vero (liceat in conjecturis conjectari,) ſi glandulæ iſtæ ſeparatrices elaboratæ ſint ab extenſionibus arteriarum ultimarum evaneſcentium, certe ſagax natura ubique provida talibus fibris munire debuerat, quæ evaneſcentes arterias tanto officio opportunas efficeret, a quarum viribus non preſſionis tantummodo motus fieret, arteriis ubique communis, verum etiam ſpecifica ratio motuum hiſce evaneſcentibus arteriis donaretur, quæ ſpecificæ ſeparationi liquidorum apte inſerviret; & ſane, ſi natura tot viſcera officio diverſa, diverſa quoque figura, ac ſtructura elaboravit, cur evaneſcentes quoque arterias non poterit variis fibrarum ordinibus ultro veſtire, quæ ſpecificis motibus peculiarium liquorum ſeparationi famularentur? Si vero glandulas membraneis veſiculis elaboratas velis, hæ certe a natura ſpecificis fibrarum ordinibus armandæ probabiliter fuerant, quæ peculiaribus quoque motibus peculiarium corporum ſeparationi operam opportune darent. Hiſce præſuppoſitis refert Michelottus, tam celebres viros Leibnitium nempe, Bernollium, & Connorum in eam iviſſe ſententiam, ut crederent fluidorum ſeparationes in quibuſcunque viſcerum glandulis non ea ratione fieri, ut pororum ſimilitudo ſit homologa figuris humorum, ſeu corporum ſeparandorum, ut uſque adhuc a pleriſque judicatum eſt; ſed ſummo conſilio arbitrantur, univerſas corporis noſtri glandulas a primo fœtus exordio peculiari liquore ſaturatas fuiſſe, quæ poſtmodum toto vitæ curſu coguntur ſecernere conſimiles ſuccos illis homogeneos, quibus prima jam formatione fuerint ſaturatæ. Hanc ſeparationis methodum nobiliſſimo, aptiſſimoque experimento confirmant; enim vero facta perfectiſſima miſtione aquæ & olei, ſi velis aquam ab oleo ſecernere, ſufficit chartam emporeticam aqua prius madefacere, cujus una portio poſtmodum immittatur vaſi; tunc enim aqua oleo mixta poros chartæ aqua madefactæ paulatim aſcendet, & per reliquam chartæ portionem extra vas pendulam erit exterius elapſura: Verum ſi oleum ab aqua ſeparare placuerit, chartam emporeticam oleo prius immergere, & per poros chartæ oleo humidos feliciſſime oleum ſeparabis.

9. Præter hæc, quamvis aureo digna ſint voto, peculiarem liquorum ſeparationem in peculiaribus viſcerum glandulis alia quoque methodo fieri poſſe ſuſpicatus ſum: Itaque certum eſt quæcunque animalium viſcera, ut lien, hepar, renes &c. ſuas habere glandulas peculiari, & ſpecifica textura ac figura donatas; alia ſiquidem eſt figura & textura glandularum hepatis, alia lienis, alia glandularum renalium figura & modus, & ſic de cæteris. Ulterius hæc diverſa glandularum modificatio determinatur a diverſo ordine ac textura fibrarum muſcularium, nervorum, & membranarum; muſculares enim fibræ, nerveæ, & membranoſæ, quæ renales glandulas texunt, diverſam habent directionem & vario excurrunt ordine, ac fibræ nerveæ, muſculares, & membranoſæ, quæ hepaticas, & lienares glandulas conſtruunt: Hæc omnia obſervante Malpighio aptiſſime confirmantur (pag. mihi 225.) Animadvertit enim in hepate, quod *glanduloſi acini, quibus lobulus componitur, cum peculiarem circumſcriptionem habeant, neceſſario propria & ipſa figura, quæ ut plurimum hexagona eſt, vel plurium laterum:* Idem de liene (pag. 300.) oſtendit, quod *minimæ hæ glandulæ fiburam habent ovalem.* De renibus vero (pag. 279.) clare aſſerit *In homine, aliiſque conſimilibus, levis undequaque ab omnibus licet deſcribatur ren, attamen aliquando in adultis, & ſæpe in fœtibus manifeſto ejuſdem compoſitio eluceſcit cum exiguis portionibus altis rimulis ſejunctis conglobetur, & in adulto etiam perpetua interius hujus diviſionis permanent indicia, diligenti etiam indagine aſperam, & ulterius ſemidiviſam obſervavi hujus ſuperficiem, quod tamen ut clarius pateat, animalium nuperrime natorum renes ſunt excutiendi; in his enim lobuli quidem multiplicium laterum emergunt rimulis circumſepti, quæ aucta, & provecta animalis ætate, licet fere obliterari videantur, eorum tamen veſtigia adhuc ſuperſunt, varioque diſtinguuntur colore; nam rubedinem, vel etiam immiſſi liquoris per arterias, vel venas colorem referunt, & etiam contenti lobuli, ſive renum exiguæ portiones, quæ carnis colorem remiſſiorem retinent, ab his circumambiuntur: hæ renum ſubdiviſiones non in ſola ſuperficie excitantur, ſed intime etiam penetrantes carnis aliqualem diſtinctionem efficiunt; in bobus enim, exaratis ſuperius brutis, & in ipſomet homine colle&iones illæ inſignes conſpicuis foveis in aliquibus brutis circumſcriptæ tandem interius peculiarem figuram, & exactam diſtinctionem habent, videnturque referre plurium laterum Pyramidem, quæ præ cæteris patet in teſtudinum renibus, & interius in ipſomet homine, &c.* Deinde hæc diverſa fibrarum directio, diverſus ordo, & varius figuræ & texturæ modus neceſſario afferre debet glandulis diverſimode elaboratis peculiarem quoque glandularum motum ſingulis glandulis proportionalem; peculiari itaque, & ſpecifico motu moveri debet vi fibrarum ſpecifice glandulam componentium renalis glandula, peculiari quoque vibratione lienaris, & hepatica.

10. Hiſce præhabitis, eligamus ibi glandulas hepatis, ſimili enim ratiocinio de cæteris quoque viſcerum glandulis proportionaliter licebit philoſophari. Cum hujuſmodi glandulæ ſint bilioſarum particularum ſeparationi deſtinatæ, in has bilioſas particulas ferax ſanguis ab evaneſcentibus hepaticis arteriis effunditur; ibi tamen cogitur ſequi motum ſpecificum glandularum continentium; in hiſce enim hexagonis glandularum lacunis bilioſæ maſſulæ (numero certe & momento majores cæteris ibi commixtis) inter ſe homogeneæ, ejuſdemque ſuperficiei, & indolis urgentur a ſpecifico, & naturali motu glandularum hepaticarum, ut opportunæ ſeparationi accommodentur; verum cum methodus ſeparationis ab ordine, ac lege motuum maſſæ ſanguineæ glandulam ingredientis habeatur; ideo nonnulla prænotanda ſunt, quæ motuum leges aperient futuræ ſeparationi exequendæ opportuna; Primo itaque ſciendum eſt, quantitatem motus ſanguinis exeuntis a corde una ſyſtole (natura bene ſe habente,) ſemper futuram eſſe proportionalem quantitati motus ejuſdem per foraminulum arteriolæ egredientis, & ingredientis, glandulam eadem ſyſtole, ut tali ratione ſemper fiat glandulæ diaſtoles, cordis ſyſtoli proportionalis: Ut autem hæc obtineri poſſint, notandum eſt, quantitates motus aliquorum per quævis foramina erumpentium, quæ viribus impellentibus proportionales ſunt, eſſe in ratione compoſita ex rationibus duplicata velocitatum, ſimpla denſitatum, & ſimpla foraminum, e quibus erumpunt; (*a*) Iraque cum ſanguis ſit fluidus in ſtatu naturali ejuſdem denſitatis, ejuſdemque gravitatis ſpecificæ, cujus quantitas proportionaliter a momento cordis ſemper impellitur; ideo ſimili lege futura erit quantitas motus ſanguinis, quæ per unum foramen effluit quacumque ſyſtole in ratione compoſita ex ratione quadrati velocitatis ducti in ſanguinis denſitatem, ſeu quantitatem, & ducti in foramen, per quod dato tempore erumpit maſſa ſanguinis; quare ſi quantitas motus maſſæ ſanguinis erumpentis dato tempore e foramine trunci arteriæ vocetur q; foramen vero e quo erumpit vocetur o, quantitas vero, denſitas, ſeu maſſa ſanguinis vocetur m, velocitas vero vocetur u, erit $q = o + m + uu$? Modo certum eſt truncum arteriæ plurimos in ramulos eſſe diviſum: ſi igitur truncus arteriæ ſupponatur diviſus in 20. ramulos, quorum unus in glandulam erumpens ſit vigeſima pars trunci arteriæ majoris; procul dubio motu cordis naturaliter ſe habente, futura quoque erit quantitas motus ſanguinis exeuntis dato tempore e foraminulo rami arteriolæ in ratione compoſita ex duplicata velocitatis, ſimpla maſſæ, & ſimpla foraminis, e quo æquali tempore erumpit, quare erit $\frac{q}{20} = \frac{o + m + uu}{20}$; & cum cæteris paribus quadrata velocitatum ſint ſimilia inter ſe, futura erit quantitas motus maſſæ ſanguinis exeuntis e foramine trunci arteriæ una ſyſtole proportionalis quantitati motus maſſæ ſanguinis exeuntis e foraminulo rami arteriolæ eadem ſyſtole; quare facto analogiſmo, fiet hæc ratio $\frac{q.q}{20} : \frac{o + m + uu.o + m + uu}{20}$. Propterea colligendum, quod cum ſanguis ſyſtole cordis expulſus, ingrediens glandulam hanc proportionaliter dilatare debeat, ſyſtolem cordis, & glandularum diaſtolem eſſe inter ſe proportionales, quare glandulæ quælibet tanquam parvula corda haberi facile poterunt. Porro cum maſſa ſanguinis ingrediens glandulam hanc in data ratione aperiat, ideo glandula a vi, & momento ſanguinis in concava glandulæ ſuperficie determinatam percuſſionem excipiet; cum autem percuſſiones fluidorum ſint ut quantitates motus eorundem, (*b*) & quantitas motus ſanguinis e foraminulo arteriolæ egredientis, & glandulam ingredientis facta ſit $\frac{q}{20} = \frac{o + m + uu}{20}$ erit quoque vis percuſſionis facta a ſanguine ingrediente glandulam, eandemque dilatante, ut $\frac{q}{20} : \frac{o + m + uu}{20}$. Verum cum dilatationi glandularum ſtatim ſuccedat reciproca conſtrictio, eo quia glandulæ quælibet utpote arteriis & venis, nerveis, membranoſis, & muſcularibus fibris contextæ oſcillatorio motu & quadam elaſtica actione, aut quaſi elaſtica tantum conſtringi debeant, quantum antea fuerant dilatatæ, erit vis, ſeu momentum conſtrictionis glandulæ proportionale, vi, aut momento dilatationis; quare glandula in conſtrictione, ſeu ſyſtole urgebit quoque elementa ſanguinis ingreſſi glandulam ſecundum rationem compoſitam ex duplicata velocitatis, ſimpla maſſæ, & ſimpla foraminis, pariter diviſis per 20. Secundo opus eſt fluidum in glandulam delatum non celeri nimis motu agitari, ſed leni, placidoque motu moveri: etenim ut in fluidis ſimilia a diſſimilibus ſeparari poſſint, requiritur ea ratio temporis tanto operi opportuna: verum fluente nimio motu ſanguine, confuſiſque omnibus aufertur ea ratio determinati temporis, quæ proculdubio neceſſaria eſt, ut debita methodo ſecernantur; ſic in quibuſcunque artis operibus, & in chymicis ſeparationibus debita corporum ſecretio non a celeri nimis motu fuidorum, ſed a lento, placidoque motu, ſtatutoque tempore plerumque perficitur; quare ſuppoſitis ſuperioribus cum quadrata decreſcant in ratione duplicata ſuarum radicum, conſtat quadratum velocitatis maſſæ ſanguinis e foraminulo rami arterioſi egredientis & ingredientis glandulam nempe $\frac{uu}{20}$ futurum eſſe neceſſario minimum reſpective ad quadratum velocitatis maſſæ ſanguinis e majori arteria egredientis, nempe reſpective ad uu; quare cum

mo-

(*a*) Per prop. 31. Hermanni & per demonſtrata a Michelotto de ſeparatione fluidorum.

(*b*) Per coroll. ſecund. prop. 42. Hermanni Phoron.

motus sanguinis in glandulis futurus sit minimus, & consequenter lentus, lenis, ac placidus, facile erit similia corpora disponenda esse, ut determinato tempore a dissimilibus separentur. Tertio præstat tanto operi separationis, massam sanguinis ingressam glandulam quacunque systole esse quoque respective minimam, nempe minimo glandulæ continentis spatio proportionalem: enim vero si quantitate præcipue excedat, glandula nimis extenditur & talis, ac tanta fieri potest contra glandulam resistentia, ut glandulæ systoles non ea ratione fieri, ac perfici possit juxta rationem virium, & numeri vibrationum, qualem exigit tantorum corporum separatio. Quamobrem suppositis quoque superioribes, cum massa sanguinis, quæ per ramum arteriolæ effluit in glandulam quacunque systole, sit in ratione simpla cum minimo quadrato velocitatis; necesse est hanc quoque massam quantitate minimam futuram esse, videlicet minimo glandulæ continentis spatio proportionalem.

11. Hisce præsuppositis, cum naturalis systoles seu vibratio elastica glandulæ semper eadem ratione fieri debeat quacunque cordis systole juxta eundem gradum quadrati velocitatis; proculdubio rali quoque ratione urgebit, aut immediato, aut mediato contractu contenta elementa massæ sanguinis; cum autem hujusmodi elementa alia similia, alia vero dissimilia; similia elementa (bilioſa nempe corpuscula) utpote homologas habentia superficies excipient singula percussiones, si non semper, saltem utplurimum supra plana homologa; cum autem corpora similia, ejusdemque generis eadem semper lege motus percussa, superque easdem, aut similes planorum superficies semper impulsa moveri necessario debeant motibus, seu directionibus quoque, aut æqualibus, aut similibus, & juxta exceptas percussiones proportionalibus; proculdubio hæc juxta easdem, aut similes directiones itura erunt susceptis impressionibus proportionales: Quamobrem hæc similia corpora numeto pauca, lente, ac placide mota, eademque lege homologa motuum, ac vibrationum semper mota, impulsa, ac quassata supra homologas planorum superficies, separatis paulatim aliorum corporum dissimilium vinculis, resistentiis, & occursibus, cogentur moveri omnia, aut fere omnia juxta eandem directionem, ita ut versus unam glandulæ partem ac situm convenire paulatim coacta sint: cærera vero heterogenea corpora cum mole, figura, ac pondere dissimilia sint tali, ac specifica vibratione, & fortasse tali, ac ranto vibrationum numero glandularum hepaticarum urgente improportionatas, ac dissimiles dissimilium corporum superficies inæqualiter quoque percussa, inæqualiter movebuntur per directiones pariter inæquales, ac dissimiles, quare hujusmodi corpora dissimilia necessario urgebuntur per diversas ac dissimiles vias, ac directiones per loca pariter diversa glandulæ continentis; unde dissimiles massulæ tali mechanica methodo motuum dissimilium motæ a similibus, bilioſis massulis satis sejunctæ ac separatæ, nullatenus impedient, quin similia & homogenea bilioſa corpora a cæteris separata, qua data porta extra glandulas paulatim eliminentur; non dissimili ratione in Chymicis determinatus caloris gradus, sive specifica ignis actio, aut determinatus ignis momentum a fluido heterogeneo unam substantiam separat ab aliis tali gradui ac momento ignis proportionalem, cum postea cæteræ substantiæ ab alia vi, aut alio ignis, & caloris gradu supersint proportionaliter separandæ: Verum ibi fateor, quod licet specifici motus fibrarum glandularium multum juvent, ut specifici liquotes separentur; nihilominus si cum celeberrimo Leibnitio ultro placeat fibras has supponere probabiliter a primordio generationis specificis liquoribus saturatas, certe felicior secutura erit specifici liquoris, similium nempe a dissimilibus separatio: rali itaque mechanica glandularum structura, & tali specifico motuum artificio una cum specifica liquoris saturatione, cæteræ quæcunque glandulæ suos sibi consimiles succos a dissimilibus apte separare possunt, ut per excretorios postea ductus alibi dejiciantur juxta naturæ recte operantis determinationem: Itaque ex his mirum esset inspicere ordinem ac methodum, qua hexagonæ glandularum hepaticarum areæ proportionali suarum fibrarum motu succos separandos homologe urgent: Cum enim latus seu fibra unius glandulæ hexagonæ sit proportionalis lateri seu fibræ alterius glandulæ hexagonæ, & motus unius lateris sit motui alterius lateris proportionalis, erit latus unius glandulæ ad latus alterius glandulæ, ut motus unius ad motum alterius; quare ex geometricis etunt omnia latera unius glandulæ in statu naturali ad omnia latera alterius glandulæ hexagonæ, ut totus motus unius glandulæ ad totum motum alterius, & permutando erunt omnia latera unius glandulæ ad totum motum hujus, ut omnia latera alterius glandulæ ad totum motum istius; quare omnes motus glandularum simul sumpti erunt omnibus lateribus simul sumptis eorundem proportionales: cum autem ex hisce motibus homologis glandularum fiant impulsus homologi corporum contentorum, propterea etiam impulsus simul sumpti utriusque glandulæ contra contenta corpora erunt inter se pariter proportionales, & consequenter homogenea corpora supra plana homologa excipiendo semper, aut fere semper impulsus similes, aut æquales proportionali quoque methodo, ac ordine a cæteris dissimilibus excipientibus supra plana dissimilia impulsus, seu percussiones quoque dissimiles separati coacta erunt, ut tandem aliquando per sua excretoria vascula extra glandulas ejiciantur; Cystici itaque canales in data ratione separatos succos excipient, & partim in cystim felleam, partim per chledochum ductum proportionaliter deponentur; quod autem de duabus hepaticis glandulis dictum est, proportionaliter de omnibus dicendum erit, quare si glandulæ ab hac lege homologa motuum similium recedant, facile erit arguere hujusmodi glandulas succis diversæ indolis nimium saturatas esse: quoties enim spatium unius glandulæ repletum fuerit fluidis diversæ indolis, aut quantitate peccantibus, necessario etiam horum momenta ac vires cogentur esse diversæ; cum enim fluida contenta diversa momentorum ratione resistant motibus glandularum continentium, certe cogentur quoque continentes glandulæ, non simili (ut in naturali opere separationis fieri debet,) sed dissimili motu moveri; quamobrem fluida numero & genere heterogenea vitiosa methodo ac inæquali lege ac ordine irregulari separabuntur: Ex his non uno vulnere natura lædetur; enimvero tot succi diversæ indolis, postea in duodenum effusi separationi corporum utilium ab inutilibus, præcipitationi & exaltationi, nec non depurationi chyli, quibus peculiariter bilioſæ particulæ destinantur, male inservient; verum ex tam impura bile sordescet chylus, & plurium febrium basis massam sanguinis gravi tumultu evertet; imo hujusmodi bilis cum pancrearico succo copulata vitiose mota horripilationes & febriles rigores larga manu educet.

12. Neque quis credat, glandularum angustiam impedimento esse, quo minus similia corpora homologis vibrationibus semper impulsa per unam, eamdemque directionem eant, unamque partem glandulæ occupent; dissimilia vero per alias directiones tendant, aliasque partes teneant, eo quia quælibet glandula a natura tali methodo elaboranda fuerat, ut glandulare spatium esset proportionale quantitati fluidi excipiendi, vi cujus aptæ essent fluidorum massulæ libere ac quaquaversus motus suos exercere feliciter: Deinde quælibet fluida credi facile debent corpora infinite parva, aut saltem apta nata acquirendi dimensiones infinite parvas; & cum glandulæ membranis elaboratæ sint, quæ facile ad majores superficies extendi possunt, propterea quilibet particularum motus in glandulis naturaliter se habentibus commode exequi poterit, ut homogenea ab heterogeneis corporibus satis apte separari possint: Fateor quidem, massulas separatas non omnes ejusdem esse generis, sed aliquibus quoque dissimilibus particulis aliqualiter associari ac commisceri; aliquando enim similes aliquibus dissimilibus adeo fortiter alligatæ sunt, ut non tam cito ac facile a similibus sejungi omnino possint; verum cum dissimilia hujusmodi corpora numero ac momento similibus minora sint, ideo nullum evenire poterit impedimentum, vi cujus corpora debitis motibus non separentur, & separata foras non ejiciantur, quotiescunque tamen res cæteræ naturaliter se habuerint; tunc enim ruet totum opus glandularum recte separantium, si aut glandularum structura vitium fecerit, aut naturalis earum motus inepte mutetur, aut dissimilia corpora similibus unita numero, ac momento majora fuerint, quam par est; nam ex his lædentur naturales homogeneorum corporum directiones, & vitiosis motibus agitata corpora alte lædent, turbabuntque opportunam corporum separationem: Sic immortalis ille Malpighius in morboso hepate (pagin. mihi 217.) vigente cachexia glandulas in ampliorem superficiem extensas non hexagonas, sed quæ vesiculas æmularentur, referr observasse; ex hujusmodi enim vitio colligendum facile est, heterogenea corpora numero majora homogeneis extitisse, unde metastasi obstructum viscus facile est credere, ex nimis impura bile prima hydropis semina posuisse: Non mirabor itaque amplius tot mala observaturus, quæ ab obstructis visceribus pullulant, etenim obstruentia corpora naturalem glandularum figuram, & earum motum necessario invertunt; quotiescumque enim vitio sanguinis extraneæ particulæ taliter uniantur, ut crescant in ratione composita basium & altitudinum, ita ut moles particularum majores fiant luminibus canalium secernentium, opus tunc est contentas particulas hexagona glandularum spatia in hepate dilatare, majores idcirco fient anguli & lateta inæqualiter quoque elongata juxta inæquales, ac dissimiles contentorum corporum superficies cogent fibras omnes a naturali ordine ac structura recedere, succedit propterea motus & elastica vibratio a natutali dissimilis, unde inepta fiet corporum directio & separatio; quin imo aliquando fiet nulla: Glandulæ siquidem tantis præternaturalibus corporibus aliquando adeo implentur, ut sæpissime sint coactæ motum tonicum pati; immobiles idcirco contenta corpora nullatenus urgent, tumores ac scirrhos gravi viscerum pondere parituræ; ex his bilioſæ particulæ non apte per cysticos canales separatæ; imo a venis ibi finitimis plusquam deceat reassumptæ enormes aliquando icteritias facile afferent; hæc & alia hujus farinæ mala inauspicato contingent a vitiato motu separationis.

13. A pressionis motu resoluta corpora in arteriis, & debitis motibus depurata, postmodum in glandulis juxta naturæ exigentiam mechanice utilia ab utilibus separata, eam paritatem ac perfectionem ineunt, ut motu quodam assimilationis partibus nutriendis facillime adaptentur. Nutritio itaque, cum sit præcipuum naturæ opus, quo animal sustinetur & vivir: cumque a peculiari quodam motu habeatur, quo corpora per massam sanguinis decurrentia, cum sibi acquirant locum singulis partibus accommodatum; propterea necesse est de hoc quoque motu, (quem assimilationis dicimus) verba facere, ut præcipua opera ad motum sanguinis pertinentia evolvantur, quæ ad sanitatem & ad morbum producendum, aut dignoscendum pertinere videantur. Itaque de his acturus notum est, quod *Nutritio Animalium nil aliud esse videtur, quam motus particularum, ad eum locum delatarum, quo reparantur, seu restituuntur particulæ secundum longitudinem, latitudinem & profunditatem æquales, aut similes illis, quæ motu transpirationis continuo deperduntur*. Morimur siquidem quotidie omnes, rursus continuo aere & cibo revivisimus; certum enim est, quod aut læsione partium, aut violento motu, aut transpiratione continua corruunt, & effluunr e corpore animalium particulæ, quæ solida & fluida componebant; provida ideo natura consuluit animalia quælibet aere, & cibis continuo indigere, ut jacturas suas assidua reparatione redimerent; cum autem in aere & cibis varii generis corpora diversæ figuræ, molis, ponderis claudantur, & massa sanguinis ex aere & cibis conrinuo reparetur, opus est massam quoque sanguinis cujuscunque generis corpora continere; putaverim itaque, nutritionis materiam totam a massa sanguinis esse accipiendam; licet enim nonnulli succum nerveum, nonnulli serum, aut alios fortasse humores ament pro nutritionis materia: nihilominus cum serum & succus nerveus, cæterique humores a massa sanguinis separentur, probabilius crediderim totam nutritionis materiam massæ sanguineæ universaliter esse tribuendam; Universaliter itaque nutrit massa sanguinis, specifice autem nutrit succus nerveus, cæterique humores specificam nutritionem ferunt, quotiescunque in sero, aut succo nerveo, cæterisque humoribus extiterint particulæ nutriendis partibus aptæ, opportuneque homologæ: Quamobrem ex his probabile est, non a solo specifico humore totum nutritionis opus moliri, sed a singulis quibuscunque humoribus, quoties singuli habuerint homogeneas particulas specificis & homogeneis partibus accommodandas: hac ratione optime innotescit, cur tot partes naturæ indole, & substantia diversæ, singulæ tamen juxta suum genus atque temperiem opportuno tempore, aptisque succis nutriantur & crescant; Verum ex imperfecto motu pressionis, resolutionis & depurationis corporum inepta fit quoque nutritio animalium; etenim male resoluta, commixta & male separata, & depurata corpora ægre expolita fiunt, rudes idcirco, & crudæ particulæ salium,

Motus Assimilationis.

lium, cum impuro nimiſque aſpero, aut crudo ſulfure miſtionis æquitatem vitiantes male nutriendis partibus ſeſe accommodant, & male aſperis ſuperficiebus aptatæ aut nutritionem minuunt, aut perdunt; Itaque cum tot, ac tanta corpora diverſæ gravitatis, molis ac figuræ in maſſa ſanguinis quaquaverſus debeant excurrere, ut facile, ac prompte nutritionem exerceant, manifeſta eſt ratio, cur natura conceſſerit ex Boilei obſervationibus maſſæ ſanguinis tantam ſeri copiam, quæ triplo contenta corpora ſimul ſumpta ſuperet; cum enim in ſero quæcunque corpora debeant libere innatare, facileque quaquaverſus moveri, ac fluere, opus fuerat maſſam ſanguinis tanto ſero dotandam eſſe.

14. Ibi itaque nutritionis rem acturo placeat mihi animadvertere, nutritionis opus non feſtinanter a natura exequi, ſed lento pede, ac determinato tempore particulas nutriendis partibus adaptari; opus eſt itaque in tam celebri opere fluida placido, leni, lentoque pede moveri; verum ſi fluidum celeri nimis, aut violento motu volvatur, tunc innatantes particulæ non eum ordinem, ac rationem ſitus, nec quærere poſſunt, nec obtinere, ſed confuſa, ac promiſcua methodo agitatæ varios ſitus excurrent, quamobrem cum particulæ nimis impulſæ non poſſint opportuno tempore nutriendis partibus commode ac facile adaptari, fas eſt a fluido nimis agitato nutritionem impediri; ſic experimur, in febribus ex fluidis celeri nimis motu revolutis omnes imminuta nutritione macreſcere. Ut ergo nutritionis opus naturali methodo exequi poſſit, duo præcipue neceſſaria ſunt; lentus nempe, lenis, placiduſque motus, & apta corporum ſeu ſuccorum puritas & congruentia; cum autem motus lenis ac placidus in minimis tantummodo canalibus cujuſcunque generis haberi facilius poſſit, in quibus minimo motu tantummodo moventur fluida, proculdubio colligi poteſt, præcipuum nutritionis opus in minimis canalibus eſſe exequendum: Pro minimis autem canalibus non ſolum intelligenda puto vaſa minima ſanguinem, cæteroſque humores deferentia, verum etiam carnium & membranarum fiſtulas, ſinus, oſſium foramina & quaſcunque alias partium vias, per quas fluidi qualiſcunque portio poſſit opportune penetrare; pleriſque enim Philoſophis & Anatomicis notum eſt, animalis machinam ex minimis, minutiſque canalibus eſſe elaboratam; quamobrem cum ſui generis fluida naturaliter ſe habentia debeant per tot canaliculos quaquaverſus effluere, credi poteſt, univerſam animalis machinam ſuis proportionaliter fluidis ſtatuto tempore nutritione fore reparandam; hujuſmodi enim canales aut minimi ſinus cum minima quoque vibratione elaſtica periſtaltice moveantur, fluida quoque contenta leniter ac placide urgent; ſicque in tam lento ac placido motu notabiliter non turbatur ordo ac ſitus corporum in ſero innatantium, unde facile ſufficiens corporum homologorum adaptatio, nutritio nempe compleatur. Quod vero ad ſecundum pertinet, cum quodlibet animal peculiari & ſpecifico humore donetur, quo juxta ſuam temperiem nutriatur & vivat, neceſſe erit, hujuſmodi ſucci indolem tali puritate & homogeneis ac ſibi proportionalibus fluidis eſſe donandam, ut ab heterogeneis & diſſimilibus opportune privetur; ſic tota viſcera humores depurantia natura providit, ut depurata fluida juxta peculiaris temperaturæ exigentiam ſingulis animalium operibus nutritioni præciſe inſervirent, ut enim unio optima fiat, debet adeſſe ſimilitudo & proportio & aliqualis æqualitas corporum figuratorum cum ſimilitudine & aliquali æqualitate partis, cui talia ſpecifica corpora aptanda ſunt; cum enim in ſimilium & æqualium, aut quaſi æqualium corporum unione centrum gravitatis coincidat plerunque cum centro magnitudinis; quotieſcunque hæc determinata corporum cum parte, aut loco nutriendo proportio fuerit, unio & adhæſio facile fient, & conſequenter opportuna & firma nutritio; verum ſi plana corporum diſſimilium; diſſimilibus planis aut loculis adhæreant, nunc cum centrum gravitatis corporum diſſimilium longe abſit, nec cohærere poſſit cum centro magnitudinis eorundem; tunc non debita adaptatio ſeu nutritio fiet, aut facta parum aut ægre erit duratura. Celeberrimus Verheyen nutritionem examinaturus ſimilitudini materiæ unicuique parti adaptandæ aſſentitur; inquit enim (*a*) *Generalis materia nutritionis & accretionis eſt maſſa ſanguinis ſecundum varias ſui partes, non vero tantum aliquis humor ſimplex & homogeneus; ſiquidem plurimæ corporis partes, ut ſunt os, nervus, membrana, caro &c. inter ſe conſideratæ plurimum differunt quoad ſubſtantiam, ſed unaquæque pars nutritur & accreſcit per materiam ſibi aliquatenus conformem.* Inferius vero addit: *non difficulter concipitur, in ipſa maſſa ſanguinea contineri multas admodum diſcrepantes particulas, quarum aliæ huic, aliæ iſti, aliæ aliis ſunt conformes, & proportionatæ.* Ulterius huic operi perfectæ unionis neceſſaria eſt quoque æquabilis aeris externi preſſio, qua particulæ omnes æquabiliter compreſſæ ſuo in loco, ſuaque naturali ſuperficie circumſcriptæ detineantur; deinde neceſſaria eſt naturalis ſulfuris exiſtentia: ramoſitate enim ſua plana planis, & plana locis nutriendis veluti a calce ferruminantur; Sic patet in Chymicis, ex tam determinata miſcela aquæ, ſalium, taliſque ſulfuris cum terreis particulis effomari compoſitum, calcis aut bituminis in modum, unioni partium aptiſſimum; quamobrem ex ſulfuris balſamici defectu in hecticis nutritio penitus corruit, eo quia in hac maſſa ſanguinis ſalia ſupra modum luxuriant muriatica & acria, quibus aſpera & angularis ineſt ſuperficies, quæ circa proprium axem rotando angulorum & planorum inæqualitate ac aſperitate partes erodunt ac rumpunt, quibus applicantur; impedita ulterius debita corporum adaptatione & earundem opportuna coordinatione: Inde plurima mala ex imperfecta aut vitiata nutritione contingent: Ibi denique placet animadvertere, quod ſi hujuſmodi particulæ motu aſſimilationis partibus adaptentur ea ratione quantitatis ac ponderis, ut nutriendis ſolummodo partibus apte ſufficiant, tunc ſolum nutritur animal; cæterum ſi præter exigentiam nutritionis ultro ſuccreſcant, & dato tempore animalia ad majorem molem ſecundum trinam dimenſionem longitudinis, latitudinis & profunditatis naturaliter extenſa ſint, oleoſis præcipue ac felicioribus ſuccis opportune pinguefcent. Et hæc ſatis de præcipuis naturæ moribus, quibus maſſa ſanguinis motu preſſionis ſeu impulſus agitur, ſeparat pura ab impuris, & nutrit animalia quælibet, a quibus præcipua animalis œconomiæ phænomena ſive bona, ſive mala erui facile poſſunt & potuerunt,

(*a*) Cap. de nutritione pag. 219. 220.

DISSERTATIO II.

De Motu Sanguinis per Pulmones cum Mechanicis Morborum cauſis.

HYdraulicas machinas obſervaturus alte ſemper miratus ſum, quonam opere aut ſurſum elevata fluida, aut quaquaverſus effuſa certis legibus ambulent; quibus æqua methodo diſtributa, & directioni canalium & artificum magiſterio obediant; aqua etenim cum naturali aeris ſuperincumbentis preſſione ad pedes 32. circiter elevari conſueſcat; machinæ tamen hydraulicæ beneficio naturales ultro ſuperat altitudines, ibique data lege, datoque tempore ac loco vagatur; plura itaque admiranda Hydraulicæ artes docuere, majora tamen natura amplexa eſt de mirandis naturæ operibus ultro ſolicita, quotieſcumque vi cordis prima moventur fluida, animalibus motum & velut animam donatura: cor itaque primum animæ corporeæ viſibile opus illud eſt, quod hydraulicæ machinæ ad inſtar urget ſanguinem ordinato impetu, ut per univerſas animalis latebras quaquaverſus ſurſum, deorſumque decurrat: oſtendit Anatome, cor, ventriculoſque ipſos conica figura donari; quem figuræ ordinem ex triplici fibrarum genere natura fabrefecit, quarum aliæ rectæ ſunt, circulares aliæ, ſpirales tertiæ; cum autem rectæ eo officio deſtinatæ ſint, ut cor, ventriculoſque ipſos aliquantulum contrahant: circulares vero fortiter ſtringant: ſpirales autem valide torqueant; credendum putaverim momentum virtutis motivæ cordis, ſimpliciter & ſecundum ſe conſideratum, nullo habito reſpectu ad niſum contenti ſanguinis, facile accedere poſſe ad rationem compoſitam ex triplici motu eodem tempore exercito & numero earundem; verum cum hoc juſte aſſequi arduum ſit, propterea celeberrimus Joannes Alphonſus Borellus, quamvis magnus Geometra prop. 66. ſecundi Tom. de Motu animalium, momentum cordis inveſtigaturus analogico ratiocinio uſus eſt, & cum duobus muſculis, temporali nempe & meſſeterio mandibulas ſtringentibus comparavit; Quamobrem prop. 67. vim motivam fibrarum cordis per ſe comparatam majus pondus ſuſpendere poſſe, quam 3000. librarum, probabili ſatis conjectura docuerit; ex quibus ſingularia illa momenta inveſtigari poterunt, quæ utrique ventriculo ſigillatim pertinere videbuntur: Ab hoc tamen calculo multum diſſentit celeberrimus Jacobus Keillius, verum Doctiſſimus Michelottus, ut infirmatæ Borelli ſententiæ, quantum poſſibile eſt, tutor eſſet, calculum ipſum a Keillio exaratum, a vero alienum eſſe apte oſtendit; inquit itaque (115. de ſepar. fluid. in corpore animali.) *Venio ad calculum, quo idem præſtantiſſimus Scriptor (Jacobum Keillium intelligit) Jo: Alphonſum Borellum, jam olim vim abſolutam cordis definire conatum, confutaturus ſancit, eandem iſtam vim æqualem eſſe octo onciarum pondo: Ne iſta quidem Keilliana ſupputatio, etiam ſi firmo niteretur fundamento, vim abſolutam cordis determinaret, hoc eſt, vis per ejuſcemodi calculum inventa non foret illa, qua totum cor contrahitur, ſed tantum ejus pars, quæ reſpondet orificio Aortæ, utpote quam vim æqualem ſtatuit laudatus Vir ponderi cylindri ſanguinei, cujus baſis æquatur orificio Aortæ, & altitudo dupla illius, ex qua cadere deberet grave, ut acquirat velocitatem ſanguinis ex corde in Aortam expulſi, ſi nullam reſiſtentiam ſuperandam haberet. Quamobrem ſi vim totam cordis computare vellemus, oporteret octo unciarum pondo toties ſumere, quoties interior cordis ſuperficies, ſeu potius ventriculi ſiniſtri ſuperat orificium Aortæ: ſuperet ſi vis decies, ita ut decem Aortæ orificia occupare ſpatium æquale ſuperficiei interiori ſiniſtri cordis ventriculi, dico ſecundum præclariſſimi Keillii principium ſupra memoratum, non octo, ſed octoginta unciarum pondo æquare vim cordis totalem ſeu abſolutam.* Quamobrem ex his mihi viſum eſt nil certi de momento ſeu vi totali cordis determinari poſſe, quippe præter ea laudato Michelotto expoſita (pag. 114.) diverſa hominum ætas, temperies ſanguinis, qualitas ſexus, & ratio texturæ diverſa fibrarum cordis, & plurima alia abſolutam vim cordis facile mutare poſſunt; idcirco contentus doctiſſimorum virorum amica, & docta diſſidia admirari, ſequar conjecturas, quibus non totale momentum ſeu totalem vim cordis, ſed utriuſque ventriculi ſingularia momenta, aut vires inſtituto meo neceſſarias, ſi non geometrica, phyſica ſaltem conjectura rimari mihi ſatis eſt: Cum itaque juxta tres fibrarum rectarum, circularium & ſpiralium ſeries, tam dexter ventriculus, quam ſiniſter ſigillatim triplici, ſimul motu moveantur, ut contentum ſanguinem foras expellant; cumque ultro ex Clariſſimo Verbegen (pag. 120. Anat.) Anatomica autopſia conſtet, ſiniſtrum cordis ſinum fibris triplo multis ſupra dextrum & fortioribus armari; ita ut ſiniſter triplo craſſior ſit dextro, qui triplo majoribus fibris opportune munitur; cumque fibræ muſculares, nerveæ & tendinoſæ mechanica ſint inſtrumenta motus, quibus cordis ſinus continuo motu torquentur; cumque ulterius dextri ventriculi officium ſit, per ſolos pulmones ſanguinem ejaculari, ſiniſtri vero ſupra & infra per totum corpus; facile ex his conjectandum eſt, ex triplo majori, fortiorique numero fibrarum ſiniſtrum cordis ſinum inveſtiente, una cum motibus ipſis proportionalibus, vim motivam ſeu momentum ſiniſtri momento dextri multo majus eſſe.

16. Licet autem ventriculus dexter momento ſeu vi motiva debilior ſit, quam ſiniſter; nihilominus ratio & autopſia ſuadere videntur, æqualem quantitatem ſanguinis contineri in dextro, & a dextro expelli per arteriam pulmonarem in pulmones, ac contineatur in ſiniſtro, ut ab hoc expellatur per arteriam magnam in totum corpus; enim vero cum ventriculus ſiniſter ſanguinem recipiat a dextro, certe ſiniſter majorem quantitatem excipere non poteſt, quam dexter primo exceperat; neque minorem excipere poteſt ſiniſter, quam dexter amplexus ſit: quippe ſi totus ſanguis a dextro non ejacularetur per arteriam pulmonarem in ſiniſtrum, reſiduum in pulmonaribus vaſculis remaneret non inani ſtagnationis ac ſuffocationis periculo: Quamobrem opus eſt natura bene ſe habente, ſiniſtrum ventriculum æqualem aut quaſi æqualem excipere a dextro ſanguinis quantitatem, qualem dexter exceperat a vena cava, ut plura incommoda effugiantur; inde ſpatium conicum, aut quaſi conicum dextri ventriculi ſanguine repletum, aut replendum, ſpatio conico, aut quaſi conico ſiniſtri æquale, aut quaſi æquale jure merito credendum eſt: cum enim certo conſtet, baſin dextri ventriculi majorem eſſe baſi ſiniſtri, & altitudinem ſeu longitudinem hujus majorem

jorem eſſe altitudine ſeu longitudine alterius; procul dubio baſes ventriculorum facile erunt in ratione reciproca cum eorundem altitudinibus, & conſequenter data tali ratione reciproca quantitatum, ex geometricis, etiam ſpatia ventriculorum conica aut quaſi conica futura erunt æqualia, aut quaſi æqualem ſanguinis quantitatem ſuſceptura: Hujuſmodi autem ſpatia ventriculotum æqualia, aut quaſi æqualia, quamvis celeberrimus Borellus (*a*) a tribus unciis ſanguinis repleri ſuſpicatus ſit; nihilominus ab unica tantummodo ſanguinis uncia repleri multo probabilius recentiores judicant Anatomici: ibi autem ſuppoſita ſanguinis uncia, cum aliquando neceſſe ſit inquirere proportiones gravitatis ſpecificæ non ſanguinis tantummodo, verum etiam ſeri ſanguinei & aquæ communis, iſtorumque voluminum proportiones, ut inter ſe juxta rerum exigentiam comparentur, ex quorum comparatione momenta ac vires horum ſtudiorum facilius innoteſcant, quantum poſſibile eſt, ut mechanicæ morborum cauſæ habeantur, propterea hujuſmodi fluidorum gravitates placuit experiri: Contigit itaque mihi ex ſano, ſed plethorico viro annorum 46. circiter gravi vertigine correpto neceſſitas emittendi ſanguinem larga manu, ut a timendo apoplexiæ periculo liberaretur: licet autem ſpecifica ſanguinis humani gravitas difficillime erui poſſit, nihilominus Boylei methodum ſecutus (pag. mihi 278. partis ſecundæ Hiſtoriæ humani ſanguinis) repetitis experimentis quæſito ponderi accedens pluries reperi.

Sanguinem humanum phiala incluſum ponderare grana 2853. 3. cum autem pondus phialæ fuerit granorum 976. quare ablato tali pondere ſimplex pondus ſanguinis granorum 1886.

Serum autem ſanguinis ſub eodem volumine, utpote eadem phiala ad amuſſim contentum, ponderabat grana 2770. ablato autem pondere phialæ ſimplex pondus ſeri erat granorum 1803.

Aqua denique noſtra communis eadem phiala incluſa ſub eodem volumine ponderabat grana 2716. a quibus detracto phialæ pondere ponderabat grana 1749.

Cum autem, ex corollario 3. prop. 2. Lib. 1. Phoronon. celeberrimi Viri ſemper laudandi Jacobi Hermani gravitates ſpecificæ corporum conſiſtant in proportione ponderum abſolutorum corporum eorundem ſub voluminibus æqualibus; cumque hujuſmodi ſingulorum fluidorum maſſæ idem phialæ ſpatium occupantes ſub eodem volumine habeantur, erit *gravitas ſpecifica ſanguinis ad gravitatem ſpecificam ſeri ſanguinei, ut pondus granorum* 1886. *ad pondus* 1803.

Et *gravitas ſpecifica ſanguinis ad gravitatem ſpecificam aquæ noſtræ Brixianæ erit granorum* 1887. *ad* 1749.

Pariterque *gravitas ſpecifica ſeri ſanguinei ad gravitatem ſpecificam ejuſdem aquæ Brixianæ erit granorum* 1803. *ad* 1749.

Ex hiſce colligendum quoque eſt, cum gravitates ſpecificæ corporum ſint denſitatibus eorumdem propoportionales, maſſam ſanguinis denſiorem eſſe maſſa ſeri ſub æquali volumine in ratione pariter 1886. ad 1803. ſimulque maſſam ſanguinis ſub æquali volumine cum aqua noſtra communi denſiorem eſſe eadem aqua communi in ratione 1886. ad 1749. pariterque maſſam ſeri ſanguinei ſub eodem voſumine cum maſſa aquæ communis denſiorem eſſe eadem aqua in ratione 1803. ad 1749. fateor quidem, ut Illmus Boyleus quoque animadvertit, horum liquorum pondera ac denſitates juxta ætatis, ſexus, temperaturæ & loci differentias aliqualiter inter ſe differre, nihilominus hac data hypotheſi, qua aliqua proportio gravitatum in expoſitis liquoribus determinatur, facile juxta datas rationes accedere poſſumus ad alterius ſanguinis, alterius ſeri aut alterius aquæ communis gravitates ſpecificas & denſitates reperiendas, ut inde momenta ac vires aliorum fluidorum proportionaliter aſſequi poſſimus.

17. Hiſce præhabitis a ventriculo dextro expulſa ſanguinis uncia pulmonarem atteriam ingreditur, quæ pericardium egreſſa per utroſque pulmones diſſeminatur; ibi autem mirari eſt, quantum æſtimandus ſic pulmo, cujus ſolius gratia ex duobus cordis ſinubus unum, pro cæteris vero totius corporis partibus alterum tantummodo natura formavit; mirandum certe, cum ex ejus peculiari viſceris opere celebre illud conjugium celebretur, quo ſolida cum fluidis, & cum ſolidis fluidiſque, ſi non aerea, ſaltem luminoſa & ætherea in ſanguine copulantur: Ut autem motus ſanguinis per pulmones examinetur, ſuſpicari placeat (ut num. 3. dictum eſt) ſicut a ſiniſtro, ita pariter a dextro ventriculo fibrarum ope ſanguinem motu preſſionis impelli, eundemque preſſionis motum ſequi per univerſas pulmonares arterias, qui in venas pulmonares eadem lege traducatur: Exiens itaque ſanguis a dextro cordis ſinu pulmonarem arteriam ingreditur, & per hac brevi quidem ſpatio horizontali quaſi pede procedit, ut autem ratio tranſitus ſanguinis per arteriam innoteſcat, juvat rimari talis arteriæ diametrum, quæ ex pluribus obſervationibus juxta lineam GH reperta eſt, methodo autem lineæ circini proportionum diviſa eſt linea GH in 14. partes æquales, ut ex his area quoque pulmonaris arteriæ innoteſcere facile poſſit; Sit itaque diameter GH (*a*) circuli quæſiti partium 14. — a; eritque quadratum diametri — aa partium 196. area ergo circuli quæſita ſupponatur — x: cum ratio quadrati ad circulum ſit proxime ex Archimede *de dimenſione circuli* ut 14. ad 11. fiatque 14. — b. 11. vero — c. erit analogiſmus ut b c :: a a x; eritque per 16. Euclidis æquatio b x — a a c; & dividendo per b, fiet æquatio x — $\frac{aac}{b}$, cum autem quadratum a a ſit — 196; & c ſit — 11; erit productum a a c — 2156; quod diviſum per b — 14, erit $\frac{aac}{b}$ — pariter 154. proxime, ſeu juxta methodum decimalium — 153. 860. pro valore quæſito quantitatis x, quæ plane oſtendit quantitatem areæ arteriæ pulmonaris e dextro ſinu mox egreſſæ, cujus diameter erat linea GH; itaque uncia ſanguinis a ventriculo expulſa, & per ſpatium repertæ ſectionis rarefacta urgebit æqualiter ſingula latera arteriæ; hæc autem omni parte æquabiliter dilatata reſtituit ſanguini in conſtrictione eandem quantitatem impetus; unde maſſa ſanguinis per hujuſmodi truncum pulmonaris arteriæ æquali aut quaſi æquali ſemper pede decurrenda erit: Cum autem truncus arteriæ in duos peculiares ac præcipuos ramos dividatur, quorum unus in dextrum, alter vero in ſiniſtrum pulmonem excurrat, vis impetus impreſſa ſanguini utrique pulmoni erit æquali ratione, aut quaſi æquali tribuenda. Ibi autem aliquantiſper ſtemus in anchoris obſervando motum ſanguinis per truncum arteriæ pulmonaris; enim vero ſæpe accidit prope baſim arteriæ, per longitudinem trunci excreſcentia polipoſæ carnis, aut eminentia tuberculi, quo caſu ſectio arteriæ imminuta tranſeunti ſanguini reſiſtentiam feret; Verum quia ibi reſiſtentia polypi objecta ſanguini non ſupponitur magna (mors enim brevi ſequeretur,) ſed ea tantummodo, quanta requiritur, ut polypoſa materies reſiſtentiam ferret ſanguini fluenti, ſi materies ipſa polypoſa in fluido ipſo ſanguineo ferretur; ideo cum reſiſtentiæ corporum contra fluidum ſint ut impreſſiones, ſeu ut percuſſiones fluidorum in objectum corpus, percuſſiones vero unius ejuſdemque fluidi ſint in duplicata ratione celeritatum ejuſdem (*b*); ſuſpicari jure poteſt reſiſtentiam, quam affert talis polypoſa materies ſanguini fluenti unius, ejuſdemque texturæ & indolis, accedere quoque poſſe ad talem rationem duplicatam velocitatis ejuſdem ſanguinis: Quod ſi maſſa ſanguinis adeo impura, & heterogenea fuerit, ut portio ſanguinis, quæ una ſyſtole expellitur, diverſa ſit ab illa quoad denſitatem & velocitatem expulſa altera ſyſtole ventriculi cordis; tunc cum percuſſiones fluidorum diverſæ texturæ & indolis contra objecta & reſiſtentia corpora, ſint in ratione compoſita ex rationibus duplicata velocitatem & ſimpla denſitatum eorundem; etiam percuſſiones maſſæ ſanguineæ, denſitate & motu variæ, facile accedent ad talem rationem compoſitam ex duplicata velocitatum & ſimpla denſitatum; & conſequenter etiam reſiſtentiæ objectæ ſanguini a tali polypoſa materia variæ fient, accedendo diverſimode ad varias rationes compoſitas ex duplicata velocitatum & ſimpla denſitatum. Itaque cum hujuſmodi polypoſa materies talibus rationibus probabilitet opponatur ſanguini, communicata talibus rationibus reſiſtentia, impedimentum feret proximis aut ſuccedentibus quoque ſanguinis particulis, & conſequenter tota moles ſanguinis ibi lenteſcere coacta erit; quamvis autem lenteſcens ſanguis ultro progrediatur, nihilominus ex adepta tali lenteſcentia mole ſua intumeſcit, urgetque neceſſario magis latera canalis ex ea parte, quæ vacat impedimento; minus vero urgentur latera illa, utpote ſolidiora, quibus impedimenta alte adhærent, a quibus major fit momento ſanguinis reſiſtentia. Cum itaque latera arteriarum magis dilatentur ex una parte, quam ex altera, erunt quoque motus reſtitutionis eorundem pariter inæquales; quare ſanguinis non verſus lineam axis, ſed inclinata & tranſverſa directione motus irruet, ubi major inæqualitas dilatati canalis minorem fecerat fluenti ſanguini reſiſtentiam; Hæc arteriæ portio magis extenſa, cum a continuis ſanguinis vibrationibus arietetur, tandem aliquando objectam membranam lædere poterit timendo aneuriſmate. Ulterius ſæpe docet praxis aliunde etiam hujuſmodi morbum oriri potuiſſe; cum enim in unica ſanguinis uncia a dextro ventriculo expulſa, ratio momenti ſanguinis præternaturaliter moti talis aliquando ſit, ac tanta, ut natura legem ſuperet, tunc ſi canales inertem texturam aut fibrarum tenue robur ſortiti ſint, coacti erunt cedere valido niſu ſanguinis impellentis, & tandem aliquando cedente interiori tunica laxari ac rumpi; tale vitium in febribus evenire aliquando poteſt; etenim volumen ſanguinis a dextro cordis ſinu expulſum in ſtatu naturali, & volumen ejuſdem expulſum in ſtatu præternaturali haberi poſſunt, ut ſolida ſimilia, quæ inter ſe proportionem habent triplicatam laterum homologorum. Cum autem poroſitates ſeu inteſtitia voluminibus interſperſa ſint lateribus ſolidorum homologis proportionalia: latera vero ſolidorum ſint in ratione ſubtriplicata eorundem, certe etiam pororum amplitudines ſeu particulatum ſibi invicem proximarum diſtantiæ, erunt inter ſe in ratione ſubtriplicata voluminum ſanguinis; Quamobrem cum in ſtatu naturali impreſſio voluminis unius unciæ ſanguinis contra objectas canalium membranas ſit facile viribus membranarum reſiſtentium proportionalis, proculdubio vi præternaturalis exaltationis dilatatis ultro particularum diſtantiis inter ſe, volumen talis unciæ ſanguinis augendos ſeſe in ratione triplicata amplitudinum pororum ſeu diſtantiarum, quas habent particulæ ſanguinis proximæ inter ſe, impreſſionem efficiet contra canalium membranas altra vires ac momenta membranarum reſiſtentium; quare tandem aliquando tot violentis ac continuis percuſſionibus flagellatæ membranæ rumpi coactæ erunt. Ulterius hujuſmodi læſiones non parum augentur, ſi prior unda ſanguinis ſuccedenti reſiſtat pluſquam decet, quo caſu cum ſuccedentis ſanguinis impreſſio non conſumatur tota contra priorem ſanguinis undam, juxta directionem longitudinis canalium, opus eſt majori ratione impetum ferri ad latera, quo major eſt reſiſtentia ſanguinis antecedentis; quare dilatatis ultro arteriæ lateribus fiet aneuryſmatis incrementum; præter hæc adeo aliquando vigent impedimenta, ut portio ſanguinis gravi regreſſu irruens in valvulam, ſuccedentem a dextro ſinu motum ſanguinis moleſte impediat gravi vitæ periculo; quin imo uncia ſanguinis tranſverſis præternaturalibus directionibus itura, quoties pervenerit, ubi truncus duos in ramos partitur, facile inæqualem ſanguinis quantitatem per unum pulmonem afferet, inæqualemque per altetum, ſummo reſpirationis incommodo, ob inæqualia pulmonum pondera & manifeſtam pulſuum inæqualitatem.

18. Præterlapſo itaque majori trunco fluit ſanguis per utrunque pulmonem juxta duorum ramorum directiones, cum autem unus pulmo alteri æqualis, aut quaſi æqualis naturaliter eſſe debeat, facile quantitas ſanguinis expulſa in dextrum pulmonem probabiliter futura erit cæteris paribus æqualis, aut quaſi æqualis quantitati ſanguinis expulſæ in ſiniſtrum, & conſequenter ſemiuncia ſanguinis per unum, & ſemiuncia per alterum ferenda erit; pariter ſi vis impetus dextri ventriculi eadem ſit, quæ ſemiunciam ſanguinis per unum, & ſemiunciam per alterum pulmonem æquali ſemper momento impellat, erit ſpatium decurſum a ſemiuncia ſanguinis per ramum arteriæ pulmonaris in uno pulmone æquale cæteris paribus ſpatio decurſo a ſemiuncia ſanguinis per ramum arteriæ pulmonaris in altero pulmone, quapropter ex immortalis Galilæi demonſtratis *de motu æquabili*, duæ ſemiunciæ ſanguinis eodem impetu cordis impulſæ decurrent cæteris paribus ſpatia quoque æqualia inter ſe; & conſequenter, cum quantitates motus aut impetus fluidorum habeant (*c*) rationem compoſitam ex duplicato velocitatum, ſimpla denſitatum & ſimpla foraminum, e quibus erumpunt, certe cum duæ ſemiunciæ ſanguinis ſint æquales, & velocitates ipſis impreſſæ ab eodem momento dextri cordis ſinus ſint pariter inter ſe in ratione æqualitatis, foramina vero vaſorum unius pulmonis ſupponantur naturaliter æqualia, aut quaſi æqualia foraminibus vaſorum alte-

Fig. 1. (*a*)

(*a*) Coroll. prop. 68. ſecundi Tomi de motu Animalium.

(*b*) Ex corollar. prop. 42. Phoron. Herman.

(*c*) Per prop. 31. Hermanni Phoron.

alterius pulmonis; etiam quantitates motus ſeu impetus unius ſemiunciæ ſanguinis æquales futuræ erunt quantitati motus alterius ſemiunciæ ſanguinis; quare etiam aſcenſus & deſcenſus ſanguinis tranſeuntis per foramina in uno æqualis probabiliter erit, cæteris paribus, aſcenſui & deſcenſui ſanguinis tranſeuntis per foramina æqualia in altero pulmone; & conſequenter peripheria unius pulmonis decurretur per arterias pulmonares, ac peripheria alterius pulmonis per arterias ſibi homologas: quapropter ab arteriis, in paritate circumſtantiarum, æqualis aut quaſi æqualis quantitas ſanguinis in venarum pulmonarium orificia effundetur, & ab iis in ſiniſtrum ventriculum, æquali aut quaſi æquali ratione deferenda erit. Verum ſi fluidi vitio (ut in pleuritide & peripneumonia ægre curatis cæteriſque generibus morborum pectoris ſæpe experimur) major quantitas ſanguinis per unum pulmonem, minor vero per alterum excurrat, tunc cæteris paribus quantitas motus in uno, major erit quantitate motus in altero; ſicque cum rationes compoſitæ ex duplicata velocitatum, ſimpla denſitatum & ſimpla foraminum, e quibus erumpunt, multum inter ſe differant, gravior pulmo & fluidis ponderoſior motum diaphragmatis ob coſtas ex ea parte minus elevatas quodammodo impediens, inſpiratio fiet imminuta, & alto lateris pondere laborioſa reſpiratio. Ulterius ſæpe oſtendit Anatome unum aliquando pulmonem coſtis plus juſto alligari, alterum vero non ita; quamobrem cum alligatus pulmo non poſſit ea libertate moveri, ac dilatari, qua alter ſolutus ac liber; manifeſtum eſt, in alligato pulmone impetum impreſſum ſanguini refrangi debuiſſe, & quantitatem ſanguinis non æquabili velocitate deferri; ſic majus neceſſario in organo pondus cum inæquali ac difficili reſpiratione & graviori decubitu, hominem lædet; pariter quotieſcunque pleuritis aut peripneumonia contingunt, pars pulmonis inflammata moram facit ſanguini tranſeunti; ſic tantum adeſt impedimentum ſanguini advenienti, quantum antecedens in ſanguine eſt in parte inflammata; ſic cum non perſeveret ea ratio æquilibrii inter motum ſanguinis antecedentis, & motum ſubſequentis, oportet ſanguinem ratione motus, quantitatis, momenti & temporis a ſtatu naturali & ratione æquabilitatis recedere; unde inæqualitates pulſuum, intermittentiæ & palpitationes ſæpiſſime evenient.

19. In hoc motu ſanguinis per ramos arteriæ pulmonaris, patet obſervante Diemerbrockio (pag. mihi 412.) hujuſmodi ramos, *per totam veſicularum ſubſtantiam inſtar artificioſiſſimi retis una cum vena pulmonari decurrere mutuis inter ſe anaſtomaſibus*. Hoc ipſum primo obſervaverat immortalis Malpighius; epiſtola enim ſecunda de pulmonibus aſſerit: *Tanta eſt horum vaſculorum divaricatio, dum hinc inde a vena & arteria prodeunt, ut non amplius vaſis ordo ſervetur, ſed rete conflatum ex duorum vaſorum productionibus appareat*. Quanam autem ratione hoc a natura factum ſit, licebit nobis conjectari impoſterum: Interim obſervandum eſt, pulmonarem ſubſtantiam jugulum verſus anguſtiorem eſſe, verſus vero coſtas ſpurias extenſiorem & ampliorem; verum cum tam anguſta portio, quam extenſa ſuis proportionaliter vaſibus donetur, colligi poteſt, vaſorum quoque ramificationes cæteris paribus pauciores eſſe verſus partem ſuperiorem, numero vero majores verſus inferiorem; & ſane cum thoracis portio verſus coſtas ſpurias majori circumſcribatur ſuperficie, portio vero thoracis verſus jugulum a minori ſuperficie dimetiatur; fas eſt quoque, contentum pulmonem verſus coſtas ſpurias majoris eſſe ſuperficiei, minoris vero jugulum verſus: cum autem pulmonum veſiculæ undequaque, tam ſurſum, quam deorſum effuſæ ſint, ſuſpicandum eſt, majorem amplitudinem pulmonaris ſubſtantiæ verſus partes inferiores oriri, & a quantitate majore veſicularum, & a majori ramificatione ac peripheria vaſorum; huic animadverſioni favet Archibaldus Pitcarnius, (*a*) aſſumit enim pectus tanquam ſphæroidem, cujus minor diameter ſit digitorum 15. major vero digitorum 20.; cum autem ſphærois a minori diametro aſcendendo verſus majorem axem ſemper proportionaliter decreſcat, colligendum putavi, capacitatem pectoris, (juxta ſuppoſita a celeberrimo Auctore) verſus jugulum, in quo deſinit major axis, eſſe anguſtiorem, verſus vero coſtas ſpurias, in quibus deſinit minor axis, eſſe ampliorem; quapropter jure haberi poteſt, amplitudinem pulmonum verſus coſtas ſpurias majorem eſſe illa, quæ verſus jugulum elevatur; major itaque vaſorum & veſicularum numerus ac peripheria inferiorem pulmonum partem, minor vero ſuperiorem ambit; hinc elevatio thoracis ſenſibilior in inferiori, in ſuperiori vero jugulum verſus debilior ac tenuior reperitur; Hinc gravi actione angitur animal, quoties in hepatitide pondus hepatis inflammati diaphragma & finitimas coſtarum appendices trahit inferius; coſtæ ſiquidem & diaphragma tenuiſſimo motu elevatæ, minuſque quam par eſt, ſpatium vetant, quo pulmonares veſiculæ inferiores ad majores ſuperficies extendantur, ut neceſſaria libertate moveantur, opportunum aerem ſuſcepturæ; quapropter dimidiata reſpiratio & altus angor pectus opprimunt.

20. Fluit itaque ſanguis ſurſum & deorſum ex utraque pulmonum parte, & a majoribus ramis traducitur in minores, minimaſque ramificationes, uſque dum minimi arteriarum rami facta cum minimis venarum luminibus deoſculatione ſanguis ab arteriis facillime in venas affluat; Huic autem motui ab arteriis in venas, non tantum auxilio eſt momentum cordis ſanguinem impellentis, verum etiam clarum eſt, quod dilatato thorace ſequatur ſtatim oblatio reſiſtentiæ, quam depreſſæ coſtæ & laxatum diaphragma contra ſuperficiem extimam pulmonum exercent; ideoque cum ad fauces præſto ſit aer, vel ſuo pondere, vel elaterio potens ingredi, quotieſcunque auferuntur reſiſtentiæ, ſequitur, aerem tota vi irruere in pulmones, eoſque quantum poteſt aperire: præterea conſtat ex Anatome, intra aeres reticulares vaſorum, & circum vaſa ipſa ſanguifera adeſſe bronchiorum veſiculas, quæ ſphæricam quaſi ſuperficiem æmulantur aere inſpirato: cum enim pulmo debuerit eſſe viſcus aeri excipiendo deſtinatum, certe opus fuerat, naturam veſiculis quaſi ſphæricis uti debuiſſe, ut aerem majori quantitate exciperet; cum enim ſphæra ſit quibuſcunque figuris iſoperimetris capacior, etiam veſiculæ quaſi ſphæricæ proportionaliter multum aeris ſupra ceteras figuras ſibi iſoperimetras erunt ſuſcepturæ; ſic in phthiſi & hydrope pulmonum laxatis nimium ac flaccidis pulmonaribus veſiculis difficultas reſpirationis & gravis anhelitus fiunt, eo quia flacceſcentes nimium veſiculæ, a quaſi ſphærica figura, ad quaſi ſphæroidem tranſeunt; cum autem hæc ſphærois talis ſphæræ iſoperimetra minus capax ſit, ut inferius conſtabit, ideo nimium laxatæ veſiculæ quaſi ſphæricæ pulmonum, & quaſi ſphæroideam figuram adeptæ minus aeris excipient, quam par eſt, unde tot incommoda evenient vitio reſpirationis; Ulterius pulmo debuerat eſſe viſcus leve & facile mobile, quare quaſi ſphæricis veſiculis dotari debuerat; etenim cum ſphærica corpora in punctis ſe tangant, etiam veſiculæ quaſi ſphæricæ punctualem quodammodo contactum ſervaturæ erunt inter ſe; quare interſtitia & areas quamplurimas neceſſario relinquent, a quibus facile levitas major corporis exoriri poteſt, quæ certe non haberetur, ſi corpora illa veſicularia ſub alia figura in planis ſe tangerent, a quibus cum multo pauciores areæ & interſtitia relinquantur, certe in tam majori planorum adhæſione, & conſequenter in tam minori interſtitiorum numero gravitas & pondus viſceris ſupra modum augeretur; & ſane grave eſſet experiri moleſtiam reſpirationis, quoties nerveum illud ligamentum a Malpighio detectum (*b*) veſicularum parietibus alligatum convulſivo motu criſparetur; ſic enim veſiculæ relicta ſuperficie quaſi ſphærica non amplius in punctis, ſed quodammodo mutata figura in planis coguntur ſe tangere, factum inde, ut minus aeris excipiant & minora fiant interſtitia veſicularum, unde viſceris pondus gravius feret faſtidium reſpirationis.

21. Cum itaque pulmo & naturali, & ſæpe præternaturali motu moveatur, quo pulmonares veſiculæ figuram quaſi ſphæricam facile invertunt, ſphæroideam quaſi ſuperficiem quodammodo acquirentes, non ineptum erit utriuſque capacitates, quantum fieri poteſt, dimetiri, ut quantitas aeris in quaſi ſphærica, & quantitas ejuſdem in quaſi ſphæroidali veſicula proxime innoteſcant, ut pulmonarium morborum natura, quantum poſſibile eſt, aperiatur; placeat itaque ſupponere veſiculam quaſi ſphæricam ABCD (*a*) cujus diameter AB ſit partium minimarum 6. certum eſt ex geometricis uſu decimalium, hujuſmodi ſphæram ABCD eſſe proxime partium minimarum cubicarum 1130976. modo ſupponatur, eandem quaſi ſphæricam veſiculam, aut convulſione, aut morboſa laxitate, taliter deprimi, aut contrahi, aut laxari, ut diameter AB partium minimarum 6, reducatur in diametrum FG. (*b*) partium minimarum 4. certum eſt ea ratione, qua partes oppoſitæ diametri AB in hujuſmodi ſphæra ABCD invicem accedunt ſub minori diametro partium minimarum 4. reliquas partes oppoſitas C & D æquali ratione a ſe invicem recedere, quare diameter EH (*b*) fiet partium minimarum 8. ſic quaſi ſphærica veſicula ABCD in quaſi ſphæroidem FEGH converſa erit ex geometricis proxime partium minimarum cubicarum 67. 0208. cum autem contenta corpora ſint cæteris paribus in ratione corporum continentium, palam eſt in veſicula quaſi ſphærica contentas partes minimas cubicas aeris, eſſe proxime ad partes minimas cubicas aeris contentas in veſicula quaſi ſphæroidali ſphæræ quaſi iſoperimetra, in ratione numerorum decimalium 113. 0976 ad 67. 0208; quare talis ſphærois continens, minus continebit particularum aeris, quam hujuſmodi ſphæra defectu partium minimarum cubicarum 46. 0768. proxime; Quamobrem cum defectus & vitium unius veſiculæ quaſi ſphæricæ tranſeuntis in quaſi ſphæroidem, omnibus veſiculis pulmonum convenire aliquando poſſit, quis non videt quantum aeris detrahendum ſit, quoties univerſa pulmonum regio, aut convulſione contracta, aut preſſione depreſſa, aut flacciditate laxata, ut in hecticis, & hæmoptoicis, tam gravi defectu laboraverit? Quamobrem cum opportunis naturæ operibus ea quantitas aeris neceſſaria fuerit, quæ a quaſi ſphæricis veſiculis contineri debuerat, manifeſtum eſt, a ſola quantitate aeris in quaſi ſphæroideis veſiculis collecta naturam neceſſario pati, & gravi aſthmate facile deficere debuiſſe. Hiſce expoſitis, liceat tantillum ſuperſedere nonnulla prius expoſituro actionibus pulmonarium veſicularum neceſſaria; etenim quoniam pulmo viſcus eſt, quo aer inſpirando excipitur, & expirando expellitur, & cum ab aeris momento, tam ſanitas, quam morbus foveri facile poſſint, opportunum eſt ibi nonnulla de viribus elaſtici aeris in pulmones conjectari, ut juxta noſtrum inſtitutum morborum pulmonarium ſemina inquirantur. De elaſticitate ſeu viribus aeris & reſiſtentia, ſummi viri toto orbe celeberrimi, Iſaacus Newtonus, & Guillelmus Leibnitius mira docuerunt; poſtea vero Jacobus Hermannus immortali ſemper laude decorandus, aliique doctiſſimi Viri, inter quos ſummi nominis vir Joannes Polenus, cui multum debeo, majora de viribus aeris experti ſunt; Inde Michelottus toties laudatus tantorum virorum ſententias ſecutus refert (*pag.* 148. *de ſeparatione fluid. in corpore Animali*;) *aerem eſſe fluidum grave atque elaſticum, quod comprimi poteſt in ſpatia, quæ ponderibus comprimentibus proportione reſpondent: ideoque talis naturæ, ut ejus denſitates viribus comprimentibus, ſeu elaſticitatibus quamproximæ proportionales exiſtant*; Addit autem *quamproxime*, eo quia ſummi & incomparabiles viri Jacobus Bernollius, *de gravitate aeris*; & Joannes pariter Bernollius, *de motu muſculorum pag. mihi* 23. analytice oſtendunt, *denſitates aeris eſſe quidem elaſticitatibus proportionales in aere tamen parum denſo*; *cæterum in aere multum denſo elaſticitates in majori ratione creſcere, quam denſitates*. Inſpirato itaque aere per tracheæ fiſtulas elevantur coſtæ, diaphragma deprimitur, & pectoris cavum neceſſario ampliatur; ſic quæcunque veſiculæ pulmonares amplexu aeris quaſi ſphærice turgeſcunt; portio itaque aeris, quæ inferiorem pulmonum partem occupat, cum neceſſario preſſionem aeris ſuperiores partes occupantis ſucceſſivo veſicularum dilatatarum continentium contactu quodammodo pati conetur, inferior aeris quantitas ſuperiori proculdubio aliquantulum denſior fiet; quamobrem cum denſitates ſint elaſticitatibus aeris quamproxime homologæ, cumque veſicularum inferiorum numerus multo major ſit numero ſuperiorum, (ut n. 19. innuimus) certe vis aeris inferiores veſiculas occupantis multo major erit vi illius, qui in ſuperioribus veſiculis jugulum verſus continetur; quare facile crederem, initium expirationis juvari non parum a vi aeris inferioris magis denſi ac compreſſi, & conſequenter magis elaſtici ſuperiores veſiculas urgentis; etenim hujuſmodi ratio aeris inferioris, cum ulterius, pulmonibus naturaliter ſe habentibus, preſſionem pati non poſſit a ſuperiori ſuperincumbente ac ſupranitente, nec ultro denſior fieri debeat, opus eſt, inferiorem magis compreſſum urgere debuiſſe ſuperiorem aerem, ea videlicet ratione, qua prius ſuperior inferiorem compreſſerat; cum autem ſuperior aer, prout minus denſus, & ratione pauciorum veſicularum quantitate minor ſit, minore propterea feret reſi-

(a) Fig. 2.

(b) Fig. 3.

(*a*) Diſſertatione de cauſis, quibus fluit ſanguis per pulmones.

(*b*) Epiſtola prima de Pulmon. ad Borellum.

resistentiam actioni & viribus majoribus elasticis aeris inferioris; idcirco inferior aer valide urgendo, magisque dilatando contingentes vesiculas, & ab his communicato proximis tangentibus & superioribus vesiculis successivo contactu, superior aer ab inferiori valido nisu per bronchiorum foramina versus asperam arteriam aperta foras expelli debebit, ut tandem aliquando inferior quoque aeris portio completa exspiratione successive eliminetur; sic tali methodo aeris operantis, inspiratio, & expiratio reciproco & naturali motu exercentur; Verum si viribus aeris inferioris superiorem valide urgentis opponatur materia quædam lymphatica, aut alterius generis e glandulis tracheæ decidens, quæ bronchiorum foramina obstruat, tunc cum exitus aeris superioris expellendi ab elastica vibratione inferioris ægre fieri possit, resistentiam feret impulsui inferioris; quapropter oppositis viribus corporum contraoperantium grave asthma fiet, aliquando hæmoptysis, aliquando vero retardato motu sanguinis pulmonum inflammatio.

22. In hac re quærens actionem & momentum exspirationis, alte miratus sum legens ex supputationibus Bernollianis a Clarissimo Michelotto relatis dilucideque explicatis, actionem & momentum fortissimæ exspirationis, qua aer non solum ratione suæ elasticitatis, verum etiam opere musculorum thoracis & diaphragmatis per laryngem expellitur, tam magni momenti esse, ut colligat Celeberrimus Auctor; *Velocitatem aeris fortissimo spiritu per laryngem expulsi absolvere posse eodem illo tempore unius minuti secundi pedes* 390. *id est* 400. *pedes, id quod ita intelligi velit, nimirum aerem ex ore impulsum, nisi statim dissiparetur, sed uniformi cum velocitate, quam primo instanti habet; pergere posse singulis minutis secundis, vel singulis arteriæ pulsibus excurrere* 400. *pedes Parisienses*; quam sententiam ulterius confirmat Epistola, quam magnus vir Joannes Bernollius Clarissimo Auctori conscripserat; verum mirari desii, ut animadverti Bernollium & Michelottum de fortissima, non autem de placida, lenique exspiratione sermonem habuisse; Ad superiora itaque redeundo, certum est, actionem inspirationis & expirationis magnum opus esse, ut natura fluidorum leges opportune regat; inspirato enim aere pulmonares vesiculæ superficiem quasi sphæricam obtinent, exspirato vero aliqualiter connivent, & laxatis quodammodo fibrarum ordinibus a quasi sphærica, ad quasi sphæroidalem superficiem leniter declinando deveniunt; hoc autem motu reciproco vesicularum, venæ & arteriæ vesiculis circumscriptæ, in inspiratione comprimuntur, in exspiratione laxantur, sanguis itaque contentus inspirando magis stringitur & atteritur, attritus vero succedente exspiratione particulis, quibus componitur opportune miscetur; hæc autem attritio, sive resolutio necessaria est, chylus enim mox sanguini associatus, nunquam debita agitatione, mistioneque opportuna perfici poterit, nisi vesicularum pulmonarium oscillatorio motu circumpositæ vasa elastice urgeantur; Licet vero celeberrimus Alphonsus Borellus (*a*) impossibile, aut saltem difficillimum censeat, partes sanguinis heterogeneas quantumvis attritas ac resolutas in pulmonibus inter se commisceri, angustissimorum canaliculorum culpa; nihilominus immortalis Malpighius totis viribus in opere posthumo pag. mihi 14. Borelli sententiam studet evertere, attritionem corporum & debitam mistionem in pulmonaribus vasculis positurus; Quotiescumque autem agitatio, attritio & opportuna mixtio corporum in canalibus pulmonum satis apte exequatur opere præcipue elasticitatis aeris, vesiculas & consequenter circumsepta vascula reciproco motu dilatantis; proculdubio ex Malpighio suspicari ulterius possem, motum quoque sanguinis per pulmonaria vasa ad spiralem aut quasi spiralem inclinandum esse, (ut num. quoque 7. indicatum est;) Inquit etiam immortalis Auctor eodem opere posthumo loco citato: *His accedet sanguinem in pulmonibus duplici motu agitari a corde videlicet, & ab elatere aeris*, aut adderem ego, ab elatere vesicularum, si non placeat, aerem in pulmonaria vascula sanguifera trajicere cum Malpighio; *primo motu natura tentat motum rectum, in secundo fiunt, ex laterali compressione motus contrarii a circumferentia ad centrum, unde motus rectus perturbatur, quare ex his necessario sequitur mixtio, & attritio particularum sanguinis:* Cum autem ex duobus hisce motibus eodem tempore exercitis, quorum unus rectus est, transversalis alter, necessario componatur motus quidam ex utroque motu compositus, qui necessario ex mechanicis inclinatus est & obliquus, videlicet quasi spiralis conjectari licebit, motum sanguinis per pulmonaria vasa accedere posse ad motum quasi spiralem, vi cujus quoque felicius resolvuntur, & atteruntur corpora, & attrita debite miscentur, quidquid sit tamen de hoc.

23. Conjectari liceat actionem inspirationis & exspirationis non fieri tantummodo a motu musculorum intercostalium, actione diaphragmatis & opere elastico vesicularum pulmonarium; verum etiam adjuvari a motu peristaltico vasorum reticulariter positorum circa pulmonares bronchiorum vesiculas; Enimvero autopsia constat, fibras omnes, & multo magis vasa quælibet ex fibris nerveis, muscularibus & membranosis elaborata peristaltico motu dotari; hujusmodi autem peristaltici motus artificio fibræ omnes post statum naturalis elongationis, intra sese contrahuntur & resipiscunt; quæ actio arteriis quoque & venis naturaliter accidit: & sane clarissimus Lyster (*b*) omnia prius edocuit, inquit enim: *Pulmonum vasa propter æqualem connexionem cum bronchiis extendi & ampliari & similiter abbreviari & constringi*. Deinde vasorum pulmonarium abbreviatio aliunde fieri potest; vasa enim pulmonaria modo ingrediente aere erecta sunt & extensa, postmodum egrediente aere inflexa & inclinata laxantur & decumbunt; Vasa itaque arteriosa pulmonaria cum venosis retis in modum efformata placeat primo observare juxta naturalem longitudinem, postmodum vero intra sese contracta & abbreviata, ut exigit naturalis actio motus peri-
(*a*) staltici. Itaque supponatur arteria O D C, (*a*) quæ venæ C M O
Fig. 4. retis in modum unita sit in punctis connexionis O & C; sintque ambo vascula juxta rationem naturalis altitudinis O D & C M; naturalis vero latitudinis D C & M O describantque simul unita quadrangulum rectangulum O D C M. Postmodum opere motus peristaltici reciproca actione vascula hæc contrahantur, & abbrevientur; ita ut rectangulum O D C M contrahatur in rectangulum E D C F minoris altitudinis, ut evidenter in motu lumbricorum hujusmodi actiones facile observamus; certum est, vesiculas pulmonares contentas in spatio rectanguli O D C M majoris altitudinis eo tempore, quo spatium hoc contrahitur, in spatium rectanguli E D C F minoris altitudinis non parum constringi, & contractis quoque latitudinalibus vasculis multum contrahi ac minui spatia rectangula, quare aer necessario per aperta bronchiorum foramina versus asperam arteriam educendus erit.

24. Supponatur modo alter casus abbreviationis & contractionis, nempe arteriam O C D, & venam D M O (*b*) retis in modum inter se unitas in punctis connexionis, O & D, mutatisque angulis deflecti & inclinari; ita ut eadem vascula describant rectangulum rhomboideum F C D B priori O C D M isoperimetrum, producaturque recta F B. in E; manifestum est ex geometricis rectangula F C D B & E D C A cum sint sub eadem basi D C, & inter easdem parallellas D C, & E B F esse inter se æqualia; (*c*) sed rectangulum E D C A minus est rectangulo O C D M, eo quia sub æqualibus O M & D C latitudinibus rectangulum O C D M majoris est altitudinis, rectangulum vero E D C A minoris est altitudinis: ergo etiam rectangulum rhomboideum F C D B licet rectangulo O C D M isoperimetrum, minus erit rectangulo O C D M; quare etiam in hoc casu vasa reticulariter posita, quotiescunque a positione recta spatii rectanguli O C D M devenerint ad positionem inclinatam, aut inflexam sub spatio rectangulo F C D B, inscriptas, contentasque vesiculas pulmonares necessario comprimunt, aeremque contentum foras expellent; quamobrem ex his utroque modo facile licebit arguere vasa arteriosa & venosa pulmonum, figuram retis componentia, quotiescunque extiterint in statu naturalis elongationis dilatationi vesicularum contentarum, inspirationi videlicet aperte conferre; in statu vero contractionis aut inclinationis vasorum contractioni vesicularum seu exspirationi facile auxilio futura esse: Quoties itaque in vasis pulmonaribus organico vasorum vitio elastica actio, aut imminuta sit, aut ablata; tunc deficiente opportuno impetu contra objectas bronchiorum vesiculas exspirationem quoque infirmari necessarium est; quapropter cum ob imminutam exspirationem tota aeris quantitas nondum fuerit e bronchiis egressa, succedente postmodum inspiratione, minor aeris quantitas pulmonares vesiculas ingredi potest; unde defectu corporum opportune elasticorum minor motus agitationis, attritionis, & mixtionis in particulis sanguinis, & iners motus in organis pulmonaribus naturalem & necessariam respirationem enervant: Colligendum itaque, bronchia motu inspirationis urgere vasa sanguifera, & reciproce vasa compressa sua vi elastica æqualem & proportionalem impetum in bronchiorum vesiculas restituere; ex his ulterius conjectari licebit, in extremitatibus & peripheria pulmonum sedem legitimæ pleuritidis ponendam esse, eo quia, cum in peripheria pulmonum minora, aut minima sint vascula, quorum momentum proportionaliter renue est ac leve; si vitio inspirati aeris, aut seri defluxi e lymphaticis vasibus pulmonares vesiculæ ad majorem superficiem dilatentur; tunc cum sectiones minimarum arteriarum & venarum ea ratione stringantur, qua vesicularum sectiones magis extensæ fuerint, certe vesicularum dilatatio aliquando tam magna fieri poterit: ut minimæ illæ arteriæ ac venæ omnimode claudantur, idcirco impedito sanguinis circulo in extremitate ac peripheria pulmonum, ibi fiet radix futuræ inflammationis, *legitimæ videlicet Pleuritidis* origo & basis. Verum cum vasa majora pulmonum sectionibus majoribus donata quoque sint, majorique momento dilatescant, a vesiculis circumpositis quantumvis supra legem dilatatis, aut a præternaturali momento aeris, aut a copia seri defluxi non adeo stringentur, unde horum vasorum sectiones non graviter impedient, quin sanguis convenienti libertate possit effluere; cæterum si gravi fato in majoribus quoque canalibus massa sanguinis aut vitio seri, aut organi incipiat lentiori pede incedere, tunc graviori respiratione & angustia gravior quoque morbus emerget, quem *Peripneumoniam* poterimus nuncupare. Itaque pluries suspicatus sum, veram pleuritidem a peripneumonia ratione loci tantummodo differre, eo quia in legitima pleuritide in minoribus præcipue, minimisque pulmonarium canalium sectionibus sanguinis motus impediatur: in peripneumonia vero in majoribus quoque canalibus lentescat; ita tamen ut utriusque morbi sedes sit ipse pulmo; Ex his clarum est, quam facile transitus fieri possit a vera pleuritide ad peripneumoniam, eo quia quoties sanguis lentescere, aut impediri incipiat in extremis vasculorum finibus sive peripheria pulmonum, opus est, sanguinem ibi lentescentem advenienti novo sanguini impedimentum esse allaturum, sicque communicato canalibus quoque majoribus ipso sanguinis impedimento parari quoque poterit facilis via ad peripneumoniam elaborandam; quare licebit suspicari, *Spuriam Pleuritidem* vere non in pulmone, sed extra pulmonem, in musculis videlicet respirationi inservientibus, aut intra musculos & pleuram ponendam esse, ut frequentes cadaverum sectiones palam ostendere visæ sunt.

(*b*) Fig. 5.

(*c*) per 31. Euclidis.

25. An autem particulæ aeris per bronchia excurrentes sanguinem ingrediantur, nondum adhuc a dimicantibus Anatomicis & Philosophis determinatum est; certum tamen est, aereas particulas sanguini adesse, ut evidenter impositio sanguine in machina Boyleana clare innotescit, ibique elaterium suum exercet; hæ fortasse cum fuerint chylo commixtæ, facile in sanguinem traductæ fuerunt; Malpighius tamen licet ingressui aeris in pulmones assentiri videatur: nihilominus non aerem absolute, sed probabilius putat, *quid latitans in aere & aqua etiam summe mobile & activum separari, quod fortasse luminis naturam sapit; ex urina enim, quæ est portio sanguinis luminosum corpus coruscans, famamque concipiens extrahitur, ut patet in Phosphoro Nobilissimi Boylei, Oper. Posth. pag.* 16. Sed hæc mira non sunt, ante enim Malpighium non ab aere & aqua tantum luminis particulas educi creditum est; verum celeberrimus Pater Grimaldus Societatis Jesu semper laudandus *prop.* 47. *n.* 1. *de Luce & Lumine*, in putrido ligno, noctiluca & vermibus mirandam vim ad producendum lumen esse docuit, inquit enim: *Gratis & immerito suspicaretur aliquis, quod modicus ignis, aut lignum putridum & noctiluca, aliudve sive animaculum, non habeat facultatem gignendi in se lumen, illudve ad multorum milliarium distantiam ejaculandi tanto impetu, ut citissime ac per lineas semper rectas procedat, tum directe, tum reflexe, tum denique refracte.* Clarissimus quoque Vallisnerius tot meritis ubique celeberrimus, tum in Italia, cum in Indiis aliquas cicindelas mihi indicare dignatus, est (*c*) quæ multum luminis ejaculantur; quare tanti præceptoris testi-

(*a*) Pag. 108. secundi Tom. de motu Animalium.

(*b*) Dissertatione De Humoribus pag. 20.

(*c*) Epistola die secunda Decembris Anno 1722.

teſtimonio fretus facile credidi, quæ tam celeberrimi viri antea docuerunt. Sed relictis his, licet intento noſtro opportunis, redeo ad Malpighium, qui in noctilucæ obſervationibus Anglicanæ ſocietati traditis, notat concavitatem binis ultimis inciſuris noctilucæ excitatam, ſucco quodam repleri, qui fons eſt luminis: *Malpighius in Oper. Poſth. pag.* 85. Quamobrem ex his non mirabor, ab aere etiam & aqua ſanguinis animati animalis pulmonum opere, ſeparari quoque luminoſa corpuſcula & per pulmones in maſſam ſanguinis ejaculari, ibique hanc inteſtinis motibus agitari; etenim cum luminoſæ particulæ mobiliſſimæ ac tenuiſſimæ ſint, veſicularum pulmonarium foraminula ſubire facile poſſunt, & in tangentia venarum & arteriarum vaſcula eadem lege penetrationis introire; verum ingreſſæ citiſſimo motu objecta fluidorum corpora valide urgent, totumque ſanguinem inteſtina ac multiplici agitatione ſuccutiunt; ex his fortaſſe luminoſis corporibus ſanguinem ingreſſi, parum, aut minimum reſtactis alte rubeſcit in pulmonibus ſanguis, quam ruboris indolem ultro aereo fortaſſe minus recte clariſſimus Mayovius adſcripſerat; Scio quidem in chymicis ſalia volatilia, ſi cum ſulfureis ſpiritibus opportuna mixtione digerantur, tincturam quoque rubicundam induere, quæ præcipue in ſanguine pulmonari ex ſimilium corporum debita mixtione poteſt contingere, nihilominus cum hujuſmodi phænomena, quæ ad colores ſpectant, luminoſis corporibus præcipue debeantur; propterea in hac re pro particulis luminis ab aere ſeparatis per pulmones, & in ſanguinem ingreſſis Malpighii ſententiæ facile aſſentirer; Hinc ſignificandum eſt, in cœnoſo aere & impuro ſanguine minus lucis, minuſque particularum luminis adeſſe, quarum vi particulæ ſanguinis & lymphæ minus agitatæ coguntur imminuta agitatione, attritione & mixtione lenteſcere, Hinc inflammationes, hydrops pectoris, aut læſio reſpirationis paulatim accedunt, quidquid ſit tamen de ingreſſu aeris in pulmones, certum eſt, a vitiato, aut peſtilenti aere brevi tempore ſanguinem vitium trahere, innumeram timendorum morborum familiam allaturum, quin imo non tenuis malorum numerus ab aere quoque nimis elaſtico, aut nimis compreſſo ſortitur. Enim vero ſi forte contingat pulmonares veſiculas mulctatas eſſe materia quadam e glandulis tracheæ decidua, in bronchiis lenteſcente; ut in aſthmate humido; aut ſpaſmodice contractas eſſe in minores areas; ut in aſthmate ſicco: tunc debita quantitas aeris a dilatione naturali thoracis impulſa in pulmones, cum non tota placide contineri, aut libere vagari poſſit intra pulmonares veſiculas, fas eſt, eam quantitatem aeris intropulſam denſiorem fieri, nimiſque compreſſam detineri in veſiculis: velut in ſtatu violento; ibi autem cum denſitates ſint elaſticitatibus quamproxime in ratione homologa, cumque vis elaſtica compreſſi aeris otioſa diu permanere non poſſit; validiori niſu, quam par eſt, urgebit & vim faciet contra vaſa circumjacentia, vi cujus canalium ſectiones imminutæ fient; unde libertate ſanguinis circulantis aut impedita, aut imminuta, factoque motu ſanguinis aſymmetro, laborioſa & gravis ſuccedet reſpiratio, & pericula inflammationis & ſuffocationis aliquando minabuntur.

26. Verum non iſtæ tantummodo ſunt aſthmatum & morborum pulmonarium cauſæ, faciliores fortaſſe & ſæviores occurrunt; ſiquidem ſi ſeri particulæ a lymphaticis, aut e tracheæ glandulis in pulmonares veſiculas decumbant, ibique adeo colligantur, ut ſpatia illa glandularum impleantur, ab aeris particulis occupanda: proculdubio enorme pondus in pulmonibus emerget. Ut autem hæc magis manifeſta fiant, neceſſarium putavimus pondera aeris & ſeri quamproxime indagare, cum autem pondus ſeri facilius haberi poſſit, ſi cum pondere aquæ communis comparari curaverimus, propterea ut intento noſtro probabilior & proximior ſuccedat eventus, nonnullas analogias præmittendas neceſſarium credimus inter ſerum & aquam communem diverſi generis & regionis, ut determinatum ſeri pondus colligere facilius poſſimus. Itaque notandum eſt, celeberrimum Jacobum Hermannum *lib.* 2. *pag.* 171. *Phoron.* ex ſupputationibus magni Jacobi Bernollii facile demonſtrare, gravitatem aeris ad gravitatem aquæ fuiſſe in ratione 1. ad 800. Celeberrimus autem Taylor Anglus *pag. mihi* 104. *Methodo incrementorum directa & inverſa* expoſuit experimentum a clariſſimo Haukesbejo factum, oſtendens aeris denſitatem mediocrem ad denſitatem aquæ eſſe proxime, ut 1. ad 820. cum denſitates corporum ſint ponderibus eorundem proportionales; idcirco pondus quoque mediocre aeris ad pondus aquæ communis Anglicæ erit ut 1. ad 820. proxime. Ita Archibaldus Pitcarnius Scotus, *pag.* 189. *de fluxu menſtruo*, expertus eſt, gravitatem aeris ad gravitatem aquæ Scoticæ eſſe circiter ut 1. ad 1000. pariter nobiliſſima Academia Florentina *Experimento* 255. obſervavit, pondus aeris ad pondus aquæ communis fuiſſe in ratione 1. ad 1179. proxime. Ulterius acutiſſimus Pater Franciſcus Lana *in ſuo Prodromo pag. mihi* 53. experimentis accuratiſſime inſtitutis expertus eſt, pondus aeris noſtri Brixiani datum vas replentis eſſe ad pondus particularum aquæ Brixianæ idem vas replentis quamproxime ut 1. ad 640. Hiſce itaque præmiſſis placeat ſupponere, quod a Philoſophis ac Medicis pro vero habitum eſt; ſerum nempe ſanguinis præciſe & ſecundum ſe & naturali in ſtatu conſideratum, nil aliud eſſe, quam ipſamet aqua communis; ut prima quoque Diſſertatione numero 2. indicatum eſt. Omnes ſiquidem aqua communi veſcimur & nutrimur, quare ſerum ſanguinis ſecundum ſe erit aquæ communi quamproxime proportionale; quapropter colligi poteſt, aquam unius loci ſub eodem volumine eſſe quamproxime ad aquam alterius loci ſub eodem volumine: ut homologe eſt ſerum ſanguinis alicujus hominis in primo loco ſub eodem volumine ad ſerum alterius hominis in ſecundo loco quamproxime & ſub eodem volumine; & permutando erit aqua unius loci ad ſerum ſanguinis unius hominis in hoc loco & ſub eodem volumine, ut aqua communis alterius loci ad ſerum ſanguinis alterius hominis in hoc altero loco quamproxime; quare juxta noſtrum propoſitum erit pondus aquæ communis Brixianæ ſub eodem volumine ad pondus ſeri noſtri ſanguinis naturaliter ſe habentis, ut quamproxime eſt pondus aquæ communis Anglicæ ad pondus ſeri Anglici ſanguinis humani; ſed pondus aquæ noſtræ communis eſt ad ſerum ſanguinis noſtri (*per num.* 16.) in ratione granorum 1749. ad 1803. proxime; ergo etiam homologe pondus aquæ Anglicæ gnanorum 820. erit ad pondus ſeri Anglici ſub eodem volumine, ut 820. ad 845. $\frac{555}{1749}$ proxime; quare fiet analogiſmus ut 1749. 1803 : 820. 845. $\frac{555}{1749}$ Veritas autem

tem hujus analogiſmi innoteſcit quoque uſu logarithmorum; facta ſiquidem ſumma logarithmorum reſpondentium ſecundo & tertio numero proportionali & ab hac ſubtracto logarithmo primi numeri abſoluti emerget logarithmus 2,9271197. quamproxime indicans, quartum numerum proportionalem quæſitum eſſe 845. $\frac{555}{1749}$; Sed pondus aeris per experimentum relatum a celeberrimo Taylor ad pondus aquæ Anglicæ eſt ut 1 ad 820; ergo etiam pondus aeris ad pondus ſeri ſub eodem volumine cum aqua Anglicana erit proxime ut 1 ad 845 $\frac{555}{1749}$

Pariter cum pondus aquæ noſtræ ad pondus ſeri noſtri ſub eodem volumine ſit granorum 1749 ad grana 1803 proxime erit pondus aquæ Scoticæ granorum 1090. ad pondus ſeri ſanguinei Scotici ſub eodem volumine, ut grana 1000 ad grana 1030. $\frac{702}{1749}$ proxime; ſed pondus aeris ad pondus aquæ Scoticæ eſt per Archibaldum Pitcarnium ut 1 ad 1000; quare erit quoque pondus aeris ad pondus ſeri ſanguinei Scotici, ut 1 ad 1030 $\frac{1530}{1749}$ proxime.

Ita rurſus cum pondus aquæ noſtræ ad pondus ſeri noſtri ſub eodem volumine ſit granorum 1749. ad grana 1803. pondus quoque aquæ Florentinæ granorum 1179 erit ad pondus ſeri ſanguinis Florentini ſub eodem volumine, ut grana 1179 ad grana 1215; $\frac{702}{1749}$ ſed pondus aeris Florentini (per experimentum 255 Academiæ Florentinæ) ad pondus aquæ Florentinæ eſt proxime ut 1 ad 1179 ergo etiam pondus aeris ad pondus ſeri ſanguinei Florentini erit proxime ut 1 ad 1215 $\frac{702}{1749}$

Denique cum pondus aquæ noſtræ ad pondus ſeri ſub eodem volumine ſit proxime granorum 1749. ad grana 1803; pondus quoque granorum aquæ noſtræ communis Brixianæ 640, erit ad pondus ſeri Brixiani ſub eodem volumine, ut 640 ad pondus granorum $659\frac{1329}{1749}$ proxime, ſed pondus aeris ad pondus aquæ noſtræ communis eſt ex Patre Lana in ratione 1 ad 640 proxime; ergo etiam pondus aeris ad pondus ſeri noſtri ſanguinis ſub eodem volumine cum aqua noſtra communi erit proxime, ut 1 ad $659\frac{1329}{1749}$; quare fiet ultimus analogiſmus ſit, ut 1749. 1803 : : 640. $659\frac{1329}{1749}$; hæc autem quarta proportionalis innoteſcet quoque uſu logarithmorum; etenim juxta horum regulas operando emerget logarithmus 2. 81 92850 proxime indicans quartum numerum proportionalem quæſitum eſſe $659\frac{1329}{1749}$

Hiſce itaque repertis accedimus rationabiliter conjecturis; enim vero ſi una veſicula pulmonaris contineat naturaliter particulas aeris, cujus pondus ſe habeat ut unum; ſi poſtea hæc eadem veſicula aqueis particulis repleatur, neceſſario pondus aquearum particularum erit proxime in ratione 640. ad 1; cum autem ſerum ſanguinis gravior ſit aqua communi ſub eodem volumine in ratione probabiliter proxima granorum 1803 ad 1849, per regulas proportionum quoque manifeſtum jam eſt, gravitatem ſeri ſanguinei in eandem veſiculam defluxi e glandulis tracheæ, & in eadem veſicula contenti fore proxime in ratione $659\frac{1329}{1749}$: Quamobrem palam eſt, quam facile pulmo vitiari poſſit, & in immenſum alte gravari, quotieſcunque non una tantum, ſed plures veſiculæ pulmonares loco aeris, cui expediendo deſtinantur, ſeri particulis repleantur; Hinc conſtat, quam grave onus ferre debeant pulmones, quoties ſeroſis humoribus ſaginantur, quamobrem fas eſt oriri neceſſario altam reſpirationem magnumque anhelitum fieri, & animal moleſtiſſima anxietate, ac ſtertore cruciari cum periculo ſuffocationis, aut ſaltem facillimæ diſpoſitionis ad pulmonum hydropem elaborandum; quæ omnia paſſim contingere poſſent, niſi natura continuata expiratione & aſſiduo excreatus opere a fluenti humorum ſarcina paulatim liberaretur.

DISSERTATIO III.

De motu ſanguinis per univerſum Corpus cum Mechanicis morborum cauſis.

PUlmonum morbis brevi ſtylo exaratis inſtituti noſtri ordo exigit, reliquorum morborum familiam quærere, horumque cauſas eadem mechanica, brevique methodo, quantum rationales conjecturæ ferunt, invenire; ſanguis itaque tum aſcendens, cum deſcendens impulſui cordis motum debet, & quoties natura languente cor non otium fecerit, conatur impulſus ſanguis ima & ſumma naturæ loca rimari; verum quia ſæpiſſime fluidum hoc expulſa innocentia vitium trahit, propterea & naturalis hujus fluidi motus gravi naturæ incommodo ſequitur ſanguinis culpam, & ambo funeſto morborum numero animal diruunt; quæ omnia ut quæram, ſuperius conjectura nos docuit numer. 15. : ; momentum ſiniſtri ventriculi multo majus eſſe momento dextri; cum enim a ventriculo ſiniſtro ſanguis per univerſam animalis machinam ſupra & infra eodem tempore projici debeat, certe ventriculus ſiniſter tantis momentorum gradibus donandus fuerat, utpote majoribus & robuſtioribus fibris munitus tanto oneri opportunis. Itaque a ventriculo ſiniſtro ejaculatus ſanguis arteriam magnam ingreditur, quæ obſervantibus Anatomicis ad quatuor circiter digitos indiviſa totum ſanguinem quantitate & impetu amplectitur. In hujuſmodi arteriæ magnæ principio animadvertit Clariſſimus Bellinus amplitudinem arteriæ,

fiæ, quæ cordi affigitur, minorem esse amplitudine maxima sinistri ventriculi, sanguis idcirco a ventriculo expulsus cum non totus intra capacitatem arteriæ cordi affixam per quatuor circiter digitos contineri possit, incipit urgere arteriæ latera, quæ extrorsum quaquaversus dilatata inchoant motum pulsationis arteriarum; in hoc arteriæ magnæ principio hujusmodi sectionem circularem inquirendi necessitas postulat, quantitatem sanguinis dato tempore transeuntis, quantum possibile est, investigare. Itaque licet sectiones arteriarum variæ ac diversæ sint juxta varias hominum moles, ætates ac figuras; nihilominus ex mediocri hominum altitudine pluties observata collegi, arteriam magnam prope basin, & per quatuor ul-
(a) Fig. 6 & 7. tra digitos, ut plurimum huic diametro A B accedere (*a*); Methodo autem lineæ circini proportionum divisa est linea diametri A B in 25. partes æquales; quare ex data diametro facile ex Geometricis reperire datum erit sectionem circularem arteriæ ejusdem: sit enim diameter A B circuli quæsiti partium 25——b, eritque quadratum diametri——b b partium 625; area itaque quæsita supponatur ——y; Hisce suppositis cum ratio quadrati ad circulum inscriptum sit proxime *ex Archimede*, ut 14 ad 11, fiatque 14——c; 11 vero ——c; erit ergo Analogismus ut c. e :: b b. y; quare ex Geometricis erit æquatio c y —— b b e, & dividendo æquatione per c, erit y —— bbe / c ——cum autem quadratum b b sit——625. & c sit——11, erit productum b b c—— 6874, quod divisum per c —— 14, erit —— —— 491 —— seu juxta methodum decimalium —— 490. 625. pro valore quæsito quantitatis y; quare sectio circularis ABEF; seu area quæsita arteriæ magnæ prope basin, cujus diameter est A B divisa in 25 partes, erit partium decimalium 490, 625. —— y; Sic facto
(b) Fig. 8 quadrato diametri MN (*b*) Arteriæ magnæ descendentis in sexdecim partes divisæ superioribus æquales, erit hoc partium 256; unde repetietur area circularis MONP arteriæ magnæ descendentis fore partium 200, 960 proxime: eadem methodo facto quadrato dia-
(c) Fig. 9. metri QR (*c*) arteriæ magnæ ascendentis in 12 partes divisæ erit hoc partium 144, quare fiet area circularis QSRV arteriæ magnæ ascendentis partium 113, 040 proxime.

28. Ex his sectionibus ascendentis & descendentis arteriæ magnæ aperte constat, quanta futura sit sanguinis quantitas per singulas sectiones transiens quacunque systole, cum enim a vi impetus sinistri cordis sinus impellatur utplurimum sanguinis uncia, nempe grana sanguinis 480 (*juxta Vecheri mensuras*): ut cordatiores judicant Anatomici; cumque ratio sectionis circularis ascendentis arteriæ ad sectionem circularem descendentis, sit ut 113. 040. ad 200. 960. / 1 juxta decimales, seu ut 12 ad 21 —— proxime; proculdubio juxta hanc / 3 rationem divisa quantitas sanguinis granorum 480, ibunt naturali / 18 lege & remotis impedimentis, grana sanguinis 174—— per sectio- / 15 / 33 nem ascendentis, & grana sanguinis 305 —— ibunt per sectionem / 33 descendentis arteriæ magnæ. Reperta autem sectione arteriæ magnæ juxta rationem datæ diametri, animadvertendum est, hujusmodi sectionis peripheriam non statim conice stringi, sed per quatuor digitos productam usque ad divisionem arteriæ nullam parere sanguini resistentiam; hoc autem summo consilio a natura factum videtur, ne per primum illud arteriæ magnæ spatium facta sanguini resistentia, rettopulsus sanguis impedimento esset successuro & motui libero sinistræ auriculæ. Cæterum hoc vitium facile accideret, si aut callo, aut tuberculo, aut polypo vestiretur arteriæ principium, inæquales & inordinatas pulsationes patiturum, gravi vitio ordinatæ circulationis.

29. Modo secuturi motum sanguinis per aortam descendentem / 15 conjectamur, grana sanguinis 305 —— nempe drachmas quinque pro- / 33 xime, singula pulsatione inferius vibrari, sanguis autem, utpote grave corpus inferius descendendo variis motibus agitatur in arteria; quamobrem acturus de morbis supra & infra cor, ibi universaliter præmittendum est, experimentis notum esse, eodem & æquali tempore pulsum vibrari in dextro carpo manu inferius demissa, ac in sinistro manu elevata; eodemque tempore vibrationem pulsus in utroque demisso carpo sentiri, ac in arteriis tempotum, & in arteria cæliaca; quare ex chirurgicis observationibus manifestum est, eo & æquali tempore, quo cordis systoles vibrat quantitatem sanguinis, ambas cerebri menynges pulsationes suas edere cordis pulsationibus isochronas; quare ex his Celeberrimus Bellinus *in suo tractatu de pulsibus pag. mihi* 50. animadvertit, impetum per omnes arterias sanguini imprimi eo puncto temporis, quo cor constringitur: Præterea certum est, ut num. quoque xi. innuimus, ramos majores arteriarum dividi in minores, & minores in minimos, & consequenter sanguinem a majoribus ramis fluere in minores, & a minoribus in minimas ramificationes; cum autem in vasculis toties divisis decrescant semper vasorum circumferentiæ, proportionaliter quoque augebuntur sanguini resistentiæ, & sic majora fient decrementa velocitatum sanguinis; idcirco ad ultimas minimarum arteriarum ramificationes delatus cum continuo & successivo decremento velocitatum, tandem aliquando deveniet ad motum quasi minimum: sic flumina quantumvis velocissima in plures, pluresque ramos divisa acquirunt singulis canalium divisionibus proportionalia semper decrementa velocitatum; inde experimur, sanguinem e capillaribus, minimisque canalibus carnium incisarum tali lento pede, quantumvis continuo, effluere, ut guttatim exstillet. Id vero præ aliis adversus celeberrimum Jacobum Jurium Societatis Regiæ Londinensis Secretarium demonstravit accuratissime Michelottus (*a*): Cæterum hanc rem legi quoque firmatam a doctissimo Bernardino Zendrino in celebri tractatu *de China china* referente, proportionem motus sanguinis a corde expulsi per magnam arteriam ad motum sanguinis in capillaribus vasculis observatam fuisse a clarissimo Jacobo Keillio in ratione 1000, 000, 000, 000, 000, 000, 000, 000, *Sydenham Opera Medica*.

(*a*) De separatione fluidorum pag. 101, 102.

000, 000, 000, 000, 000, 00 ad unitatem: quamvis hujusmodi proportio præcise definiri non possit, ut pluries animadvertit laudatus Michelottus *de Separatione fluidorum &c.*

30. Itaque arteria descendens plures ramos intercostales primo distribuit, qui per costarum musculos effusi morbos pariunt vitio respirationis; sic sanguis in arteriosis canalibus, aut ultro lentescens, aut aliquando stagnans, nec a venis facile exceptus, quantum par est, dolores laterum facile parat; sic musculi intercostales a fixato aut lentescente sanguine obruti ægre elevant costas & deprimunt; sic diaphragma particeps vitiati motus costarum parum & ipse deprimitur & elevatur respiratione aut ablata, aut imminuta. Infra intercostales musculos phrenica arteria per totum diaphragmatis spatium excurrit arteriosum sanguinem diaphragmati donatura, proculdubio si sanguis aut nimio motu, aut densitate peccaverit, tunc diaphragmatis planum obruitur parta inflammatione; sic si nimia sanguinis copia, aut lentescens sanguis diaphragma inundet, tunc muscularia spatiola implentur, & circumferentia diaphragmatis contracta ad centrum accedere cogitur. Diaphragma autem costis alligatum costas itidem trahit ad centrum diaphragmatis, ibique arcte retinet: sic costis non libere elevatis, nec expansis pulmonibus, & aere minori quantitate in ipsos ingrediente fit inspiratio imminuta, & expiratio nimium languida; præterquam quod diaphragmatis planum plus justo ponderosum, magisque iners ad motum, nec ascendenti chylo viam & manum affert, nec pulmonibus libertatem: aliquando convulsis, contractisque nervis diaphragma excurrentibus stringuntur atteriarum sectiones impedita fluenti sanguinis libertate: musculares itidem fibræ eadem lege convulsæ manent contractæ, & nullo motu peristaltico serpentes sanguinem in otio tenent, ne ulterius in venas feratur; ex his expolita jam incommoda magis succrescunt, & concursa nervorum cerebri quoque opera diruuntur.

31. Infra diaphragma excurrit arteria cæliaca, cujus dexter ramus tribuit ventriculo gastricam dextram & omento epiploicam, pancreati dat pancreaticam, duodeno duodenam, cysticam felleæ vesicæ, & hepaticam hepati elargitur arteriam; sinister vero ramus gastricam minorem parit, quæ per mediam ventriculi regionem effusa partitur, & coronatiam stomachicam superiori ventriculi orificio donat, cingitque coronæ ad instar, & gastricam sinistram, quæ deorsum ad ventriculi superiora & ad pylorum transfertur; sinister quoque cœliacæ ramus emittit gastro epiploicam, quæ superiore omento suffulta & omento, & sinistro fundi ventriculi lateri ramos tradit; Ulterius quosdam ramos pancreati, & lieni multos elargitur; ex tot autem arteriæ cœliacæ ramis ad tot viscera decurrentibus, manifestum est, horum viscerum labes & vitia facile invicem convenire; etenim si massa sanguinis sylvestri sale gravida vitium fecerit, ea portio, quæ per gastricas arterias & per gastro-epiploicam fluit, regionem ventriculi madefactura stomachi membranas pungit acerrime; sic acriter contractæ vomitum, aliquando singultum, aliquando stomachi dolores, languores, anxietates & lypirias febres ventriculo inflammato parturient; quin imo contractis stomachi fibris contrahuntur quoque arteriæ, & spatia arteriarum fient minora; sanguis propterea succedens cum resistentias majores reperiat, incipit lentescere, cogitque venturum sanguinem per alios vicinos, magisque apertos canales majori quantitate inferius effluere; sic cum arteriæ epiploica, & gastro-epiploica ramos quoque omento donent, fluet sanguis per inferiores omenti ramos; plusquam decet, ea videlicet ratione, ut tantum motus & quantitatis tribuatur vasculis omenti, quantum motus & quantitatis a ventriculi arteriis detrahitur; sicque vitio opportunæ & proportionalis distributionis massæ sanguineæ, tumefactæ magis omenti arteriæ abdomen quodammodo elevant, ut in hypochondriacis sæpissime experimur; sensibiles propterea fient arteriarum pulsationes in abdomine; eo quia cum ex angustia contractorum vasorum stomachi necesse sit sanguinem majori copia per alios vicinos canales, qui canalibus stomachi correspondent, viam quærere; ab augmento quantitatis sanguinis augetur quoque ejusdem velocitas; sic cum a quantitate majori sanguinis dilatentur magis arteriæ, & ab augmento velocitatis celerius distrahantur extrorsum arteriarum latera, opus est ab utraque causa arterias in hypochondriacis affectionibus sensibili magis motu pulsare; quare non semper in hypochondriacis accusanda est nervorum convulsio, non semper flatuum contentorum impetus. Dexter autem cæliacæ ramus cum pancreati, duodeno, & vesicæ felleæ vasa ferat, jungit quoque communione vasorum & pancreatis & duodeni & vesicæ felleæ morbos & vitia; quoties enim sanguis impurus fuerit, pancreatis glandulas deposita fæce facile obstruit, eademque lege arteriarum communicantium impeditis cystis felleæ vesiculis, aut non æque separant adustum sulfur, aut separatum langueseit, iners ac vapidum, quod per choledochum ductum in duodenum delatum inepte in officio est chylo depurando; si forte a succis præterfluentibus irritato duodeno convulsa crispentur duodeni latera, arteriæ duodenum vestientes angustiores fiunt, mutantur arteriarum directiones, & obliquitate facta transeunti sanguini moram ferunt; cogitur idcirco succedens sanguis retardato motu alio declinare, & pancreaticam & cysticam arteriam motu & copia inundare; pancreatica idcirco & cystica majorem sanguinis quantitatem excipientes, quam par est, temporibus æqualibus, & majores prancreati sales, & vesicæ felleæ adusta & acria sulfura largius donant, ambæ suum visceribus incommodum paraturæ: Hujusmodi incommoda sibi parat superius ventriculi orificium, quoties arteria coronaria convulsis nervorum fistulis, quæ per os ventriculi superius repunt, suo in officio otietur, ne sanguinem libero pede ducat.

32. Postmodum magno in officio effusæ serpunt per mesenterium meseraica arteria superior, quæ omnia intestina tenuia, & meseraica inferior, quæ crassa undequaque circumligant; verum quia motum sanguinis per hæc vasa sæpe sæpius a contento flatuum impetu vitiari facile est, non erit fortasse ineptum hac data loci opportunitate circa flatuum vires conjecturas indicare, a quibus & intestina, & vasa intestinalia pati sæpe sæpius contingit. Itaque cum flatuum materia nil aliud esse videatur, quam aggeries particularum aeris, quibus salinæ sulfureæ & aqueæ ciborum solutorum particulæ associatæ sunt, rationabiliter suspicari licet, ex natura aeris flatuum quoque indolem ac vires simili lege nos assequi posse; idcirco numerabo flatus inter fluida difformiter gravia, quorum viribus tria præcipue conspirare visa sunt, *densitas nempe particularum, earundem vis elastica, & calor agens:* Itaque cum densitates aeris

ſint elaſticitatibus quamproxime proportionales, flatuum quoque denſitates elaſticitatibus ſuis quamproxime proportionales habendæ erunt; quapropter cum flatuum particulæ aliquando denſiores ſint, aliquando rariores; quoties flatuum materies denſior fiet, tunc horum vis elaſtica major erit; minor vero, quoties flatuum materies minorem denſitatem exceperit, notum jam eſt, flatus in inteſtinis familiari & conſueto curſu ſurſum, deorſumque decurrere, ut libere aut ſupra, aut infra exire poſſint; neque inteſtinalis familia pati ſolet niſi violenta rectione horum itus, redituſque impediantur; ſæpiſſime autem accidit, aut a contracto nimis ani ſphincterę, aut ab induratis in recto fæcibus, aut a coli valvula nimis tenſa una cum pyloro alte contracto flatus non ea libertate ferri poſſe, ut per ſuperiora, aut per inferiora egrediantur, quo caſu inteſtina pati acerrime opus eſt. Enimvero ſi quantitas flatuum claudatur infra coli valvulam intra inteſtinum rectum, induratæ vero fæces, aut ſpaſmodica contractio ſphincteris ani, horum egreſſus impediant; tunc cum coli valvula introitum donet verſus rectum, regreſſum vero impediat, opus eſt flatus contentos varios denſitatis gradus eſſe acquiſituros, juxta quos, cum horum vis elaſtica ſit quamproxime proportionalis, neceſſe eſt flatuum vires ea ratione contra objectos inteſtinorum parietes elaſtice arietare debuiſſe, quam gradus denſitatis poſtulaverint, cum autem iſti gradus denſitatis aliquando ſummi eſſe poſſint, ſumma quoque vis elaſtica flatuum futura erit damno ſummo inteſtinorum. Præter denſitatem urget vim elaſticam circumjacentium viſcerum calor, vi cujus flatuum particulæ rarefactæ majus ſpatium quærere coactæ ſunt; enimvero cum calor (*a*) ſit ut impreſſiones particularum corporis calidi in quopiam objecto corpore calorem excipiente, hujuſmodi autem impreſſiones ſint in ratione compoſita ex duplicata celeritatum particularum calidarum, & ſimpla denſitatum earundem; proculdubio colligi poteſt, quantum extendi & rarefieri proportionaliter debeant flatulentæ materiæ, quotieſcunque præter actionem naturalis elaſticitatis, gradibus denſitatis homologam, a calore viſcerum, aut alterius generis ultro urgentur; videlicet in ratione compoſita ex ratione elaſticitatis flatuum reſtrictorum & denſitatis corporis calidi ambientis, & quadrati velocitatis particularum ejuſdem; quare ſi flatuum reſtrictorum elaſticitas acquiſitæ denſitati homologæ ſupponatur —— e; corporis vero calidi ambientis denſitas —— d; velocitas vero particularum corporis calidi —— u; erit caloris actio ſeu momentum a calore circumjacentium viſcerum, aut alterius generis excitatum contra flatus tali ratione reſtrictos, ut e † d † u u; Juxta quam rationem rarefieri flatulenta corpuſcula valde conantur, ingens magnumque ſpatium occupatura. Quæ hucuſque dicta ſunt de vi & momento flatuum contentorum, & reſtrictorum in recto inteſtino infra coli valvulam, ſimili ratione de flatibus contentis, & reſtrictis in reliquis ſuperioribus tenuibus inteſtinis, aut preſſione, aut convulſione ſpaſmodice contractis philoſophandum erit; ſæpiſſime etiam in inteſtinis ſeparantur a glandulis inteſtinalibus fluida quædam, aut alinnde efluunt hinc inde ſucci e choledocho ductu, aut pancreatio, qui cum particulis aeris intime commixtis tractu temporis in rugis, aut inteſtinorum cellulis denſiores fiunt, viſcidi, glutinoſi, aut auſteri; quapropter latentes aeris particulæ intus incluſæ, & violenter compreſſæ taliter agunt, ut ab extraneo viſcerum calore tandem aliquando diſſoluta horum ſuccorum viſcidorum compage, collectæ intus aeris particulæ elaterium ſuum alte exerceant; & ad majus & grande ſpatium rarefacta & ejaculata ſuccorum elementa, quibus miſcentur, violente in inteſtinorum membranas arietent, & ſalinis particulis, quibus uniuntur acerrime, altis lancinationibus urgeant: ſic ſummi nominis fama Leibnitius rationem explicuit, ut refert Michelottus *pag.* 44. *de ſeparat. fluid. cur aqua frigore in gelu converſa tormentum bellicum, in quo continetur, divellat, & impetuoſe diffringat, id enim ita fieri exiſtimavit, aquæ fluiditate per frigus ablata particulæ aeris compreſſi latentes inter aquæ partes uniuntur, grandioreſque evadunt, ideoque magis idoneæ fiunt ad agendum in latera tormenti bellici*. Inteſtina itaque tanto niſu impulſa & ſalibus acutis vulnerata ſpaſmos, tormina, & dolores parturiunt. Hinc ſæpe a flatibus ſingultus, colicæ affectiones, & inverſo inteſtinorum motu enormi cum vomitu volvulus aliquando ſuccedunt; fere ſemper ab alto flatuum elaterio extenſæ fiunt inteſtinorum membranæ, & abdomine elevato tota quanta eſt abdominis regio tympani in modum, & reſonat & intumeſcit. Deinde ſæpe contingere poteſt, flatulentas particulas majus ſpatium adepturos vaſorum lacteorum oſcula verſus cavitatem inteſtinorum jam aperta violentiſſimo motu ingredi, & per tenuiſſima hujuſmodi vaſcula elaſtico niſu excurrentes hæc gravi ruptura divellere, inde effuſo ſero incurabilis hydrops a flatu abſque ullo aut aeris, aut copioſæ lymphæ vitio continget. Ulterius ex his impedito diaphragmatis motu angitur animal difficili reſpiratione. Verum majora aliquando damna parturiunt flatus, quoties contractis in ſpaſmos, aut nimium extenſis inteſtinorum membranis vaſa meſeraica quæcunque per tenuia & craſſa inteſtina ubique vagantia arcte contrahuntur, fiuntque aut impeditæ, aut imminutæ ſectionis. Sanguis enim fluxurus motu ſuo impeditur, ne libere circumeat; ſtagnat idcirco intra contractos inteſtinorum parietes cum acri inteſtinorum inflammatione; præter hæc ſanguis ſtagnans, aut lenteſcens impedimento eſt ſanguini ſucceſſuro; ſic arteriæ meſeraicæ impedito, aut lenteſcente ſanguine turgidæ pulſant enormiter viam ſibi paraturæ, & aliquando cum meſenterii inflammatione interni abſceſſus erumpunt; ſic in affectionibus hypochondriacis alte graſſantibus cum gravi inteſtinorum borborygmo non levis timor eſt, quin hujuſmodi mala aliquando ſuccedant; deinde ob hujuſmodi ſolidorum ac fluidorum vitia periſtalticus inteſtinorum motus, aut lentus fit, aut nullus; nullæ propterea a glandulis inteſtinorum; nullæ, aut paucæ extra inteſtina promoventur fæces; & otiantibus inteſtinis ſucci hepatici, & pancreatici naturæ damno langueſcunt.

33. Harum arteriarum meſeraicarum operæ utiles particulæ ab inutilibus pedetentim ſeparantur a ſanguine mechanica glandularum inteſtinalium ſtructura, in quas arteriæ ipſæ deſinunt; ſeparationis autem artificio ſuccurrit præcipue periſtalticus inteſtinorum motus; unde poſtmodum fæculentæ particulæ in unam maſſam collectæ naturæ commodo foras ejiciuntur. Naturæ artificium obſervanti liceat conjectari, inteſtinorum figuram cylindricam eſſe, aut ad cylindricam accedere, & meſaraicas arterias; ita & ſocias venas eſſe cylindro inteſtinali circumſcriptas, & circum inteſtina ipſa deſcribere arcus aut circulorum ſegmenta. Quoties itaque in motu periſtaltico inteſtinales annuli verſus axem minoris ſectionis fiunt, arcus ſeu ſegmenta circumſcriptarum arteriarum ſibi invicem accedunt, & curvitas ſegmentorum neceſſario major fit & elevatur; e contra in eodem periſtaltico motu, quoties extenduntur inteſtinales annuli recedendo ab axe, proportionaliter recedunt a ſe invicem etiam arcus, ſeu ſegmenta arteriarum, & curvitas eorundem minor fit, & homologa ratione deprimitur. In hoc autem motu arteriarum inteſtinalium tranſeuntium a majori curvitate ad minorem, elementa ſanguinis in fiſtulis arterioſis contenta, & per has continuo permeantia, continuo quoque motu ſuccutiuntur, & quaſſantur valide; rumpuntur propterea eorum nexus inter ſe, ſolutiſque particulis, aut ad ſolutionem magis, magiſque diſpoſitis facilius per glandularum inteſtinalium foraminula foras erumpere datum eſt, ut in inteſtinalem cavitatem liberius continuo delabantur. Separatæ fæces a vi & a momento periſtaltici motus promoventur ulterius verſus rectum inteſtinum, ut inde a corpore tanquam caput mortuum paulatim eliminetur; cæterum ſi ab angulorum ſalibus irritata inteſtina convulſa torqueantur, non ſolum inteſtinorum ſectio minuitur, verum etiam arteriæ, & venæ inteſtina veſtientes criſpantur. Ab hac autem vaſorum criſpatura affertur ſanguini fluenti reſiſtentia, fiuntque elementa ſanguinis magis unita ac denſa, propterea ad motum neceſſarium minus apta; motuque ulterius retardato fibrarum inteſtinalium inflammatio ſupervenit, periſtaltico motu inferiora verſus aut enervato, aut deperdito, fæces idcirco & contenta cibaria cum inferius ferri non poſſint, aut ægre ferri debeant, coguntur ſurſum aſcendere, & moleſto, frequentique vomitu vulvulam parant; etenim cum inteſtina cylindri in modum elaborata ſint, quoties una pars inflammari incipit, pars hæc inflammata, aut omnino conſtringitur, aut ſaltem minoris fit ſectionis; quare cum cylindri inteſtinalis ſuperior portio, inflammationis expers, latior adhuc remaneat, inferior vero ob inflammationem ſtrictior & anguſtior reddita ſit; ſectio iſta inteſtinalis cylindrica ad quaſi conicam ſectionem accedet; deſcendentes itaque materiæ, quæ ſpatio cylindrico prius continebantur, cum in ſpatio quaſi conico contineri non poſſint, retropulſæ coguntur aſcendere; ubi ſpatium majus ſectionis ſuperioris latius eſt, ut infelici motu ſuperiora verſus expellantur. Ibi autem agendo de motu periſtaltico inteſtinorum prætereundum non eſt, probabile judicari poſſe, ſeparationes fluidorum e glandulis inteſtinalibus fore facile in ratione compoſita ex rationibus denſitatum liquorum, & orificiorum, e quibus effluunt, & numero motuum ſeu (liceat dicere) oſcillationum fibrarum elaſticarum, a quibus naturaliter periſtalticus motus continuo exercetur. Quamobrem, ſi aut a catharticis medicamentis, aut a ſuccis quorum angularis ineſt ſuperficies, inteſtina decurrentibus, fibræ inteſtinales continuo ſtimulo irritentur, ut motus periſtalticus inteſtinorum ultra debitum naturæ modum celerior fiat ac frequentior: tunc copioſæ neceſſario quantitates liquorum heterogeneorum a glandulis inteſtinalibus, æqualibus temporibus ſeparabuntur, in ratione nempe compoſita ex ratione denſitatum liquorum, & orificiorum, e quibus effluunt, & numero motuum ſeu oſcillationum fibrarum elaſticarum. Quapropter ex hiſce rationibus quoque conſtare poteſt, cur ſeroſa ac fluida corpora facilius ac copioſius excernantur, quam ſolida & viſcida: unde tam facile ſeroſæ purgationes & diarrhœæ contingant; etenim cum ſeroſa ac fluida corpora minus denſa ſint, magiſque prompta ad motum, hæc minorem ferent reſiſtentiam motuum elaſtico fibrarum, & conſequenter hæc, cæteris paribus, a tam frequenti fibrarum elaſticarum motu agitata per glandularum inteſtinalium oſcula erunt facilius ſuperanda; deinde cum ſæpe accidat, maſſam ſanguinis angulosis alias particulis plus juſto repleri, hæ ſalium maſſulæ circa proprium axem rotantes, fibroſa non ſolum ſanguinis filamenta ſcindunt ac lacerant, verum etiam arteriarum & venarum extremitates inauſpicato erodunt; factum inde, ut filamenta ſanguinis lacerata ac divulſa ex inteſtinalibus oſculis ſupra modum egrediendo, moleſtas, graveſque dyſenterias aliquando vitæ occaſu parturiant; effrænes quoque motus ſuccorum, bilis, & ſucci pancreatici facillime abraſo naturali inteſtinorum muco motum periſtalticum acutiſſime ſtimulantes heterogenea fluida ſanguini permixta ab evaneſcentium canalium oſculis gravi dolore evocant, ut inferius ano ſtimulata copioſis purgationibus ejiciantur.

34. Utrinque ad latus emulgentes arteriæ horizontali directione primo incedunt, deinde ſubſtantiam renum ingreſſæ, & ſuperiores & inferiores renum partes tranant muriaticos ichores a ſanguine glandularum renalium miniſterio ſeparaturæ; Vaſa ſiquidem in minimos minimoſque ramulos diviſa, & per ſubſtantiam renum undequaque effuſa, tribuunt probabiliter filamenta ſanguinis in renales glandulas juxta rationem compoſitam ex ratione luminum & ratione velociratum (*b*); cum autem orificia ultima ſeu lumina ſint minima, eo quia vaſorum circumferentiæ ſemper decreſcunt in ratione diametrorum, & velocitates pariter minimæ ſint in tot diviſionibus arteriarum; ſingula vaſa deponent minimas quantitates ſanguinis quacunque pulſatione arteriarum in glandulas renales, videlicet filamenta ſanguinis guttatim effundent; cum autem talium glandularum opere ſanguineus latex ſalſos ſales præter cæteros abunde ſeparet, quorum figura cubum deſcribit, facile cubici hi ſales plane undequaque homologis invicem adaptantur, ſicque uniti una cum cæteris creſcunt enormiter, & alte in pelvim collecti arenunulas, & calculos facile conſtruunt.

35. Inter præcipuas deſcendunt inferius arteriæ crurales externæ & internæ, utraque amplo foramine donatæ; Interna per femur diſtributa mutato nomine poplitea duas in partes æquales diviſa, & genu & tibiæ ad pedes uſque ſurculos ibique diſtribuit; Cum pes totius humanæ machinæ pondus ſuſtineat, neceſſe fuerat, hunc una cum tibia & fibula valide muſculorum cingulo armari: tantum opus & onus muſculorum egebat grandi vaſe, quod ſanguinem ferret validis muneribus parem. Ibi certe cum harum partium muſculi ſuper cæteros fortiores ſint, & per diverſas directiones prompti ad motum excurrentes ibi arterias continuo, fortique impetu magis exagitant; & ſane talis & continua arteriarum ſucceſſio neceſſaria ſupra modum fuerat; etenim cum ſanguis ad has partes delatus magis a corde diſtet, & velocitas hujus per inclinatos ſurculos arteriarum

(*a*) Prop. 85. Herman. Phoron.

(*b*) Per prop. 30. Hermanni Phoron.

rum eo minor esse possit, quo reciproce major est distantia a corde: musculorum validorum actio necessaria fuerat, ut dato majori impetu in inclinatas arterias, enervatam quodammodo sanguinis velocitatem restitueret; cum enim musculi arterias crurales vestientes motibus suis continuo premant arterias; circulares arteriarum sectiones aut fient minoris sectionis, aut transibunt velut in ellipticas; ex his conjectari potest, ibi posse augeri velocitatem sanguinis ratione quasi reciproca sectionum imminutarum; sic tali methodo fluens sanguis per remotiores quoque corporis partes facilius, citiusque in venas transfertur ad cor denuo reversurus. Experimur itaque quoties otio marcescunt homines negligentia, sive inertia musculorum, infernas partes supra modum sanguine lentescente intumescere; sic fit œdematosus tumor, & compressæ partes foveam ponunt; fateor quidem non tantum ab imminuta velocitate sanguinis canalium, & musculorum vitio œdema fieri; verum etiam ab impura sanguinis constitutione, cujus vi sulfureæ massulæ in statu inertiæ cæteras sanguinis peticulas inutili momento urgent. Sanguis itaque beneficio motus cruralium musculorum eam velocitatem acquirens, quam tanta a corde distantia abstulerat, urgetur in finitimas venarum fistulas; addito quoque momento gravitatis sanguinis naturaliter descendentis.

36. Ut itaque transferatur sanguis ab arteriis in venas, plura conspirant; primo nempe quantitas impetus impressa sanguini; hæc enim non tantum a momentos cordis sanguineo fluidi alte imprimitur; verum etiam a vi descensus per vasa arteriosa, & a motu peristaltico arteriarum descendentium, & musculorum continua vi agentium in subjectas arterias: hujusmodi enim quantitas impetus conservata urget sanguinem, qua data porta, oscula autem venarum, cum proxima sint finibus arteriarum, & aperta remaneant opere fibrarum circularium, credi potest se habere, ut vasa communicantia, sanguinem continuo susceptura; interponitur siquidem finibus arteriarum cum venarum luminibus nexus, & numerus fibrarum, carnium & membranarum non impedimento motus in venas, sed auxilio; enimvero cum fibræ omnes intermediæ suo quoque motu peristaltico donatæ sint, sanguinem ab arteriis jam effusum in motu tenent, & postquam sanguine repleta fuerint exilia illa carnium spatiola intermedia, facile est credere intermedias has carnium areolas; quotiescunque extiterint fluido jam repletæ, supplere vices planorum horizontalium; quæ horizontalia plana, cum ex demonstratis a magno Galilæo (*de motu*) nihil auferat impetus a sanguine jam descenso ab arteriis; immo multum adjuvant motum corporis transeuntis, seu descendentis ab uno vase communicante, seu uno plano in aliud planum, per quod cogitur ascendere; & cum nulla adsint corpora recipientia præter proxima, & aperta venarum lumina, necesse est filamenta sanguinis venarum oscula introire, & ingressa ascendere; sic servato æquilibrio sanguinis descendentis cum ascendente sustinetur justus ordo, & æqua lex sanguinis circulantis, & exeuntis a corde per arterias, & in cor æquabili velut motu per venas ad eandem altitudinem ascendentis. Quotiescunque itaque aut vitio fluidi, aut carnium interceptarum impedimento, ut in obesis sæpissime accidit, arteriosus sanguis aut ægre, aut inepte venas ingrediatur; tunc effusa sanguinis portio carnes aut opprimit, aut inflat; inde erysipelata, aut carnium extremarum œdematosæ intumescentiæ succrescunt. Prosunt secundo ascendenti sanguini per venas valvulæ, quæ frequentes inferioribus, rariores in superioribus venas secant; hæc siquidem cum ascensuro sanguini viam donent, descensuro impediant, sustinent onus sanguinis elevati, ne momento suo inferius labatur; præterquam quod hujusmodi valvulæ venis inserviunt, ac si essent vincula, seu specifici aggeres, hinc inde dispositi, ne facile a momento sanguinis laxæ venarum tunicæ frangerentur; quod si aliquando accidat, vel copia, vel impetu sanguinis ascendentis venarum tunicam, aut laxari nimis, aut rumpi, aut valvulam quamlibet vitium facere, aut flaccescere; tunc laxatis venarum tunicis varicosæ fiunt venæ impedimento sanguinis ascendentis, & gravi onere musculorum. Tertio succurrit ascensui sanguinis unio, & contactus arteriarum cum tota longitudine venarum; dum enim arteriæ dilatantur diastolem ferentes, juxta rationem arteriæ dilatatæ, venæ portio, quæ arteriam dilatatam tangit, in ea ratione constringitur; quare sectio venæ compressæ non amplius circularis erit, sed describet segmentum circuli; sanguis idcirco, qui per circularem venæ sectionem ducendus fuerat, cum per segmentum circuli iturus sit, necesse est hunc alte urgeri, & impelli majori velocitate sursum, ubi data est latior & facilior via; etenim cum venæ deorsum semper magis magisque stringantur, sursum vero magis magisque dilatentur, & ultro impetus sanguinis advenientis versus superiora detrudat sanguinem, fas est fluidum in segmento circuli restrictum, ac compressum sursum esse velocius ad ascendendum. Quarto huic ascensui sanguinis manum affert venarum unio inter se, efformans majores alveos, seu in venarum ascensu componens majores truncos venarum; sicut enim trunci arteriarum in plures, pluresque ramulos dividunrur descendendo, ita plures viceversa, pluresque rami venarum cum ramulis arteriarum communicantes progressu suo ascendendo uniuntur, & componunt majores alveos, seu truncos venarum, qui eo pauciores sunt ramulis venarum minimarum, quo sunt capaciores in ratione sectionum; sanguis propterea ab hujusmodi minimis venis exceptus, in ramos majores earundem transfertur; verum cum rami majores sint veluti majores alvei, quorum officium est communi amplexu excipere a minoribus varias, diversasque quantitates sanguinis; proculdubio velocitas sanguinis in ramis majoribus, & momentum ejusdem majus erit, ac fuerat in minimis venis; quamobrem collecto sanguine in trunco maximo venæ cavæ, cum porportionali augmento velocitatis dextro ventriculo tribuitur, proportionali ordine, ac homologa velocitate, qua prius expulsus fuerat e sinistro; sic motum sanguinis per venas naturali jure natura regit; cæterum si impurus sanguis ponderosior fiat, aut nervorum injuria spasmodicis motibus venæ crispentur, aut tuberculis, aut polypis stringantur venarum sectiones, statim mutatur ordinata lex motuum, non servatur opportuna velocitas, nec debita quantitas æquali tempore cordi tribuitur; hinc ortæ palpitationes, inæqualitates pulsuum, & aliquando lipothymiæ animal miserrime torquent; præterquam quod cum venosus sanguis aut vitio sui, aut organi resistentiam afferat sanguini subsequenti majorem, quam par est, momentum resistentiæ paulatim arterioso sanguini secuturo communicatur; sanguis propterea arteriosus cum fluere ægre debeat, nec resistentiam venosi sanguinis superare facile possit, arterias ad majores sectiones nimio sanguine turgidas violenter extendit, & quodammodo retropulso sanguine pulsant violenter hypochondria; & arteria cœliaca, ut in hypochondriacis & hystericis affectionibus accidit, alte quatit circumposita viscera, molestiam ventriculo, & internas aliquando inflammationes paritura.

37. Quænam autem sit methodus, aut ratio lineæ motus, quam describit ascensus sanguinis per venas, nondum a nonnullis, quod sciam observata est; juxta tamen naturæ leges verisimile putaverim, sanguinem per venas pressionis seu impulsus motu valide quoque sursum urgeri, & filamenta sanguinis ascendendo describere, utplurimum lineas ab axe venarum divergentes. Cum enim sanguis sit grave fluidum, & ratione propriæ gravitatis conetur descendere, vi autem & impetu cordis fortiter sursum impellatur, cumque major sit vis illa & validior, quæ vi cordis sursum impellit, minor vero & debilior, quæ solo momento gravitatis sanguinis deorsum sanguinem urget, sanguis sursum movendus erit juxta rationem excessus momenti cordis sursum urgentis, supra momentum sanguinis deorsum prementis. Deinde cum doctissimus Verheyen (*a*) venarum tunicas æquali numero, eademque fere structura esse, ac sint tunicæ arteriarum, licet primæ secundis tenuiores sint, ostendat; cumque ex Diemerbroekio arteriarum fibræ nonnullæ transversæ sint & obliquæ, etiam venarum tunicæ a fibris quoque transversis & obliquis vestiendæ erunt, *ut lib. 7. de Venis* contra Lindanum aperte decrevit; quare cum præter hunc fibrarum ordinem, manifestus quoque appareat ordo fibrarum circularium, proculdubio cum vasa continentia mobilia, contentis corporibus motus suos imprimant, & contenta corpora sequi etiam necessario debeant leges motuum impressas a canalibus continentibus; idcirco ex hisce motibus eodem tempore sanguini impressis evenient quidam motus pressionis, seu impulsus ex hisce compositus, qui cum non toraliter rectus sit, sequetur, naturam movere filamenta sanguinis lege motus ex hisce composita, per lineas nempe inclinatas, aut quodammodo ab axe venarum divergentes; & sane cum venosi canales a strictis in latas sectiones ascendendo semper magis magisque conice aperiantur, sanguis ascendens, dum a stricta sectione in ampliorem devenit, necessario filamenta sanguinis spatia illa conica, aut quasi conica occupatura deflectere debebunt ab axe, & describere lineas quodammodo inclinatas: cum enim pauca sint filamenta sanguinis, quæ per lineam axis, aut huic lineæ parallelam possint excurrere, in hujusmodi spatio quasi conico, certe fere omnia sanguinis filamenta per aperta magis spatia sursum decurrendo per inclinatas directiones itura sunt; hujusmodi autem ratio motus videtur præ cæteris motibus naturæ convenire; cum enim ascensus corporum per rectas naturæ asperum sit ac grave, per inclinatas vero facilior ac levior: certe massa sanguinis per venas sursum accendenda, per inclinatas aut quasi inclinatas lineas motus commodius movenda fuerat. Ex hujusmodi autem inclinato motu particularum sanguinis ascendentis, particulæ massam sanguinis componentes necessariam sibi agitationem, ac opportunam mixtionem conservant ac sustinent, de motu per arterias supra expositum est.

38. Eodem autem tempore, quo sinister cordis sinus valido ictu impellit singulis pulsationibus grana sanguinis $\frac{15}{33}$ per supositam sectionem descendentis arteriæ magnæ, eodem quoque tempore, ut æqua servetur ratio & ordo circulationis, projicit grana sanguinis $\frac{18}{33}$ ut *num.* 28. notatum est, per suppositam sectionem arteriæ ascendentis; talia propterea ac tanta ascendunt granæ sanguinis, sursumque distributa cerebrum consueto flumine irrigant. Ascendens itaque arteria duos in ramos subclavios partitur, quidem adhuc thoracis regionem serpunt, intercostalem arteriam emittunt, quæ ex utraque parte costarum radicibus applicata tria, quaruorque costarum superiorum interstitia munit, vicinosque musculos irrepit; sic exiens a subclaviis mammarias costarum plagas & mammas occupat. Cum hujusmodi arteriæ cordi multum sint proximæ, impetum sanguinis validiorem ferunt; movetur itaque sanguis per intercostales, & mammarias arterias celeri motu, & cum cæteris paribus quantitas filamentorum sanguinis effundi debeat in ratione composita ex ratione orificiorum, & ratione velocitatis ejusdem, proculdubio costæ & intercostales musculi multum sanguinis qualibet pulsatione cordis excipient facilius; verum cum musculi intercostales sint corpora quædam supra cæteros musculos tenuia, cumque velociori sanguine sint irrigata, opus erit effusum ab arteriis sanguinem per musculorum interstitia facile concrescere, nisi venæ hunc præsto sint exceptuæ; prompta itaque inflammatio musculorum intercostalium, & facilis læsio thoracis. Ex hujusmodi vitiis musculares fibræ effuso sanguine saginatæ nimis dilatantur; unde adjacentibus costis aut imminuta, aut ablata libertate motus, costæ neque facile invicem accedunt, neque reciproco motu recedunt, quantum necesse est, quare thorax non elevatus, quantum exigit pulmouum libertas, pulmones ipsos vocat in angustias impedito spatio opportunæ dilationis; ex hac pulmonum angustia sanguis per pulmonares fistulas ægre decurrit, & particulæ aeris violenter elaterium sustinentes, & altam respirationem & gravem anhelitum ferunt. Ulterius parta inflammatione in musculis intercostalibus dolor lateris crucier, & sæpe ex pulmonum angustia sanguis, quotiescunque aptus fuerit ad lentescendum, aut pleuritidis aut pleripneumoniæ supplicio animal jugulat.

39. E subclaviis ad caput per collum scandunt duæ arteriæ carotides; quæ utrinque latera asperæ arteriæ, ipsamque tracheam aliquibus, ramis excurrunt: Ibi si contentus sanguis muriaticis salibus nimis oneretur, tunc per hujusmodi fibras effusus asperam arteriam vellicat, urgetque quodammodo in spasmos, quorum vi semicircularis tracheæ sectio, aut imminuta, aut in semiellipticam figuram aliqualiter conversa libertatem aeris, aut impedit, aut frangit. Refractus autem aer parta raucedine vocem lædit; præterea ex convulsivo motu fibrarum semicircularium tracheæ glandulis adjacentibus exprimitur salsus humor, aut lymphaticus, aut alterius generis, qui ad subjecta bronchia delatus, hæc angulosis salibus circa proprium axem rotaris alte corrodit, & sæpissime contumacem tussim, & aliquando in pulmonibus ulcus parta phthisi pro-

(*a*) Cap. 4. de Arteriis, & venis.

producit: nec ibi eſt finis malorum; etenim extrema carotis muſculos oſſis hyodis, linguam & fauces munit, ſic aluminoſa & vitriolica quædam ſalia lenteſcente ſanguine, has partes & replet, & comprimit; lentus idcirco fit partium motus, & ad majorem ſuperficiem extenſæ partes ipſæ deglutitioni male obediunt. In vitio ſanguinis incommoda magis timenda affert carotis interna, hæc ſiquidem donat ramos inſignes duræ matri, glandulæ pituitariæ, oculis & auri internæ; reliquum vero carotidis duos in ramos dividitur, quorum minor duræ matri, major cerebro elargitur, & facto cum cervicalibus arteriis conjugio rete mirabile, & plexum choroideum componunt; quotieſcunque itaque ſanguis nimio motu peccaverit, violenta & celeri pulſatione menynges exagitat; iſtæ autem cerebrum, quod tenero amplexu excipiunt, alte violenterque ſuccutiunt, damno non levi, aut hemicraniam, aut cephalæam, aut cephalalgiam allaturæ. Sed de morbis cerebri oppottuno examine agendum erit, cum de motu ſolidotum diſputationem habebimus.

40. Interim ex duræ menyngis duplicatura plures componuntur ſinus, qui tamen (obſervante Verhehen. pag. 156. de membranis cerebri) ſunt ejuſdem ſubſtantiæ & uſus cum venis; imo ſinus iſti ſanguinem ab arteriis exceptum tandem aliquando in venas jugulares deponunt; cum enim menynges oſcillatorio ſyſtolis & diaſtolis motu gaudeant, ſinus iſti juxta leges oſcillatorii motus movebuntur, tranſeuntes a ſectione majori, ad ſectionem minorem, ſanguinem præterfluentem, & lympham continuo impulſuri; ſuſpicandum ideo hujuſmodi ſinus non ejuſdem omnino uſus eſſe cum venis, ſed potius communem uſum cum arteriis ſuſtinere; verum non diſplicebit nonnullis, credentibus tales ſinus eſſe venarum jugularium appendices, & cum venæ portæ oſcillantis uſu poſſe comparari; ſed ſtocci puto hæc inquirere. Certum eſt, menyngum laxitatem ex copia lymphæ, aut ariditatem, ut in ſenibus, iiſque, qui adultero crine caput nimium onerant, neceſſarium ſanguinis & lymphæ motum per ſinus menyngum aut minuere, aut impedire; unde apoplexias, aut paralyſes ſupervenire palam eſt. Jugulares itaque venæ, quarum una externa eſt, interna altera, aliquando una, aliquando duplici valvula armantur, quæ ſubclaviam verſus deſcendenti ſanguini viam parant, impediunt vero regreſſuro; Iſtæ ſuſceptum a ſinubus ſanguinem ſubclaviis venis continuo elargiuntur, & hæ trunco venæ cavæ tandem aliquando reſtituunt, ut in cor completo circulationis æquilibrio revertatur; Ibi autem mirandum eſt ſtudium naturæ; dum enim ſubclaviæ inferius diriguntur, non recta ſeu perpendiculari via deſcendunt, ſed quodammodo inflexæ plana inclinata deſcribunt; cum enim ſanguis præcipiti, & accelerato nimis motu ruere non debeat in cor, ſed paulatim, placidoque pede ferri debeat, ne cor nimia copia ac impetu obruatur, neceſſarium fuerat naturæ ſubclavias venas taliter dirigere, ut plana inclinata deſcriberet contentum ſanguinem lentiori ac placidiori motu in cor delaturæ. Hic alia ſupereſſent enodanda phænomena vaſorum ſanguinem deferentium; verum cum huc uſque exarata, præcipua ſint, a quibus colligi facile poſſunt mechanicæ leges pro enodandis reliquorum morborum cauſis; ideo hæc ſatis mechanicas naturæ leges a ſanguinis motu deſumptas in præcipuis morboſi corporis affectionibus patefacient. Impoſterum reliquam morborum familiam a *Mechanicis ſolidorum motibus* exaratam utiliori fortaſſe ſtudio, ac labore, ſi Deus dederit, exponemus.

MECHANICES MORBORUM
PARS SECUNDA,
DESUMPTA A MOTU SOLIDORUM.
BENEVOLIS MEDICINÆ TYRONIBUS.

EN Tyrones Benevoli *Secunda pars Mechanices Morborum desumptæ a Motu Solidorum*. Hic horum actiones ac momenta medicæ praxis opere attentissime observata, tres in partes claritatis gratia dividenda esse censui; in quarum prima, *Distractionis*, & *Contractionis* momenta fibris omnibus tum simplicibus, cum compositis communia esse experimentis, & Mechanicis legibus satis ostensa sunt. Ob id speraverim non tantum naturales oscillationes fibrarum omnium colligere posse, verum etiam universales, & particulares ægrotantium sensuum affectiones me esse adepturum. In secunda, pro morbosis sensuum internorum affectionibus probabiliori meditatione sollicitus sum, agens obscurissima immortalis animæ officia, quæ cum soli Deo O. M. nota sint, hoc unum pro mercede Philosophi est, tantarum actionum scientiam desideravisse. Tertia denique morbosas affectiones sensuum externorum mechanice molita est. Neque miremini, me neque de succo nerveo, neque de spiritibus animalibus determinatum sermonem habere, cum lex & ordo præsentis instituti sit, morborum causas ac phænomena a mechanicis tantummodo solidorum motibus eruere voluisse; quibus si vultis actiones ac momenta succi nervei, ac spirituum superaddere, non renuam; si nolitis, arbitror vos naturæ, & morborum phænomena satis apte ab expositis solidorum motibus esse assecuturos. Liberum itaque consilium sit, succo nerveo, aut spiritibus animalibus ultro uti velle, aut nolle. Interim me *Tertiam partem Mechanices Morborum desumptam a Motu Febrium*, Deo juvante, daturum esse polliceor, ut sic completa morborum omnium Mechanica Deum, & Naturam Mechanicis legibus agentes tum in sanis, cum in ægris animalium operibus unice veneremur. *Valete*.

Ex latione, motuque, & alterna commixtione fiunt omnia, quæ esse dicimus &c. sensuum hæc omnia sunt visus, auditus, olfactus, gustus, tactusque frigidorum & calidorum; quos sequuntur voluptates, dolores, cupiditates, atque timores, aliique affectus innumeri quidem sine nomine, nominati quoque permulti genus, aut sensibile sensui cuilibet est cognatum. Omnigenis visionibus colores, omnigenis auribus itidem voces, cæterisque sensibus alia sensibilia cognata similiter adsunt. Plato in Thææteto, sive de Scientia.
Quidquid aut sit, aut fiat, naturalibus fieri, aut factum esse ponderibus & motibus. Cicero 1. de Finibus.

DISSERTATIO PRIMA.
De universalibus sensuum affectionibus.

SIcut a pressione cordis fluidorum motus, ita ab actione cerebri motus solidorum habendos esse putans, tantorum motuum debendam cerebro gloriam jure censui. Cum enim cerebrum prima sit animæ sedes, in qua ampliſſima officia, divina quasi dignitate fiunt, quæ & ad sensum, & ad motum pertinere videntur; cumque sensus & motus nullatenus haberi possint, quin solida corpora specificis motuum differentiis afficiantur, jure arbitrandum est, solidorum motus ab actionibus cerebri esse eruendos: cerebri dignitatem hisce motibus comparatam universæ Græciæ Plato evulgatus est: Inquit enim in Timeo, *Est Caput membrum, reliquorumque membrorum princeps, cui totum corpus connexum Dii subesse, ac parere jusserunt; excogitaverunt enim motuum omnium quoscunque esse queant, compos id fore.* Quamobrem de generalibus ibi sensuum affectionibus acturi a specificis solidorum motibus orituris, nonnulla claritatis gratia præmittenda censuimus, quæ res tam arduas clariori ratiocinio patefaciant.

2. Itaque manifestum est, a cerebro oriri nervos, & hos duplici constare substantia, quarum interior medullaris est, quæ a conditiore cerebri materia ortum habet; exterior membranacea, quæ a menyngibus proficiscitur; hujusmodi nervea corpora undequaque mirum in modum effusa motum animalibus & sensum donant, nervea hæc solida vertebrarum foramina egressa, & per animalis machinam distributa in nodos, ac flexus gangliformes sese frequenter agglomerant, inter quos præcipui sunt plexus cardiaci, intercostales, mesenterici &c. in quibus plurimi nervorum surculi stricte in unum colliguntur, ut inde rursus hinc inde distributi summis naturæ ministeriis pareant. Ibi prætereundum non est, ea ratione, qua musculi sunt instrumenta motus, ita membranas nervos investientes fore sensuum organa, cum enim musculorum textura, ac figura varia sit, ac diversa juxta varias actiones ac multiplices motus exequendos, quibus destinantur; alii enim trapezii sunt, alii rhomboidei, alii quadrati &c. Ita non dissimili ratione arbitrandum est, membranas omnes non uno fibrarum ordine, ac una methodo constructas esse, in quibuscunque partibus sensui destinatis, sed varia ratione, directione, ac ordine elaborata fuisse cum diversis angulorum inclinationibus juxta diversas sensuum affectiones exequendos, quibus eas natura divino opere destinaverat.

3. Cum membranæ nerveis solidis circumscriptæ sint, cæterisque fibris organicis arcte adhæreant, motus membranarum nerveis solidis cæterisque fibris jure communi communicabuntur; verum cum motus communicentur juxta rationes ac vires corporum imprimentium, propterea motus solidorum nerveorum, aliarumque fibrarum erunt motibus membranarum circumscriptarum proportionales.

4. Nervea solida craniumtamen egressa dotantur naturali *Motu Contractionis*, & *Distractionis*; quibus motibus conantur determinatum contractionis & distractionis gradum, sive statum sustinere naturali temperiei, constitutioni, ac viribus animalis proportionalem, ac sese ad eundem statum naturalis longitudinis restituere, quotiescunque ab opposita vi sive interna, sive externa, sive mixta, seu motu oppositio distractionis (sine tamen divulsione) distracta, aut ad majorem longitudinem extensa fuerint. Hujusmodi motus contractionis, & distractionis idem acutissimo tractatu de villo contractili celeberrimus Bellinus exposuit & demonstravit; inquit enim; *contractionis naturalis nomine, aut ejus oppositæ distractionis hic intelligimus motum illum in compositis corporibus, quo fit, ut eadem composita ab aliqua facultate externa*, sed adderem quoque interna, aut mixta, *trahente in majorem extensionem perducta sine divulsione, naturæ vi, sive sponte, sive a seipsis suæ priori longitudini se restituant, si libertati permittantur: dico autem hac super re, contractionem naturalem tam late patere, ut vix unum compositum noverim, in quo illa non vigeat, & paucissimas naturæ operationes pariter invenerim, ad cujus partes contractio naturalis non sit vocanda.* Cum itaque Bellinus motum contractionis & distractionis compositis corporibus communem velit, hujusmodi motus contractionis & distractionis non solidis tantummodo nerveis tribuendus erit, verum etiam quibuscunque fibris organicis, quæ aut a nerveis filamentis oriuntur, aut quibus nervea inseruntur corpora, aut cujuscunque alterius generis. Ex his colligendum est, quamcunque fibram organicam conatum ac vim continuo exercere, ut ad naturalem longitudinem sese restituat, quotiescunque a vi aliqua ad majorem longitudinem distracta fuerit; verum cum hujusmodi contractionis & distractionis motus; de vi elastica participes esse videantur; certe omnes, quamcunque fibram elastico quodam motu ac nisu donatam esse: a quo peristaltici motus orituri sunt, fateri debuerunt.

5. Ne autem ea desint, quæ motus distractionis, & contractionis ideam ulterius confirmare possint, observationes & experimenta offert Bellinus, pollicitus se rem tam naturæ consonam, ac necessariam fore determinaturum; Eligit itaque celeberrimus Auctor chordam musicam, aut metallicam, aut compactam ex carnibus animalium, eamque per eandem rectam lineam, ac per longitudinem ipsius ad oppositas partes trahit, ut tendatur, sine tamen divulsione chordæ; postquam inquit *ad certum quandam longitudinem priori majorem ipsam extendisti, ac tractione desistas, digitosque removeas, adeoque chordam suæ libertati permittas; chorda ex seipsa pariter coit in seipsam per eandem lineam, per quam traxeras, & fit brevior, ac brevior, quousque redeat in eandem longitudinem, cujus erat ante tractionem, in quam postquam restituta est, ulterius non coit in seipsam, sed ab omni motu cessans in sua priori longitudine quiescit. Illam longitudinem in quam venit chorda per tractionem ad oppositas partes appellant distractionem; & facultas, quæ distractionem producit, dicitur facultas distrahens; motus quo chorda in priorem suam longitudinem restituitur, est id, quod appellatur motus contractionis, vel contractio; & facultas, a qua provenit contractio, dicitur facultas contractionis.* Hæc Bellinus prop. 1. de villo contractili. Verum in hac re fateor me ultra obstupuisse legens metalla ipsa, quantumvis durissima tali motu distractionis & contractionis donata fuisse; refert enim immortalis famæ vir Jacobus Hermannus n. 24. phoronomiæ, *ex observationibus Celeberrimi Cassini constat, metalla frigori exposita nonnihil contrahi, & vice versa quoad volumen extendi in locis calidis, & ejusmodi metallorum extensiones, & contractiones; quibus non dubie durissima quæque alia corpora plus minus obnoxia sunt, absque interno partium motu fieri nequeunt.* Isaacus quoque Newtonus summum Angliæ Lumen, (pag. 386. princip. math.) testatur & ipse D. Picartum observasse, *quod virga ferrea, quæ tempore hyberno, ubi gelabant frigora, erat pedis unius longitudine, ad ignem calefacta evasit pedis unius cum quarta parte lineæ: Deinde D. de la Hire observavit, quod virga ferrea, quæ tempore consimili hyberno sex erat pedum longitudinis, ubi soli æstivo exponebatur, evasit sex pedum longitudinis cum duabus tertiis partibus lineæ.* Quid plura? Nonne Academia Florentina pluribus experimentis in crystallis & mineralibus ante hos celeberrimos viros (p. 186.) manifeste experta est, metalla & crystallos calore distrahi

& extendi, frigore vero contrahi? Quamobrem ſi hujuſmodi duriſſima corpora motu diſtractionis & contractionis donata ſunt, quid de mollibus, teneriſque animalium viventium ſolidis facillime mobilibus docendum erit? certe nullum fore putaverim, qui tam aperta ac manifeſta de motu diſtractionis ſeu extenſionis, & contractionis phænomena in quibuſcunque animalium viventium fibris, ac ſolidis, aut negare, aut de his audeat dubitare.

6. Cum univerſa corpora ſive ſolida communi motu diſtractionis & contractionis parere debeant, contrahendo ſermones noſtros ad ſpecificum motum diſtractionis & contractionis fibrarum animalium; quærere quis poſſet rationem, ac cauſam primo naturalem, deinde præternaturalem diſtractionis & contractionis fibrarum, de quibus ibi præcipue agendi munus noſtrum & officium eſt: quamvis autem hæc ratio, ac cauſa difficillime erui vere poſſit, nihilominus ne deſit actionibus naturæ ea ratio ac lex, quæ ad enodanda obſcura naturæ phænomena probabiliori jure convenire videatur, putaverim præeuntibus celeberrimis Viris Joanne Alphonſo Borello & Joanne Bernollio a duabus præcipue cauſis rem tam obſcuram me fore aſſecuturum: Prima itaque cauſa eſt naturalis & peculiaris ſtructura ſolidorum & fibrarum quarumcunque; qualiſcunque tamen ſtructura hæc fuerit, cum verum ſtructuræ modum, ordinem, directionem ac figuram earundem determinare nemo uſque adhuc auſus ſit: In hac re non me latet, ſummum virum Alphonſum Borellum (*a*) muſculares fibras, ut catenas, ex obſervationibus muſculorum, habuiſſe compoſitas ex fibris perpendicularibus & tranſverſis, quæ inter ſe texturam reticularem efficere videantur; ex hiſce fibris tali ratione contextis efformantur areæ, ſeu machinulæ, quæ flaccidæ fiunt, & lateribus ſuis connivent, quando muſculus otiatur; extenduntur vero, cum operatur: hujuſmodi machinulæ, ſeu ſpatia fibrarum muſcularium ex Borello rhomboidalem figuram deſcribere viſa ſunt; verum cum ſupra laudatus Joannes Bernollius (de motu muſculorum n. 2. & 9. & ſeq.) ſpatia, ſeu machinulas fibrarum muſcularium non rhomboidales figuras, ſed ſphæroides vere deſcribere, analytice oſtendat, quæ juxta majorem aut minorem extenſionem muſculorum ſphæroides quoque deſcriptæ modo a majoribus, modo a minoribus angulorum inclinationibus metirentur, colligendum putavi, muſculares fibras donatas fuiſſe motu diſtractionis & contractionis præcipuo opere, ac labore talium machinularum ſphæroidalium, quam rem celeberrimus Michelottus utiliſſimis animadverſionibus acutiſſime expendit. Hiſce præmiſſis, ſi liceat ſuſpicionem meam adducere, opinor, me non adeo a ratione alienum eſſe, ſi putem, *Menyngum quoque lacertos* muſculis aut muſculorum officio comparandos, & *Nervos ipſos* ſimilibus fortaſſe areis, veſiculis, aut machinulis ſphæroidalibus, aut fortaſſe alterius generis eſſe munitos; & ſane ſi de nerveis ſolidis conjectari liceat, laudatus Borellus (*b*) nervum eſſe faſciculum ſeu capillamentum ex pluribus filis fibroſis compoſitum, atque involucro quodam membranoſo colligatum, arbitratus eſt, quæ nerveæ fibræ fiſtulas eſſe cavas, repletas ſubſtantia quadam ſpongioſa, poroſa ac madida ſimili poroſæ medullæ ſambuci virentis, ſucco quodam elaſtico irrigatas probabili ratiocinio ulterius ſuſpicandum putavit; itaque ſi lacerti menyngum analogice muſculis comparantur, ſi ſpongioſæ poroſitates nervorum ſuccum quendam elaſticum continent, eodemque irrigantur, cur non liceat opinari, hujuſmodi poros, areas & cellulas facto cum muſcularibus machinulis analogiſmo ſphæroidales eſſe, aut alterius ſimilis figuræ, quæ elaterio quodam donatæ modo extendi, modo contrahi potuiſſent? Natura ſiquidem una eſt, omnibuſque in operibus fere ſemper unitate operari conſuevit. Itaque menyngum lacertis, & nerveis ſolidis probabiliter expenſis, facile me transfero ad ea, quæ ad motum contractionis & diſtractionis *Membranarum* & *Tendinum* pertinere videntur. Membranæ itaque cum docente Verheyen veroſimiliter componantur ex fibris ſibi invicem intertextis, fere ſicut tela ex filis, quarum altitudo ſeu proſunditas adeo minima eſt, ut areas ſpatia ſeu machinulas neceſſariæ altitudinis ſeu profunditatis non continere, aut comprehendere opportune poſſit, cumque membranæ præcipuo ſenſuum officio pareant, cui efficiendo non adeo operoſum ac laborioſum eſt, ut nervis, muſculiſque contingit, qui ſummis motuum laboribus deſtinantur: propterea male exiſtimarem, ſi motus membranarum contractionis, & diſtractionis a machinulis, ſeu veſiculis elaſticis factos eſſe crederem; abſit itaque opinio hæc locuturo de membranis ſenſui præcipue, non motui deſtinatis. Naturalem ergo motum contractionis & diſtractionis membranarum primo factum putaverim a ſucceſſivo motu oſcillatorio menyngum, qui ſucceſſive membranis correſpondentibus communicatur; ſecundo a motu fibrillarum nervearum, quæ per membranas hinc inde excurrunt; tertio a continua mutatione angulorum, qui a fibris membranas componentibus efficiuntur; etenim cum membranæ componantur ex fibris ſibi invicem intertextis, jure texentes fibræ efficient angulos, aut naturaliter rectos, aut acutos, aut obtuſos; cum autem fibræ ſenſu & motu præditæ, motum & impulſum excipiant ab externis corporibus, aut ab interno motu corporum fibras componentium, futuræ erunt quælibet fibræ in porportionali mutatione angulorum, & figurarum inter ſe; fibræ itaque rectos angulos naturaliter deſcribentes, cum ratione advenientis motus modo deſcripturæ ſint angulos acutos, modo obtuſos, modo curvos, neceſſario quoque fibræ inæqualibus angulis oppoſitæ modo diſtrahentur, modo contrahentur; cumque ſemper remaneat vis illa ſeu conatus naturalis fibrarum, quo fibræ nonnaturaliter contractæ, aut diſtractæ ad naturalem ſtatum conantur ſeſe reſtituere; opinor membranarum fibras exceſſiva mutatione angulorum, inter ſe futuras eſſe in proportionali mutatione figurarum, & conſequenter fibras modo contrahi, modo extendi debere. Qualis modo futura erit probabilis cauſa, qua *Tendines*, licet denſiſſimi ſint, ſuo tamen naturali motu contractionis & diſtractionis dotari debuerunt; proculdubio tendinum motibus confert vis nervorum, qui per tendines intime ſerpunt; vis membranarum tendines circumſcribentium; & aliqualis mutatio angulorum, qui præcipue a fibris rectis & tranſverſis, aut obliquis tendines componentibus, ex ſecuturis motibus muſculorum continuo efficiuntur; Potiſſimum itaque motibus contractionis & diſtractionis obediunt tendines, vi & opere muſculorum, qui cum diverſis motibus ſolicitentur, tendines quoque, quatenus appendices & caudæ muſculorum, ſucceſſivis diſtractionis & contractionis motibus erunt ſolicitandi. Præter cætera, quæ motum diſtractionis & contractionis in quibuſcunque corporibus promovere conſueſcunt, univerſale principium eſt motus inteſtinus particularum quælibet ſolida componentium.

7. Cum animalia quælibet non eodem ſemper in ſtatu virium & actionum perſeverent, ſed continua actionum, aut naturalium, aut præternaturalium viciſſitudine rotari debeant; & cum diverſæ vires & actiones a varia temperie fluidorum, ac varia ſolidorum ſtructura ac motu dimetiri poſſint, ideo motus ſeu momenta diſtractionis & contractionis fibrarum quarumcunque claritatis gratia duplici modo erunt conſideranda; Momentum itaque diſtractionis, & contractionis aliud eſt *æquipollens*, aliud eſt *præpollens*: *Vis, conatus ſeu momentum diſtractionis æquipollens, eſt naturalis potentia, vis ſeu conatus ſolidi diſtrahendi ſemetipſum ad naturalem longitudinem quotieſcunque ab oppoſita potentia, aut momento contractionis impeditum fuerit; aut ſuſtinendi ſtatum naturalis diſtractionis intra fines a natura determinatos. Momentum vero contractionis aquipollens ejuſdem ſolidi, eſt oppoſita potentia, vis ſeu conatus contrahendi ſemeptipſum ad naturalem longitudinem, quotieſcumque a vi aliqua diſtractum fuerit, aut ſuſtinendi ſtatum naturalis contractionis ejuſdem ſolidi pariter intra fines a natura determinatos.* Itaque cum hujuſmodi momenta diſtractionis, & contractionis æquipollentia in perfectiſſimo naturæ ſtatu haberi tantummodo poſſint, ideo talia momenta quotieſcunque extiterint, ſemper futura erunt in ſtatu naturali: quare ibi directiones & motus fibrarum erunt juxta naturæ leges inter ſe, aut homologe, aut reciproce proportionales. In hoc ſtatu vis & robur naturæ perfectiſſime conſiſtens eſt; cum enim vires æquales & oppoſitæ in idem corpus, aut homologe, aut reciproce agentes & reagentes mutuum effectum tollant, aut tollere aptæ ſint, res omnes poſitæ in actione & reactione æquilibrata, debebunt neceſſario recte conſiſtere. Hiſce ergo momentis æquipollentibus ſolidorum feliciſſime uti poſſumus, ut acceſſus & receſſus momentorum a perfectiſſimo naturæ ſtatu quamproxime innoteſcant, naturales aut præternaturales actiones animalium felici methodo dimenſuri; In hoc quoque perfectiſſimo naturæ ſtatu ſupponenda jure ſunt elementa, & motus fluidorum in exactiſſima proportione inter ſe conſtituti; ſicut autem momentum æquipollens eſt ſemper in ſtatu naturali; momentum præpollens aliquam ob cauſam, ſive externam, ſive internam, ſive mixtam taliter augeri poteſt, ut fiat præter naturam; Itaque *momentum diſtractionis præpollens illud eſſe videtur, in quo talis ſit hujus momenti præpollentia, ut momentum æquipollens contractionis nullam, aut fere nullam rationem habeat cum momento præpollente diſtractionis; hoc autem ſemper fiet cum læſione operationum, & aliquando, cum divulſione ſolidorum.* E contra *momentum contractionis præpollens aliquam ob cauſam ſive externam, ſive internam, ſive mixtam æquipollens taliter ſuperat, ut fiat præter naturam; ita ut momentum diſtractionis æquipollens nullam, aut fere nullam rationem habeat cum momento præpollente contractionis, ibi fibrarum actiones læſas eſſe, nemo negaverit.*

8. Hiſce præmiſſis, ut generales ſenſuum affectiones conſequi poſſimus, primo incumbendum eſt, ut *in doloris* examine laboremus. Unus itaque omnium ſenſus eſt, ſolutionem continui præcipuam doloris cauſam fuiſſe, & tantum veterum opinio præjudicata potuit, ut etiam uſque adhuc veterum valeat auctoritas. Verum doctiſſimus Borellus (*c*) evulgatam hujuſmodi ſententiam penitus ſtuduit evertere, ſimulque ſpreta illa doloris cauſa, quæ in diſſolutione texturæ, & compoſitionis fibrarum nervearum præcipue firmata eſſe videtur, tandem aliquando a celeberrimo Auctore deliberatum eſt (*d*) immediatam doloris cauſam a vellicatione in nerveis membranis eſſe eruendam: Fateor me dubitanter quærere immediatam doloris cauſam, verum cum unicuique liceat eam ferre ſententiam, quæ ad enodanda naturæ phænomena probabilius conferre videatur, auſus ſum probabiliori ratiocinio ſuſpicari *immediatam doloris cauſam, & moleſtam ſenſuum affectionem orituram eſſe ab inæquali, inordinato & aſymmetro motu fibrarum membranearum ſolida nervea circumſcribentium, & conſequenter, etiam fibrarum nervearum, aliarumque, quibus arcte, & intime eædem membranæ alligantur, quæ porportionem, ac directionem acquirant notabiliter diſſimilem, ac diverſam a naturali porportione, ac directione motus earundem, mutatis naturalibus inclinationibus angulorum inter ſe, quos fibræ inter ſe contextæ neceſſario componunt.* Immediata doloris cauſa.

Hinc juxta varios gradus motuum fibrarum membranearum ſolidis nerveis circumſcriptarum, & juxta varios gradus motuum fibrarum quarumcunque membranis intime alligatarum, qui magis, aut minus diſtent a debita proportione, ac directione naturalis earum motus, & juxta varias mutationes angulorum earundem, tanquam ab immediata & primitiva cauſa conſequuntur poſtea effectus: videlicet aliquando ſolutio continui, aliquando diſſolutio texturæ, & compoſitionis fibrarum, membranearum circumſcribentium, aliorumque filamentorum, quibus membranæ intime alligantur. Quamobrem qui doloris cauſam a ſolutione continui, aut a diſſolutione texturæ fibrarum ſtudent acquirere, minus recte rem agere videntur; cum non cauſam doloris, ſed effectum penitus offerant; minus quidem errare conſueſcunt, qui a vellicatione fibrarum nervearum, membranarumque, & aliarum, quibus membranæ intime alligantur, doloris & moleſtiæ cauſam eruendam putant. Verum cum nonnulla naturæ phænomena præternaturalia, a corporibus vellicantibus excitata ſæpe quoque fiant abſque ulla doloris affectione, licet dolor aliquando etiam a vellicatione haberi poſſit, ideo non ſemper vellicatio pro immediata, & primitiva cauſa dolorificæ affectionis erit conſulto, & uno naturæ jure exiſtimanda, ſed pro mediata tantummodo, ut inferius conſtabit, cum de affectionibus convulſivis ſermo fuerit.

9. Ne autem turbetur debitus morborum ordo, cum inter ſæviſſimos dolores ac ſenſuum moleſtias emineant dolores capitis, congruum puto de præcipuis capitis doloribus ſermonem habere: de *Cephalæa* nempe, *Cephalalgia*, & *Hemicrania*; cum autem cephalæa inveteratum, & continuum; cephalalgia recentem, & diuturnum, hemicrania vero modo unam, modo alteram capitis plagam torqueat, non difficile erit, ab univerſali doloris cauſa ſuper expoſita peculiares dolorum

(*a*) Prop. 94. & ſequent. Primi Tom. & prop. 215. ſecundi Tom. de motu Animal.
(*b*) Prop. 23. Tom. 2. de motu Animalium.
(*c*) Prop. 205. ſecund. Tom. de Motu Animalium.
(*d*) Prop. 27. ſecund. Tom. de Motu Animalium.

rum capitis causas aperire: itaque sciendum est, & ex parte omnes nervosas; duas nempe menynges, nervorum tunicas, pericranium, periostium, musculos & panniculum carnosum esse præcipua subjecta, in quibus hujusmodi dolores firmari consuescunt; itaque cum in corticali cerebri substantia densissimi arteriarum, & venarum ramuli numerentur; si violento aut velociori, sive ob crassitiem lentiori pede iverit sanguis, conicarum arteriarum, & venarum superficies circulares, magis extensæ fient; cum autem hujusmodi superficies augeantur semper in ratione duplicata suarum diametrorum, venæ & arteriæ ad tantas superficies extensæ, distractis organorum fibris, mutatisque naturalibus directionibus fibrarum, una cum naturalibus angulis earundem inter se, urgebunt violenter non solum corticalem cerebri substantiam, verum etiam duas menynges contra calvariam; verum cum resistentia calvariæ validissima sit, coget venarum, & arteriarum superficies, repercutere semetipsas contra corticalem substantiam in ratione composita ex ratione resistentiæ calvariæ, & ex ratione dilatationis & distractionis venarum, & arteriarum ad majores superficies: si itaque hujusmodi vitia continua fuerint cephalæam; si interpolata cephalalgiam; si vero hanc aut aliam cerebri partem irritaverint, hemicraniam erunt paritura. Verum præter hæc alia fortasse methodo dolores capitis quærendi sunt; etenim cum dum menynges contrahuntur, cor dilatetur, & cum hæ cerebrum circumscribant, eo tempore, quo volumen sanguinis in statu naturali a corde expellitur una systole, menynges impulsæ elevabuntur, diastole vero cordis subsequente menynges motu veluti reciproco deprimentur. Cum vero motus iste naturalis depressionis quodammodo fieri videatur non tantum a momento naturali gravitatis menyngum, verum etiam a motu seu conatu quodam lacertorum, (quos celeberrimus Pachionus in dura præcipue menynge observaverat,) quorum vi membranarum fibræ quodammodo in rugas ac plicas compositæ intra sese recipiunt; motus autem naturalis elevationis fiat motu quodam distractionis, vi cujus fibræ a momento sanguinis impulsæ distractionem pati coguntur; idcirco si accidat, aut nimio impulsu sanguinis, aut nimia seri colluvie extensas præternaturaliter fuisse lacertorum areas, aut glandulas, etiam motus depressionis, seu contractionis menyngum, & succedentes motus elevationis seu distractionis earundem futuri erunt adaucto momento gravitatis dissimiles & asymmetri. Cum autem juxta tam dissimiles & asymmetros motus distractionis & contractionis menyngum, fibræ menyngum inordinatis directionibus & asymmetris motibus distractæ componere debeant angulos a naturali inclinatione dissimiles; sic mutato naturali paralleliſmo fibrarum inter se natura pati conabitur, & capitis dolorem modo leviori, modo graviori molestia sustinebit. Serum ulterius aut lentiori pede procedens per innumera vasa lymphatica, aut asperis corporibus munitum molestе afferendo inordinatos, inæquales & asymmetros motus organorum & fibrarum, externas aut internas capitis plagas alte feriet vulnere, aut continuo, aut interpolato, & variæ fient dolorum capitis differentiæ. Hæc, & quæcunque alia extranea, ut vermes, fungi & sylvestres succi, si in regione capitis tyrannidem suam primo exerceant, idiopathicos dolores; si vero extra regionem capitis, ut in stomacho, utero, cæterisque viscеribus consensu gravi, cetebrum torqueant, symptomaticos dolores molestе parturient.

10. Modo a doloribus capitis sentio me eam in arenam vocatum esse, ut cum affectionibus convulsivis medicam controversiam acturus sim: cum autem num. 6. *naturalis causa distractionis & contractionis* satis explicata fuerit; hujus opportunitati loci convenire videbitur, si prius universalem præternaturalis momenti distractionis & contractionis solidorum rationem ac causam attulerim, antequam de convulsionibus peculiarem sermonem habeam. Eligo itaque plexum nervum mesentericum, unum nempe ex tot nerveis plexibus, in quibus facile crederem potissimum firmandam esse sedem ac basim motuum solidorum nerveorum a plexibus exeuntium, tam naturalium, quam præternaturalium, (quidquid autem de plexu mesenterico locuturus sum, proportionaliter de quocunque alio plexu, aut de quolibet alio nervo solido intelligendum erit:) fit ergo plexus nerveus mesentericus compositus ex unione, & aggregato plurium nerveorum solidorum in statu naturali; apertum est, aut vitio succi nervei, aut seri supra modum fluentis interstitia plexus nervei repleri taliter posse, ut naturalem fluidorum copiam angulosis plus justo salibus gravem, ultro superent; sic solidum tali fluido æquabiliter repletum dilatabitur ad majus spatium, seu volumen. Cum autem nerveum solidum in statu naturali, & idem solidum in statu præternaturali habeantur, ut duo solida similia, & distantiæ fibrarum, seu interstitia solidum componentia sint lateribus solidorum homologiis proportionalia, solida autem similia crescant in ratione triplicata laterum homologorum, certe solidum nerveum in statu naturali, & idem solidum in statu præternaturali erunt inter se in ratione triplicata amplitudinum interstitiorum, seu distantiarum, quas fibræ solida componentes servant inter se: Quare si fluida, seu massæ tanquam cunei præcise, & secundum se consideratæ in interstitiis solidi nervei absque motu elastico communicato ab aliis corporibus sibi unitis æquabiliter contentæ in iisdem interstitiis pro statu naturali fuerint, ut unum; postmodum vero a massa corporum præternaturaliter effusa, distantiæ seu interstitia fibrarum solidum componentium dilatata, & extensa fuerint ut 2. erit solidum nerveum in statu naturali ad idem solidum nerveum in statu præternaturalis extensionis ut 1. ad 8. nempe proxime in ratione cubica interstitiorum, seu distantiarum fibrarum inter se; quare solidum nerveum præternaturaliter extensum erit octuplum solidi ejusdem nervei naturaliter extensi a corporibus, seu materia contenta, ut unum. Cum autem solida hujusmodi decurtari jure debeant in ratione proxima secundum longitudinem, quotiescunque dilatantur in aliqua ratione secundum latitudinem, licebit colligere ex præternaturali dilatatione plexus nervei, ramos nerveos a plexu hinc inde exeuntes decurtandos fore in ratione probabiliter proxima 1. ad 8. Ex his ultro res agenda est; cum enim fluida seu massæ æquabiliter contentæ tanquam cunei inter interstitia plexus nervei elasticis corporibus, & particulis quoque præternaturaliter effervescentibus unitæ sint, quarum vires, ac momenta elastica summa esse experimur ad augendos impetus, percussiones, & conatus contra fibras plexus nervei præternaturaliter extensi a materia præcise considerata absque motu elastico, communicato ab aliis corporibus sibi unitis; quis non videt, quanta futura sit vis, conatus, & momentum plexus nervei ad nerveos ramos ab ipso exeuntes violenter trahendos versus plexum præternaturaliter dilatatum, in ratione videlicet composita proxime ex cubo, seu triplicata ratione interstitiorum, seu distantiarum fibrarum inter se, & ex motu elastico corporum effervescentium; a quo momento validissimæ resistentiæ erunt enixe superandæ? Quamobrem cum interstitia fibrarum corporibus extraneis æquabiliter repleta, seu distantiæ fibrarum inter se sint lateribus homologis solidi proportionales, erunt simul sumptæ æquales, aut quasi æquales homologæ radici solidi præternaturaliter extensi; quare si talis radix fuerit —— b; erit solidum nerveum præternaturaliter extensum proxime in ratione cubica eorundem interstitiorum, seu distantiarum fibrarum inter se ob materiam ibi ultro contentam, nempe erit proxime ut $b\,3$: quod si vis & conatus elasticitatis corporum contentorum effervescentium, aut inflando, aut impellendo magis, magisque fibras plexus nervei vocetur e; momentum autem plexus ejusdem præternaturaliter extensi vocetur m, erit m —— $b\,3 + e$. Hæc quæ dicta sunt, ostendere videntur, quænam sit ratio ac causa sive externa, sive interna, sive mixta, quarum vi momentum naturale æquipollens plexus nervei, & ramorum nerveorum transire necessario debeat ad præternaturale momentum præpollens eorumdem, cujus momenti opere plexus nerveus, & rami nervorum ab ipso exeuntes apti fiunt non solum superare momentum oppositum contractionis eorundem, verum etiam validissimas resistentias musculorum, tendinum, & ossium, quibus omnibus nerveæ ramificationes arcte alligantur, aliorumque ponderum oppositorum, quod certe praxin medicam agentibus mirabile est. Agendo modo de *Motibus Convulsivis* cum sanitas & naturalis solidorum motus non solum nitantur in proportione corporum fluida componentium, verum etiam in determinato ordine, directione naturali solidorum, & determinato motu eorundem, una cum naturali inclinatione angulorum, quos fibræ inter se contextæ naturaliter componunt, & cum æquali, aut reciproca actione & reactione momentorum distractionis earundem inter se: quotiescunque hic naturalis motuum & actionum ordo, & lex præternaturali opere mutabuntur, tunc convulsivæ affectiones contingent. Cum itaque tot morborum causæ, aut a præternaturali dilatatione, aut inflatione solidorum, aut motu oriri consuescant; si aut vitiosi succi nervei, aut a sanguiferis, aut a lymphaticis canalibus evomantur præternaturales succi asperis superficiebus donati in aliquo spatio membranoso, aut nervoso, aut quocunque alio solido sensibili contenti, ibi certe tanquam cunei ingressi spatia solidorum violenter solicitabunt, extendent & inflabunt fibras solidorum componentes, spatia autem plexus nervei (puta mesenterici jam suppositi) ab extraneis corporibus ultro repleta, impedient facilem transitum fluidorum naturaliter prætereuntium, inde facta mora corporum ingressorum hypostasis major futura erit, quam par est. Cum autem sylvestres succi solidum supra naturæ leges ingressi dilatent præternaturaliter solidum illud proxime in ratione composita ex ratione cubica, seu ex ratione triplicata interstitiorum, distantiarumve, quas fibræ habent inter se in statu extensionis naturalis, & ex ratione corporum elasticorum plexum nerveum influentium; proculdubio cum filamenta nervea a plexu exeuntia, & hinc inde effusa tantum proxime trahi debeant versus plexum præternaturaliter extensum, quantum plexus nerveus a præternaturalibus succis ultro extensus fuerat; idcirco filamenta illa nervea a plexu exeuntia violenter trahentur versus partem plexus in data ratione dilatati; cum autem filamenta illa nervea musculis, tendinibus & ossibus arcte sint alligata, musculi quoque, tendines & ossa, quibus tendines alligantur, in data ratione trahenda præternaturaliter erunt, sicque hac ratione præternaturales contractiones organorum & motus convulsivi solidorum exorientur; ex his si extensio & dilatatio plexus nervei a corporibus ingressis ea ratione fiant, ut æquabiliter & omnibus in partibus æqualis, & unimoda fiat præternaturalis solicitatio, percussio & inflatio, cum æquali & unimoda dalatatione singulorum interstitiorum, & distantiarum fibrarum plexus nervei præternaturaliter extensi, etiam filamenta nervea a plexu exeuntia æqualibus viribus, æquali, & unimodo conatu, ac momento æquabiliter & unimode trahentur versus partem plexus dilatati. Si itaque singulæ fibræ componentes solida nervea a plexu gangliformi exeuntia, & illæ quibus solidum unitur naturales semper directiones, ac naturales paralleliſmos sustineant inter se, easdemque servent naturales angulorum æqualitates ac similitudines; tunc cum fibræ singulæ solida componentes artrahantur versus plexum cum angulis, aut æqualibus aut similibus, temporibus quoque æqualibus fibræ ipsæ transeundo singulis temporibus ordinata, unimoda & æquabili lege, ab una æqualitate, aut proportione, aut directione motuum fibrarum & angulorum ad aliam priori aut æqualem, aut proportionalem, non afferent ullos dissensus vel ullam asymmetriam in totis motibus fibrarum solida componentium; & consequenter cum singulis temporibus naturalis fibrarum paralleliſmus sustineatur, attractio quidem convulsiva fiet solidorum versus partem præternaturaliter extensam, sed ordinata, unimoda, æquabilis, & isochrona, atque nulla videbitur contingere molesta organorum affectio, aut dolorifica passio solidorum sensibilium: & sane, ut habeatur ratio veritatis; si conatus, vis, momentum & quantitas motus unius fibræ in uno solido (idem intellige proportionaliter de quibuscunque aliis partibus, quibus solidum idem unitur) una differentia temporis fuerit ad quantitatem motus, seu momentum ejusdem, aut ulterius fibræ homogeneæ, & qualis magnitudinis æquali tempore, & in eodem solido, ut est momentum, & quantitas motus primæ fibræ altero tempore ad momentum, seu quantitatem motus ejusdem, vel alterius fibræ homogeneæ secundo tempore, & sic proportionaliter successive erunt (per 12. 5.) singula momenta & quantitates motus unius, aut alterius fibræ homogeneæ iisdem temporibus & in eodem solido, ut sunt omnia momenta & conatus simul sumpti primæ fibræ, ad omnia momenta & conatus simul sumptos secundæ fibræ ejusdem solidi, iisdem temporibus; sed quando conatus & momenta unius, aut alterius fibræ homogeneæ solidum componentis sunt æqualia, aut proportionalia momentis ejusdem, aut alterius fibræ homogeneæ solidum componentes temporibus æqualibus, & sic de cæteris &c. momentum quoque & quantitas motus totius solidi est semper singulis temporibus sibimetipsis æqualis, aut proportionalis, quare cum natura in hoc statu singulis temporibus justam proportionem; æquam directionem motuum fibrarum, & paralleliſmum

Convulsio sine dolore.

liſmum naturalem earundem cum æqualitate angulorum æquabiliter, & unimode uſque adhuc ſuſtineat, certe actionibus & reactionibus proportionaliter ſe habentibus nullam in ſe moleſtiam ac dolorificam affectionem, (& ſi convulſio fuerit) pati poterit ac ſuſtinere. Et ſane, ut verum fatear, ſæpe miratus ſum medicam praxin agens, convulſivas affectiones abſque ullo dolore ægros agitaviſſe, plurimas enim hyſtericas, & hypochondriacas affectiones, & convulſivas, pluresque ſpaſmodicos ſubſultus aut motus, inter quos *Satyriaſin*, ſine ullo dolore partos obſervavi: Itaque ex his colligendum videtur, quotieſcunque plexus magnus meſentericus nonnullos ſurculos per meſenterium & inteſtina; nonnullos vero ad truncum aortæ deſcendentis; nonnullos ad ovaria fœminea emittat; & hic plexus æquabiliter, & unimode in omnibus ſuis partibus plexum componentibus ſolicitatus, percuſſus & extenſus fuerit a fluidis præternaturalibus plexum eundem æquabiliter & unimode inflantibus & dilatantibus; tunc momentum plexus nervei æquabiliter, ſed præternaturalirer dilatati trahet proxime in data æquabili ratione non ſolam ſurculos quoſcunque ab illo exeuntes, ſed & fibras quaſcunque ſurculos ipſos componentes verſus plexum nerveum præternaturaliter extenſum; cum autem momentum tale plexus nervei proxime æquetur ſingularibus momentis ſimul ſumptis tractionum fibrillarum nervearum ab ipſo exeuntium; propterea ſingularia momenta ſimul ſumpta (*a*) tractionum, quibus æquabiliter, ſed præternaturaliter trahuntur, non ſolum ſurculi nervei, ſed ſingulæ fibrillæ ſurculos nerveos componentes per meſenterium & inteſtina, per truncum aortæ & ovaria a plexu exeuntes verſus plexum nerveum, æqualia erunt momento totali plexus magni meſenterici præternaturaliter extenſi; cum porro momentum totale plexus nervei ſuppoſitum fuerit ſupra —— b 3 † e; ſi momentum ſingulare ſurculorum & fibrarum nervearum ſurculos componentium per meſenterium & inteſtina effuſum ſupponatur —— p; momentum vero ſurculorum nerveorum & fibrarum ſurculos componentium per aortam deſcendentem ſingulariter ſupponatur —— r; momentum autem ſingulare ſurculorum nerveorum & fibrarum ſurculos componentium ad ovaria emiſſos ſupponatur —— ſ., erunt proxime ſingularia momenta ſimul ſumpta p + r + ſ —— b 3 † e & conſequenter momentum ſingulare p erit $\frac{b3\dagger e}{1+\text{ſ}}$, & momentum ſingulare r erit —— $\frac{b3\dagger e}{p+\text{ſ}}$ & momentum ſingulare ſ erit —— $\frac{b3\dagger e}{p+r}$; cum autem ex æquabili, ſed præternaturali dilatatione plexus nervei magni meſenterici æquabili quoque ratione trahantur rami nervorum ab illo exeuntium; & ſingulæ fibræ ramos ipſos componentes verſus eundem plexum; in hoc ſtatu cum hujuſmodi tractiones ſint ſingulis temporibus ordinatæ, unimodæ & æquabiles inter ſe & iſochronæ, nullam doloris moleſtiam (& ſi convulſio fuerit,) erunt allaturæ. Unde praxi medica expertum eſt, hyſtericas mulieres, hominesque hypochondriacos aliquando abdomine tumefactos, & fœminas utero quodammodo attractas ſine ullo dolore extitiſſe, ſed muta tantummodo afflictione una cum aliqua pulſuum inæqualitate, & ſtomachi languore vexatas fuiſſe. Habita inde ratio eſt, cur inflatis, extenſis & ſolicitatis æquabiliter & unimode in ſingulis partibus nerveis ſurculis per ovaria & uterum emiſſis opere præternaturalium ſuccorum nerveos hos ſurculos undique, ſed æquabiliter dilatantium, aut ſolicitantium, fieri aliquando poſſit ratione nervorum & fibrillarum eorundem aſcendentium non gravis ſenſatio, (licet convulſiva) in abdomine, inteſtinis & ſtomacho cum pulſuum aliquali inæqualitate, ſed tantummodo affectio quædam ſine dolore, quam univerſalem corporis languorem appellare mulieres conſueſcunt.

11. Verum ſi a præternaturalibus fluidis plexus nervei, aut quælibet ſenſibilia organa ſolicitentur & dilatentur quidem in ſuper expoſita ratione compoſita; ſed non æquabiliter & unimode in omnibus ſuis partibus componentibus ſolicitentur & extendantur, ita ut pars una organi magis ſolicitetur & extendatur, quam altera, fibris inæqualiter ſolicitatis, aut extenſis; tunc momenta præternaturalia præpollentia corporum extendentium fibras tali inordinato motu, & diſſimili ratione, ac aſymmetra proportione inter ſe violenter agendo contra momenta naturalia, & æquipollentia fibrarum earundem, neceſſario fibras omnes nervoſas, membranoſas & muſculares, cæteraſque, quibus illæ alligantur, violenter & inæqualiter trahent verſus partem inæqualiter & aſymmetre dilatam, & ſolicitatam a fluidis præternaturaliter ingreſſis, motibus aſymmetris fibrarum, & directionibus inæqualibus earundem; conſequenter permutabuntur naturales anguli, & naturales paralleliſmi fibrarum, & organorum inter ſe, mutatis quoque fibrarum naturalibus directionibus: Quamobrem in hoc præternaturali ſtatu facile crederem, affectiones convulſivas aſymmetris & diſſimilibus motibus fibrarum agentes, cum dolore ac ſpaſmo eſſe copulandas. Itaque ex his colligendum putavi, immediatam doloris cauſam non a præternaturali extenſione & ſolicitatione habendam eſſe, ut *ſolicitatio & extenſio* eſt; ſed quia a ſolicitatione tali, ac tali extenſione organorum ſenſibilium fit inæqualis, diſſimilis, inordinata, & aſymmetra diſtractio, attractio & motus fibrarum & filamentorum ſolida componentium, a quibus mutantur naturales anguli fibrarum inter ſe; mutatur directio naturalis earundem; turbatur naturalis paralleliſmus ſolidorum, & gravi motu invertitur; ſolida idcirco ſenſibilia aſymmetre, & præternaturali ac diſſimili motu modo diſtracta affectionem convulſivam, ſed cum dolore miſerrime afferunt; quare jure putaverim, præternaturalem extenſionem, inflationem & ſolicitationem ſolidorum ſenſibilium mediatam tantummodo doloris cauſam eſſe futuram, ut ſimplex extenſio & ſolicitatio eſt; & ſane ut hæc omnia experimentis probanda ſint, confeſſus eſt mihi vir animo & ira potens, qui cum ab hoſte ſclopeti ictu in regione tamen minus principe femoris vulneratus eſſet, nullum pro ea temporis differentia dolorem ſenſiſſe a tanto ictu percutiente & ſolicitante, ita ut per aliquod tempus ſanum incolumemque ſe crederet; verum tractu temporis diſtractis notabiliter nonnullis fibrarum ordinibus, nonnullis vero contractis, & mutata fibrarum directione naturali paralleliſmo earundem cum inæqualitate, ac diſſimilitudine angulorum, quas fibræ inter ſe contextæ componunt, dolor, & quædam convulſionis ſpecies ſupervenerunt. Itaque dolor non fieri videtur ab irritatione, ſeu ſolicitatione, & violenta extenſione tanquam a cauſa immediata, ut irritatio ſeu ſolicitatio, & præternaturalis extenſio eſt organorum; ſed quia ab irritatione, ſolicitatione & præternaturali extenſione ſubſequitur poſtea effluxus fluidorum in partem læſam, quæ præternaturaliter dilatent eandem; hinc ſequuntur momenta diſtractionis in aliquibus, in aliis vero fibrillis momenta inæqualia contractionis diſſimilia & aſymmetra, cum inæquali & diſſimili & improportionata directione, ac motu earundem; mutato ulterius naturali paralleliſmo filamentorum componentium membranas, nerveos, muſculos, tendines &c. Deinde fateor, me in nobiliſſima Moniali frequenter obſervaſſe convulſivas affectiones; in qua ſi pollex pedis convulſus tantummodo eſſet, ſæviſſimoſque dolores ægra ſuſtinebat; e contra fere nullos quotieſcunque tota pedis regio æquabiliter & unimode convulſa traheretur. In hac re nonne chirurgicis experimentis manifeſtum eſt, vulnerato nervo, aut læſa membrana nervum inveſtiente, cujus aliqua tantummodo pars fibrarum læſa ſit, aut abſciſſa, integra autem manente altera fibras nonnullas inæqualiter, inordinate & aſymmetre diſtractas, nonnullas vero contractas motibus aſymmetris, mutata fibrarum naturali directione, ordine ac paralleliſmo, cum mutatione angulorum a naturali inclinatione diſſimilium, ſpaſmos convulſivos ac dolores acerrimos attuliſſe: qui non niſi reſciſſo omnimode nervo (cujus reſciſſionis opere omnes fibræ componentes æquabiliter contrahuntur) tuto ægri ſolutis doloribus quieſcere conſueſcunt. Antequam autem de hac tabula manum avertamus, remanet animadvertendum, vim, conatum & momentum fibrarum diſtractionis & contractionis præpollens tantæ aliquando actionis eſſe ſupra momentum æquipollens diſtractionis earundem, ut fibræ tam violenter diſtractæ, aut contractæ, fibrarum & organorum læſionem aliquando attulerint, ut divulſionem earundem miſerrime ægri paſſi fuerint; Id ſemel animadverti in nobili Juvene annorum 20. qui cum ſatyriaſi & febri correptus eſſet ſine dolore, poſt ſex dies facta notabili ſolidorum divulſione, & ſecuta magna ſanguinis effuſione per alvum, enervato priapiſmo, ſed verſus regionem hepatis dolore ſuperveniente adacta ulterius febri poſt triduum obiit. Ibi autem præterire non licet nonnulla, quæ a chirurgicis obſervationibus deſumpta ſummopere & theoriæ & curationi convulſionum conferre videntur; obſervatum enim eſt ſæpiſſime vulnera capitis ex dextra transferre convulſionem in ſiniſtram partem, & e contra. Cum enim momenta contractionis & diſtractionis pericranii, menyngum & lacertorum dependentium per cerebri peripheriam in ſtatu naturali debeant eſſe ex utraque parte inter ſe æquipolentia; nempe in ratione veluti reciproca cum opportuno æquilibrio & reactionum menyngum & lacertorum, totiuſque pericranii (quod menyngum expanſio eſt;) quotieſcunque momenta diſtractionis & contractionis pericranii, menyngum, & lacertorum dictorum ex parte dextra, vel ob externam læſionem, vel ob internum aliquod vitium, aut infirmentur, aut omnino deficiant; ſtatim infirmatis lacertis ex parte dextra, lacerti antagoniſtæ ex parte ſiniſtra acquirent neceſſario ea momenta præpollentia contractionis, quæ majorem rationem habeant ad momentum oppoſitum enervatum contractionis ex parte dextra, & ſic convulſiones ex ſiniſtra ſequi debebunt.

Quod ſi momenta diſtractionis & contractionis omnino deficiant ex parte dextra, multo magis lacerti antagoniſtæ ex ſiniſtra parte neceſſario acquirent ea momenta præpollentia contractionis, quæ ſummam rationem habent ad deficientia momenta contractionis & diſtractionis in parte dextra; quare cum momenta contractionis ex parte dextra nullo modo reagere apta ſint, deficere ſupponentur, atque erunt —— o; & cum momentum contractionis in parte ſiniſtra adeo præpolleat, ut quodammodo viribus infinitis æquipollere videatur; ibi momentum præpollens erit multo majus, quam ſuppoſitum fuerat ſupra —— b 3 † e; & conſequenter ex partes ſiniſtra enormes attractiones & graviſſimæ convulſiones erunt orituræ. Quamobrem cum a tam validiſſimis convulſionibus & attractionibus in parte ſiniſtra menynges criſpatæ ſubſtantiam cerebri validiſſime ſtringant, & ob filamenta per futuras exeuntia, & per pericranium expanſa, & validiſſime attracta impellatur, urgeaturque ſubſtantia cerebri contra cranii ſoliditatem, propterea neceſſe eſt, ſubſtantiam cerebri, & vaſa quoque venoſa & arterioſa in parte ſiniſtra graviter lædi, frangi aliquando, aut lacerari; Hæc quidem ex chirurgicis obſervationibus aperta ſunt, quin imo ultro teſtatur celeberrimus Valliſnerius præceptor meus (*b*) a celeberrimo Valſalva accepiſſe, in hemiplexis etiam læſionem cerebri eſſe in parte oppoſita illi medietati corporis, cui gravi fato contigit ſenſus, & motus abolitio. Hic autem diſſimulare non placet, quæ facile quis objicere poſſet; ſi enim ſolida nervea, muſcularia &c. extendantur, & inflentur proxime in ratione compoſita ex cubo, ſeu triplicata ratione diſtantiarum fibrarum inter ſe, & ex ratione elaſticitatis corporum elaſticorum, aut efferveſcentium, extenſio & inflatio ſolidorum adeo alte excreſceret, ut exterius quoque animadverteretur, quod non ſine magno naturæ damno contingere potuiſſet. Optima quidem animadverſio, intelligat unuſquiſque; non ſemper omnes fibrillas ſolidum componentes adeo inflari & extendi, ut ſingulæ in data ratione dilatentur; ſed extenſionem & dilatationem aliquando uni, aliquando aliquibus tantummodo fibrillis ſolidum componentibus contingere potuiſſe, quibus ſingulariter extenſis, non quidem omnibus, licet dolorifica paſſio & convulſio ſuperveniret, nihilominus extenſio & inflatio non adeo immodice fieret, ut exteriora verſus magno naturæ damno foras quodammodo erumperet, & appareret; Cæterum ſi univerſæ ſolidi fibrillæ ſolidum componentes in data ratione dilatarentur, fateri quidem debuiſſem, extenſiones & dilatationes adeo ſupra legem futuras eſſe, ut ad exteriora quoque effuſæ eſſe viderentur, quod in magnis doloribus & convulſionibus aliquando viſum: Opinor tamen membranam carnoſam leniter cedendo opportune impedire, ne aliquando ingentes quoque nervorum muſculorum, &c. dilatationes exterius videantur; ſæpiſſime certe audivi, nobiliſſimam monialem convulſivis doloribus affectam, per exteriora capitis & per abdomen ſpaſmodice extenſum neſcio quam duritiem hinc inde perſenſiſſe, quæ duriſſimos quoſdam nodos æmulari videbatur.

12. Convulſivas affectiones cum dolore, & ſine dolore generali quodam ratiocinio uſque adhuc inveſtigavimus; modo cum plurimæ adſint convulſionum differentiæ perpendendæ, non arduum putaverim ex firmata univerſali convulſionum doctrina a ſingularibus convulſionum differentis brevi me expedire. Itaque primo occurrit *Tetanos*; hæc enim eſt quædam convulſionis ſpecies, quæ totum corpus una aggreditur; in hæc momentum diſtractionis, ſeu tractionis nervorum ſpinæ per po-

Con vulſio cum dolore.

Te tanos.

(*a*) Ex num. 13. phoron. Hermanni.

(*b*) Pag. 27. del cervello impietritò.

posteriores præcipue dorsi musculos ac tendines decurrentium adeo violentum est & excedens, simulque momentum contractionis nervorum, quod præcipue per anteriores musculos seu antagonistas ac tendines pectoris & abdominis, adeo pari opposito conatu operatur, ut utraque momenta fortiter & enixe in ratione violenta æqualitatis conentur statum suum distractionis ex parte posteriore, & contractionis ex parte anteriore valida sustinere: In hoc statu deest illa naturalis facilitas ac libertas transeundi facile, ac libere a statu distractionis ad statum contractionis, aut e contra; Quamobrem cum membranæ, nervi, musculi ac tendines, quibus nervea & membranosa filamenta alligantur tonico motu distractionis, & contractionis æquali conatu ac momento consistant, rigidum videbitur stare animal, nec in utranque partem inclinare. Quamvis verum Tetanum nunquam viderim, hujusmodi tamen morbi indolem obtigit mihi observare in muliere, quæ per diem apertis oculis adeo rigida omnino constitit, ut nullatenus flecti in utranque partem magnis licet viribus nitentibus potuerit; paulatim tamen remediorum usu cœpit tantillum movere palpebras, & tractu temporis a tam violento morbo febre superveniente liberata est. Frequentior causa hunc morbum miserrime allatura, seri particulis velut cuneis per membranarum nervorum, & musculorum & tendinum interstitia, aut fortasse per glandulas mucilaginosas præternaturaliter effusis videtur tribuenda. Cum enim in hujusmodi solidis massæ fluidorum seu serosa corpora undequaque distributa tanquam cunei horum solidorum interstitiis, ac distantiis fibrarum undique inserantur, violenter extendent solida membranosa, nervea, muscularia & tendinosa proxime in ratione composita ex ratione cubica interstitiorum, nempe in triplicata ratione distantiarum fibrarum inter se & ex ratione elasticitatis corporum elasticorum: Si itaque quantitates materiæ seu massæ serosæ in data ratione tam posteriores dorsi membranas, nervos, musculos ac tendines, aut glandulas mucilaginosas circa musculos ac tendines a celeberrimo viro Joanne Baptista Morgagno Anatomicorum facile principe indicatas, (*a*) quam anteriores pectoris & abdominis &c. præternaturaliter fluendo extendant, ita ut vis posteriorum solidorum præternaturaliter extensorum sit æqualis, & æquilibrata viribus solidorum anteriorum, aut antagonistarum præternaturaliter extensorum, horum vires oppositæ inter se æquipollebunt, sicque momentum præternaturale distractionis solidorum ex parte posteriori æquale erit, aut æquipollebit momento præternaturali contractionis eorundem antagonistarum in parte anteriori, unde præternaturaliter stare ac consistere animal coactum erit. Hac methodo in *Emprosthotono* massæ corporum elasticæ, quotiescunque supra legem fluendo per interstitia anteriorum fluidorum, solida dilataverint in ratione composita proxime ex cubica ratione interstitiorum, seu distantiarum inter se, & ex ratione elasticitatis corporum elasticorum, minus vero extensionem fecerint in posterioribus solidis anatagonistis; tunc cum momentum præpollens distractionis membranarum, nervorum, musculorum ac tendinum anteriores præcipue partes decurrentium adeo superet momentum contractionis membranarum, nervorum, musculorum antagonistarum & tendinum posteriores partes occupantium, tunc animal in anteriora curvari conabitur. E contra in *Opisthotono* cum massæ corporum elasticæ cujuscunque generis præternaturaliter fluendo per glandulas mucilaginosas, & per interstitia posteriorum solidorum juxta expositam rationem compositam dilataverint, minus vero extensionem fecerint in anterioribus solidis antagonistis; tunc cum momentum præpollens distractionis membranarum, nervorum, musculorum ac tendinum præcipue in partibus posterioribus colli, dorsi, &c. habeat rationem majoris inæqualitatis respective ad momentum contractionis membranarum, nervorum, musculorum, antagonistarum & tendinum in partibus anterioribus pectoris, abdominis &c. animal certe conabitur posteriora versus miserrime inflecti. Ex his colligendum, quam inepte judicent nonnulli succos tantummodo austeros & coagulantes sufficientes pro harum convulsionum causis exponendis, cum quælibet fluida cujuscunque generis hujusmodi morbosa phænomena productura sint, quotiescunque solida membranosa, nervosa, musculosa ac tendinosa cum mucilaginosis horum glandulis in datis rationibus a quibuscunque massis elasticis & non elasticis præternaturaliter extensa fuerint. Plurimæ remanent convulsionum differentiæ, quæ cum dolore & sine dolore facile occurrunt; ut *Spasmus Cinicus*, *Strabismus* oculorum, *Trismus* musculorum mandibularium; *Risus Sardonius* labiorum; quæ cum differant inter se tantummodo ratione loci; eadem lege momentorum præpollentium distractionis & contractionis poterunt facillime & univoce explicari. Ex his, quæ n. 6., & quæ huc usque dicta sunt de motu contractionis & distractionis solidorum, tam naturaliter, quam præternaturaliter agentium, data proportione, constare potest, momenta contractionis & distractionis solidorum esse posse radices oscillationum tam naturalium, quam præternaturalium, quæ (juxta tamen naturam & rationem fibrarum) in solidis animalium jugiter eveniunt; idcirco ex his oscillationum phænomena tam naturalia, quam præternaturalia satis opportuna proportione enodari poterunt.

Emprosthotonos.

Opisthotonos.

13. Modo acturus de morbis, quos potissimum a præternaturalibus menyngum motibus oriri putaverim, me recte sentire arbitror, si prius de cerebri & cerebelli motibus probabilia quædam dixerim; fere omnes ima consentiunt, cerebrum ex pluribus glandulis, cerebellum vero ex paucioribus esse compositum. Licet vero utrunque communi menyngum involucro vestiatur; attamen non eadem est cerebri & cerebelli ratio ac status. Exterior enim cerebelli superficies multis quidem gyris ac rugis inæqualis est, non tamen (*b*) in cerebro, ultro citroque observantur, serie quadam ordinata ab uno latere ad aliud deductæ. Non eadem pariter est directio & ordo lacertorum, qui cerebrum & cerebellum circumeunt; non eadem in utroque æqualis est fibrarum dispositio ac modus. Cum itaque a natura tam diversæ rerum, ac directionum series non frustra, sed divina quadam ratione ac consilio factæ sint, verosimilius crediderim, hæc tam diversa mole, rugis, dispositione membranarum, & directione ac figura lacertorum elaborata fuisse, ut diversis motuum differentiis fibræ cerebri & cerebelli parerent. Sicut enim (*c*) glandulæ diversa fibrarum textura, directione & ordine muniri debuerunt, ut homologis motibus proportionalia fluida separarentur; ita non dissimili methodo a natura probabiliter statutum est, ut cum naturales a cerebello, & voluntarii a cerebro motus, & dissimiles sensuum affectiones, actionesque exequendæ contiuuo fuerint, diversis quoque membranarum, & fibrarum cerebri & cerebelli specificis motibus agerentur. Quamobrem cum menynges, (pia præcipue) cerebrum & cerebellum, fibrasque medullares, sive primas nervorum radices arcte ac intime circumligent, jure sentiendum est, ex determinatis ac specificis menyngum motibus, fibras quoque cerebri & cerebelli esse æquali ratione ac motu solicitandas; & vice versa. Cum enim fibræ medullares cerebri & cerebelli a sensuum, aut internorum, aut externorum affectionibus specificis motibus solicitari ac moveri necessario debeant; istæ pariter inscriptæ membranis, seu menyngibus, has tali determinata lege motus moturæ erunt, ut communicato quoque tali menyngum motu, sanguinis fluenti per sinus menyngum, sanguis ipse ea ratione motus afficiendus erit, quæ fibræ cerebri & cerebelli, & membranæ investientes prius affectæ fuerant. Hæc, quæ generaliter dicta sunt, nos manuducere quodammodo videntur ad ea, quæ de morbis capitis, de *Epilepsia* potissimum dicenda sunt. Cum enim in hac naturales motus ægre & laboriose fieri, voluntarios vero otiari, musculos convelli, sensus hebescere, & animæ potentias deficere quodammodo videantur; jure credendum, ex vitiosis extraneisque menyngum motibus, alteratoque fluidorum motu fibras quoque cerebri & cerebelli molestе & graviter affici. Epilepsia itaque alia est per essentiam, alia vero per consensum; prima quidem in cerebro sedem firmat; secundam vero inferiorum viscerum consensu fere omnes Medici voluerunt. Prima a quibuscunque humoribus oritura est, sed quibus talis ac determinatus inest motus ac præternaturalis superficies (Medicis adhuc ignota) quæ incognitam menyngibus cerebri afferat solicitationem; hujusmodi enim fluida hinc inde per cerebrum decurrendo, membranarum & lacertorum musculis proportionalium spatiola, aut machinulas fortasse sphæroidalibus analogas præternaturaliter inflant, & ignota momenti præternaturalis differentia solicitant. Membranis autem, fibrisque medullaribus tali humorum copia ac motu solicitatis momentum attractionis membranarum majus faciendum est; quod fibrillis cerebri, & nerveis, solidis intra & extra cerebri regionem serpentibus gravi consensu communicatum convulsivos motus tribuit, epilepsiam allaturos. Hoc autem momentum attractionis filamentorum nerveorum & membranarum sine dolore futurum erit, quotiescunque ordinata ac simili & unimoda lege, ac æquabili motu factum fuerit, servata naturali fibrarum directione inter se, & naturali paralleliſmo earundem. E contra molesta & dolorifica epilepsia erit futura, cum filamenta menyngum & nervorum inordinatis & dissimilibus directionibus & asymmetris motibus attracta fuerint, inverso naturali fibrarum paralleliſmo. Ex hujusmodi motibus convulsivis undequaque contractæ membranæ tam a glandulis, quam a vasorum lymphaticorum osculis serosæ saburræ spumæ in modum violenter per os exprimuntur; sed ultro ingravescunt symptomata, cum accidat labiorum, manuum, palpebrarum, totiusque corporis tremor miserrimus; qui sæpe adeo solida violenter quatit, ut fracta penitus videantur. Ut autem tam gravis tremorum methodus explicari quodammodo possit, animadvertendum est, menynges connecti fibris medullaribus cerebri, & superne leniter cranio opera aliquorum filamentorum, quæ per futuras trajecta in periostium expanduntur. Istæ pariter membranæ ob plicas ac rugas facile distrahuntur a viribus cum externis, tum internis agentibus, & facile ab opposito fibrarum & lacertorum conatu naturaliter contrahuntur; ea quasi ratione, qua in motibus musculorum agunt & reagunt musculi antagonistæ. Itaque momenta contractionis naturalis filamentorum per futuras exterius exeuntium, & eorum, quæ cranio hinc inde alligantur, cum nullatenus in otio sint, vim suam & conatum naturalem exercere conantur contrahendo exterius membranas versus cranium; sed blando motu & æquabili. Quod si filamenta antagonistica præternaturaliter inflata & solicitata fuerint, opus impendent suum, ut asymmetre retrahant membranas ipsas ad partes internas oppositas; & tunc temporis cum fibræ menyngum in curvam aliqualiter superficiem naturaliter inflexæ sint, describent actionibus & reactionibus præternaturaliter reciproce oppositis, eundo nempe violenter & redeundo, veluti arcus præternaturaliter quoque reciprocos. Cum autem in tam angustis ac strictissimis cerebri anfractibus itus & reditus præternaturales fibrarum membranearum sint necessario frequentissimi, ob frequentissimas corporum præternaturalium solicitationes, pariterque sint minimi: fibræ quoque solicitatæ & attractæ versus spatia interna cerebri, & eodem reciproco, sed opposito, conatu attractæ exterius versus futuras & cranium, describent veluti arcus præternaturaliter reciproce dissimiles, & pariter necessario minimos ac frequentissimos. Cum autem minimi arcus descripti e reciprocis penduli oscillationibus vel in circulo, vel in cycloide tremulos motus agant & afferant; rationabili analogia judicandum putaverim, convulsivos epilepticorum tremores a minimis fibrarum menyngum arcubus, descriptis a frequentissima & minima actione & reactione earundem esse orituros. Itaque cum menynges nervos undequaque circumscribant, & isti undequaque per universam musculorum familiam effusi sint, eam rationem motuum tremulorum nervis & musculis communicaturæ erunt membranæ, qualem ipsæ in cerebro susceperunt. Ex hisce ulterius vitiis lentescit certe sanguis in sinubus menyngum, ibique acervata fluidorum quorumcumque saburra non raro timendum, quin fractis canalibus fluida undequaque effusa advehant apoplexiam; sed de hac suo loco. Placet nonnullis, epilepsiæ causas a noviluniis & pleniluniis sæpissime acceptas quærere; ob majorem enim aeris pressionem, aut vim inflantem facile statuere voluerunt, succos & humores talis indolis ac figuræ, aut plus justo separari a glandulis menyngum, aut certo quodam præternaturali motu molestе moveri. Verum cum epilepticos insultus extra novilunia & plenilunia sæpissime observata sint, rectius consilium cœpi de noviluniis, & pleniluniis tanquam de prima causa, (cum fatear partialiter posse conferre) esse dubitandum. Altera epilepsiæ species, quæ per consensum tam gravia affert symptomata ab inferiorum viscerum, ut hepatis lienis, ventriculi & mesenterii, potissimum vero ab uteri vitiis eruenda est; quotiescunque enim tali vitiosa ratione solicitantur nervei illi plexus, aut quælibet nervea solida has partes decurrentia, utpote membranis indutа a menyngibus derivata, ea aliquando distractionum, & contractionum vitia transferent in membranas circumscribentes, ut fibra-

rum

(*a*) Animadversione VII. Adversi. Anat. II.
(*b*) Ex Verheyen. pag. 169. Anat.
(*c*) Ut n. 9. & seq. Primæ partis Mechanicæ morborum.

rum ſimilium conſenſu tandem aliquando menynges ipſæ ea præternaturali ratione ſolicitatæ vitioſe in cerebro oſcillent, qua ſupra expoſitum eſt, tot incommoda epileptica allaturæ; non itaque mirandum eſt epilepticos, aphonos, ſtupidos & immemores, ſenſuque & motu carentes ſemper fuiſſe obſervatos.

14. A tremoribus epilepticis facile tranſeundum eſt ad corporis & membrorum tremores. Medica autopſia non raro edocuit, hujuſmodi affectiones, vel in muſculis, vel in membranis ac nervis, vel in ſolidis ac fluidis elaſtica vi enervatis ſedem habuiſſe; opportunum itaque fuerit de ſingulis juxta opportunitatem brevi ſermonem agere. Quod ad muſculos attinet, jam evulgatum eſt a Borello machinulas rhomboidales, & Bernollio ſphæroidales oſcillatoria quadam viciſſitudine, modo contrahi motibus æquitemporaneis, quæ naturalibus muſculorum ordinatis actionibus parere debuiſſent; aliquando accidit a quacunque cauſa ſive externa, ſive interna, ſive mixta machinulas illas non ordinato & æquabili oſcillationis motu, ſed inordinato, & aſymmetro ſolicitandas fuiſſe. Nemo dubitaverit, fibras maſculares, quæ tot machinulas ſphæroidales inæqualiter, aſymmetre, & frequentiſſime oſcillantes undequaque circumſcribunt, has quoque fibras inæqualibus, aſymmetris & frequentibus oſcillationibus ſibi continuo communicatis movendas eſſe; velit itaque nolit animal, tremulis motibus agitandum erit ex inordinata, & inæquali muſculorum oſcillatione. Quod ad membranas & nervos ſpectat, repetantur quæ de tremoribus epilepticis ſatis clare oſtenſa ſunt; enimvero aut ſolicitatione, aut inflatione menyngum lacerti in curvam ſuperficiem inflexi, cum diſtrahi, & reciproca viciſſitudine contrahi neceſſario debeant, eundo, & redeundo, deſcribent iu tam ſtrictiſſimis cerebri anfractibus arcus plus juſto minimos ac frequentiſſimos, qui cum ex penduli phænomenis tam in circulo, quam in cycloide obſervatis tremulos motus producant; certe ex tam membranarum minimo motu diſtractarum, & minimo motu contractarum reciproca ſolicitatione tremuli motus exorientur. Iſti autem nerveis ſolidis communicabuntur, cum membranæ a menyngibus derivatæ nervea ſolida circumſcribendo eas affectiones tremulas nerveis ſolidis afferant, quas ipſæ prius aut ſolicitatione, aut inflatione in cerebro præternaturaliter ſuſceperunt, Confert ulterius tremori elaſticorum fluidorum vis enervata, vi cujus naturalis ſolidorum renſio flacceſcere conſueſcit; dum enim corpora elaſtica debito virium ac momentorum numero continuo oſcillant, ſolida circumſcribentia ea tenſione gaudent, qua ſolida ipſa tonico quodam ſtatu naturaliter extenſa aut inflata detinentur. Verum ſi elaſtica corpora debito numero deficiant, tot ſolida, cum nec continuo, nec æquabiliter opportunis viribus extenſa, & inflata, naturali ac debita ratione poſſint conſiſtere, hæc prout elaſticis fibris prædita frequenti viciſſitudine tranſibunt ab una parte minimæ dilatationis ad partem oppoſitam minimæ contractionis. Quare cum hujuſmodi reciprocatio motuum minorum oppoſitorum præternaturalium tremulos motus afferat, neceſſe erit, ut enervato ſolidorum & fluidorum elaſtico conatu ac momento, ſolida quoque nervea, & muſcularia in tremores itura ſint; & conſequenter labia, manus, palpebræ, & reliquæ corporis partes continua oſcillationum reciprocatione a tremoribus ſolicitentur. Ita quoque ſi elaſtica corpora inertibus aut extraneis corporibus unita fuerint, producentur membrorum actiones mixtæ ex conatu corporum agentium, & impedientium; cum enim cauſæ aliquem effectum adjuvent in ea ratione, qua ipſe augentur, aliæ vero impediant, aut minuant, erunt effectus ſemper directe ut cauſæ adjuvantes, reciproce vero ut cauſæ impedientes, aut minuentes. Quamobrem cum momenta ac vires corporum elaſticorum in nerveis, ac muſcularibus ſpatiolis naturaliter agere conentur, impediant vero, aut minuant elaſticas actiones corpora præternaturalia, quibus elaſticæ commiſcentur actiones, muſculorum & membrorum ſeu motus eorundem erunt directe, ut vires adjuvantes corporum elaſticorum contentorum in nerveis, & muſcularibus ſpatiolis; reciproce vero, ut vires corporum præternaturalium impedientium, aut minuentium actiones, ac motus eorundem. Itaque vel cauſæ modo effectum adjuvent, vel modo ſimul impediant; utræque tamen & adjuvando & impediendo, niſum & conatum ſuum exercent; qui niſus ac conatus cum ſint præternaturales, nunquam eam inter ſe proportionem adipiſcentur, qualem natura exigit, ut inter ſe niſus ac conatus iſti æquilibtentur; oportet itaque hujuſmodi conatus ac momenta præternaturalia inæqualiter agendo, & inæqualiter reagendo taliter ſolicitare membra, ut tremulis & aſymmetris motibus & oſcillationibus agitentur. Si ergo momenta aliquarum membranarum, aliquorumque nervorum ac muſculorum, opere præternaturalis cauſæ, habeant rationem majoris inæqualitatis reſpective ad oppoſita momenta muſculorum antagoniſtarum, aliorumque nervorum, membranarum, tendinum & oſſium; cum ex momentorum inæqualitate non poſſint æquilibratæ potentiæ æqua ratione conſiſtere, erunt facile ex frequentiſſima actione, & reactione corporum momentorum inæqualium tremulis motibus agitandæ; verum deficientibus hiſce muſculorum tendinum & oſſium momentis facile reparandum erit, ſi pondus aliquod proportionale tremulis manibus ſuſtinendum adderetur; hoc ſiquidem ponderis externi augmento actiones, & reactiones præternaturales corporum agentium & reagentium ad naturale æquilibrium reſtitutæ, feliciſſime, ablato tremore, conquieſcere debuerunt.

Apoplexia. 15. Et jam ad eam morbi ſpeciem deventum eſt ſupra cæteros morbos timendam, *Apoplexiam* videlicet, quarum una fortis eſt, quæ ſubito animal interficit; altera vero levior, quæ morbum & mortem protrahit. Ut autem de utraque opportunum ſermonem habeam, juvat repetere, quæ celeberrimi viri Joannes Fantonus & Antonius Pachionus de motu ſyſtolis, & diaſtolis menyngum aptiſſime docuerunt. Studio itaque naturæ bene ſe habentis decretum eſt, motum cordis eſſe motui talium membranarum proportionalem; cumque iſochronus eſſe debeat naturalis motus cordis & arteriarum, iſochronus quoque menyngum motus futurus erit. Magnis autem uſibus moveri menynges ſupra ſtatutum, potiſſimum vero uni infervit homologo, nempe impulſui ſanguinis per univerſa cerebri vaſcula; præcipue vero per fines menyngum, ut ab his ſanguis per venas in cor proportionali quoque motu circumeat reſtitutus. Si itaque inauſpicato accidat, aut a glandulis menyngum a ſupra laudatis viris Fantono & Pachiono feliciter obſervatis, aut ex nimis effuſo ſero a canalibus lymphaticis, aut ex nimis violento ſanguinis impetu, aut ex quacunque alia præternaturali cauſa, naturalem menyngum texturam, rugas aut plicas vel in tota peripheria, vel in parte ejuſdem gravi fato præternaturaliter laxari, extendi aut rumpi, ita ut omnino deficiant, vel in univerſa menyngum peripheria, vel in aliquo ſpatio ejuſdem reciproca momenta diſtractionis & contractionis fibrarum, & vis diaſtolis & ſyſtolis earundem; tunc cum in hiſce ſolidis præternaturalis ſtatus inertiæ praviter fiat, ſanguis & quæcunque alia fluida elaſtica & non elaſtica enervato, aut deperdito motu variam apoplexiæ ſpeciem erunt allatura. Non eadem tamen futura erit morbi indoles: etenim ſi ſpatia menyngum aut laxata, aut inertia, aut fracta eas amplectantur ac veſtiant nervorum origines, aut ductus eorundem, qui per muſculos dextri aut ſiniſtri brachii, dextri aut ſiniſtri pedis excurrunt, ſenſum & motum hiſce partibus donaturi; tunc vel dextrum brachium, vel ſiniſtrum, ſive dextrum pedum, ſive ſiniſtrum infirmari, aut impediri neceſſe eſt. Cæterum ſi graviori fato, aut tota menyngum regio, aut ea menyngum portio, quæ cardiacos nervos ab origine, & toto progreſſu inveſtit, aut laxetur, aut iners fiat, quodammodo frangatur, tunc ſtatim impedito ſanguinis circuitu, ceſſante motu cordis, forti apoplexia erit animal moriturum. Hinc ſæpe in apoplecticis laxatis potiſſimum cerebri & cerebelli menyngibus, quæ fibris medullaribus undequaque alligantur, fibrarum medullarium ſeries, ſeu progreſſiones ordinatæ earundem a proportionali ordine, directione ac ſitu naturali declinare coctæ erunt; fiet itaque motus fibrarum primo iners ac languidus, ſimulque fibris acquirentibus directiones, poſitiones ac ſitus a naturali ſtatu diſſimiles, ſeu inclinationes præternaturales, inverſa ratione naturalis proportionis earundem exorietur gravis phantaſmatum confuſio, & ex potentia memoriæ enervata oblivio. Sed de memoria, & de reliquis animæ affectionibus præternaturalibus ſecunda diſſertatione agendum erit. Interim cum apoplectico inſultu correptos, aphonos quoque ſæpiſſime viderim, non erit magni negotii opus rem ac cauſam aperire; laxata enim menyngis portio, quæ recurrentibus nervis reſpondet, iiſque per laryngis muſculos decurrunt, non eam rationem motus datura erit voci edendæ proportionalem. Verum non a laxitate menyngum & fibrarum cerebri oriri apoplexiam tantummodo judicandum eſt; verum etiam ab ariditate, aut convulſiva criſpatura earundem facillime orituram eſſe credimus; hominibus enim ultimo ſenio correptis adeo menynges areſcunt, ut moveri inepte debeant, & urgere ſanguinem opportuno impulſu non poſſint enervato momento diſtractionis: pari methodo augeri inetiam motus credendum, ſi convulſivæ affectiones prohibeant ea momenta diſtractionis, quæ a natura ſtatuta ſunt, ſanguis enim & fluida quælibet, cum non æquabili motu, nec ordinato, neque continuo urgeri poſſint, facillime tam in ſenibus, quam in convulſis motus cordis & vita ipſa auferenda eſt. Nonnulli *Apoplexiam per conſenſum* facile nominant; verum cum quælibet apoplexia ſemper opus ſuum funeſte in cerebri regione exerceat & compleat, ſupervacuum putaverim de apoplexia per conſenſum ulterius dicere.

16. Apoplexia ſuperveniente aut ſtatim moriendum, aut membrorum ſtupore, una cum abolito motu ſæpe paralytice vivendum eſt: grave tamen onus eſt, ſenſus & motus deperditi, aut enervati cauſam reddere; licet enim celebres Philoſophi ac Medici plurima de ſenſu & motu alte diſputaverint, curandum tamen, antequam de paralyſi loquamur, de ſenſu & motu quædam dicere, paralyſi neceſſaria aſſecuturis. Cum itaque ſimilitudine quæri debeant, quæ vere a natura rerum obtineri non poſſunt, crediderim primo, rationalem animam adeo intrinſece, arcte & intime uniri, applicari & compenetrari viventibus organis, ac ſenſoriis, ut minori penetratione lumen politiſſimo, purgatiſſimoque vitro ac cryſtallo applicetur, idemque cryſtallum penetret, quam anima ſenſoriis, organiſque compenetratur. Hæc organorum opera duas actiones divinitus exercet; quorum prima & eminens in cerebri fibrillarum motibus ſe ipſam eximie oſtentat, per imaginationem, diſcurſum & memoriam, de quibus ſuo loco; ſecunda vero humilior eſt, quæ membranis nerveis, muſculis, &c. indiget pro ſenſu & motu exequendis, quam hic brevi probabilique ratiocinio inquirendam curamus. Itaque pro ſenſus organo membranas undequaque conſtruxit, varias textura, ordine, directione, ac modificatione diſſimiles, variis ſenſuum differentiis proportionales; *pro motu* vero duabus indiget natura muſculorum ſpeciebus præter nervos, quarum altera naturalibus actionibus famulatur: hæcque continenter moveri debet opera fibrarum taliter modificatarum, & fluidorum continue impellentium; altera vero imperio animæ movenda eſt, ut voluntariis motibus pareat: utræque tamen, ut apte ſummis naturæ operibus faveant, æque, perfecte, ordinateque diſpoſitæ, & elaboratæ, puriſque fluidis irrigatæ eſſe debuerunt. Sicut itaque lumen alteratur & afficitur a quocunque latere, angulo, ſuperficie ac motu corporis illuminati; ita ſimiliter anima ſolidis intime unita ac compenetrata, juxta quoſcunque motus ſolidorum diverſas patitur affectiones ſolidorum affectionibus homologas; anima etenim divino quaſi lumine donata cum ſpecificas motuum differentias habitudine & uſu ſentiat ac cognoſcat; & cum univerſæ organorum affectiones a ſpecificis, determinatiſque motibus determinentur, non dubitandum, rationalem animam a ſpecificis motuum organorum differentiis, ſpecificas eorundem organorum affectiones taliter ſentire ac cognoſcere debuiſſe. Sentit itaque anima, quæ ſenſus ipſi ſentiunt, & qua ratione afficiantur ſenſus, ea animam ipſam affici neceſſe eſt; hinc ex tam intimo animæ cum organis vinculo reciproce judicandum, affectiones ejuſdem neceſſario ſenſibus ipſis communicari, ut quantum ipſa patiatur anima, tantum data proportione ſenſoriis naturaliter ſe habentibus affectione communicata, opera compenetrationis, ſenſoria pati teneantur. Cæterum ſi organa ſenſibilia, aut enervata fuerint, aut vitioſe modificata, impedita, aut læſa, ſeuſus quoque aut enervati fient, aut torpidi, aut ægri, aut aboliti. Hinc anima ipſa ex enervatis, aut impeditis, aut abolitis organorum ſolicitationibus, aut languide, aut vitioſe, aut nulla penitus ratione ſentire poterit, ſenſuumque differentias opportune cognoſcere. Licet vero ſenſationes ubique fiant, & animam juxta leges ſpecifici motus organorum undequaque afficiant; nihilominus animæ judicium de motuum natura, ratione, ac ſenſibilium qualitate non niſi in cerebro, ut regia animæ ſede faciendum eſt; ibi ſiquidem communicatis organorum motibus, aut ſolicitationibus ſpecificis, ac determinatis *Piæ Menyngi* (quæ ſenſus communis organum ſuſpicari jure poteſt) & conſequenter fibris ipſis medullaribus, quæ a pia matre

tre immediate vestiuntur, anima habitu, usuque exercita, adeo recolligit eas affectiones ac motus, qui sensoria sua, animamque ipsam antea solicitaverant, ut juxta determinatas rationes motuum, qui sensibus proportionaliter communicantur, hos acutissime, virtute, usu ac habitu acquisitos cognoscere ac judicare teneatur; sed de animæ actionibus suo loco.

17. Hæc breviter de sensu dicta sufficiant. Res paulo obscurior mihi visa est, de motu animalium disputare; cogitanti tamen mihi sæpenumero, & in hac re meditanti occurrunt potissimum duæ sententiæ, quæ naturalis & voluntarii motus phænomenis probabiliter satisfacere videbuntur. Utranque hypothetice afferam; unusquisque autem eam amplecti poterit, quæ probabilior fuerit, & quam ad enodanda naturæ phænomena aptiorem fuisse judicaverit, eam imitatus Astronomorum methodum, qua nonnulli per circulos, nonnulli per ellipsim, nonnulli per alias curvarum rationes phænomenis & motibus planetarum apte satisfaciunt (ut de vorticibus cælestibus ostendit celeberrimus vir Joannes Polenus omni laude meritissimus) eundem finem divisa licet methodo adepturi. Itaque jus veritati quærendæ me facturum puto, si audeam ad modum hypothesis utranque sententiam probabili ratiocinio patefacere. Magnum apud omnes, qui recte & graviter judicant, pondus habet sententia illa celeberrimorum virorum Borelli ac Bernollii, voluntarios motus musculorum fieri imperio animæ, quæ per nervos ob subitaneam efferveſcentiam spirituum animalium, seu succi nervei e nerveis tubulis effusi sanguini & lymphæ commixti, cujus efferveſcentiæ impetu extenduntur machinulæ illæ rhomboidales musculorum cum Borello, aut sphæroidales cum Bernollio, contractionem musculorum exercet: ut autem hujus hypothesis idea facilius ac clarius doceatur, putabo rem fore necessariam, si Bernollii ipsamet verba methodo Borelliana elaborata aperuerim. Inquit itaque n. 4. Doctissimus Bernollius: *Iis itaque generaliter assentimur, & statuimus cum Borello, nervos esse congeriem tubulorum substantia quadam spongiosa repletorum, quæ substantia semper turget, & plena est fluido summe volatili a cerebro suppeditato ejus naturæ, ut si cum sanguine commisceatur, subitaneam efferveſcentiam pariat. Et hoc fluidum illud ipsum est, quod vulgo spirituum animalium nomen habet: Si anima imperat aut vult, hoc fieri non potest, quin ex necessitate mirabilis unionis, quam Omnipotens Deus inter animam nostram & corpus constituit, & quæ nos hactenus & usque latebit, quin, inquam, fiat in cerebro localis quædam agitatio spirituum animalium, qui vellicando principium alicujus nervi concutiant per totam longitudinem spiritus intra contentos; non secus, ac fit in baculo, cujus extremitate una vel tantillum commota, altera pariter ob contiguitatem partium commmovebitur; Sic itaque ab irritatione principii nervei guttulæ extrema fluidi ad nervos spectantis ex altero osculo levi vibratione ejicitur, & hoc modo ex omnibus aliis nervulorum per musculum dispersorum osculis simul ad nutum voluntatis totidem guttulæ evomuntur; quemadmodum autem spongia turgida guttulas pendulas effluere non sinit, sic etiamsi oscula ista extrema nervorum semper sint patula, guttulæ tamen fluidi modo memorati sponte, & sine quadam concussione non excidunt, quia substantia spongiosa nervorum eis loco valvularum inservit.* Sequenti vero n. 5. addit: *Quando igitur ab imperio voluntatis, vel a consuetudine naturæ (quod fit in motibus involuntariis) eo, quo dixi modo innumeræ guttulæ per totam musculi molem, quæ instar spongiæ semper sanguine humectata est: simul ejiciuntur ex orificiis nervulorum, tunc eædem particulæ tenuissimæ spiculis suis subtilissimis impactæ in particulas sanguineas tenuiores easdem distinguunt, & insito aeri condensato exitum præbent (ut docui in mea dissertatione de efferveſcentia, & fermentatione) ebullitionem, & subsequentem musculorum inflationem producit*; unde contractionem earundem subsequi necesse est. Videatur ulterius Borellus cap. 3. 2. tom. de motu animalium; de causis probabilibus vitalis contractionis musculorum prop. 22. & sequentibus, ex quibus manifesto constabit tantæ hypothesis ratio, ordo, & methodus, enodatis ultro difficultatibus illis, quæ hanc hypothesin evertere potuissent.

18. Licet tantorum virorum doctrinæ & auctoritates eo pretio sint apud nonnullos, ut fateantur, id semper summæ gloriæ ipsis fuisse, cum Borellianas, aut Bernollianas hypotheses sequi potuissent; attamen philosophandi gratia sperant se veniam fore consecuturos, si aliquando alteri sententiæ assentiri videantur. Hisce itaque plurima non arridenti; primo siquidem, licet probabilem putent succi nervei & spirituum animalium existentiam, tamen non eo officio credunt comparatos, ut sensum & motum primarium tribuant: etenim non putant glandulas corticales cerebri tale, tantumque fluidum separare posse, cum Malpighius capite de liene pag. 305. nervum natura sua succum sero & parce vehere ingenue expertus sit, nec fibras medullares, & nervea solida separatum succum tanto officio sensuum, & motuum undequaque vehere. Inde non facile credunt, voluntatis imperio fieri posse localem in cerebro agitationem spirituum, qui vellicando principia alicujus nervi concutiant per totam longitudinem spiritus intra contentos, ut guttula extrema fluidi ad nervos sputantis ex altero osculo levi vibratione tam ciro, tam prompte ejiciatur, & ut cum sanguineo & lymphatico fluido mixta statim fermentescens subitaneam distentionem machinularum, & contractionem musculorum efficiat; si enim frequentissimo & continuo voluntatis imperio in continuis motibus musculorum guttulæ semper succi nervei continuo tribuendæ essent, ut cum sanguineo & lymphatico latice efferveſcerent; laboriosum quidem naturæ opus futurum esset; & summum onus glandularum cerebri tantum succum suppeditare nerveis canaliculis, tantis continuisque motibus parem. Arduum ulterius putant, credere tam citum, tam facilem gressum, & regressum spirituum per nerveos canaliculos imperio animæ, & quomodo spirituum particulæ infinite parvæ & elasticæ intra teneras nervorum fistulas, etiam adjuvante vinculo succi nervei, contineri possint. Hæc & plurima alia, quæ, ne tædio essent, relinquere voluerunt, adeo aliquorum Philosophorum ingenia turbaverunt, ut de tanto spiritu & succi nervei usu, & officio quod ad sensum & motum pertinet, dubitaverint, asserentes facilius esse, de adversariorum suppositis dubitare, quam eorum suppositis acquiescere. Licet autem spiritibus & succo nerveo officia sensus & motus primario non tribuant; nihilominus de succi nervei existentia dubitare non ausi sunt; existimant enim a sanguineis & lymphaticis vasculis undequaque nervea solida circumscribentibus tribuendum esse nervis fluidum quoddam, quod peculiarem naturam, ac indolem nactum (ut in ossium medulla accidit; sine qua brevi ossa arescerent) *nervea solida nutrit, mollia tenet, & aliquod tensionis momentum tribuit*; ut hæc solida taliter dispositæ animæ organis ipsis compenetratæ & naturæ magnis in operibus prompte ac facile pro sensu & motu ab anima exequendis parerent. Quamobrem non succi nervei existentia, sed de officio sensus & motus juxta Borelli & Bernollii sententias dubitare voluerunt.

19. Probabilius itaque consilium putant, eam amplecti sententiam, quam nuper celeberrimus Steno adumbraverat; nimirum per solam mutationem figuræ musculorum contractiones & distractiones seu elongationes in motibus eorundem fieri potuisse. Id tamen animadvertendum voluerunt, non omnino eam sequendam Stenonis ideam, qua docuerat, musculos contrahi & elongari sola mutatione figuræ simplicis musculorum simplicium, qui unicum rhombum constituunt; sed scienter judicaverunt, contractionem & distractionem seu elongationem musculorum habendam quidem esse per mutationem figuræ musculorum, sed compositorum competentium plura spatiola seu machinulas, quarum non planarum, sed solidarum figurarum muscularium mutatione necessaria, sine spirituum & succi nervei auxilio, modo contractiones, modo elongationes eorundem in motibus exequendis habendæ sunt; sola itaque mutatio figuræ non simplicis, sed solidæ musculorum compositorum id operis sine spiritibus & succo nerveo præstare felicius potest, quod minus apte spiritibus & succo nerveo tribuere plerique voluerunt. Cur enim in voluntariis motibus, (de quibus hic potissimum sermonem habemus) hac de re dubitandum? Cur enim anima intime unita ac compenetrata sensoriis non poterit virtute sua, suoque impetu, usu potissimum ac consuetudine acquisito, (usu enim & ipsa paulatim acquirit, aut fortasse repetit scientiam) cito ac facile juxta opportunitatem actionum, quas ipsa exigit, movere taliter organa, naturali tamen statu se habentia, hos potius nervos, quam illos, a quibus hi vel illi musculorum motus consequi necessario debuerunt? Cur quæso tam eminens anima, quæ in consuetis musculorum motibus machinarum sphæroidalium oscillatorio motu uti consuescit, non poterit in validiorum motuum necessitate usu paulatim experta & edocta tali ratione ipsamet dirigere, disponere & modificare fibras machinularum, ut aliquando non amplius sphæroidalia, sed octaedrica, & in summis, violentissimisque motibus exequendis, intra tamen limites naturæ humanæ isoedrica, aut etiam sphærica spatia componat? quæ cum ex sola mutatione figurarum solidarum, (ut ex isoperimetris motum est) majores ac majores acquirant areas ac superficies, jure optimo eam dilatationem, & contractionem citissime afferre musculis ac solidis debuerunt necessariis motibus opportunam, quam fortasse temere elastico & fermentativo fluidorum motui fere omnes Philosophi veterum auctoritate præjudicati tribuere voluerunt? Qui negaret, a tam eminente anima usu ac habitu edocta hæc fieri cito ac facile non potuisse, certe tantum potentiæ animæ organis compenetratæ detrahendum vellet, quantum temere spiritus aut elasticis succis non immediate unitis tribuendum voluit. Si enim anima, ut nonnulli credunt, imperio suo movet spiritus & succos elasticos a seipsa sejunctos, cur multo magis non poterit movere ac modificare organa sua juxta figuras illas, quas habitu & usu perceperat iis, vel illis actionibus exequendis opportunas, cum immediate organis unita sit ac compenetrata? Si natura ex sola figurarum mutatione in naturalibus & artefactis tot actiones felicius ac citius naturales & præternaturales exequitur; cur multo magis anima organicis compenetrata cito ac facile tam necessaria motibus & actionibus suis exequendis hac methodo persequi non poterit? cum anima tanto natura perfectior habeatur? Itaque si anima intime unita & compenetrata sensoriis organa ipsa immediate dirigere, modificare, componere ac movere virtute sua, usu & habitu acquisita cito ac facile potest, quæ mediate tantum per spiritus, aut succos elasticos agere ac movere tardius debuisset, probabilius creditum a nonnullis est, animam in motibus voluntariis virtute sua & usu agere voluisse & debuisse, ut sola mutatione figurarum & organorum ea beneficia contractionis & elongationis musculorum facile ac cito ab ipsamet anima sibi compararet, quæ tardius ac difficilius per spiritus, per succos elasticos fermentescentes fortasse minus apte obtinere potuissent. Arguunt tamen valide Borelli sectatores, cum impedito aut ligato nervo sensus obstupescere, & motum partium, ad quas nerveæ illæ ramificationes excurrunt, interire penitus experiantur. Si itaque vis, consuetudo & potentia animæ habitu & usu acquisita ea esset, quæ figurarum solidarum mutatione dirigeret, modificaret, moveret, ac componeret varia configuratione machinulas illas sphæroidales musculorum juxta necessitatem occurrentem motuum exequendorum, certe, etsi nervi impediti, aut ligati essent, posset tamen taliter organa sua movere, modificare ac dirigere, ut motus suos opportune exequi concederetur. Verum si tam celebris dubitatio jure optimo expendatur, non dubitandum, hanc facile fore exolvendam. Licet enim anima sit intime unita ac compenetrata organis, ut apta fiat movere, modificare, dirigere & agere sensoria ipsa juxta suorum motuum exigentiam, intra tamen limites naturæ humanæ; nihilominus semper ipsamet prout organis compenetrata tenetur agere, suasque actiones exercere dependenter ab organis. Si itaque organa naturalia, sana & apta actionibus obeundis constiterint, ipsamet anima recte, opportune & naturali modo operabitur; cæterum si organa vitiosa fuerint, impedita, aut fracta, ut frustra esse videantur, cogetur anima ipsa suorum organorum vitia, impedimenta ac labes pati, & sustinere, exequendo dependenter ab organis vitiosas actiones, aut impeditas, aut nullas. Ex his arbitratum est facilius ac clarius demonstrari obscurissima phænomena; cur nempe sensus aliquando obstupescant illæso motu? & cur deperdito aliquando motu sensus adhuc superstites habeantur? Sensus enim fiunt specificis motibus membranarum; motus vere voluntarii imperio, actione & usu animæ organis compenetratæ dirigentis naturales machinulas sphæroidales solidorum musculorum juxta rationem figurarum exequendis motibus proportionalium. Difficilius siquidem & obscurius semper fuit, gressus & regressus spirituum per eosdem nervos modo ad sensum, modo ad motum, modo ad utrunque eodem tempore per totam animalis machinam supponere voluisse, quin facile consequatur actio & reactio corporum, & inde confusa sensuum & motuum momenta, cum animæ & naturæ vitio & actionum aberratio-

ratione. Hæc satis breviter dicta sufficiant de motibus voluntariis organorum imperio animæ exequendis, cum de naturalibus organorum actionibus ac motibus in sequenti dissertatione dicendum sit. Itaque quidquid sit de his, quæ dicta sunt de tam eminentibus animæ actionibus & de motibus voluntariis organorum, unusquisque eam sibi eligat sententiam, quæ animæ & naturæ actionibus enodandis probabilior futura fuerit, cum utraque opinio opportuna Philosopho, probabilis Medico, licita Catholico videatur.

20. Redeuntes modo unde digressi sumus, innotescent facilius causæ illæ quæ paralysin erunt allaturæ. Hujusmodi itaque morbus, qui aliquando deficientiam motus, & sensus, sæpius vero imminutionem utrique afferre consuescit, fieri potest vitio membranarum nerveis solidis, cæterisque organis circumscriptarum; vel vitio fluidorum elasticorum, aut præternaturalium intra spatiola muscularia & fortasse etiam nervea contentorum, vel vitio utrorumque; quod si hujusmodi vitiosæ affectiones totum fere corpus apprimant, *Paraplegiam*; si vero vel dextram, vel sinistram partem una cum capitis medietate afficiant, *Hemiplegiam* communi vocabulo apellare Medici voluerunt. Quamobrem quod ad vitia membranarnm spectat, cum menynges universam nervorum familiam undequaque investiant, si menynges enervatæ fuerint ac languidæ, membranæ quoque consentientes, quæ nervos investiunt, necessario flaccescent, & filamenta nervea solidum nerveum componentia non eam inter se unionem adipiscentur naturali soliditati nerveæ proportionalem. Verum cum ex majore unione filamentorum nerveorum inter se massa nervea densior fiat, hæc majorem rationem habebit ad nervorum volumen; e contra cum ex minori unione filamentorum nerveorum inter se massa nervea rarior futura sit, hæc minorem rationem habebit ad idem nerveum volumen. Cum autem ex densitate massarum fiant corpora consistentia ac valida, ex raritate vero fiant cæteris paribus minus consistentia sive debilia, arbitrandum erit ex majori laxitate membranarum nerveis solidis circumscriptarum nervea solida minus consistentia, minusque valida fieri, ex minori vero laxitate membranarum nervea solida magis consistentia futura esse. Quapropter si ex una parte momenta membranarum, nervorum, musculorum & tendinum habeant rationem minoris inæqualitatis respective ad momenta membranarum, nervorum, musculorum & tendinum antagonistarum ex alia parte; cum vires & actiones ex illa parte nervorum, musculorum, tendinum & ossium, quibus tendines alligantur, aut deficere possint, aut saltem imminui, motus quoque membrorum in hac, aut omnino deficiet, aut si aliquis remaneat, ex tam inæquali, & irregulari actione, & reactione momentorum inæqualium tam ex una, quam ex alia parte, motus quosdam infirmos & enervatos, aliquando quoque tremulos supervenire necessum est. Non solum autem a laxitate membranarum nervea solida inscripta minus consistentia fiunt, ac debilia cum motus imminutione, aut abolitione; verum etiam facillime impleri possunt materia quadam lymphatica, quæ membranas ac nervea solida non tantum ultro opprimat, verum etiam elastica corpora impediat, ne naturales conatus elasticitatis exerceantur; quippe, cum solida nervea rariora reddita massam habeant, quæ minorem rationem habet ad suum volumen; volumen vero sit spatium, quod corporis massam cum interspersis poris occupat, certe tot pori acquisiti a voluntate solidorum nerveorum implendi facile erunt a fluido lymphatico undequaque fluente; ibi autem firmato sero cum pondera corporum sint quantitatibus materiæ, seu massis eorum proportionalia, nervorum pondera, ac momenta enervata augebuntur in ratione composita ex ratione corporum elasticorum enervatorum, (quæ probabiliter etiam in nervis solidis continentur, & ratione quantitatis seri derivari in poros voluminum nerveorum. Quamobrem nervea solida ultra naturæ leges onerosa facta inepta fient ad motum; deinde hujusmodi solida tot seri particulis præternaturaliter repleta, cum minus expedita ad motum fiant, minusque disposita ad elasticas vibrationes; sive motus naturales oscillationum obeundos, non solum motus musculorum, verum etiam sensibilium affectiones, aut languide, aut nullatenus poterunt exercere; cum enim enervatæ membranæ, & filamenta nervea laxata, non eam solidorum tensionem, vim ac consistentiam afferant, quæ naturali constitutioni, seu naturali momento contractionis organorum sensibilium convenire videatur; jure corpora quælibet sensibilia, cum nullatenus, aut opportuna ratione motus sensoria afficere possint, sensationes non producent; aut si æqualiter sint productura, sensoria obstupescere videbuntur. Ex his aliæ consequuntur paralysis causæ; enimvero nervea solida laxata ob laxitatem membranarum investientium non eam densitatem tribuere possunt corporibus elasticis intus, quæ necessaria esse videatur, ut vires sibi naturales exerceantur; enim vero cum densitates corporum elasticorum quamproxime elasticitatibus suis proportionales fiant, a quibus vis & robur solidorum dimetiuntur, & ordinata corporum elasticorum vi & conatu oscillatorio, nervea quoque solida opportunam vim tensivam, & robur sustinere naturaliter apta erunt: hinc colligendum ex membranarum laxitate, nervei quoque solidi aliquando & sensus, aut omnino, aut aliqua ratione deficere debere. Præter hæc fluida elastica juxta nonnullos intra nervorum spatiola, potissimum vero intra spatiola sphæroidalia musculorum contenta, si aut quantitate naturali deficiant, aut extraneis corporibus unita opportuna momento careant, non ea in nervis ac musculis vi aut momento tensionis donata erunt, quod & ad membra movenda & ad sustinenda pondera pertinere videbatur. Quare aut nullus fieri poterit membrorum, organorumque motus, aut si aliquis supersit, enervatus ac languidus futurus erit. Hæ sunt præcipuæ paralysis causæ, quæ aut motum impedire, aut sensum enervare aptæ sunt. Cæterum si expositæ hujusmodi causæ supra modum graviores extiterint, ita ut summa fuerit laxitas membranarum menyngum, & consequenter earum, quæ opportuno consensu nervea solida circumscribunt, aut nimius fuerit defectus corporum elasticorum in nerveis fortasse, & muscularibus spatiolis sphæroidalibus, aut nimia & exeedens seri copia, aliorumque fluidorum præternaturalium, quæ hæc vel solida graviter opprimat; tunc non paraliticæ affectiones organorum, sed apoplecticæ denuo orientur.

21. Ab his, quæ dicta sunt, facile datum erit proficisci ad affectiones illas, quibus gravi sopore, ac somno animalia gravari consuescunt. Harum affectionum præternaturalium licet variæ sint species, attamen non causis, sed gradu differunt; *Lethargus* enim gravem, profundumque somnum cum oblivione, & læsione operationum animalium una cum lenta, sed continua febri sibi comparat; *Coma* vero propensionem ad somnum gravem affert & invincibilem; *Carus* autem longum profundumque soporem ostendere visus est; verum comatis & cari essentia ac natura hoc exigit, ut febri careant, aut fortasse melius ægri febri carere videantur. Itaque licet aliquando laxitas præternaturalis menyngum pro somni præternaturalis causa haberi aliquando possit; nihilominus probabilius opinor, præternaturales laxitates fibrarum medullarium cerebri peculiari modo præternaturalem soporis indolem afferre; cum enim supra ex præternaturali laxitate menyngum, aut tota, aut fere tota nervorum familia, quæ a menyngibus productis undequaque vestitur, aut paraplegiam, aut hemiplegiam afferre debeat, laudabilius censeo somni præternaturalis causam ac fontem, quæ cerebro præcipue insidet, medullarium quoque fibrarum laxitati esse rationabilius tribuendam; sæpissime enim effuso, aut e glandulis menyngum, aut e lymphaticis sero fibræ medullares copiosiori fluido madefactæ a naturali, licet tenui tensione, declinant; Cum vero aut nullo modo, aut languide debitum sibi tensionis conatum sustinere possint, otiantibus aut enervatis sensoriis aliquando gravem, aliquando gravissimum soporem erunt allaturæ. Nerveum succum si credimus, certum est aliquando hunc austeris, aut viscidis, aliquando opiatis, venenatisque particulis adeo associari posse, ut corpora præternaturalia vim tensivam naturalem fibrarum magis impediant, quam adjuvent particulæ elasticæ succi nervei; cum autem effectus semper sint directe ut causæ adjuvantes; reciproce vero ut impedientes; enervato elatorio succi nervei a præternaturalis particulis fibræ medullares, aut ægre, aut nullo modo tendi debuerunt; sensoria itaque aut negligenter, aut nullatenus solicitata & deperdita, aut enervata oscillatione sopore gravi, aut graviori otiabuntur. In febribus autem gravi inedia, vel lassitudine corporis elasticis corporibus aut evolatis, aut exili momento agentibus non ea vis tensionis in medullaribus fibris acquirenda erit, quæ sensoriis naturaliter & opportune exercendis necessaria videatur. Febris itaque medullaribus enervatis, aut languidis sensoria varia soporis indole ingravescent. In lethargicis affectionibus inflammari menynges facile credendum: Ibi autem inflammatione parte sanguis lentescit in sinubus menyngum, & pondere earundem inflammatarum, & sanguinis lentescentis, compressa nimis crebri substantia profundissimum somnum cum oblivione, & læsione operationum animalium erit allatura.

22. Remanet inter comatosas affectiones *Coma Vigil*, qua ægrotantes conniventibus oculis dormire videntur, cum fortasse tam gravi somno obruantur. Crediderim, eos surculos nervorum opticorum, qui ad musculos deprimentes & attollentes palpebras opportune serpunt, morbose laxatos quodammodo fuisse, ut attolli difficulter possint, quinimo debeant necessario; sic enim depressis morbose seu paralytice enervatis palpebris ægri dormire videbuntur; verum cum in reliquis fibrarum medullarium ordinibus aliqualis remaneat motus solicitationis, distractionis & contractionis, & aliqualis elasticitas succi nervei, ea ratione media tenenda fuerat cerebri regio, ut inter somnum & vigiliam consistere debuisset.

23. Superest *Vertigo*, quarum una idiopathica est, symptomatica altera. Prima causam ac sedem a regione cerebri secunda a stomachi, uteri, aliorumque viscerum consensu cognovit: utraque tamen mala ominatur. Cum vertiginis phænomena a Physicis non satis apte enodari possint, ab Opticis quærenda sunt; ea siquidem est rotationis explicandæ causa, ut nisi Optica præsto sit, difficilis admodum & obscura futura erit tanti operis divinatio. Ex celeberrimis Viris Hayr & Wolfio *Retinam* pro primario visionis organo judicandam opinamur; hæc enim tunica cum choroidi contigua sit, & a filamentis nervei optici perfectissime elaborata, ibi quidem firmanda erit præcipua Verriginis causa; ut autem hæc manifesta fiant, prænotandum est, radios (*a*) ab objecti puncto egressos per refractionem in humore crystallino factam in uno iterum puncto, ut visio debita fiat, uniri debere. Hi autem radii cum secum afferant integram & perfectissimam imaginem puncti radiantis (ex eodem corollario) cum eo in loco, quo radii uniuntur, ibi immediate adesse naturaliter debeat Retina: hæc a radiorum punctis opportune tacta, & affecta specifico quodam motu excipiet naturales objectorum imagines. Itaque si accidat aut timore, aut ira, aut quacunque animæ præternaturali affectione, aut corpore quodam extraneo solicitari taliter nervos opticos, ut præternaturali quodam contacta ac motu nervorum opticorum fibræ Retinæ, quæ superficiem quodammodo circularem describunt, in orbem aliqualiter torqueantur; opus erit radios, fibrillas Retinæ quodammodo circulariter euntes successive solicitare. Cum autem radii hac ratione successiva tangentes, & solicitantes fibras Retinæ, quantumvis minimi sint, externorum objectorum imagines secum afferant, ab aliis successivis motibus radiorum & contactus transeuntibus circulariter ab uno contactu fibræ, ad contactum alterius fibræ, circulariter successive solicitanda erit Retina. Cum vero objectorum imagines sint juxta rationem affectionum Retinæ, necessario objecta externa successive in orbem mota, in orbem moveri videbuntur. Hac ratione membranæ opticorum a menyngibus derivatæ spiralibus fibris probabili menyngum analogismo munitæ, hæ a quacunque præternaturali causa solicitatæ spiraliter opticorum nervorum fibras moturæ erunt; cum autem nervorum opticorum filamenta desinentia in Retinam, hanc mirabili artificio construant, hæc quoque motu successivo partium quodammodo spiræ in morem movenda erit, quamobrem cum puncta radiorum, quæ imagines objectorum externorum figurant, successivis temporibus tangant, & afficiant motibus suis successivas partes fibrillarum Retinæ, in spiras, aut in orbem motas; hæ necessario repræsentabunt objecta externa, ac si continuis motibus rotarentur. Hæ sunt præcipuæ causæ, quæ vertiginis phænomena enodare videntur, & a quibus plutima visus accidentia Opticorum methodo explicari facile possunt.

DISSERTATIO II.

De Morbosis Sensuum Internarum Affectionibus.

24. NUdi nascimur privati vitiis, & virtutibus; anima solidis compenetrata paulatim labore & usu acquirit virtutes & vitia.

(*a*) Ex Coroll. 2. pag. 11. Optic. Wolfii.

vitia. Primo itaque loquendo de moribus voluntariis, qui cerebro omnium fere Medicorum consensu adscribuntur, sicuti naturales cerebello; verisimile est, tantas res acquiri motu fibrarum cerebri, quæ ab objectis cum internis, tum externis solicitatæ animam excitant: hujusmodi fibrarum motus non obscuri fuerunt Platoni, cum in Timæo docuerit: *Excogitaverunt Dii caput motuum omnium compos id fore*. Itaque si caput motuum omnium compos: ergo in capite radices & principia motuum esse debuerunt; quæ motuum radices cum fibris cerebri primo ascribi debeant, eo quia iis anima pro perfectioribus suis actionibus primo compenetrata est; hoc unum innuere voluit Philosophus, fibrillas cerebri prout motuum omnium radices, ac principia primo moveri debuisse, ut inde correspondentibus organis necessarii motus undequaque communicarentur; hi itaque motus fibrarum cerebri animam ipsis compenetratam solicitantes, & excitantes *Phantasmata* a Medicis appellari consueverunt. Cum vero hi motus fibrarum cerebri juxta diversas sensationes & affectiones animæ, quantumvis minimi fuerint, accipiant magis & minus, jure amplecti poterunt sub idea generali quantitatis. Hæc itaque phantasmata; seu hi motus fibrarum, cum quanti esse debeant, non tantum majores aut minores esse poterunt, verum etiam juxta varias animæ affectiones ac potentias peculiari numero circumscribentur. Anima itaque excitatur, & solicitatur a motu modo majori, modo minori fibrarum & peculiari numero motuum eorundem. Hinc Pythagoras hosce motus modo majores, modo minores animadvertens, & numerum eorundem pro eminentibus animæ operationibus exercendis sæpissime confessus est, eum plus hominem esse, qui plus numerorum scientiam habuisset. Cum autem scientia numerorum, & quantitatum quarumcunque nitatur in compositione, divisione, permutatione, & æquatione earundem &c. ideo docere simili sermone voluit Pythagoras, animam in homine eminentius sentire & operari, cum usu & habitu facto melius, facilius ac perfectius compoueret, divideret, permutaret quantitates, numeros motuum, differentias & rationes eorundem pro actionibus animæ rite exequendis. Ab hisce sensibus non videtur dissentire Divus Augustinus, qui ex sacris scripturis locutus est; *Circuivi ego ut scirem, & considerarem, & quærerem sapientiam, & numerum, lib. vi. Musicæ*. Ut itaque hanc rem difficillimam soli Deo vere notam, & ab anima tantummodo dignoscendam (cum hæc spoliata corpore a fortunata visione Dei Optimi Maximi veram rerum omnium scientiam funditus sibi comparatura sit,) si non re, saltem similitudine agitare facilius, ac clarius possim, puto rem fore necessariam, si prius considerata *sede sensus communis in tota membrana Pia Mater dicta*; cum hæc nervos, cerebrum & cerebellum, fibrasque arctissime, immediate & undequaque investiat, transeam pro voluntariis animæ operibus probabiliter enodandis ad examinandos motus fibrarum cerebri. Hos itaque motus fibrarum duas in classes dividendos esse censeo, quorum alter est *Motus absolutus*; alter vero *relativus*. Motus *absolutus* est motus ille primo primus, quo fibræ cerebri a causis quibuscunque, tum internis, tum externis primo excitantur ac solicitantur; Hinc anima primo excitata ac stimulata confuse & abstracte res sentit, & concipit absque ulla tamen affirmatione, aut negatione; & hanc primam actionem animæ *Imaginationem* appello. Motus autem *relativus* fibrarum cerebri est actio illa animæ fibris compenetratæ medullaribus; qua durante motu fibrarum per aliquod tempus anima prius excitata, ac solicitata a primis motibus fibrarum hosce motus animadvertens, animadversione usu acquisita comparat motus unius fibræ cum altero motu alterius, unam differentiam, aut rationem motus istius cum altera differentia, aut ratione motus illius, & sic successive; hinc anima fibris compenetrata cum motus specificos, differentias, & rationes motuum acutissime sentiat, comparando hos motus inter se, & horum differentias ac rationes, componit has rationes motuum, aut dividit, permutat, aut invertit, aut æquat; quibus actionibus anima usu & habitu facto exercitata ab obscuris ad clara, ab ignotis ad nota paulatim ascendit; & hæc actio *Discursus & Ratiocinatio* dicenda erit, vi cujus res primo conceptas anima percipiens & intelligens, de iis affirmat, aut negat, cum totali assensus, aut dissensus libertate. Liberum inde est animæ velle, aut nolle, ut electione facta præmium, aut pœnam mereri potuisset. Hæc tam miranda actio animæ cum revera explicari nullo modo possit, attamen similitudine quadam & analogia poterit quodammodo adumbrari. Quæram itaque similitudines & analogias ab Analystis; hi enim, ut ab ignotis nota erunt, ignotas res cum notis comparant, rerumque differentias notas cum ignotis, & modo componendo, modo dividendo, modo invertendo & permutando &c. tandem aliquando ignota cum notis æquando ea clare percipiunt & intelligunt, quæ prius ignota penitus videbantur, non dissimili itaque ratione, sed multo perfectiori anima melior & eminentior Analysta a motibus & proportionibus motuum fibrarum cerebri, & a differentiis eorundem solicitata, utpote iisdem fibrillis compenetrata, hos acutissime sentire cogitur: illosque animadvertens componendo, dividendo, permutando, invertendo, comparando & æquando ea clare sentire, percipere, intelligere tenetur, quæ prius ignoraverat. Hæc omnia indicare quoque videtur Divus Augustinus, qui Tomo primo cap. 33. de quantitate animæ, inquit: *Anima ea, quæ secundum naturam sui corporis sunt, adsciscit atque appetit, rejicit, fugitque contraria, removet se ab his sensibus certo intervallo temporum, & eorum motus quasi per quasdam ferias reparans, imagines rerum, quas per eos hausit secum asservatim, & multipliciter versat*. Cæterum si hi motus fibrarum cerebri, aut continui fuerint & diuturni, aut per aliquam notabilem temporis differentiam perduraverint opera objectorum aut internorum, aut externorum continuo, vel per aliquod notabile tempus solicitantium; tunc anima cum diutius, & frequentius excitata, ac solicitata fuerit, detineatur usu & habitu facto diu in actu exercito circa hæc objecta tales fibras moventia, anima in tali statu perdurans exercere dicetur potentiam illam, quam *Memoriam* appellamus. Quod si tractu temporis deficientibus motibus & proportionibus motuum fibrarum cerebri, aut novis motibus accedentibus aliquando volente anima, aut opera etiam ejusdem, aut alterius causæ homologe agentis, vel internæ, vel externæ, rursus solicitentur fibræ cerebri ea differentia specifica motuum & rationum, qua prius a prioribus objectis solicitatæ fuerant, iidemque specifici motus, & eædem motuum specificæ differentiæ, ac proportiones eorundem repetantur, tunc anima ab hisce motibus rursus excitata ac solicitata, & hosce animadvertens, repetet & renovabit illa affectiones, quibus antea solicitabatur, quæ actio animæ *Reminiscentia* appellanda erit. Remanet animadvertendum, has præcipuas animæ actiones imaginationis, discursus & memoriæ suam habere latitudinem; singulæ enim ab initio languidiores sunt, progressu vero activiores, ac validiores fiunt, ita ut a minori ad majorem vim progredi videantur. Num autem tot ac tantæ eminentes actiones ac motus cerebri ab homologis motibus spirituum animalium adjuventur? Affirmantibus non renuam.

25. Ut autem istæ actiones animæ ac potentiæ, & tam mirandi motus fibrarum cerebri facile ac feliciter exerceri possint, plura conspirant 1. nempe *apta fibrarum cerebri directio & ordo*; qua in re opportunum puto animadvertere ea, quæ pluries in cerebro canum, ovium & aliquorum hominum attentissime observasse mihi visa sunt; occurrerunt enim variis in locis cerebri variæ fibrarum series, quarum aliæ uno loco mihi visæ sunt series fibrarum, rectarum, in alio loco series fibrarum obliquarum, in altero vero loco fibrarum curvarum series. Putaverim itaque, pro actionibus animæ æqua ratione exercendis series fibrarum rectarum ea ratione, lege ac ordine fuisse naturaliter dispositas, ut aptissimum inter se servent parallelismum; sic obliquas ea ratione directas naturaliter fore, ut juxta rationem naturalem serierum obliquarum debito gaudeant parallelismo, similique methodo series fibrarum curvarum ea gaudere debuisse directione, ut juxta rationem ac naturam serierum curvarum, singulæ inter se parallelæ dirigantur. Hac ratione singulæ series fibrarum apta directione, regula & ordine locatæ ac dispositæ, ordinatæ fient & regulares inter se, & concinne, naturaliterque compositæ. Tali ratione, ordine ac directione dispositæ series singulæ fibrarum edere debebunt ordinatos, regulares & homologos motus, & sibi homologas motuum differentias; inde anima ipsis compenetrata ordinate & regulariter sentiens motus, tremores & motuum differentias ac porportiones eorundem, clare, ordinate & æqua ratione concipiet res, intelliget, & recordabitur. *Secundo* necessaria est *opportuna tenuitas, & conveniens subtilitas fibrarum cerebri*; ea enim esse debet harum fibrarum tenuitas & subtilitas, ut facillime aptæ fiant ad motum suscipiendum; cum enim promptæ sint ad motum, facillime tremunt, motumque sibi vicinis apte communicant, & hunc proxime fibræ tangentes facile excipiunt, ut animæ imperio & actionibus facillime obediant. *Tertio necessaria est apta & conveniens cohæsio, approximatio, & facilis contactus fibrarum inter se*; hisce enim sese opportune tangentibus, motus unius fibræ facile communicatur motui alterius, & sic successive; in qua apta & facili communicatione motuum fibrarum inter se, putaverim, potissimam actionem & rationem memoriæ esse statuendam. Fibræ itaque cerebri neque nimis strictæ esse debent, neque nimis laxæ inter se: si enim nimis ac violenter strictæ fuerint, vel nimis laxæ & distantes, utroque modo cum non tam prompte, nec motum excipiant, nec exceptum cæteris communicare facile possint, vitium cerebri & potentiarum memoriæ potissimum parere poterunt. Hic autem dissimulare non possum errorem illorum, qui putant, homines minori intellectu pollere, quo majori memoria donati sunt; suspicor enim, & memoria præditos æquivalenti quoque imaginatione, & proportionali quoque intellectu præditos fuisse; cum enim potentiam memoriæ exerceri excellenter non possit, nisi fibrillæ cerebri ordinatæ fuerint opportune subtiles ac tenues, cum apto ac facili contactu earundem inter se; jure suspicatus sum eos, qui memoria feliciores sunt, proportionali quoque imaginatione & intellectu donatos esse. Fateor quidem memoria feliciores minus laborare & exercere intellectum, non, quia minori intellectu polleant, sed quia cum fortuna memoriæ multum suppleat laboribus & actionibus intellectus, propterea hunc minus exercent & excitant; hunc enim diutius exercere laboris & tædii est. Ex his ergo, quæ dicta sunt, clare constat, cur puncta pedis extremitate statim molesta illa sensatio in cerebro concipiatur, & judicetur ab anima, num videlicet punctura illa gravis sit, an levis &c.; etenim cum anima sit sensoriis compenetrata, cumque indivisibilis anima tota sit in tota, & tota in qualibet parte, eo momento temporis, quo anima sentit molestiam in pede, eadem ipsa in cerebro dignioribus organis tam grandi officio destinatis, & ad hoc specifice elaboratis concipere, & judicare debet (dummodo organa cerebri tam summis operibus destinata naturaliter se habuerint) rationem doloris, levitatem, aut gravitatem ejusdem &c. & cæteras sensationum anomalias. Hac lege compenetrationis animæ in suis sensoriis solvi possunt obscura, & innumera sensationum & potentiarum animæ phænomena; cur videlicet tam facile, tam prompte sensationes in organis factæ concipiantur, & judicentur in cerebro? & cur tam facile, tam prompte, tam juste sensoria solicitent potentias animæ? & vicissim anima tam facile, tam prompte, tam juste sensoria ipsa excitet ac solicitet, imperio suo obtemperatura? Hisce itaque breviter adumbratis, arbitror non re, sed potius rudi similitudine exposuisse, qua methodo tam eminens anima rationalis sentiat, concipiat, intelligat & recordetur? cum sciam multo perfectiore methodo ac lege animam immortalem & æternam fore operaturam. Non dissimili tamen ratione, sed multo imperfectiori puto bruta ipsa sentire, & operari, non ut automata, sed ut animalia quidem imperfectiora, quadam tamen potentia donata, animæ analoga, qua specificis & determinatis motibus fibrarum cerebri suo modo sentiant, suo modo concipiant, suo modo intelligant, suoque modo recordentur.

26. Non arduum modo fuerit juxta nostrum institutum morborum cerebri phænomena assequi; cum alteratis, aut inversis, aut mutatis fibrarum ordinibus, directionibus, subtilitatibus, parallelismis & motibus earundem præternaturales animæ actiones fieri debeant. Ibi itaque delirium primo occurrit *perfectum unum, imperfectum alterum*. Delirium *perfectum* illud esse arbitrandum est, cum omnes fibrarum rectarum series cerebri opera causarum modo internarum, modo externarum agentium, potissimum vero vitio sanguinis, aut lymphæ irritantium inflexæ fiant & obliquæ; sic cum omnes naturales fibrarum obliquarum series, aut rectæ fiant, aut curvæ, similique ratione cum omnes naturales fibrarum curvarum series, aut rectæ quodammodo fiant, aut obliquæ; hoc enim statu præternaturali fibrarum omnium mutatur earum natur alis parallelismus, necessarius earum motus; cum vero a motibus fibrarum cerebri determinen-

nentur ratione phantaſmatum, mehercle a præternaturalibus hiſce motibus præternaturalia evenire phantaſmata neceſſe eſt; anima autem fibris compenetrata cum concipere, intelligere ac memorari debeat, quæ ſentiuntur, a ſenſibus, videlicet, quæ tum ab æquis, cum a vitioſis fibrarum motibus excitantur, jure anima vitioſe undequaque ſolicitata errore concipiet, errore intelliget, errore recordabitur, confuſiſque omnibus æger graviſſime delirabit. Huic autem morbo præſtat quoque nimia obliquitas, nimia curvitas fibrarum cerebri, una cum directione mutata fibrarum rectarum; cum enim fibræ omnes medullares, quamvis minimo motu moveri videntur, tamen neceſſario moveri ſuo modo debeant, quotieſcunque nimis obliquæ fiant, nimis curvæ & præternaturaliter directæ, violenter conſiſtere, aut violenter moveri conabuntur opera materiæ alicujus aut externæ, aut internæ præternaturaliter, & violenter ſolicitantis; cum vero fibris taliter ſe habentibus naturale centrum gravitatis ſingularum mutari facile debeat una cum earum centro motus; propterea harum motiones cum componantur ex ratione fibrarum ſingularum, & momento maſſarum heterogenearum ſolicitantium, aut momento potentiæ excitantis, nullatenus iſochronæ, ordinatæ, & regulares eſſe poterunt, & naturalibus motibus proportionales, ſed præternaturaliter aſymmetræ; anima autem confuſe, ordinate & aſymmetre ſolicitata falſo concipiet, falſo ratiocinabitur, & falſo recordabitur. *Delirium imperfectum* illud eſſe arbitrandum, cum vel ſolæ fibræ rectæ, vel ſolæ obliquæ, vel ſolæ curvæ a naturali ordine, directione & paralleliſmo declinaverint, pariter cum nonnullæ ex rectis, aut nonnullæ ex obliquis, aut nonnullæ ex curvis vitium fecerint, cæteris naturali in ſtatu permanentibus; fibræ enim cum non omnes vitioſe & præternaturaliter moveantur, animam non omnino vitioſe & præternaturaliter ſolicitabunt; unde imperfecto & partiali, non totali errore concipiet, intelliget & recordabitur; quin imo cum effectus ſemper ſint directe, ut cauſæ adjuvantes, reciproce vero ut impedientes, quotieſcunque aliquæ fibræ naturaliter moveantur, nonnullæ vero præternaturaliter motus ſuos exerceant, animæ actiones erunt directe ut fibræ naturaliter motæ, & reciproce, ut motæ præternaturaliter; inde futurum erit delirium imperfectum, ſeu, ut Medici nuncupant, pſeudodelirium; quamobrem aliquando continget ægrum bene concipere, ſed male ratiocinari, aliquando recordari alicujus, cæteris oblitis, aliquando per aliquod tempus ratiocinari, ſed confuſim vera cum falſis permiſcendo &c. ut praxim medicam agentibus manifeſtum eſt.

27. Hæc omnia vitio fibrarum, ſed membranis cerebri nullatenus offenſis aut inflammatis, contingere probabiliter creditum eſt; verum ſi per menynges effuſo ſero, aut violentiſſimo motu ſanguinis per arterias menyngum, arteriæ plus deferant ſanguinis, quam venæ æqualibus temporibus referant, ut effuſo ſanguine menynges inflammentur gravi vitio *Senſus communis*; tunc *Phrenitis* oritura erit, quæ a delirio nullo modo differt, niſi menyngum vitio, & majoribus viribus & momentis cauſarum ſolicitantium. Cum itaque menynges inflammatæ cum fibris cerebri neceſſaria adhæſione communicentur, fibras has continuo, inæqualiter, inordinate & aſymmetre, violentiſſimo motu trahere ac ſtimulare conabuntur; hinc continua, inordinata & violenta fiet fibrarum ſolicitatio ac ſtimulus; etenim cum mutatio motus ſit ſemper proportionalis vi motivæ impreſſæ (per legem ſecundam Newtoni), cum cauſæ tum externæ, cum internæ ſolicitantes continuæ fuerint, violentæ ac inordinatæ, futura quoque erit mutatio motus fibrarum continua, violenta, inordinata & aſymmetra; hinc anima tam vitioſis motibus ſolicitata inepte comparando motum unius fibræ cum motu alterius, & differentiam & proportionem unius motus cum differentia & proportione alterius, falſo componet ac dividet motus, falſo permutabit & æquabit eoſdem, & ſic violentiſſimis motibus fibrarum agitata operabitur confuſa imaginatione, diſcurſu erroribus pleno, & memoria penitus perturbata. Hic autem morbus alter *Idiopathicus* eſt, *Sympathicus* alter. Idiopathicus ſedem habet in vitio menyngum. Sympathicus vero, qui ab inflammatione diaphragmatis, aliorumque fortaſſe viſcerum inferiorum ortum habet; uterque autem morbus, delirium nempe & phrenitis, febri unitur, qua deficiente cum cauſæ ſtimulantes plerunque deficere & ipſæ conſueſcant, deficiente inordinato & aſymmetro motu cauſarum ſtimulantium in menynges, & fibras medullares cerebri ſtatu ſuo naturali, ſuoque naturali paralleliſmo recuperato, imaginatio, ratiocinatio & memoria paulatim reſtituentur.

28. Verum ſine febri major aliquando ſupervenit morbus, qui homines ipſos reddit belluis pejores, & morbi contumacia inter omnia animalia miſerrimos. Hic morbus *Mania* dicitur, in qua ægri furore quodam inſaniunt; hic quoque morbus alter *Idiopathicus* eſt, *Sympathicus* alter. Idiopathicum ſedem habere ſuſpicor in internis fibrillis medullaribus cerebri; ſympathicus vero ab inferiorum viſcerum conſenſu ab utero potiſſimum oriturus eſt. Plerique crediderunt, a violentiſſimo motu ſanguinis hanc effrænem morbi indolem eſſe orituram; verum cum nonnullos maniacos accurate tractaverim, pulſumque non effrænem & violentum, ſed juxta naturalem legem, aut leviter agitatum omnibus fere temporibus ſtupore ſummo obſervaverim, jure ſuſpicatus ſum, non ſemper ab impetu fluidotum, ſed potiſſimum a nimis agitato, & concitato motu internarum fibrarum medullarium maniam eſſe generatam: Enimvero ſi ſerum aſperis, inæqualibuſque ſuperficiebus circumſcriptum, aut corpora alterius generis per internas fibrarum medullarium latebras continuis, concitatis ac violentis motibus fluentia agitent, ac majori velocitate ſolicitent internas fibras medullares; hæ medullares fibræ cum a corporibus præternaturalibus diverſorum momentorum, diverſarumque ſuperficierum frequenter, ac violenter ſtimulatæ deſcribant motus frequentiſſime minimos, continuo violentas, & inæquales oſcillationes, naturales earum ſeries ac directiones violentas invertent, & alterato earum naturali paralleliſmo non tantum aſymmetre, ſed concitato & frequentiſſimo motu movebuntur. Ex hiſce aſymmetris & concitatis motibus fibrillarum interiora perturbata fiunt, violenta & concitata phantaſmata; unde animal facultatibus animæ perturbatis impetu & furore bacchabitur. In hoc furore & impetu vires nervorum & muſculorum ſupra modum augentur, ut ægri vix a pluribus domari aliquando poſſint. In hac re probabiliter putaverim, indiviſibilem animam tot internis, frequentibus & concitatis motibus fibrillarum ſolicitatam, & agitatam, cum fibris quoque nerveis & muſcularibus, cæteriſque motuum organis compenetrata ſit (quoties neceſſitas & violenta ratio fuerit,) ipſa quoque frequenter, concitate & violenter univerſa motuum organa, fibrillis illis cerebri correſpondentia movere coacta eſt; inde vires ſummæ, & ſumma momenta organorum ſuccreſcere neceſſario debuerunt; ſicut enim ſano jam homine volente anima movere ſummo impetu manum, ac pedem, aut voluntaria organa, hæc ſummo impetu, aut manum movet, aut pedem; ita cum anima frequenter & concitate ſolicitata ac ſtimulata fuerit a motibus concitatis fibrillarum, poterit ipſamet indiviſibilis anima correſpondentibus organis motuum compenetrata, frequenter ac concitate organa motuum taliter ſolicitare ac ſtimulare, ut momento virium adaucto validiſſimos motus exerceat; neque de hac violenta, ac concitata animæ actione dubitandum. Hic enim morbus, vel fiat ab irritatione internarum fibrillarum continua & concitata, unde anima ſimiliter ſolicitetur; vel fiat ab ipſomet violento continuo & concitato animæ ſolicitantis imperio (ut in amore inſano, cæteriſque paſſionibus ſæpiſſime accidit) quo anima violenter, continuo & concitate movente, ac ſolicitante fibrillas internas cerebri, tam gravia, tam violenta, tam furibunda viribus ſupra modum adauctis afferuntur ſymptomata utraque modo vires ſupra modum intumeſcere neceſſe eſt; enimvero cum probabiliter fibrillæ cerebri ſimplices ſint, aut ſaltem nervis ſimpliciores, nec ſubdiviſæ ſint in plurimos, plurimoſque ramulos, ut ſunt ſinguli nervi per totum corpus effuſi fibrillis cerebri proportionales, & correſpondentes, qui undequaque ſinguli ſubdividuntur in plurimos, plurimoſque, ac pene ramulos innumeros; propterea ſi ab aliqua materia extranea, vel ab imperio animæ violenter ſolicitentur, continuo & concitate aliquæ internæ fibrillæ medullares, hæ cum ſimpliciores ſint, impetum quidem violentum excipient; ſed cum vires, impetus & momenta talis motus ſint facta ex maſſa ſtimulante ducta in celeritates fibrillarum ſimplicium, & conſequenter cæteris paribus in ſua radice minima. Verum cum hæc fibræ cerebri ſui proportionaliter donentur nervis, qui ſint hiſce fibris correſpondentes, & hi nervi per univerſam fere animalis machinam effuſi innumeris ſurculis diſtribuantur, neceſſario ſinguli & tam innumeri ſurculi ſuo ſaltem celeritatis gradu erunt ſolicitandi, qui gradus celeritatis ſimul ſumpti in tam innumeris nervorum ramulis futuri erunt proculdubio pene infiniti; hi ergo tot celeritatis gradus communicati machinulis ſphæroidalibus muſculorum in ratione compoſita ex tanto numero & motu eorundem, jure merito vires, & momenta nervorum & muſculorum validiſſimi futuri erunt, quamvis radices motuum fibrillarum cerebri minimæ futuræ fuerint: Si ergo tot, ac tanta virium momenta eveniant ab aliquibus tantummodo & ſimplicioribus fibris in cerebro ſolicitantibus, quibus ſui proportionales nervi correſpondent; quid dicendum erit, ſi plurimæ fibrillæ cerebri concitate & violenter ſolicitentur ac ſtimulentur? quibus tot innumeri nervorum ſurculi proportionales ſunt & ſibi aptiſſime undequaque reſpondent? Utique vis & momentum pene incredibile maniaci erit futurum. Mirum ulterius eſt audire maniacos, qui raro ſe miſeros, ſed plerunque ſe magnos eſſe militum Tribunos, ſe Reges, ſe Cæſares, ſe quoque Deos eſſe gloriantur. Cenſeo, tantam rerum gloriam ab eminenti animæ eſſentia (animæ ipſi nota) eſſe genitam; anima enim altiſſimi ſui generis conſcia, & quaſi ſui juris reddita ea ratione movet in maniacis, ſolicitat fibrillas cerebri, qua in Tribunis militum, in Regionibus, in Imperatoribus moveri ſimiliter potuiſſet: hæc autem morbi indoles præter cæteras maniæ ſpecies curatu difficillima eſt. Præter hæc maniaci frigidam aeris intemperiem ſine læſione facile ſuſtinent, non tantum quia perturbatis internis motibus naturalibus fibrillarum cerebri, nullatenus moleſtis ſenſuum externorum affectionibus, aut deſidioſe animadvertunt; verum quia cum momenta nervorum ac muſculorum motibus voluntariis inſervientium ſupra modum aucta ſint, motum ſanguinis quoque ſolicitant, ut impetu continuo ad externas uſque ſuperficies corporis deferatur, cum itaque ſanguis continuo ſolicitatus nullo modo piger, in externa carnium & cutis ſuperficie lenteſcat, jure vigente licet frigore ſine læſione maniacus ſuſtinetur. Mania.

29. Sicut autem maniacos a motu violento & concitato fibrillarum internarum cerebri probabiliter factos eſſe credimus; ita melancholicos a lentiori & tardiori motu fibrillarum earundem fieri ſuſpicandum eſt; hinc timidos & mœſtos, cogitabundos, tacitos & ſolitarios eſſe vidimus; cum vero delirent ſine febri, jure credendum, medullares fibrillas cerebri, quantumvis lento motu donatas, perturbatas tamen & inordinatas habere fibrarum aut rectarum, aut obliquarum, aut curvarum ſeries; ita ut inter ſe naturali careant paralleliſmo: hæc morbi indoles tractu temporis facilius curatur, cum vitio ſanguinis, aut ſeri auſteri & lenteſcentis utplurimum habeatur, cujus opera etiam fibrillæ medullares quodammodo ſtare ac conſiſtere coguntur; cum autem fluida vitriolicis, aut aluminoſis corporibus ſupra modum repleta ſint, quæ violentum & celerem motum fluidorum aut minuunt, aut impediunt, propterea febrili motu in melancholicis fermenteſcere non tam facile conſueſcunt. Porro ſi pia mater & fibrillæ medullares cerebri ſolidiores fuerint, & craſſiores ſupra legem naturalis ſoliditatis & craſſitiei, aut vitio morbi, aut ætatis rigidiores factæ fuerint, ſine opportuno contactu earundem inter ſe; ſive cum ineptæ fiant ad motum facile ſuſcipiendum, & tarde, aut ægre moveri poſſint, neceſſe eſt, aut fibras inepte & languide ſolicitare animam, aut reciproce animam fibrillis craſſioribus, aut rigidis compenetratam languide & pigre (etiam ſi voluerint) has fibrillas excitare ac movere. Quamobrem negligentia, & inertia fibrarum medullarium negligens, & iners anima potentias imaginationis, diſcurſus & memoriæ tarde & negligenter exercens, immemores, & inſenſatos homines reddet ac ſtolidos. Melancholia.

30. Breviter expeditus ab iis, quæ ad motus voluntarios cerebri pertinere videntur, inſtituti noſtri lex & ordo eſt, de motibus naturalibus cerebelli brevi quoque oratione differere: Claritatis tamen gratia liceat mihi prius diſtinguere organa animalis in *Voluntaria*, *Naturalia*, & *Mixta*; *Voluntaria* ea dici poſſunt, quæ moventur quidem motu abſoluto, ſed primario apta nata ſunt moveri imperio animæ; hujus generis ſunt nervi & muſculi &c. liberis & volun-

voluntariis motibus inservientes, qui cerebri fibris immediate correspondent, de quibus supra innuimus ; *Naturalia* vero, quæ apta nata sunt absque animæ imperio, & anima non advertente moveri impetu sanguinis, aut alterius corporis impellentis ; istius generis sunt cor, stomachus, intestina, vasa omnia sanguifera & lymphatica &c. *Mixta* denique ea credimus, quæ licet a motu fluidorum, aut aeris, aut alterius corporis impellentis non advertente anima necessario moveantur; attamen imperio animæ per aliquam saltem temporis differentiam eorum motus suspendi, ac impediri aliquando potest ; hujus indolis sunt pulmones, diaphragma, sphincteres ani & vesicæ, quorum motus licet primario naturales sint, attamen cum imperio animæ suspendi aliquando per aliquam temporis differentiam facile possint, de motu quoque voluntario participes judicari poterunt, unde mixta organa jure vocabuntur. Hisce præmissis sicuti fere omnes Anatomici & Medici cerebrum primario voluntariis motibus, ita cerebellum naturalibus primario dicatum voluerunt. Hinc celeberrimus Fracassatus in Epistola de cerebro ad immortalem Malpighium conscripta hanc sententiam amplexus, cerebellum a medulla oblongata non differre, experimentis præeuntibus (pag. 134.) acutissime observavit ; quamobrem probabiliter judicandum est, opera eorum nervorum spinalis medullæ, qui cerebelli fibrillis unice & immediate correspondet, naturales motus & actiones naturæ exerceri necessario animæ concursu debere; cum enim anima compenetrata sensoriis teneatur concurrere conservationi animalis, cum hujus conservatio opportuno & ordinato fluidorum, & organorum naturalium motui debeatur, durante fluidorum cursu, & organis frustra non existentibus, necessitate concursus operari animam in naturalibus organis, necesse est. Verum quia adstant ulterius, & prosunt conservationi animalium actiones mixtæ organorum, quæ & de voluntario, & de naturali motu participant, jure merito credendum est hæc organa & a cerebro & a cerebello nervea filamenta esse susceptura, quæ fibrillis cerebri & cerebelli correspondentia & proportionalia, mixtos motus & actiones exerceant. Licet itaque primaria actio cerebri sit animæ libera, actio vero cerebelli sit animæ necessaria; nihilominus sæpissime vitia cerebri & cerebelli communicantibus fibris, & membranis mutuas manus præbent, mutatis nempe a cerebri vitiis naturali directione, ordine, subtilitate, apto contactu & cohæsione fibrarum cerebelli inter se; sic cum læsione cerebri organa voluntaria nervorum cerebro respondentium, & musculorum paralytica fuerint, praxi edocemur tractu temporis communicata ulterius paralysi fibrillis cerebri, non solum organa mixta sphincteris vesicæ inertia fieri, & negligenter urinæ motibus inservire ; verum etiam organa naturalia pylori, & intestinorum obstupescere, ut enervato aut abolito peristaltico motu a medicamentis licet irritantibus vix, aut defidiose solicitentur, & moveantur; sic aliquando contigit observare, post contumax delirium non solum ægrum sicco asthmate correptum esse, verum etiam post longas mentis aberrationes frequenti cordis palpitatione ægros miserrime afflictos fuisse; non rarum enim est, vitia cerebri, quibus animæ actiones voluntariæ primo lædebantur, facta morbificæ causæ transpositione, naturalibus quoque organis nocuisse, ut enervatis naturalium organorum motibus & actionibus innumeræ morborum familiæ (injuria fere semper accusato sanguine) supervenerint. Neque dubitandum, has morbosas affectiones cerebelli vitiis esse adscribendas, cum imaginatione, discursu & memoria penitus restitutis, cerebro videlicet melius se habente, præternaturales tamen viscerum affectiones, & organorum naturalium depravati, aut aboliti motus contumaci duratione consistant ; non dispari ratione communicationis, cerebelli vitia in cerebrum translata morbosas cerebri affectiones afferre consuescunt. Præter hæc suspicatus probabiliter sum, vasa sanguifera & lymphatica, quæ inter organa naturalia numerari facile possunt, quotiescunque exceperint nervea filamenta cerebelli fibrillis correspondentia, si aut convulsa fuerint, aut paralytica ; iners quidem & negligens futurus erit elasticus vasorum motus, ut fluida lentiori motu circumeuntia in glandulis viscerum latescere pejori naturæ damno conentur. Hæ breves de tam eminentibus animæ potentiis, & de tam obscuris cerebri & cerebelli morbis meditationes, quantumvis potius philosophicæ sint, quam mechanicæ; nihilominus si cum naturæ & morborum cerebri & cerebelli phænomenis accuratissime comparentur, fortasse non levi probabilitate donatæ esse videbuntur. Fateor quidem, me plurima a mechanicis eruere potuisse ; verum cum deficiant necessaria data, & suppositiones admodum lubricæ sint in tam obscuris animæ phænomenis, consultius putavi, me potius meliora desiderare, quam aut inutilia, aut absurda proponere. Remanet advertendum, morborum capitis curationi non raro conferre aquas nostras Hiermenses, de quibus clarissimus Franciscus Roncallus eruditissimo opere locutus est.

DISSERTATIO III.

De Morbosis Sensuum externorum Affectionibus.

31. EA est animæ lex sensoriis compenetratæ, ut anima sine his nec sentire, nec imaginari, nec intelligere, neque recordari ullo modo possit: Sensoria idcirco sentientis animæ operibus destinata variis perfectissimisque fibrarum præcipue membranarum & nervearum ordinibus elaborata sunt; alia siquidem est textura fibrarum auditus, alia visus, alia odoratus, &c. compositio, ordo ac modus alius; Sicut autem varia est organorum textura; ita varia subtilitas, diversa flexibilitas & elasticitas earundem ; fibras enim hujus generis elastico quodam nisu donatas esse, satis superque ab experimentis edocti sumus. Cum itaque vires & momenta corporum externorum organa, minimasque eorum fibrillas solicitant, videntur inflectere & incurvare organa ipsa, minimasque fibrillas componentes, & curvam quandam ex elasticarum genere lineam describere utplurimum videntur; hæc curva prout ex minimarum fibrillarum flexibilitate elaborata adeo minima est, ut fere insensibilis sit differentia inter arcum minimæ curvæ & tangentem ejusdem. Cum ergo fibræ ab objectorum externorum viribus solicitatæ a rectis in curvas quasdam lineas transire teneantur, nemo dubitaverit has fibrillas elastice incurvatas distrahendas esse: cum autem distractiones elasticæ fibrillarum sensationibus quam proxime proportionales habeantur, juxta mensuras distractionum; sensationes modo majores, modo minores proportionaliter erunt dimetiendæ : Placeat ergo supponere cum doctissimo Riccato, (*a*) minimam sensationem futuram esse, cum fibra distracta tantum creverit supra suam naturalem longitudinem, quantum exigit centesima pars suæ longitudinis; inde colligendum, majorem futuram esse sensationem, cum distractio fuerit una $\frac{10}{100}$ aut $\frac{15}{100}$ suæ longitudinis &c. e contra nullam, aut fere nullam futuram fuisse, cum fibræ distractio minor fuerit parte centesima suæ longitudinis; hæc quidem attendenda sunt, ut sensatio aur major, aut minor, aut nulla habeatur. Cæterum ultra res petenda est, cum in statu naturali distractiones fibrarum, seu sensationes obtinere voluerimus; enimvero si minimæ curvæ fibrosæ distractiones ab externis objectorum momentis oblique impulsæ rationem naturalis æqualitatis, aut quasi æqualitatis habuerint inter se, servata quodammodo simili ratione parallelismi eatundem æqualibus temporibus, nec non æqualitate, aut similitudine angulorum, quos fibræ inter se contextæ naturali dispositione componunt; nunc minimæ curvæ distractiones fibrarum, & consequenter earundem minimæ reciprocæ contractiones seu restitutiones erunt naturales; & sensationes naturali ordine, dispositione, lege ac motu futuræ erunt æquo animæ sentientis ministerio. Verum si vitio objectorum modo perpendiculariter, modo oblique fibras impellentium, aut vitio fibrarum, ea ratione inflexæ fibræ distrahantur, ut una fibrilla magis distracta incurvetur, quam altera; hæc vero minus tertia &c. & sic successive in ratione omnimodæ inæqualitatis, temporibus quoque inæqualibus; utique mutato earundem naturali parallelismo, mutatisque naturalibus angulis earundem, distractiones fibrarum fient asymmetræ; unde sensationes inæquales, inordinatæ & præternaturales necessario exorientur; quinimo si violentissimo momento objectorum perpendiculariter aliquando impellentium, aut vitio fluidorum fibras irritantium violenter distrahantur fibræ, ut curvæ distractiones ipsarum habeant inæqualiter majorem, & præternaturalem rationem minoris inæqualitatis respective ad naturalem fibræ longitudinem, nec facilis ad libera sublequi possit reciproca contractio seu restitutio earundem; mehercle tam violenter distractæ fibræ sensationes afferent inversas, confusas, vitiosas, & aliquando dolorificas. Hæc de generalibus sensuum externorum affectionibus intento nostro necessaria satis præmissa esse arbitror.

32. De externis sensibus agendo; Etsi sensus omnes externos utiles ac necessarios plerique hominum judicaverint, præstantior tamen, & utilior visio habita est, non eo tantum mirabili opere, quo natura solo oculi usu Creatoris operibus cælo terraque præstantissimis mirum in modum delectari possit. Verum quia ea sunt oculorum beneficia, ut sine his cæteri quoque externi sensus vilescere, otiarique viderentur; studiose itaque curandum est, tam mirabilem potentiam aliorum quoque sensuum commodo, utilitati ac dignitati conservare. Ad tam altum opus præstat primo morborum causas quærere, quibus acquisitis, visio conservari facilius, aut ægra commodius sanari possit. Ut autem hæc suo ordine ac claritate digeri possint, nonnulla præmittenda esse debuerunt. Primo, ex opticis certum est, quodcunque corpus visibile aut luminosum esse, aut illuminatum, & a luminoso proprium lumen, ab illuminato alienum undequaque citissime effundendum; ea autem est immensa velocitas luminis, ut celeberrima Academia Florentina experimento 265. testata sit, lucem per duo milliaria effusam absque ulla temporis differentia fuisse observatam ; porro immortalis Nevvtonus def. 2. de coloribus, tam citissime propagari lumen affirmavit ex observationibus temporum eclipsium Jovis Satellitum, ut lumen a Sole in terram septem circiter minutorum spatio deferri animadvertit. Secundo, cum aer, aqua & vitrum sint diversæ gravitatis specificæ, adeoque pariter diversæ densitatis (*b*) transiens radius ab uno medio in aliud diversæ densitatis refringendus erit: itaque cum radii a corpore luminoso, aut illuminato transeant ab aere in humores oculorum, aqueum, crystallinum, & vitreum, jure merito refrangi debent; tanto autem opere refractionis radii ab eodem objecti aut luminosi, aut illuminati puncto egressi per refractionem in aqueo, crystallino & vitreo factam in uno iterum puncto uniri necessario debent. Tertio, in hoc unionis puncto ut visio perfectissima habeatur, adesse debet Retina, quæ a celeberrimis viris, potissimum vero ab Hayr & Wolfio pro primario visionis organo determinata est; cum vero quilibet radius a puncto radiante objecti modificatus secum afferat integram imaginem puncti radiantis, eo unionis puncto, quo in perfectissima visione adest Retina, in hac objectorum imagines depingi debuerunt. Quarto, licet radii quilibet refracti eo in puncto collecti visionem perfectissimam non parum juvent, radios tamen directos, & pupillæ perpendiculares visioni melius ac fortius prodesse demonstratum est. Si itaque radii perpendiculares una cum refractis eo oculi loco uniantur, ut immediate non adsit Retina, utique unione facta radiorum aut infra, aut extra Retinam, visio aur imperfecta, aut obscura, aut nulla erit futura. Cum ergo Retina sit præstantius visionis organum, arbitror rem fore necessariam, si de hac nonnulla dixerim, quæ perfectissimo visionis operi convenire videantur. Cum hæc sit nervi optici mira extensio, cujus officium est a radiis perpendicularibus, & refractis objectorum in punto collectis excipere depictas imagines, jure determinatum est, hanc in tam angusto animalis spatio tam immensa ac vasta colligere non potuisse, nisi summam filamentorum Retinæ tenuitatem ac subtilitatem miraremur. Geminianus Montanarius in Epistola quadam ad nobilissimum virum familiariter conscripta hanc rem curiose agitaverat, & calculis & experimentis accuratissime, ut credidit, institutis invenit minimum sensibilem angulum, sub quo partes objecti sunt sano oculo distinguibiles, subtendere proxime in Retina chordam seu subtensam unius minuti; sed subtensa unius minuti continetur in radio sui circuli vicibus 3437. ergo verisimile putavit, spatium Retinæ figuratum ab objecto visibili subtendente chordam unius minuti fore proxime $\frac{1}{3437}$ sui radii; inde colligit, quod quotiescunque

(*a*) Pag. 131. suppl. al Giornale Tom. 1.
(*b*) Ex num. 54. Optices Wolfii.

cunque minimus angulus a radiis refractis, & perpendicularibus elaboratus effecerit in Retina basin seu chordam uno minuto minorem, objectorum partes nullo modo apte ac distincte videri posse. Simili fortasse methodo ac ratiocinio arbitror celeberrimum virum Philippum de Hayr (*a*) assecutum fuisse, Retinæ filamentum esse proxime $\frac{1}{8000}$ unius unciæ Parisiensis, quæ quantitas cum proxime ex calculis fiat æqualis octavæ parti latitudinis unius fili serici bombycis, collegit celeberrimus Auctor, latitudinem unius filamenti Retinæ fore proxime æqualem octavæ parti latitudinis fili serici bombycis. Denique doctissimus Joannes Ricettus in Epistola dioptrica ad nobilissimum virum fama, literis & genere celeberrimum Christinum Martinellum conscripta (*b*) calculis & experimentis opportune institutis in hac re probabiliora docuisse mihi visus est, crassitiem nempe capilli lucente Sole visi ad distantiam unius pedis Veneti eam habere rationem ad crassitiem imaginis ejusdem capilli in fundo oculi depictæ ut 25. ad 1.; sed diameter pupillæ ad diametrum capilli est in ratione 24. ad unum; ergo facta multiplicatione 25. † 24. constabit, diametrum pupillæ ad crassitiem imaginis capilli in fundo oculi, seu in Retina depicti fore proxime ut 600. ad unum. Ex his luce meridiana colligendum erit, quantum imagines objectorum in filamentis Retinæ depictæ minimæ futuræ sint, cum in subtilissimo Retinæ filamento tot, ac tanta objectorum depingi facile possint. Mira certe filamentorum Retinæ subtilitas. Non mirabor amplius, cum Optici demonstraverint, ab oculo fere hemisphærium videri posse, cum tanta hemisphærii extensio in tam minimo Retinæ spatio depingi, ac in oculo figurari possint. Hinc tam facile oculorum & Retinæ affectiones occurrunt, ut uno licet Retinæ filamento aut vitiato, aut impedito, aut læso visio quoque aut vitiata, aut impedita, aut læsa jure merito habeatur.

33. Nunc si ea, quæ res postulat, dixerimus, non ibi solicitus fuero de presbytæ & de myopis visione dissimili, cum hujusmodi visiones naturales causas nactæ sint. In presbytis enim humor crystallinus cum non satis convexus sit; sitque majoris sphæræ segmentum; & si nimis exigua fuerit distantia Retinæ ab humore crystallino, (*c*) in Retina quidem distincte delineari nequeunt objectorum vicinorum imagines, remotorum tantummodo imaginibus clare delineatis, ut vicina objecta confuse, remota distincte videantur. In myope vero, si a natura elaborata fuerit Retina ab humore crystallino nimis remota, objectorum imagines collectæ fient, antequam ad Retinam opportune perveniant: cumque ultro humor crystallinus fuerit nimis convexus (*d*), sitque segmentum sphæræ minoris, remota objecta confuse, vicina distincte a myope videbuntur. Hisce vitiis reparandis consultum fuit in presbyta lente, aut specillo convexo; in myope vero planiori, aut concavo, aut saltem minus convexa lente uti debere. Hisce itaque relictis, primo solicitus fuero *de Maculis seu Muscis volantibus*, quæ ægrotantibus eo tædio esse solent, ut molesto errore continuo hallucinentur; nonnullæ itaque *permanentes* sunt, cum contumaci loco, eaque semper ratione distant ab axe optico, eundem semper objecti locum ac situm occupaturæ, hæ ut plurimum albo objecto firmatæ rotunda imagine delineari consuescunt. Nonnullæ vero *fluctuantes*, sunt nigris quibusdam filamentis distinctæ, ea ferme ratione, qua nodos ligneos abietis figurari experimur. Primæ in Retina locum & vitium habent; etenim cum membrana hæc sanguineis vasculis donata sit, si forte accidat, aut motu violentissimo sanguinis, aut vulnere &c. aliquam sanguinis, aut lymphæ impuræ guttulam aliquod Retinæ spatium esse occupaturam, futurum certe erit spatium illud Retinæ excipiendis opportune imaginibus ineptum, ut objecta quælibet maculam quamdam rotundam, juxta rotundam sanguinis, aut lymphæ impuræ effusionem observari videantur: tandiu autem macula ista erit duratura, quandiu effusio sanguinis, aut impuræ lymphæ perduraverit, evanescente postmodum macula, cum effusio sanguinis, aut lymphæ tractu temporis evanuerit; aliquando Retinæ filamentum, aut spatiolum, aut durius, rigidiusque, ut in senibus redditur, aut materia quadam tenaci ac viscida, aut callo quodam obruitur, aut paralysi afficitur, ut ab unione radiorum hæc minima Retinæ portio neque moveri, neque opportune inflecti possit, idcirco neque pingi, neque delineari ullo modo poterit: hæc Retinæ portio privata motu & imagine, cum ralia appareant objecta, qualia in oculo figurata repræsentantur, in objecto exteriori nigra quædam macula erit fere semper, aut diutissime apparitura, cum materia illa partem minimam Retinæ afficiens, neque evanescere, neque curari facile possit; aliquando tamen hujusmodi muscæ ac maculæ nigræ, etsi in Retina sedem habeant, nutare aliqualiter visæ sunt, non quia in Retina situm mutant, verum quia aliquando Retina ipsa aliquali motu movetur, aut trahitur ad eundem postea locum reversura. Sæpissime tamen cum muscæ aur maculæ fluctuantes non eam semper ab axe optico distantiam habuerint, pedetentim hinc inde nutare videbuntur; quo casu has in humore vitreo, sed potissimum in aqueo sedem posuisse credendum est; cum enim aqueus humor non ea semper donatus fuerit puritate, ut granula quædam, aut filamenta impuri humoris aliquando exceperit, hæc aut radios impediendo, aut eosdem aliunde refrangendo (cum hi non in puncto Retinæ, cum cæteris radiorum ordinibus uniri opportune possint) muscas seu maculas illas in objecto parere videbuntur; Hæ autem facilius curari poterunt, si remediis humorem aqueum depurari opportune contigerit; non differenda itaque aquei humoris depuratio, cum adacta paulatim humorum saburra rimeri facile posset, ne impuræ humorum particulæ sibi invicem adhærendo nebulam quandam texerent, suffusionem seu cataractam impedito luminis ingressu parituræ. Nonnulli non ab aquei humoris impuritate, ac densitate cataractam orituram crediderunt, sed opinati sunt, humorem crystallinum ex plurimis lamellis diaphanis elaboratum fuisse, quæ aliquando versus aqueum humorem adeo densiores fiunt, ut supra naturæ legem indurescant, densiores autem factæ, non tantum crystallinum humorem opacum reddunt luminis impedimento; verum cum densitates sint ponderibus proportionales, humorem hunc reddunt ponderosiorem; adacto autem crystallini pondere processibus ciliariis violenter distractis lens crystallina aliqualiter a naturali loco distrahitur, aut deprimitur, & lentis focus non opportune Retinam afficiens visionem aliquando, cataracta temere accusata, aut impedit, aut turbat. Inter præternaturales oculorum affectiones eam ulterius arbitror, qua icterici afficiuntur, cum omnia objecta flava videantur. Immortalis Nevvtonus doctrinam colorum acturus per solam refractionem lumen in colores mutari (*e*) experimentis, & rationibus in aureo optices opere edocuerat. Cum vero radii, qui varios colores efficiunt ac afferunt, differant variis gradibus refrangibilitatis (*f*) arbitrandum est, ab aqueo humore biliosis, flavisque parriculis permixto transeuntes radios peculiarem, ac specificum refrangibilitatis gradum pati debere, ut hi juxta hunc gradum, flavum objectis colorem vitiose communicent: hujusmodi autem gradum refrangibilitatis radiorum flavorum in prismate vitreo observari posse satis evulgatum est, ut nullatenus dubitandum sit, ex tali determinato gradu refrangibilitatis radiorum a corporibus flavis aqueo humori, aut vitreo, permixtis elaborato flavum objectorum colorem oriri posse. Sed inter morbosa visionis phænomena objectorum duplicatio miranda sæpissime est. In hac re non me latet, objecta visibilia extra horopterem constituta geminata apparere (*g*); verum cum objecta etiam in horoptere constituta duplicari aliquando possint, licet ac opticis & dioptricis ea, quæ tanta res postulat, haberi facile possint, vehementer tamen ad hanc rem explicandam polyedræ lentis experimenta conferre videbuntur: cùm enim lens polyedra sit corpus ex superficiebus planis in convexas superficies dispositis (*h*), si oculus ita constituatur ubi radii paralleli decussantur a singulis planis polyedris, radii paralleli ab eodem objecto prodeuntes in oculum propagari debuerunt; cum vero humor crystallinus, utpote lenticula convexa radios parallelos unire debear, in totidem diversis Retinæ punctis uniendi erunt radii, quot sunr lentis polyedræ plana convexa, consequenter oculus per lentem polyedram toties videre poterit objectum, quot sunt facies, seu plana convexa lentem polyedram componentia. Experimentum hoc affabre ostendere videtur, cur aliquando objecta duplicari videantur; cum enim ob ætatem arescentibus membranis humores continentibus, aut vitio aquei, & vitrei humoris inæqualiter crystallinum humorem prementis, aut ejusdem crystallini culpa aliqua minima lentis crystallinæ portio a naturali convexitate aliqualiter declinet, ut aliquod in data minima parte planum fiat; tunc radii ab hoc præternaturali minimo plano uniendi erunt in puncto aliquo Retinæ; & cum talis unio radiorum differre debeat, & aliqualiter distare ab eo puncto, in quo naturaliter colliguntur, & uniuntur radii illi, qui per axem crystallinæ lenris una cum iis, qui naturali ratione refracti in eodem puncto Retinæ colliguntur, non dubitandum, Retinam duplici loco, ac puncto movendam & afficiendam esse, quare objectorum imagines erunt geminandæ. Verum frequentiora visionis incommoda ab uvea membrana, quæ pupillam constituit, consequi experimur. Tritum enim opticis axioma est, crescente lumine pupillam coarctari, ut superfluum lumen expellatur; decrescente dilatari, ut excipiatur necessarium. Cum autem quodlibet punctum visibile radiat in pupillam per conum, cujus vertex in ipso puncto radiante locatur, basis vero pupilla sit (*i*), cum præter naturæ legem dilatata fuerit pupilla, basis coni luminosi major futura erit, quæ cum plures radios excipiat, quam fieri debeat, a tanto radiorum numero, & consequenter intensione ac densitate Retina violenter afficienda erit, & quodammodo vulneranda; ut autem hæc tam necessaria, tam violenta naturæ, instituto nostro opportuna magis constent: Sit basis pupillæ, aut basis circularis crystallinæ lentis spatium circulare AMBN; radii vero perpendiculares transeuntes per axem sint CGD; radii vero convergentes, & refracti sint AED, BFD, qui concurrant cum perpendicularibus radiis in Retina in puncto D, ducaturque alter circulus EGF parallelus circulo basis crystallinæ AMBN; ex optico theoremate tertio Wolfii, cum lumen propagetur per radios æqualium virium in medio non resistente, intensitas luminis crescit in ratione duplicata distantiarum a puncto concursus reciproce; num autem intensitates luminis sint cæteris paribus ut densitates ejusdem, erit densitas luminis in C, ad densitatem in G in ratione reciproca circulorum EFG, ad AMBN; & consequenter in ratione duplicata reciproce ipsius OF ad CB, Pro. 4. Eucl. sed OF est parallela CB, ergo erit OF ad CB, ut OD ad CD, quare intensitas, seu densitas luminis in C ad densitatem in G erit quoque in ratione duplicata reciproce distantiæ OD ad distantiam CD a puncto D Retinæ; quare cum in OD fiat major densitas radiorum, fiet quoque major intensitas eorum concurrentium in D. Hinc Retina violenter affecta & vulnerata remanebit visione aut læsa, aut impedita. Processus quoque ciliares aut laxati, aut contracti humorem crystallinum, aut planiorem fortasse reddunt, aut magis convexum, ut nonnulli opinati sunt; inde radiorum unio, aut a crystallino distantior in planiore, aur eidem proximior in magis convexa, erit futura. Visio propterea aliquo tempore ob opportunum concursum radiorum in Retina distincta & clara; alio tempore ob aliqualem rantummodo contractum eorundem in Retina exequendum imperfecta & obscura; alio tempore ob nullum in Retina radiorum unitorum concursum ac contactum deperdita visio, aut nulla erit futura. Supereſſent reliquæ morborum oculi differentiæ, *Ophthalmia* videlicet, *Hebetudo* & *Illacrimatio*, a quibus facile declinavimus; cum non ab organorum, sed ab humorum vitio fieri consuescant. *Guttam quidem Serenam* cum a nervi optici & Retinæ paralysi, aut callo, aut quocunque alio opticorum errore plerique Medicorum factam velint, ab iis, quæ de paralysi supra diximus, causæ erunt opportune postulandæ. Pro appendice addo rem animadversione dignissimam, cæcos nempe ut plurimum longævos esse; num autem longior vita a majori fibrarum cerebri otio comparetur, quod ab otianribus nervis opticis facile assequimur, cum hi cæteris nervis grandiores sint, & supra cæteros continuo operosiores; num quia cæci minus

(*a*) Memoires de Mathematique.
(*b*) Supplementi al Giornale Tom. secondo.
(*c*) Per prop. 100. & 101. Wolfii Optices.
(*d*) Per prop. 102. & 103. Wolfii.
(*e*) Num. 183. Wolfii.
(*f*) Num. 196.
(*g*) Per Theorem. 80. Wolfii.
(*h*) Per def. 23. Dioptrices.
(*i*) Per Theorem. 78. Wolfii.

nus libere vivere consueścant, reliquis sensoriis magis otiantibus? anceps non judico.

34. Oculorum morbis satis expensis ad morbos auditus progredimur; ineptum autem esset, de his disputationem agere, ni prius innotescat methodus, qua aer agitatus sonum ferat; itaque celeberrimus Jacobus Hermannus (*a*) suscepta ab immortali Newtono sonorum doctrina hanc explicare aggressus est; docet enim sonum fieri, cum ex vibratione seu tremulo motu corporis sonori circumjectus aer elasticus undequaque propellitur, propulsus autem densatur nonnihil; particulæ autem aeris inter se densatæ comprimuntur, compressæ vero, cum elasticitates sunt quamproxime densitatibus proportionales, coguntur denuo relaxari, & in partes contrarias, seu unde venerant, regredi: *nam* addit Hermannus, *ita partium corporis tremuli contiguæ aeris partes propulsæ densabuntur, regressu vero, atque adeo amota vi comprimente densatus aer iterum sese in omnes partes, quantum potest, elatere suo expandet; ita ut ita partium corporis tremuli aer condensetur, & in reditu, atque iterum rarescat; quod partes corporis tremuli in aere ipsis contiguo efficiunt, idem etiam præstabunt aeris partes jam propulsæ in aere ipsis contiguo, & hic in sibi proximo, atque sic deinceps; sed non eadem ubique harmonia, ita ut, si quædam aeris partes propulsæ sint, propellantur & omnes reliquæ, atque progrediantur; sed cum unæ propellantur, atque densentur, aliæ redeant, atque posteaquam densatæ erant, iterum rarescant & regrediantur, idque vicibus permutatis;* hac ratione sonum fieri, & tali ratione ab aure humana audiri credendum est. Notat deinde Hermannus, *quod ejusmodi motus partium aeris propulsarum atque iterum unde venerant regredientium, seu intervalla progressus atque regressus vocentur pulsus aeris, quæ intervalla ob æqualia temporis intervalla præterpropter æqualia existent.* Porro naturæ & essentiæ auditus præstat inquirere soni velocitatem. Hanc rem celeberrimi viri accuratissime dimensi sunt, & primo celeberrima Academia Florentina experimento 245. experta est, sonum spatio quinque minutorum secundorum unius miliaris Veneti spatium peragrare. Doctissimus Mersennus pag. 35. suæ Balysticæ expertus est, sonum minutis quinque secundis confeciśse pedes Gallicos 6900. inde ex proportionum regulis innotescet, spatio unius minuti secundi pedes Gallicos 1380. conficiendos fuisse. Celeberrimus Wistonus (*b*) experimentis edoctus exposuit, spatio unius minuti secundi velocitatem soni fuisse pedum Anglicorum 1060. denique immortalis Newtonus (*c*) considerata crassitie particularum aeris & vaporum diversi generis densitate, *constat* inquit *per experimenta, quod soni tempore minuti unius secundi eundo conficiunt pedes Londinenses plus minus* 1142. *Parisienses vero* 1070., qui in pedes Venetos conversi afficiunt summam pedum 1144. $\frac{144}{1440}$ proxime. Modo ex determinata soni velocitate tempore unius minuti secundi mirum in modum colligit laudatus Wistonius (*d*) data sonorum ubique locorum velocitate, ea videlicet, qua 1060. pedes Anglici, seu pedes Veneti $1209\frac{210}{1350}$ unius minuti spatio conficiuntur, datoque quocumque intervallo temporis, quo eadem soni velocitas datum spatium peragrat, corporis sonori a nostris auribus distantiam facile innotescere potuisse; si enim inter bombardæ ignem visum, & sonum auditum decem minuta secunda pertransire observata fuerint, constabit bombardæ locum ab auditoribus spatio 10600. pedum Anglicorum, proxime distare debuisse, ut ex regulis proportionum constabit; est enim 1. 1060 :: 10. 10600. Ita si inter fulgur visum, & tonitru auditum intercedant quinque minuta secunda patebit, nubes istas, unde fulmina eruperunt a spectatoribus proxime 5300. pedes Anglicos, seu pedes Venetos proxime $6045.\frac{1250}{350}$ fuisse distantes. Cognita itaque ex immortali Newtono sonorum velocitate progreditur celeberrimus Auctor calculorum opere intervalla pulsuum dimetiri; monitos itaque nos reddit. *D. Sawerum invenisse factis a se experimentis, quod fistula aperta, cujus longitudo erat pedum Parisiensium plus minus quinque, sonum edit ejusdem toni cum sono chordæ, quæ tempore minuti unius secundi centies recurrit; sunt igitur pulsus plus minus centum in spatio pedum Parisiensium* 1070, seu pedum Venetorum $1144\frac{440}{1440}$ *quos sonus tempore unius minuti secundi percurrit; adeoque pulsus unus occupat spatium pedum Parisiensium* $10\frac{7}{10}$ seu pedum Venetorum $11\frac{638}{1440}$ *proxime, id est duplam circiter longitudinem fistulæ, unde verisimile est, quod latitudines pulsuum in omnium apertarum fistularum sonis æquantur duplis longitudinibus fistularum.* Mirabile postmodum eruitur ab iis, quæ dicta sunt, & ab experimentis 241. & sequentibus celeberrimæ Academiæ Florentinæ, & juxta demonstrata a celeberrimo Taylor (*e*) sonos, vel magnos, vel parvos semper æque veloces & æquabiles esse futuros. Hæc quantumvis extra institutum nostrum dicta videantur, attamen eo collimant, ut cognita prius sonorum natura, velocitate & pulsuum proportione, & consequenter tanti sensus dignitate, præstantia ac necessitate, facilius ac commodius a nobis morbosa auditus incommoda inquirantur & cognoscantur.

35. Ex soni doctrina super exposita generalis quidem soni idea innotescit, specifica vero & peculiaris soni ratio, qua diversi soni fieri diversimode possint, adhuc ulteriora petere videtur: desideratam peculiaris & specifici soni efficiendi ratione experimentis opportune factis celeberrimus Franciscus Lana (*f*) reperire acriter studuit, prop. enim 6. libri 9. de tremore corporum, ostendit, chordam tensam (idem intellige proportionaliter de quocumque corpore sonoro) & percussam vibrari & resonare; hanc autem non vibrari & resonare, per modum unius, sed ejus plurimas, minimasque particulas, ex quibus chorda componitur peculiares efficere, ut puto, curvas elasticas seu distractiones, quæ postmodum transeundo a curvis in rectas efformant minutas, minimasque vibrationes, ex quibus resultat seu componitur talis soni differentia; etenim a pluribus experimentis colligit, quod dum chorda tensa in singulis suis simplicibus undationibus removetur a suo situ recto, quoties tendit, aut ad dextram, aut ad sinistram, toties quodammodo incurvata elongatur, & consequenter novam tensionem patitur; quoties vero iterum redit ad situm medium in linea recta, toties remittitur nova illa tensio prius acquisita: constat autem ex dictis a celeberrimo Auctore *de tensione chordarum* per tensionem partes chordæ comprimi, & ipsam cordam subtiliorem fieri, per reductionem rursus dilatari, & priorem crassitiem recuperare. Igitur præter motum simplicem undulatorium, hinc inde per motum unius, seu toti chordæ communem, qua chorda agitatur, est, & alius motus constrictionis & dilatationis particularum, seu partium minimarum chordam componentium, qui operatur in singulis filaminibus, ex quibus chorda coagmentatur. Immo in partibus unius & ejusdem filaminis. Cum enim hujusmodi filamina & illorum particulæ non sint singulæ singulis omnino similes, nec similes arcus describant, sed aliquæ magis, aliæ minus resistant tensioni, compressioni, constrictioni & dilatationi, dissimiles quidem, cum post tensionem se reducant, vibrationes efficient singulas suæ naturæ, ac suis viribus ac conatibus, seu arcubus proxime proportionales, quamobrem ex his peculiaribus minimarum partium similium, & dissimilium chordam componentium arcubus, seu distractionibus, & contractionibus componuntur minimæ vibrationes, ex quibus efformatur motus ille tremulus, peculiaris & specificus, qui talem ac specificam soni differentiam opportune parit. Simplex itaque & generalis soni idea undulationes totius corporis sonori ea ratione postulare videtur, qua aer simili quoque methodo vibratus, modo ita densetur, modo reditu rarescat; specifica vero & peculiaris soni ratio hoc ulterius postulat, ut particulæ minimæ corporis sonori similes & dissimiles, quarum aliæ magis, aliæ vero minus ex dissimilibus earum arcubus tensioni, compressioni, constrictioni & dilatationi resistunt, componant peculiares vibrationes ex motu partium minimarum similium, & dissimilium compositas; ex quibus fit quidam specificus partium minimarum tremor, qui talem ac specificam soni differentiam sit productus: inde cum tam variæ fieri possint minimarum partium, seu arcuum distractiones, & contractiones, & consequenter tam variæ vibrationes, seu tremores aeri communicandæ, tot soni differentiæ ab auribus humanis erunt diversimode percipiendæ. Ex his itaque quærendum est, a quanam causa sonus *gravis & acutus* habeantur. In hac re non pigeat prius experimentorum meminisci, vibratione chordarum esse in ratione longitudinum earundem. Ita doctissimus Hayr expertus est chordam tensam longitudinis pedum decem, si tempore unius minuti centum vibrationes absolvat, hujus dimidiam eadem ratione tensam eodem minuto secundo 200. vibrationes fuisse absoluturam. Acutus itaque sonus ille esse videtur, qui parvo tempore frequentiores vibrationes absolvit, non solum juxta rationem totius organi, verum etiam juxta rationem minimorum arcuum fibrillarum, quæ dum impelluntur, frequentius vibrantur; exigui propterea & brevissimi minimique arcus fibrillarum organi auditorii facto opportuno dum iis, quæ dicta sunt, analogismo, dum parvo tempore frequentissimas distractiones & contractiones edunt, a quibus frequentissimæ emergunt vibrationes ac tremores, majorique conatu recedunt a situ suo naturali magis violentam tensionem patientur, acutum sonum edere debuerunt. E contra sonum gravem datura erit auris humana cum majori tempore ac longiori pauciores fiant vibrationes organi & partium minimarum, seu arcuum earundem, ob tardiores distractiones, & contractiones elasticas earum, minoremque tensionem fibrillarum omnium.

36. Hisce præmissis contrahendo sermones nostros ad aurem humanam juxta anatomicum aurium ordinem placet ratiocinari; præter enim externum, & flexuosum aurium apparatum occurrit *Meatus auditorius;* cavitas videlicet cylindrico ellyptica; hæ obliquo suo ductu glandulis undequaque donata est, a quibus cerumen continuo separatur; cum vero e glandulis ea ratione separatum fuerit, ut cerumenis corpus naturalem meatus auditorii obliquitatem mutaverit, undulationes aeris ultro reflexæ, & quodammodo a lege naturalium undulationum declinantes, auditum si non invertent, saltem poterunt imminuere. Clauditur autem internus hic meatus auditorius obliqua sectione *a Membrana Tympani* annulo osseo affixa, cujus peripheria ellyptica est, & ex duplici membranacea expansione duræ matris & cutis meatus auditorii coagmentata est; auditorii autem nervorum paris dura portio tympano impertitur; hoc autem tenditur & laxatur a nerveis filamentis, & musculis, & ab officulorum determinatis motibus, quorum primus *Malleus* est; secundus *incus;* tertius *Os orbiculare*, & *Stapes* quartus, qui immediate membranæ tympani succedunt. Opera itaque musculorum & talium officulorum ea ratione ac lege tendi debet membrana, non solum quoad totum sui spatium, verum etiam quoad singula sui filamenta, ut æquabilis & homotona fiat undequaque membranæ tensio; hac autem lege æquabilis tensionis statutum a natura est, oscillatione externi aeris, specificos impetus membranæ tympani communicare, a quibus cum distractæ fuerint, & in minimas curvas inflexæ, postmodum vero succedente motu contractionis specificos tremores, ac vibrationes parituræ erunt, primam naturalis auditus elaborationem opportuno principio donaturæ. Quid autem de auditu timendum esset, si musculi membranarum tympani, & officula tendentes, aut nimio fero madefacti, aut paralysi? fecti fuerint? quid timendum? si humida aeris temperies, si feri ca membranam laxaverint. Nemo ignorat, hisce vitiis membranam, missa naturali tensione æquabili, naturalique fibrarum parallelismo, non eas æquabiles distractiones, & contractiones, & consequenter non eas vibrationes & oscillationes, non eos tremores excipere posse, qui specificis sonorum differentiis exequendis opportuni essent; quid ergo? obtusus mehercle fiet auditus, confusus & hebes: pejus forsse malum irruet, si convulsis hisce musculis membrana tympani supramodum crispata ac tensa constiterit: a vibrationibus enim, & oscillationibus frequentissimis exasperata membrana feret soni acutiem, rigiditatem, & asperitatem ex quocumque levi aeris momento & piæ matris consensu dolorificam sensationem erit allatura. Redeunti ad naturalem auditum animadvertendum est, naturam, initio auditus, adeo de hoc recte exequendo fuisse solicitam, ut opera musculorum & officulorum internorum adeo disponere, ac naturaliter tendere voluerit

(*a*) Cap. 23. Phoron.
(*b*) Lectione 29. prop. 62. Coroll. 7. suarum Prælectionum.
(*c*) Scholio prop. 50. princ. Mathem.
(*d*) Coroll. 13. prop. 62.
(*e*) Prop. 12. methodo incrementorum directa, & inversa.
(*f*) Vom. 2. Magist. Naturæ, & Artis.

membranam tympani, ut non ſolum membrana tota, verum etiam ſingulæ minimæ componentes fibrillæ homotone & uniſone tendendæ ac diſponendæ ſimiliter eſſent: tanti porro operis perfectioni juvat ſuſpicari, fibras membranæ tympani adeo naturaliter ſingulas eſſe ſimiliter, homotone & uniſone tendendas ac diſponendas, ut ſi aeris externi oſcillationes totum membranæ ſpatium tangere, verberare ac inflectere aliquando non poſſint; auditui tamen exequendo ſatis opportune ſufficiet, ſi unum tantummodo membranæ tympani filamentum ab aere oſcillante verberaretur; ea ferme methodo, qua experimur, chordas in eodem inſtrumento uniſone tenſas, tremere tamen ac oſcillare omnes uniſonas debere, quantumvis una tantummodo ex uniſonis chorda tacta fuerit ac verberata.

37. Membranæ tympani ſua cavitas correſpondet; hæc ſphærica eſt. In tympani ſupernis partibus duæ occurrunt feneſtræ, quæ in tympani cavitatem ſeſe aperiunt; *Ovalis una*, *Rotunda altera*. *Ovalis feneſtra* illa eſt, quæ a baſi ſtapedis clauditur, eidem configuratione reſpondens, ſitum obtinet tympani membranæ parallelum; per hanc videtur aditus ad labyrinthi veſtibulum. *Feneſtra rotunda* incertam habet figuram, utplurimum tamen ad circularem tendit, videturque membranæ tympani verticalis; a parte autem inferiore tympani proficiſcitur *Tuba Euſtachiana* tranſiens ad latera interiorum naſi foraminum ſupra uvulæ baſin terminata. Utræque feneſtræ *Ovalis* & *Rotunda* tranſitum donant interiori auris cavitati, quæ cavitas in oſſe petroſo locata eſt, quæ *Labyrinthus* appellatur; hæc autem labyrinthi cavitas tres in partes dividitur; in *Veſtibulum* nempe, in *Canales ſemicirculares & Cochleam*. Veſtibulum eſt cavitas irregulari configuratione conſtructa, parietes undequaque oſtendens concavos. In hac cavitate veſtibuli plura aperiuntur orificia, nempe orificium feneſtræ ovalis, & quinque orificia canalium ſemicircularium, orificium cochleæ, & quinque orificia nervis aditum præbentia, atque ideo ab iſtis occluſa, ſecunda vero labyrinthi pars, nempe canales ſemicirculares, hi in ſemicirculi modum incurvantur, numero autem ſunt tres, quorum primus eſt canalis ſemicircularis major, ſecundus minor, tertius minimus; cochlea autem tertia labyrinthi pars eleganter limacem cochleam repræſentat ſub ſpecie coni elaborata. Cujus cavitatis ſuperficies non ex eadem ſubſtantia componitur, ac ſuperficies cavitatis canaliuni ſemicircularium, quæ nempe duriſſimum os eſt; ſed ex ſubſtantia ita friabili, ut in exſiccatis ſaltem auribus calcinatum os referat; canalis iſte ope ejuſdem ſepti in duos canales ita dividitur, ut canalis alter cum altero nullo pacto communicet: hoc ſeptum, quod ſeptum cochleæ dici poterit, duplici conſtat ſubſtantia, ſolidiori una, molliori altera. Duo canales, in quos cochleæ cavitatem ab expoſito ſepto partiri indicavimus, *Scalæ* nominantur, quarum una per feneſtram rotundam reſpicit tympanum, & tympani ſcala appellatur; altera vero cum veſtibulo communicat per orificium quaſi ellypticum ad latus feneſtræ ovalis ſitum inter hanc, & orificium proprium canalis majoris (hæc vero veſtibuli ſcala appellatur). Scala tympani ſuperiorem ſitum obtinuit; ſcala vero veſtibuli inferiorem &c. Ad actuandas autem & ditandas labyrinthi cavitates portio mollis auditorii nervorum paris deſcendit; in oſſe enim temporali, & petroſo excavatur nervorum auditoriorum canalis, quem non ſine ratione in duplicem partitur, nempe in communem & particularem. Quinque ulterius nervei ſurculi in veſtibulo per membranam dilatati peculiari inceſſu membranaceo progrediuntur. Etenim a membrana veſtibuli quædam aliæ membranæ procedunt, quarum ſingulæ diverſum canalium ſemicircularium orificium ingrediuntur; ubi vero membrana per unum canalis orificium ingreſſa, membranæ per alterum ejuſdem canalis orificium intranti percurrendo occurrit, unam continuatam membranam ambæ componunt; tales cum ſtrictioris tæniolæ ſive parvæ zonæ figuram habeant, ſintque motibus ſonoris excipiendis tanquam proprio ſenſorio deſtinatæ; hinc a celeberrimo Valſalva *Zonæ ſonoræ* nuncupantur; hæ ſunt numero tres nempe totidem ac canales, eandemque cum iſtis obtinent longitudinem &c. Alibi autem docet doctiſſimus Auctor, zonas has eſſe mollis auditorii nervi expanſiones &c. Obſervat ulterius, labyrinthum humore aqueo copioſe madefactum fuiſſe, & ab hoc patere aditum in palatum, ut aperto ore tribuendus ſit aer, imminuta aurium officia reparaturus. Hæc omnia a doctiſſimo Valſalva hinc inde colligenda, ac deſcribenda eſſe opportunum cenſui, ut accuratius ea innoteſcerent, quæ auris humanæ organo, ac officio intelligendo neceſſaria eſſe viderentur. Hiſce præmiſſis liceat arbitrari, externum aerem a ſono taliter motum undulationes ac tremores ſpecifice contrahere, quæ membranam tympani tali ratione obliqui impulſus urgeat, ut non ſolum membrana, verum etiam minimæ illius componentes fibrillæ inflecti, ac diſtrahi adeo teneantur, ut minimas curvas deſcribant; filamenta autem membranæ tympani taliter inflexa ac diſtracta, cum elaſtica ſint, conantur ſeſe opere elaſtico momenti conttactionis ſeſe reciproce reſtituere; quæ diſtractiones & reciprocæ contractiones, cum ſpecificos fibrillarum motus ac tremores efficient, urgent, impelluntque ſimili impulſus lege tria illa officula, quæ immediate membranam tympani ſubſequuntur, hæc autem officula ſimiliter mota & impulſa motu quodam compoſito ex motu membranæ tympani & officulorum, movent ac ſolicitant ſimiliter filamenta nervea nervi auditorii per membranam tympani decurrentia; pariterque filamenta membranoſa ejuſdem paris vagi labyrinthum inveſtientia, & conſequenter zonas ſonoras naturali lege uniſone tenſas, ex quarum ſpecifica ratione motus ac ſolicitatione auditus ſenſatio opportune perficitur. Prodeſt ulterius actioni auditus undulatio, oſcillatio & tremor aeris ejus, qui probabiliter per foraminulum membranæ tympani ingreditur cavitatem ejuſdem, & ab hac per labyrinthum excurrit; hæc enim aeris portio ſpecifice mota a ratione motus compoſiti ex motu membranæ tympani & trium officulorum, undulationes excipit illis modis proportionales ac uniſonas; aer autem incluſus taliter motus, cum & ipſe urgeat, ac ſolicitationem adjuvet membranæ nervi auditorii, & zonarum, jure auditus operi auxiliaturus eſt. Itaque & ab his, quæ in organo auditus obſervata ſunt, & ab experimento chordarum uniſone tenſarum, quæ, etſi non pulſatæ, tamen iſochrone, & uniſone reſpondent illi chordæ uniſonæ, quæ ſola pulſata fuerat, probabilius credendum eſt membranam quoque elaſticam nervi auditorii una cum zonis ſonoris donatam eſſe fibris ordine, textura & tenſione ſimilibus, & homologis fibrillis membranæ tympani, non ſolum juxta rationem totius, verum etiam juxta rationem minimarum fibrillarum ſingulorum filamentorum componentium; ſic enim ſuppoſita ſimili & æquabili membranæ tympani compoſitione, textura & tenſione cum fibrilis membranæ nervi auditorii, & zonarum curvæ diſtractiones & contractiones membranæ nervi auditorii & zonarum, cum in ſtatu naturali ſimiles & æquales fuerint cutvis diſtractionibus & contractionibus membranæ tympani, opera etiam adjuvante ſimilis motus aeris in labyrintho incluſi, naturalem auditus actionem ordinatam, conſonantem & harmonicam efficient. Quamobrem ut naturalis auditus actio exerceatur, jure credenda eſt neceſſaria proportio æqualitatis, aut quaſi æqualitatis, & ſimilitudinis inter undulationes & tremores aeris externi, & undulationem & tremorem interni aeris in labyrintho incluſi, & motum ſeu tremorem membranæ tympani, cum motu ſeu tremore membranæ nervi auditorii & zonarum; ita ut eſſe debeat motus ſeu tremor aeris externi, ad motum ſeu tremorem aeris interni, ut motus ſeu tremor membranæ tympani una cum officulis ad motum ſeu tremorem membranæ nervi auditorii & zonarum; verum cum motus membranæ tympani & officulorum determinetur a momento, & ſolicitatione ac tremore aeris externi; ideo motus membranæ tympani & officulorum erit motui aeris externi proportionalis; pariterque cum motus ſeu tremor membranæ nervi auditorii & zonarum determinetur a motu aut tremore membranæ tympani, & trium officulorum una cum aere in labyrintho incluſo, propterea licebit arguere permutando, quod motus ſeu tremor aeris externi ſit ad motum ſeu tremorem membranæ tympani & officulorum, ut motus ſeu tremor aeris interni & incluſi ad motum ſeu tremorem membranæ nervi auditorii & zonarum; hæc quidem in ſtatu naturali probabiliter ſunt judicanda. Verum ſi minimæ fibrillæ membranæ elaſticæ nervi auditorii & zonarum, aut vitio ſui, aut menyngum, aut fluidorum per cæcos aurium canaliculos fluentium, aut vitio interni, aut externi aeris non fuerint ordine, textura & tenſione ſimiliter poſitæ; ita ut tales curvæ diſtractiones & reciprocæ contractiones ſeu tremores fibrillarum earundem non ea ratione ac proportione fuerint ſimiles & acquales, aut quaſi æquales tenſionibus, tremoribus, aut curvis diſtenſionibus, & reciprocis contractionibus minimarum fibrillarum membranæ tympani, & trium officulorum; cumque fibrillæ componentes non eum ſervent naturalem parallelifmum inter ſe cum naturali poſitione angulorum earundem; tunc mehercle cum membrana tympani & tria officula non debita proportione, motu ac poſitione membranæ nervi auditorii & zonarum reſpondeant: nec vibrationes ac tremores ſimiles & iſochronæ, aut fortaſſe nec in opportuna proportione harmonica fuerint inter ſe: ſonus & auditus confuſi, indiſtincti, & diſſonantes erunt futuri. Quamobrem cum membrana nervi auditorii & zonæ ſonoræ pia matre undequaque induantur, & hæc cum fibrillis cerebri, a qua veſtiuntur, eminentem communionem habeat, feret ſenſationem in anima ineptam, indiſtinctam & diſſonantem ut anima ipſa ſonos inepte & diſſonanter percipiat & judicet. Arteriæ carotides, & jugulares venæ, & lymphatica vaſcula aures undequaque irrigant; cum autem hi meatus ſanguine, aut ſero irrigati, & membranæ fluidis extraneis madefactæ fuerint, filamenta illa inæquali ſuccorum pondere ac mole repleta, erunt, ut aliquando convulſa fiant, mutatoque earum paralleliſmo longitudine & craſſitie inæqualia, & ab inæqualibus aeris, aut fluidorum heterogeneorum diſſimilibus conatibus inæqualiter tenſa ac diſtenſa conſiſtent; cum autem fibrarum curvæ diſtenſiones ſint proxime in ratione compoſita ex directa potentiarum tendentium, directa longitudinum & reciproca craſſitierum earumdem; nemo dubitaverit membranarum, aliarumque partium fibras mole, pondere, craſſitie ac longitudine, & conſequenter diſtenſione & contractione inæquales & aſymmetras eſſe futuras; non ergo ſperandum eſt, harum curvas diſtractiones & contractiones reciprocas fore inter ſe iſochronas, ſimiles & homologas, ſed abſque ulla proportione harmonica diſſimiles, inordinatas & aſymmetras. En ergo confuſus, hebes & diſſonans auditus! en ex inæquali aeris motu; impetu aſymmetro, tremore & teflexione ſibilus & tinnitus! en gravis & moleſta ſenſatio!

38. Delectationi animalium præſtat potiſſimum odoratus; hic a membrana quadam narium cavernulas inveſtiente in officio eſt; hæc ex nervis primi paris olfactoriis per os cribroſum, & narium cavernulas opportune expanſis compoſita odoratus organum determinare videtur. Verum cum odores ſint ſubjecta odoratus, & odores a corporibus undequaque citiſſime effluant, natura rei poſtulare videtur, nos prius de horum corporum effluviis acturos eſſe. Itaque qui Boylei experimenta e limine ſalutaverint, non ignorabunt, quælibet corpora compoſita cujuſcunque regni vegetabilis, animalis, & mineralis continua effluvia quaquaverſus emittere, quæ juxta vires ac momenta propriæ atmoſphæræ odoratus organum modo ſuaviter, modo moleſte ſolicitant. Ut autem commodius ac clarius hæc res agitata opportune eluceſcat, conſultum fuit a melioris notæ Philoſophis præſupponere, corpora quælibet reſpectu ſui ſuum totale centrum obtinere, quod tamen centrum partiale eſſe debuit reſpectu terræ. Unicuique itaque corpori, ut planetis omnibus evenit, ſua circumjacet atmoſphæra viribus ac momento corporis proportionalis, quæ ab effluviis quaquaverſus a corpore effuſis compoſita ſphæricam ſuperficiem deſcribere credita eſt; hujuſmodi effluvia per peculiarem atmoſphæram effuſa viribus ac momento differunt juxta rationes homologas denſitatum eorumdem; verum cum denſitates effluviorum per varias ſuperficies circulares atmoſphæræ ſint reciproce, ut ſpatia, quæ ab ipſis effluviis occupantur in ſuperficiebus circularibus ejuſdem, ſpatia autem ab ipſis occupata ſint reciproce ex geometricis in ratione duplicata, ſeu ut reciproce quadrata diſtantiarum a centro corporis; utique vires, momenta ac denſitates effluviorum per ſuperficies circulares atmoſphæricas eorumdem erunt reciproce in ratione duplicata, ſeu reciproce ut quadrata diſtantiarum a centro corporis. Quamobrem ex his manifeſtum videbitur, in diſtantia effluvii linearis ut 2. a centro corporis ad diſtantiam effluviis linearis ut 3. a centro ejuſdem, vires, momenta ac denſitates atmoſphæræ effluviorum futuras eſſe reciproce ut 9. ad 4. Itaque vis, momentum & denſitas effluviorum diſtantium ut 2. a centro corporis erit ut 9. & vis, momentum & denſitas effluviorum diſtantium ut 3. a centro ejuſdem futura erit ut 4. nempe ut reciproce quadratum diſtantiæ 2. ad quadratum diſtantiæ 3. Si itaque a quibuſcunque punctis diſtantiarum a centro corporis creſcentium in

ra-

ratione arithmetica, quæ accipiantur ut asymptoton, ducantur lineæ perpendiculares inter se parellelæ, sed ea ratione geometrica decrescentes, qua vires ac momenta effluviorum decrescunt in ratione duplicata distantiarum a centro reciprocæ, seu in ratione reciproca quadrati distantiarum ab eodem centro, & ab extremitatibus linearum parallelarum ductarum ducatur linea; hæc linea ducta erit logarithmica, seu curva hyperbolica aut saltem generis hyperbolici futura erit. Juxta has motuum proportiones a centro corporis, unde citissime exeunt, moveri, & agere effluvia contra sensoria videbuntur, num vero, & qua ratione effluvia a corpore eminus delata, ad corpus unde effluxerant, tanquam ad suum totale centrum opportune (ut nonnulli Philosophi putant) restitui possint! hoc quidem tam anceps, tam lubricum est, ut nostrum præcurrat ingenium. Multi tamen opinati sunt, effluvia corporis, cum eminus delata fuerint, quorum momenta, vires ac densitates ea ratione notabiliter decreverint, qua supra proxime determinatum est, necessario occurrere & incidere in atmosphæram aeream, seu ambientem aerem, cujus cum vis, momentum & densitas multo major sit vi, momento ac densitate effluviorum corporis eminus delatorum, mehercle vis, momentum & densitas aeris ambientis eo fortior & validior futura erit ad impellendum, quo atmosphæra corporis debilior, iners, minusque densa facta fuerit ad resistendum, quotiescunque notabiliter a corpore distaverit. Itaque cum vis, densitas & momentum aeris ambientis majus fuerit momento atmosphæræ corporis, momentum aeris ambientis magis urgebit effluvia corporis versus plagam, unde decesserant, propter effluviorum resistentiam minorem aeris ambientis atmosphæræ, cum ergo momentum aeris ambientis habeat rationem majoris inæqualitatis respective ad momentum atmosphæræ corporis, & vicissim momentum atmosphæræ corporis, in notabili distantia ab eodem corpore habeat rationem minoris inæqualitatis respective ad momentum aeris ambientis, cogetur atmosphæra corporis in notabili distantia ab eodem cedere vi & momento aeris ambientis. Quamobrem cum effluvia corporis impedita ultro progredi non possint, inclinatis directionibus vorticoso, aut spirali quodam motu revertere fere omnia conabuntur, unde primo decesserant, ut iisdem, similibusque corporis porulis restituta corpus quodlibet pro data lege Universi conservarent; sed non vacat hæc tam incerta, tam obscure meditari. Certum quidem est, juxta vires, densitates ac momenta effluviorum e corpore in datis rationibus proxime exeuntium fibras membraneas & nerveas odoratus variis rationibus esse solicitandas. Membrana itaque & fibræ nerveæ organi odoratus tali, determinataque textura elaboratæ, non solum ratione totius, verum etiam ratione minimarum partium membranam, fibrasque nerveas componentium solicitatæ determinatam quandam lineam curvam describunt, vi cujus peculiaris & specifica non tantum totius membranæ elasticæ, totiusque fibræ nerveæ, verum etiam quantumcumque minimarum fibrillarum elasticarum talis curva distractio & talis reciproca contractio exerceri debet; suspicari ergo si liceat, hanc quoque curvam distractionem logarithmicæ, aut hyperbolicæ, aut generis hyperbolici esse futuram. Cum enim (ut supra indicatum est) variæ distantiæ a centro corporis odorati accepta ut asymptoton crescentes in ratione arithmetica habeant vires, momenta ac densitates effluviorum reciproce decrescentes in ratione geometrica; nempe reciproce, ut quadrata distantiarum a centro corporis, quæ designantur a transversis parallelis ductis a quibuscunque punctis distantiarum a centro corporis odoriferi, & ab extremitatibus omnibus harum linearum intelligatur ducta quædam linea, hæc linea futura erit curva, quæ ad logarithmicam aut ad hyperbolicam lineam pertinere videbitur; sic probabiliter concipi ac fieri potest, membranam nervi olfactorii oblique tactam ac impulsam a viribus, momentis ac densitatibus effluviorum geometrice decrescentibus; juxta rationes reciprocas distantiarum a centro corporis odoriferi arithmetice crescentium incurvari ac inflecti taliter debere, ut membrana sese disponat ad lineam quandam curvam logarithmicæ, aut hyperbolicæ, aut generi hyperbolico similem describendam; verum cum huiusmodi curvæ adeo minimæ sint, ut a tangentibus fere non differant, si a nobis videri potuissent, satis mihi est hæc probabiliter innuisse, ut tantummodo innotescat, a quantis minimis membranorum ac nerveorum filamentorum motuum differentiis tot eminentes animæ sensationes, (tam minimas motuum, ac figurarum differentias usu ac habitu facto sentientis & percipientis) continuo exerceantur. Membrana itaque nervea oblique impulsa ac densitatibus geometrice decrescentibus, determinatam curvam distractionem patitur; postmodum vero naturali nisu elastico contractioni restituitur. Cum autem tales motus elastici distractionis & contractionis componantur ex rationibus momentorum corporis odori impellentis, longitudine fibrillarum & reciproca crassitierum earundem, hi motus cum tali determinata curva agentes, taliter solicitando piam matrem, qua fibræ nerveæ odoratus undequaque vestiuntur, & ab hoc eminenti consensu communicata solicitatione correspondentibus fibris cerebri ab eadem membrana circumseptis specificam rationem, actionem, sensationem videlicet organi odoratus componere probabiliter videbuntur, a quibus motuum differentiis anima excitata rationes odorum sentire ac judicare teneatur. Quotiescunque autem filamenta membranosa ac nervea organi odoratus, aut paralytica fuerint, aut convulsa, aut gravata succis heterogeneis, tunc cum horum tensiones præternaturales, aut nimium laxæ fuerint in paralyticis, aut nimium contractæ in convulsis; aut inæqualis magnitudinis, & crassitiei; ut in gravedine seu oryza ob succorum depositorum impuritates, mehercle vitio organi effluvia corporis odorati cum non ea lege ac momento motus ac percussionis, ut supra exposuimus, proportionali, apte urgere possint ac solicitare odoratus organum; cumque fibræ organicæ præternaturales non eum naturalem parallelismum servent inter se, nec non naturalem angulorum æqualitatem, odoratus actio aut depravata fiet, aut imminuta, aut nulla; sic aliquando etiam hæc vitia contingere consuescunt, cum aut glandularum obstructione, aut cum os cribriforme fluente nimis muco læsione, aut obstructione correptum fuerit, aut cum a materia quadam polyposa narium cavitates fuerint impeditæ.

Vitia Odoratus.

39. Sensui odoratus affinis est jucunda sensatio gustus, qua ea, quæ aut cum cibis, aut potionibus in stomachum ingeruntur, aut amica, aut inimica, naturæ & stomacho ab anima judicantur. Sensationi autem gustus potissimum inservit lingua, cui quoque tota & palati & œsophagi peripheria auxilio est; num autem lingua sit musculus, ut putavit Warthonus, ibi non quæro, nec disputo; certum tamen est, sex musculorum paria linguam quaquaversus movere, ut multiplicibus linguæ motibus, innumerisque vocum ordinibus opportune inservirent. Philippus autem Verheyen c. 17. suæ Anatomes nuper edocuit: *Superius linguæ planum in plurimas areolas esse divisum a quibusdam sulcis seu fossulis valde inæqualibus, & in diversis subjectis admodum diversis. In dictis areolis seu spatiis, quæ sulcis istis circumscribuntur, notare licet potissimum tres colliculorum species, quarum primam constituunt glandulæ, quæ in parte antica linguæ, semen sinapis magnitudine vix superant, & posteriora versus sensim augentur: in vivis pellucidæ sunt, humoreque salivali refertæ, quem pro linguæ humectatione in ejus superficiem deponunt; secundo glandulis copiose interspersa sunt corpora quædam dura extremitatibus unguium avicularum non multum absimilia, quæ in linguæ planum eminent, & modice incurvata versus partem posteriorem sese inclinant; hæc corpora plerumque desinunt in simplicem cuspidem, nonnulla tamen reperiuntur bifida; tertio in superiori linguæ plano etiam notantur corpora pene rotunda majoris ambitus, quam præcedentia, & non ita in cuspidem elevata; cedunt quoque illis tam numero, quam duritie; videntur autem hæc corpora facere ad sensationem gustus.* Sed ante Verheyen celeberrimi viri Malpighius & Fracassatus in Epistolis ad immortalem Alphonsum Borellum conscriptis prius ostenderant, linguam humanam suis papillulis, aut pyramidalibus, aut conicis esse elaboratam, quæ numerosiores in vivente, ac spiritu turgidæ observantur, racemoso invicem coalitu sese prodentes, porissimum facto agmine versus apicem linguæ, minus vero cum ad inferiorem linguæ partem declinaverint. Has autem papillulas, nerveas esse appendices anatomica autopsia satis evincit; hæ nerveæ papillæ cum ciborum masticatione, pressione, & afflictu adjuvante saliva e glandulis linguæ & palati undequaque naturaliter expressa diversis motuum rationibus tangantur, ac solicitentur, affectionem gustus probabiliter excitant; gustus itaque affectio a ratione tactus nullo modo dissentire videtur. Hæc quamvis in genere veritati assentiri videantur, nihilominus apud plerosque constat, specificas gustus affectiones seu determinatos sapores a determinatis salium figuris papillas nerveas taliter solicitantibus habendos esse; variæ siquidem saporum species a variis salium configurationibus a plerisque Philosophis habitæ sunt; ut autem hanc rem experimento potius, quam ratione acquireret celeberrimus Gassendus e Democriti cineribus atomorum doctrinam excitaverat. Itaque hæc philosophatus est. (*a*) *Is non incongrue definiat, qui rotundas esse, congruaque mole atomos, quæ dulcem faciunt saporem, magna figura, quæ acerbum, multangula, minimeque orbiculari, quæ asperum; acuta conica incurva non tenui, non rotunda, quæ acutum; orbiculata, tenui angulata, incurva, quæ acrem; angulata, distorta, crurumque æqualium, quæ salsum; rotunda, levi, distorta, pauca, quæ amarum; tenui, rotunda, parva, quæ pinguem, &c.* Verum cum hujusmodi experimenta & figurarum salinarum observationes non id certi referant, quo salina corpora tantummodo sapores referre judicentur; cum hi etiam a sulfure & varia miscela salium, sulfurum, aliorumque corporum haberi plerunque possint, propterea in tam ancipiti re contentus fuero generali ratiocinio suspicari, sapores promiscue a salium, sulfurum, aliorumque corporum superficiebus papillas nerveas solicitantibus esse orituros. Ex hac generali idea, cur non liceat specificos sapores quærere a determinata salium, sulfurum, aliorumque corporum cemmixtione? Fateor quidem usque adhuc ignotum esse, qualis futura sit horum corporum specifica mixtio, ut specifici sapores vere habeantur; verisimilitudini tamen accedit, *Dulcem saporem* a ratione æqualitatis inter miscelam salis & bene concocti seu depurati sulfuris, aut ab aliquali sulfuris prædominio supra salis, aliorumque corporum momenta posse dimetiri; sic *Amarum* fortasse fiet, cum nullum sulfur; aut si sulfur adustum & acre cum majori ratione salis, aliorumque corporum, quibus omnibus inest inæqualis & aspera superficies, mixtionem effecerit; *Insipidum* vero, cum crudo sale & sulfure compositum fuerit corpus; aut si cum majori aquæ portione minima salis & sulfuris quantitas miscelam fecerit; *Acerbum verum aut Austerum* a crudo sulfure & sale cujus octaedrica, aut parallelipeda rhomboidea fuerit superficies, videtur esse elaborandum. Ex varia itaque mixtione corporum inter se varii, cæterique emergent sapores, ea videlicet ratione homologa, qua ex diversis linearum luminis densitatibus, una cum variis refractionum gradibus varios colores oriri experimur; hæc enim corpora invicem commixta, & salivari humore opportune dissoluta papillas nerveas solicitando in ratione composita ex numero salium, sulfurum, aliorumque corporum, momento eorundem, & ratione salivæ, qua universa hæc corpora penetrantur, & madefiunt, papillis taliter inflexis, aut incurvaris diversas in lingua saporum rationes afferre consuescunt. Ab hisce papillarum motibus communicata sensui communi seu piæ matri, quæ & linguæ papillas & fibras medullares cerebri consentientibus fibris investit, opportuna & specifica fibrarum medullarium solicitatione varii sapores animæ offeruntur sentiendi, & judicandi.

Vitia gustus.

40. Impuro itaque sanguine, si plurima corpora in glandulis linguæ deponantur, quæ excretoria harum oscula obstruat, mehercle saliva impedita arescent linguæ filamenta, & nerveæ papillæ arescentes non ea facilitate moveri, inflecti & incurvari poterunt, qua in naturalibus saporibus opportune deferendis fieri debuisset; saporibus itaque aut imminutis, aut obliteratis ægri de nausea, cibi fastidio, consentiente etiam stomachi membrana, ut in febribus familiare est, molestissime conqueruntur: sæpissime biliosis parriculis lympham, & sanguinem plus justo decurrentibus, si in hæc vascula & glandulas salivales hæ biliosæ particulæ evomuntur, ab acri, & aspera biliosorum corporum superficie solicitatis molestè nerveis papillis sapor amarus ingravescit; sæpe ab acri, & causlico sale salivæ irritata & paulatim erosa linguæ filamenta, fistulæ, ulcera & scissuræ superveninnt, & aliquando a venefica vitriolici corporis metastasi cancri linguam horride lacerant. Notum jam est, saliva muriaticis salibus repleta ob papillarum nervearum peculiarem solicitationem, aut ariditatem earundem sitire animalia graviter debere; probat autopsia, plurimas sordes humorum per lin-

(*a*) Fracassatus pag. 194. de lingua.

linguæ glandulas ſeparari; cum pluribus in morbis cruſtæ diverſæ indolis, ex varia humorum præternaturalium hypoſtaſi ſupervenire videantur. Mira quidem linguæ indoles, quæ non tantum conceptus animi voce & ſono exprimit; verum etiam bonas, & malas corporis affectiones affabre indicare apta eſt; unde Hippocrates in quibuſcunque morbis acquirendis, aut judicandis jure merito obſervandam eſſe docuerat.

41. Immortalis animæ dignitas hoc exigere ſupra modum viſa eſt, ut quatuor ſenſoriis in capitis regione prout digniori animæ ſede exercendis dotaretur; uno tantum ſenſu tactus ſuperſtite, qui tot animalibus communis undequaque exerceri poſſet. Immortalis Malpighius, qui hanc rem de externo tactus organo anatomice agitaverat, certiores nos fecerat, pyramidales papillas e nervoſo ac reticulari corpori progenitas per univerſam cutim effuſas, & e cuticula erumpentes tactus organum eſſe futuras. Hiſce autem pyramidalibus papillis adſtant undequaque per totam cutis ſuperficiem glandulæ miliares, a quibus lympha & ſudor eumpere conſuevit, non tantum communi utilitati naturæ, verum etiam ne papillæ pyramidales vitio tactus areſcerent. Monendum autem, affectionem tactus aliquibus in partibus acutiorem eſſe, aliquibus vero obtuſiorem fuiſſe, determinata lege ſenſus a majori, aut minori numero papillarum pyramidalium e cuticula erumpentium, quarum opera corpora calida & frigida, ſolida & fluida, dura & mollia &c. dignoſci potuiſſent; ex vario ſiquidem objectorum momento varia exercetur papillarum curvitas, varia flexio, variuſque inclinationis gradus, quæ rationes motuum per membranas papillas inveſtientes communicatæ conſenſu fibrarum medullaribus cerebri fibrillis, motibus æqualibus, aut proportionalibus ſolicitant animam, ipſiſque compenetratam homologe urgent & excitant, quibus objecta ſolicitanda ſentire & judicare anima teneatur. Non diu itaque laborantium eſſe, cum vitia tactus habere voluerimus, offuſis enim in miliares cutis glandulas fluidis, aut acri, aut muriatico ſale & aduſto ſulfure repletis, moleſte irritantur extimæ cutis & cuticulæ fibrillæ. Hinc ex balſamici ſulfuris defectu graves pruritus, cutis aſperitates, turpes puſtulæ, & guttæ roſaceæ emergent. Ulterius ex vitriolici, aut aluminoſi ſalis additamento, & juxta majorem ſalis ſalſi, acris & acidi ubertatem lepræ, & variæ veneficæ ſerpigines ingraveſcent; ex his a ſtagnatis humoribus obſtructæ glandulæ miliares innumera cutis vitia generari videntur, inter quæ cutis nigredines & porrigines, ephelides & lentigines varii generis &c. Sed pejus omen eſſet, ſi paralyſi afficiantur nervea illa filamenta, quæ ad extimam cutis ſuperficiem delata papillas pyramidales mire texunt; enim vero nerveæ hæ papillæ communicata ſibi affectione paralytica cutim ſine ſenſu reddunt, aut ſaltem ſtupidum, obtuſum, & hebetem, quod majoris ſemper morbi omen eſſe plerunque experti ſumus.

42. Cum plurima cutis vitia a fluidis non ſatis opportune, aut nimium tranſpiratis oriri frequentiſſime poſſint, ibi data loci opportunitate breviter de tranſpiratione nonnulla dicere æquum erit. Per poros itaque cutis tranſpirare animalia quælibet ſatis ſuperque notum eſt; excernuntur enim per poros cutis continuo motu corpora cujuſcunque generis, quæ per innumeram glandularum internarum familiam ſeparari opportune non potuerunt. Tanto operi præſtat potiſſimum *Motus internus fluidorum*; ſecundo *aeris ambientis caliditas & rarefactio*; tertio *uberrima ſalium diſſolventium quantitas, a qua fluida animalium ſæpiſſime diſſolvuntur*. Hæc tria ſi opportuna ac debita ratione fiant, apte ac naturaliter tranſpirabit animal; cæterum iniqua tranſpiratio fiet, ſi hæc aut minus, aut magis operentur. Ad primum ergo quod attinet; *Motus internus fluidorum* a cauſis internis, ſed potiſſimum externis excitatus calorem afferens tranſpirationem ultro promovere conſueſcit. Cum enim calor ſit ut impreſſiones particularum corporis calidi in quopiam objecto corpore calorem excipiente, quotieſcunque ſulfureæ particulæ ad ſtatum volatilitatis evectæ fuerint, ſalinas quoque & fibroſa ſanguinis filamenta violentiſſime agitant; cum vero agitationes ſeu impreſſiones particularum ſulfurearum in cætera fluidorum corpora ſint proxime in ratione compoſita ex duplicata velocitatum, & ſimpla denſitatum particularum ſulfurearum, manifeſtum eſt quantum exaltato ſupra modum ſulfure univerſæ fluidorum particulæ agitari violentiſſime teneantur; ex violentiſſimo autem motu particularum omnium atteruntur corpora inter ſe, & fibroſa fluidorum filamenta ſcinduntur, & ſoliditas eorundem enervatur; ſic rupta, attenuata & enervata corpora & citiſſimo motu agitata miliares glandulas quantitate majori undequaque repleut, ut momento motus continuata, & adaucta proportionaliter velocitate fluidorum, uberrima tranſpiratione per poros ſeu per excretoria glandularum miliarium vaſa, ut in febribus ſæpiſſime evenit inauſpicato egredi teneantur. Hac methodo plus juſto tranſpirat animal; a qua violenta & uberrima tranſpiratione aliquando boni effectus, ſæpiſſime mali enervata natura ſuperveniunt; Si hæc ab exceſſu tranſpirationis quid a defectu timendum erit. Mehercule ex deficiente tranſpirationis opera ob denſitates & vitriolicas, aut aluminoſas corporum configurationes, aut ob cutis conſtipationem icteritiæ flavæ, aliquando nigræ, podagræ & innumeræ cutis affectiones elaboratæ vitia cutis parturient. Secundo prodeſt vehementer tranſpirationi *Calor externus*, quo aer rarefit, rarefactus enim non illud momentum preſſionis exercet ſupra extimam ſuperficiem animalis; unde cutis animalium minus preſſa ad majorem ſuperficie dilatata & extenſa ſinit quoque miliares glandulas magis dilatari & extendi; cum autem miliares glandulæ in eo ſtatu minoris dilatationis, quo aer minus rarefactus majori momento premit, ad eum ſtatum majoris dilatationis, quo aer magis rarefactus minori momento preſſionem efficit, ſint ut ſolida ſimilia; hæc autem creſcant in ratione triplicata ſuarum diametrorum; utique in glandulis dilatatis ab aere magis rarefacto id ſpatium futurum erit continendis fluidis aptiſſimum in proxime triplicata ratione ſuarum diametrorum; quamobrem ſi diameter glandulæ miliaris in ſtatu minoris dilatationis fuerit ut 1, diameter vero ejuſdem in ſtatu majoris dilatationis fuerit ut 2, erit quantitas fluidi contenti in glandula minus dilatata, ad quantitatem fluidi contenti in glandula magis dilatata proxime ut 1. ad 8. Octupla itaque quantitas fluidi continenda proxime erit in glandula miliari, cum aere magis rarefacto hæc futura fuerit in ſtatu majoris dilatationis. Præter hæc cum ſectiones excretoriæ pororum glandularum miliarium cutis dilatentur & extendantur, & ipſæ in ratione duplicata ſuarum diametrorum, erit ſectio pori, ſeu canalis excretorii glandulæ dilatatæ ut unum in aere minus rarefacto, ad ſectionem ejuſdem pori dilatati ut 2, in aere magis rarefacto ut 1. ad 4. quare quantitas fluidi lymphatici ut 8. contenta in glandula miliari in ſtatu majoris dilatationis tranſitura erit e ſectione ut 4. canalis excretorii, ſeu pori ejuſdem glandulæ. En itaque cæteris paribus ab aere vi caloris rarefacto, cujus opere proportionaliter rarefacta extenditur cutis ſuperficies, major fluidi quantitas in glandulis miliaribus, & major fluidi exitus per magis apertas ſectiones pororum ſeu canaliculorum glandularum earundem; videlicet, en neceſſitas majoris tranſpirationis; ſic æſtivo tempore & in hypocauſtis major ſudor & tranſpiratio; hinc ex nimia lymphæ exeuntis, & tranſpirantis copia debilitas & languor; hæc tamen ſi cum conferentia, & tolerantia animalium opportune fiant, ſecundæ res erunt; cæterum gravi naturæ fato futurum erit, ſi exceſſu tranſpirationis animalia deficere videantur; hæc quantumvis gravia ſint, graviora tamen aliquando contingent, ſi excedens externi aeris frigiditas, aut nimia cutis denſitas, tranſpirationis impeditæ vitium fecerint; etenim in adultis potiſſimum cutis denſior facta & aeris frigiditas, variolas, morbillos & peticulas facillime prohibent, ne liberiori tranſpirationis motu egrediantur; hinc ſtagnatis in cute humoribus fit prava particularum mixtio, quæ veneficos effectus afferens, ea trahit ſecum damna, quæ mortis periculo utplurimum exolvuntur. Tertio tranſpirationis vitia affert *uberrima ſalium quantitas*; etenim in pluribus morbis, ſed potiſſimum in hecticis fluidorum filamenta cum ſalinis plus juſto particulis aſſociata fuerint, deficiente balſamico ſulfure, ab iis in motu fluidorum circa proprium axem continuo rotantibus, aſperis, inæqualibuſque ſuperficiebus, quibus undequaque circumſcribuntur, ægerrime lacerantur. Diſſoluta autem & rupta filamenta ſanguinis naturalis mixtionis vitio nullo aggere, nullo vinculo ſerum frænant ac muniunt, quin ſumma libertate, tenuitate ac motu fluens copioſius & velocius in miliares glandulas, ab iis uberrima tranſpiratione per cutim exeat, ſudores ægerrimos & moleſtiſſimos allaturum; hinc macies & tabes, languor & deliquia ſuperveniunt. Hæc & plurima alia tum a defectu, cum ab exceſſu tranſpirationis cutis vitio evenire poſſunt incommoda, quæ toti animali communicata, fluida ſolida ſummo naturæ damno evertere poterunt. Hæc breviter de morboſis ſolidorum motibus ſufficiant. Mechanici tamen morborum Operis complemento proderit, ſi denique Mechanicam morborum deſumptam a motu febrium, Deo juvante, ageremus.

MECHA-

MECHANICES MORBORUM
PARS TERTIA,
DESUMPTA A MOTU FEBRIUM.
BENEVOLIS MEDICINÆ TYRONIBUS.

PRaxis Medica, quam quotidie profiteor, & febrium phænomena attentissime observata expositam febrium Theoriam, Lectores Benevoli, me docuerunt; ut autem facilius innotescant, quæ hic dicturi sumus, Tyrones primo monitos volui. Cum corpora elastica, & non elastica sint numero, pondere, superficie, motu, &c. seu momentis omnino diversa, hæcque in actione & reactione pro minima, & æquabili mixtione obtinenda inter se esse debeant, ut naturale æquilibrium massæ sanguineæ habeatur,& conservetur,placuit pro hypothesi arbitrari,summam momentorum corporum elasticorum æqualem esse summæ momentorum corporum non elasticorum; quia vero sanguinis constitutio non sinit eandem,ac præcisam servari diversorum elementorum componentium quantitatem; propterea (quantum in re tam obscura conjectari potest) jure arbitratum est, naturam ea lege hacque methodo partiri summas momentorum corporum elasticorum, & non elasticorum, ut si momentum alicujus corporis elastici sit in aliqua ratione inæqualitatis ad momentum alterius corporis non elastici; ita reciproce tertium quoddam momentum corporis non elastici sit in eadem ratione specifica inæqualitatis ad quartum momentum corporis elastici alterius generis,& sic successive,&c. tali semper servato ordine,quo summæ momentorum corporum elasticorum, & non elasticorum sint æquales inter se, quacunque proportione momenta ipsa sint distributa in massa sanguinis. Secundo, ut aliter explicetur hypothesis, supponamus ex singulis massis elasticis simul sumptis fieri massam A, ex singulis vero massis non elasticis simul sumptis fieri massam B, quia ex hypothesi summa momentorum corporum elasticorum æqualis esse debet summæ momentorum corporum non elasticorum, erit ut massa A ad massam B, ita reciproce celeritas massæ B ad celeritatem massæ A;ex qua proportione colligitur æqualitas præsupposita momentorum elasticorum, & non elasticorum inter se. Tyrones itaque vel primo conceptu intelligant momenta corporum, vel secundo; semper momenta corporum elasticorum, & non elasticorum erunt in ratione æqualitatis, aut quasi æqualitatis, quorum necessario opere nexus, unio æquabilis, & minima mixtio elementorum omnium in naturali statu haberi debuerunt. Hisce prænotatis, hanc *Febrium Mechanicam* tres in partes dividendam esse censui; prima quidem *universales Febrium anomalias*; secunda *intermittentium Febrium causas, symptomata, legem & ordinem frigoris & caloris*; tertia vero *continuas Febres agit & quærit*. En itaque completa *Mechanices Morborum desumptæ a Motu fluidorum, solidorum, & Febrium Theoria*; supereſt, ut consilio potissimum celeberrimi professoris Alexandri Maccope, ne praxis quoque medica mechanico ratiocinio fraudetur; quartam partem *Mechanices Remediorum* superaddere curemus, quam totis viribus, Deo dante, exequi conabimur. *Valete*.

Cum quatuor illa sint, ex quibus compositum est corpus, terra, ignis, aqua, aer, horum naturalis excessus defectusque, & ex proprio loco in alienum translatio, per quam, quod sibi conveniens est, non tenent, intestinam quandam seditionem, & morbos inferunt; quando enim præter naturam unumquodque fit, aut transfertur, calescunt utique, quæ non frigebant, arida madent, gravescunt levia, & cætera omnia similiter permutantur; solummodo vero idem aliquid sibimet secundum idem, atque similiter, & debita proportione servata accedens, vel decedens, permittet se idem sibi ipsi sospes, integrumque manere, quod autem aberrat, sive accedendo, sive decedendo mutationes varias, morbos, corruptiones infinitas inducit. Plato in Timæo.

DISSERTATIO PRIMA.

De Febribus in genere.



Andiu vivimus, quandiu movemur, tunc morimur, cum fluida & solida deficiente motu desinunt, tum sani vivimus, cum fluidorum & solidorum motus ordinati sunt, æquales & isochroni; tum maxime ægrotamus, cum utrorumque motus inordinati sunt, inæquales & asymmetri. Hæc est idea sanitatis & ægritudinis; hæc vitæ & mortis origo, ac principium est. Cum *n. 3. & seq. Part. 1. Mechanices Morborum*, motum pressionis, ejusque phænomena satis consideravimus a quo filamenta sanguinis continuo atteruntur, minimasque in particulas quodammodo infinite parvas dividuntur, ut intimior, facilior ac perfectior fiat earundem particularum mixtio; æquum est, ex perfecta, ordinata & æquabili mixtione earundem naturalem temperiem, ac statum sanguinis; ex imperfecta vero, inordinata & inæquabili earum mixtione præternaturalem intemperiem, febrilemque indolem massæ sanguinis habendam esse: ex variis nimirum mixtionum gradibus, ordinibus ac legibus emergere ex practicis phænomenis mihi visæ sunt universæ febrium anomaliæ. Omissa itaque communi febrium definitione, quam tot celeberrimi viri undequaque docuerunt,aliter placuit definire, & definitione quidem, quæ mechanicæ legibus commodius satisfacere videatur.

Febris definitio.

2. *Febris ergo universaliter morbus,est motus asymmeter mixtioni elementorum massæ sanguinis cum inequali aut dissimili excessu,vel defectu proportionalis velocitatis fluidorum & solidorum*. Cum in corporibus quibuscunque tum naturalibus, cu artificialibus ex determinata proportione mixtionum elementorum componentium diversæ fiant superficies, diversæ figuræ, diversi colores,diversi motus,& diverse vires naturę componentium proportionales; divini enim Platonis in Theætero enunciatum est *ex latione,motuque,& alterna commixtione fiunt omnia,quæ esse dicimus*;ita quidem equa temperies & naturalis constitutio sanguinis ab ordine, & determinata lege mixtionem corporum componentium unitate naturę habenda erit. Verum quamvis manifesta videatur lex determinatæ mixtionis in naturali massa sanguinis,adhuc tamen querenda esset specifica proportio corporum miscibilium, ut naturalis temperies & naturalis constitutio sanguinis habeatur,&conservetur. Enimvero cum elementa massam sanguinis componentia sint inter se diversa mole,figura,superficie,pondere,moru ac numero, certe horum momenta inæqualia actiones & reactiones semper ederent inæquales & asymmetras cum directionibus eorundem inæqualibus & inordinatis,quæ non nexum & unionem sanguinei compositi tantis naturæ actionibus necessarium conciliarent, & suinerent, sed laxiratem, & dissolutionem. Hinc pro æqua unitate compositi ex geometricis & mechanicis legibus statuendum, corpora,quæ *elastica sunt & actuosa,motuque velociore prædita*,numero,mole ac pondere proportionalirer minora esse;corpora vero, quæ *inertia sunt & non elastica, motuque tardiore donata*, mole, pondere ac numero proportionaliter esse majora. Ita sane *facta ratione reciproca,aut quasi reciproca momentorum* corporum componentium velociora & elastica cohibentur & frænantur ab inertibus,tardioribus & gravioribus; & vicissim inertia, graviora & tardiora a velocioribus & elasticis communicatione massarum & virium *reciproce*, *aut quasi reciproce* adjuvantur. Id sane juvabit unice, ut in æqualitate momentorum actiones & reactiones corporum sint ordinatæ, æquabiles & unimodæ cum regulari lege,ac ordine directionum unitatem ac complexum sanguinei compositi unitate naturæ sustinentium & conservantium;consilio autem addidi,aut *quasi reciproce*, cum fatear, momenta corporum miscibilium non semper perfectissime in ratione reciproca futura esse inter se,ut omnino inter se equipolleant;tunc enim geometrica & perfectissima sanguinis temperies& cónstitutio haberetur;verum cum aliqualis excessus,aut defectus momenti alicujus corporis supra momenta aliorum non id vitii parere possit unitati compositi,ut compositum notabiliter everrat;ideo momenta corporum in statu æqualitatis,aut æquipollentiæ considerandа erunt inter se, quamvis ratio reciproca momentorum non tam rigorosa habeatur; ob aliqualem itaque excessum,aut defectum momenti alicujus corporis supra rationem reciprocam reliquorum momentorem dici potest in aliquibus servata unitate compositi sanguinei temperies serosa, in aliquibus temperies ac constitutio &c. sed de hac re satis. Certum est,hanc necessariam rationem reciprocam momentorum particularum sanguinis pro necessaria,ac naturali unitate compositi haberi perfecte nullo modo posse, nisi prius perfectissime elementa inter se misceantur; tantæ enim mixtionis opera fiunt intimi contractus, intimi occursus, intime & equabiles actiones, & reactiones eorundem,quorum magisterio particulę componentes ad dimensiones inter se homologas paulatim redactæ momenta elementorum reddunt inter se reciproce, aut quasi reciproce proportionalia. Cæterum si vitio perfectissimæ mixtionis hæc deficiant, contactus & occursus corporum erunt inter se inordinati, inæquales & asymmetri, actiones & reactiones inordinatæ, inæquales & symmetræ, & momenta elementorum componentium enervara naturali unitate compositi sanguinei, inordinata fient, inæqualia & asymmetra, quæ omnia evenire in febribus verisimile est. Quamvis autem in febribus particulæ sanguinis plerunque præter legem velociores esse soleant,

attamen cum aliquando accidat etiam præter legem tardiores esse, consultum fuit *excessum, aut defectum proportionalis velocitatis* accuratissime adnotate. Sanguis enim in febribus non semper peccat velocitate, sed etiam tarditate; proinde cum velocitas & tarditas supra aut infra naturæ leges extiterint, semper febrile vitium consequi necesse erit. Denique cum perfectissimæ mixtioni elementorum, & æqualitati momentorum massæ sanguinis prosit necessario *æquabilis motus, & oscillatio organorum*, idcirco cum inæqualis fuerit, inordinatus & asymmeter motus solidorum, jure mixtiones corporum, actiones & reactiones, & momenta eorundem elementorum massæ sangninis inæqualia erunt, inordinata & asymmetra febres factura. Ex his brevitatis & claritatis gratia prænotandum est, nos *intimam, minutissimam, perfectissimamque mixtionem elementorum massæ sanguinis, quorum beneficio fiunt actiones & reactiones æquabiles corporum inter se, eorumque momenta existentia in ratione reciproca debito æquilibrio, aut quasi æquilibrio inter se æquipolleant, apta unitate compositi sanguinei, æquilibrium mixtionis massæ sanguineæ* imposterum esse appellaturos.

3. Definitione febrium breviter exposita, decursu enim orationis ultro constabit; ordo exigit febres dividere, divisione tamen simplici in *Intermittentes* & *Continuas*. De intermittentibus autem in secunda; de continuis in tertia dissertatione agendum erit: interim ut generales febrium affectiones, & anomalias accuratiori examine inquiramus, juvat hic primo expendere *momenta & vires corporum elasticorum, & non elasticorum inter se*; secundo *proportiones eorundem respectu seri, in quo innatant*; tertio *proportiones seri, reliquorumque elementorum respective ad vasa continentia, & nervos* vasa circumscribentes. Elementa itaque *actuosa seu elastica* massam sanguinis componentia jure dici possunt *particulæ sulfureæ*, quas elasticas pluribus in locis de principio sulfureo ostendit celeberrimus Gulielminus; *particulæ aereæ*, quas in sanguine observaverat Boyleus; & *globuli plano-ovales* Lewenhockio observante; & quæcumque alia elastica, si quæ sint, minoris tamen momenti. Elementa vero *inertia seu non elastica* massam sanguinis componentia numeramus *salia cujuscumque generis*; particulas *aqueas, seu serosas*, cum tam aqua, quam serum ejusdem sint indolis; cum vero aqua communis ab experimentis celeberrimæ Academiæ Florentinæ nullatenus elastica experta sit, ob id serosas sanguinis particulas non elasticas esse firmiter putandum est: *terreæ quoque damnatæ*, si quæ sint in massa sanguinis, inertia & non elastica elementa habendæ erunt. Cum superius indicatum sit, momenta corporum elasticorum in naturali temperie massæ sanguinis futura esse in ratione reciproca, aut quasi reciproca cum momentis corporum non elasticorum; cumque momenta corporum sint ut rectangula composita ex massis horum ductis in suas velocitates, erunt massæ corporum elasticorum ad massas corporum non elasticorum ut reciproce sunt velocitates horum ad velocitates illorum. Hæc quidem proportio unionem & nexum fluidorum sustinet: hæc æquabilem solidorum oscillationem promovet; præter cætera beneficia vires vivæ corporum elasticorum, & solidorum oscillationes id præstant, ut minimi canales ab æqua elasticitate fluidorum circulantium, & ab æquabili oscillatione solidorum aperti consistant: hinc sanguis ab arteriis in venas, & cætera fluida ab uno canali in alium facile transeunt. Ob id in senibus facile solida impedita arescunt & pigrescunt, & fluida lentescunt, cum in his vires elasticæ fluidorum inertes sint, & solida ægræ oscillent. Itaque vel externi, vel interni; vel mixti agentis vitio corpora primo actuosa & elastica non eam rationem habeant reciprocam cum corporibus inertibus; sed elastica corpora habeant rationem majoris inæqualitatis respective ad corpora inertia seu non elastica. Cum corpora elastica in hoc statu suos habeant gradus velocitatis numero eorundem proportionales, erunt quoque velocitates corporum elasticorum in multo majori ratione majoris inæqualitatis respectu corporum non elasticorum: cum vero momenta corporum elasticorum, cæteris paribus multo majora supponantur momentis corporum non elasticorum, hæc multo majorem impetum efficient in corpora inertia, quam ut opportuna ratione ista illis possint resistere; cum ergo nulla fieri possit æqua & opportuna actio & reactio corporum elasticorum & non elasticorum, nulla quidem fiet naturalis & æquabilis mixtio eorundem in sero sanguinis; deperdito autem mixtionis æquilibrio excessu corporum elasticorum febres continuæ erunt orituræ, Quod si corpora elastica minorem rationem habeant respectu corporum inertium, multo minor quoque in data ratione futura erit velocitas corporum elasticorum, quid ergo? ex defectu velocitatis horum gravior eveniet inertia corporum non elasticorum, major sequetur contactus corporum inertium inter se, & gravius horum pondus ac momentum erit futurum. Verum cum ex majori contactu corporum inertium, horum superficies augeantur in ratione duplicata, & horum moles ac pondera in ratione triplicata laterum homologorum; hæc inertia corpora & superficie & mole tam adaucta impedient viam, transitumque liberum serosis potissimum, elasticisque corporibus, ut ægre, aut imperfecte misceri inter se possint: taliter affecta massa sanguinis lentior jure fiet, densior ac ponderosior; quinimo adauctis hoc gravi onere salium momentis, salsa corpora angulis, quibus circumscribuntur, membranas vasorum, cæteraque membranosas superficies, per quas undequaque excurrunt, solicitabunt, molestoque stimulo rigores, horripilationes, cæteraque frigoriferæ sensationis phænomena efficient, ut in febribus intermittentibus passim experimur, de quibus suo loco dicemus.

4. Non tantum necessaria est proportio reciproca momentorum corporum elasticorum & non elasticorum inter se; verum cum in naturali temperie massæ sanguinis observante Boyleo serum ad partes consistentes esse debeat in ratione tripla, aut quasi tripla, videlicet ut 3. ad unum, hæc semper ratio majoris inæqualitatis partis fluidæ ad partes consistentes reliquorum corporum admittenda erit, quæ est inter 3. ad 1. Si itaque solida, & consistentia corpora excedant excessu $\frac{1}{1}$, tunc ratio seri ad consistentia corpora erit 3. ut ad $1. + \frac{1}{2}$; si vero deficiant defectu $\frac{1}{1}$ erit quoque ratio seri ad corpora consistentia ut 3 ad $\frac{1}{2}$: Cum autem ratio seri ad elementa quælibet consistentia ac solida esse naturaliter debeat, quam proxime ut 3. ad 1. certe tam in supposito excessu, quam in defectu mutabitur determinata & naturalis ratio majoris inæqualitatis, quæ est inter 3. ad 1. quod sane grave vitium erit, si diu perduraverit. Vitio enim excessus corporum solidorum seu consistentium in fluido sanguineo majori numero permiscentur solida corpora cum fluido, quam exigunt vires fluidi sustinentis: Cum enim corpora innatantia in fluido sustineantur suspensa opera suarum superficierum; quæ augmento corporum similium cum crescant in ratione duplicata laterum homologorum, horum autem moles crescant in ratione triplicata laterum eorundem, & hæ sint ponderibus proportionales, manifestum est, ex majori contactu solidorum corporum inter se in fluido sanguineo plus augeri moles & pondera, quam superficies, a quibus superficiebus tantummodo sustineri commodius possunt; adauctis ergo molibus & ponderibus corporum solidorum supra eorundem superficies non apte ac facile sustineri, moveri ac trajici undequaque possunt in sero sanguineo, ut solida cum liquidis perfectissima ratione misceantur. Si vero plus deficiant solida corpora, quam par est, hæc nimis sejuncta inter se excessu fluidi interpositi directiones motuum acquirent naturalibus directionibus asymmetras: & sane cum massæ sint ponderibus proportionales, erit massa seri cum quantitate corporum solidorum $\frac{1}{2}$ specifice levior massa illa seri cum quantitate naturali corporum solidorum ut 1. hinc massa seri cum quantitate corporum solidorum $\frac{1}{2}$ rarior erit massa illa seri cum quantitate corporum solidorum ut unum; ideo massa eri continens corpora solida ut $\frac{1}{2}$ cum sit rarior altera, transibunt contenta solida per grandiores areas seu porositates seri sanguinei absque occursu debitarum resistentiarum; cum vero rarius, leviusque serum non ea virium proportione resistat momentis corporum elasticorum, & non elasticorum, quantumvis numero minorum, elastica quidem corpora & non elastica per vias ac directiones itura erunt non sibi naturaliter homologas velocitatibus, nullatenus æquilibrio massæ sanguinis proportionalibus. Pariformiter vitia mixtionis in sanguine facile occurrunt ab excessu seri, aut defectu ejusdem: cum serum naturaliter esse debeat in ratione tripla, aut quasi tripla respective ad solida & consistentia corpora; si serum excedat, aut deficiat, æquilibrium mixtionis everti necesse est; sero enim adaucto, cum hoc sit notabiliter gravius aqua communi, ut *num. 16. primæ Partis* dimensi sumus, non legem pressiorem affert vasis continentibus; hæc autem nimis undequaque distracta, ac violenter ad majorem superficiem extensa ab adaucto momento distractionis fibrarum impedient æquali tempore homologum momentum contractionis earundem; cum autem ex momento distractionis fibrarum canales investientium, & ex homologo momento contractionis earum temporibus æqualibus adjuvetur magnopere necessarium opus æquabilis mixtionis solidorum corporum cum fluidis, sero quidem nimis adaucto, & adauctis pariter seri viribus in reliqua corpora debitum mixtionis opus impediri necesse erit. Si autem deficiat serum infra leges naturalis quantitatis, fluido quidem imminuto, minor fiet velocitas sanguinis, & solida corpora lentiori pede mota, majorique contractu adaucta, ut supra quoque demonstravimus, lentiori pede movebuntur; ex fluido itaque imminuto, & ex corporum solidorum lentescentia iners quidem fiet, & imperfecta mixtio corporum inter se, ut male fluida cum solidis permixta æquilibrentur. Videantur quæ numeris 4. 5. 6. & 14. primæ Partis adumbravimus, ne jam dicta hic inepte repetantur.

5. Elementorum sanguinis elasticorum & non elasticorum proportionibus ac momentis satis expensis, modo necessarium est pro febrium phænomenis explicandis, rationes crassamenti sanguinei, sive filamentorum seri concrescibilis (filamenta enim seri concrescibilis, & crassamenti sanguinei sub eodem nomine usurpamus) paucis ultro expendere: Itaque præsupposita filamenti seu crassamenti sanguinei existentia, quam Boyleus & Lewenhockius satis superque experimentis docuerunt, & confirmarunt, juvat instituto nostro usurpare, quæ celeberrimus & immortalis famæ Jacobus Hermannus. (*a*) paucis edocuit; fluida nempe alia esse *Homogenea*, alia vero *Heterogenea*. *Fluida Homogenea seu uniformiter gravia ea dici possunt, quorum densitas, crassities & motus per universam massam uniformes sunt, & pondera ipsorum absoluta massis eorum proportionalia sunt. Fluida vero Heterogenea, seu difformiter gravia* ea dici poterunt, *quorum densitas, crassities & motus per universam fluidi massam non uniformes sunt, nec pondera fluidi massis proportionantur*. In statu itaque naturali massa sanguinis, quod ad densitatem attinet, crassitiem, pondus & motum talis esse debet, ut densitas, crassities & pondus corporum componentium, & filamentorum, neque nimis comprimantur inter se, neque filamenta adeo tenuia sint, ut a necessaria pressione, ac pondere deficiant; sed talis mediæ densitatis, ac talis mediæ crassitiei, talisque medii ponderis esse debent elementa, & filamenta crassamenti sanguinei, ut pressionem efficiant momentis vasorum continentium, & momentis corporum contentorum proportionalem; ita enim servata opportuna unione, servatoque debito nexu ac contactu corporum fluidorum inter se, reciproca eorundem mixtio seu mixtionis æquilibrium sustinebitur. Deinde elementa & filamenta massæ sanguinis, cæteris paribus, uniformiter densa, uniformiter crassa ac gravia per universam sanguinis massam esse debuerunt, ne varia eorum pondera in diversis vasorum locis inæqualia vasorum momenta afferant, non levi vitio æquilibrii mixtionum. Ulterius si filamenta retis in modum probabiliter elaborata judicentur, angulos necessario describent modo majores, modo minores, dum a majoribus sectionibus vasorum transeunt in minores, & vicissim dum a minoribus in majores restituuntur. Hæ quidem angulorum mutationes esse debent sectionibus continentium vasorum, & momentis corporum contentorum proportionales. E contra ut inferioribus, nec non in sanguine arterioso ac venoso, sicut & in succo nerveo & lymphatico præternaturalibus evenit, si massa sanguinis quod ad densitatem pertinet, pondus & crassitiem elementorum & filamentorum fuerit heterogenea, inæqualis nempe, & dissimilis texturæ; tunc ratione majoris, aut minoris inæqualitatis, inæquales fient pressiones corporum elasticorum & non elasticorum, diversæ & inæquales pres-

(*a*) Pag. 127. Phoronom.

preſſiones in vaſis continentibus, & inæqualia fient pondera cæteris paribus in diverſis vaſorum ramificationibus; variæ proinde ac diſſimiles fient in areis reticularibus angulorum inclinationes, diſſimiles motus ac directiones eorundem; inæquales propterea ac diſſimiles corporum elaſticorum motus, ac mixtiones cum notabili ac continuo ſeparandorum corporum vitio exorientur.

6. Præſtat modo ulteriora proſequi expendendo rationes ſeri, aliorumque corporum reſpective ad vaſa continentia, ad fibras cujuſcunque generis, muſculares, nerveas & membranoſas &c. quæ neceſſariæ proportiones cum a Medicis pleruuque negligi ſoleant, non leves in Theoria, & Medica praxi errores afferunt. Ut vero hæc tam neceſſaria facilius ac clarius oſtendantur, nonnulla advertenda ſunt, eo quia a ſolidis præternaturaliter motis, aut ſe moventibus ſuſtineri poteſt ratio ſemper inæqualitatis inter momenta elementorum ſanguinis & vaſa continentia, aut inſervientia, uſque dum deperdita ratione reciproca elementorum elaſticorum, & non elaſticorum inter ſe, nec non ratione homologa fluidorum cum ſolidis, elementa ſanguinis imperfecte aut ægre miſceantur; a quibus conſequuntur febres, aut hæ longiori tempore duraturæ ſunt, cum pulſuum inæqualitate & ſtequenti cordis palpitatione. Duas itaque ab immortalis famæ viro Newtono naturæ leges inſtituto meo opportunas amplector, quarum una eſt: *Corpus omne perdurare in ſtatu ſuo quieſcendi, vel movendi uniformiter in directum, niſi quatenus a viribus impreſſis cogitur ſtatum ſuum mutare.* Altera vero eſt: *Mutationem motus ſemper eſſe proportionalem vi motivæ impreſſæ, ac fieri ſemper ſecundum rectam lineam, qua vis illa imprimitur.* Impellantur itaque a momento ſiniſtri ventriculi cordis grana ſanguinis

15
305. — quacunque ſyſtole per aortam deſcendentem (ut n. 28. pri-
33
mæ Partis indicavimus) hæc quidem ſanguinis maſſa expulſa ire debuiſſet per legem primam uniformiter in directum per lineas tangentes circularem arteriam, nempe (*in Figura* 1.) per tangentem AD motu quodam ſeu vi centriſuga, aut centrifugæ analoga; verum cum ſectiones majores arteriæ paulatim minores fiant, ſanguini per tangentem eunti in ſtatu naturali reſiſtentiam ferent in ratione perpendicularis BC ad perpendicularem DE &c. Cum autem vis centrifuga ſanguinis impulſi continuo per circulares peripherias vaſorum circumeat, & contra has continuo agat, nec vis deperdatur; hæc urgebit ſuperficiem canalis verſus quaſcunque tangentes ſeu verſus tangentem AD. Cum vero canales compoſiti ſint ex membranis, muſculis & nerveis filamentis elaſtica ſeu oſcillatoria vi donatis, cogentur poſt paſſam dilatationem ſeſe ad priorem ſtatum reſtituere. Itaque cum in ſtatu naturali momenta dilatationis vaſorum a vi ſanguinis impellentis æqualia eſſe debeant momenti reſtitutionis eorumdem, futura erit vis dilatationis vaſorum & vis centriſuga ſanguinis impellentis æqualis reſtitutioni vaſorum, ſeu vi centripetæ ſanguinis reſtituti verſus axem canalium; proinde cum momenta dilatationis vaſorum & momenta conſtrictionis eorundem, vireſque fluidorum centriſugæ & centripetæ, quæ a Mechanicis *Centrales* appellantur, eſſe naturaliter debeant in ratione æqualitatis, aut quaſi æqualitatis, conſtabit veritas ſecundæ legis, mutationem nempe motus fluidorum & vaſorum verſus centrum, ſeu verſus axem reſtitutorum debere eſſe proportionalem vi motivæ antea impreſſæ a fluido canalem dilatante & canali dilatato. Porro cum motus maſſæ ſanguinis fiat vi cordis impellentis, & vi ſeu momento conſtrictionis arteriarum, quarum vires non ſunt oppoſitæ, ſed tantummodo diverſæ a motibus ſeu viribus maſſæ ſanguineæ, hujuſmodi *Vires conſpirantes determinatum ſemper & æqualem directionis angulum comprehendent* in ſtatu naturali, cum verſus axem canalium fluida impellantur. (*a*) Quamobrem ex motu cordis, vaſorum & fluidorum æquabili, ſeu ex viribus centralibus æqualibus cum æqualibus pariter angulis directionum virium conſpirantium, elementa ſanguinis per ſuperficies circulares vaſorum continuo euntia undequaque ſimilibus, & æqualibus impulſibus verſus axem ejecta, in hoc quidem axe æqualitates angulorum occurrent inter ſe, ſimilibuſque occurſibus ſimiliter fracta, & in partes infinite parvas quodammodo ſimiliter comminuta proportionali ſemper velocitate, motu ac tempore movebuntur, momentiſque minimarum particularum reciproce agentibus, hæ particulæ juxta opportunum mixtionis æquilibrium miſcebuntur.

7. Modo ut ab univerſalibus naturæ legibus ad ſingularia deſcendamus, apertum eſt, vaſa quælibet ſanguifera ad conicam ſuperficiem accedere membranis, muſculis, nerviſque undequaque munita, quorum fibræ aliæ rectæ ſunt, aliæ quodammodo ſpirales, & circulares alteræ. Horum organorum opere vaſa ex elaſticorum corporum genere eſſe conſtat, quorum vi in ſtatu naturali a momento diſtractionis & homologo momento contractionis æqualibus conatibus extenduntur, & æqualibus viribus contrahuntur ſanguinem æquabiliter expulſura: æquabilitatem momentorum oriri putamus a fibris rectis unimode agentibus, a velut ſpiralibus & circularibus fibris æquabili ratione decreſcentibus: cum enim ſingulæ fibræ rectæ mole, figura ac directione fuerint inter ſe æquales & parallelæ, cum effectus omnes ſint cauſis ſuis adæquatis proportionales, harum momenta diſtractionis, & contractionis elaſticis ſuis viribus homologa, erunt inter ſe oſcillationibus æqualibus æqualia. Similiter ſi hujuſmodi ſpirales & circulares fibræ conicæ decreſcentes fuerint mole, figura & directione ſimiliter poſitæ; cum arcus quilibet ſint facti ex angulis, aut ſimilibus, aut æqualibus ductis in radios ſimiles, aut æquales, harum fibrarum elaſticarum ſeu oſcillantium momenta diſtractionis, & contractionis in eadem ratione ſimilitudinis, aut æqualitatis erunt futura; ſi ergo fibræ rectæ non unimoda lege operentur, ſed aliquæ tantummodo agant, reliquæ vero aut inertes ſint, aut læſæ, ineptæ quidem erunt actionibus naturalibus; cum vero motus vaſorum ſint directæ ut cauſæ adjuvantes, reciproce vero ut impedientes, erunt momenta diſtractionis & contractionis vaſorum omnimode inæqualia; cumque anguli directionum particularum ſanguinis inæquales fiant ac diſſimiles ob vires conſpirantes diſſimiles, & inæquales, opus proinde mixtionis inæquale erit, inordinatum & aſymmetrum. Ita ſi ſpirales fibræ vaſorum non ea lege deſcribant ſpatia proportionalia circulis ab ipſis ſpirarum numeris denominatis (ex Archimede de Spiralibus,) ſed diſſimilia fuerint inter ſe inepte multum vaſa contrahentur, & inepte diſtra-

Sydenham Opera Medica.

(*a*) Ex Wolfio pag. 359.

hentur; ita læſo mixtionis æquilibrio elementa ſanguinis vitioſe miſcebuntur. Verum ad pejora rueret æquilibrium mixtionis, ſi circulares fibræ fuerint mole, figura & directione diſſimiliter poſitæ, aut vitio naturæ, aut aſymmetro motu nervorum vaſa ambientium, aut muſculorum, aliorumque viſcerum inæqualiter prementium, cum enim arcus circulorum ſint facti ex angulis ductis in radios eorundem, quoties arcus fuerint diſſimiles inter ſe, futuri quoque erunt aut anguli, aut radii eotundem, aut anguli ſimul & radii inter ſe diſſimiles & inæquales; cum autem momentum contractionis vaſorum fiat ex motu peripheriæ vaſis verſus axem, cum inæquales anguli fuerint uniti inæqualibus ſemidiametris, momenta contractionis eorundem inæqualia & diſſimilia futura jure erunt; inæquales inde fient impulſus in maſſam ſanguinis cum inæqualibus directionum angulis, & elementa ejuſdem maſſæ inæquabiliter impulſa inæquali mixtione deficient. Ulterius naturalia momenta diſtractionis, & homologa momenta contractionis temporibus æqualibus fieri neceſſario debent; proinde ſi tempora quibus fiunt momenta diſtractionis vaſorum, fuerint æqualia temporibus, quibus fiunt momenta contractionis eorundem, cum tempus ſit æquale ſpatio diviſo per celeritatem, erunt ſpatia peripheriæ vaſorum decurſa in motu diſtractionis æqualia ſpatiis decurſis in motu contractionis; hinc cum ſpatia decurſa peripheriæ vaſorum in motibus contractionis & diſtractionis fuerint æqualia, & ſpatia ſint ex mechanicis proportionalia rectangulis ſub celeritatibus, & temporibus, ſpatia quidem æqualia temporibus quoque æqualibus decurrentibus velocitatibus æqualibus; quamobrem momenta contractionis peripheriæ vaſorum æqualia urgebunt ſanguinis maſſam verſus axem canalium velocitatibus quoque æqualibus eo ferme gradu velocitatis, quo eadem maſſa ſanguinis a corpore impulſa vaſa dilataverat: ex hiſce motibus peripheriæ vaſorum diſtractionis & contractionis æqualibus, quorum opera æquabiliter impellitur maſſa ſanguinis verſus axem canalium, elementa ſanguinis apte, opportune & æquabiliter miſceri conabuntur; hæc in ſtatu naturali evenient. Quod ſi momenta diſtractionis petipheriæ vaſorum, & homologa momenta contractionis inæqualibus fiant temporibus, cum tempus ſit æquale ſpatio per celeritatem diviſo, erant jure merito ex inæqualibus temporibus ſpatia decurſa inæqualia, & celeritates pariter in motibus diſtractionis peripheriæ vaſorum, & in motibus contractionis peripheriæ vaſorum, & in motibus contractionis eorundem inæquales inter ſe: peripheriis itaque vaſorum inæqualiter diſtractis, & inæqualiter contractis, inæquales fient iſtorum oſcillationes, pulſus erunt inæquales, inordinati & aſymmetri, pariterque impulſus in elementa ſanguinis erunt inæquales, & miſcela elementorum ſanguinis inordinata erit, inæqualis & aſymmetra.

8. Confert quoque naturali & æquabili mixtioni æqualitas texturæ internæ vaſorum per univerſam iſtorum longitudinem; etenim ſi interni parietes vaſorum fuerint unimode æquabiles, ſingulæ ſectiones circulares habebunt æquales ſimileſque ſemidiametros, qui ſinguli cum conveniant in puncto axis canalium, ibi æquabiliter urgebuntur homogenea elementa ſanguinis ab æquabili momento contractionis vaſorum per totam canalium longitudinem. Jam tandem in punctis axis excurrendo æqualibus temporibus æquabiliter impulſa elementa ſanguinis æquabiliter quoque miſceri poterunt. E contra eveniet, ſi nimirum interni parietes vaſorum alicubi fuerint aut callo, aut tuberculo, aut polypo aut ex convulſiva nervorum ambientium preſſione inæquales; proinde radii vaſorum inæquales erunt ac diſſimiles circumferentiis eorundem, & ſectiones decreſcendo in ratione duplicata diametrorum inæqualium, elementa ſanguinis contenta in naturali ſectione non erunt æqualia elementis ejuſdem contentis in eadem ſectione præternaturaliter poſita; quinimo cum radii vaſorum ſint ut peripheriæ eorundem, ex inæqualitate radiorum inæquales fient impulſus peripheriarum verſus axem cum inæqualibus angulis directionum; elementa ergo ſanguinis contenta in ſectionibus naturalibus diverſa ratione impulſus movebuntur, ac in ſectionibus eiſdem præternaturalibus cum diverſa mixtionum proportione, ſaltem per aliquam temporis differentiam. Verum dices, cum in aneuryſmate, varicibus, polypo, tuberculo &c. ſectiones & motus oſcillatorii vaſorum ſint inæquales in locis præternaturalibus, inordinati videlicet & aſymmetri; ergo ibi ſemper fient imperfectæ, aut ægræ mixtiones elementorum, conſequenter ſemper febres erunt futuræ. Verum placeat animadvertere, ut vero & humorales febres fiant: imperfecta aut ægra mixtio elementorum ſanguinis oriri potiſſimum debet ab improportione præcipua elementorum ſanguinis, vitio denſitatis, craſſitiei, ponderis & motus elementorum elaſticorum & non elaſticorum cum everſa naturali ratione reciproca eorundem inter ſe: deinde hæc vitia fieri debent per univerſam maſſam non in unico tantum, vel ſingulari loco, ſed in omnibus eodemque fere tempore, ut ſupra adnoravimus, & inferius ſemper magis magiſque conſtabit. Verum in aneuryſmate, in polypo, varicibus &c. quantumvis in ſingularibus hiſce locis præternaturalibus fiant mixtiones imperfectæ & ægræ, tamen cum hæ contingant tantummodo in ſolis ubicationibus ac locis aneuryſmatis, polypi, aut tuberculi, non vero per univerſum vaſorum & maſſæ ſanguineæ ſpatium; proinde in maſſa ſanguinis tranſacto loco læſo rurſus naturales reſtituentur mixtiones elementorum, & reſtituta ratione reciproca elementorum ſanguini naturalis ejuſdem temperies redimetur. Fateor quidem, vitia organica ſolidorum non parum conferre ut febres vitio elementorum ſanguinis generatæ, diuturniores & contumaciores fiant; verum non id præſtare poſſunt ſola organorum vitia, ut febres veræ efficiantur (quamvis aliquando poſſit contingere) ſed tantummodo apparentes, quid ſimile plerunque evenit primo ingreſſu chyli in ſanguinem, quo tempore in ſanis quoque corporibus fit celeritas pulſus major, gravedo quædam capiris, calor, quidam levis virium languor &c. cum enim primo ingreſſu chyli in maſſam ſanguinis elementa heterogenea chyli non ſtatim apte cum elementis ſanguinis aſſociari, uniri ac miſceri in ratione reciproca elementorum opportune poſſint, oriuntur plerunque expoſita levia ſymptomata, quæ præternaturalem ſtatum ſimulare videntur; verum tractu temporis chyli elementis opportune aſſociaris, & commixtis, heterogeneiſque corporibus per excretoria vaſcula ſeparatis prima & naturalis ſanguinis velocitas, virium robur, & capitis quies &c. faciliter reſtituuntur, verum quia aliquando non tam facile reſtitui poſſunt, ideo redeundo ad vitia ſolidorum,

cum frequentiſſime accidat in hypochondriacis, hyſtericis, convulſivis & paralyticis affectionibus filamenta nervea arteriis, & venis circumſcripta variis in locis inæqualiter arteriarum, venarumque directiones incurvare & inflectere; nulli certe praxim medicam agenti dubium eſt, ex hujuſmodi curvaturis, ex tot flexibus contrariis arteriarum & venarum, nervorum, vaſorumque lymphaticorum auferri, aut ſaltem turbari naturale æquilibrium mixtionis; hoc autem ablato, aut turbato, ſæpe ſæpius arbitratus ſum medicam praxim agens, non tantum vitio elementorum ſanguinis verum etiam vitio organorum febres lentiſſimas fieri, haſce diutiſſime perdurare; quandoquidem cum fluidum per rectas canalium directiones CDEF (*Fig.* 2.) ire naturaliter debeat, cum fibræ nerveæ convulſæ arterias, venaſque & cætera vaſa adeo inflecterent, ut a rectis directionibus tranſire cogerentur in directiones inflexas GAIHBK (*Fig.* 3.) conſtat plura incommoda tranſeunti ſanguini evenire. Primo ſiquidem in punctis flexus contrarii A & B vaſis potiſſimum ſtringunt, ſectionem neceſſario efficient cæteris punctis minorem; cum vero maſſa ſanguinis compoſita ex corporibus elaſticis, & non elaſticis tranſiens per ſectionem minorem magis comprimatur ac denſior jure fiat, & denſitates corporum elaſticorum viribus comprimentibus ſeu elaſticitatibus eorum quamproxime proportionales ſint, elatere corporum elaſticorum magis compreſſorum in ſectione præternaturali flexus contrarii A B fortior ac validior fiet elatere corporum elaſticorum minus compreſſorum in ſectione naturali LM: Hinc elementa ſanguinis tranſeuntia per ſectionem A B valde urgebunt canalem in punctis A & B flexus contrarii; cum vero nervea fiſtula contracta & convulſa valide reſiſtat dilationi vaſorum eorundem, ibi certe ob momentum nerveæ fiſtulæ comprimentis vas, & momentum corporum elaſticorum ſanguinis impellentium orietur in ſectione A B, violenta actio & reactio ſolidi cum fluido; verum cum fluidi elementa violenter impulſa directiones motuum acquirant præternaturales, inordinata quidem & aſymmetra futura erit elementorum miſcela. Secundo ex flexibus contrariis arteriarum, venarumque cum corpora elaſtica magis compreſſa fiant & denſiora in punctis flexus contrarii, hinc ob adauctas vires violentæ compreſſionis, horum momenta majora reddentur, quam par eſt; quid ergo? ibi quidem moles corporum elaſticorum & non elaſticorum non reciproca ratione proportionales eſſe poterunt velocitatibus eorundem, proinde turbabitur in maſſa ſanguinis mixtionis æquilibrium. Tertio, cum in ſtatu naturali motus corporum in uno ſpatio vaſorum eſſe debeat in ratione homologa cum motu corporum in alio ſpatio eorundem, & ſic ſucceſſive in ratione æqualitatis, aut quaſi æqualitatis, cumque in quibuſcunque punctis flexus contrarii moles corporum elaſticorum, & non elaſticorum fiant denſiores, & horum momenta fortiora, non hæc fieri poterunt homologa cum cæteris corporibus decurrentibus per alia vaſorum loca; turbabitur propterea homologa proportio motuum naturalium non levi damno æquilibrii mixtionis. Quarto, cum in punctis flexus contrarii ſectiones vaſorum fiant minores; cumque hic major fiat reſiſtentia ſanguini tranſeunti, hujus reſiſtentia advenienti ſanguini impedimento erit; moles itaque maſſæ ſanguinis magis magiſque retro intumeſcens urgebit vaſorum latera extrorſum ſupranaturales vaſorum ſectiones, mutatis naturalibus fibrarum angulis, mutatoque earundem naturali paralleliſmo. Cum vero contractiones naturales fibrarum elaſticarum ſint proportionales dilatationibus earum, cum dilatationes majores eveniant a mole majori maſſæ ſanguineæ, moles autem major momentum proportionalis contractionis impediat, major quidem futura erit dilatatio vaſorum, quam eorundem homologa conſtrictio, ſi ergo in naturali mixtione elementorum ſanguinis non ſolum eſſe debeat reciproca actio momentorum elaſticorum corporum & non elaſticorum inter ſe: verum etiam eſſe debeat homologa actio momenti diſtractionis & momenti contractionis vaſorum, oportebit opera nervorum convulſorum vaſa ſtringentium in punctis flexus contrarii mixtionis naturalis æquilibrium enervari, aut perdi. Hæc ſunt potiſſima organorum vitia, quæ naturalem mixtionis legem evertere apta ſunt, aut ſaltem gravi opere inſerviunt, ut elementa ſanguinis aſymmetro motu mixta difficilius ac tardius reſtituantur ad eum mixtionis naturalis gradum, quo momenta elementorum ſanguinis reciproca inter ſe mixtione æquilibrentur. Ex his ineptum videtur, tam facile accuſare ſanguinem lentore, viſciditate, denſitate correptum; cum ſæpiſſime hæc vitia ab inertia motus vaſorum continentium, reliquorumque ſolidorum motui ſanguinis inſervientium habeantur; ab hiſce quidem vitiis ſolidorum ſe moventium motibus aſymmetris, inordinatis, inæqualibus, aut inertibus ac lenteſcentibus aſymmetræ fient mixtiones elementorum ſanguinis; proinde ex lenta, denſiori & craſſiori reddita maſſa ſanguinis *Febres ortas Organicas* appellabimus, quæ niſi a reſtituto ſolidorum æquilibrio conſtanti ratione redimuntur, & quas in *Hypochondriacis*, *in Hyſtericis*, in *Paralyticis*, *cæteriſque nervorum & ſolidorum affectionibus ac vitiis* frequentiſſime experimur.

9. Ex his quæ uſque adhuc expoſita ſunt colligendum eſt, ſanitatem id petere, ut momenta elaſticorum corporum & non elaſticorum ſint compoſita ex ratione reciproca mixtionis eorundem inter ſe, & momenta diſtractionis & contractionis arteriarum, venarum, reliquorumque vaſorum & ſolidorum ſint inter ſe in ratione homologa, ut actionibus & reactionibus ſolidorum cum fluidis inter ſe proportionalibus æquabiles, iſochronæ & ordinatæ fiant mixtiones elementorum maſſam ſanguinis componentium. Fateor quidem, hunc perfectiſſimum fluidorum, & ſolidorum ſtatum, hanc perfectiſſimam elementorum mixtionem non tam facile ac prompte acquiri poſſe, ſed paulatim & pedetentim; chylo enim, ut ſupra etiam indicavimus, ingreſſo ſanguinem heterogeneis corporibus repleto, quorum momenta primo inæqualia ſunt & aſymmetra, hæc tamen paulatim multiplici circulationum numero prius agitanda ac movenda ſunt; per idem quoque tempus æquo & continuo motu ſeparationis glandularum, apta ac opportuna corporum heterogeneorum attritione, & ſeparatione per idonea loca rurſus depuranda ſunt; ita quidem reſtituta æqualitate momentorum, hacque rurſus æquilibrata æquabili & iſochrona mixtione neceſſarium mixtionis æquilibrium reſtituitur, & reſtitutum conſervatur.

DISSERTATIO II.

De Febribus Intermittentibus.

10 Enervato ac abolito mixtionis elementorum ſanguinis æquilibrio vel accuſari facile poteſt præpollentia corporum elaſticorum, vel corporum non elaſticorum, *Salium* potiſſimum vis præpollens: ſi corpora inertia mole, numero & motu præpolleant, *Intermittentes* facile febres orituras putandum, de quibus in præſenti tractare aggreditur. Verum cum frigoris ſenſationes oriri primo ſoleant, quæ poſtquam deſiverint, ſtatutis temporibus redire conſueſcant, claritati rei agendæ conſultum eſt; primo *ratione ac cauſa frigoris*; ſecundo *cur ſtatutis temporibus redeant febriles acceſſus probabiliori ratiocinio inveſtigare*. Ad primum quod attinet, Verulamius *de Hiſtoria vitæ, & mortis* experimentis edoctus eſt, *Nitrum eſſe tanquam Aroma frigidum*; *idque indicat ſenſus ipſe*; *inter ea quæ novimus unicum eſt & ſolum, quod ea præſtet*. Verum cum Academia Florentina non a nitro tantum, ſed potiſſimum a ſale armoniaco; a ſale muriatico fluida frigeſcere, in glaciem mutari pluries experta ſit; quinimmo ab ipſo ſpiritu vini multum fluida denſari in glaciem, ſi alia ſuperaddantur; jure credendum eſt a quibuſcunque ſalium particulis, aut corporibus quibuſcunque hiſce analogis præpollentibus frigoris affectionem habendam eſſe; & ſane cum ſalia quæcunque, aut his analoga corpora inertia & non elaſtica variis angulis rectis, aut acutis, aut obtuſis, aut ſuperficiebus hiſce analogis terminata ſint, quoties in maſſa ſanguinis momenta ſalium fluentium habuerint rationem majoris inæqualitatis reſpective ad elaſtica corpora, & non apte inter ſe commixta ſint, hæc in glandulas continuo deferentur, & ab hiſce ea vitioſe methodo ſeparabuntur (ut num. 11. primæ Partis innuimus.) Cum vero infinitus ſit glandularum in membranis, muſculis, carnibus tam externis, quam internis numerus, hic excedens ſalium ſeparatorum numerus, tot ac tanta partium filamenta, angulis, quibus circumſcribuntur circa proprios axes continuo rotantibus ſtimulabit, ea ratione motus, qua nitroſa potiſſimum, aut his analoga corpora ſolicitare ſenſoria, aut frigoris ſenſationem inducerent, docuerat Verulamius. Membranarum itaque, muſculorum ac carnium filamenta undequaque taliter ſolicitata ac ſtimulata frigoris affectionem afferent. Hic tamen anxius non quæro quinam ſit *rigor*? quinam *horror*? quænam *refrigeratio*? cum hæ frigoris differentiæ non re, ſed tantum gradu differant; has enim diſputantibus Medicis libenter relinquimus.

11. Id tamen ſi arbitramur, commodum eſt credere, phænomena frigoris non tantum a determinata corporum non elaſticorum, ſalium præcipue ſtimulantium, aut ſollicitantium actione generari, verum etiam adjuvari potiſſimum ab imminutis momentis diſtractionum & contractionum fibrarum omnium: etenim cum ſalſa corpora ſeu his analogæ ſuperficies, ac plana ſeu anguli ſolicitantes fibrarum poros undequaque occupent, aut repleant, filamenta membranarum, muſculorum & carnium &c. fient denſiora; cumque denſitates ſint ponderibus proportionales (*a*), eadem filamenta ſolidorum fient graviora, minus proinde expedita ad diſtractionis & contractionis motum exequendum; oſcillationes idcirco fibrarum fient lentæ, languidæ, aut nullæ. Ea his cum naturales fluidorum velocitates a fibris negligenter aut pigre oſcillantibus non opportune promoveri poſſint, hæc fluida lentiora facta non eum circulationum numerum, non eum mixtionis motum abſolvent neceſſario coloris gradui, æquiſque naturæ operibus ac temporibus deſtinatum; ob id cum lenteſcentium fluidorum conſuetudo, ac lex videatur, graviora corpora undequaque deponere, jure in glandulis viſcerum impuritates, in pulmonum glandulis fæculenta corpora deponentur, ut inde ex fibrarum ſeu ſolidorum oſcillantium interna, & ex lenteſcentia fluidorum, fæcumque hypoſtaſi obſtructiones, interni tumores, anxietates, difficiles anhelitus, ſuffocationes, pulſus duri ac lenti, contracti ſæpiſſime cum moleſta tuſſi durante frigoris paroxyſmo evenire conſueſcant. Hinc cum innumera eveniant in tota glandularum familia ſeparationis vitia, conſulendum putavi ſtudium operis celeberrimi Petri Antonii Michelotti *de ſeparatione fluidorum in corpore animalium*; hoc enim duce adepta æquæ ſeparationis methodo, vitioſæ glandularum ſeparationes clarius innoteſcent.

12. Quid plura? Expoſuimus num. 6. maſſam naturalem ſanguinis præter mediam craſſitiem, denſitatem ac pondus filamentorum hanc in arteriis a majori ſectione in minores tranſire, & a continuo momento diſtractionis & contractionis canalium continentium continuos impetus excipere, quorum opera reticulares areæ filamentorum conantur eſſe in continua mutatione angulorum, fient propterea reticulares anguli modo majores, cum arteria dilatatur, modo minores, cum arteria conſtringitur: ſimiliter corpora quæcunque elaſtica contenta in maſſa ſanguinis, nec non in lymphatico, nerveoque ſucco ſtringentur magis inter ſe & comprimentur, cum arteriæ a momento contractionis contrahuntur, & a majoribus ſectionibus in minores tranſeunt, e contra vero rarefient & dilatabuntur hæc, cum a minoribus ſectionibus in majores tranſeunt; & a momento diſtractionis dilatantur & extenduntur arteriæ. Iraque ſi momentum conſtrictionis arteriarum ita fuerit proportionale compreſſioni corporum elaſticorum, ut ita ſit contractio arteriarum ad compreſſionem corporum elaſticorum; ut momentum dilatationis arteriarum eſt ad dilatationem corporum elaſticorum, & permutando ita ſit momentum conſtrictionis arteriarum ad momentum dilatationis earundem, ut eſt contractio ſeu compreſſio corporum elaſticorum ad dilatationem ſeu rarefactionem eorundem; tunc cum filamenta maſſæ ſanguineæ ſint ſemper in proportionali aut ſimili mutatione angulorum, utique filamenta maſſæ ſanguinis eundem gradum, eandemque menſuram denſitatis, craſſitiei, ponderis ac motus naturali temperiei ſanguinis homologam ſuſtinebunt; hoc in ſtatu motus ſyſtolis & diaſtolis cordis & arteriarum erunt motibus maſſæ ſanguineæ æquabiliter proportionales; pulſus erunt æquabiles, ordinati & iſochroni ab elaſticis hiſce viribus corporum elaſticorum, proportionalibus elaſticis oſcillationibus canalium, minima horum oſcula aperta, & actuoſa conſervantur, & filamenta ſanguinis & reliqua corpora inertia prompte ac facile ab arteriis in venas regulari communicatione trajiciuntur. Cæterum ſi momentum contractionibus arteriarum non fuerit proportionale, ac ſimile

(*a*) Ex Vvolfio pag. 363. Mechan.

le contractioni corporum elasticorum, & vicissim momentum dilatationis arteriarum non fuerit simile dilatationi corporum elasticorum, & permutando momentum constrictionis arteriarum non sit proportionale momento dilatationis eorundem: pariterque contractio, seu compressio corporum elasticorum non sit homologa dilatationi seu rarefactioni corporum elasticorum eorundem; tunc cum effectus semper sint suis causis adæquatis proportionales, arguendum erit, filamenta & reliqua corpora inertia seu non elastica, componentia temperiem ac constitutionem massæ sanguinis inæqualibus ac dissimilibus densitatis, crassitiei, ponderis & motus gradibus esse affecta, ut quacunque temporis differentia fieri semper debeant inæquales ac dissimiles motus, & mutationes angulorum in areis reticularibus; quo in statu filamenta sanguinis, & reliqua corpora inertia, quod attinet ad densitatem, crassitiem, pondus ac motum efficient motus systolis, & diastolis cordis & arteriarum motibus massæ sanguineæ dissimiles & improportionales, dissimiles pariter fient pulsuum distractiones & contractiones, quinimmo aliquando fient pulsus duri, contracti ac lenti. Ulterius si obstructis potissimum mesenterii & omentis glandulis sanguini per meseraicas venas ab intestinis ad hepar ascendenti (ut scienter animadvertit immortalis faniæ Professor Morgagnus pag. 3. Adverss. Anat. 3.) non opportuna ac debita ratione ac numero misceantur oleosæ & balsamicæ particulæ, procul dubio hæ impedita bilis separatione aut enervata in hepate, massam sanguinis & lympham densiorem, crassioremque reddent; a densitatibus itaque & crassitiebus elementorum seri & crassamenti sanguinei minima canalium oscula, necnon glandulæ omenti & mesenterii obstruentur, & impedita ab arteriis in venas circulatione obstructiones, & reliquæ præternaturales hypostases enascentur. Ex his fibrosum sanguinis crassamentum, quod continuo ex chyli elementis ac filamentis enutritur, elaboratur & crescit, si ex chyli densioris consortio densius fiat, crassius ac ponderosius, areæ reticulares crassamenti sanguinei minora certe spatia circumscribent, juxta rationem adauctam crassitierum ac densitatum filamentorum circumscribentium, & rationem adauctam corporum inertium, quorum omnium momenta habent hic rationem majoris inæqualitatis respective ad momenta corporum elasticorum per aliquam saltem temporis differentiam. Proinde elastica corpora contenta stringentur nimis ac comprimentur: inimo cum serum & seri portio concrescibilis circumscribant undequaque elementa sanguinis, hæc & a sero & a seri parte concrescibili stringentur & comprimentur magis magisque elastica corpora; itaque cum areæ reticulares in statu naturalis dilatationis, & alia quælibet spatia, per quæ globuli plano-ovales, & alia corpora elastica observantibus Boyleo & Lewenhockio excurrunt, ad eadem spatia & areas in statu præternaturalis constrictionis sint, ut figuræ similes inter se, hæ autem decrescant in ratione duplicata suorum diametrorum; utique si spatium areæ in statu naturalis dilatationis fuerit ut 1. decrescens patium areæ ejusdem in statu præternaturalis constrictionis futurum erit $\frac{1}{4}$; Si ergo in spatio naturalis dilatationis areæ reticularis ut 1. contineantur 8. corpora elastica, in spatio ejusdem areæ præternaturaliter constrictæ contineri tantum poterunt elastica corpora ut 2. & sic proportionaliter successive in totis areis reticularibus massæ sanguinis. In statu itaque præternaturalis constrictionis arearum omnium elastica corpora contenta stringentur, & comprimentur in ratione ut 6. Quis non videat, ex tam forti filamentorum massæ sanguineæ, reliquorumque corporum inertium densitate, crassitie ac pondere, ex tam determinata arearum, aut aliorum componentium elementorum unione nimis stricta ac angusta comprimenda ac stringenda esse valide elastica corpora, ut non eum naturalem motum ac velocitatem in tali statu possint acquirere? Imminuto propterea elasticorum corporum spatio, aliarumque particularum tangentium motu ac velocitate, tantum caloris detrahendum erit a massa sanguinis, quantum motus & elasticitatis a particulis elasticis, & non elasticis se tangentibus subtractum est; quamobrem cum calor consistat in concitatiore motu quarumcumque particularum elasticarum, & non elasticarum, imminuto quidem spatio, motu & elasticitate naturali earundem; calorem quoque sensibiliter imminui necessarium est, hinc data proportione *affectio frigoris* superveniet major, vel minor juxta majorem, aut minorem compressionem corporum elasticorum vi majoris, aut minoris crassitiei, densitatis & ponderis corporum non elasticorum, quorum inertia magis, vel minus imminuitur elasticitas, motus, actio & reactio quarumcunque particularum elasticarum, & non elasticarum inter se.

13. Sed non diu elastica corpora in statu violento compressionis præternaturalis detineri possunt, sed tantummodo per temporis differentias, modo majores, modo minores juxta majorem, aut minorem crassamenti sanguinei, & seri compressibilis ambientis densitatem, crassitiem, pondus, & motus inertiam in particulis elasticis & non elasticis, propterea frigoris sensationes non continuæ, sed per tempus erunt duraturæ; & sane elasticorum corporum massæ violenter in minora volumina compressæ conantur tandem aliquando sese dilatare quaquaversus ad majora volumina viribus comprimentibus reciproce proportionalia; postquam ergo hæc violenter determinatum seu ultimum compressionis gradum sustinuerint, sese validissime undequaque dilatare conabuntur; corpora itaque elastica, cum particulas non elasticas ipsis commixtas quaquaversus tangant, undequaque impetus & impulsus efficient in tangentia quæcunque corpora non elastica. Cum vero hæc resistant in ratione suarum soliditatum, restituent elasticis corporibus impetus ac impulsus motibus jam impressis proportionales; sic communicata vicissim actione & reactione corporum elasticorum cum corporibus non elasticis, singula corpora movent & moventur, urgent & urgebuntur; verum cum impetus corporum elasticorum sese dilatantium ad majora volumina objecta, & tangentia corpora non elastica sint ratione composita ex numero corporum elasticorum, & summa motuum dilatationum eorum, manifestum est, quam magna futura sit actio & reactio, expansio, rarefactio & dilatatio quaquaversus elementorum cujuscunque generis corporis elastici & non elastici massæ sanguinis. Ut autem hæc accuratiori examine expendantur, placeat eligere ex corporibus elasticis solas aeris particulas contentas in massa sanguinis, ut experimenta Boylei docuerunt. Cum vis elastica aeris elevet aquam ad pedes 32. circiter, & ratio ponderis seu gravitatis specificæ aquæ nostræ communis (quam invenimus pag. 54. primæ Partis) ad pondus seu gravitatem specificam sanguinis sit ut 1749. ad 1886. seu proxime ut 1. ad 1. $\frac{75}{137}$ innotescet, quantum elevanda fuerit massa sanguinis vi elastica ejusdem quantitatis aeris; etenim cum vires elevent pondera diversa ad altitudines ipsis ponderibus reciproce proportionales (*a*) vis elastica aeris elevans aquam ad pedes 32. circiter, elevatura erit massam sanguinis, cæteris paribus, ad pedes 31. $\frac{75}{139}$ proxime; si enim fiat analogismus ut pondus, seu gravitas specifica sanguinis 2. $\frac{1}{137}$ ad pondus, seu gravitatem specificam aquæ communis, ita fiant reciproce pedes 32 circiter ad quartum terminum proportionalem, utique constabit pro quarta proportionali pedes 31 $\frac{75}{139}$ massæ sanguineæ fore respondentes, ut enim 1 $\frac{1}{137}$. 1. : : 32. 31. $\frac{75}{137}$ proxime. Cum vero eadem sit proportio pedis ad pedem, ac lineæ ad lineam, & particulæ lineæ ad particulam lineæ, vis elastica aeris proportionalis vi motivæ aeris contenti in sanguine proportionaliter, cæteris paribus, elevare poterit sanguinem ad particulas lineæ 31 $\frac{75}{139}$ in canalibus ascendentibus, in quorum ascensu magna adest resistentia ad motum; quod si canales fuerint descendentes, aut inclinati, aut horizontales, in quibus nulla est ad motum resistentia, quinimmo facilitas & propensio ad motum juxta rationes a mechanicis jam determinatas, quas non vacat hic repetere, apertum est, quantum vis proportionalis elastica aeris massam sanguineam urgere poterit ac movere. Porro si a solo momento particularum aeris in sanguine contenti tantum moveri ac urgeri poterit massa sanguinis; quid sentiendum erit, si viribus elasticis aeris ultro addantur momenta sulfurum, & elastica momenta globulorum plano-ovalium &c. certe quam maxima futura erit massæ sanguineæ rarefactio, extensio & motus in ratione nempe composita ex momento cordis sanguinem impellentis, momento elastico aeris, sulfurum, & globulorum plano-ovalium &c. quæ ratio composita momentorum cum calculis æqua ratione assequi non possit, proinde velocitas, quantitas motus, & momentum massæ sanguinis in statu præternaturali febrium prout summum erit indeterminabile. Ex hisce momentis corporum elasticorum salia, & reliqua solida corpora, fibrosum sanguinis crassamentum, & filamenta seri concrescibilis ultro atteruntur; hæc autem in quantitates infinite parvas attrita, per serum liberiori motu decurrunt, ut sæpissime per sudores, & urinas erumpant. In hoc violento fluidorum impetu momentum distractionis arteriarum, glandularum, aliorumque solidorum adeo præpollens fit, ut momentum contractionis eorundem paucam, ac minimam rationem habeat cum momento præpollente distractionis, non mirandum ergo, cur in tam violentis fluidorum motibus, & tam distractis solidorum filamentis sæpissime eveniant aneurysmata in arteriis, varices in venis, & hydatides in lymphaticis canalibus, vomicæ aliquando, & sinus præternaturales in glandulis, cæterisque visceribus, pulsus fiant nimis elastici, nimis vibrati, inordinati & asymmetri, separationes fluidorum irregulares, heterogeneæ & vitiosæ, sensoria confusa fiant & languida, totumque corpus præternaturali calore excandescat; tot autem vitia duratura sunt, usque dum transpiratis, aut per excretoria naturæ loca eliminatis, heterogeneis corporibus fibrosum sanguinis crassamentum, & aliqua corpora inertia præternaturales densitates, crassities, pondera, moles, & motus amiserint, & acquisita naturali, sive homogenea subtilitate, æquabili densitate, debito pondere, motuque proportionali, massa sanguinis ad naturalem mixtionem reciprocam elementorum elasticorum, & non elasticorum inter se, naturalemque temperiem restituatur: tali methodo ex mechanicis legibus arbitrandum est, *a frigoris affectione ad præternaturalem caloris statum* massam sanguinis erumpere in febribus, talique ordine fieri calorem præternaturalem in massa sanguinis, talique lege fluida universa in febribus violenter inter se, & in solida erumpere.

24. Alterum phænomenon, quad expendendum occurrit in febribus intermittentibus est *ratio, cur febrilis accessio frigoris & caloris statutis temporibus redeat?* Cum in febribus intermittentibus massa sanguinis post accessionem frigoris & caloris ad naturalem statum pene restituta videatur, erunt reciproca mixtio elementorum sanguinis, densitas, crassities, pondus & motus seu momenta eorundem juxta isochronas naturæ leges quasi restituta, verum ut clare exponatur, quomodo determinatis temporibus redeant febriles insultus frigoris & caloris, tria præmittenda esse arbitror. 1. Quamvis massa sanguinis in febrium intermittentium remissione quoad densitatem, crassitiem, pondus, & motum, seu quoad momenta elementorum reciproca ratione mixtorum per aliquam temporis differenriam in canalibus quibuscunque sanguiferis uniformis seu homogenea esse videatur; attamen vitio chyli, succorum hepatis, pancreatis, lienis, nec non glandularum omenti & mesenterii, nonnulla tamen seu filamenta corporum præternaturalium seu heterogeneorum in massa sanguinis existentium in hanc ingredinntur, & circumeunt, quæ quantumvis numero, pondere, mensura ac momento multo minora sint corporibus homogeneis adhuc dominantibus, nihilominus continuo chyli, aliorumque humorum heterogeneorum ingressu statutis temporibus febrilem motum restituere apta sunt. Quamobrem secundo loco advertendum est, quod quamvis massa sanguinis per aliquod tempus cum reciproca mixtione elementorum componentium juxta densitatem, crassitiem ac morum &c. videatur esse in naturali proportione uniformis, &, cæteris paribus, æquabilis; attamen sæpe, ac sæpius portio massæ non omnino æquabilis, non omnino uniformis esse potest in spatiis minimis arteriarum & venarum in glandulas desinentium ob asymmetros motus ipsarum glandularum succos heterogeneos, diversorumque momentorum præternaturaliter separantium. Cum autem (*n.* 10. *prim. part.*) ostensum sit, in statu naturali systolem & diastolem cordis cum systole, & diastole arteriarum, glandularumque desinentium debere esse proportionales, cumque in tali febrium intermittentium remissione sæpissime non conservetur hæc totalis ratio æqualitatis, aut quasi æqualitatis inter systolem & diastolem cordis cum

(*a*) Ex Wolfio Cod. 4. pag. 564. Mechan.

cum ſyſtole & diaſtole arteriarum potiſſimum minimarum, & glandularum deſinentium, ſuccos diverſæ & præternaturalis indolis ſeparantium, non poterit diutius maſſa ſanguinis in continentibus vaſis in æquo mixtionis æquilibrio ſuſtineri: hinc alte occurrit conſiderandus motus aſymmeter glandularum ſeparantium, & vaſorum minimorum in glandulis evaneſcentium; quis enim praxin medicam agens in febribus intermittentibus impeditas, aut inertes glandulas pancreatis, hepatis, lienis, aut meſenterii & omenti non ſenſit, aut non cognovit, aut ſaltem jure optimo non ſuſpicatus eſt? 2. Certum eſt, in naturali motu maſſæ ſanguineæ ob iſochronas pulſationes, cordis, arteriarum, & glandularum, quarum opera una hora ſæpe 3000. pulſationes; ex Cardano 4000. juxta Bartholinum 4400. ex calculis vero celeberrimi Lyſter c. 22. de humoribus 4500. enumerantur; *determinatis temporibus neceſſario haberi determinatum circulationum numerum*; æquabilis ergo futura erit lex & ordo motus elementorum maſſæ ejuſdem, & homologa ſtatutis, determinatiſque temporibus eorundem in glandulis ſeparatio.

15. Hiſce præmiſſis cum ſucci quantumvis heterogenei primo ingreſſu in maſſam ſanguinis non ſemper eſſe poſſint numero, pondere ac menſura adeo denſi, adeo craſſi cum ponderibus & motibus, ſeu momentis notabiliter inæqualibus reſpective ad ordinatum adhuc motum totius maſſæ ſanguineæ homogeneæ ſupra cætera corpora heterogenea adhuc prædominantis, nondum alterari poterit notabiliter ordo ac lex, & reciproca naturalis mixtio elementorum ſanguinis; verum ſi paulatim, & creſcentibus, determinatiſque temporibus creverint ingreſſus corporum heterogeneorum in maſſam ſanguinis, ut poſt tantum numerum circulationum, qui determinatis temporibus fieri ſemper debuit numero, pondere ac menſura, momenta corporum heterogeneorum ſuperare incipiant corporum homogeneorum momenta, eo primo tempore in minimis vaſis evaneſcentibus in glandulas, magis magiſque aſymmetre motas, utpote minimorum diametrorum reſpective ad majores diametros canalium, tunc opere corpore diametrorum reſpective ad majores diametros canalium, tunc opere corporum denſiorum & craſſiorum heterogeneorum lenteſcere incipiet ſanguis, & cum ultro ſequatur & ſubſequatur determinatis circulationum numeris, creſcens numerus corporum heterogeneorum, ſectiones vaſorum primo minimorum cum decreſcant ſemper in ratione geometrica reſpective ad majores, primus fruſta ſolida minima vaſorum in glandulas aſymmetre mota evaneſcentium a quantitate filamentorum ſanguinis circulantium in ratione geometrica aut quaſi geometrica replebuntur, & repleta obſtruentur, & quodammodo ſæpiſſime ſolideſcent. Ut autem hæc clariora fiant, eligamus fruſtum conicum canalis minimi in glandulam evaneſcentis; ſit nempe fruſtum conicum C. D. c d arteriæ deſinentis in glandulam, cujus diameter internæ majoris peripheriæ C D ſit $\frac{1}{1}$; diameter vero internæ peripheriæ minoris c d ſit $\frac{1}{3}$; altitudo vero fruſti ſit —— 6. (*Vide Fig.* 4.) Ut proxime habeamus quantitatem ſanguinis replentem, & contentum in fruſto hoc conico, quæ quantitas componat fruſtum hoc conicum, ex celeberrimi Ozanam Geometrica practica operando conſtabit contentas partes in tali fruſto conico fore —— $3\frac{23}{100}$ Quamobrem ſi partes iſtæ contentæ, & componentes fruſtum hoc conicum arteriæ ſupponantur eſſe ſcrupuli, hæ contentæ partes in fruſto conico arteriæ minimæ evaneſcentis proxime æquales erunt ſcrupulis 4. Advertendum proinde elementa ſanguinis heterogenea vitio chyli, aliorumque humorum, vel ingredi in maſſam ſanguinis quocunque circulationum numero *in ratione Arithmetica continua æquali*, vel *diſcrete inæquali*. Supponatur primo, elementa heterogenea ingredi in maſſam ſanguinis in ratione arithmetica æquali, videlicet prima hora ingrediantur in maſſam ſanguinis 10. grana corporum heterogeneorum; ſecunda hora 21. tertia hora 30. & ſic ſucceſſive in tali ratione arithmetica, hoc certe ſpatio horarum 24. ingredientur in maſſam ſanguinis grana 3000. ſeu ſcrupuli 150. nempe drachmæ 50. ſeu unciæ 6. $\frac{2}{8}$; Quamobrem ſi canalium, reliquorumque organorum robur, & vis elaſtica glandularum ſeparantium, actiones & reactiones liberæ fuerint, & expeditæ, ſeparandiſque corporibus heterogeneis proportionales, utique ſeparatis corporibus heterogeneis ab homogeneis in ratione æqualitatis fluidorum maſſa adhuc ſana conſervabitur, & quamvis impura, primæ tamen puritati opportuno tempore reſtituetur. Cæterum ſi organorum vis elaſtica, & canalium robur infirmum fuerit, aut in ſtatu inertiæ, aut nimis tenſum, contractumque fuerit, & glandulæ ſeparatrices obſtructæ, aut ſaltem non habuerint momenta ſeparandis corporibus proportionalia, mehercle cum corporum heterogeneorum gravitates non ſint voluminibus ſuis proportionales, horum centra gravitatis non erunt eadem cum eorum centris magnitudinum, conſequenter mutabitur naturalis reciproca proportio momentorum corporum componentium maſſam ſanguineam. Porro cum impetus corporum heterogeneorum habeant rationem compoſitam ex ratione velocitatum & voluminum, & horum pondera, velocitates & volumina ſint inæqualia, inæqualiter movebuntur corpora heterogenea, & hæc inæqualiter movebunt & percutient ea, quibus undequaque occurrunt: ſic ultro inæqualiter urgebunt latera cordis, & vaſorum continentium, & ab horum niſu elaſtico inæquali inæqualiter urgebuntur. Præterea ab hiſce vitiis corporum heterogeneorum, vaſorum continentium, & glandularum inepte aut ægre ſeparantium corpora heterogenea aſymmetre mota, nec a glandulis opportune ſeparata in glandulis, & finitimis vaſorum fruſtis lentiora fient; quamobrem juxta ſuperiores calculos, gratia exempli, expoſitos (etenim juxta majorem ut minorem numerum, & gradum denſitatis, craſſitiei, ponderis, & motus præternaturalis elementorum præternaturalium maſſæ ſanguinis, proportionaliter quoque impediuntur, & obſtruuntur citius aut tardius, magis aut minus majora ut minora fruſta vaſorum evaneſcentium & glandularum;) Cum ſcrupuli 150. ſanguinis ingreſſi in maſſam ejuſdem ſpatio horarum 24. diviſi per ſcrupulos 4. jam contentos in fruſto conico canalis minimi in glandulam evaneſcentis, apti ſint obſtruere, & impedire proxime fruſta 37. canalium minimorum ſimilium, & æqualium canali ſuper expoſito; proculdubio ſi fruſta vaſorum fuerint num. 37. proxime, æquali ordine ac tempore impedita & obſtructa a ſcrupulis 150. corporum heterogeneorum, tunc ſi tantus vaſorum minimorum, & glandularum numerus fuerit naturæ gravis ac moleſtus, ex abolito, aut ſaltem ex imminuto motu augebuntur contactus inter ſe, proinde denſiora fient, craſſiora & graviora elementa heterogenea ſanguinis & per num. 12. frigoris affectio ſupervenire incipiet. Ulterius delatis ſemper continuo circulationum numero filamentis heterogeneis ad extrema vaſorum, & retardata in minimis canalium fruſtis & glandularum areolis naturali velocitate ſanguinis, filamenta ſeri & craſſamenti ſanguinei cum gradum denſitatis, craſſitiei & ponderis magis magiſque acquirant, qui gradus reſiſtentiam afferat advenienti ſanguini, & determinata temporis menſura preſſionem violentam efficiat contra contenta quæcunque corpora elaſtica & non elaſtica, proinde frigoris ſenſationes ſuſtineri & augeri videbuntur. Hæc autem preſſio corporum elaſticorum & non elaſticorum ultro augetur a vi & impetu ſanguinis continuo ſupervenientis, & in minimis canalibus filamenta heterogenea reſiſtentia percutientis; ex hiſce autem impulſibus magis denſantur, uniuntur & conſtringuntur corpora cujuſcunque generis, uſque dum, cum eum gradum denſitatis acquiſitum corpora elaſtica amplius pati ac ſuſtinere non poſſint (quod determinato ſemper tempore, ordine ac menſura accidit,) conentur tandem aliquando objectas reſiſtentias naturæ moleſtas undequaque evertere ac ſuperare; hinc dato tempore per num. 13.) quaquaverſus facto impetu, reſtitutoque (ut loquuntur) elaterio, maſſam ſanguinis urgent & violenter ſuccutiunt, & ſane cum corpora elaſtica & non elaſtica violenter & diverſimode determinatis temporibus compreſſa diverſorum ſint momentorum, urgebunt quidem, & tangentia quæcunque corpora urgebunt in ratione compoſita ex maſſis & velocitatibus ſeu momentis diſſimilibus & inæqualibus eorundem; corpora idcirco cujuſcunque generis ſine lege ac ordine, determinatis ſolum temporibus, mota cum præternaturali actione & reactione inter ſe, naturalem pro eo tempore mixtionem invertent, & juxta varias ac diſſimiles rationes momentorum corporum remiſſiori, aut intenſiori agitatione, calore ac æſtu hac data temporis menſura per num. 13. movebuntur, hinc calor ſummus & febrilis incaleſcentia ægros miſerrime occupant, ſtatutiſque temporibus redeunt, ex præternaturalis materiæ reſtitutione per num. 14. talique ordine, ac ſucceſſiva methodo denuo retardantur.

16. Itaque ſi tantus corporum heterogeneorum numerus, ſi tanta denſitas, ſi tanta craſſities, ac pondus eorundem in ratione arithmetica continua æquali creſcentium, gravi naturæ moleſtia cumulentur in ſanguine, lympha & ſucco nerveo, ut ſpatio horarum 24. ſemper retardentur velocitates ſanguinis in tot ac tantis vaſorum minimorum fruſtis, in tot ac tantis glandularum ſpatiis, ita ut etiam in majoribus fruſtis data ratione, ac tempore imminutæ reddantur velocitates maſſæ ſanguinis cum determinata preſſione corporum elaſticorum & non elaſticorum, cum inæquali omnibus in locis actione & reactione vaſorum, & fluidorum, ex quibus vitioſæ & ineptæ mixtiones ſuperveniunt: tunc cum affectione frigoris per n. 12. ſubſequente poſtea calore per n. 13. *Quotidianæ febres homotonæ & regulares* orientur; Quod ſi heterogenea elementa vitio chyli, aliorumque corporum ingrediantur in maſſam ſanguinis in ratione arithmetica continua æquali quidem, ſed augeantur hæc dato tempore in tali ratione, ut prima hora ingrediantur, gratia exempli, 40. grana corporum heterogeneorum, ſecunda hora 80. tertia hora 120. ingreſſa ſint in maſſam ſanguinis, & ſic ſucceſſive gravi naturæ moleſtia, minimorumque vaſorum, ac glandularum impedimento, æqualibuſque temporibus cum retardatis proportionaliter fluidorum velocitatibus, iiſdem quoque temporibus, talique compreſſione corporum elaſticorum, cum præternaturalibus actionibus & reactionibus organorum, & fluidorum, & præternaturali mixtione eorumdem, tunc ſpatio horarum 12. (grana enim 3102. corporum heterogeneorum ingreſſa erunt in maſſam ſanguinis) *duplex quotidiana febris regularis & homotona* cum frigore per num. 12. poſtmodum vero cum calore per num. 13. exorietur. Ex his clarum eſt, vitio chyli, aliorumque humorum, ſi tantus corporum heterogeneorum numerus, ſi tanta craſſities, ſi tanta denſitas, tantumque pondus naturæ grave ac moleſtum cumulentur in ſanguine ratione arithmetica diſcreta inæquali creſcendo, cum velocitatibus ſanguinis ſine ordine, loco ac tempore retardatis in minimis vaſorum fruſtis, ac ſpatiis glandularum, & cum inæqualibus loco ac tempore compreſſionibus corporum elaſticorum, fiant actiones & reactiones præternaturales ſolidorum & fluidorum, cum præternaturali miſcela eorundem loco ac tempore inæquali, tunc cum aſymmetris irregularibus inordinatiſque frigoris acceſſionibus (per num. 12.) poſtmodum vero cum calore (per num. 13.) emergent *febres quotidianæ ſimplices*, *aut duplices &c. alteriuſque generis*, *ſed inæquales*, *inordinatæ & aſymmetræ*. Advertendum hic ob vitium lymphæ quantitate, denſitate, craſſitie, pondere ac motu aſymmetro peccantis ſupra æquas naturæ leges cum glandularum & minimorum vaſorum omenti & meſenterii potiſſimum impedimento, *lymphaticas ac lentas febres contumaci duratione*, noctu potiſſimum ob graviorem atmoſphæram ingraveſcere cum aliquali per dorſum refrigeratione & inertia ad motum; cum enim lymphaticus humor craſſior, denſior & ponderoſior ſit redditus, lentiori quoque motu progreditur: imminuto autem motu augentur fluidi altitudines, & lymphatica vaſcula continentia ad majorem ſuperficiem extendi debuerunt, proinde & adaucto pondere, & adaucta ſuperficie impediuntur ſpatia, & naturales oſcillationes, ſeu motus diſtractionis & contractionis fibrarum muſcularium, carnium, nervorum & tendinum adjacentium, ut aliqualiter refrigerari & iners fieri admotum animal debeat.

Febres quotidianæ.

Febris quotidiana duplex.

Febre quotidianæ inæquales.

Febres lymphaticæ.

17. Quod ſi tantus numerus corporum heterogeneorum chyli & bilis potiſſimum pondere ac motu naturæ moleſtus transferatur in maſſam ſanguinis in ratione arithmetica continua æquali, pariterque præternaturales actiones & reactiones ſolidorum potiſſimum glandularum hepatis, omenti & meſenterii, & fluidorum, nec non præternaturalia momenta eodem, aut ſimili loco vaſorum minimorum producantur ſemper ſpatium horarum 48. & ſic ſucceſſive, & a principio unius acceſſionis ad principium alterius ſemper intercedat talis, determinatuſque numerus horarum 48. utique *legitimæ Febres Tertianæ*, *homotonæ*, *& regulares*, cum frigore per numerum 12. poſtmodum vero cum calore per num. 13. violentiſſime irruerent. Ulterius ſi ea, quæ ſupra diximus, ingrediantur in maſſam ſan-

Febres tertianæ legitimæ.

sanguinis in ratione arithmetica discreta inæquali, hæc numero, pondere ac motu seu momentis inæqualibus, agendo & reagendo, inæquali, varioque loco ac tempore retardando velocitates sanguinis cum frigore per numerum 12. postea nisu ac conatu corporum elasticorum cum calore per numerum 13. *Tertianas Febres aliquando simplices*, *aliquando duplices*, *alteriusque generis*, *sed inæquales*, *inordinatas*, *asymmetras* præternaturali mixtionis motu producent. Hic & ibi plerunque primus paroxysmus tertio, secundus quarto respondent; & sic successive alterna, seu permutata ratione paroxysmi progredi consuescunt per numerum 14.

Febr. tertianæ illegitimæ.

18. Simili methodo, ordine ac lege, remissioribus tamen symptomatibus, si tantus corporum heterogeneorum numerus, si tanta crassities, si tanta densitas, tantumque pondus naturæ grave & molestum, (quod potissimum evenire putandum ex prægressa æstivi tempotis minima particularum sulfurearum, balsamicarumque transpiratione) crescant in ratione arithmetica continua æquali, tali ordine, loco ac tempore, ut spatio horarum 72. velocitates naturales fluidorum æqualibus locis ac temporibus æquabiliter retardatæ sint in minimis vasorum fruslis spatiisque glandularum, & cum æqualibus loco ac tempore compressionibus corporum elasticorum fiant actiones & reactiones solidorum & fluidorum præternaturales, cum præternaturali mixtione eorundem; & sic successive a principio unius paroxysmi ad principium alterius spatio semper horarum 72. progressio fiat, tunc cum frigore (per numerum 12.) deinde cum calore (per numerum 13.) *Febres quartanæ simplices & homotonæ* erunt producendæ. Verum si hæc ac tanta ingrediantur in massam sanguinis in ratione arithmetica discreta inæquali, & subsequantur actiones & reactiones præternaturales inæquali ordine, variis in locis, variisque temporibus fiant paroxysmi horis 72. respondentes, cum retardatis velocitatibus fluidorum in fruslis minimis canalium & glandularum &c. utique cum frigore (per numerum 12.) accessiones quartanarum orientur; deinde ob vires & conatus elasticos corporum elasticorum cum calore (per numerum 13.) febriles supervenient. Hinc quartanæ febres evenient aut simplices, aut duplices, alteriusque generis, sed inæquales, inordinatæ & asymmetræ, talique ordine ac methodo per numerum 14. erunt redituræ.

Febres quartanæ simplices.

Febres quartanæ compositæ.

19. Denique si hæc omnia accidant spatio horarum 12. aut 18. aut 24. &c. ita tamen, ut non amplius fiat paroxysmorum alterna, aut successiva progressio, nec ultro redeat ingressus corporum heterogeneorum in massam sanguinis, cum totali & omnimoda libertate sanguinis, & restitutionum & reactionum naturalium &c. tunc cum frigore (per numerum 13.) *Febres Ephemeræ* modo leviores, modo graviores juxta quantitates ac vires corporum heterogeneorum majori, aut minori momento incalescent, quæ aut sudore, aut opportuna corporum heterogeneorum separatione redimentur.

Febres Ephemeræ.

20. Simili ratione quascunque ex intermittentium genere febres fieri judicandum probabiliter est; verum cum hujusmodi morborum genera pluribus symptomatibus gravari soleant, hinc raptim de his, quæ frequentius accidunt, nonnulla dicere consultum putavi. Dum itaque corpora elastica massæ sanguineæ antea violenter compressa in glandulis, minimisque canalium fruslis, suos conatus elasticitatis compressionibus suis proportionales quaquaversus exercent, agendo & reagendo contra quascunque componentes particulas præternaturali elementorum componentium mixtione, & contra solida quælibet nervea lymphatica, venosa & arteriosa cum æstu & calore, ac motu violentissimo massæ sanguineæ universa diruendo; jure in tam violentis, continuisque particularum percussionibus ac motibus corpora quælibet massæ sanguineæ atteri, & in minimas partes, ac fortasse infinite parvas dividi debebunt: cum enim in calore ac febrili æstu agitationes seu impressiones particularum sulfurearum, aliarumque elasticarum in cætera fluidorum corpora sint proxime in ratione composita velocitatum & simpla densitatum particularum sulfurearum, aliorumque corporum elasticorum, constat, quantum corpora quælibet componentia violentissimis actionibus & reactionibus agitari, & in minima dividi debeant; etenim cum solida similia sanguinem componentia decrescant semper in ratione triplicata laterum homologorum, horum superficies in duplicata tantummodo; cumque solida similia ejusdem generis sint ut pondera, non dubitandum, ex tam diminutis solidis pondere, soliditate & superficiei ad miliares & cutaneas glandulas deferri debere quantitate ac velocitate seu momento multo majori, quam par est; proinde hæc plus justo transpirare uberrimis sudoribus conabuntur (de qua re num. 42. secundæ partis satis actum est.) Hisce autem transpiratis, velocitas fluidorum moderatur, & densitates mediæ fluidorum antea præternaturalium restituuntur; redit inde opportuna mixtio, & solidorum cum fluidis æquilibrium: tempore autem tanti motus ac caloris, tantarumque actionum & reactionum præternaturalium massæ sanguinis frequentissimæ succedunt jactationes, inquietudines, difficilesque respirationes sed potissimum ægri acerrime *sitiunt*; Id sane evenit, cum nimirum portio non levis seri per sudores transpirati fluere debuisset per spatia glandularum linguæ, œsophagi & palati hæc undequaque madefaciens; verum tantæ transpirationis incommodo tot fluidis privata spatia linguæ & palati & fibræ glandularum opportuno liquido fraudatæ arescere conantur, aridæ vero factæ contrahuntur, quo statu angustiora fiunt glaudularum foramina, quinimo ablatis, aut imminutis momentis distractionum & contractionum glandularum, aliarumque fibrarum inservientium aut non adjuvant fibræ motum fluidorum, ut necessariam fluidi portionem excipiant, aut exceptam non promovent, novam opportunæ partium irrigationi accommodam suscepturæ. Ulterius a filamentis heterogeneis massæ sanguinis sæpissime obstruuntur glandularum salivalium spatia, impeditoque, aut saltem imminuto seri fluxu determinata fibrarum & glandularum corrugatione *sitim* afferunt.

21. Præter hæc a febrili sanguinis motu dilatata inæqualiter vasa quælibet, potissimum venæ & arteriæ menyngum, has inæqualibus percussionibus violenter extendunt, extensæ inæquali diastole calvariam arietant *Dolorem Capitis* afferentes. Porro cum curvæ menyngum fibræ ex nimio sanguinis motu violenter dilatatæ fiant segmenta majorum arcuum, momentum distractionis menyngum non erit æquale, aut proportionale momento constrictionis earundem, sed præpollens, proinde ex asymmetra fluidorum velocitate per vasa menyngum naturales fibrarum anguli fient inæquales ac dissimiles. Ob id mutabitur earum naturalis directio & parallelismus cum asymmetra distractione & contractione earum, a quibus omnibus dolorem fieri, num. 8. Mechanicæ solidorum ostensum est; præterea cum a glandulis menyngum in præternaturali motu ac mixtione sanguinis separetur serum, peccans quantitate, superficie salium contentorum ac motu eorum, ab his gravantur, percutiuntur & stimulantur menynges cum graviori capitis dolore; quinimo cum a continuis menyngum stimulis fibræ quoque medullares cerebri a menyngibus circumdatæ inæquales, continuasque solicitationes ac stimulos molesta communicarione excipiant, hæ medullares fibræ tantis tantisque motibus solicitatæ sensoria actuosa reddunt frequentissimis, minimisque oscillationibus, ut ægri continuo *Vigiles* esse teneantur.

22. Nec dispar molestia occurrit stomacho, cum frequentissime ab asymmetris menyngum motibus communicata per nervos membranis stomachi motuum asymmetria ægri a frequenti vomitu succutiuntur; præterquam quod impura corpora, asperarumque superficierum a glandulis stomachi separata, vel ex duodeno bilis ramenta sursum pulsa in ventriculum repetitis vellicationibus stomachi membranas solicitando, mox stimulando, & momenta contractionis augendo vomitum afferunt.

23. Quia vero in febrium potissimum intermittentium declinatione excernuntur urinarum copiæ aliquando cum levamine, si hæ fuerint ægri viribus & naturæ morbi proportionales; aliquando vero periculosæ, si supra vires morbi & naturæ constiterint; hinc visum est rei nostræ opportunum, brevi *Urinarum separationes* expendere. Certum est, in febrium augmento ac statu, in quo sanguinis velocitas maior est, aliquando summa elementa heterogenea nimis confusa esse, & glandularum actiones atque elasticitates asymmetris momentorum gradibus oscillare, quo tempore nullatenus æqua ratione separari possunt a glandulis viscerum similia corpora a dissimilibus; æquæ nimirum separationes corporum similium a dissimilibus cum statutis temporibus & æqualibus, placidisque motibus fluidorum & glandularum fieri naturaliter debeant, ut (pag. 29. primæ Partis indicatum est,) nulla quidem actio separationis opportuna naturæ fieri poterit, nisi declinationis tempore, quo velocitas sanguinis & oscillatio solidorum naturali morum momento accedunt. Verum quia aliquando accidit etiam declinationis tempore a renalibus glandulis tantam urinarum copiam separari, quæ viribus gravis ac molesta naturæ *Diabetem* afferat, proinde juvat hic de tam gravi symptomate brevi differere. Ab adaucta velocitate sanguinis in febribus, a concitata actione & reactione particularum massæ sanguinis hujus filamenta, & reliqua componentia attrita nimis fiunt, & in partes infinite parvas divisa, serum cum non æqua & opportuna mixtione cum reliquis massæ sanguineæ particulis reciproce misceatur liberiori motu fluit; serum hoc copiosius delatum in renales glandulas impetu summo urget internos parietes glandularum; cum vero impetus sit factus ex massa talis fluidi ducta in velocitatem, qua fluidum temporibus æquabilibus defertur, erit impetus tanti fluidi erumpentis per foramina arteriarum evanescentium in glandula in ratione composita ex rationibus duplicata velocitatum, simpla densitatum seu gravitatum specificarum, & simpla foraminum (*a*), e quibus erumpunt in glandulas desinentes. Quamobrem si cæteris paribus velocitas seri fluentis ab uno orificio vasis desinentis in renalem glandulam in statu naturali fuerit u 2 —— 4 nempe in ratione duplicata radicis u —— 2; densitas vero, seu gravitas specifica seri fuerit —— d; foramen vero e quo erumpit serum in glandulam sit —— o; erit quantitas motus seu impetus seri fluentis e glandula renali proxime ut u 2 † d † o. Ita si supponatur in statu febrili radicem velocitatis massæ sanguinis augeri tantum in ratione tripla, ita ut etiam radix velocitatis seri separandi in glandula renali sit u —— 6; densitas vero —— d, sed gravitas specifica seri supponatur eadem in eodem sanguine, idemque pariter sit foramen, e quo erumpit æqualibus temporibus —— o, erit impetus seri fluentis in statu febrili proxime ut u 2 —— 36 † d † o, tali ergo ratione fluens præternaturaliter serum ab orificiis singularibus vasorum evanescentium in vasa glandularum urgere debebit singulos internos parietes glandularum singularibus momentis —— 36. En ergo gravis & molesta extensio & dilatatio renalium glandularum. Cum vero quantitas, seu filamenta seri fluentis (*b*) æqualibus temporibus per orificia vasorum in glandulas sint in ratione composita proxime ex rationibus orificiorum vasorum, & velocitatum seri fluentis, cumque impetus velocitatis naturalis suppositus fuerit —— 4 erunt cæteris paribus quantitates seri æqualibus temporibns delatæ momento velocitatis præternaturalis, ut 36 proxime in ratione noncupla ac fuerant in statu naturali. Glandulæ itaque taliter extensæ excipere proxime debebunt noncuplam quantitatem seri; verum cum hæ sint ex elasticis vasorum fibris & ex elasticis membranarum filamentis elaboratæ, eorumque opera constrictæ, si accidat ea ratione qua fuerant dilatatæ, urgebunt momento adaucto constrictionis per glandularum foramina noncuplam, aut quasi noncuplam quantitatem seri iisdem temporibus: En ergo excedens seri copia, & magna urinarum effusio, quinimo adeo aliquando excedens est, ut sæpissime miratus sim, naturalem seri quantitatem & potiones ingestas longe fuisse superatas.

24. Tam grave, mirandumque phænomenon aeri potissimum deberi arbitratus sum, qui per pulmones, per ventriculum, per cibos, potiones continuo exceptus, & inde effusus in massam sanguinis tam gravia phænomena parit ac sustinet: & sane tantam aquarum copiam ab aere potissimum cumulari posse affabre decet experimentum a celeberrimo P. Lana expositum *cap.* 15. *sui Podromi*. Accipit enim vas vitreum excavatum, & in formam coni elaboratum, talique lege suspendit, ut vertex coni vitrei pendulus, deorsum tendens sustineatur: Hoc vas nive, aut glacie repleatur, & Soli, aut quocunque loco calido exponatur; aer continuo ambiens externam coni vitrei superficiem continuo densabitur, & paulatim in pendulo vertice coni undequaque collectus continuam aquam erit stillaturus, inclusa quidem nive, aut glacie parum, aut nihil imminuta. Hac methodo perennem fontem generari posse, hancque aquam sanandis hecticis utilissimam celeberrimus Auctor testatus est. Ab hujusmodi experimento necesse est colligere, particulas quoque aeris in

(*a*) Per Prop. 31. pag. 214. Hermanni.
(*b*) Per Prop. 30. Hermanni pag. 214.

in ſanguinea maſſa undequaque exceptas, collectaſque aliquando uniri, ac denſari taliter poſſe, ut hæ continuam in aquam collectæ ſtillare coactæ ſint; tam mirandum opus fortaſſe futurum erit in ſanguine, cum filamenta fluidorum maſſam ſanguineam componentia enervato mixtionis naturalis vinculo laxa, attrita ac reſoluta nimis fuerint, ut opportuna ac neceſſaria vi intimam mixtionem aeris cum reliquis particulis ſuſtinere ac conſervare apte non poſſint; hæ nimirum aeris moles cum non intime unitæ, nec ad minima cum ſingulis, ac reliquis maſſæ ſanguineæ componentibus permixtæ eſſe poſſint, hæ neceſſario unitæ ſero ſupra cætera elementa naturaliter frigidiori, majori ac multiplici, quam par eſt, inter ſe contactu grandiores & activiores fiunt, ſimulque ſupra naturalem numerum agglomeratæ ac collectæ, proinde inter ſe nimis tangentes ſerum, cui miſcentur, numero, pondere ac motu urgent & augent, & per laxatas, extenſaſque renales glandulas uberrima urinarum ſeparatione excernuntur; cum vero ſemper continua aeris quantitas numero, pondere ac motu excipiatur in maſſa ſanguinis, hæc quoque continuo una cum ſero per renales glandulas fluxura erit. Non rarum ultro eſt a *longa Diarrhœa* torqueri ægros, ut excretiones longe ſuperent quantitatem ac pondus cibi & potus, quibus veſci ſolent. Hujuſmodi diarrhœæ non ſemper ab aſymmetria humorum, ſed potiſſimum ab aeris particulis non intime, non perfecte commixtis cum reliquis, ac ſingulis maſſæ ſanguineæ componentibus elementis generari ſolent; hæ nimirum aeris moles cum inter ſe uniri, colligi ac tangentes inter ſe fieri nimis poſſint ac denſari, momento ſuo elaſtico inteſtina undequaque ſolicitant ac ſtimulant, quæ ſtimulata frequentiſſimis diſtractionis & contractionis motibus oſcillando, copioſius ſerum ab inteſtinalibus glandulis exprimunt, ſicque unione facta cum ſeparatis corporibus numero, pondere ac motu longas diarrhœas ſuſtinent ac promovent. Hæc, quæ de aere & de momento ejuſdem expoſuimus non nova, neque improbabilia iis videbuntur, qui aeris momenta & actiones in fluidis, quibus miſcentur, mechanica ratione cognoverint, cum apertum ſit ſedulo cogitantibus, plurima morborum & actionum phænomena animali evenire ob incomprehenſibile elaſtici aeris miniſterium. Interim hoc unum addo, me Lectoribus tædio eſſe futurum, ſi univerſa febrium intermittentium genera, ſi ſingula horum ſymptomata expenderem, cum ab iis, quæ huc uſque dicta ſunt, omnia, quæ ſuperſunt, exſolvi & explicari facile poſſint.

DISSERTATIO III.

De Febribus Continuis.

SÆpiſſime intermittentes febres ablata, aut enervata denſitate, craſſitie ac momento filamentorum maſſæ ſanguinis, nec non corporum inertium, cum exceſſu momentorum corporum elaſticorum habentium rationem majoris inæqualitatis reſpective ad momenta corporum inertium, in *Continuas Febres* & aliquando in *Malignas* mutari facillime poterunt. Sæpe tamen primo inſultu febrium irruunt continuæ, & graviori aliquando culpa malignæ febres ægros enecant; Quotieſcumque aliquam ob cauſam, vel externam, vel internam, ſive mixtam quantitates & vires elaſticæ corporum elaſticorum numero ac motu ſeu momento reliquas particulas inertes, ſeu non elaſticas ſuperaverint, ut non ſolo niſu elaſtico inter ſe, ſed concepto impetu agant vi, aut momento cujuſcunque cauſæ externæ, aut internæ, aut mixtæ contra inertes particulas, & contra momenta diſtractionis & contractionis vaſorum, aliorumque ſolidorum conſpirantium, tunc febres continuæ ſine frigore erunt orituræ; cum enim hic filamenta ſanguinis & reliqua corpora inertia nullatenus ſint, quod attinet ad denſitatem, craſſitiem & motum reliquis particulis actuoſis ſeu elaſticis proportionalia, cumque inertia corpora habeant numero, pondere ac motu rationem minoris inæqualitatis reſpective ad momenta corporum elaſticorum; præternaturales etenim vires elaſticæ corporum elaſticorum nullo modo cohiberi poſſunt, frænari ac vinci per aliquam temporis differentiam a denſitate, craſſitie ac momento corporum inertium; proinde ſine frigore, ſed ſolo cum calore irruent febres continuæ: Et ſane cum vires vivæ corporum elaſticorum in ſtatu naturali inertibus quoque corporibus momenta ſua continua actione & reactione elaſtici contactus communicent, & horum corporum elaſticorum vires vivæ ſint in ratione compoſita ex ratione ſimpla maſſarum, & ratione duplicata velocitatum (*a*) pariterque cum calor ſit ut impreſſiones particularum corporis calidi in corpore calorem excipiente; iſtæ autem impreſſiones ſint pariter (per prop. 85. Hermanni) in ratione compoſita ex duplicata velocitatum, & ſimpla denſitatum ſeu maſſarum: manifeſtum eſt ex harum rationum æqualitate, aut quaſi æqualitate, inter calorem, & vires vivas corporum elaſticorum, has quoque cum calore eſſe copulandas, caloremque naturaliter eſſe producturas. Verum cum vires vivæ elementorum ſanguinis in febribus ſint præternaturales, nempe cum gravi exceſſu velocitatum creſcentium in ratione duplicata earundem, futura erit aliquando velocitas ſanguinis adeo excedens, ut arteriarum orificia plus evomant temporibus æqualibus quantitatem ſanguinis, quam orificia venarum temporibus quoque æqualibus excipere apta ſint: proinde quantitates liquorum numero, pondere ac motu nimis effuſæ in carnium, membranarum, reliquorumque ſolidorum ſpatia, nec opportuno tempore ac proportionali motu a venis exceptæ momento ſuo auferent, aut ſaltem enervabunt momenta diſtractionis & contractionis fibrarum conſpirantium motui ſanguinis in finitima orificia venarum: retardato motu ſanguinis lenteſcent elementa ejuſdem, & paulatim ſtatuta inflammatione *Febres Inflammatorias* erunt productura. Porro hæc vitia ultro emergent, ſi conſideraverimus volumina ſanguinis in ſtatu naturali, eademque in ſtatu præternaturalis dilatationis: hæc enim duo volumina cum haberi poſſint ut ſolida ſimilia, quæ inter ſe proportionem habent triplicatam laterum homologorum, erunt poroſitates, ſeu interſtitia voluminibus interſperſa lateribus ſolidorum homologotum proportionalia, quæ latera cum ſint in ratione ſubtriplicata ſolidorum, erunt pororum amplitudines, ſeu particularum ſibi invicem proximarum diſtantiæ inter ſe in ratione ſubtriplicata, ſeu ut radices cubicæ voluminum ſanguinis. Si ergo in ſtatu naturalis dilatationis maſſæ ſanguinis pororum amplitudines fuerint ut unum, in ſtatu vero præternaturalis rarefactionis ejuſdem voluminis ſanguinis fuerint ut 3. erit volumen ſanguinis in ſtatu naturalis dilatationis ad volumen ejuſdem in ſtatu præternaturalis dilatationis ut 1. ad 27, ſeu ut cubus ad cubum; Idem ergo volmen ſanguinis, quod in ſtatu naturalis rarefactionis occupaverat ſpatium cubicum ut unum, in ſtatu præternaturalis dilatationis in febribus erit proxime in arteriis ac venis, cæteriſque carnium ſpatiis 27 ſpatia cubica occupaturum: cum itaque tot ac tanta volumina cubica præternaturalia ſanguinis nimia ſpatia repleant, nec tam prompte ac facile ab orificio venarum communicantium excipi poſſint temporibus æqualibus volumina hæc tam copioſe, ac violenter ab arteriarum orificiis evomuntur, plurima quidem ſolida cubica ſanguinis inter ſpatia arteriarum evaneſcentium, & venarum incipientium remanere debebunt numero, pondere ac motu nutritioni partium inepta, nec motui per venas ſecuturo opportuna: plurima ergo ſolida cubica in tot ſpatiis otioſe lenteſcentia firmabunt inflammationis exordia, febres inflammatorias productura.

Febres inflammatoriæ.

26. Hæc vitioſa & lenteſcentia ſanguinis volumina per poros carnium, membranarum, aliorumque ſpatiorum effuſa, ſi per ſubſtantiam hepatis effluant *Hepatitidem*; ſi per lienem, per menſenterium, per capitis membranas irruant, harum partium eryſipelata & *Febres Eryſipelatoſas* graviter afferent; ſi vero per ſtomachi ſubſtantiam, *Lypirias* febres graviſſimo fato trahent. Inflammatoriis autem febribus, lypiriis potiſſimum, commune eſt, nervos, membranas, & cætera ſolida criſpare ac convellere; vitium enim hoc eſſe debuit ex ſucco nerveo impuro, ſalſiſque particulis nimis affecto, ex laxata mixtione naturali reciproca elementorum ſanguinis ſalſa corpora moleſte agere, & ſolidorum ſpatia, quibus aut firmiter, aut lento motu adhærent, vaſorumque circumferentias, quas undequaque gravi ſolicitatione tangunt, moleſte ſolicitare ac ſtimulare; criſpatis ergo, convulſiſque ſolidorum filamentis momentum contractionis ſolidorum præpollens fit, ſupra momentum diſtractionis eorundem; ex tanta momenti contractionis præpollentia ſolida coguntur tonico velut motu conſiſtere; ex his fluida quælibet per vaſa decurrentia, cum non ab æquabili motu homologo diſtractionis & contractionis vaſorum, aliarumque fibrarum conſpirantium non opportune adjuventur, lenteſcere, & tardo quantumvis continuo febrili motu moveri conabuntur: ibi potiſſimum in externa videlicet corporis ſuperficie, ubi vaſa minima ſunt, in quibus fluidorum motus naturaliter minor eſſe debet; cum vero in canalibus, quorum diametri ſunt majores & cordi proximiores, non ea acervari ac cumulari poſſint filamentorum denſitas & craſſities, quæ motum ſanguinis ea lege tardiorem reddant, ſenſationi frigoris interni producendæ proportionalem, cumque ulterius elaſtica corpora ſoluto jam mixtionis naturalis vinculo ob proximi cordis impetum motu continuo ſemper agant & reagant, hinc in lypiriis exteriora frigere, interiora uri experimur. Cavendum hic, ne a duritie & conſiſtentia pulſuum ſanis ſimilium decepti, ægros putemus minima aut nulla febri laborantes, cum febres non tantum a præternaturali velocitate pulſuum; verum etiam a præternaturali tarditate fieri poſſint; affectiones enim cardiacæ, ſingultus, vomitus, jactationes continuæ, ſuſpiria, anxietates, reſpirationes anguſtæ, & aliquando lachrymæ involuntariæ, moleſta membranarum & nervorum ſolicitatione ac conſenſu majora prædicunt mala, quam convulſi pulſus indicare videantur.

Febres malignæ.

27. Inflammatoriis febribus affines ſunt febres illæ, quæ a Medicis *Malignæ* appellari ſolent, ita ut hæ ab illis non natura, ſed gradu differre mihi viſæ ſint; communiter a *Diſſolutione* & *Coagulatione* generatas Medici putaverunt; ex Chimicis enim edocti ſunt, ſpiritum nitri & ſpiritum vitrioli, quorum ſinguli cum per ſe innocui ſint, ſi tamen invicem miſceantur, tertiam quandam ſubſtantiam, quam aquam ſtygiam dicunt, eminenter ac graviter diſſolutivam componere ultro experti ſunt; Ita ſulfureæ particulæ cum nitroſis, aut vitriolicis corporibus mixtæ tertium quoddam diſſolvens compoſitum arſenicale elaborant, quamvis ſejunctim ſine culpa operentur. E contra eminenter coagulant aluminoſa & vitriolica opere priſmatum octoedricorum, aut parallelipedorum romboideorum, ſi ſupra numerum, pondus ac motum ſanguineo fluido miſceantur. Cum itaque in maſſa ſanguinis corpora fluant diverſæ ſuperficiei, molis, ponderis & figuræ; hæc cum per ſe actionibus naturæ proficere apta ſint, ſi tamen accidat, miſceri aliquando inter ſe & uniri particulis, quarum unio ac complexus tertiam quandam ſubſtantiam elaboret, quæ ſuperficies ac figura venefici corporis figuram ac ſuperficiem conſtruat, non dubitandum, a gravi horum magiſterio maſſam ſanguinis aut diſſolvi poſſe, aut coagulari. Cum enim horum momenta, ac vires ſint nimis inæqualiter, ac nimis diſſimiliter actuoſæ contra naturalia momenta, ac vires corporum reciproca ratione miſcibilium, efficient hæc præternaturalia corpora contactus & percuſſiones ſemper nimium inæquales, diſſimiles & aſymmetras, uſque dum diſſolutione facta, aut coagulatione, juxta naturas ac momenta corporum ſeu elementorum agentium (effectus enim ſemper ſuis cauſis adæquatis proportionales ſunt) maſſa ſanguinis maligna febri, aut diſſoluta corruat, aut coagulata. Hæ tamen febres, quantumvis a diſſolutione & coagulatione partiri ſoleant, nihilominus ſi harum phænomena & anomaliæ attentiſſime expendantur, pro potiſſima cauſa offerunt plerumque *diſſolutionem texturæ ſanguinis graviorem, quam in cæteris febrium generibus*, pro effectu vero *coagulationem*; enim vero præter ea, quæ de cauſis febrium inflammatoriarum mox a nobis relata ſunt, ſi aliquam ob cauſam ſive internam, ſive externam, ſive mixtam ſcindantur nimis, rumpantur, ac laceſentur filamenta maſſæ ſanguineæ, ut omnino corruat unio & nexus ille, quo componitur reciproca mixtio elementorum: quo nexu pariter elaboratur proportionalis ſtatus mixtionis ſeri cum cæteris quibuſcunque elementis elaſticis & non elaſticis; tunc *Febres malignæ ex diſſolutione* fieri arbitrandum eſt. Verum cum taliter diſſoluta textura ſanguinis corpora elaſtica & non elaſtica eſſe non poſſint inter ſe opportune tangentia ac mixta, corpora quidem elaſtica non ſatis, non apte movere poterunt ac urgere inertia corpora, ſeu non elaſtica; proinde corpora inertia nullo modo reagere opportune poterunt contra corpora elaſtica, ut exigit naturalis & æquabilis actio & reactio corporum inter ſe reciproce miſcibilium; ob id ex omnimoda inæqualitate corporum inter ſe incidentium quocunque tempore

(*a*) Per Theorema 42. Wolfii Mechan. pag. 594.

more semper inæquales ac dissimiles fient anguli incidentiæ cum angulis reflexionum eorundem; proinde cum corpora elastica nimis præpollentia corporibus non elasticis misceri nullo modo reciproca ratione possint, elastica corpora a non elasticis præpollentia momentorum separari continuo conabuntur: inertia inde corpora ab elasticis paulatim sejuncta nimis inter se unientur, hoc autem amplexu graviora reddita lentescent, majoremque elasticis corporibus resistentiam ferent, aut ex nimio inter se contactu corporum, fient minimi, aut nulli anguli incidentiæ & reflexionis; quapropter aut inæquales & dissimiles semper evenient corporum impactorum & retropulsorum velocitates, aut pene nullæ; proinde diversa & dissimilia semper momenta, aut nulla contingere necesse erit: inertia ergo corpora, aut non opportune, aut lente mota, & omnimoda inæqualitate percussa, nec cum elasticis apte mixta, retardare motum, ac lentescere coacta erunt. Id si eveniat in sinubus menyngum, aut in præcipuis spatiis membranarum, carnium, aliarumque intercapedinum gravi naturæ damno erit futurum: En ergo a *causa dissolutionis*, sequens *effectus coagulationis* in aliqua parte. Opera igitur dissolutionis texturæ sanguinis pulsus fiunt languidi & enerves, ex nervorum sæpissime, vasorumque paralysi, vigiliæ, stillæ sanguinis e naribus, diarrhœæ, dysenteriæ; cum vero tam gravis sanguinis dissolutio id fecerit, ut hinc inde coagulationem sanguinis produxerit, eo tempore fient quidem pulsus duri & convulsi, phrenitides, affectiones lethargicæ, linguæ aridæ & siccæ, aliquorum membrorum convulsiones &c. & in utraque morbi differentia peticulæ, urinæ confusæ ac turbidæ in conspectum se offerent, Faremur tamen, aliquando ex paralysi vasorum, ex imminutis nimium viribus corporum elasticorum cum adaucta supra modum inertia, densitate, crassitie ac pondere filamentorum, & corporum non elasticorum malignas febres ex coagulatione, non tanquam ab effectu antecedentis dissolutionis, sed tanquam a primaria causa ob numerum particularum vitriolicarum, aut aluminosarum, præter ea quæ modo diximus, dominantium, esse pariter orituras; denique advertendum, malignas febres cujuscunque generis, aut debiliores, aut fortiores futuras esse juxta vires ac momenta causarum (aeris potissimum arsenicalibus particulis permixti) diversimode agentium in massa sanguinis.

28. Remanet hectica febris inter continuas deterior, licet mitior cæteris esse videatur. Hæc plerumque ab intermittentibus febribus, vel a continuis, vel a male curatis, vel nimium productis: pariterque ab obstructionibus viscerum, inertia, aut pravitate succi nervei cum naturali potissimum pulmonarium solidorum laxitate & renuitare oriri solet; nimius enim sudor in febribus continuis & intermittentibus, nimia urinarum copia, aut diarrhœa, aut dysenteria &c. filamenta crassamenti sanguinei enervant, quibus laxatis & enervatis evolant & deperduntur elastica corpora sulfurea præcipue, cum activiora & mobiliora sint cæteris, ut oleosæ urinarum guttulæ indicant: hisce ergo corporibus balsamicis depauperata massa sanguinis cogitur cum pulsu debili ac celeri inepte, lente & ægre misceri, minutoque febrili motu agitari: porro salsa corpora numero, pondere ac momento activiora, nec ab oleosis sulfurum superficiebus juxta reciprocæ mixtionis rationem opportune involuta, ac lenita; circa proprios axes continuo rotando angulosis superficiebus filamenti crassamenti sanguinei alte erodunt ac lacerant: Serum ulterius tot salibus ferax ab asperæ arteriæ glandulis, & a lymphaticis continuo fluens in pulmonaria spatia, hæc continue solicitando ac stimulando molestam tussim producit; quinimo sæpe, ac sæpius a numero, pondere ac momento serositatum salsarum continuo fluentium in pulmones, erosa pulmonum filamenta cum respiratione difficili insanabile ulcus afferunt; Seri quoque salsi copia, & attrita jam filamenta sanguinis, utraque opportunæ mixtionis inepta, nec aptæ nutritioni accommoda immodicis sudoribus exeunt, usque dum deficientibus balsamico sulfure, ac dulci sero medullæ ipsæ ossium, musculi, carnes, & cutis ipsa vitæ resolutione arescant.

29. Cum in febribus molestissima sitis ægros fere semper torquere soleat, hac data loci opportunitate non spernendum consilium est, rationem & qualitatem potus expendere, ne ægri qualitate & quantitate decepti ingravescant; hoc ultro necessarium putavi, cum nonnulli celeberrimi viri copiosæ & frigidissimæ aquæ potum consulere audacter voluerint, quibus celeberrimus Vallisnerius præceptor meus tanta ratione, doctrina & practicis experimentis obstitit, ut nil melius, nil fortius dici possit; Cum tanto itaque præceptore pauca, sed opportuna dicere animus est, ut copiosæ frigidissimæ potionis damna, nec non beneficia potus calidi innotescant. Primo itaque fluida frigidissima & copiosa vi *ponderis* alte premunt stomachi fundum; vi autem *frigoris* fibræ stomachi contrahuntur ac crispantur, ut num. 6. Mechan. Solidor. satis ostensum est, & ultro stomachi spatium minori superficie circumscribi tenetur: cum vero subitaneæ pressiones & contractiones fibrarum, seu momenta contractionum præpollentiam auferant aut saltem imminuant momenta distractionum earundem, nulla quidem, aut iners fiet actio oscillatoria filamentorum stomachi, quæ ultro communicata sanguini per venas & arterias stomachicas motum hujus vel imminuet, aut tollet, & sæpe, ac sæpius ab imminuto, aut ablato motu parta inflammatione lypiria elaboratur. Secundo, a pressione & frigore ingestarum potionum succi dissolventes a glandulis ventriculi separandi, parta glandularum inertia, quodammodo stagnant, immo impediunt, ne novi dissolventes succi opportune separati necessariam ciborum solutionem promoveant, quinimo peristaltico motu ventriculi, aut imminuto, aut læso non ultro promoventur ingesta, sed diutius retenta acescent, & corrumpentur dolore stomachi molestissimo. Tertio, in frigidissimis potionibus particulæ aeris contentæ, nec in cibis & potionibus, & hæ in ventriculo contracto collectæ, durante frigoris momento, ab hoc compressæ fiunt, & contrahuntur in minora volumina; paulatim vero a calore viscerum circumscribentium coguntur expulso frigore quamproxime rarefieri in ratione composita densitatum aeris, densitate corporum calidorum agentium, & ex duplicata ratione agitationis corporum eorundem; cum vero vires elasticæ aeris quaquaversus expandi debeant, manifestum est ex tam adauctis rarefactionum viribus, summo nisu ac momento membranosos ventriculi parietes, jamjam contractos per quamcumque directionem arietandos ac percutiendos fuisse, ut dolores ac tormina, & convulsiones aliquando acerrimæ superveniant: ab hisce doloribus ac torminibus ultro augetur fibrarum contractio, impeditoque, aut imminuto per gastricas venas ac arterias sanguinis circulo facillime supervenire lypiriam necesse est. Quarto, contractis stomachi fibrilis, & nimis refrigerata ventriculi superficie, hepatis quoque superficies partim contactu, partim consensu contrahitur & frigescit; ob id glandulæ hepaticæ lentiori motu agentes separationi corporum ægre obediunt, & obstructæ tumores, scirrhos, inflammationes facile generant; proinde praxi medica experti sumus in febrili frigoris accessione, aquam quantumvis non frigidissimam incaute nimis epotam obstructiones in visceribus stomacho adjacentibus, aut consentientibus facillime attulisse; ex similibus enim potionibus contractis ventriculi membranis, & consensu fibrarum, membranarumque conspirantium communicata contractione glandulis viscerum adjacentium, hepatis videlicet, lienis, omenti & mesenterii &c., hæ pari lege contractæ, crispatæque non ea momenta distractionis & contractionis naturalia exercere possunt opportuna æquis motibus, justisque separationibus fluidorum; quamobrem homogeneæ fluidorum particulæ cum heterogeneis commixtæ, ac confusæ in glandulis viscerum, aut lente separabuntur, aut consistent, ut gravissimis tumoribus indurescant.

30. Hisce itaque vitiis fluidorum & solidorum reparandis celeberrimus Vallisnerius moderate calidorum aut tepescentium fluidorum usum sapienter consuluit, quorum opera momenta distractionis & contractionis fibrarum omnium in ratione homologa agunt & reagunt, promoventur separationes corporum, sanguinis circulus sustinetur, & universale stomachi magisterium roboratur. Fatetur tamen immortalis famæ præceptor, aliquando frigidissimas potiones concedi posse, dummodo ætas, temperies & calidissima temporis & morbi constitutio permittant; sed caute, opportunis temporibus morbi, & debita quantitate, ac pondere tam grave suspectumque negotium agendum esse, utilissimo tractatu edocuit. Impositorum *Mechanices Remediorum* studio ac labore exaratæ, Deo juvante, viam aperiemus.

Finis Mechanices Morborum.

ME-

MECHANICA MEDICAMENTORUM

BENEVOLIS MEDICINÆ TYRONIBUS.

Tandem aliquando, Lectores benevoli, en quarta Pars Mechanices, quam *Mechanicam Medicamentorum* appello. Nollem hic vos arbitrari, me elaboraviſſe analyſim medicamentorum, aut collegiſſe ſelectiores remediorum formulas, quas glorioſiores Clinici uſu, & praxi approbaverint; etenim in medica facultate æqua analyſis corporum deſiderari ſolum poteſt, non obtineri, quam tamen ſi in aliquibns lignis, herbis, & mineralibus intelligere velitis, ſuo loco exponentur, in reliquis uſque adhuc fruſtra ab igne, & ab arte laboratum eſt: Quo vero ad ſelectiores formulas remediorum attinet, has ultro habebitis in celeberrimis pharmacopœis, quibus nunc Reſpublica medica locupletata eſt. Noſtrum ergo Mechanici laboris inſtitutum erit, quantum probabilior ratio poſtulat, explicare; quo Mechanico opere Medicamenta agant, & reagant contra fibras machinæ animalis, a quorum diverſis actionibus, & reactionibus conſequi debeant diverſæ oſcillationes organorum, & variæ ſeparationes humorum ipſis actionibus, & reactionibus Medicamentorum, & fibrarum proportionales beneficio, aut damno machinæ humanæ. Utinam in tam arduo Mechanices Medicamentorum argumento vota veſtra, & noſtra obtinere poſſemus, profecto id nobis gratiſſimum, ac jucundiſſimum laboris præmium eſſet futurum: Cæterum ſi deficeremus, enixe rogamus, & obſecramus, ut hiſce brevibus, & levibus præeuntibus doctrinis majora, & utiliora velitis addere, & edocere. Antequam legatis ea, quæ expoſita ſunt, placeat legere paginas correctionis; in hiſce enim habentur nonnulla præmittenda, obſervanda, & corrigenda. Valete.

DE MECHANICA MEDICAMENTORUM.

Cum de *Mechanica Medicamentorum* verba facere diu animus eſſet, dicendarum rerum gravitate perterritus, quaſi ab hac ſalebroſa provincia declinare decreveram: Verum in hac re cogitanti occurrit me exercitii ac ſtudii gratia *Mechanicam Morborum* adumbraviſſe, quæ cum neceſſariam etiam remediorum mechanicam poſtularet, tandem aliquando ſtudii pariter, ac exercitii gratia coactus eſſe debueram hanc quoque *Medicamentorum Mechanicam* adumbrare.

Scio quidem medicamenta præeuntibus ratione, & experientia eligenda eſſe morborum indicationibus proportionalia; electa autem cum fuerint, & applicata ægrotantibus, arduum quidem eſſe intelligere, quomodo agant, & reagant in organa machinæ animalis: Quamvis autem negotium hoc plenum ambagibus eſſe videam, nihilominus juxta virium tenuitatem conabor de actionibus, & reactionibus, ſeu viribus medicamentorum diſputare, ſi non vera, ſaltem probabiliora aſſecuturus. Pro hoc itaque argumento claritas materiæ poſtulat, ut nonnullæ ſuppoſitiones præmittantur, quæ aut veræ, aut veriſimiles a Philoſophis, ac Medicis ratione, & experientia utentibus haberi ſolent.

SUPPOSITIO I.

Omnia principia fluidorum animalis potiſſimum in maſſa ſanguinis, quæ lato modo elemeuta etiam dici poſſunt, alia ſunt *actuoſa, & elaſtica*, alia vero ſunt *inertia, & non elaſtica*; inter actuoſa, & elaſtica numeramus particulas aereas, ſulphureas, & globulos plano-ovales; inter vero non elaſtica, & inertia numeramus aquam, ſalia cujuſcumque generis, & terras damnatas (ſi quæ fuerint,) ut in tertia parte Mechanices Morborum num. 3. indicavimus.

SUPPOSITIO II.

Ex datis Anatomicis certi ſumus, fibras animalium eſſe partes primo ſimpliciſſimas inſtar fili tenuiſſimi, ex hiſce autem ſimpliciſſimis fibris efformari alias magis compoſitas, quarum aliæ ſunt carneæ, aliæ membranoſæ, aliæ tendinoſæ, aliæ nerveæ &c., quæ varia figura donatę ſunt; alię enim ſunt rectę, alię obliquę, alię curvę, alię ſpirales &c.

SUPPOSITIO III.

Cum fibræ compoſitæ ab effectis cognoſcantur elaboratæ, aut undequaque permixtæ ex canaliculis varii generis venoſis, arterioſis, lymphaticis, & nerveis; vel ex unione, & contactu fibrarum inter ſe tangentium elaborentur canales varii generis; cumque ulterius conſtet varia eſſe fluida ſanguinea, lymphatica, & nervea; ideo ſupponimus hujuſmodi fibras eſſe repletas fluidis variæ indolis, a quibus fibræ irrigantur, nutriuntur, creſcunt, conſervantur, & moventur.

SUPPOSITIO IV.

Cum fibræ compoſitæ efformentur ex multiplici unione, contactu, & aggregato aliarum textura, mole, figura ſimilium, & diſſimilium, quæ tamen omnes una conveniunt in formatione unius compoſiti fibroſi; ideo tale compoſitum fibroſum conſiderabimus cum Philoſophis, Medicis, Anatomicis, ac Mechanicis, ut ſolidum cilindricum, aut quaſi cilindricum ſuis fluidis opportune repletum. Ita aſſumit celeberrimus Joannes Alphonſus Borellus prop. 71. ſecundi tomi *de motu animalium*, arterias & venas conſideratis exceſſu, & defectu earundem eſſe cilindricas. Hiſce præmiſſis dicendarum rerum gratia liceat ſequentes propoſitiones phyſico-mechanicas addere, ut iſtarum beneficio dicenda probabiliori ratiocinio ſtatuantur.

PROPOSITIO I.

Si fibra percuſſa, aut impulſa a potentia diſtrahatur, & elongetur; diſtractio ſeu elongatio fibræ erit ut potentia percutiens, aut impellens.

Etenim diſtractio, ſeu elongatio fibræ eſt phyſice proportionalis numeris molecularum ductis in motum diſtractionis, ſeu elongationis ejuſdem: ſed fibra percuſſa, aut impulſa a potentia eſt phyſice æqualis, & proportionalis numero particularum ducto in ſummam motuum diſtractionis, ſeu elongationis fibræ ipſius, quæ a potentia ipſi imprimitur; ergo ſi fibra percuſſa, aut impulſa a potentia diſtrahatur, & elongetur; diſtractio, ſeu elongatio fibræ erit ut potentia percutiens, aut impellens.

Corollarium.

Cum in ſtatu naturali diſtractioni, ſeu elongantioni fibræ factæ a potentia percutiente, aut impellente æqualis, & proportionalis eſſe debeat contractio, ſeu abbreviatio ſubſequens ejuſdem; ideb contractio, ſeu abbreviatio fibræ, & reſtitutio ad ſuum ſtatum naturalem poſt diſtractionem erit quoque ut potentia, quæ antea fibram diſtraxerat: natura enim cum velit perfectionem ſuarum actionum, & reactionum; ideo jure ſuo ſemper amat æquilibrium ſuorum motuum diſtractionis, & contractionis fibrarum earundem.

PROPOSITIO II.

Si fibræ fuerint craſſitie æquales, ſed longitudine inæquales, iſtæ autem percuſſæ a potentiis æqualibus diſtrahantur, ſeu elongentur, diſtractiones fibrarum erunt in ratione longitudinum, ſeu elongationum ipſarum.

Etenim diſtractiones, ſeu elongationes ſunt phyſice proportionales numeris particularum ductis in motus diſtentionum, ſeu elongationum earundem: ſed fibræ craſſitie æquales, ſed longitudine inæquales motæ, aut percuſſæ ab æqualibus potentiis impellentibus ſunt phyſice, ut numeri particularum fibras componentium ducti in ſummas motuum diſtentionum, ſeu elongationum inæqualium fibrarum ipſarum; ergo fibræ craſſitie æquales, ſed inæquales longitudine motæ, aut percuſſæ ab æqualibus potentiis erunt in ratione longitudinum, ſeu elongationum ipſarum.

Aliter. Fibræ craſſitie æquales, ſed inæquales longitudine ſunt ut cilindri (per Suppoſitionem quart.) æqualium baſium, inæqualium vero altitudinum, ſeu elongationum percuſſi a potentiis æqualibus: ſed cilindri æqualium baſium, longitudinum vero inæqualium ſunt (per 14. 12. Eucl.) ut altitudines, ſeu longitudines, & elongationes eorundem; ergo fibræ craſſitie æquales, ſed longitudine inæquales motæ, aut impulſæ a potentiis æqualibus, erunt in ratione longitudinum, ſeu elongationum ipſarum.

Corollarium.

Cum in ſtatu naturali, per corollarium primæ propoſitionis, diſtractioni, elongationi, ſeu longitudini fibrarum eſſe debeat adamuſſim æqualis, & proportionalis contractio, ſeu abbreviatio ipſarum; ideo ſi fibræ diſtractæ a potentiis æqualibus fueriur craſſitie æquales, ſed longitudine inæquales, contractiones, ſeu abbreviationes ipſarum poſt diſtractiones erunt iu ratione longitudinum, ſeu elongationum fibrarum earundem.

PROPOSITIO III.

Si fibræ fuerint craſſitie inæquales, longitudine vero æquales, iſtæ autem diſtrahantur, & elongentur æqualiter a potentiis æqualibus, diſtractiones, ſeu elongationes erunt in ratione craſſitierum, ſeu baſium fibrarum, ſeu in duplicata ratione diametrorum craſſitierum, ſeu baſium earundem.

Fibræ enim craſſitie inæquales, longitudine vero æquales, ſi elongentur, & diſtrahantur æqualiter quoad longitudinem a potentiis æqualibus, ſunt ut ſolida ciliudrica (per Suppoſitionem quartam) longitudine æqualia, craſſitiebus vero, ſeu baſibus inæqualia: ſed cilindri longitudine æquales, craſſitiebus vero, ſeu baſibus inæquales ſe habent ut baſes (per corollarium prop. XI. 12. Eucl. Tacquet;) ergo fibræ: quæ motæ, ac percuſſæ a potentiis æqualibus diſtrahantur, & elongentur æqualiter quoad longitudinem, erunt inter ſe ut craſſities, ſeu baſes ipſarum: ſed baſes cilindrorum ſunt circuli, & hi per ſecund. prop. 12. Euclidis, ſunt in ratione duplicata diametrorum; ergo baſes, ſeu craſſities fibrarum cilindricarum æqualiter diſtractarum, ſeu elongatarum a potentiis æqualibus, quæ fuerint longitudine æquales, craſſitiebus vero, ſeu baſibus inæquales habebunt diſtractiones, ſeu elongationes earum in ratione duplicata diametrorum craſſitierum, ſeu baſium earundem.

Cor-

Corollarium.

Si fibræ crassitie inæquales, æquales vero fuerint longitudine, distractæ autem, & elongatæ fuerint a potentiis æqualibus: contractiones ipsarum post distractiones erunt quoque in statu naturali in ratione crassitierum, seu basium, seu in ratione duplicata diametrorum crassitierum, seu basium earundem.

PROPOSITIO IV.

Fibra distracta & elongata a potentia impellente, aut percutiente ad eandem fibram non distractam, est in ratione composita ex ratione directa potentiæ impellentis, aut percutientis, directa longitudinis fibræ distractæ ad eandem fibram non distractam, & reciproca ratione crassitiei ejusdem fibræ non distractæ ad fibram eandem distractam.

Sit enim fibra cilindrica KCM in statu naturalis longitudinis, cujus crassities, seu basis sit KCO, longitudo KM; hæc autem fibra a potentia A impellente impellatur, aut percutiatur, ita ut distracta elongetur, & efficiat fibram cilindricam VGN, cujus basis, seu crassities sit VGS, longitudo VN, dico quod distractio, seu elongatio fibræ VGN facta a potentia A impellente ad eandem fibram KCM non distractam, est in ratione composita ex ratione directa potentiæ A impellentis, seu percutientis, directa longitudinis VN fibræ distractæ VGN ad longitudinem KM non distractæ, & ex ratione reciproca crassitiei, seu basis KCO fibræ non distractæ KCM, ad crassitiem, seu basim VGS fibræ VGN distractæ.

Etenim cum fibra cilindrica KCM in statu naturalis longitudinis sit ipsamet ex hypothesi, quæ a potentia A impellente, aut percutiente elongatur, & distrahitur in fibram cilindricam VGN, erunt istæ duæ fibræ cilindricæ KCN, VGN ut duo cilindri æquales, sed cilindri æquales (per 15. 12. Eucl.) reciprocant bases, & altitudines; ergo ita erit longitudo MK cilindri KCM non distracti, ad longitudinem VN cilindri distracti VGN a potentia A, ut reciproce est basis, seu crassities VGS ejusdem fibræ cilindricæ VGN distractæ ad basim, seu crassitiem KCO fibræ cilindricæ non distractæ KCM: sed longitudo VN fibræ elongatæ, & distractæ VGN est ut potentia A impellens (per primam prop. hujus)

Cilindri autem KCM, & VGN æquales componuntur reciproce ex his, ex quibus per multiplicationem efficiuntur per expositam xv. prop. 12. Euclidis; ergo fibra cilindrica VGN distracta, & elongata a potentia A impellente, aut percutiente ad eandem fibram cilindricam KCM non distractam, sed in naturali statu constitutam est ratione composita ex ratione directa potentiæ A impellentis, aut percutientis, directa longitudinis VN fibræ distractæ VGN ad longitudinem KM fibræ non distractæ KCM, & reciproca ratione basis, seu crassitiei KCO fibræ non distractæ ad basim, seu crassitiem VGS fibræ distractæ, & elongatæ a potentia A. Q. E. D.

DISSERTATIO I.

De Motu elastico, seu oscillatorio Fibrarum in genere.

CUm fibræ compositæ sint elaboratæ ex multiplici unione, & aggregato fibrillarum, & vasorum cujuscunque generis, in quibus continentur, & fluunt fluida sanguinea, lymphatica, & nervea, cumque hæc donata sint particulis elasticis, & non elasticis, (per primam Suppos.), ergo necessario hæc fluida elatere prædita communicare debebunt motum elasticum, aut quasi elasticum fibris ipsis circumscribentibus fluida ipsa: Etenim ex mechanicis effectus sunt causis suis adequatis proportionales: sed fluida contenta fluentia per fibras elasticæ sunt causæ, quæ agunt, & reagunt in fibris, & in fibras circumscriptas, seu continentes; ergo effectus, seu impetus communicati fibris continentibus elastici, aut quasi elastici erunt futuri. Cum autem motus elasticus, aut quasi elasticus postulet jure suo motum compressionis, seu contractionis, cui vicissim respondet proportionalis motus dilatationis, seu distractionis, per definitionem 48. Wolfii *de motu corporum* ex percussione; ergo motus elasticus fibrarum erit motui compressionis, seu contractionis, & vicissim motu dilatationis, seu distractionis earumdem proportionalis, seu sub alio nomine æquipollens erit, & similis motui oscillatorio earundem, ut colligitur ex definitione 34. Wolfii *de motu pendulorum*.

2. Tanto itaque operi elastico, aut quasi elastico, sive oscillatorio, aut quasi oscillatorio fibratum conspirat ipsamet naturalis structura, & organica constitutio ipsarum; fibræ enim compositæ elaborantur ex fibrillis, quarum aliæ sunt circulares, aliæ rectæ, & inter se parallelæ, quæ circulares secant ad angulos rectos (per secundam Suppositionem;) nonnullæ aliæ obliquæ, quæ priores ad angulos obliquos intersecant, denique aliæ sunt spirales, quæ fortitudinis gratia fibras omnes circumligant. Cum itaque fibræ universæ tam a motibus internis, quam ab externis objectorum, nec non a progressivis viventium animalium impelli, ac moveri, & diversimode inflecti necessario debeant; ideo fibræ universæ juxta varias directiones, flexiones, & inflexiones, cum multiplices efficiant angulos, variasque curvitates acquirant, futuræ erunt in continua mutatione angulorum, & curvitatum, acquirendo modo majores, modo minores, modo æquales angulorum, & curvitatum mensuras. Verum cum majoribus angulis fibræ oppositæ, quæ se habent, ut opposita latera angulorum magis distractæ, & elongatæ fiant, ideo cum ad ultimum terminum suæ naturalis distractionis pervenerint, conabuntur in statu naturali constitutæ ad naturalem contractionis statum, seu ad naturales suos angulos sese restituere. Istæ autem distractiones, & proportionales contractiones fibrarum cum successiva vicissitudine angulorum modo majorum, modo minorum fieri debeant, profecto exercere debebunt successivas actiones, & reactiones similes, & æquales actionibus distractionum, & reactionibus contractionum fibrarum simili lege corporum elasticorum, & oscillantium methodo pendulorum.

3. Similiter si anguli fuerint minores, tunc fibræ eædem oppositæ, quæ se habent ut latera opposita angulorum, contractæ reddentur, & abbreviatæ; etenim fibræ universæ suis donantur porositatibus, spatiolis, sive areis intermediis, quæ cum stringi, ac claudi possint; ideo opportunum contractioni locum dabunt, quotiescunque fibræ minoribus angulis oppositæ contrahi tenentur. Cum autem momentum contractionis tale fuerit, ut clausis porulis, ac spatiis fibrarum fibræ contractæ devenerint ad ultimum terminum suæ contractionis, tunc cum amplius contrahi non possint fibræ elasticæ, coactæ erunt in statu naturali constitutæ ad naturalem suæ distractionis statum, seu ad majores angulos rursus se se restituere; quæ contractiones fibrarum & proportionales distractiones ipsarum cum successiva vicissitudine motuum fieri debeant; ideo sequi debebunt successive reactiones contractionum proportionales actionibus distractionum fibrarum simili lege corporum elasticorum, & oscillantium methodo pendulorum.

4. Quod autem fibræ contractæ restrictis, & clausis porulis, ac spatiis fibrarum cum pervenerint ad ultimum terminum suæ elasticæ contractionis, coactæ sint ad naturalem suæ elasticæ distractionis statum se se restituere; pariterque fibræ eædem distractæ cum pervenerint ad ultimum terminum suæ elasticæ distractionis, coactæ sint naturalem statum suæ elasticæ constrictionis repetere, constare videtur primo a natura ac lege corporum elasticorum, quæ quanto compressionem patiuntur, tanto acquirunt dilatationis, & distractionis; deinde certum est quod fibra contracta ad ultimum terminum suæ elasticæ contractionis, & eadem fibra cum distracta fuerit ad ultimum terminum suæ elasticæ distractionis, se habent ut duo cilindri æquales: sed cilindri æquales reciprocant bases, & altitudines (per 15. 12. Euclidis); ergo fibra elastice contracta quanto erit minor longitudine, seu altitudine, eo mole, & crassitie erit major; & eadem fibra cum elastice distracta fuerit, quanto fiet mole, & crassitie minor, tanto fiet major longitudine; quare ita erit major moles fibræ contractæ ad minorem molem ejusdem fibræ distractæ, ut reciproce est major longitudo hujus fibræ distractæ, ad minorem longitudinem ejusdem fibræ contractæ, consequenter patebit ex geometricis fibram elastice contractam oppositam angulis minoribus, sed mole majori redditam, hanc mole & crassitie adauctam elatere suo comprimere debere fibras sibi proximas, tangentes, & e directo oppositas, & ab iisdem proportionaliter urgeri, & elastice comprimi; quamobrem cum hæc fibra contracta perventa fuerit ad ultimum terminum suæ elasticæ contractionis, & majorem molem, ac crassitiem acquisiverit, tunc hæc coacta erit ab ultimo termino suæ elasticæ contractionis transire postmodum ad naturalem statum suæ elasticæ distractionis, non solum beneficio elateris sui, verum etiam opere, & vi externa fibrarum adjacentium, tangentium, & e directo oppositarum adauctas moles, & crassities fibrarum elastice comprimentium.

5. Similiter cum fibra hæc elongata, & opposita majoribus angulis elastice pervenerit ad ultimum terminum suæ naturalis longitudinis, tunc cum hæc elasticum conatum, & impulsum fecerit in fibras sibi proximas, tangentes, & oppositas basibus cilindrorum, & ab iisdem proportionaliter elastice urgeatur, & comprimatur, coacta erit non solum beneficio elateris sui, verum etiam opere, & vi externa fibrarum tangentium, & oppositarum basibus cilindrorum transire ab ultimo termino suæ elasticæ distractionis ad natutalem statum suæ elasticæ contractionis.

6. Favet ulterius motui elastico, & oscillatorio fibrarum animadversio Borelli prop. 70. *de vi percussionis*, in qua demonstratur, quod in fibris universis quanto in inflexionibus, & curvitatibus fibrarum superficies convexæ augentur, & crescunt; tanto superficies in parte concava stringuntur, contrahuntur, & clauduntur; quamobrem cum fibræ internæ in parte concava redditæ fuerint adeo strictæ, & angustæ, ut ad ultimum terminum suæ contractionis, & compressionis devenerint, cogentur & opere elateris, & fibrarum constrictarum ad naturalem statum suæ elasticæ distractionis sese restituere; hinc hac successiva vicissitudine motuum constrictionis, & dilatationis superficierum in parte convexa, & concava, eadem sequi debebunt phænomena, quæ exposuimus opere majorum, aut minorum angulorum.

7. Hæc ultro ostenduntur ab elasticis machinulis rhomboidalibus, cum celeberrimo Borello, aut sphæroidalibus, cum immortalis famæ Bernnollio, quibus compositæ fibræ in flexionibus, & inflexionibus, in curvitatibus, & reliquis motibus animalium machinulæ istæ elasticæ comprimantur, & elastico nisu proportionaliter debeant dilatari, profecto hæ elasticum, & oscillatorium fibrarum motum omnino patefacient.

8. Denique satis superque hunc elasticum, & oscillatorium fibrarum motum ab experimentis ipsis edocuit Bellinus prop. 1. de villo contractili scribens, *per totum tempus quo animalia vivunt sive in aquis, sive in aere, sive in solo degant, vi contractionis, & distractionis aguntur ipsorum musculi, ipsorumque partes sentientes*. Et sane fateor me summa cum admiratione observavisse in bove, cui recenter abscissum fuerat collum, universas colli fibrillas continuo & successivo motu contractionis, & distractionis oscillavisse, ita ut hujusmodi elasticæ oscillationes secundum distractionem, & successivam contractionem per horam circiter manifestissime perduraverint.

9. Ab his ergo quæ hic dicta sunt, & quæ secunda parte *Mechanices Morborum* a num. 4. usque ad num. 8. enunciata fuerunt, colligere jure ac merito possumus modum elasticum, seu oscillatorium fibrarum esse radicem, ac causam motus peristaltici intestinorum. Animadvertendum inde est, hunc motum oscillatorium in aliquibus fibris esse majorem, ut in fibris intestinalibus, in aliquibus minorem; in aliquibus vero minimum juxta majores, aut minores, aut minimas angulorum, aut superficierum mensuras, & impetum majorem, aut minorem fluidorum, & corporum impellentium. Quamobrem scitote ex naturæ legibus amantis æquabilitatem, & proportionem motuum tam in fluidis, quam in solidis, in statu naturali singulas fibrarum oscillationes aut majores, aut minores, aut minimas, semper juxta suam naturam, evenire isochronas, & æquabiles; hinc si diaphana essemus corpora, profecto admirando, & jucundo spectaculo videremus fibras universas vario oscillationum gradu abbreviari, & elongari magis, aut minus juxta majorem, aut minorem quantitatem fluidorum agentium, & reagentium, & juxta majorem, aut minorem vim, & solicitationem corporum internorum, aut externorum, aut utrorunque contra fibras; servata semper juxta suos gradus motuum æquabilitate.

10. Ultimo colligere possumus fibras cujuscunque generis, quæ

vel vasa componunt, vel se habent ut vasa æquabilibus, & isochronis suis oscillationibus semper promovere & impellere æqualia fluida, temporibus quoque æqualibus per has fibras transeuntia, ita ut in statu naturali nulla fluidi transeuntis portio detineri debeat, præter illam minimam, quæ nutritioni inservit, sed tota transiens æqualiter, & isochrone promoveatur ulterius temporibus æqualibus operibus naturæ famulatura.

DISSERTATIO II.

In quo consistat Sanitas, & Ægritudo.

11. CUm natura sit sapientissima geometra omnia disponens numero, pondere, mole, figura, motu, & tempore, necessarium erat ipsam quoque amare voluisse proportionem in quibuscunque physicis operibus machinæ animalium secundum numerum, pondus, molem, figuram, motum, & tempus. Fateor hic me a rigore geometricæ proportionis præscindere, eam tantummodo proportionem intelligens, quæ cum aliqua latitudine servet tamen unitatem compositi; cum ergo in proportione nitatur unitas, & ordo naturalis compositionis tam in fluidis, quam in solidis, cumque proportio æqualitatis, aut quasi æqualitatis momentorum corporum componentium potissimum sit illa, quæ primario inserviat, & conferet majori, & perfectiori nexui, unitati, & ordini pro acquirendo æquilibrio, aut quasi æquilibrio corporum inter se gratia valetudinis obtinendæ, & conservandæ; ideo in præsenti operæ pretium erit, ut Physico licet, considerare quomodo obtineri possit hic necessarius nexus, hæc necessaria unitas, hic necessarius ordo, seu hoc æquilibrium, aut quasi æquilibrium tam in fluidis, quam in solidis inter se, ut in machina animali opportuna sanitas habeatur, & conservetur. Cum itaque natura geometra totis viribus amet, ac velit sustinere, ac conservare animalia in perfecto sanitatis statu constituta, ideo æquilibrium, aut quasi æquilibrium fluidorum primo firmare decrevit. Quamobrem non tædeat primo expendere fluidum sanguineum, cum hoc sit basis, fons, & origo reliquorum fluidorum, a quibus omnibus universæ actiones vel sanæ, vel ægræ cognoscendæ potissimum sunt, nec non solidorum omnium nutritiones, vires, motus, ac momenta.

12. Apertum est itaque ab experimentis fluidum sanguineum compositum esse ex corporibus similibus, & dissimilibus numero, mole, pondere, & figura, & ex corporibus fibrosis retis in modum dispositis; hoc ergo in limine liceat colligere admirandum naturæ artificium in naturali massæ sanguineæ compositione. Cum natura indigeat in hoc fluido sustinere, & conservare quantum possibile est unionem, & nexum particularum componentium, multiplici artificio, ac opere uti voluit, ac debuit; quorum primum externum est, quod desumitur a canalibus; secundum colligitur a fibrosa, & reticulari compage ejusdem crassamenti sanguinei; tertium a geometrica mixtione, ac dispositione parricularum sanguinis in ratione reciproca, aut quasi reciproca ipsarum; quartum denique ab universali aeris circumambientis pressione.

13. Ad primum quod attinet: canales arterioli cum conicam figuram describere videantur transeundo successive a sectione majori ad minorem, sunt ipsi, qui sanguineum fluidum excipiunt a corde; sanguis itaque a corde impulsus momento quidem maximo, & ratione musculi cordis impellentis, & ratione elastica particularum sanguinis impulsi non unionem, & nexum, sed dissolutionem acquireret summo naturæ periculo, nisi arteriæ conica sub figura elaboratæ unioni, & nexui sanguinis primo succurrerent; & sane cum conicæ arteriæ a basi successive decrescant quoad diametros, & peripherias in ratione arithmetica, sectiones autem sive areæ ipsis diametris respondentes successive decrescant in ratione quadrata suorum diametrorum, manifestum erit, quod si diameter basis arteriæ fuerit ut 10, successive autem decrescentes diametri fuerint ut 9, ut 8, ut 7, ut 6, ut 5, ut 4. &c.; sectiones istis diametris successive decrescentibus respondentes futuras esse ex geometricis in ratione quadrata decrescenti videlicet ut 100, ut 81, ut 64, ut 49, ut 36, vt 25, ut 16, &c.; Ex tot autem sectionum, sive arearum decrementis unusquisque intelliget quantum moles sanguinis coacta transire a sectione majori ut 100. ad sectiones successive minores, & decrescentes, ut indicavimus, quadrata diametrorum ipsis respondentium densari, ac stringi debeat, & in unione, ac nexu detineri, ita ut massa sanguinis successive densior, strictior, & collectior reddenda sit.

14. Neque obstat transitus sanguinis ab arteriis conice decrescentibus in venas, quæ sunt conica spatia successive crescentia in ratione similiter quadrata suorum diametrorum: etenim sanguis ab arteriis delatus in venas in exposita ratione crescentes defertur absque notabili unionis, & naturalis nexus detrimento: omnia enim experimenta in hoc convenire videntur venosum sanguinem multas particulas actuosas, volatiles, & elasticas deperdere in multiplici circulatione, in nutritione partium, & transpiratione, propterea cæteris paribus venosum sanguinem multo minoris momenti esse sanguine arterioso; Hinc natura geometra utens proportione quantum potest, tantum majoris spatii tribuere debuerat sanguini per venas effluxuro, quantum proxime amiserat virium, & momentorum in circulatione, in nutritione, & transpiratione; jure itaque, ac merito natura consuluit augere in venis tantum spatii, quantum reciproce, aut quasi reciproce deperdiderat sanguinis motus elateris, aut sanguis in venis, & beneficio majoris spatii, & valvularum per venas effusarum æquabili cursu, aut quasi æquabili, ac in arteriis, esset circulaturus: Cum ergo æquabilitas motus sanguinis in venis sustineatur, & conservetur, ac in arteriis, colligere justo possumus unionem, & nexum massæ sanguinis in venis pariter esse conservandum, ac in arteriis pro universali unione, & nexu fluidi sanguinei in machina animali.

15. Verum si juxta Borellum considerare voluerimus tam arterias, quam venas, ut canales, qui, consideratis excessu, & defectu inter se proportionalibus, apti sunt constituere ordinem, ac legem motuum cilindricis canalibus proportionalem, juxta quartam Suppositionem; profecto cum in tali suppositione æquabilitas, & proportio motuum, & momentum compositi sanguinei tam in arteriis, quam in venis sustineri debeat, & conservari, nullum certe vitium dissolutionis, sed proportionale quaquaversus beneficium unitatis, nexus, & ordinis sanguinei compositi tam in arteriis, quam in venis erit oriturum.

16. Deinde tantum cordi fuit naturæ sustinere, ac conservare expositam unionem; & nexum particularum sanguinis inter se, ita ut texturam sanguinis amaverit, munitam fibrosis, & reticularibus filamentis: ocularia enim sanguinis experimenta satis superque ostendunt adesse hujusmodi reticulares fibrillas, præter ea quæ attentissime observaverunt celeberrimi viri Boileus, Levenokchius, & Malpighius; Isti itaque fibrarum ordines effusi per longitudinem, & latitudinem compositi sanguinei, & parallelis positionibus dispositi, reticulares figuras describunt unionem, & nexum sanguineis particulis donaturi: Cum vero fibrosum hoc sanguinis crassamentum varias subeat canalium pressiones, varios impetus corporum elasticorum, & non elasticorum, & multiplices vasorum inflexiones, & curvitates, per quas fluere debet, ideo fibrosæ reticulares areæ esse necessario debebunt in continua mutatione angulorum. Quamobrem si istæ areæ fuerint quadratæ ex mutatione angulorum oppositorum rombos describent, ut inde in figuras quadratas restituantur; quod si areæ fuerint quadratæ ex mutationibus pariter angulorum oppositorum evenient [illegible]boideæ in quadrilateras postmodum restituendæ.

17. Neque credendum est, has continuas angulorum mutationes in fibris crassamenti sanguinei parere posse divisiones, & dissolutiones corporum componentium, etenim potius unionem, & nexum alte donant; areæ enim reticulares positæ in continua mutatione angulorum ex legibus hysoperimetris successive majores, & minores fiunt; cum vero in transitu majoris areæ ad minorem sequi debeant in particulis elasticis, & non elasticis modo magis, modo minus contentis majores contactus, pressiones, & miscellæ corporum contentorum inter se, ideo non leve beneficium ab hisce mutationibus angulorum erit secutum; & sane natura, cum recte operetur, tali proportione permiscere debet particulas elasticas, & non elasticas inter se, ita ut evenire debeant momenta corporum massæ sanguinis in ratione æqualitatis, aut quasi æqualitatis: sed hæc æqualitas, aut quasi æqualitas momentorum corporum elasticorum, & non elasticorum inter se similium, & dissimilium neque haberi, neque concipi possunt, nisi elementa componenentia ex geometricis tali ordine, ac proportione misceantur, ita ut hæc proportio sit reciproca, aut quasi reciproca corporum inter se; ergo colligere poterimus, naturam geometram amantem unionem, & nexum elementorum sanguinem componentium in motibus sanguinei compositi tali proportione reciproca, aut quasi reciproca miscere voluisse ac debuisse elementa elastica, & non elastica massæ sanguinis, ut ab reciproca mixtionis methodo momenta corporum elasticorum, & non elasticorum inter se evenirent æqualia, aut quasi æqualia, æquiponderantia, aut quasi æquiponderantia inter se.

18. Quod exposuimus usque adhuc de mixtione elementorum sanguinis in ratione reciproca, aut quasi reciproca; simile dicendum erit de elementis componentibus lympham fluentem per canales lymphaticos, & de componentibus succum nerveum fluentem per nervos, quæ duo fluida cum secernantur a fluido sanguineo tanquam basi fluidorum omnium machinæ animalis, ideo sub iisdem, aut similibus legibus proportionum debent considerari, ut perfecta sanitas habeatur, & conservetur.

19. Denique tanto operi unionis, & nexus elementorum sanguinis alte succurrit universalis, & æquabilis pressio atmosphæræ, quæ universa non solum fluida, sed etiam solida quaquaversus, & æquabiliter circumscribens, & comprimens determinatum pressionis momentum producit, unde determinata unio, & nexus tam in fluidis, quam in solidis opportune consequatur.

20. Descendamus modo ad solida organica; solida enim omnia cum in statu naturali constituta conspirare unice debeant ad unitatem, & nexum omnium componentium machinæ animalis sustinendum, & conservandum, idcirco vel mole, vel numero, vel momentis &c. suas vires exercere debent, quæ sint æquipollentes, aut quasi æquipollentes moli, numero, & momentis &c. aliarum partium, quæ sint prioribus partibus similibus respondentes. Cum itaque hæc fuerint, tunc solida inter se æquabilem, aut quasi æquabilem proportionem momentorum habebunt inter se. Ulterius contractiones, & distractiones solidorum ipsorum fient æquabiles, & isochronæ, propterea hujusmodi solida tali proportione æquabili, aut quasi æquabili constituta communicando impetus, & pressiones canalibus cujuscunque generis æquabiles, & isochronas communicare, & conservare debebunt æquabilem, & isochronum motum fluidis quibuscunque in machina animali; Viciissim cum fluida cujuscunque generis fuerint in naturali statu, ac proportione æquabili, aut quasi æquabili constituta, hæc proportionales impetus communicare, & ipsa debebunt solidis ipsis continentibus, idcirco cum juxta talem ordinem, ac proportionem sequantur actiones, & reactiones tam fluidorum in solida, quam solidorum in liquida cujuscunque generis; hinc in statu naturali perfectissimæ sanitati tam proportio reciproca, aut quasi reciproca momentorum particularum sanguinis, & fluidorum inter se, quam homologa ratio fluidorum, & solidorum pariter inter se, itemque solidorum unius generis, & solidorum alterius homologa proportio habendæ erunt pro actionum, & reactionum tam in fluidis, quam in solidis æquilibrio, aut quasi æquilibrio acquirendo, & conservando, ut sanitas habeatur, & conservetur. Similes proportionum leges tam in fluidis, quam in solidis putaverim intellexisse Hippocratem, cum libro de alimento docuerit, *consonantiam, & dissonantiam esse sanitatis & morbi signa.*

21. Quamobrem hisce legibus statuta ratio sanitatis facile hæc alterabitur, aut perdetur, cum vel momenta elementorum sanguinis, aliorumque fluidorum notabiliter declinaverit a proportione reciproca, aut quasi reciproca ob vitium numeri, aut molis, aut ponderis, aut figuræ elementorum fluida componentium, aut ob vitium densitatis, laxitatis, & asperitatis ipsorum, vel cum homologa proportio inter fluida, & solida notabile vitium fecerit, tunc enim ægritudines, & morbi necessario sequi debebunt; hoc enim in statu elementa fluidi sanguinei non perfecte inter se permiscentur, non fiunt intimi contactus, non intimi occursus particularum, neque intimæ, & æquabiles actiones, & reactiones earundem inter se; quamobrem in contactibus, & occursibus corporum inordinatis, inæqualibus, & asymmetris actiones, & reactiones evenient inordinatæ, inæquales, & asymmetræ, eversaque unitate, ac deperdito

nexu,

nexu, & æquilibrio corporum omnia ad divisionem, & dissolutionem sanguinei compositi inclinare videbuntur; ab hisce autem consequentur alterationes, & paulatim vitiosæ miscelæ, ac vitiosi status in reliquis fluidis lymphaticis, & nervosis, quæ a vitiato sanguine continuo secernuntur.

22. Pariter si organica solida vel numero, vel mole, vel pondere, vel superficie, vel situ, vel motu &c. peccaverint, tunc solida vel nimis laxa, vel nimis densa, vel vitiose conformata organicas ægritudines erunt productura, quæ ut plurimum ob improportionem solidorum cum fluidis parere quoque potuerunt plurimos morbos fluidorum graviori animalium detrimento.

23. Ex hisce omnibus primo necesse est colligere, quod cum in vero sanitatis statu momenta fluidorum debeant esse in æquilibrio, aut quasi æquilibrio constituta, pariterque solida esse debeant inter se, & cum fluidis proportionalia; ideo corpus in vero sanitatis statu constitutum sentire debebit se se in omnibus suis partibus æquabiliter læve, æquibiliter forte, æquabiliter constans, æquabiliter mobile.

24. Similiter cum in statu ægritudinis momenta fluidorum agant, & reagant sine æquilibrio, neque proportionialia sint motibus solidorum, neque solida inter se aptam proportionem habeant; ergo animal in statu ægritudinis sentire debebit, aut pati vel in toto, vel in parte nescio quid vel gravioris, vel præternaturaliter lævioris, vel laxioris, vel durioris, vel calidioris, vel frigidioris &c.

DISSERTATIO III.

De Actione Medicamentorum in genere.

25 Fluida, & solida esse composita ex particulis, seu elementis inertibus, & non elasticis, & ex particulis actuosis, & elasticis ab experimentali Philosophia manifestum est. Cum vero singula corpora agant in alia, quibus occurrunt, per contactum, idcirco istæ inertes, & non elasticæ particulæ mole, pondere, ac superficie agent in corpora, quibus contactu unientur. Particulæ vero actuosæ, & elasticæ præter molem, pondus, & superficiem, motu etiam, & elatere suas vires, ac momenta exercebunt contra corpora illa, cum quibus contactum, vel mediatum, vel immediatum efficient. Ulterius cum corpora quælibet juxta experimenta Boilei de effluviis corporum dividi possint in partes infinite parvas, & divisæ effundi debeant quaquaversus facile, prompte, & expedite per universam fluidorum massam non solum ex se, verum etiam auxilio circulationis sanguinis, ideo juxta hæc evenient nonnulla in præsenti a nobis consideranda pro opportunitate eorum, quæ de actione medicamentorum erimus exposituri.

26. Boileus itaque libro de effluviis expertus est, universa corpora sua effluvia quaquaversus emittere, ut singula circum semetipsa peculiarem atmosphæram describant, singulorum tamen corporum viribus proportionatam. Cum autem vires, seu momenta corporum effluentium eo majores, & validiores numero, ac momento habeantur, quo minus, ex Mechanicis, distant a centro corporis illius, a quo effluvia emanant, & vicissim vires, ac momenta effluviorum ea minora sint, quo magis effluvia distant a centro corporis illius, e quo effluvia illa procedunt; idcirco demonstratum est a Mechanicis has vires, seu momenta effluviorum esse in ratione reciproca quadrati distantiarum a centro corporum illorum, a quibus effluvia illa effluxerunt. Cum ergo vires ac momenta effluviorum tali proportione agent in corpora, quibus aut immediato, aut mediato contactu impetum secum communicant; ideo corpora mota, impulsa, aut percussa a momentis corporum effluentium excipient motus, impetus, seu percussiones in ratione reciproca quadrati distantiarum a centro corporum illorum; hinc mensuræ motuum, seu percussionum communicatarum corporibus, seu fibris excipientibus vires, ac momenta effluviorum jure ac merito desumendæ erunt a ratione reciproca quadratorum distantiarum a centro corporum illorum a quibus effluvia illa promanarunt.

27. Ab his constat corpora medicamentorum, a quibus emanant effluvia in punto contactus agere, & reagere contra fibras majori vi ac potentia; in puncto enim contactus eorum corporum, a quibus effluvia emanant, nulla adest distantia corporis, a quo effluvia exeunt a fibris tangentibus, sed totalis præsentia contactus, hinc nulla effluvia deperduntur in illo contactus puncto, sed tota agunt, & reagunt in fibras tangentes; propterea in puncto contactus corporis corpora, & effluvia agentia, & reagentia majori vi ac potentia agent, & reagent quam in quacunque alia positione, ac distantia. Et sane in quacunque alia positione, ac distantia, semper effluviorum vires imminuuntur, & decrescunt in ratione reciproca quadrati distantiarum a corpore, a quo effluvia ipsa emanant. Ut hæc exemplo innotescant, sit corpus medicamenti A, quod emittat effluvia per distantiam ut unum, in qua distantia ut unum habeatur contactus corporis emittentis effluvia cum fibris, pariter idem medicamentum A emittat effluvia ad alias fibras animalis per distantiam ut duo: manifestum est quod cum effluviorum vires decrescant in ratione reciproca quadratorum distantiarum a centro corporis A emittentis effluvia, manifestum inquam est vires medicamenti A in puncto contactus cum fibris, seu in suppositia distantia ut unum, relate ad vires medicamenti ejusdem A in distantia ut duo, se habere, seu agere in ratione reciproca ut 4; in distantia vero ut 2 a fibris vires effluviorum medicamenti A agere in ratione reciproca ut unum. Similiter si corpus medicamenti A emittat effluvia per distantiam ut duo ad fibras, & idem corpus emittat effluvia per distantiam ut ter ad alias fibras, apertum erit vires medicamenti A in distantia ut duo se habere ut 9, relate ad vires medicamenti A in distantia ut ter; in distantia vero ut ter a fibris vires agentes effluviorum ejusdem medicamenti A se habere, & agere in reciproca ratione ut quatuor proxime, cum in physicis præcisæ, & geometricæ proportiones servari non soleant suppositia in omnibus æqualitate effluviorum.

28. Hisce præmissis, ad ulteriora progrediamur. Istæ vires seu momenta corporum, aut effluviorum emissorum a corporibus, vel habentur ab opere *superficierum corporum*, aut *superficierum effluviorum* contra fluida, aut solida, cum quibus corpora, aut effluvia uniuntur, & facto contactu alligantur.

Vel habentur opere *figuræ corporum* emittentium effluvia, aut effluviorum emissorum, quam habent, aut quam acquirunt in miscela cum reliquis corporibus aut fluidis, aut solidis.

Vel habentur opere *motus*, & *elateris* corporum emittentium effluvia, aut effluviorum emissorum, qui motus, & elateres communicantur aut fluidis, aut solidis, cum quibus unionem, contactum, aut alligationem acquirunt, ac sustinent.

Denique habentur ab opere *ex hisce omnibus composito*; de quibus sigillatim hic erimus locuturi, in genere tamen, cum inferius ad singularia, & specifica effecta descenderimus, de singularibus medicamentorum viribus necessaria exposituri.

29. Primo itaque medicamentorum corpora agent vel in fluidis, vel in solidis, vel in utriusque opere *superficierum corporum*, aut *superficierum effluviorum* contra fluida, aut solida, aut contra utraque, cum quibus corpora, aut effluvia uniuntur, & facto contactu alligantur; Ergo superficies istæ, quæ sunt quantitates extensæ ex geometricis quoad longitudinem, & latitudinem vel erunt *ramosæ*, aut *humatæ*. Sint ergo superficies corporum, aut effluviorum primo ramosæ, aut humatæ, tunc corpora, aut effluvia ista communicata fluidis, vel solidis, vel utrisque apta erunt ramosis, aut hamatis suis superficiebus circumscribere quaquaversus, & quodammodo amplecti particulas tam fluidas, quam fibrosas sanguinis, lymphæ, & succi nervei, pariterque circumscribere, & amplecti solidas fibras organorum, cum quibus unionem, & contactum habent; quare circumscriptis, & amplexis vel fluidis, vel solidis, vel utrisque, statim acquirunt corpora inscripta una cum circumscriptis majores moles, & superficies, cum autem superficies corporum, si similes fuerint, & augeantur, & crescant in ratione quadrata, ex geometricis, moles vero in ratione cubica suorum diametrorum, aut suorum laterum homologorum; si vero in superficiebus corporum moles fuerint dissimiles, augeantur, & crescant in ratione composita ex rationibus basium, & altitudinum corporum ipsorum, patebit quam facile, quam prompte, quam necessario augeri debeant densitates corporum ipsorum inscriprorum, & circumscribentium; cum autem densitates ex Mechanicis sint ponderibus proportionales, constabit ulterius quantum augeri debeant, & gravitates corporum istorum: Hinc fluida, & solida, vel utraque tali methodo circumscripta a superficiebus ramosis, aut hamatis corporum, aut effluviorum corporum ipsorum irretire, ac ligare debebunt magis, aut minus fluida, & solida, cum quibus uniuntur juxta majores, aut minores numeros ramorum, hamorum corporum, aut effluviorum, & juxta majores, aut minores densitates, & superficies ipsorum &c. aut saltem notabiliter fluidorum, & solidorum motum retardare, talia effecta multo probabiliter fiunt a corporibus opiatis, aut opio analogis, cum similia corpora, aut istorum corporum effluvia ab effectis judicanda sint superficiei ramosæ, aut hamatæ. Quamobrem medicamenta talis indolis, ac naturæ *aut opiata*, *aut adstringentia*, *aut hisce analoga* dicenda erunt.

30. Ita si superficies corporum, aut effluviorum corporum ipsarum fuerint *texturæ*, *levis*, *mollis*, & *laxæ*, quæ tantummodo idoneæ sint levibus, mollibus, & laxis suis superficiebus, aut lenire blando, & molli contactu asperas fluidorum superficies, aut emollire fluida, & solida nimis stricta, & densa, aut penetrare poros corporum, & nimias angustias istorum dilatare, laxare, & aperire blande, & suaviter, aut impedire majores corporum adhæsiones inter se, &c. tunc tales superficies corporum, aut effluviorum emissorum leves, molles, & laxæ statuent medicamenta, quæ *laxantia* appellantur; talis ergo indolis erunt oleum olivarum, amigdalarum dulcium, leves pinguedines, lac, mel, terebinthina, serum lactis, & aqua ipsa &c. aut his similia, aut his analoga.

31. Verum si superficies corporum, aut effluviorum emissorum fuerint inæquales, asperæ, & angulares, tunc aptissimæ erunt inæquali, aspero, & angulari contactu penetrando poros solidorum, & areas fluidorum, texturas, ac compages diruere, scindere, rumpere, & evertere. Quamobrem hujusmodi corpora, & corporum istorum effluvia *dissolventia* dicenda erunt majoris, aut minoris roboris, ac momenti juxta majores, aut minores inæqualitatum, asperitatum, & angulorum numeros. Itaque primi generis, seu majoris momenti *dissolventia corrosiva* dicentur, ut est aqua fortis, arsenicum, æs, flammula Jovis, gummi hederæ arboreæ, & alia hisce similia, & analoga. Dissolventia secundi generis seu minoris momenti dicentur illa, quæ *Aperientia*, seu *Deobstruentia* appellantur qualia sunt ea, quæ obstructiones tollunt, urinas movent, ut fumaria, cicorea, absinthium, marrubium, capparis, aristolochia, asparagus &c. ammoniacum, pravera brava, agaricus, rhabarbarum, & his similia, aut analoga.

32. Ut plurimum autem medicamenta agere solent, & reagere, suasque vires exercere contra fluida, & solida *opere figurarum* corporum tangentium fibras, aut opere figurarum effluviorum a corporibus emissorum; effluvia enim corporum veræ sunt seminales particulæ ipsorum, elaboratæ ex minimis dimensionibus, ac figuris proportionalibus majoribus figuris corporum, a quibus effluvia ipsa emanarunt, ut satis superque de primigeneis salium figuris demonstraverat celeberrimus Gulielminus, effluvia itaque ipsa donata similibus figuris, quibus majora corpora prædita sunr, apta erunt penetrare fluida & solida, quæ penetranda essent sub similibus figuris a majoribus corporibus effluvia ipsa emittentibus. Neque de specificis talium corporum, & talium effluviorum figuris licet dubitare; peculiares enim specificasque figuras observaverunt Philosophi in quocunque regno animali, vegetabili, & minerali; ad animale ergo regnum quod spectat, Boileus in analysi sanguinis humani fatetur se vidisse multiplices salium figuras, cubicas nimirum, parallelepipedas, pyramidales, octaedricas, sphæricas, & prismaticas variæ indolis; easdem quoque detexerunt celeberrimi Viri Levenokchius, Malpighius, & Bonius. In vegetabilibus vero adeo manifestæ sunt essentiales componentium salium figuræ, ut de his dubitare absonum sit, sufficiat legere (cum vitiosum sit hic jam enunciata repetere) quæ a celeberrimo Carolo Fracassato dissertatione *de organo linguæ* indicata fuerunt, quæ omnia ab experimentis immortalis Academiæ Florentinæ colligere opportunum censuit, ut literariam Rempublicam de vegetabilium salium figuris erudiret. In mineralibus denique specificæ pariter constant, ac naturales eorum configurationes; sic in granatis figuræ octaedricæ, in antimonio prismaticæ, & sphæricæ, in mercurio satis superque detectæ sunt; & nos in libello italice conscripto *de ferri figuris* a ferreis mineris ad nos missis ab immortalis famæ Vallisnerio satis ut puto indicavimus particulas ferreas esse probabiliter pyramidales in basi quadrata, aut quadrilatera, a quarum pyramidum lateribus exeunt a basi usque ad verticem pluri-

mæ aliæ pyramides minimæ, ſimiles pyramidi majori, quæ tamen omnes hamatæ ſunt, uncinatæ, & aduncæ. Itaque cum effluvia corporum nil aliud ſint quam particulæ veluti ſeminales componentes majora corpora, colligendum jure erit etiam effluvia a corporibus emiſſa eas habere minimas figuras, figuris majorum corporum omnino ſimiles, & proportionales.

33. Figuræ itaque corporum emittentium effluvia, aut figuræ effluviorum emiſſorum, tangentium, impellentium, aut percutientium fibras animalium varios parient effectus juxta varias molium, ponderum, figurarum, & motuum rationes. Inter corpora, quæ agunt pondere, figura, & motu, eminet mercurius, qui ſphærica donatur figura; hæc autem in punctis tangit corpora quælibet, a quo punctuali contactu emergit neceſſitas continui motus mercurii, punctum enim nunquam poteſt eſſe firma baſis corporum; mercurius ergo in minimas quoque ſphærulas diviſus aptus redditur penetrare poros ſolidorum, & areas fluidorum quaquaverſus, cumque pondere ſuo reliquis corporibus, cæteris paribus, alte præpolleat, potenter premit ſolida, quibus unitur, hæc inflectit, & variis impulſibus urget, varias curvaturas parat, conſequenter ob ſphæricam figuram faciles penetrationes mercurii, & ob pondus ejuſdem multiplices fibrarum inclinationes, & fluidorum diſſolutiones eveniunt. Simili lege agere, & reagere debent elementa reliquorum mineralium, qutieſcumque mole, pondere, figura, & motu fibris machinæ animalis applicata fuerint, penetrando fluida, & ſolida undequaque; enim vero nonnulla mole, pondere, figura angulari, & motu diſſolvunt, & frangunt corpora, quæ ab his fuerint penetrata; hinc mineralia nonnulla in numero *Medicamentorum deobſtruentium* poſita ſunt, ut ſunt illa, quæ ex ferro, chalybe, aut antimonio parantur &c. Hic ſtatim ſentio quærentes, & dubitantes; Quomodo enim ponitur hic ferrum in numero corporum deobſtruentium, cum antea oſtenderimus ferri figuras eſſe uncinatas pyramides, munitas ulterius minimis pyramidibus ſimiliter hamatis, & uncinatis? profecto hamatæ, & uncinatæ figuræ unioni, & firmitati corporum conducunt, non diſſolutioni, ut num. 29. indicavimus. Aptiſſime dubitatis: Verum ſcitote hæc, & ſimilia corpora diverſo in ſtatu eſſe conſideranda, vel in ſtatu quietis, & fixitatis, vel in ſtatu motus, & agitationis. In primo ſtatu ferrum, chalybs &c. hamatis ſuis figuris firmant aptiſſime fluida, & ſolida, quæ naturalibus ſuis angulis fuerunt penetrata. In ſecundo ſtatu facta unione cum particulis ſulphureis penetrant facilius, & in motu, & agitatione conſtituta corpora rotando circa proprios axes in tali rotatione aperiunt, diſſolvunt, & ſcindunt fluida, & ſolida, quæ penetraverint acumine ſuorum angulorum.

34. Alia exiſtunt corpora, quæ pondere, mole, & figura non efformata ab angulis acutis, quorum anguli ſint minores gradibus 90, ſed ab angulis obtuſis, quorum anguli ſemper ſint majores gradibus 90, ſuas vires exercent occupando, & replendo, ſi non perfecte, ſaltem quaſi perfecte fluidorum, & ſolidorum ſpatia, quibus uniuntur, & adhærent; talis ordinis ſunt *aluminoſa corpora*, quæ figuras octaedricas, aut quaſi octaedricas ſuſtinent, talia ſunt *Vitriolica*, quæ figuram parallelepido-rhomboideam ſibi comparant: aut his ſimilia, & analoga. Ab hiſce ergo, aut ſimilibus corporibus occupatis ſpatiis fluidorum, & ſolidorum opere obtuſorum angulorum elementa fluidorum nimis ſtringuntur inter ſe imminuto, aut ablato ipſorum motu, & fibræ ſolidorum circumſcriptæ obtuſis corporibus, ſpatia illa replentibus in ſtatu veluti tonico detinentur, hinc neque moveri, neque oſcillare commode, ac facile poterunt; propterea tarditas motus in fluidis, & tarditas oſcillationum in ſolidis generabuntur, ex quibus oſtenditur qua ratione ſuum opus conſtrictionis exerceant medicamenta illa, quæ pariter *Adſtringentia* appellantur. Similis ergo figuræ cum alumine, aut vitriolo ab effectis eſſe poſſunt balauſtria, galla, lyſimachia, conſolida, burſa paſtoris, myrtus, malicorum, mala cotonea, mala punica &c., quæ tamen aliquando magis, aliquando minus ſtringunt, ac ligant juxta majores, aut minores numeros particularum aluminoſis, aut vitriolicis figuris analogarum, aut juxta majores, aut minores numeros angulorum obtuſorum ſpatia fluidorum, & ſolidorum magis, aut minus replentium. Hic autem monendum eſt me phyſicas res agentem indicaviſſe corpora purgantia ſtimulantia, & aperientia agere, & reagere, ac ſi unicum planum haberent efformatum ab angulis acutis, eo quia corpora hæc cum ſint diviſa, ac ſubdiviſa in partes minimas, taliter figurantur, ac ſi quoad ſenſum unico plano donata eſſent, licet revera ſolidos angulos obtineant, quorum plani anguli per Prop. 21. 11. Eucl. quatuor rectis ſunt minores. Hic quoque conſiderata ſunt corpora *adſtringentia* eſſe compoſita ex figuris octaedricis, aut quaſi octaedricis, aliiſque non in rigore geometrico, ſed ſolum analogice, & quoad ſenſum, cum hæ figuræ ab effectis repleant ſpatia quælibet fluidorum, & ſolidorum non ſolum regularia, ſed ut plurimum irregularia, idcirco diximus has obtinere angulos ut plurimum irregulariter obtuſos.

35. Hic magnopere animadvertendum eſt figuras corporum effluvia emittentium, aut effluviorum emiſſorum jure ſuo ſupra modum conferre ad varias actiones, & reactiones exequendas tam in fluidis, quam in ſolidis; verum hæ actiones, & reactiones naturales, & proportionales ſpecificis corporum figuris ſæpe ac ſæpius mutantur, & invertuntur ab unione, & adhæſione aliorum corporum, quæ figuras corporum emittentium, aut effluviorum emiſſorum undequaque circumſcribunt; proinde cum in tali caſu corpora circumſcripta ſint illa, quæ primario agant, & reagant contactu, & quæ primario emittunt effluvia; ideo actiones, & reactiones contra fluida, & ſolida animalis non producuntur, & fiunt a figuris corporum inſcriptorum, aut ab effluviis ipſorum: ſed potiſſimum fiunt, & producuntur a figuris corporum circumſcribentium, aut a figuris effluviorum emiſſorum a corporibus circumſcribentibus, quæ actiones, & reactiones corporum cum plerumque eſſe ſoleant diverſæ, aut oppoſitæ illis, quæ fiunt a figuris internis corporum inſcriptorum, & effluviorum ipſorum; ideo oritur ratio, cur in medica praxi ſæpiſſime a medicamentis unius generis experiamur ſequi effectus diverſos, aut oppoſitos. Ob hanc cauſam præſtantiores Practici abhorrent ab elaborandis medicamentis magis compoſiti, ſed amant, componere medicamenta, quantum poſſibile eſt ſimpliciora (ut leges naturæ poſtulant) cum ab his effecta medicamentorum ſimplicium evenire ſoleant, ac debeant morborum indicationibus magis proportionalia. Pro hoc argumento exponam exemplum, quo etiam in ſimilibus poſſemus ratiocinati: Certum eſt aqueas particulas eſſe mobiliſſimas opere ſuarum minimarum molium ſub figuris aut ſphæricis, aut ſphæroideis, aut hiſce analogis, a quibus aquæ particulæ cum figuris curvilineis ſemper in motu ſunt, & eſſe debent. Verum ſi tempore hyemis, ſpirantibus præcipue ventis aquilonaribus, qui priſmatibus nitroſis ſupramodum abundant, iſta nitroſa priſmata, quorum figura eſt cilindrico pyramidalis in baſi exagona, circumſcribant undequaque curvilíneas aquarum figuras, tunc curvilineæ illæ figuræ aqueæ a nitroſis, aut nitro analogis particulis circumſcriptæ reddentur ſolidæ poligonæ, aut quaſi poligonæ: ſed figuræ ſolidæ poligonæ relate ad figuras curvilineas aqueas incluſas, & inſcriptas ex mechanicis ſupramodum tardiores ſunt ad motum, ita ut aliquando motum omnino deperdant; hinc aquæ particulæ curvilineæ quantumvis natura ſua mobiliſſimæ, nihilominus opere aliarum figurarum circumſcriptarum ſolidæ poligonæ, aut quaſi poligonæ redditæ coactæ erunt, aut motum imminuere, aut aliquando deperdere, ita ut fortiſſimam in glaciem denſari, firmari, & ſtagnare debuerint. Ex his, & ſimilibus, quæ dici poſſunt, colligere poſſumus, quam facile etiam medicamenta ſimplicia, quæ opere ſuarum ſimplicium figurarum diuretica, aperientia, & deobſtruentia eſſe deberent, fieri ſæpe ac ſæpius poſſint, aut coagulantia, ſtyptica, & adſtringentia, quotieſcumque facta mixtione cum aliis corporibus in machina animali ſortuito tales acquirant compoſitiones, ut ſolidas poligonas cum angulis obtuſis, aut parallelepipedo-rhomboideas, aut octaedricas, aut priſmaticas elaborent configurationes alumini, aut vitriolo proportionales.

36. Deinde corpora, aut effluvia emiſſa a corporibus agere poſſunt, & reagere in ſolida, & fluida machinæ animalis opere *motus, & elateris*; Itaque quæ operantur motu, & elatere ſunt ea omnia, quæ a Medicis volatilia, & ſpirituoſa dicta ſunt, ut ſunt omnia ſulphurea, & omnia ſalino-ſulphurea, quæ ſi blando, & medio quodam motu, & elatere juxta naturæ leges agant, & reagant viribus fluidorum, & ſolidorum, & nutritioni earundem proportionalibus, jure ac merito aut alimenta, aut medicamenta *Cordialia* a Medicis poterunt appellari. Verum ſi hæc corpora, aut emiſſa effluvia ſub minima mole multo polleant elatere, ac motu, & iſtorum elater ultro augeatur, & creſcat, juxta ea, quæ demonſtrantur a Mechanicis de corporibus elaſticis, tunc elaſtica hæc, & ſpirituoſa corpora aut alimenta, aut medicamenta *exaltantia, & diaphoretica* dicenda erunt. Quotieſcunque itaque vel ſulphurea vel ſalino ſulphurea, vel utraque corpora alicui ſolido, aut fluido applicentur, ſi hæc numero, motu, & elatere medium ſtatum teneant, qui ſit fluidis, & ſolidis homogeneus, & proportionalis, tunc aptiſſima mixtio elementorum in fluidis, æqua ſeparatio puri ab impuro, & opportuna nutritio corporis facienda erunt; Similiter æquabiles, & iſochronæ ſolidorum omnium oſcillationes cum æquabilibus viribus, & æquilibrio inter fluida, & ſolida erunt ſecuturæ; & medicamenta, aut alimenta, quæ tales fluidorum, & ſolidorum actiones, & reactiones cum expoſitis proportionibus paraverint, cordialia aut nutrientia, aut roborantia erunt appellanda. Verum ſi hæc principia ſulphurea, aut ſalino-ſulphurea, aut utraque numero, motu, & elatere a medio ſtatu aut deficiant, aut excedant, tunc in defectu *Refrigerantia, aut quaſi Refrigerantia* vel alimenta, vel medicamenta dici poterunt; e contra in exceſſu, aut alimenta, aut medicamenta *Calefacientia*, aut *quaſi Calefacientia* poterunt appellari.

37. Hic addendum eſt etiam cauſam caloris vel in ſtatu exceſſus, vel in ſtatu medio, vel in ſtatu defectus oriri a lege, & ratione affrictus, qui ſequitur in particulis elaſticis inter ſe, & in particulis elaſticis, & non elaſticis pariter inter ſe; & ſane a Geometris edocti ſumus moles corporum quorumcumque dividi, & ſubdividi in partes minores, & minores, & in diviſione, & ſubdiviſione decreſcere ſemper moles in ratione cubica ſuorum diametrorum, ſuperficies vero eorundem tantummodo imminui in ratione quadrata: Quamobrem cum ex Geometris multo plus decreſcant moles corporum, quam eorundem ſuperficies, & cum a majoribus ſuperficiebus eveniant majores contactus, & conſequenter majores affrictus corporum inter ſe; ergo ab hiſce majoribus contactibus, & affrictubus inter ſe majores quoque calores, & incaleſcentiæ ſequi debuerunt, quanto moles corporum diviſæ, & ſubdiviſæ minores faciendæ erunt. Oſtendit enim magnus Galilæus plutibus in locis motum ex ſe non calorem producere, ſed hunc primario oriti a majori, & concitatiori affrictu corporum, quæ ad calorem tamen excipiendum, communicandumque inſtituta ſunt: ſed corpora volatilia, & ſpirituoſa numero, motu, & elatere præpollentia facta ſunt ſub minoribus molibus: minores autem moles majores cæteris paribus obtinent ſuperficies, & a majoribus ſuperficiebus majores conſequuntur affrictus; ergo corpora volatilia, & ſpitituoſa numero, motu, elatere, & ſuperficiebus præpollentia majores quoque calores, & majores incaleſcentias erunt productura. Verum ſi corpora volatilia, & ſpirituoſa fuerint numero, motu, & elatere in ſtatu medio conſtituta, tunc affrictus ſuperficierum corporum inter ſe mediam quandam proportionem motus obtinentes æquabilem caloris rationem oſtendent; e contra imminutum, & deficientem calorem, ſi elementa volatilia, & ſpirituoſa numero, motu, & elatere notabili defectu peccaverint; quamobrem variæ affectiones in fluidis, & ſolidis erunt ſecuturæ, ut antecedenti numero indicavimus.

38. Ab his quæ uſque adhuc enunciata ſunt colligere poſſumus facilius, promptius, & potentius ſanguinem incaleſcere, quam lympham, non ſolum quia maſſa ſanguinis multo pluribus abundat particulis elaſticis, quam lympha, non ſolum quia velociori motu impellitur ſanguis quam lympha per canales ſuos, verum etiam quia obſervante Galilæo (de Cometis) ea corpora tantummodo confricatione incaleſcunt, quæ ab affrictu ipſo continuo atteruntur, & in minores, minoreſque particulas reſolvuntur: ſic experitur Galilæus, levigatiſſimas vitreas particulas, aut perfectiſſime chalybeas nunquam confricatione incaleſcere, aut ſaltem læviſſime, eo quia neutræ in minimas minimaſque particulas atteruntur, comminuuntur, & reſolvuntur. Cum itaque lympha aqueis ut plurimum particulis indiviſibilibus, & ex leviſſima quantitate ſulphurum conſtet, pariterque cum ſalina corpuſcula, quibus lympha ſcatet, a lentiori lymphæ motu non poſſint facta confricatione in minores, minoreſque moles prompte, facile, & expedite atteri, & reſolvi, ſed tarde, ac lente; ideo experimur ab effectis naturæ, & febrium ſanguinem facilius, & vehementius, lympham vero difficilius, tardius, & remiſſius incaleſcere.

Hinc

Hinc summum beneficium tribuitur fluido sanguineo a lympha ipsi permixta, eo quia a particulis aqueis indivisibilibus, quæ in sanguine triplæ sunt, aut quasi triplæ supra reliqua sanguinem componentia, ut Boilei experimenta ostendunt, imminuitur, frænatur, & moderatur excedens illa attritio, & dissolutio reliquarum particularum massam sanguinis componentium, vi cujus excedentis attritionis, & resolutionis compositum massæ sanguinis, unio, & nexus ejusdem facillime dissolvendum esset totali periculo machinæ animalis: Itaque non leviter peccant illi, qui in morborum curationibus phlebotomiæ nimis indulgent; extracto enim sanguine plus aquæ tollitur, quam auferatur reliquorum elementorum numerus: propterea reliqua elementa opportuno sero destituta magisque inter se arteruntur, & adaucto istorum affrictu in minores, minoresque particulas resolvuntur, adaucto imposterum caloris incremento: Verum si in fluido sanguineo extiterint gravia coagulationis argumenta, tunc liberalis phlebotomia non erit accusanda, sed imperanda, & secuto imposterum majori, & majori affrictu corporum inter se, coagulatio sanguinis aut imminuatur, aut dissolvatur.

39. Denique frequentissima sunt illa medicamenta, quæ suas vires, ac sua momenta exercent agendo, & reagendo contra fluida, & solida machinæ animalis in ratione composita molium, ponderum, figurarum, motuum, & elasticitatum corporum emittentium effluvia, aut effluviorum emissorum: Etenim universa corpora ex physicis experimentis, quæ agunt, & reagunt in fibras organicas, & fluida nostri corporis, vel agent contactu, vel opere effluviorum emissorum a corporibus in ratione simul molium, ponderum, figurarum, & motuum, & elasticitatum eorundem; Quare ut aptæ actionum, & reactionum istorum corporum emittentium effluvia, aut effluviorum emissorum mensuræ habeantur, oportebit considerare, & expendere si non exacte, saltem proxime, actiones, & reactiones istorum in ratione composita molium, ponderum, figurarum, motuum, aut elasticitatum istorum, de quibus specifice acturi erimus, cum singularia medicamentorum singulorum opera etimus inferius considerabimus.

40. Consideravimus usque adhuc in genere qua ratione medicamenta agere, & reagere possint contra fluida, & solida machinæ animalis; Modo cum pleraque medicamenta a succis salivæ, œsophagi, ventriculi, & a succis pancreaticis, & biliosis in intestino duodeno, & a continua attritione inter se, & cum reliquis corporibus dividantur, & subdividantur in partes minimas, & minimas, & partes istæ minimæ deferantur minus circulationis beneficio brevi temporis spatio per totam fluidorum massam; idcirco remanet hic quoque considerandum in genere, quomodo partes istæ corporum, aut medicamentorum divisæ, & subdivisæ in partes veluti infinite parvas aptæ esse possint delatæ eminus per totam fluidorum massam tam varios, & tam dissimiles effectus producere in massa humorum.

41. Quod autem primo corpora, aut medicamenta dividi possint in partes minimas, & minimas (ut antea diximus) constare videtur ab infinitis pene dicam experimentis, inter quæ eligam nonnulla. Expertus est celeberrimus Halleius in actis Philosophicis num. 194. unum auri granum in 10000. visibiles partes posse secari, celeberrimus P. Franciscus Lana observatione 8. tractatu primo Magist. naturæ & artis notat se a Boileo accepisse, quod *unicum granum cupri in spiritu salis armoniaci dissolutum potuit tantam aquæ copiam colore viridi inficere, ut illa aqua sic colorata constaret partibus* 256806, *quarum singulæ sua magnitudine æquarent molem ipsius grani cuprei*. Refert pariter observatione 8. unum granum ligni nephritici posse taliter dividi, & subdividi in partes minimas, & minimas, ita ut tinctura occuparet grana aquæ 57723. In observatione 4. ejusdem libri narrat experimentum de unico grano thuris quantum spatii occupare potuerit in cubili illo, in quo experimentum effecerat, & reperit in illo cubiculo exiguas particulas fumi illius thuris ascendisse ad numerum 750000000000000, idest ad septingentos quinquaginta millionés millionum. Plurima habentur in Boileo de effluviis, plurima in actis Angliæ, ita ut inutile sit de hac re dubitare: Ergo ultro constat corpora, aut medicamenta posse facile, & prompte opere tantorum succorum salivæ, œsophagi; ventriculi, intestinorum, & glandularum machinæ animalis, & opere attritionis cum reliquis corporibus dividi, & subdividi in partes minimas, & minimas, sicque eminus deferri per totam fluidorum massam, cum opera naturæ in animalibus multo sint reliquis operibus præstantiora, & validiora, maxime quia hisce actionibus naturæ in animalibus magnopere succurrit ingens beneficium circulationis sanguinis, quo dividi, & subdividi ultro possint, & eminus deferri.

42. Et sane beneficium circulationis sanguinis omnino apertum est; si enim supponamus cum Bartolino pulsationes cordis singula hora ascendere ad numerum 4400 proxime; & cor impellere singula pulsatione unicam sanguinis unciam, pariterqee totam sanguinis massam multo probabiliter ascendere ad libras 24. proxime constabit ex regulis proportionum 24. libras sanguinis circulationes suas exequi vicibus 17 proxime unius horæ spatio; dixi autem proxime, eo quia fateor sanguinem fluentem per minimos partium extremarum canales non has leges circulationum subire tam facile, neque tam præcise posse: sed facta animadversione in complexu motuum sanguinis per majores canales juxta majorem sanguinis quantitatem, constabit proxime juxta datas hypotheses assumpta, ut probabiliores sanguinei fluidi circulationes ad tantum numerum singula hora posse ascendere: Si itaque singula hora compleri possunt circulationes sanguinis vicibus 17 proxime, ultro manifestum esse poterit quam facile, quam prompte moles corporum, aut medicamentorum in tam continuis motibus, & motuum attritionibus divisæ, & subdivisæ in partes minores, & minores possint, immo debeant deferri per universam machinam animalis, & per universam massam fluidorum brevibus temporum differentiis; Si itaque corpora, aut medicamenta tantarum circulationum auxilio, & opere attritionum per motus dividi, & subdividi possint in partes minimas, & si brevi temporis spatio possint hæ beneficio circulationis universam massam humorum, & animalis machinam occupare, facile colligere possumus, cur etiam ex hoc capite sequi debeant tam varia phænomena, tam varii effectus, tam variæ actiones, & reactiones in solidis, & fluidis animalium opere medicamentorum, de quibus sigillatim inferius.

43. Hic actiones medicamentorum rectius exposituri nullatenus præterire debemus summam esse relationem partium principum cum quibuscumque partibus machinæ animalis, immo minimas quascunque fibrillas cum reliquis omnibus majoris, minoris, minimique ordinis, ac usus admirandum consensum obtinere; Sic experimur a leviissimo succo aspero, & acri irritante fibrillas uteri totam mulieris machinam violentissime convulsam reddi, immo a leviissima muscæ supra faciem, supra cilia, aut frontem ambulantis titillatione universas corporis partes moleste sentire, sic a chirurgicis habemus leviissima quantumvis vulnera aliquando universales tremores, & convulsiones attulisse, denique autopsia constat leviissimum vulnus in remotiore partis pede statutum statim ægre se habere, majoremque saniem afferre, quotiescunque æger aut cibo, aut potione aliquo excessu peccaverit. Præter hæc quamvis nulla adsit proportio inter actiones animæ sejunctæ a corpore, & inter actiones, & passiones sensuum; nihilominus cum anima in viventibus fuerit compenetrata sensoriis, statim manifestum erit, quantus consensus necessario futurus sit inter animam, & sensorium, quam necessaria relatio inter animam, & universa organa corporis; ergo si tot ac tantæ habentur relationes inter animam immortalem, & æternam, & mortalia, ac caduca corporis organa in animali vivente, profecto multo magis futurus erit altissimus consensus inter fibras, & fibras, inter organa, & organa, consequenter etiam inter organa, & fluida organis necessario respondentia machinæ animalis: tam admirandæ, tam necessariæ organorum relationes inter se, & inter fluida omnia animalis debentur potissimum nerveis, membraneis, & muscularibus fibris una cum succo nerveo, cum ab hisce sensus, & motus primario juxta anatomica, & physica experimenta in animali cognoscendi sint.

DISSERTATIO IV.

De Medicamentis in particulari, & primo de purgantibus opere Solidorum.

44. CUM in secunda Dissertatione expositum fuerit sanitatem basim habere in æquilibrio fluidorum, & solidorum, & in opportuna proportione utrorumque inter se; pariterque ægritudinem niti in everso æquilibrio, & in eversa proportione fluidorum, & solidorum, ideo mederi animalia ægrotantia, docente Hippocrate libro de Arte, nil aliud erit quam *tollere de corpore animalium ægrotantium ea omnia, quæ æquilibria fluidorum, & solidorum notabiliter auferunt*. Hinc *Medicamenta* omnium medicorum consensu appellata sunt *Instrumenta, quorum beneficio opportuno tempore, loco, ac statu morbi exercitia auferre apta sunt, supervacanea, aut addere ea quæ deficiunt, ut sic restituto, aut conservato æquilibrio fluidorum, & solidorum sanitas vel deperdita restituatur, vel restituta conservetur*. Quia vero medicamenta sive hæc medicinæ instrumenta alia primario agunt in solida machinæ animalis, alia in liquida simul & solida; ideo in præsenti sermo erit *de Medicamentis purgantibus opere solidorum* machinæ animalis.

45. Cum itaque ab effectis experiamur medicamenta purgantia, & alvum moventia solicitare, ac stimulare primo œsophagum, deinde ventriculum, ultimo intestina, & per consensum fibras quascumque ægrotantis, ut plurimum cum majori, aut minori pressionis, & doloris affectione; hinc colligendum est omnia alvum moventia munita esse asperis superficiebus circumscriptis a multiplicibus angulorum prominentiis, a quorum aspero, & angulari contractu fibræ impulsæ, solicitatæ, ac stimulatæ recedunt a naturali sua positione, ac directione acquirendo aliquas inflexiones, aut arcus; Ob hanc causam aliquantulum evertuntur naturales fibrarum inter se contextarum anguli, & aliquantulum mutantur naturales earundem fibrarum paralleliśmi. Verum cum asperæ, & angulares corporum superficies statuant bases suas in soliditate, mole, & pondere corporum agentium, ideo moles medicamentorum applicatæ fibris agere, & reagere debebunt ponderibus, & angularibus figuris. Ulterius cum medicamenta determinatis gravitatibus donata varios pariter excipere motus apta sint suis gravitatibus proportionales, pariterque cum a dissolventibus succis œsophagi, ventriculi, intestini duodeni, reliquorumque intestinorum medicamenta atteri, & dissolvi debeant in partes veluti infinite parvas, quæ aut motu, aut elatere solicitare, ac stimulare fibras aptissime possunt; ideo medicamenta attrita, & dissoluta cum fuerint, suas vires ac momenta exercebunt contra fibras tangentes, & percussas in ratione composita molium, ponderum, figurarum, motuum, & elasticitatum medicamentorum eorundem, quæ ratio composita virium, & momentorum non levis, sed magni, aliquando summi momenti erit futura. Hinc facta solicitatione, ac impulsu quaquaversus ob multiplicia momenta particularum, aut effluviorum earundem contra fibras consequi debent in fibris ipsis frequentes, & multiplices contractiones fibrarum potentiis solicitantibus, aut impellentibus proportionales, per 1. Prop. hujus. Cum ergo multiplices fibræ distractæ devenerint ad ultimum quasi gradum suæ distractionis, conentur ipsæmet sese restituere ad naturalem suam contractionem, ut prima Dissertatione ostendimus. Ideo cum distractiones fibrarum & homologæ contractiones earum nil aliud sint quam oscillationes earundem, ut eadem Dissertatione aperuimus, & hæ fieri debeant juxta vires, ac momenta particularum, aut effluviorum earum solicitantium, ac stimulantium fibras; propterea a facta solicitatione, ac impetu secuturæ erunt determinatæ oscillationes fibrarum solicitationibus, ac impulsibus communicatis proportionales.

46. Cum ergo fibræ multipliciter solicitatæ, ac impulsæ multipliciter pariter edere debeant oscillationes, istæ autem sint radices ac primæ causæ motus peristaltici fibrarum ventriculi, intestinorum, aliarumque partium; ideo motus peristalticus fibrarum ventriculi, intestinorum, aliarumque partium frequentior, celerior, ac fortior erit secuturus ad materierum excretiones celeriter, & copiose promovendas. Ut autem vires ac momenta distractionum, & contractionum glandularum magis manifesta reddantur, non tædeat considerare fibras membranæ villosæ intestinorum, seu papillaris esse circumscriptas a fibris membranæ nerveæ, & fibras nerveæ membranæ esse similiter circumscriptas a fibris membranæ muscularis: Modo manifestum est, quod cum distractiones fibrarum membranæ villosæ ad ultimum terminum suæ distractionis, & inflexionis devenerint, tunc cogentur ad suam naturalem contractionem se restituere, consequenter etiam reliquæ fibræ membranæ nerveæ, & reliquæ fibræ membranæ muscularis inter se communicantes ad

ſuas naturales contractiones reddentur reſtitutæ. In tantis autem motibus contractionum fibrarum membranæ nerveæ, & membranæ muſcularis longitudine, & craſſitie diſſimilium, & inæqualium cum fibris membranæ villoſæ, conſtabit quot, & quanta momenta impulſuum communicanda ulterius ſint glandulis per nerveam, muſcularem, & per alias membranas diſtributis, nimirum in ratione compoſita ex ratione directa potentiæ antea impellentis directa longitudinum ſingularum fibrarum inæqualium, & reciproca ratione craſſitierum earundem, per 4. Prop. hujus. Facta autem tam valida, tam potenti compreſſione, & contractione glandularum omnium quaquaverſus ab opere tantarum membranarum inteſtinalium, profecto cum areæ, & capacitates illarum glandularum decreſcant ex geometricis in ratione quadrata ſuorum diametrorum, materiæ contentæ in glandulis membranarum inteſtinalium tanta vi expellentur ab imminutis areis contractis, compreſſis, & decreſcentibus in tali ratione quadrata diametrorum glandularum, quanta eſt vis contractionis communicata fibris arearum glandularum a ratione compoſita virium fibrarum membraneæ nerveæ, muſcularis, & villoſæ contractarum; Quamobrem cum copioſiſſimæ ſint glandulæ inteſtinales quaquaverſus copioſas pariter expellere debebunt materias per excretorios porulos in cavitatem inteſtinorum, & ſic ſucceſſive.

47. Expulſioni materiarum partæ a proxima, & immediata ſolicitatione, ac ſtimulo villoſæ, ſeu papillaris membranæ, ſuccurrit ulterius altera remotior, & mediata actio contra fibras nerveæ, & muſcularis tunicæ inteſtinorum: purgantia enim corpora a calore viſcerum, a ſuccis diſſolventibus ventriculi, pancreatis, & hepatis atteruntur, & diſſolvuntur in partes minimas, quæ poroſitates inteſtinorum penetrando effluviorum ad modum, tandem accedunt ad contactum nerveæ, & muſcularis membranæ, aliarumque membranarum inteſtinalium: Hic ergo ſuos contactus, impulſus, ac vires exercendo ſolicitant, & irritant fibras membranæ potiſſimum nerveæ, & muſcularis: Vel ergo effluvia hæc opportune ſolicitant, & irritant fibras, vel leviter. Si leviter, nullæ, aut quaſi nullæ ſecuturæ erunt e glandulis ſecretiones materierum, nullæque, aut quaſi nullæ purgationes; Si vero opportune ſolicitant, ac ſtimulant, tunc ſequi debebunt a potentiis effluviorum tangentium impetus, & impulſus, a quibus impulſibus fibræ primario diſtractæ fiunt, mox ſucceſſive, ut diximus, redduntur contractæ. Cum autem effluvia ſucceſſive exeuntia a corporibus purgantibus agant in fibras nerveas, & muſculares &c. in ratione reciproca quadratorum diſtantiarum a centro corporis, a quo effluvia illa emanant; ideo ſi hæc pervenerint ad contactum fibrarum nervearum, poſtea ad contactum fibrarum muſcularium, & contra has fibras in tali ratione reciproca impetum, & niſum fecerint, neceſſario fibræ membranæ nerveæ majorem diſtentionem, fibræ vero membranæ muſcularis minorem diſtentionem, ſeu curvam quandam inflexionem minorem pati, ac ſuſtinere debebunt, ſed per 4. Prop. hujus, quælibet diſtractio fibræ facta a potentia impellente eſt proxime in ratione compoſita ex ratione directa potentiæ impellentis, directa longitudinum ſingularum fibrarum, & reciproca ratione craſſitierum, ſeu baſium earundem; ergo conſtabit quam varia futura ſint momenta diſtractionum ſingularum iſtarum fibrarum nervearum, & muſcularium: Cum autem poſt curvas diſtractiones fibrarum ſuperveniant, & ſuccedant ſimiles, & æquales contractiones, & reſtitutiones earundem, & ſic ſucceſſive ſimiliter, & æqualiter agere, & reagere debeant diſtractiones, & contractiones fibrarum; ergo patebit quot, & quanta ſucceſſiva momenta percuſſionum ferre, ac ſuſtinere debeant glandulæ adjacentes per totam nerveæ membranæ, aliarumque membranarum ſuperficiem diſtributæ a fibris membranæ nerveæ; & muſcularis aliarumque membranarum impellentibus, & percutientibus. Hinc conſequuntur ſimili ratione impulſuum, & contractionum glandularum inteſtinalium ſucceſſive excretiones materierum contentarum in glandulis ipſis, ut antea ſatis expoſuimus: Cum ergo excretiones materierum e glandulis inteſtinalibus, fiant ab immediato opere medicamentorum agentium, & reagentium, in villos membranæ villoſæ, ſeu papillaris, & a remotiori, ſeu mediata actione ipſorum corporum purgantium agentium, & reagentium per effluvia, ſeu per minimas particulas ipſorum contra fibras membranæ nerveæ, & muſcularis, &c., patebit excretiones, & ſeparationes materierum e glandulis inteſtinalibus conſequi a ratione compoſita virium, & momentorum corporum ſtimulantium, aut ſolicitantium opportune villos opere immediato, & opere mediato per effluvia corporum eorundem contra fibras omnes inteſtinorum.

48. Hic placeat animadvertere nos pro excretionibus opportune exequendis e glandulis inteſtinalibus ſemper ſuppoſuiſſe ſolicitationem, ſeu ſtimulum contra villos membranæ villoſæ, vel contra fibras membranæ nerveæ, & muſcularis eſſe opportune validam; ita ut ſequatur diſtractio fibrarum membranearum, & deinde conſequatur contractio æqualis, & proportionalis earundem, ita ut ab actione, & reactione iſtorum organorum eveniat oſcillatio fibrarum, & glandularum cum ſolicito motu periſtaltico inteſtinorum. Cæterum ſi vires, ac momenta purgantium medicamentorum validiſſima, ac fortiſſima fuerint, ut ſuſtineant ſemper ſtatum tonicum, ſtatum convulſivæ contractionis in fibris membranæ papillaris, ita ut non ſequantur inde homologæ, & æquales diſtractiones, & contractiones reliquarum membranarum; Vel ſi effluvia medicamentorum tam fortia, tam valida ſint, ut violenter agant in fibras omnium membranarum, ut fibræ coactæ ſint ſuſtinere ſtatum tonicum diſtractionis, aut contractionis, tunc ſtatuto vel tonico ſtatu diſtractionis, vel convulſivæ contractionis in fibris inteſtinalibus parum, aut nihil oſcillantibus inertia fiet motus periſtaltici, aut ablatio ejuſdem, cum parvitate, ac nullitate excretionum e glandulis inteſtinorum; Experimur idcirco validiſſima, & fortiſſima medicamenta purgantia ſupra vires talium fibrarum inteſtinalium parere dolores inteſtinorum, & abdominis, non autem ſeparationes, aut excretiones materierum majori periculo ægrotantium. Summo itaque ſtudio fugienda ſunt medicamenta hæc purgantia, ut elaterium, gutta gummæ, ſcammonea, & magiſteria, &c. variæ indolis, ac altæ doſis, pariterque nonnulla antimonialia, & mercurialia, potiſſimum ſi hæc exercere velimus in languidis, & inertibus fluidorum, & ſolidorum conſtitutionibus, in teneris, & ſenilibus ætatibus, aut in morbo fractis: Aliquando tamen permittenda ſunt, immo conſulenda quotieſcunque fuerit denſa admodum, & viſcida in ventriculo, & inteſtinis humorum tenacitas, & temperies ægrotantium fuerit valida, ac fortis, ſi ætas vireſcens, aut conſiſtens, ſi ſolida fibroſa inteſtinorum fuerint veluti paralytica reddita, & cum morbus ſolicitam purgationem poſtulaverit; tunc enim ſimilia purgantia eſſe poterunt fluidis denſioribus, & ſolidis proportionalia. Quamobrem praxis, & prudentia Medici ſemper vocanda eſt in judicium pro neceſſaria, opportuna, ac prudenti electione medicamentorum.

DISSERTATIO V.

De purgantibus opere Fluidorum, & Solidorum, & cur aliqua Medicamenta elective operari videantur.

49. SAtis, ut puto, oſtendimus purgantia medicamenta immediatis, & mediatis viribus agere, & reagere contra ſolida inteſtinorum, aut materierum excretiones ſequi debeant e glandulis inteſtinalibus: Modo ordo poſtulat, ut ultro conſideremus tales ſeparationes non ſolum haberi ab opere ſolidorum, verum etiam ſimul & ſemel ab opere medicamentorum agentium, & reagentium contra ſolida, & liquida animalium: Minimæ itaque purgantium medicamentorum particulæ, ſive effluvia per orificia vaſorum lacteorum chylum, lympham, ſanguinem, alioſque ſuccos ulterius ingrediuntur, aut ingredi conantur: Ingreſſa autem cum fuerint facto intimo contactu cum particulis fluidorum rotando circa proprios axes aſperis ſuis ſuperficiebus dividunt particulas fluida componentes, partes filamentoſas ſcindunt, & compagem craſſarum particularum, & unionem nimis arctam cum tenuibus, ac fluidis aut minuunt, aut laxant, aut tollunt, laxata compage, aut imminuta, aut ablata particularum humoralium inter ſe majori, & celeriori motu circulationes ſuas ineunt una cum particulis purgantium medicamentorum, & ad glandulas inteſtinales facilius, & promptius ſimul deferuntur: facta enim ſuppoſitione totam maſſam ſanguinis eſſe proxime æqualem libris 24. & cor ſingula ſyſtole expellere unicam ſanguinis unciam, pariterque pulſationes cordis juxta Bartolinum ſingula hora aſcendere proxime ad numerum 4400. facile oſtendimus n. 42. totam ſanguinis maſſam purgantibus particulis permixtam per cor 17. vicibus ſingula hora proxime eſſe circulandam, conſequenter totidem vicibus ſingula hora per inteſtina eſſe proxime deferendam. Si itaque tam facile, tam prompte tota, aut quaſi tota maſſa ſanguinis ad inteſtina deferatur, conſtabit cur a medicamentis purgantibus agentibus, & reagentibus contra fibras inteſtinales tot ac tantæ ſeparationes materierum evenire debeant; evacuatis enim prima vice glandulis inteſtinalibus facile a repetitis circulationibus denuo replentur, & denuo ſolicitantur, irritanturque glandulæ ipſæ a permixtis particulis medicamentorum, ſicque novam parant, & paratam ſolicitant excernendæ materiæ quantitatem.

50. Tanto autem parandæ, & excernendæ materiæ inſtituto juvat ulterius frequentia oſcillationum, quæ a purgantium particulis vaſibus continentibus communicatur: Vaſa enim continentia continuo ſolicitata a particulis medicamentorum, quæ fluidis permiſcentur, celeriori motu oſcillationum oſcillant; tranſeunt itaque frequenter a ſectionibus majoribus ad minores, & rurſus ſolicite ad majores ſectiones reſtituuntur, communicando frequentiores impetus fluidis contentis: cum autem fluida celeriori velocitate mota excerni debeant, ac ſeparari, ex mechanicis, ab orificiis vaſorum, aut glandularum in ratione compoſita quantitatum, & velocitatum fluidorum, (aut juxta nonnullos quadrati velocitatis ipſorum), & orificiorum vaſorum, ideo in frequentiori motu oſcillatorio vaſorum cum æqualibus tempotibus majores promoveantur humorum quantitates, majoreſque pariter velocitates ipſorum, certe copioſiores humorum quantitates ab iiſdem, ſimilibuſque glandularum orificiis erunt excernendæ.

51. Quod ſi argumentum hoc ſedulo expendere velimus, patebit aliam præſtantiſſimam cauſam ſupra modum conferre ad feliciorem humorum ſeparationem: ut autem hanc cauſam clariori methodo exponamus, neceſſe eſt præmittere nonnulla deſumpta ab experimentali Philoſophia: Corpora videlicet aquea, ſive, ut Chimicis vocibus utar, menſtrua aquoſa apta eſſe non ſolum ad ſalium diſſolutionem, verum etiam ad diſſolvendas ſubſtantias reſinoſas, ut gummi Arabicum, Tragacanthum, Bdellium, Ammoniacum, & ſimilia; corpora vero ſulphurea ad penetrandas, diſſolvendaſque ſulphureas pariter materias eſſe diſpoſita; ſic oleum terebinthinæ penetrat ſulphur commune, aperit, & ſolvit: ita corpora ſalino-ſulphurea opportuna eſſe ad omnia quoque ſalino-ſulphurea compoſita dividenda, & diſſolvenda, omnia denique corpora ſalina tantummodo valere ad ſalinas potiſſimum maſſas penetrandas, ac divellendas, ut univerſa Philoſophorum, & Chimicorum experimenta ultro confirmant; deinde apertum eſt ſingula viſcera machinæ animalis eo eſſe inſtituta, ut peculiares ſuccos ſecernant e glandulis viſcerum mole, figura, & motu diſſimilibus, ſed proportionalibus pro diverſi generis ſuccorum ſeparatione a maſſa ſanguinis, ut prima parte Mechanices Morborum n. 8. & ſequentibus ſatis expoſuimus, & ut univerſa naturæ phænomena ſatis ſuperque oſtendunt.

52. Hiſce præmiſſis, ingrediatur gratia exempli rhabarbarum ventriculi capacitatem, hoc quidem diſſolutum a ſalinis ventriculi cuneis, & a reliquis componentibus ſuccum bilioſum, & pancreaticum, & in minimas particulas redactum chylum, lympham, & ſanguinem penetrat: certe quaquaverſus in ſolida, & fluida agens ſeparationes quidem in genere potens eſt exercere; verum eo tempore quo opere circulationis hepaticas glandulas penetrat, hic potiſſimum ſtatuere experimur ſpecifica, & præſtantiora ſua momenta, ac validiores ſuas vires: conſtat enim ab effectis opere rhabarbari bilioſas potiſſimum particulas ſolicite, & copioſe eliminari ſupra reliquos ſuccos animalis: cum autem ex chimica analyſi bilis multo abundet ſale, & ſulphure, ergo cum ſalino ſulphurea compoſita facilius, & promptius diſſolutionem patiantur a corporibus pariter ſalino-ſulphureis, colligere jure poſſumus elementa rhabarbarum componentia potiſſimum eſſe ſalino-ſulphurea, & ab homogeneis ſuccis bilioſis facilem, ac majorem pati poſſe diſſolutionem. Cum itaque rhabarbari particulæ hepaticam ſubſtantiam fuerint ingreſſæ, hic potiſſimum facta mixtione iſtorum corporum homologorum inter ſe vires, ac momenta iſtorum majora reddenda erunt, & ultro augenda. Duplici quidem opere, & primo ſuccus bilioſus in hepate

facile

facile esse potest ad modum menstrui dissolventis rhabarbarum, bilis enim solvens, & rhabarbarum solvendum sunt, ut diximus, ambo homologa, & homogenea corpora inter se, videlicer salino-sulphurea; Hinc rhabarbarum a particulis biliosis magis magisque in hepaticis glandulis fractum, ac dissolutum, & copiosiores successive particulas emittens, aptum erit tali specifico usu, ac impetu solicitare fibras glandularum hepaticarum, itaut a talibus specificis oscillationibus fibrarum sequi debeant majores, & copiosiores secretiones corporum biliosorum, quæ sint talibus fibrarum motibus, seu oscillationibus proportionalia. Secunda methodus specificæ actionis, & reactionis inter rhabarbarum, & succum biliosum talis quoque esse poterit: sulphureæ enim bilis particulæ suo pollent elatere; ergo facta mixtione, & unione patticularum elasticarum bilis cum elasticis particulis rhabarbari & facto ulterius nexu salium unius cum salibus alterius vires augeri debebunt proxime in ratione composita ex ratione numeri particularum elasticarum, & salinarum compositi biliosi, & particularum elasticarum, & salinarum rhabarbari, & ratione motuum utrorumque; quare facta mixtione, & unione particularum bilis cum particulis rhabarbari, vires ac momenta hujus specifici compositi in tali ratione composita augenda erunt. Quamobrem ab hisce specificis viribus, ac momentis facto frequentiori, ac potentiori stimulo contra glandulas hepaticas frequentiores pariter, & potentiores oscillationes specificæ glandularum hepaticarum erunt secuturæ ad ulteriorem bilis ab hepate separationem, ut num. 10. primæ Partis Mechanices Morborum indicavimus: hisce probabiliter legibus innixa fuit veterum Medicorum opinio, quæ medicamenta elective purgantia decreverat; ab hac enim duplici methodo agendi, & reagendi medicamenta elective purgantia vires suas ostendere videbantur.

53. Neque dicas a rhabarbari particulis excitari posse actionem separationis in aliis quoque visceribus, ut in pancreate, mesenterio, renibus, ac in hepate promota fuerat; eo quia quamvis aliqua excretio aliarum materierum in aliis visceribus excitari possit ab opere particularum rhabarbari; nihilominus secretio aliarum particularum in cæteris visceribus multo minor, ac levior futura erit secretione biliosarum particularum facienda in hepate a specifico opere rhabarbari; numeri enim particularum biliosarum specifico sale, ac specifico sulphure prædictarum homogenearum sali, & sulphuri rhabarbari multo majores sunt in hepate, quam in reliquis visceribus, consequenter corpora biliosa agentia, & reagentia contra homologas rhabarbari particulas in ratione composita majoris numeri salis, & sulphuris biliosi, & ratione elateris sulphuris ejusdem majoribus quoque viribus, ac momentis in hepate erunt operatura: vicissim cum a phænomenis medicis habeamus rhabarbarum facilius, & potentius agere, & reagere figura, motu, & elatere pro majori secretione bilis ab hepate, quam reliquorum humorum a reliquis quoque visceribus; ergo colligere jure ac merito possumus specificas actiones, & reactiones rhabarbari contra biliosas particulas, & specificas actiones, & reactiones particularum biliosarum contra rhabarbarum se habere ut menstrua inter se vicissim proportionalia, ad mutuam inter se dissolutionem exequendam. Ex mechanicis enim edocti sumus effectus semper esse causis suis adæquate proportionales; hinc opere rhabarbari per omnia licet viscera circulantis majores quidem quantitates biliosæ materiæ, quam reliquorum humorum (quarum aliquid concedimus separari posse) erunt majori numero in hepate secernendæ, ob majorem rhabarbari cum fibrosis particulis proportionem, & homogeneitatem.

54. Similiter ratiocinari poterimus, si considerare voluerimus actiones, & reactiones eorum purgantium, quæ a Medicis *Phlegmagoga* dicuntur, in quorum classe sunt mechoacanna, jalappa, agaricum, turbit, hermodactilus, ireos, esula, colocynthis, &c. Hæc primario serum solvunt, & promovent duplici pariter methodo, quarum prima respicit phlegmagoga, hæc medicamenta relate ad serum secernendum; secunda respicit serum ipsum relate ad exposita medicamenta. Primo itaque medicamenta phlegmagoga apta sunt asperis suorum salium superficiebus circa proprios axes rotantibus fibrosam sanguinis, & seri concrescibilis texturam penetrare, laxare, aut scindere, qua magis aperta ac dissoluta fluidior seri portio copiosior fluenda erit, & facilius per intestinales glandulas secernenda: deinde probabile est phlegmagoga elementa cum ad intestinales cellulas delata fuerint opere circulationis, hic juxta suorum angulorum, ac motuum differentias specificis motibus solicitare fibras glandularum intestinalium, qua facta solicitatione, specificæ, ac determinatæ in fibris eveniunt oscillationes seri molibus, figuris, ac motibus proportionales; etenim, per primam propositionem hujus, motus fibrarum semper sequi debent in statu naturali juxta impressiones corporum impellentium: cum autem a specificis oscillationibus fibrarum glandularium secernenda sint a sanguine illa potissimum elementa, quæ specificis oscillationibus fibrarum mole, figura, & motu proportionalia sint (ut prima Parte Mechanices Morborum numero 8. ostendimus); ergo patebit a plegmagogis specifica actione, & reactione solicitantibus fibras glandularum intestinalium secuturas esse copiosiores seri a sanguine separationes determinatis illis glandularum intestinalium oscillationibus proportionales; quare materiæ serosæ copiosius separatæ in cavitatibus intestinorum evomendæ erunt. Ulterius judicari probabiliter potest elementa corporis phlegmagogi facilius, & promptius adhærere, & uniri sero, & corporibus seri, quam reliquis componentibus massam sanguinis, ea videlicet ratione, qua experimur mercurium facilius, & promptius uniri auro, quam reliquis mineralibus, & solas auri particulas potentissime penetrare, ac scindere. Ita edocemur plantas, & plantarum radices enutriri singulas, & crescere ex determinatis succorum a terra extractorum corporibus ipsis adhærentibus, utpote ipsismet plantis proportionalibus, & homogeneis, rejecto ut plurimum aliorum corporum consortio. Quamobrem elementa corporis phlegmagogi facilius alligata, & unita sero, & seri particulis, factoque augmento molium, & virium inter se efficiunt faciliorem penetrationem glandularum, ut qua data porta exeant majori numero serositates cum pauco aliorum corporum consortio; hinc a phlegmagogo corpore plus fluidi seri, plus seri concrescibilis promoventur, & feruntur extorsum, quam reliqua elementa massam sanguinis componentia promoveantur. Juxta tales fortasse naturæ leges veteres Medici phlegmagoga hæc medicamenta elective purgare serum, & aquas arbitrati sunt.

55. Modo expendere debemus serum ipsum relate ad exposita medicamenta. Serum enim ex Chimicis haberi potest ut aqueum menstruum non solum ad penetranda, & dissolvenda ea corpora salini generis, qua seri particulis proportione respondent; verum etiam ad penetrandas, & dissolvendas illas resinosas texturas, quæ mole, figura, & porositatibus aptæ sunt excipere subtiles lymphæ sphærulas, & volatiliores lymphatici salis particulas dissolutioni specificarum resinarum institutas: hinc ab hoc aqueo menstruo specificis salibus compositio penetratur, & rumpitur non solum mechoacanna, jalappa, agaricum &c. verum etiam penetrantur, & divelluntur resinosæ quædam substantiæ, ut terebinthina, gummi arabicum, ammoniacum, sagapenum, sacrocolla, & his similia, quibus penetratis, ac dissolutis a salino hoc aqueo fluido elementa sanguinis, aliorumque corporum quoad molem imminuuntur in ratione cubica, quo vero ad superficies in ratione quadrata; quamobrem quoad molem multo leviora, & mobiliora redduntur, quo vero ad superficies hæ remanent majores, quæ sustinendo majores contactus cum particulis aqueis, necessario majorem adhæsionem, & unionem efficiendo cum aqueis particulis, ab hisce aqueis sphærulis, aut quasi sphærulis facilitatem motus excipiunt, ut glandulæ, aut renales, aut utræque a majori motu corporum transeuntium laxatæ, dilatatæ, & apertæ serosis potissimum fluidis viam parent.

56. Hæc data opportunitate discendi de medicamentis, quæ elective operari videntur, nolo dissimulare exponere probabilem rationem, propter quam experimur nonnulla vegetabilia, ut hellenium mures enecare, nucem vomicam canes occidere, reliquis animalibus illæsis, nonnulla vero ab animalibus desumpta, ut cantharides vesicam humanam specifice lædere, & urinas promovere, reliquis visceribus sine noxa remanentibus; denique nonnulla mineralia, ut mercurium, fauces irritare, & erodere, & salivationem ut plurimum promovere. Hæc phænomena clare ostendunt variam esse texturam, & compositionem principiorum sanguineas massas componentium juxta varias animalium species; quamobrem particulæ componentes hellenium permixtæ cum sanguine murium facile elaborant moles, quæ in hisce animalibus sunt pondere, superficie, figura, & motu quodammodo veneficæ; & solummodo fluidis per mures circulantibus inimicæ: Nux vomica permixta cum sanguine canum, & felium componere facile possunt particulas, quæ se habent mole, pondere, superficie, figura, motu, & elatere veneni ad modum pro solis canibus, & felibus enecandis; similiter cantharides sine noxa mixtionem inire possunt cum sanguine humano; cum vero istæ aut in renibus, aut in vesica unionem fecerint cum tali determinato numero salis armoniacalis urinam componentis, tunc tales moles componi possunt, quæ pondere, superficie ac figura, stygiam veluti indolem acquirant, aptam renales glandulas, aut vesicam potentissime lacerare, urinarum mucos dissolvere, & urinas validissime promovere. Sphærulæ pariter mercurii cum ex natura figurarum sphæricarum semper in motu esse debeant, ideo sine noxa cum fluidis possunt permisceri, & circulare: cum autem mercurius experiatur ab effectis a saliva præsertim hominis jejuni aliquantulum detineri, ac firmari, propterea mercurius cum ad loca salivaria, aut ad loca salivæ analoga pervenerit, hic mora, & quiete acquisita, & hac data occasione quietis a salivæ salibus undequaque circumscriptus, relicta figura sphærica polygonam figuram acquirit, propter quam in hisce locis majorem moram faciens, & firmitatem acquirens, majores vires, ac momenta exercere pondere, & aspera superficie, quam a corporibus circumscribentibus sibi comparaverat, parta faucium, oris, aliarumque partium erosione, & copiosa salivæ separatione: Similia quoque phænomena in chimicis manifesta esse videntur, sulphureæ enim particulæ unitæ particulis nitrosis, aut vitriolicis tali numero ac mole inter se arsenicale compositum elaborant, quod veneni ad modum operatur contra fluida, & solida, quamvis, componentes particulæ sejunctim sumptæ omnino sint innocuæ; similiter ex miscela spiritus nitri cum spiritu vitrioli tertia quædam substantia emergit, quam aquam stygiam appellamus validissime erodentem, quantumvis componentia sejunctim accepta beneficia non lethalia esse experiantur. Ex his colligere possumus specifica phænomena purgationum in animalibus, ut plurimum contingere, quotiescumque determinata fluida cum determinatis, ac specificis corporibus, ut fluidis alterius generis copulentur determinatis in locis machinæ animalis: hisce enim in locis specifica fieri possunt ex determinata mixtione, & unione corporum composita quædam, quæ ob nova pondera, novas superficies, figuras, ac motus peculiares actiones, & reactiones exerceant, a quibus determinatæ separationes humorum sive bonæ, sive malæ consequi debeant, aut beneficio, aut detrimento animalium; quamobrem quæ diximus de rhabarbaro, ut plurimum expellente biliosas materias, quæ de jalappa, mechoacanna, hermodactilis &c. seu de phlegmagogis expellentibus ut plurimum a glandulis intestinalibus serositates, simili lege, ratione, ac methodo de quibuscumque aliis medicamentis dicendum erit specificas actiones, & reactiones contra peculiaria fluida, & solida corporis exercentia, specificas materierum separationes promotura.

57. Quærendum denique est, cur post purgationes alvus styptica soleat remanere; facile autem quæsito satisfacere poterimus, si considerabimus ab opere medicamentorum solicitantium, & stimulantium fibras, & glandulas intestinorum, has coactas esse frequentissime, & celerrime oscillare, consequenter motum peristalticum intestinorum factum fuisse celerrimum, ac frequentissimum: quare cum a celeriori, & frequentiori motu sequantur necessario majores effusiones fluidorum non solum præternaturalium, verum etiam naturalium, & elasticorum succi nervei, ideo hisce majori numero effusis, ac deperditis fibræ omnes, & glandulæ intestinales laxatæ, enervatæ, & in statu inertiæ reddendæ erunt; quamobrem post purgationes glandulæ, & fibræ lentescendo in suis oscillationibus tarde, ac lente separationes, & excretiones materierum imposterum erunt paraturæ, ita ut post purgationes alvus styptica reddenda sit. Accedit quod in purgatione major seri copia excernitur, quam necessitas postulat, hinc multo minor copia remanet post purgationes, fibræ, & glandulæ intestinorum magis exiccatæ, & aridæ redduntur, hinc minus aptæ fiunt ad opportunos, ac validos motus oscillatorios, seu peristalticos exercendos pro materierum separatione; proinde alvus styptica erit secutura.

DISSERTATIO VI.

De Medicamentis Vomitum excitantibus.

58 COrporis purgationes potiſſimum fiunt, aut per medicamenta alvum moventia, aut per medicamenta vomitum excitantia. Cum vero de purgantibus per alvum in antecedentibus diſſertationibus actum fuerit, ideo ordo rei agendæ poſtulat, ut in præſenti de medicamentis vomitum excitantibus acturi ſimus. Hic autem de vomitoriis acturi, ſolummodo conſiderabimus illas cauſas vomitus, quæ a medicamentorum ſtimulo cognoſcendæ ſunt: negligimus itaque vomitum illum, qui a vertigine, a vulneribus, a motu inſueto corporis, ut intheda, in navi &c. quæ cauſæ vomitus facile referri poſſunt ad illas cauſas, quas a medicamentorum irritatione partas eſſe inferius oſtendemus. Cum ergo actiones medicamentorum per vomitum nullo modo explicari juſto poſſint, niſi præmittamus ea, quæ ab Anatomicis neceſſaria eſſe judicantur, ideo juxta celeberrimum Heiſterum conſiderabimus: *Ventriculum ſub figura utriculi luſorii, quia quadruplici numero membranarum munitus eſt. Prima itaque iſtarum membranacea eſt, cujus fibræ tranſverſe procedunt. Secunda muſculoſa, in qua fibrarum ordo varius eſt, & quaſi inextricabilis; quædam enim quaſi circulares a parte ſuperiori ad inferiorem deſcendunt, aliæ in ſuperiori ventriculi parte inter utrumque orificium, aliæ a ſiniſtro latere ad dexterum oblique excurrunt, quædam orificia ambiunt. Tertia nervea rugas efficiens multis vaſis ſanguiferis, & parvis liquidum gaſtricum ſecernentibus inſtructa. Quarta villoſa, tenuis, poroſa præcedenti nerveæ arcte adhærens*; Per hanc tunicam etiam quandoque oſcula excretoria hiare glandularum ventriculi prope antrum pylori celeberrimus Morgagnius adnotavit. Adverſa. Anatom. 3. pag. 6. *Præterea adſunt arteriæ gaſtricæ ad venam portæ tendentes: ubi notanda ſunt vaſa brevia ad ramum ſplenicum abeuntia, & vena coronaria ventriculum ambiens. Nervei deinde circa ſiniſtrum orificium intrantes a pari vago admodum inſignes ſunt, hinc adeo ſenſibile redditur ſiniſtrum ventriculi orificium, denique vaſa lymphatica ad receptaculum chyli abeunt. Ventriculus duo obtinet orificia, ſiniſtrum unum cum gula continuum, multiſque rugis inſtructum, quod longe altius eſt dextero, dexterum vero, qui pylorus appellatur cum inteſtinis alligatur, quo in loco adeſt ſingularis valvula ventriculi orificium claudens, tandem adeſt fundus ventriculi, qui anteriora ſpectat.*

59. Prudentiſſimus itaque Clinicus vel naturæ, vel morbi neceſſitate imperet ægrotantibus aſſumere vomitoria, brevi tempore particulæ vomitorii vel pondere, vel aſpera ſuperficie, vel motu, vel vi ex hiſce omnibus compoſita, unitæ etiam ſuccis facile ſalinis, qui a nervea membrana ventriculi continuo ſeparantur pro penetratione, & diſſolutione ciborum, elaborant potentiſſimas vires in ratione compoſita ponderum, ſuperficierum, & motuum corporum permixtorum inter ſe; quamobrem tali ratione agentia, & reagentia vomitoria primo ſtimulant membranam villoſam, quæ cum membranæ nerveæ arcte adhæreat; ſtatim nervea membrana conſenſu facto ſtimulatur. Cum vero ſtimulus vomitorii fiat a continuo contactu eiuſdem ſuprà membranam villoſam; ideo & nervea membrana continuos ſtimulos excipiens, & ſuſtinens multo majores exercet contractiones, quam diſtractiones: hic animadvertendum eſt nerveam membranam emittere fibrillas nerveas quaquaverſus per ſpatia proximæ membranæ muſculoſæ pro neceſſario motu ejuſdem; quamobrem cum muſcularis membrana duplici fibrarum ordine donata ſit, quarum alter circularis eſt a parte ſuperiori ad inferiorem deſcendens, altera vero oblique ſive ſpiraliter varias directiones motus deſcribens; ideo ambo iſti fibrarum ordines primatio ſtatuent convulſivas ventriculi anomalias.

60. Et primo cum membrana nervea continuos ſtimulos ſuſtinens a villoſa comunicatos coacta ſit multo majores pati contractionis gradus, quam moveri motibus diſtractionis; ideo & membrana ſubſequens muſcularis omnimodam relationem habens cum nervea criſpationem, & contractionem ferre debebit; hinc ſtatim circularium fibrarum ordo membranæ muſcularis ſtatum contractionis acquirens parat ſectionem minorem ventriculo; cum autem iſte tranſitus ventriculi a ſectione majori ad minorem fieri non poſſit ſine neceſſaria fundi elevatione verſus ſiniſtrum ventriculi orificium; ergo contenta omnia in ventriculo verſus gulam primo elevari coacta erunt. Etenim cum fibræ circulares verſus pylorum multo ſint minoris diametri, quam ſint fibræ circulares fundi ventriculi, idcirco cum circulares ſectiones ex geometricis decreſcant ſemper in ratione quadrata ſuorum diametrorum, profecto cum ſectio pylori, ſeu dexteri orificii ſub minori, aut minima diametro contenta ſtricta fuerit, ac clauſa, adhuc ſectio fundi ventriculi ſub multo majori diametro remanebit ſatis aperta, ac dilatata, quare dexterum ventriculi orificium arctiſſime conſtrictum, & clauſum impediet, ne contenta in ventriculo ob fundum elevatum, & proportionaliter conſtrictum per inteſtina tranſmittantur, quin immo materiæ contentæ verſus fundum, & ſiniſtrum ventriculi orificium expulſæ, & hiſce in locis ſuas irritationes ultro exercentes tandem aliquando fundum ventriculi fortiter, & convulſive contrahunt, & adjuncta fundi anguſtia cogunt materias contentas violenter impelli ſurſum parto vomitu. Ulterius tanto operi conſtrictionis pylori, & fundi ventriculi conſpirat proportionalis contractio fibrarum pariter obliquarum, ſeu ſpiralium, a quarum viribus fortiſſime conſtrictionem circularium ſuſtineri, & conſervari neceſſe erit. Cum itaque totus ventriculi fundus ab aſſidua irritatione contractus, & criſpatus convulſive ſurſum elevetur, & pylorus, ſeu dexterum orificium fortiſſime conſtrictum, & omnino clauſum reddatur; ergo impedito motu materierum per inteſtina, opus erit contentas materias, & fortiter compreſſas a capacitate ventriculi jam decreſcente in ratione quadrata diametrorum fibrarum circularium per dexterum ventriculi orificium ſurſum violenter eſſe expellendas.

61. Verum ſentio in hac re arguentes, ſi a ſtimulo vomitorii irritantur continuo fibræ ventriculi, cujus irritationis opere ſtringitur, & contrahitur pylorus; ergo ab eadem cauſa irritante ſtringendum quoque erit orificium ſiniſtrum ipſi gulæ continuum: quapropter materiæ contentæ neque ſurſum per vomitum, neque deorſum per inteſtina erunt expellendæ. Optima quidem dubitatio; & ſane ſi ea proportione fibræ ſiniſtri orificii plurimis nervis ſtipatæ redderentur contractæ, ac reddantur ſtrictæ & clauſæ fibræ dexteri orificii, ſeu pylori, proculdubio materiæ contentæ lethali vitæ periculo neque ſurſum per vomitum, neque deorſum per inteſtina moveri potuiſſent: ſed violenter in ventriculo detentæ graviſſima ventriculi tormina, convulſiones, aliquando inflammationes cum lypiria febri producerent. Verum debemus animadvertere ſiniſtrum ventriculi orificium com gula continuum multo altius eſſe dextero, ſive pyloro, quare contentæ materiæ pondere ſuo occupant primo fundum ventriculi, deinde facilius, & promptius pylorum, non ſolum quia hic eſt ſiniſtro humilior, verum etiam quia motus periſtalticus fibrarum ventriculi a gula ad pylorum ſucceſſive dirigitur; cum itaque a pondere materierum potiſſimum pylorus, & pars fundi verſus pylorum teneantur, ideo facta in hiſce locis majori denſitate, pondere, & aſperiori graviorique contactu corporum ingeſtorum, multo magis contentæ materiæ ſtimulabunt pylorum & partem fundi pylorum verſus, quam reliquas partes a pyloro remotiores; hinc in dextero orificio, & partibus huic proximis major contractio, majorque convulſio erunt ſecuturæ; effectus enim ſunt cauſis ſuis adæquatis proportionales; quare effectus contractionis, & convulſionis in partibus pylori majores, & validiores ac continui eſſe debebunt, in quibus cauſæ irritantes, ac ſtimulantes fuerint pondere, denſitate, & aſperiori contactu majores, validiores, & continuæ; quamobrem in ſpatiis pylori validiori excitato motu convulſionis moleſtæ iſtæ materies ſurſum, ſeu gulam verſus erunt impellendæ, verſus quam ſola major porta aperta remanet, ſeu minor reſiſtentia conceſſa eſt parto vomitu, ut etiam antecedenti numero indicavimus.

62. Talis elevationis neceſſitas gulam verſus materierum moleſtarum ventriculo ultro conſequitur a motu preſſionis ſurſum totius abdominis opere nervorum paris vagi, qui cum membrana nervea communionem habent; iſti enim effuſi per abdomen totum convulſiva contractione acquiſita ſurſum elevant viſcera abdominis, inteſtina, muſculos &c. quæ omnia ſimul impetu facto in ventriculum contentas materias ſurſum per gulam validiſſime ulterius urgent ad majorem vomitus generationem.

63. Præter hæc Mechanicæ leges ſupra modum favent tam neceſſariæ elevationi materierum gulam verſus, & per gulam ipſam. Cum enim pultacea materies ſit quid compoſitum ex corporibus ſolidis, & fluidis, elaſticis, & non elaſticis, & compreſſio maſſæ chylaceæ in minus volumen per preſſionem factam ab elevatione, & conſtrictione fundi ventriculi, & dexteri orificii: pariterque cum elaſticitates corporum elaſticorum ſint viribus comprimentibus quam proxime proportionales; ergo cum in elevato fundo ventriculi, & in ſpatio præcipue dexteri orificii fiat, cæteris paribus, major preſſio, & coarctatio chyloſæ materiæ, neceſſario elementa elaſtica ſulphurum aeris, & flatuum componentia hanc pultaceam ſubſtantiam majorem, cæteris paribus, elaterem acquirere debebunt pylorum verſus, & in parte fundi ventriculi pyloro proxima. Quamobrem cum elaſticæ particulæ pervenerint ad ultimum terminum ſuæ compreſſionis in hiſce partibus pylori, & pyloro proximis, cogentur talem violentum dilatationis niſum ſibi comparare, paſſis compreſſionibus proportionalem: cum vero nullum majus ſpatium occupandum remaneat, niſi verſus ſiniſtrum orificium, ſeu gulam verſus, verſus quam majus ſpatium apertum eſt, minorque occurrit reſiſtentia; ergo major dilatatio, & potentior rareſactio ejuſdem maſſæ chylaceæ vi caloris interni, & externi acquiſita facienda jure erit gulam verſus; principio autem gulæ occupato ultro augetur neceſſitas expediti motus materiæ aſcendendæ, aut aſcendentis per æſophagum. Etenim æſophagus eſt canalis membranoſus multo anguſtior ventriculo: quare ex mechanicis cum velocitates corporum fluentium ſint in ratione reciproca ſectionum canalium; ergo facta preſſione fluidi chylacei a compreſſione communicata ventriculo, motus materiæ chylaceæ in latiore ſpatio ventriculi ad motum ejuſdem materiæ chylaceæ jam occupantis minorem gulæ capacitatem, ac ſectionem, erit reciproce, aut quaſi reciproce, ut major motus per minorem capacitatem gulæ, ad minorem motum per latius ſpatium ventriculi; propterea manifeſtum erit quanto majori motu, & quanta majori velocitate chylacea materies, quantumvis leviter mota in ventriculo, coacta ſit majori velocitate moveri per æſophagum, quotieſcunque ob paſſam preſſionem in ventriculo, & verſus ſiniſtrum orificium impulſa, gulæ principium ingreſſa fuerit: motus itaque chylaceæ materiæ per æſophagum, ſeu vomitus expeditus, & promptus neceſſario erit futurus.

64. Modo arduum phænomenon explicandum remanet, quod medicam praxim agens aliquando vidi mirabundus. Aderat monialis, quæ piſces talis ſpeciei nullatenus in ventriculo detinere poterat, coacta erat poſt aliquod tempus cum vomitu ſolos piſces ſine reliquis ut plurimum cibariis emittere: cognovi Medicum qui carnem ſuillam quantumvis plurimis cibis permixtam, attamen hanc tantummodo evomebat: quamvis argumentum hoc ſalebroſum eſſe videatur, nihilominus probabilia cogitanti occurrit mihi conſiderare naturam præſtantiſſimam ſui ipſius conſervatricem ſeparare a glandulis nerveæ membranæ ventriculi ſuccos variæ indolis compoſitos ex particulis aqueis, ſulphureis, & ſalinis diverſæ molis, ponderis, & figuræ, quæ ſalium particulæ ſe habeant ut cunei multiplicium ſuperficierum & angulorum, ut juxta multiplices ciborum diſſolvendorum differentias ſingularia, & ſpecifica veluti menſtrua penetrantia, & diſſolventia cibos haberentur: ſicut enim in Chymicis, ut n. 51. innuimus, ſingula corpora penetrantur, & diſſolvuntur a ſimilibus, & homogeneis, ſicuti aqua fortis argentum, regia vero aurum, & acetum plumbum penetrant, ac ſolvunt; ita cum præcipua actio ventriculi ſit penetratio, & diſſolutio ciborum opere potiſſimum ſuccorum, qui a glandulis nerveæ membranæ ventriculi continuo ſecernuntur, facile erit judicare naturam artis magiſtram tam admirandum opus penetrationis, & diſſolutionis ciborum obtinere poſſe beneficio, & opere ſpecificæ differentiæ corporum agentium, & reagentium contra cibos in ventriculo contentos, ita ut ſimilia, & homogenea a ſimilibus, & homogeneis præcipue penetrentur, & ſcindantur; a diſſimilibus vero, & heterogeneis aut imperfectam, aut ægram, aut nullam penetrationem, & diſſolutionem acquirant: hinc juxta leges naturæ amantis proportiones corporum, figurarum, poroſitatum, & motuum eorundem inter ſe manifeſtum erit multiplicia corpora diſſolventia, quæ promiſcue ſeparantur a glandulis ventriculi, quoad potentiam apta eſſe cibos penetrare, ac ſolvere, ſed imperfecte, & languide; quo vero ad actum, ſeu ad uſum ſpecificum, & determinatum penetrationis, & diſſolutionis eorum, certum erit ſimilia & homogenea ſolum a ſimilibus pariter, & homogeneis quoad figuras, poros, & motus facilius, citius, & perfectius penetrari poſſe, ac diſſolvi, ut phyſica experimenta a legibus naturæ petita omnino declarant.

65. Dein-

65. Deinde considerandum est, quod ut specifica cibi differentia apte, & perfecte penetretur, & scindatur a specifica actione, & reactione particularum, sive cuneorum dissolventium, debet cibus iste aptus esse, ac dispositus ad intime se permiscendum cum reliquis ciborum particulis: a perfecta enim & intima miscella istius cum reliquis cogitur excipere quaquaversus percussiones particularum dissolventium, seu cuneorum, quorum auxilio penetratur & frangitur hæc specifica cibi differentia, potissimum ab illis corporibus, aut cuneis salinis dissolventibus ipsi cibo dissolvendo similibus, & proportionalibus. Hisce præmissis, si aliqua cibi species extiterit in ventriculo, quæ non sit apta ad perfectam, ac necessariam mixtionem sibi comparandam cum reliquis ciborum particulis, & ulterius in ventriculo aut minora sint, aut languida, aut nulla existant corpora dissolventia, homogenea, & proportionalia specificæ illi speciei cibi dissolvendi; tunc illa cibi species non perfecte permixta cum reliquis, neque opportune poterit penetrari, frangi, ac dissolvi. Quamobrem hæc cibi species imperfecte, aut nullo modo mixta cum reliquis, neque dissoluta, & facta, cæteris gravior, ac ponderosior remanere debebit, consequenter ventriculo molestior; gravior autem & ponderosior reddita cum fuerit, non poterit facile ac prompte moveri versus pylorum, versus quem tota materia chylosa naturali motu jam dissoluta, fluidior, & levior reddita paulatim movetur, & dirigitur, sed tali motui versus pylorum resistentiam feret gravitate ac pondere. Cum vero talis cibi species pondere, superficie, & præternaturali tarditate affecta, eveniat quoque supra modum molesta nerveis, & muscularibus fibris ventriculi, ideo facto eo potissimum in loco, cui materies illa adhæret, ulterius stimulo, & excitata quadam affectione convulsiva ea lege contractionis promovebitur vomitus solius materiæ molestæ, & gravis, quam antea exposuimus evenire opere medicamentorum irritantium. Tali ulterius vomitus solius materiæ molestæ ac gravis conspirat ipsamet actio, & passio animæ (quantum ex se est, & organa ipsi apte pareant); hæc enim intime compenetrata sensoriis suis cogitur molestе sentire, & graviter pati molestas, & graves suorum sensuum, & organorum affectiones: quare anima primario suas actiones exercens in cerebro & cerebello hic molestе, & graviter solicitata cogitur violenter solicitare, & proportionaliter impellere potissimum eas specificas cerebri, & cerebelli, quæ relationem, & consensum habent cum illis fibris ventriculi molestе, & graviter affectis a corpore illo molesto, & heterogeneo; quamobrem ultro promoventur, & augentur motus illi contractionis fibrarum nervearum, & muscularium ventriculi, qui sint ad specificam illam materiam naturæ gravem, ac molestam, volente anima, per vomitum expellendam proportionales. Quod si una cum corpore illo extraneo aliquid etiam materiæ pultaceæ per vomitum emittatur; profecto vel erit hoc quantitate paucum, vel extraneo corpori arcte adhærens, vel quid ægre dissolutum, & reliquis particulis gravius aptum evertere ut antea æquilibrium mixtionis materiæ pultaceæ, ideoque exposita methodo erit hoc quoque per vomitum expellendum. Hæc simili ratione eveniunt, qua experimur a fæbi particula dolio immissa everso æquilibrio mixtionis universas vini particulas excitari in violentissimos motus usque dum tota fæbi extranei expulsio secuta fuerit.

66. Quamvis vomitoria sæpe ac sæpius necessaria, & utilia esse videantur; nihilominus aliquando aut caute, aut nunquam erunt exercenda, si itaque ægrotantes non fuerint ad vomendum promti, neque vomitionibus assueti, tunc vomitus vel caute tentandus erit, vel omittendus; verum si fuerit hæmoptisis, aut scapularum, aut thoracis naturalis angustia, tunc a vomitoriis abstineri oportet. In pariter si ætas tenera, si constitutio ventriculi languida, si inedia præcedens fuerint, & vires fuerint enervatæ, & fractæ, tunc penitus debemus a vomitoriis recedere, denique in Pletoricis caute vomitus promovendus erit, nisi prius opportuna sanguinis missio fuerit instituta, facile enim ab impetu evomendi vasa sanguine turgida miserrime rumperentur.

DISSERTATIO VII.

De Medicamentis Diureticis.

67 NEmo est qui non intelligat medicamenta diuretica illa esse, quæ serum a sanguineo fluido continuo promovent secernendum specifico motu fibrarum renalium, quod inde in ureteres exceptum per vesicam, & per uretram expellitur, quod fluidum expulsum *Urinosum* a Medicis appellatur. Cum itaque renes sint primaria organa talis separationis fluidi serosi, placebit considerare ex datis Anatomicis substantiam renum aliam esse exteriorem, seu corticalem, interiorem alteram. Exterior juxta Malpighium glandulosa creditur, juxta Ruischium vasculosa habita est. Interior vero tubulosa, nempe ex plurimorum tubulorum aggerie composita est: hæc definit aliquando in 10. aliquando in 12. papillas, quæ plurimis foraminulis perviæ hiant in pelvim: hæc autem pelvis est cavitas membranosa, quæ inde extra renes collecta, & unita ureteres construit, qui tandem obliquo ductu in vesica terminantur; ab arteriis itaque emulgentibus delatus sanguis ad externam vel glandulosam, vel vasculosam substantiam opere determinatarum oscillationum organis renalibus proportionalium continua fit separatio fluidi serosi a massa sanguinis, quod a tubulis internæ membranæ exceptum & in papillis ultro depuratum in pelvi excipitur, & paulatim per ureteres in vesicam transmittitur. In statu naturalis compositionis renum facile est judicare glandulosa, vel vasculosa illa organa renum esse similia & æqualia inter se, ut apto ordine, & æquabili proportione æquales quantitates humorum determinatis temporibus secernerentur. Cum enim serum hoc a sanguine separandum leniter, tarde, & isochronis legibus moveatur in glandulosa, aut vasculosa renum substantia, pariterque capacitates glandularum similes, & æquales in naturali renum constitutione haberi debeant; ideo similes, & æquales quoque contentæ quantitates humorum exercendæ jure erunt ex mechanicis in ratione luminum, seu sectionum corporum glandularium, vel vascularium: hinc fluida serosa æquabiliter suscepta ab interna tubulorum aggerie, æquabili quoque ordine, motu, & tempore transmittenda erunt in papillas, & ab his in pelvim, a pelvi in ureteres, & ab ureteribus in vesicam, ut determinata quantitate, statutoque tempore per uretram expellantur.

68. Hæc in statu naturali: sæpissime autem experimur primo a medicamentis aqueis, aut quorum basis est aquea, ut sunt aqua communis, serum lactis, & aquæ minerales &c. promoveri urinarum quantitates. Secundo a laxantibus, & emollientibus medicamentis easdem sequi urinarum copias, ut sunt oleum amigdalarum dulcium, terebinthina, & succi herbarum emollientium ut malvarum, betarum, parietariæ, violarum, fragariæ, alteæ, &c. tertio a salinis medicamentis variæ indolis, quorum vis est aperire, ac solvere texturas fibrosas humorum, aut solicitare, aut stimulare organa renalia, ut sunt nigella, allium, pastinaca sylvestris, raphanus, ita sabarum, tartari, ammoniaci &c. pariter plurimi sunt succi essentiales herbarum, ut petrosellini, feniculi, asparagi, dauci, dictami, rapæ, persicariæ, acetosæ, anagallidis, irionis, praveræ bravæ, &c. quarum decoctiones, nec non istarum pulveres urinas copiose educunt, quibus addere poterimus millipedes, mel, & plurima alia hisce similia, quorum vis salina primario est, sed aliquo principio sulphureo permixta.

69. Medicamenta ergo diuretica quæ aquea sunt, aut basim habent aqueam, agere potissimum videntur quantitate, mole, pondere, figura: primo enim agunt quantitate, mole, ac pondere, quando etenim quantitates aquarum ingrediuntur vasa animalium, tunc massæ humorum elevantur ad majorem altitudinem quaquaversus supra, infra, & ad latera, & successive per longitudinem canalis repletis canalibus; quamobrem juxta Borellum Prop. 71. secundi Tomi *de motu animalium*, considerando vasa ut cilindros, haberi possunt vasa in statu naturalis positionis, & eadem vasa in statu majoris extensionis ob aquas contentas, ut cilindri similes: sed per Propos. 12. 12. Eucl. cilindri similes sunt in ratione triplicata, seu cubica diametrorum, quæ sunt in basibus; ergo diameter basis cilindri in statu naturalis positionis fuerit ut 2. & post aquas assumptas extensio diametri basis facta fuerit ut 3. tunc primus cilindrus in statu naturalis positionis & extensionis ad secundum cilindrum in statu majoris dilatationis factæ ab aquis contentis erit in ratione 8. ad 27. Cum tanto itaque augmento vasorum ingreditur massa sanguinis externam renum substantiam, renales autem cellulæ vel glanduloſæ, vel vasculosæ dilatandæ, & ipsæ erunt in ratione majoris quantitatis aquarum effusarum in cellulas ipsas; cum autem istæ ad ultimum terminum dilationis devenerint naturali suo nisu elastice contrahuntur, & contenta fluida per internam tubulorum aggeriem in papillas, & ab his in ureteres valide impellunt: hinc juxta frequentes aquarum successivas transmissiones ad renes urinarum copiæ per vesicam, & successive per uretram ejiciendæ erunt, tanto operi etiam conspirat sphærica, aut quasi sphærica aquearum particularum figura, quæ cum aptissima sit facillime moveri quaquaversus, & tangentibus corporibus motum tribuere, ideo aqueæ particulæ movendæ erunt, & exterius promovendæ.

70. Hic nolo præterire graviſſime peccare illos, qui audacter aquas minerales enormi copia bibere amant, & se has enormiter bibisse gloriantur; primo enim a pondere aquarum dilatatur nimis ventriculus, & laxatur, ut nervea membrana ejusdem enervata, & iners reddita leniſſime oscillare coacta sit, & succos, seu cuneos dissolventes tarde, ac parce secernat; propterea & ob solidorum ventriculi inertiam, & ob succorum dissolventium inopiam, & debilitatem iners imposterum, & languida ciborum dissolutio consequitur: deinde excedens aquarum copia ad renes violenter effusa mole, pondere, ac numero nimis aperit cellulas illas, quibus nimis apertis, nimis quoque laxetur naturalis textura eorum, & inepta imposterum redditur ad specificos fibrarum motus facile, prompte, & valide exequendos, ut in statu naturali exigit æquabilis, & isochrona distractio, & contractio renum eorundem; quamobrem nimis laxatis sinubus, & naturalibus fibrarum angulis paulatim, colliguntur in rènibus corpora extranea mole, superficie, & numero dissimilia, & heterogenea, quæ asperis superficiebus stimulando, ardores urinarum, dysurias, & strangurias, ut bis & ter vidi, aliquando etiam renum labes, calculos, aut ulcera parturiunt. Nolint ergo gaudere aquarum potatores se ad 180. aut ad 200. & amplius uncias ascendisse, cum tantæ aquarum copiæ facillime non levia ferre possint pericula a nullis imposterum vincenda remediis; profecto 80. aut 90. ad summum 100. unciæ Italis sufficere videntur, ut aquæ sine periculo, sed utilitate bibantur: quod autem aquæ minerales & his similes tam facile, tam prompte transire, & expelli soleant per urinas, nolite admirari, cum ostensum sit sanguinis circulationem singula hora vicibus 17. proxime esse efficiendam; quibus motibus si addamus quantitatem aquarum, pondus, & salinas particulas, quibus minerales aquæ donatæ sunt, & a quibus viæ renum magis magisque aperiuntur, ultro constabit, quod facta ex hisce omnibus ratione composita virium, & momentorum, constabit, inquam, quam necessario aquæ minerales, & hisce similes prompte a sanguinea massa separandæ sint, & citissime excernendæ.

71. Sicut autem excedens laxitas organorum renalium plena est periculis, ita apta & conveniens laxitas eorundum ad urinas promovendas opportune conspirat; huic operi favent succi, & potiones laxantes ut violarum, parietariæ, malvarum, alteæ, &c. talis ordinis sunt terebinthinata, oleum amigdal. dulcium, oleum lini, & emulsiones laxantes, similia balneis non relictis; fibræ enim organorum renalium aliquando rigidiores fiunt, ut in senibus, in hystericis, in convulsivis, & hypocondriacis affectionibus facile evenit, firmiores aliquando redduntur magisque consistentes aut præternaturali fibrarum suarum constitutione, aut opere fluidorum viscidorum, & tenacium organis adhærentium; fibræ enim renales sæpe, ac sæpius vestiuntur, & mulctantur materia quadam densa, viscida, ac filamentosa, quæ adhærendo, & circumscribendo fibras, has reddunt mole, & soliditate majores, cum autem moles, & soliditates corporum, cæteris paribus, sint ut pondera, profecto fibræ istæ mole, & soliditate adauctæ, graviores pariter reddendæ erunt, graviores autem redditæ resistunt motui sanguinis advenientis, impulsui succi nervei communicato renibus renalium nervorum auxilio, quare tunc specifici motus renalium fibrarum minores, magisque lenti, ac tardi faciendi erunt pro lenta pariter ac tarda, consequenter minori fluidi serosi separatione; tali autem in statu opportune succurrunt mox exposita laxantia, & oleosa medicamenta, quæ leni, ac molli humectatione, ac penetratione emolliant rigidas illas fibras, & paulatim laxant mucosam illam superficiem fibris circumscriptam, qua emollita paulatim decidunt, & collabescunt viscida illa involucra fibris obvoluta, sic fibræ aut flexiles redditæ, aut spoliatæ, ac

denudatæ muco leviores, & mobiliores fiunt, & ad naturales suas oscillationes exequendas expeditæ redduntur, quibus facile, ac prompte oscillantibus major, & uberior seri copia secernitur, & promovetur ad majorem urinarum ubertatem; cum itaque hæc necessariæ urinarum separationi sufficiant, hisce contentus esse debet Medicus, neque validiora medicamenta tentare debebit; cæterum si adhuc renes non obediant, ad majora progredi licet; aperient idcirco contumaces solidorum areas, & mucos, aut extraneas materias fibris, & glandulis renalibus adhærentes, dissolvent balnea tepida, & exposita illa diuretica; quæ salinis spiculis donata sunt, quatenus angulis suis penetrant, & aperiunt porositates renales, & viscidas quascunque saburras divellunt, ac rumpunt; diuretica itaque altioris ordinis exercenda erunt desumpta ab animalibus, vegetabilibus, & mineralibus. Inter remedia ab animalibus petita præstant illa quæ parantur a cancris, a millepedibus, a formicis, a stercore palumbi, & cantharidibus &c. Inter vegetabilia eminet saxifragia, semina irionis, radix praverabravæ, & salia quælibet a vegetabilibus collecta cum laude poterunt exerceri &c. Inter mineralia adest mercurius, nonnulla ab antimonio desumpta, & ea quæ parantur ex tartaro, nitro, calce, & sale armoniaco urgente necessitate postulantur. In hac pariter classe numerari quoque poterunt spiritus salis dulcis, sal urinæ, & nonnullæ aquæ minerales sortes, ac validis salibus potentes; ut Sancti Mauritii ex valle Solis &c. hujusmodi enim remedia non solum motu, & elatere vim faciunt in solida renum, & magis oscillantia redduut; verum etiam salinis suis superficiebus fibrosum sanguinis, & seri concrescibilis crassamentum scindunt, ac frangunt, magisque renum poros apetiunt, hinc uberior seri contenti copia effluens valide, & potenter renum actiones, & reactiones exercet, ut serum per urinas copiosius educatur: & sane cum ab hisce omnibus agentibus, & reagentibus motu, & elatere augeatur seri velocitas, & a salina, & angulari eorum superficie scindantur filamenta nimis fixa seri concrescibilis, & magis extensi, fiant meatus solidorum renalium necessario fluida serosa secernenda erunt in ratione composita ex numero corporum agentium, ex velocitate, & elatere ipsorum, & ex ratione orificiorum canalium, seu glandularum, quæ ratio composita virium cum potens sit ad serositates promovendas opere renum, & vesicæ; idcirco copiosissimę effusiones urinarum erunt secuturę.

72. Quamvis autem urgente necessitate valida diuretica necessaria esse videantur, nihilominus prudentissime, & semper vocato aliorum consilio adhibenda sunt, scrupulose enim animadvettere debemus a validioribus diureticis sequi quidem posse uberrimas urinarum copias, sed pejori periculo, non beneficio; sępe enim ac sępius tantæ humorum viscidorum saburræ deferri possunt ad renes, ut facta primum copiosissima secretione tenujoris seri, crassior inde, & conscrescibilior seri portio una cum reliquis particulis viscidis, ac filamentosis alterius generis adauctis enormirer molibus impediat renum acinos, & adeo obstruat tubulos, & papillas urinarias, ut in renibus gravissimæ firmentur urinarum suppressiones totali vitæ periculo. Quod si hæc non eveniant saltem sanguinis effusiones, & sanguineæ urinæ cum grumis, aliquando etiam hemorroidum, aut narium hemoragiæ facile poterunt effluere; quamobrem in omnibus medicamentis potissimum diureticis habenda semper erit æqua, & attenta ratio, quantitatis, temporis, & ætatis, ita ut in omnibus sit prudens usus, ne amica remedia in hostilia venena permutentur.

73. Hic sedulo notandum est, nos gravissime incidere in renum morbos, quotiescunque fluida sanguinea, & lymphatica præpollenti austeritate peccaverint; cum enim hæc vitia fuerint, tunc indoles fluidorum aut aluminosa erit, aut vitriolica. In indole aluminosa peccat numerus saliuni sub figuris octaedricis, aut quasi octaedricis; in indole vitriolica culpantur salinæ illæ particulæ, quarum figura est parallelepipeda romboidea, aut ad has figuras inclinant. Hæc autem corpora cum naturali austeritate polleant, organa primum, quibus applicantur, potentissime ligant, quotiescunque præpollentia hæc corpora extiterint, & veluti materia tartarea circumscribunt; facile est ergo judicare horum salium figuras occupare, & implere sinus, & spatia fibrarum, quibus repletis, redduntur fibræ nimia firmitate, ac soliditate constantes, ita ut inflecti, incurvari, & oscillare difficulter possint. In tali autem difficultate oscillationum fibrarum firmatur corporum fluidorum unio, & nexus inter se; Verum hæc ultro augentur, & crescunt vitio fluidorum ipsorum; fluida enim, & ipsa repleta salibus talis naturæ, ac indolis graviora fiunt, ac lentiora; in tali autem lentescentia, ac tarditate facto majori nexu augentur moles, & pondera partis arenulis, calculis, & lapidibus tam in substantia renum, quam in cavitate vesicæ seri urinosi impedimento. Cum hæc vitia fuerint tam in fluidis, quam in solidis, tunc a radice morbi aqueæ potiones, oleosa pharmaca, & blanda emollientia curationem instituunt, aquea enim diluendo, & laxando, & oleosa molli sua superficie emolliendo, & infirmando conflantem salium texturam, horumque angulos investiendo stimulos salinos aut frangunt, aut saltem imminuunt, sic arctæ salium uniones dissolvuntur, & in minores minoresque particulas dividuntur, & laxata tali methodo fluidorum, & solidorum compage fibrarum renalium oscillationes, & secretiones seri faciliores, & promptiores consequuntur majori urinarum fluentium facilitate; tanto beneficio conspirant opportuna æquitatio, conveniens motus, balnea tepida aquarum, & balneum olei communis, & vina mollia, tenuja, & facilis transitus. Cæterum si morbus vel in renibus, vel in vesica calculis, arenulis, aut lapidibus statutus fuerit impossibilis, ut plurimum solet esse curationis, quamvis curari soleat ille, quia a lapide vesicæ partus est facta sectione vesicæ ad lapidis contenti extractionem; verum tractu temporis similia pericula redire consuescunt.

74. Denique pro hoc argumento non omittendum est non solum a vi morbi, ut in febribus ardentibus, in marasmo, & in emaciatione, verum etiam a violentioribus diureticis sequi aliquando urinas, quæ a Medicis oleosæ dicuntur. Istæ autem raro ostendunt in sua superficie oleosas quasdam guttulas ad instar olei super aquam effusi, ut nonnulli perperam arbitrati sunt, sed ostendunt paulo post excrerionem quandam veluti superficiem telis aranearum similem, quæ si diligenter tangatur, edocti erunt Medici a sensu tactus hanc urinæ superficiem esse mollem, & oleosam, oleosæ substantiæ ad instar. Omnibus enim manifestum est urinam esse quid compositum ex oleosis, & filamentosis chyli, & sanguinis particulis sero sanguinis, & lympha dissolutis, & inter se commixtis, in quibus tamen excedens salium copia præpollet; quamobrem si facta fuerit sanguinis dissolutio, aut si violenta diureticorum potentia deferat ad renes majora elementa chyli; & sanguinis nutritia, balsamica, & oleosa, quam naturalis seri quantitas postulat, & pori renales magis dilatati fuerint, necessario a renibus separari debebunt corpora nutrita sanguinis, & chyli plurimis salinis retentis, consequenter oleosæ superficies apparentes, & conspicuæ fient in urinis gravissimo ægrotantium periculo, & cum fatali ipsorum emaciatione.

DISSERTATIO VIII.

De Medicamentis Diaphoreticis.

75. CUM summa, & continua sint beneficia, quæ ab opere transpirationis per universam cutis superficiem eveniunt machinæ animalis; ideo *Diaphoretica Medicamenta*, quæ aut transpirationem promovent, aut augent, judicanda erunt tanquam præstantiora naturæ subsidia: Transpirationis ergo operi tria conspirant organa: *Cuticula*, quæ firmiter adhæret cuti interveniente corpore reticulari Malpighii infinitis foraminulis aperta pro exitu sudoris, & materiæ transpirabilis. Secundo *Corpus reticulare*, quod pariter est tenuissima membranula cuticulæ proxime adhærens innumeris quoque foraminibus reticuli ad instar perforata, per quæ foraminula exeunt papillæ cutaneæ, & ductus excretorii cutis, qui habentur, ut universalia cutis emunctoria. Tertio præstantius organum transpirationis habenda est *Cutis*, quæ est valida membrana totum corpus investiens, cujus structura componitur ex fibris tendineis mirum in modum implexis, ex copiosissimis venis, arteriis, & nervis, a quibus papillæ pyramidales per rete Malpighii extensæ prominent; infinitæ ulterius adsunt glandulæ miliares pro secretione materiæ transpirandæ, & per sudores promovendæ, ita ut cutis universale naturæ emunctorium jure, ac merito æstimandum sit.

76. Modo diaphoretica medicamenta duplici in classe partiri possunt, alia enim interne per os assumuntur, alia vero externe exercentur. Illa quæ interne per os assumuntur, nonnulla solam habent basim aqueam, nonnulla sulphuream, ut plurimum vero salino-sulphuream. Itaque diaphoretica habentia basim aqueam statuuntur ab aquis calidis, aquæ enim calidæ epotæ sudorem promovent, tales sunt decocta etiam millii, & lentis &c. Diaphoretica quæ basim habent sulphuream, colliguntur a spiritibus, seu aquis ardentibus &c. denique quæ obtinent basim salino sulphuream ostenduntur in regno animali a cornu cervi, a viperis, a bufonibus, a lapide histricis, aut infuso, aut decocto in aquis cordialibus &c. in regno vegetabili ab angelica, scordeo, centaurea, carduo sancto, saponaria, contrajerva, & ab herbis illis, ac vegetabilibus, quorum sapor amarus est; in regno minerali ab antimonio, a mercurio, a jovalibus, a bezoarticis, & sulphuratis &c. Externa autem diaphoretica colliguntur ab aere calido, a motu corporis, a balneis, & fictionibus, a cucurbitulis &c.

77. Itaque, de his omnibus necessaria loquamur, primo occurrunt diaphoretica aqueam basim habentia, ut aqua calida, decoctum millii, & lentis &c. Aquam calidam reddi opere particularum ignearum fatentur omnes; nisi enim igneæ particulæ aqueis permixtæ violentissime agitarent aqueas, profecto aqueæ particulæ nunquam possent incalescere. In tali autem incalescentia aquea ista elementa adeo attenuantur, ut vaporum naturam acquirant summa levitate, ac raritate acquisitis; cum autem igneis particulis associata fuerint aquea elementa celerrime moveri debebunt in ratione composita ex numero particularum ignearum, & vapotosarum, & motu utrarumque. Ulterius cum aqua igneis particulis in tali ratione alligata e ventriculo penetraverit lactea vasa, & lympham, & sanguinem postmodum occupaverint, hæc rursus alligata particulis aereis, & sulphureis lymphæ, & sanguinis, alteram componit rationem priori multo validiorem, compositam nimirum ex numero particularum ignearum, sulphurearum, aerearum, & aquearum ex motu singularum, & elatere ignearum, aerearum, & sulphurearum, quæ ratio composita cum multo validioris momenti esse debeat, fateri poterimus quam necessario communicata universis fluidis maxima velocitate transpirationes, & sudores consequantur: Et sane a tanto momento corporum motu, & elatere prædictorum fluida universa velociori motu ducta, & calore ulterius acquisito attenuari, & rarefieri coacta sunt; attenuata autem, & rarefacta minimas acquirunt moles, & spatia majora occupant in vasis ipsis, majoribus quoque velocitatibus acquisitis; hæc itaque attrita, & rarefacta tandem aliquando deferuntur ad externam cutis superficiem, seu ad glandulas cutaneas, & sic sub transpirationis, vel sudoris indole exterius transmittuntur.

78. Majori quidem momento motus sanguinem, lympham, & succum nerveum agitant spiritus ardentes cujuscunque generis, quorum basis sulphurea; sulphur enim ad statum volatilitatis evectum summo pollet motu, & elatere. Animadvertendum autem est sulphureas particulas in velocissima motus, & elateris actione præpollentes supramodum agitatas, & attritas quoad gravitatem, & molem decrescere; consequenter semper magis magisque leviores fieri, & cæteris paribus velociores, in tali statu potentissimum conatum exercere debent contra objecta corpora non solum in ratione concepti motus elateris, verum etiam ratione superficiei sulphureæ; etenim superficies corporum multo minus decrescunt ex geometricis, quam ipsorum moles, & pondera: sed resistentiæ, quæ objectis corporibus opponuntur, fiunt in ratione superficierum corporum objectorum; ergo cum sulphureæ particulæ plus habeant superficiei, quam molis, & ponderis, necessario cæteris paribus urgere, & impellere debebunt opere suarum majorum superficierum majores quoque quantitates corporum: Quamobrem sulphureæ particulæ agentes, & reagentes summo motu, elatere, & majori magnitudine suarum superficierum contra objecta corpora validiorem vim exercebunt contra objectas, & numerosiores humorum particulas; sicque cæteris paribus particulæ humorum numero majores a sulphureis superficiebus impulsæ, vel per sudorem, vel per transpirationem effugient, cum juxta ordinem, ac legem circulationis ad cutaneas glandulas delatæ fuerint: Et quidem hæc minoribus temporum differentiis facienda erunt, eo quia ex mechanicis velocitates corporum sunt in ratione inversa, seu reciproca temporum; ergo quanto ardentissima sulphura velociora fiunt, eo suas vires, suosque conatus exercere debebunt minoribus semper temporum differentiis.

79. Ab

79. Ab his progrediendum erit ad illa diaphoretica medicamenta, quæ basim habent salino-sulphuream compositam videlicet ex sale, & sulphure, qualia superius enunciavimus. Sicut autem quoad motum, & elasticitatem elementa illa potissimum sulphurea antea exposita apta sunt celerrime, & brevi tempore moveri, & cæteris paribus beneficio suarum majorum superficierum numerosiora objecta corpora impellere: ita elementa salino-sulphurea potentiora sunt sulphureis quoad corporum penetrationem, minus vero quoad motum. Minori quidem momento motus, & elateris valent particulæ salino-sulphureæ, quam possint sulphureæ; quo vero ad penetranda, & divellenda in minimas particulas objecta corpora multo salino-sulphureæ sulphureis potentiores sunt. Ut tanti phænomenon rationem exponamus, placeat animadvertere particulas potissimum sulphureas summo, ut diximus, pollere motu, & elatere, hinc brevissimo tempore multum spatii decurritur a sulphure; cum vero sulphur fuerit sali associatum, tunc cum corpora salina graviora sit sulphureis, supposita molium æqualitate; ergo corpora salino-sulphurea, utpote graviora sulphureis, futura quidem erunt sulphureis multo tardiora, magisque inertia motu, & elatere, cum sulphurum elater, & motus a pondere salium non parum frænentur. Verum hæc quanto tardiora motu, & elatere inertia sunt, eo ad penetrandum, & divellendum eveniunt aptissima. Etenim ex natura sulphuris specifice levioris sale habemus impulsum, seu motum sursum per rectas lineas, aut quasi rectas; ex lege autem salis specifice gravioris sulphure habemus impulsum, nisum, & motum deorsum per rectas pariter lineas, aut quasi rectas; ergo in particula salino-sulphurea cum adsit tendentia sursum opere sulphuris specifice levioris sale, & simul tendentia deorsum opere salis specifice gravioris sulphure, profecto cum naturæ potentiæ destruantur, sed utræque quantum jure suo possunt, agant, & reagant, componetur momentum ex utroque momento compositum: sed tale momentum motus compositum ex motu corporis levioris sursum, & simul corporis gravioris deorsum ex mechanicis legibus describit motum medium inter rectum sursum, & rectum deorsum; hic autem motus medius necessario describit lineam motus ex recta, & circulariter inclinata, quæ spiralis est, aut quasi spiralis, ergo particula salino sulphurea jure suo cum moveri debeat, ac possit spirali motu, aut quasi spirali in fluidis machinæ animalis, spiralem, aut quasi spiralem lineam motus erit descriptura; Talis autem motus per lineam spiralem, aut quasi spiralem affabre indicatur exemplo lineæ motus, quam fumus ascendens describit: Cum enim fumus sit compositus ex particulis aereis, & igneis respective levibus & ex particulis terreis, aqueis, & salinis respective gravibus, cumque particulæ graves alicui impedimento sint particulis levioribus, necessario cum moveri debeant, mediam certe viam lineæ motus tenere debent inter motum rectum sursum, & motum rectum, aut quasi rectum deorsum: sed hæc media via lineæ motus facile componit motum rectum, aut quasi rectum, & simul circulariter inclinatum, qui ex Mechanicis spiralis est, aut quasi spiralis; ergo necessario fumus compositus ex particulis levibus, & gravibus spirali motu, aut quasi spirali sursum movendus erit, aliquando etiam spiraliter deorsum erit impellendus. Ab hoc experimento fumi, præter ea, quę prima parte *Mechanices Morborum* n. 7. dicta sunt, arbitratus sum fluida universa machinæ animalis, utpote composita ex elementis, seu particulis gravitate, mole, motu, & elatere similibus, & dissimilibus spirali motu, aut quasi spirali multo probabiliter esse movenda.

80. Hujusmodi autem ratio motus, mirum! quantum conspiret ad faciliorem corporum, & fluidorum penetrationem; Ut enim facillima habeatur penetratio, debet corpus penetrans anteire per rectam lineam, aut quasi rectam, & simul quasi rotando rumpere impedimenta corporis, & superficiei lineæ rectæ circumscripta: sed per motum spiralem corporum, qui ex geometricis compositus est ex recto, & circulari, corpus penetrans ante progreditur per rectam lineam, & simul rotando rumpit impedimenta lineæ recte circumscripta; ergo facilior penetratio solidorum, & fluidorum a motu spirali, aut quasi spirali terebræ ad modum suas vires exercentis habenda erit. Ulterius cum fluida componantur ex particulis diversæ gravitatis, molis, motus, & elateris, ideo in perfectissima fluidorum compositione debent pariter perfectissime inter se permisceri. Ostendit enim celeberrimus Borellus prop. 99. & Scholio secundi Tomi *de motu animalium*, aptissimam, perfectissimamque mixtionem nullo modo a natura obtineri posse, nisi per motus vertiginosos, seu spirales; ergo jure, ac merito judicare possumus corpora salino-sulphurea spiralibus motibus, aut quasi spiralibus rotata, ac necessario auxilio esse naturæ ad corporum, & fluidorum mixtionem, & ad eorundem penetrationem, & divisionem perfectissime exequendas.

81. Cum itaque tali lege motus terebræ ad modum utilissimæ moveantur particulæ salino-sulphureæ, profecto istæ ad diaphoresim supra cæteras validissime pertinebunt. Cum enim fluida quælibet potissimum sanguinea beneficio circulationis ad externam cutis superficiem delata fuerint, hinc statim occurrit resistentia superanda cutis densæ, & crassæ, hic tenacitas materiæ sebo similis a glandulis sebaceis parata, hic resistentia aliqualis cuticulæ, & potens externi aeris pressio; quamobrem cum mutus particularum salino-sulphurearum terebræ ad modum euntium aptissimus sit ad penetranda & ad vincenda impedimenta, & dissolvendas texturas humorum crassas, lentas, ac viscidas; & in minores moles beneficio terebrationis reducendas; idcirco constare poterit quanta utilitas secutura sit a motu spirali fluidorum, & particularum salino-sulphurearum ipsorum ad superandas resistentias solidorum objectorum, ad attenuendas materias, dissolvendas, & in minimas moles reducendas, ut facilius, & promptius beneficio sudoris, & transpirationis per cutis superficiem, facillime educantur. Ob hanc causam multo probabiliter judicandum est, medicamenta diuretica sudores, & transpirationes promovere aliquando posse, quotiescunque in venrriculo, aut in intestinis dissoluta unionem fecerint, cum æqualibus partibus sulphurum, & salium, quorum auxilio spiralem lineam motus, aut quasi spiralem, vel valide acquisiverint, aut adauxerint. Cum enim similia diuretica actiones suas exercuerint per spirales lineas motus valide, & potenter magis magisque penetrabunt, & dissolvent in minores, minoresque moles objectas materias, quoties istæ paulatim ex sulphurum consortio statum volatilitatis, aut quasi volatilitatis acquisiverint; propterea magis attenuatæ cum fuerint, cæteris leviores redditæ, opere circulationis ad cutim delatæ facile transpirare coactæ erunt.

82. Remanent auxilia transpirationis, & sudoris consideranda ab externis auxiliis, ut ab aere calido, a motu corporis, a balneis, a frictionibus, a cucurbitulis, a suffumigiis &c. Hæc enim omnia adaugent motum, & elaterem particularum fluida componentium; ab hoc enim motu, & elatere adauctis attenuantur particulæ ipsæ, & ad transpirationem exequendam disponuntur. Hic animadvertendum est a frictionibus, & cucurbiculis agitatam cutis superficiem incalescere, & calefactam rarefieri. Ex Mechanicis enim erudimur in spatiis calefactis dilatari sectiones, & areas cutis; ubi autem sectiones glandularum, & arearum, & areæ cutis dilatatæ fuerint, hic cæteris paribus majores effluunt humorum quantitates in ratione sectionum, & arearum dilatatarum; quamobrem cum opere frictionum, & cucurbitularum major humorum quantitas fuerit ad cutim vocata, & hæc ex legis motu, & externæ frictionis magis fuerint attenuata, & rarefacta, opus erit hanc vel per sudorem, vel per transpirationem uberiori pariter quantitate esse eliminandam.

83. Cum in transpiratione subtilior, tenujor ut plurimum humorum portio evolet, & deperdatur, crassior vero, & gravior sudori, & transpirationi resistat; ideo cavendum est, ne diaphoreticis abutamur, quotiescunque aut inflammatio fuerit, aut timeri possit, aut chronici, ac longi morbi extiterint: Etenim magis aperta diaphoresi, & deperditis balsamicis, & spirituosis, volatilibusque substantiis, remanentibus particulis crassioribus, tartareis, viscidioribus, & gravioribus, facile inflammationes aut augebuntur, aut denuo emergent, viscerum obstructiones fient, morborum, & febrium gravitates augebuntur. Hinc principio morborum, & febrium sudores ut plurimum suspecti sunt, & ob detentorum humorum crassitiem morborum longitudines ominantur, salutares enim sudores nisi concocta materia evenire justo solent, quæ ab initio morborum obtineri nusquam possunt; Ulterius in uberrima transpiratione, & excedenti sudore leviores, balsamicæ, & homogeneæ copiæ particularum elasticarum & non elasticarum deperduntur, quæ actionibus animalibus, & naturalibus exequendis inservire debuissent; propterea post graves sudores, & transpirationes ægrotantes admodum enervati, ac languidi redditi deficere quasi videbuntur; pariter a diaphoreticis abstinendum facile erit, aut caute diaphoretica exercenda erunt, cum natura sudoribus, & transpirationibus non fuerit assueta; etenim si violento nisu diaphoreticorum urgeatur, ut plurimum caput periclitabitur, translata ad meninges, & ad vasa torcularis herophili majori sanguinis pondere, ac numero gravissimo capitis detrimento.

DISSERTATIO IX.

De Medicamentis Adstringentibus.

84. *Medicamenta adstringentia* aut imminuere, ac retardare, aut omnino auferre motum a fluidis, & oscillationem a solidis ab experimentis medicis ultro certi sumus; nonnulla enim magis aut minus adstringunt, ut sunt acida, austera, & acerba, alteriusque indolis ramosæ, & filamentosæ mediocri quantitate accepta; nonnulla penitus ligant, ac firmant fluida, ac solida, cum acida, austera, & acerba, alteriusque indolis ramosæ, ac filamentosę excedenti quantitate peccaverint. Verum in hoc limine Dissertationis statim occurrit gravissima difficultas pro explicanda actione corporum adstringentium; habemus enim ab experimentis parvam molem coaguli magnam lactis quantitatem densare, & coagulare; habemus spiritum nitri sanguinem, & potissimum lympham supra modum figere, certi sumus decoctum corticis granatorum, bistortæ; & tormentillæ serum sanguinis potissimum ligare, & irretire, pariterque opus fluida animaliuu alte firmare; quomodo aut hæc effecta fixitatis, & coagulationis sequi poterunt in magna humorum copia a paucis, & tenuibus corporum istorum particulis per exposita fluida effusis, & permixtis? quamvis hæc phænomena explicatu ardua esse videantur; nihilominus experimenta Boilei de effluviis corporum nos edocent hæc necessario esse secutura. A Boileo enim eruditi sumus, minimas moles corporum esse divisibiles in partes quasi infinite parvas (ut antea indicavimus), quæ effundi possunt citissime per magnas fluidorum quantitates, & sic facta mixtione tot, ac tantas fluidorum copias posse firmare, ac figere: & sane nonne ex Boileo in historia *sanguinis humani* manifestum est unam guttam spiritus humani sanguinis occupare posse colore, & motu 2000. guttas aquæ, per quas gutta illa spiritus humani sanguinis effusa sit? ergo non erit mirandum, nonnulla corpora effusa per universa fluida machinæ animalis posse quoque facta mixtione facile, & breviter ipsamet fluida irretire.

85. Verum audio nonnullos rursus quærentes, & dubitantes: Certi quidem sumus (inquiunt) de Boilei experimentis, de subtilitate effluviorum, de corporum divisibilitate in partes minimas, & de istorum tam prompta effusione per fluida quaquaversus, potissimum auxilio circulationis, ut num. 48. & alibi satis ostendimus: verum adhuc obscurum est, quomodo corpora divisa, & subdivisa in partes infinite parvas possint occupando celeriter tot, ac tanta spatia humorum, per quæ effusa sunt, humorum ipsorum particulas taliter densare, ac figere, ut norabilem densitatem, unionem, firmitatem, & consistentiam acquirant: etenim dum corpora dividuntur, & subdividuntur in parres infinite parvas, ut tot ac tanta spatia humorum occupent, certæ istæ particulæ minimæ erunt tenuissimæ, ac mobilissimæ: sed partes tenuissimæ, ac mobilissimæ potius aptæ sunt agitare, rarefacere, & dissolvere humores, quibus miscentur, quam eos densare, ligare, & irretire; ergo videtur obscurum intelligere, quomodo corpora divisa, & subdivisa in partes infinite parvas apta sint magnas humorum copias, quibus permiscentur, densare, unire, & irretire.

86. Optime quidem ab istis quæritur, & dubitatur, verum sciant primo ab experimentis nonnulla corpora quantumvis mole minima, & mobilissima effusa quaquaversus celeriter auxilio rennitatis, & velocitatis suæ, & beneficio circulationis sanguinis per magna spatia humorum, quibus permiscentur, & contactum habenr, posse humorum ipsorum particulas irretire, aut saltem retardare: Enim vero ab experimentis ipsis edocti sumus sp. vini, & sp. urinæ humanæ (Boileo observante) inter se mixtos densari, & concrescere, summam firmitatem, ac consistentiam acquirere inter se alba sub imagine: & tamen spiritus isti nonne tenuissimi, &

velo-

velociſſimi ſunt? Imo quo magis rectificatiſſimi ſunt, eo promptius, & firmius coagulationem aſſumunt. Idem Boileus, & P. Lana tom. 2. lib. 4. Exper. 15. *Magiſterii naturæ & artis*, experti ſunt oleum terebinthinæ chimice deſtillatum, quamvis maxime fluidum, omnino coagulari, & firmari abſque ulla alterius corporis admixtione, & tamen oleum hoc chimice deſtillatum ſupramodum attenuatur ſuis in partibus, maximeque fluidum redditur: Hetmullerus, & Joannes Freind ambo celeberrimi viri experti & ipſi ſunt ſp. nitri, & ſp. nitri bezoardicum ſanguinem, & potiſſimum lympham cito, & fortiter firmare, & coagulare: & tamen ſpiritus iſti tenuiſſimi ſunt, & mobiliſſimi; ergo ab his & a plurimis brevitatis gratia omiſſis colligere jure poſſumus corpora plurima quantumvis tenuiſſima, & mobiliſſima, effuſa quaquaverſus motu ſuo, & auxilio circulationis per maſſam humorum aptiſſima eſſe humores figere, coagulare, aut ſaltem retardare, quibus permiſcent, & uniuntur: Quænam ergo erunt cauſæ aſſignandæ talis firmitatis, & conſiſtentiæ, ut tot experimenta oſtendunt?

87. Cauſæ itaque aſſignandæ, & ab hiſce experimento multo probabiliter colligendæ deſumuntur partim ab iis, quæ de actione medicamentorum in genere indicavimus, & partim in præſenti dicendis, cauſæ ergo talis firmitatis, & conſiſtentiæ deſumuntur a determinatis corporum miſcibilium ſuperficiebus. Secundo a ſpecificis ſalium figuris. Tertio ab emiſſione, privatione, ſeu exhalatione partium, quæ vel motu ſuo, vel ratione ſuæ figuræ impediebant aliarum partium cohæſionem, & colligationem. Modo expendamus primam cauſam: Cum itaque corpora miſcibilia fuerint aut ſingula, aut alterutra cum ſuperficiebus ramoſis, hamatis, ſeu filamentoſis, tunc inter ſe mixta, & tangentia facto inter ſe flexu, & inflexu cum ſuperficiebus ſuis ramoſis, aut hamatis arctam inter ſe adhæſionem elaborare facile poſſunt, ac debent firmitate, & conſiſtentia corporum mixtorum conſtituta: quantumvis autem corpora miſcibilia fuerint diviſa, & ſubdiviſa in partes infinite parvas tenuiſſimas, & mobiliſſimas; nihilominus cum ex geometricis moles, & pondera corporum decreſcant in ratione cubica, ſuperficies vero ipſorum ſolum in ratione quadrata, ergo majores remanebunt ſuperficies corporum, quam pondera, & moles ipſorum: ſed corpora quælibet fiunt inter ſe tangentia primario opere ſuarum ſuperficierum; ergo ſi ſuperficies corporum fuerint ponderibus; & molibus ſuis majores, & ulterius ſuperficies, aut ſingulæ, aut alterutræ fuerint filamentoſæ, ramoſæ, aut hamatæ, profecto facto nexu inter ſe aut majori, aut minori: & in data ratione imminutis ponderibus corporum, etiam aut majores, aut minores firmitatis, conſiſtentiæ, & coagulationis gradus producentur neceſſario: tali aut ſimili methodo veriſimile eſt, opiata, & ſimilia medicamenta ſuas vires exercere in fluidis machinæ animalis opere ſuperficierum ramoſarum, craſſorumque ſulphurum, quibus abundant; tali methodo arbitratus ſum omnia lactea, gelatinoſa eboris, & cor. cervi, ita gummata, & reſinoſa quælibet, ita etiam fortia hordeacea, & avenacea extracta, terras pingues, ut ſigillatas, ſuccos plantaginis, papaveris, portulacæ, lactucæ, conſolidæ, amigdalarum, tormentillæ, biſtortæ, ſemina iſtorum &c. conſiſtentiam, & firmitatem aut majorem, aut minorem producere, non ſolum inter ſe, verum etiam cum fluidis fibroſis, ſeri, ſanguinis, & aliquando ſucci nervei, & cum ſolidis etiam, quibus amplexu, aut contactu facto uniuntur, & adhærent.

88. Secunda cauſa firmitatis, & conſiſtentiæ tam in fluidis, quam in ſolidis deſumitur a ſpecificis ſalium figuris fluidorum, & ſolidorum potoſitates adamuſſim, aut quaſi adamuſſim replentibus: etenim ſi ſalium figuræ aptæ ſint occupare ſpatia intermedia fluidorum ſanguinis ſeri, & ſucci nervei, ſi aptæ fiant complere ſpatia muſculorum, carnium, aliorumque ſolidorum machinæ animalis profecto, adaucto ſalium pondere in ſpatiis fluidorum, & ſolidorum, mobiles fluidorum particulæ, cum ad motum promovendum, conſervandum, & reliquis communicandum exigant opportuna ſpatia, quibus moveri poſſint; ſi hæc ſpatia fuerint a particulis ſalium occupata, neceſſe erit mobiles fluidorum particulas, & oſcillantes ſolidorum fibras in quiete conſtitutas reddi, & paulatim lenteſcere, aut aliquando penitus immorari: hinc lenteſcentibus, aut firmatis fluidis, & imminuta, aut ablata ſolidorum oſcillatione, fluidorum, & ſolidorum inertia, aut graviori fato firmitas, & coagulatio emergunt, talis ordinis ſecundum tamen magis, & minus agunt in fluidis, & ſolidis alumen, vitriolum, acacia, balauſtrum, labruſca, malum punicum, & granatum, ita meſpilla, plurima acida, auſtera, & acerba &c.

89. Huic loco conveniunt etiam corpora illa, quæ permixta cum fluido ſeroſo, aut ſanguineo, aut nerveo particulas ſanguinis arcto contactu facto circumſcribunt. Ita ſi circa particulas aqueas ſeri, aut ſanguinis circumſcribantur ſalina priſmata, aut alterius generis, quæ ex talibus circumſcriptionibus figuras ſolidas poligonas elaborant, ut in formatione nebulæ, ſeu potius pruinæ problemate 6. obſervaverat Galilæus; tunc cum figuræ ſolidæ poligonæ circumſcriptæ aqueis particulis, aut alterius generis multo tardiores fiant, & lentiores reddantur aqueis particulis inſcriptis; ut dialogo primo idem immortalis famæ Auctor demonſtraverat, certe retardabitur motus naturalis fluidorum, & ſolidorum, quibus corpora iſta poligona ſtellarum more compoſita applicabuntur: ex tali autem motuum imminutione effecta reſiſtentiarum, vel in fluidis, vel in ſolidis, vel in utriſque erunt ſecutura facta majori, aut minori fluidorum, & ſolidorum firmitate, & conſiſtentia; talis aut ſimilis ordinis eſſe poſſunt nonnulla vina acerba, & auſtera, ſucci immaturi, aquæ acidulæ, martiales, nonnullæ aquæ vitriolicæ, aut aluminoſæ, quæ permixtæ cum fluidis, & unitæ ſolidis noſtri corporis effecta firmitatum producunt.

90. Tertia denique cauſa conſiſtentiæ, & coagulationis fluidorum, & cauſa firmitatis, aut ſaltem inertiæ ſolidorum oritur ab emiſſione ſeu exhalatione earum partium, quæ vel motu ſuo, vel ratione ſuarum figurarum impediunt aliarum partium cohæſionem, & alligationem; Ita albumen, & ovi vitellum igni oppoſita, aut coctioni ſubacta evaporatis plurimis particulis aqueis albuminis, & vitelli fibroſæ partes alte concreſcunt, & adhærent inter ſe, ovo indurato; ſimiliter ſerum ſanguinis, & ſanguis ipſe exiractus, ſi igni, & calori exponantur, evaporatis, ac deperditis particulis tenuioribus, ſeri ſulphuris, & ſalium, & remanentibus craſſioribus, & fixis, & filamentoſis alte concreſcunt, & coagulationem acquirunt, ut in oleo terebinthinæ deſtillato, & ſimilibus indicavimus; Ita ſi ab opere ignis, aut caloris interni, aut externi balſamicæ, ac oleoſæ ſolidorum particulæ attenuatæ ſupra moduni evaporent per tranſpirationem, aut deperdantur, aliunde tunc areſcent ſolida, & arida, & veluti exſiccata conſiſtent abſque ulla, aut ſaltem minima eorum oſcillatione; medicamenta autem quæ tali methodo privativa adſtringunt fluida, & ſolida, ſunt illa, quæ a Medicis *Exſiccantia* dicuntur. Hujuſmodi indolis dici poterunt omnia aromatica, omnia compoſita ex caſtoreo, omnia vina nimis ſulphurea, aquæ pariter ſulphureæ, balnea, & luta ſulphurea, & ea omnia quæ potenter calefaciunt, dummodo immoderate abutantur. Ab hiſce enim omnibus, & ſimilibus attenuantur aquoſæ, oleoſæ, & balſamicæ humorum particulæ, quibus attenuatis, & a compage, nexu, & contactu aliarum diſſolutis evaporant, & exhalant, remanentibus partibus fibroſis, & filamentoſis humorum, & partibus fibroſis, & filamentoſis ſolidorum ſine debita, naturali, ac neceſſaria humectatione, & madefactione partium fluidorum; propterea denſari, & concreſcere ſolida, & tandem veluti areſcere neceſſe erit, imminuto, aut deperdito motu fluidorum, imminuta, aut deperdita oſcillatione organorum. Ob hanc cauſam in febribus ardentibus, in magnis ſudoribus, in immoderatis hæmorrhagiis, diarrhœis, & dyſenteriis deperditis particulis tenuibus, & balſamicis fluidorum, & ſolidorum ægrotantes, aut in inflammationes incident, aut in emaciationes, quæ ad phthiſim terminari conſueſcunt. Graviſſime itaque errant Medici illi, qui validioribus purgantibus aliiſque remediis calefacientibus, & exſiccantibus abutuntur, & frequentiſſimis phlebotomiis indulgent; ab utriſque enim fluida, & ſolida ſpoliantur neceſſaria ſeri, oleoſi, & balſamici ſulphuris quantitate, hinc lenteſcere humores, & minus oſcillare fibras neceſſe erit, adaucta tarditate, & aliquando parta humorum, & organorum conſiſtentia. Non mirandum ergo ſi valida purgantia, & calefacientia, poſt repetitas incaute phlebotomias videamus ægros incidere in pleuritides, in febres inflammatorias, in malignas ex coagulatione, aliquando etiam in paralyſes, & polypos: etenim ab incauta medendi methodo fluida, & ſolida redduntur in ſtatu talis inertiæ, & ſiccitatis, ut utraque coacta ſint lenteſcere, & aliquando conſiſtere ſummo vitæ periculo; totis itaque viribus curandum erit, ut medicamenta tam externa, quam interna, tam caute exhibeantur, ut humores ſuperflui expellantur, conſerventur vero neceſſarii; rali enim proportione actionum, & reactionum debita, & naturalis firmitas fluidorum, & ſolidorum ſummo naturæ beneficio ſuſtinebitur. Ab his ergo quæ expoſita ſunt, poſſemus colligere rationem, propter quam medicamenta diviſa in pattes veluti infinite parvas, & effuſa quaquaverſus facile, & breviter per magnas humorum copias apta eſſe poſſint facile pariter, & breviter irretire, & firmare, aut ſaltem notabiliter retardare particulas fluidorum, & fibroſas texturas ſolidorum, quibus permiſcentur, uniuntur, & opportune adhærent pro explicaudis actionibus *Adſtringentium* medicamentorum.

DISSERTATIO X.

De Medicamentis Opiatis.

91. *Opiata Medicamenta* veteribus ipſis non ignota extiterunt. Hippocrates lib. 6. Epimiorum narrat Hegeſippo ſoporiferum fuiſſe imperatum. Galenus, & Arabes plurima de opiatis locuti ſunt, & opiata medicamenta data occaſione exercuerunt. Aplerique judicatum eſt præeuntibus experimentis opiata fluida, & ſolida aliquando magis, aliquando minus irretire juxta majorem, aut minorem opiatorum præſtantiam, & quantitatem; hinc hujuſmodi medicamenta ſemper caute ab omnibus fuerunt imperata. Nonnulli alii arbitrati ſunt opium humores diſſolvere, ſudores excitare, & inflammabile eſſe judicaverunt; Ne autem in alienis diu verſare videar, dicam brevibus, opiata opere naturalis ſuæ conſtitutionis apta eſſe primario penſare, irretire, & firmare humores, conſequenter etiam ſolidorum oſcillationes, aut imminuere, aut impedire; ſecundario vero poſſe opiata humores diſſolvere, ſudores promovere, ſolicitare ſolida, calorem, & ſiccitatem inducere, cum vere opiata ſint corpora, quæ ſpecifico abundant ſulphure inflammabili.

92. Primo itaque expendamus in opiatis cauſas firmitatis, & fixitatis, a quibus opiatorum medicamentorum effecta poſſint probabiliter declarari. Indicavimus numero 29. ramoſas, filamentoſas, aut hamatas ſuperficies craſſorum ſulphurum poſſe valide, & prompte adhærere corporibus fluidorum, & ſolidorum, & remediis, filamentoſis, & hamatis ſuis ſuperficiebus facto nexu ligare, & irretire corpora, quibus uniuntur, & cum quibus opportunum contactum habent. Modo manifeſtum eſt, ab obſervationibus Nicolai Lemerii in *curſu chimico*, opium eſſe ſulphureum compoſitum reſinoſum, quod lacrymæ ad inſtar paulatim extillat ab inciſo corpore papaverum; cum ergo a ſolventibus cuneis ventriculi, ab actione, & reactione duorum ſuccorum pancreatici, & bilioſi fuerit ſulphurea, & reſinoſa moles opii diviſa in parte infinite parvas, & hæ brevi tempore effuſæ ſint quaquaverſus auxilio etiam ſanguineæ circulationis; tunc cum iſtæ minimæ particulæ nullatenus mutant naturam, indolem, ac ſuperficiem ipſimet opio debitam, ideo reſinoſis, filamentoſis, aut hamatis ſuis ſuperficiebus particulas fluidorum ſeri, ſanguinis, & ſucci nervei potiſſimum in cerebro, & cerebello, & fibroſa ipſorum filamenta nexu facto quaſi irretient, ac ligabunt ipſaſmet ſolidorum fibrillas enervata, aut quaſi abolita ipſorum oſcillatione; ob hanc cauſam imminuto opportune motu fluidorum, & ſolidorum ſomnus, & quies evenient, aſſymetriæ motuum ſolidorum diſtractorum conquieſcent, & quiete, ac naturali unione reſtitutis convulſivæ, ac dolorificæ affectiones ſedabuntur. Ulterius imminuto motu, minuitur quoque colliſio, & affrictus corporum mixtorum inter ſe frænato calore partium. Cæterum ſi fortiori opii opere ſolidorum, & fluidorum motus & affrictus præternaturaliter retardentur; tunc præternaturales ſomni fient, præternaturales emergent quoties, & præternaturalia frigora evenient, quæ ſæpe ac ſæpius plena particulis eſſe ſolent, cum ab his ſtagnationes inflammatoriæ, paralyſes, apoplexiæ, & alia hujus generis incommoda conſequi facile poſſint timendo vitæ periculo.

93. Similia pericula fixitatum ultro augentur, ſi ramoſæ, ac filamentoſæ opiatorum ſuperficies particulis ſalinis, quibus non ſolum jure ſuo donantur, verum etiam ſalinis fluidorum adhæreant, & has nexu facto circumligent: etenim unione inſtituta craſſo-

rum

rum sulphurum cum salinis particulis elaborantur, moles, & pondera corporum, quæ proxime augentur & crescunt in ratione cubica suorum diametrorum, si moles tamen istæ similes fuerint inter se; verum si fuerint dissimiles, augentur, & crescunt proxime in ratione composita ex rationibus basium, & altitudinum earundem; cum vero ab hisce molibus, & ponderibus adauctis minima canalium præcipue cerebri, & cerebelli, carnium, & glandularum oscula impedita reddantur, fluida, & solida graviora fiant, & graviter augeantur densitates utrorumque, constabit quot, & quantæ resistentiæ debeant fluidis, & solidis supervenire, a quibus aut magis, aut minus adauctis cognoscendæ erunt majores, aut minores consistentiæ, & firmitates in machina animali.

94. Hisce probabiliter consideratis, transeundum est ad ea, quæ secundario ostendunt, cur intelligere possimus humorum dissolutiones, sudores, calores, siccitates, & vigilias opere opiatorum. Celeberrimus Volphangus, Wedelius lib. 1. cap. 12. pag. 45. de opio a praxi; & observatione testatus est, *Opium non operari, nisi serum sit in sanguine proportionatum*. In debito itaque sero opiata somnum, & quietem, convulsionibus, & doloribus pacem ferunt; cum vero temperies hominum fuerit fervida, ac sulphurea, aut ratione temperamenti bilioši, aut ratione febrium, aut serum fuerit minus, quam necessitas postulat, & salinis biliosisque particulis nimis ferax, tunc resinosæ, ramosæ opii, sulphurumque crassorum ejusdem particulæ in tali temperie corporum cum opio permixtorum statum quodammodo volatilitatis acquirunt; quidquid enim recipitur per modum recipientis recipitur: Et sane ab experimentis chimicis edocti sumus sulphurea composita facilius, & promptius dissoluta reddi a sulphureis quoque corporibus ipsis permixtis. Ita sulphur si bulliat in aqua, aut in tenuissimo vino, aliove liquore, nunquam liquescet nisi in oleo ipso ebullierit; similiter sulphur ipsum in oleo terebinthinæ dissolutionem facillime patitur, quam in reliquis liquoribus penitus respuit; cum ergo sulphurea determinatis sulphureis addita divisionem & dissolutionem alte patiantur, neque fixitatem, neque coagulationem acquirant, ideo aliquando potest contingere composita opiata reddi posse facile, ac prompte divisa, & dissoluta a specificis aliorum sulphurum particulis, quæ vel a temperie, vel ab aliis causis humorum locum, ac sedem habent in machina animali sero imminuto; propterea statu volatilitatis acquisito, opiara illa non nexum, non firmitatem producent, sed divisionem, dissolutionem, motumque communicant fluidis, & solidis, hinc calores, sudores, & vigilias evenire necesse erit.

95. Probabile ulterius est, quod cum sulphurea elementa elatere prædita sint, hæc sulphurea mixta sulphureis, fortique nexu facto inter se necessario parere debent maximam pressionem internis particulis sulphureis elasticis; cum vero ex Mechanicis elasticitates corporum elasticorum sint compressionibus eorundem quamproxime proportionales, idcirco elastica illa elementa sulphurea inter se perfectissime mixta, cum ad ultimum terminum compressionis devenerint, nec ulteriorem compressionem pati possint, cogentur violentissime expandere semetipsa, & ad naturalem suæ dilatationis statum se se restituere; hinc nisu facto, fractisque paulatim resistentiis quaquaversus sequitur dissolutio, divisio, & motus corporum internorum, & externorum, a quibus calores, sudores, & vigilias consequi necesse erit; hac methodo crediderim explicari multo probabiliter posse phænomena rarefactionum, motuum, sudorum, vigiliarum, quæ aliquando contingere experimur ab usu opiatorum. Ex his ergo colligere poterimus, quod si in fervida humorum temperie in febribus ardentibus, aut in continuis voluerimus ab opiatis levissima etiam dosi acceptis necessariam, ac quæsitam quietem, ac somnum parere; utile consilium erit madefacere prius corpora illa copiosis portionibus aquarum, aut emulsionum, deinde opiata exhibere; experiemur enim a levissimis etiam opiatis opportunum somnum sine noxa esse secuturum. Opiata enim magnæ dosis semper sunt plena periculis, quamobrem semper fugienda erunt.

96. Verum quidem est, quod post motus sudores, & vigilias partas ab hujusmodi opere opiatorum dividentium, & dissolventium fluidorum texturas, cum augmento oscillationum solidorum, tandem aliquando supervenire solent novæ laxitates, novæ quietes, ac novi somni, sed cum maxima virium inertia; etenim facta divisione, & dissolutione texturæ fluidorum, cum augmento oscillationum in solidis, sudores, & transpirationes augentur, quibus adauctis; plurima elastica, sulphurea, & actuosa corpora alio transpirant, & evolant, plurima aqua, & lymphatica elementa vaporant, & exhalant; remanet ergo in fluidis, & solidis copia inertium particularum, quæ cum actionibus, & reactionibus valide, ac continuo exequendis ineptæ sint, tarditatem, lentescentiam, ac inertiam donant fluidis, & solidis ipsis quiete, ac somno restitutis; ea videlicet ratione, qua nos a laboribus, ab exercitio, ab itineribus laxati, ac fracti facile in quietem, ac somnum incidimus. Similiter animadvertit Volphangus Wedelius, infantes, ac pueros post diarrhœas, vel post serosas purgationes a jalappa institutas facillime in placidissimum somnum promoveri *de opiatis pag.* 38. Verum fatebuntur Clinici quam gravi, ac longo virium dispendio. Hæc ergo quæ de actione tam primaria, quam secundaria opiatorum exposita sunt, & accepta a phænomenis naturæ probabilia nobis visa sunt, quare hanc sententiam utpote probabiliorem accipiendam putamus; aliam quidem opinionem libenter amplectemur, cum probabiliora, aut legerimus, aut audiverimus.

97. Interim nolo præterire post partam ab opiatis quietem, ac somnum, ut plurimum graviores redire morborum convulsivorum, & hystericorum &c. insultus, etenim tempore quietis fluida, & solida sunt in statu inertiæ reddita, hinc fluidorum, & solidorum motus languidi, & imminuti fiunt; secretiones glandularum potissimum capitis, & renum paucæ, & mancæ, supramodum transpiratio imminuta est: hoc itaque tempore violentiæ quietis major, & major cumulatur aggeries impurarum, & acrium materierum in massa humorum; cum vero post plurimas, & plurimas circulationes sanguinis, & miscellas cum reliquis humoribus opiata medicamenta paulatim delata e corpore fuerint, aut per urinas, aut per secessum, aut per transpirationem, ita ut paulatim enervata fuerint quantitate, & viribus; runc fluida, & solida incipient denuo suos motus, ac oscillationes præternaturales restituere; quam ob causam congestas prætetnaturales materias majoribus motibus agitare, & asperis suis saperficiebus majori impetu solicitare, & irritare sensibilia organa necesse erit, dolorum, & convulsionum incremento; hæc in hypochondriacis, ac in hystericis manifesta sunt.

DISSERTATIO XI.

De Medicamentis Cordialibus.

98. VEteres Medicæ Praxis Scriptores de *Cordialium* elaboratione, & usu semper solicitos animos habuerunt, rati a cordialibus medicamentis sustineri potentias, & vires cordis, a quibus animalis machina conservaretur, & viveret. Et sane conservandæ, ac sustinendæ naturæ leges id postulant, ut totis viribus quærantur, & adhibeantur ea medicamenta, a quibus aut a nativitate, aut fortuita lassitudine, aut a morbis fracta, aut enervata naturæ organa sustineantur; cui officio potissimum cordis machinam inservire arbitrati sunt Clinici, cum cor primum vivens, & ultimum moriens altissime habeatur. Verum talis generis medicamenta, quæ *Cordialia* appellantur, si recte eorum compositio, actio, & usus expendantur, ultro ostendunt, non solum cordis, seu potentiæ vitalis beneficio futura esse, verum etiam operibus cerebri, & cerebelli promiscue famulari, cum ab his potentiæ animales opere cerebri, & naturales opere cerebelli cum robore, ac motu perfectissime consequantur.

99. Cum ergo dicendarum rerum magnitudo, & dignitas postulent, ut de cordialibus sine confusione agere velimus, ideo necesse est primo exponere mutuam adesse relationem inter potentias vitales, animales, & naturales, ut justo intelligamus, medicamenta cordialia, non ad cor tantum, sed ad cerebrum, & cerebellum jure, ac merito pertinere. Quamvis celeberrimus Joannes Alphonsus Borellus prop. 67. secundi Tomi *de motu animalium*, vim motivam fibrarum cordis in statu naturali probabiliter arbitretur æquipollere posse viribus librarum 3000. nihilominus varia hominum temperies, varia ratio temporum, ætatum, motuum, & ciborum aperte ostendere poterunt momenta cordis varias subire leges, neque posse adamussim determinari. Cæterum quidem est hæc varia momenta cordis in statu naturali debere esse proportionalia momentis membranorum cerebri, & cerebelli; Ab Anatomicis enim edocti sumus systoles, & diastoles cordis homologe respondere systoli, & dyastoli meningum, & vice versa, cum enim membranæ cerebri, & cerebelli, cerebrum, & cerebellum, & spinalem medullam circumscribant, profecto hæ a motu cordis impulsum sanguinem excipientes, erunt systoli, & diastoli cordis proportionales; hinc etiam motus succi nervei secreti ab organis cerebri, cerebelli, & spinalis medullæ futurus erit impulsus sanguini æquabilis, & proportionalis; quare actiones, & reactiones animales sensui, & motui voluntario institutæ a cerebro dependentes, & actiones, & reactiones, seu oscillationes naturales a cerebello, & a spinali medulla emanantes opere motus, & elateris succi nervei non solum aptam, & continuam relationem habere debebunt inter se; verum etiam cum actionibus, & reactionibus cordis, motibus cerebri, & cerebelli proportionalibus; quamobrem potentiæ vitales, animales, & naturales profecto veluti in æquilibrio actionum, & reactionum erunt inter se constituendæ in animalibus, cordialia itaque non uni, sed omnibus potentiis data proportione respondent, atque succurrunt; hæc quidem majoris dignitatis gratia cordialia appellata sunt, cum veteres cor dignitate, structura, & officio cæteris visceribus præstantius esse judicaverint.

100. In cordialium itaque classe considerari primo possunt ea, quæ volatiles, spirituosas, & elasticas particulas tribuunt sanguini, lymphæ, & succo nerveo, quarum auxilio motus cordi, cerebro, & cerebello apte tribuitur, augetur, & conservatur. Secundo illa, quæ opportune nutriunt, & communicant fluidis oleosas, & balsamicas moles, quarum beneficio sequatur conveniens partibus nutriendis unio, adhæsio, seu, uno verbo, nutritio. Tertio, quæ simul & semel motum, & elaterem, & nutritionem donant machinæ animali.

101. Primi ordinis judicari possunt illa, quæ aromatica sunt, ut cinnamomum, cariophilus, nux moscata, radices Angelicæ, Imperatoriæ, zedonariæ, calami aromatici; talis spheræ sunt etiam omnia spirituosa, & volatilia, ut sp. melissæ, rorismarini, lavendulæ, sp. succini, cornu cervi, & alia hujus farinæ elementa spirituosa, & elastica, quæ ab animalibus, vegetabilibus, & mineralibus colligi possunt: hic autem animadvertendum est hæc medicamenta spiritu volatili, & elatere repleta, sanguinem, lympham, & succum nerveum quantitate, motu, & elatere nimis violenter agitare, & impellere; curaverunt idcirco Clinici medicamenta ex hisce composita pluribus opportune corrigere, ac moderari permiscendo potissimum frigida, & alchalica, aliquando sub adstringentia variæ indolis, ut frænato impetu corporum volatilium, & oleosorum naturales medii motus, & elateres in sanguine, lympha, & succo nerveo restituerentur, & conservarentur; hinc elaboratæ fuerunt confectiones cordiales alchermes, & hyacinthina, aliquando in aliquibus permixta fuerunt opiata, & resinosa, ut observamus in diascordeo Fracastorei, in mithridato theriaca, & orvietano &c. Verum utinam hæc tam composita cordialia fuissent simpliciora medium motum fluidis, & solidis excitantia, & conservantia, fortasse feliciori operæ naturæ actionibus inservirent, natura siquidem cum summa sit geometra, simplex est, plura respuit, cum pauca sufficiant.

102. In secunda classe habenda sunt illa, quæ lactea sunt, ut lac asininum, humanum, vaccinum, &c. succi pariter extracti ab amygdalis dulcibus, aut a cachao, aut a gelatinosis, aut ab Hordeaceis, ab avenaceis, & a succis pullorum, caponum, ranarum, testudinum, nec ova ipsa hac in tabula numerantur: *Nutrientia* enim omnia vim, & robur naturæ altissime tribuunt, augent enim fluida, & solida naturali mole sustinent, a quibus vires, & facultates vitales, animales, & naturales felicissime exercentur, & exercitæ conservantur.

103. Tertii ordinis sunt illa fluida, quæ colliguntur a succolata, a jure viperino, a succis pineorum, pistachiorum, ab avibus, a pardicibus &c. a vinis pariter creticis, antiquis, & balsamicis, & hisce similibus; hæc enim omnia unusquisque intelliget, quam facile, quam prompte, quam necessario motum, elaterem, & simul nutritionem ferant machinæ animalis.

104. Modo cum in hoc triplici ordine cordialium status medius

quoad

quoad motum, elaterem, denſitatem, & nutritionem fluidorum, & ſolidorum naturæ proportionalis eſſe experiatur, & hac via media poſſit natura acquirere æquilibrium particularum humores componentium, & æquilibrium oſcillationum in ſolidis, ideo in morbis, in quibus aut peccat exceſſus, aut defectus velocitatis, elateris, denſitatis, & nutritionis tam in fluidis, quam in ſolidis, curandum enixe erit a Medico (quod tamen fateor difficillimum eſſe) ut cordialium beneficio hic ſtatus medius, quantum poſſibile eſt, acquiratur, & acquiſitus conſervetur cum unitate, & æquilibrio elementorum inter ſe tam fluida, quam ſolida componentium.

105. Hiſce autem indicationibus ut obtemperemus, ſedulo attendendum eſt, ut ea primum eligantur cordialia, quæ aut exceſſum opportune imminuunt, cui operi cordialia temperata ſuccurrunt: aut defectum motus elateris, & nutritionis æqua proportione adaugeant, cui officio validiora cordialia, & nutrientia præſto erunt. Hic animadvertendum cordialia quælibet, & ſi temperata fuerint, apta eſſe violenter agitare humores, quotieſcunque fervida extiterit ægrotantium temperies, fuerint longe febres, deliria, & æſtivæ ſummi caloris conſtitutiones, tunc enim medicamenta cordialia nimis agitantur, nimis attenuantur, magis volatilia, & elaſtica reddunturs; hæc enim exhibita potiſſimum augmento, vel ſtatu morbi, & aſſociata particulis ſulphureis, & elaſticis maſſæ humorum adaugent impetum iſtorum in ratione compoſita ex numero particularum elaſticarum, motu, & elatere earundem; Hinc graviſſimas comparant in fluidis, & ſolidis motuum improportiones, morborum, & febrium incremento: curandum itaque erit cordialia quælibet exhibere ægrotantibus, aut ante acceſſiones, aut in acceſſionum declinatione, eo enim tempore cordialia minus agitata, ac diſſoluta a vi, ac impetu particularum ſulphurearum minus volatilia, minuſque elaſtica fiunt, minori humorum agitatione; ſic facilius, & commodius morboſis particulis paulatim reſiſtunt, & naturæ ſuccurrunt. Cæterum citra has temporum differentias cordialia diſſolventes vires, facile poterunt exercere contra fluida, & ſolida gravi vitæ periculo, quo caſu non cordialia, ſed venena dicenda eſſent. Ulterius in quibuſcunque cordialibus primæ, ſecundæ, & tertiæ claſſis id unice curandum eſt, ut mediocris, ſed conveniens quantitas ſervetur in quibuſcunque ægrotantibus temperie potiſſimum fervidis, & continuis febribus correptis, & facilius accedere poſſimus ad ſtatum illum medium, aut ipſum paulatim acquirere, a natura geometra poſtulatum. Denique remanet, ut inter cordialia eligam damnandum non uſum, ſed abuſum ſucculatæ Indæ, quæ quanto præſtantior, & utilior eſt cordi, cerebro, & cerebello præcipue in ſenibus, emaciatis, & febri carentibus, cum moderata quantitate, qualitate, ac debito tempore aſſumatur; ita paulatim pernicioſa eſſe poterit, quotieſcunque citra ſeneſtutem hac abutamur qualitate, quantitate, ac tempore. Quod de hac, ita de cordiali quelibet dicendum erit.

106. Videbitur nonnullis me ab argumento cordialium medicamentorum declinare, ſi in præſenti brevibus agere velim de aliquibus remediorum ſpeciebus, quæ ſpecifico velut opere agere videntur in machina animali: verum ab his quæ probabiliter dictutus ſum, plane intelligent, quod ſicuti cordialia ſpecifica ſunt medicamenta cordi, cerebro, & cerebello, ita nonnulla alia merentur haberi, ut *ſpecifica remedia*, quæ cordialium more ſpecificis aliquorum viſcerum differentiis opportune ſuccurrunt. Inter tot, ac tanta eligam tantummodo duo conſideranda, quod autem de his, ita proportionaliter de reliquis ſpecificis medicamentis dicendum erit. Eligo itaque *radicem hypecacuannæ* ſpecificam in dyſenteriis, & *Chinam-Chinæ* in intermittentibus potiſſimum febribus ſpecifice admirandam: Ut ergo debito ordine progrediar, iſtorum medicamentorum actiones, & reactiones expendam ab effectis, quæ obſervantur tam in fluidis, quam in ſolidis machinæ animalis. Primo itaque vocetur ad examen *Hypecacuanna*; hæc quidem ſolicitat ventriculum, & inteſtina vomitu promoto; ergo hæc aget in ſolida ventriculi, & inteſtinorum. Modo conſiderandum eſt in fluxu dyſenterico acres, aſperaſque ſuperficies humorum illas eſſe, quæ continuo, & immoderate ſecernuntur a glandulis inteſtinorum cum eroſione extremitatum vaſorum; cum vero in tali acrium materiarum ſeparatione continuo irritentur fibræ inteſtinales augmento motus periſtaltici verſus inteſtinum rectum; hinc ſi hæc incommoda diu perduraverint, aliquid in inteſtinis vitium erit ſecuturum, videlicet a continua irritatione, & eroſione fibrarum tandem aliquando laxatur, aut etiam rumpitur naturalis textura fibrarum inteſtinalium, quare fibræ læſæ, & enervatæ coguntur poſtmodum majorem pati diſtractionem, quam contractionem; propterea in præternaturali irritatione inteſtinorum motus priſtalticus non æquabiliter, & iſochrone exercetur (ut oſtendunt expoſitæ propoſitiones) ſed aſymmetre, & inordinate imminuto momento contractionis, & adaucto momento diſtractionis fibrarum.

107. Hiſce præmiſſis, exhibeatur dyſenterico radix hypecacuannæ ad drachmam unam, aut ad drachmam unam cum dimidia, profecto veriſimile eſt a vi, & opere talis quantitatis, ac modi agentis contra fibras ventriculi, & inteſtinorum talem ſpecificum vomitum excitari, & oriri talem ſpecificam contractionem in vomitum excitato in fibris ventriculi, & inteſtinorum, quæ facile ſufficiens ſit ad reſtituendum imminutum ſtatum contractionis, & ad comparandum in fibris inteſtinalibus nimium laxatis talem motuum contractionis, qui ſit omnino oppoſitus præternaturali laxitati, aut adauctæ diſtractioni fibrarum ipſarum: quare paulatim reſtituto eo contractionis gradu, & acquiſita paulatim fibrarum collectione, & unione inter ſe, paulatim quoque acquiritur robur, ſeu quidam tonus fibrarum naturali, aut quaſi naturali proportionalis; Quamobrem paulatim comparato motu periſtaltico inteſtinorum naturali, iſochrono, & æquabili remittitur dyſenteria, & paulatim ſanitas reſtituitur: In tali dyſenteriæ remiſſione ſequamur hunc ſpecificum vomitum naturæ amicum, ac ſalubrem. Cum in vomitu ab hypecacuanna producto fiat ſpecifica contractio fibrarum inteſtinalium verſus ventriculum, & ventriculi verſus gulam, certe in tali contractione fibræ conractæ intra ſe ſe reſipiſcunt, concava inteſtinorum ſuperficie reſtricta; conſequenter oſcula vaſorum inteſtinalium jam aperta, vel ob eroſionem, vel ob laxitatem, ſtricta, ac clauſa reddenda erunt ſanguineo fluxu, aut impedito, aut imminuto. Deinde a tali ſpecifica fibrarum inteſtinaliuni contractione alterum ſuperenit in dyſentericis beneficium, videlicet ab opere vomitus contractis fibris ſectiones inteſtinorum imminuuntur in ratione quadrata diametrorum, ſeu peripheriarum inteſtinalium, idcirco glandulæ inteſtinales & ipſæ magis collectæ, & unitæ reddentur inter ſe, quo in ſtatu robur, & vim acquirunt, ut juxta leges naturæ oſcillationes ſuas exerceant; hinc naturali motu acquiſito aptiſſimæ paulatim redduntur glandulæ tranſmittere in venas deſinentes materias contentas, & venæ deſinentes & glandulas coactæ ſunt materias excipere, & per conſuetam circulationis viam alio tranſmittere, & liberare inteſtina a præternaturali excretione ſanitate paulatim reſtituta.

108. Hic ſentio arguentes, plurima ſunt medicamenta quæ vomitum pariunt, attamen dyſenterias non ſanant; cur ego vomitus ab hypecacuanna productus dyſenterias ſolum ſanare aptus eſt? Ratio ex dictis conſtare videtur; etenim veriſimile eſt talia vomitoria non apta eſſe talem ſpecificam vomitus differentiam, & talem gradum ſpecificæ contractionis excitare in inteſtinis, & ventriculo, quæ ſit omnino oppoſita ſpecificę illi præternaturali laxitati, & diſtractioni fibrarum inteſtinalium, ut antea ſatis expoſuimus: ſed multo majorem, ac violentiorem, aut multo diſſimilem; cum autem veriſimile ſit ſolum actionem hypecacuannæ aptam eſſe talem ſpecificum vomitum, ac talem ſpecificam contractionem fibrarum parere, quæ ſit a diametro oppoſita præternaturali laxitati, & diſtractioni earumdem in dyſenteria; ideo radix hypecacuannæ tali vomitu excitato dyſenterias ſanare ſpecifice potens erit, quas reliqua vomitoria cutare non poterunt.

109. Ulterius veriſimile eſt, alterum beneficium oriri ab opere hypecacuannæ; ſicut enim moles, ac quantitas ad drachmam unam, aut ad drachmam unam cum dimidia exhibita dyſenterico vomitum parat, & determinatum contractionis gradum oppoſitum præternaturali laxitati, & diſtractioni fibrarum inteſtinalium producit; ita veriſimile pariter erit aliquam molem, & quantitatem hypecacuannæ diviſam, & ſubdiviſam in partes minimas ingreſſam oſcula vaſorum lacteorum, & ab his delatam in maſſam ſanguinis poſſe non diſſolvere, ac frangere texturas, & nexum humorum, quibus applicantur particulæ illæ hypecacuannæ (ut graviſſime operantur aliorum vomitoriorum corpuſcula,) ſed tantummodo aptam eſſe debita mixtione, amplexu, & figuris huic officio proportionalibus unionem, & nexum parere humoribus, & hos, horumque fibroſas texturas opportune denſare, conſtringere, ac ſuſtinere ablata, aut imminuta dyſenteria, quæ beneficia a reliquis vomitoriis nullo modo haberi poſſunt, immo contrariæ actiones timendæ erunt dyſenteriæ augmento. Utinam in plurimis morbis, ut in maniacis, hypochondriacis, hyſtericis affectionibus, & febribus ipſis ars medica ita valeret, ut ſpecifico remediorum opere communicare poſſet in organis, ac fluidis taliter laxis, aut taliter enervatis, aut præternaturaliter inflexis, directis, ac motis illos ſpecificos motus, flexiones, directiones, ac ſtatus oppoſitos, aut quaſi oppoſitos tali præternaturali laxitati, inertiæ, aut præternaturali inflexioni, curvitati, directioni, ac motui ſolidorum, ac fluidorum, profecto reſtituto paulatim tam in ſolidis, quam in fluidis cerebri, cerebelli, uteri aliorumque viſcerum motuum æquilibrio, ſepararem maniacas, hypochondriacas, hyſtericas affectiones, nec non febres facilius eſſe curandas.

110. Simili methodo ſpecifica actio chinæ chinæ poterit multo probabiliter explicari. Cum china-chinæ in febribus intermittentibus potiſſimum valeat, & radices febrium intermittentium in pravitate ſuccorum ventriculi, bilis, pancreatis in duodeno, & inteſtinorum cognoſcendæ primario ſint; idcirco colligendum erit chinæ-chinæ particulas taliter agere, & reagere contra præternaturales motus ſuccorum primarum viarum mixtione, unione, amplexu, figuris, & motibus ſuis, ita ut impediant, & auferant, aut ſaltem imminuant præternaturales, & aſymmetras pravorum humorum miſcelas, & motiones; ita ut ulterius chinæ-chinæ particulæ communicent illis ſuccis mixtiones, & motus præternaturalibus mixtionibus, ac motibus oppoſitos, ſed legibus naturæ proportionales, aut quaſi proportionales. Deinde elementa chinæ-chinæ, & effluvia ejuſdem communicata chylo, lymphæ, & ſanguini ſimiliter aptiſſima redduntur mixtione debita, unione, amplexu, figuris, ac opportunis motibus oppoſitis impedire, aut auferre, aut ſaltem imminuere præternaturales impurarum particularum a primis viis acceptarum miſcelas, ac motus, ſicque communicare maſſæ humorum novas mixtiones: novos motus mediis mixtionibus, aut mediis motibus homologos præternaturalibus mixtionibus, ac motibus, aut omnino diſſimiles, aut oppoſitos; propterea hac lege communicato etiam ſolidis æquabili medio, ac naturali motu oſcillatorio, acquiritur paulatim fluidorum, & ſolidorum æquilibrium pace, unione, ac quiete naturali humorum reſtituta, febribus expulſis, uſque dum tamen actio chinæ-chinæ, ſeu momentum ejuſdem in primis viis, & maſſa humorum perduraverit. Hæc quæ uſque adhuc expoſita ſunt ex legibus mechanicis manifeſta eſſe videntur; ex mechanicis enim edocti ſumus, quod ſi fuerint potentiæ agentes, & reagentes molibus, ponderibus, figuris, numero, & motibus, ſeu momentis, ac viribus inter ſe æqualiter oppoſitis, has in hoc ſtatu mutuas inter ſe actiones, & reactiones, ſeu mutuos inter ſe effectus tollere, & in æqualitate actionum, & reactionum oppoſitarum, neceſſario unionem, quietem, ac medium ſtatum corporum conſequi neceſſe erit. Si itaque momenta, & vires chinæ-chinæ agant, & reagant in primis viis, & in maſſa humorum contra momenta, ac vires pravorum ſuccorum ventriculi, bilis, pancreatis, inteſtinorum, & maſſæ humorum in ratione oppoſita æqualitatis; tunc facto æquilibrio inter actiones, & reactiones oppoſitas chinæ-chinæ cum reliquis viribus, ac momentis pravorum humorum mutui effectus oppoſiti auferentur, & in æqualitate actionum, & reactionum oppoſitarum potentiarum quies, & pax, ac ſtatus medius tam in primis viis, quam in humoribus erunt orituræ, victa febri; In hoc ſtatu ſemper febres intermittentes vincentur, aut vinci poterunt.

111. Multo autem magis ſuperabuntur præternaturalia febrium elementa, quotieſcunque vires, ac momenta chinæ-chinæ oppoſita viribus, ac momentis præternaturalibus pravorum humorum in febribus ſupramodum præpolleant; etenim omnino everſis, atque omnino mutatis motibus humorum præternaturalium inæqualibus, inordinatis, & aſymmetris a viribus, ac momentis, motibus, ac directionibus præpollentibus chinæ-chinæ, & in æquilibrio fortiter, ac valide reſtitutis, tunc rurſus victa febri ſanitas reſtitueretur; in hoc

ſecun-

secundo statu actionis præpollentis chinæ-chinæ febres intermittentes semper victæ remanebunt, nonnullæ etiam continuæ vinci poterunt, aut saltem moderari : cum autem hæc beneficia tam in primo, quam in secundo casu habeantur ab opere, ac viribus chinæ-chinæ, cumque hæc beneficia obtineri non possint sine restitutione æquilibrii mixtionis particularum massas humorum componentium, colligendum jure erit vires, ac momenta chinæ-chinæ agentis, & reagentis contra fluida tam externa in primis viis, quam interna in canalibus mirum in modum inservire, ut obtineatur status medius, seu æquilibrium mixtionis humorum; deinde cum tale æquilibrium mixtionis humorum supramodum consulat concoctioni ipsorum ; ideo aptissime a celeberrimo Francisco Torti in suo utilissimo Tractatu *de China-Chinæ* indicatur chinam-chinæ altissimo operi concoctionis humorum opem ferre.

112. Verum si vires, ac momenta particularum chinæ-chinæ minora fuerint præpollentibus viribus, ac momentis pravorum humorum, vel in febribus intermittentibus, vel in continuis, tunc a china-chinæ neque febres intermittentes, neque ullæ continuæ vincendæ erunt, sed remanebunt tam in motibus fluidorum, quam in motibus solidorum status medii, aut æquilibrii asymmetriæ. Ab his ergo quæ usque adhuc exposita sunt, verisimile est potissimum actionem chinæ-chinæ pro febrium victoria cognoscendum esse a specificis viribus, ac momentis particularum chinæ-chinæ æquabiliter oppositis asymmetris, & inordinatis motibus particularum humoralium aut externarum, aut internarum, aut utrarunque, quæ ratio motus particularum chinæ-chinæ specifice oppositæ præternaturalibus motibus humorum apta est communicare, ac statuere medium motum, & directionem isochronam, ordinatam, & æquabilem in particulis humorum, & in solidis asymmetre, & inordinate motis in febrium agitationibus, ut facto paulatim mixtionis æquilibrio in fluidis, fluida moveantur, & oscillent solida juxta leges naturalis æquilibrii, victis febribus, & sanitate restituta.

DISSERTATIO XII.

De Concoctione Humorum.

113 INter præstantissima, & utilissima Medicæ Praxis opera primum locum obtinet *Humorum Concoctio* : Hæc tam necessaria naturæ actio illa est, qua naturalis fluidorum, & solidorum temperies apte sustinetur, pura ab impuris secernuntur, & impura corpora per excretorias vias eliminantur, determinatis temporum differentiis, tam admirabili secretionum beneficio humores optimo in æquilibrio constituti id ferunt, ut sanitas perfectissime conservetur, & amissa felicissime restituatur. Hoc autem æquilibrium humorum in concoctione ipsorum aperte docuit Hippocrates, cum de veteri medicina enunciaverit, *Concoctionem fieri a permixtione, & temperatura mutua humorum*. A qua mutua temperie, & permixtione humorum æquilibrium ipsorum statui necessarium erit : tanto operi obtinendo tota Medicorum solicitudo fuit ; moniti a naturæ legibus frustra in operibus artis esse eleboraturos, cum methodum concoctionis ordinem, ac tempora, aut neglexerint, aut non obtinuerint. Scientia quidem concoctionis humorum longam praxim postulat, pro qua obtinenda nolit Medicus neque nimius esse in Philosophicis & Chimicis, neque nimius in Mechanicis, & Botanicis, neque nimius in minimis Anatomicis, sed in his contentus necessariis amet potissimum esse in practicis morborum observationibus, ut eruditissime, & utilissime ostendit Celeberrimus Bartholomæus Lavagnolus, Professor Patavinus, *de usu Chimiæ*. Utinam mihi esset ingenium tam necessario argumento dignum, sperarem me brevibus universa medicæ artis præcepta feliciter esse assecuturum : quamvis autem huic muneri me imparem esse fatear ; nihilominus exercitii gratia ea tradam consideranda, quæ magis necessaria esse judicaverim.

114. Ut itaque opportuno ordine progredi possim, notandum sedulo est concoctionem humorum præseferre *ipsorum præparationem*. Præparatio autem humorum nil aliud vere est, quam apta dispositio eorum inter se mixtorum quoad molem, gravitatem, figuram, & motum; quoad tenuitatem, laxitatem, & densitatem, ut dato tempore opportuna, & utilis subsequatur separatio corporum a se invicem. Hæc autem humorum præparatio alia a natura fit, alia ab arte; præparatio humorum, quæ a natura perficitur, habetur ab æquabili oscillatione fibrarum, & glandularum, ab ordinato humorum motu, ac circulo, a debita miscela succorum pancreatici, & bilioši, alteriusque indolis, & a convenienti somno ; Quæ ab arte exequitur, comparatur ab exercitio, a quiete opportuna, a cibo, a potu temperiei, & ætati hominum proportionalibus, acquiritur a salubri aere ; experimur enim in puro aere, in quo elater est mediæ densitati proportionalis, ab actione succorum ventriculi cibos facilius præparari, dissolvi in ventriculo, promptius fieri chylificationem, & hanc felicius disponi ad sanguificationem obtinendam. Hinc ab Hippocrate de aere, aquis, & locis habemus magnopere observandas esse aeris, & temporum mutationes, ut opera naturæ vel perfecta, vel imperfecta esse intelligantur. Denique præparatio humorum cognoscitur a recto usu medicamentorum, videlicet decoctionum alterantium, quæ medicamenta vel habentur a bolis, vel a pulveribus, vel a fluidis ; Itaque juxta varias humorum præparandorum indoles exhibentur syrupi, & decoctiones ex variis herbarum differentiis compositæ, aut pulveres variæ speciei incrassantes in tennitate fluidorum, incidentes, ac dissolventes in densitate, ac crassitie, & ut medico utar vocabulo dulcificantes in aspera, & acri humorum superficie, aliquando calefacientes in frigida ipsorum temperie, aliquando refrigerantes in fervido humorum statu, aliquando compescentes humorum impetum, ac elaterem, quotiescunque solida, & fluida enormiter agitata motu, & elatere præpolleant. Necessitatem, & ideam medicamentorum præparantium significare voluit Hippocrates sectione 7. aph. 70. edocuit enim. *Corpora cum quis purgare voluerit, oportet fluida facere*; videlicet oportet prius apta ratione medicamentorum disponere corpora ad purgationem, ut hæc facile, tuto, & utiliter purgata reddantur.

115. Difficultas quidem non levis oritur pro cognoscendo, ac statuendo tempore, quo præparatio humorum jam instituta est, ut præparatis humoribus æqua ratione proximam concoctionem expectare, ac statutam intelligere possimus. Crediderim autem tempora completarum præparationum judicanda esse a mutationibus, quas paulatim acquirunt excreta a statu morboso ad salubrem, quamobrem excreta, quæ morbose crassiora fuerant, quo tempore incipiunt fieri tenuiora : quæ lentiora, quo tempore fluidiora eveniant ; quæ prius aspera extiterant, quo tempore sensui incipiant leniora, & benigniora reddi, tunc illa erunt facile tempora præparationis humorum, aut completæ, aut proximæ perfectæ præparationi obtinendæ; pariterque si videamus, somnum, appetitum, & vires paulatim ad statum naturalem inclinare, tunc conjectari quoque poterimus humores desideratam subire præparationem ; Cum vero expositæ excretorum mutationes a statu morboso ad salubrem non æqualibus, & similibus fieri possint temporibus, sed dissimilibus, & inæqualibus juxta majorem, aut minorem præternaturalis materiæ copiam, densitatem, & motum, juxta varias temperierum, temporum, & ætatum constitutiones; ideo semper a Medicis laborandum erit, ut has specificas temporum differentias, si non veras, saltem vero proximas assequi possint ; Quamobrem maxima egemus praxi, attenta observatione effectuum, signorum, & excretorum cum Hippocraticæ disciplinæ studio, ut apto medicamentorum usu, ac tempore præparationibus naturæ sucurramus, & completas præparationes aptissime cognoscamus. Pro hisce autem obtinendis consulendus erit Celeberrimus Prosper Alpinus, qui, duce Hippocrate, hanc materiam perfectissime complet.

116. Interim cum hisce gradibus præparationum progredimur ad concoctionem materierum, seu ad illum statum, quo materiæ vel morbificæ, vel heterogeneæ, mole, pondere, figura, & motu ab homogeneis dissimiles dispositæ redduntur, ut opportuna ratione per loca excretoria, & naturæ congrua separentur, quarum beneficio morbi judicationem consequi experimur. Quamvis autem, docente Prospero Alpino, concoctionis signa a pluribus haberi possint, nihilominus præstantiora, & certiora ex Hippocrate ab excrementis alvi, & urinæ colligenda erunt. Quotiescunque itaque alvi excrementa, quæ prius præternaturalia fuerant aut quantitate, colore, odore, aut mole, figura, & tempore excretionis incipiant mutari taliter, ut acquirant quantitatem ingestis proportionalem, colorem subflavum, neque gravissime, & molestissime oleant, & moles istorum sint apte molles, opportuna figura cohærentes, & consistentes, & consueto tempore sine dolore, & irritatione exeant, tunc poterimus judicare aut adesse, aut proxime futuram esse humorum concoctionem. Eligam inter Hippocratis experimenta tantummodo illa, quæ libro 4. Epidemiorum significaverat in ægrotis illis, qui habitabant juxta ædes Medosadæ : In hisce statuto tempore apparuerunt fæces quantitate ingestis proportionales, molles, cohærentes, quas, ut monet Martianus, viscosas Hippocrates appellat, & subflavas, simili quidem ratione flavedinis, quam observamus, cum albus narium mucus vigente statu cruditatis mutatur in subflavum tempore concoctionis, postmodum addit Hippocrates morbi judicationem lib. 1. de morbis esse secuturam.

117. Deinde concoctionis argumentum ab urina desumendum erit, cum enim urina antea in statu morboso fuerit tenuis, aut confusa, cum eneoremate disparato, & divulso, postea incipiat elaborare albam subsidentiam, levem, & æqualem, & acquisiverint colorem subrufum cum nubecula subrubra, pyramidalem quasi figuram ostendens, tunc, docente Hippocrate, concoctio humorum habebitur, aut expectabitur : hæc satis superque indicantur lib. 1. Epidemiorum ab historiis herophontis, Cleantidis, & Melidæ ; hæc ostenduntur lib. 3. Epidemiorum in Cherione, Pericle, & Nicodemo ? cum autem hæc felicia coctionis signa extiterint, & perduraverint, tunc fere semper absque ullo medicamentorum auxilio morborum judicationes secuturæ erunt, parta expulsione impurarum materierum per ea loca, quæ fuerint providæ naturæ faciliora, & commodiora, videlicet vel per sudorem, vel per urinas, vel per secessum, vel per hæmorrhoides, vel per narium hæmoragias, vel per sputum, vel per insensibilem transpirationem, quo tempore Medicus debet otiari, ut docuit Hippocrates aphor. 20. sectio 1. *quæ judicantur, & judicata sunt integre &c.* Verum si adhuc inertia naturæ, & morbificæ materiæ ratio, ac quantitas per spontaneas expulsiones judicationem morbi non fecerint, aut elaboraverint imperfectam, tunc Medicus debebit esse solicitus de opportuno medicamentorum usu, ut inerti, aut oppressæ naturæ prudenter, ac provide opituletur, solicitando ea loca, quibus natura inclinaverit juxta aphorismum 21. Hippocratis sectionis 1. *quæ educere oportet per loca conferentia, eo ducere convenit*. Propterea aliquando dejectoria per alvum, aliquando diaphoretica, aliquando specifica deobstruentia, vel diuretica, aut alia impellentia exercere oportebit. Animadvertendum ultro est in concoctione humorum observanda esse determinata tempora, quibus concoctiones haberi solent, videlicet considerandi sunt dies critici, neglecta die sexta, quam Hippocrates in Epidemiis, ut infidelem accusavit; hisce itaque diebus criticis ut plurimum concoctiones humorum separare poterimus.

118. Cæterum si nulla signa concoctionis humorum superveniant, tunc Hippocrates lib. 1. de morbis popularibus ob cruditates, & confusiones humorum minatur longitudinem morborum, aut recidivas, & aliquando mortem; Quamobrem a Medico tunc temporis res prudenter agendæ erunt apta ratione victus, oportuno exercitio, debito somno, salubri aere, & aptissimo medicamentorum usu non irritando naturam, sed sustinendo.

119. Statuta præparatione, & concoctione humorum monendum est, nonnulla medicamenta alte postulari a morbo, & causa morbi, verum penitus impediri a languida temperie ægrotantium, vel ab inertia organorum, vel ab ætate; Itaque, gratia exempli, chalybeata quæruntur quidem unice ab obstructionibus viscerum ; verum si ægrotantes fuerint temperiei languidæ, inertis ventriculi, & ætas fuerit tenera, aut a præcedenti longitudine morbi nimis fracta, tunc ab hisce recedere oportebit; fortis enim chalybeatorum actio, ac stimulus non obstructiones auferet, sed parta crispatura quodammodo convulsiva in fibrillis viscerum obstructiones augebit, imminuta, aut impedita solidorum oscillatione, imminuto, aut impedito motu, & elatere fluidorum; cur ergo in pueris, in senibus, aut morbo fractis chalybeata, aut boli medicamentorum gummosi, duri, ac tenaces offeruntur? profecto hæc, & similia inutilia erunt, cum ab inertia ventriculi, dissolvi, ac frangi non possint; immo hostilia experiuntur, cum ventriculo pondus, & natu-

ræ laborem augere videantur, propterea qualia excipiuntur per os, talia per ſeceſſum ſolent eliminari.

120. Deinde remanet ut doleam, medicinam uſque ad hæc tempora in remediorum inventione non multum profeciſſe, præter enim nonnullas remediorum ſpecies a chimicis, a mineralibus ut mercurio, ferro, & antimonio, china chinæ deſumptas, quibus veteres caruiſſe certi ſumus, profecto cogimur confiteri nos pro medicamentis parum, aut nihil acquiſiviſſe. Verum chinæ-chinæ medicamentum adeo egregium eſt, ac ſummum, ut plurimis certe æquipolleat; hoc enim prudenter, opportune debita quantitate, ac tempore exhibitum, & repetitum febres fugat, morborum fere omnium ſocias, & quod magis pro argumento præſentis Diſſertationis æſtimandum eſt, præparationes, & coactiones humorum paulatim, & feliciter parat, ut Celeberrimus Franciſcus Torti ratione, & praxi tractatu *de China Chinæ* nervoſe ſtatuere conatus eſt, ut antea indicavimus.

121. Tandem video me in hac Mechanica Medicamentorum expendenda, & in hac concoctione humorum opportune comparanda, non parum defeciſſe, cum leges emittendi ſanguinem omnino neglexerim; fateor enim a ſanguinis emiſſione recte, aut prave inſtituta præparationes, & coactiones humorum aut feliciter haberi, aut miſerrime deſtrui. Verum intelligant Lectores benevoli, me ab hoc argumento data opera declinaviſſe, cum ſciam, phlebotomiam leges ſuas accipere a majori, aut minori plenitudine vaſorum, a majori aut minori denſitate, ac pondere humorum, a temperie, ab ætate, a viribus, a regionibus, aliquando a conſuetudine, & fere ſemper a morbis inflammatoriis, quæ omnia cum jure ſuo nullis Medicis obſcuro, poſtulent, ſolam medicorum prudentiam quoad quantitatem, modum, & tempus extrahendi ſanguinem; ideo pro hoc argumento animadvertendum eſſe arbitror, ſanguinis emiſſionem vere, & neceſſario poſtulari cum maſſa ſanguinis peccaverit quantitate, denſitate, & craſſitie & motu partis a principiis intrinſecis componentibus ipſam maſſam ſanguinis. Cæterum ſi denſitas, & craſſities humorum partæ fuerint a principiis extrinſecis, ut tranſpiratione impedita, aut imminuta, a ſuccis ventriculi viſcidis, & auſteris, a viſcido, & auſtero chylo, a pancreaticis, & bilioſis ſuccis tenacibus, & impuris, a labore, ab aere &c. tunc raro, & ſemper caute ſanguinis miſſio vere poſtulabitur. Etenim vitia hæc a cauſis externis producta facile, & ſine periculo auferri poſſunt ab opportunis purgantibus, ab alterantibus, & depurantibus maſſam humorum, a dieta, ab exercitio, a frictionibus, a mutatione aeris &c. Etenim a phlebotomia hæc incommoda ſupramodum augentur, & creſcunt, ſpoliato ſanguine elementis ſeroſis, elaſticis, ſpirituoſis, & balſamicis, hinc oſcillationes ſolidorum, & glandularum in ſtatu inertiæ redditæ nullatenus inſervient ſecretioni, & depurationi humorum peccantium majori morborum incremento; Quamobrem phlebotomiæ leges in concoctione humorum, & curatione morborum nonniſi Medicorum prudentiæ, virtuti, ac praxi remittendas eſſe putamus cum verbis, ac præceptis determinari nullo modo poſſint,

Finis Mechanices Medicamentorum.

ANTO-

Fig: I Partis Mechanices Morborum



















Fig: II Partis









Fig.III Partis



Fig: Mechanices Medicamentorum











ANTONII CŒLESTNI COCCHII EPISTOLÆ PHYSICO-MEDICÆ

Ad Clariſſimos Viros LANCISIUM, ET MORGAGNUM.

BREVIS CASTRENSIUM FEBRIUM Hiſtoria, quæ Ferentini, Anagniæ, finitimiſque locis Anno MDCCIX. graſſatæ ſunt.

CAPUT PRIMUM.

Clariſſimo Ampliſſimoque Viro Jo. Mariæ Lanciſio Innocentii VI. olim, nunc Clementis XI. Archiatro & a ſecretiori cubiculo Antonius Cocchius S. P.

IN magnis morbis ad te Lanciſi Clariſſime recurrimus tanquam ad Romanum Hippocratem & mundi parvi reparatorem. Crudelis apud nos viget epidemia caſtrenſium febrium ab acri & pene realgarina aeris diatheſi oriunda, ipſum quo vivimus, quod die noctеque trahimus, in publicam perniciem & calamitatem converſum eſt elementum. Scias itaque oportet, diligens naturę ſcrutator, ut per conſilia tua nobis opportune ſuccurras, Ferentinum inter & Fruſinonem paluſtres & muſco virentes aquas jacere: ſunt vero ſulphureę prеſertim atque enormiter fœtidę, quę hoc potiſſimum anno circa ęſtivum ſolſtitium erumpere cœperunt, & mox ſupra modum auctę agros & ſegetes pene omnes inundarunt: minerales ſane particulę, quę hiſce aquis per abditos terrę ſinus evectę atque indiſcuſſę retinentur, perpendiculari ac fervido ſolis radio in atmoſpheram elatę tanto quidem deterius ad morbos parantur & cladem, quanto pervicacius in deſidum aquarum foveis linum & cannabis macerantur. Virg. Æn. 11. Addo *ſtagna loquacia* ſeu potius inquinamenta ranarum, bulſonum atque amphibiorum conſimilium, quę nunc humi degunt, tunc aliis cum vermibus viles aquas inhabitant. Ex quibus omnibus, Syrio ardente peſtiferi vapores prodeunt & veluti alas acquirunt, qui ubi per aera diſcurrunt, non poſſunt non machinam noſtram hydraulico-pneumaticam perturbare, alte feriunt hominem reſpirantem: *plerunque enim*, ut Æſculapii ſucceſſor inquit, *hominis natura Univerſi poteſtatem non ſuperat*. Lib. de dieb. i judic. Et quemadmodum gubernatores optimi vim tempeſtatis, ſic medici tunc morbi impetum ſuperare non poſſunt. *Divinum illud in morbis* ex cęlo, aere ſcilicet vitiato, Cous ſenex deducit, authoremque & dominum in cunctis, quæ corpori accidunt, aerem appellat. Lib. de flat. Vix oppida in montium verticibus ſita a labe ſecura ſunt; eorum nanque plebecula ſuſceptas in Ferentinenſi planitie febres convehit ad montana. Verum Fruſino, Ferentinum, & ſummorum Pontificum olim Sedes Anagnia temerati aeris damna maxime ſentiunt.

Harum febrium ep.demicarum ſymptomata.

II. Febres ſunt verę malignę, & epidemicę, quippe in omnibus ſimiles, rigore, qui membra quatit, exacerbantur: nempe ſimplicis, aut duplicis tertianę typum initio ut plurimum ſervant, pernicioſam indolem ſuis mox phęnomenis detecturę. Torva occurrit ęgrorum facies, & quaſi vipereo veneno *ictereſcens*, ſcintillant oculi intuitu contumaces, & proprium laticem, quem lacrymas dicimus, invite fundunt: infelix porrectis artubus, & tota ſpina decubitus. Pulſus, qui eſt reciproca cordis echo, parvus, creber, & inęqualis, *Ulceroſa* laſſitudo, & ſitis, & ſonus aurium intra ſe ipſas, & capitis dolor ante delirium acerbitate contendunt: aures, quę *filiæ carminis* ab Eccleſiaſte vocatę ſunt, tinnitum, ſibilum, bombum, vel pluviam decidentem mentiuntur: internus enim carotidum ramus foramen oſſis petroſi juxta meatum auditorium ingreditur, mox oblique ephippium verſus ſub nerno optico aſcendit, & in rete mirabile, & plexum choroidem diſperditur; ſi propter febrilem æſtum ſolito audentius pulſet, membranas, & oſſicula dimovet, & in tremorem aliquem agit, quo hic, vel ille ſonus exprimitur, pro impulſuum ſcilicet, preſſionumque varietate. Lingua ad oris præfecturam nata, cui magna fides debetur in morbis, ob nullam, aut infinceram ſalivæ ſeparationem atida, ſcabra, ſqualida evadit, ſaporemque perverſum renuntiat: dehiſcere, & caligare ſolet, ubi papillæ nerveæ a ſcoriis ſalino-acribus divulſæ, corroſæ, & eſchara, qualis a cauſtico inuritur, obductæ ſunt. Anorexis quoque ſe morbi comitem præbet. Peſſimum, & fere rabioſum verminm genus nunc tormina, & alvi profluvium, nunc periſtalticum motum invertens cardialgiam, & vomitum, & ſibi egreſſum molitur, imo dolorem pſeudopleuriticum, ſyncopen, vertiginem creat: mordicatis enim ventriculo, & inteſtinis, per nervos octavi paris utrobique deſinentes intercoſtales muſculi, cor, cerebrum, & nervi optici in afflictionem trahuntur. Incurſat anhelitus, faucibus hæret vox, & eſt pro voce ſuſpirium. Nec deſunt anxietatis plenæ vigiliæ, vigilantium ſomnia deliria, ſubſultus tendinum præcipue in carpis, venatrix manuum palpitatio, jactatus convulſivi, & tumultuariæ aſſurgendi collucta-tiones. Tandem fatiſcentibus viribus ſopor comatoſus obrepit, nam dura mater membranaceus ille muſculus, vitæ automatum facile princeps, & apud Eccleſiaſten *vitta aurea*, irritata, plus æquo contracta, & inflammatorie affecta ſupra duos renixus movetur cerebri, & cordis; in falcato tendine, & lacertoſis hemiſphæriis vectis momentum prævalet, hinc violenta, nec regularis ſucci nervei expreſſio: ſtrangulato demum in alveis ſuis reſluo ſanguine ita cerebrum comprimit, ut liquidi animalis ſecretio, aut iter impediatur, & delirium in lethargum degeneret. Corruptum lixivium repræſentant urinæ, parotides interdum extuberant, & urinæ protinus deſæcantur. Purpureæ maculæ, quæ poſtea vibicis inſtar liveſcunt, effulgent in cute; nam *malignus ichor* per miliares glandulas ſecretus nec tantæ molis eſt, ut in puſtulas tumeat, nec tantæ ſubtilitatis, ut perſpirare poſſit; vel quod *ipſe ſanguis inter in ductus glandularum excretiores extruſus, corruptuſque ſit*.

Sanctorius de Ratic. medic. 1. aph. cv. Lifter in comm. eu-

III. En triſtis apud nos graſſantium febrium aſpectus; hinc vero earum facinora expendam. Septimo, nono, undecimo ſolent occidere, raro decimum quartum attingunt, ut Ferentini præſertim obſervamus, cum illuc ſæpe ad Optimates curandum accerſar: & ſiquæ medicinæ obtemperant, nunquam abſolute judicantur, (ipſa enim cæli impuritas criticos naturæ motus diſtrahit perpetuo, ac turbat) ſed enervato ſanguinis robore, volatili, oleoſo, & balſamico ſulphure abſumpto in quartanam, cachexiam, immortaleſque viſcerum obſtructiones abſcedunt. *Majora enim omnia vitia* (loquitur Aretæus Cappadox) *ſoli Dii medicantur; nam aut in viſcere primario morbus deliteſcens totum in malum habitum convertit, aut omne corpus ingruente peſtilentia in malum ſuccum viſcera permutavit, quando ſibi utraque viciſſim ad perniciem ſuffragantur*. Vidimus plures ruſticos montium incolas, qui ob annonæ caritatem ad ſecandam maturam jam ſegetem in Ferentini agro morati fuerant: Hi vero, cum non aerem ſolum venenatum, ſed æſtiva ſiti adigente aqua etiam ſane ipſa ſiti nocentiores, veneni fontem bibiſſent; colore turpes ſe intus uri, ſimulque caput in partes quaſi diſſilire conqueſti ſunt; tanta erat gravitas, pondus, & dolor: circa quartum morbi diem ad penates ſuos revecti rei anguſtioris domeſticæ homines brevi a tam funeſto malo, & alii parotide præcedente jugulati ſunt; quo ſpectat illud in Coacis *quæ dolenter ad aurem aſſurgunt, peſtifera*; alii lethargo ſtertentes, alii dyſenterico ulcere occubuerunt; alii contra iiſdem fere ſymptomatibus confecti, cum opportunum per reditum tempeſtivæ medelæ locum dederint, priſtinæ valetudini ope noſtra ſunt reſtituti: & novimus, quantum contulerit montanus aer ob tenue, ac purgatiſſimum nitrum, vegetumque elaterem.

tario ejuſdem aph. Har. febrium malignitas variis incolarum in commodis, atque interitu demonſtratur, Denſign. & cauſ. dilic. morb. l. 2. de aqua inter cutem c. 1.

Ergo ubi me in montes, & in arcem ex urbe removi,
Nec mala me ambitio perdit, nec plumbeus auſter,
Autumnuſque gravis, Libitinæ quæſtus acerbæ.

Horat. Serm. l. 7. Cat. 5.

IV. Non eſt hic, ut te, vir ampliſſime, detineam inutili cauſarum, ſyptomatumque explicatione, cum te non fugiat, ſales ſumme volatiles, & alcalino acres ipſos aere ceu menſtruo dilutos, atque inſpiratione hauſtos, per pneumonicas veſiculas cribrari; ſaliva quoque ad ventriculum ablegatos una cum chylo ſanguinem petere; quo cum pervenerint primo duntaxat Carteſii elemento circumdati & febrilem motum excitant, & tragicas agunt metamorphoſes; fuſo enim ſanguine, & velut a ſui fœdere ſejuncta parte lymphatica, quæ eſt cruoris vehiculum, reticulata concreſcit, ut caſeoſa pars lactis injecto liquotes coaguli a ſero dividitur & condenſatur. Inſunt ſanguini fibrillæ elaſticæ, quæ ad perennem contractionem nituntur; ineſt latex, qui maſſam divulſam & fluidam reddit. *Tunc autem peſſima eſt* (bilem intelligit Plato) *quando puro ſanguini miſta & villorum ligaminumque fila ſuo ex ordine dimovet, quæ ideo in ſanguinem diducta & ſparſa ſunt, ut mediocrem tenuitatis & craſſitudinis habitum conſequantur, neque propter caliditatem, cum ipſe ſit lubricus, raro ex corpore defluat, neque ſi craſſior ſit, ad motum fiat ineptior, atque ægre per venas fluat & refluat*. Sciſſis ab acuto fermento iis quaſi habenulis, fugitivum ſerum elabitur ſeu *decantatur*, & ſciſſæ fibrillæ mutuo amplexu & globuli rubicundi a Leevuenhœckio per dioptricum vitrum detecti mutua oppoſitione ſe ſe coercent & remorantur. Hinc ea ſanguinis conſtitutio, quam ſtricto laxam ſectæ methodicæ dux Aſclepiades & mutato nomine lento liquidam Bellinus appellavit.

ón Timæo.

V. Therapeuticen noſtram exponimus, ut quidquid eſt minus ſapienter a me proviſum, ſapientia corrigatur. Initio, ſi cogit vomitus aut vomendi proclivitas, unicas binas albi temeti, in quo metallorum crocus ad uſque drachmam horas XII. infuſus extiterit (in quo ſcilicet per emporeticam papyrum trajecto ſulphura natent emetica ſubtiliora) præſcribo admonens, ut, quoties vomuerit æger, diluentem ptiſanam bibat; nam *ea, propter quæ vomit*, perinde ac in cholera diluentur. Fertilis in montes aeris labes ſalivæ impreſſa & ad ventriculum detruſa prius quam lacteas venas tota ſubeat & ob valvularum repagula irrevocabilis per viam omnium breviſſimam eliminanda eſt, quam innuit natura, & naturæ orator Hippocrates *purgare oportet æſtate ſuperius, hyeme vero inferius*. Sin minus, diarrhœa ſupervenit valde contumax & non raro in dyſenteriam faceſſens, quæ ſudorem impedit ſeu generalem & pene regiam ſanguinis deſpumationem. Unde nil mirum, ſi hæc eadem in *lateris dolore* impedit anacatharſim, & ideo ab Hippocrate damnata eſt) in metaſtaſi tamen pleuritica aut peripneumonica dextra præcipue & cacochyma poſt ſanguinis miſſionem *Scomphi* interitu non obſtante alvum audacter ciemus v. unciis olei lini recens expreſſi cum drachma ſpermatis cetis non rancidi in jure fervido permiſti: & qui Pythagorica tenacius colunt myſteria, die non impari id agunt ſexto, octavo, decimo, & duodecimo, ut pectus a lymphæ quaſi piceis craſſamentis extricetur, ut ſine ulla irritatione præcipitentur nova glutina, quæ facile poſſent in parte affecta ipſo cum ſanguine cumulari, ut tandem laxatis ſolidis non ſolum ſputa, ſed etiam ſudores promoventur; viſcerum enim tenſio velut quibuſdam uncis inſtar retis piſcatorii, quod nominatur griphos, cutem circumplectitur, & coarctat) *ventrem autem compactum vomitus ſolvit, & egerentem magis, quam oportet, ſiſtit, illum quidem humectans, hunc vero ſiccans*; præſentem diarrhœam vomitus ſiſtit; ergo vetat futuram: paregoricum ſub noctem exhibeo, ut inductum ab emetico tumulatum

Curandi methodus exponitur.

Hipp. de loc. in hom.

IV. Aph. lv.

t de dixit.

latum ſedet. Si progreſſi jam morbi curationem aggredi contingat, tum a purgando expedit vacare; nam ubi febrile fermentum cum maſſa humorali confuſum eſt, vi cathartica ſeparari non poteſt, & quæ potius eidem reſiſtunt, & ſana ſunt, diſſipantur. Militat pro re noſtra chirurgicum argumentum: *Obediant* (Hippocrates) *luxationes, non tarde reponuntur, ſiquis antea quam inflammentur, reponat*: Nam ubi oſſis caput ex acetabulo excidit; ita nervos, & revehentia vaſa comprimit, ac diſtorquet, ut contenti humores reſtagnent, & ob moram aceſcant, & vellicantem naturam acquirant; hinc dolor, febris, & inflammatio: brachium retrorſum luxatum inferius memorat. *Si igitur ſtatim adfueris, externo cubiti gibbo cogere oportet, & ſponte incidit. Si vero febris prævenerit, non amplius reponere oportet: dolor enim in cogendo augeſcet. Ut autem in ſumma dicam, neque alium articulum febrienti reponere oportet.* Sic medicus, qui ægritudinum internarum chirurgus eſt, ingraveſcente febre ſodicare non debet, quæ centrum vocitat, inteſtina. Græcus Magiſter initio acutorum, & non niſi materia turgente *dejectoriis* utebatur: Hoc namque refermentantium genus interdum crudam, & lateris aſſuetam materiam ſubdita quaſi face provocat, & febres vel exacerbat, vel duplicat. Nos certe ſequi volumus dictatorem: poſt ſecundum morbi diem vix præmiſſo enemate ad veſicantia, ad bezoartica, & diaphoretica, ad Peruvianum corticem convolamus.

Lib. de fract.

VI. Et veſicantia quidem inter generoſa Arabum præſidia recenſemus: ubi enim cantharidum, ac euphorbii ſales in rete cutaneum, excretoriis diſciſſis tubuli ſeſe inſinuant, ſolida vehementer, & longe lateque criſpantur, quæ motu dein reflexo ad aream ſtimuli circumpellunt, & ideo in ampulloſam veſicam epidemis attollitur; liquida vero intra canales pelliceo-conicos veluti *cohobata*, & novis motibus exaltata tam parvo ſpatio capi cum nequeant, refluunt ad interiora, & ex unda in undam *cohobatis* liquidis exaltatiſque id, quod concretum eſt, & quieſcens ſolvitur, quod vero iners, ac torpidum excitatur. Acriores cantharidum partes ſanguinem, & inde renes pervadere arguit dyſuria, quæ a ſpaſmodica totius fiſtulæ urinariæ contractione dependet; venenum veneno domamus. Aperto emiſſario deleteria corpuſcula ſero commiſta, quæ ordinariis cribris conſentanea non ſunt, commodius, & citius emunguntur. In peſte Noviomagenſi Diemerbroek incolumes eos narrat, quibus cauteria, aut aliqua ulcera inſculpta erant. *Neque fontanellæ* (ſubdit Waldſchmidt), *laude ſua defraudandæ, quæ graſſantibus morbis malignis ab omnibus geſtari debent.*

Mechanicæ veſicandum.

VII. Ad alexipharmaca, & diaphoretica quod pertinet, ſæpe a nobis uſurpantur contrayervæ radix (quæ certius poteſt, quod poſſe videtur aut lapis bezoar, teſte Riverio, aut etiam lapis de Coa) viperæ jecur ſale rectificante ditiſſimum, cornu cervi philoſophice calcinatum, ſtibium diaphoreticum, nitrum ſtibiatum, bezoardicum minerale, ac joviale, electrum album, & camphora, ut exoticas, fermentativas, ipſique cruori penitus impermiſcibiles moleculas præcordiis potiſſimum, ac cerebro hærentes cicurent, ſolvant, & ad extrema vaſorum urgeant, expellantque: oleum ſcorp. Matthioli, a quo pingues, & balſamico volatiles guttas emendicamus, & alia hujuſmodi gregi Helmontico infenſa: diaſcordium Fracaſtorii, quod eſt brevis theriacæ, ſeu nobile remediorum compendium, gelu epiceraſticum de cornu cervi juxta Barei normam peractum, quod in oris veſtibulo colliqueſcens tabe ſua ſitim temperat, & maligni fermenti aciem retundit, aqua prophylactica Deleboe Sylvii utpote acido volatilis: emulſa demum ex amygdalis dulcibus, & melonum, cardui benedicti, papaveris albi ſeminibus cum aqua ſonchi, ut butyroſam lympham diſſipatam reſarciant. Decoctum hordei *triſti ſucco, tardoque ſapore felicis mali* acuendum, vel crudus fons in aſſiduam, largamque potionem ſufficitur: *princeps ingenii & doctrinæ Plato* figuram aquæ icoſaedram tribuit in Timæo; *habens viginti* (ſunt ejus verba) *æquilateres baſes naſcitur*, ideſt facies viginti, ut exponit fidiſſimus Platonis interpres Marſilius Ficinus: porro, cum aquæ corpuſcula ob angulos ſumme flexibiles contigua ſint, minimæ ſalium coagulantium pyramides inter ipſos deprehenſæ, redimere ſe nequeunt, & tanquam vortice rapiuntur: *malo cum Platone errare, quam cum cæteris recte ſentire*. Corporis peripheria iterum, atque iterum cucurbitulis ſtimulatur, in remiſſione tamen, & ante cibum: ubi ſicya linamento ardens imprimitur, niſu aeris, & pondere, quod circumpoſitæ partes totum ſuſtinent, cutis intra ſicyam aſſurgit, & in ſuperficiem majorem extenditur; fit enim ex plana curva: diſcluduntur, & ampliantur pori, & quicquid eſt perſpirabile, eliditur: conniventia vaſa, vel arcuatim per extenſionem compreſſa vix abſtractis cucurbitulis ſuæ ſe figuræ reſtituunt, adeoque a contactu materiæ, cui prius hærebant, recedunt, & quaſi ſpatium relinquunt affluenti ſanguini, unde facilius aſportatur. Novos etiam motus inſpirant frictiones, inunctis manibus vel Ætiana miſtura, vel oleo amygdalarum dulcium, & aqua Hungarica, ſeu ſpiritu Reginæ Hungaricæ: cutis enim revera eſt, ut Gliſſonus Anglus aſſeruit, *univerſale quoddam ſpiraculum, ſive emunctorium corporis, per quod omnes ejus exhalationes commode effluant*: & ſuam cuique corpori adeſſe atmoſphæram, Boyliana experimenta confirmant. Ut autem felicius, & optatius emergat ſudor, præſertim cum anxie vigilat, & delirat æger, ad ipſa diaphoretica etiam opiatum adjungimus duce Wedelio, tincturam ſcilicet Thomæ Sydenham, quæ ceu pharmacum Helenæ *nepenthes* Homero dictum ſolicitudinum oblivia inducit: quippe hypnotica non modo ſomni tranquillitatem conciliant, ſed & ſalſum, & acidum, & acre blandis ramuſculis, figente ſulphure involvunt; atque hebetant; duræ matris etiam in ſubditis organis tenſionem relaxant, qua flacceſcente, ſudoris viæ liberius patent. Imitamur naturæ ritum; natura, quæ non eſt, niſi *ars ectypa Divinitatis*, ſeu *ars Dei in materia*, mortalibus ſomnum inſtituit ad perſpirationem explendam; expleta perſpiratione ſomni quoque neceſſitas expleta eſt. *Duplo magis dormiens perſpirat vigilante*, ut probatur e ſtatera Sanctorii: eſt enim vigiliæ proprium, omnes corporis muſculos conſtrictos, meatuſque adeo glandularum duplo anguſtiores reddere. Sic diaphoretica cum hypnotico propinamus. ℞. *ſtib. diaph. ſcr.* I. *bezoart. jovial. ſcr. ſſ. hepat. viperin. præp.* gr. v. *ol. ſcorp. Matth. gutt.* III. *confect. hyacinthin. alb. inod. diaſcord. Fracaſt. ana drach. ſſ. coge in bolos* v. *quos deglutiat hora ſomni, & ſuperpotet aq. card. benedict. unc.* VI. *& tot citr. unc.* I. *laudan. liquid. Sydenham gutt.* XII. *Hoc autem* (ſudore nimirum) *excreto, & ſanguis in naturalem ſtatum reſtituitur, & febris remittit, & laſſitudo ſedatur*. Si cunctari patitur morbus poſt expulſam ſudore portionem fermenti, reliquum curæ eſt, ut Peruviani corticis uſum auſpicemur; *Neque ulla alia ſpes in magnis eſt, quam ut impetum morbi trahendo aliquis effugiat, porrigaturque in id tempus, quod curationi locum præſtet.*

Georg. l. 2.

Marcus ad Q. Prat.

Tract. de partib. contin. c. 4.

Lib. 4. Odiſſ.

IV. Aph. 18.

Opera medica coptract. tom. 2. diſp. tr. de febr. malig. Bezoartica, & diaphoretica ſelectiora.

Hipp. 2. de diæta.

Celſ. lib. 2. cap. 5

VIII. Dolatum lignum, quo trajicimus mare, *aerio ſeu quondam in Volture pinus immani ſteterit trunco, ſeu frondibus Alpes veſtierit*, quatuor, aut ſeptem digitos a morte nos arcet. Peruvianus vero cortex naturæ lapſæ ſubſidium, ſacra veluti anchora, naufragam, atque fluctuantem vitæ naviculam tuetur, & *fundat*: hic eſt contra periodicas, perniciоſaſque febres Alcides, qui alcali ſuo amaro, auſteroque obvios in ventriculo, & inteſtinis heterogeneos ſuccos a labe vindicat, & repentes feras interimit: vi periſtaltici motus in vaſcula Aſelliana tracucitur, & quæ in chyli, & lymphæ reductivis adenibus glutinoſa ad tempus quieſcunt, futuræ febris ſemina incidit, abſorbet, eliminat: ecce quomodo novas invaſiones *febribugum catholicon* antevertit; immo ſanguinis contextum, ut ejuſdem canales *in habituali hæmoptoe* adſtringit, & blanda aſtrictione corroborat, liquidis æque, ac laxis ſolidis tonum largitur, & ſulphureo acres, ſeditioſaſque particulas, quas captivas, & inermes fecit, per reiteratas ſanguinis circulationes in cutem, in renes, in inteſtina ſecum præcipitat: evidens tamen, quam promovet, evacuatio nec inſueta nec multa: igitur inſenſibilem, quæ præſtantiſſima eſt, redintegrat perſpirationem. *Curationum vero animæ ſunt temporum opportunitates*: longe a paroxyſmo, inclinata ſcilicet febre, corticem exhibemus, & ſtatis horis repetimus; nam ſanguis puncto referveſcentiæ per elaſticas ſuas fibrillas majori orgaſmo diſtractas expanditur, turgeſcit, & in oſtiolo ductus thoracici ſubclaviæ ſiniſtræ inſetto valvulam premit, & quæ ingredi, & quæ aſcendere coguntur, repellit: thoracicus ductus febrili ſucco diſtentus, aortæ, quæ ſuper ipſum pulſat, obnititur, & ab ea validius repercuſſus in motum convulſivum vibratur, & præcordia, plexum nerveum meſentericum, ſtomachum, peritonæum lege conſenſus laceſſit; hinc horror, aut rigor univerſalis, lumbago, vomitus, angores, & alia ſymptomata, quæ in acceſſione cumulantur: tunc cortex Americæ, tunc cibus ipſe, aut ipſe etiam potus non aliud quidem, niſi turbas adjungeret. *Ubi id* (frigus) *expectatur, omni potione prohibendus æger eſt: hæc enim paulo ante data multum malo adjicit*: ſic largior calidæ potus qui juxta Zecchium præſervat a calculo, dum tamen calculus, affinis ſepulcro materia in renum pelvi exiſtit, vetare debet; tunc enim aqua tranſire non poſſet, & pelvi magis diſtenta nephriticum dolorem acueret.

Peruvianus cortex I

Phraſis, qua conſtat eſt Morton.

Hippocrates Cratevæ.

Celſ. lib. 3. cap. 22.

IX. Hernicus quidam viridis ætatis, ſalino terrei temperamenti, crapulæ ſimul, & Veneri indulgens, nec aeris pravitate, nec tot acerborum funerum exemplis deterritus Ferentinum conceſſit, ubi plures duxit dies, noctеſque: nondum erat reverſus, cum cœpit ægrotare: incidit enim in popularem febrem cum rigore, verminoſo vomitu, cephalalgia, & vigili oculorum conniventia. Secundo morbi die, qui apyretos videbatur, ne vires morbo accederent procraſtinatione remedii, anthelmonticum dejectorium juſſimus, quo bilioſæ tincturæ, inſecta non pauca ſurſum deorſum expulſa ſunt: deinde jura ſubtilia vitulina, vervecina, gallinacea, in quibus limatura cornu cervi nodata, radices graminis, ſcorzonetæ, & contrayervæ, folia ſonchi, oxalidis, & chamedryos leniter incocta eſſent, non parvis pateris propinabantur. Die tertio febris rigore præludens adeo exacerbata eſt, ut æger deliro comate, ſyncope, & luctuoſis ſuſpiriis (quæ ſanguinem per venam pulmonicam tardius progredi, & profundo, ac pleniori aeris cylindrio indigere ſignificant) æſtuaret: ego Philonis filiæ memor cœnam inhibui: *optimum vero medicamentum eſt opportune cibus datus*: cervici, & infernis artubus veſicantia deſtinavi, & emulſa pro ſitis levamento. Quarto palliata intermiſſio: linguam aſperam, obſcuram, & pulſum, qui licet non admodum debilis, celerrimus tamen erat ex febris recrudeſcentia, tunc pene fornicantem, atque inharmonicum reperi: lotium primo tenue, lateritio colore ſaturatum apparuit; nam tunc ceſſavit ea ſanguinis velocitas, quæ non ſinit in adenoſa renum ſuperficie niſi merum laticem ſeparari. Quinto ſub auroram tres uncias aquæ prophylacticæ Sylvii, & devexo jam die bolos, & hauſtum, qui ſequuntur, obtulimus. ℞. *nitr. ſtibiat., bez. Jov. ana ſcrup. ſſ. Cortic. Peruvian. ver. in ſubtil. pul. redact. atque oleo ſcorp. Matth. irrorat. drach.* I. *diaſcord. Fracaſt. confect. hyacinthin. alb. inod. ana q. ſ. coge in bolos numero impares*; *item aq. card. bened. un.* IV. *& flor. actes unc.* III. *tinctur. paregor. Syden. gutt.* XII. emerſit quidem ſudor, ſed fruſtra emerſit: novo enim paroxyſmo ea, quæ aderant, efferata ſunt, & quæ non aderant, ſupervenerunt, nempe ſanguinis e naribus ſtillæ, ſurditas, & citra faucium tumorem difficultas deglutiendi: cogitabam interea *gelu de cornu cervi chinatum*, quod bis, terve in die *cochleatim* aſſumeret. ℞. *Jcob. corn. cerv. drach.* V. *aq. font. q. ſ. eoque lento igne, vaſe clauſo ad libram unam: decoctum filtra; & prius, quam in gelu concreſcat, adde aq. prophylact. Sylv. unc.* III. *diaſcord. Fracaſt. ſtib. diaph. ana drach.* I. *Cortic. Peruvian. ver. in ſubtil. pulv. redact. atque oleo ſcorp. Matth. irrorat. unc.* I. Sed ne jus quidem deglutire poterat miſerandus æger cecidimus ſpe tam juſta *Corticem Arboris Vitæ* repetendi: cucurbitulæ iterum, atque iterum affixæ ſunt, conciſa demum ſcalpello in homoplatis cute, ut ſanguis a capite derivaretur, & quidquid intra cranium hærebat, per ſyſtalticas a tot vulnuſculis excitatas canalium oſcillationes revocaretur ad curſum: tritœi fucum doloſa febris prope ſtatum depoſuit: undecimo convulſus interiit.

Deſcripti ægroti cerebellum.

X. Sudor itaque per univerſam cutem ejectus prodeſſe nequivit: miramur acerrimum febrile fermentum nec deſpumatum eſſe, nec fractum: ſed inter ſuas ipſius ſcorias invaluiſſe. Porro cum ſanguis textura jam lacer per duram meningem refluueret, & ſpicula corroſiva e ſanguinis conſortio ſe paſſim proriperent, atque in tendineo muſculares fibras veluti immiſſi cunei meningeos ſinus convellerent, eorundem anguſtatis diametris pars ſanguinis craſſior & fere polypoſa reſedit, & auctus meningis elater quaſi arcus tenſus reſiliens oſcillatorio potius ſolidorum colliſu quam parca & minus celeri animalis liquidi irradiatione nervos omnes in mo-

motu tonico detinebat; hinc vigiliæ: debilior tamen erat quævis fibrarum undulatio in sensoriis & vix percepta; hinc stupor & alienatio mentis, ut multa simul æger apprehenderet, sed incomposita & cæco impetu in nervos motores linguæ appulsu fatua balbutiret, en coma vigil seu *monstrum biceps phrenitidis & lethargi*. Jugulares venæ, quibus sinus duræ meningis laterales continuati sunt, una eademque contractione laborabant; hinc sanguis quem exhaurire minime poterant, per arteriarum fines e naribus extortus est. Advenit surditas, membrana tympani aut zonis acusticis sideratis. Adempta sine faucium & colli meteorismo deglutiendi libertas, vel quia musculares œsophagi fibræ convulsæ ac inflexibiles erant, vel quia (ut ex Riolani observatione conjecimus) febrilia recrementa per carotidum surculos in thymum præsertim evecta glandulam illam parotidis instar distendere, anginaque occulta œsophagi pariter ac tracheæ tubum coarctare valuerunt: liquidi enim mora & stagnatio major quam alibi fit in glandulis, *ubi vasculis*, ceu Morton refert, *non procedunt rectis lineis ut in musculis, verum spiratim*. Tandem metastasis intra cranium subsistens epileptico modo interfecit. Cucurbitulam autem occipiti alte inciso admoveri jussissem, si tum venæ occipitalis, quam nuper solertissimus Valsalva descripsit, existentiam, originem, & suos truncos, & quo intra cranium tendunt, non ignorassem; nam per ea venarum occipitalium vulnuscula sanguis, quem in laterales meningis sinus convecturæ sunt, avertitur, & reliqui sanguinis per eosdem sinus fluentis copia quidem minuitur & motus augetur: remedium porro non contemnendum cum *ferreus urget somnus*, sed Aretæus olim de curatione apoplexiæ agens sic monuit: *Cum morbus autem diu trahitur & caput in causa est, cucurbitula occipitio affigenda & sanguis largiter hauriendus: plus enim quam venæ sectio proficit & vires nequaquam labefactat*.

Dissectus in Coac.

Anthrop. l. 3. c. 17.

Phthisiol. l. 3. cap. 1.

Tract. de Aur. Hum. c. 2. a. 25.

Æneid. lib. 10.

XI. Unum superest, quod silentio celari non debet. Vermes epidemicæ hujus constitutionis animata potius concausa, quam organicum symptoma esse videntur: lumbricorum ovula bombycum ovulis ferme analoga cum mille aliis morbosis corpusculis aeri, cibo, potui commista ingeruntur: sed quia tunc acidum volatile gastricum, & bilis alcali oleosum lixivio-acre vel refracta sunt vel plane deficiunt, suo solent putamine vermes excludi & animalcula intra animal repunt, vescuntur, adolescunt & propagantur: *nec tutus spatio est elephas*. Horum regio sunt intestina, chylumque nostrum, qua absumunt, qua corrumpunt & vitiant: hæc tanquam in concavo ergastulo glomerata febrili hominis æstu succorum acredine & minutis quæ devorant paludum insectis in rabiosam feritatem adiguntur; *omnis autem feræ morsus habet quoddam virus*. Initio, cum febris præsertim intermittit, vel saltem remittit, certe in truces stomachi atque intestinorum indigenas dirigenda sunt tela, quæ ipsos interimant simul & educant. An tunc mercurium dulcem, vel æthiopa mineralem, diagrydium sulphuratum, & optimum rhabarbarum subtiliter trita oleoque scorpionum Matthioli irrotata & cum syrupo persico aurique folio in pilulas coacta, & postea jus tenue recenti oleo lini adipatum exhibere fas sit, authoritati tuæ decernendum relinquimus. Porro sublimatum dulce vel æthiops mineralis, ut cinnabaris nativa, quam epilepsiæ magnetem Crato Archiater Cæsareus vocat, in ventriculo dissolutionem non patitur: nec febrilis ignis mercurium in sphærulas adeo penetrantes vindicat, ut cerebrum nervos etsi cathartico ligatus aggredi possit: quin Ballonio, Fernelio, Poterio, atque Etmullero febris antidotum in mercurio latitare suboluit: corpuscula metallica, quæ a nexu suo & chymica temperie non deflectunt, eodem gravitatis momento, quo vermes suffocant, & perstaltico motu accelerato simul cum vermibus dejiciuntur: quare mercurius dulcis solet esse remedium epidemicæ dysenteriæ, quæ integros quandoque debellat exercitus, hæc scilicet a virulento vermium morsu originem capit, est ille vermium domitor: & plus quam radix Brasilienses, quæ *Ipecacuanhæ* nominatur, ulcus intestinis inflictum abstergit consolidatque. Rhabarbarum præterea & oleum Matthioli in vermium necem conspirantia vi amara & balsamica rugis & muco refertam, quæ villosa vulgo dicitur, intestinorum tunicam roborant, & dysenteriam arcent.

Vermes hujus epidem. constitutionis concausa.

Phars. 9.

Cels. lib. 5. c. 26.

XII. Non amplius te moror Vir amplissime veritus ne tibi sim tædio: cultus tamen erga te meus & devotio illud exigat, precor, ab oraculis tuis, ut mihi adversus febres malignas verminosas ab aere oriundas methodum aliquam peculiarem aperias tu, qui Principis valetudinem moderaris. Scio utique ex Græco Patre, quod *impossibile est, statam, ac certam doctrinam in ipsa* (in Arte Medica) *fieri*: tua tamen, quam mittes, consultrix epistola erit mihi instar pyxidis nauticæ in hac tempestate morborum. Nunc occasum plejadum, nunc pluvias, glaciem, boream, & quidquid anno hyemante circumstrepit, anhelamus: *Nam æstivos morbos hyems succedens solvit, & hyemales æstas succedens transmutat*. Asperrimam hyemis naturam noxia paludum effluvia, quæ surgunt ætate, commendant: *Habet has vices* (Plinius junior) *conditio mortalium, ut adversa ex secundis, ex adversis secunda nascantur*. Paludem Maro descripsit, dum cecinit:

Apud Fallopium ad Scutellarium.

De loc. in hom.

3. Epidemion sect. 3. ægrot. XVI. In Vaneg. Trajan.

Hic specus horrendum, & sævi spiracula Ditis
Monstrantur, ruptoque ingens Acheronte vorago
Pestiferas aperit fauces.

Æneid. l. 7.

Hydra Lernæa a Leone Baptista Alberto Architecto Florentino scribitur, nil aliud fuisse, quam aquam stagnantem, quam Hercules perruptis aggeribus partim alio derivavit, partim soli exposuit desiccandam. Patrocinio tuo fovere me perge, & vale, atque iterum vale Pontifici Clementissimo.

Wedel. exercit. 3.

XIII. Kal. Septemt. 1709. apud inclytos Carceres Cælestini Papæ V.

ERUDITISSIMO VIRO ANTONIO COCCHIO de Medicina apud Hernicos optime merito Jo: Maria Lancisius S. P.

PEtis a me, Studiosissime Cocchi, ut tibi rescribam, ecquid de palustribus istic hærentibus aquis, deque inde ortis, frequentius hoc anno per æstatem grassantibus malignis, ut ajunt, febribus sentiam. Quid rursus agendum, ne libitina adeo immaniter tuos in ægros desæviat, mihi videatur.

Sydenham Opera Medica.

II. Antiquissimam forte putavit aliquis querelam, quam apud me habes, & in qua vehementer doles, Ornatissime Vir, partem nempe Provinciæ, quam incolis, Ferentinum inter, & Anagniam palustribus aquis plus solito identidem inquinari. Etenim Strabo diligentissimus ille Romani agri descriptor, postquam lib. v. Geographiæ Latium a salubritate commendavit, loca excipit, quæ *palustria sunt, atque morbosa, qualis*, inquit, *est ager inter Antium & Lavinium usque ad Pometiam, & Setini agri quædam, & circa Terracinam, & Circejum*: quo sane locorum circuitu isthæc etiam finitima tellus comprehendi posse videtur.

Agri Latini pars antiquitus etiam ob palustres aquas in fama laborabat.

III. Sed non omnia, quæ dolemus, eodem jure queri possumus: vel enim regio ista ob jugem aquarum scaturiginem, nullaque hominum industria vincendam telluris humilitatem olim etiam cænosa fuit, & culpa in eos conferenda est, qui primi coluerunt; vel propter temporum injurias (ut arbitror) non corrivatis sedulo aquis, in hujusmodi statum pervenit, & excusanda minus est posterorum, præsentiumque negligentia, quæ eosdem latices torpere sinit, qui apertis tum veteribus, tum novis scrobibus, & canalibus in amnes, ac mare tempestive derivari potuissent.

Vel suapte natura palustris est regio vel incolarum negligentia, quæ potissimum accusanda est.

IV. Quid quod multi inducta paulatim exaggeratione, desertis palustribus locis prudentissime succurrerunt? Alterum excitandis lacunis, ac stagnis semper subserviisse compertum est, scilicet alicubi vel non inventa circumstantis declivitas soli, per quam nascens, aut influens aqua libere possit excurrere; vel importune occurrens major altitudo proximi fluminis, aut pelagi; unde pigrum fluentum repellitur, quod illorum admisceri undis ad integrum paludis exhaustum oportet.

Inertium aquarum causæ, vel regionis humilitas, vel pelagi, & fluminum altitudo.

V. Cæterum mirari desines, mi Cocchi, cur isthic hoc anno affluentior aqua tam dulcis, quam mineralis suis ex scatebris effluxerit, & vicinos campos inundaverit: etenim dum algidissima (*) hyems aqueos vapores e terra excitari prohibuit, recens, exterumque nitrum abunde nimis infusum est. Ver autem pluvium subterraneas venas latice magis implevit; exinde sub æstatis initium utraque de causa potuit uberior lympha manare. Vidit phænomenon hoc ante mensem ipsa etiam Roma, timuitque, cum in valle juxta mœnia montis Cælii exigua cæteroqui scaturigo tantam aquæ copiam ocyssime reddidit, ut brevi locum illum impleverit, & infectorum, amphibiorumque multitudinem admiserit, certo certius circumfusæ etiam atmosphæræ plurimum nocitura, nisi summa Clementis XI. providentia udam, sinuosamque vallem citissime aggesta terra oppleri jussisset.

Quibus de causis abundantior hoc anno tam dulcis quam mineralis aqua fuerit. (*) Consule historiam epidemiæ ortam ex constitutione algidissima hyemis anni 1710. a nobis descriptam, & in calce operis de Rom. Cœli qualitatibus adnexam.

VI. Inertes vero latices ideo tanto putore humiliora circa Anagniam, & Ferentinum loca infecerunt, quia iisdem ex enormi diversorum qua vegetabilium, sensiliumi, & insensilium, qua etiam mineralium corporum mistione inquinati, agitante solis æstu, corruptivum fervorem cum innumerabilium vermium exortu subire coacti fuerunt: quam sane fermentationem suis, quos defert, igneis salibus ipse quoque per æstatem sæpe flans auster adauxit, qui cum semper ex imis ad sublimia enitatur, ex palustribus, verminosisque aquis lethifera effluvia & abripit, & attollit, facile etiam ad montana Oppida evecturus, nisi eadem effluvia in altum sublata multum dispertirentur, ac partim ipso in volatu caderent, partim evanescerent. Unde fit, ut Patria tua, quæ situ eminet, innoxio cælo fruatur.

Ex variorum, ac minutorum corporum mixtione insectis aquis solis æstu pestiferi vapores attolluntur.

VII. Qua vero ratione hujusmodi labis semina, sive animata, sive inanimata castrenses, ac pestilentes febres gignant, & tu innuis, & nos latius in opere de noxiis paludum effluviis brevi edendo demonstrabimus. Nunc autem satis fuerit M. Varronis (*a*) sententiam, hujuscemodi infortuniis pulchre accommodatam referre: *Advertendum*, inquit, *etiam, siqua erunt loca palustria, & propter eadem causas, & quod arescunt, animalia quædam minuta, quæ non possunt oculi consequi, & per aera intus in corpus per os, ac nares perveniunt, atque efficiunt difficiles morbos*, quos deinceps Columella (*b*) *cæcos* appellavit: quoniam subdit, *eorum causas, nequidem medici* (nempe suæ ætatis) *perspicere queunt*: non enim per ea tempora vermium ex seminio, ovulisque propagatio tam clare patuit, sicuti nostro ævo, quo vulgi etiam sermonibus trita est.

(a) Lib. 1. de re rustica cap 12. p. 107. M. Varronis sententia de paludum verminibus, qui morbos gignunt. (b) Lib. 1. de re rust. cap. pag. 22. Columella idem significat. Quo pacto vermes humanum corpus inficiant.

VIII. Nec deest probabilis conjectura, exoticum liquidum nostris fluidis incongruum a vermibus, dum stomachum, atque intestina corrodunt, suas per tenues proboscides veluti per totidem syphunculos in albas, rubrasque venas, immo in nervos etiam magno cum ægrotantium discrimine infundi. Accedit denique, quod per eadem ulcuscula multis aliis ab aere derivatis particulis suapte natura nobis infensis, latius (præter pneumonicum) iter aperitur in sanguinem.

IX. Triste sane experimentum consimilis epidemiæ Roma cœpit. Superioribus annis, cum ad duo circiter millia hominum in Leonina Civitate propter stagnantes, corruptasque in fossis Hadrianicæ Arcis aquas verminosas, & pestilenti febre trimestri spatio perierunt. Sed quemadmodum tunc temporis nobis accidit, ut funestis læta successerint: nimirum ingruentibus prope autumnale æquinoctium pluviis, ventisque in contrarium versis, ita vobis, deferveiscentibus posthac æstibus, arbitror eventurum, & in antecessum gratulor. Cæterum cum furit ex paludibus morbus, initio præsertim æstatis, vix ullis remediis aut arceri penitus potest, aut reprimi; ne si Æsculapius quidem ipse, & Machaon propulsatores, & curatores adessent. Unde ingenua, magnoque viro digna confessione scriptum nobis reliquit Hippocrates (*c*) in æstiva quadam constitutione, *nihil memorabile suis ægrotantibus profuisse*, scilicet *non ventris turbationem, non venæ sectionem, neque quæcunque alia*, quæ ipse tentavit, quem omnia cum ratione tentasse putandum est: habent enim effluvia ista certum incrementi tempus, quod plerunque tota æstate finitur, cujus decursu affatim irrumpentia in hominum corpora, quæ magis propensa sunt (sunt autem valetudinaria, aut quæ minus congrua vitæ ratione utuntur) duplici potissimum via (præter minus conspicuas) respirationis nempe, ac cibi penetrant, pariterque in fluidas, atque in solidas humani corporis partes debacchantur; sed cum pluere incipit, æstusque temperatur, tunc certe palustris humor, *imbribus dilutus*, ut docuit Columella (*d*) citius miteiscit, & flantibus ventis a septentrione non solum lethiferæ subsident in paludibus exhalationes, sed quæ jam in aerem sublatæ fuerant, alio converti solent, ac dissipari.

Epidemia Romana in Urbe Leonina.

Æstatis initio morbus curare difficile. (c) 6. Epid. sect. 3.

(d) Loc. citat. pag. 24.

Quarationecuratio instituenda.

X. Ad curationem porro gtassantis morbi, quod spectat, illam tu quidem sua duxisti via, partim infusum venenum detrahendo, partim corrigendo, partim etiam volatilizando, ac dissolvendo. Sed quoniam mala sæpe sæpius artis vim eludunt; propterea illud Hippocratis. (*a*) ob oculos perpetuo a nobis habendum est, *si non prosis, saltem ne noceas*. Ac rite quidem divinus Senex (*b*) Medicum gubernatori navis comparavit: quemadmodum enim ille magnis in tempestatibus ita gubernaculum, & vela moderatur, ut ventorum impetus, secundos quidem excipiat, adversos vero declinet, vel ne illidatur scopulis, vel mergatur undis: Sic profecto solers Medicus nunquam nimia cupidine celerioris curationis, multiplicandis cum temeritate, vel confusione remediis, adduci debet: sed ita diligenter naturæ motus observare, ut salubribus faveat, noxiis obsistat, ægrumque translatione saltem in chronicum morbum (quod est hac in re, ut admodum frequens, ita summopere utile) ad salutis portum utcunque perducat. Exinde fit, ut hujusmodi in febribus, raro purgantia, nisi ab initio, & quidem cum absente diarrhœa, quotidie remiserint, aut alternis diebus rigore, aut saltem frigore exacerbentur, juvare solent: tunc enim, quoniam non levis febrilis fermenti portio hypochondriorum glandulis, quæ in primas vias hiant, hærere solet, non ægre illinc blandis subito emeticis, aut dejectoriis evellitur, ut inde locus fiat usui chinæ-chinæ guttulis olei Matthioli irroratæ, tanquam specifico hujus pestilentiæ alexipharmaco, quod experimento quoque utilissimum compertum est apud illos, qui continuis quanquam febribus, gelido tamen artuum frigore laborant. Sed hæc purgatio non nisi prima, aut secunda die laudatur; postea vero, quoniam sæpe (excitata diarrhœa, vel dysenteria) ad alvum confluit malignus humor, ab omnibus purgantibus pene cum superstitione abstinendum est, solisque diaphoreticis, & alexipharmacis utendum.

(a) 1. Ep. sect. 2.

(b) De ver. Medic. n. 17. Medicus gubernatori navis ab Hip. comparatur.

Purgantia in hisce febribus nisi ab initio, raro prosunt.

Specificum harum febrium pulvis Chinæ cum oleo Matth.

Quibus in casibus abstinendum sit cathartici.

XI. At vero si febris servaverit ideam continentis, stipeturque delirio, lethargo & convulsionibus, nullumque urgeat extremorum frigus, quoniam significat acre, malignumque fermentum majori ex parte intra sanguifera vasa furere, atque in præcordia, cerebrum, & nervos impingere, purgantibus exasperari solet, etiamsi nausea, ac vomitu æger vexetur, exigitque tantummodo blanda, crebraque enemata, stillatitias aquas, vel simplicia, quæ longa vocant jura acido volatilia, ex decoctione rad. scorzoneræ, pimpinellæ, gramin. contrayer. acetosæ, ac foliis contusis sonchi: postulat pariter emulsiones ex semin. melon. cardui sancti, & amygdalis, additis temperatis diaphoreticis, & cardiacis, modo ex stibio diaph. succino, & camph. modo ex cornu cervi, ac lapide bezoar. vel guttulis spiritus sal volat. sal armon., modo ex confectione hyacinth. de Alcher. ac potissimum diascordio Fracastorii: quinimo cum primum coacti alicubi sanguinis indicia apparuerint, auri etiam tinctura rite præparata, vel spiritus mannæ, quem vitæ appellant, ægris exhiberi potest. Sed vesicantia præcipue non solum artubus, verum etiam cervici tempestive, atque utroque in casu, modo absit dysenteria, admovenda erunt,

Remedia præscribuntur.

Vesicantia profi. cua, & quando. Quibusdam, & quando venæ sectio utilissima fuerit.

XII. Hoc forte tibi mirum videbitur, quod quanquam in maligna ista febri viperei dentis instar censeatur phlebotomi lanceola; nihilominus tamen ægrotantes plethorici, qui eadem febri cum dolore capitis, pulsuque magno, & æquali corripiuntur, secta vena frontis, vel jugulari, tunc maxime cum majore mentis motione, soporeque, immo parotide premerentur, quandoque levati fuerint: sectiones enim istæ (modo extremorum frigus absit, & vires consteut) accensentur illis, quas laudat Hippocrates (*b*) & *proximi ventris* appellat; evacuant nanque, & revocant in præcordia, ac subinde in vitalem circulum multas cruoris partes, quæ piceam; & quasi non dixerim, polypeam consistentiam nactæ, sinubus duræ meningis, atque universæ propemodum cerebri superficiei, perinde quasi supremi, mortalesque decubitus pertinaciter adhæserant, atque illinc deturbari naturæ opera non solent, nisi magno, ac plerunque irrito parotidum conatu.

(b) 6. Ep. sect. 5.

Alia remedia traduntur.

XIII. In eundem pariter scopum collimant non solum viscera recens mactatorum animalium cranii futuris adhibita, utpote quæ proprio sale oleoso-volatili illas sanguinis particulas diluunt, leniunt, ac submovent, quæ summo capiti erant defixa; verum etiam cucurbitulæ siccæ, atque adhuc semel scarificatæ, si opus fuerit, ac præ cæteris frictiones per totum morbi cursum, inunctis manibus oleo amyg. & Matth. cum camphora identidem repetitæ torpescentibus liquidis naturales motus inspirant.

Remedia necandis vermibus ex china & acidis, cardiacis paranda.

XIV. Sed vereor, ne tu arguas, mea ex memoria discessisse remedium maximopere necessarium pellendis, necandisque vermibus, quod forte primas in hoc morbo tenere debuerat. Porro illius non sum oblitus, sed valde dubito, ne, dum pharmacum, (præterquam ex amaris vegetabilibus, china præsertim atque ex acidiusculis cardiacis) quærimus, venenum inveniamus, quod ægros citius quam vermes perdat: mercurialia enim in tanta naturalis œconomiæ confusione nervorumque potissimum oppressione quid quæso alium, nisi mortifera in cerebrum inducta epigenesi novas turbas facere possunt? Igitur in alexipharmacis, ipso in tempore, denique in naturæ præsertim solertia, quæ docta est sine magistro, spem omnem collocare oportet, ut filii Patris simus, qui nos admonuit, ut saltem non noceamus. Nanque medicina est quoddam experimentalis prudentiæ genus, quæ vix doceri ab ullo potest, tota fere sedulo peritoque ab Artifice in arena ipsa invenienda ac tractanda est. Macte igitur animo, mi Cocchi: sed dum aliorum valetudini incumbis, fac ut tuæ quam diligentissime servias. Romæ prid. Kal. Sept. MDCCIX.

NONNULLA DE TERRÆMOTU.

CAPUT II.

Illustrissimo Domino Jo. Mariæ Lancisio Sanctissimi Patris Clementis XI. Archiatro & intimo Cubiculario Antonius Cocchius S. P.

PLane deerat quid ad te scriberem, nec habebam a te quid expectarem Vir Amplissime. Sed tremor copiosum & triste attulit argumentum. Festo die Seraphici Patris nempe IV. Nonas Octobris secunda noctis hora vehementius consueto mota est terra, & parum abfuit quin nova Cassia solo iterum æquaretur; cælo interdiu sereno signum a Plinio commemoratum tenuis linea nubis in longum porrectæ præcesserat. Motus ille non fuit subsultus, ideft deorsum sursum concussio, nec lateralis hinc inde vibratio, sed unam tantum partem sine vibratione propellens ruinam superstructis ædificiis minatus est, & pertinacior sane fecisset pessimus omnium motus & demolitor, utpote per quem non restituitur centrum gravitatis ædificiorum ut immineat suæ basi; horrenda tamen reliquit vestigia, altas rimas, immanesque parietum hiatus, & alia ruinarum initia: prægnantis arenæ fœtus, seu potius vegetabilia monstra nullo caule, nulliisque radiculis firmata, nempe tubera inter gulæ delicias habita, non rostrante sue, sola montium concussione detecta sunt. Si epistola est quædam longinqui hominis repræsentatio, pallentem me, squalidumque trepidare jam vides. Sextum Hippocratis librum de morbis popularibus legebam, cum cæco velut mugitu oborto, crepitante domo parietem in me nutare animadverti, & saxa veterem libertatem, pene dixerim, affectare, ut me adhuc vivum absconderent, tumularent, obtererent. Addidit fuga periculum periculoso jam malo, scalas enim non pedibus, at strato per lapsum truncо decurrimus. Viri, & puellæ extra domos, & se ipsas promiscue vagabantur, & passim matres, quo se, & infantulos e cunis ereptos reciperent, ambigebant. Beatæ Ritæ Vestales, & alia aliorum Ordinum vittata capita, sicut rescivimus, a male tutis claustris recedere cogitabant. Fugientes secuti sunt ægri ægritudinis suæ obliti, cum malum impenderet atrocius, cui nec Principis providentia, nec Medicorum solertia, nec ipsa natura, quæ nobiscum cohabitat, potest opitulari. Voces *ad Deum sanctum*, *fortem*, *atque immortalem* emissæ, lacrymis, & suspiriis intercisæ undique resonabant. Non externæ gentes, non Asia in nos sævit, nunc magna pars nostri metus est domus ipsa, quam colimus. Sic afficit timor, ut neque diurna negotia, neque nocturna silentia cum securitate permittat: Gravior propterea somni vis ad lectum nos, tanquam ad patibulum trahit. Crebras terræ commotiones in hac Reipublicæ Sede (titulum duntaxat reliquit Roma,) & brevibus pagis ex consensu continentis cum ignivomo Italiæ monte Vesuvio accidere Patritii Cassiani opinantur, quasi inde minerales particulæ sulphureæ, ac nitrosæ igneo vortice per subterraneos cuniculos deriventur. Travaginus Nobilis Venetus, ut ex Nicolao Cyrillo strenuo Cartesii sectatore, & Medico solertissimo Neapoli accepimus, asserit, & veri non citra similitudinem, nimirum quando terra deorsum sursum concutitur, ibi terræmotus fieri per essentiam, ibique magnam effluviorum copiam reperiri. Ego testari possum, quod in Cassiano solo mitior est, & frequentior talis concussio. Porro aer intra specus, & cavernas inclusus volatili efferoque veluti agmine occupatus, ac rarefactus, dum ejus spirulæ se se angustiis expedire nituntur, majorem hic, quam alibi renixum offendit, seriem videlicet, & solidissimam, imperviamque compagem montium, quorum alpina juga tangere cælum videntur. Unde nec mirum, si elastico, prævalidoque impetu solum eluctatus ædes quatiat, prosternat, disjiciat; nam juxta egregiam Plinii analogiam, *nil aliud fere est in terra tremor, quam in nube fulmen, & tonitru*. Et quidem fulminis primordia esse nitrum, sulphur, & ramenta terrestria, ostendit Cartesius: cava nubes, qua exhalatio sulphurea, & nitrosa includitur, instar bellici tormenti, exhalatio vero ut pyrius pulvis se gerit, quæ dum nubis claustra disrumpit, aerem circumjectum valide commovens, fragorem edit non illico interiturum, nempe tonitru, & coruscationem, seu fulgur explicat, eo quod materia primi elementi, quæ celeri, & largo confluxu nubem inferiorem pervadit, ex angusto sinu, & tortuosis anfractibus vi refluere in liberiorem aerem cogitur: explosum fulmen sive recta, sive oblique in terras ruit, impetu secum ferente lapidem pene metallicum ex accensa mistura concretum; telum nempe, quod non Cyclopum incude, sed naturæ magistero tornatum est. Pari omnino mechanice accidit & terræ tremor, & subterranea fermentatio, vi cujus terra concutitur: ignis tam in atmosphæra, quam intra terram eliditur ex violento partium motu, quem libera excitat primi elementi materia. Sic ubi fœnum pluviis humefactum, & sole non bene siccatum reponitur, sponte solet accendi, non sulphure, oleo, nitro, quo abundent plurima herbarum cadavera: aqua ansam præbet accensioni; nam ejus moleculæ tanquam patvi cunei fœni poros ita constringunt, ut expulsis globulis sola, & effrænis remaneat materia primi elementi, quæ eo usque pernicissimum motum exercet, ut demum tumultus oculis pateat, sub forma ignis. Insimulare non possum occulta ignis semina in fœno, quæ ob præsentiam aquæ interius simul confugiunt, & cumulantur, licet ad antiperistasim, seu circumobsessionem contrarii recurrat antiquitas: pulvis enim pyrius, qui ex carbonibus, nitro, ac sulphure confectus est, quamvis madefiat, accendi nequit. Non sufficit itaque si cuneus in asseris rimam indatur, ad asseris disciissionem; requiritur malleus cuneum ipsum percutiens, impellensque, ut scilicet asseris partes ex motu dividantur. Sed ut ad tem meam redeam, aer in terræ sinu coacervatus, pressusque, ac tensus quadam stagnatione concrescit; si vero igneis salibus impetitur, tunc adeo tumet, & æstuat, ut veteris loci veluti carceris impatiens quæ magis resistunt, vehementius dimovens, & non raro etiam effringens, viam vi moliatur. Dicere supersedeo, quæ redolent meteoristam, ne dissertationem de terræ motu, quam servidus, & dubiæ lanuginis adolescens exaravi, importune retexam: pagellis istis augurari poterat Censor, quæ libro suo olim cecinit Venusinus.

Turex tunc temporis Corcyram obsidione infestabant.

Differt. 7. Meteor.

Contrectatus ubi manibus sordescere Vulgi
Cœperis, aut tineas pasces taciturnus inertes,
Aut fugies Uticam, aut unctus mitteris Ilerdam.

Epist. lib. 1.

Illud autem omittendum non est, quod nos alienæ valetudinis custodes ac vindices quotidie periclitamur: tonat enim assidue terra, & quod habet præcipuum perdidit, stare. Huc venimus ut tibi Protector optime pareremus, & paruisse tibi nonne est quoddam efficax orandi genus, ut nos *in occupationis exilium missos* plenum discrimine quamprimum liberes? Ignosce quod curas doloremque animi tibi sæpe narramus; nam ipsa narratione dividimus. Omnem spem in gremio potestatis tuæ ponimus, & tua summum apud Principem potestas non aliud desiderat nisi velle. Me dilige ut te diligo. Vale. Idib. Octobr. 1716. Cassiæ.

S. Gregorius cum ad Pont. Sedem evectus fuit ita de se ipso plorans, scripsit l. 1. ep. 6.

Jo. Ma-

Jo: Maria Lancisius Antonio Cocchio suo S.

NE me putes, Cocchi suavissime, ideo tuis literis ab Idibus Octobris ad me scriptis nondum dedisse responsum, quod vel te ex memoria deposuerim, vel propter curarum vim, quibus plerunque gravor atque interpellor, causas responsioni nectere morasque injicere velim: non enim unquam quoad vixero aut amicorum, tui præsertim similium obliviscar, aut ullis occupationibus impediar, quominus succesiva saltem tempora ad rescribendum subripiam. Porro diuturna primum ad Castrum Gandulphium apud inclytum Abbatem Alexandrum Albanum rusticatio mea effecit, ut tuas nisi post secundam hebdomadam acceperim. Deinde quoniam in reditu ad Urbem inveni pluteum obrutum atque onustum sexcentis ferme qua epistolis, qua dissertationibus, quæ ab eo die, quo hinc discesseram, fuerant aggestæ, non parum certe laborandum mihi fuit, ut ocyus ab ejusmodi negotiis me dissolverem. Nunc itaque ut potui, expeditus, totum me tibi trado.

Clem. XI. Nepos meritissimus hodie S. R. E. Cardinalis.

Molestissime fero, te isthic nutante solo dies, noctesque cum timore, vitæque discrimine penitus vigiles transegisse. Quis enim hujusmodi casus, in quibus sæpe propter ædium ruinam vivi homines sepeliuntur, suisque membris contusis, ac laceris diu supervivunt, aut dissimulare possit, aut non dolere?

Sed quanquam hoc inter dira, maximaque infortunia referendum est; ubi tamen autumno abeunte firmatam isthic tellurem jam videris, quod contigisse speraverim, gratulandum tibi potius, quam indolendum arbitror, non tantum quod sospes divino favente Numine evaseris, sed potissimum quia & oculis, & animo, quæ olim de terræmotu eleganter scripsisti, lustrare secundis curis, & quidem sapientioribus, ut scite Euripides; causasque omnes, ac discrimina diligentius exquirere, rimarique poteris, quas nemo absens, nisi fallacibus conjecturis assequi valet. Ut enim cum Plinio minime dubitandum reor, quin ipso in terræmotu idem eveniat, ac inter nubium tonitrua fulmen erumpit *incluso spiritu luctante, & ad libertatem exire nitente*: ita sedulo animadvertendum investigandumque adhuc superesse censeo, quomodo in terræ cuniculis pyrius veluti pulvis cumuletur, & quare data occasione incendatur, perque certa solum loca, eaque interdum montana illico erumpat, atque prosiliat. Loquor autem hic de vero motu terræ, non de solo tremore, qui ex consensu illius telluris, quæ urgetur, truditur, ac dehiscit, fieri consuevit. Accedit vero non leve gratulationis argumentum, quod omnia, quæ nobis adversa contingunt, a christianis præceptis ad nostram vel animi, vel corporis utilitatem referenda esse doceamur, scilicet ut magis perfuncti periculis tales, hoc est probi, justique perseveremus, quales in ipsis discriminibus fumus, nosque futuros pollicemur. Cæterum curabo, atque enitar, ne de spe, quem jure in mea erga te existimatione, ac benevolentia habes, unquam depellaris. Vale. Romæ Idib. Novembris 1718.

DE IMMANI HYSTERICO AFFECTU.

CAPUT III.

Illustrissimo Domino Jo: *Mariæ Lancisio Clementis XI. Archiatro, & intimo Cubiculario Antonius Cocchius S.*

SAcra Vestalis in Cœnobio B. Ritæ annor. xx. quadrati habitus, & bilioso, ut ajunt, temperamenti Idibus Maji post insuetum quendam laborem correpta est repentina faucium angustia, crebro altoque suspirio, & cordis & arteriarum palpitatione, cui quælibet pulsus differentia conjungitur: obmutescens ac pene exanimis humi procubuit. Attigit orthopnœæ gradum difficultas spirandi: persistunt adhuc præcordiorum angor, suspirium, abolitio vocis, sicca tussis, capitis dolor & interdum vertigo: *& cor vibratur*, & vibratione cordis costæ videntur extrudi, cum reapse cor in epileptico motu sit, *& feriat pectus, eo quod supra suam basim assurgens cuspide ad costas pertingit*. Ægra circa septum transversum, quod est microcosmi horizon, se fascia muniri velle, ut satius spiritum ducere possit, frustra nititur exclamare: modo pallet, modo rubet, *corde* scilicet *astringente venas ac laxante*, quod intelligo etiam de arteriis, & addo Cappadocis verba: *Sanguis autem omnium est alimentum, omnium calor, omnium color*. Inter deglutiendum torpescit œsophagi circumpulsio, & non raro cibus medio in itinere interceptus cogitur eo redire unde discesserat. Assumpto cibo tenduntur & murmurant hypochondria & coacervantur suspiria; auctos tum nec regulares pulsus silemus. Prima hora somni somnum excutit & experrecta surgit pectore anhelo, palpitante corde, & quasi injecto laqueo suffocari se putat, ut iis solet accidere, qui pectoris hydrope laborant: artus frigidi sunt: sanguis per extremas arterias præpedita circulatione: pigra est alvi dejectio, urina parca & tenuis: catamenia jam pridem substiterant, & siquid effluat, fluor est albus: convulsis enim lacertis Malpighio nostro descriptis, qui vasorum oscula in concavum uteri fundum hiantia sphincthericum quasi rete amplectuntur & stringunt, non cruor, sed pars ejusdem serosa delabitur. Secta est vena cubiti, secta est & saphena. Quæ autem tensis crispatisque solidis blandiuntur, quæ succos hysterico-acres retundunt & diluunt, quæ tandem lunare tributum exigunt, non prætermisi. Sed nullum hactenus vel parvum levamen. Vereor ne ob spasmata diuturna, quæ intra thoracem præsertim vigent, laxentur tandem *sanguiferi tendines seu arteriosa suspensoria* quæ cordis prolapsui reniti debent. Tuam igitur, Lancisi Clarissime, opem imploramus: simulator enim hic morbus sæpe sæpius prodit in publicum vultu non suo. Reticere nolo quod Ludovicus Mercatus duorum Hispaniæ Regum Philippi Secundi & Tertii Archiater sapientissimus innuit, *quibus si adhuc addideris sexus differentiam, clarius procul dubio cernes tam esse difficile in fœminis curationem optime moliri, quam esse Medicum*.

Hipp. lib. 2. de morb. Mulieb. Bellin. de morb. Pect.

Hipp. I. de offic. nat. de caus. diut. morb. I. 2. c. 2.

Differt. ad Spon.

De Gynæciis. l. 2. c. 8.

Singulare interim gaudium, quod ex valetudine Clementissimi Principis a te iterum restituta percepimus, metum temperavit, quem crebrior atque immanior tonantis terræ concussio, & quem præcipue duplex hesterna una, mane vero altera, intulit nobis, quique justissime extorres domo nos fecit. Omnes lymphatorum ritu excurrebant, cum ædes undique titubarent, tecta obstreperent & humus discedere sub pedibus videretur. Plorantes mulieres ad preces, ad vota conversæ sunt. In plateis & agris tentoria passim ostendimus, sed quæ composuit tumultus & timor, illi similia quod Lucanus describit.

Rectorem dominumque ratis secura tenebat;
Haud procul inde domus non ullo robore fulta,
Sed sterili junco cannaque intexta palustri
Et latus inversa nudum munita phaselo.

Phars. I. 4.

Porro, ut Jeremias loquitur, *cogitavit Dominus dissipare murum* &c. *tetendit funiculum suum & non avertit manum suam a perditione*. Tum Cassia, tum Nursia ejusdem calamitatis consortes, quæ hoc nato recens sæculo ceciderunt, jam nunc in novis ædificiis alte dehiscunt: imo aliquot Oppida Nursinæ ditioni subjecta, nempe Abbatia Sancti Euritii, famosa Lithotomorum Patria vulgo *le Preci*, Tuturanum, Saccovesium, Villa Crucis, Castrum Vetus & alia, si non prostrata sunt, fere in ruinam propendent. Vale IV. Kal. Jul. ann. a Virginis Partu 1719. Cassiæ in tentorio.

Thren. c. 2 n. 8.

LANCISIUS COCCHIO SUO S.

MIror profecto, amicissime Cocchi, te inter nutantis terræ metus artubus, ut arbitror, tremulis stylum tam firmiter stringere potuisse, ut morbosam istius Sanctimonialis historiam quam diligentissime ad nos scriberes. Ego enim in urbe eodem, quo vos die, ante XII. horam ex terræmotu tanto quidem terrore perculsus fui, ut nisi Sanctissimus Princeps ex gravi morbo nondum satis reconvalescens animum meum valide retinuisset, ab Aula statim ad tentoria confugissem. Itaque cum repentina formido & tibi, & mihi communis fuerit, neutri certe dolendum erit, præsertim ubi cogitaverimus, nihil nobis, aut aliis solidi mali contigisse. Agamus itaque singulares Deo Opt. Max. gratias, & læti posthac in Domino vivamus.

Ut vero ad casum a te propositum descendam, non dubito quin duobus abhinc mensibus Sacra Vestalis propriis jam destituta catemeniis, per eum, quem narras, corporis laborem, uteri, ac proximorum ovariorum recrementa ad præcordia, atque ad cerebrum magnam partem repentino cum impetu traduxerit, locumque fecerit Hippocratis effato in lib. de Virg. morbis. *Sanguis non habens effluxum præ multitudine resilit ad cor, & ad septum transversum*, addimus nos, ad cerebrum: *cum igitur hæc repleta fuerint, cor fatuum fit, deinde ex fatuitate torpedo*; & quæ sequuntur. Omnia symptomata, quibus angitur isthæc Virgo, suboriuntur partim ex acri sanguine per ipsa præcordia circumvecto, ac musculares vasorum membranas, diaphragma, cor, & pulmones pungente, & sodicante, partim ex stygiis pene ichoribus, qui cum liquido animali fluunt per nervos splanchnicos, illosque præsertim, qui ex gangliis a me nuper detectis ad interiora pectoris divaricantur. Nota hic obiter, ganglia esse olivares plexus in truncis nervorum, ut nodi in arundine, seu quædam esse veluti cerebella extra cranium locata, ipso tamen cerebro robustiora, pia, crassaque meninge involuta ad musculos, qui libero motui magis resistunt, superandos constructa: en ratio, cur nervi, qui ad motus organa feruntur, partim cum, partim sine gangliis occurrant. Stygii pene ichores liquido animali permisti non possunt non villos nerveos, retiaque villosa irritare, & in convulsionem adducere: quamobrem immanis hysterica affectio nascitur, & perennat; neque porro spes est, fore, ut remittat, & cedat, nisi tollatur causa, & ad causæ principium, nempe ad uteri vias tum convulsas laxandas, tum obstructas aperiendas perveniatur. Quoniam vero effecta plerunque ante ipsam causam in morbis saltem moderanda sunt; idcirco, cum certissimum sit, viscera omnia tam thoracis, quam abdominis convulsionibus tentari, summamque acredinem fluidis omnibus esse communicatam, omnium primum a laxantibus, ac retundentibus curatio inchoanda erit, ut tuto postmodum ad deobstruentia, atque ad emmenagoga recurratur.

Differt. apud Morgagnum in Adversarius Anatomicis.

Quod autem attinet ad emollientia, nihil est opportunius oleo amygdalarum dulcium recens ex decorticatis amygdalis sine igne expresso, quod ad uncias duas, addita uncia una olei pariter recens ex melonum seminibus extracti, exhibetur in jure antelucanis horis per XV. vel XX. dies: propinaturque ante cœnam drachma una optimi spermatis ceti; atque interim singulis vespertinis horis injiciendam putarem per alvum decoctionem omenti vervecini in jure paratam ad uncias tantummodo VIII. vel X. ut nimirum contractum tam colon, quam uterus molliatur. Abstineat interea temporis ægra a vino, & abstemia saltem in annum persistet, caveatque ab omnibus acidis, acribus, frixis, caseo, leguminibus, omnique sapido alimento; sumat jura subtilia ex hœdinis, vitulinis, aut vervecinis adenis deprompta, saltem ad libras duas, hoc est post duas horas ab hausto oleo amygdalino: oleum siquidem, ac jura contractas partes emolliunt simul, & exoticos sales cicurat. Post hæc locus erit infusioni drachmarum VI. cortic. myrobalanorum paratæ in libra una seri caprilli, vel juris subtilis: mire enim valet infusum hoc ad extrahendas tincturas salium acrium austerorum, seu convulsiones inducentium.

Ab hac deinceps leni purgatione tutissimo aliquot anthysterica præsidia adhiberi poterunt, inter quæ præstare semper mihi visa est, præter chinam chin. & bezoarticum joviale, sequens mistura.

℞. *Aq. tot. Citr.*
Melisf.
Nuc. virid.
Ceras. nigr.
Et Theriacal. ana unc. I.

In his ignita camphora sæpius extinguatur; additur vero vigoris gratia parum aquæ hystericæ Quercetani, & nonnihil laudani liquidi: exhibenda est cochleatim bis aut ter in die, sed præcipue cum profocativus paroxysmus recurrit.

Cæterum ad mensium reditum promovendum affabre conducunt jura ex radicibus temperatis parumque amaricantibus cum nodulo chalybis, nec non hemicupium aquæ dulcis, in qua radices altheæ, folia malvæ, violar., & parum artemisiæ floresque sambuci, incocta fuerint. Quod si vero aut convulsiones minime cedant, aut catamenia adhuc subsistant, vesicantia femoribus admovenda & pediluvia, frictiones & cucurbitulæ sæpius infernis partibus adhibenda erunt. Tu interim, mi Antoni, memineris moniti Hippocratici in mulierum nempe curationibus *Numen semper esse implorandum*, & cum eædem fuerint virgines aut viduæ procurandum, ut se Sanctorum meritis voveant: ita enim per summam confidentiam earum cor cum arteriosis tendinibus undique laxatur; quo fit, ut interdum etiam citra miraculum, Deo adjuvante, ocyssime convalescant. Vale.

Romæ 3. Nonas Jul. 1719.

DE SEPULTO INTRA PECTUS ANEURYSMATE.

CAPUT IV.

Illuſtriſſimo ac Sapientiſſimo Viro Jo. Mariæ Lanciſio Clementis XI. Archiatro intimo Cubiculario Antonius Cocchius S.

CAſſianus juvenis ad quintum ætatis luſtrum pertingens ſalino ſulphureæ conſtitutionis minuta & ſicca ſcabie inſeſtabatur, quæ cum morderet acerrime & ungui operoſo importune imperaret, urticam hanc pertæſus æger adipato malagmate intra corporis pomœria repellere non dubitavit: menſe Auguſti anno 1717. in febrem incidit lentam ſterili cum Tuſſi, dyſpnœa & macie; porro ea quæ comedebat, invito ventriculo ingerebantur, & non longe a paſtu creſcere febrilis motus ſine ullo artuum frigore deprehenſus eſt: pulſus celeres, duros, & contra quam fieri ſolent, magnos exploravimus, & veluti miniatis in ipſo vultus pallore genis manuum pedumque volæ æſtuabant: exul erat inſtaurator ſomnus, ipſum namque obrepentem tuſſis ut hoſtis ad excubia poſita undulatorio ttemore nerveas cerebri fibras concutiens depellebat: in urina licet naturalis color exhiberetur, rotunda tamen ſeu oleoſa corpuſcula natare, & divulſam hypoſtaſim ſubſidere non ſemel aſpexi. Neſcio quæ dejectoria & poſtea non Haly Abbatis pulverem, ſed ſpecies aromaticoroſatas natu majot collega præceperat; quinto Idus Septembris ad trutinam revocatæ ſunt curativæ indicationes. Prima, convulſivum & ſtrepens ſymptoma, quod tuſſis eſt, ac faucium ariditatem compeſcendi; & ideo eclegmata e recenti oleo amygdalarum dulcium ſyrupo violaceo & paregorica Sydenhamii tincta lambebat æger, & amico gelu de cornu cervi identidem ſe recreabat (venæ autem in cubiti flexura inciſio convulſis intra thoracem canalibus diametrum celerius reddere potuiſſet, imo & pulmonici infartus adminiſtram tuſſim levare teſte Junghenio,) Altera, tuendi & ſanguinis ligamina & pulmonum quoque compagem, ne in tenero & ampulloſo parenchymate eadem ulcuſcula ſuborirentut, quæ ſal acre pſoricum modico ſero dilutum in extima ſuperficie tubulorum cutaneorum fines excedens inſculpſetat, & ideo bolos iſtos deglutiit.

℞. *Sperm. Cet. non rancid.*
Antihect. Poter. a ſcrup. ſſ.
Cortic. Peruv. ver. & in ſubtil. pulv. redact. ſcrup. 2.
Balſ. ſulph. aniſat. gutt. 3.
Syr. hed. terreſt. q. ſ.
Coge in bolos tres & inaura.

Tertia demum, rectificandi renutriendique; & ideo jus Septali viperina carne animatum adhibuit, ut nempe ſalino acres particulæ ſale volatili pingui & balſamico ad petipheriam teducerentur vel tranſpirarent, ut effœta liquida exaltarentur, ac in ſolidis elaſtica virtus reſurgeret; pulmenta ex farre præſertim & rapis Curii quondam cupediis uſutpat, in potum vero aquam cum redolentium malorum fruſtulis & ſcandalo citrino decoctam ſubſtituit. Hac ſane methodo ſtrigoſus homo & jam *lentis colorem referens* convaluiſſe propemodum videbatur.

Hipp. 3. Epid. ſect. 3. II. Sinat, vir ampliſſime, conniventia tua me breve ſcholium de morboſa epigeneſi ejuſque ſymptomatibus adjicere. Hectica fermentatio ſuccenſa eſt ob interceptionem in ſanguine rabidi ſalis, quod novas ſibi vias aperiebat; ſanguinis ipſius contextus lento ulcere diſſolvi & alcalino acre fermentum in pulmones devolvi cœpit: diſtentis ac turgidis pulmonum veſiculis & adenoſa ttacheæ tunica ſuctionis ritu compreſſa irritatis naturæ ſerum exprimi conſueverat; hinc tuſſis: cylindrus aeris cartilagineam ſeu dialecticam tubam ingreſſus cum minus ſpatii & non parum renixus in pulmonibus offenderet, ſanguinem per venam pulmonicam refluum ſatis premere non poterat, nec promovere, ut ad ſiniſtrum cordis alveum perveniret: hinc difficilis reſpiratio, ſeu dyſpnœa, imo & aſthma: anorexis aderat tum ob atonas ventriculi rugas, tum quia gaſtricus ſuccus non acido-volatilis, ſed acer, & iners e vitiato ſanguine manabat: ſitis, nam aſperæ cum ſaliva particulæ tale quiddam nerveis œſophagi, ac faucium villis inurere aptæ ſecernebantur: auctus non longe a paſtu febrilis motus, ſubtenſus, & crebrior pulſus, *malarum rubor hilaris*, extremorumque æſtuatio forſan acciderant, quia novus chylus adhuc rudis in ſubclavia ſiniſtra vena turbæ ſalium ſundentium occurrens pet denſiores ſuas moleculas aliquandiu renitebatur; fuſus tandem, nec ſanguini aſſimilatus in aeris, & urinæ fiſtularum affatim ruebat; ſubdit Bellinus ſimilitudinem: *Quemadmodum autem candentia ferramenta demerſa frigidis aquis eaſdem in fervorem concitant, vel aqua eadem frigida inſperſa prunis ardentibus fervorem pariter concipit: ſic chylus ab aſſumpto cibo genitus ſtatim ac in fervidum ſanguinem derivabitur, quaquaverſum agetur per minimas ſuas particulas* &c. hinc motus organa, quæ muſculos dicimus, butyroſo nectare defraudata ſunt, & aruerunt. Scabies, impetigo, & aliæ hujuſmodi cruſtaceæ affectiones *ſunt* (ait Hippocrates) *turpitudo magis, quam morbi*, imo nos a morbis majoribus vindicant; ſi vero empirice repellantur, mutato ſitu, mutant & nomen, & morbi nomen acquirunt: id quod male cautus Athenienſis ptopria calamitate confitmat' *tranſgreſſus autem ad Melum, ubi ſunt calidæ balneæ, a pruritu quidem, & cutis craſſitudine liberatus eſt, verum hydropicus factus occubuit*. Ad hiſtoriam, quam reliquimus, revertamur.

Aretæi verbac. pe pleur. Lib. de affection. V. Epid.

III. Dum febrilis ignis, qui ſimul ignave & atrociter extinguere vitam ſolet, extinctus eſſe putaretur, ſiniſtrum latus micare non deſinit (cum Cicerone dicam) *quaſi quodam igneo motu*, & pulſus adeo eſt violentus, ut coſtas, & ſternum, admotamque manum arietet: ad externas uſque carotides pulſus jactationes conſpicuæ fiunt: cubare in faciem, mox deinde ſupinus poteſt æger, cum tamen cibum aſſumpſit, aut petit acclivia, & pulſus intenditur, & reſpiratio. Facile eſt, conjectare aneuryſma prope aortæ arcum, aut extra recurrentium nervorum munimen. Sciſcitanti mihi de aneuryſmatis principio, & occaſione retulit, jam ſe ante ſcabiem hoc affectu laborare, vino non parum indulſiſſe, & in ludrica luctationum arena ſæpe ſæpius decertaſſe: & ſane tam vini potus, quam gymnaſtica exercitatio interni canalis diloricationem inducere valuerunt. Suavem vitis humorem & ſolidum alimentum, & timoris pharmacum vulgus appellat, ſed Plato noſtet ad id poſ-

2. de nat. Deor.

tiſſimum conferre judicat, ut fœcundo calice naturæ, & habitus animorum in conviviis detegantur: *quippe cum* (Marſilius Ficinus in dialogum ſecundum de legibus, vel de legum latione) *ſacras Palladis arces, quæ ante omnia colendæ ſunt, impudentiſſime pulſet*. Sed liberiori uſu meri ſanguis in tartareo-ſulphuream diatheſim vertitur, qui dum per canales pelliceo-conicos it, reditque, ſi unus, aut alter languidæ texturæ fuerit, illum partim orgaſmo, partim vi eroſiva labefactat, fere ut muros diſcutiunt *ſterilis mala robora ficus*: & Dolæus inter potatorum flagella hydropem quoque, ſeri videlicet ex tubulorum ſciſſura colluviem nunquam ſiccandam numeravit. Si vero luctam examinemus, conſtituentia nos ſtamina mille modis agitat, flectit, contorquet; audire fas eſt Hippocratem: *Fiunt etiam convulſiones ex laboribus, ex caſibus, ex plaga, & ſiquis onus majus tollat, & ex curſibus, & lucta, & omnibus id genus*: tanta enim, Dii immortales (ſit modo loquendi venia) ad ſupplantandum adverſarium exigitur in muſculis tenſio, & criſpatura, & quanta inde vaſis diſtractio, & liquidis ſtrangulatio contingit: bella ſunt iſta *nullos habitura triumphos*. Poſt repulſam ſcabiem erodentes ſales cteverunt in ſanguine, & ſanguifer truncus præaffectus ulteriorem ab iis labem contraxit.

Juven. ſat. 2. 1. de morb. Phar. ſal. l. 2.

IV. Aneuryſmatis implicatio coegit, experientiſſime Lanciſi, ad te recurrere. Tu enim aureum *de Corde*, & *Aneuryſmatibus* tractatum præfatione in Metallothecam Vaticanam (ideſt a Michele Mercato Gregorii XIII. & Clementis VIII. familiari, & Medico deſcriptam) innuiſti, & jam ſecundis curis aggrederis. Nova, & ſolida ex diuturna cadaverum ſectione comparata doctrina prodibit in lucem, quæ temporis tui, tuæque experientiæ filia, ſummum jus erit in Medicina: laudabit & hanc olim ventura poſteritas, & medicæ rei glotiam, quam per tot egregios labores quæſiſti, non fortunæ, non aulicæ dexteritati, ſed tuis meritis ſine odio, & gratia fatebitut adſcribendam.

V. Kal. Auguſti 1719. Caſſiæ.

Eruditiſſimo, Clariſſimoque Viro

ANTONIO COCCHIO

Lanciſius S. P.

QUanquam per hos dies nimio urgente æſtu, qui nullo eteſiarum flatu temperatur, omnis fere ad philoſophandum mihi facultas erepta eſt, atque a ſcribendo plane deterreor; nihilominus accepta abs te, Eruditiſſime Cocchi, accuratiſſima narratione ſymptomatum, quibus Caſſianus juvenis poſt depulſam aſthmaticam, hecticamque affectionem ex cohibita olim ſcabie ſubortam nunc divexatur, veluti admotis calcaribus excitor, atque ad reſpondendum commoveor. Ut autem paucis multa conplectar, non dubito, quin acris humor, qui in cute primum, deinde in thorace miliarem, quaſi dixerim, labem induxerat, ac tuis quidem auxiliis utcunque cicuratus, a glandulari ſolum trachearum membrana ſenſim ſine ſenſu diſcuſſus, ac diſſipatus fuerat, adhuc non levi ex patte internam tendineam, adipoſamque tunicam ipſius aortæ, atque adeo ejuſdemmet cordis eadem miliari prurigine efficiat. Neque veto exiſtimes conjectura duntaxat me ad hoc aſſerendum perduci; nam plures habui hoc mali genere laborantes, qui ſubſiſtente paulatim intra cordis ſubſtantiam ſanguine, auctaque inde hujus viſceris mole, in ejuſdem prolapſum inciderunt, tandemque qua diſtractis, qua compreſſis, eroſis ac diſruptis ſanguiferis, lymphaticiſque in pectore vaſis deceſſerunt, in quorum mox cadaveribus comperi non ſolum cor ad bovilli magnitudinem auctum, ac ſuper diaphragma decumbens, ſed arteriam quoque magnam forfice per longum apertam cum minuta, eaque manifeſta interioris tunicæ ſcabie (quod non ſine admiratione Viris, qui mecum aderant, & quibus id mali genus prædixeram) oſtendi. De cætero tecum ſentio, Vir Clariſſime, præcipuam ſuperſtitis hujus ægrotationis cauſam a luctatione repetendam, in qua ptæterquam quod fere omnes thoracis, atque abdominis muſculi maxime intenduntur, eaque ratione anhelitum valide, diuque cohibent, ſanguiniſque circuitum pet cotdis vaſa violenter intercipiunt; fortaſſe accidit, ut juvenis iſte non magis in arena, quam in œnopolio egregius athleta repente improviduſque, quod ſæpe contingit, ab adverſario in terram dejectus fuerit, lævumque dorſi latus vehementer contudetit, ac proptetea artetia magna, imo & cot ipſum alicubi diſtractum, laxatumque ſit. Quo ſane factum eſſet, ut fibræ, ac vaſcula ex fibris pariter, villiſque contexta relicta fuerint adeo imbecillia, ut præterlabenti poſtea ſanguini, ejuſque potiſſimum craſſeſcentibus ichoribus moram facillime injecerint, locumque dederint celebti Hippocratis effato: *Si qua pars ante morbum laboraverit, in ea firmatur morbus*.

Lib. de humorib.

Verum enim vero, quo luculentius ejuſmodi ægrotationis cauſam ex paleſta retexiſſe videmur, eo certe minori cum boni exitus fiducia novam curationem poterimus inſtituere. Etenim in morbis, in quibus ſtructutæ vitium latet, nullum, vel ſi ab Æſculapio arceſſatur, pharmacum ſolet opitulari. Sed ne citra medelam relinquamus ægrotum, operæ ptetium arbitror, novas indicationes ex ipſius mali viſceribus elicete: ſcilicet primo ſales, ut tu optime conjicis, tartareo ſulphureos in univerſa liquidorum mala redundantes abluendi, temperandique. II. irritatam, convulſamque fibroſam cordis & aortæ texturam molliendi, lævigandique. III. impactos, interceptoſque in præcordiorum cuniculis viſcidos humores ſolvendi, abſtergendi, diſſipandique. IV. denium laxas alicubi, ac pene diloricatas eaſdem partes firmandi, interdictis iis omnibus, quæ tum fluidam, tum ſolidam cauſam augere, deterioremque facere poſſunt. Tametſi veto longe facilius eſt in caſu noſtro ſcopos curationis meditari, quam explere; adhuc tamen ea tentanda ſunt, quæ ratione, atque experientia duce in conſimilibus affectionibus ad producendam ſalrem vitam comperta ſunt profuiſſe. Quod itaque ſpectat ad diluendos ſales per univerſum corpus exuberantes, opportuniſſimus eſſet decurſu ferventis adeo æſtatis tum internus, tum externus uſus aquæ Nucerianæ: valet enim mirum in modum ad liquidorum acredinem diluendam, ſimul etiam ad nativum extorum tonum a ſulphureis, ſaliniſque particulis labefactatum firmandum, roborandumque. Ad eundem quoque finem conſpirat *ſerum, & lac aſininum vitreis organis in B. M. deſtillatum cum ſuccis recentibus plantaginis, urticæ, hederæ terreſtris, & pomorum redolentium, additis cancris fluviati-*

viatilibus contusis. Ad molliendas deinde convulsas cordis, aortæque fibras nihil est aptius oleo amygdalarum dulcium, & seminum melonum sine igne recens expresso, quod cochleatim ante prandium, ac cœnam, cumque etiam jure matutino exhiberi potest. Ad id pariter summopere confert sperma ceti non rancidum propinatum cum conserva violarum.

Ut vero solvantur impactæ salinæ phlegmatis massulæ, quibus miliaria veluti tubercula in arteriarum tunicis elevantur, equidem præsentissimum remedium comperi in temperatis anni constitutionibus sublimatum dulce leni administum dejectorio, cujusmodi esset.

℞. *Sublimat. dulc. gr.* VI.
Resin. Julap. gr. VII.
Ocul. Cancror. præp. g. XII.
Electuar. lenitiv. Sesquidrach.
M. & mistura oleo amygdalarum

in mortario vitreo malaxetur. Quod utique medicamentum semel, aut bis in mense repetendum videretur: hoc enim pharmacum non modo fluidorum vitia corrigit, sed eorundem crassitiem hic illic vasculorum fines obsidentem, obstruentemque sic incidit, attenuatque, ut ad refluendum reddat idoneam; ne quid dicamus de vi, quæ hydrargyro inest, vulnusculorum abstersiva, ac fere epulotica, quippe neminem latente.

Denique quassatam in minimis, ac forte diloricatam alicubi per luctationum nisus, casusque præcordiorum texturam pro virili parte restituunt balsamica, & vulneraria; hujusmodi præ cæteris sunt (noviſſimo tamen curationis loco ponenda) extractum florum hyperici, & sambuci cum tantillo balsami Copaivæ.

Cels. 6.9. Sed omni longe melior in hoc morbi genere medicina paratur ex congrua, semperque parca victus ratione: cum enim vasa per diætam servantur depleta, invicem non premuntur, neque oppilationes contrahunt. *Vinum ex toto circuncidendum est*; nam merum non tantum vasorum fibras corrugat, & coarctat, sed copiam quoque salinarum, sulphurearum particularum intra corpus infundit, quibus fieri non potest, quin malum ex utraque causa ortum augeatur: vino autem sufficerem infusionem nunc foliorum melissæ, nunc decoctionem pomorum redolentium. Caveat propterea a violentis corporis, animique motibus, a quibus sui morbi duxit initia. Etenim athletæ generosam quandam in contentione ipsa vim exercent, & tanguntur gloria, cum publice decertant. Vale.

Romæ VIII. Idus Augusti MDCCXIX.

Corpus humanum definiri posset *Epistola* (nempe ab Apostolo mutuatis verbis) *scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi:* ad Corinth. 2. cap. 3.

Nemo novit horologii impedimenta, nisi qui rotas, fusos distinguere, & quomodo ab elatere, seu primo mobili motus coneitentur, optime sciat. Adeo oportet, eum, qui medicinam facere vult, subjectum suum, seu corporis humani texturam rite rimari. Steph. Blancardus Anat. reformat. c. 1.

DE VENÆ CAVÆ DILATATIONE. CAPUT V.

Clarissimo, Doctissimoque Viro Jo. Baptistæ Morgagnio in Patavino Lycæo primario Anatomes Professori & Præsidi
Antonius Cocchius S. P.

QUum universus terrarum orbis tuo jam nomine plenus sit, & famam ipsam superent virtutes tuæ, me quædam tetigit ambitio, ut ad te scriberem Vir Clarissime: tu enim in perscrutandis arcanis humani corporis, quod est immortalis animi hospitium, omnes curas implevisti. Adversaria anatomica tua communi edita plausu, quantum tibi sit ingenium, quanta doctrinæ profunditas, satis ostendunt: hæc mihi probaverat utique nostrum dum viveret amicissimus Lancisius, cujus nomen alte posterorum animis insidens & fama rerum immortalitati traditum arentibus oculis commemorare non possum. Illud etiam accedit, quod si tu mecum epistolare commercium iniveris, non solum dolorem, qui vivit adhuc, retundes, & recrudescens itidem vulnus suavissimis verbis tuis lenies, sed etiam quidquid commodi ex familiari illius consuetudine in me ipsum derivabam, abunde satis præstabis: is eris, a quo artis oracula petere non verebor, & mihi Lancisius in te reviviscet; nam, ut de se ipso inquit Cicero, *reperire ex magna turba neminem possumus, quo cum aut jocari libere aut suspirare familiariter possimus*: quare ad te recurrimus, te solum expetimus, te imploramus, ut persona licet absens, consilio tamen præsens me consoleris & recrees. Venæ cavæ dilatatio, quam nuper mihi contigit observare, meam ad te scribendi ambitionem lacessivit.

II. Venæ cavæ dilatationem exposita uriliqua ex anatome deprompta, quæ nempe ad machinam hanc nostram statico-pneumatico-hydraulicam spectant, te humaniter indulgente præmittimus. Unam venæ tunicam & arteriæ duas tendineas veteres nostri crediderunt. *Arteria dicitur vena pulsatilis, ab Avicenna vocatur vena audax*; quinque tunicis constat: prima exterior retis instar intexitur innumeris sanguineis vasculis nerveis fibris implicitis; unde vasculosa nuncupatur: secunda Ruyschio inventa dicitur cellulosa, cum sit cellularum congeries adiposamque membranam imitetur; pinguem succum ex arteriolis secretum hæ cellulæ asservant, quo arteriarum tunicæ perlinuntur, ut motui fiant aptiores: tertia, teste Willisio, minimis glandulis albicantibus compingitur, quæ laticem separant ad arteriarum fibras emolliendas, ne motu exaresçant: quarta muscularis est, siquidem fibras carneas induit, quarum tensione vel remissione constringuntur vel laxantur arteriæ: quinta & ultima interior tunica musculari subjecta nervosa vocatur, utpote quæ nerveis fibris contexitur. Vena iisdem tunicis constat atque arteria, sed longe tennioribus ac infirmioribus: præterquam quod inter carneum ordinem, qui extimam venæ tunicam constituit, & ordinem annularem vasculosa tunica cellulosaque interponuntur. Qualiscunque sit arteriæ & venæ fabrica, contractiles sane potentiæ videntur esse fibræ annulares seu annuli carnosi pace Clarissimi Bellini, qui dicit *exemplo glomeris contineri quidquid est spirarum in arteriis, quidquid in venis, quidquid in œsophago & intestinis*; tu vero Morgagne doctissime, omisso tunicarum numero, id contra celeberrimum Regis Prussiæ Archiatrum affirmas, *denique in arteriis nullas alias carneas fibras nisi annulares observo*. Conus arteriæ a corde oriens ex lato in acutum desinit; venæ conus ex acuto incipit, & in basim semper majorem expanditur usque ad cor, in cujus dextro ventriculo maximus diameter, & finis venarum est. Venæ, ut detexit Realdus Columbus, valvulis instructæ sunt, secus arteriæ; diversa canalium structura in se continet providentis Dei mysteria, *qui divisit mare rubrum in divisiones*; nam liquidum ex lato in angustum currens duos subit motus, directum a corde, & reflexum ab angustis tubi lateribus, ita ut angustia loci motus celeritate compensetur & pulsu; ex angusto cono in latam basim progrediens directi motus multum amittit, motuque caret reflexo, & ob mechanicem inversi coni, & quia longe distat ab embolo pulsante, tarde ac tacite movetur; ideo cicatricula, obducti vulneris vestigium, citissime in vena firmatur; quæ tamen impetus inæqualitas sive reflexus placiditas necessaria est, ut nutritiones, cribrationes aliaque animati corporis munera peragantur: sed ne sanguis ad majora vasa promotus retrocederet, aut subsequentem suo pondere moraretur, Æternus Artifex venas, interjectis valvulis, quæ sanguinis ascendentis cylindrum sustinerent, præmunivit: id, quo non opus erat arteriis: in ipsa cava, cum scilicet dextrum cordis ventriculum ingreditur, tres valvulæ tendinosis columnis adhærentes, quas tricuspides vocant, erectæ sunt ut sanguinis impetum frangerent, & reversuras undas aggeris instar reprimerent. Venæ arteriis duplo numerosiores sunt, quia lymphas & alios succos e visceribus reducere in cor debent, atque eandem ob causam sunt ampliores. Num arteriæ singulæ singulis cum venis in mutuum occursum uniantur, tanquam unum ubique continuum, etsi venæ non saliunt, adhuc sub judice lis est: assertiva opinio, forsan ut accuratior suboluit Celso: *Juncta enim est* (ait consularis Vir) *vena arteriis, his nervi*; & Bellinus, *continuæ enim inter se sunt venæ, & arteriæ: & si non sunt continuæ, ipsarum sane oscula semper patent*. Insignis vena est porta, quæ sanguinem a circulatione per plura viscera abdominis refluum absorbet, & in jecur officinam bilis arteriæ ritu conducit, ut a ramulis suis, qui ad cavæ ramulos hiant, amarum illud, & balsamicum duodeni fermentum per glandulas hepaticas separetur: crassiusculis tunicis donata est, seu media indole arterias inter & venas. Vena pariter insignis est azyga, idest sine pari, quæ dextro duntaxat in latere (loquor de homine) solet inveniri, forsan ob spatii libertatem, cum ibi neque arteriam magnam, neque Pecqueti ductum natura locaverit: hæc est velut diverticulum cavæ, de hac princeps Anatomicorum Eustachius opusculum nobis reliquit, & de hac dudum ad te scripsit Lancisius nonnulla phænomena, & præsertim pleuritica exponens. Venarum maxima ea est, quam Praxagoras nobilis Medicus *cavam* appellavit, ut Ruffus Ephesius refert: dividitur in truncum descendentem, qui a capite, aliisque partibus superioribus, & ascendentem, qui ab inferioribus initium capit; amboque in dexterum cordis sinum terminantur. Videmus igitur, quod non lapidei, non ænei sunt canales nostri, sed tunicis, qui distrahi, crispari, exedi, ac rumpi solent contexuntur. Felix, qui liquidi crasim, ac solidi robur constanti morum remperie tuetur, & in rebus non naturalibus *aurcam*, ut Flaccus cecinit, *quisquis mediocritatem diligit*, nempe Hippocratici præcepti tenax, *labor, cibus, somnus, venus, omnia mediocria*. Id autem, quod dicitur aneurysma, seu pulsans tumor in arteria, est hydatis in vase lymphatico, & varix, seu dilatatio in vena, cum aut valvulæ rumpuntur, aut tunicæ diloricantur: quacunque enim vi scindatur durior arteriæ tunica, sanguis percussionis momento in mollem impingens eam magis, magisque dilatat, & velut in sacco coacervatus tumorem extollit, in quo manifesta, imo sæpe permolesta pulsatio persentitur: si vero tumor rumperetur, æger per immensam hæmorrhagiam properaret ad mortem. Non secus de altero fistularum genere seu de cava, cum dilatata est, licet asserere, quamvis systolesque ac diastoles reciprocatione non perstrepat tumor.

III. Dilatatio cavæ morbus est, qui vulgo facile imponit, occurrunt enim symptomata hydropis, hydropem pectoris primo, mox asciten, & denique anasarcam æmulatur: est tamen cavæ dilatatio, quæ si palpitent jugulares venæ, jam in dextræ cordis auriculæ aneurysma transivit, ut monebat Lancisius priusquam decederet, nimium æqua morte interceptus: nomen ab aqueo humore tamquam a materia, sive a symptomate mutuatur, sed citra febrem. Solent contra hydropici febre lenta detineri, ut testatur divus Hippocrates: *Si hydrops in pulmone fiat, febris & tussis tenet, & acervatim respirat, & pedes tument, & ungues contrahuntur omnes, & patitur talia qualia is suppuratus fit*; ut testatur quoque Arabum maximus Avicenna, qui de hydropicis in genere inquit, *& accidunt eis plurimum febres tepidæ*: diathesis enim mucido viscida, & fere *aquosus languor* est cachexia, seu juxta Hippocratis definitionem *pituitæ albæ occupatio*, nempe mollis, pallidus, & eminenter phlegmaticus corporis habitus, nec ex uno vitio, nec ex uno vitiato viscere prodiens, at omnium in deterius conversio, hoc est strictum in liquidis & laxum in solidis; *quoniam itaque*, explicat Bellinus, *hæret ad arteriolas quicquid est siccius, compactius seu robustius in sanguine, abundat copia aqueorum humorum, qui ab eodem sicco subsistente exprimuntur & per corpus distribuuntur; nihil igitur alimenti ducetur ad partes, quod sit naturali simile & alendo aptum, sed quicquid ad partes ducitur, erit aquosum quid plane diffluens, & tantum non diffluere partes faciens; male igitur aletur, seu cachexia continget cum suis conjunctis omnibus: hinc fiet, ut partes ad maximam imbecillitatem redigantur & fluere quaquaversum permittant humores aqueos, qui in cavitatibus majoribus vel inter cutem colligentur, & fiet hydrops*. Cum lympham inter & sanguinem eversus est cohæsionis ordo, uterque humor tali motu agitatur, qualis est febris lenta: jugiter enim sed mitius provocat cor ad movendum se, pellendumque inordinate liquida; serum interea lixivioso corrosivum redundans vasa distendit, scinditque, novas sibi vias aperit, & hydropem machinatur. Potest autem canalium truncos extendere ac dilatare plethorica moles seu mera sanguinis plenitudo & orgasmus, ut innuit Stahl: *Cum enim hæc* (abundantia sanguinis) *non solum liberrimum sanguinis progressum spatii proportionati intuitu varie alterare possit, sed etiam ipsi energiæ motus certissime plus negotii faceſſat cum pondere ipso, tum mole etiam ad capacitatem spatii comparata*: concludat disertissimus Celsus; *ergo si plenior aliquis & speciosior & coloratior factus est, suspecta habere bona sua debet, quæ quia neque in eodem habitu subsistere, neque ultra progredi possunt, fere retro quasi ruina quadam revolvuntur*: scio multis olim fluminibus impo-

impositos pontes, & a magnis Imperatoribus aquarum calcatam esse superbiam: sed hi omnes statim in opere, aut brevi ab opere corruerunt; purpureum flumen, seu potius mare rubrum, quod intra nos circumvehitur, ubi arteriæ aut venæ parietes dilatavit, sicut alvei ita & fræni cujusvis evadit impatiens sanguinis missio, sanguinis momentum, impetum, stimulum demit, & a strangulatu canales redimit; nempe auxilium, quod parca victus ratione mendicatur præsentaneum missione sanguinis obtinetur; detracto enim sanguine, vasorum tunicæ concidunt, sublato, pondere cessante pressione musculares fibræ expeditius contrahuntur: aer in missi sanguinis locum succedit, & vi elastica sanguinis motum accelerat, & quicquid intra canales residet atque hæret, torrente suo secum rapit; sic in pleuritide materia, quæ pleuram & pulmonem occupat, inflammatoriæ febris seu acutæ fusionis quoddam veluti præcipitatum & brevis totiusque per venæ medicum vulnus, quam per asperam arteriam, solo tussis molimine, educitur, idcirco missi sanguinis superficies tanquam in gelu concreta, & profundum utpote villis solutum & liberum nigricans, & solito fluidius deprehenditur. Venæ cavæ dilatatio Arætei verbis adumbratur: *nam tota una est, atque continua; a nonnullis autem Medicis ea pars duntaxat, quæ secundum dorsum discurrit, ægrotare creditur; quoniam ejus, quæ cor intrat, notæ obscuræ sunt: intra pectus enim rei nulli adhærens, sed in pectore sublevata protenditur, donec transversum septum egressa cordi inseritur: igitur siquod ingens malum hanc venam corripiat, pectore ambiente delitescit*; nec alienum videtur esse, quod ait Van Helmont: *Itaque imperium, & actio regiminis renum se extendit nedum in renes, ureteres, & vasa urinaria, verum insuper in cavitatem ventris inter peritonæum, & musculos abdominis, itemque in venæ cavæ divaricationes se inferiores usque & in pedes ac tibias*. Sed referata per cultrum cadavera in ipso mortis silentio sepultam ægritudinem docuerunt. Caveant qui *crassos dies, lucemque paludrem* degunt, qui abdomini suo nati esse videntur & voluptatibus, quique athletico & castrensi victu secundam valetudinem evertere contendunt: caveant, inquam, ne vitia cumulentur in sanguine, ne *conteratur hydria super fontem, & confringatur rota super cisternam &c.* utor allegoricis Ecclesiastæ verbis; nam *hydria* sagacissimo interpreti Joanni Smith accipitur pro cava, idest venarum trunco maximo, *fons* pro dextero, & *cisterna* pro sinistro cordis alveo; *rota* vero aperte indicat sanguinis circulationem, cujus principale instrumentum est arteria magna cum suis fistulis. Huc recidit quod improbat Seneca; *Cum fatigaverunt se vino & libidinibus, cum illos mox inter vina defecit, vum voluptates angusto corpori ultra quam capiebat ingestæ suppurare cœperunt, tunc exclamant miseri Virgilianum illum versum*;

Namque ut supremam falsa inter gaudia noctem
Egerimus . . .

Huc etiam recidit quod narrat Tacitus: *Vitellius ventre & gula sibi ipsi hostis, Otho luxu, sævitia, audacia Reipublicæ exitiosior ducebatur*: si enim crapulæ antidotus, insensibilis transpiratio, quæ scilicet onustum corpus ad æquilibrium redigit, integra non sit, tumet sanguis, & insolenter assurgit diametro major seu capacitate canalium: immo si acidum, acre, ponticum dominetur in liquidis vel propter hæmorrhoidum ac inusti emissarii siccationem, vel tandem propter vehemens animi pathema, (quod est veluti cogitationis epilepsia, *rostroque immanis vultur aduncо immortale jecur tundens*) humoralis massa incipit sibi esse impedimento, quin libere feratur per præcordia, partim scilicet irritando fibras, partis replendo vasa: quare ubi minor renixus occurrit; fiunt distensiones, scissuræ, varicositates tum in rubris, quæ sanguinem, tum in albis venis, quæ lympham reducunt; id quod cavæ potius inferiori & auriculæ ventriculoque dextris quam sinistris solet accidere: cum enim sanguis enervatus suoque volatili exutus refluat & redundet somni tempore, incidit primo in parietes dexterarum capacitatum, quæ utpote minoribus fibris contextæ minus validæ sunt, quam sinistræ, & magnæ arteriæ cordis.

IV. Fatendum omnino est, organicos morbos extirpari non posse, præsertim cum cessent ii decubitus, qui ab internis ægritudinibus vindicabant. Errat itaque siquis existimet in tali casu medendum esse: ipsa remedia onus, stimulus, & morbi evaderent additamentum; nam cum sanguis trajici nequeat debita proportione a dextero ad sinistrum ventriculum, ipsa remedia sanguinis aggesta calcando premendoque in atrium cordis, quod est cava & auricula dextra, impetum faciunt: & quia ubi adempta est libertas circuitus per præcordia, necessario sectiones sanguinis ascendentis per venas inferiorum artuum & imi ventris eandem in ascensu cursuque difficultatem subeunt; ideo serum, quod est tota sanguinis massa subtilius, facile per poros effugit & replet spatia carnium, & consequenter cavitates abdominis & dextram præcipue pectoris cum apparente, sed falsa symptomatum moderatione, ut advertit Hippocrates, *postea erumpit ad alvum, & statim quidem sanus esse sibi videtur ac a morbo liberatus*.

V. Publica sanguinis via, qua e cunctis visceribus & musculis ad cor reducitur, est vena cava: tument inferni artus, hydrope pulmonem obsidente; nam sanguis ab arteria ad venam pulmonicam libere transire nequit, & cava ejusque propagines præsertim inferiores exonerare ad cor in orbem restituere non possunt totam illam liquidi mensuram, quæ ab aortæ ramis intra carnes projicitur, & ideo serum, & lympham ad motum minus aptam, qua pedes ac tibiæ inflantur, deponunt. *In hoc vas* (loquitur Diemerbroek de cava) *sicut omnia flumina in mare aquam, ita omnes corporis venæ sanguinem effundunt*: unde nil mirum si ligata cava infra cor in cane alioquin sano sex horarum spatio suboritur pseudohydrops qua fiascitius tumor; ut indefessus scrutator cordis Lovver memoriæ prodidit, *perforato itaque dextro latere thoracis infra septimam & octavam costam paulo infra regionem cordis, & immisso digito venæ cavæ situs palpandus est, deinde pectoris latus illud ad venam quampropere compellendum est, quo filum ei facilius obducatur; atque in isto pectoris situ arcte stringendum est vinculum, dein pectore relaxato vulnus consuendum est: peracto autem experimento canis mox oblanguet valde & intra paucas horas expirabit. In dissecto autem abdomine magna seri quantitas innatare conspicietur, non aliter quam si ascite diu laborasset: quod ab impedito sanguinis ab arteriis in venas circuitu secerni prius expertus fueram.* Præstare possunt convulsio & orgasmus quod efficit capistrum in cava; serum enim sanguinis, ut aqua ex humidis contortis linteolis, per cæca vasis foramina gestit excedere: *Spasma*, inquit Bellinus, *est solutio unitatis in partibus nervosis vel illis musculorum sine vulnere*: si vena, vel arteria convulsione seu spasmotica distensione occupata sit, jam habemus quomodo varix vel aneurysma producitur: nec deest Coi Senis authoritas, *quod si convulsio in vena facta sit, hæc quidem per exordia dolorem excitat & pulsat, progressu vero temporis sanguinem ad carnem transmittit, qui in carni putrescens in pus vertitur*.

VI. Subsistente demum sanguine in supernis etiam sectionibus manus tentatur œdemate, ac ægri quandoque ruptis intra cerebrum lymphaticis, & non raro sanguiferis tubulis apoplectice moriuntur, tametsi repentina suffocatione interire debuisse putabantur. Medicinæ parens Hippocrates *eorum, qui a morbo victi sunt, curationem non aggredi* admonuit; sibi imputet quisquis uti noluit medentum imperio, nec se dignum vita judicavit, si multa neglexit, quæ conspirant ad vitam: medicam quærit opem hec invenit; discat imposterum artem, quam contempsit, quam irrisit, necessitatis & temporis filiam esse, ægro tamen miserrimo, & *semel pereunti* nigrum theta præfigere sine ullo auxilii, & spei fuco nec medicinæ decus est, nec sapit humanitatem.

VII. In tanto itaque salutis discrimine tria sunt indicata, sanguinis molem detrahere aut saltem ejus acumen hebetare & lenire; lymphæ recrementa per alvum & vesicam educere, ut sua liquidis volatilitas reddatur, & inde sensim redeant ichrones ad naturales absessus; denique affectum canalem defendere ac roborare. Res quidem faciles dictu, executu difficiles, & plane inutilis, cum ad ultima ventum est, ni author vitæ Deus remediis vigorem addat. Ut autem præfatas indicationes ipse adimplerem, quinque uncias olei ex lini seminibus per recentem sine igne torturam expressi cum jure vitulino tenui atque insulso epicratice propinavi; nam celebre hoc oleum sulphure generoso, sale recondito, & balsamica uligine sua lævigat, cicurat, resolvit, & quæ resoluta sunt, per alvum secum ipse præcipitat. Scillicitum oxymel & gummi ammoniacum strenue urinam cientia, centipedas præparatas alcalico-nitrosa vi turgidas in pulverem tritas tincturam & sal volatile tartari & hujusmodi alia seligi; quin & jura columbæ turratilis vipera carne sars, & chin. succis radicibus, herbis, floribus, seminibusque traumaticis obstructæ instituimus. Si adjunctus Celticus bubo retrocessisset, sublimatum dulce apprime conduceret; nam alcali seu rete illo merallico venereæ luis spicula franguntur. *Exerceto circa morbos duo* (est altera Græci Dictatoris paræneſis) *ut juves aut non noceas. Ars ex tribus constat morbo, ægroto, & Medico artis ministro: ægroto cum Medico adversari morbo oportet*, saltem diætæ obtemperando, quam Medicus & pro Medico imperat Plato: *Diligentia victus corrigendi & gubernandi sunt morbi prout cuique datur otium; neque difficile infestumque malum pharmacis instigandum*. Ludovicus Cornelius nobilissimus Venetus austerum, egregium, & vita digno Principi imitandum diætæ reliquit exemplum. Ad rem quadrat apte quod inquit Seneca: *Vir magnus ac prudens animum deducit a corpore, & multum cum meliore & divina parte versatur, cum hæc querula ac fragili quantum necesse est*. Sed aurea prorsus sunt verba, quæ Sexti Cæsaris Præceptor subdit; *Quid porro? nil agere te credis si temperans æger sis? ostendens morborum posse superari vel certe sustineri. Est mihi crede virtuti etiam in lectulo locus*.

VIII. Hæc licet pauca atque immatura de venæ cavæ dilatatione mittere ad te volui, Morgagne præstantissime, ut tuum acquiram patrocinium. Humanitatis tuæ specimen præbe, & me dilige, & vale ad artis nostræ incrementum.

XIII. Kal. Jul. MDCCXX. Cassiæ.

ERUDITISSIMO VIRO ANTONIO COCCHIO
Medico experientissimo Jo. Baptista Morgagnus S. P. D.

UTinam is essem, Vir doctissime, quem tu pro singulari tua humanitate facile putas, ut triste tibi ac bonis omnibus consultissimi Lancisii desiderium meis possem responsis lenire. Haud equidem inficias iverim, me in quærendis per anatomen ut bonæ ita etiam adversæ valetudinis causis non levem ab ineunte ætate operam posuisse. Verum tamen hic noster mediocris usus neque est cum longa experientissimi Viri exercitatione comparandus, & si vel maxime esset, non ea tamen nobis incredibilis vis ingenii, non ea summa eruditio, non denique tot alia suppetunt, quæ ille ad habitas a se observationes in abditis retrusisque rebus vestigandis adjungebat. Quæ sane omnia si qua alia, certe a te proposita disquisitio postulat atque adeo flagitat. Cavæ namque venæ penitissime latent, & cum dilatantur, eæ facile affectiones vel antecessere vel (quod tu egregie observasti) subsequuntur, ut minime omnibus proclive judicem, ipsam illarum dilatationem aut in ægrotantibus per propria ac peculiaria signa internoscere, aut in denatis inter tot alia, quæ Anatomici oculos manusque morantur vitia animadvertere.

Quamobrem factum esse existimo, ut quamvis morbus iste rarus non sit, perraræ tamen ejusdem observationes legantur: quæ cum præterea non ea diligentia, qua opus esset, conscriptæ sint, vix nobis usui esse possunt. Quo magis in tantis tenebris tuos, Vir eruditissime, præclaros conatus admiror atque commendo, authorque sum, ut observando meditandoque rem tam diu obscuram magis magisque illustrare pergas. Fructum sane capies istius operæ non contemnendum: cum enim homines plerique in gulam cæteraque voluptates multo sint brutis animantibus propensiores, magnisque præterea curis animique affectibus obnoxii; quas videlicet ob causas sanguifera vasa tum multo, & erodente sanguine opplent, tum eodem sæpius remorante distendunt; neque tamen circum extremos venarum cavarum truncos tam validum circumvolutum habeant musculum, quam bruta nonnulla, in quibus rubicundi insigniſque sphincteris instar esse observavi: nihil hercle facilius fieri videtur posse, quam ut trunci illi, ad quos quidem (ut recte animadversum abs te est) effœtus crudisque adhue, & crassioribus succis onustus sanguis appellit, in magnos haud raro varices dilatentur; quos si Medici persanare nequeant, at eos ut dignoscere saltem & diutius a ruptura per vulneraria medicamenta aptamque in primis victus rationem tueri possint, maximopere optandum est. Vides igitur, experientissime Cocchi, quantæ susceptum a te laborem utilitatis fore censeam, quantoque propterea opere a te petam, ut quod egregie incœpisti, præclare absolvas. Mihi sane quod me potissimum selegeris quicum tua ista optima studia communicares, gratissimum fuit. Idque ut intelligas, omni erga te officio omni tempore curabo. Vale & me quod facis ama.

Datum Patavii postridie Kalend. Julias MDCCXX.

F I N I S.

BAR-

De Caus. & sign. Acut. l. 2.

Tit. ignorus hydrops.

Pest. sat.

Cap. 12

Ep. l. 12.

Hist. l. 2.

Æneid. 6

1. De morb. tit. hydrops pulm.

Anat. l. 2. c. 9.

pag. 123.

Lib. 1. de morb.

Lib. de Arte.

Mesue in præf.

1 Epid. sect. 2.

in Timæ.

Epist. 7

BARTHOLOMÆI BOSCHETTI DISSERTATIO DE SALIVATIONE MERCURIALI

Phyſico-Medico-Mechanica.

AD LECTOREM.

UT ſolertiæ meæ, qualis ſit, innotuit, primos Medicinæ Parentes, tot tantoſque viros ad culmen artis evectos, indefeſſo contemplationis genio, & philoſophandi inſtituto, illam Medicinæ partem, quæ ad hominis morbos profligandos, vitamque tuendam maxime conducit, phlebotomiam nimirum, & purgationem, ut univerſaliora magis, ſedula diligentia, improboque labore adamuſſim illuſtraſſe, & enixe addictos in univerſali corporum purganti, ſicco pede ſalivationem tranſegiſſe, nihilque in hoc pulvere deſudaſſe, licet fortaſſis ſalivatio in purgantium cenſu repoſita magis univerſalis eluceat, jam quatuor circiter labuntur anni, quibus accuratis morborum obſervationibus in hac Sparta exornanda occupatus caſtra ſequor celtica lue denatorum, quorum gratia luci publicæ exponere ſuccinctum Salivationis ſpecimen ante oculos mihi conſtitui. At circa hujus operis editionem diu dubitabundus hæſi, itidemque prono ad curſum impetui frænum injeci, quia *qui bene latuit, juxta adagium, bene vixit*. Nunc tandem laxam dedi habenam, quamvis id felicitatis faſtigium me attigiſſe minime opiner, ut opuſculum meum ad palatum tuum delineaſſe crediderim, cum hoc noſtro felici ſæculo nobiliora extent ingenia, & uberiora nunc vivant, ut tot diſciplinarum inventa in rerum abſtruſo latentium reperta, antiquorum mentibus incognita, huc uſque in naturæ magnificentia latuiſſe, ut in poſterorum induſtriam, & gloriam cederent, quorum cœtus concordes, quid curioſi, quid novi natura parit, aliorum oculis adhuc non animadverſum, vario addiſcendi ſtudio incitati vitam per pericula non ſufferendo labori commiſere. Quid igitur divitiis alieno partis labore, & aliena induſtria repertis non fruimur? ſi nimia primi ævi ubertate defatigata natura noſtris univerſum tradidiſſet Parentibus, antiqua nova rerum acceſſione illuſtrata, nuperiſque experimentorum inventis ſuffulta non cernerentur. Quod ad meum dicendi, & philoſophandi genium ſpectat, nemo mihi vitio vertat, ſi non adamuſſim hic omnia conſcripſerim, cum ſemitam fere nullis calcatam veſtigiis, nulloque afflante lumine pergere cogar, ubi novam mihi ſterno viam: ſi igitur ab æquo deflectens ſemitam non agnoſcam, cui trito inſiſtere poſſim, conatus meos, quantum fas erit, in viam reducere defatigabor. Non ergo cum Seneca *ſequor priores, facio, ſed permitto mihi, & invenire aliquid, & mutare, & relinquere*. Quemadmodum enim extenſis ventorum flatibus velis ſublata temonis directione navis incerta via ſyrtes impingens, undiſque obruta dehiſcens caſu ſalutis aſylum offendit: ita mihi fortuito continget, ſi primis initiatus Medicinæ meandris, & ut homo in arte novus opellam hanc meam ad utilitatem ullam revocavero, Præclarum hoc opus auſus ſum tentare, non ut exercitatis facem præferrem; ſed ut magis expertos Medicæ artis Heroas ad perficiendum hoc opus exemplo meo ſtimularem, & ſi alios excitavero ad ſalivæ morbos venandos, qui labores meos fugerunt, bene jacta erit alea, & frugem carpſiſſe, metamque attigiſſe mihi videbitur. Cæterum feliciora ingenia intima quæque, & abſcondita ſcrutantia vident, ubi nobis non ultra progredi liceat. *Non enim*, inquit Cicero, *parum cognoſcere, ſed in parum cognito, ſtulte & diu perſeveraſſe, ſtultum eſt*. Tu interim, Amice Lector, hæc habe, quæ ſi placuerint, lege, ut noſter omnis non ſit irritus labor; in quo ſi erravi, humanum ſcias eſſe labi. Vale, & me amare perge.

DE SALIVATIONE.

CAPUT I.

ARTICULUS I.

De Saliva naturali.

QUemcunque opinor libenti animo laturum, ſi ego ad ſalivationis hiſtoriam graphice pertractandam poſthabitis tot eruditorum conatibus, & ſtudio accurate pro virili perpendam, quibus hæc viribus innitatur, quibuſve mediis illuſtretur, ut illa contrahatur induſtria, atque brevitate, ut non multum poſſe inutiliter impendere tempus, ſi ulteriori inquirendi labore ſolicito nova forte mihi contigerit comprehendere experimenta, quicquid in hac mea diſſertatione poterit in dubio latere, ad eruendum arceſſita. Ea enim eſt rerum natura, hominumque peritorum fertilis induſtria, & inquirendi libido, ut argumenti ad hiſtoriam ſpectantis notitia in dies plus illuſtretur. Itaque ut augeatur ipſa, & eluceat hiſtoria, (ſi forte unquam omnibus abſoluta numeris futura ſit) neceſſarium, aut perquam utile judicavi naturalis ſalivæ artificium, ejuſque morborum cauſas, qua fieri poterit diligentia mea, non inani, ut ſpero conatu, ad trutinam prius revocare.

Inconſultius facere ratus ſum, ſi proprietates, & ſalivæ uſus conſtituerem, antequam ejuſdem qualitates, & affectiones ſub examen vocarem, quod ultimo allatum, ut concipiam modo, ſatis duco enumerandas eas eſſe maxime generales affectiones coaletionum, quæ ex diverſis materiæ particulis in cujuſcunque ſalivæ naturalia corpora abeunt. Atque ea propter operæ pretium fore exiſtimo affectionum cauſas inquirere, antequam ſaliva ad ejuſdem naturam ſolertius indagandam me alliciat.

Salivæ corpus itaque fluidum eſſe videtur eo in primis, quod conſiſtat ex particulis, quæ dum ſe invicem in exiguis componentium corpuſculorum ſuperficieculis lubricis, atque levibus tangunt, inter ſe invicem reptatum promovent; hinc inde agitatæ juxta ſuas ſuperficies adeo volvuntur, ut ſui motus momento ſe diffundentes, aquæ ad inſtar libere quaquaverſum ferantur. Et ſane non negandum orbicularem molecularum figuram ad corporum fluiditatem plurimum conferre; Interim vero cæteræ dantur qualitates ſalivæ, quæ diverſas particulas arguere videntur, varie admodum, & aliquando irregulariter figuratas, dummodo ingredientes partes in corpuſcula ſatis exilia dividantur, atque ad eam levitatem, & volubilitatem redigantur, ut ob molem ſuam fluidorum corporum particulis liber inter ſe ipſas motus non intercipiatur; proindeque ſint non tantum volubiles, ſed actu motæ, ut corpus fluidum reddatur, non quidem ſolo aggregato talium corpuſculorum, quæ ſphærica ſunt, aut alia regulari forma prædita, verum ſola duntaxat, vehementi & varia particularum illud componentium agitatione. Quæ quoniam tactis corporibus adhæreſcunt, vel ſaltem partibus quibuſdam turgent, quæ molecularum congruitate, ad particularum, quos tangunt, corporum poros relata, firma adhæſione per ſuperficiem corporis labentes humilitatem impingunt, fluidus, & humectans liquor dici merentur. Si vero notionem humiditatis hactenus explicatam ſequamur, ſupererit adhuc unum quid, quod circa naturam fluiditatis nos inſtruit; id vero eſt diſcrimen, quod fluido corpori, & humectanti liquori intercedit, quæ cum in multis conveniunt, confundi perperam ſolent: cum omnis humectans liquor ſit fluidus, non tamen quodve corpus fluidum humectet. Aer enim, æther, & ipſa flamma corpora fluida vocantur, atque nitrum fuſionem paſſum verus liquor eſt, hæc tamen corpora ea, quæ tangunt non madefaciunt; ex hoc deduco ſalivam aqueis corpuſculis hac illac motis abundare, quibus exterior corporum ſuperficies guttulis ipſius liquidis irrorari tota conſpicitur. Si externi agris contactu partes exiguorum ſalivæ corporum in novum motum cieantur, quo volubilia illa corpora reciprocam ipſorum adhæſionem impedientia, in rariorem ſeriem diſponantur, & in alind adhæſionis genus, & partium complicationem ob quandam viſcoſitatem mutentur, ut in ſuarum ſuperficierum lateribus ſe invicem tangant, facile in tenues illas membranas, quas bullas appellamus, contexuntur, adeo ut per cerebras evolutiones, quas aer inter eas invicem parres ciet, ſibi mutuo ita applicentur, ut ſuper ſuas invicem ſuperficies labantur, tandemque ob ſuperficierum congruitatem in arctiori partium contactu mox evaneſcant. Qua ratione numeroſæ declinanter ſuperficies ſalivæ in multitudine parvulorum in convexo ſphæricorum, adeo contrahuntur in convexo plana aquæ ſuperficie, ut ſuperficiales earundem particulæ nullis cavitatibus repletæ, aut ſulcis refrangant, ob quam radiorum lucis refractionem diaphanæ apparent, in quas viciſſim aere ſubtiliori, & radiis ſolis conjectis, pellucidum ſatis corpus deprehenditur. Verum quamvis minimæ hujuſce liquoris particulæ ſibi invicem commiſceantur: tamen aliorum corporum particulas facile admittunt, & cum duobus, vel pluribus junctæ non refugiant miſceri abſque fluidæ molis incremento, inter ipſas parvula inania intercedent, adeoque ſub magna mole parva materies ita coaleſcit, ut corpus leve conſtituat. Præter aqueas partes leniter juxta ſe invicem labentes adſunt moleculæ in ſaliva viſcidiuſculæ, quæ in illius ſubſtantia natantes coitum, & unionem quaſi moliuntur: unde ob irregularem agilium illius partium

Sydenham Opera Medica.

tium vagationem hac illac inceſſanter dilabentium, & ob craſſiuſculas ejuſdem moleculas aliarum celerem, & inteſtinum motum ægre ferentes, ſi non compacti, lenti corporis ſaltem naturam æmulantur; & cum ſalium ramenta ſint in aqueis molecults ad minima ſoluta, & intime commixta, inſipidi corporis ſuccus ſaliva deprehenditur.

Saliva igitur cum ſit corpus humido aquea-tenue pellucidum, lento-fluidum, inſipidum diſtinguitur a paucreatis ſucco, qui humor tenuis aquæ fontanæ ad inſtar offenditur; cujus qualitates guſtu perceptibiles juxta experimenta, & obſervationes Liſteri, D. de Graaf, & Verheyenii ſalſo-acidæ plerunque attinguntur. Hinc differt pariter ſaliva a lympha, utpote humor saliva tenuior, cum ſit plane aquoſus. Unde a ſalivæ commercio maxime excluditur craſſum illud viſcidumque liquamen, quod a tonſillis vel tuſſiendo, vel ſcreando exprimitur, quodque extra orbitam ſanguinis ſecretum in cavitatibus glandularum, palati, faucium, & narium abundantius accumulatur, ubi ab aeris perenni affluxu ſubtilioribus particulis, magiſque mobilibus dicti humoris abreptis, craſſior, magiſque tenax portio relinquitur. Hic viſcidus humor in narium cavernulis interius obductis membrana craſſa vaſculis ſanguiferis denſiſſime referta, pluribuſque obſita glandulis jugiter tranſudat; delatus ille per ramos arteriarum carotidum membranæ inſertos ad glandulas omnes, a quibus cum recenſita membrana ſuos proceſſus extendat ad os cribroſum, & cuneiforme, atque illorum cavitates undique cingat, poteſt per cavitatem ſpænoidis in fauces deſcendere, & a glandulis in nares copioſius emitti; cum membrana, quæ nares obducit, craſſior ſit, magiſque glanduloſa, adeoque abundantiori humoris ſeparationi magis apta. Hujus muci pars magis aquea confertim extillat a punctis lacrymalibus, quorum ductus aperto orificio ad os turbinoſum naſi exonerantur.

ARTICULUS II.

De cauſa materiali ſalivæ.

CUm igitur exiſtimem ſalivam eſſe chyli liquorem, ingenue fateor, quod dubito; at cum magis ſolicite opiner, ut majorem rationem reddam, cur modo non acquieſcam in aſſerentibus a ſero oriri ſalivam, nec in aliis docentibus a lympha; faciet illud fortaſſis ad hanc meam opinionem excuſandam, ſi in virorum diverſimode ſentientium congreſſu liber detur philoſophandi locus. Ut itaque libere loquar, quæ ſentio, videtur mihi ſalivam generari potius a chylo, quam a ſero, vel lympha ſucco chyloſo reſtaurata. Quod fortaſſe elucet ex animalium duorum, vel trium dierum media, quo temporis ſpatio nullus ſalivalis affluxus in glandulas confluit, in ſanguinem non irrepente chyloſo latice, non deficientibus interea in maſſa ſanguinis, imo ſeroſo aqueis plurimum auctis particulis. Quod ſi ſanguis fame extinctorum ſpontanea analyſi oculis ſubjiciatur, oſtendet quidem partem gelatinoſo nutritiam, & fibram ſanguinis in auras evolaſſe, & conſumptam; ſed aqueo-ſeroſa pars in ratione quantitatis craſſamento ſanguinis quaſi æqualis erit: quare multiplicata cauſa ſalivam fovente, in ductus glandularum confluat neceſſe eſſet ſalivalis humor, qui tamen in fame confectis, areſcentibus glandularum folliculis omnino evaneſcit. Quippe ſerum ſanguinis, & globuli ſunt veteres, atque ægre diſſipabiles humores, qui a principio vitæ ſanguinem conficientes uſque ad ultimum ſenium vix mutationem ſuſcipiunt, humorum itaque materia non ſunt attritæ ferri particulæ, & immutabilia fluida, ſed ſanguis chylo ſaturatus, qui ſimplici contactu ſanguini commixtus univerſas glandularum, & viſcerum lacunas alluens, ſenſim in vaſa excretoria impellitur, & peculiaribus ſuis officinis accommodatur. Sanctoriana ſtatica huic aſſertioni applicata, dum menſuram evacuationum exhibet, illam miris modis illuſtrat; inquit enim diligentiſſimus Sanctorius: *Non qualibet hora corpus eodem modo perſpirat, quia ab abſumpto cibo quinque horis circiter libram ex magna parte exhalare ſolet, a quinta ad duodecimam tres libras circiter: a duodecima ad decimam ſextam vix libram.* Unde maximum chyli diſpendium fit, cum totus chylus in ſanguine recipitur, minima a duodecima ad decimam ſextam, quia parum chyli remanet diſſipandum; at hyberno tempore quoniam hebetatur tranſpiratio, adeoque inſenſibilis diſſipatio chyli per poros cutis, augetur ſalivæ affluxus ad glandulas: igitur chylus eſt immediata cauſa ſalivæ. Nec dicatur cum Diemerbrokio, chylum virtute quadam peculiari cor ingreſſum ſubito, ac vehementer rarefieri, ut in eo inſtanti vertatur in ſanguinem, cum chylus eo diu cum ſanguine circumferatur, ita ut tandem ſub eadem chyli forma extra ſanguinis orbitam extrudatur. Chylus in ſanguine recenter cibato diligenter a Liſtero obſervatus, & ad multos dies cuſtoditus ſero licet ab ipſo pluries commixtus non potuit adhærere, nec ut ſerum concreſcere, ſed tanquam oleum ex aqua emerſit; *Sanguis, inquit, ex vena cujuſdam viri miſſus ad libram, ex toto albus inſtar lactis inventus eſt, ad hebdomadas integer manſit, nec fractus ut lac, nec in ſuperficie florem, aut membranam habuit, aut acredinem contraxit, tandem in ampulla vitrea diu ſervatus putredine reſolutus eſt.* Sic in anſere ſaginato animadvertit Steno ſuccum nutritium in orbe ſanguinis diu permanere chylum. *In anſere autem ad plures dies largo paſtu ſaginato ſuper ejus ſanguinem miſſum rubentem, & in fundo vitri concretum candidus chylus fluitabat abſque ullo aquoſi ſeri indicio.* Hæc auctor; unde chylus dum in orbe ſanguinis toties, & ad tot horas circumfertur, ſua integritate conſervatur, donec tandem in ſalivam confectus tranſmitti poſſit. Deinde cogites velim cum Liſtero, quanta ſit ſanguinis in ictero cum flavo colore affinitas, ideſt ſerum, a quo alluentes humores bile infecti conficiuntur, tamen ſaliva nullo virore luteſcens a naturali colore non deflectit; porro quæ ab aqueo-ſeroſa ſanguinis parte ad glandulas continuo ruentia, & rapide diſcurrentia facilius in uberes excretiones faceſcunt, cum flaveſcente ſero flaveſcunt.

Verum enim vero ejuſdem ſalivæ principia examinatus, neſcio an fas mihi ſit ſuſpicionibus meis indulgere, ut cum aliqua certitudine gradus, & ſtatus ſalium determinentur; quod ut dubiis fiat ſatis, cum multo majorem depoſcat experimentorum laborem, quam nunc mihi vacat, invitat me ad analyticam Chymicorum diligentiam per ignem ſalivæ principia eruentium, rimandam.

Hæc enim immiſſa retortæ vitreæ non ægre oſtendet leni igne commota aquei vaporis prædominium, qui in auras per retortam aſcendens, vel per alembicum expulſus, ab ignis calore diſſitus, in fine vaſis non coit, & inſipido aqueum liquorum preſſius unitus exhibet: Auctо exinde igniculorum gradu ſequitur liquor tenuis, & magis ſpirituoſus, qui eſt ſal volatile in fluorem ſpiritus evectum, & oleo volatili intime aſſociatum, quod inertem, & viſcidam maſſam in fundo vaſis relinquit; ex cujus calce, ac lixivio ſal fixum educitur, terreſtrioribus remanentibus particulis, caput mortuum nuncupatis; ut inde ſi qualia in mixto miſcibilia exiſtunt, educeret ignis, ſaliva partibus aqueis magis ſaturata ſulphureo-ſalinis, terreiſque particulis tantum coaleſceret, in qua aqueæ moleculæ ſuper alias prædominio potiuntur, & minima ſalium ramenta, oleoſa, & terreſtria corpuſcula æqualibus mutuo niſibus, licet quantitate, ac mole non æqualia, invicem irretiuntur.

Varii generis ſalium particulas continere ſalivam, acidas nimirum, ſalino-oleoſas, inſipidas deprehendet, qui muturitate conſilii, conſtanti probata experientia a veritatis ſcopo minime aberrat, dum inveſtigandam ſolertius ipſius naturam ſibi proponit cum clariſſimo Nuchio ab obſervationibus naturam petente in cap. ſialographiæ, poſt earundem levem inter ſe commotionem cum alkalinis, cum acidis, tum ſpirituoſis liquoribus ſalivalem laticem aſſociari percipet.

Paulo vero examinata, atque perpenſa maxima illius diſſolvendi vi duriorem quoque corporum compagem coaleſcat oportet activioribus ſalium principiis, ſalinis nimirum, ſulphureis, urinoſis, volatilibus, aquoſo latice dilutis, quæ ſi Chymicis Paracelſo, Ludovico de Comitibus, Helmontio, Baſilio Valentino ſit præſtanda fides, comparantur liquori, alcha eſt, qui corpora in minima, ſeu prima entia reſolvit, & ex eo liquore de univerſali menſtruo participante, acidum, cui par in natura rerum difficile invenitur, ſolvens elicitur, quod licet inſipidum videatur, mire penetrans ita contactu ſuo ferrum corrodit, maſſam triticeam fermentat, tincturam Heliotropii rubeo colore tingit: ut obvium ſit concipere, ſalium quoque acidorum prædominium. Farina triticea cum aqua communi ſubacta in maſſam redigitur ponderoſam, inſtar luti viſcidam: ſaporis ingrati: Sin ſaliva inter ſubigendum adhibeatur, maſſa protinus efferveſcens mole intumeſcit. Salis enim, ac ſulphurum portiones in farinæ maſſa ſubſidentes ita viſcoſa humiditate obruuntur, ut ſe invicem non exagitent. Dum vero acidæ ſalivæ particulæ in ſalia, ac ſulphura impingunt, eadem in motum concitant: hinc aliæ ab aliorum motu exagitatæ longa ſubactione totam maſſam penſitantes, partes terreo viſcidas attenuant, & ſubtiliant, adeoque tumultuantes farinaceæ moleculæ incaleſcentiæ, & fermentationis motum ſuſcipiunt.

At ſi compreſſis corporibus, & inertibus ſtimulum addit, ſumme mobilibus frenum imponit, eaque coercet, ut in hydrargiro longe patet. Quotieſcunque igitur ſalivæ ſpicula ſalina acina acidorum rigida, & acuta vi ſuæ gravitatis, & figuræ ſubeunt mercurii infinita interſtitia, exorta a ſolidis exilibus, & partibus ſphæricis in puncto contactus ſe invicem attingentibus, earundem poſitionem, & in contactu directionis niſum dimovent, atque cunei vim in ſphæroideas partes exercendo illas exacuant; fit ut peſſundata globorum figura, & poſitione contactuum, diverſæ reſultent oblongæ, & ramoſæ, ex quorum ad mutuos ſui, arctoſque amplexus diſpoſitorum unione motus ipſius hydrargyri obtunditur, & in corpus veluti fixum reſultat. Quod ſi permirum forte tibi videri poſſit, ſalivam cunei vim exercere in mercurii particulas, cogites velim ab earundem ramoſitate, & figura, moleculas ſibi mutuo irretiri poſſe, ut difficillime ſeſe extricare queant: quo a ratione minime alienus videbor, ſi hoc rite perpendens ſuſpicabor, ob ſalinas ſalivæ moleculas opportuna ſui interpoſitione mercurii partes in craſſiora longe corpuſcula redactas ſecundum latiores ſuarum ſuperficierum portiones ſeſe contingere, quæ tangentia corpuſcula varie huc, illuc, hac, illac volutata ad totalem diviſionem, aut divulſionem minus ſaltem, dum apta redduntur, poſt varios occurſus, & recurſus, ſuperficies ob latitudinem, & figurarum congruitatem ad cohæſionem mutuam uniuntur, quæ ubi ſemel hunc in modum cohæſerint, majoris contactus ſecundum ſuperficierum proportiones rationem habebunt; quorum coaleſcentium corpuſculorum partes, cum a gravitate aeris premantur, urgeanturque, nec a vi ætheris intus ut prius agitentur, mutuo ſibi adeo adhærent, ut licet ſpecificæ gravitatis proportionabiliter minores ſint, ex grandioribus quidem ob molis ſuæ craſſitudinem corpuſculis conſtant, quibus major ſuperficierum ſcabrities eas adeo adunat, ut totali diviſioni reſiſtant, donec intenſior ignis, aut vehementior agitatio hanc mutuam partium cohæſionem diſſolvat.

Quoniam ſaliva cum ſolutione mercurii ſublimati, & Jovis mixta ceruleum colorem ad album tendentem acquirit, ut idem prorſus efficit aqua fortis, inducitur clariſſimus Balgivius, ut credat ſalivam continere in ſe ſal nitro ſalinum univerſali analogum, quo potenter ſublimati chryſtallos penetrando eoſdem fundit, ac exolvit: ſed hic non definit actio ſalium ſalivali liquori inhærentium; nam non minus diſſolvendo ſulphura inſtar alkalium, quam in modum aquæ ſalia aliquando illum dices cum Taury, Helmontio, & chymicis menſtruum univerſale, cum quibus ſi aliorum auctorum effata circa materialia principia ſalivæ in unum cudere fas ſit, ex omni genere ſalium conflatum, quod intra reclnſos corporum meatus, omniumque alimentorum poros coercitum, valeat omnes reſiſtentias, & partium cohæſionem tollere quæ aquoſo tantum menſtruo reluctarentur.

Statuto ſalino principio per ſtultorum æque, ac ſapientum magiſtram experientiam, tandem ſapere diſco & ſerio iterum cum Dolæo, Sylvio, Delbene, & aliis in ſaliva multum aquæ, parum ſpiritus volatilis, & minimum ſalis lixivioſi cum olei, ſpirituſque acidi tantillo mixti, temperatique conſidero, a quibus non diſcrepantibus Balgivio, & Guglielmini nitro-tartareas moleculas in receſſu conſtitutas ulterius addo, ex quo licet plures ſalium particulæ in ſalivali fluido innatantes mixtura una coeant, ſalina tamen corpuſcula ita intra ſemet complures exiguas aquæ particulas intercipiunt, ut proportio ſalium ad aquam ſit minima. Hinc a varia utrinque corpuſculorum alliſione inter ſeſe mutuo molant, atteruntque, ut in tam exiguas comminutæ particulas, in tam tenuia latera, anguloſque adeo levi acumine donatos ab aqueis linguam humectantibus diſſolutæ, ita agitari poſſunt, ut licet pluribus ſalibus refertæ ob ſummam exilitatem in ipſos organi poros inſinuando ſeſe angulorum

acu-

acuminibus, membranosas partes juxta variam salinorum miscibilium figuram, & molem varie, leniterque titillent. Hæc enim mixtura a salibus diversi generis in aqueoserosis moleculis intime dissolutis conflata nullum saporem habet, ut intra nexus corpusculorum sapidorum excepta diversas saporum percipiendas sensationes gustus organo exhibeat, quo medio sapidorum demulcedine, suavisque saporis substantia oblinitus, & asperioribus salibus collisus, mollis texturam, ingratique saporis impressionem comprehendit.

ARTICULUS III.

De causa efficiente salivæ.

IN tenebris latitabant lymphæ ductus ob subtilitatem aciem oculorum eludentes, quousque benignioris auræ afflatu contigit summo Anatomicorum Bartholino, adeo tam lynceo, ac manu adeo agili orbi erudito illos patefacere; at primo intuitu ignorata eorundem mechanica structura ob tenuem substantiam aranearum telas æmulantem, sancitum fuit, vehi lympham a corde, tanquam a centro per lymphaticos canales ad partium circumferentiam, cui errori quamplurimi innixi salivam emanare rorifero quodam succo per lymphatica vasa ad glandulas trajecto, commenti sunt; sed Bilsii dogmate de hoc motu lymphæ a Ruyschio explosо, ipsi valvulas pertinacissime neganti ad oculos demonstrante, quæ ubique geminæ, & semilunares situ suo impediunt, ne lympha per eorum meatus ad glandulas excurrat, canuit hoc apud homines commentum. Anathomicorum diligentia per cultum adeo Anathomes culmen pertingit, ut insudandum non sit pensitandi viarum ambages salivalium ductuum, cum hæc vasa cuicunque in Anathome initiato sese manifeste declarent. Fluit saliva a diversis glandulis, tanquam totidem rivulis in oris cavum, quæ indiscriminatim, & varie implantantur. Primi generis sunt glandulæ buccarum, & labiorum, quorum ductus excretorii intervenientibus fibrillis a membrana buccas succingente emanantibus arctius conglomerantur, quibus in superficie tunicæ compressis humor salivalis in os exprimitur. Addit his Steno sublinguales, ad utraque ligamenti latera linguæ sitas, quorum excretorii canales ab exiguis radicibus enascentes haud in truncum coalescunt, sed tractu parallelo a lingua versus gingivas tendentes ad digiti transversi fere a dentibus distantium ostiis exilissimis in oris tunicam exonerantur, accuratior nihilominus Gasp. Barthol. investigatio ostendit, vasa hæc non a sublingualibus, sed ab aliis glandulis, illisque adsitis germinare; a sublingualibus vero ductus binos enasci, qui in ductum communem coalescentes prope ductus Wartoniani ostium in os hiant. Hinc occurrunt palatinæ, quarum glandulosa productio mediantibus exilissimis, & innumeris excretoriis ductibus palati tunicam perforat, & quasi cribrosam reddit in postica parte palati occurrentibus. Accednnt tonsillæ in faucium extremitate sitæ, quarum sinus ex canaliculis minoribus coeuntes in os hiant, quibus annumerantur uvula, columella, & gurgulio. Quæ vero extra os, sunt parotides conglomeratæ circa auricularum radicem implantatæ, quarum excretoria ex pluribus glandulis, & ramusculis in unum coeuntia oblique descendunt, & osculo satis amplo prope labrum inferius terminantur. Adjungitur glandula maxillaris interna sita interius sub maxilla inferiori, cujus ductus musculos ossis hyodis ingreditur, & definit prope dentes incisores inferiores inter gingivas. His subnectitur ductus salivalis a Nuchyo divulgatus, qui ex glandulis in orbita oculi ex pluribus surculis in unum truncum coalescentibus emergit, & non procul a Stenonis ductus ostio recte descendendo super os maxillare in os dehiscit. Infinitæ aliæ extant glandulæ in toto palato per compressionem conspicuæ, quas hic recensere operæ pretium non est.

Qua lege salivalis humor per recensita vasculorum excretoria in os eructetur, res est summa opinionum controversia exagitata, sed nondum fortasse juxta naturæ leges explicata. Ut res hæc secretionis dignitate amplissima, explicatuque difficillima a minus incerta hypotesi sibi ex necessario ordine succedenti deducatur, animus est spectare oculis externam, internamque glandularum habitudinem, mihique constitui occasionem ultro obvenientem arripere, ut illa saltem indicarem, quæ a peritis rerum Anathomicis intelliguntur, quæque earum existimatores explicantes, in glandularum structura penitus fidem meam extorquent. Ruyschius in prodromo suo thesauri Anatomici sexti opinatus est, cui consentit Heisterus cum Verheyenio, glandulam esse congeriem vasculorum, arteriarum, venarum, & nervorum inter se certo ordine circunvolutorum, cum ductu excretorio conflatam, e quorum extremitatibus, lateribusque alia minima vasa ortum ducunt, quæ ita inter se implicantur, intexunturque, ut explicatis pluribus ramusculis in glandulosum corpus efformentur. Hæc vasa tandem infinitis revolutionibus invicem coalescunt, quæ secreroria nuncupavit, quæque omnia una cum nervo peculiari membrana induuntur, ut secundum positionem dictorum vasorum membrana ipsa accommodetur, ne vasa dimoveantur a debito situ ab humoris secretionem necessario. Dicta vasa secretoria in unum truncum coalescentia excretorium vas efformant. Diligentissimus enim Anathomicus docet illud esse mere vasculosum, quod glandulosum ab Anathomicis nuncupatur, tali experimento innixus, videlicet particulam corticalem cerebri accepit, quam postea capillo suspendit in aqua modice calida, digitis illam cerebri corticalem particulam sursum deorsumve dimovens, donec laxatis inter se vasculis conspicerentur filamentorum ad instar. Quapropter juxta Ruyschium glandulosum corpus nil aliud est, nisi vasculorum congeries, quorum ramorum series glandulæ fabricam indigitantium fuit clarissimo Stenonio ante Ruyschium indicata. Malpigius vero in sua epistola ad societatem Anglicanam de glandularum structura differens statuit glandulas conglobatas vesiculares esse, annuens dictas glandulas civitatem membranosam manifeste habere. Unde tam in humano corpore, quam in diversis brutorum corporibus periculum faciens, glandulosum corpus simplici membrana compingi testatur, intra cujus cavitatem retis ad instar vasa sanguinea vagantur, quæ cum non prava nervorum ramificatione glandularum structuram efformante contorquentur, revolvunturque, a quibus vasculorum convolutionibus glandulæ cavitatem efformantibus aliorum canalium ramusculi hiant, ex quibus demum canaliculis apte in unicum spatium confluentibus deducit Malpigius, glandulam nil aliud esse, quam vesiculam quandam membranaceam, intra cujus cavitatem vasa sanguifera reticulari modo una cum nervis locantur. Vesicula hæc glandularis fibris carneis consita est, quæ postea horizontaliter ipsam penetrant, tandemque cum sanguiferis vasis, nervorumve filamentis amiciuntur, ut surculi varie contexti in debita crispatione, & necessario tono detineantur. Cavitatem in dictis glandulis vesicularibus præmissa prius harum partium maceratione se vidisse testatur ipse Malpigius, & præcipue in glandulis præternaturaliter constitutis, quam plures vidit glutinoso humore, & interdum tartatea materia refertam; ex hoc statuit provenire diversum glandularum colorem, ex diverso humore in ipsis glandulosis cavitatibus stagnante, quod confirmat se secus vidisse in sanis corporibus, ac in cadaveribus præcipue hydrope correptis; inde diversitatem coloris in glandulis minime arguere diversam glandularum substantiam, sed ex humoris diversa natura in ipsis glandulis morantis potius oriri ratus est. Bellinus autem naturæ forsan exigente necessitate putavit, *formari glandulam posse, si a summo ramo arteriarum, vel etiam a quacunque parte ramorum aut trunci deducatur canaliculus non conicus, nec emittens ramos, sed cylindricus vel advolutus in spiram, vel plicatus in plicas, tum etiam neque intortus, nec plicatus, sed extensus, per quam, sive plicatus sit, & intortus, sive explicatus, & directus, sit ejusdem amplitudinis, & sine ramis, at demum abeat in canalem ampliorem cum vena continuum. Insuper influat per ejus longitudinem sanguis de more, & ex universa interna superficie canalis originem ducant canaliculi alii hiantes in cavitatem ejusdem canalis, quales ab interna superficie intestinorum originem ducunt venæ lacteæ hiantes in cavitatem eorundem: & quemadmodum hæc per totam longitudinem intestinorum feruntur ad exteriora, & intra intestinum per mesenterium ducantur, quo usque confluant omnes in unicum alveum lumbarem: Ita canaliculi illi hiantes in cavitatem arteriæ intortæ extra membranas ejus feruntur per pelviculam aliquam aquæ, & ipsa, & canalem, ex quo derivantur, apte liget, & sistat, & in communem aliquam cavitatem deducat.* Hoc glandularum artificium per Bellinum totum consistit in quodam textu arteriarum, qui circa singulas quasque glandulas admirabili revolutione sibi millies occurrenti invenitur, prodigioso quodam modo implicatum, & veluti reticulatum opus constituens, quod innumeris filamentis in modum retis consitum post infinitos fibrarum intersecationum occursus in glandulas facessit.

Ego tandem opinarer cum Ruyschio, & Bellino, glandulas esse vasculorum complicationem, certo ordine dispositorum, quarum reticulares contextus sint plexus canalium sanguinem vehentium, sed ita coordinatorum, ut sanguis post superatis plexibus retiformis, antequam infinitis ramulis corpus glandulæ penetret, dividatur in tenuissimos canaliculos, a quibus protuberant oscula secernentia in ipsius glandulæ cavo hiantia, qui postea inflectuntur, & demum curvatura superata sese contorquentes in venarum ramusculos facti majores abeunt. Fateor enim circa glandularum structuram, earumque excretorium ductum non adeo datum esse labores impendi, & ita obscure petat cultro Anathomico via in dissecandis glandulis, ut minime negotio adiges, si cultris utaris; unde sciendi infortunio inter partes nostri corporis glandulæ tantum cultri Anathomici dexteritatem eludere videntur. Interim vero minime perterrito illarum præparationem mihi licuit maceratione cum diligentissimo rei Anathomicæ Amico, quasi ad finem usque rem perducere: at nec ipsa certioribus factis alicujus tincturæ immissione per vasa arteriosa obvium nobis fuit aliquid de earum structura percipere. Repositо autem pancreate in aqua per plures dies, illud maceravimus, postea deducta ipsius peculiari succingentis membrana, iterum in novam aquam reposuimus, quod tandem intra aquam agitavimus, & postea bacillo ligneo supra tabulam ipsum percussimus, donec intra aquam denuo agitatum perpulchre oculis exhibuerit tot filamenta varia contorta, quot obtutum effugere potuere. Simili ritu periculum fecimus de pancreate ascelli, nimirum de glandula illa magna, quæ in mesenterii canini centro tantum reperitur. Hæc glandula elegantiori spectaculo suo innumera filamenta patefecit, non secus ac testium fibrillarum contorsiones, quapropter suspicatus glandulas compingi ex vasculorum congerie, a qua dicta filamenta ortum ducunt, instituta denuo glandularum Anathome ulterius indagando animus fuit, arteriæ progressum in corpore glandulosо expiscari, & per quantum datum fuit observare, arteria in plurimos ramulos scindebatur per totum glandulosum corpus simul cum nervo, qui majori largitate se expandebat in infinitos ramulos, donec oculorum aciem prorsus eluderet. Vena pari incessu vagabatur sicut & arteria, e cujus latreibus infiniti surculi exoriebantur, qui vario modo, & ordine invicem contorquebantur, donec amplius minime licuit observare, an dicta filamenta sint vasa distincta ab arteriis, & venis, an arteria ipsa degeneraverit in tot illa filamenta, quæ jucunda admiratione spectabantur. Attamen suspicor, facillime arteriam in filamenta degenerasse, ut penitus ab arteria ipsa in infinitos ramulos divisa illa filamenta tubulosa extenderetur, vel a lateribus vasis arteriosi proficiscerentur, a quibus filamentis tot efformantur arteriolæ tam exiguæ diametri, & ita tenues, ut inspicientes oculos effugiant. Igitur a vasis arteriosi filamenta illa, sive arteriolæ enascuntur, a quibus variis circumvolutionibus corpus glandulosum compingitur, nimirum arteria primo scinditur in plurimos ramusculos cum nervo comite, & vena, inde ab arteriosis ramulis filamenta illa minima protuberant, quæ post varias revolutiones in alia vasa minima degenerantia secretoria vasa efformant, e quorum inde coalitu commune secretorium fulcitur. At minus est, quomodo filamenta locentur, quem ordinem servent in eorum circumvolutionibus, quo itinere nervus per dicta filamenta explicet; decussantur enim invicem in suis flexionibus, & nervus semper arteriam comitatur in ingressum glandulosi corporis, & in primis arteriosis divisionibus ingreditur, ultra quam partium exilitatem minime licet oculo intueri.

De hujus filamenti vasculosi contemplatione, ut certior fierem, in arterias meseraicas per aliquot dies maceratas croceam tincturam injeci, & statim illa, quæ filamenta nuncupavi, flavo calore tingi conspiciebantur, quod fieri non potuisse videtur, si filamenta illa ob arteriæ meseraicæ ramulos tinctura inflatos non flavescendo turgerent: ex qua eleganti meditatione fateri cogor filamenta illa ab arteriis enascentia totum quasi glandulosum corpus efformare. Hæc omnia fideliter observata Ruyschianis experimentis maxime conveniunt. Quantum ad ea, quæ spectant ad observata Malpigii, timeo clarissimum virum in lapsum humanitatis incidisse, scilicet

intra

intra veſiculam membranaceam vaſa retis ad inſtar locari quidem, annuentem; at id quod veſiculoſum nuncupavit Malpighius, membranam, vaſa, & filamenta intelligerem; cavitatem vero & interſtitia ab ipſo Malpighio obſervata, ſuſpicor ipſa glandularum inania præternaturaliter, ſeu morboſe fuiſſe conſtituta; ex quo cum Pitcarnio deduco, inter arteriam evaneſcentem, & naſcentem venam, nullum intercedere ſpatium, quod poſſit aut pro partium poris, aut pro glandula haberi, nec interjacet glandula media inter venam, arteriamque, orificiis, aut poris, figura diverſis inſtructa; ſed glandula illa ſecretionibus dicata, eſt pars eorum canalium qui nervum, venam, arteriamque efformat; idcirco ab arteriarum oſtiolis oſcula venarum protuberant cum arteriis continuata, quarum venarum ſurculi arteriæ flexu verſus cor replicatæ videntur.

Inveſtigatis inſtrumentis, in quibus elaboratur animalium ſecretio, excogitandum eſt naturæ artificium, quo illa utitur, ut ſecernibiles humores a ſanguinis conſortio extricentur. Steno ſalivæ a ſanguine ſecretionem explicaturus, fingit venarum contractionem glandulis inhærentium a nervis hac ratione datis, ut in conſtrictis venis ſanguinis motu moram trahente ſeroſior ejus pars in glandulas tranſcolaretur. At hanc mechanices diſciplinam non curans, aut contemnens doctiſſimus vir curioſam inveſtigationis ideam, nullæ tamen ni fallor demonſtrationi innixam penſitavit, cujus ingenioſiſſima opinio illis placuiſſe videtur, quibus explicandi ratio juxta mechanicæ leges non arriſit. Si attendatur cum Borello venam arteriæ comitem eſſe duplo majorem ſecundum diametri dimenſionem, concipietur fieri oportere, ut a nervis non poſſint ita coarctari oſcula venarum, ut evadant arteriarum diametro minora: unde influat neceſſe eſt, dato impetus momento ſanguis per ora venarum tanto obice reſtrictionis contranitente, ut retro urgeatur. Immo ſi arteria cum comite vena ſit continuatus canalis, ut demonſtrant cum Pitcarnio ingenioſiſſimi Anatomici, fieri poſſet, ut nevorum filamenta per venarum tunicam diſtributa continuatis fibrillis per arteriam non diſpergantur (ſi ſeptum aliquod inter finientem arteriam, & incipientem venam non intercedat, quod ſecet fibras arteriarum in longitudinem extenſas, quibus brevioribus factis, in contractione detinentibus venam, ſimul arteria conſtringitur, quo vel nulla fit ſecretio, vel minime hac ratione major.

Alii, ut facilius ineant negotium, fermentum in glandulis intus hærens ſalivales humores elaborans ſomniarunt. Nomine fermenti hinc intelligitur motus inteſtinus particularum mixti, quæ propria vi motiva in motum concitæ, vel alterius corporis advenientis impetu rotatæ ſeſe mire exagitant, ex quarum mutua turbinatione ſubtiles, & minus inertes ſeſe quaquaverſum explicant, quæque tamen a craſſioribus implicitæ uſque adeo detinentur, donec craſſiores partes a ſubtiliorum niſu plurimum ſubactæ, ſingulæque ad gradum exaltationis evectæ diſſolutionem, alterationem compleant. Hanc actionem fermentativam clariſſimi viri mordicus defendunt in glandulis operantem, & ut facilius in tutam ſemitam incederent, cuicunque glandulæ peculiarem liquorem ingenitum aſſignant, qui in animali primo naſcente in diverſas glandulas fertur, inſitaque vi ratione ſuæ congruentiæ jugiter in iiſdem glandulis permanens ſanguinis partes per has glandularum anguſtias delatas confeſtim immutat in ſuæ indolis fluidum, quam opinionem convellere oportet, atque aliam in re rationem, ſi theoricam ſecretionis per ſe nobilem, & philatris neceſſariam ab objectis conjecturis, fœdaque hypotheſeos inconſtantia vindicare exoptamus. Actio fermentativa ſi in homine detur poteſt quidem motu illo inteſtino, remota particularum cohærentia, mutatiſque gradibus niſuum diverſum cohærendi modum producere in mixtis, partimque heterogenearum unionem diſſolvere, ita ut corporum minima componentia non niſi in ſimplici contactu ſe tangant; attamen hoc pacto fluidorum ſubactæ particulæ, ut deſerant contactum aliarum molecularum, quæ ſecernendæ non ſunt, ut in unum coeant, (cum in fluidorum natura non ita facilis cogitanda ſit attractio, ac electrica vis nova cauſa diverſa a ſucco fermentativo requiritur, quæ eſſe non poteſt, niſi determinatus impetus ſanguinis, & gravitas ſpecifica fluidorum cum ſolidorum viribus, & conniſu proportionata, a quorum mutua vigoratione ab invicem rotatæ particulæ ſeparari poſſunt. Non exigui ſunt momenti, quæ Borellus de motu animalium contra hanc fermentativam ſecretionem adducit. Quoniam ſanguinis moles non coaleſcit ex indiviſibilibus, ſed moleculis quantis figura diverſis, oportet, ut ex inteſtino mixti motu vertiginoſis motionibus agitatæ, atque contrariis rotationibus concuſſæ ebulliant, rareſcant moleculæ ipſius mixti, utque loco cedant advenientibus particulis, & motu contrario rotatæ accurrant ad replenda loca ab exeuntibus relicta, qui vertiginoſi motus ebullitionis, commotionis & expanſionis in fluidis fieri nequeunt, niſi aliæ particulæ ſuper alias excurrant, quod certe natura, licet ſubtiliter agat, in minimis, & ſubtiliſſimis arteriolarum filamentis in circinos glanduloſos convolutis, fieri non poſſe videtur. Quare abſonum eſt ſub rapido, & celeri motu, quo ſanguinis maſſa per fiſtulas glanduloſas propellitur, ejuſdem moleculas ab inſito glandularum fermento ſubreptas ebullire, atque rareſcere.

Conceſſo hoc fermento urget Mechanicorum decus Bellini. Si unaquaque ſolutio fieret per peculiare fermentum ſuum, hoc ipſum fermentum vel repararetur ab aliquo liquido animali, vel non: ſi ab aliquo liquido, cum a ſe ipſo reparari non poteſt, indigeat oportet alio fermento, & hoc ipſum altero uſque in infinitum: ſi vero non reparatur ab aliquo fluido, erit igitur inſitum momento generationis in aura ſeminali contentum, quod cum per totum vitæ ſpatium abſumi non poteſt, erit per illud tempus ingenerabile, incorruptibile; ſed alteretur fermentum glandulis peculiare, uti in læſis ſecretionibus ſæpe videre eſt, cum a ſe ipſo in naturale fermentum reſtitui non poſſit, ab alio reparandum erit, & hoc ipſum ab alio reficiendum: Ecce infinitas fermentorum. Si vero per totum vitæ ſpatium alterari non poteſt, antequam motiatur animal, nunquam vitiabitur perluentium humorum ſecretio, quorum immutabilitatem obſervatio practica redarguit.

Verum qui hanc de fermentis hypotheſin amplexi ſunt, ultra quod in circulationem ſanguinis blaterant, cum ab inſito glandularum liquore ſanguis præterfluens aliam induat naturam, coguntur re ipſa profiteri, corpora fluida in contactum nitentia, ſibique cohærentia in alium abire compoſitum non poſſe, niſi mutetur partium ſe invicem involventium cohærendi modus, ut a primo contactu removeantur, vel in prima poſitione oblique vel perpendiculariter poſita per directiones ſuorum motuum non ſiſtantur, ex quibus demum fit, ut (niſu in contactum determinati gradus, & determinata poſitione particularum in lineis ſuarum directionum plurimum mutata) dicendum ſit, cohæſionem primam eorum corporum in aliam cohæſionem a prioris cohæſionis vi diverſam abjiſſe. Nam eorum directiones ſunt ab invicem variatæ, nec ipſa corpora perſiſtunt ad contactum in ipſum primo nitentia, non ſolum per lineas motus, eodem modo, ac primo ad invicem poſitas urgentia. Quoties igitur liquidum immutandum erit in aliud liquidum, fermentum, ut cohæſionis vis mutetur, debet directionum motus, & niſus in contactum imminuere, vel augere, nec poterunt partes cohærentes momentum ſuæ cohæſionis mutare, niſi præſto ſit corpus fermenti, quod intime ſeſe partibus in contactum nitentibus, & inter ſe cohærentibus immiſcendo, eaſdem a linea ſuæ directionis, a gradibus niſum in contactum urgentibus, atque a contactu primo dimoveat, ut in majorem, aut validiorem quocunque modo diverſam cohæſionem illas urgeat; quod cum requiratur admixtio fermenti in particulas fluidi, per illa vaſcula ſe rapientis, niſi determinetur a diverſis ſolidorum, & preſſionum momentis a circumpoſitis fibrillis in motum conſtitutis, fermentatæ moleculæ eodem directionis motu in glandulas ſiſti, itaut in ipſas particulas allidens mutuo cum impetu facultas non ſit major illarum momento non poterunt licet in fermenti naturam mutatæ in glandulis ſequeſtrari.

Quod ſi ſufficiant ſolidorum impulſus, & diverſæ circumpoſitarum fibrillarum preſſiones, ut cohæſiones particularum occurrentium mutentur, qui fit, ut tanquam neceſſarium conſtituatur ad animalium ſeparationes fermentum? ſufficere autem ad cohæſionem partium removendam ſuadet facultas illa, qua mutuo invicem cohærent miſcibilia, quæ licet contranitens cordis impulſui, ſolidorum oſcillis, fibrarum circumprimentium conniſu, cum tamen ſit minor illorum momento, non poterit in eadem poſitione, & contactu fluidi corpuſcula detinere.

Ut evidentius ratio mechanica pateat, qua cohæſionis mutationi, & contactus remotioni facultatem illam contranitentem viribus impellentibus, & atterentibus reſiſtentem ab iiſdem ſuperari oſtenditur, inquirenda eſt cauſa illius reſiſtentiæ, quæ a corde ſuperatur, cujus vis motiva muſculi cordis juxta celeberrimi viri Borelli calculum, cum ſuperat ſuo momento reſiſtentiam totius ſanguinis arteriarum, & faſciarum earundem dilatationem impedientium, non ſolum major eſt vi ponderis 18000. librarum, ſed ejus abſoluta vis muſculum conſtringens, in quo a fibris cordis quaſi ad mutuum contactum devenientibus compreſſa fluida ad minima diviſduntur, atterunturque ad totalem vim, qua ſanguis in arteriis expulſioni reſiſtit, eandem proportionem habet, quam unitas ad ſexaginta; cujus demonſtrationis calculus, licet non evidenti demonſtratione oſtendatur: tamen ſi menſurentur reſiſtentiarum aggregata, quæ ſanguis patitur, dum fluit per anguſtiſſima capillamenta gracileſcentium canalium, in quibus nulla fere pars contenti liquidi eſt, quæ non perveniat ad uſque contactum ſuperficie canalis, quæque per breviſſimum canalis vectem dimoventur cum majori reſiſtentia, quæ creſcit, tum quia liquidum fluens per anguſtiores canales plures contactus invenit, cum, ut conſtat ex Geometricis, ſuperficies minoris canalis major ſit, quam ſuperficies majoris pro ratione molium, tum quia ſanguis fertur per mille flexiones varias canalium, qui illic texuntur in rete, hinc in ſpiram circumvoluti incurvantur, miriſque modis implicantur, in quorum ſingulis flexionibus novam ſemper patitur reſiſtentiam, exerat cor oportet tot vires in ſingulis contractionibus ſuis, quot ſufficiunt ad ſuperandum inſignem reſiſtentiarum cumulum, quæ cum iiſdem arteriis contranitentibus ſanguini a vi cordis ſuperentur, dum ſanguis per exilitatem, & ramificationem vaſculorum ſupra omnes reſiſtentias a cordis contractione truditur, facilius me allicio, quanquam tædii, ac laboris impatiens, magis diligentia, atque aliorum induſtria, quam mea inſtructus, ad internam cordis fabricam perpendendam, quod perinde eſt, ac naturam, & vires cauſarum, quæ ventriculorum contractionem producunt, ad examen revocare: in quorum conſtrictionibus cum actio cordis tota conſiſtat, ſufficiat ventriculorum niſus conſiderare, qui, dum contrahuntur, ſanguinem eorum conſtrictione prementes, partem eorum motus ipſi communicant, ob quam impreſſionis, & motus communicationem ſanguis movetur, urgeturque in circulum. Impreſſionis igitur motus integris cordis viribus debetur, quæ ventriculorum viribus ſeparatim ſumptis debent eſſe æquales; ut ventriculi ſiniſtri vires, ni fallor, ut inquit M. Furin in Bibliotheca Anglica Gallico idiomate conſcripta, vim ponderis novem librarum æquant, illæ dexteri ſex, igitur integræ cordis vires minores non erunt vi ponderis 15. m. librarum; igitur ſanguis, licet non propellatur, & urgeatur a vi juxta Borellianum calculum determinata, movebitur tamen a vi 15. libras æquante, qua preſſionibus cordis ſubjicitur, & a vivido fibrarum ſuarum elatere ad partes propellitur.

At quoniam cordis vis, quæ determinata eſt, nequit impetum illum ſanguini imprimere, quo ipſe ſanguis ſuperare omnino poſſit implicatorum vaſculorum reſiſtentias, per quas canalium circumvolutiones perpetuo fluit, refluitque, niſi præſto eſſent aliæ facultates motrices, quæ novum ſupra fluidas parriculas momentum exercent. Proinde in cordis ſubſidium omnes fibræ ut parvi vectes ſyſtaltico motu, & preſſionibus liquida in gyrum pellunt, & ulterius urgent; ab hoc igitur tum ſolidorum tum fluidorum impulſu, & conniſu poterit cohæſionis vis immutari, aut niſus particularum in cohæſionem nitentium plane tolli, etſi non admittatur imaginarium, atque commentitium chymicorum fermentum.

Verum quam dubio, & infirmo fundamento innitatur quiſquis fermentis hiſce ſuffultus ſecretionis opificium enucleare ſatagit, concipitur a ſanguine in motum agi ulla fermentatione non poſſe. Quod autem ſanguis a fermentatione non moveatur, ex eo evincitur, quod ſpiritus ardentes in deſtillatione non exhibet, acres quidem, & urinoſos, ſed oleoſos, atque ardentes omnino nullos. A ſolo itaque aeris elatere, & ſpirituum animalium irradiatione cor excitatum in circularem motum cum pulſum arteriarum ſanguinem exprimit: at non inteſtino motu ebullitionis, & efferveſcentiæ illum exagitat, ſi nomine ebullitionis non intelligimus motum illum, quo ſanguis ab axe ad latera, a parietibus alliſus ad axem vaſorum repelli-

pellitur, ut fuſque deque in vertiginem agatur, quæ ſane ejus incaleſcentia, atque ebullitio, ſi intra vaſculorum ductus ob fermentationem excitaretur, ab inciſa vena protinus emicaret. Quod ſi ſulphur ineſſe aliquod ſanguini innuas, ut unum ejus fermentationis principium, cujus particulæ ſulphureæ indefinenter in corde accenſæ totius vitæ noſtræ curriculo effervefcentias removent, utque in tenuiſſimum ſpiritum diſſolutæ cum aliis liquoribus exaltentur, aliqua febrili inflammatione, ubi ſanguis ex toto accenditur, enormiter exaltatæ, immo ab iſta conflagratione in undequaque gliſcentem flammam adactæ, ſi per biduum pabulum nutritium huic flammæ deficeret, cum quod ſemel fermentavit, fermentationis motum non ineat amplius, deberent ſponte quieſcere, quod cum non contigat, dubietatem fermentorum prorſus demonſtrat, & eorundem utilitatem pulchre convellit.

Exploſa ut minus rationi conſona fermentorum hypotheſi in medium producta, nec illa vetus ſcholarum ſententia, qua glandulæ per facultatem attractricem ſecretiores a ſanguine promovent, vel per electricam vim humores ſeparant, admitti poteſt per ſaniorem philoſophandi rationem; nam ſanguis a partibus non attrahitur, ſed vi cordis contractili, & vaſorum reſilitione compreſſus ad partes propellitur.

Pitcarnius vero, cui nec chymicorum fermentum, nec mechanicorum cribrum arriſit, ſed mechanica magis, & Geometriæ nuper recepta conformior explicandi ratio, ſecernendum liquorem a ſanguinis conſortio, hac arte contra cribratores directa determinatam in glandulis expoſcentes figuram expedire conatur, quæ fere tota in hoc ſita videtur, quod ſi fluidum vi impetus gravitatem ipſius fluidi ſuperans in cavitatem tubi adigatur elaſtici, & facile cedentis, orificium ipſius tubi in circulum abeat: cum impetus fluidi æquali vi per lineas longitudinis tubi, & ad latera ipſius perpendiculares expellat parietes ad æqualia undique a dato axis puncto intervalla, quæ æquale impetus momentum ſuſtinendo paria evadunt. *Si fluidum magna vi, hoc eſt fluidi gravitatem multum ſuperante in cavitatem tubi adigatur, manifeſta ratione evincitur, & multiplici experientia confirmatur, motui tubi in longitudinem conjungi ſemper impetum in tubi latera perpendicularem, qui ipſa ab axe motus undique nititur extrorſum propellere, idque vi æquali; quia nulla fingi poteſt ratio, quare major eſſet verſus unas partes, minor verſus alias niſi quæ a partium fluidi gravitate peteretur, quam nullius momenti aſſumpſimus præ magnitudine alterius vis fluidum impellentis; & ſi latera ſint flexilia, elaſtica, & facile cedentia, tum fieri non poteſt, quin effectus ſuos conſequatur impetus, expellatque latera ad æqualia undique a dato axis puncto intervalla, eaque tantæ longitudinis, ut diductorum laterum tenſio, & elaſticitas ſubſiſtendo impetus momentum, jam pares evaſerint; quo caſu quam primum induiſſet figuram tubus, & poſtmodum in aliam mutabitur, cujus ſectiones omnes ad axem perpendiculares neceſſario erunt circuli majoris vel minoris diametri, pro majori, vel minori fluidi impetu, laterumque majori, vel minore flexilitate in diverſis tubi locis. Tales vero flexiles tubi ſunt vaſa corporis animalis univerſa, per quæ cordis machina fluida omnia propellit ea vi, quæ propulſorum gravitatem longe ſuperat.* Hæc Pitcarnius. Cum igitur ſphæra ſola ſit inter figuras ſolidas quæ datum orificium pertranſit quolibet ſitu ad illud delata, & ſolus circulus ſit inter figuras planas, qui admittit cujuſcunque figuræ corpus, dummodo diameter corporis non ſit major diametro circuli, deducit, fluida, quæ ſeparanda ſunt, nullam depoſcere figuram ſibi propriam, & conſtantem, cum glandulæ circulares ex ſe cuicunque figuræ ſecernendæ accommodentur, dummodo vires cordis impellentes ad occurſum ſuum orificii ad cohæſionem partium fluentium tollat. Expendamus modo ingenioſiſſimum quidem tanti viri ratiocinium. Quoniam impetus fluidi in aliqua cavitate contenti, ad hoc ut ab ipſa axe æquali vi undique nitatur extrorſum propellere tubi latera, exigit, ut motus fluidi, quo impellitur per longitudinem tubi, æquet impetum ad tubi latera perpendicularem, qui impetus ab axe ad parietes tubi perpendicularis æqualis eſſe non poterit motui tubi in longitudinem, quotieſcunque motui fluidi in longitudinem opponuntur, & hiant ductus aperti (quos Pitcarnius in demonſtratione non ſuppoſuit) qui fluido concepta vi in cavitatem tubi adacto egreſſum cedant, fit, ut dempta plenitudine, & totali inflatione ipſius tubi, impetus fluidi ad latera nitentis eludant; ex quo colligitur in glandulis nullum fieri a ſanguine impetum, ut diducantur latera earundem in circulum æquali motus rectæ vel obliquæ directionis momento. Cum fluidum in cavitatem glandularum propulſum tranſeat per diametrum orificii non majorem diametro canalis excretorii, non erit majoris molis, quam quod poterit per ductus illos eliminari. Verum licet corpus glandulæ, ejuſque orificium ex tunicis diſtractilibus, & facile cedentibus fibris coaleſcat, ut poſſit, ſi cæteris datis, in circulum abire: Nihilo tamen minus ſi ductus excretorii oſcula non conniveant, aut obliterentur, glandula non migrabit in ſphæram, cum preſſio liquidorum ad latera minor ſit quam eorundem niſus recta incedens, nec ſanguinis impetus infringatur ab hiantibus ductuum excretoriorum oris in glandularum corpore ſitis, ut illius imminuta rectæ directionis velocitate ad parietes augeatur impetus, non fiet, ut æquali niſu diductilia latera undequaque premantur a ſecernendo liquido, quod ſeſe prius ejaculare conatur linea recta ad perpendiculum per tuborum oſcula aperta, antequam ab axe angulos rectos momentum in glandulæ parietes æquales exerceat. Igitur ab impetu ſanguinis ipſius gravitatem ſuperante nulla in glandulis figura ſphærica evincitur. Ut autem in dubium non revocetur oſtenſio propoſitionis, ſufficit aciem intendere oſcula glandularum hiare, nec hiare ſolum poſtquam fluidum fecit impetum, ſed hiare ipſo momento temporis quo fluidum impellit. Hinc licet niſus villorum oſculi glanduloſi nullo contrapondio impeditus ſit continuus ad contractionem, & niſi extendatur a fluidis currentibus, aut in eo contentis, ob preſſionem cujuſcunque liquidi ad contactum ſuarum fibrarum carnearum excurrentium perpetuo ad contractionem tendat: tamen fluidorum motus omnino directus a perpetua ſolidorum oſcillatione, dum urgendo extendit fibras cavitas glanduloſæ, & in illas æquale momentum impulſionis exerit, quia æquales reſiſtentias non invenit, in fibras minus contranitentes, quæ ſunt illæ orificii glanduloſi, primo in eaſdem propagatur ejuſdem impetus, qui cum in illas propagari non poſſit, niſi dilatetur diameter oſculi, fit ut ſimul, & ſemel ab eodem urgente fluido extendatur cavitas glandulæ, & excretorii ductus oſculum, antequam diductilia latera eodem niſu urgeantur, quæ cum premi non poſſint ab eodem impetu, primo aperietur excretorii ductus orificium; & licet non aperiatur ipſo momento temporis quo fluidum impellit, aperiatur ſaltem, antequam colligatur ille impetus in parietes, qui illos in circulum abire cogat. Partes minus reſiſtentes eſſe fibras orificii excretorii in cavitate glanduloſa, ex eo patet, quod non ſolum a minimis fluidi guttulis, cunei vices gerentibus, & ſeſe inſinuantibus inter ſpatia orificii nullo fibrarum nexu firmata, ab illarum preſſione ita urgentur, ut ſuſtinere illam percuſſionem non poſſint; ſed etiam quia oppoſita, & ſe invicem agentia latera orificii nullis faſciarum fibrillis, ut cætera cavitatis glanduloſæ fibræ, irretiuntur, quæ pluribus fibrarum ordinibus, & faſciculis compinguntur.

Urget tamen Pitcarnius, *ſi corpus recipiendum ſit orificio minus, & intra illud poſſit accommodari, adeo at omnes ſectiones per plana orificio parallela ſint minores orificio dato, tum non hoc ſolum corpus, ſed infinita alia cujuſcunque figuræ orificium illud poterunt ſubire; & quamvis maximam corporis ſectionem ſimilem ponamus, & æqualem figuræ orificii dati, quia tamen diverſiſſima corpora eandem ſecta nanciſcuntur figuram, per idem orificium diverſiſſima poterunt tranſire corpora, ſive per idem vas ſecernens diverſiſſimæ derivari ſecretiones.* At nonne ſagaciſſimus Auctor excluſis quibuſcunque determinatis figuris ſphæram admittit; & tamen ſecretiones plures, & longe diverſas per idem orificium celebrari non finit. Sic inquit; *Per idem orificium circulare tranſit non tantum ſphæra, cujus ſectiones ſimiles ſunt æquales circulo orificii, ſed conus & cylindrus ſuper æquali baſi, & per idem orificium tranſibit, & pyramis, & priſma, & conus, quorum ſectiones maxime per plana orificio parallela ſunt triangula æqualia, & ſimilia triangulo datum orificium comprehendenti.* Ex quo deduco cum annularis cylindrus ſolus ſit inter figuras, quæ admittit cujuſcunque figuræ corpus quomodocunque ſitum, modo corporis maxima diameter non ſit major diametro annularis cylindri, multo plurimas, & longe maximas neceſſario fieri fatendum erit, quam ſi glandula determinatæ figuræ aduitteretur, quod eſt contra artificium ſubtiliſſimi Pitcarnii. Unde licet conus, & cylindrus in æquali baſi per ſphæram poſſit tranſire, non tranſibit tamen fortaſſe, ſi ſimplici contactu in cæteras particulas non nitatur, & in minima diviſus ut ad ſecretionis opus requiſita velocitate polleat.

Quoniam minima ſolida diverſimode inter ſe complicata, & motu inteſtino agglomerata fluidum conſtituunt, hæc ipſa juxta molem, gravitatem, figuram & cohæſionis momentum vibrationem ſuſcipiunt. Si v. gr. ſupponamus in eodem fluido particulas corporeas non omnino diſſociatas, ſed concatenatas inter ſe, ſive propter varias figuras ſeſe mutuis amplexibus tenentes, ſive quia anguli unius corpuſculi inter cavitates alterius infinuati non poſſunt libere vagari, ita ut concipi debeant veluti vectes, qui ab una parte impelluntur a premente, ex altera retardantur a reſiſtentia, quæ contrario niſu reſiſtit impulſui ipſius prementis; tunc quidem particulæ illæ in ſpatio fluido actione contraria adhæſionis retardatæ, prementis viribus impulſæ impetus a premente impreſſos ſucceſſive retardant; & hoc pendet ex lentore, quo colliguntur prædicta corpora atque reſiſtentibus viribus, quæ imminuendo vim ipſius prementis particulas a contactu non dimovent, & prædictas machinulas a ſecretione divertunt. Quia vero corpus ictum ſuſcipiens pro diverſa ſituatione ejus diverſimode impulſui illato reſiſtit, fit ut actio percuſſiva varietur pro diverſitate reſiſtentiæ a ſitus variatione procreatæ; & hæc eſt ſecunda cauſa, a qua impetus energia ipſius percutientis, & reſiſtentia corporis diverſificatur.

Si poſtea impetus graduum impreſſorum inæqualibus corporibus ab eodem corpore percutiente, & ejuſdem viribus menſurentur, erunt quidem eorum velocitates quodammodo proportionales magnitudinibus corporum impulſorum: ſed corpora illa inæqualia, quæ impelluntur ab æqualibus viribus motivis inæquali velocitate movebuntur, & velocitates illæ duorum corporum inæqualium eandem proportionem habebunt, quam unum corpus habet ad aliud in ratione gravitatis, & molis. Hinc evidens eſt, cum corpus fluidum varie contextum diverſiſque particulis combinatum transferatur a virtute communicata, & propagata a projiciente, dum modo per medium fluidi ab impulſu fertur, modo revolvitur horizontali vertigine circa ſuum centrum, modo particulæ centrifugæ excurrunt contra directionem motus ejuſdem fluidi non poſſe æqualiter impelli, ut æquales ſuſtineat impetus, ſed longe diverſas minimorum ſolidorum ſolutiones ſubire, ut in plurimis particulis ſit minima diviſum, alias ſimplici tangeus contactu revolvatur; & hæc eſt prior ratio, quæ ope determinati motus ſecretionis leges obſervat; ſed ajunt; canalis omnis ſuo liquido plenus cum contrahatur a facultate poſita ad contactum laterum omnium nitente intra contentum liquidum, exerceat ſua momenta in canales animalium villis circularibus in ſuperficie eorundem canalium diſpoſitis, contextos, qui villi circulares æque diſtantes canalium orificiis contrahuntur per illam ipſam aream circuli, ad cujus circumferentiam ponuntur, erunt non ſolum momentorum æqualium, ſed ſeries globorum liquida componentium, dum per canalia fluunt, cum æquo niſu villos canalium contractiles impellant, & in ejuſmodi circuli diametros æqualiter nitantur, canaliculi illi in conicos, aut cylindricos abibunt, quorum coni, aut cylindri in circinos circumvoluti erunt glandulæ circularis diametri. At licet momenta facultatum contrahentium canales omnes in genere ſint æqualia, ſeu villi contractiles æque craſſi, & diſpoſiti per veram circumferentiam circulorum in fluidum æque nitantur, & liquida ſolum æque premant, incredibile eſt, quantum hæc communiter admiſſa in prodigioſis glandularum productionibus a veritate diſtent. Artificium naturæ, quo illa utitur ad glandulas producendas ſubtiliori fortaſſe mechanica ſulcitur.

In ſummis arteriis protractio cylindrica glandularum inflexa in ſpiram, & intexta in reticulares opus eſt filamentorum glomer, quæ flexionibus variis in quas hi iidem rami veniunt, per corpora glandularum implicantur in textus inexplicabiles, eorundemque ſpiræ ob inexplicabilem illam diverſitatem poſitionum innumerabilibus ramorum ramis ad uſque ultimas, qui univerſam arteriarum ramificationem texentem, glandulas conſtituunt invicem decuſſantur, implcaturque in mille anfractus ita rotatæ arteriolæ, ut fi-

lum

lum earundem, quod ſucceſſive glandulæ advolvitur, non veniat in eundem locum cum filo jam advoluto, ſed ipſum ſecet in decuſſim. In hac apta ſuperimpoſitione filamentorum, & ſpiris arteriolarum ad ſe invicem inde decuſſim poſitis, atque diverſimode ſe ſecantibus mirabili artificio villi contractiles advoluti ſuperficiei in mutuum contractum nitentes contrahuntur premendo in puncto contactus ſuperficiem canaliculi inferioris conici, au cylindrici; Ex horum mutua canalium poſitione, & niſus directione fit, ut cum momentum, & preſſio ſuperincumbentis vaſculi non ſit minus momento inferioris reſiſtentis, ſuperficies vaſculorum conica, aut cylindrica quaſi in planam decuſſata abire cogatur, adeoque fit ut eorundem villi contracti per plana, ut notum eſt ex Geometricis; tangentia planum immiſſarii glandularum non conſtituant verum circulare orificium, tam affabre contextum, ut tota glandula in arteriolarum ramis evadat in figuram exacte ſphæricam.

Recenſita aliorum ſententia, & ſphæricarum figurarum in glandulis neceſſitate, eaque in dubium revocata, nullus tamen æquabiles, & conſtantes inter pororum diverſitates, vaſorumque orientium in animalis contextu ajo eſſe figuras. Orificia glandularum non ſolum majoris, vel minoris diametri ratione inter ſe differre, ſed figuris diverſis ita efformari, & compingi, ut a diverſa fluidorum preſſione, a diverſo ſolidorum reniſu poſſint ita diſtrahi, ita comprimi, reſtringi, dilatari, convelli, ut ſi non omnes figuras æmulentur, ſaltem cuicumque figuræ accedant: quapropter fas ſit dicere in ſeparatione fluidorum aliquam proportionem filtri cum fluidis requiri, & vires cordis propellentes cum aliqua ad orificia glandularum preſſione, quæ ſuperent ad occurſum oſculorum cohæſionem partium fluentium, quod expeditur determinata ſanguinis velocitate, quibus omnibus mechanicorum diſſidia dirimuntur, ita ut nec cum Borello, & Poriſtis, nec cum Pitcarnio in integrum litigium habeatur.

Quoniam ſanguinem componunt minimæ ſolidorum moleculæ diverſimodæ inter ſe contextæ, certiſque miſcibilibus præditæ, ideoque nexu, ac gravitate diſtinctæ, ab eadem vi cordis impreſſa minima illa fluidi componentia diverſum velocitatis gradum, ut ſuperius oſtendimus, ſuſcipiant oportet, quo fit ut a concepto impetu ex fibris contractilibus cordis, vaſorumque compreſſione ſanguinis moleculæ, mutatis poſitionum directionibus, vel arcto corporum contactu relicto per arteriarum conica, vel cylindrica canalicula fluant, & per ipſa ad glandulas ſalivales delatæ, dummodo diameter maxima particularum fluidi ſeparabilis non ſit major diametro orificii, in obvia glandularum oſcula ſeparabuntur. Exigunt tamen, ut ſint in minima diviſæ juxta Borellum, Pitcarnium, & nuper virum maxime doctum Michiellotum, quæ non tenaci nexu, ſed ſimplici contactu uniantur, ita ut una quælibet earum poſſit agitari, fluere, circumvolvi, aliter motis lateralibus, alio enim modo ſalvari non poſſet facilitas illa, qua fluidi partes leviter cohærentes, & non determinato impetu alliſæ ſoperare poſſunt orificiorum reſiſtentias, & inter diductos poros ſeſe intrudere; quarum ſolutiores partes ab axe arteriarum per latera vaſorum diſcurrentes, & non ſeparandas partes ſimplici contactu tangentes, ſi arterioli s occurrerint glandularum latera nitendo oblique contranitentia, ipſarumque molecularum impetus non erit minor orificiorum viribus, nec major, ut tempus, licet indefinite parvum habeat (ad liquorem enim in aliqua glandula ſeparandum ſejunctionis tempus, licet indefinite parvum, requiritur) in orificia vaſorum impinget, & in hiantia oſcula intrudentur.

Quodcunque fluidum in arteriis præexiſtens a ſanguine ſeparandum ab ipſo fluido abſcedere non poterit in ductus glandularum ſecretorios, ſi ſanguinis fluentis velocitas ad ipſas glandulas talis, ac tanti momenti non erit, ut poſſit glutinamentis aſſociatis moleculas dividere, & partium implicatarum nexum laxare, atque imminuere. Mutuis niſibus igitur ſanguinis rotatis particulis, & vertiginoſis motionibus agitatis a variis preſſionis, & lationis momentis fiet, ut ſanguinis ſolutæ moleculæ modo a preſſione fluidorum ad latera vaſorum impingentes, modo a lateribus repulſæ per axem revolvantur: hinc a tergo ſupraveniente impetu propulſæ, eundem ſemper directionis niſum, & impetus gradus habere non poterunt. Ubi autem canaliculum arterioſum conicum, aut clyndricum Bellini plicatum in plicas, vel in longitudinem extenſum, fluidum ſeparandum impinget, atque ſufficienter vaſorum orificia impellendo extendet, apertis oſculis applicabitur.

Quod autem quæcunque ſanguinis velocitas velociſſime currentis, aut pigre arterias transfluentis non ſit ſufficiens ad ſeparationem, non modo ſe dilatantibus, verum ſe contrahentibus vaſculis, eaducor ratione, quod corpora diverſæ gravitatis vi æquali preſſionis impulſa ſæpiſſime velocitates, atque directiones inter ſe diverſas ſuſcipiunt, & conſervant. Sic obſervo, dum globulos plumbeos, vel grana frumenti diverſæ gravitatis, ac molis manu projicio, licet gravibus motus imprimatur æqualis quantum ad projicientis vires, in eis tamen velocitatem, & impetum primum non conſervari, ſed alia recta incedunt, alia oblique vagantur, alia velocius moveri, alia tardius curſu rapi proſpiciuntur, ſervata tamen eorum velocitate reciproce proportionali magnitudinibus, & gravitati corporum impulſorum. Hinc ſicut impetus projicientis diffunditur in allata corpora, & communicatur projectis; ita eadem in diverſis gravitate, ac mole ſanguinis moleculis ratione imminuitur, vel augetur. Sanguis igitur cum non uniformis ſit, ſed conſtet ex particulis diverſimode figuratis, (corpus enim fluidum, ſimulque continuo fluens, licet in omni puncto diverſibile, componitur ex partillis terminatis, & quantis) & quanquam infinite parvis, & diviſis, tamen mole, figura, & partium cohæſione diverſis, ut dubitandum non ſit, plures fluidorum proprietates, ac naturas pendere a diverſo cohærendi modo, a ſtructura, configuratione, ac motu molecularum ſanguinem componentium; ita ut particulæ aquam componentes hac ratione ſimiles inter ſe ſint, atque diverſæ ab eis, quæ oleum componunt; harum infinita miſcibilia partium parvitate maxima pollentia diverſo gradu velocitatis inſtructa, & diverſo niſu, & cauſis in projectis corporibus impellentibus æquali impetu inæqualiter operantibus glandulas alluunt, quorum velocitatis momenta debent commenſurari corpuſculis ſanguinis gravitate diverſis, & inæqualiter ictui cordis & ſolidorum oſcillis reſiſtentibus.

Sanguinis igitur moleculæ per axem arteriarum fluentes illas partes reſiſtentes non offendent, quibus allabentes vaſorum latera occurrunt. Arteriarum tunica quarta interior tenuiſſima fibrillis in longum protenſis villos annulares tunicæ præcedentis ad rectos angulos ſecantibus, contexitur. Hujus fibrillæ non poſſunt ita concatenari, ut internam ſuperficiem ſcabram, & parietes vaſorum inæqualitet lævigatos non conſtituant; adeoque ſanguis particulis collateralibus retentus non poterit excurrere, extricari, quin miris in modis per plana horizontalia, vel inclinata variis ictibus flectatur, indeque circumvolutus minimarum aſperitatum confricationibus ita impeditur, ut ictus illatus particulis ſanguinis in latera nitentibus a corde, & impellentium corporum impreſſa velocitas ratione contactus excurrentis projecti impetum retardantis debilitetur; quod evincitur non ſolum in liquidis fluentibus extra animalium canalia, ſed etiam in liquidis per ipſa animalium vaſcula fluentibus, quæ dum fluunt per canales in linea, quæ maxime diſtat a canalium ſuperficie, majori velocitate rapiuntur, quam ſi fluerent per lineam, quæ magis accedit ad eandem ſuperficiem, in qua plures adeſſe poſſunt cauſæ, per quas eadem liquida inæqualibus motibus agitantur in partibus ſuis. Ex hac inæquali agitatione fit, ut eædem partes ſanguinis numquam ſemper ſiſtantur ad contractum, in aliam lineam abeuntes mutent poſitionem in centris ſuis, excitanturque proinde non ſolum in diverſam motus directionem, ſed deflectentes a laterum contractu majori momento agantur. Unde inæqualitas illa momentorum a poſitione ſeriei globorum liquida conſtituentium conſurgit, ex quo fit, ut eædem partes nunquam certo loco ſiſtantur ad certum ſemper contractum; ob quam motus inquæqualitatem, poſitionem variam, & vim liquidum perductum ad immiſſarium, ſi ita diſpoſitum ſit, ut partes ejus anteriores in latera trudantur, nitetur quaquaverſum in ſuperficiem ejus internam, & in ipſum emiſſarium incider oblique, & ſeparabitur.

Sint ulterius particulæ corporeæ aliæ cohærentes, aliæ ſeſe tangentes ut acervus arenæ, (ſi lubet mere fluidum cum fluidis, & humidis comparere) quæ diverſis reſiſtendi modis vim impulſivam projicientis a tergo urgentis imminuunt, eamque retardant. Reſiſtentia quæ primis refertur, pendet ex glutinoſis fibris, quibus implicantur prædicta corpora, atque vis diviſioni reſiſtens eſt illa, quæ retardationem infert velocitati ipſius projecti; poſteriores vero ſi ſint talis figuræ, ac levitatis, ut poſſit una earum inter alias excurrere, & contorqueri, tunc quidem propulſæ inſinuantur inter alia, & exercentes actionem cunei in alias particulas reſiſtentes inſinuantur, quæ non ſolum impetum projecti retardare non poſſunt, ſed reſiſtentias particularum ſuperius expoſitarum continenter imminuunt. Fit igitur retardatio tardius, aut citius, prout plures reſiſtendi modi in ſanguine concurrunt, quæ reſiſtentia conſtat ex innumeris peculiaribus retardatiunculis una poſt alteram confectis, a quibus omnibus contraria reactione, ac repulſu, vis & energia, ictus, & impetus enervatur.

Ex hoc diu perpendens cum doctiſſimo viro Michielloto, quod ut fluidum ſeparatur, debet eſſe diviſum in partes, quæ non habeant rationem majoris inæqualitatis ad minimam oſculorum orificii diametrum, & quod hæ partium diviſiones ſe in puncto contactus tangentium oriantur ex mutua fluidorum colluſione, ſe invicem atterentium, & compreſſivo ſolidorum conatu, colligo, quod hæc partium ſolutio debet imminuta fluidorum attritione, & ſolidorum niſu, & cum hæc omnia debilitentur, vel augeantur debilitato, vel aucto motu, patet in debilitato motu, vel aucto imminui, vel augeri liquidorum ſecretiones: igitur non quæcunque velocitas ad quamcunque naturalem ſeparationem fluidorum, ſed determinata requiritur.

Corpora inſuper, quæ ſeparanda ſunt, non ſolum nitantur invicem in aliorum contactum, ſed ipſa ſe contangant cum niſu, ut repugnent remotioni ab eodem contactu; cum illa determinata poſitione contactus perſiſtent corpora in eadem cohæſionis vi, quorum corporum cohærentium directiones a mutua obliqua, vel in directum poſita, aut perpendiculari ſituatione non avertentur, quouſque illa corpora eodem niſu in contactum, eodemque directionis momento in eandem poſitionem nitentia, in eadem cohæſione perſiſtent. Mutatis igitur gradibus niſuum, & variatis poſitionibus directionum, atque corporibus a contactu cum niſu urgente remotis, non ſolum mutabitur directio niſuum, & gradus motuum, verum cohæſionis vis plurimum mutabitur, cujus ſimplex in contactu cohærendi modus neceſſarius eſt ad perficiendum artificium ſecretionis. Machina autem hujus operationis a mutuo niſu in contactum cohærentes fluidi moleculas removentis, & impedimenta illa arripientis ob quæ in canalibus a ſeparatione prohibentur, eſt impulſus liquidorum in ſolida, & ſolidorum niſus, & reniſus in fluida, ex quibus omnibus fit demum in textibus reticulantium arteriarum ſanguinis ſolutio maxima, ob quam colligatæ particulæ ab eadem cohæſione ita divelluntur, ut ſanguis, ſuperatis plexibus retiformibus, non ſolum conſervata ſolutione, quam ſubit intra cordis ventriculos, & pulmones per totam canalium longitudinem, vaſculorum ambagem, & contorſiones ad uſque plexus retiformes, verum eadem ſolutione in eiſdem plexibus plurimum aucta glandulas facile ingrediatur.

Cum autem mutua particularum cohæſionis vis, & unio a parietibus cordis alliſa, pulmonum preſſione concuſſa, & ſolidorum viribus, & oſcilli, diffractis vinculis in minutiſſimas moleculas dividatur, poterunt mutuis contactibus diverſæ particulæ uniri, & varia ſiltra pro diverſa indole, ac modificatione, quam ſitus, poſitura, ordo, & particularum combinatio permittit, ſeparari; unde cum cor ſemper eodem gradu niſus, & ſolida quæque non nitantur in fluida, cohæſio illarum partium ob diverſum impetus momentum excurrentibus miſcibilibus impreſſum ab occurrentibus reſiſtentiis plurimum modificabitur, a quibus ſimul ſumptis immediate dependet ſanguinis ſolutio major, vel minor. Hinc ſi minuetur ſolidorum impetus, & vires, augebitur niſus partium in contactum, unde ſanguis non ſolum in eadem cohæſione perſiſtet, verum in majorem, & validiorem unionem promovebitur, & hoc ſubito fiet, ſi vis illa, qua cohærent partes, ſit momenti majoris, quam momentum ſolidorum atterentium. Poſita autem cohæſionis vi, & plurimum promota, cum ad ſeparationem requiratur ſimplex cohæſionis contactus, evidens eſt, vel nullam, vel tenuem admodum fieri ſecretionem. Ex hoc deducitur, ad quamcunque ſeparationem non ſufficere quamcumque ſanguinis velocitatem: quia poteſt dari

ille

Cum igitur, ut oſtendit inſignis Bellini propoſit. 20. de motu cordis, facultates contrahentes moventur, canales figuram mutent ea ratione, quam ſecum fert proportio velocitatum, quibus eædem facultates intra canalem moventur, & portio illa velocitatum pendet a momentis, quibus facultates inſtructæ ſunt, & cum momenta in canalibus pendeant a craſſitie villorum, a quibus facultates illæ conſtituuntur, facile intelligis, quo momento contractionis opus eſt ad hujuſmodi velocitatem acquirendam in hac, aut illa arteriarum parte, quo inde addiſces, qua craſſitie villorum opus fuerit, ut tale habeatur contractionis momentum, quod cum determinetur a diverſa villorum craſſitie, non ſolum inæqualis habebitur directio motus, tum ſolutio ſanguinis major, vel minor, ſed tum figura in glandulis plurimum mutabitur ea ratione, quam ſecum fert proportio velocitatum fluidorum, & poſitio ſolidorum, eorumdemque contorſio, & reſiſtentia. Quapropter ſanguis cum juxta majorem, vel minorem diviſionem ortam a conniſu ſolidorum & reactione fluidorum particulas conglutinatas diſſociante, & inertes atterente, majori, vel minori in glandulas impingat velocitate, ſit ut diverſo gradu velocitatis inſtructus per varia viſcerum filtra præterfluens congruis vaſorum ſeparantium orificiis fluidorum impetum recipientibus apponatur; hinc inde a preſſione particularum a tergo urgentium impulſus in diſperſis viſcerum glandulis ſubſtantias deponit; & quoniam ab impetu primo ſanguini a corde impreſſo, ejuſdem molecularum velocitas, atque ſolutio debilitatur non ſolum a proportionali arteriarum afferentium, & venarum deferentium reſiſtentia, verum occurſuum reſiſtentium varietate, nimirum ab arteriæ ſpira, & cono, a mole corporum fluentium, pondere, & elatere comprimentium impeditur, promoveturque; ideo per totas animalis lacunas, & viſcera ſagax natura diſpoſuit filtra, ut diffluentium molecularum impetum, & diverſas fluidorum ſolutiones ſibi proportionales reciperent. Hinc quamcunque ſanguinis glandulas percurrentis velocitatem ad ſecretionem animalem ſufficere redarguunt partes ſecernendæ, quæ debent eſſe actu diviſæ in minima, ut ſe tangant ſimplici contactu; repugnat enim ſanguinis ſeparandas moleculas eſſe actu diviſas, & ſimplici ſe tangere contactu, niſi admittatur illa velocitas, qua conglutinatæ partes diſſocientur, quæ debet eſſe directe quodammodo porportionalis illarum cohæſioni.

Quis inquam eſt mentis tam præjudicatæ, quod quotidie non videat ab accelerata, vel imminuta ſanguinis velocitate accelerari, vel imminui liquidorum ſeparationem? ſi quæcunque ſanguinis velocitas ad quamcunque humorum ſeparationem ſufficeret ſine ulla prorſus figuræ diverſitate, explicari non poſſe videtur, quomodo producatur icterus abſque filtri ſeparantis injuria, quem ſane vidit Sylvius cap. de Ictero a ſpiritu volatili, potuque generoſiori abſque ductus biliarii obſtructione productum. Bilis enim a ſpirituum copia in fluorem nimis evecta ob ſui motus acceleration em in acinis hepatis glanduloſis minime coercita, ad vaſcula majoris reſiſtentiæ, & ſui motus impulſui proportionali defertur, in quorum conis, & ſpiris retuſo impetu, & corporum elatere comprimentium imminuta motus acceleratione ad cutanea loculamenta inficienda ſibi viam ſternit.

Sic quando ſanguis præter rationem tardius currit, tardius quoque procedit evacuatio. In puerperis obſervante Baglivo, ſuperveniente febre ardente lochiorum fluxus ſupprimitur, eodemque febris incendio lac evaneſcit in mammis, reditque remiſſo calore febris. Igitur cum Pitcarnio, & laudato Michielloto a Borello, & cribratoribus Mechanicis glandularum orificia datæ figuræ corpus tantum recipientia admittentibus diſſentior, quoniam omnis glandula ex tunicis contractilibus, & diſtractilibus, & facile cadentibus machinulis coaleſcit: quibus non ſufficientibus requiruntur mutati velocitatis gradus, acceleratæ, vel retardatæ percuſſionis impetus, qui a corde ſanguinis miſcilibus impreſſus, juxta molecularum ad motum reſiſtentiam, quæ a corporum cohæſione, vel gravitate dependet, augetur, vel imminuitur. Attamen quid curioſi, quod mirabilis natura parit in craſſis, tenuibuſque liquidis ſeparandis ſolicite inquirentes ingenioſiſſimi viri ultimam in hac re mechanicam eruere non poterunt. Nec mirum ſi in re tam ardua, tam difficili in dubium manebit, ut Lucretius, quod latet; Ultimæ enim rerum differentiæ ob datorum defectum ad Mechanicæ doctrinæ leges, methodoſque adduci nequeunt.

ARTICULUS IV.

De uſu ſalivæ.

SI nulli rei deſtinaretur ſalivalis latex ab arterioſo ſanguine per glandulas in os, & œſophagum eructatus, inanis foret naturæ luſus glandularum illa productio a tota cavitate palati erumpentium: quapropter cognitis ſalivæ ductibus, & opificio ſecretionis perpenſo, uſus ejuſdem in œconomia animali eruendus eſt. Qui enim glandularum ſecernendæ ſalivæ, maxillarium nempe, parotidum, tonſillarum, tyroidearum, buccarum, palatinarum, & œſophagæarum numerum, e quibus maxima ſalivæ copia continuo ſeparatur, ſerio perpenderit, atque ab eis ventriculum indeſinenter exonerari ſerio conſiderans, plurimi momenti eſſe ſalivalem humorem a provida natura multis uſibus deſtinatum, animadvertet. Hic enim triturationem alimentorum in ore facilitat, eorundem deglutitionem promovet, ſapidam a cibis tincturam elicit, qua ſenſus guſtus determinatus, fauces, & œſophagum humectat, ſitim nimiam compeſcit, ad vocis prolationem aptiorem reddit linguam, ab ejuſdem cum alimentis in ventriculo admixtione inchoatur eorundem diſſolutio ad chyli elaborationem ordinata.

Salivale menſtruum quoſdam a veritate alienos in tantum ſui admirationem rapuit, ut ſolvens mineralibus inde ſibi promiſerint, & materiam univerſam, in ipſo tamen deliramento decepti, quæritarent; horum quamvis figmentis minime ſubſcribam, activitatem tamen illius laticis evincit elicitus ſapor ex alimentis momento tantillum in ore volutatis, cujus miſcela eorundem liquefactio, atque diſſolutio inchoatur. Dum cibus inciſoribus, & caninis diffringitur, in minutas partes ſubdividitur, qui molaribus commiſſus, & hinc inde motu linguæ jactatus, undequaque ab effluente ſaliva irrigatur. Mirari quis deſinat, ſeparationem ſalium tunc contingere, qui ab aqueis ſalivæ particulis eliquati vi ſuæ gravitatis, & penetrationis vim cunei exercentes in membranam nervorum apices ob ducentem, papillarumque copulas efformantem pluribus foraminulis perviam impingunt; & motu linguæ vario undique impulſi, aeriſque vi elaſtica perpendiculariter, & lateraliter, rotati in nerveas linguæ papillas adiguntur, quarum ſiphunculi linguæ implantati, & apice ſuo erecti anguſtiſſimis oſculis occurrunt ſalibus, qui in nervorum ſurculis intimius illapſi, aut per organum guſtatricis potentiæ confeſtim repentes cuſpidulis ita titillant, certumque motum directionibus ſuis nervis guſtatoriis imprimunt, ut modo conſtringendo, modo laxando, modo pungendo determinata undulatione afficiantur in nervis contenti ſpiritus, de quibus motibus anima compos ideam ſuavis, vel ingrati ſaporis efformat. Hic ſalivæ actio non deſinit, ſed ut per continuam dentium colliſionem, mutuamque attritionem chyli rudimenta evolvantur, opus erat menſtruo aqueo ſalino, quod per contractionem muſculorum temporalium, & maſſæterum potiſſimum in actu maſticationis, compreſſis glandulis, jugiter in os confluereat, quouſque ſalinis moleculis plurimo aere refertis, & gravitate nativis ſubeundo alimentorum vincula, eorundem nexus, cohærenteſque particulas vi ſui elateris exagitando, cum partium intra alimenti poros, coercitarum excluſione commodius alimentum ipſum macerare, ac ſubigere poſſet.

Cibus ita permixtus, & attenuatus verſus fauces protruditur, & prius ore clauſo per conſtricta labia ope labiorum ſphincteris, de arctato oris cavo actione buccinatorum, & zygomaticorum, tumque ſimul motum cibi urgentibus baſiogloſſis, & ceratogloſſis una expreſſo ſucco lubrica linguæ, & palati, juvante ipſius figura, & ſuperficie, fertur cibus uſque ad linguæ radicem, ubi appulſus irritando convellit muſculos geniohyoideos, mylochyoideos, & ſtylohyoideos; a quorum vi attollitur radix linguæ, larynx, & os hyoides; harum elevatione impulſus cibus epiglottidem deprimit. Hinc relaxato œſophagi ſphincte re a muſculis genioglo ſſis, & genihyoideis ope myloglo ſſorum, & ſtyloglo ſſorum truditur cibus ingulam apertam, contractiſque fibris tunicæ œſophagi muſcularibus oblique decurrentibus ad principium ventriculi uſque promovetur. Illapſo cibo in ventriculum a liquore ſalivæ ſimili docente Malpigio poſth. 28. ex alimentorum diſtenſione, & compreſſione tunicæ glanduloſæ ex pluribus ramuſculis elicito, motus inteſtinus maſſæ conciliatur, ut facilius liqueſcere, diſſolvi, ac ſubigi poſſit a fibris muſcularibus, aliarumque tunicarum ventriculi attritione, & preſſione, quorum auxilio, & diaphragmatis cum muſculis abdominis inchoatæ ingeſtorum ſolutiones, ambientium viſcerum calore fovente intimius comminutæ quaſi in partes ultimæ compoſitionis reſolvuntur. Vel ſi Liſterum audiamus, ut ſaliva intra alimentorum inania coercita virtute ſeptica expeditius alimenta in chylum reſolvat, a cujus acri adurenti, & putreſcenti natura concoctu difficilia putreſcunt, & macerantur.

Sed non ſolum ſaliva variæ naturæ cibos ob ſalinam quam habet ſubſtantiam, vim cunei exerens, omnes penetrando digerit, incidit, ac ſolvit, verum perenni hoc fluore irrigatæ ventriculi tunicæ ejuſdem ſalibus in contractionis motum validiorem excitantur, qua ratione in debito tono cum plicarum criſpatione, ad facilius expediendam triturationem, detinentur. Perenni hoc ſalivali liquore humectantur fauces, interiora oris, & œſophagum, madore laxantur, irrigaturque lingua, ut aſſiduo motu vocum exſucca ne reddatur; alias rigida facta cum faucibus areſcentibus, motus flexibilitatis jacturam facientibus anilis tracheæ, vocem edere difficilem, ac raucam; non irrigatis enim fiſtulæ pulmonaris ſalivali humore fibrillis, aer hinc illinc ab anulis non leviter concutitur, ſed in latera illorum impulſus fortiter repercutitur; quod non aliunde videtur fieri, niſi quod rigidæ fibræ aſperæ arteriæ, dum vi percuſſionis aeris aliquatenus e loco ſuo diſtractæ conantur ſeſe reſtituere, aeri rigidum tremorem imprimunt, adeoque raucus vocis reſonat ſonus.

Quanquam, ſi guſtui credendum, inſipidus humor videatur ſaliva, contrarium inculcat Galeni experimentum, ſcilicet ſcorpionem jejuni hominis ſputo bis, terve aſperſum protinus interire. *Salivæ hominis inquit Aetius tract. primo ſerm. XI. reptilium venatorum generi maxime contraria eſt. Ego enim citra omnem incantationem ex ſolo jejuni ſputo ſcorpium pereuntem vidi. Omnibus hominibus ineſt venenum, feruntque illos ſalivam, ut ferventis aquæ contactum fugere, quod ſi in fauces penetraverit, etiam mori: idque maxime humani jejuni oris. Plinius* lib. 7. *& tamen omnibus contra ſerpentes ineſt venenum, feruntque ictus ſalivæ, ut ferventis aquæ fugere contactum*: At intelligenda eſt jejuni hominis ſaliva, quæ utpote acrioribus ſalibus referta, veluti aquæ ferventis contactus, ſerpentes fugat; inflictum quoque a ſerpente vulnus, ſi confeſtim ſaliva illiniveris, non lethaliter ſæviet, ſed cohibitum venenum, nec ulterius diffuſum ſponte evaneſcet: Hinc Lucanus lib. 9.

Nam primum tacta deſignat membra ſaliva,
Quæ cohibet virus, retinetque in vulnere peſtem.

Venatores ſerpentum, ut Aldrovandus de inſectis lib. 1. ſtatim ac illos cepere, ſaliva confricant, cujus contactu, præeunte Marco Aurelio Severino de Vipera, non tantum vileſcit violentia veneni, ſed ſi in os illorum diductum expuas, ſaliva in eorum ventrem delata tantæ feritatis illis eſt, ut ſenſum contabeſcant. Hac ratione nimirum partibus ſuis ſalinis confricatæ curantur lichenæ. Saliva hominis jejuni eſt medicamentoſa; etenim in ſaliva adeſt virtus abſterſiva in ulcuſculis; licet minori gradu, quam quæ ſit in ſarcoticis. *Levis papula, ait C. Celſus, ſi quotidie jejuna ſaliva defricetur, ſaneſcit.* Saliva cancrum mammarum ob ſuas ſubtiles attenuantes moleculas diſcutere valet, ut docet Paulus Ammianus Med. Critic. & ratione alkali acido herpeti contrario reddit Schenckhius herpetem curari. Salivam robur afferre infantibus, inquit Matthiolus in 2. lib. Dioſcordis. Puſtulas Crato, ſcrophulas Hildanus ſalivam reſolvere promittunt; & ſi animus eſſet mihi referre, quæ apud Auctores perlegi, quos reor, aut deceptu faciles, in quorum re alii decipiuntur, aut denique vanæ gloriæ, atque oſtentationis nativa hominum indole affectantes, in multo grandiorem admirationem facili negotio rem tumefacere poſſem. Verum ſolicitus fui, non plures narrationes conſcribere, quas vel invicta mea ad credendum innata tarditate aſſenſum meum extorquere, non ſenſi, quæ nondum exploratæ non videntur iis probabiliores, quam quæ irritæ jam deprehenſæ fuerunt. Quæque hujuſmodi ſalivæ experimenta ſcrophulas, nodos gallicos, cancrum mammarum reſolventis, nuſquam reperire dentur, præterquam in quorundam auctorum vana jactantia, tumen-

mentibus libris, atque promiſſis, ut quiſque, ni fallor, experientiis deprehendet, quam parum eventus ſui conatus laboribus, & illorum aſſertionibus reſponderint.

DE SALIVA, ET SALIVATIONE

Præter naturam.

CAPUT II.

ARTICULUS I.

De Vitio ſalivæ in quantitate.

HActenus ſalivæ humanæ natura, ſecretione, & uſu, qua licuit perſpicuitate, inveſtigato: proximum nunc eſt, ut ejuſdem ſtatum morboſum ſolertius excutiamus.

Quando a naturali craſi, & molecularum nexu deflectit ſaliva, humani corporis harmoniam ſubripiens, alienis imbuta particulis, morboſiſque infecta miſcilibus, a naturali ſtatu recedit, majori, quam pars eſt, labe ſanguinem afficit, cujus varia conſtitutione fluidorum partibus varie labefactatis chronicorum, acutorumque affectuum luctuoſus ſæpe panditur numerus. Ut igitur horum morborum idea certior, atque clarior percipiatur, a re longius non erit, vitium in aucta quantitate brevius exponere, quod ad inveſtigandos exactius ipſius morbos, plurimum conferre videtur.

Peccat ſaliva in quantitate, quotieſcunque ſubtracto ſanguini nutritio pabulo, perenni fluoris ad ſalivales glandulas appulſu, confertim e ductibus effluens in ore undequaque exundat: cujus effluxus jugiter profluens nullo gravium ſymptomatum comitatu, nullaque ſaporum malitia conjunctus pthyaliſmus vocatur.

Si alimentum ſucci gaſtrici inertia, laxa tunicarum contractione, viſcerumque circumpreſſione ruditer in ventriculo elaboratur, non evolutis ſulphureo-balſamicis particulis in chylum aquoſum nimis faceſſit: qui in ſanguinem delatus, & per omnes cavos fibrarum tubulos cum ſanguine circumductus (cum ſeroſo-aquoſæ ejuſdem moleculæ a ſolidorum impulſu ad fibrillas appelli coactæ, ex defectu gelatinoſæ portionis nutritione indigis partibus non apponantur) neceſſe eſt, ut aqueis particulis turgidus ad ſuperiora trajectus in glandulas ſalivales tranſcoletur. Quæ laticis ſeparatio, cum intra ipſas glandulas ſubſiſtere non poſſit, a preſſione particularum confertim ſuccedentium, & jugiter ad glandulas confluentium, retroque urgentium in os indeſinenter derivetur.

Porro mirum eſt, ſi orificia, ac tubuli glandularum diametro gaudeant juxta ampliori, una cum tumore jugularibus venis incumbente in colli lateribus, reprimente ſanguinis refluxum, quantum ſecretionis penum adaugeant. Hæc pororum compages dilatata, ac tubulorum vitioſa amplitudo a laxa fibrillarum cohærentia exorta, ſalium niſu, & machinularum terebratione a proprio termino recedentium ita diſtenditur, ut dehiſcentibus glandularum oſculis a ſtimulo ſolidis inhærente irritativo, & ſalium cuneis tuborum villos vellicantibus perperam labaſcat. Harum minimi fibrarum faſciculi ad ampliora ſpatia redacti, ſi impetus ſanguinis augeatur, & a confluente humoris copia novi diſtenſis tubulis edantur impulſus, vel ſi ſalium ſpicula ſtimuli vires exerceant, ab invicem divelluntur, ut conatibus ſalinorum cuneorum diſciſſis fibrillis cum ſuo conniſus momento non valeant ſuperare fluidorum impetum, ab impellentibus liquidi moleculis in nimia diſtractione coercentur tubuli, & ordinatarum partium mechaniſmus fatiſcet, atque exeſis vaſculis pene deſtruetur. Unde denegato in glandulas ſpirituum animalium effluxu, illæ ſymmetria, tonoque partium attritæ, nec naturali tenſione, debitoque elatere munitæ turgentibus particulis aqueo chyloſis ad glandulas appulſis minime valent contraniti, ſanguiniſque impulſui reſiſtere nequeunt, undequaque non irrumpat ſalivalis humor, & depluat. Hoc in flacceſcentibus glandularum fibris ab infartu, & preſſione nervorum cum largiori affluentis ſalivæ copia, atque in ægris in utroque latere paralyſi affectis, ſæpe videre eſt.

In ſcorbutica diatheſi maxime calidiori, quoniam ob ſalinas in fluorem evectas particulas, quicquid ineſt ſanguini, eſt acerrimum, tenue, atque urens, ſanguis non potis eſt novum chylum ſibi aſſimilare: ideoque quia colliquari cogit ac fundi quicquid in fluxum agitur, partes chyli gelatinoſæ in orbem ſanguinis circumductæ a ſalium cuneis nimium ſolvuntur, adeoque ſuo naturali lentore deſtitutæ libere vagantes per corpus ſanguinis continuo fluxu per glandulas ſalivales excernuntur. Præ nimia hac ſalium, & acredinum copia glandularum diametrum diſtendente, non tantum ſaburra veteris effœti, & inutilis chyli, verum etiam novi, & oleoſi major portio in ipſas glandulas continuo depluit. Irritatis enim villis nervorum, tenduntur capillares arteriolæ, unde ſit major fluidorum appulſus, quæ dum in diſtractiles vaſorum tunicas impetus faciunt, ex earundem diſtractione reſtitutis villis vigoratur reniſus in contenta fluida, quo fit, ut aqueo ſeroſa portio per validiorem ſanguinis motum ad glandulas uberior delata, a ſolidorum preſſione, & fibrarum oſcillatione magis commota, in pervia glandularum oſtiola irrumpat, & abundatiorem ſalivæ excitet affluxum. Hic exprobranda eſt ſputatorum connata conſuetudo, qui ſola expuendi libidine alliciti, ut vilius fæcibus cunctis excrementum continenter ſalivam effundunt; quo ſpuendi conatu, & perpetua muſculorum contractione irritatæ, & compreſſæ glandulæ ſolicitantur jugiter ad novam, & uberiorem urgentur excretionem.

Cauſæ externæ, quæ quantitatem ſalivæ adaugent, in ſex rebus non naturalibus deprehenduntur. Aer enim ut frigidus particulis nitro ſalinis ſegnius rotatis, nec ſatis evolutis plurimis refertus poros cutis premendo effluviorum corporis inſenſibilem tranſpirationem inhibet. Ut humidus aqueis moleculis turgeſcens lenteſcenris ſanguinis ſolutionem, laxando fibras imminuit, ut inde aquoſa portione ſanguinis adaucta urinæ, & alvi excretio, & non raro largior ſalivæ effluxus promoveatur, ut Sanctorius animadvertit: *Aer externus per arterias in profundum corporis penetrans poteſt reddere corpus levius, & gravius: levius ſi tenuis, & calidus; gravius ſi craſſus, & humidus.* Cibi admodum aquoſi, ſomnus, & quies naturalia excedentes ſtadia, excretiones aliarum partium imminutæ humoralem maſſam inficientes, hiſce accedentibus animi mœrore, & timore diuturno coctionis opus labefactante, ut affectiones cum motu fluidorum momenti minoris conjunctæ, & conſtrictivæ vaſorum influxum, & liquidorum attenuationem hebetantes, ſalivæ materiem accumulare videntur.

Cum igitur in ſenſuum omnium ſileſtio, & torpore cum membrorum illa concidentia, quæ ſomnus vocatur, neceſſe ſit in decubitu horizontalis ſitus, ut laxetur fluidorum compages, & remittatur tenſus ſolidorum tonus; nil mirum, ſi laxiori reddita ſanguinis cohæſione, ibidemque magis enervata fibrarum elaſticitate, licet ſanguis in perpetuo ſit motu, currat hinc inde, recurratque per membra vario ab inferioribus ad ſuperiora, & contra vim innatæ ſuæ gravitatis ad ſuperiora pelli cogatur, tamen per muſculos, viſcerum lacunas, viaſque partium obliquas, curvas, & flexuoſas tricas languidius trajicitur, & filtratur, quibus gravitatis ſuæ contrariis motibus debilior reddita ſanguinis compages minori vi ſolida impellit, cujus languida vibratione, & diminuta impulſione magis, ſemperque magis relaxatur partium ſolidarum robur; ex quo fit plus æquo progrediente ſomno; ut fluidum ad illam perveniat motus determinationem, quæ ad ſecretiones ſingulis in partibus peragendas idonea non eſt donec tandem non acquiſito a ſingulis ſanguinis moleculis proprio gravitatis centro, nec ad naturale æquilibrium perductis plurima congeratur humiditas, quam, neceſſarium ad retinendum ſolidis, & fluidis amiſſum ob laxatam compagem robur, reſtituendum ineptam, nimiam ſalivam inde ſuppeditantem paſſim experimur. Hinc ſolvitur nodus, cur melancholici ſputatores exiſtant. Quoniam melancholici in vanis cogitationibus defixi, atque inhærentes triſtia cogitantes, eaque penſitando timentes, impediunt, ne ſpiritus impetus facientes in fibras cordis contractiles, in eaſdem motu conciti exerant elateris vigorationem, quæ uberiori ſpirituum affluxu deſtitutæ debiliori impetus niſu ſe contrahant, ex quibus langueſcente magis ſanguinis motu per vaſa, imminuitur ejuſdem attritio, atque hebetatur per glandulas tranſpiratio, debilitatur cordis, & vaſorum motus. Unde tenues, & ſulphureo inflammabiles ſanguinis particulæ craſſioribus implicantur, donec humorum illuvie quaſi obrutæ, & veluti carcere detentæ coerceantur. Ob hanc partium cruditatem in fluorem vitioſum evectus ſanguinis fæculentias aqueas ad ſalivales ductus deponit.

Ob nimium hunc ſalivæ proventum balbutie plectuntur infantes, quorum fibrillarum tonus mollius, atque raræ texturæ ſalivæ copioſioris affluxu humectatus ſic labaſcit, ut cum nativa muſculorum linguæ, atque palati flaccidiate cuicunque ſanguinis, & ſpirituum appulſui facile cedente, minus concinne, & ſuo perfecte enunciare addiſcant. Ab hoc vitio affecto Batto Regi, qui Cyrenas in Africa condidit, de ſua balbutie Oraculum Delphicum conſulenti, Pythia imperavit, ut in Lybia Regione calida vitam degeret; ſic Herodotus. Ad hunc cenſum refertur deficientia vocis in aphonis, quorum laryngis muſculi a nimio aquei humoris proventu ita enervantur, ut fibris carneis reſolutis flaccidi, & inertes fiant ad motum. His laxatis, ſonitu per fiſtulam pneumaticam a motu lateribus annulorum non alliſo, nec hinc inde varie repercuſſo, qua aeris verberatione, & inflexione vox efformatur, æger nullam valet vocem effari. Manifeſtum hujus rei eventum refert Tulpius libr. 1. obſerv. c. 39.

Si vero hæc aquoſa ſalivalis meuſtrui copia a glanduloſa ventriculi tunica jugiter exprimatur, ſua aquoſitate liquorem gaſtricum ita inficit, atque inertem reddit, ut chylificationis opus plutimum labefactetur, menſtruo particulis aqueis perperam referto alimentorum contextu reluctante. Inde ſenſim collectis cruditatibus vitioſis fibrillæ ſtomachi debilitantur, laxatur tonus earundem nimis, obruiturque ſanguis, in quo copia humorum aqueorum exundans parum alimenti ad attritos ſolidorum villos ducetur, quod ſi naturali ſimile, & alendo aptum, ſed quicquid ad partes adducetur, erit plane aquoſum, cogetque ſanguinis maſſam iter ſuum lente per totum corpus abſolvere, ut habito reſpectu ad modum, quo ſanguis propellitur, ad ſpatium, & velocitatem, qua percurrit, & vaſcula perluit, impoſſibile ſit, quin reſiſtentiam illam offendat, qua eodemque impetus momento occluſa vaſculorum lateralium, & villorum ora permeare poſſit, ita ut nec a ſyſtaltico fibrarum motu major tenuiores ſanguinis partes ad cavas lacunas poſſint urgeri ad vectes fibrarum inflandum.

Quoties igitur ſanguis per repetitos circuitus ruditer attenuatur, effœtus erit craſſioribus partibus, & aqueis, adeoque illo motu urgebitur, quo impetu non poterit ferri ad collapſos ſaccules nutriendum, cum major ſit niſus in contactum nitentium minimarum tiliarum fibras, & caniculorum componentium, quam ſit irruentis ſanguinis impetus. Quare particulæ illæ aqueæ minori, vel majori cohæſionis vi unitæ eam molem, & directionis momentum habebunt, quo per poros carneæ ſubſtantiæ permeare non poterunt; unde cum reliquo ſanguine ulterius circulantes venas pervadent, & fucatæ nutritioni eo uſque inſervient, quouſque male aletur animal, & cachexia continget. Hinc fiet, ut ſolida ad tantam imbecillitatem redacta fluere quaquaverſum permittant humores aqueos, qui in cavitatibus majoribus, vel vaſculis cutis membranoſis collecti, vel ad partes robuſtiores appulſi lenteſcentes validam generant obſtructionem, ut in durum tumorem attollantur partes ad contactum venarum, ductuumque lymphaticorum poſitæ, a quo vaſa illa tenera coarctata, & compreſſa, cum liberum tranſitum præbere non poſſit lymphæ, vel chylo, indeque continuo appulſu novi liquoris ad partes vaſorum compreſſas tendentis, & præterfluentis tergum prementis ultra tonum naturalem diſtenſæ tandem rumpuntur, ob quam vaſorum exilium rupturam in habitum corporis ſerum effluit. Ab hac pituitoſorum humorum in ſtomacho accumulatione ibi nectente moram convelli poteſt ventriculi muſculus a majori ſpirituum copia per nervos fluente, ut enata fibrarum inferius ventriculi conſtrictione contenta per os ejiciantur, vel nauſea, ſi inanis, & ſolus erit vomendi ſtimulus, producetur. Quod ſi afficiantur rami nervorum ventriculi cordi communes, ut per ipſos fiat refluxus vividior, & copia ſpirituum naturali major, & frequentior ad cordis auriculas, ſpirituum energia eaſdem in perpetua contractione detinendo, ſuperans preſſionem ſanguinis affluentis per truncos venarum majorum eludet impetum ejuſdem ad ventriculos tendentis: unde ſanguinis preſſione non reſeratis auriculis, ſed in contractione perſiſtentibus, intercepto ſanguinis, & cordis motu, ſuccedant oportet languores cordis, & animi deliquia.

Si vero chylus nutritius in ſanguinem continuo delatus alitioni partium ineptus, effæto ſucco inde maſſa ſanguinis veteri ſaturata per glandulas ſalivales copioſa ſucci nutritii jactura indeſinenter erumpat, per hanc ſucci euchymi ſubtractionem tota ſanguinis maſſa

oleoſo

oleoso balsamico pabulo privata accescit, & turbato ob indebitam nutritionem liquidorum cursu in varios siccitatis morbos delabitur; ob quod minimam musculosis partibus nutritionem præbens, cum partium solidarum colliquatione incalescens totius corporis atrophiam inducit, cui calor hecticus in toto habitu paulatim subrepens in omnibus partibus solidis accenditur. Hinc calidum, & acre sanguinis serum per molle & glanduloſum pulmonum parenchyma continuo trajectum, eos tandem infartu aggreditur, inflammat, exulcerat; quo fit ut atrophia, quæ erat in habitu corporis, in tabem pulmonarem paulo ante fatales dies, terminetur.

Verum si chylus per ductus salivales jugiter excretus naturæ incassum in sanguinis reparationem continuo suppeditetur, ne ab hoc perenni chyli effluxu depauperetur, & incalescat sanguis, adeo ut insigniter languentibus viribus a nimia subtractione succi nutritii in statum lethalem, & insanabilem redigatur, ad usum diuturnum lacteæ dietæ æger relegandus est, quo sanguinis lenitur, & salia stimulantia demulcentur. Deinde aeri aprico, & benigno commissus, liberali, sed cauto ciborum euchymorum usui resarciatur, ut inde aquas minerales chalybeatas bibendi non impar fiat, quarum beneficio massa sanguinis sensim emollita, etiam succi nutritii colliquatio sensim evincitur; atque inde non tantum a salivatione æger, verum etiam sanguis a salina acri diathesi vindicatur. Pthyalismo autem hisce incassum advocatis incertis intervallis recrudescente, cum insigni virium deperditione, æque ac per glandulas salivalis seri colliquatione, rite continua salivæ deglutitio in symptomatum allevationem præscribitur, qua non tantum salivationis progressus, verum chylus per ductus salivales excretus, naturæ in fluidorum reparationem pedetentim remittitur. Si saliva unicuique non cogitanti sponte in os confluat, atque copiosius eo alliciatur ob ductus salivales potentiores, laxioresque, quam par est, existimo oris collutione, maxillarumque fomentatione ex subadstringentibus, & blande aromaticis decocto posse curari, tum interne modo laudata subadstringentia commode usurpari, quorum ope paulatim arctantur, ac roborantur ampliores viæ, dummodo desuescant ægri a continua spuendi libidine in consuetudinem perperam adscita.

ARTICULUS II.

De Salivæ defectu.

COgnita quænam ex largiori salivæ affluxu expectari mala possint, nunc juvat in salivæ inopia excutere noxas. Nam non minus ab excessu concidit hominis sanitas, quam a deficiente salivæ penu labatur.

Vitium salivæ excretionem invertens plus minus impediens, vel penitus inhibens, nunc glandulis, & tubulis excretoriis inhæret, nec in ipso salivali latice, motuque sanguinis deprehenditur; ut si enumerare hic vellem ingentem morborum seriem, & maxime chronicorum, qui a sanguine salivali humore non suffecto pendent, sero dicendi finem facerem.

Nativa tubulorum salivalium angustia, humor viscidus salino-fixus glandulas infarciens, ac porulos opplens, vasculorum compressio oscula occludens, minimarum arteriolarum crispatura glandularum cava, & tubulorum ora coarctans, aut diameter earundem inimis connivens, ac tumore aliquo extus incumbente compressus viam salivæ præcludunt, quæ a conniventibus salivæ ductibus quoquo modo obstructis, aut compressis, ne secernatur præpedita, licet cum sanguine confertim profluat, tamen cum ipso circumducta ad alia filtra circumvehitur, in quibus secretionum penso adaucta, glandulis diversis committitur. Quod si chylus jugiter in sanguinem irrepens salivalibus non turget particulis, nulla prorsus materies glandulas trajectura per carotidum divisiones cum sanguine ascendet; Igitur in toto deficiet saliva, ut sæpe occurrit in ardenti febre correptis, in quibus sitis extingui non potest, ac siccitas summa non solum ad fauces, sed per universum corpus diffunditur: in quibus cum calor intensior absumat quicquid humidi ingeritur, & cum sanguinem diluentes moleculæ aqueæ evaporentur, sanguis privatur ea materia, quæ corporis partes humectat. Tamen si ulla inhæret sanguini serosa portio, a singulari solidorum ariditate statim absorbetur, quæ inter duas quasque particulas introducta permittit fluere idem liquidum, quod alioquin subsisteret, nisi ab aqueis sanguinis moleculæ disjunctæ essent, quæ a concitato motu ad minima diversæ, & a congredientibus aqueis particulis ad summum solutæ ob turbatam, & confusam fluidi mixtionem diverso cohæsionis modo combinati, diverso a naturali impulsu, nisuque rotati, secretionum leges non observant; unde propulsæ a validiori, & celeriori cordis contractione, dum majus supra glandularum obicem contranitentem exerunt momentum, non solum in reticularibus illis canalium textibus sanguinem vehentium factam solutionem conservantes, sed a nodis glandularum, & vasculorum lateribus in ulteriorem solutionem promotæ, citius ora venarum ascendunt, quam oscula ductuum offendant. Quod si satis liquidi non turbato motu exagitati in sanguine hæreat, sed generetur lentor in arteriolis materiem salivæ deferentibus ad glandulas oris, & faucium, tamen nullus dabitur affluxus humidi ad easdem partes, igitur siccitatis sensus, & sitis. Si vero non assumetur ex toto liquidum, effluet e glandulis salivalibus saliva viscidior, quæ in os derivata producet infantum in villis linguæ, & faucibus hærentem.

Inter causas externas occurrit aer particulis siccioribus, & calidioribus refertus, qui in sanguinem indesinenter impulsus crassiora attenuando, & extus ut ambiens leviter comprimendo glandularum cutis folliculos a fluidorum appulsu facile expansiles, videtur diaphoresin augere. *Aer calidus, nisi* obstent *crudæ*, ait Sanctorius, *juvat quoque perspirationem*, & aqueo serosas particulas alio divertit. Aer enim superincumbens cylingulis suis gravitat, ac premit partes sanguinis, quæ dum leviter mediante aeris interni elasticitate compressæ majorem semper, quem amiserunt situm omni opere recuperare conantur, facta pressionis aeris incumbentis æquipollentia pressionis, sive altitudini sanguinis majori, vel minori, servata semper proportione specificæ gravitatis liquidorum, dividuntur, subtilianturque. Ar moles liquida copiosa, & gravis aeris externa non posset cum interno se facile æquilibrare, nisi misceretur cum mole liquida sanguinis; corpora enim fluida, ut simul mixta in ratione suæ gravitatis æquilibrantur. Cum autem flante borea, & cælo sereno aer gravior, sit quam flante austro, & calida constitutione, ut barometro experimur, boreali enim tempore aer fit densior, magisque compactus, adeoque magis gravis; in austro vero, & calore magis rarior, inde minus gravis, adeoque pressus gravitate sua in sanguinem nobis ne advertentibus quidem ingreditur, eundemque sua elastica vi magis aucta, & gravitate sua urget, propellit, atque facillime in ea loca, in quibus minorem invenit resistentiam, & locum capaciorem sese expandendi, impingit. Cum autem capacissimam cavitatem reperiat in cutanearum glandularum lacunis, ubi magnam vim elasticam acquirens, easdem mirum in modum distendit, per quas ad majus spatium dilatatas fit inde, ut ad minima divisis seri moleculis turmatim foras avolare nitentibus minus resistant aereæ moleculæ. Rarefacto igitur aere, dilatatis glandulis, ab earundem systaltico motu promovetur transpirationis insensilitas, & eo magis si serum & aer erunt cum fluidorum cylindrulis æqualis magnitudinis, sed inæqualis ponderis ad motum dispositi. Ille enim cylinder primo movebitur, qui gravior erit altero; quoniam primum punctum corporis, quod movetur, est centrum gravitatis, ad quem centri gravitatis motum tota moti corporis moles tendit. Si igitur verum est centrum gravitatis duorum liquidorum æqualis molis, sed ponderis diversi in ea parte relidere, quæ gravior est altera, necessario consequitur, ut ob aerem externum, qui nec levior interno, nec gravior supponitur; æquali gravitate interno contranitens pari energia vim interni sustinet, in calidiori temporis constitutione serum ab aere indissociabile primum, & jugiter avolat. Huc referri possunt hæmorrhagiæ, dyssenteriæ, sudores ab exercitio nimio copiosi, vel colliquativi, largior urinæ effluxus, vigiliæ nimiæ humidum assumentes, vel aliorsum copiose ducentes salivam imminuunt. Ira, indignatio, ut effectus cum motu majoris momenti conjuncti, aucta cordis contractione, & sanguinis velocitate, cum saliva suum exigat sejunctionis tempus, poterunt in glandulas derivationem, multoque facilius influxum salivalis liquoris prohibere.

Saliva igitur in sanguine non existens, vel ad glandulas non appellens in os effluere non poterit; unde in ore siccitas, & sitis ad fauces, quæ si diutius protrahatur, exsiccabitur magis lingua, ad superficiem maxime, cujus villi tunicam constituentes valide contrahentur; cum vero corpus linguæ non cedat, sed contranitatur validius villorum contractioni, fiet ut iisdem villi divellantur, hic illic lingua in fissuras dissiliet: quibus si addatur faucium œsophagi, & musculorum laryngis summa cum siccitate rigiditas, prohibita earundem contractione, quæ ad formationem vocis requiritur, raucedo, vel loquendi difficultas succedet. Quod si ex toto deficiat in sanguine salivalis humor, excitabitur tabes cum siccitate conjuncta, quam in excessu salivæ attulimus, de qua canit Lucretius:

Jam marcent venæ, nulloque humore rigatus
Aereos alterans angustat pulmo meatus.

Ab alimento ope triturationis in pollinem in ore redacto ob denegatum salivalis laticis influxum insitæ salium moleculæ non evolvuntur, ut a laxato ciborum nexu sapida tinctura elici possit, cujus defectu non delatis particulis salino-sapidis ad nerveas linguæ papillas sensus gustus fere concidit. Quo in casu, quoniam imminuta, vel deficiente saliva nullus liquor digestivus a glanduloſa tunica expressus eructatur in cavitatem ventriculi, qui vires suas in stomacho convertendo, dum in ipsius tunicas, & filamenta nervorum impingit, eliquata salina aqueis ramenta in fibras validius infigat, ut vehementius stimulatis nervorum villis, internæ ventriculi plicæ inter se mutuo atterantur (in quibus ratio famis consistit) appetitus imminuitur, vel abolescit. Ingeritur tamen alimentum, ne vires statim labantur, a quo rudi componentium solutione elaborato dependet in ventriculo perperam inchoata concoctio, quæ neutiquam in intestinis absolvitur; chylus enim ægre in stomacho confectus ob principia ciborum activa minus exaltata, atque dissoluta inertibus corpusculis coalescens ad intestina propellitur, ubi naturali earundem compressione, lenique vermiculatione promotus in sanguinem irrepit, crudus, impurus, salsos exhalando vapores. Quapropter præcordiorum anxietatem, varioſque capitis, & stomachi morbos producit. Chylus itaque non absoluto chylificationis artificio, nec in purissimum rorem mutatus, impuris abundans partibus, lactearum papillas impingit; hinc per lactea ad sanguinem usque delatus fluidorum compagem varie lædit, perpetuoque œconomiæ animati corporis tendit insidias.

Cum igitur parcior, quam decet, generetur saliva: primo defectu materiæ, quoties ista non reparatur: secundo canalium vitio, obstructis nempe, compressisque vasculis, per quæ defertur ad glandulas: tertio glandularum vitio ad munus hoc absolvendum ineptarum, triplex indicationum species insurgit, quæ triplicibus morborum speciebus correspondet. Prima absolvitur alimentis convenientibus, qualia videntur potissimum esse juscula ex tenellorum animalium carnibus deprompta, tenuis potus, cerevisia puta diluta, lac, aqua lactis, limacum, caponum, gelatina, cornu cervi, eboris, ut indeaquarum usu, & liquorum sanguinem demulcentium sub forma potus copiosa, atque continua eorum ingurgitatione sanguinis siccitas temperetur, quibus exhausta humorum in habitu corporis delitescentium minera suffecta, morbida sanguinis crasis jam penitus vere eversa longo earum usu paulatim restituitur.

Vasculorum obstructio, aut compressio curatur medicamentis attenuantibus incidentibus, quæ crassos simulque lentos respicientia cohærentes invicem humorum particulas comminuunt, impactasque divellunt. Hæc sunt, quæ particulis volatilibus, salinis, acribus, aromaticis, oleosisque scatent, nec non quæ alkalinis absorbentibus, fixis, & lixiviosis amaricantibus abundant, a quibus motus adauctus, & magis proprius resistentiæ particularum quiescentium imprimitur, itidemque cuneus solvendis fluidorum particulis intermiscetur, qui motu, partis tenuitate, & figuræ aptitudine ad penetrandum non solum compactos humores disgregat, verum sanguini, ac lymphæ fluiditatem denuo conciliat.

Postquam innotuit glandularum vitium non nisi labore improbo, iteratoque in dies comparatum, illi aptum inveniendi remedium plurimum augebitur notitia, cujus ope, roborantibus externe medicamentis, pleriſque aromaticis, salivares glandulæ suffragantur, a quibus si commodum non accipiat æger, melius ferret pinguia, & emollientia, quibus frigiditas solidorum ex nimia volatilitate humoris in glandularum poris, ac folliculi concluſi fibras nimium corruganre, vel acrimonia nervorum fibrillas irritante, adeoque oscula constringente, unde affluxus liquorum inhibetur, paulatim lenitur, atque laxatur.

ARTI-

ARTICULUS III.

De aciditate ſalivæ.

SAl in aquea ſalivæ portione deliteſcens, quoties in libertatem vindicatum, ſalivæ ſpiritu fatiſcente, depreſſoque ſulphure, cæteris præpollens nimium in fluorem evehitur, ejus ſpicula angulata ſalina per aqueas moleculas conſperſa aliorum miſcibilium ſuperato jugo, cæteriſque particulis compede injecto, mutata directione ad occurſus cæterarum partium coalibilium in proportione remanentium, confertim in linguæ papillas impellunt, ubi in nervorum filamentis validius infixis ſalibus, ſenſorii fibrillas acriter titillant, eaſdem pungunt, atque convellunt.

Hujus naturæ moleculæ cuſpide tereti, & acuta, & dein corpore inſtar cunei majorem in molem aucto conſtantes, adeo ut quovis modo ſenſorii fibrillis applicatæ ipſas pungendo, & non nihil comprimendo conſtringant, hunc ſaporem eminenter oſtendunt. Hæc aqueis obvolutæ particulis ſanguinis effervescentiam, ut nimiam ejus diſſolutionem refrænant, & blando coagulo compeſcunt. Vel niſi mavis, dicas moleculas acidi eſſe tetraedras, & non cubas, quæ undequaque ſuis angulis munitæ, & ab omni parte æqualiter aculeis inſtructæ linguam facilius vellicent, & quaſi pungant. Quod ſi aliter figuratas eſſe contendamus nimirum vel læves, vel teretes, fieri poſſet, ut acidi particularum facies non angulosæ incidant in fibrillas ſenſorii, & ſic has non diffringant, nullamque proinde vellicationem pariant, quod omnino eſt contra acidorum guſtus perceptionem.

Si cauſas mediatas rimemur hujuſce crudæ aciditatis, illæ videntur attingi, atque chylo inhærere in primis viis perperam elaborato ob fermentorum inertiam, aliarumque liquorum minorem in inteſtinis volatilitatem acquirenti; qua quidem depravata concoctione, chylus non redditur blandior, quatenus ventriculi humor viſciditate donatus in tunicas tremoris motus non inducit, & ſucci digeſtivi craſim ſubvertens, ſalem volatilem, & aquea alimentorum corpuſcula non exolvit; unde non laxatis ſalium calore meatibus, haud in particulas flexiles leves, atque rotundas, ſed ad aſperas, & inæquales accedens incoctus, & acidis, aculeatiſque particulis tumeſcit, ex quo non niſi incongruus, atque ſalium & acidorum enormium particulis refertus, maſſæ ſanguineæ, & languentibus ſolidis committitur, qui per impetum naturalem ſanguinis, licet pluribus millibus vicibus per pulmones, & per reliqua viſcera, ac partes corporis fluat, paulatim in glandularum lacunis accumulatur, ita ut eodem ſervato cohæſionis momento per minimas acidorum particulas continuo influat, quouſque ſenſum aciditatis excitans, & reliqua cum ipſo corripientem, fluidorum præcipuas craſes alterare valeat, atque ſenſim inficere, ut effœto ſucco jugiter reparatæ labem ſcorbuticam acerſant. Hinc ſcorbuticorum ſaliva acida plerunque deprehenditur. Quandoquidem enim in ſanguine depravato recrementa plura acida congeruntur, quam ut diaphoreſi, vel per urinam ſatis ſecerni poſſint, quæ ad oris emunctoria ſero irretita detruduntur. Quoniam liquida ſanguinis partes componentia, & quæ in cohæſionem mutuam nitentia per motum, quoties in acidas particulas abeunt, tranſeunt e ſtatu durioris in ſtatum liquidioris corporis, omnes illæ liquidi cruoris moleculæ, quibus componuntur, in libertatem, & facto impetu diffractis vinculis in motus majores veniunt, a quibus per reſiſtentiam cohæſionis cohibebantur, & producent illos effectus, quos debent ex vi ſuorum motuum, & figurarum, cujuſmodi ſunt pungere, quadam compreſſione ferire linguæ villos. Elementa igitur ſeri partes ſanguinis componentia non ab intrinſeco in ejuſmodi ſolutionem venientia, ſed repugantia, a cauſa violenta, & morboſa in illam cohæſionis vim coguntur, atque detinentur, quæ ita urget partes ultro cohærentes ut a prima cohæſione ſeſe expedire poſſint, atque totum mutare compoſitum per illam occaſionem, quæ cogit partes componentes ab illa cohæſione ceſſare, & ſolutas in novum adire compoſitum. Quid autem ſi quid e ſuave ſapidum, ingrate ſapidum, ex non acido fiat acidum? nonne dicetur compoſitum primum ultro immutatum, cum effectus, qui in prioris locum ſuccedunt, contrario modo ſe habeant? ſed hujuſmodi ſunt partes ſanguinis componentes, quæ ante illam ſolutionem ſunt quoddam compoſitum, quod poſt ſolutionem mutatur; igitur partes illæ in ſtatu fluidorum ſalium exaltatæ dicentur mutatæ.

Cum autem nullum compoſitum per vim inſitam deſtruatur, oportebit, ut vis, quæ ſalina concreta fundit, ſit his iiſdem liquidis externa, quæ a ſolidorum ictibus in ſalia urgentiori impetu nitentibus deducitur; quare facultatis illius momentum, quo concrementa ſalium a mutuo contactu recedunt, & in cuneos acutos coeunt, momento, quo ſalinæ partes diviſioni reſiſtunt, erit majus. Unde partes ſalia componentes ex vi hujus potentioris cauſæ ſe ſubducere a fuſione non poterunt, niſi tollatur momentum illius cauſæ agentis, & detinentis ad ſolutionem, aut addatur momentum reſiſtentiæ componentibus ſalia partibus, ut cogantur a majori cohæſionis vi non dimoveri. Ubi igitur ſalis moleculæ adhærentes invicem in medio fluidi per motuum ambages attritæ, miris modis exagitatæ, commotæ, contrarioque niſu rotatæ in minima ſolvuntur, ad eam devenire poterunt angulorum acutiem, quæ ſuperet cohæſionis vim aliarum molecularum ſumme evectis corpuſculis reſiſtentem, & ſupra datas partium reſiſtentias vires ſuas exerentes, exinde ab aliarum commercio liberatæ, & præcipue a ſpiritu volatili diſſociatæ in ſalivam turmatim affluens, a quibus ingrate ſapiens, & acescens ſaliva emanabit.

Aeris vitio ſalivam acidam induci nullus crediderim inficiabitur; aer equidem pluvioſus laxato fibrarum tono potos, ac meatus cutis ſuo humido infarciens ſanguinis effluvia reprimere videtur: *Aer*, inquit Sanctorius, *cænoſior, & ponderoſior, convertit inviſibilem tranſpirationem in ichorem, qui retentus, & deinde non reſolutus in cachexiam faceſcere ſolet.* Ab eodem inſpirato ſalia, ac ſulphura redolente ſpiritus ſanguinis valde deprimitur, hinc ſalino-ſulphureis ejuſdem particulis ſanguinis craſis ſenſim mutata in mephitini acidam mutatur. Ad talem humorum diatheſim non parum conferunt cibi acidi, ſale conditi, acidum foventes occultum, auſteri concoctu difficiliores de acidis fixioribus, & ſuccis tenacioribus, ut piſces marini, paſtæ farinaceæ, participantes, vina auſtera, animique paſſiones.

In qualitate ſalivæ immutata loco naturalis ſaporis acida cum magna aliquando virium laxitudine, & inappetentia contingit, quibus paulatim accedentibus aliis ingruentis mali ſymptomatibus ſpe morbus tandem erumpit. Ab acida ſalivæ impreſſione in linguæ papillis primo depravatur guſtus: a particulis nimirum acido-aqueis nervorum papillæ e poris linguæ protuberantes obductæ, acidique innatantibus ſpiculis ſalinis laceſſitæ ita exagitantur, moventurque validis tremoribus papillarum nervi, ut aliis tremoribus oſcillare prohibeantur; unde ex incuneatis ſalibus in nervorum fungulis, non flexis nervis in aliis partibus, eadem undulatione afficietur guſtus organum. A ſalſamentis iſtis acidis effœto ſero dilutis molles, & ſpongioſos gingivarum carnes ſubeuntibus intumeſcunt fibrillarum earundem faſciculi, qui dein nutrimenti defectu marceſcentes a continuo materiæ erodentis affluxu exeduntur, a quorum putreſcentia, & humorum a ſalivalibus vaſis exudantium expiratione graveolentem oris fœtorem olfactamus.

Quia vero ad hoc, ut animal poſſit ope ſanguinis nutriri, non ſufficit, hunc ipſum ſanguinem eſſe quidem ex alimentis, ac certa earundem ratione compactum; ſed inſuper requiritur, ut ex ipſa derivari poſſit quicquid fluere debet per nutriendos animalis ductus, & quicquid ad ipſius reparationem exigitur. Hinc fit, ut quoties quantitas ſanguinis cæteroquin in quantitate nihil vitiati ob aciditatem immutabitur, ut per glanduloſam palati tunicam ſerpens, ejuſdemque ſubſtantiam depaſcens ad uſque illud aditum, atque intimum progrediatur, ut villi, in quos influit, validus, atque frequentius ab invicem divellantur; unde fibrarum eroſio, & ulcuſcula in oris cavo luxuriant. Quod ſi e glandulis non erumpat, ſed in canalibus ſuis ſubſiſtendo, eoſdemque proinde extrorſum extendendo glandularum folliculos obſtruat, vaſaque nimis infarciat motus ſanguinis per vaſa propulſi fiat tardior, continget tumor, qui ſanguine non fluente ad notas leges ſui circularis motus, canales fauciuni, & gutturis leviter comprimendo, aut ex toto allabantis liquidi influxum prohibendo, coget villos extendi, & a fluentibus humoribus laxare; unde motus reſpirationis, & deglutitionis leviter lædens ſpuriam producet anginam.

Hæc ſaburra acida cum viſcoſis in ventriculo collecta dum fibrillas ventriculi nerveas irritat, ſpirituum animalium influxum non ſolum uberiorem ad ſtomachi membranas promovet, verum ventriculi glandulas infarcit, & in moleculas digeſtivi liquoris ſeſe inſinuans, ita ventriculi fermentum afficit, ut a glandulis expreſſum, ſenſum non naturalem producat. In hoc igitur ſtatu non naturali ventriculi per acidi affluxum dabitur ciborum averſatio, cum detur intra ventriculum id, quod proinde una cum tetreis, ac ſalinis partibus valet intenſius vexare, & ita fibras ventriculi vellicare, ut per illum humorem ſeſe in membranas intrudentem apepſia, vel anorexia ſuccedat. Ex hoc chylus minus fluidior, ac purior fæculentiis acidis, ac ponderoſioribus ad inteſtina protruſus, deluſa omnium ſuccorum activitate, lento inteſtinorum motu, fibrarumque conſtrictione ad oſculorum lacteorum papillas deſcendit: quorum orificiorum anguſtia cum ab illis corpuſculis, quæ ſunt majoris molis, quam quæ diſcludere, & ſuperare poſſint vaſorum reſiſtentiam, non deducatur; inde fiet ut a lacteorum capillamentis excluſus chyloſus ſuccus non poſſit minoris diametri chyliferorum oſcula ita facile ingredi, ſed cum cogatur impingere in profundiores colli cellulas, ab ejuſdem plicis excipietur, qui ſenſim coacervatus infectus evadit, & a maſſa ſuper affluente ita ſuperque turget, ut fibræ inteſtinorum ſenſiles perperam diſtendantur, & humore contento diſtractæ, atque incuneatis ſalibus ab invicem divulſæ, impetuque aculeorum laceſſitæ, corrugationibus valde moleſtis, & dolorificis torqueantur.

Ut acidior ſaliva emendetur, non tantum abſtinendum ab acidorum abuſu, ſed temperanda plantis plerunque odorem actu ferentibus cum ſuavitate, ac fragrantiam quandam ſpirituoſam, & aromaticam redolentibus, quæ omnes ſulphureis particulis, ſeu ſalino-oleoſis volatilibus abundant. Horum autem aromaticis particulis depreſſa ſulphurea corpuſcula in ſanguine excitantur, ſegniterque cominota exagitantur: Hinc coordinatarum partium mechaniſmus, ac craſis ſanguinis quaſi fatiſcens reſtituitur: interim vero cruditas acida ventriculi corrigatur vegetabilibus ſale volatili oleoſo abundantibus, ejuſque fermentum acida quadam, ac terrea conſtitutione glutinoſa torpeſcens attenuetur, quibus elaſticitas fibrarum roboratur, atque iners excitatur digeſtio.

ARTICULUS IV.

De Salivæ ſalſedine.

NOn adeo acuminatis, qualia in ſalino-acidis apparent, ſpiculis, ſalſus ſalivæ contextus coaleſcit, ſed ſalſo terris involutis ſalium particulis emergit, cubis nimirum, quæ planorum inclinationibus, & lineis ad plana inſiſtentibus conſtantes, in angulos rectos coeunt, ſeroque ſalivali confertim innatantes laterum aciebus aculeatis ſenſorium quaſi incidendo non niſi ſalſo-ſapidum ſaporem imprimere valent.

Ob angulorum rectitudinem ſalium moleculæ aqueo latici conjugatæ minus efferam acutiem ſortiuntur, atque in linguæ papillas jugirer incidentes minime poterunt in nervorum propagines vim rigidæ cuſpidis exerere, ſed acidorum mole majores, lenique motu in protubetantes nervorum fungulos debiliores percuſſionis impetus exercent, adeoque minus a rectis ſalium ictibus patietur ſenſorium; ex quo fier, ut nec ab enormi fibrarum irritatione a ſalium acutie inducta diffrictus guſtationis nervus, nec particularum oleoſo-levium demulcedine oblinitus percipiendæ ſalſedini ſe ſe accommodet. Quapropter oportet, ut maſſa humoralis ſcatens ſeroſo-ſalinis, ſalſoque acribus particulis abundans plus minus ſalis ſero ſolutis per glanduloſas, ac pervias palati membranas indefinenter trajiciatur, tandemque ſalſo-aqueas exuvias in oris cavo abjiciat.

Chylus ob terreo-ſalinam fixitatem liquidi digeſtivi perperam in ſtomacho conficitur, & intenſa bilioſi ſucci-acredine imbibitus galaxiam ingreditur, per quam moleculis acrioribus turgidus ſanguini commiſcetur, a quo reparatus ſanguis, & ſalſæ acrimoniæ depravato latice ſaturatus facile in cacochemiam ſcorbuticam, aut melancholicam faceſcit, in qua ſalſo-acres particulæ luxuriant, atque debacchantur. Igitur terreſtria ſalia in ſanguine ſoluta, vel cum chylo ſalſa acri-

monia

monia redolente in ſanguinem devecta ſalini ejuſdem ſaporis cauſa ſunt, quæ ſupra ſulphura prædominium potita cum inſipidis partibus aqueis ſeparantur, donec pinguibus involvantur, & terreis abſorbeantur, quibuſque dulcioribus, & glutinoſis irretita particulis, ramenta ſua ſalina demittunt.

Hinc cibi plurimis, atque copioſis particulis ſalſo ſeroſis ſcatentes, carnes ſalitæ, piſces fumo indurati, & ſale conditi, fervidæ qualitatum miſcibilium mutatæ coordinationes: ita promptius calidior aer, cujus calorificæ particulæ motu turbinationis agitatæ, dum in cohærentia ſanguinis corpuſcula impingunt, ſui impetus momenta imprimunt circulanti fluido, ut inteſtino motu ſalini corporis rotatæ moleculæ, aqueis particulis occurrentes ab hiſce eliquentur, fundanturque. Unde cohæſionis vi miſcibilium ſalinorum ſuperata reſiſtentia ex motu percuſſionis partium fluidi ſe invicem attenuantium, contingit ſalium fluiditas certa proportione, majorique in ſeroſo-aqueis coeuntium, qui in ſalivali latice acervatim collecti, ac ſui juris facti, ſalſum promovent aperte ſaporem.

Sic in febribus diuturnioribus a crebra, & nimia ſanguinis deſpumatione tota humoralis maſſa vapeſcens colliquari permittit quicquid acre in ſanguine continetur, ut libere proinde fluat, ducanturque per ſanguinis ſalis particulæ, a ſe invicem diſcedere, atque mixtionis vinculum diſſolvere nitentes, quæ humido agglutinante exolutionem prohibente deſtitutæ in libertatem vindicantur, & inter quaſque fluidi particulas nitendo ſanguinem fundunt: qua ſalium eliquatione in intemperiem nimis ſalſam, & acrem vergit humoralis maſſa; unde ejuſdem partes ſalinæ diſſolutæ, & cum ſanguine fluentes per vaſa ad quaſcunque glandulas corporis derivabuntur, & per illas ſecernentur, in quibus naturaliter delabitur illa humoris compoſitio, in quam ſolutæ partes abierunt.

Inter plurimos morbos a ſalſo acrioris ſalivæ proventu ortum habentes præter guſtus depravationem, quam pluries tetigimus, occurrit animi deliquium, quod quidem ſuccedit, quotieſcumque a ſalſo-ſeroſis ſalivæ acrioribus redditis particulis orificium ventriculi valde ſenſibile multiplici nervorum propagine intertextum vehementiſſimis doloribus afficitur, qui per nervorum ſurculos acri humore obſeſſos, & in ſpaſmos concitatos ad cor propagantur, ex quibus contractis cardiaci nervi fibris in contractione detinetur auricularum muſculus, qui cum ſuperari non poſſit a preſſione ſanguinis affluentis, auricula diſcludi non patietur, & in contractione perſiſtet; quo fit ut æquabili ſpirituum, & ſanguinis affluxu interrupto motus, ac ſenſus facultas ſimul concidat, homine animo delinquente. Quando vero hujuſmodi liquor acrioribus conſtans moleculis villos ſtomachi tantum laceſſit, eum ad placidum contractionis motum ſolicitat, & tunc ſolus vomendi oboritur ſtimulus. Quod ſi validius nervi irritati, & enormi correpti criſpatione magis, magiſque urgeantur convelli, contenta ſurſum propellent, & ſuſcitabitur vomitus. Unde autem nerveæ fibrillæ ſpaſmodicæ contractionis eludunt impetum, alkalinæ particulæ e villoſa ventriculi tunica erumpentes undequaque in ſtomachi villos impingunt, qui ſalibus ſeſe in machinulas illas intrudentibus adhuc irritantur, ſtimulantur, & ſenſim corroduntur. Hinc ventriculi internæ plicæ valido impetu inſtructæ inter ſe mutuo niſu atteruntur, unde bulimia cum ſoda originem habet. At quia a continua partium colliſione, & mutuo earundem contactu divulſis fibris, perennique acrium humorum affluxu pedetentim aliquid ex ipſis partibus decidit, atque deraditur, villorum compages ſalibus macerata fatiſcit, utpote vi ſalium, & potentiæ motricis adaucto momento cunei, a quibus molliores ſubſtantiæ partes, quæ non tanta pollent ſoliditate, patiuntur divelli, ut ab invicem diſtractæ divulſionibus tandem repetitis diſſiliant. Cum hac ſolidorum abraſione inquinatur chylus ab acri menſtruo, & a ſalino acri fluidorum craſi eliquantur ſanguinis humores, qui ſucco acriori quoque reſtaurati, dum ad inteſtina uberiori confluxu propelluntur, ea acrius convellunt, & irritant, ut illi perperam laceſſiti in validiorem, frequentioremque expulſionis motum concitentur, unde ſuæ molis, ac figuræ momento humor ille, ſive ventriculi, ſive alium viſcerum ſuperabit vim conſtrictionis inteſtinorum, cum eorundem reſiſtentia ipſi ſuperanda, que dependet a flexione tortuoſa, & eorundem longitudine minor ſit irritantis ſtimuli, & vis illa, quæ a diaphragmate in inteſtinis ventriculo alligatis, & muſculis abdominis continuo viget, nitetur majori preſſione contra inteſtinorum reſiſtentiam, & tanto facilius, ſi erit tam acris, adeoque tanto impetu nitetur, ut momento ſuæ molis inteſtina diſtrahere poſſit, atque dilatare, quod cum fiat deorſum, alvi fluxus continget.

In curatione felici hujus ſalivæ in id nitendum maxime, ut ſalſa acrimonia in ſeroſa ſanguinis parte deliteſcens non exaſperetur catharticis validioribus: ſed incipiendo a blando, ac lenienti pharmaco tranſitus fiat ad attenuantia, deſinendi cauſa in ſpecificorum maxima copia liquidorum lenium facile meabilium antiſcorbuticorum, ſimulque lenem promovendo ſudorem. Hinc liquet cur ſerum lactis, lac ebutyratum, pthiſana diluens blande ſolvens, humectans huic morbo opem non raro egregiam præſtent. Hac ratione correctioni ſeri ſalivatis per ſaſſofraſſata, thymum, citratum, acidos ſuccos horæi maturos, rad. elenii, corticem citri, granatorum, limonum, aurantiorum, acetoſam, acetoſellam, ſpecificis operam dantibus juvamen ſalſedini certo allaturos crediderim. Præter jam memorata ſalſæ ſalivæ ratione conducentia addenda inſuper, quæ ſalis humoribus prodeſſe docet experientia, ut pillulæ de cynogloſſa, gummi tragacanthum, thus maſculum: ſæpius, ut ſenſim corrigantur peccantes tumores, & ſubinde producendos evertant.

ARTICULUS V.

De Salivæ amaritudine.

INtimus ſalivæ amaritiei mechaniſmus exoritur a certa proportione, certoque nexu ipſius miſcibilium, quorum ſalino acres, & urinoſo-volatiles moleculæ motu rationis, & permixtionis agitatæ, dum in oleoſo ſulphureas impingunt, ſui impetus velocitatem, & directionis niſum deperdunt, ut ſalium devolutæ moleculæ oleoſi corporis particulis occurrentes ab hiſce irretitæ refrangantur; unde hebetata ſalium angulorum acutie, & cuſpidibus eorundem inflexis modificantur ſalinæ ſubſtantiæ, quæ non nihil reſinoſis, aſperis, hamulatis aculeis, furcatiſque acuminibus guſtus nervos divellendo, & ſenſorium non alte, ſed ſuperficie tenus fodiendo, in ſalivali liquore ſolutæ in linguæ papillas ideam amaritudinis imprimunt.

Sydenham Opera Medica.

Maſſa ſanguinea ſcoriis ſulphureo-oleoſarum partium inquinata, & aduſtis ſalium recrementis turgida fluidorum craſim ſenſim ſubvertens, cacochymiam bilioſam inducit, cujus ſalinæ acrimoniæ corpuſcula terreo-acidis particulis infricta, ita coctionis vim, & directionis momentum in fibris commutant, ut ad acinos hepatis glanduloſos non coercita, ſanguinis motu abripiantur in alibiles, & excrementitios ſuccos, qui a partibus ſalinis non fluentibus per ſuos canaliculos reparati turmatim in glandulas avolant, ubi aqueis commixtæ in ſaliva amarorem deponunt. Hinc regio morbo marceſcentes ſapore amaro ſæpe falluntur; acrius enim ab incuneatis in nervorum linguæ papillis ſalium inflexis, furcatiſque aculeis, etiamſi a mellitis demulcerentur nervei funguli, jucundique ſalium oblinientium delectatione afficerentur fibrillæ, diverſus tamen non perciperetur ſapor, ſed ſuavia papillas impellendo excitarent infixi ſalis impreſſionis impetus, quibus eodem in nervis remanente tremore ex amarulentis concepto, omne dulce linguam quoque blande demulcens equidem amareſceret.

Quod ſi hepatis laxata fibrarum criſpatione, reſeratis ductibus, & perviis glandularum ejuſdem folliculis adhuc occurrat ſalivæ amaritiem, opinari ducor, particulas ſulphureas, & ſalino fixas enormiter exaltatas in cruoris maſſa uberius, ac citius in bilem faceſſere, quam quæ per tubulos felis ſecerni, aut ab ipſius eliminari queat. Dum cor validius, atque frequentius contrahitur aucto ſolidorum niſu augetur ſanguinis impetus per vaſa naturali major, adeoque a celeriori liquidorum motu ad latera nitentium particularum cohærentia dimovetur, & niſuum directione commoti ſalini cunei intra nexus ſanguinis tenuiora coercita ſalia excluduntur, ex quibus imminuta vi reſiſtentiarum in ſanguinis cohæſione, particulæ ſalinæ ſulphureis conjunctæ intra ſe invicem exagitant, nitunturque, ut in partes minutas deciduæ ad ſummam mobilitatem evehantur, atque in poros, & meatus, per quos erumpere poſſit, ubique novos appellant. Igitur bilis a glanduloſis jecoris, ob adauctum ſui impetus momentum haud coercita, anguſtiis, a ſanguine cum ſero ubique decidet, cum quo ad glandulas oris delata erumpenti ſalivæ tincturam amaram imprimet. Hac de cauſa in febribus ratione caloris, & motus magis agitantis, fit, ut partes ſubtiliſſimæ, & ſumme mobiles vagentur libere per corpus ſanguinis, quæ non cohibitæ a partibus humidis ſuo fræno deſtituuntur, & niſum quemlibet vehementiorem exerentes, citiorem, acrioremque reddunt ſanguinem. Poſita autem hac fluidorum labe ſanguis nactus bilioſo acrem indolem, ubi recrementa ſalium, ac aduſtorum ſulphurum uberius expandens, ſerum ſaturabit ſenſim bilis ſapore, quæ in ventriculum repens ſurſum aſcendet per ſuperficiem œſophagi, vel cum ſero in glandulis cumulata in oris cavum decidet, inficietque amaro linguæ papillas.

Diutius detenta fluida in ſalium efferatione per tantum temporis ſpatium, quantum ſatis eſt, ut plurimum ſalis in ſanguine eliquetur, alia aeri æſtuanti, ac præfervido inde aſſociata a partibus aqueis ſejunguntur, a quibus, cum non temperetur eorum impetus, erit ſanguis univerſus in ſuas partes ſiccas, & ſalino fixas, atque mobiles maxime ſolutus, a quo cum exprimantur ſalia, & continuo ſolvantur, non poterit a canaliculorum ſuperficie non abripi, & in naturale liquidum redigi, ut evadat tam fluxilis, tam cohærens, ut pedetentim per vaſa circumfluens uberiori amaritudinis penu non elaboretur.

Dum particulæ ſalivæ amaricantes linguæ poros ſubeunt undequaque nervorum fungulos continuo laceſſentes, ita tenduntur irritatæ nerveæ fibrillæ, ut quicquid particularum e cibis latici ſalivali elicitur, ſuum nequeat genuinum pandere ſaporem, ſed potus, cibique omnes amarore ingrato inquinati creduntur, unde fatiſcens guſtus falſo deceptus amaro dulce exhorret. Hoc ſapore infecta ſaliva in ventriculum defluit, ubi in liquore gaſtrico exundans moleſtia afficit ventriculi tunicas, quarum fibrillæ ab acri, & erodente humore ſeſe intrudente in membranarum poros intenſius confoſſæ divellunt. Igitur excitato ſenſu eroſionis, & punctionis dolor ſtomachi, & cardialgia.

Sit inſuper humor ita vitiatus, ut continuo fibras pungendo cogat ſpiritus, impetum, & niſum majorem in emiſſaria nervorum intra villos muſculi ventriculi conſtrictiones exerere, ut ab ipſis in perpetua contractione detentus conſtrictor muſculus convelli patiatur, quo ſtatim ſingultus enormis producetur. Si vero amaritiei viſciditati aſſocietur, & abſumetur humiditas quoſcunque villos humectans, producetur lentor ad arterias, glandularum ſalivalium obſtruens emiſſaria, a quo impedita ſaliva, ne libere fluat per ſuos canaliculos, proveniet neceſſario linguæ ſiccitas, cujus ſuperficies a fixo, & ſicco ſanguine hærente ad linguæ canalium extremitates, in lividum colorem abeunte, ſenſim infecta colore illo, altius in linguæ fibris repente in nigrum faceſſere poterit. At vero traducto bilis lentore, & viſcida ejuſdem amurca intra ventriculum, partes ejus acriores per œſophagi ſuperficiem repentes non ſolum palatum, ſed & linguam ſuo amarore, ſuiſque coloribus inficient. Verum per affluxum bilioſi ſucci in motum contractivum excitabitur ventriculus, qui in valida corrugatione detentus a vellicante, etſi minoris quantitatis erodente liquido, cum non poſſit ſuperare propter adhæſionem mucidæ bilis ad membranas reſiſtentiam contractarum tunicarum, ſpaſmo dolorifico corripietur: ab quam affectionem intenſius vexato dabitur ciborum averſatio cum nauſea, quæ mutabitur in vomitum, ſi humor copioſior fuerit, & in totam cavitatem ventriculi uberius derivabitur.

Sedulo perpenſa natura bilis, ejuſdemque commixtione cum ſaliva, obſervandum maxime, ſi ſalivæ amarities ex amurcoſa bile, viſcida, inerti circa Jecur impacta, occluſis hepatis glandulis, ſenſimque affuſa ſanguini producatur. Tunc huic indicationi ſatisfaciunt aperitiva ſtimulantia, quæ figura, partium mobilitate vaſculorum fibrillis impacta vim eorundem contractilem augendo, ſuccos ſtagnantes dimovent. Inter hæc eminent ſalino volatilia oleoſa, & aromatica, uti plantæ omnes, quæ ſale alkalino, oleoſoque aromatico abundant; inde tartarea omnia, quibus acceduut alkalina ſalina lixivioſa, vel compoſita, vel naturalia, uti ſalia eſſentialia acrium plantarum. Quod ſi amarities a bilis copia exoriatur, quæ ſimul acredine peccet, præſtantiſſima erunt, quæ bilem imminuunt, & acredinem temperant: ut decocta ex amaris hepaticis frigidioribus rad. gram. ruſchi aſparagi, cichoreæ, fragariæ, foliorum taraxaci, fumariæ, agrimoniæ ſem. alckeckangi, additis ſalibus eſſentialibus plantarum, aceroſæ, chichorei, agrimoniæ &c. exinde tollatur bi-

lis copia a ramis ductibusque hepaticis per emetica antimomalia. Si bilis potentius ad os elevetur ob sui volatilitatem auctam, ob copiosiores spiritus volatiles ipsi admixtos, amaritiem ejusdem corrigunt acida tartarea, spiritus minerales acidi dulcificati; inde alkalice terreo-fixa absorbentia, ut e. c. ebur sine igne, coralia rubra, margaritæ, oculi cancr. antimon. diaph. bezoart. mineral, bezoar martiale. In hoc censu reponuntur acida austera, ut pruna sylvestria, succus berberum, granatorum, aquosa quævis diluentia, emulsiones a seminibus frigidis, salina, ut est sal gemmæ, marinus, nitrosus; quod inde totum perficitur alimentis potibusque cito acescentibus, quorum ope sal amarescentis salivæ volatile magis reprimitur, & paulatim emendatur.

ARTICULUS VI.

De Salivæ Dulcedine.

SAlivæ dulcedinem constituunt globulosa corpuscula molliter acuminata, ex oleosis flexibilibus moleculis acido acribus salium particulis inter se mutuo agentibus, quæ a determinata partium coordinatione resultantes, ac refracto salium nisu se invicem attemperantium exortæ, peculiari inter se combinatione in aqueis insipidisque corpusculis dissolvuntur; quorum salium asperitates sola particularum collisione nulla edulcorantis cujuspiam facta additione ad sphæram accedentes fere omnem acrimoniam exuunt. Hæ enim salivari liquore commixtæ fibrillas linguæ impingentes molliter nervorum papillas titillando oleosis salibus succulentam grati, suavisque saporis substantiam organo gustus exhibent. Non secus ac testante Boyle de Mechanica saporum ex insipido corpore, summeque corrosivo substantia dulcis elicitur. Selectum enim minium si purificatæ aquæ forti, aut spiritu nitri affundatur, donec in se mutuo calore agentibus, requisita metalli portio dissoluta fuerit, menstruum instar sachari dulce suppeditabit.

Chylus itaque pluribus refertus particulis salino acidiusculis, oleosis tamen quibusdam, & mucilaginosis involutus in sanguinem ab aqueis dissolvitur, jugiterque irrepens ob partium ramosarum intra viscosas unionem, substantiam congrue mollem, æquabilemque salis, ac sulphuris gustui exhibens linguam quodammodo oblinit, ejusque partes blando tractu præterfluens leni titillatione afficit, lenique affrictu sensorium titillat, ut exinde resolutis per sensorios nervos in molles aculeos particulis antea implexis jucundus voluptatis sensus excitetur. Hæc euchymi succi substantia a motu cordis ita exagitatur, ut longiori inter partes sanguinis attritu, & valido ad vasorum latera per repetitos circuitus allisu naturale ejusdem gluten perperam eliquetur, a quo turpiter fuso collabentes partes non inflantur. Succus iste primum sanguinis rudimentum in minutiores particulas divisus relinquit flaccidorum villorum cava, in quorum sacculis diutius detineri non potest. Hinc ratione minimæ molis, & tam paucas inter illius componentia cohæsiones oleosæ chyli partes fluido eo confusæ ad tantam solutionem rediguntur, ut eodem impetus momento non major resistentia paretur a partibus chyli gelatinosis, quam a particulis aquæ, non erunt majoris molis, nec minoris, aut majoris momenti, ut ad glandulas salivales simul urgeri non possint. Quoties igitur sanguis aqueis chyli moleculis plurimum scatens, aut non poterit extendere vasorum lateralium sacculos, aut a distenso sacculo vi fibrarum compressus in venarum oscula rapi, urgebitur quidem tanto impetu, ut possit ferri ad inflandos sacculos: At cum major sit circulantis sanguinis impetus, quam nisus minimarum particularum componentium in cava fibrarum nitentium, particulæ illæ habebunt eam diametrum, quo ad villorum poros permeandum requiritur: sed ulterius circulantes eo usque dividentur, quo usque impedito in solidis partibus irroratu, cum sanguine refluentes a salivali menstruo possint absorberi, ut suavioribus corpusculis, seroque innatantibus turgidula saliva dulcedine nauseosa corripiatur. Quod si fluor lactescens ob particulas diversæ gravitatis, ac potentiæ fluido universali confusus, & vertiginoso motu exagitatus, nullam sui patiatur mutationem, sed per universum corpus diffusus ostiola tubulorum salivæ inveniat plus justo patentia (antequam particulas nutritias partibus cunctis attulerit, cunctaque viscerum fermenta, atque utiles humores reparavit) per ipsa confertim effluet. Laxatis enim tubulorum fibrillis ob naturalem tensionem, & villorum tonum collabentem, corruunt fibræ folliculorum salivalium circulares, quæ cum repellere non valeant impetum impingentis fluidi, & in pervios glandularum poros erumpenti chylo contraniti, aqueus humor cum volatilibus salibus, atque oleis tenuioribus cum paucis acidis, ac terreis implicatus in salivam mutabitur.

Inter causas externas hic occurrunt potus, cibique errores, qui cum plurimi præcesserint, quales certo sint, non est operæ pretium determinare. Aliquando febre tertiana laborantes dulcedine admodum fastidiosa afficiuntur, a succis primarum viarum depravatis exorta, quod Bortichius in ephemer. Nat. cur. in muliere post febrem quartanam tertiana correpta observavit.

A dulcibus salivæ particulis flexibilibus nerveas linguæ papillas blande titillantibus non solum leni spirituum animalium motu dulcedinis idea in anima excitatur, ut omnia ingesta dulci sapore prædita reddantur: sed ab iisdem acido acribus refractis, ac remissis salivæ corpusculis jugiter in ventriculum deglutitis, atque a reliquarum particularum conjugio liberatis nervorum fibrillæ molestis vellicationibus afficiuntur, ut a stimulo irritativo contractionem sui convulsivam patientibus nausea corripiatur æger. Et cum intima ventriculi superficies obducta sit glandulis, in quibus secernitur humor salivæ similis, qui ejus tunicis inhærens, dilabens, sensimque repens easdem quodammodo convellendo producet sensum summo cum fastidio, quod propter paucitatem, & inertiam spirituum in angorem stomachi mutabitur.

Gastricæ hujusce lymphæ molli, & flebili molecularum contextu combinatæ digestivas vires facile eludent alimentorum resistentiæ, quorum cohærentes particulæ intra ciborum nexum coercitæ retuso menstruo reluctantur, & inertes solventis cuneos hebetant; unde non dimotis ipsius solubilis particulis, nec alimentorum compage intestino motu resoluta, eorundem concoctio imminuitur, atque depravatur. Cum autem ciborum in stomacho incoacta dissolutio sit ad chyli elaborationem ordinata, clare patet, si alimenta non fuerint satis in ventriculo dissoluta, ab iisdem non posse elici particulas seroso gelatinosas, quæ in chylosam substantiam mutentur. Quoniam vero supra sulphura salibus prædominio potitis liquores prius dulces fiunt acidi, ut Piso in Brasilia observavit, succum, ex quo saccharum concrescit, a plantis elicitum intra breve tempus acescere, ne miraberis si in hac chyli morbosa dyscrasia cum acido motuum turbinationis, atque ebullitionis dulcia, & saccharina ineuntia dolorosas in lateribus cieant commotiones, appetitum compescant, ructus nidorosos excitent, ac flatulentias.

Hanc dulcedinem salivæ nauseosam corrigent in primis acida, subinde amara. Quoniam sive extrinsecus ab aere, sive intrinsecus a motu certus caloris gradus certaque internarum partium salivalium constitutio exoritur, quæ varia ac imperceptibili transcursione eadem mutuo sibi allidens tenuior, mollior, minus rigida atque magis quam prius congrua fit corpusculis salivalibus imprimitur ille motus, a quo non acriter, sed blanda, lenique titillatione afficitur gustus organum. Hoc ex eo conjicere licet, quod sales vegetabilium salibus asperiores aciem suam, atque saporis acrimoniam sola particularum collisione exuentes, in substantiam mitem gustui gratam pene dixerim reducuntur. Quod autem ab acidis, & amaris elicita corpuscula chylum congruentia, tenaciorem, quam prædicta dulcia corpora solent, linguæ saporem imprimant, mirum nemini videri poterit, qui advertere voluerit, quousque sola constitutionis, mutatione, mutuoque partium inter se conflictu dulcis corporis particulæ, ab amaris, & acidis corpusculis penetrentur. Acuentur enim corpuscula dulcia, & compositum salivare mutabunt. Hinc acido salsa, ut tartarea, vitriolata, elixir proprietatis saporem ingratum, & nauseam dulcedinis emendant.

ARTICULUS VII.

De saliva præter naturam. Prout habet rationem remedii, ac motus critici in morbis.

NOn aliunde Medicorum impatientia tam aperte cæcutit, quam ab attenta motus critici lædentium, & juvantium speculatione neglecta, aut ambiguitatum obscuritate latitante, minimorum quoque exactissima perquisitione non æquissima lance perpensa. Quisquis enim artem faciens absque sedula remediorum, & motus naturæ contemplatione peritus, est furibundus, atque cum ense cæcus in hostem gladiator, qui in minutiis cespitans, veluti spretis insolitæ flammæ scintillis, incaute suæ famæ prospiciens, magnum, tam ad ægri salutis jacturam, quam nominis Medici ruinam sæpe excitat incendium, quod miserrime serpens medentibus insciliæ notam quotidie inurit. Hinc in hac longa remediorum cognitionis experientia superbire senes, ingenio, & perspicacia æmulari juvenes juxta meum in magnam admirationem ita rapit ingenium, ut tanta nostri sæculi felicitate in hac arte quandoque oculatum tyronem (qui variis mathematices præceptis, utpote statices, hydrostatices circa structuram animati corporis recte philosophans, humanum corpus in structura æque, ac in effectibus a tali structura pendentibus numero, pondere, & mensura rimatur) valere credam, quam magistrum non curantem, qui dum insolita naturæ tentamina observat, indebitis remediis statuit, rectosque naturæ motus perturbat. Hujus inquisitionis severitatem dum per ratiocinia attingere non possumus, a tali expulsione morborum allevationem, vel eorundem recrudescentiam religiose observare debemus, ut ab illo motu non divertatur natura, aut removeatur, ut existe præcepta ad exornandam praxim eruamus. Cæcutiente igitur in arduis morbis ratione, conatus naturæ utcunque fuerint detegendi, nullisque inanium speculationum fucis adulteratæ menti proponendi ut olim Asclepiadorum more eleganter sine coloribus pingentium, quicquid obscurioris morborum causæ inest, per certam, constantemque morborum crisim felicius eruatur. Medentes itaque plus quam par est in theoriarum elucubrationibus luxuriantes indigestis cogitationibus sapient, nisi diuturnæ insolitæ criseos contemplationi in exercenda praxi omnino se commiserint. Morbi enim absconditum quid sunt, sive ut Hippocrates, *divinum quid in morbis inest*, suasque causas medis tam reconditis, & ab humana mente adeo remotis involvunt, ut difficile sit quidquam in iis investigare, nisi attenta, & nunquam intermissa circa morborum judicationem adhibeatur observatio, in qua si consenescceret Medicus prognosticandi disciplinam observando acquisitam, apprime calleret. Quare summopere mihi arridet in morbos illos, qui per salivationem judicantur, detegendos, laborem impendere, ut inde post sedulam accidentium contemplationem ad rationalem disciplinam reducantur. Natura enim, quæ est omnium morborum vera medicatrix, pro sanguinis despumatione, & effœti humoris evacuatione salivationem eligit, & uliginosas exuvies ad has glandularum salivalium syrtes nonnunquam deponit. Ita febrem ardentem naturali pthyalismo profligatam exhibet Guer. Rolfinckius ord, med. lib. 3. Vertiginem salivatione sponte orta solutam observavit Nicolaus de Blegni zod. Med. Gal. annot. 1. Salivationem naturalem in phthysi salutarem observavit D. Joannes Paulus Vulfflain Archiater Cæsareus, & Academiæ naturalis Curio, ephemer. diligentissimus in dec. 2. anno 1. miscel. nat. cur. observat. 122. & scabiem fœdam in milite exorta salivatione nullo alio præsidio adscito sanatam cum D. Hieronymo Baruffaldo notavit Joseph Lanzonus Sylvius Deleboe; *Contingit, ait, quidem aliquando licet rarius salivatio sponte, quod in hisce regionibus factum observavi, & quidem cum notabili ægrorum commodo, & liberatione a morbis chronicis a pituita semper pendentibus.* Sydenhamius in febre continua annorum 1667. ait: *Pthyalismus quandoque copiosus sub finem accedebat, si nempe nulla insignior præcesserat evacuatio, atque ægro julapia refrigerantia imperata fuerant, quo quidem si nec evacuationibus, nec usu medicamontorum calidorum fuerit interceptus, morbus ultra spem omnem fugam sibi quærebat.* Nobis contigit sæpe mulierem Hystericam spasmodicis affectibus passim recrudescentibus forti suborta salivatione prompte relevatam, observasse.

Hic salivationis spontaneæ motus optime cessit in horum morborum curatione, ad quam quidem aptus natus præ cæteris mihi videtur, cum ægris nocu, diuque miserrime per annos excruciatis levamen attulerit. Natura peculiari quadam lege morborum causas evellit, nisi Medicus intempestivo, ac stulto remediorum usu criticos conatus turbaverit. Sic subdit laudatus Sydenhamius: *Jam vero, ut supra monuimus, febris hujus solutio ut etiam variolarum (quæ,*

soror

ſeror ejus germana merito audiunt) *per ſalivationem non raro fiebat, quæ quidem nunquam non ſalutaris fuit, ita ut eadem liberalius prodeunte tam maculas revera purpureas, quam febrem ipſam evaneſcere oculis viderim meis. Oborta itaque ſalivatione nulla omnino evacuatio convenit, neque quæ vena pertuſa, nec injecto quæ ſit enemate; cum ab utraque periculum ſit ne humor alio divertatur. At ſerum lactis, atque alia refrigerandi vi pollentia neceſſariam in ſalivatione elicienda operam navabunt, ut contra cardiaca, & quæcunque alia calefaciebant materiem impiſſando, ejuſdem eductioni officiebant.*

Nec mirum ſit ægros ab effectibus chronicis ſalivatione ſpontanea feliciter evadere, ſi diuturni morbi a ſero acti ſalſuginoſo, ſalſo acido, ſalſo muriatico, fixo volatili glutinoſo, in maſſa ſanguinis redundante plerunque excitantur. Sanguinis ſalibus turgeſcens ad ſalivæ glandulas dum copioſius impingit, a ſero ſenſim adventante, & a ſanguine perpetim urgente diſtenduntur. Cum enim novus ſeroſus latex ad dilatandos glandularum folliculos, in quos nititur, pervenerit, cum liquore in illis jam contento commixtus vim ſupra expanſarum fibrarum conniſus, facile exerit, adeoque nullo glandularum ſalivæ orificio, earundemque fibrarum faſciculo cohibitus ſeſe in fluoris motum vindicat, cæterarumque fibrarum jugo excuſſo in os indefinenter erumpit, & humores ſeroſi acres, nunc fluidiores, nunc tenaciores cum ægrotantium commodo ex ore fluunt, exciduntque.

ARTICULUS VIII.

De ſaliva ut ſignum.

NUllus fere morbus ægrotos inopinato perimet, ſi ſedula ſalivæ obſervatio, & attenta linguæ inſpectio, utpote, quæ lymphę, ſanguiniſque ſtatum certius oſtendit, & morbos occultos, eorundemque difficilem ſolutionem denotat, medentes conſulat, quos per ſalivam diligenter ſingulorum morborum naturam expendentes, tantoque ſigno praxim locupletantes, nullis falſitatis, aut ignorantiæ accuſabit, niſi qui artem prognoſticandi deridens; hanc incertam medicinam pronunciet, quo fit ut impetu animi de hac differens ingenio ſuo, & inutilibus commentationibus magis addictus, quam naturæ monitis innixus, Hippocraticæ ſectæ criſeos, & coctionis leges adamuſſim ſpeculanti, quæ tantopere viguit, ruinas adſtruat, & etiamnum calumniis proſcindat. Quamobrem ne medentes ignominia obruat, eventum morbi prænotionem Medicis maxime opportunam fore arbitror, ut ſi homo aliquo pernicioſo morbi turbine forte conjiciatur, a Medico naturæ vaticinio inſtructo procul proſpiciatur; & ut hujus artis nauticæ peritiſſimus ſcopulorum, & ſyrtum prævisor, ventorumque, cælique aſpectus obſervator futura cognoſcat, ne nova inopinato ingruente tempeſtate opus improviſo ruina quatiatur. Ut igitur ad praxim nos via ſtabili exornandam dirigamur, impavidique reddamur in præſagiendo morborum eventu, ne aliquis contra medentes cæcus imperitorum impetus fiat, per longos, & patientes experimentorum decurſus, & juxta veterum monumenta prognoſis inſtituatur, quibus ad exitium ægrum tendere, vel ad ſalutem prævidentes Medicorum exiſtimationi conſulere videbimur, nec de futuro damno inculpabimur; unde medicinæ parens Hippocrates lib. prænot. hæc habet: *Cum etiamſi divinum quidpiam nobis ineſt, hujus quoque prævidentiam perdiſcere. Sic enim optimo jure & admirabilem, & bonum ſe præſtabit Medicus: Quos enim ſuperſtites fore cognoverit, eos rectius quoque ſervabit, utpote ex multo tempore ſingula conſuete perpendens. Itaque morituros, victuroſque præſentiens, atque denuntians omnem prorſus calumniam vitabit.*

Idcirco ut morborum eventus ex ſaliva nobis innoteſcat, Hippocratica obſervata nobis expetimentorum additamentis confirmata perquirere licet, quibus occaſionem præbet in obſervatis Hippocratis moriendi cupiditas, & inde dolorem capitis primo experientia conſulendi, quem levari a ſputo craſſo, & non olenti in Coac. prænot. docet, ubi ait Hippocrates: *Capitis dolorem ſolvunt ſputa craſſa, & non olentia.* Quoniam decubitus cujuſcunque humoris tenacioris, lenti, motus craſſi, frigidi ad membranas cerebri, ſive pericranium, tanti eſt niſus, ut membranæ, & nervorum fibrillæ ita comprimantur, urgeanturque, quouſque in hac poſitione ſiſti, abſque majori fibrarum divulſione non poſſint, neque compreſſi villi contrahi, niſi per copioſiorem ſpirituum influxum compreſſionem illam ſuperantium, nec ſpiritus per compreſſos nervorum tubulos fluere poſſunt, niſi violento, & majori niſu in motum rapiantur, quorum motiones a preſſionibus provenientes, augent tremorem in fibris momenti plus æquo majoris, a quo deſilientibus quaquaverſum villis majori cum impetu cerebrum concutientibus, derivatur dolor. Ab hac doloris vexatione liberatur æger, ſi humor ſummæ inertiæ in pattibus minimæ preſſionis conſiſtens, vel villos cerebri comprimens, in ſanguinem trajiciatur, qui per ſanguinis circuitum tandem producitur ad ſalivæ glandulas ex venis in arterias, ac demum per has in glandulas derivatus. Igitur ſi copia humoris in ſalivales glandulas e cerebro trajecti ſit craſſa, & ſuis partibus maxime cohærens, diffluet a capite dolotis materies, adeoque levabitur dolor. In quibus enim ſputum olet, cum id quod intus remanet putrefieri valet, fere ſphacellati, vel ſaltem corpus occulte infici portendat, ſuſpenſam ſemper attingit bonitatem, nec remittitur dolor. Pro hujus textus coronide inquit Hippocrates de morbis acutis: *Si e naribus effluxerit ſanguis, ſolvitur ægritudo, atque ſi ſudores ſupervenerint juaicatorii cum urinis albis craſſiſque, & lenibus ſubſiſtentiis, & abſceſſus aliquis factus fuerit; verum ſi abſque his ſolvatur revertetur ægritudo, vel coxa, vel crus dolebit, expuetque craſſa, ſi ſanus eſt futurus.* Cum in morbo acuto humores nimia efferveſcentia commoti, torpidi, aut parum mobiles per vaſa nituntur, cave ne ſtulto, ac intempeſtivo purgantium, & diaphoreticorum uſu motus naturæ divertas, in quibus ſi quieſces, paulatim relaxato ſolidorum tono, orietur laxitas debita in humorum fluentium compage, quibus mutato inter fluidorum impulſum, & ſolidorum preſſionem inæquali æquilibrio, liquida hinc illinc, quo debent, excurrunt, celeritate fibris proportionata, circum quas dum pererrant, nituntur in arteriolas quaquaverſum. Unde ſi occurrant vaſculis capillaribus narium tenuiorum, vel a membranatum porulis colligantur, aut ad glandulas urinæ, ſudoris ita impingant, ut ſuſtinere impetum illum non poſſint, in forma ſanguinis, aut aliorum craſſamentorum ſecernuntur, indeque morbus perfecte tolli aut ſubigi poterit. Verum ſi abſque hiſce ſolvatur, quia videtur potius ſopita quam reſoluta cauſa morbifica, prorinus *revertetur ægritudo, vel coxa, vel crus dolebit*, & tunc ſi evadat æger, & ſanus ſit futurus, *expuet craſſa*, cum juxta Hippocr. de morb. *ſignum concoctionis ſit craſſities in urinis, in egeſtionibus, in ſputo, & in pure.*

De ſputo autem hic maxime ſoliciti ſumus; quoniam humores mille modis, & gradibus virium inter ſe miſcentur, unde diverſitas accidentium in morbis a diverſa permixtione humorum exorta non ſemper idem indicat. Hujus ſalivæ proventus in mentis torpore occurrens cum a maxime flaccidis, & concidentibus glandularum villis cohibeatur, ita ut per membranarum mollitiem fluere poſſit quantum ſeri opus eſt ad generationem ſalivæ naturali quantitate majorem, fieri non poteſt, ut ſolidæ nervorum partes ad mollitiem naturali majorem redactæ in undas veniant ſenſibus excitandis neceſſaria: hinc lethargus, cujus ſigna deſcribit Hippocrates lib. 2. de morb. *Tuſſis oboritur, & ſalivam ſpuit multam, ac liquidam, & nugas garrit, & ubi nugari deſierit, dormit.* Ex lethargico autem ſalivam multam ſpuente tam aperte patet humorum frigidorum collectionem eſſe veri lethargi cauſam, ut nihil ſit opus in cauſarum examine ulterius immotari, eoque magis quod ſi quid eſſet explicatu difficile; facile ipſius neceſſitas ex Hippocrat. lib. 3. de morb. curam tradente explicatur, dum ait: *Ut plurimum ſpuat, & calefiat, & a vino abſtineat.* Cum autem partes flaccidæ, quæ particulis ſuis minus cohærent, quam in naturali ſtatu, cedant per minima, & vix reſtituantur propter mollitiem, quæ a craſſo lentore cerebri glandulas infarciente provenit, ſi forte contingat, ut moleculæ ſalivæ, quæ fibræ nimio ſaturatæ mollitiem acquirunt, cum ſanguine ita fluere incipiant, ut confertim ſeparentur in glandulas, dura, piaque mater elaterem prius relaxatum acquirens remorantis fluidi reſiſtentiam ſuperat; qua ratione intenſis criſpatiſque fibris oſcillatio villorum cordis, meningum, preſſionibus æquilibrata ſanguinem æquali motu in gyrum propellit, unde ſalivæ fluxus lethargo ſuperveniens afferet ſpem ſalutis.

Ut vero ob ſalivæ copiam caput infarcientis evadit homo lethargicus, ita dum exiccatur, in ferox delirium rapitur, quod faſſus eſt Hippocr. in prædit. *Linguæ aſperæ, & reſiccatæ phreneticæ ſunt.* Quoniam in phrenitide ab humoribus ſolutis in calorem abeuntibus excitata ſanguis toto impetu jactus per univerſum corpus celerrime rapitur. Ex illa partium minimarum attritione exuberans calor, cum abſumat quicquid humidi inter duas quaſque ſanguinis particulas continetur, non affluere permittit illud liquidum ad glandulas, quod cæteroquin a partibus humidis non disjunctum continuo impelleret, adeoque deſtitutum ſuæ limphæ vehiculo urat oportet villos linguæ, cujus tiliæ aduſto ſanguine combuſtæ ſumme areſcunt. Per calorem autem teſiccatis linguæ papillis earum villi in ſuperficiem aſſurgentes penuria humidi invicem ſejuncti inſtar cunei digitos ferunt: Hinc areſcet lingua, ſi phrenitis otietur.

Capitis morbis ſuccedit faucium inflammatio, quæ in Hippocrat. lib. 2. de morb. habetur: *Febris, & dolor concipit, & fauces inflammantur, itemque maxillæ, & ſalivam deglutire non poteſt, ſputt autem craſſam, ac multam, & difficulter loquitur.* Quoniam in angina humorum copia ad fauces ita ſubſiſtit in canalibus ſuis, ut minus vivide in fluxum acta, vel arteriolas diſtrahat, vel e canalibus in interſtitia derivata vaſa infarciat, in quæ depluit, adeo exundat in glandulis ad ſummum œſophagi poſitis, aut laryngi proximis, ut ad quem cum hient glandularum ductus in os ducentes, materia quælibet ſalivæ ad lacunas glanduloſas perducta, ibidemque preſſa per impetum ſanguinis ſuperfluentis exprimatur: & quia ratione preſſionis, & humorum copia muſculus ad baſim linguæ, craſſis, lentiſque humoribus obrutus plane pervertitur, æquo flaccidior nervus erit, adeoque ita concidet, ut prohibeatur linguæ motus, unde *ſpuet craſſam, & difficulter loquitur. Sputa autem viſcoſa, craſſa, valde alba, quæ violenter educuntur, mala ſunt*, inquit Hippocrat. in Coac. prænot. Si igitur obex inflammationis, quo impeditur, & retardatur motus ſanguinis per arterias, ſit tantus, ut per continuum ſanguinis affluxum a minimis canaliculis tenuior pars ſubſiſtentis liquidi exprimatur, vel in motum ducatur, remanebit ſiccitas, quæ coget villos, ut humoribus affluentibus non cedant, eoque magis lentor cum ſiccitate conjunctus fiet minus ad motum facilis, qui connitentibus fibris ſubſiſtere cogetur fruſtra nitens in fluxum agi; per continuam autem, & validam fibrarum oſcillationem toto impetu exprimetur craſſior, & viſcoſa ſaliva, quæ violenter educta, cum oſtendat fibram non laxari, humores non concoqui, mali ominis eſſe videbitur.

Quanti fecit Hippocrates, ut in angina ſaliva fluat, apparet in 2. de morb. ubi ait: *Si ſaliva ſupprimatur myrti ramulum complanatum ſumito, & tenera ipſius ſumma parte incurvata, & molli lana obvoluta in fauces immiſſa ſalivam expurgato.* Si materia ſalivalis ex ſuis canalibus in glandularum cavitates derivata adeo villos glanduloſos infarciat, ut humores retro urgentes ad fauces ſubſiſtere cogantur; adeo præ humorum copia tenduntur villi, ut per continuam, & validam diſtenſionem jugiter in diſtractione perſiſtentes inepti expulſioni ejus materiæ reddantur; natura propter copiam ejus non valet ipſam totam ſecernere intra illud temporis ſpatium, quo ex fluido ſanguineo eandem recipit angina velocitate minori inſtructo, quæ ſi confertim proliciatur a myrti ramulis, ſtatim deplentur vaſa, quorum fibræ nimio fluido eas diſtendente depletæ, ita aſſidua motus exercitatione roborantur, criſpantur, ut per fortiſſimam illarum fibrarum conſtitutionem majori velocitate, ac impetu excurrat ſanguis, cujus ſubſiſtentes ad fauces moleculæ, vel ad contractum fibrarum circulantes, tardiorique gradu progredientes ad ſolidi leges recipiendas ulterius aptæ preſſionibus ſubjiciuntur, & a vivido fibrarum elatere, ac proinde potentiori reſiſtentia fluidi impellendi vi, hinc inde exprimuntur: ex quo Hippocratis conſilium ex voto ſuccedit. Deficiente autem ex toto ſaliva in angina ſumma pernicies eſt, de qua Hippocrat. lib. 3. de morb. vulgaribus ægror. 7. ait: *Illius anginoſæ, quæ apud Britonem ajebat primum a lingua cepit vox eſſe obſcura, lingua rubens deſiccata erat primo die, horrida incaluit, tertio rigor febris acutæ: tumor colli, & pectoris ex utraque parte, ſubruber durus, extremitates frigidæ, & lividæ devorare non valebat dejectiones, & urinæ ſubſtiterunt, quarto cuncta exacerbata ſunt, quinto periit.* Hæc fœminæ apud Britonem agentis genuina faucium inflammatio fuit, & fortis, in qua a ſanguine nitente propter obſtructionem ad fauces erubuit

lingua, quæ magis ficco per vim caloris proxime ad fauces hæreute lentore liquidiores ſalivæ partes abſumente deſiccabatur, in qua quoniam a ſiccitate fibrarum, aut per ſolam compreſſionem nervorum, tum obſtructionem vaſculorum, qui ad linguæ baſim ducuntur, poterat impediri, aut tolli motus ipſius linguæ; adeoque, *primum a lingua cœpit vox eſſe obſcura*. Penuria igitur ſalivalis laticis deſiccata lingua, humor calidus, & valde acris cumulabatur intime intra collum, qui ad interiora æque, ac ad exteriora excreſceus ita comprimere potuit arterias carotides, & urgere canales faucium, ut intra ipſos ſubſiſtente ſanguine, & deorſum repercuſſo extuberaret *tumor pectoris* ex utraque parte *ſubruber durus*, qui pulmonum fiſtulam comprimens excurſum aeris ita prohibere potuit, ut reſpirationis via occluſa *ſpiritus ſublimis* educeretur. Unde defectu motus ſanguinis in refrigeratis extremitatibus, & quiete ejus liveſcentibus, cum quarto cuncta exacerbata fuiſſent, quinto periit.

In raucedine ſputa viſcoſa ſalſuginoſa mala ſubdit Hippocrat. in Coac. prænot. quoniam intima tunica aſperæ arteriæ confertiſſima eſt glandulis, quæ ſubviſcidum quoddam, & mucilaginoſum perpetim affundentes, adeoque in cavitatem ejus derivantes jugiter fiſtulam pulmonariam lubricantes emolliunt: ſi igitur copia humoris e vaſculis ſanguinis in glandulas trajecti ſit tanta, ut tracheam, & glandulas omnes inundet, atque ſuis partibus maxime cohærens difficile diffluat, ut ipſas multo magis afficiant: debitum lymphæ proventus aſperam arteriam humectantis non ſolum intercipietur, verum relaxabitur, vel conſtringetur tunica glanduloſa, & partes glanduloſæ circa ſuperiora aſperæ arteriæ ſitæ magis intumeſcent: Hinc fiet defluxio in vaſculis pulmonum, unde raucedo, quam excipient ſputa viſcoſa a lympha magis compacta, & in glandulis ſtagnante, inde ſalſuginoſa ab acri humore, & ſolutis ſalibus exorta.

Cum autem glandulæ aſperæ arteriæ ſint maxime molles, & ab hujuſmodi humoribus vellicabiles, atque ſolubiles, facile irrepet tabes, ſi ſalium ſoluta compages cum lentore combinata in veſiculas pulmonares diffluens pro diverſo acrimoniæ gradu partes ſolidiores pulmonum corruperit, *unde ſputa viſcoſa, & ſalſuginoſa mala*. Si majora quæris, plurima pulcherrima vide Coac. prænot.

Quibus pleuriticis in principio lingua bilioſa fit, hi ſeptima die judicantur, quibus autem tertia, aut quarta die, circa nonam. Lin. gua bilioſa, & craſſa, quoniam materiam craſſiorem intra pulmonum arteriolas cumulatam e vaſculis diſſolvi, & ad concoctionem tendere ſignificat: ſi hujuſmodi linguæ color contingat circa initium morbi, quo ſcilicet tempore non niſi parva materiæ collectio facta eſſe poteſt, nec membrana pleura violentiorem diſtractionem paſſa eſt, ſeptima die morbum judicari indicabit: *Bulla vero ſublivida oriente in lingua in principio, quali eſt ferri tincti in oleum, difficilior ſolutio contingit, & judicatio ad decimam quartam diem pervenit, ſanguinem autem plerumque ſpuunt*. Cum autem color obſcurus, & nigro oleaginoſus arguat & lentorem humoris, & cruoris nimiam denſationem, & pravam quantitatem ejus, quæ difficile ſubeat pulmonum canalia, & difficile ab illorum tunicis divellatur, non ita facilius diſcutietur; unde pulmo preſſus a diſtracta pleura redditur minus aptus extenſioni, quo fit, ut vaſa ſanguinis pulmonum ita comprimantur, ut ex his exprimi ſanguis poſſit, vel a compreſſis vaſculis ita retineatur impetus ſanguinis, ut intra ipſos pulmones detineatur, quo ſiſtente, & novo ſemper ac ſemper impingente ſanguine ita divelluntur per minimas partes vaſcula, ut diſtractionis niſum ſuſtinere non valeant, unde ſanguinis ſputum plerumque contingit. Inde *peripneumonicis, quibus lingua tota alba, ac aſpera fit, ambæ pulmonis partes inflammatæ ſunt*. Linguæ membrana cum interiori pulmonum, quæ bifida eſt, continuata juxta pulmonum inflammationem exaſperatur, ac exſiccatur, quæ inde in ipſa ſicciori ſalivæ parte ob humidum craſſum inter papillas fere magis hærentem, ac ſpumeſcentem albeſcit, cum quod humidius eſt, ac tenuius abeat in auras. Hinc cum admiratione, & maxima cum voluptate hanc diſtinctionem notat Verna de pleuritide, in qua Hippocr. lib. 1. de morb. ſi contingat nimia ſalivæ copia, ut æger expuere nequeat, ſuppurationem formidat. *Pleuritici præ ſalivæ copia expuere nequeuntes ſuppurati fiunt, & partim pereunt, partim evadunt*. Humiditas enim nimia villos ad laxitatem diſponens parit concidentiam membranarum, & dilatationem glandularum, quæ ratione minimæ virtutis, qua villi ad mutuum contactum nituntur, & ab illo dilabuntur, a quocumque lentore facilius occluduntur; unde laxatis villis nimio humore irrigatis, & occluſis canalibus impetus ſanguinis minor redditur craſſitie, ac torpore ſuarum partium per additionem humoris, ad pulmones fluentis, qui cum ſubſiſtat ad partes minoris impetus, niſi poterit e vaſis diſſolvi, nec a vi pectoris ab imo pulmone ſibi viam aperire ad uſque ſuperficiem pulmonis, tranſibit in ſuppurationem, cujus humoris in cavitatem pectoris defluxus, ſi extendatur ſupra univerſam pulmonum ſuperficiem a ſingulis ejus folliculis exſudans poterit uſque ad fauces parvo cum impetu reddi, adeoque ægrum evadere. Quod ſi ſuppuratus humor ſtatim per ſputum non reddatur, producetur ulcus pulmonum, vel vomica, ſinus nempe magnus, qui putrefactus demum in lethalem lapſum terminabitur. Unde Hippocr. de morb. de peripneumonia ait: *Quod ſi ſaliva non probe purgetur, & ſpiritus fuerit frequens, prædicendum eſt nullam ſpem vitæ reliquam eſſe*. At vero de locis in homine, *cum in thoracem fluxerit, & bilis fuerit, ex hoc manifeſtum fit, dolor lateris mollitudinem occupat, & claviculam ejuſdem partis, & febris adeſt, & lingua ſuperne pallida, ac viridis fit, & excreat impacta, hujus morbi periculum ſeptima, aut nona die inſtat*. Si igitur ſupprimatur inflammatio, & pars pulmonis affecta ſit ſub tunica, vel in uno pulmonum, adeoque undequaque a pectore prematur pulmo, ut a folliculo, vel a membraneis pus exſudare cogatur: Hoc cum ab impetu ſua gravitate minori non reddatur per aſperam arteriam in cavitatem pectoris colligetur, quod inde manifeſtabitur a dolore lateris mollitudinem occupante non ſine febre, ac lingua viridi, ac pallida, quæ illo colore afficitur, quoniam ſumme viſcida ſaliva ita reſiſtit remotioni ab interioribus linguæ papillis, quibus allabitur, ut minime ab ejus tunicis divellatur; cui ſi obſtructione pororum aucta admiſceantur particulæ bilioſæ, color ille pallidus in viridem abibit, quod in ſeptima, aut nona periculum adeſſe denunciat.

Signa ex ſaliva hydropico ſalutem indicantia ſcribens Hippocrat. in prædit. ait: *Neque ſitim eſſe in hydrope oportet, nec linguam reſiccari*. Quia ex vaſis lacteis, vel lymphaticis alteris, aut ſimul utriuſque diviſis, aut aperris ſerum a maſſa ejus diſſoluta nimis deciduum, vel chylus e propriis ductibus effuſus ventris imi viſcera plerumque in hydrope inundat, aut ſanguinis pars aquoſa ab oſculis nimis laxatis vaſorum exundans in viſcerum cavitates, aut membranarum lacunas extravaſatur, non poteſt humor ille ſeroſus ad totum corpus, & præcipue ad ſalivæ glandulas diſtribui, unde ſitis adeſt, & lingua areſcit. Sitim vero non eſſe, neque linguam reſiccari, cum denotet ſanguinis curſum non præpediri, nec ſeroſum humorem intus cavitates coerceri, bonum omen portendit.

Quibus febrientibus cibi faſtidia ſunt, & oris ventriculi morſus, & multum ſalivæ, iis vomitus fit in Coac. prænot. habetur. Quoniam etenim per ſtatum febrilem ſanguinis ratione partium terræ præcipue, ac ſalis, quæ licet multa ſaliva dilutæ, minus tamen, quam par eſt, temperatæ per humidi admixtionem ad minima non diſſolvuntur, nec in liquidum rediguntur, fit, ut non evadant tam fluxiles, ut refluere in ſanguinem poſſint, ſed exprimatur ſolum ab illis, quicquid eſt liquidius: adeoque cum a ſuperficie ventriculi divelli, & abripi non poſſint, liberius vellicabunt, & acrius urgebunt ipſius tunicas, a quarum ſtimulo vellicante nimis excitabitur ſenſus ſummo cum faſtidio, qui in ventriculi morſum terminabitur: ex hoc ſenſu doloris criſpatis fibris glandulæ omnes ventriculi in expreſſionem liqidorum nitentur, & villorum contractione expreſſum liquidum ſurſum urgebitur, ut magno cum impetu aſcendat ad œſophagi ſuperficiem, unde vomitus.

Quibus vero circa dentes in febribus quidam lentore naſcuntur, iis forte fiunt febres. Hippocr. Aphor. ſect. 4. cum lentor febrem producens eſt tam tenax, ut difficilius in fluxum agatur, pars ejus liquidior per ramulos non carentes preſſione diſtributa difficilius ita urgebitur, & ſolvetur, ut ab arteriis abripiatur ſolum portio ipſius minus viſcida, quæ in glandulis ſalivalibus derivata, cum ſit naturali ſaliva viſcidior, iiſdem partibus adhærebit: Unde cum liquidior pars a glandulis expreſſa non ſit naturali ſero irrigata, ſed magis viſcido lentore peſuſa, ita in cohæſionem venient partes ſanguinis, ut generetur lentor circa dentes cum febri forte corripiens. Contra vero morbus diuturnior, ac difficilior eſt, *ſi ſalivam tenuem, ac ſpumoſam primum ſpuit, lingua flava eſt, verum progreſſu temporis nigreſcit: ſi igitur in principio nigreſcat, citius morbus finitur, ſin poſterius, tardius, tandem vero etiam rumpitur lingua*. Hippocr. in VIII. de morb. febr. Cum igitur ſaliva componatur ex parriculis chyli, atque liquidis aqueis ſanguineis, & illæ ex initio febris crudiſſimæ ſint, per febrilem motum, & preſſionem illam exprimetur mere aqueum, ſeu quod liquidiſſimum eſt, & ſumme tenue ſejungetur ad glandulas, cui ſi ſuccus viſcidior ex perenni febris fermentatione compactus in initio adeo conglobetur, ut ratione ſolius lentoris per oſtia canalium ſalivalium in os ſub ſpumæ forma deducatur, cum ſpuma ſit quid compoſitum ex aqueo viſcidiori, & aere, tum nimiam cruoris lenteſcentiam, tum ejus lymphæ invincibilem viſciditatem oſtendet, adeoque ſaliva tenuis diuturniorem, ejuſque ſpuma difficiliorem morbum denunciat.

Lingua quæ in principio quidem inhorruit, in calore vero permanet, progreſſu autem temporis exaſperatur, & liveſcit, & rumpitur, lethalis eſt. Si vero valde nigreſcit in quarta decima die indicationem fore ſignificat. Periculoſiſſima autem eſt nigra, & cum virore pallida. Linguam circa bifidam ſui partem veluti ſaliva alba obduci, febris remiſſioris ſignum eſt: ſi quidem id quod ſuperindutum eſt fuerit craſſum, eadem die, ſi vero tenuius, poſtridie, ſi vero adhuc tenuis, tertia die. Hippocr. in Coac. prænot. Si in principio febris lentor febrem producens, non ſit ita fuſus, ut per ſalivam reddi poſſit, ſed motus ſanguinis ſit tam naturali ſimilis, ut detur illa velocitas, quæ neceſſaria eſt ad ſeparandas partes cum aqueis, naturalem ſimilem ſalivam conſtituentibus, in colore ſuo permanebit lingua, quæ ſi progreſſu temporis exaſperetur, liveſcat, & rumpatur, cum exaſperetur exſiccatis villis, & a ſubito ſtagnante lentore nigro oleaginoſo tingatur virore ærugineo, a cujus ſicciori parte inter papillas magis hærente ita lingua contrahitur, ut a proprio termino recedentibus papillis divellantur fibrillæ, atque diſſilient, peſſimæ conditionis febrem oſtendent, unde lethalis erit. *Si vero in decima quarta nigreſcat*, cum materiam craſſiorem e vaſis diſſolvi, & ad concoctionem tendere ſignificet, morbi judicationem indicabit, quæ facilius continget, ſi lingua circa bifidam ſui partem craſſa obducetur ſaliva; tunc enim per derivationem lentoris, & liquidi lentorem producentis ad ſalivæ glandulas remittetur febrile incendium, eoque magis, *ſi id quod ſuperindutum eſt, fuerit craſſum*.

Inde Hippocr. in Coac. prænot. ait: *Linguæ denigratæ in alvo liquida celerem mortem ſignificant*. Quia vero ut concoquatur materia morbi, requiritur ut fiat fluxilis; fit autem fluxilis facilius, ſi liquidiores a corpore non ſecernantur; igitur in denigrata lingua ſi dejiciatur per alvum quod eſt liquidius, incoctilis humor, & pars ipſius durior ſubſiſtet intra vaſcula, unde ſi adhuc ſtagnante lentore ſanguinis alvi profluvium ſuperveniat, malum. Longum hic eſſet inveſtigare ſolertius præternaturales ſalivæ particulas in ſanguine redundantes, ex quarum varia cum cæteris combinatione, & parva earundem conſtitutione chronicorum, acutorumque morborum idea certior deſumitur. Quanti fecit magni medicinæ Parentis Hippocratis verus ſectator Baglivius linguæ, & ſalivæ obſervationem ad dignoſcendos morbos, eorumdemque eventus præſagiendos, ex ejuſdem operibus ediſcitur, qui expertus eſt eos in febrem, vel gravem viſcerum, & præcipue naturalium morbum incidere, qui per plures dies loco naturalis ſaporis amarum, viſcidum, ſalſum, aut acidum præſertim circa horas matutinas percipiunt, quibus ſi accedat magna virium laxitudo cum inappetentia, aut alterius mali ingruentis ſymptomatis comitatu morbus irrumpit. Cum enim ſaliva morboſis, atque peregrinis ſalibus infecta intime mixta in ventriculo vires ſuas explicet, fieri non poteſt, ut ventriculus præſervetur a labe, ut inde appetitu dejecto tonus ejus magis non relaxetur, atque a præternaturali ſalivæ cum ſanguine permixtione fluidorum compages non fatiſcat, quæ coagulationi prona magis torpedine membra vincit, fluentis ſanguinis curſum retardat, & ad morbos plurimos diſponit.

DE

DE SALIVATIONE ARTIFICIALI,

CAPUT III.

ARTICULUS I.

De indicante, & prohibente generico.

JAm vero hiſce, conjectura mea ita favente, abſolutis, opportunum fore arbitror, ut ſalivam arte pellicitam deinceps conſiderem; cui ſane rei laboris, & obſervationis plurimum impendi par eſt; ſi vel ipſius vires ſpectes, vel utilitatem. Siquidem non deſunt homines ingenii acutie, & ſtudii commendatione florentes, qui cum ſalivationis ultro agnoſcant utilitatem, tamen in ea excitanda decepti, vel illam in crimen vocant, vel non amore proſequuntur. Horum cavillis, & dubia æſtimatione fit; ut plurimi veritatis incertitudine deterriti de ſalivatione artificiali non ſolum indigne, & turpiter ſentiant, ſed illam erroribus involvant, & ſilentio excutiant. Unde forte miraberis, & humaniter quæres, quid potiſſimum me impulerit, ut anxie ſolicitus ſub iis ſalivæ artificialis auſpiciis rem prælo committerem. Cum enim mecum ipſe perpenderem, ſerio ne, ſedulòque monuerim abſque veritatis convitio ſubtrahere me Reipublicæ Medicæ non poſſe, quod pro re nata ſine mendacio ſuffragandæ in hominum animos ſalivationi peridoneum ſentio; rudibus illam a mendis vindicare, & ſeveriorem illorum cenſuram, manco quodam, mutiloque fundamento, neſcio quo caducitatis infortunio, innixam diluere cenſui, ſi utilitatem ſpectantibus viam probe oſtendero, ut noxium exuant mendacium, vel excellentiam ſpectavero, ut male ſentientium illa opinio eximatur. Quod ſi non alienis rixandi ſtudio parum arrideat, celebre apud veteres ſcias dictum eſſe, *nec Jovem ipſum omnibus placere potuiſſe*. Et profecto tanto numero, & tam varii generis ſunt, qui licentia longe minus tolerabili ſalivæ artificiali fabellas callide conficiunt, atque in hanc impingunt verba æque ac facta male conſulentes, ita ut mihi non minus admirationis, quam doloris parerent, niſi intelligerem, quantopere humani generis hoſtis in hoc vertitur, ut bona ſalivationis, & ejuſdem ſctipta evileſcant, quæ ſuo exiſtimata pretio contra illorum inſcitiam, & ad eorundem conſiliorum ſubverſionem maxime valent; nec non recordarer (quod eſt hominum proterva indoles) Ciceronis admonentis, *vitari non poſſe reprehenſionem niſi nihil ſcribendo*. Jam vero, ut conſilio meo congruenter faciam, quod hic palam profiteor, ne incohærenter dicta, denique levia, & exigni momenti videantur, in quibus nullum videtur apparere dubitationum veſtigium, citra eorum exiſtimationis injuriam, ſalivationi artificiali religioſe adhærere in pretio habeo, quæ licet a tot retro ſæculis non intellecta, aut contempta, in ægrorum tamen ſolatium, & gratiam a natura inventa uberius nunc artis conſilio augetur, & latius ita in eorundem emolumentum diffunditur, ut inter univerſales evacuationes enumeranda reputetur; quam conjecturam nemo, opinor, ratione deſtitutam judicabit, cui modo critica plurimorum morborum ſolutio, vel per naturalem ſalivæ expulſionem eorundem revelatio non latebit: & quidem felicium eventuum conſideratione eorum cavillis occurritur, qui ſalivationem calumniant, vitiis, ac flagitiis exprobrant, ex quorum clade, ac nequitia (face præferente natura) artem illam ſalivatoriam, quam uſque omnium ſcire intereſt, ſine vitæ periculo addiſcimus, atque experimur.

Hujus ſalivationis artificialis genericum indicans eſt depravata ſanguinis labes, & ſtatus aliorum liquidorum vitioſus, quo ipſa minus fluxilia, vel mobilia liquida redduntur. Hinc generalis indicantis naturam induit quicquid extranei in ſanguine ineſt lenti, aut glutinoſi, quod a ſialagogis poteſt ita fundi, & eliquari, ut ejuſdem fuſio in glandulas ſalivales impingens poſſit per hiantis eorundem orificia, & ductus eliminari. Quod indicans miror ſane plurimos negligentia contemptum reliquiſſe, cum in tota ſalivandi arte nulla ſit pars magis neceſſaria, & quæ Medicorum conſilia expoſcat, quam iſta, quæ ad intuendam morborum ſalivationem petentium ordinata naturam, medentium praxim exornat, ſtatuitque in ſalivandi palæſtræ artis terminos, aut fœcunditatem: Cujus ope indicata ſalivatio ad evellendas morborum radices unice par experitur: at a malorum prohibente coetcita, & temerario conatu adhibita plurimos poſt ſævas ærumnarum perpeſſiones in orci fauces ægros miſerrime compellit.

Salivationis artificialis generale prohibens eſt humorum vitium, quod particulis ſanguinis inquietis, ſeu impetuoſe commotis peculiariter inhæret, ob quas mediante ſalivatione poteſt ita fundi, & laxari fluidorum compages, ut fibroſa pars penitus deſtruatur: vel ſi licet generico addere ſpecificum prohibens eſt ita preſſa, mutuoque cum cæteris miſcibilibus in aliquo viſcere amplexu unita, ut abſque canalium dilaceratione minime laxari poſſit; quibus ſi ſolidorum liquida vehentium in viſceribus naturalibus, aut ſpiritualibus deliteſcentium mollities, laxitas, flacciditas, aut ſoluta unitas accedat, omnibus circumſtantiis ſtipata totum vere prohibentis onus exhaurit.

ARTICULUS II.

De diverſitate remediorum ſalivalium, eorumque uſu, & utilitate.

UT ſialagoga mercurii natura penitus nobis innoteſcat, juvat hic exponere remediorum ſalivalium deverſitatem, quæ imminutum ſalivæ fluxum ad fauces promovent, & quicquid ibi hæret una diſcutiunt. Quando enim per glandulas palatinas in ſummitate palati diſperſas, vel per ſublinguales in radice, & lateribus linguæ hiantes una cum parotidibus juxta aures, ſalivalis ſuccus in oris cavum non infunditur, in ipſis tubulis moram nectit, ubi diu ſubſiſtens, & in partibus capiti vicinis ſenſim collectus infeſtus evadit, ibidemque coacervatus novas operandi vires acquirit; indeque vitiato molecularum nexu male olens, varie morboſos inducit affectus. Ne igitur fluoris ſalivalis motus retardetur, ut promptius iſte, & copioſius eliciatur, inventum fuit ſubſidii genus apophlegmatiſmi nomine inſignitum, quod pituitoſos humores in glandulis oris impactos, & tubulis inhærentes, fluxiles reddit, atque ad motum concitans in tantum emicuit, ut e peculiaribus evacuantibus veluti abreptus ad univerſalium claſſem elatus fuerit, quod eatenus concedi non poteſt, quatenus non totum corpus per ipſum ad has tubulorum ſyrtes ſuam deponit uliginem, ſed particularis glandularum ſalivalium morbus tantum tolli poſſe videtur. Ubi autem humores in tota ſanguinea maſſa, totoque adeo corpore impliciti æquali motu per vaſa rapiuntur, ſed ad oris glandulas appellentes circa faucium tubulos reſiſtant ſeroſi humores, tunc ut ad motum fiant aptiores, & fluxiles reddantur, apophlegmatiſmi incidantur, attenuanturque, ut felicius proliciantur. Quod ſi quis mentis hallucinatione captus iſtos vitali noſtro calori committi, ad oſſa quaſi uſque penetrare, & inter fibrarum poros, & glandularum omnium ſpatioſa ſe inſinuandi efficaciam ſuam manifeſte admodum in morbis longe gravioribus contendat, in actu hærebit illi aqua. Horum enim agendi modus in glandularum laxitate vel vaſculorum irritatione conſiſtit. Quoniam igitur ſalia volatilia acria urinoſa ex objectis in ore elicita, in nervorum fibrillas citiſſime irrependo urgent villorum oſcilla per intervalla minima, fit ut per tremorem illum partes, quæ validiori flexione ſeſe tangunt, in aliarum contactum magis nitantur; adeoque ſi quid eſt mobile per niſum illum vividius urgebitur, atque etiam abripietur quicquid eſt ad contactum membranarum poſitum, & intra villos contentum. Quare villorum niſus naturalis ſi partes magis impactas dimovere non poſſit, cum aucta vi ſtimuli minorem inveniat in fluidis reſiſtentiam, in contenta liquida nitendo fiet ille vividior, & fluidorum motus ad partium contactus adhuc major; unde ratione aucti utriuſque impetus lenteſcens liquor facilius dimovetur. Quod ſi fibræ glandularum ita corrugentur, ut appulſui ſalivæ renitentes effluxui non cedant, optime, feliciterque laxantur emollientibus vegetabilibus. Hæc ſenſim ſuaviter fauces afficiunt, anodyna vi poros demulcent, & partium nervoſarum inſigniter leniunt: qua ratione blando tepore laxatis fibris, flexilibus, mollibuſque particulis membranoſarum partium tenſione oblinita, uberior ſalivæ affluxus per hiantia vaſculorum repagula confertim appellens jugiter a dilatatis poris extillat. Hinc latus eſt in praxi apophlegmatiſmorum campus ſub forma maſticatorii, electuarii, trochiſci, pilularum, & gargariſmi exhibendus. Juxta igitur pororum infartus, & glandularum morbos cietur ſaliva, quæ ſi ob fibrarum torporem, & languidam villorum oſcillationem in tubulis hæreat, commodius prolicitur a maſtice, cujus granula ut lacrymæ tranſudant ex lentiſco arbore ſauciata, grato odore palatum afficiendo, glandularum atoniam reſarciunt, & rotundis ſuis particulis ſuaviter titillando effluxum ſalivæ promovent. Attamen ſi ſeroſus humor ſit tanti lentoris, ut per conceptam nervorum undulationem, & illum villorum niſum in expreſſionem liquidorum nitentem a glandularum exiliſſimis oſtiis dimoveri non poſſit paulo acriori ſtimulo, ut decocto mellito ex betonica, lavendula, majorana, rore marino, ruta, cubebis, pulegio, & naſturtio irritentur fibræ, ut majori contractione correptæ rigidiores, ac breviores fiant; unde adhuc majori niſu impetus ſanguini ad partes oris in glandulas ſtagnanti communicabitur major, quo fiet, ut a villorum preſſione attenuato ſpiſſo, & lento, aucta velocitate fluidorum, & ſolidorum tremore ſalivalis ſeri valdopere augeatur affluxus.

Si ob vitium villorum minus ſenſibilium, vel adhuc craſſioris lentoris reſiſtentiam divelli renitentis prohibeantur ſaliva, commodius aptentur ſulphurea, reſinoſa, quæ particulis ſalinis volatilibus acrioribus magis explicita, ut tabaccum, nigella ſylveſtris, radix gentianæ, zinziberis, quibus referri poteſt radix nicotianæ, modo obſervetur, ne tantillum deglutita ſaliva, graves vomitus, & ſedes concitentur, valent intimius commovendo fibras, ſerum quietem meditantem evacuare, & expreſſionem liquidorum facilius promovere. Sic in linguæ paralyſi liquida e ſinapi, theriaca, confectione anacardina, & aqua apoplectica optimi ſunt uſus. Dum enim nervorum linguæ papillæ acrioribus particulis ſtimulatæ vividius oſcillant, contentæ fluidi hærentis moleculæ ob tremoris ſolidorum motum fortiori agitatione commotæ ſenſim a vaſculorum anguſtiis abripiuntur. Ita nullo impedimento per linguæ ſubſtantiam repente fluido, & intra villos fluente libera permittetur muſculorum fibris contractio, unde reſolvetur paralyſis. Ad dentium dolorem a ſero ſtagnante radix pyrethri maſticata, tinctura Wedelii odontalgica ad copioſiorem ſalivam eliciendam eſt expertiſſima. In gingivis ſcorbuticis, tumentibus glandulis, hinc in frigidis capitis affectibus, apoplexia nimirum, lethargo a craſſo humore exortis, in quibus ſerum ſpiſſius evadit, cum ægri euphoria adhibentur maſticatoria At ſi tenui acrimonia vel fluxilitate nimia peccet humor, vel deficiat ſerum, ut in hecticis, vel peſſimo ſucco affectis, tutius erit abſtinere. Hoc conſilio in aſthmate, in hemopthyſi, in facile vomentibus, faucibus inflammatis, & anginoſis affectibus, ratione irritantis ſtimuli, tanquam noxia fugienda conſulimus.

ARTICULUS III.

De Mercuriali Salivatione.

POſt medicinæ exortum aureo artis ſæculo, licet improbo experimentorum labore laxata ingenia, & ſubtilioribus philoſophiæ ratiociniis ſuffulta ſublimiores de natura rerum cogitationes, medicaminum vires, & quamcumque morborum, cauſarumque contemplationem e penitiori phyſices receſſu ſeveriori indagine eruere conarentur: Horum tamen mira ſolertia fieri fugitivi in tenebris latantis, & quaſi ſilentio involuti, dubiis tantum innixa fundamentis ignobiliores uſus nullis experimentis ornata elicere potuit.

Poſt caſum exemplo monſtrante viam invectus in arte mercurius, qui prius ut ſcepticus, ſummeque deleterius a veterum ſchola lethalibus infamatus erat exemplis, nunc tandem caput exerens in primis artis ſubſidiis reponitur. Cum dira lues celtici ſeminii non prius noſtro cognita cælo mortalibus irrepſit, & primis illis temporibus ſubdole, ac clam ſumma hominum pernicie, ac clade ſævire cœpit, atque in humorum corpus debacchari, omnia medentium auxilia illuxit: qui medicorum cœtus cum viderint homines inopinato, & non intellecto morbo peremptos, indefeſſo conamine melioris auxilii medelam inveſtigantes, ſaniori forte conſilio ineuntes ad validiora Arabum medicamina pro ſcabie devenerunt, quæ hydrargyrum recipiunt, inſuetoque deluſi morbo luem gallicam cum ſcabie perperam confundentes, illis medicaminibus, in ulceribus gallicis uti cœperunt, quæ cum ex voto ſucceſſerint, ex falſo verum

ducentes casu reperiere, quod conjectura fallax dictavit, & ratio invenire non potuit; unde mox pro gallica sorde, & luis inquinamentis hydrargyri illinitione reperta, Carpensis ille Chirurgus, ut testatur Fabritius Fallopius de morb. gal. & Ramazzini, fere primus hanc medicinam callens, summo artis incremento a populari pellicitus aura, & novitatis aucupio sibi viam sternens ad medicinæ culmen, licet sæpe cæsis hominum victimis litans, feliciori tamen sæpius eventu plurimos obliniens tantos obtinuit plausus, ut in magnalia artis adscitus quinquaginta millia ducatorum aureorum lucraretur.

Harum observationum præsidio instructa mens hominum post repetitas, atque accedentes in dies novas observationes sibi mutuo facem præferentes, cœpit solertia mentis, hominum naturæ methodique pedissequa, novos mercurii usus explorare, & circa ipsius naturæ arcana disputare; ex quo regente rationis lumine in usus varios adscitus mercurius, atque diversæ indolis morborum ad curationem nunc invectus, summas dissidias in medentium sectis, & in quorundam scepticis Clinicorum ingeniis sola innovandi libidine præjudicatis, excitavit, a quibus sectarum litigiis malesano hominum judicio fundatis, in germanæ artis subsidium advocatus mirum non est, si post abdicatum empiricum studium, & subreptum theoriarum cultum luxuriantibus tantum intricatis hypotheseon erroribus, & conjecturis, & quasi in arte coercitus ultimos medicinæ fines non attigerit.

Ut jam ad variam præparationum methodum mentem dirigamus, primo unctionem mercurialium cutis illiniendæ, quæ in lue venerea curanda præscribi solent, selectiores quasdam formulas referre necessarium existimo: in quibus linimentis, licet plurima componentia ingrediantur, horum tamen basis est mercurius cæteris quibusve validior. Unguentum, quo Paræus lib. de lue ven. cap. x. feliciter usus est, conficitur ex particulis sublimati corrosivi, & sulphuris in pollinem redactis, quibus affuso argento vivo, simul cum axungia mox, & vitellis induratis, omnia diligenter permixta agitantur, donec minima commota optime se tangant. His exacte combinatis rursus affunditur argenti vivi, axungiæ, & virellorum portio, ut priori massæ incorporetur, cui additis tandem oleis therebinthinæ, & lauri, mox theriaca, & mithridato paratur mediocris consistentiæ unguentum. Juxta mentem aliorum Chymicorum mercurius vivus extingitur saliva hominis, vel oleo therebinthinæ, liliorum, vel lumbricorum, qui inde ab unguento de althæa Fernelii exceptus, oleoque succini associatus in unguentum coalescit. Sed melioris fortasse notæ compositio indicatur a Junckenio, & Sydenhamio, quæ ex crudo mercurio, & axungia porcina conficitur. Nec oleum aliquod, nec aliud quidpiam admiscent, cum deterius fiat unguentum, si quod adjunctum laxet habenas, vel hoc frænum injiciat, nihilque efficacius, si nil prorsus agat. Fortassis additamenta scrupulose expensa sunt inanes temeræ suppetiæ, quæ hyrargyri viribus, ac proinde frangendis mercurii conatibus, aut in internas partes penetratione cohibenda impares nil opis conferunt, nec malignitatem stulte petitam mercurii corrigunt: sed poros cutis occludendo mercurii efficaciam quoquo pacto infringunt, ut in oleosæ substantiæ amplexu torpidus paulo hærens, dein oleorum conjugio liberatus impetuosius in sanguinem evectus celeri motu ruat, donec visciditates in corpore hospitantes incisæ, atque attenuatæ per ductus salivales ejiciantur. At ab eorum usu, ut ab alea suspicione plena, nisi morbus vehemens inunctionem extorqueat, consultius est abstinere, cum languidius, vel validius, quam par est, fluxum salivalium commoveat.

A mercurio non excitatus fluxus oris, quotiescunque in linimento paratus uberius alluit spongiosas glandulas, & vasculorum lacunas, vel quia nervi in memoratis partibus conferti stupore afficiuntur, atque adeo distrahuntur, ut singuli villi laxo machinularum fœdere, & fibræ minori resistentia inter sese connexæ prementi nisu discludantur, quarum ope ubique humores miris modis agitati ulterius superare debent asperitatem parietum, resistentiarum occursus, & postrema fistularum, ductuumque emissaria. Nunc vero si vis dictarum machinularum distractarum minor fuerit vi ponderis eorundem liquidorum, quæ in reticulari fibrarum, glandularumque contextu continentur, cum in memorata partium distractione mercuriales particulæ, ob resistentiam, quam sibi ipsis faciunt, ad invicem non possint a languido solidorum nisu, & liquidorum a tergo urgentium pressione in gyrum rotari, facile in interjectis loculis, & fibrarum laxitate stabulantur, & suspendatur oportet eorum influxus oscillorum connisum violenter exhauriens. Machinulæ igitur fibrarum valde distractæ, & nimis laxatæ, etsi sponte sua denuo sese restituere conantur ad naturalem terminum, ut videtur in arcu, & qualibet machina, quæ violenter distracta, summeque distensa in pristinum statum reducitur, pondere nimio gravatæ non restituentur, ex quibus fieri non potest hyrargyri circuitus cum liquidis omnibus eo, quo fas esset, impetu; ideoque mercurius magis ad invicem pressus in illis spongiolis moram nectit, nec ejusdem stagnantes particulæ sursum impelli possunt, tum quia resistit naturalis ejusdem gravitas, tum quia laxitas fibrarum, & villorum omnium vis macerata labascit. Hinc præ nimio infartu, ac pondere circumfusi humoris superatur nisus, & villorum resistentia, ac idcirco immodica humorum sarcina inanitates spongiarum gravantur, ejusque ligamenta exolvuntur, atque divelluntur.

Si vero uberior mercurialium corpusculorum copia consistentibus fibris, rigidisque villis occurrat fluidi particulis, earundem implexu tanquam vinculis coercita paulo detinetur; at soluta fluidorum compage sui juris facta intensius exagitatur, & turmatim avolare nititur. Unde impetuosius concitis fluidorum solutionibus, uberiori nimis salivæ eruptione sputatio ciebitur; quo fiet, ut materiæ partibus gelatinosis impactæ saburra perquam immensa commota, tota confertim nimis versus ductus salivales irruens circa gutturis partes cum suffocationis periculo aggeratur: adeoque serosi laticis agitatæ moleculæ fugam molientes, & hinc inde ad glandulas oris jugiter confluentes, cum nullo fræno cohiberi possint, non raro contumacissimis cruciatibus spuentem ægrum miserrime jugulant.

Mihi Venetiis narravit vir in mechanicis disciplinis versatissimus, & æque in exercenda praxi feliciissimus, quod venerea lue ægrum tabescentem aggressus repetitis illinitionibus, cum nec quarta injunctione potuisset salivam promovere, imminenti remedii periculo consultus, & futuræ cladis fortasse conscius interdixit ægro mercurii inunctiones. At invocata alterius medentis ope inunctiones renovare consulentis, in septima inunctione ardenti febre correptus, summoque animi angore incalescens patiens deliravit. In hac morbi sævitie posterior Medicus suo errore deterritus curationis abdicavit imperium; nesciens quo facto, quave medela consultæ calamitati occurrere posset: prior tamen ut acrioris ingenii Medicus omne artis opus ruminavit. Catharticis irrito conatu adhibitis, aurum in subtilissimum pollinem redigi jussit, ut hydrargyrum miro aurum amplectens amore per aliquod cribrum eveheretur: sed minutissima auri scobs non lævitate sanguini æqualis sibi viam per alvum paravit. Unde quasi lumine afflatus, ut ægri corium auri foliis tegeretur auctor fuit; protinus inde aurum argenteo hydrargyri colore pallescere videbatur, ita ut mirum fuit, quanta mercurii copia auro allicita educeretur. Hinc laudabili hydrargyri quantitate educta ingenti ptyalismo parotides, salivales omnes intumuere glandulæ, per quas aqueis, & salino-fixis particulis ad fluorem, evectis jugiter erumpentibus, non minus intestino sanguinis motu in furorem concito, quam a mercurii pondere enervato solidarum partium robore, patientem jam eversum in naufragio vitam invenisse merito diceres.

Sanguis igitur in gallica fluidorum dyscrasia ob strictam, & densam nimium texturam naturali cordis, & arteriæ parietum motu allisus, debitoque fluore non gaudens suis partibus ita cohæret, ut licet assiduis villorum contractionibus, cruorisque præterlabentis pressione agitetur, in dies intestinus ejusdem motus oblanguescat, cæterarumque partium tonicus motus pedetentim resolvatur oportet. At si graves jugiter diffluentes mercurii moleculæ, id est majori momento pollentes, in sanguinis massam majori copia quaquaversum cum impetu confertim ruant, solventur subito partes sanguinis lentore implicatæ, & in libertatem vindicabuntur, excitabunturque motus species vivido tum liquidorum, tum solidorum momento respondentes, & ratione eorundem impetus velocitatis, & violentiæ fluet per canalia sanguis maxime liber summa velocitate, atque valido impetu præditus, nisum quemlibet vehementer exerens. Posito autem hujusmodi sanguine maxime soluto, ac celerrime rapto, partes subtiliores, & maxime mobiles, quæ non cohibentur nisi a fibra sanguinis, suo fræno destituuntur, adeoque vagantur libere per corpus sanguinis toto motu nitentes, ac proinde totum perturbato motu liquidum movebitur, unde febris ardens. Hinc per nervos magis confusi vagantes spiritus, & extreme soluti maximoque impetu instructi derivabuntur in salciculorum nerveorum tubulos, qui undequaque irrumpentes, nullo certoque ordine moti delirium excitabunt constans, atque continuum. Cum vero in accelerato liquidorum motu, licet fluidum sit ita divisum in partes adeo minimas, ut diameter orificiorum glandularum ad diametrum fluidi separandi habeat rationem majoris capacitatis, cum in glandulis separandum suum exigat sejunctionis tempus, & determinatam velocitatem requirat; perspicuum est separandas in fluorem evectas ab hydrargyro particulas, & cum sanguine ad orificia glandularum salivam secernentium appulsas, in ipsamet vasa non influere, nec ullum posse derivare liquidum, quousque solidorum nisus, & velocitas sanguinis aucta conservetur eadem. Quare educto mercurio validiori momento sanguinem rapido cursu per glandularum angustias impellente, copiosa sputatio incœpit, ob sanguinem minori velocitate in easdem glandulas impingentem. Igitur caute procedendum in salivatione instituenda mercuriali illitu. *Nec*, inquit Deleboe Sylvius, *sufficit feliciter successisse Medico salivationem in ægris suis excitatam, quin videndum, ne unquam succedat male, cum plus dedecoris accedat Medico ex uno eventu malo, quam honoris ex decem eventibus bonis.* Verum si post peractas illinitiones nulla symptomatum pernicie procedat salivatio, & felici eventu stadium exequatur; adhuc tamen si a moleculis hydrargyri per inunctionem institutam intra sanguinem cohibitis salibus virus intime non extirpetur, completa salivatione recrudescit morbus, atque superstes dein vitiosa sanguinis labes, & humorum indoles in elementaribus sanguinis particulis primitus constitutivis eradicata pullulat; a qua incerta liquidorum solutione ocius, quam par est, instituta, eventuum inconstantia consequitur, quæ artem contumeliæ redarguit.

Sedulo vero medentes unctionem ægris non tantum gravem, & molestam, sed nonnunquam etiam lethalem fuisse animadvertentes, mercurialia suffumigia investigarunt, quæ parantur cinnabari cum mastice, thure, mirrha, vel succino in pollinem redacto, quod prunis injectum ignem concipit, simulque cum sulphure resolutum totum in fumum densum, gravemque evolare nitens per infundibulum vitreum ore excipitur, capite bene tecto, ne quid ejus pereat, aut abeat in auras. Vel hydrargyro in therebintina extincto, bolo vulgari, & carbonum pulvere massam conficiunt, quæ inde sub umbra exsiccata candenti igni imponitur, ut fumosa nubes in altum prorepens pressius in tubo agglomerata, & dehiscentia oris vascula versus promotas minimas quasque corporis partes venerea lue affectas præreptet. Verum quantum efficax est mercurii fumus ad saniosam, putidamque salivam promovendam, tantum ex ejus usu recidivam patiuntur hi, qui gummatibus, nodisque plexi, & sævissimis ex lue venerea doloribus cruciati certum mercurii fumum intus non admiserint, quod partes omnes a seminio venereo infectas non valeat subigere. Hinc est, quod ab indeterminatis agentium viribus ab incerta quantitate mercurii in fumum resoluti, & intus elapsi pendentibus, sortitur eventuum inconstantia, quæ licet repetitis tentaminibus, rationeque expiata, dubiam semper, infidamque methodum constituit.

Nec feliciori successu cingula jam veteribus pro cura scabiei adhibita in gallica lue experiuntur. Mercurium saliva, & sevo extinctum in ovi albumen includunt, illinuntque supra gossypium, quod in cinguli modum consuunt. Hinc cuditur famosum illud sapientiæ cingulum, seu mercuriale Rulandi, quod est pannus lineus unguento mercuriali illitus, qui ad lumborum regionem applicatur. Attamen ab hujusmodi topicis ex magna rerum innumerarum congerie conflatis Medicus cautus sit, ne confidenter nimis expectet bona, audacterque nimis utatur: si hæc mercurii per poros cutis in sanguinem repentis genuina, ac certa nondum innotuit methodus. Unde forte remedio magis, quam morbo confecti libithinam non valent effugere. Excussis itaque dubiis, ac incertis hydrargyri, externo illitu, suffumigio, & cingulis, ad accuratiores mercurii præparationes absolvendas, mihi volupe est mentem revocare. Modo vero ad salivationem ciendam plurimi utuntur turbith minerali, quod est mercurius spiculis acidis olei vitrioli farcitus. Mercurius

vi-

vivus olei vitrioli combinatus ad minima diſſolvitur: poſt diſſolutionem igni lento commitritur, & diſtillando educitur humiditas; inde in fine aucto ignis gradu ultima pars ſpirituum diſpeſcitur. Reſtitans maſſa dein in aquæ tepore ſufflata in pulverem flavum momento temporis evaneſcit, quæ leviter mellita paucis lotionibus valide vomitum, & ſedes concirat. Spiritus acidi præcipitati forma mercurium induentes excitando in fibris ſpeciem motus momenti majoris impetu acutorum ſalium vehementiori eas ita urgent, vel his ita occurrunt, ut ad ſtimuli locum partes nervorum in eo ſitu ad contactum poſitas, & in ipſos occurrentes, quaſi divellant ab invicem. Ab hac vi ſtimuli divulſæ membranæ, & univerſi corporis villi naturali contractione contractiles validius contrahuntur; adeoque per niſum partium majorem, & vividiorem fibrarum flexionem vividius urgebitur, quicquid eſt ad membranarum contactum, ſive intra ductus, e glandularum inania poſitum. Unde dimovebuntur magis contenta liquida, quam ſi nervorum fibrillæ leviter oſcillarent: per tremorem autem illum, & ſpaſmodicam tunicarum contractionem, ſi quid erit mobile, & expreſſile, a dehiſcentibus ventriculi glandulis inteſtinorum oſculis, papillis, ductibus, qua poterit, derivabitur. Retuſis vero ſpeculis, aqua communi pluries edulcoratis, & ſæpe abluendo hebetatis, mercurialis pulvis omni acredine, & ſalſedine ſpoliatur: Ita pungentibus ſalibus, & purgantibus exutus felicius ſanguini fermento gallico effœto commiſcetur, ut promptius cum fluidis effluens oris fluxum promoveat.

Verum genuinum minerale turbith a peritis chymiatris, non a mercurio vivo cum acidis educitur, ſed ex ſublimato præparatur. Mercurius ſublimatus diſſolvitur in aqua pluviana calida, ſolutio aliquoties filtratur, filtrato mercurio guttatim infundatur tantum olei ſalis tartari, quantum putetur requiri quoad in fundo ſubſiſtat pulvis rubeus, qui aqua communi edulcoratur uſque dum deſtituatur omni acredine; inde cohibetur cum aqua mellis optime rectificata ſex, vel ſeptem vicibus, quibus terminatis eximatur pulvis, qui in vini alkohol ſuffunditur, continuoque motu circumfertur, donec vini ſpiritus protinus aſſumatur.

Si vero mercurius cinnabari elicitus diſſolvatur ſpiritu nitri, cujus diſſolutioni aqua ſale marino confecto projiciatur, inde volatili ſpiritu ſuperaddito ſalis armoniaci in ſumme albicans præcipitatum mutabitur. Hoc ipſum aqua fontis abluitur, ut a ſcoriis ſalinis, & partibus terreſtrioribus vindicatum felicius ſalivam movere poſſit. Sal marinum, vel ejuſdem ſpiritus ex rigidioribus moleculis, & craſſioribus corpuſculis conflatus in hanc diſſolutionem impingens ſui impetus percuſſione, & directionis momento nitri ſpicula diffringit mercurialibus particulis turgida. Unde mercurius a nitroſis ſalibus diſſociatus ſuo pondere ad vaſis fundum ſeſe compellit. Sic quoniam ſpiritus ſalis armoniaci volarilis ratione ſalis alkali eſt majoris motus, & momenti, ut poſſit liquoris particulas ſalis marini excutere, cujus moleculæ minoris agitationis, & impetus non appellunt, penum præcipitationis auget.

Alius paratur mercurius in ſpiritu nitri diſſolutus, qui lento igne difflata humiditate in candidam maſſam faceſſit, & ignis torturam patiens dum calcinatur, rubeſcit. Spiritus nitri, & mercurii corroſiva ramenta, dum calcinatione per ignem exagitantur, mutuis niſibus in ſe invicem agunt, eorumque reniſus aculeata ſalia retundens ſubtilioribus metheorizatis ſepticam materiæ coaleſcentis aciditatem demulcet, quæ licet calcinatione minus gravis, & cauſtica fiat, fungoſos tamen villos exedit, & ad ſalivationem excirandam periculo non carer. Hæc vero ſpiritu vini rectificatiſſimo pluries combuſta reſolutis ſalium aculeis ita oblinitur, ut omnibus votis ſalivationem compleat.

Galli ſaniori conſilio panaceam venerea lue confectis tutius exhibent. Hæc enim eſt ſublimatus dulcis ſalibus terreo-eroſivis ſpoliatus, & pluribus ſublimationibus lenitus, qui ſupra porphiritem contritus in alkohol redigitur. Hic pulvis in cucurbita vitri coercitus ſpiritu vini irroratur, dein eburis ſpatula paſſim agitatur, uthinc poſt plurium dierum infuſionem in balneo-mariæ projecto totus vini ſpiritus deſtillando eliciatur. Quo ſpiritu in vaporem ſublimato panacea in fundo vaſis reperitur. Vel ſublimatus dulcis diſſolvitur in ſpiritu vini, ejuſdem ſolutio filtratur, & ſpiritu vitrioli præcipitatur. Hic mercurius vaſis fundum dum petit, ut nix candeſcit: Inde aliquoties aqua calida dulcificatur, ut in ſaccharinum abeat præcipitatum: tum demum huic ſuperfuſo ſpiritu vini deſtillatur ter deſtillationem reiterando. Reperitæ diu deſtillationes, ſublimationes ſalium ſpicula rigida ſublimati corroſivi reſcinduńt, aut eorundem ſalium ramenta partim detrahunt, quibus ſi intime eroſivæ acredinis aculei non diffringantur, particulæ ſulphureæ ſpiritus vini intra poros ſublimari concluſæ furentia ſalia oblinient, partibuſque ramoſis ævigent. Ab hac panacea non multum differt illa Valentini, quæ æque tuta, ac jucunda in oris excitando fluxu ſancitur. Hæc panacea abſque glandularum exulceratione levi labiorum dolore, & minima generum inflatione ſalivæ curſum molitur, qua in molis, ac tenellæ conſtitutionis hominibus paſſim utimur. Cum vero virulenta ulcera, & ſordida, tophi, & ſanioſæ cruſtæ corpus defœdantes vehemenribus ubique doloribus obſident; tunc virus illud liquidorum craſes prorſus evertens panaceæ blanditia ſæpe integre non pellitur, & ſuperſtes deinde depravata Sanguinis conſtitutio majori fluidorum ſolutione expugnatur.

Quamobrem mercurium dulcem in forma pillulari tanto hoſti unice parem commendo. Mercurius ab acido ſalinis aculeis penetratus in minimos, & infinitos ſcinditur globulos, quos undique acida ſpiritus nitri corpuſcula permeant, eorumque ramentis irretiunt. Hæc maſſa alba reſtitans, evaporata igne lento arenæ humiditate, æquali vitrioli calcinati, & ſalis decrepitati portioni commiſcetur, quæ mixtura in matratio repoſita igne exagitatur, donec in vaſis culmen repens ſecum trahat corroſivos ſpiritus, a quibus repreſſa volatilitate, & ab acidis cohibita diſſolutione in ſpiritus, concreſcit in cryſtallos. Hujus ſublimati particulæ, & motus parvulorum globulorum calore promotæ, impetuque rotatæ, quaſi minimis cultris fibras dilaniant, unde ſummum venenum audiunt. Acutorum ſalium in mercurio deliteſcentium & in parvo ſpatio coeuntium impetus cylindrulis ſuis ad pyramidem in fine baſis, & apicis accedentibus ad angulos rectos in fibris membraniſque occurrentibus eo urget momento, quod ad membranarum poros, & cohæſionem fibrarum ſuperandam requiritur. At mirum, dum acuta ſpicula ſublimati corroſivi in matratio circulantia, in pallas mercurii vivi validius rotantur, mutuis niſibus congredientia frangun-

tur. Hinc per ſolam hydrargyri additionem repetita ignis actione in novis ſublimationibus retuſis ſalibus, eorumque cuſpis novo mercurio imbibita in ſphæram evadens, vel complanata omnes partes æqualiter impetit, adeoque ab eis æquali momento colliſa, & ad quem reddit rapercuſſa ab ambientibus ſolidorum membranis abſque ſeptica facultate irrumpir in ſpatium liquore plenum, & ante ſui excluſionem diverſa mole, & gravitate, adeoque diverſa motus quantitate inſtructa in reſiſtentia corpora vires, impulſus, motus variæ directionis, & alliſionis exerendo intra ſanguinem viſcida ſolvendo labitur. Mercurium dulcem non inferioris frugis conficies ex mercurio ſublimato & mercurio vivo, ex quo fonte promanat Clariſſimi Riverii chalomelanos, quod ex mercurio, ſale, & vitriolo compoſitum duodecim ſublimationibus ad ſummum excellentiæ gradum evahitur, quibus mercurius vitæ additur eo modo, quo a Riverio deſcribitur. Recipiatur mercurius ſublimatus, & argentum vivum cinnabari elicitum, & miſceantur exactiſſime, donec mercurius vivus non amplius appareat, poſtea ſublimentur, & duodecies ſublimationes reiterentur. Hujus mercurii dulcis cum mercurio vitæ quadrupla, qui amiſerit totum intus latens venenum per exhalationem tetri ac fœtidi ſumi, ne vomitum cieat, quadrupla inquam major miſceatur, & fiet pulvis colore griſeus.

Hæc ſialagoga medicamina indicanrur a ſpeciali humorum vitio, & peculiari ſanguinis dyſcraſia, quæ viſcidæ, craſſæ, glutinoſæ acrimoniæ volatili innititur, in qua craſi omnium quaſi liquidorum vitioſa ſalino-volatiles moleculæ fluorem acquirunt, & lympharicæ ſanguinis craſſoque terreæ particulæ figuntur, ut inde ſalibus acrioribus imperium nactis, & parte ſanguinis viſcida ulteriori coalitu unita glutinoſum cum acrimonia conjunctum æmulentur. Hæc glutinoſæ acredinis ſordes per coitum impurum poros urinarii meatus, & proſtratarum glandulas coinquinat: inde ſubdole fluidis in gyrum rotatis impreſſa ſua aciditate eroſiva volatili maxime cavos glandularum folliculos poſt infartum exedit, membranarumque ſubſtantias cum vaſculorum eroſione, & puſtulis ulceroſis depaſcitur. Hæc inrima magis proſerpens oſſium perioſtia cum dolore præcipue noctu lancinativo medios artus occupante, & flexurarum rigiditate convellit, divellitque, oſſaque carie, tophis confecta faſcinat. Igitur coinquinatæ omnes ſanguinis moleculæ, & ulterius preſſæ ab ejuſdem acidis coagulantibus fortiori amplexu cohibentur: cæteris interim mobilioribus & ſalino acrioribus fluidorum dilabentibus particulis ipſe ſanguis craſſus, atque mucilaginoſus evadit; quo magis mobile ſanguinis implicatur quoque ac torpore afficitur, ut ægre penſum circulationis expleat; inde a fibrarum tono ex indebito liquidorum appulſu non ſuffecto, & ſanguine ſalibus volatilibus, & partibus craſſioribus turgidulo non reparato, tum liquidorum, tum ſolidorum morbus paſſim contingit.

Liquidorum vero prohibentium conditio eſt ſalina materies magis attenuata, quæ involventibus acidis orbata ſit acris, & cum oleoſis tenuioribus permixta volatilis fœtens evadit. Altera autem pars ſanguinis fixioribus ſalibus, & oleis ramoſioribus ſimul tenaciſſime combinata in denſam fæcem, & ſalino aduſtam muriaticam concretionem: illa ob acrimoniam alkalinam volatilem producit in ſanguine partium ſolutam cohærentiam, quæ diſſolutio actiones omnes ſolidorum, & liquidorum partium turbat, & deſtruit; hæc minimorum canalium coalitum facit, & in glandulis obſtructiones pertinaciter firmat.

Quoniam per acriores mentis conjecturas oculatiſſimo examine proſecutas, perque repetita tentamina ſolertiſſima Medicorum experientia ſuffulta a pluribus ſimulque latentibus melancholici humoris proprietatibus, ac viribus exortum morbum ſalivationem contemnere compertum fuit; ne experimentalis veritatis incremento litemur, fateamur oportet, ſanguinis particulas ſalium aduſtas nimis evectas, fluoremque patientes, ſumme activas mercurii vires eludere, terreſtrioribus ſulphuris corpuſculis aſſociatas. Cum ſtrictiori amplexu ſalium particulæ adunatæ ita pertinaciter cohærent, ut cuicumque ſolventi imperviæ reddantur, arctiſſimæ eorum meatuum complicationes, a nexu laxari, & in menſtrui amplexu rapi non queunt. Quocumque igitur vinculo ſe invicem aſſocientur ſalium concretiones, ut retuſo impetu mercurii, ejuſdemque particularum penetrationes a ſolidiori concreto repulſa difficillime divelli, & in minutiſſimas partes confringi reſiſtant, eorum ſolidæ concretionis compages prius laxata, nec recluſa auferri non poterit. Tantum intercedat oportet mercuriales moleculas inter, & aduſtas ſalium concretiones, varias quoad qualitates, & corpuſculorum nexus unam in maſſam coaleſcentes, diſcrimen, ut cum mutuis coalitionibus arcte adeo complectantur, ut parvula nulla intervalla, poroſve improportionatos relinquant, mercurialia corpuſcula in ſalina concreta offendentia facile excludant; quæ ſane maxime licet poris inſtructa diſcrepantibus, tamen naturæ agenris, in aggredientis prementes impetus nitentes, facile ſupra ſolventis niſum reſiſtentias exercent; Itaque intra melancholici humoris nexus tenuioribus mercurii corpuſculis non coercitis, concrementi partes eorum motu ab invicem non divelluntur.

Hinc carcinoma recudentes aduſtæ ſalium moleculæ, ſi volatilioribus ſanguinis partibus in auras reſolutis, copioſiorique aquearum particularum diſſipatione, reſolutis ſpiritibus exhauſta, nimis evectæ, fluoreque potitæ cum vitriolicis, acidiſque particulis, & terreo-ſulphureis craſſioribus combinantur, quæ ad ductus glandularum delatæ firmius in earum fibris inhærentes folliculo includuntur, dimoveri inquam non poſſunt ab earum complicatione, licet ab impetu mercurii percuſſæ, quarum tumor, ſi fortiori ptyaliſmo oppugnetur, ejuſdem ſubtiliores particulæ a gravitate impellentis ſæpius commotæ, ejuſque impetu alliſæ, dum mutuis niſibus agitantur, ſalium ramenta validius concitata momentum acquirunt, inde in comprimentes fibras cuſpidula infigunt, & villos glandularum ab invicem divellunt, quibus ſenſim diſciſſis, ac corroſis cancer ſub forma tumoris deliteſcens fatali clade inopinato prorumpit. Ex quo ſatis liquet, componentes cancri particulas, aut a mercurio non diffringi, aut ab eodem accendi; unde illud Naſonianum:

Curando fieri quædam pejora videmus
Ulcera, quæ melius non tetigiſſe, fuit.

Feliciori licet eventu eruptiones omnes papillarum ſquammoſæ evaneſcant, dum in graviori impetigine, & lepra ſalivatio cietur: tamen nova eorum morborum ſeges pullulare incipiens brevi temporis ſpatio ſolitam feritatem attingit, ut obſervavit Villis in qua-

tuor ægris impetigine labotantibus. Effectus hujuſce cauſa in eo conſiſtit, quod intimus partium ſanguinis mechaniſmus particulis non ſolum acido-ſalinis, tartareiſque diverſimodi ſtatus, ac indolis effœtus, ſed ſalino acti volatili alkalina materia turgidus a ſalivatione penitus ſubigi, ac prorſus reſolvi nequeat; adeoque ſuperſtes labes ſanguinis, & humorum acrium indoles primitus conſtitutiva poſt evaneſcentes papillarum corymbos, juxta materiæ ſupplementa in concretiones tartareas faceſcens in cute defigitur, ubi papillarum eruptionibus, quaſi totidem hujuſce morbi loculamentis incoactis, proceſſu temporis aucto morbificæ materiæ cumulo, ſuperficies cutis omnis incruſtatione ſquamoſa, ac plane ad lepræ confinia evecta obducetur.

Ut enim aduſtam ſalium concretionem inani molimine phtyaliſmo peſſundamus, ita eadem debiliores, vitioque plurimos laborantes pulmonum, vel hæmophthiſi confectos, infami errore necamus. Si enim naturalis pulmonis vaſculorum capacitas, ac fibris mollibus, ſummeque deductilibus coaleſcentium augeatur nimis, ut partes canalia conſtituentes ſic divellantur ab invicem, ut minimis oſcillationibus nitantur in fluentia liquida, colliquari fluores confertim per eorundem cava trajecti, cum intime non ſint ſoluti, ut per impetum a corde ſuſceptum ſupra omnes reſiſtentiarum vires excurrant, facile in diſtenſis vehementer fibris, in celluloſis veſiculis, & inanibus ſpatiis intercipientur, quibus novo ſemper, ac ſemper affluente humore per capillaria ramuſcula, veſiculæ ex illis prodeuntes, & racematim adhærentes mirum in modum ita intumeſcunt, ut humor ratione inertiæ non diffluens in parva turbercula excreſcat, quæ dein dum a pulmonum preſſione, motuque inceſſanti incaleſcunt, in ſupputationem abeunt, & in tabem lethalem terminantur. Quod ſi ultra tonum dilatata vaſa a pondere mercurii in majorem extenſionem deducta, licet ex majori diſtenſione majorem nacta ſint ad comprimendum vim: tamen ab impetu ſanguinis majori in arteriarum parietes nitentis, & particulis mercurialibus eadem ad ulteriorem diſtenſionem cogentibus, tandem diſtractis plurimum arteriarum membranis eo diſtenſionis deveniunt, ut vim urgentis ad latera ſanguinis, ejuſdemque particularum momentum impetus ad vaſculorum contactum motarum ſuſtinere non poſſint; adeoque aucta potentia ſanguinis arterioſi extrorſum arteriarum minimarum membranas urgente, & earundem imminuta reſiſtentia ob maximam diſtractionem ſubito divellentur fibrillæ, reſtitutionis vim in nimia diſtractione non obſervantes. Horum autem potentia ad ſe reſtituendum cum in partium coalitione conſiſtat, hæc ex frequenti ſæpiuſque repetita diſtractione enervatur; adeoque reſtitutionis robore plurimum imminuto, muſculatis fibra arteriæ ſectione anguſtari nitens inofficioſa ſubſiſtit. Igitur opus eſt, ut arteria exiſtente diſtracta, novaque majoris momenti potentia fluidis applicata diffringatur, vel laxetur fibrarum componentium nexus, per quos ſanguis inopinato prorumpit, & ſanguinis ſputum, plerumque fatale ſubſequitur, quod obſervavit Nicolaus Lemery in ſuo curſu chymico lethali experimento.

Aliquando in ſpongioſo, & molli pulmonum parenchymate cretacei lapides ſæpius concreſcunt, qui ubi angulati ſunt pulmonum motu, & gravitate mercurii commoti teneram eorum ſubſtantiam lacerare ſolent; quo tuſſis vehemens, atque arida, dolorque thoracicus non raro cum ſanguinis profluvio ſatis inſigni, atque exinde ulceta cum ſignis phthiſeos pulmonaris naſcuntur. Verum iſti lapides ſint læves, neque qui pulmonum parenchyma terere, vel lacerare poſſint; at concidant canaliculorum partes facile dilabentes, ratione imbecillæ virtutis, qua ad mutuum contactum ſiſtuntur, quorum minimi villi, qui ſunt veluti totidem languidi vectes uniti, adeoque parvarum virium capaces, dum ad motum a fluenti corpore majori impetu inſtructo excitantur, iners illa efficitur vaſorum vis & fibrarum minor ad contractionem niſus, qua debili minimorum ſolidorum energia ſiſtitur ad partem fluidorum motus, indeque fit, ut mercuriales particulæ a reſiſtentiæ loco repulſæ, a repercutiente validiori impetus momento inſtruantur, atque vires percuſſionis in continentes villos exerceant; quorum teneræ, ac laxæ fibrillæ maxima diſtenſione coactæ a nova jugiter affluente materia infirmius nituntur in contenta fluida; & cum a langnido niſu villorum, particulas fluidi viſcidiores, & motui magis reſiſtentes premente, non fiat lentor liquidior, ut ſejungi, & ſeſe expedire poſſit, evadet ille ad motum difficilior, & ratione lentoris tenacius hærentis extremitatibus canalium augebitur pulmonum infartus, quo vaſa illa tenera coarctata, & compreſſa libernm tranſitum præbere non poſſunt circulantibus fluidis: indeque continuo appulſu novi liquoris ad partes pulmonum compreſſas tendentis, & præterfluentis ad latera urgentis, vaſa ultra tonum dilatata, & diſtenta tandem rumpuntur, quæ viam ad pulmonarem phthyſim ſternere ſolent. Unde quotieſcumque liquidorum lentor univerſalis, & vaſculorum infartus tollendus erit, ſed aderit pectoris dolor, tuſſis, aut tuberccula deliteſcentia, imminuetur quidem fluidi craſſities, at cruda pulmonum tubercula parvo dolore latentia ſalivationis agitatione incaleſcunt, & inflammata ſuppurantur, quæ in habitu primo phthyſeos deliteſcentia in irrepatabile exitium terminantur.

Nec feliciori eventuum certitudine in nervorum tremote ſalivatio expetitur. Cum autem ad motus requiratur contractio muſculorum maxime æquabilis, atque continua, ſi ſpiritus per nervos influat minori copia, quam par ſit ſuſtinendæ tenſioni fibrarum, nervorum tubuli dato temporis ſpatio a derivatis ſpiritibus ſolum inflati elevabuntur, & demittentur alterne, unde continget ttemor; cujus tremoris ſpecies in villis impreſſa, ſi a comprimente aliquo, vel obſtruente, adeoque ſpirituum influxus intercipiente inferatur, ſalivatione plane tolli, atque averti poterit. At in ſenibus, & imbecillibus cum tremor a debilitate nevorum, & lucta ſpirituum proveniat, erit ille compoſitus ex repugnantia nervorum ad excipiendam preſſionem in fibris a ſpirituum expanſione, & niſu, quaſi laxatis per membranarum divulſionem diuturno tremore fatiſcentium, & inerti nervoſi liquidi elatere flexuoſos canaliculos, minimaſque tilias non replente, qui in labentibus villis obvius, & earundem diſtractione ſubortus, cum eorum tenuiſſima filamenta ad æqualem contraniſum inepta tonico motu non æquent mercurialium percuſſionum vibices, tremor idem non modo perſiſtet, verum majot ſuccedet.

Ratione non longe diverſa male ſputatio cietur in eo, qui motibus convulſivis a lædente externo illatis obnoxius evadit. Ita quicumque cerebro debili, aut nimis rara, & laxa nervearum fibratum textura præditi ex adunatione partium minimarum conniſu in cohæſione tam parvo ſuborta, ut levi motu ſolvi queat, morbis nervoſis tentantur, aut paralyſi ex magna villotum ſiccitate muſculorum fluxione dirigentium prohibente, vel ab eorundem reſolutione motum coercente (quorum pars affecta protracto morbo contabeſcit) a mercurialibus obducantur. Gravia enim mercurii corpuſcula nimis mobilia fluendo per propriam nervorum ſubſtantiam, immo, ſuperatis innumeris diverticulis, & impedimentis, motus ſuos ubique perperam divetſis directionibus, ac velocitatibus, quibus pollent, communicant ſingulis machinulis totius nervorum fabricæ, & poros impervios memoratæ particulæ commeantes hac illac inæqualiter nervos excutiunt; & quia eorum meatus, inanitates, & interjecta ſpatiola ſunt mollia, contracta, & diverſis fæculentiis referta, impediunt flexuoſis tricis, atque interſecationibus invicem inclinatis, ne mercuriales moleculæ curſum molientes æquali undique niſu ſpongiolas fibrarum penetrent, fit ut motu eleri & perturbato machinularum dimoveant nexum, indeque deflectantur quocunque, tanta cum virium inæqualitate, quanta videtur neceſſaria ad implicatam nervorum ſubſtantiam raro villorum fœdere copulatam diruendam, variiſque quaſſationibus villos contractiles, nervorum filamenta, & fibras membranarum aſſidua ſtimulorum vi laceſſendas ordinata; adeoque imminuta vi cohæſionis inter exiliſſima corpuſcula ita enervatur villorum, & filamentorum conniſus, ut humoribus tiliæ madeſcentes ad inſtar ſpongiæ tanquam cera emolliantur, & pondere mercurii maceratæ a proprio termino recedant.

Hinc cum mercurius vivus inſenſiſſimus ſit nerveis, ideo qui pro ſalivatione unctionem paſſi, ſæpius laborant gravioribus nervorum affectibus, a reſidentibus (ut plurimi Chymicorum cum Lemery faſſi ſunt) hinc inde mercurii particulis, optime auro curantur, teſtante Etmullero: unde Zacutus Luſitanus unguentum mercuriale conficit ex auro, ut crafſiores mercurii particulæ per totum corpus diffuſæ poſt ſalivationem in fibrarum interſtitiis reſtitantes, promptius ſe inſinuent in aurum. Si intra nervorum ſpongioſam ſubſtantiam viſcidis implicatæ ſubſiderent craſſiores mercurii particulæ, nequaquam elicerentur ab auro. Verum quidem eſt, ſi aurum atteratur (ſi vero atteri poteſt) in partes adeo minimas, ut earum corpuſcula, habita ratione molis, & gravitatis energia, reddantur ſanguinis particulis levitate paria, & rapi cum fluidis apta, veneream luem tutius auro, quam mercurio ſanari. At licet aurum in minutiſſima ſui corpuſcula redactum ſit, adhuc continet moleculas, quæ a ſanguine evehi reſiſtunr, quæque nullo artificio hactenus cognito ad tantam attenuationem reduci poſſunt, ut in minimas atomos confectæ ſanguini hærere, motuque fluidorum rapi poſſent. Qua ratione licet mole æquales, ſanguine tamen graviores auri particulæ a liquidorum commercio ſecluſæ, nullas in mercuriali ſulphure vires exercere poterunt. Quibus vero mollem fibrarum texturam finxit natura, aut qui in mercurii fodinis continuo marceſcunt, nervorum labe non carent. Ob jugem ſolidorum colliquationem, & fibrillarum maceratione a mercurialibus corpuſculis intus ſuſceptis, contabeſcunt nervorum faſciculi, qui perperam a nimio mercurialium impulſu indenſinenter laceſſiti fatiſcunt; unde vaſorum tono ſubrepto, tollitur eorundem niſus in fluida, ex quorum retardato motu, & vitium ſolidorum inertia complicatus morbus emergit.

Cum vero ſanguis præfervidus exiſtens a recta temperie deſciſcit, & ejus ſulphureæ particulæ prædominio potitæ ſibi ſalem aſciſcunt, quæ invicem alliſæ, proindeque in minimas ſolutæ moleculas nimium in fluorem evehuntur, liquoris mixtione alterata intimeque fuſa ejuſdem naturali conſiſtentia inordinate ſolutus dyſcraſiam ſulphureo ſalinam, & ſalſo-muriaticam acri-alkalicam indolem induit, cujus ſulphutis, & ſalis concretiones perpetim perpetim huc illuc diſperſæ, exterius ſuffuſæ maculas, & ulcera, interius depoſitæ dyſenterias, & dolores pariunt. In hac ſanguinis ſoluta fibrarum cohærentia, in qua nimis tenue cogendum, & acre involvendum, doloſæ artis opus etit hunc morbum ſolventi ullo ſialogogo tentate.

ARTICULUS IV.

De Mercuriologia.

QUandoquidem multis retro ab hinc annis ab explorandis mercurii viribus, reluctanti licet animo totus abſtinuerim; animus tamen nunc meus in illius contemplatione ita rapit ingenium, ut mihi videatur non abſque aliqua animi voluptate, & me non injucundo munere verſari, ſi extricatis ſpecierum mercurialium præparationibus mercurialibus, quibus ambiguæ communium auctorum notiones nos involvunt, examinandas attentius mercurialium vires intentavero, dum eas ſimul colligere conor, quarum delectatione non immerito allicimur ad elevandas cogitationes, mentiſque aciem acuendam, quibus ſublime de tanta mercurii excellentia noſtræ utilitati comparata cum Chymicis gloriamur. Totus admirationis noſtræ ſcopus in eo vertitur, ut nobiliores ſummi illius entis mercurialis uſus depingamus, quod quo diutius contemplamur, eo magis ad ſui admirationem tapimur. Hanc autem occupationem qui abjectam, minuſque utilem putaret, ipſo etiam in medicinæ cælo felicitate careret. Licet autem meam ſub eadem tenuitatem ſincero ſenſu animadvertam, nova tamen in dies phænomenorum, & præparationum materia cognitionem ſuppeditat, ut nec ullatenus dubitem, quin exactioribus adhuc poſteritas experientiis, ignotas nobis tum vires, tum præparationes detectura ſit. Non eſt ergo cur metuamus, ne noſtra mercurii cognitio de novo antecedentium aut ſubſequentium defectu expiret, aut deficiat. Infinitus hic oceanus virium, proprietatum varietatem continet, de quibus longe difficilius cognitionem acquiſivero, quam eaſdem percurrens hauſero, aut enumeravero.

Ut autem rem ab ovo incipiam, contra Galenum rixas concito, qui lib. 9. ſimpl. medicam. ſibi minus conſtans, infido, & maleſano artis convitio argentum vivum ex ſponte naſcentibus non eſſe, ſed ex his, quæ præparantur, velut ceruſſa, ærugo, lithargyrum, contendit, fateturque ſe nullum hujuſce medicamenti feciſſe periculum, an interimat ſi devoretur, vel ubi foras fuerit admotum. Alii porro, Philoſophorum, & Alberti Magni lib. 4. min. cap. 70. ſententiam ſecuti, cum viderint argentum vivum quaſi omnibus aſſociari metallis, ipſiſque facilius contactu inhæreſcere, materiam ad omnem metallorum generationem commenti ſunt, quæ in utriculis repoſita, nulliſque fictilibus vaſis coercita, lignea vaſa obvia quæque

per-

Perrumpetet; quo fit, ut Dioſcoridem mirari ſubeat, qui ab hydrargyro vaſa cuncta exedi, ac metalla quibus inhæſerit deſtrui autumans, lethalem potum eſſe cum Plinio lib. 33. cap. 6. & 8. falſo deprehendit, quod internum cordis humorem, vitales ſanguinis ſpiritus ſubinde congelans, ſuo pondere interna tandem diffringat. Galenus vero quamvis teſtetur alibi nullum feciſſe experimentum, contra Dioſcoridis ſententiam ait, mercurii calorem eo perduci, ut per eroſionem interimat. Conciliator ab his recedens in tract. de ven. cap. 6. dicit, quod argentum vivum ore ſumptum, inducit hominem ad epilepſiam, aut apoplexiam. At dolendum ſane, infrugiferis conjecturæ ceſpitibus, dubioque experimentorum ſucceſſu rem longe attigiſſe: quorum cœtus diſcordes, aut ſenio confecta mendacia renovare, aut commenta deliranti figmento excolere animus exhorret, quæ in artem invecta convitia fidenter convellit Agricola de re metallica: *Nuper autem*, inquit, *cum improba uxor marito aliquot vicibus argentum vivum dediſſet devorandum, id ſine ullo nocumento ejecit per alvum, quo* mercurius uxore humanior optatum ſcelus non complevit. Hinc cecinit Auſonius:

Toxica zelotypo dedit Uxor mœcha Marito,
Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datum.
Miſcuit Argenti lethalia pondera vivi,
Cogeret ut celerem vis geminata necem.
Dividat hæc ſi quis, faciunt diſcreta venenum,
Antidotum ſumet, qui ſociata bibet.
Ergo inter ſe ſe dum noxia pocula certant,
Ceſſit lethalis noxa ſalutiferæ.
Protinus ut vacuos alvi petiere recurſus,
Lubrica dejectis, qua via nota cibis.
Quam pia cura Deum! prodeſt crudelior uxor;
Et cum fata volunt, bina venena juvant.

Samberolitanus in commento ad Avicennam vidit hydrargyrum abortus promovendi cauſa mulierem ad libram ſumpſiſſe ſine noxa; & hoc ipſum confirmatur a Fracaſtorio in lib. de ſimp. Braſavolus Medicus Ferrarienſis vir ſane illa ætate clariſſimus, in ſuo de ſtirpium examine, ſæpius dediſſe fatetur argentum vivum devorandum vi vermium ſemimortuis infantibus, a quo velut e faucibus orci protinus a morbo evadebant. Ita Goritienſes obſtetrices, ubi gravidę diu in partus labore, & cruciatibus inani conatu urgerentur, ſtatim argentum vivum ſcrupuli pondere nullis incommodis, immo partus dolorem, & difficultatem lenientes potandum exhibebant, teſtante Matthiolo lib. 4. in lib. 5. Dioſcoridis; ex quo nihil mirum, quod ſcripſerit Avicennas, *non deeſſe, qui bibant argentum vivum, & nullam inde ſentiant noxam, quod facile e corpore exeat, dummodo haurientes continuo huc illuc deambulent.*

De qualitatibus mercurii Fallopius diſputans, unam in ſuperficie, alteram in intimis partibus deprehendit, quæ calidæ ſuapte natura, atque ſiccæ, habent extrinſecus cum Ariſtotele partes aeris admixtas, a quibus impedita mercurii concretione in fluidum corpus ſervatur. Avicennas tamen frigidum, & humidum eſſe in ſecundo gradu exiſtimat, cui conſentit Averroes, ut refert Pandectarius. Fernelius de abditis rerum cauſis frigidum, & humidum in quarto gradu, quod confirmat Matthiolus lib. 6. cap. 28. & ſolvit ambiguitates circa ejus temperamentum exortas, ubi cum Plinio hydrargyrum vomicam ignis æterni, & ſanguinem ſiſtere aſſerente, addit, argentum vivum interimere, ſi largius bibatur exceſſu ſumme frigido, & humido ex quodam ſeplaſiario convictus, qui ardentiſſima febre correptus, ſiti intolerabili vexatus, delirio oberrans in pharmacopolium deſcendit, ut, quod laxaret ſitientia, ſumneque areſcentia labra, inveniret, & caſu incidens in vas argenti vivi, pro aquæ fortaſſis vice multum ex eo potavit; ſed paucis poſt horis congelatus migravit ad ſuperos; dein patefactis viſceribus in ventriculo innatabat argenti vivi libra, & circa cordis vaſa ſanguis concreſcebat.

Ex ſupra recenſitis ſatis innoteſcit, antiquiores Græci, qui horrore quodam perculſi illum nec extremis digitis tetigere, quam admodum tenuem de hydrargyro habuere notitiam: quorum veſtigia calcant mihi ex rudioribus Medicaſtris ſolo nomine mercurii deterriti, qui quorum virtus turpis eſt inſcitia, & inanis exiſtit ſuſpicio, malunt ægros certo mortis periculo relinquere, quam anceps experiri remedium, deſpicientes illud Celſi, *tutum eſſe quod eſt unicum*. Horum dubitationis ſtultitiam convellit Junkenii obſervatio. Mulier quædam utero gerens, puello ubera porrigens curriculo viginti menſium Gallico ſeminio inficitur. Hæc leviter inuncta mercurio, cum tenello infante, etſi non lenito, ſalivationem patiebatur, donec mater, & puellus a celtica lue feliciter evaſere. Inde poſt circiter labente menſe inculpatæ ſalutis infantem enixa eſt. Ex quo, ſilentio prætereo praxin eorum, qui nec mente, nec digitis mercurii vires adumbrantes, exhorrent, ne mercurius a calore vitali excitatus, quaſi a Chymicorum igne commotus in ſanguine ſublimetur, quo ſeptici, atque eroſivi ſalis indolem nanciſcente veluti a veneni furore ac claude, homo de medio tollatur. At in corpore fluido leni ſolidorum impetu promoto, qui calor, precor, gliſcit urens, ut mercurii partes ſublimet inſtar ſubtiliſſimi, ac eroſivi cunei acuatas?

Ut modo accedam unde digreſſus ſum, homogenei corpori mercurii explicatio tot hucuſque fuit involuta difficultatibus, ut niſi feracior in his reſolvendis poſterorum induſtria, quam majorum noſtrorum, & noſtra fuerit operoſa felicitas, illud penſum eſſe cenſeo, omnes non tantum unius Philoſophi conatus, ſed plurium ſæculorum tentamina extorquens; cum Chymicorum quoque examina, & ſedula Philoſophorum ſolertia propius intimam iſtius Prothei naturam ſolertiſſime inveſtigantium, ad hunc uſque diem plus admirationis, quam cognitionis, plus dubitationis, quam certe demonſtrationis palam fecerint. Revera naturam, & cauſas adæquatas mercurii perſpicue rimari, atque eruere, graviſſimum mihi videtur onus, cui ſolide abſolvendo parem quemcunque hominem fore ſemper ſuſpenſus hæreo. Ut autem hoc in negotio non longe rem, & felicius ſcopum attingam, utque hydrargyri proprietatum, ac virium maxime veritas clarius eluceat, veritatis auſpiciis in arenam deſcendendo, placet ſpargyricam ingredientium præmittere analyſim. At cum curioſitatem meam intra Chymicorum experimentorum cancellos non coerceam, ego adhuc juvenis non niſi anguſtam hactenus eorum ſupellectilem mihi paravi, quibus abſque Ariadnæ filo poſſim egredi, ut tam gravis, difficiliſque penſi rem aperire mihi liceat.

E ſubtiliſſimis autem effluviis æthereis, ac fluidiſſimis conflatur mercurius, quorum volatilibus moleculis, & ſpecificis particulis metallicis ſaturatus in fluorem evehitur, dum rotundæ materiæ primi elementi moleculæ in mercurio eminentes irretiri non poſſunt, in puncto contactus invicem colliſæ perenni motu exagitantur. Spiritus hic merculiaris æthereus in ſubterraneis antris, & debitis ſeminii matricibus coercitus, in metallicas minutias appellens ſui generis, his amico fœdere aſſociatur, quas in minima ramenta exſolvendo in fluoris motum concitat, ac fluxiles reddit; adeoque compoſitus emergit perennis fluor, qui mercurius vulgi nuncupatur, cum in ſuis etiam repertus mineris, licet metallorum mercurio non deſtitutus, recremento potius metallico conſtet, a quo ſi partes terræ metallicæ, quæ ſunt ingenitæ, ac originariæ metalli labes, artificioſa enchyriſi ſeparari poſſent, quas per artem diſſociare omni, ſed inani conatu laborant Chymici, ſublimior haberetur ſpiritus ab omni metallorum conſortio vindicatus, qui jactaretur ab illis per ignem, Philoſophis mercurius de mercurio dictus; quippe qui metallorum mercurius nuſquam reperire detur niſi in Alchymiſtarum vana jactantia, inutili molimine, & falſis promiſſis, quod eorum quidam eo uſque progreſſi ſunt, ut ſtigma inuſſerint his omnibus, qui talem mercurium facere poſſe ſibi arrogant, vel credulorum his, qui eundem confiteri poſſe ſibi perſuadent. Huic opinioni famulatur alchymiſtarum coriphæus Geber, ubi inquit: *Continet argentum vivum in ſe ſpiritum internum viventem, & convertentem ignem, ſi de potentia in actum promovebitur.* Huic conſentit Helmontius, qui tract. progyna. §. 14. ſulphur externum, originariam metalli labem, ſeparare jubet a mercurio vivo, ut fiat mercurius de mercurio, qui deinde nullo igne poterit in formam terræ præcipitari ob maximam ſui ſimplicitatem; cum ſulphuris terram amiſerit, nulloque igne mutabilis erit. Ita Lullius ſulphur ineſſe hydrargyro opinatur ex eo, quod *nullum argentum vivum promptius convertatur in ſubſtantiam ſulphuris, quam illud, cum ſulphuris moleculæ ab origine ſunt profundiſſime diſſolutæ, atque per diſſolutionem intimius commixtæ: Nec ullum ſulphur promptius congelat argentum vivum, quam illud, in quo ſulphuris qualitates per diſſolutionem in mercurio cohibentur;* ex quibus concludit, argentum vivum non ſolum e ſpiritu volatili, ſed etiam e ſubtili ſulphure compingi, ut in corpus ſumme fluidum coaleſcat. Hoc metallorum ſulphur eſt internum ipſi mercurio, ideoque non magis ab omni corroſivo, quam ab ignis actione intactum remanet.

Mirum eſt, quantum ſe torquent præoccupata Hermeticorum ingenia, omnes ferme in eo deſudantes, ut mercurius puriſſimo æthere ſaturatus ab impuro carcere educatur, in quo latitans ſpiritus ille (ut Geber lib. 2. pat. 1. cap. 4. Alchymiſ. Magiſter) felicius extrahi poſſit ad optatum finem; ſed ah quantum deplorandum dolendumque! poſt improbum enim, & inanem laborem doloſæ artis fundamento innixum, credulos decipiendi gratia, & a dolo fruges captandi, tandem ſcopo aberrant, ad quem collimant, atque orientem in occaſu quærentes cum veſte Dianam acquirunt. Externa quidem facie mutabilis eſt mercurius, ut varias induat larvas, & ludat corporum formas, & ſi eo redigatur, ut nonnihil ab acidis coercitus aliquot horas fortiorem ignis torturam patiatur: nihilominus vel ſponte denuo caput exerit, vel facili negotio in vivam formam per alkalia reſuſcitatur: Qua ratione in terræ poris in liquorem albicantem converſæ ita pertinaciſſime ſe invicem adhærent, ut licet minutiſſimi globuli per microſcopium adhuc in conſpectum veniant, tamen varie revoluti, atque ita intertexti, ut a nullo Chymicorum labore ad hunc uſque diem eorum nexus potuerit exolvi, a quibus curioſi Spagyriſtæ maximo errore falluntur. Jam ſatis ſuperque innoteſcit verſipellis præparationibus larvari mercurium in habitu ejus externo, dum a diverſis menſtruis mutatus modo in liquorem cum oleo vetrioli ſubflavum, modo cum ſulphure in volatilem cinnabarim transformatus: quippe qui ſalinis corporibus ſurſum raptus, ſalium formam, cum regulo antimonii, butyri, oleique ſubſtantiam induit; nihilominus addit Fridericus Hoffmanus, tantum abeſt, ut hæc involucra ſalina, aut ſulphurea, partes ſint mercurii conſtitutivæ ex illius ſubſtantia elicitæ, ut potius compoſita ſint corpora ex mercurio, & menſtruo ad ipſum larvandum adhibito, uti exinde ex reductione mercurii in priſtinum fluorem abunde elucet. Ideoque cum altioris ſit indaginis intimus mercurii nucleus, non attingitur, quo a mutuo amplexu deſciſcentes elementares moleculæ in ſalia, ac ſulphura faceſcant. Igitur licet variis modiis tractetur, nullo modo eſt coercibilis, quin ubi optime fixatus putatur, inſalutato hoſpite fugam molitur. Ita Bartholus ſummus Aſtrologus mercurium ad tantam coegit fixitatem, ut neſciret quomodo in convenienti illum includeret vaſculo: ſed neſcio quo moratus, fortiſſimo addito igne, inopinato mercurium igne rapi conſpexit: tanti nempe laboris eſt genuina ejus fixatio, ut cum vitriolo, & alumine in corpus mediocriter fixum redigi poſſit.

Borrichius, cum lamella martis in mercurium vivum projecta intra vas coercitum, & brevi poſt tota in rubiginem converſa reperiatur corroſa, acidum metallicum occultum intimius hydrargyro aſſociari fortaſſis, ſi conjecturæ præſtanda fides, a recto non aberrat. Hoc ſi in debitis vaſculis contentum igni exponatur, miram aquæ inſipidæ copiam elargitur, intacto ſemper manente mercurii pondere, ut Raymundus Lullius docet, Boyles in chymiſta ſeptico, & Joannes Agricola in Poppium teſtantur; ſed aqua educta, cum remaneat mercurii pondus, de quo dubitare licet, (ſi ab aere non ſubminiſtretur) num ſit primorum miſcibilium conſtitutiva, adeo ut nuda ignis actione poſſibile ſit mercurii partes ita ſecundum novos, differenteſque modos diſponi, ut modo hanc, modo illam habeant corporis formam, licet ignis impetu commotæ parte in alias ſubſtantias omnino diverſas coaleſcere non poſſint.

Alia metalla ingredi hydrargyri naturam cenſet Boyles in tract. de coloribus, ubi ſolutiones mercurii ab aqua forti peractas, non raro virides, obſervavit, qui color (ut inquit una Fridericus Hoffmannus de cinnabari nativo) ſine dubio dependet a particulis immixtis veneris. Sed accuratius paulo ſi lubet penſirato experimento, ſuſpicio non levis notæ innuitur. Cum ſpiritus aquæ fortis acidus aggrediatur globulos mercuriales, ſeque intime ipſis agglomeret, atque interponat (ſolutio autem nil aliud eſt, quam intima interpoſitio particularum ſolventis intra poros corporum ſolvendorum) particulæ veneris in ſpiritu vitrioli in aqua forti eminentes, in mercurii corpuſcula nituntur, & reactionem paſſæ exolvi poſſunt; unde ſolutio illa vitrioli veneris cum ſolutione mercurii commixta fas eſt dubitare, an ſolventi menſtruo, vel ſoluto corpori debeatur.

Deſcriptiones, quas nobis de iſtius corporis ingredientibus tradunt,

dunt, adeo implexæ sunt, ut etiam illi qui notiones chymicorum conati sunt polire, atque illustrare, fareri teneantur, nescire se quid velint. Igitur spiritus æthereus subtilissimus, & summe mobilis, cum metallicis particulis primogeneis constituit vulgi mercurium, cujus sphæroidei globuli agilitate naturæ suæ propriæ, sive metallicorum corpusculorum ad hoc necessaria figurarum mutatione, & solidæ cohæsionis resolutione, in puncto contactus sese tangentes, his intexuntur poris, quibus agitari queant ab ætherea substantia, utque particulæ admodum minutæ, licet pressæ ordinationi corpusculorum coordinatæ, non quietis expertes, multifariis, & desinenter suis motionibus corpus metallicum in statu fluiditatis servare queant. Nec fluida forma corporis mercurialis levitatem redarguit, cum idem constet particulis in minimo volumine tam solidis, & tam numerosis, ut non obstante intestina eorum motione, corpus, quod componunt, summe ponderosum esse queat.

Licet aurum admittere recuset ullum corpus ad se ullatenus intime, aut permanenter ipsi associandum, ut illud satis firmiter ei agglutinatum possit intrinsece alterare: tamen mercurius vivus ita redditur idoneus ad aurum usque adeo penetrandum, & cum eo sese tam intime permiscendum, ut hujusce metalli particulæ, quæ tam arcte quandoque agglutinantur, ut, inquam, non sine difficultate ab auro divellantur. Mercurius constat particulis ita apte figuratis, ut in auri commissuras ad ejusdem solidarum partium tricas investigandas sese possit insinuare, cujus corpuscula nec majora sunt, quam ut poros, aut corporis auri inania introire possint, nec minuta adeo, ut eadem facile lucis ad instar trajiciant, vel ut ob exilitatem niminm partes, quas invadunt, solvere nequeant: sed potulorum auri diametrum exacte adæquant. Quæ mercurii corpuscula cum sint agilia, aptaque ad motum, ut impetiti corporis albare queunt partes, ab ipsa athmosphæræ pressione impelli, intrudique possunt in poros auri non impletos substantia, quæ tantum resistens, quantum communis aer, æquali nisu non nititur in urgentem mercurium, gravitate, ac pressura ambienti prævalentem. Cum autem mercurius per accuratas auri commixtiones dividatur in particulas summe tenues, & per externam hanc commixtionem acquirat multo plus superficiei, quam prius habuerat, undique fere tangit auri particulas, quæ in sua superficie mercurialem massam exhibere videntur. Agitatione deinde mercurii corpusculum his in auri poris, ac commissuris a libere vagante materia ætherea promoveri potest auri motus, & incalescentia, ut Boyles experientissimus plurtes observavit de producibi: chymi: principi: aut ex repetitis ictibus, variisque innatantium ipsius mercurii corpusculorum pulsibus; hinc intromissæ particulæ tot veluti cunei intro adacto, partes auri, inter quas insinuant sese, emolliunt, aurumque incalescens duritiem amittit.

Virtus anthelminthica summa viget in mercurio, qua vermes occidit, fugatque lumbricos. Cum implicita vermium substantia sit molli, & distractili vasorum fœdere copulata, tum diversarum pressionum, tum quassationum, accommodatur ad recipiendos illos humores, qui facile penetrant inanitates spongiosas, & vasorum diverticula, atque glandularum, immo villorum omnium cava, quorum pervia, leviscque earundem machinularum textura exsugit non sustinendi ponderis invadentes particulas, quæ minima mercurii segmenta mire solidis vermium partibus irretita, nova majorique motus vi dimota impetum acquirunt: idcirco dum sese liberant a vinculis pororum, atque vermium anfractibus innumeris ictibus, simul percutiunt singulas villorum machinulas, eas distrahunt, resistentias inertes dissolvunt, ac propterea innumerabilibus percussionibus, ac impulsibus depellunt huc, & illuc non solum humores totam vermium fabricam, itemque eorumdem nervorum tubulos accolentes, ut debite non respondeant viribus solidorum; verum flexuosis tricis, arque intersecationibus invicem inclinata vascula divellunt, ut eorum fibrillæ non resistant particulis nimis mobilibus, eorumque sphærulis penetrantibus, confricantibus, & pene dixerim erodentibus solidorum substantiam, quæ tametsi aliquantum mercurialis liquidi impulsui resistat; nihilominus corporis jugiter gravitantis irritationes, & distractiones cujuscunque partis ita sensim intenduntur, ut omnes villorum tiliæ a ponderantibus cum fluidis vermium circumeuntibus particulis. potius percussæ, quam lustratæ dissiliant ab invicem. Hinc plus justo urgentia liquida, quæ tangunt, plus æquo distrahunt, eaque ita dissolvunt a mutuo fœdere, ut resistentiæ vasculorum, & laxi eorum hiatus fluentibus, ac refluentibus undis exagitati prorsus confringantur, ex quo (ut observavit diligentissimus Rhedi) facile concipimus, cur lumbrici a præsentia mercurii primo moveantur, dein irrequieti sese contorqueant, inde moriantur. Quotiescunque mercurius sui aliqua saltem tenuiori portione fluit, atque humoribus vermium intermiscetur, tunc fluunt, & refluunt a mercurii pressione, & validius urgente liquida plus æquo provocata: fluunt, inquam, & per omne vasorum genus circulum agentibus humoribus, spiritus fieri incipiunt nimis liberi, atque mobiles, adeoque acres, ut illorum minutissimæ particulæ pungentium ad instar, atque acutorum stimulorum penetrent fibras ad partium contactum positas. Ex hoc propterea exoriuntur tot contractiones, & distractiones, quot sunt fluxus, & refluxus undarum emergentium a nimis jactato nervorum succo, immo quot sunt contactus particularum impellentis fluidi, & incisiones, & diffusiones agentium fluidorum in singulos villos, a quibus omnibus si indesinentes mordeantur vasculorum parietes, & tali incutientis stimuli vi, ut in fibrarum poris distensis, & inanitatibus dilatatis congerantur, mobiles, atque elasticæ graves mercurii moleculæ sensim diffundantur, vermes nunc convulsionibus variis, nunc tensionibus universi corporis corripiuntur. Idcirco cum nulla sit fluidorum molecula, quæ non concitetur, concutiatur, jactetur, ac veluti urgentis mercurii pondere prematur, proindeque cogatur summa celeritate moveri, penetrare, & magna concitatione irruere in omnem, etsi minimam, solidorum particulam, ita ut nulla sit fibra, quæ vim non patiatur, ideoque inæqualiter contrahatur, laxetur, commutetque contactum, atque connisum, motus violenti distractionis villorum summopere augentur; adeoque liquidis mercurio interspersis memoratæ partes, quasi maceratæ laxantur, immo maximis stimulorum cuneis concussæ, simulque partibus diversæ, & urgentis figuræ nisu perterebrantur, ut propriam resistentiam amittant; ex quo laceratis villis, & omnigenis filamentis confossis tota insectorum fabrica invertitur, & prorsus dissolvitur.

Partus difficultas, quæ naturæ leges non servat, mercurio nonnunquam sufiragatur. Ut partus debito procedat termino (ultra infinita alia) requiritur, uteri fibræ mutuo flexæ, arcteque irretitæ, & per earundem protensiones mire implicitæ, & membranarum villi modice extendantur, ut in conatum expulsivum nitentes possint moderate contrahi, & versus inferiora fœtum validius impellere. Si vero liquidorum materies adaucta, & magis pressa ob infartum contractilium villorum velocitatem suam amittat, uteri villi evadent machinæ rigidæ ad instar, non valentis se flectere, qui cum non possint se contrahere, minus æquo agent, & languidius urgebunt; quo fiet, ut in dies magis non solum multiplicata fluidorum aggerie imminuatur fibrarum energia: sed veluti prælo constrictis humoribus uterum quaquaversum gravitantibus, & in ejusdem vasculis hærentibus, pori, locula fibrarum obstruantur magis, ac propterea uteri vasa cuncta majori conatu invicem comprimantur, quam eorundem ferat resistentia; adeo interjecti humoris quiete præpeditur conatus impulsivus, compressivus, ut fibræ non impellant tanta vi, quantam exigit energia fœtus resistentis. Harum ex dictis hactenus causis, cum vasa uteri lentis humoribus imbibita, proindeque dura, ac tensa impediant spiritus, ne villosis filamentis impartiantur necessarii conatus: fibræ sua duritie instar funis a lentore liquidorum, & glutine tensæ, cum supra vires proprias inveniant momentum resistentiæ, vim compressivam expulsioni fœtus necessariam nequibunt moliri; ideoque cum mercurius tot partibus, tot machinis urgentibus refertus, totque munitus retusis cuneis, quot sunt minimæ ejusdem elementares moleculæ, hanc uteri fabricam urgeat, percutiat, & satis dissolvat inutilia, abradat, depellat humores infarcientes, distrahentes fibras, ac proinde vasculorum infartum, energiam, ac actionem villorum desruentem resolvat, singulæ fibræ, & membranæ tegentes fœtum in naturalem contactum, & ad partium cohæsionem accedunt; unde opportunum conatum cum elastica vi acquirentes validiori connisu fœtum urgent, & validius impellunt.

Externe sanat scabiem in glandulis cutaneis constanter residentem, quarum contextus rectiformis construitur ex innumeris filamentis vasculorum cujuscunque generis mira arte invicem implicaris, per quorum vacuas ambages paralleli emergunt ductus excretorii, qui a Stenone observari ex glandulis subjacentibus oriuntur. Hinc papillæ quædam pyramidales a nervis prodeunt a celeberrimo Malpighio inventore detectæ, quæ a partibus lymphaticis ex ductibus illis exsudantibus perpetim irrigantur. Cum enim serosus iste latex a sanguine elicitus salibus acido-salsis turgeat, ejusdem particulæ viscidiores non tantum utrinque acuatis, sed etiam tenuioribus salium mucronibus immixtæ, glandularum lacunas, & cutis porulos, per quos fluere debent, & insensibiliter erumpere, leviter opplent. Fibræ autem nerveæ in glandulis cutis dispersæ a salinis particulis subtiliori aere exagitatis commotæ, ac vellicatæ, molesti pruritus sensationes inducunt, a quibus nervorum, & villorum irritationibus, crassiores lymphæ partes, licet agitatæ, cum difficulter sejungantur ab invicem, parvas in cuticula pustulas excitant, quæ a sero indesinenter ad glandulas confluente in acumen elevatæ, inde a multis salium aciebus, quorum motui non valde resistunt, pertetebratæ, acido-salsos succos confertim effundunt.

In curatione hujus pruriginosi affectus, & hujus cutaneæ sordis, eo innititur, ut acida acrimonia temperetur, & glutinosa lympha incidatur, in quem finem mercurius extollitur, sine quo difficillime absolvitur curatio. Hic enim nullas patiens inducias, nullaque resistentia coercitus, ad quamcunque corporis glanduloſi partem sibi viam parat; & gravitatis viribus impedimenta dejicit, nunc jactat singula, quæ lustrat, & percussiones singulis partibus incutit; nunc citius penetrat filamenta, cunctosque villos, in quos irruit, arctamque seri cohæsionem, & salium mixtionem intervertit, quin immo in solidorum machinulas adeo momentum tremuli motus imprimit, ut ex illarum perenni oscillationum vi, rursus atterantur, atque agitentur, tam cutis glandularum inertes succi, quam illi qui per arterias, & venas fluunt, qui quidem ita jactantur, invicem confunduntur, atque alliduntur, ut post certum tempus reddantur tenuissimi, ideoque comminutæ seri, inde demum attritæ salium particulæ, quorum minima segmenta dividuntur, jam divisæ abeunt in auras.

Verum si scabie affectis in glandularum papillis, & cavitatibus vermiculus insideat, modo huc, modo illuc fortuito tirillans, ut aprime docet exactissimo microscopio armatus oculatissimus Redi, tu, qui hæc meditaris, revoca in mentem, quæ superius attulimus de vermibus.

Observat Daniel Bartholi Societ. Jesu de glacie, in hydrargyrum demersa, aquæ in glaciem concretæ ramenta protinus aquæ fluorem suscipere. Quoniam liquidorum fluiditas in corpusculis divisibilibus maxime consistens, quæ partibus suarum superficierum, dum se invicem tangunt, separatim hinc inde agitata facile inter continuas eorum partes, & numerosa interstitia juxta suas invicem superficies volvuntur, usque adeo fluoris motum conservat, donec irrequieto motu agitata in resistens corpus incurrens debitum impetus momentum deperdat. Ita Renat. de Cart, Boyles, & Alphonsus Borellus cum quibus Gallilæus nel trattato de Galleggianti. Fit igitur, ut aquæ moleculæ in quiete constitutæ, spiritu ærhereo mercurii, & subtilissimo, laxato glaciei vinculo intus commotæ, & hydrargyri gravitatis impetu in corpuscula satis exilia divisæ ad eam levitatem, & volubilitatem redigantur, ut libere sese quaquaversum ferentes in fluidum corpus reducantur.

Non longe diversa ratione Isaac Newtonus sancivit, illud esse fluidum, cujus particulæ quæcunque vi commotæ, parvoque molimine impulsæ moventur, ac facile inter se concutiuntur, licet fluidum immobile nulloque intus turbinari motu oculis subeat. Fluida quorum partes debilioribus viribus eas dissociare conantibus non resistunt, inter se colica in particulas infinite parvas resolvi queunt. Ex tenuissimo ergo partium contextu fluidorum oritur illa minima resistentia, quam moleculæ in fluidis leviter commotæ diffringunt, & superant. Et licet ad fluidorum constitutionem parvæ, ac exiles requirantur particulæ, non videtur absolute verum, corpus illud esse fluidum, quod ex minimis moleculis coalescit; quippe componentium corpusculorum parvitas ea poterit cohæsione firmari, ut eorum ramositate, curvitate, asperitate, particulæ, licet sub parvo volumine implicitæ, adeo sibi mutuo irretiantur, ut sese extricare difficillime queant; unde a leviſſimo pulsu corporis impingentis non propulsæ solidum corpus vel tenacius fluidum constituent.

Delibata mercurii proprietate, & minus tutis usibus perpensis, operæ pretium nunc est investigare, quibus elementaribus principiis, salinis

nis ne, aut ſulphureis, in quibus impreſſa eſt, lues exterminetur. Acida ſalia auræ celticæ, chymici intra poros mercurii (cum ſit alkali volatile) implicari contendunt nonnulli, quæ a colore, & fluidorum motu ad ſuperiora propulſa ſublimantur, ubi viarum irritatione apertis ſalivæ ductibus pituitoſa materies jugiter erumpit. Sed gratis omnino in mercurio alkali dicitur inexiſtere; neque enim huic corpori, cui quodam quaſi experientiæ teſtimonio ineſſe creditur aliter probatur exiſtere, quam ex hypotheſi, quod alkalicorum effectus ab aſſumptis Chymicorum principiis oriantur. Nec aſſertiones tam late patentes, tantique momenti admittendæ ſunt, niſi validis firmatæ rationibus. Immo dum aliam in medium proferre hypotheſim aggredior, meum eſſe cenſeo rationes adducere, quæ dubitanti cauſam vindicant, & prolatis aſſenſum prohibent, ne gratis confutationem exornem, multoque minus confidenter nimis ſententias convellere inſimuler. Hoc vero abſque convitio, dum id mihi arrogo, illam mihi indulgendam iri veniam, quam quiſque ſibi philoſophanti deberi penſitat, confido. Cum alkalinum ſubjectum ex frangibilibus, rigidiſque ſpiculis coaleſcens, annuentibus ipſis, coerceatur ab anguloſis acidorum ramentis, particulas mercuriales involventibus, eorumque motus retundentibus, acida ſalia venereæ luis ſupra mercurii corpus vires exercendo glutinoſi liquidi cohæſionem augerent; nam particulæ alkali ſinuoſis angulis intexuntur, adeoque particula acidi impingens in moleculam alkali locum invenit, a quo in earundem ſinum recepta alkalicorum vires diffringit. Si vero in gyrum rotata alkalica mercurialium corpuſcula acidorum aculeis cohæreſcerent, eorundem angulorum acumina juxta variam alkalicorum poroſitatem, & molem, additorumque corpuſculorum alliſionem in ſe invicem coeuntium, in tam obtuſa latera ſeſe mutuo molarent, anguloſque adeo retuſos, ut poſt variam utrinque luctam, mutuoſque amplexus iterum eo unirentur modo, ut eorum cunei certa rurſus coaleſcentia ſibi invicem conflati, parvula poſſint exhibere priſmata, quæ particulis pungentibus, & ſalinis ſenſim expedita, liquidum, cui innatant, omnino inſipidum, & ab acore erodente diſcrepantem ſuppeditarent. Ita Boyles de mechanica ſaporum obſervat; quod ſi liquori fixi nitri per deliquium facto, caute ſpiritus nitri guttatim affundatur, donec omnino alkali ſaturetur, paucis momentis poſt levem evaporationem cryſtalli obtinentur, non actis, nec alkalizati ſaporis. Ex mutua horum corporum reactione, & paſſione, alkalizatæ, acidæque particulæ in fluida coeunt, & poſt validam corpuſculorum alliſionem ſibi invicem conjunctæ, priſma ejus figuræ exhibent, cujus extrema nimis utpote obtuſa, inurere non poſſunt; ex quo corpus medium reſultat. Ita alkalicorum mercurii cum acidis unio, ſolidorum eroſioni non occurrens, at fluidorum conſiſtentiam, craſſitiemque promovens, remoto impetu, & in agendo ſecluſa gravitate, ſtimulo carebit tenaciores acidorum concretiones ſolvente.

Sed inquiunt, alkalia ſunt corpora poros habentia proportionatos ingreſſui anguloſarum patticularum in liquido natantium; igitur ſi vis illa, qua liquidi partes mutuo ſeſe urgent, & æquali undequaque niſu manent libratæ, inveniant locum minus reſiſtentem in alkali poris, utpote aere ſubtiliſſimo repletis, in eoſdem fluidum impellet, adeoque acida cuſpis in ſpatia inania alkalicorum impingens, in his recondetur, & ab eorum præſentia liberatum fluidum priſtinam craſim recuperabit. Verum quidem eſt ab irretitis ſalibus inter alkalia corpuſcula fluidum edulcorari, at acidi ſalis particulæ cum alkalibus combinatæ, & veluti carcere detentæ in poris alkalium majorem ex unione nactæ ponderoſam molem, cum fluidis circumvehi non poſſent, quæque pondere majori a liquidorum commercio ſecluſæ diarrhœam potius, quam ptyaliſmum promoverent. Cum igitur ratio acidi & alkali conſiſtat in proportione pororum vacuorum ad ſpicula acidorum, ſane nulla apparet neceſſitas, quod mercurius ſit certi ſchematis, & magnitudinis, ut configuratas acidorum particulas abſorbeat: immo ita in minima dividitur, ut a nonnullorum angulorum terebra, & cuneis poſſit permeari: adeoque non mirandum, ſi particulas in majorem molem faſtigiatas, & turbinatas, nec ſuis poris commenſuratas, ex ipſius parvitate molis excludat. Attamen non imus inficias, quod plus, quam minimas non præferat interſperſas poroſitates, & particularum tales ad invicem contactus, qui a gliſcentibus inter partes, & partes fluidi erodentis globulis non poſſint repleri, prout variæ ad invicem aut cum aliis ſalinarum particularum ſuperficieculæ cohærent. Partium enim mercurialium nexus tam arctus exiſtit, vel ea eſt compages, ut aut ſi non deſint pori ſubtiliſſimis angulis permeabiles, ea tamen eſt parvitas mercurii, ut a glutinoſis particulis nullo modo penetrari poſſit; cum ex una parte non exiſtat in his gravitatis momentum, quod valeat partes viſcidas ab invicem diſſociare, & in minimos cuneos dividere, ut poros mercurii penetrare poſſint. Ab hoc ſolo virium defectu excluduntur ab ejus poris ſalinæ viſcido involutæ particulæ, licet preſſæ a totius fluidi ſuperincumbentis altitudine. Ex altera parte particulæ ſalis ex tenuitate molis, vel craſſitie poſſunt adeo parvi motus fieri, ut vi careant ſuperandi mercurii reſiſtentias, quas opponit motui illa qualiſcunque ſit adhæſio, quam habent in intrinſeco mercurii globuli ad invicem, tanto majorem in reſiſtendo effectum producturi, quanto minores erunt corporis mercurialis ſuperficies; ex quo mercurius non poteſt penetrari a viſcidis particulis, quia poris caret glutinoſum admittentibus. Minimi pori mercurii penetrationi per aqueo-viſcidas moleculas faciendæ reſiſtendo, inſtantibus ſalibus, & urgentibus ſpiculis aditum non permittunt, quæ tunc eo tantam non habent, quantam exigerent ad eos pervadendos tenuitatem, & impetum. Si verum eſt, particulas mercurii unius figuræ eſſe, ſicut perſuadere videntur ſumma ejus ſimplicitas, & incapacitas corruptionis; ſi verum eſt, eas eſſe ſphæricas, vel aliqua ex figuris ad ſphæricam accedentibus circumſcribi, quemadmodum oſtendere videntur plures ejus proprietates, non poſſet eſſe in mercurio inanium ſpatiorum diverſitas, nec ea ad quamlibet figuram congruentia, quam expoſtulant plures Chymici. At pororum in mercurio quæcunque ſit exiſtentia, & quæcunque eorum amplitudo, an ſine gravitatis momento partes ſalium concretorum, quæ in ſanguine exiſtunt, ab invicem ſeparari, & ſcindi poterunt? hæc non niſi conjecturæ ſunt rem adumbrantes magis quam probabiliori ratione applicantes; immo Philoſophorum ingenia earum facilitate allecta ab ulteriori licet utiliori diſtrahuntur examine.

Quocirca ad tollendam aciditatem a corpore aliquo fluido præſertim opus eſt, ut a particulis acidum ſuſtinentibus fundamenta aciditatis detrahantur, vel illæ a corpore ablegentur. Cum igitur fundamenta aciditatis in acutie angulorum conſiſtant, requiritur, ut acuti anguli emolliantur, ut in rectos vel obtuſos faceſſant, aut omnino tollantur in curvam ſuperficiem murati. Angulorum autem ex acutis in obtuſos tranſitus fit per rupturam acutorum cuſpidum a validiorum agentium niſu diffringendarum; argumento admodum probabili, multam in mercurio requiri gravitatem, & impetum, qui ſalium evectorum ſpicula cohærentibus moleculis implicata poſſit infringere. Nec reponant poſſe retundi acutos acidorum ſalium angulos unione aliorum corpuſculorum. Duo enim anguli acuti verticem communem habentes, & ſecundum latera ſibi invicem cohærentes rectum, vel obtuſum angulum fere ſemper conſtituunt. Sic involvuntur acutæ cuſpides lentis, mucoſis, & pinguibus ſubſtantiis, ac veluti intra vaginam anguli acumen conditur. Hoc artificio ſalium ſpicula in ſapone mitigantur; ſed ſi hoc fiat, eſt tantum acidum edulcorare, non in minima reſolvere, non deſtruere, non partes conglutinatas diſcindere; adeoque ſi in particulas ſalinas cohærentibus nuptas non impingat aliquid, quo non ſit ei ſpecifice gravius, magis mobile, & in minima diviſibile, nulla ſpes erit, ut poſſit una ab altera ſeparari.

Nec magis arridet eorum ratio, qui explicantes actionem mercurii per vaſa ad fluida difficulter mobilia impellenda trajecti & ſalivam vehementer moventis, venas præcipue lymphæ ferendæ dicatas torpore quodam infeſtari ex quadam vi hydrargyri ſtupefactiva non dubitarunt. At ſi propter teneritudinem lymphæ ductuum ab hydrargyri inunctione ſtupore facile affectorum, ob intenſum hydrargyri frigus, amiſſo tono, & fibrarum vigore, debita lymphæ ſeparatio reditusque in venas impeditus intra ſanguinea vaſa cohibetur, qua arteriosa canalia ſupra modum diſtenſa ad ſalivæ emiſſaria depleri cogantur: quæritur qui fiat ab exinanitis lymphaticis tophos diſcindi, oſſiumque cariem emendari. In lymphæ morboſo liquido totus fortaſſe latet fomes; ſed ſi quoque lateret, qua ratione hydrargyrus in mercurium dulcem confectus per minima ſanguini nuitus, & impetuoſo motu per vaſa raptus vim ſuam indolemque denuo exercendo lymphæ ductibus torporem conciliabit.

Sane ut rem acu attingam, ne me aſſumptis pluribus, minuſque notis conjecturis, & præpoſtero hypotheſeon conatu philoſophari videar, quiſquis rem attentius contemplatus fuerit, corpuſcula mercurium conſtituentia irrequieto motu exagitata a fluidorum preſſione, & circuitu diffiari poſſe per orbem, facile per ſanguinem in minima diſpergi advertet, quæ mercuriales in ſtatu fluoris particulæ non facile eveherentur per vaſa, ſi earundem componentium unio intricata, adhæſioque tenacior eſſet: hæc enim mutua ſuimet invicem implicatio, alterius ab altera ſeparationem prohiberet, ipſaque molecularum conjunctio eaſdem ponderoſiores efficeret, quam ut ſimul ſuſque deque attolli, & vertiginoſo liquidorum motu rapi poſſent. Liquidum mercuriale cum ſit in minutiſſimas diviſum particulas, facile cum altero fluido, vel ſolido, quoad omnes partes in illius poros ſe inſinuando, in alterius penetrando, miſceri poterit: & poſtquam eſt mixtum, mercurii moleculæ cum ſint a continuo gravitationis motu concuſſæ, alterius liquidi ſolidioris obvia corpuſcula non difficulter diſcindere valent. Hinc ab invicem commixta & minima minimis conjuncta, neceſſe eſt, ut corpora agentia poſſint agere in patticulas patientis, non quieſcant, ſed ſint inteſtino motu agitata, aut in rapidiſſimo curſu conſtituta inſtar cuneolorum, quotieſcunque in alterius corporis particulas illis congruentes, vel ad recipiendum gluten, caveas habentes, impingunt, haſque eaſdem divellunt impedimentis ſemotis, & fortiſſimis quibuſque obſtaculis dirutis; idcirco tamen in ſua maxima diviſibilitate eorundem gravitas nihil evaneſcit, interrumpiturque: ſed quodvis corpuſculum infinite diviſum, licet mole minus cæterarum fluidorum particularum, gravitate majus, a ſolidotum niſu cum ſanguinis circuitu promovetur, quod ubique celeritate ſanguinis majori inſtructum, a dato cordis impulſu plus momenti ſuſcipiens, majorem impetum in reſiſtentiarum accurſus exercere valet: Unde quantumcunque parvus ſit impetus ſanguinis fluentis cum ſemper reſiſtentia minor ſit momento impellentis mercurialis liquidi undecunque nitentis, agetur intra omnes villorum plures nihil reſiſtens influxui tentantis fluidi, cujus vis tumoribus, & fluidorum lentoribus occurrens innatæ gravitatis impetu, & in ſtagnantia liquida ad membranarum contactum poſita ſeſe agere nitens, quaſi cuneus cohærentes particulas dimovebit, quæ a ſubtiliſſimis mercurii ad nullam formam determinatis corpuſculis, hinc inde intus commotæ, & jugi eorundem circuitu in motum concitæ, inciduntur, attenuanturque, & qua data potentiori porta ruunt, quæ ſæpe per vehiculum ſalivæ evectæ in eorundem ductus ejiciuntur. Hinc reſoluto, & ſubacto fluidorum lentore, ſpiculis ſalium retuſis, vaſa, polique obſtipati a tartarea fæculentia ſtagnantibus ſordibus liberantur, atque expediuntur, adeoque fluores omnes totius corporis in ordinem, ac motum rediguntur, & ſic pene omnibus morbis, cum a viſciditate humorum, & obſtructione ductuum ortum ducunt, mercurialia medentur.

Tophi, & gummata non niſi remediis maximo impetu inſtructis evelli poſſunt, quorum validi momenti particulæ ſanguini intruſæ, diu in oſſium excreſcentias impellentes vires ſuas imprimendo peritus reditusque corporis impingentis, penetrantiſque gravitationem, obvia quæque diſcindere, ac renitentes tumores reſolvere valent; quæ combinatarum partium reſolutio neutiquam in nobis contingeret, ſi appellentia corpuſcula ſupra data obſtacula, & reſiſtentiarum aggregata excurrentia, terebræ, & cunei vires in occurrentes lentores non exercerent; quo fit, ut mercurii gravitas cæterorum mineralium major, non ſolum ubique celeritati ſanguinis æqualis, ſed validius momentum ſuſcipiens, impetumque majorem exerens ad loca maximæ reſiſtentiæ, ubi fluidorum motus quaſi evaneſcit, partium cohæſiones tollat, & immotas tophorum particulas dimoveat, quæ a repetito promoventis impulſu commotæ ſenſim abraduntur, & intimius eliquatæ novæ ſanguinis circulationi committuntur. Igitur quoties ſalina ſpicula intra fibrarum contextus incuneata, vaſcula, & fibratum tilias depaſcuntur, hæc corroſiva ſalia hebetantur duntaxat a maxime penetranti mercurii energia, quæ cum in omnes ægri partes ſeſe inſinuet, acido ſalinas moleculas occurrendo cicurat; quo interea vis partium elaſtica vigorem acquirens ad evictorum ſalium enormitatem una cum mercurii expulſione inſurgit, ac ſit plurimum per putentiſſimum ptyaliſmum ad oris emunctoria celticum venenum demandat, qua expurgatione completa laceſſita quieſcit natura, & vires labefactatas reſumit.

AR-

ARTICULUS V.

De morbis per ſalivationem mercurialem curabilibus.

SI quis unquam eſt morbus, qui facili marte a mercuriali ſalivatione diſcutiatur, eſt venereum contagium, quod crudeliter in corpus humanum debacchari cœpit anno 1494. nimirum dum Carolus octavus Galliarum Rex cum Alphonſo Rege bellum gerebat, ingenti militum phalange, ſtrictiſſima Neapolin obſidione tenuit; Neapolitani magis fame, quam bello enormiter vexati, imbellem ac mollem fœminarum turbam ab urbe ejecere. Galli milites, quos non pudebat cum turpiſſimis fœminis coire, Hiſpanorum verſutias ignorantes, earum pulchritudine, ac blanditiis allecti nativum libidinis œſtrum in fœminas fornicando ſociavere: Inde totus amoribus nequam vitiatus exercitus, inſuetoque deluſus dolo ultro horribilibus ſe cœpit pandere morbis. Hinc erudite Fracaſtorius:

Qui caſus rerum vatii, quæ ſemina morbum
Inſuetum, nec longa ulli per ſæcula viſum
Attulerint: noſtra, qui tempeſtate per omnem
Europam, partemque Aſiæ, Libiæque per Urbes
Sæviit; Latium vero per triſtia bella
Gallorum irrupit, nomenque a Gente recepit.

At incertum eſt, cum incœpit inter homines grāſſari, ſi prius obſidentes Galli hanc luem experirentur, antequam obſeſſi Neapolitani contraxerint; Neapolitani Gallos, Galli Neapolitanos inculpant, & Hiſpani utroſque Neapolitanos, & Gallos viciſſim exprobrant, & unaquæque eorum natio reliquis hoc facinus vitio vertit. Sed fortaſſe melius ſe pandit ipſe morbus.

India me genuit, peperit me Gallia Mater,
Me alit Parthenopes, dic mihi quæ Patria?

Hæc venerea lues licet in veterum auctorum monumentis, & obſervationibus non ſe pandat; tamen cum ab Avicenna, & Galeno V. de comp. medicam. VI. de ſimpl. nu. XI. de ſimpl. facul. VI. de locis affectis cap. VI. deſcribantur tumores, ulcera, ac puſtularum ſpecies, quæ luis venereæ affectionibus adæquate reſpondent, credidere nonnulli, hanc veneream luem, dum Galli Neapolim obſidebant, antiquis morbis fermentale tantum addidiſſe virus: hinc in Celſo, ſycoſin, mariſcas hominem olim fœdaſſe legimus. *Fit vero ait utrunque in his partibus, quæ pilis* conteguntur; & apud Martialem lib. VII. Epigrammatum:

Ficoſa eſt uxor: ficoſus & ipſe maritus:
Filia ficoſa eſt, & gener, atque ſocer.
Nec diſpenſator, nec villicus ulcere turpi:
Nec rigidus foſſor: ſed nec arator eget.
Cum ſint ficoſi pariter juveneſque, ſeneſque,
Res mira eſt: ficos non habet unus æger,

& Juvenalis ſatyr. lib. 2.

Quis enim non vicus abundat
Triſtibus obſcœnis? caſtigas turpia, cum ſis
Inter Socraticas notiſſima foſſa cinædas.
Hiſpida membra quidem, & duræ per brachia ſetæ
Promittunt ferocem animum, ſed podice leves,
Cæduntur tumidæ medico ridente mariſcæ.

adeoque antiqui torquebantur quidem ulceribus, puſtulis, lepra, ſcabie, tumoribus, at veterum monumenta homines in ſcortis avide luxuriantes hac lue fœdatos tophorumque cruciatus perpeſſos fuiſſe non pandunt.

Ex prægreſſo igitur concubitu cum muliere venereo ſemineo conſpurcata, malignum virus, & halitus contagioſi a pollutis, & turpibus obſcœnis prodeuntes, in uretræ virilis poros ſe inſinuant, inde penetrata uretræ epidermide ad proſtatarum glandulas diffunduntur, ibique excitata inflammatione, ſucci intus contenti acrimonia, acida, ſalino corroſiva commoti, acidis, & cuſpidatis eorum particulis vehementius fibras pungunt, diſtendunt, & lancinant, quæ inde a nutrimento in ſaniem converſo magis exulcerantur. Unde in laceratis villis ulcus ſuccreſcit, a cujus ulceris impuritate ſanioſus fluxus, & acre liquamen jugiter effluit, quod fœtida craſſitie in ſubtiliſſima epidermidis membrana feriendo ſalinis ſpiculis, ejuſdem fibrillas divellit, atque exulcerat. Non ſolum a glandulis proſtratarum exulceratis, ut uretræ exeſis poris extillat putida illa ſanies, ſed cadaverum ſectione retulit, reperta eſſe ulcera in orificio veſicæ, & vicinis partibus cum flueret gonorrhœa, Ballonius Epid. l. 2. pag. 16.

Hoc acidum acre dilatatis poris, & apertis vaſculis a ſanguine abſorbetur, & mediante circulatione per minimas arteriolas ad glandulas inguinis devehitur, vel in lymphatica inguinis glanduloſa irrepit, in quibus acriori parte ſtimulante, & viſcidiori moram trahente, per vim ſtimuli augetur liquidorum curſus ad partem, novoque indeſinenter confluente humore, inſarcitur corpus glanduloſæ tunicæ, ex quo in dies excreſcente dolore morboſa liquida ad inguina augente magis, malignus extuberat tumor, qui artis auxilio facile ad ſuppurationem diſponitur, & ferro diſcinditur, vel cauſtico aperitur. Ab hoc venereo veneno infectæ ſanguinis particulæ glandularum cavitatem accolentes, a naturali ſtatu ſenſim deſciſcunt: hinc in fluorem evectæ impetuoſo motu rapiuntur, quæ tamen dum ſe quaquaverſum explicare nituntur, craſſiores particulas glutine implicatas offendunt, a quibus mutuis niſibus invicem obvolvuntur: interim acrium ſalium, & ſubtiliorum niſus a terræ moleculis, & craſſioris ſulphuris plurimum remittitur, donec ſordes, ac virulentæ ſanies, vel ſuppreſſæ, vel non extinctæ, ſero per partes illas circulanti ſanguini communicentur, & clam in ſanguinem ſerpant; ejuſque ſalinæ moleculæ a fermento venereo exaltatæ, & in fluorem evectæ, cum viſcoſis combinantur, quæ in perioſtia, & pericrania impingentes, in eorundem poruliis impliciter detinentur: Harum ſalina ſpicula intra fibrarum faſciculos incuneata, cum nec a ſolidorum niſu, nec a calore poſſint inſenſibiliter reſolvi, ſenſiles membranas laceſſunt, continentia vaſcula diſtrahunt, eorumdemque villos ita convellunt, ut dolores in cranio, & oſſium membranis ſæviſſimi paſſim ſentiantur, qui ad veſperam excruciant, & magis ingraveſcunt, dum a denſiori aere repreſſæ, & lecti calore agitatæ, ac motæ particulæ viſcidoacriores, nervorum machinulas, & membranas perperam lancinant. Hæ efferæ ſalium acrium, acidoque-ſalinæ moleculæ in latice ſanguinis hoſpitantes, in laxam, & ſpongioſam tonſillarum ſubſtantiam delatæ, ibique exaltatæ, earundem fibrarum plexus exedunt; adeoque hujus indolis inquinati ſucci glandulas oris, palati, labiorum, & gingivarum, ultro citroque villos commeantes, hic ſolidorum machinulas jactant, illic ita concutiunt, ut permutatis liquidorum viribus, figura, atque mixtione, una villi, & fibræ membranarum, vaſorumque convellantur, & diſtrahantur; adeoque a proprio termino recedentes, inficiuntur ab illis anguloſis ſalium particulis, quæ interjiciuntur ad inſtar cuneolorum inter machinulas jam fluidas, & pene ſolutas; quæ licet in variis implicationibus, & reticulari contextu non permittant diſcludi ex toto, nec humores ex toto præterfluere patiantur: tamen a fluxu, & refluxu humorum erodentium in dies magis laxantur, & inquinantur, a quibus proinde depravatæ indolis ſuccis, quaſi ab inſinuatione totidem cuneorum tenuiſſimæ ſubſtantiæ ſeſe quaquaverſum volventium, atque fibrarum contexturam exſolventium, lacerantur vaſculorum villi, adeo ut ad inſtar ſtillicidii ubertim fluat, & erumpat ſanioſus liquor, qui ſua partium ſcabritie, ac inæqualitate membranoſa, & glanduloſa loculamagis exurere, & dilaniare poterit, ut in earundem epidermide, vel in membranis gliſcentia liquida, motus inertia diſtenſis vaſculis, eorum putrefactione, & ſalium aculeis laceratis, terebratiſque villis, depaſcantur glandularum fibras, eaſdemque partes ulceribus fœdent. Si inter oſſa, & perioſtii porulos hamoſæ particulæ, & rigidiores compactæ arctius cohæreſcant, & membranarum fibrillæ enormiter diſtentæ ſenſim intumeſcunt, & inſtar ſpongiarum inflantur. Unde viſcidus liquor ſalſis rigidis, acidoque acribus maritatus in has partes firmius ſucceſſive impingens ſimul in coalitionem compingitur, & præ craſſitie per poros excerni, nec minuta venarum oſcula cum ſanguine reliquo ſubingredi potens, hæreat oportet in illis anguſtiis, ibique interceptis acidis, acribuſque particulis invicem implicantibus, in tophos atque nodos coaleſcit, qui inde acidis, atque corroſivis ſcatentes liquaminibus in oſſium cariem degenerant. Dum corroſiva ſpicula in tendinoſas oſſium fibrillas ſe inſinuant, oſſis ad intima penetrando, ejuſdem canaliculorum ſeriem & ordinem diſfringunt, a quibus ſenſim alterata oſſium ſtructura, & ſuccis eorundem alibilibus coinquinatis, in oſſibus caries ſuboritur.

Confirmata lue puſtulæ, & earum puſtularum cognatæ cutis affectiones phyctenes, impetigines erumpunt, modo orbiculares, vel acuminatæ, modo pruriginoſæ, ſquammoſæ, nil ichoris effundentes, faciem, vel manus, crura, vel pedes, & nonnunquam univerſum corporis habitum obſidens. Viſcidæ enim, ac terreo-ſalinæ, acres, auctetæ particulæ ad noſtri corporis partes appellentes, glandulas nimirum, a quibus deberent revehi per lymphatica in ſanguinem, fibras tubulorum cutis, per quos fluere debent, fermento gallico afficiunt, & glanduloſarum partium meandris conſtanter infixæ aculeis ſuis magis vel minus rigidis, acutiſve fibrillas cuticulæ, ejuſque tubulos diſcindendo, & erodendo pruriginoſa labe, & ulceroſa commaculant; ut inde obortæ puſtulæ in glanduloſis cutis rubulis, adeoque ſolidorum eroſiones pro majori vel minori acredinum gradu, pro multitudine diverſarum glandularum, & vaſculorum exeſorum ſanie, dolore, & cruſtoſis ſquammis inter ſe ſolum differant. Hujus fœcundæ meſſis ſemel tacta ſeminio venereo efflorescens, ſuiſque ſucceſſivis geminationum periodis renaſcens, nunc ſciſſuris volas manuum affligit, nunc rimis mammarum papillas occupat, quæ modo ſanioſis ſcatens humoribus ſpongioſam carnis ſubſtantiam depaſcendo ſerpit, modo in fœda ulcera excavatur, quæ cutem profunde penetrando, labiiſque calloſis, & prætumidis, ſanguinem ſanie confuſum ſi contrectentur, effundunt.

Quando particulæ acido ſalinæ angulatis corpuſculis a lymphæ copia dilutæ, & aſſiduis ſolidorum oſcillis comminutæ, cutaneas glandulas leviter obſtruunt, ad corporis ſuperficiem ſpumeſcentes cuticulam levi pruritu exaſperant, erumpentibus interea bullis fere inconſpicuis. Salia pauco ſero diluta, cum a lympha debito viſcoſiori, fugatis in aera aquoſis, eorum vis inſringatur, & illorum acumina obtundantur, ſquammoſam, ſeu cruſtoſam cutis elevationem inſerunt. Sub cruſtis ſquammoſis effuſa lympha, cutis, & cuticulæ fibras, in quas impingent, punctione particularum acutarum, & effuſi ſeri acredine gravius pungit, ac lancinat, uſtioniſque ſenſum, ac pruriginis inducit. Cum autem ab aliis jugiter de novo confluentibus ſalinis particulis compellatur humor, cuticulæ porulis ſalina ramenta infiget, a quorum angulis minutim ſecatæ cutis fibrillæ in furfura abeunt, & veluti ſquammæ in ſuperficie exteriori exſiccatæ a cute diſſiliunt: Hinc ægri pruriginoſo ſenſu affecti indeſinenter cutem ſcalpentes ſanioſum ichorem effundunt, qui erodentitibus particulis efflœtus per vicinam, ſanamque partem proſerpit, donec ulcuſculis cum foraminibus profundis univerſum corpus obſidentibus in putreſcentem morbum terminentur.

Verum quia venerea lues per ſe nullum morbi genus conſtituere videtur, qui cuicunque morborum ſpeciei adeo inſolubili nexu confunditur, atque permiſcetur, ut preſſius eorum naturam æmulari videatur, cum aliorum mille larvetur formis morborum, ne miremini ſi olim celtica labe inquinati in morbos inciditis, quorum radix non intellecta medentium opem eludit, atque deplorabili ærumna vos turpiter extorquet.

Mercurialis ſalivatio non coercetur in ſolo celtico, ſed mercurii virtus tam efficax in conſummatis, & obſtinatis morbis ſanandis comperta eſt, ut Medicos illo, tanquam modo curandi perverſo, uti recuſantes, in malorum omnium pertinacia ex acri glutinoſo ſuborta vulgaribus reluctante remediis hactenus non adhibuiſſe, cum Boyle valde admirer; In his enim ejuſdem virtutes æque, ac in morbis a contagio venereo ſuſceptis, efficaces eſſe non me effugit, quin efficaciores quam aliorum remediorum eſſe arbitror, ut plurimorum experientiis pulchre arridet.

Dum autem de operationibus mercurii ad alienos morbos inuſitatos relatis loqui decerno, hiſtoriam minime vulgarem a Boyle recenſitam non poſſum non referre. Vir quidam, ait, adhuc ſuperſtes, Præfectura Legionis Helveticæ in Gallia celeberrimus, aliquot annis caſtra in Belgio ſecutus, morbum quendam oculorum paſſus eſt, Medicorum juxta, ac Chirugorum opem omnium recuſantem, qui paucorum menſium ſpatio ſenſim elabente viſione, utriuſque oculi jacturam fecit, donec accerſitus Empiricus, cui ſe curæ tormentis ſubjecit, ipſi ab utroque narium ad grani pondus attrahendum quendam pulverem mercurialem exhibuerit, a quo ſtatim vomitu, ſudore, urina, ſaliva, & lacrymis per duodecim horarum ſpatio exagitatus adeo commotus fuit, ut caput ejus plurimum intumuerit: tertio tamen, vel quarto labente die, gradatim viſum recuperare incipiens, poſt quadraginta dies, acutiore viſu quam omni vitæ anteactæ decurſu gaviſus eſt.

In

In colica diuturna, ac pertinaci, cum remedia quævis nil juvant, mercurialia sialagoga exhibeantur, quæ cum maximo ægrotantis levamine observavit Willis materiam morbificam in plexibus nerveis uberius aggestam, salivationem movendo hinc illuc varie dispellere, & tandem prorsus dissipare. Licet sanguinis particulæ per jugem ejus motum, & agitationem atterantur, subtilizentur, ac lævigentur, sensimque ita disponantur, ut per poros cerebri transcribrari, & per nervorum filamenta urgeri queant: Existimo interim ab impetu sanguinis fortius a tergo urgente posse abradi particulas diversæ molis, quæ per nervorum canaliculos deciduæ in mesenterii, aliisque abdominis plexibus inter se variis modis uniantur; nimirum quod suis ramositatibus invicem intricentur, vel quod cuspis unius intret poros alterius, denique quod earum superficies læves, & æquales ita arcte conjungantur, ut nihil sit intermedium, adeoque hæ non admodum subtiles, nec facile dissipabiles, cum per lymphæ ductus non diffluentur, sensim stagnent oportet, & coacerventur in partibus illis per villorum poros expirare nesciæ, quæ in nervorum tubulis penitus compactæ, ac fibrarum oscillis compressæ, cum semper in motum expansivum nitantur, licet minori impetu, subsistendo intra eorundem canaliculos, eosdemque proinde extrorsum urgendo, fibras, nervorumque propagines inflant, ac distendunt, quarum distensione divulsis villis intestinorum, & eorumdem lacessita contagie violentam suscipiente vibrationem, oritur colica affectio, cujus violentus impetus in distorsione fibrarum residens, laxari non posse videtur, donec congesta materies a nervorum filamentis penitus discussa, aut subacta non fuerit; quę si ab aliis medicamentis dimoveri non possit, a particulis mercurialibus sese quaquaversum nitentibus in minimas dividetur moleculas, & huc, illuc varie in motum acta dissolvetur.

Hic exoriri posset suspicio, cur a Medicis non sine ratione mercurius credatur generis nervosi inimicus, aliarumque in nervis cerebri perturbationum concitator, & fortassis sciolus quispiam negabit in paralysi detentis hisce remediis esse utendum. Speciosa hæc quidem dubitatio prima fronte videtur; sed tamen vanam esse reperio, ubi contraria hæsitationi experientia ad accuratiorem sui inquisitionem me invitat. Plures morbo Herculeo, & vertigine diuturna correptos salivatione per mercurium excitata in ind. med. pract. lib. 19. sanatos refert Bonetti, & quosdam paralyticos ab ipsa sanari Willisiano experientiæ effato edocemur. Attamen hoc remedii genus nolim, ut furiosa violentia extimescendum, cuiquam commendes, nisi sedulo Chymicorum simul artificio elaboratum, ac Medicorum consilio exhibitum, donec exactiorem sui præparationem, & usum nanciscatur. Hoc vero securius confecto in epileptico morbo inconsulto quispiam temere ne utatur, ut prius perspecta causa fitmo rationis talo hoc opus animose conflagret.

Cum epilepsia sit totius corporis concussio, qua statim & ipsi nervi convelluntur, causam hanc latere conjicerem, aut in solido nimis laxo, vel rigido, aut sicco, aut in fluido nimia copia peccante, in sero acri-glutinoso, in crassitie sanguinis, aut spirituum, in quocunque viscere lentore refertò, aut in sola acrimonia tum sanguinis, tum spirituum tenuiorum, magisque mobilium. Sint enim tubuli nervorum in cerebro constituti nimis laxi; igitur copia sanguinis naturali major cujuscunque liquidi nervei, quod intrudere se possit inter omnes fibrillas nerveorum fasciculos componentes, nitetur in nervos influere, adeoque, contranitentium villorum vis, cum non sit in æquilibrio constituta cum fluidis, minimæ cuicunque facultati cedet: & cum a quocunque spirituum appulsu nervea fibra distrahatur, dilateturque, impleri poterit liquido, cujus particulæ nervorum funes sensim madefacientes, veluti totidem cuneoli sese in nervorum dilatatos poros insinuando, illos contrahunt; adeoque laxatis nervis, & copia liquidi naturali majori repletis fibris nervorum tonus, & villorum harmonia tota concutitur.

Sit insuper siccitas in solidis minorem copiam humidi ita continentibus, ut humores quilibet producantur acriores, spiritus tum similiter acriores; mobiliores impetus, & nisus majores in emissaria nervorum producentur, adeoque irritando, lancinando membranarum fibrillas, maximo cum impetu efferentur, & inordinate moti poros cerebri ita aperiunt, ut quaquaversum per nervos dissiliant: Unde nervorum fasciculi vehementer dilatati, hinc, atque illinc, intus violenter moti spiritus concussi, inopinato spasmodica crispatione corripiuntur, & animal sibi deficiente spiritu in centro gravitatis molem corporis sustentante, derepente corruet. In hisce igitur causis a solido nimis laxo, & fluido magis mobili, & soluto, quoniam mercurius est majoris impetus, & pondetis, quam quod possit a languida fibrarum energia, & vi sustineri, suspicione salivatio non caret; qua ratione impetus, & gravitas cum videatur calcar addere liquido in furorem nimis concito, male mederis, si malesana mercurii inunctione materiæ peccantis in sero existentis solutæ copiam violentius ad partes superiores, ipsaque adeo cerebri penetralia propelles. Propter hanc inunctionem mercurialem in scabie institutam exortum fuisse comitialem morbum, exemplo patris, & filii Trincavella confirmat.

Contra vero cum Hippocrate de morb. sacr. & Gal. lib. 2. de sympt. caus. cum vigeant in sanguine humores lenti, viscidi acido-acres, qualis pituita pungitiva; spiritus igitur magis crassi minorisque impetus gignentur, qui propter crassitiem partium, ex quibus componuntur, cum non se diffundant quaquaversum cum nisu, non poterit universa eorum moles fluere per poros villorum, immo portio crassior intra eorundem villorum ganglia subsistet, proindeque eosdem magis extrorsum urgendo, impediet, ne ex toto restituantur nervi, sed in aliquo gradu contractionis persistant; per successivum autem influxum, & effusionem eorundem liquidorum intra nervos, cum reliquum crassius intra majorem villorum angustiam semper subsistat, in majori contractionis gradu persistent nervi, & repetito pluries spirituum influxu, cum restitutione magis, ac magis nervorum imminuta, fiet demum, cum non possit ganglia nervorum spiritus superare, & per eorum extremitatem expirare, ut nihil spiritus ulterius influat: quo in casu retro impulsus majorem ad latera nisum ad nervorum principium usque exercet: Hinc successivo spirituum repulsu, & eorundem jugiter appulsu ad cerebri nervos, violentius ipsi concutiuntur, ejusque subtilissima fila lymphæ spiritus vehentis mordacitate stimulata crispantur; adeoque nullo, certoque ordine impulsis spiritibus, æger subito in terram prolabitur, violentis contorsionibus detentus. Modo quotiescunque morbus caducus excitatur ab illis succis, qui ad majorem partium cohæsionem fluentia liquida reddunt, aut ab infartu alicujus visceris per consensum ortum ducit, mercurii viribus facile cedet, qui vi suæ gravitatis per impervios quosque spirituum canales lenta materia obsessos sibi viam sternens ad minima resolvit, & mucosa fluida extra corpus propellit, unde bene ait Hippocr. de morb. sacr. *Qui salivosi fiunt, ac mucosi, morbo sacro fere non apprehenduntur.*

Hac ratione salivatio in paralysi, quæ in sanguine sale, & sulphure fixioribus magis referto causam habet, cum stabili nervorum, & firma fibrillarum cerebri structura, opem non raro egregiam præstat. Cum ad motum requiratur musculorum contractio, cujus machina ex pluribus filamentis, carnearum fibrarum fasciculis, & tendinosis fibris conflata per se iners est, & demortua, nisi adveniat facultas motiva, quæ est influxus sanguinis per tubulosas musculorum fibras, easdem inflantis, & liquidi per nervos subito arescentis intra sinus villorum, & sese quaquaversum effundentis per tensam fibrarum compagem, ut carneæ fibræ ab impetu particularum rarescentium, veluti a totidem vectibus possint urgeri, quæ inquam imperium afferant, easque a torpore, & sopore excitatas fibras ad motum impellant; igitur si neutrum vel alterutrum liquidorum non influat in sinus, & intra villos fluere non permittatur, non poterit inflatio fieri tubulorum, quæ requiritur, ut villi concipiant impetum, & suam indolem, vimque motivam exercere valeant, ut sunis denegatis aquæ globulis non inflatus; adeoque fasciculis nervorum ad emissaria infartis, vel obstructis a sanguine intra cava fibrarum latibula partium crassitie, & terrestreitate stagnante, licet recurrat spiritus, & sanguis, per ductus non excident in sinus fibrarum, sed frustra ad canalium emissaria nitentur; unde contractio musculorum, & motus tolletur. Itaque duni in paralysi, in qua materia viscidæ, ac quasi lapidea in nervis, ac minimis vasculis musculorum solide viget, sudorifica nullius efficaciæ sunt ad excuneandum in nervis, & fibrarum lacunis impactos humores, felicius salivatio cietur, qua apprime concreta salia inciduntur, dum particulæ mercuriales in fixa liquidorum corpuscula impingunt ab invicem, ea dissociando facile dissipant; dein cerebro trajecto ductus nervorum subeundo, coacervata fluida in minima dividunt, & spirituum vias referant: hinc inde portiones subtiliores sanguinis summe tenues, atque elasticæ, partesque tenuioris lymphæ ab alterna meningum constrictione in pervios nervorum tubulos propulsæ, in latera earundem validius nitentes, ordinatas ad muscularem motum fibras inflant; adeoque extensis fibris, & machinulis musculorum spiritu irrigatis, non solum oscillatione propagatur sensibilium impressio ab extremis nervorum filamentis concepta; sed apertis arteriarum osculis, & nervorum fasciculis in pristinam libertatem restitutis, concinne remittitur sensus, atque motus.

Nunc quoniam mercuriales particulæ per tenuissima vascula, & spongiosas substantias trajectæ in eorundem ductibus lentescentes, inertes fluidi moleculas in motum concitare valent, eodem conatu, & feliciori eventu, ut optime addit Dolæus c. 7. de scirrh. tumores scirrhosos dispescent, & calculosam viscerum duritiem dissolvent, cujus generatio subsequitur a succorum in cellulis glandulosis diversæ indolis coagmentatione. Cum sanguis acido-salinis terreisque scatet particulis, testudineo motu partes corporis perluit, & ad angustos glandularum ductus per arterias delatus, crassiores in ipsis vasculis portiones relinquit, quæ venarum ostiola subintrare nequeunt. A glandularum porro circumpressione, & motu, subtiliores sanguinis in vasis contentæ particulæ in motum adactæ, dum a graviorum connubio descisentes ad ora venarum impingunt, crassiora salia, & terreo-sulphurea in parte remanent, quorum acido-terreæ particulæ a sanguinis præterlabentis appulsu validius pressæ, in alkalicorum poris, & sulphurum ramis altius involvuntur, mutuoque nisu inter se ita combinantur, ut undequaque pressis propius ad se invicem accedentibus exhaustis tenuioribus aqueis, tumor exurgat. In hoc graviori casu, licet mercurialia educere possint viscositates sale, acidoque effœtas per glandularum salivalium tubulos, raro tamen, nisi post defatigatum medentium opus, usurpentur. Quoniam scirrhosus tumor in partibus mollioribus genitus per successivum fluidorum appulsum, laxas tubulorum, ac cellularum fibrillas inflando ita distendit, ut vehementius distractis glandularum villis, fortius ab invicem divulsæ non resiliant in contenta fluida, fit, ut a vehementiori fundente, & impellente majori, novus distensis fibris addatur impulsus, quæ ad susceptum impetus momentum sustinendum impares, uberiorem materiæ copiam ad laxos membranarum poros deferri patiuntur; unde concrementum quasi lapideum in folliculis conclusum, a solidorum nisu nec ullo incutiente commotum, ab appellentibus succis jugiter irrigatur; atque ex plurium fibrillarum fasciculis a fibroso sanguinis crassamento mediante salivatione depromptis majus conficitur; adeoque in dies magis increscens lapidum ritu in insignem molem extuberat: proindeque in morbis, si summa adsit fibrarum mollities, quarum resilitionis vires a quocunque percutientis impetu facile frangantur, licet jam dudum a mercurio averruncetur morbus, redit tamen, ejusque radix in ipsa villorum flacciditate, & fibrarum laxitate parva vi extendenda regerminat, ut observavit Wedelius podagricum salivatione liberatum, post tres annos in eundem morbum incidisse, sed mitiorem.

Scorbuticam affectionem Septemtrionis, & maris incolis frequentissimum morbum per salivationem fugari, fatentur Joannes Burgius in dec. 2. annor. 3. Joannes Acholutus in decis. 2. annot. 9. at duntaxat in illo scorbuto, in quo sale evecto, & fluore potito mobiliores sanguinis particulæ crassioribus implicitæ detinentur, atque crassam, & veluti acido-mucilaginosam consistentiam induentes, pigre in vasis circulantur, a quibus sanguinis massa compage magis restricta, & crassiori donata, salibus quidem acutis, sed glutine cohibitis, simulque incuneatis detenta, torrentis instar lutum secum rapientis, lento progreditur motu ad viscera minimæ pressionis, & ad vasculorum angustias delata in ipsis fæculentias quasi limosas affigit. Tunc in hujusmodi diathesi scorburica, in qua crassum est attenuandum, stagnans mobile, & cohærens fluidum reddendum, salivare erit sanum facere.

Hoc consilio in amaurosi, sine optici filamenti dilaceratione, & absque eorundem antiquata obstructione, festinanda est salivatio, si a crasso humore in nervorum meatus illapso, vel ab arteriolis retinæ compressis obstructisque denegetur tremor nervorum ad sensorium, vel a tumore in cerebro nervos opticos premente (ut doctissimus Platerus observavit) impediatur directio opticorum, & pupillarum planities, ut angustatis canalibus, vel in ipsis hærente glutine, adeoque spirituum via impedita aboleatur visio. Ad hunc humorem ex

opti-

opticis evellendum, & tenacius in capite impactum proliciendum felici succeſſu mercurialis ſalivatio procedet. Sic artificiali pthyaliſmo ſuffuſiones curatas teſtantur Riverius, Fonſeca, & Schenckius.

Ubicumque ſerum, vel lympha ſanguinis extra vaſa decidua in cavitates aliquas exudando colligitur, vel ſanguinis curſu pigre fluente pars ejus aquoſa præter modum vaſa diſtendens tandem eadem emollit, ut partium vigore non reſtituto, & fibrarum elatere ſufflamminato extra venas, vel lymphatica erumpat, hydrops ſuccedit, quem vidit D. Andreas Ernius miſc. c. dec. 2. annot. 4. obſer. 36. a ſalivatione artificiali de medio ſublatum. Verum ne ſalivatio a ſcopo aberret, ad quem collimat, in hydrope thoracis a pulmonum labe congenito fugiendam conſulo. Pulmone hydatide, vel vomica aquoſa turpiter affecto, inter ejuſdem ſinus lympha accumulatur, vel rupta vomica in thorace recipitur, quæ quouſque in fiſtuloſis pulmonum veſiculis hæret, cognoſcitur a tuſſi ſicca, diſpnœa, dolore gravativo, quibus additur hoc unicum tanquam pathognomonicum a Riverio relatum, quo ſolo hydrops pectoris a cæteris difficultatis reſpirandi ſpeciebus diſtinguitur, quando nimirum ſpirandi difficultas primo quoque ſomni tempore invadit, ac per noctem magis urget, quæ adventante ſenſim die lenteſcit. A practicorum vulgo hic morbus confunditur, licet graphice ab Hip. delineatus ſit 2. de morb. *Febris, & tuſſis tenet, acervatim reſpirat, & pedes tument, contrahuntur, & patiuntur talia, qualia is, qui ſuppuratus eſt, ſed debilius, ac diuturnius; & ſi quid infundas, aut fotum aut ſuffitum adhibeas, pus non ſequitur, atque ex hoc ſane cognoveris, non pus, ſed aquam intus eſſe*; & paulo poſt ſubdit: *Et ſi multo tempore aure ad latera adhibita audire tentavit, ebullit intus, veluti acetum*; laceratis inde ſinubus, & verſiculis lympha fœtore olens diaphragma inundat, quæ in thoracis cavo collecta diſtinguitur a novo dolore, & pondere diaphragmatis fornicem premente, hinc a decubitu in latera cum ſtrepitu lymphæ motus advertes; huic ſupervenit hectica febricula, fames ſublata, rubor genarum, anheloſa, difficilis, & erecta reſpiratio, tuſſis perpetua ſicca cum metu ſuffocationis jacenti, quibus addit Gal. 5. de loc. affectis cap. 9. fluctuationum: *Nam ubi quis*, inquit, *aſſatim a decubitu tranſmittatur, idque maxime ſi ab uno latere in aliud ſe convertens defluere aliquid ſentiat, puris multitudinem ibi contineri, haud dubia conjectura eſt.*

A vaſorum lymphaticorum laceratione ſubortus hydrops, prout omne auxiliorum genus ſpernit, ſic a ſalivatione mercuriali exaſperatur. Juvenculam viginti quatuor annorum diſſecuit Theophilus Bonetti, quæ per ſexdecim annos aſcite detenta, indeque tandem mortua, in ipſa nullius viſceris vitium invenire potuit; crudeliter hæc enim in pueritia tractata, ictibus pedum ſæpiſſime cæſa, ob lymphaticorum diſruptionem occubuit, quæ per tot annos vitam produxerat miſella, ob viſcerum labem non ſubſecutam. Affectus hic pro ut curatu, ſic etiam cognitu difficillimus eſt; nam licet exterior ventris ſubdurus tumor una plurimorum judicio evidentiſſime percipiatur, attamen quæ ſit cauſa tumorem producens, & quomodo in ventre progignatur, aut aliunde illic adveniat plane neſcitur; idcirco hujus morbi naturam, & cauſam latere arbitror, quia cum prima ejus initia non advertantur, ſubito in immenſum excreſcens, ſtatu ejus peracto aliam ſibi conſciſcit naturam, & ſuam amittere videtur. Quapropter opinor, ubi ſanguifera vaſa, nempe illorum oſcula nimis laxa non exiſtunt, aut vaſa lactea, aut lymphatica non ſunt diſciſſa, innatum cordis vitium, & ſolidorum mala conformatio hydropem foventium in ſuſpicionem non cadit; excreſcentiam enim ramoſam in utroque ventriculo cordis infixam, & per vaſa in pulmonem delatam in ſectione hydropici reperit *Gaſpar Bauhini apud Ger. Horſtium* tom. 1. *Loverus* hiſtoriam de Pericardio in tract. de corde c. 2. fortiter cordi adhærente recenſet: poſt cordis palpitationem aſcitem irrepſiſſe obſervavit *Bonetti* lib. 2. de palpit. cordis, *cujus cadaveris cor relaxatis involucris circa ſeptum tranſverſum deſcendens os gerebat*; ſalivationem inquam, ſepoſita recenſita organica vaſorum, & viſcerum labe, eſſe in hydrope fortaſſis unicum auxilium, quod valet cæteras hydropis cauſas diſpeſcere, antequam æger tenuiori medentium genio indulgens in lethalem hydropem incidat, in quo ſauciatis lacteis ductibus minima ſpes ſalutis affulget.

Nemini latere puto, omne hydropis genus produci primo ab omni cauſa, quæ valet ſeroſam ſanguinis partem ita coercere, ut redire nequeat in venas, aucta deinde vaſa diſtendit, & tumida reddit, in diſtenſis proinde vaſculis elaſtico robore orbatis ſenſim reſtagnans, eadem ita obſtruere poteſt, ut in hiſce partibus liquor concreſcat, cujus humoris concretio comprimens, aut obſtruens, ora vaſorum obliterando, vel arctando icterum, vel cachexiam parit, donec tandem læſio viſcerum inde procedat, tumque hydrops priores effectus ſequatur. Omnes itaque ægros pertinacibus viſcerum obſtructionibus hydropem minantibus affectos mercurio curarem. Dom. Panarolus pentec. 4. obſer. 24. helluonem hydropicum ſecavit, cujus hepar in tantam molem excreverat, ut univerſam fere diaphragmatis cavitatem repleret, totus durus, & magnitudine monſtruoſus. Pet. Panujus obſer. 13. virum, qui hydrope objerat, ſecuit; huic lien adeo intumuerat, ac induratus erat, ut tres libras lance libratus penderet; jecur inde optime conſtitutum, & naturali temperie præditum invenit. A renum calculo ureterem obſtruente hydropem notavit Hollericus ad c. 39. lib. 1. de morb. Ab iiſdem pinguedine undique obſitis obſervavit Albertus Kiperi. Meſenterium fere innumerabilibus ſtrumis per totum ventrem ſe offerentibus reperit Franciſcus Caille Genuenſis, ut fere ab illis obliteratum eſſet, hinc in hydropis cadavere, qua obiit, cauſam inquiſivit. A glandulis meſenterii obſtructis hydropem refert Chriſtianus Rudnicius in miſcell. curioſ. anno 1673. obſerv. 159. Olaus Borrichius in actis Medici Barthol. cadaver diſſecuit, quod ex hydrope obierat, habens glandulis omentum ſcirrhoſis refertum. Hujus cenſus infinita extant exempla, quæ hydropem a viſcerum obſtructionibus oriri non ægre pandunt.

Ea enim eſt univerſi corporis, & vaſorum omnium harmonica conſtructio, ut humores per intervacuos loculos, & ſpongioſas inanitates circumfluentes per eorundem ductus æque, atque per poros undequaque elabantur: ex hoc inoffenſam mixtionem ſervantes per pervios fibrarum canaliculos trajecti omnes machinulas inſtaurant, & partium æquilibrium conſervant, tandemque quicquid ſupervacaneum eſt per innumera cribra ſeparatur; verum ſi obſtruantur ductus, illic comprimantur, alibi ſordibus alluantur, fibræ, villi contractiles, glandulæ, & diductilia vaſculorum filamenta debitam liquidorum quantitatem nec abſorbent, nec æquali niſu in fluida utuntur, nec contra ſecernibilia ſeparant; hinc ab obſtaculo obſtruente, vel circumpremente præpeditis facultatibus contractilibus, non ſolum retardatur influxus liquidi, ne per totam longitudinem, & canalium amplitudinem diffundatur: ſed cum non poſſit extrudi a contractu vaſorum quicquid eſt inutile, & ſtagnat, magis mobile per poros fibrarum exſudat, aut per glandularum vaſcula erumpit in membranarum lacunas, & paulatim viſcerum ſinus, atque cavitates laxat, & alluit. Cauſæ hujus collectionis aquarum eſt ſtagnantium fluidorum in glandulis inertia, vaſcula occludens, & membranas diſtrahens, quæ præpediens virium ac facultatum exercitationes, privat fibras contractionum, & diffractionum vi, ac proinde preſſionum ac circumpreſſionum momento, adeoque ſtagnantes liquidorum particulæ a machinulis villorum atque fibrarum valde diſtractis, ob violentam diſtractionem, atque tunicarum extenſionem ad priſtinam cohæſionem, & naturalem ſtatum non reſtitutis, in circulum impelli non poſſunt; ita affluentes, & undequaque impellentes fluidorum moleculæ, vires, & fibrarum reſiſtentias extenuant, ut impetum appellentis liquidi, & pondus ſtillantium guttularum ſuſtinere non valeant, ne poros fibrarum præterfluant, ac in cavitates aliquas decidant. Igitur ſalivatione artificiali moliri poterunt ſeparationes opportunæ, antequam ob villos contractiles nimio conatu dilaceratos in interjecta ſpatiola, inter oſcilla infracta vaſculorum, latentia inter filamenta, ſpongiolas, atque fibrarum moleculas extra ſuum locum ſitas derivent humores, qui ab hiantibus vaſculorum oſcillis, & fibrarum poris in proximiores lacunas indefinenter erumpunt.

ARTICULUS VI.

De Phænomenis ſalivationem concomitantibus, & conſequentibus.

MErcurius per plures dies exhibitus, parvaque quantitate aſſumptus, quaquaverſum pergit, atque tam ſuæ gravitatis, quam impetus ratione, craſſos liquidorum pigre circulantium lentores incidit, ſolvit, ac fluidos reddit; quin paulatim, inde confertim, & magna copia per arterias ad glandulas ſalivales deducit, donec ſalivatio ſuccedat. Humores in glandularum cavitate exiſtentes, & in arteriolarum capillamentis ſumme diſtenſis a ſucceſſivo & indefinenti liquidorum appulſu moram trahentes, pituitoſi, & glutinoſi, acreſque ſoluti, exitum ſibi parant per ſalivæ vias, quæ vitioſis humoribus enormiter inflantur, ac propterea incipiunt intumeſcere gingivæ, atque angi, dolere tonſillæ, inflammari maxillares, ardere fauces, dum magna copia ſe ferente ad ſalivales glandulas pituita, non tantum glandulæ ſuperiores, ſed & inferiores inde replentur, ac intumeſcunt, verum tota oris, & faucium tunica glanduloſa eodem glutinoſo ſero tunc impletur, ac diſtenta levem, & nonnunquam periculoſam producit (ſi nimirum feſtinetur ſalivatio) in faucibus anguſtiam, quæ ſaliva viſcoſa ſubſiſtente in canalibus ſuis, ac proinde eoſdem extrorſum extendendo in tumorem attolluntur, a quo glandulæ vehementer diſtractæ dolore, atque ardore plectuntur, & cum fibrarum diſtractio fieri non poſſit abſque eo quod membranæ canalium, & quarumlibet aliarum partium in parte, quæ diſtenditur a proprio termino recedant, neque a ſua poſitione diſtrahi, quin ab invicem dividantur, poterit aliquando ſuccedere laceratio aliquot canaliculorum, & multo facilius, ſi acria, ac effera ſoluti lentoris ſalia fibrillis infigantur, & ipſa ſint tanti momenti, ac impetus, ut vaſculorum conniſum, & reſiſtentes glandularum villos ſuperare poſſint, ex qua canaliculorum laceratione contentus liquor jugiter effluet cruentus, ſincerus, mixtus, qui abſque illa laceratione poterit pedetentim in os derivari, ſi per ſtimulum contractiones, & fibrarum diſtractiones ſint tanti impetus, ut quæcunque continentur intra partem, quæ contrahitur, atque diſtrahitur, exprimere poſſint extra glandulas, & eo facilius, quo illæ fuerint vividiores, & cum ſenſu doloris conjunctæ.

Tumefactis gingivis, quæ ulterius firmant, & ſtabiliunt dentes in ſuis alveolis profundis, maxillis inſculptis impares fiunt (dum a ligamentis ſuccingentis membranæ diſtenſis trahuntur, pelluntur que) reſiſtentia diſtractarum fibrarum viribus, eaque ratione vacillantes, ac proinde minus firmi extra ordinem quaſi per novos alveolos prodeunt, ut excidere videantur, ſemperque quaſi tremore quatiantur; quo caſu ut plurimum extrorſum, introrſum, ac ſi nova foret dentium ſeries protruſi a mercurio, veluti ab haſta Achillis, quæ vulnerat, & ſanat, pedetentim firmantur, & ſuis foſſulis detumeſcentibus gingivis denuo recommittuntur.

Mire commoti, & ad fauces in primis propulſi humores glutinoſi, aliique eis admixti per univerſam ſanguinis maſſam, immo corpus univerſum diverſis in glandulis oris aggeruntur, & ſpumæ ad inſtar male olentis continuo ab ipſis extillant, adeoque fœtor anhelitus qui ſtagnantis lentoris eruptionem in procinctu eſſe manifeſtat, & ſalivationis ſtadium plerunque comitatur. Subſiſtente glutinoſa ſaliva intra arteriolas, & glandulas, eaſque proinde diſtrahente, particulæ ſuccorum quorundam acutiſſimæ cum ipſa conjunctæ, dum tranſitum nullo obice impeditum non reperiunt, in vicinas illas fibras vehementius agunt, & impetuoſius pelluntur, eaſque diſcindendo, non tantum dolores graves, & moleſtias immanes producunt, quin confertim, effluente humore acri, oris ulcera, & linguæ relinquunt.

Salivatio itaque cum fiat per humoris pituitoſi ubique, ac in primis in ſanguinis maſſa diſſolutionem, hinc ad ſalivæ glandulas deductionem, quoties paulatim, ac ſucceſſive a mercurio ſimilis materiæ pituitoſæ ſecretio contingit in glandulis pancreatis, & ventriculi, toties humoris pancreatici, & ſtomachici, & quidem viſcidioris, & acrioris ita contingit copioſior ſeparatio, ut ad tenue inteſtinum, ac ventriculum copioſius diductis humoribus, irritetur potentius eorundem utraque pars. Ab illa enim moleſta vellicatione exprimitur copia liquidi ſumme mobilis per nervos major in ventriculi muſculum, aut in fibras inteſtinorum, unde illius motus periſtaltici violenta inverſio, atque inde cum ſubita, ac valida ventriculi conſtrictione, ſi quæ ſint contentorum, per os ejiciuntur, atque proinde a confluentibus in inteſtina humoribus, ibique agitatis ad illorum expulſionem eadem convelluntur, & alvi fluxus ſatis gravis, & nonnunquam periculoſus conſequi ſolet.

Quoniam vero inflata lingua, in tumorem elevatis faucibus, canales cibi & potus ita comprimuntur, ut naturaliter non pateant, & libere moveri non poſſint, non ſolum prohibetur pharyngis motus, ſed fibræ muſculorum buccinatorum, zygomaticorum, elevatorum, depreſſorum labiorum cum cæteris muſculis cibum in œſophagum pro-

protrudentibus, humorum copia adeo contrahuntur, & vasorum tiliæ infarciuntur, ut materia quælibet deglutienda ad palatum perducta per impetum a linguæ motu vitiato conceptum, & musculorum vires in cavitatem œsophagi exprimatur difficilius. Prout igitur glandularum, & musculorum tumor canalem comprimet, ex æquo vitiabitur deglutitio, & eo magis si pharyngis musculi plus justo lædentur; Hinc aliquando in artificiali hac per mercurium excitata salivatione, prout comitantur oris ulcera satis ampla, genas in primis & linguam depascentia, dum effluit saliva acris ac exedens, ubi eadem sero ad curationem tendunt, cicatrices molestissimas relinquunt, quæ quoniam motrices fibras ad majores contactus eas crispando redigunt, inde partes nimis arcte colligunt, ex quibus denuo non explicatis fibrillis, non raro linguæ motus manet impeditus, ex parte prohibetur deglutitio, genarum motus vitiatur, & propter fibrarum inflexilitatem constituitur pars veluti rigida, ut mihi semel in praxi videre contigit, quæ ob influxum sanguinis, & liquidi per nervos impediti, a nulla vi, a nullo volente in motum agetur; unde illa pars paralytica fiet, & quamvis linguæ, labiorum, genarumque motus, gargarismis, (si in tempore præveniantur hæc mala,) qui humores acres temperant, ulcera mundant, atque blande exsiccant, restitui possit; cavendum tamen, ne confertim; & diutius promoveatur salivatio, dum non tantum glandulæ successive replentur, atque inde intumescunt; verum tunica glanduloſa post peractam salivationem jugiter pituita impletur, & relaxatis fibris distenta molestum & nonnunquam periculosum phtyalismum continuo fovet.

Post longum salivationis cursum tum sanguis arescit, tum copiosa excretione succi nutritii per glandulas salivales facta partes musculæ debita nutritione privatæ in naturalem quasi atrophiam incidunt, quæ tamen non succedente excandescentia sanguinis, & spirituum, adeoque calore hectico fixo non irrepente, & colliquante in partibus solidis, ulterius magis non marcescentes a novi oleosi chyli pabulo in sanguinem continuo delato, in dies reparantur, atque inde tota nova massa sanguinis succo jugiter saturata, magis apta alitioni partium redditur, & consequenter massæ sanguineæ emendatione atrophia totius corporis sensim evanescit, adeo ut inde novo euchymo, & oleoso succo in pristinam oleosam, & nutritioni aptam naturam sanguinis crasi restituta, melius in dies se habeat æger, quo vires carnesque continuo resarciuntur, usque dum sanitate firma, & athletico corporis statu fruatur.

ARTICULUS VII.

De Methodo Salivatoria.

NUnc præstat Gallica sorde marcescentes, ut cum Celso *sternatur via Medicamento*, mercurialium suffragia, non ornatum cum ipso Celso edocere, ut sciant ubi syrtes, & scopuli lateant, & quomodo sint vela trahenda, quibusve plagis advertenda prora, ne mentis lenocinio, ac blanditiæ laboris decepti, præcoci nimium experimentali impatientia amplectendæ salivationis desudantes, artis constantiæ, & saluti officiant, & incremento. Utile quippe, ac pulchrum est experimentali, ac empiricæ rationali rei medicæ veritati initi, ut celtici morbi curationem a rudi experientia vindicem, & in rationalem methodum discentibus æque ac docentibus pronam convertam; experimentorum laboribus mixtorum rationali analysi operam navans, intimamque ab ipsis naturam extorquens, in hac re plura phænomena obscuritate naturæ involuta, pluresque agentium facultates aperta luce mihi paravi, quibus ad ea, quæ in corpore humano salivando operantur, accommodatis, iisque tanquam causis in agendo ad praxim demonstrativam adhibitis, non exiguæ vires arti salivatoriæ accessere, quæ mentem artificis in experimentali inventione excitando, eam in observatorum examine, ac judicio exacuit, ut in percipiendis viribus, ac corporum legibus expendendis securior facta, minus erroneam, ac commentitiam methodum constituat. Itaque per ipsam ad quoddam veri specimen perducti, si nescimus adhuc, quid sint venereorum morborum radices, addiscimus saltem (pluribus inaccessum) quibus curantur; quo fit, ut disruptis Theoriæ medicæ repagulis, ac veluti mei juris factus, per immensum salivationis æquor discurram. Explanatis igitur difficultatibus, & excisis ab arte alienis phyliatorum aberrationibus, erigitur animus, & me ad jatrica prælia revoco, ut certi sciendi docendique in arte salivatoria omnium vastissima limites statuantur.

Cum vero, ut propius ad rem accedam, venerea lues eousque invaluerit, ut durior hujusce morbi feritas extirpari non possit, nisi per salivationem mercurio excitatam, mihi onus incumbit, quæ in ea promovenda, tum etiam regenda observatio mihi dictavit, edisserere; cum enim eo res redigitur, ut non adscitis temere suppetiis salivatio promovenda sit, nulla ratione quidem assequi possum, qui fiat, ut ad frangendos luis conatus, æger adhuc viribus vegetus, sanguinis missione rectius subjiciatur mercurio, cum testante experientia nulla sanguinis evacuatione debilitati, proindeque pares mercurii conatibus, salivationis impetum nullo labore sustineant.

Cum sanguis non solum impellatur a corde, & nisu succedenti sanguinis, quem exercent particulæ quæque ad contactum positæ intra vasa a tergo urgentes, sed etiam ab arteriarum tunicis impingente sanguine distractis & sese post dilatationem restituentibus, fit, ut villi membranas arteriarum texentes nimio sanguine distenti, indeque prohibiti, ne possint se plane contrahendo in sanguinem niti, sanguis fluat minori velocitate, quam quæ requiritur ad mutuam partium cohæsionem divellendam, & eo minus in divulsionem nitetur, quo in arteriæ distensione minor vis attritionis dabitur; adeoque quoniam per sanguinis missionem fit, ut ipsius particulæ in mutuum contactum minus nitentes a frequentiori, & celeriori arteriarum oscillatione majori nisu agitentur, sequitur, ut quicquid sanguinis relinquitur in vasis, validius in motum agatur, & si nisus major fuerit resistentia a partibus cohibentibus, & coactis proveniente, intime dimovebitur liquidorum cohæsio a motu prohibens partes magis mobiles, & reliquis impellendis aptas; quoties igitur in celtico morbo dabitur sanguis nimis coactus, & arteriarum tunicas ita distendens, ut partes sanguinis succedentes, dum in antecedentes impingunt per illam pressionem non possint se invicem allidentes divelli (quæ major allisio faceret, ut una particula fortius attrita majori vi divideretur ab alia) ille igitur coalitionis nisus per sanguinis missionem minuendus erit, & arteriarum distractio removenda, ut partes divulsæ extricentur, & a solidorum inertia cohibitæ in majorem motum nitantur.

Si vero hic, cui mittitur sanguis, sit imbecillioris, & minime constantis roboris, ut videre sæpe contingit in venerea lue confectis, e sanguinis detractione concidat oportet virium robur; e sanguinis enim quantitate minore in arteriis contenti minus extenduntur meningum fibrillæ, a quibus minori momento impelluntur per nerveos spiritus; unde minor quantitas spirituum in villos cordis derivata cum ejusdem contractionem remittat, cor in sanguinem nitens, suique motus impertiens iners pressionis momentum, debiliorem nisum fluenti sanguini imprimet. Hinc successive ob rariorem, & solidorum debiliorem motum augentur liquidorum resistentiæ, unde sanguis recedens minori velocitate per vasa, quam ante missionem, minori momento alliditur; & cum facultates fluidorum attritionem molientes sint maxime infirmæ, earum momento non majori momento cohæsionis sanguinis non poterunt particulas inter se coherentes dimovere; idcirco lentor in sanguine augebitur, qui major non fieret, si sanguis emissus, enervata cordis contractione, resistentias fluidis non adderet. Quoties igitur certus esse poteris, majorem quantitatem sanguinis, quod perraro videre est, quam quæ fluere potest per canalia sine vehementi diductilium laterum distensione cum particularum pressione in gyrum languidius rotari, ne dubites, ut motus, & resistentiarum æquus existimator sanguinis missione ægro opportune occurrens, nocere possit; alia missio damnoso hujusmodi præjudicio, in omni salivatione feliciter excitanda præmittendum est cathatticum aliquod, quod humores in ventriculo, ac intestinis collectos per alvum educat, ne imprudenter prius adhibitis medicamentis salivationem excitantibus, vomitus, aut ventris tormina exurgant: inde phtisana humectante, & laxativa ægri lue tabescentes præmuniantur, quæ conficitur sarsaparilla, radice bardanæ, graminis, semine ordei, passulis exacinatis, liquiritia, & aqua fontis, quæque pro modulo potus uberi copia, si fas sit, per duodecim dies exhibeatur.

Quoniam celticus lentor a fluidis concrescentibus inspissatus, sanguinem privat ea portione, quæ corporis partes humectando ad motum disponit, lente rapitur per vasa, nec potest intime ab ullo solvente recludi, donec humido omnium fluidorum vehiculo occurrens, laxato nexu cohæsionis, promptius non compleat circuitus; hinc aqueæ moleculæ intra poros viscidi sanguinis conclusæ ejusdem contactum dimovent, resistentias lentoris imminuunt, quibus pariter laxatur rigida solidorum tensio, & elasticitas, ut possit ab impulsu gravi mercurii distensa alternatim restitui: rigidorum vasculorum tonus valide contranitens mercurii momento, ejusdem impetum eludit, at corpus illud, dum diuturne in tunicas arteriarum impingit, sui motum villis impertiens, successive tandem totum in ipsos transfert; impresso autem fibris impetus accelerati momento, solvitur virium contranitentium æquilibrium; unde cum arteriæ nec majori impulsu distrahantur, nec impellentis corporis substineat nisum, a se invicem dissiliunt. Idcirco prius præparato ægro lassativis diluentibus, mercurio dulci in pillulas efformato cum gum. tragan. vel cum conserva viol. paulatim, ac successive salivationem promoveo, adeoque caute procedens lente moveo. Post quartam, vel quintam diem gingivæ intumescunt, & phtyalismus suboritur; cum æger expuere incipit, gradus salivationis summa diligentia expendo, an erumpenti salivæ frænum, vel calcar sit injiciendum: ubi autem phtyalismus eousque evectus fuerit, ut nycthemeri spatio quatuor libras expuat æger, nullum amplius stimulum addo, ut non intendatur salivatio; & cum hoc modo illa satis procedat, caveo ab omni mercurii usurpatione ulteriori, ne a nimia quantitate delatis ad salivæ glandulas humoribus glutinosis, æger in vitæ discrimen conjiciatur. Hoc modo protracta salivatio, si forte prius elangueat, antequam morbus penitus evanescat, novo subinde stimuletur mercurio, quousque mephiti mercuriali, salivæ lentore, & sputi salsitate glutinosa omnimode cessante, æger in totum convaluerit.

Quandoquidem accidit, præsertim in corporibus fæcibus impuris refertis, ut simul ac mercurio sanguis afficitur, tormina ventris, & dejectiones mucosæ quasi dysentericæ eveniant, quibus non solum curatio morbi retardatur, perturbaturque, verum impeditur, ne salivatio succedat; itaque in urgentibus hisce malis cohibenda est diarrhœa, & sedandus dolor opiatis, & paregoricis pharmacis, quousque hæc symptomata penitus evanescant, atque salivatio satis procedat. Cæterum bene procedente salivæ purgatione, quoniam in diuturno salivationis stadio non tantum sanguinis fibrosi, & serosi colliquatio, verum etiam saburra veteris effœti, & novi chyli oleosi copia per salivæ ductus libere indesinenter excernitur, fit ut ob continuam sanguinis depauperationem partes corporis solidæ debita nutritione privatæ prorsus marcescant; idcirco ad præcavendam hanc vasorum inanitionem, & carnis marcorem, massa sanguinis novo jugiter aquarum succo tempore salivationis saturetur, quo rasura c. c. passulis, anisо, & aqua fontis confecto solidorum colliquatio, & consequenter atrophia totius corporis reparatur. Si in sustinendo urgenti gingivarum, & linguæ dolore impar sit æger, colluatur gargarismate ex rad. alth. liquir. fol. mal. sem. hord. decoctis in aqua fontis, addendo syrup. de hybisc. Si vero cum gingivarum dolore in dies cum suffocationis periculo augeatur phtyalismus, opiatis, & anodynis liquoribus compescatur, vel alio divertatur catharticis; cæterum ægri regimen id tantum exposcit, ut a vi frigoris se defendat, & cibis euchymis moderate vescatur.

A venerea lue liberati hujusmodi ægri, si œconomiam illorum corporum everſam, & vires prostratas resarciendi minus idonei sint, sed sanguine eorum acescente incalescant, ne in lethalem tabem incidant, siccoque marasmo afficiantur, ad jusculla avenacea, gelatinas, & lactea, spiritus defatigatos, & vires deperditas restaurandas apta delegantur. Interim ægro convalescente post salivationem peractam, nec catharrica, nec sudorifica alia in usum revocanda veniunt. Attamen nescio qua ratione quidam freti quicquid malignitatis a mercurio, ut vulgus ait, in corpore relinquitur, aut mercurii reliquias per catharsim, aut diaphoresim expellere conantur. Hujusmodi autem hallucinationes in practicis illorum præjudiciis fundatæ, ita in eorum animis infiguntur, ut pro Junone umbram captantes, delirantium insomnia pro fundatis principiis concipiant. Serio vero cum Sidenham animadvertendum est, in quibusdam reperiri idiosyncrasiam, quæ ita salivali purgationi resistit, ut nullo modo excitari possit salivatio, quæ ad eradicandam mali radicem par sit; igitur ab isto evacuationis genere recalcitrante natura, ne loco perfectæ salivationis dolores

lores ventriculi ſudores frigidi, dejectio dyſenterica cum ventris tormiuibus inſurgant, cave, ne obſtinate ſalivationem importunius urgeas.

Cum igitur allata methodus, nec dies præparando corpus ante ſalivationem inutiliter conſumat, nec decoctis poſt ſalivationem ægros extorqueat, quiſque experimento diſcat in praxi verſatus, eandem longe faciliorem eſſe, magiſque tutam. Nec vos deterreat deglutitionis difficultas, oris labor, & dirigendæ ſalivationis requiſita ſolertia: Quid autem pulchrum in accurato naturæ, & artis experimentali labore pluribus inacceſſo, quod non idem arduum! Ad hanc itaque ſalivationis methodum per repetita experimentorum tentamina, perque nunquam intermiſſas hiſtoriarum notationes conſecutam, nuperiſque hiſtoriis excultam animos erigite, quæ eventuum certitudine, & virium conſtantia, in laborum tædio rationalem diſciplinam conſtituit.

HISTORIA I.

GAllus homo originaria veneris labe fœdatus, ſenſimque febrili algore emarceſcens, univerſali quaſi macie conficitur; pedetentim in dies increſcens, tophus in ſeptima prope os pectoris, ubi os definens cartilaginem recipit, coſta protuberat. Venetiis veris tempore cum decocto exſiccanti, & ſudorifico hypocauſto committitur; ut poſt octavam circiter diem copioſis ſudoribus ſubtilioris ſeri depauperatus ſanguis, magis perenni febrili ſtadio incaleſcit, atque tophus febrili incendio magis urens doloribus ardet. Hinc calore ſanguinis inflammatæ tophi particulæ, motuque ejuſdem urgentiori commotæ, ita ad ſe invicem allidebantur, ut concretionis nexum diſtringerent; ſic in ſuppurationem abeunte tumore ulcus ſatis ingens, graveque olens cum oſſis eroſione circumſitas fibrillas depaſcebatur. Verum benignioris auræ lumine afflatus ab hypocauſto receſſit, & ſucceſſive ſolventi blando liquore, ſed aqueo continuo rigatus, inde ſalivationis curſum feliciter exegit: Interim ſolo ſpiritu vini camphorato pro ulcere adhibito abſque ulla ſymptomatum ſævitie, & doloris recrudeſcentia perdomata febre, repurgato, & conſolidato ulcere, ultra expectationis ſpem triginta diebus evaſit.

HISTORIA II.

JUvenis bilioſo-melancholici temperamenti, gracilis habitus, anguſti pectoris celtica labe autumno, & hyeme graſſante affectus emarceſcit, & magis febre lenta, quandoque etiam quotidiano typo algens, atque incaleſcens, nocturnis doloribus ad artus fere omnes torquetur cum ſicca impetigine faciem, ac fere univerſam cutem fœdante. Æger ab enormi fluidorum vitio, & ſubſecuta ſolidorum labe vexatus, veris tempore ſalivationi committitur, quam poſt largum viſcidiſſimi phlegmatis effluxum circa ſummos labores trigeſimum circa diem remittentem, excepit (præceſſo dolore pectoris cum tuſſi) purulentum ſputum, phthyſis lethalis epiphænomeno a pulmonari infertu, aut tuberculo ante ſalivationem in pulmonibus latente, ſalivationis tempore ſuppurato, aut diſrupto; interea ad diluentia, balſamica, & lactea irrita medicamina delegatus, a nova tuberculorum inflammatione, & pulmonum exulceratione una cum colliquativa diarrhæa e vivis funeſte ſublatus eſt.

Hoc eventu videtur mercurialia ſalivatoria proficiſcenti tabi pulmonari calcar addere, & quæ extergendis, exſiccandiſque internis aliis, externiſque partium ulceribus præſtantiſſima paſſim experimur, in infartis pulmonibus crimine non carent. Clariſſimus Morton in phthyſi ſymptomatica a celtica lue haud veretur mercurialium uſum. *Ideoque*, inquit, *nil melius excogitari poteſt, quam ulcerum pulmonarium ſanationem, & craſi ſanguinis a fermento venereo everſæ reſtitutionem mercuriali aliqua ſalivatione tentare*. Hac fortaſſe adhibita in tertio ejuſdem ſtadio poſt tuberculorum ſupputationem ad extergendum, & exſiccandam conſequens ulcus, non vero in eorundem cruditate, aut in pulmonibus prius obſtructis, & in phthyſim diſpoſitis; cum in hoc caſu videantur mercurialia ſponte irrepentem phthyſim promovere, adeoque ad inhibendam tuberculorum latentium inflammationem, & ſuppurationem inepta, licet fortaſſe ad eorundem exulcerationem abſtergendam, exſiccandumque conſequens ulcus apta.

HISTORIA III.

JUvenis quidam circa annum ætatis ſuæ vigeſimum octavum, laſcivus, & nequam poſt concubitum venereo veneno per contagium adeo inquinatus fuit, ut non obſtante plurium medicaminum anticelticorum ope a Medico inſtituta, aliiſque curationis methodis incaſſo molimine accerſitis; poſt uvulæ eroſionem, atque alia luis venereæ ſtigmata foris, & intus excreſcentia, in ſummam incideret deglutitionis difficultatem a tonſillis intumeſcentibus, atque inflammatis cum febre, & totius corporis emaciatione incipiente. Ob glandularum ſolliculos a contento fluido ſumme turgeſcentes maximam indebat formidinem mercurialium uſus, utpote ab intus commota materie fluidorum, & ad glandulas jugiter affluente tonſillarum inflationem promoventium; Verum ſalivatione promota, dum cæteræ ſalivæ glandulæ a confluente liquido diſtentæ intumeſcunt, ſimulque exulcerantur, ab ipſis tonſillis depluentibus ſanioris fluxus filamentis, ſenſim humorum infartus in ipſis gliſcens detumeſcebat, quouſque perenni fluxu viſcidi, atque eroſivi phlegmatis erumpente perfecte patiens, & ſine ulla recidivatione a tonſillarum tumore, ulceribus æque, ac reliquis luis cruciatibus penitus vindicaretur.

HISTORIA IV.

MUlier ante geſtationis tempus lue venerea affecta, dolore, febre, tophiſque in diem increſcentibus circumſepta, feliciter mercurialem, cum diræ luis feritatis remiſſione ſalivationem tranſegit: at poſt ſtadium ſalivationis tranſactum fœcundationem paſſa, uteroque gerens, in quarto menſe celtico veneno denuo inquinata, aut recrudeſcente (ut ſæpe recidivam patiuntur hi, qui vario lenocinii apparatu phthyaliſmum demulcent, aut ſalivationis tempus non explent) lenta febre & macie denuo conficitur, in oſſe frontis novus extuberat, aperiturque tophus, ac recens ulcus ſupra uvulam palatum exedit; a quo exorta diglutitionis ingenti difficultate, tum ſolida, tum fluida materia per nares regurgitante, ſummus virium lapſus augeſcit. In hoc gravi morbi ſtatu alteri ſalivationi ſubjicitur ſialogogis pillulis, hiſque repetitis, aut intermiſſis juxta tardum, aut celerem phtyaliſmi impetum, nulloque interim uterino ſymptomate obvio, quod abortum prænunciaret, copioſo ſane effluxu mucoſi, ac uliginoſi phlegmatis ſalivatione peracta integre convaleſcens, filiam completo geſtationis tempore ſalubrem, abſque ſui ipſius recidivæ metu, obſtetricante mercurio peperit. Igitur quam ſit maleſanum commentum, & inaniş timor eorum, qui in prægnantibus mercurialium uſum abhorrent, aperte evincitur, & clare elucet.

HISTORIA V.

VIr quadrageſimum annum natus admodum robuſtus, laxatis victus habenis, & cum ſcortis avidiſſime luxurians, nulla virulenta infectus gonorrhœa, celtico rheumatiſmo graviſſime afficitur, maxime noctu prædictis cruciatibus in capite, mediiſque tibiis, brachii dexteri contractione, alibique corporis citra unum tumorem ſævientibus afflictus, ut nec cubili ſe continere potens, nec lecto affixus miſerrime traheret ſpiritum; in dies increſcenti dolori acceſſit febris, poſtquam perenni circuitu increbeſcentem gummoſus tumor diu deliteſcens in ſincipite dextero verſus oculum protuberans ſe manifeſtavit. Remedia minora fere innumera ſine ulla ſymptomatum allevatione adhibebantur: mercurialium uſu catharticorum primo melius habere viſus; exinde tandem deterior factus, eo tempore præ immani cruciatu ferro tumorem diſcindi paſſus eſt, ſed fruſtraneo conatu. Quapropter cum methodus quæpiam nihil opis contuliſſet, ſed recrudeſcente lue, ſalivationem, remedium cæteris quibuſque validius ultimum, experiri conſulitur. Statim corpore per catharſin, & ptiſanam humectantem rite præparato, ſalivationis ſtadium ſublimato dulci inchoavit, qui ad finem morbi anhelans per quinque dies 37. grana mercurii in dulcem confecti devoravit; a pharmaco quinta vice repetito ſputatio copioſa, & laudabilis incœpit, quæ ſine malo quovis ſymptomate per menſem proceſſit, & decreſcente ſalivationis viſciditate, ac pondere ad reſiduum ſpumeſcentis glutinis compeſcendum novo uſu mercurii per paucos dies ad 3. 5. interjecto curam confecit. Ante curſum hunc phtyaliſmi finitum, dolores omnes cum febre evanuere, indeque a gummate ulceroſo exſiccato, licet longo morbi decurſu defatigatus æger, intra quadraginta dierum ſpatium integre convaluit.

HISTORIA VI.

JUvenis eques vix celtico ſeminio tactus, jam primum lue inquinatur, & virulenta gonorrhæa torquetur, a qua, neſcio quo, & fortaſſis maleſana medela vindicatus, doloribus vagis incaleſcens accenſa febricula inhorruit, a qua ſtatim ingraveſcens morbus brevi ad feritatem perveniens, cum oſſium carie, & gummatibus cranii ad muſculos temporales protuberantibus, irrita tum una, tum alia quacunque methodo, per tres annos tyrannidem ſuam exercuit. Quare remedia diverſimoda cujuſcumque fere generis tentata cum potius exacerbationem intuliſſent, animatur æger ſalivationis curſum ſubire. Itaque ex conſilii votis mercuriali ſalivationi committitur, a qua tumefactis glandulis, & fluidorum impetu dehiſcentibus tubulis, craſſa ſaliva ab oſculis vaſorum apertis indefinenter effluxit; unde nullo amplius ſalivationis ſtimulo incuſſo, nulloque addito impulſu phtyaliſmus per menſem ciebatur. Octava tamen die ſalivalis ſaburra confertim nimis verſus ductus ſalivales irruens compeſcebatur ſyr. papav. & opiatis liquoribus. Hinc mitigatis gingivarum doloribus, & compede injecto uberiori ſalivæ effluxui, lento morboſi liquidi curſu ſtadium ſalivationis peragitur, quod curriculo dierum triginta pertingens a repetito mercurii uſu trigeſimo quinto omnino deſiit. Hac æger cura conſumpſit centum grana mercurii, quibus tophus, febris, dolorque capitis ex toto ceſſavit.

HISTORIA VII.

FŒmina quædam ſanioſo gonorrhææ fluxu miſerrime plexa, inde doloribus nocte recrudeſcentibus vehementer conqueritur. Verum quia parum primo in affecta parte doloris ſenſit, tanquam leve malum contempſit: ſubſequentibus inde diebus evaneſcente ſanioſo icore, tumor quidam in ſincipite interdum indolens fere ſuccrevit, qui nullo negotio a periti Chirurgi induſtria ſublatus, novos in vertice moliebatur tophos, extuberantes ſucceſſu temporis in palato plures puſtulæ in ulcera cachoetica, & putrida terminarunt. Hæc fœmina dum patrati ſceleris ſordes expiare cogitat, tuberculum exiguum in mamma dextera protuberat lente proſerpens, & vix piſi magnitudinem exæquans, quod inæquali pede, & mole concreſcens, venis in ambitu turgidum cum colore livido, & obſcuro, tactui inſuper renitens dura veluti cruſtra obducitur, firmiterque ſubjectæ parti adhærens deterrimis, ac graviſſimis ſymptomatibus excruciat. Mulier de incolumitate ſolicita, licet plurimis morbis labefactata, curæ ſalivatoriæ ſe concredidit, quæ ſputationis curſu per menſis ſpatium repetito, indeque puſtulis, & tophis, fœtidiſque ulceribus ubique evaneſcentibus, tunc ad valetudinem ſe recuperare videbatur; verum gallica totius corporis defœdatione ex iſtius votis intime perdomata, recrudeſcit diu deliteſcens canceroſus tumor punctionibus quibuſdam, ac ſi acu fierent, ſe patefaciens. Porro ex hoc in dies actus tumor tot ærumnis reviviſcit, præque diro dolore ita ingraveſcit, ut de repente ad ultimum ſtadium perduceretur, in quo apertis, & corroſis ſolliculis, & glandularum fibrillis, putris ſanies, mox nigricans continuo emanavit, quibus diu obnoxia mulier tandem in lethalem lapſum incidit.

Hoc lethali morbi experimento per ſalivationem habitò turpi inſcitia puniuntur, qui mercurialibus carcinoma diſcutere, ejuſdem coagulum reſolvere, atque ſalia corroſiva cicurare nituntur. Nucleus enim cancri, qui longos in annos naturæ, & medicamentis ſuavioribus inexcuſſus manet, incidentium, & reſolventium uſu commotus agitatur, inflammaturque: unde incaleſcentibus acrium ſalium coacervatis moleculis, non mirum, ſi in apertam cladem terminetur.

Finis totius Operis.

IN-

INDEX
PRIMÆ PARTIS
MECHANICES MORBORUM.

A

Aeris quantitas contenta in quasi sphærica, & in quasi sphæroidali vesicula inquiritur. pag. 302. & seq.
Aqua ascendit ad pedes. 309
Arteriæ magnæ Diameter. 301
Area arteriæ magnæ. 305
Aneurysma quomodo fieri possit. 301
Arteriæ, & venæ ad instar retis per pulmones excurrunt, 302
Arteriæ magnæ descendentis area. 305
ascendentis area. ibid.
Apoplexia a quanam causa. 308

B

Bronchiorum vesiculæ quasi sphærieam superficiem describunt, 302
aliquando sphæroideam, ib
Bernoullius Jacobus & Joannes laudati. 303

C

Calor in quo consistat. 296
Cephalæa, Cephalalgia. 307
Cordis momentum determinari vere non potest, 300
Curva spiralis an describatur a sanguine per arterias. 297. & seq.

D

Diarrhœæ & Dysenteriæ causæ. 306

E

Æqualis quantitas sanguinis continetur in dextro Ventriculo, ac in sinistro. 300

F

Flatuum vires, a quibus dolores & morbi plurimi fiunt, 305 & seq.

G

Globuli plano-ovales elastici sunt, & figuram mutant. 296
Glandularum angustia non impedit aptam separationem, 297. & seq.
Gravitas specifica sanguinis. 300 301
seri sanguinei. ib.
aquæ communis. ib.
Gravitates aeris, & aquæ expenduntur, 304

H

Hepar quomodo separet corpora. 298. & seq.
Hepatitis cur difficultatem afferat respirationis, 302
Hæmoptoici, & Hectici parum aeris excipiunt, ib.
Hermannus laudatus. ib.
Hemicrania. 307
Hydrops pulmonum. 302. & seq.
Hypochondriacæ affectiones, 305. & seq.

I

Inæqualitates, intermittentiæ pulsuum a quibus causis fiant, 301
Inspiratio & exspiratio quomodo fiant. 302. earum usus. ib.
adjuvantur a motu peristaltico vasorum pulmonarium. ib.
Intestina quomodo separent inutiles particulas, 306. & seq.

K

Kiellius laudatus opponitur Borello. 300

L

Lana Franciscus laudatus. 304
Leibnitius Guilielmus laudatus, 302
Luminosæ particulæ per pulmones sanguinem ingrediuntur, 304

M

Massa sanguinis tribus motibus præcipue afficitur, 296
Motus pressionis. ib.
separationis. 298
assimilationis. 299
Michelottus laudatus Borellum tutatur. 301. refert vires elasticas aeris, &c. 302. 303
Malpighius laudatus videtur tribuere motum spiralem sanguini. ib.

N

Nutritio quid sit; 300
fit paulatim. ib.
Nevvtonus Isaacus laudatus. 302. 303

P

Paralysis. 308
Pondus sanguinis humani. 300
seri humani. ib.
aquæ communis, ib.
Polyposæ materiæ qua ratione resistant sanguini, 301
Pectus consideratur a Pitcarnio tanquam Sphærois. 302
Peripneumonia quomodo fiat. 303
Pleuritidis legitimæ origo, & basis. ib.
sputiæ. ib.
Polenus Joannes laudatus. 302
Pulmonis substantia jugulum versus angustior est, versus vero costas spurias extensior. ib.
Proportio motus fibrarum glandularium. 298. & seq.
Phthisis eur afferat difficultatem respirationis. 302

R

Renum affectiones. 306
Resolutio massularum sanguinis a quibus motibus fiat, 296

S

Sanguinis analysis. 296
Sanguis cur albescat in earcris aliquibus. ib.
Sanguis e capillaribus lentissime effluit. 305
Sanguis quando ab arteriis in venas feratur. 306
quam lineam describat ascendendo per venas. ib.
Serum ad alia corpora est in ratione tripla. 296
Separationis methodus ex Leibnitio, Bernoullio & Conoro. 298.
Singultus. 306
Stomachi dolores. 305

T

Timpanites. 306

V

Vallisnerius laudatus. 304
Venæ subclaviæ non descendunt recte, sed inclinate. 308
Ventriculus dexter cordis debilior est momento suo, quam finistet. 300
Volvulus. 306
Viscera quælibet Animalium suas habent glandulas specifica figura & textura donatas. 298
Uncia sanguinis probabilius expellitur singula systole. 300

Z

Zendrinus Bernardinus laudatus. 308

INDEX
SECUNDÆ PARTIS MECHANICES MORBORUM.

A

Apoplexia. pag 313. & seq.
Anima organis compenetrata est. 314
apta est dirigere, extendere &c. machinulas Sphæroidales musculorum, 315
Auditus sensatio &c. 312. & seq.
Vitia, ib.

B

Bellinus laudatus. 309
Borellus Alphonsus laudatus. ib.
Bornoullius laudatus. ib.

C

Contractio & distractio fibrarum naturalis & præternaturalis, &c. ib.
Cephalæa, Cephalalgia quomodo fiant. 310. & seq.
Convulsio & Motus convulsivi quomodo fiant, &c. 311. & seq.
Cur sine dolore, 312
Cur cum dolore, &c. ib.
Capitis vulnera in parte dextra, cur afferant convulsionem in sinistram partem, & e contra. ib.
Coma & carus. pag. 317. Coma vigil. ib.
Cæci cur longævi sint. 320
Cataracta. ib.

D

Dolor quomodo fiat. 310
Discursus & Ratiocinatio, 317
Delirium. 318
Duplicatio objectorum. 320

E

Emprosthotonos. 313
Epilepsia cum dolore, & sine dolore. ib.

F

Fantonus Joannes laudatus, 314

G

Gutta serena. 320
Gustus sensatio, 313
Vitia. ib.

H

Hermannus Jacobus laudatus, 309
Hemicrania. 310. & seq.

I

Imaginatio. 317

L

Lethargus; 316
Lana Franciscus laudatus, 321

M

Motus solidorum ab actione cerebri. 309
Motus contractionis & distractionis. ib.
communius est omnibus fibris. ib. & seq.
quomodo fiat. ib.
Michelottus Petrus Antonius laudatus. 310
Morgagnus Joannes Baptista laudatus. 313
Motus fibrarum cerebri, alter absolutus, alter relativus. 317
Memoria quomodo fiat. ib.
Mania. 318
Melancholia. ib.
Maculæ seu muscæ volantes. 320

N

Nevvtonus Isaacus laudatus. 309

O

Opisthotonos. 313
Oscillationes solidorum eruuntur. ib.
Ophthalmia. 320
Odoratus sensatio & vitia. 312. & seq.

P

Pachionus laudatus. 311
Paralysis &c 314. 315
Pia Menynx haberi potest pro sensus communis organo. 314
Polenus Joannes laudatus. ib.
Phantasmata quænam sint. 316
Phrenitis. 318

R

Risus Sardonius. 313
Reminiscentia quomodo fiat. 317
Ronchallus Franciscus laudatus. 319

S

Spasmus Cynicus. 319
Strabismus. ib.
Sonus quomodo fiat. 310. & seq.
Soni velocitas. ib.
Sonorum diversitas & seq. 311
Sapores quomodo fiant. 312

T

Tetanos. 312
Tremores unde, & seq. 313
Tactus vitia. 314
Transpiratio & vitia transpirationis & seq. ib.

V

Vallisnerius Antonius laudatus. 312
Vertigo. 316
Valsalva laudatus. 321

INDEX

TERTIÆ PARTIS

MECHANICES MORBORUM.

A

AEr potest esse causa Diabetis & Diarrhœæ. pag. 332.
Aquæ frigidissimæ potus damnatur. 333
Quando permitti possit. ibid.
Æquilibrium mixtionis massæ sanguinis quid sit. 326

C

Calor præternaturalis in Sanguine quomodo fiat, & seq. 329

D

Divisio febrium in intermittentes & continuas. 326
Dolor capitis in febribus. 332
Diabetis causa. ibid.

E

Elementa actuosa & elastica quænam sint, & elementa inertia quænam. 326
Elementa inertia majoris inæqualitatis respectu corporum elasticorum cohibere possunt elementa elastica minoris inæqualitatis per aliquam temporis differentiam. ibid.
Elementa elastica majoris inæqualitatis respectu corporum inertium minoris inæqualitatis nullo modo frænari possunt a corporibus inertibus, unde fit calor sine frigore in febribus continuis. 332

F

Febrium definitio. 326
Febres fiunt a vitio mixtionis elementorum sanguinis. ibid.
Fluida alia sunt homogenea, alia heterogenea. ibid.
Frigoris causa in febribus. 329
Febriles accessiones cur statutis temporibus redeant. 330
Febres Organicæ quænam sint. 328
Quotidianæ regulares. 330
Quotidianæ duplices. ibid.
Lymphaticæ. ibid.
Tertianæ regulares. ibid.
spuriæ. ibid.
Quartanæ legitimæ. ibid.
spuriæ. ibid.
Ephemeræ. ibid.
Continuæ. 332
Inflammatoriæ. ibid.
Erysipelatosæ. ibid.
Lypiriæ. ibid.
Malignæ. ibid.
Hecticæ. 333

G

Gulielminus laudatus. 326

H

Hermannus Jacobus laudatus. ibid.
Hepatitis. 330

L

Lana Franciscus laudatus. 332

M

Media densitas, media crassities, medium pondus debent esse in statu naturali sanguinis. 326
Michelottus Petrus Antonius laudatus. 328
Morgagnius Joanne Baptista laudatus. 329

N

Newtonus laudatus. 327

O

Oscillatio fluidorum juvat, ut minimi canales aperti teneantur. 322

P

Potiones frigidæ cur damnentur in accessione frigoris. 333

R

Ratio reciproca momentorum corporum elasticorum & non elasticorum sanguinis: vel reciproca massarum & velocitatum corporum eorundem, ubi Lectorem monuimus, & 326. 327
Item ratio homologa fluidorum & solidorum. 328
Pariter ratio homologa momenti distractionis & contractionis vasorum servandæ sunt in statu naturali sanguinis, & naturali mixtione ejusdem. ibid.

S

Sanguis in febribus non semper peccat velocitate, sed tarditate. 326
Sanitas in quo consistat. 336
Sitis in Febribus. 331
Sudores in febribus. ibid.

V

Vigiliæ in febribus. ibid.
Vomitus. ibid.
Vallisnerius laudatus. 333
Verulamius citatus. 328

W

Wolfius citatus. 330

INDEX

MECHANICES MEDICAMENTORUM.

A

ATmosphæræ pressio infervit unioni, nexui & æquilibrio efficiendo, & conservando particularum massæ humorum. pag. 336
Affrictus corporum inter se sunt causæ caloris. 338. & seq.
Aquæ minerales bibendæ sunt cum moderamine. 343
Adstringentia quænam sint, variæ species assignantur, & quomodo agant, explicatur. 346
Cur parva quantitate exhibita apta sint magnas quantitates humorum irretire. ibid. & seq.
Alpinus Prosper laudatus. 349
Animalium fluida habent salia figurata. 337. & seq.

C

Circulatio sanguinis quot vicibus proxime compleatur singulo horæ spatio. 339
Cantarides cur vesicam lædant. 341
Cordialia non cordi tantum, sed etiam Cerebro, & Cerebello succurrunt. 347
Quænam sint cordialia. ibid.
Quo tempore exhibenda sint. ibid.
Cordialium abusus damnatus. ibid.
China China quomodo operetur in febribus superandis. 349
Juvat concoctioni humorum. ibid.
Concoctio humorum quid sit, quomodo fiat. ibid. & seq.
Concoctio a quibus indicatur. ibid. & seq.

D

Distractioni fibrarum est proportionalis contractio earundem in statu naturali. 336
Diuretica varii ordinis quomodo operentur. 343
Diuretica valida semper caute adhibenda. 344
Diaphoretica quænam sint, & quomodo operentur. ibid. & seq.
Quomodo diaphoresis excitetur ab externis. 345
Caute tentanda. ibid.

E

Elementa actuosa, & elastica quænam sint, quænam inertia, & non elastica. 334
Ægritudo reddit animal vel in toto, vel in parte inæqualiter leve, inæqualiter grave, inæqualiter laxum, inæqualiter calidum, & inæqualiter frigidum. 336
Effluvia corporum habent minimas figuras similes figuris corporum majorum, a quibus emanant. 337

F

Fibræ primo simplicissimæ, deinde magis compositæ fiunt. 334
Sunt repletæ fluido, ex quo nutriuntur, conservantur, & moventur. ibid.
Impellunt fluida æqualia temporibus æqualibus in statu naturali. 336
Motu elastico donantur. ibid.
Fibrosum compositum consideratur cilindricum, aut quasi cilindricum. 334
Figuræ herbarum ostenduntur a Fracassato in Operibus Malpighii. 337. & seq.
Fluida moventur motu spirali in canalibus. 338. & seq.

H

Hellenium cur mures occidat. 341
Hypecacuanna quomodo dysenterias curet. 348

L

Lympha cur minus incalescat quam sanguis. 338
Lavagnolus Bartholomæus laudatus Professor Patavinus. 349

M

Mixtio particularum sanguinis facienda est in ratione reciproca, aut quasi reciproca earum, ut unio nexus, & æquilibrium fiant inter se in statu naturali. 337
Medicamenta emittunt effluvia, & qua ratione agant in fibras opere superficierum. ibid.
Agunt opere figurarum. ibid.
Agunt opere motus, & elateris. 338
Agunt in ratione composita molium, ponderum, figurarum, motuum, & elasticitatum. ibid.
Medicamenta dividi possunt in partes minimas. ibid. & seq.
Medicamenta purgantia cur aliquando elective purgare videantur. 341
Mercurius cur palatum laceret, & salivam promoveat. ibid.
Medicamenta specifica ut Hypecacuanna, China-China quomodo agant. 348
Mineralia suas habent figuras. 337. & seq.
Mixtio humorum feliciter fit per lineas spirales. 344 345
Morgagnius Joannes Baptista Professor Patavinus laudatus. 329

N

Nux vomica cur canes occidat. 341

O

Opiata cur ligant fluida, & solida. 345
Cur aliquando dissolvant, & sudores promoveant. ibid.
Ut sine noxa operentur quid agendum. ibid.

P

Proportio reciproca momentorum particularum sanguinis, aliorumque fluidorum inter se; homologa proportio fluidorum, & solidorum inter se; & inter solida unius generis, & solida alterius habendæ sunt, ut habeatur unio nexus, & æquilibrium actionum, & reactionum in statu perfectæ sanitatis. 336
Purgantia cum plurimas materias promoveant per intestina. 341
Penetratio corporum facile obtinetur per lineas spirales. 344. 345.
Præparatio humorum facienda. 342. & seq.

R

Ramosæ superficies corporum quomodo agant contra fluida, & solida, & quomodo adstringant. 349
Renum morbi quomodo fiant. 344

S

Sanitas in quo consistat. 336
Sanguinis massa quomodo successive densior reddatur in canalibus arteriosis. ibid.
Sanguis in venis non amittit motum æquabilem. ibid.
Sustinet unitatem, & nexum tam in arteriis, quam in venis. ib. & seq.
Sanitatis status reddit animal æquabiliter leve, æquabiliter forte, æquabiliter constans, æquabiliter mobile. 336
Superficies medicamentorum leves, molles, & laxæ quid agant. 337
Asperæ, & inæquales quid operentur. ibid.
Succulatæ abusus damnatur. 348

T

Torti Franciscus laudatus. 349

V

Vomitus quomodo fiat. 342. & seq.
Cur expedite, & prompte materiæ in vomitu per Œsophagum ascendant. 343
Cur aliquando specificæ materiæ evomantur reliquis retentis. ib.
Vomitoria quibus exhibenda, & quibus prohibenda. ib.
Urinæ oleosæ cur eveniant, & quomodo cognoscantur. 344
Vallisnerius Antonius laudatus. 303

FINIS.

SUP-

SUPPLEMENTUM
OPERUM
MEDICORUM
THOMÆ SYDENHAM.

SUPPLEMENTUM

OPERUM

MEDICORUM

THOMÆ SYDENHAM.

LECTOR.

CUM nihil antiquius nobis in animo ſit, quam bene de te, benigne Lector, deque eruditis Viris mereri, atque in unum hoc enitamur, ut non minus in horum utilitatem, quam commodum gemere noſtra præla non deſinant; hinc factum, ut nihil intermiſerimus unquam, quod noſtrum hoc ſtudium magis magiſque valeat uſquequaque teſtari. Poſtremam igitur noſtram editionem Operum doctiſſimi Viri THOMÆ SYDENHAM, Genevenſis altera ſubſecuta novos exhibuit hodiedum ineditos Tractatus Medicos, qui, quoniam Doctorum Virorum votis deſiderari poſſent in hac noſtra, quam alioqui accuratiſſimam tibi donare curavimus. Quapropter bono animo illos ipſos Tractatus hic in calce hujus Operis accipe inſertos, noſtros labores accipe, accipe noſtros conatus in hoc unum incumbentes, ut tuis & ſtudiis ſerviamus & commodis.

Tractatus in Genevenſi Editione 1736. tractatibus Medicis SYNDEHAM *additi.*

Dn. D. Caroli Friderici Loevv, *de Febre Petechiali ann. 1683.* Poſonii graſſata, & cujus deſcriptionem in Adverſariis Paternis repererat, Epiſtola ad Clariſs. Dn. Franciſc. Frider. Poſſinger, Archiatrum Cæſareum.

Dn. D. Andreæ Loevv *Hiſtoria Epidemica Hungariæ, annorum* 1688. 1697. 1699. 1700. 1701. 1702. 1703. 1704. 1705. 1706. 1707. 1708. 1709. ab ejuſdem filio Dn. D. Carolo Frider. Loevv, Perilluſtri Lucæ Schroekio, Academ. Natur. Curioſ. Præſidi, &c. anno 1726. communicata.

Dn. D. Joſephi Lanzoni *Conſtitutio Epidemica Ferrarienſis, ann.* 1729.

Dn. D. Caroli Frider. Loevv, *Hiſtoria Febris Catarrhalis, quæ ann.* 1729. *Menſe Novembri & Decembri, per Europam Epidemice graſſata eſt; cui accedit Conſtitutio Epidemica anni* 1730.

Dn. D. Caroli Richa *Conſtitutio Epidemica Taurinenſis annorum* 1720. 1721. 1722.

Dn. Caroli Friderici Loevv, de Febre Petechiali ann. 1683. Poſonii graſſata; & cujus deſcriptionem in Adverſariis Paternis repererat, Epiſtola ad Clariſſ. D. Franciſc. Frideric. Poſſinger Archiatrum Cæſareum.

VEniam dabit audaciæ meæ, qua *ardua negotia* turbare non ſum veritus, par *faſtigio Tuo humanitas*: tanto facilius, quo majori fide Tibi affirmare poſſum, non alia cauſa, quam *pietatis lege* impulſum me ad hoc ſcriptionis genus acceſſiſſe, ut extaret aliquando gratæ mentis documentum, pro illo inſigni *favore Tuo*, quo Tibi me dudum tam in *publicis*, quam *privatis conſiliis* reddidi obſtrictiſſimum. Non facile ſuccurrebat; qua ratione Tibi grati animi pietatem probarem: nihil ex propria ſupellectile, quamvis plurima ſeſe offerrent, ad dandam erga Te mei ſignificationem, dignum eſſe cenſui: urgebat interim, quia relaturum me gratiam affirmare non audeo, habendæ ſaltem, & quavis ratione declarandæ gratiæ officium. Malui proinde ex re, non tamen prorſus aliena, nempe beati parentis, *Virtutum Tuarum* veneratoris, laboribus, aliquid depromere, quod *Magnifico Tuo Nomini* ſacrum ſimul animi referendæ gratiæ cupidiſſimi publicum eſſe documentum. Suſcipe igitur ſerena fronte *hiſtoriam morbi petechialis*, qui *anno* 1683. *Poſonii epidemice* graſſatus eſt, a *Parente* meo pie defuncto, ſolicite conſcriptam, *Illuſtrique Nomini Tuo* inſcriptam in lucem publicam emittendam. Si quantum per *occupationes Tuas graviſſimas* licuerit, hanc qualemcumque publico bono deſtinatam opellam perluſtrare volueris, invenies forte non plane contemnenda, & digna, quæ in publicum emittantur. Fiet autem hoc eo felicius, ſi, pace Tua, *Perilluſtri Nomine Tuo* ſeſe hoc opuſculum mulris probaverit. Hujus ſumma, ut ſupra monui, eſt *expoſitio morbi petechialis*, qui *Poſonii epidemice* graſſatus eſt, ad fidem ſcripti, a beato parente relicti. Initium hujus hiſtoricæ expoſitionis ducitur ab anno 1683. quo per Dei gratiam ſoluta obſidione Viennenſi, *regno Hungariæ*, miſero fatalique *bello* miſerrime afflicto, ſigillatim *menſe Septembr. pax* reſtituta fuit. Tunc vero *copiis militaribus* hyberne dimiſſis, & *Poſonii* etiam per ſuburbia diſpoſitis, mali ſemina ſparſa ſunt. *Milites* enim, quod *gregatim* in contuberniis *arctius* collocati erant, omnia *ſqualore*, *tetra immunditie*, & fœdis odoribus compleverunt, ipſumque quaſi aerem inquinantes, *catervatim*, & veluti per manipulos in *febrem malignam petechialem* inciderunt. Morbus brevi invaleſcens, quam plurimos ex illis conſumens, in malum tandem *epidemium* degeneravit, & in *incolas* pleroſque, ſine *ætatis* diſcrimine, maxime vero in *juvenes*, maturæ robuſtæ ætatis homines, non modo *plebejos*, verum etiam *nobiles* & divites, vehementer graſſari cœpit, ita, ut ferme nullam domum intactam reliquerit. Incepit morbus hic epidemius *menſe Novembr. anni ſupra citati*, qui ſtatim *horrore* artus corripuit, interdum *intenſiore*, interdum *remiſſiore*, nonnunquam *per intervalla recurrente*, quem preſſo pede excepit *calor* in principio levis, qui ægrum primis adhuc diebus vix a negotiis ſolitis detinuit, interiora tamen occupans ſenſim auctus eſt. Ob ſanguinis ergo rarefactionem majorem, & noxam viſceribus impreſſam multa ſtatim oriebantur *periculoſa ſymptomata*, *nauſea*, *anorexia*, *vomitus*, *cardialgia*, *ſitis*, nonnunquam remittens, *dolor capitis*, *vigiliæ*, *laſſitudo ſpontanea*, quæ *ſymptomata* ad IV. *diem* ſenſim aucta perdurabant, tanta interea nonnunquam lenitate, ut quamplurimi vim morbi laxatam crediderint, ejuſque *cauſam in errorem externum* commiſſum rejecerint. Verum progreſſu temporis morbus *malignitatem* ſuam prodidit, *intenſiſſimi caloris* ſui effluvia per totum corpus diffundens, horrendeque producens ſymptomata. In unico ſaltem homine *mitior vis morbi* obſervata fuit: in *blandiſſimo* per totum decurſum *calore* nulla *ſitis*, nullum oriebatur *delirium*, morbi de ſolo *capitis dolore*, & *proſtratis viribus* querela fuit. Cæterorum fere omnium, hoc morbo laborantium corpora quaſi incendio fumare, *inſolito calore* gravari ac corripi viſa ſunt. Hinc obſervabatur *laſſitudo* & *jactatio totius corporis*, *ſubita virium proſtratio*, in nonnullis *vigiliæ diuturnæ*, quas ſtatim excepit *delirium*, nonnunquam in *incremento*, non nunquam in *ſtatu morbi*, aliquando *mitius*, & per *unum* ſaltem *diem* durans, aliquando *ferocius*, non nunquam *muſſitando* proditum, non nunquam *nullum* fuit obſervatum, ut in *piſtoris* cujuſdam *uxore*, nunquam *delirio* correpta, & tamen *die* VIII. prægreſſis *convulſionibus* mortua. Sed præſtabat *delirium ante nonum* acceſſiſſe *diem*, quam *poſt nonum*; quoſcunque enim *poſt hunc* invaſit, omnes fere mortui ſunt. Horum *delirium* non nunquam degeneravit in *furorem*, quo agitati ſurrexerunt, & robuſtiſſimorum alioqui hominum actiones ediderunt. In *declinatione morbi* non nunquam *ſomnus* obrepſerat continuus, ita, ut ægroti & cibum & potum neglexerint. Sic & *mentis emotiones taciturnæ* in eo, qui alioqui facultate loquendi pollebat, ut plurimum erant *periculoſæ*, quale exemplum in *ſaponario* quodam habui. Porro *ſomnum* ægrotorum plerumque turbabat *inquies nocturna*: hinc *delirare* cœperunt, & abſurda loqui. *Tinnitus* & *ſurſurrus aurium* ut plurimum in *incremento* jam huic morbo accedebat, quibus ſeſe *auditus difficultas*, modo *ſalutaris*, modo *funeſta*, collatis nempe reliquis *ſymptomatibus* periculoſis, adjunxit, ut & *oculorum dolor* & *ardor*. Sæpiſſime et illis *coruſcationes* variique coloris figuræ obſervabantur. *Vultus*, imprimis apud moribundos, *ferox fuit*. *Tremor manuum frequens*, ſed *labiorum continuus*, & ſemper *exitialis*, & *intra* XXIV. *horas imminentis mortis nuncius*, quod videre licuit in duobus *Viris illuſtribus*, ut aliorum exempla prætereamus. *Tremorem* autem ſtatim vel ſequebantur, vel præcedebant *convulſiones*, non tamen adeo *funeſtæ*, utut periculoſo ſatis indicio *floccos legere* cœperint decumbentes. Quorum aliqui *motibus* tandem *convulſivis* & ipſa *epilepſia* correpti, violentia morbi conſumpti ſunt, cujus exemplum præbuit quidam *juvenis* XXI. *annorum*, qui poſt *convulſiones* incidit in *motus convulſivos*, & ipſam *epilepſiam* IV. *horas* durantem. Curatæ tamen *epilepſiæ* huic morbo *die* XII. ſupervenientis, & *per integrum diem* obſervatæ exemplum habui in *juvene* quodam pannifice. Ad unum fere omnes *caput rotari*, ſeque *vertigine* laborare dixerunt. *Vertiginis* inſeparabilis comes erat *dolor capitis*, qui & in *artus* & *lumbos* non nunquam ſeſe diffudit, ut ingentes *nephritides*, *uteriique affectus* adeſſe crediderint, quod in *virgine* quadam obſervavi, *cauſam* tamen ſemper a *miaſmate maligno* infectante ſanguinem, quod in majoribus venis & arteriis ad illas partes devolvebatur, deducendam eſſe duxi. *Guſtus* ſæpiſſime plane fuit *depravatus* ac perverſus in hoc morbo, ut ægroti non nunquam *aquam* pro *vino* biberint, *poma citrina* pro *uvis recentibus*, quod meo exemplo teſtari poſſum, comederint. *Aphoniæ* quoque, non ſemper tamen *lethalis*, obſervabatur, cujus per *integrum* ferme *diem* durantis, & tamen *curatæ* exemplum præbebat quidam *juvenis* viginti aliquot annorum. *Reſpiratio* ſæpenumero *difficilis* fuit, & *frequens*, *expiratio* vero non nunquam quaſi *flammea*, quæ ſemper *mala*, uti videre licuit in quodam *ſaponario*. *Pulſus* non nunquam, inprimis in *principio*, *ſanorum* fuit quam ſimillimus, non nunquam *celer*, *frequens*, *intermittens*, *debilis*, *inæqualis*, ut ſæpiſſime judicium de *ſignis* morbi *prognoſticis* fefellerit.

Erat tamen quoddam genus *pulſuum*, quo præſente *mortem* certo præſagire potuimus, ſi nempe decumbentes ad contrectationem *pulſus* aut *manus* retraxerint *tremulas*, eaſque *introrſum* duxerint, vitæ quaſi ſuæ timentes, aut ſi *tremens*, *palpitans* & *caprizans* obſervatus fuerit *pulſus*. *Anxietates*, *lipothymiæ*, *ſyncope*, in hoc morbo maximum cordi faceſſivere negotium, ut non nunquam per *tres dies* iteratis vicibus continuaverint. *Tuſſis* non nunquam in *principio*, ut plurimum in *incremento* & *ſtatu*, aliquando *humida*, aliquando *ſicca*, ſeſe exerebat, quarum *poſterior* pejor, & ſemper *malignitatis* arguebat præſentiam. *Cardialgia* correpti, præ dolore ingenti, ſolum de *dolore* & *graviſſima mole pectoris* conquesti ſunt, exiſtimantes, hoc ſublato, ſe priſtinam recuperaturos ſanitatem. Morbi *principium* ſemper erat cum *anorexia*, *nauſea*; interdum *vomitu*, qui ſi per *aliquot dies* duravit, nulliſque *medicamentis* mitigari potuit, neque *macularuni* eruptione ſuperveniente ceſſavit, *funeſti* ſemper exitus erat ſignum: aliquando *die ſeptimo* aut *octavo* demum oboriebatur. *Sitis* in his ſymptomatibus cum morbo *incrementum* ſumebat; non nunquam tamen ferme *nulla*, præſente licet *ingenti* & totum corpus quaſi corripiente *calore*, obſervata fuit, quod *peſſimum* erat *ſignum*. *Singultu*, huic morbo ut plurimum *in ſtatu* ſuperveniente, plerique, quos ſub mea habui cura, ſunt *mortui*, quidam tamen etiam *ſervati*, ut adeo *ſingultus* non ſemper *ſignum* imminentis *mortis* in *febribus acutis* infallibile ſit; ut refert *Epiphan. Ferdinandus*. *Hæmorrhagia* quoque ſæpiſſime hunc morbum ſecuta, *periculoſa primis diebus*, & in ipſo *morbi ſtatu*, quod multis exemplis probare poſſemus, aliquando tamen *critica*, & ſibi relicta, *ſalutaris*: ſed imperitia *chirurgorum die ſeptimo ſuppreſſa*, funeſta. Sequiorem *ſexum* morbus iſte *duplo gravius* affligebat. Pleræque enim hoc tempore *menſes* erant expertæ, aliæ *primis* ſtatim *diebus*, aliæ *nono* demum *die*, qui ſemper exacerbabant *ſymptomata*, ut pauciſſimæ evaſerint; *benignior* vero fuit morbi vis in *menſium fluxu* deſtitutis. Sed nec *puerperæ*, & *gravidæ* ab hoc morbo fuere immunes, licet non omnibus *exitioſo*. Soror enim mea hac *febre epidemiali* correpta per Dei gratiam convaluit, & robuſtum ſuo tempore enixa eſt puerum. *Alvus* quamplurimis per *aliquot dies* fuit *obſtructa*, ut eam tandem *ſuppoſitorio* reſerare debuerimus. Nonnulli ægrotorum jam in principio *diarrhœam* perpeſſi ſunt, quæ ſi nullis *medicamentis*, ejuſmodi affectibus alioqui maxime accommodatis, cedere voluit, *res deſperata* fuit ſæpiſſime tamen & in *principio*, *incremento*, & *ſtatu*, remediis rite adhibitis, optimo cum ſucceſſu *ſedata* fuit, imo *diarrhœa critica*, *die* VII. cum ægri levamine, quæ inſequentibus diebus ſua ſponte ceſſavit, oborta eſt. Et fateri quoque debemus, fluxum alvi *moderatum* ſæpiſſime non fuiſſe attendendum. Sic *vermes* tam in *principio*, quam *ſtatu* ἄνω & κάτω ſat longos rejectos in duabus perſonis, quæ tamen evaſere, vidi. *Sudores* ſæpenumero ſua ſponte apparebant, interdum *critici*, qui omnes boni, interdum vero *reſolutivi*, imminente inprimis morte, qui peſſimi; totum enim corpus tunc temporis in vaporem & madorem reſolvi videbatur. *Parotides* permultis oboriebantur ut plurimum *die* XIV. & *per* XIV. ferme *dies* durabant, nunquam tamen *lethales*. Adhibitis enim mox *ſudoriferis* per inſenſibilem tranſpirationem diſcuſſæ ſunt, ſine omni metu recidivæ. *Lingua* ſæpiſſime erat fiſſa, non nunquam *muco albicante indurato*, inprimis adulto jam morbo, quaſi cruſta quadam obducta, ut etiam *potulentorum*, ob membranarum œſophagi fibrarum a calore ingenti exſiccatarum difficilem conſtrictionem, *laborioſa* fuerit *deglutitio*; aliquando *nigra*, quæ & *faucibus* peregrinum huncce ſuum impreſſit characterem, ut tandem *ſphacelo* correptæ & exeſæ fuerint, quale exemplum in *puero* VII. *annorum*, hoc *ſymptomate* affecto, & propterea metu dolorum *viginti* ferme *dies* neque *cibum*, neque *potum*, neque *medicamentum* aſſumente, habuimus. *Exanthemata* tandem aliis jam II. quod meo exemplo teſtari poſſum, aliis & ut plurimum IV. in aliis VII. erupere *die*, in aliis non *una vice* exiere, ſed *tractu quorumdam dierum*; alii *ſecundam* quoque *eruptionem die* XIV. experti ſunt, cui aliquando ſuperveniebat *veſica* in *dorſo*, *nucis* magnitudinem æquans, & *aquam limpidam* continens, *funeſta*, quam in *Barone de Nobis* conſpeximus. Erant *maculæ*, quantum ad *colorem* attinet, *verſicolores*, *rubræ*, *purpureæ*, *fuſcæ* & quaſi *crocei* coloris, *albæ*, ut in *æthiopico* quodam, *nigræ*, *lividæ*, quæ duæ poſteriores *peſſimæ*, in primis in *dorſo*, *manibus*, *pectore*, *pedibus*, *naribus*, non nunquam & *facie*, quæ non ſemper *funeſtæ*, interdum *magnæ*, interdum *parvæ*, *pulicum morſibus* ſimiles, nullum tamen *punctum* in medio habentes, non nunquam *ſparſim*, nonnunquam *confertim milii ſolis* & *ſudaminum* inſtar, (*aſpredines miliaceæ* dictæ,) quæ etiam *malæ*, per *ſeptem*, *octo*, *novem dies*, conſpiciendæ. Sed cum *morbus* hic tam *varius ac multiplex* fuerit, ut non tantum nullo *ætatis* diſcrimine ſævierit; verum etiam in omnes *ſporadicos morbos*, ſi qui ægrum vexabant, ſeſe transformaverit, ut aliquando *tuſſim*, ſæpiſſime *catarrhum*, aliquando *colicam*, *podagram*, *pleuritidem*, *febrem tertianam*, ſervando exactiſſime *periodicam exacerbationem*, tempore nempe *apyrexias* evaneſcentibus *maculis*, ingruente vero *paroxyſmo* redeuntibus, mentita fuerit, quis quæſo omnia *ſymptomata*, quibus hic morbus *auctus* & *exacerbatus* eſt, enarrare queat? Sufficiat ergo, hæc fideliter, prout in *praxi mea* obſervavi, annotaſſe. Morbus hic non nunquam *cito*, non nunquam *tardius* ſua decurrebat *tempora*, ut etiam XXIV. *dies*, licet rariſſime, *funeſtus* fuerit; *die* XII. ac XIII. ut plurimum *graviora* ac *vehementiora* erant *ſymptomata*, proindeque accuratius attendenda. Etſi vero in *Hungaria* frequenter eſt hic *morbus*, & *quotannis* obſervandus, graſſari tamen *vehementius* more ſolito *hoc anno* cepit, ut ferme in ſolum *contagium*, corpora *metu* atque *timore* debilitata facilius corripiens, rejicere *cauſam* auſi fuerimus. *Principium* quidem huic *morbo* debere *milites*, utpote qui *temperiem* hujus *regionis* nec obſervantes, nec ferentes, ſed *vino* nimium indulgentes in *morbos* inciderunt *malignos*, *gregatim* deinceps in *contubernia arctiora* conjecti non modo *commilitones*, verum etiam *inquilinos* contagione infecerunt, quæ latius ſerpendo & eundo tantas acquiſivit vires, ut in *morbum epidemialem* degeneraverit, & plures e medio ſuſtulerit. *Anni tempeſtas* malum hoc inſigniter fovebat, nempe ut plurimum *humidior*, cum *pluviis* copioſis & fere continuis, *nebulis* fœtidiſſimis, creberrimis toto fere *Novembri*, & *Decembri*, quo tempore *petechiæ* in homines gravius debacchatæ ſunt. Etſi vero vehementia *frigoris* ſubſecuti mali hujus vim ſublatam aut minutam arbitrati ſumus, tantum tamen abfuit, ut ceſſaverit, ut potius ferme eandem noxam ac *vehementiam*, licet alter *menſis* præ altero fuerit *benignior*, exeruerit, in *menſem Junium* uſque eam protraxerit, plures non modo *familiarius* cum ægris verſantes, verum etiam *nullam plane conſuetudinem* cum *infectis* habentes, & homines, qui ægrotos viſitabant, fugientes, ſemperque domi quaſi fixi hærentes, corripuerit, ut in ejuſmodi homines ex ſola *imaginatione contagium* manarit, correptoſque ſuſtulerit. *Remedium* præcipuum ac præſentiſſimum fuit *Venæ ſectio*, a qua & *curam* ſemper *ordiri*, eamque *in primis diebus repetere* debuimus. Quam primum vero *maculæ* ſeſe in conſpectum dedere, quamvis plerique *auctorum*, & inter eos præcipuus NEUKRANZ *de purp.* id ſuadeant, penitus tamen *abſtinendum* erat ab hoc alioquin præſtantiſſimo remedio. *Purgantia*, quæ ad unum fere omnes admittunt ſcriptores, *Vomitoria*, etiam *in principio*, nullum hic invenere locum, imo omnes, quibus *Purgantia* exhibita ſunt, *brevi poſt expirarunt*; eorum vero *exanthemata* ſemper apparebant *latiora*. Ex iis, qui *Vomitoria* aſſumpſere, pauciſſimi, nempe ii ſolummodo, quorum *robur naturæ* adhuc erat inconcuſſum, evaſere, in quibus & *citius* morbus ſua decurrit tempora. *Expellentia*, *alexipharmaca*, *confortantia*, *cordialia*, *temperata*, v. gr. *ſpec. liberant. ſal. volat. C. C. fixat. unicor. mar. C. C. philoſ. præpar.* item *Emulſiones*, *mixtura* ex *mithridatio*, *confecti. alkerm.* & *aqua fumar.* inprimis tempore *continuarum vigiliarum* data, ac ſequenti *die* veſperi iterata, quæ ad *ſomnum* placidum ægrotos diſpoſuit, ac *deliria* mitigavit, *lap. bezoar. orient.* præcipue ubi *cordis anxietates* vehementer urgebant, qui miraculoſa fere ratione eas ſtatim ſuſtulit, omnes hic tulere punctum. *Symptomatibus* ex proprio fonte erat ſuccurrendum; e contrario *calida* omnia, quæ majorem excitarunt effervescentiam, vitanda. *Antimonium diaphoreticum* quoties fuit datum, fere ſemper excitavit *diarrhœam*; exhibitum vero *in febribus malignis ſine exanthematibus* rarius, facile tamen *terr. ſigillat.* vel *mithridat.* ſedata fuit. Fœminis, *affectibus hyſtericis* obnoxiis, *extract. caſtor.* præſentiſſimam tulit opem. *Veſicatoria* juſto tempore applicata, non modo in *aphonia* ſæpiſſime ægrotis ſermonem reddidere, verum etiam ferociam *deliriorum*, ac quaſi *phrenitides* debellarunt. *Opiatorum* uſum, utpote in his *regionibus* merito ſuſpectum, experiri nolui, *Topicis* quidem frequenter in perpetuis *vigiliis* & *capitis doloribus*, cum ſucceſſu admiſcui. Quod ſi jam ad ἄκμὴν pervenit *morbus*, *ſudoribus* probe elicitis tandem *ſpec. de gemm. frigid.* de *hyacinth.* cum *nitro* ordinavi, quorum uſum, quo uſque *penitus remiſit calor*, continuavimus. *Confortantia*, *cordialia*, *balſama* in frequenti uſu habui. *Reſtaurantia juſcula* interdiu & noctu aliquoties ægris exhibenda ſuaſi, *vini* ac *cereviſiæ* uſu omnes abſtinere juſſi, *aquam coctam* ex *rad. ſcorzon.* C. C. & *raſ. ebor. ſem. fœnic.* &c. pro *potu ordinario* præſcripſi. *Mutationem linteorum* mundorum & *induſiorum* crebram, etſi permittat NEUKRANZ *de purp.* p. 351. ſemper tamen ego, ob rationes certas & experientia ſtabilitas, diſſuaſi. Victo jam penitus *morbo*, & *viribus* aliquantum jam redeuntibus, tandem ad *Purgantia* deſcendi, quibus reliqui *excrementitii humores*, ne *recidiva* ſubſequeretur, cum emolumento ægrotantium expellerentur. Hac ratione *quamplurimos* per Dei gratiam *priſtinæ ſanitati* reſtituimus. Hæc, VIR, LECTIONE & EXPERIENTIA CELEBERRIME, ſunt, quæ illis temporibus obſervavir, & bona fide de hoc *morbi* genere litteris conſignavit *beatus Parens*. Hujus *paternæ* induſtriæ monumenta plura poſſideo, *graviſſimo Tuo judicio*, una cum *meis rarioribus obſervationibus*, ſubjicienda, &, ſi Tibi ita viſum fuerit, *publico bono* non invidenda. Nihil proinde avidius expecto, quam, quod ſine Tua moleſtia fiat, Tuum de hoc inſtituto *conſilium*. Si Tibi placuiſſe intellexero, affirmo Tibi, me exiſtimaturum, mihi *gravitate judicii Tui*, & *conatus meos juvandi facilitate* id, quod maxime unquam cupierim, contigiſſe. Quod ſupereſt, Tibi CÆSAREÆ NOSTRÆ ACADEMIÆ ſpes fortunaſque commendo, nihil dubitans, quin de hoc meo ſtudio recte & benigne ſis exiſtimaturus. Dab. *Viennæ* die VII. Febr. A. S. R. clɔ lɔccxxx.

Dn. D. Andreæ Loew Hiſtoria Epidemica Hungariæ, ann. 1688. 1697. 1699. 1700. 1701. 1702. 1703. 1704. 1705. 1706. 1707. 1708. 1709. *ab ejuſdem Filio Dn. D. Carolo Friderico Loew, Perilluſtri Lucæ Schroeckio, Academiæ Nat. Curioſ. Præſidi, &c. ann.* 1726. *communicata.*

ANni tempora, prout variant, ſuos habere morbos certos jam pridem *lib. 3. Aphor.* 21. recte annotaſſe *Hippocr.* præſente anno abunde confirmavit experientia. Scilicet *menſe Julii & Auguſti* cum cælum quaſi flammaſſet caloribus, & pluviarum ferme toto illo tempore expers fuiſſet, quibus alias intemperies aeris ſicca temperanda & corrigenda, *Febres* ſolito magis in hac urbe graſſari ceperunt. Quarum principia cum horrore, vomitu, nauſea ægrum occuparunt, ſubſequentibus ſtatim caloribus, ſiti, dolore capitis, virium proſtratione ſumma, cardialgia, ut plurimum dies noctesque durantibus, aſt biduo poſt, adhibitis ſudoriferis, in *intermittentes* ut plurimum febres, modo *tertianas*, modo *quotidianas*, imo *quartanas*, per intervalla ſecundum ſuum typum repetentes, terminantibus. Tantam autem hæ febres benignitatem in ſe fovebant, ut raro adminiſtratis legitimo modo remediis, h. e. *V. S. Antifebrilibus ex* ☉ *card. ben. abſinth. centaur. min. lap. cancr. chinchin. arcan. dupl. flor. nitr.* aliiſque, ultra octiduum ſeſe extenderint, quin penitus remiſerint. Non ſenſerunt has febres tantum provectioris ætatis homines, verum etiam infantes lactentes & ablactati ſine ullo ætatis diſcrimine. In nonnullis deprehendebantur *continuæ*, dies noctesque ægrotos affligentes, & *V. S. ſudoriferis ordinariis*, *nempe ſpec. de hyacinth. antim. diaph. ſpec. de gemm. frig. mixtura mea ordinaria &c. confortantibus* junctis, tractatæ, omnes terminum ſuum elapſo 15. dierum ſpatio benigniſſime abſolventes. Hiſce continuis annumeranda quoque fuit *Pemphinx*, vulgo *Neſſel. Kranckheit* dicta, tunc temporis graſſata, quæ ægrotos, (qui quaſi urticæ urentis vim eſſent experti,) excruciavit pruritu, tumore permagno variæ magnitudinis in toto corpore, modo imperialis, modo floreni, modo groſſi, modo totius cubiti, ſuperficiem cutis occupante, eamque in veſicas non adeo rubras, ſed magis albas attollente, mox redeunte, aliiſque ſymptomatibus febres continuas malignas alias concomitantibus. Quæ febris licet aliis temporibus *benigniſſima* adhibito ſudorifero intra biduum remittere ſoleat; nunc tamen admodum *maligna* more continuarum ſua decurrit tempora, propinatis autem *medicamentis diaphoreticis*, *expellentibus temperatis &c.* DEO benedicente apud omnes feliciſſime XV. die ſuperata. Obſervavimus etiam, quod notatu dignum & perrarum, tunc temporis certam febrium ſpeciem, quæ fuit *complicata ex febre quotidiana continua*

& ter-

& *tertiana*, una die binas habens exacerbationes, altera unicam, quam *Hemitritæum* appellare placuit. Fuit absque horrore, cum continuo calore, ingenti præcordiorum compressione, ut de continuis constrictionibus pectoris conquesti fuerint, siti inexplebili, intensioribus tamen hisce tempore exacerbationis, cum vigiliis, deliriis, diarrhœis, in primis virium prostratione summa, ut semper animi deliquia metuenda fuerint. Febris hæc admodum periculosa continua ingentem reconditam habuit malignitatem; quapropter more aliarum febrium malignarum, v. gr. *V. S. sudoriferis, expellentibus, confortantibus mixtis, ordinariis*, ratione tamen habita symptomatum urgentium, tractata felicissime intra XXI. dies fuit subacta atque ejecta superstite quidem adhuc aliquali pectoris compressione, *Laxativo* tamen medicamento sub finem exhibito penitus sublata.

Constitutio Epidemica Sempronienſis Anni 1697.

NON quivis annus quosvis fovet morbos, multo minus una eademque symptomata. Prout anni variant tempora, aerisque tempestates, sic quoque morbi, qui nunc benigniores, nunc pejores, multorumque funerum nonnunquam causæ existunt. Hoc jam dudum observavit, ac *toto libro III. Aphorismorum* nobis demonstravit maximus Græciæ Doctor, *Hippocrates*. Et quis non videt, diversum aeris statum humores modificare morbificos, eosque disponere, pro diversitate locorum aliarumque circumstantiarum, ad producenda symptomata, quandoque graviora, aliquando mitiora. Id videre licuit *anno* 1697. quo *hyemem rigidissimam* experti sumus. Produxit intensissimum illud frigus non solum *varios pectoris morbos, catarrhos, coryzæ, gravedines, tussesque vehementiores*, & transpiratione impedita, lympham disposuit in coagulum pronam; adventante *vere*, liquatisque macrocosmi humoribus, lympha hactenus torpida apud plurimos varias subiit mutationes; inde in quibusdam *febres tertianæ* subortæ, in plerisque *febres continuæ, pleuritides spuriæ, malignitatis expertes*; in plurimis, in primis *sub finem Aprilis, Maii, Junii, Julii*, quo tempore magis efferationes biliosæ ob excessivum calorem ambientem notabantur, *febres petechiales Epidemicæ*. Referam ex morbis, quos hoc anno perlustravi, solum præcipuos. Inceperunt *petechiales* more solito cum rigore, caloribus p. n. siti, anxietate præcordiorum, quandoque vomitu, doloribus capitis, insueto artuum languore, sine causa manifesta, cum insigni extremorum lassitudine, ut plurimum quarta, aliquando septima demum die maculæ efflоruerunt petechiales, in quibusdam copiosiores majoresque, in quibusdam minores ac parciores. Deliria sexto jam, septimo, octavo morbi die supervenientia, boni fuere ominis. In illis enim decima quarta vehemens notabatur obsurdescentia, & decima quinta caloris, adeoque morbi solutio. Si serius, v. gr. 10. 11. 12. contigerunt deliria, atrociora symptomata, nec non malignitatem prænunciarunt summam, nullusque expectandus fuit motus criticus, sed paulatim solutio. Observavi hoc in quamplurimis, in primis Cive hujus loci primario, ex itinere sexta morbi die reduce. Septima adhibito uno vel altero *medicamento expellente, bezoardico*, vidi corpus petechiis copiosissimis rubris conspersum, eodemque die notavi summam in somnum propensionem, vix non dispositionem lethargicam. Vesicatoria quippe aliquot applicata ægrum a somno abstrahere non valuerunt, & excitatus licet quandoque comederit, medicamenta *expellentia, sudorifera, epileptica, confortantia* sedulo assumpserit, subito nihilominus in somnum recidit, salva manente respiratione; accesserunt 10. die deliria: excitatus enim ex suo profundo somno, & interrogatus minus apposite, minus ordinate respondit, desubito in somnum relabens. Die undecima & sequentibus supervenerunt motus convulsivi, diarrhœæ, involuntarius urinæ fluxus, summatim, symptomata exitiosa. Decima quinta calores p. n. observavi longe remissiores, pulsum naturali similem, somnum autem adhuc profundum. Si exsuscitatus fuit patiens, neminem agnovit, torvis oculis vidit, ad interrogata mussitando, minus intelligenter respondit, floccos frequenter legere continuavit. Morbum igitur hunc in pessimis signis constitutum ex *Hipp. Coac.* nec non 2. *Aphoris.* 27. difficillimum ac periculi plenissimum pronunciavi. Decima septima demum die, suborta obauditione, ad se rediit, stupidus quidem & oblivioſus, præteritorum immemor, vires tamen brevi resumpsit. Vidi in alio subjecto, eundem morbum in optimis signis constitutum, duodecima, rarioribus tunc temporis existentibus jam maculis petechialibus, produxisse *pustulas miliares, parvas, albas, acuminatas*, innumeras, excessivam sanguinis ebullitionem, nec non malignitatem latentem prodentes, & 15. die, prægressis vix momentaneis convulsionibus, funestas. Observavi, malum hoc fuisse *epidemium*, nullumque ætatis habuisse discrimen, juvenes vero puerosque frequentius invasisse, ac contagium in domo detulisse, aut substitisse, donec in reliquos fere omnes sævit. Qui valetudinis salutisque suæ soliciti fuerunt, ac in tempore, spretis præposteris medicationibus, meam postularunt curam, ad unum omnes convaluerunt. Incepi, prævio unico *sudorifero*, pro ætatis diversitate prima & secunda jam die *a V.S. in brachio*, quam sequenti die pro rei exigentia *in pede, ante exanthematum eruptionem*, repetii. *Alexipharmaca*, (malignitatis enim hic summa est habenda ratio. *Sudorifera ex spec. de hyacinth. Liberant.* ♃ *diaphor. C. C. philos. præpar. lap. bez. orient. mithridat. &c.* mutatis mutandis, singulo octihorio exhibui cum sudoris imperio. Quamprimum mentem adverti vacillantem, imminentis delirii prodromum, *Vesicatoria*, nuchæ pedibusque imponi jussi, abdidique *pulveribus sudoriferis confortantia*, nec non *epileptica*, *v. gr. pulv. epilept. March. unicorn. man. specif. cephal. Mich. mag. ungul. alc. perl. &c.* Nimiis vigiliis ac deliriis summis *mistura mea ex mithridatio cum conf. alkerm. pulv. epilept. de gemm. frig. aut analept. &c. Syrup. papav. in aq. solut.* ut plurimum vesperi, & quidem cum fructu obviam veni. *Alvi fluxum stypticis* quandoque singulo trihorio aut quatrihorio exhibitis compescui: obstructionem *enematibus* sustuli. Cum calores p. n. decrescere inceperunt, quod sæpissime sub initium decimi quinti diei contigit, contentus fui solis *pulveribus præcipitantibus*, *v. gr. spec. de gemm. frig.* ♃ *analept. C. C. philos. fl. nitr.* quotidie semel aut bis in usum vocatis. Vinum ac cerevisiam prohibui, concessique solum *aquam ex ras. C. C. ebor. sem. fenicul. rad. scorzon. coctam*. Reliquis symptomatibus ex suis fontibus prospexi. Sub initium quartæ septimanæ, appetitu jam redeunte, ne in priorem morbum recideret, dedi *Laxativum*. Et hac methodo, DEO sint laudes, omnes petechiis etiam pessime decumbentes, excepta unica persona, servati sunt. *Morbilli* mense *Junio, Julio*, omnes fere pervaserunt domos, & observavi illos *epidemialiter* grassatos, primis quatuor diebus ut plurimum gravissimos, apparente efflorescentia, quæ elapso quatriduo evanuit, levissimos. Quibus legitima adhibita fuere remedia, *expellentia* nempe, *sudorifera, v. gr. pulv. alexit. lap. bez. C C. philos. unicorn. mar.* omnes stando quasi ac deambulando detractati, etiamsi convaluerunt, elapsis aliquot septimanis evaserunt. Qui in cura sunt neglecti, aut manamis, aut in *febrem* inciderunt *exanthematicam*, (quam *Rossaliam* nominare solemus; & consistit in maculis rubris, latissimis, in toto corpore densissimis, erysipelas quasi universales referentibus, post quartum diem evanescentibus, & squammularum instar decidentibus, cum ægri alleviatione,) cum caloribus continuis, siti magna, aliquando deliriis, nemini exitiosa; aut reportarunt *tumorem flatulentum totius corporis*, perinultis funestum. Notavi simul, quando unus aut duo in domo morbillos superarunt, decimo demum quarto aut quinto alios ejusdem domus in ægrotantium locum successisse, adeoque morbillosum contagium serpens a 14. in 14. delituisse ac substitisse. *Mense Junio, Julio*, frequens fuit *Ictherus*, cum aliquali alteratione, appetitu dejecto, nausea, siti, oris amaritudine, deturpato cutis, inprimis oculorum, colore, pruritu, urinis croceis, cerevisiæ brunaceæ similibus, turbidis, excrementis quandoque flavis, copiosis, sæpissime albis, cinericiis. Obstructionem ductus choledochi reseravi, bilemque in massam sanguineam, ac in habitum corporis jam derivatam reduxi; ejusque acrimoniam salino-sulphuream excessivam correxi *aperientibus salibus ex pulv. hepat. Tart. Vitriolato, sale cichor. acetosell.* additis *granis aliquot diagrydii*. Instar omnium fuerunt *acidulæ Croaticæ*, quibus bilem sufficienter dilui, atque felicissime spatio 2. aut 3. hebdomadarum ictericos restitui. Præter *hydropes, calculos, podagram, arthritides &c. tempore autumnali* more solito, *Quartanæ* prodiit *contumacissima*, quam, si *Venæ sectione, purgatione*, diebus paroxysmorum instituta, nec non *medicamentis Antifebrilibus chinatis* ter aut quater exhibitis infringere nequivi, reliqui intactam, optime gnarus, multitudine atque frequentia medicamentorum facile ad *Cachexiam ac hydropem* disponi, adeoque magis destrui. *Naturæ* igitur opus hoc commisi, atque expectavi *æquinoctium vernale*, quo tempore natura, uno vel altero medicamento adjuta, quandoque per se febrem hanc feliçissime subigere solet.

Constitutio Epidemica Sempronienſis Anni 1699.

DE Japonibus scribit *Wilhelmus ten Rhyne, Dissert. de Arthrit. in suis notis, p. m. 92.* quod quidem *pestem* ignorent, *variolas* tamen timeant, cum ipsis maxime sint contagiosæ, atque sæva & multiplici hominum strage illorum terras depopulentur, ut major etiam mortalium pars his in Japonia aliquando succumbat, quam peste alibi, atque idcirco præ labis istius metu, parentes liberos, mariti uxores, & quæcunque dulcia sunt vel sanguinis vel thori pignora, relinquant. Unde Japones & Sinæ liberis dotati, ubi interrogantur, quot soboles alant? regerunt totidem, quot variolis jam laborarunt; reliquorum enim vitam in ancipiti locant, adeoque inter permanentes proles non numerant. Idem responsum fere a nobis hoc *anno nonagesimo nono* tulissent Curiosi, si ex uno alterove quæsivissent, quot filios aut filias habeat? Tot nempe, quot jam *variolarum* virulentiam superarunt. Etsi enim apud nos *Variolæ* non adeo aliquando observantur funestæ, hac tamen *hyeme australi, tepidiori ac humidiori* plus minus existente, illæ, pestis instar, in infantes & adultiores furere cœperunt, eosque pro diversitate tempestatum, magisve vel minus maligni ætheris, nec non humorum in corpore existentium, varie afflecerunt. Inceperunt modico cum horrore, quem excepit calor intensus, pulsus fortis, oculi turbidi, sitis intensa, aliquando jactatio inquieta, sternutatio frequens; nonnunquam jam primo aut secundo ebullitionis die apparuit una vel altera pustula in facie, dorso, ut plurimum vero sub finem tertii aut quarti diei eruperunt *variolæ*, primum rubræ, exiles, rotundæ, figura nempe, colore & magnitudine regulari, cum febris symptomatumque, etiamsi hactenus fuerint gravissima, atque nervoso generi periculosissima, remissione, aut notabili diminutione. Hæ turgidæ maturuerunt brevi, justoque tempore exaruerunt jam incrustatæ. In quibusdam subjectis pustulæ fuerunt admodum raræ, solito tamen majores, hinc inde sparsæ, valde discretæ, ita quidem, ut iisdem affecti in lecto vix contineri potuerint, quin deambulare voluerint, si ipsis concessum fuisset, quæ variolæ mitissimæ ac benignissimæ fuerunt. *Diarrhœa* nec non *hæmorrhagia narium*, diebus ebullitionis suborta omnibus saluti fuit, detracta nempe nimium quantum ebullientis ac æstuantis sanguinis, nec non feminii varioloſi parte, quod reliquum fuit varioloſum fermentum facilius, in primis jam laxatis venarum spatiis, evolvi, digeri, expellique potuit, & in his *variolas* observavimus discretas, raras, *benignissimas*, saltim hinc inde sparsas. Qualis enim status humorum ebullientium in corpore, in primis in centro, talis quoque se exseruit & efflоruit in extremis, habitu corporis; unde quo pejor materia ebulliens, eo periculosiores & deteriores variolæ. Sic spiritus quandoque a miasmate varioloſo irritatos magis, quam oppressos observavimus, qui magno sæpe conamine quisquilias suas ad cutem amandarunt, serumque virulentum repurgarunt felici eventu, tuberculis tam magnitudine, quam colore & figura regularibus enatis. Notavimus e contra spiritus a miasmate hoc varioloſo diebus jam ebullitionis obrutos ac fere oppressos, ut amplius sese sufficienter expandere nequiverint, multo minus inquinamenta varioloſa excutere potuerint. Remansit ergo miasma virulentum in massa sanguinea, quam ad coagulum disposuit. Tingebatur quidem cuticula rubedine quasi erysipelacea, ac tumore afficiebatur, nulla tamen aut fere perpauca apparuere variolarum vestigia, potius loco harum rertia jam die maculæ in facie, dorso, natibus, pedibus, manibus, efflоruerunt purpureæ, quæ exacte morsus pulicum aliquo modo obsoletos repræsentarunt, copiosæ, aut diebus ebullitionis, quarta nempe, antequam ulla adhuc comparuit pustula, aut ante plenam & sufficientem variolarum eruptionem, quæ semper manserunt parvæ, sessiles, depressæ, confluentes, duræ, septima die lethales. Observabatur in his pulsus debilis, catarrhus suffocativus, ob nervos affectos, insultus epileptici, subsultus tendinum, deliria, maculæ purpureæ, latissimæ, ac nigredinem spatio aliquot horarum tendentes, ante, aut post mortem largissimum sanguinis per alvum profluvium. Certissima

na ſane ſummæ inflammationis in maſſa ſanguinea latentis, nec non inflantis ſphaceli, adeoque indubiæ mortis indicia. Unam habui virginem octennem, in qua maculæ hæ purpureæ jam diſparuerunt, ut aliqualem reconvaleſcentiæ ſpem nobis fecerint; aſt tempore maturationis variolæ confluentes, inprimis in facie, manſerunt ſeſſiles, depreſſæ, duræ, cartilaginoſæ quaſi, cutis ipſa eryſipelate fuit affecta, & intenſa rubedine tincta, tumida ſymptomata novis acceſſionibus febrilibus fuerunt exacerbata, quæ tandem xv. die funeſto terminarunt eventu. Unicum habui puerulum 7. annorum, ejuſmodi maculis purpureis una cum variolis correptum, qui hæmorrhagia narium copioſa quarta die ſuborta a periculoſſimo atque exitiali hoc malo liberatus fuit. Reliqui omnes his *petechiis purpureis* laborantes, etiamſi ex methodo medendi ordinaria & optima, *expellentibus* nempe, *ſudoriferis*, *alexipharmacis*, *bezoardicis*, *confortantibus*, *nervinis*, *antepilepticis*, *v. gr. ſpec. liberant. de hyacinth. pulv. pannon. lap. bez. orient. pulv. epilept. C. C. philoſ. unicorn. mar. diaſcord. Frac. mithrid. conſ. alkerm. &c.* tractati fuerint, mortui ſunt. Sine dubio a veneno varioloſo peſtifero ſanguinis compages nimis fuit ſolura & jam in fluorem converſa, in primis ſerum acre, virulentum redditum, atque diſpoſitum non ſolum viſceribus, ſed & partibus externis, mediante efflorescentia, necroſin induxit funeſtam. Neque *gravidæ*, licet alias naturæ conſilio a morbis epidemiis immuniores ſint, quam alii, ab hoc variolarum contagio fuere immunes, imo decubuerunt peſſime, hæ ſemper ſexta aut ſeptima die *abortum* paſſæ ſunt cum *magna Uteri hæmorrhagia*. *Variolæ malignæ* utplurimum inceperunt cum *lumborum & abdominis doloribus*, qui ſi cum erupturientibus jam puſtularum notis remiſerunt, *boni*, ſin minus, *mali* fuerunt ominis; utplurimum enim in his variolæ aut non ſufficienter eruperunt, aut, ſi prodierunt, confluxerunt, & tempore maturationis depreſſæ manſerunt, ſæpe refugerunt & in fauces gulamque copioſæ incubuerunt, *catarrhumque lethalem*, inprimis circa morbi ſtatum, induxerunt. In permultis ſalivationem in eruptione, & poſt eruptionem obſervavimus copioſam, qualis a mercurio abſumpto oriri ſolet. *Diarrhœa* diebus maturationis oborta, *peſſima* fuit, natura enim jam debilitata, & in negotio maturationis impedita, deducendo aliorum materiam varioloſam ſuccumbere debuit, variolis non bene maturatis, quin potius collapſis, aut *catarrhus*, aut *convulſiones* ſupervenerunt funeſtæ. Reſpiratio anxia, interrupta, vel ſublimis, inprimis in morbi ſtatu ſemper fuit convulſiva, & indubitatum ſignum malignitatis, quæ nullis medicamentis expelli potuit, quin potius humores in ſuo motu impedivit, atque ſic lethalitatem intulit. Obſervavi in filiolo trium annorum, tempore eruptionis, die tertia & quarta morbi ſummam extremorum, pedum nempe, manuum ad carpum uſque, naſi refrigerationem, ſine ullo ſudore, cum pulſu debili, calorem vero in reliqno corpore ſufficientem ac præternaturalem. Metui ſanguinis recurſum, caloris languorem, & necroſin imminentem, adeoque frigus hoc brevi fore morticinum, in primis materia varioloſa in centro retenta minuſque expulſa, exhibitis tandem *expellentibus* variis, *bezoardicis*, nec non *linteis calido applicatis*, ſparibidui rediit ad extrema calor, variolæque prodierunt copioſiſſimæ cum ſumma ſymptomatum alleviatione, & maturatis tandem variolis, vitæ conſervatione. *Menſe Aprili*, *Majo* notabantur *morbilli*, qui, ſi ex methodo tractati fuerunr, ſudorque ſucceſſit ex voto, in omnibus *benigni*, neque efflorescentia inflammatoria diutius manſit, quam per quatriduum; quo tempore una cum maculis ſquammarum ad inſtar deciduis, calor ceſſavit penitus. Obſervavi autem in quibuſdam morbilloſam hanc inflammationem efforuiſſe in dorſo & facie ad inſtar herpetis, cum puſtulis ſplendentibus, mox in rubedinem morbilloſam ordinariam variæ figuræ abeuntibus. Fuerunt exanthemata hæc morbilloſa mali moris, adeoque in cura probe attendenda, & *expellentibus*, *ſudoriferis*, *alexipharmacis* ſedulo tractanda. *Menſe Aprili*, *Majo*, *Junio* frequentes fuerunt *febres petechiales malignæ*, quæ invaſerunt cum horrore levi, nec manifeſta ſanguinis æſtuatione, ſed calore mitiori, quem aeris injuriis adſcripſerunr ægroti, neque crediderunt ſe ægrotare, donec calor, hactenus effectum ſuum occulens, ingraveſcere vireſque vacillare cœperint, ut jam ægrori decumbere coacti fuerint, magno cum damno ſuo tandiu contranitentes. Acceſſit anxietas præcordiorum, ſiris immanis, capitis dolor, vigiliæ, ſcabrities, deliria, aliaque ſymptomata. Qui ab initio *Venæ ſectiones* admiſerunt, medentumque opem implorarunt, atque dicto præſcriptove audientes fuerunt, evaſerunt omnes; qui vero neglexerunt curam, eamque demum die VI. aur VII. inchoare voluerunt, ii plerumque die XIII. XIV. XV. XVIII. XIX. mortui ſunt. Quicunque a *Purgantibus* credentes vitium hærere in Ventriculo, curam inceperunr, ad unum omnes deceſſerunt, & in illis maculæ obſervatæ ſunt longe majores ac latiores. Qui ſudare ad varie aſſumpta *alexipharmaca*, *diaphoretica*, *expellentia* in incremento & progreſſu morbi non potuerunt, eriamſi bene ac perite, alias tractati fuerint, morrui præceſſerunt *ſudores ſpontanei*, copioſiſſimi, reſolutivi. *Subſultus tendinum* in tangendo pulſu in ſtaru morbi notarus ſemper *exitialis* fuit. *Convulſiones epilepticæ*, in primis diſtorſiones in ore & fronre variæ, *funeſtiſſimæ*. *Senſus hebetior*, ſi nempe ægroti ſe non laborare, ſed optime valere dixerunr, *manus tremulæ*, *reſpiratio difficilis ac frequens difficillima citra faucium tumorem deglutitio inevitabilem pronunciarunt mortem*. *Maculæ quo tardiores in efflorescentia*, *eo pejores*, unde apud quos die demum ſeptima, aut nona, prodierunt, ut plurimum obſervabantur funeſtæ, ſecus, ſi jam quarta eruperunr. Eædem *ex rubro colore* tendentes in *lividum*, *nigrum* extremam ſanguinis eruptionem indicarunt. Circa *Solſtitium*, *menſe Junio*, morbus hic fuir *peſſimus multiſque exitialis*. Cauſa hujus febris petechialis malignæ, cum calor ſæpe, in primis in inirio, non adeo lævus fuerir in prava & maligna indole quærenda fuit, quæ citra inſignem calorem vi ſua corrodente partes corporis fluidas & ſolidas corrupit, diſſolvit, deſtruxit, ac violentia ſæpe materiam expulit, modo *per alvum*, criſi imperfecta ac funeſta, modo *per inſenſibilem tranſpirationem*, ubi ægrori, in primis ſub finem, ſudoribus fere diffluxerunt, qui reſolurivi, peſſimi. Sanguinem igitur ac ſerum in hoc morbo coagulari ac incraſſari, ſæpiſſime ex ſale corrodente maligno ſummam contrahere acrimoniam, ex ſymptomatibus abunde claret.

Conſtitutio Epidemica Sempronienſis Anni 1700.

HOc anno inſueta fere fuir aeris intemperies. *Menſe Januario*, & *Februario* temperatum frigus extitit; *menſe Martio*, nec non *Aprili* fere toto tempeſtas nivibus & gelu ſæviit, quo tempore graſſari cœperunt *febres continuæ exanthematicæ*, ſolis *confortantibus*, *blandiſſimis diaphoreticis remixtis*, tractandæ. Etenim, qui more ſolito aſſumpſerunt & continuarunr, *ſudorifera*, *ex ſpec. de hyacinth. Liberat.* ☿. *diaph.* ☉ *volat.* C. C. *mithridat.* illi omnes viribus, exinde exhauſtis, & convulſionibus ſubortis migrarunt ad ſuperos; qui vero in principio rractati ſunt *Venæ ſectione*, deinde *blandioribus diaphoreticis*, ur plurimum tamen *confortantibus & epilepticis*, *v. gr. pulv. epilept. M. ſpecif. cephal. pulv. analept. mag. gran. kerm. perlar.* C. C. *unicorn. mar.* convaluere omnes. Calores non adeo intenſi fuerunr, debilitates vero ſummæ cum vigiliis, ſudoribus ſpontaneis, pulſu celeri, frequenti, tremoribus, nec non motibus convulſivis. *Menſe Junio*, *Julio* plures pluvioſæ notabanrur dies, quam ſerenæ; *menſis Auguſtus* & *medius September* fuere ſereniſſimi, calidiſſimi. *Reliquo medio Septembri* & *toto menſe Octobri* ranta pluviarum fuit frequentia, ut poſt hominum memoriam his menſibus viſæ non fuerint crebriores. Si enini de die non pluit, certe nocte pluit, imo poſt 14. dies pluvioſos vix duo ſereni apparuerunr, quos ſtatim pluviæ exceperunt continuæ. Per has igitur inſuetas anni conſtitutiones ſævierunt *Tuſſes*, *rheumatiſmi*, *febres*, in primis *quartanæ*, quæ in vicinis noſtris locis fuerunr *epidemicæ*, *apoplexiæ ipſæ*; apud infantes frequentes fuerunt *variolæ erraticæ*. Senes experti ſunr *debilitates ſummas* inſtar *febrium continuarum*, ſed *benignarum*, *recurrentes*, quæ *ſolis confortantibus medicamentis* ceſſerunt.

Conſtitutio Epidemica Sempronienſis Anni 1701.

ANnus ineuntis hujus ſæculi incepit eadem inconſtantia, qua ultimus annus ſæculum finivir. *Januario* quippe & *Februario* frigora uno vel altero die notabantur inrenſa, rertio vel quarto valde remiſſa, unde ex inſuetis his anni mutationibus ortæ ſunt *defluxiones biliioſæ in brachiis*, *oſſe iſchii*, *pedibus*, ſumme dolorificæ, urrique ſexui infeſtæ. *Rheumatiſmi hi biliioſi ſudoriferis* neutiquam tractari debuerunt, utpote quorum uſu dolores ſemper exacerbati ſunt, meliori vero ſucceſſu *digeſtivis ex ſalibus*, *v. gr. pulv. hepat. rubr.* ☉ *cichor. acetoſel.* ♀ *vitriolat. diagryd. ſulphurat.* quotidie adhibitis obtemperarunt, & intra XXIV. dies evanneruntt. *Martius* fuit valde benignus, *Aprilis* vero & *medius menſis Maji* ob frigora infantibus funeſtus, hi nempe valde infeſtabantur *Vomitibus*, *catarrho ſuffocativo*, *colicis convulſivis*, *epilepticis*. In *Junio* nil occurrebat notatu dignum, niſi quod mane hoc & præteriro menſe rorem in foliis arborum, in primis prunorum, inſtar mellis, noſtrares vocant *Honigthau*, eumque fructiferum indicare annum credunt, copioſum obſervaverimus. *Julius* torus exæſtuavit, nil tamen mali, quod mirum, produxir, niſi *febres tertianas*, (quæ ſexto paroxyſmo abierunt,) & in ſenibus, adultis ac infantibus *puſtulas*, ſive *exanthemata milliaria*, quæ occuparunt totum corpus cum moleſtiſſimo pruritu. Cauſa ſine dubio quærenda in efferationibus biliioſis, in primis lympha ab externo calore valde intenſo evocata, ſed facile *refrigerantibus*, *v. gr. pec. de gemm. frig. fl. nitr. lap. cancr. &c.* & *balneis hordeaceis* repreſſa ac contemperara. Toto menſe *Auguſto* calores fuere intenſiſſimi, pluviæ pauciſſimæ, fere nullæ, nocles ſimul calidæ. Jam valde graſſari cœperunt *febres* cum frigore duarum, aliquando rriuni horarum, inſecutus eſt ſtatim calor ulrra 40. horas durans cum capitis dolore, ſiti, virium proſtratione, linguæ & faucium aridirate, vigiliis, quandoque deliriis, ur juraſſes *febrem* imminere *continuam*, ſed poſt adhibita *ſudorifera*. *Venæ ſectionem*, remiſit calor atque *intermittentem febrem*, ita tamen, ut vix aliquor horæ inter paroxyſmum & apyrexiam inrerjectæ fuerint; & ſic una febris excipit alteram, afflixirque diu infirmos; rariſſime enim ante nonum paroxyſmum terminavit. Si *Venæ ſectione*, *diaphoreticis & præcipitantibus*, cum malignitate non caruerir, rite tractabatur, nulli fuit funeſta. Febres hæ maxime ſævierunt *menſe Septembri*, quem obſervavimus calidiſſimum, ſiccisſimum, ſine ullis pluviis. *Menſis Octobris* incepit cum pluviis, quæ per aliquor durarunt dies, inſequentibus mox caloribus inſuetis, ac vix poſt hominum memoriam notaris. Continuaverunt æſtuoſiſſimi dies per *Novembrem* ferè totum, ita, ut nullus ſenum tantæ æſtatis & autumni calidi, & conſtantis recordari potuerit, unde optimum & generoſiſſimum crevit vinum, quod tamen ſucceſſu temporis minus generoſum evaſit. *Morbi* fuere *pauci*, iique ut plurimum *ordinarii*. *Sub finem Decembris* exaſperatum fuit cælum, & terra frigore obriguit.

Conſtitutio Epidemica Sempronienſis Anni 1702.

HAc hyeme permutata quaſi videbantur tempora. Frigora intenſa ſolum durarunr ad ſextum *Januarii* diem, ſeptimo ſupervenerunt pluviæ, ſubſequentibus diebus nebulæ, cælum turbidum, mox ſerena, calida tempora. Toto *Februario*, exceptis vehementiſſimis ventis, eadem fuit cæli facies, nullum frigus, nullæ nives, ut plurimum ſiccitas, ſerenitas, ur credidiſſes imminere æſtatem; nocturno quidem & maturino tempore quandoque aura obſervabarur frigidiuſcula, ſole tamen oriente ſtatim fuit temperata, unde jam *medio Februarii* habuimus flores violarum, nec non flores ceraſorum acidorum. *Morbi* his menſibus, præter *catarrhos frequentes*, vix notabantur alii. *Martius*, qui inſecutus eſt, fuit ſiccus, quandoque ventoſus, pluviæ, quæ oboriebantur, fuerunt remperaræ, fertiles. Hujuſmodi initium *phthiſicis*, *hecticis*, *hydropicis* valde fuit funeſtum. Circa *æquinoctium vernale* inceperunt copioſæ inter pueros graſſari *febres continuæ*, ut plurimum *malignæ*, *petechiales*. Invaſerunr illos leviſſimo rigore, laſſitudine ſpontanea, ſuccedente calore non adeo magno, ſubinde remittente, ſed tertio aur quarto die vehementius recurrente, quo ut plurimum in conſpectum venerunt exanthemata, deliria brevi poſt comparuerunt, in quibuſdam vehementia, & quidem cum vigiliis, in quibuſdam breviora, maculæ erant parvæ inſtar morſus pulicum. *Febres hæ epidemicæ diaphoreticis*, *præcipitantibus & confortantibus temperatis*, non *ſudoriferis fortioribus*, tractatæ, nulli fuerunt funeſtæ, ſed valde *contagioſæ*. In *adultioribus*, urpote viris, *maculas*,

ut

ut plurimum obſervavimus *latas*, ſucceſſerunt ſtatim deliria, convulſiones, epilepſiæ, & his fere omnibus decima tertia dies fuit exitialis. Duravit epidemica lues in *Junium* uſque, quæ ſine dubio magnis ſiccitatibus cum Hippocr. 3. Aphor. 7. adſcribenda. *Aprilis* plerumque fuit ſerenus, calidus, ſubinde ventoſus, frigidus. Hunc excepit *Majus* frigore quidem moderato, ſæpe tamen, præſertim Borea interſpirante, rigidiuſculo: fuit variabilis, nunc calidus, nunc turbidus, pluvioſus, mox frigidus, ventoſus, unde vitis juſto tardius & inæqualiter gemmas ſuas prottuſit. Frequentes hoc menſe fuerunt *arthritides vagæ*, quæ ſolo reiterato *Laxantium*, minus *ſudoriferorum*, uſu tractari voluerunt. *Julius* fuit valde temperatus, calidus, ut & *Auguſtus*, ſi exceperis imbres & tonitrua horrendo fragore & fulguribus, in primis noctu, *menſe Auguſto* frequentia, & grandinibus inſolitis, quæ aliquoties præſertim die 12. 13. 18. promontoria noſtra fere omnia, & quidem optima, valde deſtruxerunt remixta. Fructus omnes horæi valde fuere inſipidi, humidi, & ad putredinem proclives. Unde frequentes habuimus *febres*, primo intuitu *continuas mentientes*, adhibita tamen *Venæ ſectione* & *ſudoriferis*, tertio & quarto die in *intermittentes tertianas* degenerantes, tandem *præcipitantibus & laxativo* brevi conſopitas. *September* comparuit uno alterove die ſerenus & amœnus, tertius & quartus ſerenum diei cælum noctu tempeſtuoſo tonitru & fulguribus terribilibus fœdarunt. Sequentes dies mox ſereni, mox turbidi, pluvioſi, aliquando frigidi, in primis noctu, & notavimus circa feſtum Matthæi bis pruinas, ſed plane innocuas. Hoc menſe habuimus *Diarrhœas*, *dyſenterias*, quibus adhibitis *rhabarbaro toſto cum myrobalanis*, & dein *adſtringentibus ex corall. fl. ferr. cum mithridat.* cito medebamur. *Octobris* quatuor dies initiales fuerunt ſereni, amœni, calidi, his quatriduum ſucceſſit frigidum, ventoſum, imbridum, nivoſum, autumni præludium, octava mane gelu & pruina nocentiſſima folia ac uvas nondum maturas in omnibus fere promontoriis decoxerunt, & millena damna fecerunt. Jam remittere cœpit frigus, & cælum ad aliquot dies inclaruit. Circa *medium menſis* fere octo turbidi, nebuloſi, ſolis expertes, notabantur dies. Tandem circa 20. exortis ventis, nebuliſque diſcuſſis cæli facies mutari cœpit, æſtaſque in autumno conſtans comparuit. Fuit enim ab hoc tempore ad ſextum *Novembrem* ſerenitas, cum frigida tamen aura matutina. Septima tota die pluit, octava nix cecidit ingens; ſucceſſit horridum gelu octiduum fere durans, quod & botros in copia adhuc in promontoriis exiſtentes vix non in lapides convertit. *Medio Novembris* amœnior aura comparuit, caloreque ſortiori nives uvaſque glacie adſtrictas ſolvit. Hoc tempore frequentes fuerunt *febres*, quæ nullum ſervarunt typum, quin potius *febres malignas* mentitæ ſunt. Invaſerunt cum horrore caloribus primis diebus fere continuis, ſummo virium languore, capitis dolore, ſiti, oris amarore, ſiccitate linguæ. Adhibitis *Venæ ſectione & ſudoriferis blandis*, tertia vel quarta jam die terminarunt in *intermittentes*, quarum paroxyſmos *arcano duplicato*, *ſale Card. Ben. cort. chin. de chin.* ac tandem *levi laxativo* ſuppreſſimus. In his notatu dignum fuit, quod, etiamſi valde poſt febres comederunt, vires tamen per longum temporis ſpatium recuperare nequiverint. His menſibus copioſe graſſari cœperunt inter pueros & puellas *variolæ*, quæ obſervantur modo *benignæ*, modo *malignæ* confluentes, depreſſæ, adhibitis *blandis diaphoreticis*, ſanguinem contemperantibus, verbi gratia *pulv. alexit. C. C. philoſ. pulver. epilept. ſpec. de hyacinth. uniçorn. mar.* aliquando, ſi exire noluerunt, addito *ſale volat. C. C.* nec non *lap. bezoar*, nulli funeſtæ. Accuratam inſuper ſymptomatum rationem habere debuimus. Sic accidit, ut puerulus V. annorum ex variolis malignis convaleſcens *gingivis ſuperioribus* repoſtaverit *ulcuſcula*, quæ primo intuitu ab adſtantibus pro *aphthis*, *Mundfaule*, judicata & tractata ſunt, elapſo 24. horarum ſpatio corroſivitate ſua magnam jam maxillæ ſuperioris & inferioris occuparunt partem cum ſummo fœtore & nigredine, maximoque imminentis *ſphaceli* periculo. Adhibuimus frequentiores *injectiones ex decoct. rad. ariſtoloch. iridis flor. maſtiche*, *thure*, *mundificantia*, *balſamica*, *v. gr. elix. Propr. ſine acido*, *balſ. peruv.* quibus tandem corroſivitas, fœtor, nigredo receſſit, & puerulus priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt. Taceo *catarrhos*, *rheumatiſmos menſe Novembris & Decembris* frequentes. Sine dubio morbi hi ut plurimum ex lympha a varia aeris anomalia, nec non erroribus diætæ, v. gr. fructibus horæis hoc anno valde putridis, viſcedinem & ſpiſſitatem diſpoſita, quæ in ſanguine coacervata eundem in tumultuarios motus concitavit, deducendi.

Conſtitutio Epidemica Sempronienſis Anni 1703.

ANni hujus principium aura temperatiori, nivibus ſtipata illuxit, paulo poſt ſucceſſit frigus intenſum, quod brevi remiſit, et pluvias abiit. *Februario* gelu ſæviit ingens, niveſque ceciderunt ſæpiſſime, mox tamen accedente aura calidiuſcula in liquorem ſolutæ. *Martius* comparuit caloribus amœniſſimus, ſicciſſimus, quandoque tamen interveniente Euro, rigidus. *Aprilis* ſimul præter morem ſiccus fuit. Habuimus his menſibus ventos vehementes, nives copioſas, quæ terram liquore balſamico ſufficienter irrigare potuerunt. *Majus* & *Junius* fuere æſtuoſiſſimi cum pauciſſimis pluviis; unde uvæ circa feſtum Viti jam fere defloruerunt omnes. Hoc ſemeſtri notavimus *febres continuas*, non adeo frequentes, nec malignas, ſine dubio, ob vinum nimis leve ac tartareum, quod præterito crevit anno, diureticum, minus ſanguinem accendens. *Variolas* habuimus in copia, modo *benignas*, plerumque *malignas*, ſeſſiles, depreſſas, quæ tamen ſi rite *bezoardicis temperatis*, *expellentibus*, *confortantibus*, *v. gr. pulv. alexit. ſep. de hyacinth. antimon. diaph. C. C. philoſ. præp. pulv. epilept. lap. bez. orient. unicorn. mar. mithridat. &c.* tractatæ ſunt, pauciſſimis, imo fere nullis funeſtæ. Et licet plurima tum temporis conſpicerentur puerilia funera, cauſa tamen mortis magis adſtantium incuriæ & negligentiæ, aut medicaſtrorum præpoſteræ ac perverſæ curæ & imperitiæ, quam malignitati adſcribenda. Notatu dignum fuit, me his temporibus inter alios habuiſſe Comitiſſam valde ſanguineam, corpulentam, jam fere quadragenariam, variolis correptam. Huic ſub prima morbi invaſione, quæ erat cum rigore, caloribus, cordis compreſſione, virium languore &c. curavi aperiri *mediánam*, præſcripſi *bezoardicos expellentes pulveres* more ſolito, *pulv. alexit. C. C. philoſ. lap. bez. orient. unicorn. mar. &c.* & ecce præter omnium expectationem tertia & quarta die erupere per totum corpus *variolæ* copioſiſſimæ, ſexta acceſſit *immodicus menſium fluxus* ad inſtar puerperæ, retroceſſerunt illico variolæ, quæ abſque hoc fuere depreſſæ, ſeſſiles, confluentes, verbo, peſſimi moris. Mutavi medicamenta, dedi frequenter *ſpec. de hyacinth. corall. rubr. terr. ſigill. mithridat. mag. ſmaragd. pulv. epilept. M.* non omiſſis *confortantibus*. Fluxus hic immoderatus continuavit octiduum, nec *ſtypticis* ſiſti potuit: durante fluxu variolæ non creverunt, nec ad maturitatem tendere voluerunt, ſed confluxerunt, majoraque conciliarunt ſymptomata, etiamſi *expellentia*, *bezoardica antepileptica ſtypticis* ſemper conſideratiſſime miſcuerimus; octiduo elapſo fluxuque cohibito tandem parvulæ hæ variolæ, non faſtigiatæ, maturitatem receperunt, ſymptomata remiſerunt, & Illuſtriſſima Comitiſſa a varioloſo hoc affectu, periculi pleno, præter omnium opinionem ac ſpem, liberata eſt. Variolæ hæ permultorum oculis valde fuerunt infeſtæ, & modo *inflammationem* reliquerunt pertinacem, modo *humorem depoſuerunt contumacem*, ac coagulationi vel condenſationi aptum. Priori feliciter medebamur *aquis ophthalmicis ex aqu. plantag. roſar. chelid. tut. præp. ſach. ſaturn.* poſteriori inflatione *pulveris ſubtiliſſim. ex ſach. canarienſ. antim. crud. lap. ſciſſil. præp. perl. præp.* & ſi opus fuit, *Veſicatoriis*. His menſibus varios atque diverſos notavimus *hæmoptoicos*, tam ſenes, quam juvenes; in quibuſdam enim ſanguis ἀθρόως καὶ βιαίως ad aliquot libras *ſine ulla prægreſſa tuſſi* excretus eſt, & in his fere nulla adfuit irritatio, ſed ſanguis floridus lubricavit ſibi ipſi viam, & unica irruptione extravaſatus per os affectavit exitum; in quibuſdam *quaſi extuſſiendo* ſanguis pedetentim rejectus eſt, in his ſine dubio vaſa pulmonum fuerunt eroſa, & ſalinæ particulæ maſſa ſanguineæ inexiſtentes teneras pulmonum veſiculas ſtimularunt, inde irritatione facta tuſſis producta fuit cruenta. His feliciter ſubvenimus *Venæ ſectione & medicamentis adſtringentibus ex compoſ. ſperniol. Cr. lap. hæmatit. ocul. cancr. trochiſc. de ſpod. de carabe*, addito *laudano de tribus* in refracta doſi. Si ſanguis fuit ſedatus, ordinavi *pectoralia traumatica cum reſolventibus mixta*, *v. gr. elix. pectorale cum eſſ. traumatica*, nec non *decoct. pector. ex fl. & fruct. pector. uſitat.* item *gelatinam pectoral. ex raſur. C. C. ebor. cum herbis pectoral.* factam, it. *decocta ex herb. alchymill. ſcabioſ. pyrol. ſanicul. millefol. tuſſilag. pulmonar. heder. terreſt. rad. tormentil. ſem. aniſ. fœnic. rad. chin. &c.* Menſe *Junio* ex caloribus inſolitis, nec non ingurgitatione aquæ frequentiori adultiores æque ac juvenes reportarunt *febres tertianas* frequentes, ſed ſumptis *ſalibus abſint. centaur. min. card. ben. cort. peruv.* ac tandem *purgante* brevi curatas. *Julius* non tam amœnus & ſerenus fuit, quam pluvioſus, nocte dieque frigidus, ventris ſumme moleſtus, qui in primis a die quarto ad octavum valde ſævierunt, & frumento, quod violentia ſua excuſſerunt, quam maximum intulerunt damnum; circa 24. ad finem uſque calidiſſimi notabantur dies. *Auguſtus* incepit cum frigore pluviis, quæ hoc menſe fuerunt copioſæ, flante tamen auſtro ſuos alternavit dies, fuitque variabilis & inconſtans. *September* extitit ſereniſſimus, amœniſſimus cum inſolito aeris fervore, quandoque pluviis intemperiem ſolis contemperantibus atque terram irrigantibus. *Octobris* primi octo dies fuerunt pluvioſi, frigidi ſimul, hoc tamen non obſtante, tertia & ſexta die obſervavimus tonitrua & fulgura, elapſo octiduo ceſſarunt pluviæ, & ſubſolanus ſuperveniens radiis ſolaribus non ſolum terram madidam ſiccavit, ſed & botros a nimiis pluviis jam putrefactos valde exſiccavit, illoſque in pulveres fere redegit. Toto *Novembris*, nec non *Decembris* menſe cæli temperies notabatur placidiſſima, ut credidiſſes vernum adeſſe tempus. Circa natalitia intenſum frigus ingruit, terraque congelavit. Frequens hoc ſemeſtre *biliоſas* notavimus *febres*, quæ cum rigore, mox caloribus, vomitibus, præcordiorum anguſtiis pueros æque ac adultos invaſerunt, primoque intuitu *continuas* mentitæ ſunt. Duravit calor ut plurimum 40. horas cum dolore capitis, ſiti vehementi, ariditate linguæ ac faucium, adhibitis vero *Venæ ſectione*, *diaphoreticis*, remiſit, & in *ordinariam tertianam* cum apyrexia degeneravit, atque *antifebrilibus ſalibus*, nec non *chinatis* rite tractata ſexto paroxyſmo ceſſavit. Memini, me plurimos habiſſe, qui octavum ſuſtinuerunt paroxyſmum, & hi ex febre reportarunt *icterum*. Calor hic non adeo flavus, ſed ſaturatior & fuſcus fuit, ſine dubio a particulis acribus, biliоſis, ſulphureis, quæ copioſius in ſanguine collectæ tandem in habitum corporis ſeſe diffuderunt, cutemque deturpato imbuerunt colore. Alvus in his omnibus ſufficienter ſuo fungebatur officio, porum choledochum in duodeni & jejuni confinio non fuiſſe obſtructum. His feliciter, & quidem intra paucos dies medebamur *pulveribus ex ſale cichor. arcan. dupl.* aut *tart. Vitriolat. ſpir. ſalis coagulat. pulv. hepat.* additis non nunquam *aliquot granis diagryd. ſulphurati*. Veriſſimum itaque eſt *Dioclis* monitum, notante *Celſo*, prodeſſe nempe *icterum*, ſi poſt *febrem* oritur. His temporibus aliquos notavi *cachecticos*, nec non *hydropicos*, qui in *icterum flavum* inciderunt, quorum ſuperiora corporis marceſcebant, & mirum in modum flaveſcebant, tumentibus interim inferioribus & abdomine. Veſiculæ in horum pedibus obortæ ſtillabant liquorem ſumme croceum. Cauſa ſine dubio ſalibus lixivioſis ſulphur ſanguinis ita modificantibus adſcribenda. Cura ad tenaciſſimas obſtructiones tartareas, & dyſcraſiam viſcerum dirigi debuit, & profuerunt in ſpecie *martialia*, *pulvis cachecticus*, *Tinct. mart. aperit. Mynſ. ſpir. aperit. Penot. Purgantia* ſingulo octiduo ſemel exhiberi debuerunt, v. gr. *Recipe pulv. rhabarb.* ℈j. *jalap.* ℈ß. ⊙ *abſinth.* gr. vii. g. g. gr. ij. *ol. mac.* gttj. *M.* Quod ſi venter a *laxantibus* obſervabatur detumeſcere, bis cum ſucceſſu ſingula hebdomada pro exigentia ſymptomatum & ratione virium propinari potuerunt; ſin tumor poſt purgantium uſum in eodem ſtatu manſit, aut infirmus naturæ ductu frequentes dejectiones ſine alleviatione habuit, abſtinendum fuit a purgantibus. *Diuretica* in caſibus alias omnem abſolvere videntur paginam, hic tamen cum ſummo judicio & diſcrimine adhiberi debuerunt, & ſi unquam, certe hic, urinæ ſtatus probe conſiderandus fuit. *Urina cruda*, *alba*, *tenuis* teſtabatur de ſanguinis textura valde laxa, & hæc pro medela requirebat *ſalia lixivioſa*, ut pote *ſal. ſtipit. fabar. ononid. junip. ebul. abſinth. tart. vitriolat. ſpiſ. ſal. coagul. &c.* *Urina rubra* docuit ſanguinis texturam eſſe valde ſtrictam, atque abundare ſalibus lixivioſis, unde præſcribi debuerunt *ſalia volatilia*, v. gr. *ſuccin.* ⊖ *volat. tartar. buſon. lumbric. terreſtr.* in primis *amara decoctum ex herbis*, *abſinth. mij. eupator. mar.* ā ℥ß. *bacc. junip. mj. rhapont. ver.* ℥ß. *m. pro infuſo &c.* *Scroto tumenti* maxime profuit *decoctum ex fol. rut. abſinth. menth. mil. cumin. cum vino* factum, & cum ſpongia calide applicatum.

Fe-

Febres petechiales, quæ obſervabantur, fuerunt valdæ *benignæ*. Alias, præter morbos ordinarios, *catarrhos* nempe, *tuſſes*, *rauçedines &c.* nil memoratu dignum occurrit.

Conſtitutio Epidemica Sempronienſis Anni 1704.

Januarius ineuntis hujus anni totus fuit valde frigidus, nivoſus, *Februarius* e diverſo præter morem temperatus, ut plurimum ſerenus, aliquando pluvioſus, aliquando ventoſus, quandoque nivoſus. *Martius* incepit cum intenſo frigore, ſolis tamen ſplendore atque ſerenitate temperato, quinta nix ceçidit copioſa, quæ ſexta jam in liquorem abiit, ſeptima ſupervenit tempeſtas tumultuaria, valde nivoſa, octava dies fugatis nubibus purgatoque aere mira illuxit ſerenitate, quæ tempeſtas pulcherrima, ventis mitioribus remixta, ſicca, non ſolum ad *æquinoctium vernale* duravit, ſed & uno quaſi tenore in *Aprilem* uſque continuavit. Imo *Aprilis* ſua natura alias variabilis, hoc anno fuit amœniſſimus, ſerenus, ſiccus, abſque pluviis fere, cum caloribus ad finem uſque prope æſtivis: die 27. tonitrua & fulgura ingentia cum pluviis habuimus, ſol tamen nubila mox ſerenavit, unde arbores juſto citius folia & flores emiſerunt ſuos. Tertia *menſis Maji* dies incepit cum pluviis, quas ſecuta ſunt frigora, & quinta pruina matutina, quæ vineis noſtris maximum damnum intulit, alias totus menſis fuit ſerenus, calidus, ſiccus, ventoſus. Succeſſit *Junius* ſereniſſimus, ſiccisſimus, pluviarum expers, ventis tamen mixtus. His menſibus, inprimis ſuperioribus, Morbona æque ac Belona apud nos valdæ ſævit. Hungari quippe a Noſtris deditionem civitatis ſolicitantes, ſed repulſam reportantes rabie velut accenſi hinc inde diſcurrerunt, nobiſque excidium minati ſunt. Civitatem d. 18. Februar. e longinquo obſidione cinxerunt, eam tamen ſuperve nientibus adverſis cæli tempeſtatibus, nivibus nempe & ventis inſolitis, intra biduum ſolvere coacti ſunt, interim IX. ſeptimanis nos undique tenuerunt concluſos, ut nullus exire auſus fuerit. Milites Cæſarei frigoribus & militaribus laboribus, inprimis triſti eſuritione & aquæ potu valde hactenus debilitati, huc tandem in defenſionem civitatis diſpoſiti ad novi deſuetique cibi ac vini copiam, quæ miſeris noſtri large obtulerunt, gravati in periculoſos inciderunt *morbos*, *caſtrenſibus non abſimiles*. Conqueſti ſunt de *languore totius corporis*, *nauſea*, *ſtomachi gravedine*, *caloribus*, *ſiti*, *dolore capitis*, *vigiliis*, acceſſerunt *deliria*, aliquando *alvi fluxus*, non nunquam *petechiæ*. *Venæ ſectio* prima aut altera die inſtituta, nec non *ſudorifera ex ſpec. de hyacinth. C. C. philoſ. lap. cancr. antim. diaph. &c.* ſæpe in herba ſuppreſſerunt malum, unde ægri intra quatriduum convaluerunt. *Purgantia* & *Vomitoria*, etiam in pricipio adhibita, non conduxerunt, morbum potius exaſperarunt, & malignitatem latentem evocarunt, qua tandem *expellentia*, inprimis *mithridatium cum confect. alkerm.* & *confortantia* diu continuata ſuſtulerunt. Qui methodo ordinaria fuerunt tractati, evaſerunt omnes periculum; qui autem citius juſto noſocomiis valedixerunt, etiamſi fere nullos in diæta errores commiſerunt, ut plurimum in priorem morbum reciderunt. Inter hos unus *febre maligna* laborans ex delirio furibundus proſiliit e lecto, & per feneſtram ſecundæ contignationis ſat altæ in fluentum præcipitem ſeſe dedit; in aqua hinc inde diſcurrit, defatigatus tandem, & exanimis fere in lectum deportatus *alexipharmacis*, *ſudoriferis*, *confortantibus* convaluit. *Morbus* hic *epidemius* a victu profectus primo menſe militibus gregariis inhæſit, brevi poſt cives, qui curis, laboribus, frigoribus, excubiis diurnis & nocturnis inſuetis defatigati vino horno, generoſiſſimo, dulci, etiam nocturno tempore præter morem indulſerunt, invaſit, atque in *febres malignas petechiales* degeneraverit. Sanguis quippe una cum reliquis humoribus ex erratis vitioſam diatheſin nactus facillime malignitatem concipere potuit. Inceperunt *menſe Februario* cum languore ſummo, calore moderato, qui in dies crevit, vigiliis, ſiti intenſa, aliiſque febrium comitibus ſymptomatibus. In his ſi exanthemata prodierunt die quarta, evacerunt omnes rite tractati periculum die XV. ſecus ſi maculæ in conſpectum venerunt die ſeptima: infirmi enim periculoſiſſime tunc temporis decnbuerunt, & 21. demum die mortis periculo liberati ſunt. *Menſe Februario* valde *benignæ* fuerunt *petechiæ*, *Martio* pejores, *Aprili* peſſimæ. Obſervavi in quodam juvene ſat robuſto petechiis laborante, *puſtulas* XIV. morbi die exeuntes *pellucidas*, ceu *cryſtallinas*, partim *millii ſeminis*, partim *lentis*, imo multas *piſi* magnitudine hinc inde per totum corpus diſſeminatas, in dorſo vero numeroſiſſimas, *aqua plena*, ſumme *maglinas*; intendebatur enim febris cum anxietatibus, cordis compreſſionibus, convulſionibus; albeſcere tandem hæ veſiculæ & ſuppurare cœperunt, hinc exſiccatæ jam exaruerunt, & ſquamatim circa 21. diem deciderunt, quo tempore pauperculus morti jam vicinus, præter omnem ſpem feliciter enavigavit periculoſiſſimam hanc charybdin. In *fœminis* ſemper notavi *menſium fluxum*, aliquando *diarrhœam* ſimul, quæ omnibus fuit *funeſta*. *Deliria præmatura* fuerunt *exitioſa*. Sic robuſtus quidam Vir 45. annorum, quinta morbi die incepit delirare, ſexta eſt mortuus; & fœmina triginta annorum ſimiliter robuſta tertia die delirans, quarta eſt mortua. Horum ſanguis prima & ſecunda morbi die *Venæ ſectione* extractus exhibuit in ſuperficie pituitam denſiſſimam inſtar cruſtæ vix ſeparabilem, & croco quaſi tinctam; brevi ante mortem bilis utrinque ſeſe diffudit in totum corporis habitum, ſingula mortis prænuncia. In *febribus* hiſce *malignis* frequens fuit *attritio* aut *excoriatio in natibus*, non ſolum a longiori decubitu, quin potius a ſanguine ſuo modo malignitate corrupto deducenda; qui qua data porta, ſarcinam ſuam deponendam & excernendam quæſivit. Latuit autem utplurimum *gangræna* & *ſphacelus*, caroque tandem adhibitis adhibendis, v. gr. *unguentum ægyptiac.* ad os uſque excidit cum ægrorum levamine. *Menſe Februario morbilli* epidemice graſſari cœperunt, qui tamen ex methodo tractati *benigni* fuerunt, *inſtante æquinoctio verno* indies magis invaluerunt, & invaſerunt infantes æque adultos, & puerperas, cum horrore, caloribus ſummis, ſtillicidio lachrymarum copioſo, mordaci, oculorum rubore ac tumore, cum tuſſi ferina, gravitate & compreſſione pectoris, maculæ effloruerunt ut plurimum ſecunda morbi die, aliquando quarta, quandoque ſeptima, & perſtiterunt quatuor aut quinque dies. Obſervavi hoc tempore *morbillorum tres ſpecies*, *maculas* nempe *latas*, *rubras*, ſine puſtulis, adeoque *non elevatas*, *neque ſuperficiem cutis ſuperantes*; altera ſpecies *cutim ſolum tranſparuit*, & hæ duæ ſpecies inadvertenter evanuerunt, quas vulgus retroceſſiſſe putabat; tertia prodiit cum *maculis parvis rubris*, quæ in dies auctæ, & *ſupra cutis ſuperficiem modicum elevatæ* raccmatim coaluerunt, quarumque protuberantia, digito leviter admoto tactu percipi potuit; poſt quinque dies, morbo jam remitteute, maculæ per totum corpus latiſſimæ & maxime rubentes evanuerunt, atque ſquamularum forma deciderunt, cute farina quaſi conſperſa relicta. *Morbilli* quo citius prodierunt, eo benigniores, quo tardius, eo pejores fuerunt. Inceſſit ſæpe hic morbus ſub vario ſtipatus ſatellitio. Sic *menſe Aprili* ad puerperam vocatus deprehendi *morbillos* copioſiſſimos, protuberantes, quibus interſperſæ fuerunt *maculæ petechiales*, deliravit valde, imo tubarum in vicinam inflatarum cantus & pulſati tympani ſonos, inter difficultates ſomni per phantaſiam oblatos articulata imitata fuit, frequenter riſit, convulſa & aphona tandem jacuit, neminem novit, 15. tamen morbi die, adhibitis *expellentibus alexipharmacis temperatis*, *cordialibus*, ad ſe rediit, atque debellatis ſymptomatibus graviſſimis convaluit. Eodem tempore gratioſam habui puellam 6. annorum, *variolis* veris laborantem, ſupervenerunt nona morbi die, variolis necdum in ſtatu conſtitutis, *morbilli* copioſi, graviſſime inde decubuit, ſed ex duplici hoc morbo feliciter emerſit. Veriſſimum igitur eſt Axioma medicum: Qualis humor effervescit in corpore, talis efflorescit in cute. *Morbilli* hi, ſi perite *expellentibus*, *v. gr. pulv. alexit. de hyacinth. lap. bez. orient. pulv. epilept. C. C. philoſ. antim. diaph. unicorn. mar.* cum *pectoralibus & confortantibus* mixtis, nec non ſervato ſimul idoneo diætæ caloriſque temperamento, tractati ſunt, omni vacarunt periculo, neminique fuerunt funeſti; neglecta autem, aut præpoſtera vel perverſa morbillorum cura, aut prænatura, ſuperatis jam morbillis, aeris mutatio, vel inordinata rerum non naturalium diæta, præcipitavit quam plurimos *in tuſſim ferinam*, *febrem continuam*, *reſpirationem difficilem*, *pectoris compreſſionem*, *catarrhum* ita dictum *ſuffocativum*, *lethalem*. Menſe *Majo* & *Junio* continuarunt adhuc *morbilli*, *febres continuæ*, *tertianæ intermittentes*, *variolæ*, quæ *ſporadice* hinc inde vagatæ ſunt, ſed fuerunt ſine malignitate, adeoque convenienter tractatæ facile curabiles. *Julius* fuit amœniſſimus, ſed cum ſummis caloribus, quarta coorta eſt graviſſima tempeſtas cum frequentiſſimis tonitrubus, flammarumque fulgoribus, nec non grandinibus inſolitis, quæ in civitate utplurimum magnitudine juglandis, imo ovi gallinacei, prægreſſo imbre, ceciderunt, ad vineas tamen ſparſim venerunt adeoque illis exiguum intulerunt damnum. Sub initium *Auguſti* remiſerunt calores, ſed ſexta audiebantur tonitrua terribilia, grandines cadebant inſolitæ, copioſiſſimæ, quæ in optimis noſtris promontoriis & vites & uvas prorſus deſtruxerunt. Jam ſucceſſerunt æſtuoſiſſima tempora, quæ vix ſuſtinere potuimus, neque ſpirarunt eteſiæ, nullæ fuerunt pluviæ, quæ fervorem ſolis contemperaſſent, imo eadem aeris conſtitutio erat in *Septembri*, *Octobri* nec non *Novembri*, ut credidiſſes, autumnum in æſtatem fuiſſe converſum; habuimus quoque d. 25. *Septembris* veſperi tonitrua & fulgura ſufficientia, unde in reſiduis promontoriis, quæ a grandine intacta manſerunt, generoſum crevit vinum, imo generoſius creviſſet, ſi nobis ob metum tumultuantium Hungarorum ſerius vindemiare licuiſſet. Finitis enim jam vindemiis æſtuoſa & ſicca adhuc continuarunt tempora, ſine ullis fere pluviis. Sub finem *Novembris* & initium *Decembris* nives deciderunt paucæ, & moderata ſubſecuta ſunt frigora. Menſibus æſtivis, *Julio* nempe & *Auguſto*, exiſtente cælo maximæ æſtuoſo, *diarrhœæ* & *dyſenteriæ* ſatis fuerint frequentes, & magis pueros adultiores, ſenes, minus infantes ſporadice afflixerunt. Præceſſit diarrhœa cum ciborum faſtidio, languore totius corporis, ſiti, dejectionibus copioſiſſimis, ſeroſis, ut plurimum biliosis, viſcoſis nec non pituitoſis, valde fœtidis, mox inſecuta eſt dyſenteria cum dejectionibus cruentis & purulentis numeroſis ad 70. 80. intra diem & noctem, aliquando velut momentaneis, ut miſeri vix ſellam foricariam delerere potuerint, & circa noctem cum majori exacerbatione, ut plurimum caloribus, quamvis non adeo urentibus, pulſu celeri, ſiti, inquietudine, acuto inteſtinorum & ani dolore, inani, licet frequenti, deſidendi cupiditate, præcordiorum anxietate, vigiliis, in progreſſu morbi blanda acceſſerunt deliria, non ſine malignitatis nota. Quandiu ſanguis cum materia bilioſa, mucoſa, purulenta & ſanioſa, aliquando cum ſtrigmentis & ramentis exivit, tandiu de vehementibus torminibus & doloribus conqueſti ſunt. *Dejectiones nigræ*, *fœtidæ* in morbi ſtatu, majoris corruptionis denotarunt gradum, indicio manifeſto, imminere jam *gangrænam* & brevi *ſphacelum*, unde in illis dyſenteria antea cruenta & torminoſa jam obſervabatur fere indolens, pulſus quaſi nullus, extrema frigidiſſima, ſudore copioſiſſimo reſolutivo, frigido perfuſa. Refrigerationem hanc infirmi non percipiebant, quin potius de calore interno & ſiti conqueſti ſunt, imo manibus glaciei inſtar frigidiſſimis res aut loca frigida capeſſere deſiderarunt; & hi omnes, ſalvis tamen ſenſibus motuque membrorum illæſo, elapſis ut plurimum 48. horis, mortui ſunt. Cauſa hujus affectus adſcribenda fuit partim copioſis fructibus horæis, acido-aqueo acri fermentifico fœtis, partim caloribus frequentiſſimis, bile inde acriori lymphaque acidiori & quaſi corroſiva reddita. Succi nempe eminenter acres, mordaces nectendo in inteſtinis diutius, quam par eſt, moram, primo abſterſerunt inteſtinorum mucum, deinde illorum cruſtam villoſam, ſive velamentum bombycinum ſimul abraſerunt, & altius penetrando ipſas glandulas eroſerunt, atque ulcus, vel quaſi tale, inſtar veſicantium, induxerunt; inde membranis inteſtinorum ſenſim ſenſimque a ſale corroſivo eroſis vaſorumque oſculis reſeratis, non ſolum ſanguis frequenter ſtillavit, ſed & triſtiſſimus doloris ſenſus acceſſit, imo ſpaſmodica vellicatio, qua inteſtina ſpaſmo quodam irritata motu quaſi vermiculari dolorifice ſeſe torſerunt, unde non mirum, ſucceſſiſſe tandem *inflammationem*, *gangrænam* ipſam, nec non *lethalem ſphacelum*. Quo enim major acrimonia, eo major ſpaſmodica fibrarum nervarum irritatio, major fermentifica humorum fuſio, glandularum, ductuum & vaſorum inteſtinalium eliquatio, nec non cruoris ſimul cum plexibus glandulosis ac reliquis inteſtinorum contentis excretio. Profuerunt ſub initium morbi, non obſtantibus torminibus & ſupervacaneis excretionibus, humores acres *diluentia*, & *leviter Evacuantia*, ut pote *aqua Laxativa cum aqua cinnam.* in primis *rhabarb. toſtum*, quod blande laxando ſimul ob partes terreas admixtas adſtringere, & leniter roborare ſolet, cum *myrobalanis & elæoſacch. cinnamomi* propinata, nec non *clyſteres abſterſivi ex ſpec. emoll. hord. vitello ovi, conſ. roſar. lacte*, aliquoties adhibiti. His præmiſſis, ſtatim deveniendum fuit ad *incraſſantia demulcentia*, *adſtringentia cum anodynis* mixta, unde ſingulis quatuor

mor aut quinque hotis exhibui pulverem ſequentem : ℞. *Corall. rub. præp.* ℈ß. *lap. hæmatit. terr. japon.* an. gr. viij. *theriac. cel.* gr. iij. *laud. de trib.* gr. ß. *M.* mutatis tamen mutandis, addidi ſæpe *terr. ſigillat. ſt. ferr. bol. armen. pulver. ſtypt. Cr. ſmaragd. præpar. cryſtall. mont. pulv. dyſenter. Crat. ex tragacanth. gumm. arab. & corall.* conſtantem, *nuc. moſch. &c.* in primis, ubi calores fuerunt ingentes, *compoſ. ſperniol. Cr. ſpec. de gemm. frig. unicorn. mar. ſpec. de hyacinth. &c.* imo moderanda fuerunt medicamenta ad ipſius excretionis, malignitatis, & vitium modulum. Sæpe videbatur jam alvus adſtricta, morbuſque ſublatus, brevi tamen malum recruduit, & exivit iterum aliquando cum, aliquando ſine cruore materia mucoſa in minima quantitate cum ſummis torminibus alvum ad excretionem ſtimulans; adhibitis autem frequentioribus *clyſteriis ex decoct. hord. cum capit. vervecin.* nec non continuatis *pulveribus adſtringentibus*, ex toto ceſſavit. Tandem, ne propter deraſos plexus ilei glanduloſos fluxus alvi cœliaco non abſimilis remaneat, ordinavi ſummo cum effectu *balſamica, ſtomachica, balſ. peruv. opobalſ. Tinct. corall. elix. Vitriol. M. pulv. ſtomach. elect. diacinam. Reg. nuc. in Ind. condit.* Et ſic dyſenterici intra tres ſeptimanas ex integro reſtituti ſunt, quo uſque etiam a vino abſtinere debuerunt, contenti *aqua cocta ex rad. tormentill. raſ. C. C. obor. maſtich. &c.* Quos invaſit cum *vomitu*, hi peſſime decubuerunt, & vix ſervati ſunt, optime autem ipſis profuit *balſamum peruvian.* nec non *opobalſamum cum coroll. rubr.* exhibitum. *Adſtringentia*, ſine prævis *blandis Laxantibus*, in initio & progreſſu morbi adhibita protraxerunt morbum, tormina exacerbarunt, & poſt ſe ut plurimum *febres arthritides, pedum tumores, lienterias* reliquerunt. *Opiata* hic fere omnem abſolverunt paginam, imo fateri debeo, me fere nullum dyſentericum ſine frequentiori exhibitione *laud. de trib.* commode reſtituere potuiſſe; exhiberi autem debuit, antequam dyſenteria fuit conſummata & plane ulceroſa, aut vaſa majuſula exeſa, aut ſenſus doloris jam periit. *Menſe Auguſto* frequentes habuimus *rheumatiſmos ad brachia, ſcapulas, femora, lumbos, coxas* productos, ſine ulla rubedine, multo minus tumore, non tam articulis, quam muſculorum interſtitiis firmiſſime & diutiſſime inhærentes, cum motus impotentia, doloribus lancinantibus, profundis, fixis, qui noctu exacerbati ſomnum impediverunt: infirmi enim loco moveri nequiverunt, & quo ſtatu fere primo jacuerunt ac decubuerunt, in eodem manere debuerunt, & ſine cruciatu ac vehementi dolore vix moveri aut attingi potuerunt; adfuit ſimul tenſio & caloris acriuſculi ſenſatio cum pulſu frequenti. Vulgus hunc affectum nominare ſolet *delapſum cattarrhorum a capite, es iſt ein Fluſs im Arm oder Fuſs gefallen*. Statuendum potius rheumatiſmum provenire a ſero aut lympha acriori, flatulenta, retrogrado motu impedito, in ſpecialem aliquam membranoſam, tendinoſam, nerveam & muſculoſam partem delabente, ibique ſtaſin patiente, & partes fibroſas, nerveas tendente, eaſque triſti ſenſu vellicante. *Arthritis Vaga* hoc anno frequens fuit. Invaſit homines prævio horrore inſtar febris, membranoſas ac muſculoſas articulorum partes dolore, rubore, tumore & movendi impotentia corripuit, vagabunda fuit & ambulatoria, modo hanc, modo illam invaſit partem, nulla tamen loco ultra 48. horas fixa manſit, remiſſionem ſæpe, relicto ſolum tumore, ſimulavit, at opinione citius, imo vehementius rediit, & priorem locum occupavit, imo memoratu digna in pleriſque fuit paroxyſmorum invaſio dolorumque motus, dum quo tempore humerum, carpum aut digitos dextræ manus, eodem tempore & genua ſiniſtri pedis; & quo tempore ſiniſtri brachii, eodem dextri pedis partes ſingulari alternatione & ſaltu dolorifico infeſtavit. Similiter hic peccavit ſerum, ſine lympha acido acris, ſed ſale volatili intimius fœta, quæ ad perioſteum, ſive ſenſibiliſſimas articulorum mobilium membranas detruſa, eas diſtendit, vellicavit, ibique ſicuti ſpina infixa ſæviit. Cura *arthritidis Vagæ* & *rheumatiſmi* una eademque fuit. *Venæ ſectio*, niſi adfuit magna febrilis alteratio, intenſior arteriarum pulſus, nec non præcordiorum compreſſio, nil profuit, vires potius abſtulit. *Purgationes*, utpote turbationes & colliquationes liquorum naturalium exaſperarunt magis malum; reiteratus autem *enematum*, in primis *laxantium*, uſus, v. gr. *Rec. pulv. hepat.* ℈ß. *ſal. cichor. acetoſell.* an. gr. v. *diagryd. ſulphurat.* gr. vj. *fecul. ari* gr. iv. *M.* aut *decoctum ex fol. ſen. S.S.* ℥iß. *rhabarb.* ℥j. *crem. tartar. in aqu. cichor. infuſ.* addita *manna & aqua cinnam.* ſummopere profuit, in primis ſi veſpertino tempore *pulvis confortans* ſequens exhibitus fuit: *Recip. pulv. analept.* ℈ß. *epilept.* gr. viij. *lap. cancr. præp.* gr. vij. *laud. de trib.* gr. ß. *M. opiatorum* enim vires hic ſumme deprædicandæ ſunt, morbi quidem cauſam non tollunt, ſomnum tamen conciliant & dolores mitigant: non autem neceſſum fuit ſingulis diebus *opiatis* & *laxantibus* uti, dirigi & modetari potius pro re nata morbique indole debuit cura. Ab uſu *ſudoriferorum* nunquam felicem vidi ſucceſſum. Poſt inunctionem *ſpirituoſorum*, v. gr. *ſpir. vin. camph. formic. ſal. armoniac. junip. lumbric. &c.* ſemper notavi dolores oſteocopos, adeoque abſtinendum fuit a *ſpirituoſis*, nec non *unguinoſis*, *emplaſticis*. Optime autem, in primis ſub finem morbi, profuerunt *Thermæ Badenſes*, aut *balnea acidularum*, imo in ipſo morbo *balnea ex aqua dulci cum hordeo* parata. Atque hac methodo tractati feliciſſime intra 20. aut ad ſummum, ſi copia peccavit materia, 40. dies reſtituri ſunt. *Febres* his temporibus habuimus frequentes, quæ utut prima die tragœdiam a pandiculatione, oſcitatione, languore, frigore, mox calore ſatis intenſo auſpicatæ ſunt, cum ſubſequente ſecunda die apyrexia, ſpeciem *intermittentia* ſimulante; ſupervenientes tamen paroxyſmi, qui fuerunt cum languore, pulſu magno, exacerbatione caloris aliorumque ſymptomatum, confirmarunt intermiſſionem iſtam fuiſſe doloſam, & latuiſſe ſub hoc cinere ignem *continuarum febrium*, nec non *malignitatem* ipſam. Ex poſt enim videbantur quandoque, in primis mane, remittere calores, nunquam autem intermiſerunt. Creſcente morbo, creverunt ſymptomata, imo convulſiones in ſtatu morbi notavi frequentes. *Deliria ſerotina*, v. gr. die 11. 12. ſupervenientia ſemper fuerunt *exitioſa*. Febres hæ more continuarum *Venæ ſectione* in principio *diaphoreticis*, *bezoardicis*, *confortantibus* tractari debuerunt. Ultimis tribus menſibus, præter *febres tertianas*, *quartanas*, *catarrhos*, vix alii notabiles occurrerunt morbi.

Conſtitutio Epidemica Sempronienſis Anni 1705.

QUo clementior anno præterito fuit aeris conſtitutio, eo rigidior ſub ingreſſum anni 1705. comparuit cæli temperies. *Januarius* quippe incepit gelu congelare aquas, imo continuavit frigus toto hoc menſe ſine remiſſione, nives ceciderunt paucæ, & ſpirans Euronotus induxit ſiccitatem. Nec mitior fuit *Februarius*, quin frigore & gelu longe rigidior, ſine ullis nivibus. *Martius* illuxit gratioſa ſerenitate, & exoptato calore, ſed quinta nives ceciderunt magnæ, ſexta frigus, quod ad 12. uſque duravit diem; circa *æquinoctium vernale*, ſpirante aere meridionali, frequentiores habuimus pluvias, fructiferas, quas ſerena, calida mox inſecuta ſunt tempora, adeoque Martius ut plurimum ſiccus extitit. *Aprilis* varias ſuſtinuit ventorum mutationes, & frequentiores, vix non quotidianas, in primis circa finem, pluvias, oblectamenta vernalia inhibentes; imo & *Majus* fuit valde inamœnus, frigidus rotus, excepto uno aut altero die, pluvioſus. *Continuavit* pluvioſa & frigida hæc aeris conſtitutio ultra *medium Junii*: unde non mirum, uvas circa feſtum Viti nec dum florere incepiſſe. Circa *ſolſtitium æſtivum* temperatior aura & calores deſiderati demum redierunt. Morbi, qui in hoc ſemeſtre inciderunt, erant varii. In *Januario* & *Februario* continuarunt *febres quartanæ*, quæ tamen, uno vel altero *Laxativo* adhibito, nec non *chinatis medicamentis cum arcano duplicato*, præter morem ut plurimum ſuperari potuerunt, neque ullam labem poſt ſe reliquerunt. Frequentes erant *rheumatiſmi in pedibus, manibus, ſcapulis, lumbis*, cum dolore acerbo, ſine inflammatione, ſine tumore; hi *diaphoretica* ſuſtinere non potuerunt, ſed ſolis *temperatioribus cholagogis*, v. gr. *infuſis ex manna, fol. ſenn. tartaro, cum aqu. cichor. &c. clyſteribus, præcipitantibus*, nec non *balneis hordeaceis*, & pro re nata, in ſumma dolorum exacerbatione, *grano dimidio laudani de tribus*, tractari voluerunt. *Catarrhos* habuimus copioſos, qui in *febres* degenerarunt *continuas*, non adeo funeſtas. Servati enim omnes ſunt, qui ſtatim ab initio adhibuerunt *Alexipharmaca*, eaque continuarunt. Menſe *Februario* jam inceperunt *febres petechiales*, quæ *pleuritides* ab initio mentitæ ſunt, inceperunt cum horrore levi, febre lenta, tuſſi ſicca, dolore in pectoris regione, ad ſcapulas, claviculas adſcendente, cum moleſtia ægri, ſi in partem ſanam decumbere voluit; aſſumptis autem *ſudoriferis* evanuerunt dolores, & quarta, imo in pleriſque ſeptima demum eruperunt maculæ. In aliis ſimularunt *febres intermittentes*. Sic in Virgine quadam XVI. annorum, ſanguineo-phlegmatica, tunc temporis ordinario menſium fluxu laborante, notavi tres paroxyſmos, more *febris quotidianæ intermittentis*, mane cum horripilatione, ſubſequo calore, circa veſperum intermittente, dolore capitis, gravativo, ſiti, laſſitudine &c. quotidie recurrentes, quarto *calores continuos*, prioribus longe intenſiores, nec non eruptionem macularum, ſeptima hæmorrhagiam narium ſat largam, decima deliria blanda, manuum tremores, linguæ ac faucium ariditatem moleſtam, 12. 13. novam copioſorum exanthematum, prioribus jam evaneſcentibus, eruptionem; & ecce 16. morbi die, non obſtante hæmorrhagia, quæ ex alleviatione morbi judicabatur critica, ſeptima oborta, obiit. Maximam *malignitatem* exanthematica hæc febris in receſſu geſſit menſe *Martio*, *Aprili*. Incepit cum horripilatione, calor in ſanguineo phlegmaticis, quorum ſanguis ſero viſcido abundat, mitis, ſed ſubdolus; in ſanguineis intenſior, adfuit languor totius corporis. mox ſubita virum proſtratio, membris quaſi laſſitudine fractis, aut contuſis, ſitis non adeo magna, nauſea, vomitus, pulſus naturali fere ſimilis, unde magis de languore, quam calore, conqueſti ſunt; ſexta aut ſeptima æſtus invaluit, atque malignitatem ſequentibus diebus prodidit, ſupervenientibus gravioribus ſymptomatibus, utpote exanthematum eruptione, cardialgia, pulſu celeri, frequenti, vigiliis, vehementiſſimis capitis doloribus, deliriis, motibus convulſivis, linguæ ariditate & fiſſuris &c. *Venæ ſectiones* prima aut altera die inſtitutæ, nec non repetitæ valde profuerunt, ſerotinæ omnes nocuerunt. *Laxativa*, etiam ſub initium morbi exhibita, rejicienda fuerunt, & memini in his *exanthamata longe latiora* prodiiſſe, quam in aliis, eoſque graviſſimis ſymptomatibus, *tremoribus*, nempe *totius corporis*, *deliriis furioſis*, tandem *aphonia*, *convulſionibus epilepticis*, tentatos fuiſſe, omneſque ſatis occubuiſſe: *clyſteriis ex humectantibus & emollientibus* confectis, nec non *ſuppoſitoriis* alvum adſtrictam commodiſſime referare potuimus. Cura methodica maxime dirigi debuit ad vires, quæ conſervari, ad humorum fervorem, qui contemperari, ad malignitatem, quæ corrigi debuerunt. Præſtitimus hoc *blandis diaphoreticis*, *bezoardicis*, *cordialibus*, *v. gr. pulv. alexit. ſec. de hyacinth. C. C. philoſ. pulv. analept. lap. bezoard. orient. antimonium diaphoretic. unicorn. mar. conf. alkerm. mag. perlar. orient. &c.* exhibito ſingulo octihorio pulvere uno, aut portiuncula, Sic corpus manſit perſpirabile, ſanguini ſua conſtitit ſyſtaſis & craſis, atque malignitas exuperata fuit. *A medicamentis ſpirituoſis, volatilibus, bezoardicis fortioribus, calidis*, quæ in hoc caſu magis obfuiſſe, jam a longo tempore in his calidis oris expertus ſum, ſtudio abſtinui. Vinum omnibus interdixi, *aquam ſolam ex rad. ſcorz. roſ. C. C. chor. ſem. aniſ. &c.* concedens. Acutiſſimum capitis dolorem *Veſicatoria* nuchæ appoſita ſuſtulerunt. Sæviit vehementer hic morbus æque in adultos, atque gravidas. Sic binas habui, harum una, tertia morbi die, gemellos vivos, nondum maturos, octimeſtres, qui intra aliquot dies mortui ſunt, peperit; altera ſexta morbi die filium æque octimeſtrem, qui ſex diebus vixit, enixa eſt. Fortior hic ſine dubio ſanguinis motio & patefactio, qua apertæ & laxatæ ſunt viæ, partus hos acceleravit, inde puerperæ valde debilitatæ, ſed ſolis *confortantibus*, *analepticis*, *bezoardicis blandiſſimis*, aliiſque pro morbi & ſymptomatum exigentia remixtis, tractatæ, binæ die XV. evaſerunt ex morbo hoc graviſſimo. Legitima enim & matura medicamentorum applicatio omnibus ſalutaris fuit, ſecus, qui a principio neglexerunt remedia. Sic inter alios novi mercatorem, Sileſitam, eadem febre detentum, qui fere omnia reſpuit medicamenta, tandem delirio phrenetico correptus in lecto vix detineri potuit, die 12. demum prodierunt exanthemata, indubia mortis die 14. morbi ſubſecutæ indicia. In alio pauperculo *petechiali febre* extrema laborante notavi in dorſo, brachiis, pedibus, naribus quam plurima *ulcuſcula*, elevata, dura, cum intenſo dolore, inflammatione, ad inſtar furunculorum, ichore plena, ſed tubercula illa ulceroſa valde fuerunt maligna naturam *anthracum* æmulantia; caro enim in circuitu inflammata, tandem ſphacelata & corroſa, ubique tota excidit, adhibitis tamen *expellentibus*, *Alexipharmacis & mundificantibus externis*, præter omnium ſpem ſanitati priſtinæ reſtitutus eſt. Cæterum multiplici experientia edoctus ingenue fateor, etiamſi omnia ſigna fefellerunt, me tamen ſequentia in prognoſi nunquam dece-

decepiſſe: deprehendens nempe in tangendo pulſu *contractionem aut ſubſultum tendinum*, pro certo mortem prædicere potui. Sic ex *linguæ ariditate, fiſſuris, aſperitate, ſcabritie, ficcitate*, quaſi lignum attingeres, *nigredine*, in primis, ſi retorrido calore cum vicinis faucibus aruit, aut *cruſta quadam nigra obducta*, quæ *licet ſæpius os fricando & colluendo deterſa, ſtatim tamen nova repullulavit*, infallibile ſummæ interiorum partium inflammationis & ſiderationis, nec non mortis augurium habuimus. Lingua enim etiam in minima inflammationis ſuſpicione ſtatim reſiccare incipit, & creſcente inflammatione creſcit pariter & ſiccitas linguæ. Hoc morbi ſtadium ſæpe ultra XV. morbi diem fuit protenſum, aliquando felici, aliquando funeſto eventu. Sic memini quoſdam 16. alios 18. imo 22. demum morbi die fuiſſe extinctos, alios jam integre reſtitutos ex leviſſima cauſa & errore diætæ *recidivam* reportaſſe, quæ tandem, inflammatis glandulis, in pectore, in primis pulmonibus ſitis & exulceratis, in *hecticos* degeneravit *calores*, longo tamen *medicamentorum pectoralium* uſu ſuperabiles. Menſe *Majo febres petechiales* deſævierunt, & evaſerunt ex his omnes, qui ex methodo tractati ſunt. Eodem tempore *Ikterus* frequens fuit, qui flavo ſuo colore deturpavit totum corporis habitum, ſpeciatim vero oculorum politum ebur, nec non tempora. Conqueſti ſunt de pruritu in cute, maxime dorſo, de caloribus tranſitoriis, laſſitudine ulceroſa, doloribus capitis, ſomniis turbulentis, intenſiſſima ſiti, inappetentia, oris amaritudine. Alvus plus ſolito adſtrictior, & quæ exierunt excrementa, penitus albeſcentia, pauca, viſcida, urina craſſa, turbida, ſubnigra, in ſuperficie oleaginoſa, crocea fuerunt. Utique hic fuit obſtructio tubulorum biliferorum, a viſcida lympha hepatis & acinorum glanduloſorum, nec non ſaburra tartarea proveniens: inde bilis ab acido fixiori plus minus auſtero, torpidior & ſpiſſior reddita, in motu ſuo impedita, neque per deſtinatos canales, tum ad veſiculam, non per ductum cyſticum in ductum choledochum ad inteſtina delapſa, potius reſtitans, in venæ cavæ propagines, tanquam fontes ſuos receſſiſſe, ibique ſerum cum ſanguine, & exinde productos humores, nutritioni & excretioni dicatos, citrino ſuo colore infeciſſe neceſſum fuit. *Martialia, rhabarbarina, aperientia* non ſolum ductus illos obſtructos feliciter reſerarunt, ſed & bilem peccantem, atque jam ad habitum corporis delatam eduxerunt per epicraſin, v. gr. *pulv. hepat. cachect. croc. mart. aperit. cum ſalibus, rhabarb. Alex. ſpir. ſal. coagul. ſal. acetoſell. abſinth. cichor. tart. vitriolat. arcan. dupl. rad. curcum. &c.* additis pro re nata, & quidem optimo cum ſucceſſu, aliquando *granis aliquot diagridii*. Menſe *Junio* continuarunt adhuc *febres continuæ*, ſed fuerunt valde *benignæ*. Jam inceperunt *tertianæ, quartanæ*, curatu tamen faciles. *Julius* incepit cum caloribus, ſubinde tamen nubibus exaſperatum cælum, in primis die 19. & ſequentibus aliquot diebus, flante Borea, frigidam effudit pluviam. Cum Sirii ortu etiam exorti ſunt calores, qui cum inſolito & vix tolerabili aeris fervore uſque poſt ejus occaſum, imo toto menſe *Auguſto*, ſine ulla alternatione, continuarunt, excepto XIX. Auguſti, quo cum imbribus, tonitrubus & fulgure grandines per mediam horam deciderunt copioſiſſimi, quæ promontoria noſtra fere omnia deſtruxerunt. Totus *September* aut ventoſus, aut frigidus, aut pluvioſus fuit, adeo, ut vix quatuor dies ſereni toto menſe numerari potuiſſent. *October* extitit amœnus, calidus, ſiccus, & quamplurimum contulit ad maturitatem uvarum, quæ alioquin immaturæ manſiſſent. Hinc vinum nec quantitate, nec qualitate laudabile crevit. *Novembris* initium ventoſum, utcunque ſiccum fuit, progreſſus ad finem uſque pulcherrimus, ſerenus, calidus. Sub initium *Decembris* apparuerunt hyemis indicia, nubibus & nebulis aer turbidus, frigidus, mox inſecuta eſt amœna, ſerena ſine nivibus tempeſtas, ad finem menſis durans, nobis quidem grata, ſed ob hoſtium furorem valde infauſta, ferrea & ignea. Tumultuantes enim Hungari die 24. Decembris civitatem noſtram arctiori obſidione cinxerunt, eamque circa prandium ex monte Leonhardi globis ignitis continuo ex machinis bellicis majoribus exploſis invaſerunt. Primam ſtragem ſuſtinuerunt ſuburbia (non excluſis V. domibus in civitate interiori exiſtentibus,) quibus flammea hæc procella, aut diverſa incendia ſacram Chriſto naſcenti noctem in funeſtam cinerum diem verterunt. Die Nativitatis CHRISTI ignitis ſuis globis nova incendia facere, atque reſiduum in cineres redigere, ſed fruſtra, tentarunt; pilis autem ſuis majoribus igniaris, *Bomben*, ingens damnum ædificiis intulerunt; tandem biduo poſt, re infecta, diſceſſerunt. His temporibus, menſe nempe *Julio, Auguſto, Septembri, Decembri*, adhuc continuarunt *febres continuæ, petechiales*, & notavi inter alia honeſtas duas fœminas, ſorores; quarum una menſe *Auguſto febre exanthematica* laborans, die X. morbi acquiſivit frequentem *diarrhœam* cum torminibus & doloribus inflammatoriis, vigiliis continuis, caloribus intenſiſſimis, die XII. extrema, ſudore reſolutivo perfuſa, etiamſi de æſtu graviſſimo, potius anxietatibus, conqueſta fuit, frixerunt, 13. mortua. Latuit hic ſine dubio *inteſtinorum ſphacelus*. Altera ſoror menſe *Septembri* eadem *febre petechiali* correpta, ſumpſit ſub initium morbi, nil mali ſuſpicans, ante macularum eruptionem, neſcio cujus ſuaſu, *Laxativum*, die 10. incepit delirare, adhibitis tamen adhibendis, die 17. calores remiſerunt, & mens rediit, imo jam periculum evaſiſſe ab omnibus judicata fuit; die 19. morbi in *femore pedis ſiniſtri* ex inſperato prorupit *macula nigerrima, cruſtacea, inſtar anthracis*, magnitudine duplicis groſſi, quæ igneo ſuo fervore latius ſeſe diffudit, carnem ſubditam exuſſit, atque die 21. pauperculam e medio viventium ſuſtulit. Menſe *Decembri* in alia fœmina 46. annorum obſervavi eaſdem *maculas petechiales* tertia jam die prodeuntes, valde *latas*, non obſtante *Venæ ſectione* ſecunda morbi die adminiſtrata, tertia incepit delirare, quarta obiit. In his caſibus utique peculiaris ſanguinis corruptio, & ſingularis malignitas ſupponi debuit. Menſe *Auguſto* ex flagrantiſſimo ſole aeriſque ſiccitate ortæ ſunt *diarrhœæ, dyſenteriæ* cum teneſmo, vomitibus, ſiti, doloribus abdominis; ut plurimum conjuncti fuerunt *calores*, inde methodo ordinaria tractari non potuerunt, quin potius *alexipharmacis, v. gr. terr. ſigillat. Japon. bol. arm. theriac. cœl. ſpec. de gemm. frig.* curam aggredi debuimus. Ubi nullus adfuit calor, ibi optime profuerunt *blande educentia*, in primis *rhabarb. toſtum cum myrobalan. citr.* aut *aqua laxativa* ipſa cum *aqua cinnamom.* ſub initium exhibita, aut *clyſteres abſtergentes ex hord. cap. vervec. lacte &c.* frequenter applicari. Materiam adhuc reſtitantem acrem, auſteram, acidam, urentem feliciter deinceps *abſorbentibus, adſtringentibus, ac incraſſantibus, v. gr. corall. rubr. alabaſtr. terr. jap. ſigillat. cryſtall. mont. &c.* correximus. Sic multum præſtitit *opobalſamum*, nec non *oleum nuciſtæ* interne exhibitum; non minorem utilitatem attulit *Cataplaſma* toto abdomini applicatum: *Recip. pulv. centinod. burſ. paſtor.* an. *m*ß. *fol. roſar. rubr. balauſt. an.* ℥iij. *diacydoniat. cum pec.* ℥ß. *nuc. moſch. n.* ij. *maſtich.* ℥j. *aryoph.* ℈j. *F. Cataplaſma*, adde *ol. myrtin. cydon. maſtich. an.* ℥j. *M.* Hoc menſe *earyſipelata* frequentiſſima fuerunt, ſed uno vel altero *ſudorifero* exhibito extincta. Nec his menſibus conticuerunt *febres quotidianæ, tertianæ, quartanæ*, quæ circa finem menſis *Octobris* valde *contumaces* extiterunt, ſenibuſque funeſtæ. Præter alios affectus, *rheumatiſmos* nempe, *catarrhos*, *podagricos dolores*, *odontalgias &c.* ſequentem notavi caſum. Honeſta matrona, annorum 45. multarum prolium mater, circa finem menſis *Novembris*, prægreſſis jam a longo tempore ſpaſmis digitorum manus ſiniſtræ, agonizantem puellam in vicinia viſitans, eamque morientem conſpiciens, valde perterrita concidit *epileptica*, deportata domum, & in lectum illata tandem ad ſe rediit prætetitorum fere inſcia. Ad ipſam vocatus nil intentatum reliqui, aperui *venam in brachio dextro*, ordinavi clyſteres dedi *antepileptica, v. gr. pulv. epilept. ſpec. cephal. M. caſtoreum, unicor. mar. ungul. alc. cran. human. aqu. hirund. c. caſtor. epilept. L. &c.* affectum tamen curatius perpendens deprehendi ſpaſmum, vel potius pulſum & ſubſultum magnum in medio, annulari & auriculari digito ſiniſtræ manus, ubi frequenter & fere indefinenter illorum extremitates ad volam manus retractæ ſunt; bihorio elapſo, majorem perſenſit in prædictis digitis ſubſultum, mox paroxyſmum epilepticum; adeoque celer motus tendinum veluti ſubſultorius, inſtar pulſus ordinarii, indubitatum inſtantis paroxyſmi fuit præſagium. Senſit autem inſecutas exacerbationes omnes manifeſtam originem traxiſſe ex extremitatibus trium digitorum ſiniſtræ manus, indeque in momento, quaſi volando, auram quandam adſcendiſſe per brachium ad caput, affectoque cerebro, pars corporis ſiniſtri variis motibus valde agitata & concuſſa fuit, pes tremuit, oculos contorſit, ſpumeum quiddam circa os apparuit, reflexo capite verſus dorſum, adfuit ſimul omnium ſenſuum perturbatio. Dira hæc ſymptomata, ſi remiſerunt, durarunt autem quandoque uno horæ quadrante, quandoque brevius, ægra tandem ſopore quaſi oppreſſa jacuit, mox gravi ſuſpirio ad ſe rediit horum omnium inſcia, atque ſolum de gravitate capitis ac laſſitudine membrorum conqueſta eſt, ut plurimum, finito paroxyſmo, modicum ſanguinis ex nimio motu convulſivo in pulmonibus extravaſati, ore rejecit. Sæpe velut ab utero ſuffocata rubebat inſigniter, cum laſſitudine quadam ac ſenſim oborientis febriculæ rudimento. Non quidem continenter horrendo hoc ſymptomate, ſed interpolatis vicibus, modo ſerius, modo ocius, aliquando quotidie, aliquando tota ſeptimana ſemel, commiſeratione digna exagitata fuit, prout venenata hæc materia vel citius, vel tardius, auram ſuam ſubtilem, vel ſpiritus ſuos volatiles emiſerit, qui in cerebrum delati irritando ſenſiles ac nerveas fibrillas celerem illam, inordinatam & involuntariam concuſſionem membrorum, cum conſpicuamentis labe, ac terribili nervorum contractione illius potiſſimum corporis partis, ex qua malignus vapor ſpeciatim in cerebrum fuit amandatus, conciliarunt, miſeram noſtram, ſi extra lectum fuit, cadere fecerunt. Malum hoc necdum radicatum quo ex toto tolleretur, nihil non tentatum fuit, cum per *cathartica, v. gr. pil. coch. de ſuccin. Cr. extr. caſtor. cum ſyr. de cichor. c. rhab. &c.* tum *per veſicatorium*, ad eliciendam materiam peccantem, regioni carpi impoſitum. Carpum deinde arctiori vinculo circumligari curavimus. Interne quotidie mane ſumpſit *pulveres epilepticos ex pulv. epilept. M.* gr. viij. *mag. cran. hum.* gr. v. *ungul. alc. præp.* gr. vij. *unicorn. mar.* gr. iv. *pulv. caſtor.* gr. v. veſperi vero mixturæ ſequentis guttas 30. *Rec. Elix. uterin. Cr. eſſ. Juccin. ſal. volat. oleoſ.* an. ℥j. *M.* his continuatis remiſerunt ſymptomata, non tamen ex toto ceſſarunt. Unde ſanguinem *cruciatim* ex brachio nempe dextero, & pede ſiniſtro ſimul & ſemel detrahi curavi, tandemque *miſtur. ſimpl. cum elix. uterin. Cr. & eſſ. anod.* exhibui, quorum beneficio malum hoc potiſſimum, una cum motu tendinum ſubſultorio in digitis intra tres menſes devictum fuit. Pro roboratione membrorum & nervoſarum partium, nec non avertendo recidivæ metu, ablegavi ipſam menſe *Majo* ſequentis anni ad *Thermas Badavino-Auſtriacas*, & quidem optimo ſucceſſu. Priſtinam enim recuperavit ſanitatem. Thermas autem quotannis viſitare debebit, quod licet deinceps non obſervaverit, nullum tamen ſimilis morbi indicium per multos annos amplius in conſpectum prodiit. Et hæc dicta ſunt de morbis, qui hoc anno apud nos obſervati ſunt.

Conſtitutio Epidemica Sempronienſis Anno 1706.

CRedidiſſes præteriti anni exitu & ferocientium hoſtium abitu, nos jam calamitatibus, moleſtiis, periculis vacuos, furoremque hoſtium erga nos in lenitatem eſſe converſum. Sed ecce illorum furor mox abiit in rabiem. Cogitantes enim de noſtro interitu & civitatis exitio, d. 2. *Januarii* ad priſtinam ſtationem redierunt majoribus machinis, mortariis pluribus & requiſitis bellicis probe inſtructi; 3. die Januar. ſummo mane, continuis tormentorum & pilarum jactibus tam ardenter ædificia pulſarunt, ut fulmina & fulgura de cælo deſcendiſſe putaſſes, imo ſparſo miſſilium flammarum imbre nova incendia excitarunt, & quam plurima civium ædificia immani grandine quaſſata deſtruxerunt. Sed cum hoſtes vidiſſent, ſe continuo machinarum bellicarum boatu & fragore inconcuſſam civium fidem & conſtantiam neutiquam evertere poſſe, ſexto Januarii, ſummo mane, trino agmine & magno impetu mœnia invaſerunt, admotiſque quamplurimis ſcalis, nec non globulis quamplurimis manu injectis, mœnium faſtigia, quæ jam attigerunt, tranſcendiſſent, niſi noſtrorum Civium & inhabitatorum pectora pro muro fuiſſent, atque continuis ſcloporum exploſionibus, nec non clavis præferratis permultos de muro in ſubjectas foſſas præcipitaſſent, hoſteſque pedem, relictis centenis & ultra mortuis, in priſtinam ſuam ſtationem referre coegiſſent. Hoſtis itaque invictam civium conſtantiam jam expertus, adverſis tempeſtatibus cæli quotidie magis magiſque invaleſcentibus, die 10. Januarii obſidionem ſolvit, receſſit, ſed a longinquo nos cinxit. Cives interea inſuetas in excubiis ſub Jove frigido & humido per aliquot menſes conſtanter continuarunt ſuas ſtationes, atque intrepide defenderunt ſua mœnia. Alias hic *menſis* valde horridus fuit, frigore tamen quandoque remittente, placidior. Mollior aer ſub initium *Februarii* obſervabatur, in progreſſu remiſſum aliquod frigus, ſub finem nives, ſubſequo frigore congelatæ. *Martii*

ingreſ-

ingreſſus rigidiſſimus ſubito cum ſereniori ac blandiori aere commutabatur, circa *æquinoctium* frequentes fuerunt pluviæ, mox nives, mox varii ventorum tumultus, adeoque *Martius* non ſiccus, ſed humidus extitit. *Aprilis* comparuit nivoſus, mox tamen ſerenior & amœnior factus calore ſuo veris delitias produxit, languentes animos excitavit, & ad finem uſque ſiccus ac calidus permanſit; die 30. ingens tempeſtas cum fulgoribus & tonitrubus oborta eſt, quam præceſſit magna papillonum cohors occidentem verſus volitans. *Majus* fere totus mane ſubfrigidus fuit, ſiccus, circa meridiem calidus, cum pauciſſimis pluviis. Toto *Junio* grata & exoptata habuimus tempora, calores intenſos, ſæpe venti, quandoque pluviæ nocturnæ contemperarunt amœniſſimæ. Medardi dies fuit ſereniſſimus, & die Sancti Viti uvas in omnibus promontoriis jam defloruiſſe notavimus, inde noſtrates præcocem vindemiam augurari ſolent. Toto *Januario* morbi, præter *catarrhos*, hyemali tempore non infrequentes, nec non *quartanas*, noſtris deſideratas dederunt inducias. Sub initium *Februarii febres* notavimus *continuas*, malignitatis tamen expertes, *rheumatiſmos frequentes bilioſos*, *defluxiones ſeroſo-bilioſas in capite*, maxime *pone aures*, aliquando cum, aliquando ſine tumore, cum modica febrili alteratione; ſumme dolorificas, *ſuffumigiis ex olibano & cataplaſmatibus emollientibus* curatas. Continuarunt illæ in primis menſe *Martio*, & invaſerunt articulos maximo cum dolore, inflammatione, tumore, ſenibus, in primis podagricis, exitioſæ: in his rediit *podagra*, ſed ſine doloribus, quæ retrocedens materiam peccantem ad pectus tranſtulit, ibique *catarrhos lethales* excitavit. Sed miratu dignum fuit, quod præter hujus menſis indolem nullæ *febres continuæ*, exceptis paucis *catarrhalibus*, quæ ſenibus fuerunt funeſtæ, obortæ ſint, cum tamen fœminæ cum prolibus ſuis, ſuperioribus menſibus, maximum metum & terrorem ex turbis bellicis conceperint, & pro majori ſecuritate diu noctuque ſqualida cellaria inhabitare debuerint, cives autem & incolæ omnes in excubiis quam maximos exceſſus ſub Jove frigido & humido in vino commiſerint, adeoque humores ad morbos generandos, aut ſuſcipiendos diſpoſuerint, in primis, cum abſque hoc *Martius* ſit humorum genitor, motorque dolorum. Beneficium hoc adſcripſimus vino novo, quod præterito crevit anno, leviſſimo, claro, acido, tartaro crudo abundanti diuretico: hoc potenter viſcidam bilem diluit, ſolvit, eamque per alvum & urinam eduxit, adeoque ſanitati noſtræ valde proficuum fuit. Aliis annis vina hujus loci nova, ubi calore ſolis & cæli benignitate ad ſummam maturitatem pervenerunt, generoſa ac potentia tartaro ſubtili ſcatent, oleoſa ſunt, & nec dum defœcata, largius hauſta bilem a naturali ſua craſi dejiciunt, alcalicis ſuis particulis quam maxime ſanguinem accendunt, viſciditate autem ſua hujus circulum retardant, toti corpori torporem inducunt, caput gravant, conſtipant, imo particulis ſuis hamoſis ſalino volatiles maxime activas reprimunt, actiones animales ſimul lædunt, & varios morbos, in primis *febres continuas*, *malignas petechiales* conciliare ſolent. Menſe *Aprili*, *Majo*, *Junio* repullularunt *febres continuæ petechiales*, quandoque cum, quandoque ſine malignitate, methodo tamen ordinaria feliciter eradicatæ. Inter alia notavi gratioſam filiolam quinquennem, *febre continua* correptam, cum maximis abdominis doloribus, torminibus, vix non convulſivis, & imminentis *epilepſiæ* metu; loqui non potuit, dolorem autem ejulatu expreſſit, continuarunt calores ſine ulla intermiſſione ad 12. diem. In horrendo illo ejulatu ob metum gravioris mali 11. & 12. morbi die dedi *laudan. de trib.* gr. ß. cum *pulv. epilept. M. caſtor. unicorn. mar.* Δ *hirund. c. caſtor. &c.* laudabili cum ſucceſſu & ſubſecuta quiete. Durante morbo, & 6. ſeptimanis poſt morbum ne verbum eloqui potuit, licet omnia bene intellexerit, & linguam quaquaverſum movere ac volutare, bibere, comedere, deglutire potuerit. Topica præſcripſi varia, verbi gratia *unguentum ex conf. anacardin.* ℥ij. *alkerm.* ℥j. *extr. caſtor.* gr. viij. *ol. ſuccin. gutt.* iij. pro illinitione, & frictione faucium, linguæ & palati. Fomenta ex *infuſ. major. ſalv. chamomill. hyſſop.* collo, in primis laryngi frequenter applicuimus, donec interior laryngis rima a ſiccitate coarctata ac conſtricta, aliquantum iterum humectata officio ſuo fungi potuit, atque ſenſim & ſenſim, licet ſub initium difficulter, verba articulata expreſſit. Humores bilioſos ex abdomine ad muſculos larygis, inque nervos vocales, metaſtaſi facta, delatos, præter calorem febrilem, interiorem laryngis rimam arefacientem, eoſdem affeciſſe, conjiciendum ex prægreſſis vehementiſſimis, vix non convulſivis, abdominis doloribus, in tempore conſopitis. Iiſdem temporibus obſervavi in filiolo ſexenni *calores continuos* ſine ulla intermiſſione, vix remiſſione, ad 30. diem & ultra, non obſtante legitima medicamentorum adminiſtratione, extenſos, adeoque non ſine malignitate, tandem tamen feliciter ſuperatos. His menſibus *rheumatiſmos & arthritides vagas* notavimus frequentes; methodo autem noſtra ſuperius tradita mox profligatas. Menſis *Julius* fuit æſtuoſiſſimus, noctes præter morem calidæ, ſine ullis fere pluviis: die 16. cælum opacis & atris nubibus de ſubito exaſperatum, effudit imbrem largiſſimum cum tonitrubus, in vicina cum grandinibus inſolitis, maximo *Ruſtenſium vinearum* damno. Sub ingreſſu ſolis in leonem, niſi quandoque grati ſpiraſſent eteſiæ, calores vix fuiſſent tolerabiles; tandem ultima hujus, prægreſſis noctu crebris tonitrubus nec non fulguribus, gratioſa ac tepida ſuperveniens pluvia cum amœniſſimis & ſubfrigidis ventis ingentiſſimum auræ calorem contemperavit, terram refocillavit, & omnia recreavit. In *Auguſto* terra ter totum menſis curſum fervido ſolis calore fovebatur, ſubinde tamen nocturno tempore tepidis pluviis animabatur, inde jam ſub initium hujus menſis maturas habuimus uvas. *Ægidii dies* mira & exoptata illuxit ſerenitate, & ſerenavit totum menſem exceptis 17. 18. diebus, qui fuerunt frigidi ventoſi, pluvioſi. Per *Octobrem* totum eadem gratioſa ſerenitas, ſiccitas & æſtus amœnus duravit, cum nebulis matutinis, ſolis ſplendore diſcuſſis, exceptis 6. 7. & 8. diebus, qui ſparſerunt pluvias. Hinc vinum crevit generoſiſſimum. Secunda *Novembris* primam demum notavimus pruinam, & continuarunt amœniſſima, calida illa tempora, præter ætatis anni morem, toto menſe, niſi quod 14. 15. intervenerint pluviæ, & 24. nives ceciderint ingentes, ſequenti tamen die liquefactæ. Eadem cæli tempeſtas continua, ſerena nempe, calida, aliquando nebuloſa fuit uſque ad 17. diem *Decemb.* 18. vero, 19. pluvioſa, nec non nivoſa; die 20. ingruit gelu, quod poſt biduum remiſit, reliquis diebus pluviæ, nebulæ, venti ac calores alternarunt, quæ tempeſtas, prædominante calore circa Natalitia, *pyrorum flores & turiones ſambucinos* elicuit. Menſibus æſtivis omnis generis *febres*, quæ *continuas* mentitæ ſunt, nobiſque ab initio impoſuerunt. Invaſerunt hæ cum horripilatione vix ſenſibili, inſequente calore, ultra 30. horas durante, cum vehementi ſiti, capitis dolore, vigiliis, vomitibus, præcordiorum angaſtia, anxietatibus, virium proſtratione, linguæ ac faucium ſqualore, ita ut *febrem continuam* fore metuerim; adhibita tamen *Venæ ſectione* in brachio, & repetita in pede, exhibitoque uno vel altero *ſudorifero*, remiſit calor, & tertio aut quarto die ut plurimum in *intermittentem tertianam duplicem* terminavit; aſt inter apyrexiam & paroxyſmum breviſſimum fuit intervallum, imo, ſaltem aliquot interjectis horis, nova *febris*, ſine ullo frigore, acceſſio, & quaſi compoſita ex *tertiana & quotidiana*, altera autem *levior* typum *quotidianæ* referens. Ante paroxyſmum dedi *antifebrilia ex ſalibus*, *arcan. dupl. cort. chin. lap. cancr. &c.* in caloribus vero diuturnis, ob metum latentis malignitatis, nec non ingentem debilitatem, *blanda diaphoretica*, *utpote lap. bez. orient. pulv. analept. M. C. C. philoſph. magiſt. perlar. conf. alkerm. &c.* aliquando, in primis ubi *capitis dolores* fuerunt intenſi, loco *antifebrilium* præſcripſi *ſprit. ſudorif.* ℈j. *cum ſpirit. anod.* ℈ß. & quidem laudabili ſucceſſu: non enim tantum dolores remiſerunt, ſed & paroxyſmi febriles brevi ceſſarunt, & ut plurimum ſoluti ſunt ſpatio 15. aut 21. dierum. Febres *tertianæ* circa hæc tempora fuerunt frequentes, ſed adeo mites, ut poſt quintum aut ſextum paroxyſmum, adhibito *Laxativo*, nec non *antifebrilibus ſalibus* receſſerint. Febribus *continuis* corripiebantur permulti, ſed ſine gravioribus ſymptomatibus, & abſolverunt jam die 15. ſuum curſum feliciter, hinc omnes ſervati, qui non incuria neglecti, ſed methodo ordinaria tractati fuerunt. Menſe *Julio*, *Auguſto*, *Septembri*, *diarrhœæ*, *dyſenteriæ* ex radiorum ſolarium, æſtu invaſerunt quamplurimos, ſine ætatis diſcrimine, cum maximis torminibus, teneſmo, dejectionibus copioſiſſimis, purulentis, cruentis. Principium curæ ſumpſimus a *rhabarb. toſt. myrobal. citrin.* aliquando ab *Aqua laxativa*, in primis ſi ventriculus cruditatibus labefactatus aut gravatus fuit, acrimoniam humorum temperavimus *abſorbentibus*, *v. gr. coralliis rubris*, *terr. ſigill. fl. ferr. cryſtall. mont. &c.* continuas dejectiones & dolores correximus *clyſteriis ex decoct. hord.* aut *oryz. capit. verveç. vitell.* ſæpe injectis, nec non *adſtringentibus*, *incraſſantibus*, *demulcientibus* ſæpius exhibitis, v. gr. *pulv. dyſent. Cr. nerv. catechu &c. mithridat. theriac. cœl. laudan. de trib.* imo fateri debeo, etiamſi ſingulis 5. aut 6. horis medicamenta *adſtringentia* exhibuerim, me tamen ſine *opiatis* nihil profeciſſe, adeoque *Laudanum de trib.* in acciſa (refracta) doſi aliis additum & ſæpe repetitum hic optimam tuliſſe opem. In quibuſdam obſervavi neque hæc quicquam profuiſſe, quin potius infirmos aliquando evomuiſſe bilioſa, indicio, ventriculum una cum primis viis, cruditatibus acribus, bilioſis, adeoque cauſa morbifica adhuc eſſe repletum, iis bis dedi *rad. Ipecacuanh.* & quidem pro doſi ℈ij. inde frequentiores habuerunt vomitus, pauciores dejectiones, quo facto, reliquum curæ *adſtringentibus*, *incraſſantibus*, *anodynis*, v. gr. ſequenti *pulvere* aliquoties exhibito, & ſingulis 6. horis repetito, ℞. *cryſtall. mont. corall. rubr. præp. terr. japon. ana gr. viij. theriac. cœl. gr. iij. iv. laudan. de trib. gr.* ß. *aliquando gr. j. M.* feliciter peractum fuit. Tres perſonas notavi, quæ, abſumptis jam roſcidis & balſamicis lymphæ particulis, ſpiculis autem acribus, adeoque doloribus, auctis tandem, ſupervenientibus dejectionibus atris, cadaveroſum odorem ſpirantibus, indolentibus, artuum refrigerationibus, mente ac ſenſu privatæ *gangræna & ſphacelo inteſtinorum* obierunt. In alia matrona 5. diebus ante mortem præceſſit *ſingultus*, omnem *caſtorinorum & opiatorum* efficaciam eludens, inflammationum & convulſionum internarum, nec non mortis imminentis prænuncius. Menſe *Octobri* in ſcenam prodierunt morbi vitio *renum & veſicæ* orti. Sic in Perillustri quodam Domino, ſeptuagenario, alias robuſto, notavi *Iſchuriam*, ſive totalem urinæ ſuppreſſionem, ex *calculo renum* tubulos obſtruente, natam. Adfuerunt maximi dolores circa lumbos, vomitus frequentes, anguſtiæ & anxietates præcordiorum, obſtinata alvi obſtructio, nullus veſicæ tumor, nullus in pube dolor, nulla perinæi gravitas, nulli calores, imo pulſus naturali fere ſimilis. Cathetere flexili ſæpe inmiſſo ne gutta urinæ extrahi, aut *calculus* in veſica latens deprehendi potuit. Adhibuimus ſæpiſſime *clyſteres emollientes*, *balnea aquæ dulcis una cum herb. petroſel. malv. parietar. chamomill. melilot. verbaſc. ſtram. aven. &c.* unguenta pro inunctione lumborum, ex *unguent. roſac. ol. ſcorp. Matth. ſucc. citr. præp. &c.* Interne fere quotidie dedi *decoctum ex ſpec. dialth. Fern. & aperitiv. For. cum ſol. ſenn. mechoacann.* quibus magnam ſeroſorum humorum, alias ad renes tendentium, copiam per alvum eduximus, ne guttam vero urinæ elicere potuimus. Potus ordinarius conſtabat ex *ſpec. dialth. Fern. & aperit. For. cum raſ. C. C. ſem. aniſ.* Ex *diureticis*, *lithontripticis*, *pellentibus*, ſumpſit *tinct. ſal. tartar. ſpir. ſalis dulc. balſ. ſulphuris terebinth. ſuccinat. ſal. geniſt. ononid. ſabar. ſpir. ſalis coagul. tartar. Vitriolat.* aliaque, imo pro exigentia ſymptomatum utpote vigiliarum, dolorum, etiam *laudan. de trib.* in refracta doſi, alvoque libera exiſtente; pro corroboratione virium *confortantia*. Sic tandem ſeptima morbi die robore naturæ moti ſunt *calculi* ex renibus in ureteres, cum vehementi, lancinante, pungente dolore; ex his brevi delapſi in veſicam urinariam: patente jam exitu parum urinæ, non quidem ſine dolore, emiſit, mox una cum tribus lapillis, magnitudine fabarum, urinam ſubcruentam, ſine dubio ex laceratis vaſculis a calculorum aſperitate, excrevit, & poſt ſubnigram, tandem, & quidem abunde, pallidam, copioſa materia viſcida, ſabuloſa refertam. Dolores ſtatim poſt excretionem urinæ evanuerunt omnes remanente ſolum laſſitudine ulceroſa ſenſuumque torpore, donec vires ſuas deperditas recollegit, atque ex integro convaluit. In aliis eodem tempore obſervavi ſummum *urinæ ardorem*, ubi quidem fere nullus urinæ fuit defectus, maximus tamen dolor, & in urethra ignea quaſi roſio. In aliis *Stranguriam* animadverti, ubi continuus fuit ad mingendum ſtimulus, nihil tamen, niſi una vel altera gutta effluxit. His omnibus feliciter medebamur *decocto aperit. For. dialth. Fern. cum ſol. ſenn. clyſteriis*, nec non *topicis*, *balneis*, aliiſque ſuperius allegatis. Inter morbos illius temporis etiam occurrit *Paſſio Iliaca*. Hac corripiebatur quidam Vir Juvenis, *Hernia ſcrotali* jam ab aliquo tempore laborans, alvi nempe contumaciſſima obſtructione, vomitibus frequentiſſimis, doloribus circa umbilicum ſummis, inſtituta autem repoſitione, nec non adhibitis crebrioribus *enematibus*, *aquis laxativis*, *cataplaſmatibus ex decoctis emollientibus*, alvus ſtimulata ſui officii memor copioſe excrementa reddidit, evanuerunt dolores, nec non Vomitus, imo jam periculum evaſiſſe ab

omni-

omnibus judicatus fuit. Sed ecce, diebus aliquot elapsis, nescio quo errore commisso, in eundem morbum recidens, accedenti febre, vomitibus stercoreis, obstinata alvi constipatione, sudore frigido in extremis, doloribus atrocissimis, delirio, singultu, virium languore, & ultima die dejectionibus spontaneis, septima recidivæ die, remediis prioribus nunc nihil proficientibus; extinctus est. Jam addam, quæ de *immodico hæmorrhoidum fluxu* notavi. Fuit Vir quinquagenarius, artis pharmaceuticæ peritissimus, ex familia, cujus indigenis masculis hic affectus quasi proprius, ortus. Is jam in ætate sua juvenili fluxum hunc sanguineum expertus est, qui si statis & definitis temporibus, singulis nempe mensibus, moderate rediit, sanitati quam maxime profuit; si vero ex voto non successit, statim toti corpori languorem induxit, intestinis tormina, gravitatem circa os sacrum, calores febriles quasi continuos, bilioſas capitis defluxiones, oculorum inflammationes &c. conciliavit. In ætate virili sanguis non amplius moderate ad uncias, sicuti ante, & menstruatim, nescio qua sanguinis acrimonia aut viarum laxitate, non periodice, sed singulis fere septimanis, ad libras manavit cum notabili virium dejectione, faciei colore ad viriditatem inclinante, gravitate in coxis, in cruribus magna debilitate, ut vix incedere potuerit. Sisti cito hic fluxus non debuit; sanguis enim statim regurgitavit ad pectus, & *anxietates præcordiorum, respirationem difficilem, palpitationes cordis* induxit. Cum vero immodicus hic fluxus latentem hactenus *cacochymiam*, nec non acredinem & salsedinem sanguinis insignem prodiderit, imo aut *hydrops*, aut *phthisis*, aut *apoplexia* exinde metuenda, & vires jam labantes medelam urserint, suasi omnino in brachio *Venæ sectionem; roborantia & temperantia, acidula*, bilem acrem, lentam, rosivam corrigentia, & per epicrasim educentia, v. gr. *Tinct. rosar. corall. mart. aperit. c. succ. oxalid. M. Tinct. seri lact. caprin. cum tamarind. & rhabarb. fact. pulv. hepat. sal. cichor. grana granatorum acidorum succulenta*, quæ masticavit ejusque succum deglutivit, *pulv. cachect. Qu. lap. cancr. crud. smaragd. præp. corall. mag. perlar.* emulsiones *ex sem. frig. cum decoct. hord. & julep. rosac. fact. nitrosa* ipsa, *compos. Sperniol.* Cr. quibus ebullitionem in sanguine nimiam compescuimus; fluxum vero immodicum *blandis adstringentibus* cohibuimus, v. gr. *Tinct. mart. adstring. lap. hæmatit. ess. travmat. sir. de ros. siccis, myrtill. trochisc. de spod. carab. croc. mart. adstring. dent. eq. mar. s. hippopotam. succo urticæ express. & depur. infusa millefol. sanguisorbæ, vino rubro ex infus. carn. cotoneorum*, aliisque in primis topicis, v. gr. *unguento Comitissæ*, quo inungi debuerunt hæmorrhoides, & dorsum, aut aliis fomentis, linimentis & fotibus ex *succ. plantag. burs. pastor. verbasc. sangu. dracon. thur. terr. sigill. rad. bistort. tormentill. &c. it. vernice*, in qua intinctus fuit pannus lineus *& cum ol. rosat.* admotus *Polygonum*, utpote singulare & decantatum euporiston, sub axillis frequenter gestavit. Observari autem diligenter debuit, ne alvus plus solito adstricta fuerit. Hac igitur methodo symptomaticas excretiones temperavimus, atque Pharmacopæum nostrum ad multos annos conservavimus; donec tandem mœrore animi confectus, & viribus jam exhaustus placidissime obiit. Mense *Decembri* luctuosa *epilepsiæ* notavi phænomena. Puer octennis noctu hora XII. in aream mictum exiens spectrum ibi perspicit, horrore ac terrore plenus summo cum angore & clamore in hypocaustum & lectum veluti furiatus rediit. Vix sese ad quietem componens tentabatur horrore, sudore frigido, affectibus convulsivis. Mane accersitus deprehendi inordinatam ac involuntariam membrorum concussionem, modo cessantem, modo redeuntem. Affectus hic indies invaluit, & secutæ sunt brevi gravissimæ convulsiones nervosi generis, genarum labrorumque terribiles spasmi, adfuit continuus digitorum, velut aliquid comprehendentium, lusus, contumacissima alvi adstrictio, nulla spuma circa os, oculi manserunt aperti & irretorti, respiratio libera, oris autem distorsio enormis, largo risu mox superveniente; dentes valide coierunt, ut pro infundendis cibis liquidis & medicamentis, instrumento aperiri debuerint, articulata vox perit, & nil, nisi clamor remansit, mentis operatio defecit, nec sensus nec memoria alicujus rei extitit, sedere, stare, ambulare nequivit, & quando mater ipsum elevare voluit, mox instar globi sese incurvavit, mox in alios incredibiles flexus instar arcus sese præcipitavit; nec paroxysmus inducias concessit, sed duos menses indesinenter fere diu noctuque continuavit. Terrorem morbum hunc convulsivum produxisse, extra omne dubium est, licet non excluderem *vermes*, quorum aliquot ante & in morbo excrevit. In hoc tumultu morbique vehementia pro demulcendis partibus convulsis, vellicatis, ac distortis, *antepileptica specifica* sæpissime exhibita, v. gr. *pulv. epilept. M. spec. cephal. Mich. mag. cran. hum. ungul. alc. præp. unicorn. mar. cinnab. nat. castor. aqua epilept. Lang. hirund. c. castor &c.* nullum præstiterunt emolumentum. Vomitoria cum Laxantibus mixta, v. gr. Recipe: *Aquæ laxat.* ℥ij. *syr. Emet. A. S.* ℥ß. *M.* pro una, vice quæ pro educendis humoribus biliosis, cum acido confermentatis, fixis, binis vicibus exhibui, observavi hic felicissime profuisse. Jam optimo cum successu reiteravi specifica, v. gr. Recip. *Specif. cephal. M. gr. vij. pulv. epilept.* ʒß. *castor. gr. vij. ungul. alc. præp. aut unicorn. mar. gr. v. M.* eaque quotidie bis aut in forma pulveris, aut potionis, additis aquis appropriatis & syrupis, præscripsi, quibus aliquando granum ß. aut ad summum gr. j. *laudan. de tribus* addidi. *Enemata* multum profuerunt. Atque sic post duorum mensium tædia expugnatus, fuit morbus, ut jam puer sui compos stare, ambulare, sedere, cibum ac potum capessere, articulate loqui potuerit. Subsecuto mense *Majo*, ne in posterum recidivaret, missi illum ad *Thermas Badavin-Austriacas*, ex quibus redux immunis jam ab hoc execrando morbo vivit, & quod mirandum, sine ulla mentis aut memoriæ labe. Hoc mense duos notavi *Apoplecticos*. Unus octogenarius ex ordine senatorio, prævia vertigine, lassitudine membrorum, de subito *apoplexia* correptus cum sensus ac motus abolitione, pulsu magno, in debilem tandem & frequentem mutato, omnibus incassum adhibitis, secunda morbi die placidissime obiit. Alter fuit Reverendissimus hujus loci Plebanus 56. annorum, atque habitus corporis obesioris. Hic, dum nocte Natalitii Domini hora secunda matutina sacris peragendis intentus, præ verecundia, justo diutius retinuisset urinam, ab altari reversus de tempore, vertigine, anxietatibus conquestus est, mox domum vectus & in lectum delatus ex regurgitatione seri urinosi ad superiora *Apoplexia* fortissima cum stertore, spuma ante os, tactus, spatio semiquadrantis, adeoque eadem hora, qua sanus fuit, repente interiit.

Constitutio Epidemica Sempronienſis Anni 1707.

JAnus bifrons eadem serena fronte, qua veterem annum denis serenissimis diebus clausit, auspicatus est novum totidem serenis, calidis, siccis diebus, unde statim x. die ingruerunt frigora, mox subsecutæ sunt nives copiosæ, quæ congelatæ ad festum Purificationis usque jacuerunt durabiles. Secundus *Februarii* dies totus fuit turbidus, & regula rusticorum hoc anno verissima: Sole nempe micante, die purificante, nix aut frigus erit majus, quam ante. Eo ipso enim die remisit frigus, nives liquatæ omnes, ingruerunt pluviæ, nebulæ, quæ ultra septimanam instituerunt, densissimæ, fœtidæ, corporibus nostris valde infestæ; die 17. 18. rigidos habuimus ventos, boræos, qui siccarunt terram. Jam ad aliquot dies frigoris vix soluta sed die 24. Festo Matthæi intensior facta in medium *Martii* continuavit; adeoque *Februarius* fere totus siccus fuit; Bacchanalia amœnissima, serena, calida, dies Cinerum valde frigidus, ventosus; medio *Martii* ceciderunt nives, mox secutæ sunt pluviæ. Æquinoctiale tempus notabatur valde turbidum, pluviosum, nivosum, lutosum, imo ad finem mensis usque tumultuaria tempestas, mox ventis, mox nivibus, aut pluviis, molesta, raro serena; adeoque *Martius* valde humidus atque ingratus. *Aprilis* incepit cum nivibus, pluviis, mox insecuta sunt frigora, quæ tempestas tumultuaria x. continuavit diebus imo totus mensis magis fuit frigidus, ventosus quam calidus. Ipso quoque *Majo* cælum, si paucos amœnos dies exceperis, ut plurimum atris inhorruit nubibus, & dies turbido aere frigidisque ac frequentibus pluviis reddidit minus vernales, minus majales, rigidi præter morem extiterunt. Mense *Junio* longe amœnior ac placidior aura comparuit. Medardi die valde serenus sine ullis pluviis, & rediit nunc calor intensissimus, imo, quod ex tot aeris vicissitudinibus & cæli inclementia, superioribus mensibus prægressa, nullus præsumpsisset, multo minus credidisset, jam ante diem Viti copiose uvas in flore deprehendimus; die XVI. supervenerunt pluviæ gratissimæ, fructiferæ, mox æstus increvit, & fere tribus septimanis indesinenter, nulla intercedente pluvia, continuavit, cujus ardore terra valde exsiccata dehiscere, homines autem ob largiores sudorum effusiones desatigari debuerunt. Febres *continuæ* modo cum, modo sine exanthematibus, modo benignæ, modo malignæ, prouti apud nos quotannis observantur epidemicæ, ita & hoc semestri fuerunt frequentes, in quam plurimis malignitatis expertes, & methodo ordinaria, superioribus annis jam tradita, tractatæ, plerumque die XV. in alio nono, in uno septimo, prægressa eodem die hæmorrhagia critica, ex voto solutæ. Alios invasit cum maxima malignitate. Sic honesta quædam fœmina, quadragenaria, ex eadem *febre* die morbi demum XI. incepit delirare, quod alias pro pessimo & fatali signo habeo, XV. recesserunt calores, sed quinque diebus & noctibus insomnibus continuis transactis, valde deliria ab assumpto *pulvere epilept. M. mag. marg. perlar. pulver. analept. castor.* nec non grano uno *laudani de tribus*, somno quidem jucundissimo quievit, sed expergefacta in gravissimas incidit convulsiones, cum continuo tendinum insultu variisque labiorum spasmis; tandem XVIII. die adhibitis frequentioribus *antiepilepticis, confortantibus* nec non *enematibus*, alleviata præter omnium spem convaluit. Et sicuti serotina deliria latentem produnt malignitatem, si non exitium ipsum, ita præmatura funestum semper præsagiunt exitum. Observavi hoc iisdem mensibus in filiolo sex, in juvene XVII. Viro L. annorum, qui omnes ex *febre maligna* tertia die inciderunt in continua deliria, sexta convulsi mortui sunt. Alia fœmina melancholica, & simul gravida, cujus maritus cum quatuor prolibus simul & semel mense *Martio* in uno cubiculo, epidemiali hoc morbo decubuerunt, qui tamen convaluerunt omnes,) eadem *febre maligna* detenta cum *uvulæ ac tonsillarum inflammatione* summa octava recentem enixa est puerum, inde valde debilitata nona delirare incepit, & ex caloribus, viribus exhaustis, maciato corpore, vigiliis continuis, credebatur certo certius peritura. Sed ea fuit fortitudine, ut *sudoriferis, confortantibus, Epilepticis*, rite tractata calores illos intensos ultra xxx. dies sustinuerit, & periculum evaserit, remanente aliquali mentis labe. Mense *Januario* singularis contigit casus. Puella XV. annorum ob leves errores commissos matris castigationem verita sibi ipsi mortem conscivere voluit, sumptisque aliquot granis *mercurii sublimati* incidit de subito in continuos *vomitus, alvi fluxus* cum gravissimis intestinorum torminibus, siti magna, linguæ ac faucium ariditate; sed causa horum symptomatum mox patefacta, accersitus exhibui *theriacalia*, in primis *crystall. mont.* ʒß. *cum ol., amygd. dulc. it. jusculo pinguia*, & loco potus ordinarii *lac bubulum* suasi; his acidum venenosum absorptum, acrimonia obtusa, & puella ab interitu vindicata fuit. Venena enim mineralia sola corrosivitate agunt, ex qua, si non statim ab initio idoneis medicamentis succurratur, *necrosis*, & ex hac sanguinis & seri destructio. Hoc videre licuit in fœmina mediæ ætatis, nutrice, cui ab alia *arsenicum citrinum* malitiose in jusculo propinatum fuit intra paucas horas extincta. Hæc cardialgia lipothymiis, intensissimis torminibus, vomitibus, alvi dejectionibus cum irritatione acerrima valde agitata; post mortem exhibuit stomachum & intestina partim *gangrænata*, partim *sphacelata*, erosa, sanguinem nigerrimum. Eodem tempore vir quadragenario major, sanguineus, diu noctuque per triduum somno profundo, *lethargo* vix absimili, quasi sepultus jacuit, sine ulla alteratione febrili, aut pulsus mutatione, quarta, *Potione laxativa mannata* sumpta, expergefactus sibi optime præsens, atque ad interrogata appositе respondens, de *prostratione virium*, & sequenti die in brachio dextro de *tumore*, aliquali *rubore*, sed *dolore* summo valde conquestus, sexta obortis *caloribus* & supervenientibus *deliriis*, atque omnibus incassum adhibitis, *suffocatus* obiit. Hac hyeme *articulorum dolores* sine inflammatione, sine tumoribus, valde grassati sunt, ubi *laxativa, aperientia, præcipitantia, decoct.* nempe *aperitivum cum fol. senn. S. S. rhabarb. mann. tartar. lap. cancr. præp. sal. acetosell. cichor. diagrid. sulphurat. pulver. hepat. nitr. tartar. Vitriolat. &c.* sæpius adhibita omne absolverunt punctum, & intra quadragesimam modicam morbi vehementiam infregerunt. In honesta quadam fœmina iisdem *doloribus* detenta, se *alvi fluxu* simul laborante, septima die morbum notavi jam solutum. Præstat igitur in his affectibus *alvum* habere magis *laxam*, quam adstrictam. Mense *Februario* in ablactatis & lactentibus copiosas ob-

servavi

ſervavi *febres catarrhales*, quæ invaſerunt tenellos cum tuſſi vehementi caloribus continuis, ariditate faucium, facie floridiori & rubente, ſiti, ſternutationibus, reſpiratione frequentiori, in aliquibus inter reſpirandum cum ſtercore & ſonitu, utplurimum cum *dentitione*. Profuerunt hic *enemata* ſæpe adhibita, *expellentia temperatiora*, aciditatem lymphæ corrigentia, cum *pectoralibus* mixta, v.gr. *pulv. alexit. epilept. ſpec. diair. antihect. Pot. lap. cancr. C.C. philoph. ſyrpectorales*, inunctiones ex *ungu. pectoral. rubr. potab. cum ol. irin. aniſ. deſt. &c.* ratione ſimul habita virium. Atque hac methodo omnes ante nonum diem feliciter ad ſanitatem perducti ſunt; *convulſionibus* autem *epilepticis* ſimul tentati perierunt fere omnes. Vernale tempus *phthiſicis* & *hecticis* valde grave, quamplurimis funeſtum fuit. Sic inter alios officialis, nec dum tricenarius, ex caſtris ſub finem *Nov.* præteriti anni redux, & ab aliquo tempore *hectica pulmonari* laborans, de tuſſi vehemente, gravitate pectoris, copioſa materiæ purulentæ expuitione valde conqueſtus eſt. Affectum hunc curatius examinans ex rorida partium nutriendarum ſubſtantia jam fere conſumpta, ex calore non amplius latente, ſed jam manifeſto, ex pulſu frequentiori & celere, in primis poſt paſtum, ex urina oleaginoſa, ac difficili reſpiratione ad motum quemvis atque aeris alterationes, ex frequentiori tuſſi quandoque ſicca, quandoque cum ſputo purulento, quam utplurimum, ſumptis cibis, ſecuta eſt vomitio, *ſecundum hecticæ febris gradum* jam imminere, atque humorem nutritium in gelatinoſam magis ſubſtantiam converſum quaſi deliquari; ſive pulpas carnium hinc inde in corpore manifeſte quaſi depaſci, quæ *ſpecies febris Maraſmodes* dicitur, judicare debui. Externe pariter & interne adhiberi curavi remedia, quæ alias huic affectui habentur appropriata, *expectorantia*, *abſterſiva*, *analeptica*, *refrigerantia*, *traumatica*, *obtundentia*, v. gr. *pulver. anonym. ſpec. diar. lac. ſulph. pulv. Haly. lap. cancr. ſpec. de gemm. frig. pulver. analept. antihect. Pot. ſpec. pro decoct. flor. & fruct. ſpec. pectoral.* (quibus quandoque beneficio alvi non ſuccedente, addi *mannam electam*) *Syr. de jujub. flor. papaver. locb. ſan. & expert. de pulmon. vulp. conſerv. roſar. bellid tuſſilag.* emulſiones ex *ſeminibus cum decocto hordei*, *julepo roſaceo & nitro perlato* paratas, *gelatinas ex herbis pectoralibus &c. lac caprillum cum ſaccharo* mane potum, aliaque, externe *unguent. rubr. potab. pectoral. cum ol. irin.* nec non *emplaſtra pectoralia* uſitata & *cataplaſmata*. Cura hæc hyemalis videbatur ſuccedere ex voto, rediit appetitus, redierunt vires, remiſerunt calores, niſi poſt paſtum revertentes. Aſt induciæ ſolum ad breve tempus fuerunt, nulla pax. Inſinuavit enim ſe malum, nobis id minus opinantibus, increverunt calores, ſæpe velut paroxyſmos febrium æmulantes, ſupervenerunt ſudores nocturni, vel matutini colliquativi, virium proſtrationes, reſpiratio anheloſa, indicio manifeſto, miaſmata pulmonum ulcerativa in maſſam ſanguineam copioſe delata ibique confermentata, ignem peregrinum internum non ſolum hactenus foviſſe, imo eroſione ad glottidem producta, vocem raucam conciliaſſe, verum etiam alimentarium ac roridum lymphæ nectar acrimonia ſua volatili, aut fermento ſuo putrido penitus inquinaſſe & deſtruxiſſe, ut jam corpus maraſmo incurabili conſumptum, pedes vero tumidi, & cutis vix oſſibus hærens, tanquam funeri ſuo propemodum ſuperfuerit, donec tandem lenta morte tabeſcens menſe *Majo* placidiſſime obiiſſet. *Hecticam ex ſcorbuto calido* natam obſervavi in juvene XVII. annorum. Is alias melancholicus, vitæ ſedentariæ amans, ſæpe ſenſit tumorem in ſiniſtro hypochondrio, aliquando febriles alterationes, brevi tranſeuntes, palpitationes cordis, frequentes phlegmatis moleſte ſalſi e tonſillis aliiſque oris glandulis rejecti, in primis matutino tempore, excreationes. Faciei fuit lurida, pallens, ſubtumida, maculis copioſis, lividis, granulatis referta, quaſi pulvere pyrio afflata, indicio certiſſimo, liquores vitales a ſalibus acido-biliioſis, acribus, valde jam eſſe deturpatos, unde particulis ſulphureis rarefactis facillime *febris lenta*, *hectica*, ſeſe inſinuare potuit. Calor fuit primo occurſu mitis, paulo poſt acer & mordax, qui ſemper circa veſperum ſub ſchemate *febrilis paroxyſmi* rediit, ſed in inflammatorios calores terminavit; obſervabatur jam urina oleaginoſa, reſpiratio difficilis, ſitis magna, appetitus proſtratus, emaciatus corporis habitus, continua pulmonum oppreſſio, virium languor, decubitus in dextrum latus valde moleſtus, tuſſis cum ſputo purulento, ſpiſſo, fœtido, corpus ſudore tota nocte quaſi diffluxit cum pulſu frequenti & maraſmo, atque contabeſcens torpidus fuit, moroſus, profundis cogitationibus defixus vix ad interrogata reſpondit, neque claram, ſed non niſi ſubmiſſam & raucam vocem edere potuit, quod vitio pulmonum ſanie repletorum, qui aeris copiam, quo vox formatur, imminuunt, natum. Hoc tamen quo notandum quoties alvus fuit concitatior, & ad *diarrhœam* proclivior, toties alleviationem ſymptomatum ſenſit patiens. Acceſſit tandem facies Hippocratica, nares ſcilicet acutæ, oculi concavi, tempora collapſa, genæ exeſæ, malæ proturberantes, ſcapulæ, clavículæ, coſtæ prominentes, artus cum reliquis muſculoſis partibus excarnes, verbo: oſſa tegit macies, non juvat ora cibus, & fuit ſceleto ſimilis. Adhibuimus ex ſpecioſiſſimo medicaminum *thoracicorum & ſcorbuticorum* apparatu ſatis mature remedia, v. gr. *pulveres pectorales* ſuperius notatos, *cum pulver. hepat. rad. aeri*, *tartar. vitriolat. &c.* remixtos, linctus, gelatinas, emulſiones, electuaria, infuſa decocta ex *ſpec. prodecoct. pectoral. flor. & fruct.* nec non *herb. fumar. beccabung. trifol. fibrim. cichor. acet. hepat. nob. flor. bellid.* aliiſque cum *ſero lactis*, aliquando cum *aqua* ad formam potus Theæ parata; immo menſe *Majo*, cum animadverti ſſem, hecticos calores aliquantum deferbuiſſe, *lac caprillam recens* cum modico *ſacchari*, a quo tamen ob acidum vel ſalſum ventriculi fermentum, anxietates præcordiorum, hypochondriorum tenſiones, adauctam inde febrim, mox abſtinere debuit. Nil vero magis profuit in *ſudoribus nocturnis*, quam *unguent. reſumptiv. in frigid. Gal. cum ſaccharo ſaturni* paratum. Aſt vehementia & diuturnitas morbi eluſit opem & operam omnem; donec tandem medicamentorum pertæſus, accedente extrema virium proſtratione, fati neceſſitatem longiori vita dignus, magno cum parentum luctu perſolviſſet. Eodem tempore Franciſcanus XXX. annorum laboravit *phthiſi vera*, ſive conſumptione partium corporis muſculoſarum a colliquatione & pulmonum vitio orta, quæ fuit cum compreſſione pectoris, difficili reſpirio, ſed fere ſine febre; huic præmiſſis *pectoralibus* in primis *antihetico Pot.* aliquando cum *pilulis de cynogloſſa* remixtis, exhibitiſque ſubinde *laxantibus mannatis*, decoctis quoque aut juſculis ex *herbis pectoralibus*, *reſolventibus*, *expectorantibus &c. lactis caprilli* uſus optime ceſſit. Acrimonia enim humorum ſalina inde fuit temperata, ſerum dilutum, corpus humectatim, & ad nutritionem diſpoſitum. In aliquibus obſervavi *febrem hecticam ex Quartana*, ut plurimum autem ex *febribus continuis* male judicatis ſubortam. Harum enim fermentatio & calor p. n. continuatus lymphæ rorem abſumpſit, inde virium habituſque corporis concidentia: acredo vero, quæ alias, per vices acceſſit, & tumultus edidit fermentatione continuata, aucta & quaſi domeſtica facta *febrem hecticam Maraſmoden* in uno & altero induxit lethalem. In pueris & puellis III. IV. V. VI. annorum, notavi eodem tempore apud nos alias valde frequentem *Tabis ſpeciem*, quæ fuit cum *abdominis tenſione* & intumeſcentia, calore intrinſecus aucto, pulſu circa veſperum celeriore, inquietudine nocturna, carne flaccida, totius corporis extenuatione, etiam in iis, qui avidiſſime comederunt, ita quidem, ut carne jam abſumpta, oſſa omnia prominuerint, ſola cute contecta. Faciei color fuit pallidus, ſubniger & lividus, nulla fere adfuit tuſſis, nullum ſputum, reſpiratio libera, indicio evidentiſſimo, hos ſine pulmonum corruptione, marcore confectos, cauſam autem fuiſſe quærendam in *meſenterii*, ductuum nempe lacteorum, *glandularum* obſtructione, nec non humorum corruptorum in abdomine abundantia; utut non negem, *lumbricos* tunc ſimul in inteſtinis naſci potuiſſe, qui quandoque in conſpectum venerunt. Unde non mirum, cum univerſi ſanguinis ſyſtema ſale acri-acido jam ſcaturierit, corpora debito alimento privata, in tantam incidiſſe maciem. Huic malo quamplurima oppoſuimus remedia, in primis *aperientia*, *martialia*, v. gr. *croc. mart. aperit. cum ſalibus*, *arcan. dupl. nitroſa pulv. hepat. ſal. C. B. tartar. vitriol. antihect. Pot. lap. cancr. rad. ari &c.* aliquando *anthelmintica*, *v. gr. aqua contra verm. cum ſyr. flor. perſic.* aliaque *Topica*, *unguent. contra verm. de oppilat. ol. cappar. tamariſc. colocynth. ſpirit. ſal. ammon. &c.* ſed irrito conatu omnia, donec tandem lenta tabe conſumpti ſupremum diem clauſiſſent. *Octimeſtres* aliquot *partus* his menſibus habuimus, quos tamen omnes ſpatio, v. VI. vel VII. dierum mortuos obſervavimus. *Jul.* incepit cum caloribus, quus tamen quandoque contemperarunt pluviæ lenioreſque venti, has die X. habuimus copioſas, quas ſequentibus XIV. diebus calores exceperunt intenſiſſimi, die XXI. XXII. XXIII. tonitrua horrenda cum fulguribus, quandoque cum, quandoque ſine imbribus; a die XXV. ad finem uſque variæ aeris viciſſitudines, mox diverſi ventorum tumultus, mox frigora, mox pluviæ, rariſſime ſolis ſplendor. Integer *Auguſt.* ſi ſex aut ſeptem dies amœnos per intervalla calidos, exceperis, pluviis, & ventis præter ætatis anni indolem, valde rigidus fuit. Pluviæ continuarunt ipſo *Ægidii die*, ſequenti autem, diſcuſſis jam nubibus nebuloſis, cælum ſerenatum gratiora nobis promiſit rempora, & ſecuti ſunt XIV. fere dies calidi, ſereni, noctes tepidæ, vini culturæ exoptatæ. Medio *Septemb.* rurſus varias ſubiit mutationes tempeſtas, maximæ exortæ nebulæ, ſolis demum meridiani ſplendore diſſipatæ, ſed brevi in pluvias fere continuas, aut de die, aut de nocte, in primis *æquinoctiali die* abeuntes, quæ cæli inclementia ventoſa ac pluvioſa in *Octob.* uſque duravit, unde botri nec dum bene maturi aut digeſti juſto citius ob exceſſivum humidum computruerunt, & deciderunt copioſe in terram, Quinta *Octobris* ſpem fecit haud exiguam ſerenorum temporum, ſed octava valde pluit, a qua ad ultimam lunæ quadram, i. e. XVIII. grato ſolis ſplendore corpora noſtra incaluerunt, quo ipſo ingruerunt pluviæ, XIX. gelu XX. nives, quorum caſus die XXII. cum procelloſis aeris agitationibus, ac frigore ingens fuit, earum tamen præceps ſolutio. Jam imminuerunt *vindemiæ*, & vinum, quod collectum fuit ante pluvias aut nives, in *Jul.* uſque, ſalibus heterogeneis a mucilagine terreſtri & ſulphurea quaſi ligatis, & in fermentationis negotio ſufficienti impeditis, permanſit turbidum, mucilaginoſum, ſed ſine fœtore; poſt pluvias autem contraxit fœtorem putridum, quem retinuit uſque ad depurationem, quæ tandem poſt annum ſubſecuta eſt cum grato colore & ſapore. Circa finem *Octobr.* autumnalis amœnitas nobis iterum affulſit, quæ toto fere *Novemb.* qui ſiccus extitit, continuavit. *Decemb.* varius & inconſtans fuit, mox frigidus, mox nebuloſus, mox pluvioſus, unde nives, quæ die S. Andreæ ceciderunt, brevi tabuerunt. Hoc ſemeſtri frequentes habuimus *febres Tertianas*, quæ ut plurimum ſine prævio horrore, potius cum corporis gravitate, præcordiorum anguſtia, vomitibus, ſiti, capitis dolore, vigiliis, in primis caloribus intenſis incepèrunt, & primis IV. diebus magis *continuarum*, quam *intermittentium* genium redoluerunt, donec tandem ad perfectam apyrexiam devenerunt. Initium curæ a *Venæ ſectione* ſumpſi, atque præſcripſi *præcipitantia*, *antifebrilia ex lap. cancr. ſal. abſinth. C. B. centaur. min. arcan. dupl. antim. diaph.* tandem die intermiſſionis *Laxativum*; quibus feliciter ſexto, aut ad ſummum ſeptimo paroxyſmo ſublatæ fuerunt. Nec defuerunt *quotidianæ*, *quartanæ*, facili tamen negotio levatæ. Eodem tempore viguerunt *febres continuæ*, acutæ, quæ ſub initium videbantur benignæ, tertio tamen & quarto die latentem ſuam prodiderunt malignitatem; calores enim hactenus vix conſiderandi, jam intenſiores facti, immanes produxerunt cephalalgias, vehementiſſimas virium proſtrationes, deliria, vigilias, ſitim, linguam ſcabram, fiſſam, tendinum contractiones, motus convulſivus varios ac inordinatos, quos una cum tremore labiorum in chirurgi hujatis facie obſervavi frequentes, non tamen, quod mirandum, lethales. R. P. Franciſcanis lues hæc fuit popularis, eoſque fere omnes hic exiſtentes invaſit. Illi enim muſtum mendicatum & collectum emiſſi vini novo turbido ac muſto ſe obruerunt, ac corpus prava victus ratione ad *cacochymiam* diſpoſuerunt. Jam reduces cibis luridis eſurialibus, pro more & exigentia temporis, ſtomachum oneraruut, indeque has *febres continuas* ſibi conciliarunt. *Venæ ſectiones* ſub initium adminiſtratæ optime profuerunt, *diaphoretica expellentia*, v. g. *antim. diaph. mithrid. diaſcord. Franc. ſpec. de hyacinth. C.C.* cum *confortantibus & antepilepticis* mixtæ omne tulerunt punctum, morbumque hunc præcipitem, qui ex ſymptomatibus gravidiſſimis judicabatur pernicialis, ubique ſeptima die nulla interveniente notabili criſi, repreſſerunt, atque omnes, (fuerunt illorum undecim,) ex hoc morbo convaluerunt. Fœminas notavi aliquas ætatis provectioris, non gravidas, *fluxu menſium immodico* laborantes, qui ut plurimum, in primis in plethoricis, ad XIV. dies duravit, & intra octiduum rediit cum languore,

laſſi-

lassitudine totius corporis, facie pallida, quasi exsangui, inappetentia, siti, caloribus, dolore capitis, lumborum, hypochondriorum inflationibus, lipothymiis. Causa immodici hujus fluxus eadem omnino, quæ mensium ordinate fluentium; & sicuti in hoc sanguis turgescens venulas interiorem vaginæ superficiem adeuntes divellit, ac per harum extremitates ruptas nomine menstruorum nigricans lente promanat, donec subsideat aliquantum, ac imminuatur ejus turgescentia; de quo legi meretur *Bohnius econom. animal. progymnas. 16. pag.* 254. ita in immodico fluxu eadem vasorum vaginalium ôscula rupta, necdum occlusa, sed magis hiantia continuo quasi fundunt sanguinem, modo grumosum, modo serosum, pro habitudine sanguinis & seri hic aut in quantitate, aut qualitate, & motu peccantis atque exitum affectantis. Laxior enim & mollior vaginæ compages admittendis & emittendis sanguinis menstrui ordinarii æque, ac extraordinarii, copiis magis accommodatur, quam solidior ac durior uteri substantia. Cum vero affectus hic, si negligitur, ut plurimum *cachexiam*, *hydropem*, *atrophiam* minari solent, maturavi curam, atque in plethoricis quantitatem sanguinis, indeque natam ferocientem turgescentiam deplevi *Venæ sectione in brachio* feliciter instituta, excedentem ebullitionem & fermentationem ab humoribus biliosis, acribus, salinis volatilibus, sanguini inductam *uterinis leniter incrassantibus & adstringentibus*, v. gr. *corall. rubr. lap. hæmat. trochisc. de carab. de spod. pulv. Heurn. croc. mart. adstring. terr. sigill.* imo *terreis* omnis generis, *Tinct. antiphthis. Gr. corall. succ. urticæ &c.* in malo contumaciori & refractario cum his *adstringentibus figentia*, *i. e. laudanum de tribus* accisa dosi maritavi. In *hypochondriacis scorbuticis*, ut sanguinis impetus ex obstructione viscerum, in primis mesenterii, non spontaneus fuit, sed, qua data porta, ruens coactus, ab *Adstringentium* usu *præcordiorum anxietates*, *capitis dolores*, aliaque symptomata hysterica notavi. Hic omnino locum invenerunt *Laxantia*, sed lenissima, extra paroxysmum propinata, v. gr. *decoct. fol. senn. tamarind.* & quod specificum fuit, *rhabarb.* ipsum in substantia degluritum. Profuerunt quoque, licet per accidens, cum *confortantibus* mixta, v. g. *Tinct. tartar. corall. compos. sperniol. Cr.* aliaque *martialia temperata*, acorem simul absorbentia. Pro meliori tandem viscerum & vasorum firmitudine, nec non fibrarum ac pororum coarctatione, optimo cum successu ablegavi illas ad thermas *Badavino-Austriacas*, ex quibus reduces ordinarium, & naturæ convenientem menstruum fluxum expertæ sunt. In Perillustri quadam matrona notavi *Tumorem exiguum in pudendis*, qui tamen non extra pudoris sinum propendebat, sed, mensibus non fluentibus, quotidie crescebat & intumescebat valde, mensibus autem fluentibus, qui sæpe intempestivo, aliquando immoderato & continuato ad aliquot septimanas fluxu urgebant, detumescebat. Adnatus fuit *uteri orificio*, cujus substantiam cum vagina & pudendis absque hoc spongiosa, rugosa & glandulosa est, in qua varii generis humores stagnare & subsistere possunt, inde tumoris incrementum & decrementum. Tentavimus *injectiones cum aqua calcis vivæ*, *decocta lignorum* aliaque, irrito tamen conatu; suasi tandem *incisionem*, quam reformidarunt *Chirurgi Viennenses*, atque potius naturæ hoc opus committi, quam crudele & anceps sectionis remedium experiri decreverunt. Ejusmodi tumorem utero extrinsecus adnatum, tres libras ponderantem in virgine XXIV. annorum feliciissime secuit *Chirurgus Halberstadiensis*, cujus mentionem facit *Frider. Hoffmannus in annotat. super Poterii opera*, *cent. III. capit. 47. pag. m.* 332. & ipse *Poterius eodem loco*, nec non *Blancardus in Collect. Medic. centur. 3. obser. 51. pag.* 421. Sarcoma autem totam uteri vaginam occupans foraque propendens, atque interno ejus orificio adnatum observavit *Kerkringius Spicileg. Anatom. Observ. 53. pag.* 114. ex uteri orificio interiori varias excrescentias membranaceo-carnosas propendentes *Ruyschius*, *Centur. Observat. Anatom. chirurg. 6. pag.* 12. nec non *Bartholinus Centur. 1. hist. 94. pag. 139. Centur. II. hist. 6. pag.* 161. *Centur. II. hist.* 58. *pag.* 248. *Segerus in M. A. C. decen. I. ann. 2. pag.* 199. aliique. Laboravit simul *fluore albo*, effluxitque fere indesinenter e pudendis materia purulenta, fœtida, sed sine dolore, indicio certissimo, serum seu lympham hic sola peccare copia, deponique in glandulis per uterum illiusque vaginam disseminatis, quæ nimium laxantur; ductus autem excretorii inde valde dilatantur, & sphincteruli, quibus hi ductus claudi recludique solent, a peccantium humorum, qui in vasis sunt fluxiles, jam extra vasa lentescentes & ichorescentes, mucosi, copia magis vel minus resolvuntur. Pro depletione seri excrementitii & viscosi, cum sit plethorica, ordinavi *Venæ sectionem in brachio*, *fonticulos*, *laxantia ex manna*, *rhabarb. fol. senn. diuretica*, *terenbinthinata* nempe & *succinata*, *mag. lap. cancr. decoctum dauci*, *aperitivum For. &c.* non omissis quandoque *martialibus & tartareis*. Serum corrigere, ejusque qualitatem cum sanguine contemperare, nec non uterum glandulasque flaccidas roborare voluimus *infus. ror. mar. cum vino*, *pulv. absorbente Wedel. pulv. ex ebor. unicorn. fossil. oss. sep. corall. osteocoll. test. ovorum calcinatis*, *perlis*, *alum. plum. sacchar. saturn. tinctur. corall. essent. lign.* in primis *elix. Propriet. rhabarbarino* mane ad 49. guttas, vesperi vero sequenti pulvere: Recipe *magist. osteocoll. carniol.* aa. ʒij ß. *corall. rubr. præpar. margar. præpar. mastic. gumm. arab. oss. sep. unicorn. foss. ebor.* aa. *gr. XV. ol. lig. sassafr. guttij. M.* & dividatur in v. dos. it. Recipe *rad. chin. sarsæparill.* a. ʒj. *passul. min.* ʒj ß. *mastich.* ʒji *alum. plumos.* ʒj. *sem. anis.* ʒj. *concis. D. ad nodul. Spec. Sackel. zum Wasser. sieden*, pro potu ordinario: nec omisimus *Topica*, inunctiones, suffitus ex *salvia*, *mastiche*, *succino*, *thure*, imo nil intentatum reliquimus, eradicare tamen penitus affectum hunc contumacem non potuimus. Cum autem ex longa praxi constet, *fluorem* hunc *album* quandoque, in primis valde obesis, prout nostra fuit; & jam a lunari tributo fere absoluta, nec adeo enervata, in quibus humores turgent, si non est immodicus, proficuum esse, & pro *fonticulo* microcosmi habendum, qui impedit, ne corpus in majorem excrescat molem, abstinendum jam a medicamentorum usu, & curam ad *thermas majales* differendam duxi. *Hypochondriaci* variis, & gravibus symptomatibus his temporibus tentati sunt, in quibusdam *ventris inferioris viscera*, in aliis *præcordia*, in aliis *cerebri confinia* maxime attici videbantur. Ex multis unicum saltem *hypochondriaci* enarrabo exemplum, in quo syndrome gravissimorum symptomatum apparuit. Vir, ætatis mediæ, temperamenti cholerici, habitus corporis tenerioris, ipso *æquinoctii autumnalis die* incidi in *ventriculi dolorem*, quem presso pede secuti sunt æstus vagi, atrociissimi capitis dolores, cordis palpitationes, anxietates præcordiales, dolor & constrictio in pectore, sive gulæ strangulatio, quæ *suffocationem* minabatur, præcordiis enim constrictis, non solum respiratio difficilis, & ad motum quemvis laboriosa fuit, sed & non raro supervenerunt animi deliquia, ex quibus laboribus & anguistiis sudor erupit frigidus; in partibus extremis notabantur spasmi & stupores cum formicationis sensu & tremore undulante, in somno pavores, terrificis insomniis interturbati, continua intestinorum murmura, in ore sapor biliosus, alvus ut plurimum obstructa. Observavi autem ex symptomatum horum confluxu suffocationes has hypochondriacas plerumque fuisse *spasmos* & contractiones partium nervosarum, ortasque a ventosa & humorosa hypochondriorum sentina. Sæpe ex mœstitia nimia, atque diutius continuata, nec non excessiva lætitia, in has incidit ægritudines. In paroxysmo, præmissis *clysteribus*, eximie profuerunt, & omnibus palmam præripuerunt *castoriana* cum *anodynis* mixta; v. gr. *pulv. castor. gr. viij. epilept. M. ʒß. specif. cephal. g. v. laudan. de trib. g. j. M.* it. *mist. simpl. cum ess. castor. anodyna* maritata. Extra paroxysmum in eam maxime incubuimus curam, ut humores viscidos, acidos, obstructionum authores, attenuaremus. Multi in hoc passu multa laudant, atque pro specificis venditant. Nos in tanto medicamentorum apparatu in *martialibus & blandis laxativis*, v. gr. Rec. *Vitriol. mart. g. j. diagryd. sulphurat. g. iij. pulv. hepat. gr. vij. ol. carminat. M. gut. j.* M. pro j. vice, indubitatam semper medelam invenimus, imo hoc pulvere exhibito imminentem sæpe paroxysmum declinavimus, levi enim eguit purgante, quantum vel infans VI. septimanarum vel minor adhuc ferre posset, sed singulo mense bis eundem *pulverem* in usum vocare debuit, inde alvus octies soluta, & molestissimos affectus sublatus fuit. Non minori voto successerunt *acidulæ Roitschenses*, quarum usu maximam alleviationem sensit. Jam addam, quæ in Viro ecclesiastica dignitate conspicuo de *Anaudia* notavi. Is LIV. annorum, plethoricus, atque alias *hypochondriaco affectui* obnoxius, jam mense *Julio balbutie linguæ* laborare cœpit; non enim tantum in concionibus, sed etiam prælectionibus precum publicarum, quin & in communi conversatione quasdam syllabas & voces inter pronunciandum absorpsit, vel quasi suppressit, ut vix intelligi potuerit, & sumpsit hic affectus sensim atque sensim sua incrementa, donec sub finem *Septembris* mane derepente incidit in *Anaudiam*, sive *impedimentum sermonis*, ut articulate nec duo verba proferre quiverit, cum *stupore digitorum manus dextræ*, memoria factorum & gestorum, imo reminiscentia reflexiva læsa; neque enim scribendo mentem suam exprimere potuit. Linguam quaquaversum movit, volutavit, exporrexit, sapidissime comedit. Graviora metuens *Venæ sectionem in brachio* ordinavi sine mora, nec non medicamenta *nervina*, *cephalica*, v. gr. *spec. diamosch. dulc. diambr. contr. apoplex. spec. ceph. M. extr. castor. sal. volatil. succin. C.C. spir. sal. ammon.* cum *aqua lil. conv. ess. ambr. lign. aloes*, *sal. volatile oleosum*, aliaque. Linguam, in primis frenulum, inungi jussi linimento ex *conf. anacardina*, *alkerm. compl. ol. rut. lavend. cinnam. extr. castor.* His frequenter adhibitis adhuc eodem die sese recollegit, atque intelligibilius loqui cœpit, redeunte simul memoria. Sensus motusque linguæ usus semper perstitit integer, loquelam nunquam amisit, quin potius sermonem exteriorem per motum linguæ exprimere, ob aerem tamen minus sufficienter inter fluctuantes gutturis sinus impulsum & reflexum, non satis intelligibiliter proferre potui; natum hoc utique vitio *laryngis*, nervorumque sexti paris, qui sunt vocales. Sermo enim imperditus fuit a resolutis aut relaxatis nimium musculorum angustæ laryngis rimæ constringendæ aut angustandæ dicatorum, ligamenti, quorum fibræ sine dubio a sero nimis copioso, vel per arterias, vel per vasa lymphatica ex toto corpore plethorico affluente, flaccidæ redditæ rimulam haud sufficienter pro allisione & extrusione violenta aeris angustare ac disponere valuerunt. Accessit & aliud malum valde suspectum, *facium constrictio*, suffocationem, sive strangulationem meniens. Hæc aliquoties, sed derepente venit, ipsiusque fauces quasi laqueo constrinxit, liberamque respirationem inhibuit, brevi tamen remisit. Putabant vitium hærere in *pulmonibus*, aut *abscessum* inibi latitare, sed falso; potius a particulis acidis & austeris hypochondriacis, mediantibus nervis recurrentibus, musculos faucium in spasmos cogendo, viam idcirco aeri præcludentibus, ne a musculis respirationi inservientibus præ angustia loci facta ex & impelli queat, deducendum. Cum vero vidisset, se quidem voces & verba, nondum tamen expedite, neque semper integro sensu & phrasi proferre posse, ursit ulteriorem curam, quam ob anni ætatem, *autumno præcipiti*, ipsi denegavi, eamque ad incrementa dierum differre volui. Moræ igitur pertæsus incidit in aliquem, qui perfectam mali curam etiam hoc tempore promisit; deditque inter alia *Vomitorium*, ipso solstitio hyberno imminente, quo id assecutus est, ut quidem magnam humorum saburram, fictitium nempe, aut potius, *imaginarium pectoris apostema* Vomitu rejecerit, inde alleviationem ad biduum senserit, paulo post tamen in majorem debilitatem, mentis vacillationem ac torporem, propensionem in somnum, loquelam difficiliorem inciderit. Nec his acquiescere voluit, sed ordinavit *fumisuctionem nicotianæ*, ipsi alias insuetam, nervis infestam, imo *nervinis morbis exitiosam*, experientia enim constat, *Apoplexiam* inter *nicotianæ* usum sæpe invasisse, teste *Dockero exercit. Pract. p. m.* 89. & *Riccardo Carr*, *epist. Med. 2. p.* 21. Inde valde obliviosus factus, & sub *initium Februarii* sequentis anni gravissima *apoplexia* tactus, subito interiit.

Constitutio Epidemica Sempronienſis Anni 1708.

Credidisses hac *hyeme* denuo permutata fuisse tempora, atque adesse æstatem etiam in frigidissimis alias mensibus. *Januarius* quippe nullum fovit gelu, nullas nives, fuit ut plurimum pluviosus, nebulosus, humidus, nubilus, calidus. *Februarius* quasi totus calidus, amœnus, ut plurimum serenus, quandoque pluviosus, ventosus, & circa finem cum modico frigore & nive, quæ tamen altera die evanuit, unde jam medio mense observavimus diversos flores. Huic ad *æquinoctium* fere usque plane similis *Martius*, amœnus nempe, calidus, qui in copia flores elicuit. Circa *æquinoctium* die XVIII. XIX. XX. suborti sunt venti valde frigidi, rigidi, qui congelarunt terram, sed sub finem mensis aura iterum comparuit turbida, pluviosa. *Aprilis* præter morem illuxit serenus, calidus, plane æstivus, raro pluviosus, siccior magis. *Majus* variabilis, ad medium usque frigidus, pluviosus, a medio ad finem calidus, amœnus: II.

au-

antem, III. & IV. fuerunt pruinæ, quæ hinc in vineis damna fecerunt. Totus *Junius* pluvioſus, *Medardus* quoque & *Joh. Baptiſta* effuderunt pluvias, imo nulla dies hujus menſis fuit ſine pluviis. Toto *Januario* præter *otalgiam* in Viro, *mictum cruentum* in filiolo quodam poſt partum, *pleuritidem cum diarrhœa*, nullos fere vidi morbos, *Variolis* tamen laborantes habui, quorum unus erat VI. annorum, qui eruptis prius tertia morbi die una cum *variolis petechiis purpureis*, quarta die antea correptus *hæmorrhagia narium* mortuus eſt. Menſe *Februario* obſervavi *Apoplexias fortiſſimas*, uti quoque *febres continuas* VII. die ſolutas. Hoc menſe fœmina quædam enixa eſt *fœtum mortuum*, *ſecundinæ* remanſerunt, altera die mortua. *Martio* filiolum quendam Ruſtenſem *clauſura ani* laborantem habui ſub cura, de quo *Sculteti Armamentarium* videri poteſt: ſuccurri etiam fœminæ *otalgia* laboranti *miſt. ſimpl.* mixta cum *eſſ. caſtor.* De *doloribus capitis*, *Vertigine*, *diarrhœis* cum maximis caloribus, *febribus tertianis continuis*, *variolis* tunc temporis graſſantibus nil adducam. *Aprili*, *Majo*, *Junio* continuarunt *variolæ*, quas tamen modo in filiolo quodam prægreſſa eſt *epilepſia*, modo in puella die III. IV. V. ſecuta eſt *hæmorrhagia narium*, jam in alia die XII. *herpes miliaris*. Quædam *variolæ* confluebant, quibuſdam jungebatur ſub initium *diarrhœa*, quibuſdam *epilepſia*. *Febres continuæ catarrhales*, *diarrhœæ* quoque his temporibus in conſpectum prodibant. Menſe tamen *Junio Variolæ* epidemice graſſantes maxime erant malignæ. Sic eas obſervavi in aliis cum *maculis purpureis*, in alio cum *vibicibus*, in alio ſuborti ſunt XII. die *furunculi* inſtar *anthracum*, in aliis *tumores* & *parotides* inſtar *bubonum*, aliis *palatum*, *gingivæ*, fauces fuerunt *exeſæ*: alios conſumpſit *calor hecticus*, inflammatorius, & fuerunt hæ variolæ funeſtæ die X. XXIII. XXVII. Sic malum, ſive venenum varioloſum in Gratioſo parvulo Ebergeny fuit inſanabile, adeoque plus docta valuit arte. Incepit morbus cum *horrore*, quem ingentes exceperunt *calores*, quandoque *deliria*, *ſitis magna*, *pulſus celer*, *languores* totius corporis, tertia die eruperunt *variolæ*, quarta *maculæ petechiales coloris purpurei*, guttarum inſtar copioſe per cutem diſperſæ, inde variolarum excretio retardata fuit, quæ tandem omnes coierunt in *unam*, totamque faciem *cruſta*, ſanie fœtidiſſima referta, contexerunt. Undecima die ſupervenit *diarrhœa*, brevi tamen conſopita, die XII. aliæ efflоruerunt *veſicæ*, *aqua limpida flava*, quandoque *ſanguine remixto*, plenæ, quæ ordinarias contexerunt *variolas*, magnitudine *ovi columbini*, imo *ovi gallinacei*. *Sie haben auſgeſehen wie die ordinairen Zangen-Blattern*, *ſo durch ein* Veſicatorium *auſgezogen werden*, *oder als wenn man ſich in heiſz-ſiedend Waſſer verbrennt hätte*, & ſteterunt per biduum: die XIV. notavimus in dorſo lateris dextri *tumorem*, qui nullo modo maturari potuit, ſed reſolutus tandem collum occupavit, omnemque maturationem reſpuit, imo ſeſe reſolvit: interea *calores* continuarunt intenſi, acceſſit *tuſſis* cum expuitione *materiæ purulentæ*, quandoque *ſanguinis*, *fœtor oris* fuit cadaveroſus: indicio certiſſimo, pulmones variolis refertos, valde eſſe inflammatos, exulceratos, utplurimum conſumptos, ſi non *ſphacelatos* XXIII. demum die pauperculus viribus jam exhauſtus obiit. Poſt mortem obſervata tota *facies* & *abdomen nigerrimum*, ex quo colligendum, non ſolum totam maſſam ſanguineam, verum etiam omnia viſcera corroſivo hoc veneno varioloſo fuiſſe infecta, tandem *ſphacelata*. *Julius* magis pluvioſus fuit, quam ſerenus. *Auguſti* initium æque pluvioſum, quinta inceperunt calores, qui toto menſe continuarunt. *Ægidiis dies* ſine pluviis, & per totum *Septembrem* mira aeris ſiccitas, calores præfervidi, intenſiſſimi, etiam nocturno tempore, qui durarunt uſque *æquinoctium*, mane ros cecidit, & ſupervenerunt nebulæ fructiferæ. Flavit ut plurimum hoc tempore auſter, bonum alias conſtantis tempeſtatis ſignum. *October* ultra medium ſereniſſimus, pulcherrimus, calidus, d. XIV. XV. noctes frigidæ, inde in aliquibus promontoriis botri congelati, ſuperveniente tamen ſolis ſplendore ſtatim regelati; d. XXVII. ante feſtum Simonis & Judæ ingentes ceciderunt nives, dies feſtivus, nempe XXVIII. valde ſerenus, ſed frigidus borealis, XXX. nec non XXXI. iterum ninxit, ſed tertia nix abſumpſit priores, ut jam ſine damno vindemias noſtras uberiores, præter expectationem, colligere potuerimus, neque nocuerunt nives, potius conſervarunt botros a frigore, vinum autem, quod crevit in abundantia, fuit generoſiſſimum, ſuaviſſimum, dulce. In *Novembri* aeris temperies longe benignior, & quidem calidior affulſit. *Decembri* aere mutato ceciderunt d. VII. VIII. X. nives copioſæ, profundæ, mox ſecuta frigora, & circa finem denuo nives. Menſe *Julio* continuarunt *Variolæ malignæ*, neminem tamen, qui X. annum exceſſit, hoc tempore invaſerunt. Accedebant ſemper cum *ſomno*, ita ut nocte dieque dormiverint III. aut IV. diebus. *Auguſto* nulli fere morbi viſebantur præter *diarrhœas* & *dyſenterias*. Circa finem ob continuas aeris ſiccitates, calores præfervidos, Sirio inſigniter urente, inceperunt *febres erraticæ*, quæ nullum typum ſervarunt, invaſerunt cum aliquali *frigore*, inſequente *calore*, aliquando ultra XX. aliquando ultra 40. horas durante, poſt apyrexiam aliquot ſaltim interjectis horis novus paroxyſmus acceſſit, cum *capitis dolore*, *ſiti*, *linguæ & faucium ſqualore virium debilitate*, ita ut *febrem continuam* fore judicaſſes; donec tandem tranſactis aliquot paroxyſmis in *tertianam ordinariam* degeneravit, quod utplurimum circa ſeptimum diem contigit. Adhibui *V. S. diaphoretica*, *præcipitantia*, quamprimum vero notavi *tertianas*, aut *tertianas duplices*, exhibui ſtatim *chinata cum arcan. dupl.* optimo cum ſucceſſu. *Septembri* continuarunt *febres tertianæ*, ſexto paroxyſmo ſolutæ, ubi optime profuerunt *chinata &c.* De his febribus erraticis vid. M. N. C. *Dec. III. ann. VI. p. m.* 177. *app. nec non H. M. V. p.* 300. Inter alia notavi, *animi affectus* quid poſſint. Officialis quidam incidit in ejuſmodi *febres*, præceſſit horror, ſecuti ſunt calores, qui in IV. durarunt diem continui cum anxietatibus præcordiorum, aut pectoris compreſſione, ut ſæpe in lecto erectus ſedere debuerit, cum capitis dolore, ſiti, deliriis &c. Adhibita *Venæ ſectione in brachio & pede* quinta die remiſit calor, qui tandem undecima intermiſit, ut jam extra periculum judicatus fuerit. Quid fit, accepto triſti & ingrato nuncio derepente incidit in *ſomnum profundum*, & quaſi in exſtaſin, ut exinde expergefieri non potuerit, tandem applicatis *clyſteriis*, nec non *Veſicatoriis* intra XV. horas ad ſe rediit, omnium rerum inſcius, vix loqui valens præ nimiis debilitatibus, aſt eodem die relabitur in priorem *ſomnum profundum*, ſicque elapſis vix XII. horis, accedentibus *convulſionibus*, *ſine febre comatoſus* ſatis ceſſit.

Supplem. ad Sydenham.

Pari ratione nobilis matrona, quinquagenaria, temperamenti ſeroſo-bilioſi habitus carnoſioris, in ſterili matrimonio ſemper exiſtens, tributum tamen lunare ſuum accurate, ſed largiſſime perſolvens, *hypochondriacis*, nec non *hyſtericis paſſionibus* valde obnoxia, jam a longo tempore valetudinaria, incidit ſub finem *menſis Septembris* in *febrem continuæ ſubſimilem*, quæ rite tractata degeneravit in *tertianam exquiſitam* ſeptimo paroxyſmo judicatam. Reliquit autem poſt ſe *ſummam virium proſtrationem*, *anorexiam*, *capitis gravitatem*, *anxietates*, *cachexiam* ipſam. Urina, quam hactenus reddidit, fuit turbida, cum ſedimento copioſiſſimo, mucoſo, coloris roſei, non tamen fœtens. Materiam hanc hypochondriacam, quam natura, optima morborum medicatrix, per ductus urinarios excretam voluit, jam motam, promovimus *digeſtivis*, *aperientibus*, v. gr. *pulp. hepat. tartar. vitriolat. arcan. dupl. ſal. cich. lap. cancr. tinct. ſal. tartar.* tandem *decoct. aperit. For. cum fol. ſenn. & manna* acuto. Quinquies inde dejecit, relicta tamen aliquali, ſed torminoſa in inteſtinis *hypercatharſi* ad biduum; qua ſedata melius ſeſe habuit, atque *ordinarius menſium fluxus* inſtitit. Octiduo poſt, i. e. quarta *Februarii* obſervavi pulſum alteratum, juſto celeriorem, ſexta veſperi *affectum ſoporoſum*, propenſionem nempe gravem, & invincibilem in ſomnum, reipſa dormivit, & excitata oculos aperuit, ad interrogata paucis, ſed appoſite reſpondit, de nullis doloribus conqueſta, mox relapſa in ſomnum; ſi adſtantes devotas ac pias cantilenas canere inceperunt, ipſa ſimul expergefacta ſtatim cecinit, neque ante cantare deſtitit, quam inchoatam abſolvit ſtropham, adeoque ſemper ſibi fuit præſens, omnes cognovit, nunquam ſenſibus neque internis, neque externis, neque motu deſtituta, ſed valde debilitata, & ad actiones more ſolito obeundas languida, reſpiratio fuit integra. Calor febrilis notabatur p. n. lentus acris & mordax, qui veſpertino tamen & nocturno tempore intenſior, pulſus celer, mollis, facies pallida, ſubtumida, quaſi *leucophlegmatica*, oculi ultimis diebus quaſi turbidi, lachrymabundi. Oppoſui huic *Comiti Soporoſo* varia v. gr. *caſtorina cinnabarina jovialia*, *ſal. volatilia*, *ſuccin.* C. C. cum pulveribus *epilepticis & confortantibus* remixta, nec non *Veſicatorium* nuchæ applicatum, ſed ſine operatione, imo irrito ſucceſſit omnia, donec tandem ſomnus hic p. n. ſeptima die corpus fratri ſuo morti tradidit. Paulo poſt mortem e naribus copioſe ſtillavit *ichor ſeroſus*. Veriſſima igitur manet *obſervatio Wedelii opiologiæ* inſerta, *p. m.* 46. qua fatetur, ſe nunquam vidiſſe *affectum ſoporoſum* vere talem, ubi non adfuiſſet *calor p. n.* ſimul quod & ipſe aliquoties jam in praxi obſervavi. Eodem menſe *Illuſtriſſima Comitiſſa* gratioſam enixa eſt filiam, quæ *lac ſugere ex papilla non potuit*, ſed id per nares ſumma cum moleſtia & anxietate reddere debuit. Examinatis faucibus, *columella & tonſillæ cum poſtica parte palati* abſuerunt, unde lac, quod deglutire non potuit, per nares reſultavit. Non diu ſuperſtes fuit, tertio enim a nativitate die, accedentibus *motibus convulſivis* fatis ceſſit. In cauſas inquiſituri, quare natura in formando corpore a recta formatione & ſcopo deflexit, harumque partium deficientium oblita fuit, ſciant, *Illuſtriſſimam matrem libenter & quidem attente ac conſiderate ſæpe in diſtractos canum & felium rictus ludendo inſpexiſſe*, adeoque horum ſtructuram fortiter ſibi impreſſiſſe. Interim *Wedelianum poriſma*, uvulam nempe ad deglutitionem eximie facere, manet veriſſimum. Parallela aliquo modo hiſce exempla, ſi cui volupe fuerit legere, adeat *Obſervationes Wedelii recenſitas in M. A. N. C.* legat *Dec. II. Obſerv. 5. anno 5. M. A. N. C. p.* 12. nec non *Salmuth. obſerv. med. 6. cent. 3. pag.* 115. ubi ſimiles reperiuntur caſus. *Febres erraticæ* adhucdum *Octobri* continuarunt, calores autem non adeo fuere intenſi, interim obſervavi *hemitritæos*, ubi *febris una die bis venit*, *& altera ſemel*. Vice Colonellus quidam ex *febre colica bilioſa* cum *vomitu* correptus incidit in *deliria*, ex his in *convulſiones epilepticas*, qui tamen evaſit. Sic alius quidam Vir laboravit *febre continua* cum *maximis debilitatibus*, *capitis dolore*, corroſione & *torminibus ventris*, ſexta ſupervenit *fluxus alvi*, ſeptima *icterus*, qui occupavit totum habitum corporis, cum *dejectionibus albis*, *urina ſaturatiori*, *nigricante*, *oleaginoſa*, *proclivitate in ſomnum*, & ſolvit calores. At initio dedi *diaphoretica* cum *confortantibus* mixta, caloribus vero jam abactis *ſpec. diacurcum. cum pulv. rhabarb. tartar. vitriolat. ſal. cichor. trochiſc. de eupator. &c. Novembri* inceperunt graſſari *morbilli* ut plurimum *benigni*. *Tuſſes ferinæ* atque *catarrhi* frequentiſſimi. Menſe *Decembri* continuarunt adhuc *morbilli*, qui tamen ſub finem anni maximam induerunt *malignitatem*, fuerunt valde *parvi cum maximis catarrhis*, *fuerint &c.* Quidam correptus ex *febre maligna cum diarrhœa*, *vomitibus*, *ſingultu continuo*, tandem adhibitis *V. S. ſtipticis*, *caſtorinis*, nec non *opiatis*, quæ pro doſi *ad gr.* iſ. præſcripſi, nona die convaluit præter omnium expectationem.

Conſtitutio Epidemica Sempronienſis anni 1709.

Januarius incepit cum frigore, quod a die V. ad XII. valde exaſperatum, imo poſt hominum memoriam acerbiſſimum fuit, remiſit tamen ad aliquot dies, d. XVIII. vero iterum intendebatur, verbo, nives ceciderunt ſupra nives, gelu ſupra gelu, & continuavit per totum menſem. Menſe *Februario* continuarunt frigora, imo III. & IV. ceciderunt nives copioſiſſimæ cum horrendo gelu & ventis, ut homo in plateis vix ire potuerit, quam tempeſtatem nemo unquam obſervavit, adeoque vera fuit ruſticorum obſervatio, Sole micante, die purificante, nix major erit, quam ante. Sol enim hoc die ſplendebat. Poſt *novilunium* remiſit gelu, ſed rediit die XVIII. XIX. ingens cum nivibus, quod continuavit: die XXV. & XXVI. longe majores ceciderunt nives cum omni tempeſtatum inſolitarum, frigorum & ventorum genere, quæ præcluſerunt ubique vias, arbores frigoribus obnoxias decuſſerunt cunctas. Duravit hoc in *Martium* uſque. Continuavit enim & hoc menſe gelu una cum nivibus, quæ copioſe ceciderunt, *ad æquinoctium* uſque, adeoque *hyems hujus anni fuit ſumma*, tempeſtas ſæviſſima, *nivis altitudo maxima*, cujus nulla hominum ante nos recordatur memoria. Jam miteſcente hyeme jucundiora & calidiora affulſerunt tempora. *Aprilis* enim fuit valde amœnus, ſerenus, calidus. *Majus* tamen erat frigidus, pluvioſus, XVII. die ninxit. *Junio* denuo calida, ſicca tempeſtas obſervabatur. Menſe *Januario* continuarunt adhuc *morbilli cum tuſſibus vehementiſſimis*, *catarrhi*; *febres continuæ* ſeptima die ſolutæ, quæ tamen leviſſima occaſione redierunt. Hoc menſe in *puella octenni* obſervavi *menſes ordinarios*. *Februario* graſſabantur *petechiæ*,

febres continuæ, & matrona quædam mortua eſt *comate ſomnolento* ſeptima morbi die. *Martio* viſebantur *morbilli*, *herpes miliaris ex puerperio*. *Catarrhi* fuerunt frequentiſſimi, & apud infantes *cum febre continua*. *Febres continuæ*, *petechiales* adultos quoque invadebant, quæ poſteriores per totum *Aprilem* obſervabantur. Menſe *Majo* morbi præter *catarrhos*, *& febres intermittentes* fere nulli. Virgo tamen quædam nobilis hoc menſe *ſphacelo ex colica bilioſa* duarum dierum fuit mortua. Erat hæc ipſa virgo XXXII. annorum, atrabilaria, quæ d. IX. *Maii* derepente veſperi incidit in ſæviſſimos, & *acutiſſimos ventris dolores*, qui *dextra magis parte* cruciaruur, atque modo ſurſum, modo deorſum iverunt, in primis vero *regionem umbilici uſque ad ſcrobiculum cordis* occuparunt, tanta ſævitie, ut exiſtimaverit ſe veru ignito perfodi, urſerunt *vomitus*, *anxietates ſummæ*, adſuit *omnimoda excrementorum & flatuum retentio*; ordinavimus frequentes *enematum injectiones*, nec non *aquam laxativam*, quam prima vice rejecit, altera vero retinuit, irrito tamen conatu omnia. Secunda enim die fluxerunt *menſes coloris nigerrimi*, acceſſit paulo poſt *ſingultus*, mox *totalis fore* tum *pulſus* tum *caloris extinctio*, ſalvis ſenſibus motuque membrorum illæſo, quam refrigerationem non percepit, quin potius de intenſiſſimis caloribus internis, quaſi candenti ferro intus aduſta fuiſſet, conqueſta, manibus glaciei inſtar rigidiſſimis ſubinde loca petiit frigidiora, eademque die, i. e. ſecunda *Martii* veſperi mentis tamen compos, velociter, ſed feliciter humanis rebus erepta eſt. Succi hic inteſtinales, in primis bilioſi, acres inter plexus nerveos menſentericos, nec non fibras inteſtinales hærentes, atque in illarum anfractibus concluſi, acrimonia ſua tormina & cruciatus excitarunr terribiles, atque in fundum Ventriculi penetrantes Ventriculum ad vomitus & ſingultum ſtimularunt, arſenicalem autem naturam mox induentes inteſtina inſtar mineralis veneni aſſumpti corroſerunt, dilacerarunt, atque in ea more perforantis terebellæ, aut ſpinæ infixæ, ſe infixerunt, inflammationem conciliarunt, & ſtagnante in capillaribus ſanguine, acrimonia ſua corroſiva in momento fere inteſtina ſphacelarunr, quaſi in ferventiſſimam aquam immerſa fuiſſent. Similes caſus vid. *Joh. Sophron. Kozack de ſale*, *c. 6. ſect. 15. pag.* 260. *Dominic. Panarolum Obſerv. Med.* 50. *Pentecoſt.* 4. *p. m.* 139. *Segerum obſerv.* 82. *dec. I. ann. III. M. A. N. C.* Menſe *Junio* morbos nullos obſervavi, exceptis *febribus tertianis*, nec non caſu infelici cujuſdem Domini, *febre continua* laborantis, quam die IX. exceperunt *terribiles convulſiones epilepticæ*, inde ſecuta *deliria &c. Calores* intermiſerunt, *deliria* vera remanſerunt. Sub initium quartæ ſeptimanæ obſervavi novos *calores* ex *ſcorbuto* ortos, cum *maculis ſcorbuticis purpureis*, *vigiliis continuis*, *deliriis*, nec non *copioſa ſanguinis per inferiora* partim grumoſi, partim floridi ad tres medias *ejectione*, inde ſumma virium proſtratio, & cum fine quintæ ſeptimanæ mors. *Julius* hujus anni fuit valde ventoſus, quandoque præter morem auſterus, frigidus, ſine pluviis fere. Totus *Auguſtus* erat valde calidus, exceptis ſub finem aliquot diebus, qui fuerunt ventoſi, frigidi. Frigus quoque obſervabatur per totum *Septembrem*, qui ut plurimum pluvioſus fuit. Ægidii die uſque ad prandium plue, bat. In Feſto Matthæi circa veſperam habuimus ingentia fulgura, tonitrua, pluvias, ſed ſine grandinibus. Menſe *Julio*, *Auguſto*, *Septembri*, *Octobri inſolitæ* ſine ætatis diſcrimine ſævierunt *febres*, peculiarem enim habuerunt naturam, invaſerunt cum modico *horrore*, mox *caloribus continuis*, ut etiam peritiſſimi credidiſſent, adeſſe *febres continuas malignas*, *vomitibus*, *alvi fluxu*, *ſiti*, *doloribus capitis*, *vigiliis*, v. demum die remittente calore degenerarunt in *intermittentes exquiſitas*, quæ pro ſubjectorum temperamentis, ſanguiniſque ac humorum conſtitutione modo contumaciores, modo benigniores fuerunt. Paroxyſmum imminentem ut plurimum comitabantur frequentes *dejectiones bilioſæ*, nec non *Vomitus* terribiles *choleræ* inſtar. Evomuerunr quippe modo fruſta *pituitæ* coagulatæ, viſcidæ, modo *bilem flavam*, modo *vermes ἄνω & κάτω* copioſos, diebus intercalaribus ceſſarunt vomitus, alvique fluxus. Verſipellis hæc *febris epidemica* quoſdam invaſit cum *exanthematibus urticæ punctiuris* ſimilibus, quæ calore retrocedente receſſerunt, & calore redeunte redierunt. In duabus perſonis, una XVII. altera XXX. annorum, obſervavi his *febribus* ſuperveniſſe *apoplexias fortiſſimas lethales*. Raro ſervarunt ſtata ſua tempora, ſed quandoque X. XII. horas præponendo & anticipando virulentiam ſuam ad 30. aliquot, imo 40. horas exercuerunt, quandoque unus paroxyſmus excepit alterum, donec tandem peregrino materiæ miaſmate ſufficienter diſſipato, & extincto, ſeptimo, aut ad ſummum octavo paroxyſmo terminatæ ſunt, relictis poſt ſe *puſtulis & fiſſuris in lingua*, *inflammatione faucium*, *abſceſſibus*, ſemper autem *virium proſtratione* ſumma. *Venæ ſectio* etiam in principio adhibita nil profuit, quin potius *febrilis paroxyſmus* poſt ejus adminiſtrationem incrementum ſumpſit, ſanguis autem extractus floridiſſimus apparuit, & natura magis debilitata fuit. Conduxerunt *blanda diaphoretica*, quæ paroxyſmos in ordinem redegerunt, & poſt tertium paroxyſmum *laxantia* die a febre vacuo exhibita. Tandem devenimus ad *antifebrilia*, ut ſunt *ſalia amariuſcula*, quæ incidunt, ſerumque attenuant, v. gr. *ſal. abſinth. C. B. centaur. min. arcan. dupl.* nec non *alcalica fixa*, *pulveres* nempe *inſipidos ac terreos*, quales ſunt *lap. cancr. ſpecif. febril. Cr.* Omne autem fere punctum abſolvit decantatiſſimus *cort. peruv. cum ſalibus* mixtus, & *evacuato jam corpore*, i. e. ante acceſſum v. VI. & paroxyſmi propinatus, ſeptimum vel ad ſummum octavum paroxyſmum ſubegit, atque hac ratione *febrem* hanc jugulavit. Rimatus cauſas procatarcticas epidemialis hujus febris, aeris anomaliæ & intemperiei, nec non largiori potui propter calorem externum vix tolerandum eam adſcribendam duxi. *Auguſtus* enim, qui fuit calidiſſimus, poris nimium apertis corpora ſudore copioſo manare fecit, inde ſerum abſumptum, aut ſubtractis partibus tenuioribus bilioſæ particulæ auctæ, atque hoc modo acrimonia bilioſa, fermentifica, irritativa enata, quæ licet a largiori potu dilui, & ſerum refundi videretur: Ventriculi tamen inteſtinorum tonum labefactavit, & ad excernendum *ἄνω & κάτω* plus juſto contenta citavit. Utut non negandum, *febres has epidemicas* ex miaſmate, aeris ſobole, ſimul aliquid participaſſe. Non fuerunt *contagioſæ*, imo ſi rite tractabantur, nulli funeſtæ, ex incuria tamen & negligentia, aut medicaſtrorum præpoſtera & perverſa cura ac imperitia accedente *cachexia & hydrope*, multis exitioſæ. Et hæc ratio eſt, quod in aliquibus locis Hungariæ ex defectu medicamentorum, aut perverſa, aut neglecta cura hæ febres *malignitatem peſtiferam* aſſumpſerint, in primis ſi ex miaſmate, aeris ſobole, aliquid participarunt. *Febres petechiales*, quæ tamen autumno præcipiti quotannis ſunt frequentiſſimæ, hoc anno vix obſervavi, & ſi vidi, fuerunt *benignæ*. *Diarrhœæ atque dyſenteriæ* eodem tempore frequentes quoque fuerunt. Infantes, quos corripiebant, ſi ſuperarunt *nonum diem*, evaſerunt.

Dn. D. Joſephi Lanzoni Conſtitutio Epidemica Ferrarienſis Anni 1729.

O Quam amara eſt, ac ſemper erit, apud Ferrarienſes memoria anni hujus 1729. cujus calamitatis initium fuit Lunaris curſus Septemb. anni elapſi 1728. Tunc enim auſtro ſpirante,

Poſt largos imbres pluviamque madentem

Inceperunt aquæ pertinaciter adeo ſuper terræ faciem effuſæ, ut totam telluris ſuperficiem aquis pluvialibus contectam, ſemina futuræ meſſis reſpuentem, inſpicere fuerit coactus infelix noſter Agricola:

Hinc moderatrix Cynthia noctis

in quavis periodo aqua pluviali ſcatebat, & uſque ad Majales dies cæli claritas non effulſit, ſic corruptæ in imis vallibus aquæ fœtentes dabant nebulas, & in illis, non ex illis, pene infinita oriebantur inſecta, hinc erucæ, culices, muſcæ, & varia ranarum & bufonum genera totam terræ ſuperficiem infecere, quod ſorte corruptionis aquarum ac aeris ſignum evidens fuit; ſic apud *Plutarchum* legitur, artem medicam peſtilentem æſtatem ex aranearum frequentia prænunciare. Acceſſere æſtivæ Luces, cum derepente in Vinariis cellis totus Bromii liquor excanduit, qui erat ſolatium cordis, & in ipſo excitata præternaturali fermentatione, mutato colore, ſapore, ac motu, ejus omnis compages vitiata comparuit; unde recte caneret *Silius*

Et marcida vina largiuntur.

Hic ego exclamavi cum diſcipulis meis, o nos infelices, ex vini corruptione humorum diſcraſiam experiemur; inter vinum & ſanguinem enim intercedit mutua analogia; unde ex illius putreſcentia corruptio humorum noſtrorum erit timenda; & hic cœpere in hominibus *febres*, primo ſub *tertianæ* figura cum vomitibus, ac alvi fluxibus bilioſis, aliiſque pravis ſlipatæ ſymptomatibus; nullis cedebaut remediis, a Venæ ſectione complicabantur. Et hic bilem continere nequeo; cum enim in meis publicis ac privatis Lectionibus, in meis ſcriptis, typis datis, docuerim venæ ſectionem Panaceam non eſſe, imo ſuadente *Celſo* anceps eſſe ac periculoſum præſidii tale genus, attamen, velut ſi eſſet aqua fluminis, ſanguis inutiliter, imo damnoſe, diſperditur, & cum venæ ſectio ſit magnum remedium, non niſi urgente neceſſitate in morbis magnis, ac internis inflammationibus, apoplexiis uſurpari deberet; Aſt in tertiana ſuaſu Doctorum, & ſpeciatim *Joh. Fortis*, *Ramazzini*, *Rolarii &c.* Venæ ſectio uſurpata duplicat febrem, ut in praxi facienda meis oſtendi Tyronibus, ex miſſione enim ſanguinis fomes tertianæ febris, ſtabulans in primis viis, mutato loco in venas tranſit, unde ardens facta morbus evadit lethalis; & ut verum candide dicam, neſcio in quo libro Doctorum legerint hæc iſti noſtri Pſeudo-Medici vel non ſtudentes, vel non legentes, aut non intelligentes, quod pejus eſt: Aſt redeamus in viam; ſi a cortice Peruviano ſiſtebantur iſtæ *febres*, poſt paucos dies in fortiores redibant, imo invaſo tota afficiebatur familia,

Cui latebat in corpore peſtis,

& brevi temporis intervallo repleta Noſocomia, & nulla pene domus a furore hujus febris exempta; omnia monaſteria ægrotabant, & nullus in urbe locus ab hac lue immunis evaſit: In multis cauſa mutato loco *febres* produxit ardentes, unde ad plures, ſive ad Alibanthas, migrarunt,

Quot labor & duræ rapuit inclementia Mortis.

Nec audax lues timuit Principis habitaculum, ſed ſacram illius ædem ingreſſa ejuſdem turbavit venas, & pene totam illius familiam ſolita febri afiecit, atque multos aulicos enecavit.

Perque omnes ſævit Mors inopina vias.

Sanctimonialium Septa pene omnia febricitabant, multæ eccleſiæ abſque ſacerdotibus erant; & ſine ſacrificio populus remanebat; præſertim ruri, ubi peſſima iſta lues totum expandit vexillum. Hic mihi nota re licet plebeios nonnullos, neglectis remediis, *ſolo uſu vini generoſi* convaluiſſe, & ego juſte fateri poſſum me, meoſque familiares, hac febre affectos fuiſſe, & nunquam vini potum reliquiſſe, & ego in hac febris conſtitutione recidivans ſolo uſu pul. Chinæ-chinæ, aut Caſcarillæ cum vino malvatico ad plures vices aſſumpto, convalui, cujus pulveris ac vini potioni ſucceſſit alvi fluxus, ac ſi aſſumpſiſſem Caſſiam, vel Mannam.

Acceſſit Autumnale æquinoctium, quo tempore putarunt multi hujus conſtitutionis finem videre; ſed incaſſum ſpes ivit, nam poſt æquinoctiales dies multi denuo ægrotarunt, aliique nondum *febrem* paſſi, Octobris hujus tyrannidem experti, in febriles inſultus incidere: Sic Mater miniſtrans filiis ægrotavit, ſic Dominus ſervis, ſic maritus conjugi, ſic familiares invicem ſibi efferveſcentias febriles communicabant, ita ut omnis pene familia ægrotaverit. In nonnullis variabat febris, & præſertim in *recidivis*, unde modo ſub forma *hemitritæi*, nunc *rheumaticæ febris*, nunc deliriæ &c. morbus redibat, aliquando abſque ullo remedio ceſſabat, nun in quartanam tranſibat, modo in puſtulas, ac ſcabiem commutabatur: in aliquibus apparuerunt vermes, per vomitum & alvum excreti, modo vivi, nunc mortui, quod forte indicium erat ſummæ corruptionis humorum in primis viis ſtabulantium, urina in aliquibus turbida reddebatur, ac pene jumentorum lotio ſimilis, in aliis albeſcens, ſubviridis, ruſa, fabuloſa, ac fœtentiſſima: unde judicavi concoctiones non fieri in corpore, ſub potus corruptione; Liberi enim a *febre* priſtinum colorem non recuperabant, vires non redibant, nutritio impediebatur, & excrementa ſemper bilioſa, vel cruda, concoctionis ſigna non dabant. Bombyces in veris

initio

initio catervatim peribant, volucres fugere, piſces ſolummodo creſcebant. Nonnullis apertis corporibus hoc morbo denatis, in ventriculo ac omnibus inteſtinis inventa eſt magna Copia humoris viſcido-flavo-viridis, una cum aliquibus maculis lividis in ipſis inteſtinorum tunicis; veſica fellis erat in ſtatu præternaturali, nam liquor felleus pene gypſeus erat, mutato ſapore, ſicuti ſuccus pancreatis auſterus apparuit, cætera vero viſcera erant ſana, & ne minimum quidem a ſtatu naturali recedebant; in aliquibus nonnulli vermes in inteſtinis reperti ſunt, in aliis non.

Communes autem morbos a communibus cauſis progigni certum eſt, ut etiam fatetur Cl. *Ramazzinus*; communes vero cauſæ ſunt potiſſimum aer, alimenta mali ſucci, & aquæ corruptæ, ita in noſtra urbe, & agris, hæc fuere morborum hujus conſtitutionis Cauſæ, & ſemina, ex his ergo omnibus, ſed promptius ab aere tanquam e communi fonte, e quo nemo non potare cogitur, morbos quoſdam derivari, qui multos eodem tempore afficiant, omnium pariter eſt conſenſus. Ad hanc porro noſtram *epidemiam* excitandam, in unum conveniſſe, & aerem vitiatum & prava alimenta ingeſta fas eſt arbitrari; primum quidem locum aeri a ſua temperie naturali non ſolum ſecundum anni tempora recedenti, ſed particulis humanæ naturæ incongruis ad ſatietatem pleno concedendum dixit Clariſſim. *Ramazzinus*; ſecundum autem locum pravis alimentis & aqueis vitiatis; Quamvis autem de miaſmate contagioſo aliqua poſſet eſſe ſuſpicio, namque in una domo uno infecto, ſtatim alii ejuſdem familiæ febricitabant; id tamen potius in communem diatheſim ad maturitatem eodem tempore evectam, non ſecus ac cum Autumno fructus omnes eodem tempore matureſcunt, referendum puto potius, quam in effluvium aliquod contagioſum, exiens e corpore primi ægrotantis. Hic autem non pigeat referre *remedia*, quæ, ut ſciam, fuere ægris appoſita, ut hæc febrilis prava conſtitutio evinceretur; Primo nonnulli medici in principio leniens pharmacum exhibebant, mox cucurbitulas ſcarificatas dorſo applicabant, inde pulv. Chinæchinæ propinabant, & febris ſiſtebatur ſaltem per aliquot dies, ſi vero redibat, iterum China porrigebatur, ita ut aliquis fuerit qui plures libras talis pulveris ſumpſerit: Alii porro medici ſanguinis miſſiones celebrabant, & febres duplicabantur; multi aſſumpſere pulverem rad. contrajervæ, corticum aurantiorum, corticum medic. fraxini, decoctum amarum *D. Lemeri*, coriandrum pul. Theriacam *Andromachi*, rad. Carlinæ, alii experti ſunt Mithridatii uſum frequentem; Diaſcordion *Fracaſtorii*, Decoctum centaur. & verbenæ, vinum abſynthio correctum, Chinæ corticem actuabant alii addendo modo rhabarbarum, modo cremor. tartar. vel Sal catharticum Angliæ, ad hoc, ut fuſi humores corrupti in primis viis facilius per alvum exirent; Ego vero, quod ad me quotieſcunque aſſumo in vino pulverem chinæ febrifugæ, ſtatim alvi fluxum patior, ac ſi caſſiam, vel mannam, ſuſciperem; Ol. noſtrum contra peſtem, vulgo *del Cartagna*, a multis adhibitum fuit, ſicut etiam vomitoria ipſa, & immenſus aquarum potus; verum ait *Ramazzinus*, quid opis expectandum in his febribus ab aquæ potu? imo ex ejus uſu ſanguis pigriore motu per vaſa effluere, ac tandem cachexiæ & hydropes ſuccederent; uti accidit in Juvene a *Ramazzino* memorato; ego certe modico vino ſum uſus, nec unquam vidi aliquem pravum effectum ab eo: Infinita propemodum curavi corpora in hac conſtitutione, & juſte fateri poſſum, neminem affectum febri talis conſtitutionis, a me curatum, mortuum fuiſſe, præter duas fœminas, unam 65. annorum iliaca paſſione necatam, aliam ex ſuppreſſione menſium, inflammatione cerebri extinctam. Hæc currenti calamo ſcripta ſint in memoriam hujus conſtitutionis peſſimæ. (*Ferraria Altorfium m. Febr. Ann.* 1730. *miſſa.*)

Dn. D. Caroli Friderici Loevv. Hiſtoria Febris Catarrhalis, quæ anno 1729. *Menſ. Novembri & Decembri per Europam Epidemice graſſata eſt, cui accedit Conſtitutio Epidemica Anni* 1730.

QUanto, quamque indefeſſo labore Societas Imperialis L. C. Nat. Cur. cum in *rariorum* perſcrutatione, tum in *utilium* tam *phyſicalium*, quam *medicinalium* rerum detectione a primis incunabulis ad hæc uſque tempora, uſa ſit, Acta atque Volumina noſtra ſatis ſuperque teſtantur. Laudem merentur *Bauſchius*, *Febrius*, *Volckamerus*, *Schreockius*, aliique tanto majorem, quo ſæpius a *Membris* Academicis eorum communicationem petierint, quæ *utilitate majori* ſe commendaverint. Atque hinc eſt, quod toties de *conſtitutione aeris* non modo, ſed & de *morbis epidemicis* accuratiorem deſcriptionem efflagitarint. Quod magis autem hac ratione inductus Parens pie defunctus, & de *mutationum aeris* genuina annotatione, & de *affectuum* independentium diligentiori obſervatione, & de *probatiſſimorum remediorum* conſignatione Societati per multos annos ſolicitum ſeſe præſtitit; hoc fidelius hæc ipſe ex Auctoris ſchedis poſthumis æque recenſita, ac in ordinem digeſta, ſub titulo *Hiſtoriæ Epidemicæ Hungariæ*, Act. Ph. Med. A.C.L.C.N.C. Volumini I. deinde a me ſunt annexa. Neque per plures annos a me conſcriptum, atque publico bono deſtinatum opuſculum de *epidemica Viennenſi conſtitutione* denegaturus, ſi ſeſe hæc qualiſcunque opella lectori probaverit. Hujus ſumma eſt expoſitio *febris catarrhalis*, quæ *Ann.* 1729. ſigillatim menſe *Septembr.* atque *Octobris*, Viennæ epidemice graſſata eſt, atque eo accuratiori delineatione opus habet, quod hujus mali ſemina non tantum per *Sueciam*, *Daniam*, *Hollandiam*, *Angliam*, *Hiſpaniam*, *Galliam*, *Helvetiam*, *Italiam*, *Auſtriam*, *Germaniæ partes reliquas*, *Hungariam*, *Poloniam*, totamque *Europam* eodem tempore ſparſa ſint; verum & in curatione *cautelæ* nonnullæ occurrerint, ut non adducam, morbum hunc eſſe *rariorem*, neque quotannis *obvium* neque ab ullo ſufficienter *deſcriptum*. Utut enim & *Schenckius* in Præfat. ad *Libr. obſ.* mentionem faciat *febris catarrhalis*, quæ *anno* 1580. præter *Germaniam*, *Italiam* adeo afflarat, ut vel *Romæ* ſaltim ultra 9000. hominum illata ſtrages excreverit, & *Antonius Menjotius* in *Diſſert. Patholog.* p. 140. *tuſſim* ferinam, contagioſam, malignam, avorum memoria *populatim* ſævientem, & a *cucullo*, quo capita ſolebant operire, *coqueluthe* vulgo dictam recenſeat: & *Nicol. de Blegny* in *Zodiac. Med. Gallic.* ſive *Miſcel. Med. Phyſ. Gallic. Ann. I.* p. 184. paucula quædam de *catarrho* anno 1679. epidemico, tuſſi perpetua, vigiliis, oppreſſionibus, febre continua, dyſpnœa, pleuripneumonia ſtipato, multis lethali, atque remediis *ordinariis* non cedente, nobis reliquerit; ſuperficiaria tamen ſunt, neque animum curioſiorem exſatiant. Adeat,

cui volupe eſt, *Thomam Sydenham*, Practicum quondam Londinenſem celeberrimum, ubi præter ea, quæ Doctiſſimus *Carolus Raygerus*, Pannoniæ decus illuſtre, atque *Paulus de Sorbait* nobis de *tuſſibus* tradidere, quæ *anno* 1675. per *autumnum* longe lateque depopulatæ ſunt, plura adhuc inveniet. Quod enim *Car. Raygerus Ephem. Germ. Dec. I. Ann.* VI. & VII. p. 312. annotavit, dum per totum *Septembrem*, mediumque *Octobris* anni citati, ob *inſolitam* aeris temperaturam, æſtatem *pluvioſam*, inſequentem autumnum *inæqualem*, modo ſerenum, modo pluvioſum, inſolitos etiam catarrhos *Poſonii*, *Viennæ*, per totam *Auſtriam*, in *Sileſia*, in primis *Uraſtilaviæ*, imo per totam *Germaniam*, homines eodem tempore, eodemque prope *modo* cum *rigore* & *calore* invaſiſſe, nemini tamen exitioſos fuiſſe ſcribit, illud *Thom. Sydenham* in *Praxi Med. Experimentali* p. 275. & 304. ſeqq. non ſolum confirmat, dum ſub finem *Octobris* ob *tepidam*, atque ad inſtar æſtatis placidam tempeſtatem, derepente in *frigidam humidamque* mutatam, *tuſſis* numeroſiores graſſatas adducit, quam alio quovis, quod nieminit, tempore, nemini fere parcentes, cujuſcunque is fuerit ſive *ætatis*, ſive *temperamenti*, integras vero familias ſimul pervadentes; ſed etiam evincit, febrem hanc *catarrhalem* fuiſſe *eandem* epidemicam, quæ *Julio* 1673. *ingreſſa* progrediebatur, cum & *hæc* antequam *catarrhi* ſe oſtenderent, & *illa*, quæ poſt catarrhos permanſit, æque ac *catarrhalis*, ſemper cum *dolore* capitis, dorſi, atque artuum quoslibet aggreſſa ſit, atque V. S. aliiſque ſimilibus medicamentis tractari debuerit. Idem & nos *anno* 1729. experti ſumus, cum per totum anni decurſum uſque in ſequentem, *epidemica* quædam *febris* ſeſe exeruerit, quæ & ante *catarrhalis* acceſſum, & poſt ejus *declinationem* pro diverſa *mutatione aeris*, aliarumque circumſtantiarum, diverſos *affectus* quidem ſimulavit, ſemper autem cum ſumma *laſſitudine*, *dolore* capitis, dorſi, atque artuum *initium* ſumpſit, atque V. S. ſimilibuſque *remediis*, quibus *catarrhalis*, ſublata eſt. Licet ergo menſe *Jan. Febr.* & *Mart.* ann. 1729. nonnulli *hepatitidem*, aliaſque febres *inflammatorias* incurrerint, in plurimis vero *catarrhales* maligne petechizantes in conſpectum prodierint, *April. Maj.* & *Jun.* tam *benignæ* quam *malignæ* catarrhales, cum *variolis* malignitate non carentibus, continuaverint. *Jul. Auguſt. & Septembr.* non modo *catarrhales* malignæ, aliæque *continuæ*, atque ipſa *purpura alba* in puerperis; ſed & frequentiores atque pertinaciores *diarrhœæ* æque, ac *tertianæ duplicatæ* obſervatæ ſint. Menſe *Octobr.* multi *anginæ*, *peripneumoniæ*, *pleuritidi*, aliiſque febribus *inflammatoriis* obnoxii fuerint: die 21. *Novembr.* tepidiorem excipiente humido frigida tempeſtate, præter *malignas*, ſæpius adducta *catarrhalis* oborta ſit per *Decembrem* inaudito modo ſæviens atque 4. *Jan.* 1730. nonniſi *nivibus*, atque vento *frigidiori* cedens: licet tandem *Jan. Febr.* & *Mart.* anni 1730. *anginæ*, *pleuritides*, *febres malignæ*, *petechiales* viſæ ſint; ſemper tamen *prior* illa *epidemica* ſub iiſdem latuit. Hoc certius, quod hæc *catarrhalis*, alias tum *abundantia* ſive *ſanguinis*, ſive *ſeri*, nonnunquam *viſcidioris*, nonnunquam *impurioris*, præditos hincque *ſanguineo-phlegmaticos* magis invadens, tum *ſenſibilioribus*, *relaxatis*, vel ob obeſiorem, ſpongioſioremque conſtitutionem *rarioribus* fibris, vaſis *minoribus majoribuſque* poris inſtructos afficiens, tum ratione *ætatis*, modo *infantibus* ob temperamentum *calido humidum*, *teneriorem* texturam, majoremque *ſenſibilitatem* ab aere externo familiaris, modo *adultis* ob naturam *ſicciorem*, firmiorem atque *compactiorem* ſtructuram hincque ob majorem *congeſtionem* verſus pectus tuſſi *ſicca* moleſta, modo *ſenioribus* ob humores *ſpiſſiores*, fibraſque de ſuo *tono* dejectas incommoda: tum ratione ſexus, *ſequiorem*, ob majorem *ſenſibiliorem* infeſtans: tum eos occupans, qui vel alias huic obnoxii, vel *læſionem* in pectore ſentiunt, vel *meticuloſi* exiſtunt, vel partes *capitis* atque *colli* glanduloſas ab aere *humido-frigidiori* non ſatis defendunt; quod inquam, hæc *febris* præterito *anno* tam *contagioſa* fuerit, ut fere *omnes* homines, ſine ullo *diſcrimine*, & eodem *tempore*, & eadem *ratione*, iiſdemque *circumſtantiis* & *ſymptomatibus*, more omnium epidemicorum morborum, tam per totam *Europam*, quam *Viennæ*, multo celerius, vehementiuſque petierit, quam ullo unquam tempore. Unde etiam eſt, quod in hac *Civitate* non 60000. hominum, quod novellæ tradidere, ſed longe *major numerus* hanc perpeſſus ſit. Neque enim eadem *cholerico*, neque aliis temperamentis pepercit, ſive deinde fuerint *plethorici*, ſive *minori* quantitate ſanguinis præditi. Neque in hominibus *viſcido* abundantibus ſolum erant ſpectabiles, ſed etiam in illis, qui ſanguinem *fluidiorem*, ſufficientique *ſero* dilutum obtinuere. Æque in *macilentos*, ac *obeſiores*, æque in robuſtos ac *debiliores*, & ſenſibiliores, æque in *infantes* ac *adultos*, non modo *juvenes*, verum etiam ſeniores, cujuſcunque *ſexus* fuerint, tam extra *conjugium*, quam in illo viventes, imo & in ipſas *gravidas*, ab epidemicis affectibus alias magis immunes, vehementer graſſari cœpit, ita ut neque *domi* hærentes, neque in *itinere* conſtitutos intactos reliquerit, ſive *diætam* accuratiorem obſervaverit, ſive minus. Etſi vero etiam *injuriis aeris* alias *adſuetos* ſæpius aggreſſa ſit, tantum tamen abeſt, ut hac vice *omnes*, in quibus ob majorem *ſenſibilitatem* alias continui, gravioreſque *catarrhi* vigebant, in eandem inciderint, ut *multi* potius immunes manſerint, *Perilluſtris* quidam *Dominus* mutato *climate* nulla febre *catarrhali*, licet alvi contumaciſſima *obſtructione* laboraverit, correptus fuerit, atque ex *gravidis*, quamvis in pleriſque *debilitates ſyncopticæ abortus*, aliaque periculoſa Symptomata ſupervenerint, quædam tamen reperta ſit, quæ ſanguine *viſcidiori* non obſtante, nihil de eadem perceperit. Gravius decumbebant, nullis *medicamentis* utentes, hocque magis, ſi corpore calefacto, atque ad *ſudorem* diſpoſito, aeri *humido-frigido* ſeſe expoſuerint, quod in duabus *Sereniſſimorum Principum* aulis conſpeximus. *Contagium* per totam *Europam* præferebat, ut & *activam*, & ad *corruptionem* pronam materiam præſupponat. Quamvis autem *Viennæ* non tanta *malignitate* comparuerit, quanta quidem in *agro Bononienſi*, inque quibuſdam locis *Angliæ*, cum ibi *petechiæ*, aliaque periculoſiora Symptomata inſimul acceſſerint, atque homines intra *paucos* dies inſtar peſtis e medio ſuſtulerint; nihilominus tamen & hic in altero præ altero major *malignitas* ſeſe prodebat, prouti nempe vel *ſimplicem* regularem febrem catarrhalem, vel *aliis* morbis gravioribus junctam expertus fuerit, cum hi *poſteriores* non ſolum *anxietatem*, pathemata *ſyncoptica*, *vigilias* extraordinarias, aliaque vehementiora ſymptomata poſt ſe traxerint; ſed & in cauſa fuerint, quod quibuſdam non IV. vel VII. ſed XIV. vel XXI. demum die febris hæc valedixerit. In

omnibus malum hoc epidemium *initium* ſumpſit cum ſpontanea *laſſitudine*, *vigiliis*, *calore* majori, ſine ulla tamen *ſiti*, *pulſu* tardiori, debiliori, ſuppreſſo fere, aliiſque quæ *malignitati* tribui ſolent, Symptomatibus, quæ comitabatur *inappetentia* & *tuſſicula ſicca*, tam ob *continuitatem*, quam ob *vehementiam* moleſta. *Plerique* horum conqueſti modo de *pectoris*, modo de *capitis* congeſtione, interdum *graviore*, interdum *leviore*, quam preſſo pede excepit nonnunquam *reſpiratio difficilis*, nonnunquam *vertigo*, ut & *gravitas capitis*, & *delirium*, & *coryza*, & *ſternutatio*. Porro *quam plurimi* præter ſymptomata recenſita afficiebantur vel *dolore dorſi* ſatis atroci, vel *ſtupore*, & *dolore articulorum*, *artuumque* tenſivo, vel *horrore*, vel *diarrhœa*: In *quibuſdam* tamen & alia notatu digna phænomena complicabantur, quæ pro diverſitate *ſubjecti* fuere diverſa, ita ut alii non tam *horripilatione*, quam *horrore intenſiori*, atque per *aliquot horas* durante correpti ſint, alii *raucedine* laboraverint, alii ob plethoram, *calorem* majorem, *faciei inflationem*, *rheumatiſmum*, *obnubilationem* atque *obſcuritatem viſus* experti ſint, alios alia occupaverint. Non attingam *dorſi* atque *abdominis* dolorem in *gravidis*, neque mentionem injiciam *anxietatum*, quæ *meticuloſos* obruebant ſæpius, neque *vomitus* atque *dolores* lumborum in *calculoſis* obſervatos, neque pertinacem ſenſum *frigoris* in *hyſtericis* circa ſuturam ſagittalem annotatum adducam; hoc ſaltim addam, in iis, ubi graviores *morbi* prægreſſi ſunt, non tantum debilitates *ſyncopticas*, ſed & *periculoſiora* in conſpectum prodiiſſe pathemata, quod tum in aliis, tum in *Viro* quodam *Juvene*, nobiſque *amico* videre licuit. Is enim exiſtens *habitus* macilentioris, *temperamenti* ſanguineo melancholici, atque ad *hæmorrhoides cœcas* inclinans, licet ex *febre*, quæ poſt prægreſſam *iram*, *diætam* neglectam in itinere, *acidulas Selteranas*, neque decenti *modo* in uſum vocatas, non tantum febris *continuæ*, *malignæ*, atque ob calorem ſummum, ſuderem fere colliquativum, alvi pertinacem obſtructionem, vigilias continuas, deliria, debilitatem pulſus, ſpaſticas torſiones oris, floccorum lectionem, *periculoſiſſimæ* typum præſeferebat; ſed & die xv. *tertianam duplicatam* tranſit, ſequente deinceps triplici *tertianæ* ſimplicis *recidiva*, quarum *quælibet*, etſi *exceſſum* in *diæta* pro fundamento habuerit, *diverſiſſimis* tamen *remediis* tractanda erat, ut & *poſtremæ* partim die *vacuo* initium ſumpſit, partim loco *anticipationis* in prioribus ſpectanda *poſtpoſuit*, terminando deinde in febriculam *lentam* cum ſumma *debilitate*, continuo *ſudore*, fœtorem de ſe ſpirante, *purpura alba*, *tuſſicula ſicca*, *œdematibus*, aliiſque; licet, inquam, hic Vir optimus ex hac febre *periculoſiſſima* æque ac *intricatiſſima* reſtitutus fuerit, *vireſque* jam aliquantulum redierint; eidem tamen *catarrhali* menſe *Decembris* expoſitus erat, hoeque gravius, quod *deliriis* ferocioribus, *calore ſummo*, *vigiliis* ad diem vij. ſolutionis uſque ſtipata fuerit. Progreſſu temporis, atque morbo in *ſtatu* ſuo conſtituto, & *Symptomata* ſenſim aucta ſunt. Pulſus, qui in *principio* fuit *debilis*, jam *fortior*, *celerior* reddebatur, ut de doloribus *pectoris* verſus *hypocondria* ſeſe extendentibus nil dicam. *Deliria* in quibuſdam continuabant, pleriſque *dolores* maximum faceſſivere negotium, ut neque tuſſire potuerint, ad unum omnes, qui præſente morbo auræ *frigidiori* temere ſeſe commiſere, ſudoremque neglexere, vel *gravius*, vel *diutius* decumbebant. Conſpexi id ipſum in *Illuſtriſs.* atque *Excellentiſs.* quodam ſene, plethorico, *binis* vicibus, cum poſt *primum* exitum, *catarrho* nondum penitus diſcuſſo, multa ſtatim orta ſint periculoſa Symptomata, *congeſtio* verſus *pectus*, *caput*, *ophthalmia*, *reſpiratio difficilis*, *anxietates*, *hæmoptyſis*, *plenitudo pectoris* e ſpumido quaſi ſono inter reſpirandum colligenda, *pulſus ſuppreſſus*, *inquies nocturna* ſomnum turbans, *laſſitudo* ſumma: & *altera* vice, etſi morbus ad *declinationem* pervenerit, ita, ut ſub blanda *diapnoæ* blandior *ſomnus* & *reſpiratio* acceſſerint, tantæ tamen *alterationes*, *vigiliæ*, *debilitates* eundem de novo invaſerint, ut graviora metuenda fuiſſent, niſi V. S. *præſervandi* ſine inſtituta æque, ac continuis blandis excretionibus, tam *poros cutis*, quam per *vias urinarias*, atque *alvum* ſub ſpecie *diarrhœæ*, quam denique per *tuſſim* vim morbi a vij. ad xiv. diem laxatam vidiſſemus. Adducta confirmat mors pauperculi, *hydrocele* ſimul laborantis, quæ *intumeſcentiam* totius corporis, ob denegatam *diapnoen* in hypocauſto frigidiori excipiebat. Porro *infantes* ob deglutionem materiæ rejectæ *torminibus* affligebantur: hinc erat *inquies* nocturna. Sic & in *puella* dilatationem *peritonæi* circa inguen dextrum cum metu herniæ, ob tuſſim *vehementiorem* non modo obſervavi, verum etiam in *gravida*, præter *dolorem*, qui & in *dorſum*, & *abdomen* ſeſe diffudit, debilitates *ſyncopticas*, tonſillarum *inflammationem*, *lactiſque* e mammis *eruptionem* deprehendi. *Lipothymiæ* ut plurimum in *prædebilitatis* increbeſcebant, ut & *ſpaſticæ ſtricturæ* circa *nucham* in vetula quadam, quæ *apoplexia* ante aliquot annos tacta erat. Sed cum morbus hic tam *varius* fuerit, ſeſe transformaverit, ut aliquando febrem *continentem*, ſæpiſſime *continuam*, aliquando *intermittentem* mentitus fuerit, quis quæſo omnia *Symptomata*, quibus hic morbus exacerbatus eſt, enarrare queat? Sufficiat ergo, *horrorem* interdum *remiſſiorem*, interdum *intenſiorem*, & per aliquot horas in iv. perſonis continuantem, *altera vice* non acceſſiſſe, cujus per *octo horas* cum *calore* majori, *ſudore* copioſiori, *artuum dolore* immani, atque *hæmoptyſi*, durantis, & tamen *ſecunda* vice non annotati, exemplum præbebat *fœmina* quædam Juvenis, ut & *alius* febrem *catarrhalem* negligens, ex itinere *Taurunenſi* redux. Sicuti autem in hoc *horroris* comes erat *dolor pectoris acutus*, *reſpiratio difficilior*, *calor* intenſus, quæ partim ob *calidiorum* adhibitionem, ob *loci* in morbo mutationem, *graviora* ſequebantur *Symptomata*, *ſtricturæ pectoris*, aliarumque partium pertinaciores, *deliria*, *urinæ ſuppreſſio*, *ſubſultus tendinum*, *vigiliæ*, *pulſus debilis*: ita & xi. die rejectio *materiæ* copioſioris & *rubicundæ*, & *fœtorem* de ſe ſpirantis ſub *tuſſi* fortiori in *eodem loco* junctum habuit *dolorem*, ut de *critica* atque ſalutari excretione per *poros cutis*, *vias urinarias*, *alvum* ſub forma *udoris* æque, ac *diarrhœa*, quæ a vij. uſque ad xiv. perdurabant diem, nil adducam. Febres *compoſitæ* plerumque ex duabus conſtabant *acutis*, *continente* nempe atque *continua*. Atque harum *tres ſpecies* occurrebant. Vel enim *catarrhalis*, & *bilioſa*, ſicque duæ *continuæ*, vomitu *bilioſo* initium ſumentes, complicabantur, vel *catarrhalis* ſociam habuit *continentem*, hincque in aliis, *juvenibus* non modo, verum etiam *ſenioribus*, ut plurimum iv. vel vii. demum die *hæmorrhagia narium* ſalutari, in aliis *hæmoptyſi*, in aliis *vomitu cruento*, in aliis ſequioris ſexus *hæmorrhagia uteri*, in aliis quatuor tam adſuetis, quam non adſuetis perſonis *hæmorrhoidibus* conſpicua erat, imo *hæmorrhagia* critica per *alvum*, copioſiſſima, ſine ullo incommodo in Juvene xx. circiter annorum, die vii. cum ægri levamine oborta eſt, vel *catarrhali* jungebatur in plethoricis, ſanguine *viſcidiori* præditis; tum *continens*, tum *continua* alia *inflammatoria*. Hinc conquerebantur ſæpius de *phrenitide*, febribus *anginoſis*, *peripneumonia*, *pleuritide*, *hepatitide*, aliiſque. Pleuritidem *veram* animadverti in *gravida*, eaque juvene, plethorica, congeſtionibus pectoris dedita. Atque licet hæc, præter Symptomata *ordinaria* in febre *catarrhali* perſpecta, & *ſitim intenſam*, *vomitus*, *dolores dorſi* atque *ſcapularum* experta ſit, & ii. die morbi V. S. celebrata inſignem *horrorem* obſervaverit, & iii. partim ultra duas horas infantis *motum* ſenſerit, partim dolor *latius*, verſuſque *anteriora* extenſus fuerit, & v. ob doloris *vehementiam* tuſſire vix potuerit, donec vi. vii. viii. *anxietates*, *vigiliæ*, *deliria*, *diarrhœa* ſeſe exeruerint, & xi. etiam *melius* diſpoſita ſub blando *udore*, atque *urina* ſedimentum jam jam deponente, *abortum* perpeſſa fuerit; tamen per Dei gratiam priſtinæ *ſanitati* reſtituta eſt, poſtquam nempe multum *ſanguinis grumoſi* per uterum excretum, aliquid *membranoſi* a natura ejectum fuerit, atque tandem morbo *purpura rubra* ſupervenerit. Puer, quem enixa eſt, cum *ſeptimeſtris* fuerit, atque in pectore, dorſo, capite *inflammatio* adfuerit, diu non vixit, licet S. Baptiſmate adhuc tinctus ſit. Angina *contagioſa* cum *febre* intenſiori, majori *congeſtione* verſus caput, *coryza*, *gravitate auditus*, difficultate *reſpirationis*, *deglutionis*, *locutionis*, *vigiliis*, *alvi obſtructione* tum Illuſtriſſ. quendam dominum, tum & Eidem a ſervitiis exiſtentem *circumſtantiis* iiſdem eodem infeſtabat tempore. In utroque enim modo morbus repetitis V. S. *reſolventibus* atque *diſcutientibus* temperatis, cum *interne*, tum *externe* adhibitis, *clyſteribus*, aliiſque facta die iv. *diſcuſſione* atque excretione *ſanguinis* grumoſi per *nares* imminuebantur; ſed & febris *catarrhalis*, morbo vix ad *declinationem* accedente, ſeſe prodebat, quæ tamen in priori *dolore auris* atque excretione *materiæ* cujuſdam ſolvebatur, licet *angina*, quæ ſublata videbatur, ob præmaturam *aeris* mutationem recruduerit. In *declinatione* morbi materiæ *viſcoſæ* facilior per *tuſſim* ſuccedebat excretio, quam blandus *udor*, modo citius, modo tardius, comitabatur, ut & *urinæ turbatio*. Ut plurimum hæc *tenuiſſimam cutem*, vitro adhæreſcentem oſtendebat cum ſedimento *roſeo pallido*. Dolor æque in *pectore*, ac circa *hypocondria* remiſit, nonnunquam facta diſſipatione in *artus*, quod in *gravida* ſpectare mihi contigit, nonnunquam *auris* dolore ſequente. Joh. Nic. *Pechlinus obſ. med.* 45. L. ii. p. 320. ſcribit, notum eſſe, quod vellicata *membrana* tympani, tremula vibratio cum *nervoſa* epiglottidis, ſine concuſſis pulmonibus, ob conſenſum *tuſſis* producatur. Unde & ille *dolor* circa *aures* vel conſenſui *nervorum*, vel congeſtioni *humorum* tribuendus eſt. Hoc ceſſante pleriſque, qui *vigiliis* diuturnioribus torquebantur antea, *ſomnus* obrepſerat continuus. Etſi vero excretione materiæ peccantis per *ſudorem*, febris hujus vis ſublata aut minuta ſit, nullaque *exanthemata* ſeſe oſtenderint, comparebant tamen in iis, qui *ſudorem* neglexere. Hinc non modo poſt *inunctiones* crebriores puerpera & *rubra*, & ejuſdem filia *alba* tentabatur *purpura*; verum etiam facta præmatura *frigoris* admiſſione nonnullis ob materiam incraſſatam *parotidibus*, *bubonibus*, aliiſque tumoribus glanduloſis infeſtabatur. Adducta *ſymptomata* non niſi per *aliquot* dies perſtabant. Erant tamen & alia, quæ per *totum* morbi *decurſum* urgebant. Sic inter *omnes* extraordinaria *laſſitudo* dominabatur. *Nonnullis* ægrotorum *fluxus hæmorrhoidalis*, aliis *udor* continuus, aliis *diarrhœa*, aliis *vigiliæ* perpetuæ obortæ ſunt, quas per *ſeptiduum* durantes deprehendi in *duabus* perſonis, altera *pleuritica*, altera vero ab aliquot annis ſuppreſſione *hæmorrhoidum* laborante, V. S. *ſolitam* prætermittente, alvi *obſtructioni*, animi *pathematibus*, affectui *oculi* obnoxia, atque *anno* 1729. menſe *Septembris* febre *catarrhali* correpta. Febre autem ſenſim evaneſcente *laſſitudo* in *omnibus* adhuc diu permanſit; imo aeri *frigidiori*, ſive nocturno, ſive alteri ſeſe exponentes, *tuſſi* diuturniori, *doloroſis ſtricturis* circa *ſcapulas*, aliiſque atrocioribus vexabantur ſymptomatibus. Veram atque genuinam *cauſam* quod attinet, præ aliis noſcenda eſt *proxima*, ſive *immediata*, qua detecta non modo *proximiores*, tam *naturales*, quam *non naturales*, aliæque pateſcent. Certum autem atque evictum eſt, *immediatam*, modo *pulmonum*, modo *faucium*, modo *vicinarum* partium *ſtaſin* conſtituiſſe. Hinc enim *motus* humorum *impeditior*, hinc ad eaſdem *afluxus* copioſior, hinc ipſa tandem *febris* ſecundaria, *catarrhalis*. Ex mediatis *proximioribus* humoroſa malum hoc inſigniter fovebat cum ob nimiam humorum *quantitatem*, ab aere *humido frigidiori*, tranſpirationem impedientem, inductam, tum ob *qualitatem* in aliis *ſpiſſiorem*, in aliis *rariorem*, ob eandem rationem enatam, tum denique ob *motum* humorum *progreſſivum*, & ratione *totius* maſſæ ſanguineæ, & ratione *pulmonum* vehementiorem. Quamvis vero alias *temperamentum*, *conſtitutio corporis*, *fibrarum*, *pororum*, *ætas*, *ſexus*, *vitæ genus*, *aliaque*, quæ partium *ſolidarum* & *fluidarum* diſpoſitionem *naturalem* oſtendunt, atque remotiores *naturales* audiunt, plurimum ad hunc morbum faciant, tantum tamen abeſt, ut hac vice aliquid contribuerint, ut potius *aer*, *cibus*, aliæque cauſæ *remotiores non naturales* attendendæ fuerint. *Aerem* ſi ſpectes, ubique *inſolita* vigebat conſtitutio, quæ tamen hinc inde vel *quantitate*, vel *qualitate*, vel *motu* diverſa fuit. Unde & *aer* corpora, dum eadem modo *ambit*, modo *intrat*, innumeris *modis* afficiens, non modo huic febri *catarrhali* per totam *Europam*, ſed & hinc inde *diverſis* Symptomatibus principium dedit. Sic circa *Bononiam*, vicinaſque provincias, in primis in *convallibus* depreſſioribus, incolæ hoc *gravioribus* pathematibus affligebantur; quo major *preſſio* ab aere *graviori* nebuloſo in pulmones ibidem exercebatur. Sicuti vero aer *figuræ* atque *proportioni* contentorum acceptum referre debet, quod jam hanc vel illam *qualitatem* obtineat: ita etiam *effluvia* tam *ordinaria*, quam *extraordinaria*, menſe *Novembris* atque *Decembris* anni ſupra citati in aere per totam Europam diſperſa, *qualitatem* illam *vitioſam* cum eadem communicarunt, a qua nominata *febris* proficiſcebatur. Hic loci enim menſe *Octobris* tempeſtas *placida* ac tepens obſervabatur, quam ſub initium *Novembris* excipiebat alia multum diverſa, *frigida* ſcilicet atque *humida*, *nebuloſa* ſubito ingruens, ut non attingam aeris *intemperiem*, modo *nebulis* fœtidiſſimis, modo *cœlo* magis *ſereno*, conſpicuam, interdum *pluviis*, atque *frigore*, interdum *calore* ſeſe exerentem, præter ſolitum per totum *Nov.*

& *Dec.*

& *Dec.* perſeveraſſe, uſque dum *ventus* ſeptentrionalis *nitroſis* atque *nivoſis* corpuſculis, quorum copiam huc ſecum deferebat, aeris labes noxias IV. die *Jan.* 1730. elueret. Neque *Viennæ* tantum *inconſtans* aeris conſtitutio erat ſpectabilis ; ſed etiam iiſdem menſibus per *Hungariam*, *Poloniam*, *Saxoniam*, *Angliam*, *Hiſpaniam*, *Galliam*, *Italiam*, inundationem aliqualem ob *pluvias* copioſiores perpeſſam, *Daniam*, *Sveciam*, *Moſcoviam*, aliaſque regiones viſebatur. Cum ergo a copioſioribus *aqueis* particulis, & aer *humidiorem* æque, ac *frigidiorem* qualitatem per totam *Europam* ſub initium *Novembris* nactus ſit, atque ab eadem *relaxatis* fibris, poriſque *conſtrictis* tranſpiratio *impeditior*, hincque partium *bilioſarum*, aliarumque *inutilium* excretio imminuta, atque humorum ad *corruptionem* producta diſpoſitio, mirum non eſt, ingruente *placidiori* tempeſtate, humoribus ad vitioſam *reſolutionem* jamjam inclinantibus *orgaſmum* illatum, ſicque febri *catarrhali*, malignæ, datam fuiſſe occaſionem. Evincitur id ipſum ex eo, quod hæc *febris* & ſub *initium* Novembris, præſente ubique *ſimili* conſtitutione aeris, in *Gallia*, *Anglia*, *Hiſpania*, *Italia*, *Auſtria*, *Hungaria*, *Polonia*, licet in *Suecia* prius, in *Helvetia* vero tardius, comparuerit, & ſub *finem* Decembris, atque circa principium *anni* 1730. vehementia *frigoris* ſubſecuti mali hujus vis ubique ſublata ſit. Licet enim recedente febre *catarrhali* per *Auſtriam*, aliaſque provincias *aliæ* febres ſpargi cœperint, nec tamen ita prorſus *epidemicæ*, nec iiſdem *Symptomatibus* amplius ſtipatæ fuere. Sicuti vero particulæ *aqueæ* atque *igneæ*, etſi ſemper in aere ſint præſentes, alias ueque *homini* tam ſubitaneam alterationem inducunt: ita in earundem *abundantiam* menſe *Nov.* atque *Decembr.* præteriti anni perſpectam unice cauſam rejiciendam cenſeo. Huic conſtitutioni favebant & alia *impuriora*, atque *extraordinaria* effluvia, ſive a rebus *inanimatis*, ſive ab *animatis* in aerem deducta perpendamus. Quod ad primum momentum ſpectat, nil dicam de influentiis *ſiderum*: utut veritati conſonum, pro diverſo ſitu, atque conjunctione *ſolis* cum *planetis* diverſam materiam *ſubtilem* in terram deferri, hincque diverſas corporis *affectiones* proficiſci; paucis ſaltim addam, *anno* 1729. cum circa *Romam*, *Neapolim*, aliaque loca *Italiæ*, crebriores *terræ motus*, ob *Veſuvium* diutius occluſum ſenſiſſe incolas, qui 20. *Decembris* & per *Ducatum Mediolanenſem*, & per *Helvetiam* ſe oſtendebant, tum eoſdem 24. *Octobris* hora vj. *matutina* arcem *Fridericianam Hallenſem Norwegorum* æque, ac in *Nericia* civitatem *crebro* hora viij. tanta vehementia occupaſſe, ut *caminos* decidentes viderint, tum denique *montem Islandicum*, *Schwefelberg* dictum talem concepiſſe *flammam*, qua territorium ad diſtantiam ij. milliarium deſtructum, licet tandem *nivibus* copioſioribus extincta fuerint. Cumque hic ignis occultæ atque *ſubterraneæ* vi *Heclæ* adſcribendus ſit, neque illi *motus* Italiæ aliam, niſi ſimilem efficaciam *Veſuvii* pro cauſa agnoſcant, dubium non eſt, quin hac occaſione & *ſulphureæ*, & aliæ *vitioſæ* particulæ per *aerem* longe lateque diſſeminatæ ſint. Harum præſentiam probant *tempeſtates* cum inauditis atque inſolitis *fulminibus* atque *tonitrubus* & menſe *Novemb.* atque *Decembr.* verſus *Neapolim*, in *Monte Peſſulano*, circa *Conſtantiam*, & circa *Hafniam*, *Uratislaviam* &c. *anno* 1730. Menſe *Jan.* ſicque *inconſueto* tempore annotatæ non modo, ſed & *phænomena* illa, quæ partim die 16. *Novembris* 1729. in *Hollandia*, *Coloniæ Agrippinæ*, *Francofurti*, *Hanoviæ*, *Lutetiæ Pariſiorum*, *Varſoviæ*, partim die 15. *Febr.* 1730. *Viennæ*, circa *Coloniam Allobrogum*, aliaque loca *Helvetiæ*, in *aere* conſpicere licuit. Accedit & hoc, quod civitatibus *populoſioribus* incumbens aer *fumeis*, aut aliuſmodi *heterogeneis* effluviis ſcateat. Unde in his & *gravior*, & *acrior* redditur, præſtans deinceps majorem *preſſionem* in pulmonibus, ut & *irritationem*. Atque hinc tam illud eſt quod *Viennenſes*, præſentibus die 4. *Dec.* *nebulis* oculum *vellicantibus*, frequentiori *ſcreatui*, crebrioribuſque *tuſſibus* expoſiti fuerint, quam quod *vehementiora* Symptomata in *majoribus* Civitabus viventes ſint perpeſſi. *Uliginoſas* regiones ſi quis adeat, deprehendet aerem multo *humidiorem*. Hinc minor *motus* elevatarum *aquoſarum* particularum, hinc tandem major ad *corruptionem* diſpoſitio, cujus teſtes ſunt nebulæ *craſſiores fœtidiſſimæ*. In his ergo locis *gravius* ægrotabant decumbentes, hocque magis, ſi & aliæ cauſæ *occaſionales* ſociæ fuerint. Plurimum huc faciebant effluvia *animatorum*. Cum enim *ſemina* morborum *contagioſa* in ſubtiliſſimo, activiſſimo, corruptionique obnoxio *miaſmate* conſiſtant, atque hinc ab *animantibus* longe lateque *fermenteſcentes* particulæ in aerem deferantur, patet, non modo ab *ægrotis*, hic febre contagioſa laborantibus, in familiaribus cum illis verſantes effluvia vel per *pulmones*, vel per *poros cutis* derivata; verum etiam ob *luem* illam quæ in *Italia*, *Palatinatu*, *Auſtria*, *Pannonia*, *Valachia*, *Podalia*, *Wollinia*, *Polonia*, inter *pecora* hinc inde ſerpebat, innumera *putredinoſa* miaſmata eodem anno in aerem fuiſſe diſperſa. Hæc deinde & alios *contagione* infecerunt. Etſi enim quidam ſtatuant, quod *contagium* nonniſi in *ſua ſpecie* radices agat, atque hinc defendant, *hominum* peſtem *bruta* non afficere, *equorum* luem uon niſi in *equos*, *boum* in *boves*, & *ſuum* in *ſuillum genus* tantum ire, in alienum minus, vel inde tamen contrarium eluceſcit, quod & *Moſcoviæ*, teſtante id ipſum *Gothofr. in Chron.* peſte *anno* 1655. tantopere ſæviente, ut & *corpora* terræ nondum commiſſa in plateis a *canibus* devorata ſint, iidem *rabie* correpti, homines *vivos* dilacerarint; & interdum a *piſcibus mortuis* contagio ortum duxerit, & noſtro ævo *lues pecorum* tam in *Hungaria*, quam *Auſtria*, Menſe *Octobr.* & *Novemb.* 1729. ſe prodens febrem *catarrhalem*, initium ſumentem cum *turbatione capitis*, atque intra quatriduum vel *hæmorrhagia narium*, vel hæmorrhagia per *alvum*, vel etiam *vomitu ſtercoreo* terminantem, junctam habuerit, & eodem tempore in *apris* aliquid *purulenti*, innuentis *corruptionem*, inventum ſit. Neque eſt, cur dubitemus, per *cibos* contagium quoque in homines manaſſe, cum non modo certo conſtet, cujuſdam nebulonis audaciam eo proceſſiſſe, ut *pecora* lue hac *demortua* hominibus vendere non erubuerit; verum etiam probabile ſit, pecora fuiſſe conſumpta, in quibus *diſpoſitio morboſa* adfuerat. Producuntur tales morbi eo felicius, ſi ſive *ſolis* ſive *ignis ſubterranei* calore in aerem elevatæ *particulæ* decentem *motum* non obtineant. Concluſas enim *aqueas* mox ſequitur *corruptio*. Hinc & multis locis prope littora *Africæ* occidua a *tranquillitatibus*, quam a *procellis* impendentibus magis terra marique timetur, & in inſula *Sancti Thomæ* ſtatim a ſolititio brumali menſes duos aut amplius *ventis ſilentibus* incolarum plerique languent, & *tranquillo* tempore *peſtis* vehementius in

Supplem. ad Sydenham.

homines graſſatur, & circa *Bononiam* in convallibus, ob minorem *circulationem* aeris multi periere. Quemadmodum ergo *motus* aeris, qui *ventum* conſtituit, ſanitati magis conducit: ita & aerem effluviis *peſtilentibus* inquinatum emendat ſæpius *tonitru* & *fulgur*, unde in tempeſtate peſtilente in quibuſdam urbibus populoſis *machinæ murales* crebro diſploduntur, & pulſantur *campanæ*. Neque tamen hinc omnis ventus pro *ſalubri* habendus eſt, cum *meridianus* corruptioni faveat, atque ſolus *Septentrionalis*, a plagis *nivoſis* impetuoſe deſcendens, particulaſque *nitroſas* ſecum ferens, aerem *puriorem* reddat. Atque hæc eſt ratio, cur non modo in *Leſbo*, flante *Auſtro*, incolæ ægrotent, *Coo* tuſſire ferantur, ſuperveniente *Aquilone* protinus convaleſcant, ſed e vento *frigidiori* ſuborto febris *catarrhalis* vis minuta atque ſublata ſit. *Prognoſin* ratione *vitæ* & *mortis* quod attinet, tenendum eſt, febrem hanc quamquam *Viennæ* omnes cum ſumma *laſſitudine*, *vigiliis* continuis, *deliriis*, *diſſimulatione* ſymptomatum, aliiſque *ſignis malignitatis* aggreſſa ſit, atque *gravidæ* nonnunquam debilitatibus *ſyncopticis*, nonnunquam *abortui* expoſitæ fuerint, in aliis *hæmoptyſin*, *vomitum cruentum*, *phrenitidem*, *anginam*, *peripneumoniam*, *pleuritidem*, *hepatitidem*, aliaque *periculoſiora* Symptomata ſocia habuerit, qualia in *plethoricis*, defectu *viſceris* laborantibus, imprimis *humoribus* male conſtitutis, animadvertimus, neminem tamen e *medio* ſuſtuliſſe. In *Helvetia* ab eadem, quam modo deſcripſi, febre nemo enectus. At e contra *Lutetiæ Pariſiorum* multis *exitioſa* erat, utut in *Anglia*, *Hiſpania*, *Italia*, atque *Polonia* adhuc pluribus *funeſta* fuerit. Etenim *Leopoli* pauci ſervati; *Ferrariæ* atque *Ravennæ* tot tantique hominum obiere, ut magiſtratus *Bononienſis* incolis acceſſum denegare voluerit, imo *Londini* medio *Novemb.* intra *ſeptimanam* 908. atque deinde *majorem numerum*, quam quidem *anno* 1665. tempore *peſtis*, illata ſtrages excrevit. Si *prognoſin* ratione *modi* eventus attendamus, terminabatur partim *ſtaſeos* rheumaticæ *diſſipatione*, partim materiæ peccantis *excretione* ſalutari. Sic *ſomnus*, atque *reſpiratio* facilior ſub continua *diapnoe* æque, ac *turbatione uring*, in aliis jam poſt *primam exacerbationem*, in aliis; & plurimum IV. vel VII. in aliis quoque XIV. die accedebant; ut taceam de ejectione *copioſioris* materiæ per *tuſſim*, atque *rubicundæ* illius *fœtidæ*, quam in *pleuritico* gravius decumbente XI. cum levamine rejectam conſpeximus. Febris *continentis* interdum conjunctæ inſeparabilis comes erat *hæmorrhagia*, nonnuuquam per *nares*, nonnunquam per *vaſa hæmorrhoidalia*, aliquando IV. aliquando VIJ. die, nonnunquam *parcior*, nonnunquam *copioſior* fuit obſervata, ut in Juvene XX. annorum, nunquam *hæmorroides* experto, & tamen die VIJ. ultra menſuram *ſanguinis ſigridioris* cum *ſolutione* morbi dejicientæ. Sic & *uteri hæmorrhagia* largior in *puerpera*, quæ XI. die *abortum* perpeſſa eſt, obortа *ſalutaris*, qualia exempla in *vaccis* quidam habuere. Staſeos rheumaticæ *diſſipationem* probat *dolor pectoris* verſus *hypochondria* deſcendens, qui & in *artus* & *aurem* nonnunquam ſeſe diffudit; ut & excretio lymphæ *cruentæ* ſecuta ſit. Diarrhœa neque *ſolvebatur* neque *gravior* reddebatur morbus. Nonnulli ægrotorum modo *liberiori aeri* ſeſe exponentes maturius, modo *inunctiones* in uſum vocantes, *ſudorem* neglexere, quorum hi *ſymptomata acerbiora* non modo, verum etiam in *declinatione* morbi *purpuram* incurrebant, illi vero vel vehementiores *congeſtiones* verſus *caput*, *pectus*, *ophthalmiam*, *catarrhum ſuffocativum*, *hæmoptyſin* ſenſere, vel de *chronico* atque *pertinaciori* catarrho conqueſti, vel etiam *tumoribus glanduloſis* interdum circa *aures*, interdum circa *tonſillas*, interdum circa *inguen* infeſtabantur. Ex omnibus, quos ſub mea habui *cura*, habui autem quamplurimos, atque ultra ducentos, nonniſi *duo* ſunt mortui, quorum alter *itineri*, durante morbo ſe committens, alibi in *lethalem* morbum incidit; alter vero pauperculus, ob *ſudoris* neglectionem, aliaſque circumſtantias *hydrope* funeſto occupabatur. At *petechiis*, huic morbo in *agro Bononienſi*, *Britannia minori*, *Anglia* ſupervenientibus, plerique ſunt enecti. *Anginæ* quoque *Lincoloniæ* comparuit, quod peſſimum atque *exitioſum* erat ſignum. Affectus hic, ratione *temporis* eventus, inſtar aliarum febrium *malignarum* ciro ſua decurrebat tempora, ita, ut plurimum *Viennæ* vel IV. vel VII. die criſi *ſalutari* ſolutus ſit. Etſi vero in *Anglia* idem ſub *initium* annotatum ſit, graſſari tamen *vehementius* deinde & in his locis, & circa *Bononiam*, *Florentiæ*, *Mediolani*, & per totam *Podoliam* cœpit, ut intra *paucos* dies inſtar peſtis plurimos e medio ſuſtulerit. *Venæ ſectio* in *tuſſi* illa epidemica, quæ *anno* 1669. *æſtivo* tempore cum *pleuritide* in conſpectum prodiit, atque de qua *Thom. Bartholinus Ephem. Germ. D. I. A. I. p.* 130. agit locum non habuit. E contrario in febre catharrhali, *anno* 1675. *Viennæ*, *Poſonii*, aliiſque in locis *populatim* ſæviente, multi auctorum, & inter eos præcipui *Car. Raygerus*, *Thom. Sydenham*, & *Paul. de Sorbait* l. c. *Venæ Sectionem* extollunt tanquam remedium præcipuum ac præſentiſſimum. In noſtra deprehendimus, Venæ ſectionem in *plethoricis*, *gravidis*, *adſuetis* ad *apoplexiam*, *catarrhum ſuffocativum* diſpoſitis, vel *angina*, *peripneumonia*, *pleuritide*, *hepatitide*, *hæmoptyſi*, *vomitu cruento*, atque febre *continente* laborantibus, ſub *initium* inſtitutam, non modo *laſſitudinem*, *cephalalgiam*, *vigilias*, *ſpaſticas ſtricturas in pectore*, *dorſo* aliiſque partibus ſuſtuliſſe; verum etiam omnia *Symptomata* reliqua minuiſſe. Sicuti igitur in his ſubjectis ventilatio ſanguinis & *utilis*, & *neceſſaria* erat: ita in iis, qui vel a prægreſſis *morbis* gravioribus *prædebilitati* fuere, vel me *non ſtatim* in conſilium vocarunt, vel *brevi antea* V. S. uſi ſunt, eandem *nunquam* celebravi. In *omnibus* porro eo in primis intentio dirigenda erat, *maligna* atque contagioſa illa materia, quam brevi temporis ſpatio intima *corruptio* ſæpius excipit, in tempore ex corpore *eliminaretur*. Cumque hæc ſub *halitus* forma corpus occupaverit, hinc eadem rurſus per *poros cutis* ſub continua, blanda, atque æquali *diapnoe* diſcutienda erat. Unde temperata *diapnoica*, *diaphoretica* fixa *antim. diaph.* aliaque, quæ abſque vehementiori commotione operationem ſuam edunt, *abſorbentia oſtracodermata*, quæ *acrimoniam* ſalino-ſulphuream, ſanguini *orgaſmum* inducentem, atque *ſudorem* impedientem, partim *abſorbendo* corrigunt, partim per *diureſin* educunt, omne hic tulere punctum. Eadem remedia cum celeberrimus *Car. Raygerus* in Pannonia, tum *Adamus a Labenwaldi* in febre *catarrhali* epidemice dominante in *Stiria*, tum *Londinenſes* hac vice cum V. S. ſub *initium* cum ſucceſſu adhibuere. In *plethoricis* quibus alexipharmaca calidiora, ſudorifera, *Spir. Sal. armon.* ſimiliaque propinata fuere, ſequebantur *congeſtiones majores* verſus ſuperiora, *deliria*, *fortiores pectoris oppreſſiones*,

nes, *inquietudines*, *ſubſultus tendinum*, *ſuppreſſio urinæ*, quibus & *temperatiora* deinde medicamenta exhibenda erant. *Purgantia*, quæ nonnulli aſſumpſere, *vomitoria*, nullum hic invenere locum, imo omnes, quibus præſcripta ſunt, majores *ſtaſeos* materiæ acris *commotiones* incurrebant, eorum etiam una *hæmoptyſi* cotripiebatur. Sufficientem opem omnibus tulit modo *pulviſculus* ex abſorbente, antim. diaph. arcan. dupl. addito interdum nitr. dep. concinatus, modo *potio* ex aquis diapnoicis, abſorbentibus, atque antimon. diaphor. conſtans, modo *emulſio* parata ex ſemine card. Ma. *Symptomatibus* ex proprio *ſpaſticis* ſuccurrebam, ita, ut *ſpaſticis ſtricturis* præſentibus *cinnabarina* addiderim, *alvi obſtructioni humectantia* oppoſuerim, in *diarrhœa* non modo *arcan. dupl.* omiſerim; verum etiam regimen *diapnoicum* tanto magis injunxerim. *Adſtringentium*, *narcoticorum opiatorum* uſum, quamvis multi Auctorum ea ſuadeant, experiri nolui, cum *Olaus Borrichius de ſomno & ſomniferis p. m.* 34. referat, quendam applicato *empl. opiato* ſolum in *raſo vertice*, ex *catarrho pituitoſo* in gravem *paralyſin* incidiſſe. *Nitroſo cinnabarina*, *emulſiones potiones analepticæ* conjunctis *bezoardicis*, tempote continuarum *vigiliarum* data, ad *ſomnum* placidum ægrotos diſpoſuere. Quod ſi affectus *anginoſi* ſupervenerunt, repetitis *Venæ ſectionibus* atque *clyſteribus*, tandem interne *digeſtiva* cum temperatioribus *diapnoicis* ordinavi, externe vero *Cataplaſmata diſcutientia*, *Gargariſmata*, atque *injectiones* commendavi, quorum uſum, quouſque penitus remiſit. morbus, continuavimus. At *expectorantibus* in tuſſi *ſicca* penitus abſtinui. Ex iis, qui in *publicum* prodire coacti ſunt, nulli *diapnoica* dedi, inſiſtens magis *præcipitantibus*, utut non niſi blandioribus *diapnoicis* & *materia noxia* in *declinatione* mali penitus proſcribenda fuerit, & *dolores* circa *ſcapulas* in quibuſdam remanentes auſcultaverint. *Diætam* quod ſpectat, neque *durante* morbo, neque eo *ſuperato*, auræ *frigidiori* committendum erat æger, hocque minus, ſi *diarrhœa* adfuerit. Victa etiam febre, omnis tamen *exceſſus* ratione *cibi* & *potus* vitandus erat. Juſcula, atque infuſa inſtar theæ ex *rad. ſcorz.* cum *hiſſop. veron.* atque *ſem. fœnic.* in frequenti uſu habui. Et animadverti, tam his obſervatis, quam accedente inſimul cum *corporis*, tum *animi* continentia tranquilla, omnes per Dei gratiam priſtinæ reſtitutos eſſe ſanitati.

Conſtitutio Epidemica Anni 1730.

QUalem ſub *exitu anni* 1729. conſtitutionem *aeris* generalem habuimus, talis per *triduum* etiam *primum* Anni 1730. *Viennæ* ſteiit, nempe ut plurimum *humidior*, *frigidior*, cum *nebulis* in *pluvias* abeuntibus. Atque licet vehementia *Aquilonis* cum *nivibus* 4. *Januar.* ſævientis, vitioſam hanc atque *inconſtantem* aeris qualitatem ſubiatam arbitrati ſumus, tantum tamen abſuit, ut ceſſaverit, ut potius eadem *inconſtantia* redierit, tempeſtatem *frigidam* die 10. *placidior* ac *pluvioſa* exceperit, huic non modo 16. *frigidior*, *nivibus* atque *ventis* tumultuaria, verum etiam 30. denuo alia multum *diverſa*, atque eadem die mane *calidiori*, a meridie *frigidiori* vento, modo *pluviis*, modo *nivibus* conſpicua, ſucceſſerit. Similis aeris *alternatio* ſpectabilis erat per totum *Februarium*. Sub *initium* enim aer *frigidior* cum *nivibus* ingruebat, in *progreſſu tepidior*, ut plurimum *nebulis*, vel matutinis, vel veſpertinis, quandoque & *pluviis* nocturnis ſeſe prodens, qualis ad *poſtremos* uſque *Februarii* dies perſeverabat, ut de *cæli ardentis* phænomeno, quod 15. die circa veſperam *Viennenſium* oculos ac mentem in ſe converterat, nil dicam. *Martii* ingreſſus *nivoſus* ſubito cum *pluvioſo* aere commutabatur, imo ob pluvias *copioſas* & frequentes, cum cælum, ſi paucos *amœnos* dies exceperis, plerumque *obnubilum*, & obſitum tenebris erat, tum ad *finem* uſque menſis iſte *humido frigidus* permanſit. Similes *viciſſitudines* ratione *frigoris* eadem *hyeme* per totam *Europam* obſervare licuit. *Januarii* enim conſtitutionem ſi examines, & *Halæ Saxonum* erat *pluvioſa* die ij. qua hora viij. veſpertina ſeſe incolis in nubibus aliquantulum nebuloſis *halo* obtulit, & *Londini* xij. *placidior*, tamque *nebuloſa* comparuit, ut jam *quarta* pomeridiana fauces accendere coacti fuerint, & *Neapoli* XVII. aerem blandiorem *frigidior* æque, ac *tumultuoſior* ſecutus eſt, flamma *Veſuvii* etiam invaleſcente, & *Varſoviæ* XIX. *frigus* intendebatur, *Hafniæ*, *Uratislaviæ*, *Soraviæque* ingens ſub *exitu* tempeſtas cum *fulguribus* & *tonitrubus*, *nivibus* ac *pluviis* oborta eſt. Sic *Februarius* tam *frigidior* atque *nivoſus* ſub *principium* non ſolum *Varſoviæ*, ſed & *Venetiis*, quam *tepidior* magiſque *pluvioſus* poſtmodum in poſteriori loco, *Monte Peſſulano*, *Aleſia*, *S. Hippolyto*, aliiſque Civitatibus vicinis in conſpectum prodiit, ita, ut Conſtitutionem *Viennenſem* ubique fere repræſentaverit. Sed nec *lumen boreale* extraneos fugiebat, licet neque eadem *die*, neque iiſdem *circumſtantiis* Europam omnem ſua lege compleverit. Alibi enim jam IV. quod *Moſcoviæ*, *Petropoli*, *Revaliæque* degentes teſtantur, alibi, & quidem *Varſoviæ*, *Uratislaviæ*, *Tiguri*, *Bernæ*, *Coloniæ Allobrogum*, *Romæ* atque *Florentiæ* XV. viſebatur, alibi aliæ quoque *circumſtantiæ* acceſſere. Non adducam, præter *phænomena* huic lumini *communia*, &. in *Helvetia*, & *Petriburgi* binos *arcus* oculis occurriſſe, altero in *boreali*, altero in *auſtrali* plaga apparente: neque attingam, materiam *phoſphorenſcentem*, radiis ex *priori arcu* exurgentibus, atque variis *coruſcationibus* conſpicuam, tandem & in *alterum* fuiſſe compulſam, ibique *clariori* reluxiſſe luce, diſparentibus in *priori* ſucceſſive *columnis* rediantibus: neque mentionem injiciam *ſuſurri* illius, quem *Petropoli* radiis motu tremulo procurrentibus nonnulli perceperunt, multo minus *calorum* ſæpius jam annotatorum. Hoc ſaltim addam, idem non modo *Romæ* atque *Revaliæ* diutius duraſſe; verum etiam *Moſcoviæ* ſequenti nocte recurriſſe, utut minoris fuerit momenti. *Martius* ut plurimum *nivoſus pluvioſus* fuit. Hinc obſervabatur aura *humidior*, & *frigidior*, in nonnullis locis *aquæ nivalis* major *confluxus*, qualem in circulo Suevico *Hornbergenſes* maximo ſuo damno experti ſunt. *Leopoli* tamen atque in *Suecia nives* copioſiores, circa *æquinoctium* vernale cadentes, acerbiſſimum excipiebat *frigus*, ut & *Holmiæ* lacus per totam hanc hyemem non concreſcentes tandem frigoribus conglaciarint. Eadem ergo perquam anomala atque *irregulari* craſi aeris per omnem *hyemem* ubique manente mirum non eſt, hanc & eoſdem peperiſſe *morbos* alibi, quos genuerat *Viennæ*. Hoc tum in aliis liquebat *febribus*, tum magis peculiariter in *catarrhalibus* menſis *Septemb.* & *Decemb.* 1729. Sicuti enim hæ *poſteriores*, quæ *anno* citato epidemice per *Europam* graſſatæ ſunt, ſenſibili aeris *qualitati* in acceptum referri debent, quod illis *menſibus* exortæ ſint; ita etiam qualitati *frigidiori*, quæ in *Januarium* incidebat, earum *imminutionem* unice adſcribendam eſſe cenſeo. Unde etiam eſt, quod *Viennæ* IV. *Januar.* vehementia *frigoris* derepente ſublatæ ſint, alibi vero ob frigus *tardius* ingruens *diutius* continuaverint. Hinc *Bononiæ*, in *Ducatu Mantuano*, *Ferrarienſi*, *Mutinenſi*, aliiſque *Longobardiæ* partibus, itemque in *Sabaudia*, *Delphinatu*, *Marſiliæ*, perdiu perſeverarunt. His recedentibus novæ *febres* invaleſcebant. Neque *numero* tantum erant ſpectabiles, in *Agro Brixiano*, ſed etiam ob anceps illud *periculum*, in quod eos, quos in *Podalia*, *Britanniæ minori*, *Florentiæ* affecerant, conjiciebant. *Viennæ* febris hæc *maligna* ſub *diverſo ſchemate* prodiit, ita, ut in aliis *ſimplicem* continuam, nonnunquam nullis *exanthematibus* ſtipatam, & tamen *diarrhœa*, *vigiliis*, *deliriis*, *motibus convulſivis*, aliiſque periculoſioribus ſymptomatibus ſeſe exerentem, nonnunquam *petechialem* repræſentaverit, in aliis etiam *complicata*, atque modo cum *inflammatoria*, vel *angina* veta, graviori, vel *pleuritide* interdum *vera* cum ſputo cruento, interdum *ſpuria*, vel *hepatitide* periculoſiori, ob diarrhœam, vigilias, deliria, conjuncta fuerit, modo cum *intermittente* comparuerit. Nullis *exanthematibus* conſpicua, continua aliquando jam IV. quod in *teneriori* ætate annotare licuit, ut plurimum XIV. die in *adultis* diſparuit, ſemper tamen ſub blanda *diapnoe* atque *turbatione* urinæ ſolvebatur. In *petechiali* decens regimen *diapnoicum* præ aliis attendendum erat, quo non obſervato *Symptomata* exacerbabantur, ut pauciſſimi evaſerint, ſive deinde V. S. in uſum vocaverint, ſive minus, quorum *poſteriores* hoc proximiores morti fuere, ſi & in morbo *purgans* aliud aſſumpſerint. Sic *Domina* ſenectute confecta, atque alias interdum *calculo*, interdum *hæmorrhagiis narium* nimiis obnoxia, tam V. S. quam *diapnoe*, aliiſque neglectis, non modo *hæmorrhagias*, *diarrhœam*, *catarrhum ſuffocativum*, *deliria* continua incurrit, ſed & IX. die violentia morbi conſumpta eſt. Aliud exemplum præbuit quidam *Juvenis*, viginti aliquot annorum, qui, etſi ſtatim ſub *initium* V. S. inſtituta ſit, *probatiſſimaque* remedia exhibita fuerint, poſt frequentiorem tamen, alvo reſpondente, corporis *refrigerationem* incidit in *diarrhœam*, *vigilias*, *deliria* continua, *hæmorrhag. narium* ſymptomaticam & die VIII. *purpur. alb.* ipſamque *aphon.* lethalem. Tandem unus, prætermiſſa *Venæ ſectione*, in eadem febre petechiali *purgans*, nec nondum in conſilium vocato adhibuit, ubi res deſperata fuit. Sequebantur enim multa ſtatim periculoſa ſymptomata, *diarrhœa*, *animi objectio*, *anxietates*, *vultus ferox*, *vigiliæ* continuæ, *deliria*, atque die XII. ipſa *mors*, utut VIJ. *hæmorrhag. nar.* oborta ſit, *ſudor* acceſſerit, *urina* ſedimentum depoſuerit, *diarrhœa* ceſſaverit, atque *veſicatoria* ſufficientem effectum ediderint. Fatendum etiam eſt, peculiarem *Januarii* indolem atque conſtitutionem, cum *quartanam* illam *duplicem* chronicam, *œdematibus*, *infarctuque lienis* occurrentem, atque *incidentibus*, *digeſtivis*, *blandioribus laxantibus*, febrifugoque *Nic. de Blegny*, ex malis aurantiis amaris cum vino albo parato cedentem, tum *tertianas* diuturniores, aliaſque multum fuiſſe, quod aliæ *intermittentes* hoc, & ſequenti *menſe* invadentes teſtatum faciunt. Aliquando enim his ſub *initium* jungebatur *continua*, remanente deinceps *ſimplice*, ſive *tertiana*, ſive *quotidiana* aliquando etiam ſub *finem* accedebat, ut in Juvene quodam, cui menſe *Februario* in *quotidianæ* chronica ſupervenit *purpura*. Sicuti vero nominato menſe *Februar.* non ſolum febres *catharrales Lutetiæ Pariſiorum*, *Verſaliæ*, *Gratianopoli*, *Marſiliæ*, *Camberii*, *Romæ*, *Liburni*, perque *Ducatum Mutinenſem* adhuc dum ſpargebantur; verum etiam *aliæ* funeſtæ, *Auguſtæ Taurinorum*, *Mediolani*, *Bononiæque* viſebantur, ut de *lue pecorum* circa *Laudenſem agrum* infeſtante nil tradam: ita *Viennæ* præter *congeſtiones* verſus partes ſuperiores, *rheumatiſmos*, modo *clavum hyſtericum*, cujus comes erat *febricula* ſtata hora rediens, modo *odontalgiam* contumaciorem poſt ſe trahentes, atque *apoplexias*, febres *continuæ malignæ* continuarunt. Harum aliæ fuerunt *exanthenuticæ*, erumpentibus vel *petechiis*, vel *purpura* vel *morbillis*, aliæ *nullas* ad corporis peripheriam *ejectiones* proferebant, quarum tamen poſterioribus, ob ſummam *virium proſtrationem*, *vigilias*, *deliria*, *motus convulſivos* neque *hic* loci, neque *Ruſtini* in *Hungaria* multum fidei habendum erat. Etſi vero multi ægrotorum, quod ſupra monui, curam a *purgantibus* incipiant, & ex his in febre *petechiali* nullum unquam reſtitutum fuiſſe ſcribat Parens pie defunctus, in *Hiſtoria Epidemica Hungariæ*, idemque & ego in mea praxi notaverim, *fœmina* tamen quædam hoc *menſe* etiam ſervata. Hoc autem notatu dignior eſt hic caſus, quod eadem perſona febre *petechiali* detenta, & *laxans* ſub initium aſſumpſerit, & *exanthematibus* jam præſentibus V. S. celebrandam curaverit. Unde accerſitus tandem deprehendi *exanthematum* retrocceſſionem. Affectus hinc indies invaluit, & ſecuta ſunt non ſolum brevi *deglutitio difficilis*, *anxietates*, *ſubſultus tendinum*, *pavores ſub ſomno*, *deliria*; ſed & XII. die tam *petechiæ nigræ*, quam *purpura albæ*, quibus ſeſe *auditus difficultas*, atque *rigiditas totius corporis* adjunxere, ut & *ſoporoſa affectio*. Morbum igitur hunc in peſſimis ſignis conſtitutum, atque *lethalem* pronunciavi. Sed tantum abeſt, ut *exitioſus* decumbenti fuerit, ut potius adhibitis mature *Veſicatoriis*, blandamque *diapnoen* promoventibus, ſenſim atque ſenſim ſub *ſecunda* purpuræ *albæ* eruptione, *quarta* ſeptimana contingente Symptomata remiſerint, atque patiens ab hoc affectu *periculoſiſſimo*, præter omnium opinionem ac ſpem liberata ſit. Menſe *Martio* partim *catarrhales Florentiæ*, *Neapoli*, *Anticariæ* partim *morbilli Lutetiæ Pariſiorum*, partim aliæ *malignæ*, atque intra paucos dies *lethales Bialæ Polonorum* ſeſe ſiſtebant. Eodem tempore *Viennæ* ſeſe offerebant *congeſtiones*, tam in *junioribus*; quam in *media*, quam etiam in *conſiſtente* ætate, jam verſus *nares*, jam verſus *pulmones* magis tendentes. Nonnunquam evacuatio *ſanguinis* per *nares*, nonnunquam excretio *ſeroſo mucidæ* materiæ vel in *coryza*, vel in *tuſſi humida* ſuccedebat, quandoque *nulla* fuit obſervata, humidioribus nempe congeſtis in *ſtagnationem* deductis. Unde varii denuo *affectus* pendebant. Inde enim non tantum *tumor* non nihil rubicundus ſed nequaquam inflammatorius, *Cheilocace* dictus, de quo *Arnoldus Bootius obſ. med. de affectibus omiſſis* p. 30. C. X. pluribus egit, in *adulto* naſcebatur; verum eriam *inflammationes*, nunc in partibus *externis*, *tonſillis* atque *dentium perioſteo*, nunc in *internis*, ſive *anginam* vetam cum febre, ſive

ſpleni-

ſplenitidem menſibus inſtantibus ſpectes, obortæ ſunt. Neque *malignæ* febres minuebantur, ſed in aliis ſub *ſimplicis*, in aliis ſub *compoſitæ* apparuere ſchemate, quarum *prior* aliquando *continentis*, plerumque vero indolem *continuæ* habuit. Atque hæc *poſterior* huic ob *cephalalgiam*, *dolorem pectoris* moleſta erat, illi gravior ob *catharrum*, atque *debilitates ſyncopticas*, iſti periculoſior ob *vigilias*, *deliria*, *diarrhœam*, *torſiones oris* XI. die apparentes, in omnibus ob *anxietates*, *abjectionem animi*, *ſummam virium proſtrationem* vehementior, hocque magis, ſi *purpura alba*, vel *petechiis* ſupervenientibus non rite tractata fuerit. Sic in robuſto quodam Juvene notavi febrem *petechialem*, ob *purgans* repetitis vicibus ſub *initium* morbi aſſumptum, inter paucos dies *funeſtam* æque, ac *latioribus liveſcentibuſque* exanthematibus ſtipatam. In *fœmina*, quæ in *purpura* doloribus *ſpaſtico-arthriticis* varia *unguenta* & *linimenta* oppoſuit, ob impeditam hinc *tranſpirationem*, *menſes*, mox diſparentes, *Venæ Sectionemque* neglectam, quæ hic loci ut plurimum neceſſaria eſt, non modo *graviorem* ſtatum animadverti, ſed & *periculoſiorem* judicavi. Sed ecce, *temperatis diapnoicis* per aliquot dies uſurpatis, erumpente purpura *alba* copioſiſſima & *dolores*, aliaque ſymptomata mitigabantur, & *febris* hæc intra ſpatium XXI. dierum ſolvebatur, etſi *dolores arthriticos* diutius adhuc ſenſerit, ſublatos ſucceſſive *antiſpaſticis*, *laxantibuſque* blandioribus. *Simplex* hæc *maligna* febris interdum *inflammatoriam*, interdum *continenteni* junctam habuit ubi remedium præcipuum erat V. S. Hac vero prætermiſſa, quamvis optima etiam *medicamenta* propinata fuerint, irrita ſæpe fuere omnia. Id ipſum videre licuit in *virgine* quadam juvene. Licet enim in eadem ob *plethoram menſes* alias *parciores*, tanto magis V. S. in *continente* febre commendaverim, monito tamen non auſcultabat Parens. Unde mirum non eſt, quod *menſibus* ſub *initium* quidem accedentibus, mox tamen iterum ceſſantibus, *ſummam laſſitudinem*, *dolores ſpaſtico-arthriticos*, *cephalalgiam*, *vigilias* ſub *principium* jam præſentes, plura ſecuta ſint periculoſa ſymptomata, ſymptomata, *dolor dorſi*, *major congeſtio verſus caput*, *acerbior dolor capitis*, *propenſio ad ſomnum profundiorem*, *auditus difficultas*, *hæmorrhagiæ largiores*, *ad debilitates ſyncopticas uſque ſudor frigidus*, atque die VIIJ. *motus convulſivi* ipſaque *mors*. *Aprilis*, ſicuti ſua natura alias *mutabilis*, ita & hoc anno Viennæ *inconſtantiam* ſuam prodidit. Sub *initium* enim *ſerenus* comparuit, ſed *triduo* elapſo alia multum diverſa *tempeſtas* ingruebat, nunc *pluviis*, nunc *nivibus* ſeſe exerens. *Humidam* hanc æque *frigidam* in *progreſſu tepidior* ac *amœnior* excipiebat, imo & huic *poſtremis tribus* diebus denuo *horrida* magis, atque *tumultuoſa* ob *ventos*, *pluvias*, *nives* ſuccedebat. *Majus* ut plurimum, in primis ſub principium, *pluvioſus*, hincque *humido-frigidus* oboriebatur, quandoque tamen & *ſerenior placidior*, tam *prioribus* diebus, quam ſigillatim ſub *finem* obſervabatur, ut nec de *tonitrubus* & *fulminibus* crebrioribus die VIIJ. atque XX. recurrentibus, nec de *grandine*, quæ X. cadebat, quicquam adducam. Toto *Junio* exoptata habuimus tempora, *calores*, ſæpe *pluviæ* nocturnæ amœniſſimæ interdum mitis atque leniſſimos *ventus* contemperabant. *Vere* toto quanto conſtitutio aeris eadem fere manſit in aliis *Europæ* regionibus, atque hic locorum erat. *Aprilis* enim ſub introitum *Holmiæ*, remittente *frigore* blandior notabatur, deinceps *Uſtæ*, perque totam *Bohemiam* pluvioſus, *humido-frigidus* ſentiebatur, tandem *calidior* ſuccedens non modo glaciem *Petripoli* ſolvebat, verum etiam in *Polonia* perexigua & perminuta *flumina* reddebat. *Majus* & *Junius* alibi quoque magis *pluvioſi* fuere cùm ille tam ob *nives* junctas *pluviis Cracoviæ*, quam ob ingentes *tempeſtates* cum *fulguribus*, *tonitrubus*, horridis *grandinibus*, & *ventis* violentis *Coloniæ Agrippinæ*, *Heudenæ*, variis in locis *provinciæ Ultrajectinæ*, *Dromoriæ*, *Walvici*, *Bardevici*, in *Saveria*, *Epiſcopatu Monaſterienſi*, *Suſati*, *Borolini*, *Halæ Saxonum* exortas, *ſubfrigidus* atque inamœnus permanſerit, hic vero poſterior tam *turbulenta* tempeſtate ſeſe exhibuerit, ut modo *fulguribus* gravioribus *Polonis* atque *Berolinenſibus*, modo *grandinibus* in *Barcheria*, *Volhynia* degentibus modo *ventis* vehementioribus incolis *circuli Burgundici* damnum intulerit, modo ob frequentes copioſiſſimaſque *pluvias Molybertæ* intempeſtivus fuerit, *Camenecia* atque circa *Halam Magdeburgicam* viventibus diſruptis *piſcinis* multum moleſtiæ aſperſerit, atque in *Valachia* jam *homines*, jam *pecora*, dum circumfluerent aquis, atque in harum abundantia viverent, e medio ſuſtulerit. Si *morbos* cum *vere ſurgente* increbeſcentes, atque ad *ſolſtitium* æſtivum uſque infeſtantes reputemus, ob ſimilem *aeris* conſtitutionem ubique vigentem eoſdem hic regnaſſe liquet, qui homines adorti ſunt alibi. Menſe *Aprili*, *Majo*, *Junio* cum *intermittentes*, tertianæ in *Italia*, tum *continuæ*, vel nulla *exanthemata* emittentes, *malignitate* tamen non carentes, atque nunc *catarrhales*, anginodes *Lutetiæ Pariſiorum*, inque *Ducatu Ferrarienſi*, nunc *alias* circa *Guardiſtallum* repræſentantes, vel *exanthematicæ*, tam ſub *vario Moſcoviæ*, *Holmiæ*. *Nemauſi*, *Cazallæ* ſeſe ſiſtentes, quam ſub *peſtis* ſchemate in *Podolia* apparentes, febres graſſabantur. In quibuſdam locis & *alii* viſebantur morbi. Sic lues *pecora* aggrediebatur in *Germania*, *dyſenteria* in caſtrorum metatione circa *Molybergam* milites afficiebat *Junio*, *apoplexia* atque *podagra* præter ſolitum eodem menſe homines *Moſcoviæ* invadebant, *Viennæ* menſibus *vernis* ſeſe offerebant *congeſtiones* verſus *pectus*, *caput* in hæmorrhoidariis, ſanguineque *ſpiſſiori* præditis, *rheumatiſmus capitis* ob menſes parciores, *lumbago rheumatica*, *cephalæa* cum febre, *ophtalmia*, *odontalgia*, affectus *ſpaſtico-arthritici*, arthritis *fixa* poſt iram, atque exceſſus ratione potus in hæmorrhoidario commiſſos, *malum iſchiadicum* refrigeratione prægreſſa, *chiragra* poſt animi excandeſcentiam, *podagra* menſibus poſt terrorem diſparentibus, febres *intermittentes*, *quotidianæ*, etiam *infantibus* familiares, *tertianæ*, in aliis *anticipantes*, in aliis *poſtponentes*, *quartanæ* ſi non ſolis ſalibus *digeſtivis*, atque viſcidum incidentibus, tamen pulveri Lentilii ex *cort. fraxin. rad. gentian. rubr.* atque *ſale abſinthii* concinnato cedentes. Præter has *continuæ* continuarunt, non ſolum *primariæ*, ſed & ex *ſecundariis*, inflammatoriis, *peripneumonia* atque *pleuripneumonia*. Poſteriori juncto ſputo *cruento*, atque graviori *febre* laborabat quidam *Juvenis*, prior vero reperiebatur cum *aphonia* in *ancilla*, utraque, V. S. atque *diapnoicis temperatis* ſublata. Frequentes erant *malignæ*, interdum *ſimplices*, interdum *compoſitæ* exiſtentes. Quandoque enim *continua* complicabatur cum *continente*, qualem *hæmorrhagiis*, atque *ſudore* intra *primum* ſeptenarium ſolutam videre licuit in Illuſtriſſ.

quadam filia XIII. annor. quandoque & *intermittentem* habuit comitem, ita, ut aliquando ſub *tertianæ* ſchemate inceſſerit, aliquando etiam mitius tractata in *tertianam* ſive *ſimplicem*, ſive *duplicatam*, pulvere ex *fl. chamom. ſale abſinth.* atque *antim. diaph.* parato, brevi curatam, tranſierit. Nonnulli horum jam in *principio* hæmorrhagiam *nariuni*, vel *hæmophtyſin* perpeſſi ſunt; quædam tamen fœmina & ſub *paroxyſmo* intermittentis *vomitu cruento* correpta eſt, unde in iis quoque V. S. cum ſucceſſu ſub *initium* celebrabatur. Sæviit hæc *maligna* febris æque in *gravidas*, atque alias. Rariorem *Leyteponti* habui caſum. Etſi enim fœmina quædam juvenis, & ſub initium *purgans* aſſumpſerit, & die VIJ. V. S. in eadem inſtituta ſit, & nimias ob *vigilias* huic pharmacopœus *narcotica* exhibuerit, & poſt incongrua hæc artificia multa ſtatim enata ſint *periculoſa* ſymptomata, *vigiliæ continuæ*, *deliria* non interrupta, *lipothymiæ*, *tremor artuum*, *floccorum lectio*, aliaque; tantum tamen abfuit, ut obierit, ut potius *Viſicatoriis* nuchæ, pedibuſque applicatis denno ad ſe redierit, vocatis deinde in uſum *confortantibus*, *analepticis*, *bezoardicis* temperatis *pueros geminos* enixa ſit, atque præter omnium ex morbo graviſſimo evaſerit. Neque *exanthematicæ* noſtris ullas dederunt inducias. *Catharrhalis*, licet in infante cum *inflammatione* tonſillarum, *deliriis*, IV. die, ſuperveniente *hæmorrhagia narium* largiori *ſudore*; urina *turbida* & inquinata, remiſerit, alterationes tamen *febriles* poſt ſe relinquens, non niſi *purpura alba* ſubpullulante penitus diſparuit. *Petechialis* ægrotis eo plus negorii faceſſebat, quo minus ſtudioſa, minuſque decens adhibita fuerit curatio. *Laxantia* etiam ſub *introitum* morbi noxia erant, & memini fabrum aurarium, ob propinatum *purgans*, atque *refrigerationem* factam, *lypothymiis*, *vigiliis*, *deliriis* tentatum die VIJ. e medio eſſe ſublatum. Neglectam *petechialem*, hincque *confuſam* animadverti in *tribus* Juvenibus, quorum unus *prioribus* diebus in ſummam *virium* proſtrationem, *gravitatem pectoris*, *vigilias*, *deliria*, *diarrhœam*, die VJ. in *ſubſultus tendinum*, *ſingultum*, VIJ. in *petechias nigras*, VIIJ. in *ſoporem*, ſequente in *purpuram albam*, *motus convulſivos* incidens IX. die mortuus. Cæterorum alter non modo ſub *principium vertiginem*, *dolorem gravativum pectoris*, alterniſque diebus *exacerbationem* percipiens; ſed & in *progreſſu* febris *vigilias*, *deliria*, *manuum tremorem*, *floccorum lectionem*, *torſionem oris*, alvi *involuntariam* excretionem incurrens die XII. fato ſuccubuit; alter *bilioſus*, variis *exceſſibus* deditus, præviis *vigiliis*, *deliriis*, *diarrhœa*, die VIJ. *ſopore*, *aphonia*, *urinæ ſuppreſſione*, IX. *artuum tremore*, X. *urinæ involuntaria emiſſione*, *tremore labiorum*, *ſubſultu tendinum*, *aſpectu torvo*, XI. *floccorum lectione*, *torſione oris*, *alvi dejectione involuntaria*, *motibus convulſivis* periit, quamvis ubique nihil non tentatum ſit, imo tardius accerſitus iiſdem *ſanguinis* detractione in *ſtatu* amplius locum non habente, pro re nata *bezoardica temperata*, *confortantia*, *ſubadſtringentia*, *antiſpaſtica*, *veſicatoria*, aliaque longo uſu atque experientia probata *remedia* ſuaſerim. Eodem tempore multos occupabat *purpura*, quæ tamen prudenter tractata nulli funeſta fuit. Spargebantur præter febrem *ſcarlatinam in teneriori* ætate cum *vomitu*, *tuſſicula*, *cephalalgia*, *motibus ſpaſticis*, *convulſivis deliriis* præmaturis occurrentem, atque blandis *diapnoicis*, *antiſmodicis*, *ſudoreque* die VIJ. victam, & aliæ dum ſpecies, *purpura* nempe *rubra*, atque *alba*. Atque hæc quidem etiam *infantes* febre *catarrhali* licet ſuperata vehementer affligebat, quendam vero ex *adultis* ob *refrigerationem* ſummo periculo exponebat. Cum enim proclivior ſit febris hæc materiam morbificam per *poros cutis* proſcribere, mirum non eſt, mutatione *lecti*, atque aeris *frigidioris* admiſſione facta die VJ. in ſubjecto noſtro *plethorico*, *cacochymico*, ob *ſudoris* retroceſſionem, majores ſtatim *anxietates*, *inquietudines*, *vigilias*, *mentis alienationes* uſque ad XI. diem durantes, in conſpectum prodiiſſe. Gravius ſic decumbente ægro in conſilium quoque vocabatur Archiatrorum Cæſareorum Comes, Perill. atque Magnif. *D. de Longobardi*, cujus nomen, dum audio, veneror. Tametſi vero *Lectione* & *experientia* hic Vir Celeberrimus ſerio imperaverit, ut & *continentiam* tranquillam ſibi commendatam haberet, & medicamenta *diapnoica antiſpaſtica* a me præſcripta ſubinde repeteret, & aliis ſalutaribus *monitis* auſcultaret, impedire tamen non potuit, quin *adſtantes* ſuaſu aliorum medicorum, contra *obſtructionem* per *quatriduum* præſentem *clyſterem* applicandum curaſſent, niſi eadem die XII. *purpuram albam* copioſiſſime erumpentem detexiſſem, atque ſic Patientem ab orci faucibus liberaſſem, quem mox clyſtere jugulaſſent. *Julius* ultra dimidium *pluviis* conſpicuus erat, ita tamen, ut tempeſtas *pluvioſa* cum *ſereniori* per totum *menſis* decurſum alternavit. Unde *gratus* atque exoptatus obſervabatur, quamvis & die XIII. *violenta* tempeſtas non tantum *Viennæ* cum frequentiſſimis *tonitrubus*, flammarumque *fulgoribus*, ſed & in *vicinia* cum *grandinibus* inſolitis, maximo *vinearum* damno, oborta, & *poſtremis* diebus ob copioſiores pluvias *horridior* ſecuta ſit. Similes *viciſſitudines* ratione *caloris*, atque *ſiccitatis*, per totum *Auguſtum* ſentiebamus. *Calor* enim ſemper moderabatur *pluviis*, aliquando *citius*, aliquando *tardius*. Nonnunquam mane *optima* tempeſtas comparuit, *ſpurca* ſuccedente veſperi, nonnunquam *calorem* per *aliquot* dies durantem pluviarum *continuitas* excipiebat, imo & ſub *finem* æſtus *diuturnior* imbres *largiores* prægreſſus eſt. Atque ob *pluvias* tam ſub *initium* menſis *ſequentis* ingruentes, quam circa æquinoctium *autumnale* continuantes tempeſtas *frigida* atque *humida* ad *poſtremos* uſque *Septembris* dies perſeverabat; *reliquis*, a *tertia* nempe ad XVII. *ſerenis* atque *æqualibus* exiſtentibus. Anni *æſtatem*, cum ineuntem, tum adultam, tum præcipitem *pluvioſam* & alibi deprehendimus. Sive enim *tempeſtates* graviores, atque *numero* non modo ſpectabiles, verum etiam ob *fulmina* vehementiora, *tonitrua* horrenda, *grandines* immanes, in *Volhynia*, *Leopoli*, circa *Lovitium*, *Uſpſalæ*, in *Ducatu Bremenſi*, *Dreſdæ*, *Auguſtæ Vindelicorum*, *Francofurti*, *Londini*, *Suffolciæ*, *Lutetiæ Pariſiorum*, in Civitate *Remenſi*, *Picardia*, *Genuæ* attendamus, ſive *imbres* largiores, atque per copiam, & aquarum *pluvialium* affluentiam vel *animatorum*, vel *oppidorum*, *vicorum*, *vinearum*, *agrorum*, *pratorum*, aliarumque rerum *inanimatarum* jacturam factam in *inſula Cituorum minori*, *Cremeſiæ*, in *Auſtria* ſuperiori, *Bohemia*, *Palatinatu*, *Bruxellis*, *Hallæ Saxonum*, circa *Berolinum* conſideramus, luce meridiana clarius id ipſum eſt, utut *Holmiæ*, atque in *Moſcovia* major *calor* majorque *ſiccitas* cum *nebulis* fœtidiſſimis, quam ab

XI. annis ſeſe exeruerit, ut & *piſces* inde in *Suecia* perierint. Hic tamen temperabatur calor *pluviis* adhuc dum *Julio* cadentibus, illinc frangebatur *Auguſto* accedente *frigore*, quod æquinoctio *autumnali* appropinquante & *Moſcoviæ*, & *Ottoniæ* majus incrementum ſumpſit. Denique & notatu perdignum, ea, quæ ruri a *grandinibus* intacta permanſerunt, a *cicadis* turmatim *Poloniam*, *Luſatiam* Superiorem & Inferiorem, atque *Marchiam Brandemburgicam* ingredientibus, intra ſpatium XXIV. horarum fere omnia fuiſſe conſumpta, irreparabili incolarum damno. His menſibus *æſtivis*, præter *apoplexias Hagæ Comitum* ingreſſas, *arthritidem Londini* infeſtantem, atque *podagram Romæ*, *Moſcoviæque* increbeſcentem, diverſæ *febres* adhuc dum ſpargebantur, ita ut ex continuis *inflammatoriæ*, quales ſunt *pleuritides* atque *peripneumoniæ*, *Gallos* invaſerint *malignæ* modo in *Salopia* Anglis intra quatriduum funeſtæ, modo in *Apulia* militibus Cæſareis lethales, modo *Cazallæ* degentibus periculum minantes graſſaræ ſint *catarrhales* in Ducatu *Mantuano* regnaverint, *variolæ Romæ*, *Lutetiæ Pariſiorum*, inque *Campania* viguerint, *dyſenteria* in *Italia* homines adoria ſit, *peſtis* in *Podolia*, *Volhynia*, *Moldavia* ſævierit, imo denique & lues quædam *pecora* circa *Camentiam*, *Chotimiam*, inque *Spirenſi Epiſcopatu* occupaverit. Eodem tempore *Viennæ* commotioni humorum ſupervenire ſolebant *hæmorrhagicæ* congeſtiones, quas pro diverſitate loci nunc *hæmorrhagia narium*, nunc *hæmoptyſis* comitabatur. Quin etiam anſa hinc arrepta in *menſium* retentione *viſus hebetudinem* habuerunt ſociam, cedentem non ſolum *antorgaſticis*, atque *antiſpaſmodicis*, verum etiam *fluxu menſtruo* redeunte penitus diſparentem. Sicuti vero *rheumatiſmos* hinc inde videri licuit; ita ſimilis *congeſtio* per totum latus *dextrum* ſeſe extendebat in *ſene* plethorico, & *podagrico* alias, & brevi ante morbum de *Stranguria* æque, atque *catarrho* conqueſto. In hujus facie periculoſa ſeſe ſiſtebant Symptomata, *inflati*, *ophthalmia*, *oris tortura*, partium adfectarum *actio* læſa, ut neque comedere, multo minus fiſtulare potuerit. Atque hic mihi ſuppetias præ cæteris ferebant *diapnoica*, *antiſpaſmodica*, *nervina* vel in *infuſo*, vel in *decocto* pro oris eluitione, vel *linimenti* forma præſcripta, quæ poſt V. S. reitetatam adductis *Symptomatibus* ſuperatis, imo *rheumatiſmo* circa claviculam ſubſequentem etiam diſcuſſo, ſucceſſive ægro ſanitatem reddebant, licet maturius aeri *frigidiori*, atque *humidiori* ſe exponens *podagram* tandem incurrerit. Sunt & alii adhuc *morbi*, qui ſubpullularunt. In ætate graviori *raucedo* ſeſe prodebat, *tuſſis* vehementior eandem affligebat, in primis *hypochondriaca*, quali Illuſtriſs. quædam *Domina* ſeptuagenaria, juncto dolore *hepatis*, laborabat. In ſubjecto ſanguineo-cholerico, atque podagro, *nephritidem chalcidoſam*, cum doloribus acutiſſimis, *clyſteribus*, *digeſtivo-antiſpaſticis*, *ol. amygd. dulc. balneis* relaxantibus, *unguentis* emollientibus, quæ *calculi* ſeceſſum facilitabant, ſuſtuli. Affectibus *Spaſtico-arthriticis* ex propria fonte erat ſuccurrendum. Sic in *hemicrania* chronica, *malo iſchiadico*, *podagra antorgaſtica*, *digeſtiva*, *diapnoica*, *antiſpaſmodica* majorem opem ferebant, quam ab ullo alio remedio expectari poteſt. In arthritide *fixa* cum *tumore* manus hæc quidem non ſufficiebant; ſed pulvis ex *ſale cichor. fecul. ari. pulv. hepat. rubr.* atque *diagryd. Sulphurat.* paratus, laudatis *interpoſitus* fere punctum tulit, cujus hinc uſum, quo uſque penitus remiſit dolor, continuavimus. Occurrebant etiam in *adulta* virgine plethorica motus *convulſivi* contumaciores, durantes per *triduum*, artuſque adeo torquentes, ut in *luxationem* cubiti inciderit. In *cauſam* mali inquirens animadverti, eoſdem ſine *manifeſta* cauſa fuiſſe enatos, neque unquam, ſi *convulſiones* ob *terrorem* poſt *morſum* canis in Juventute perceptas excipias, ab eadem antea perpeſſos. Remedium præcipuum ac præſentiſſimum fuit pulviſculus ex *matr. perl. præp. antim. diaph. nitr. dep. lumbric. terrpræp.* atque *cinnab.* conſtans, quem aliis non juvantibus exhibui, eumque deinde, applicato quoque *clyſtere* repetii. Nec defuerunt febres *malignæ*, acutæ, interdum ſub *continentis*, interdum ſub ſchemate *continuæ* apparentes. Quam plurimæ fuere *exanthematicæ*. Sæpe complicabatur *purpura rubra*, in primis in *infantibus*, ſæpe *petechias* emittebat hæc febris. Atque *petechialis* denuo duabus perſonis, quod *purgans* aſſumpſerint, *a vino* non abſtinuerint, *diapnoen* neglexerint, *tremoribus* totius corporis, *vigiliis* perpetuis, *deliriis* furioſis ſeſe repræſentans, funeſta erat. Alios affecit ſine *exanthematibus*, quod cum *catarrhales*, tum *dyſentericæ* ſub finem *Septembris* invaleſcentes ſatis ſuperque probat. Quædam jam in *principio* dyſenteriæ *menſes*, expertæ ſunt, in quibus *pilulas Sthal.* ſubjunctis *ſpec. de hyacinth.* atque *corall. rubr. præp.* cum ſucceſſu adhibui. Taceo *quotidianam*, *tertianam duplicatam*, *iſchuriam* graviſſimam V. S. in pede decreſcentem, *diarrhœam* torminoſam poſt iram *nitroſis* atque *præcipitantibus* victam, alioſque *morbos* his menſibus ſeſe offerentes. *Octobris* initium *ſerenum*, utcunque *placidum* fuit, *progreſſus* ad *finem* uſque *nebulis*, *pluviis*, *nivibus*, *grandinibus* conſpicuus, *humido frigidus*. Totus *Novemb.* aut *nebuloſus*, aut *pluvioſus*, aut *ventoſus*, aut *nivoſus* erat, adeo, ut eodem menſe neque *quatuor* dies *tranquilli* & *ſereni* numerari potuerint, neque *frigida* atque *humida* tempeſtas unquam minuta ſit. Quamvis autem & *December pluvioſus* camparuerit, *tepens* tamen atque æſtatis ſimillima tempeſtas eidem jungebatur, quam vix per IV. dies ſtantem excipiebat alia multum *diverſa*. Sequebatur enim *ventoſa*, *nivoſa*, *rigidior*, quam ullo, quod memini tempore, *frigori* acriori die XX. atque XXI. obortis *pluviis* quidem remittente, ſed XXIII. majori vehementia cum *Aquilone* atque *nivibus* redeunte. Sicuti vero *priores* Octobris dies, tam ob cælum *ſplendore* plenum in *Palatinatu*, quam ob *ſiccitatem* in Ducatu *Montano*, ac *Dreſdæ calidiores* quoque fuiſſe intelligimus: ita & *ſequentes* atque *poſtremos* jam *venti* rigidiores *Venetiis*, in *Hiſpania*, jam *pluviæ* non interruptæ circa *Scaphuſiam*, in *agro Bononienſi*, Ducatu *Guardiſtallenſi*, inſula *Junonis*, aliis provinciis *Hiſpaniæ*, *Cameneciæ*, jam *nives Holmiæ*, *Petropoli*, in Ducatu *Novogardiæ inferioris*, *Cameneciæque* humido-frigidiores reddebant. Atque hæc, *frigida* ſcilicet, atque *humida* tempeſtas, dum ob *ventos* circa *Portum oſtium*, *Dublinum* violentiores, tum ob *pluvias* in *Palatinatu*, *Coloniæ*, *Bruxellis*, *Lutetiæ Pariſiorum*, *Romæ*, *Genovæ*, *Calpe* copioſiores; tum ob *glaciem*, *niveſque* in *Moſcovia*, *Polonia*, *Suecia*, recurrente *placidiori* aere ſolutas per omnem *Novembrem* continuabat. Denique & *Decembr.* aura *temperatiori*, *pulviis* frequentioribus ſtipata, *Batavis*, *Gallis*, *Germanis*, *Polonis*, aliiſque illuxit, tantumque abeſt, ut talis permanſerit, ut potius *turbidus* ſucceſſerit. Teſtes ſunt non modo *venti* vehementiores *Romæ*, *Liburni*, *Venetiis*, *Neapoli*, in *Lacu Lemano*, *Maclopoli*, *Rupellæ*, *Hanoveræ*, *Coloniæ Agrippinæ*, in *Franconia*, *Hafniæ*, in mari *Balthico* ſeſe exerentes, verum etiam *nives* cum acerbiſſimo *gelu* in *Moſcovia*, *Polonia*, *Suecia*, *Holſatia*, *Saxonia*, *Gallia*, *Helvetia*, *Hiſpania*, *Baviera* invaleſcentes: Remiſit quidem *frigus* in *Bavaria*, *Polonia*, aliiſque regionibus per paucos dies, mox tamen rediit *intenſiſſimum*, cum omni tempeſtatum inſolitarum, *nivium* & *ventorum*, genere. *Autumno* nunc *arthritis Londini* increſcebat, nunc *podagra Romæ*, *Mediolani*, *Genovæ*, *Lutetiæ Pariſiorum*, in *Batavia*, *Berolini* affligebat. *Romæ* eodem tempore *pleuritides*, *peripneumoniæ*, *anginæ*, aliæque febres *inflammatoriæ* frequentes erant. *Malignæ* & in *Palatinatu* inferiori, & in agro *Lunenſi*, & *Genovæ*, & in inſula *Junonis* in homines ſæviebant. Non defendam eaſdem vel *claſſicula Hiſpanorum præſidiaria* mediante ex *America* in locum poſteriorem fuiſſe delatas, vel ex *fonte* quodam impuriori ortum ſumſiſſe, hoc ſaltim addam, has modo *continentis* Schema, modo indolem *continuæ* exhibuiſſe, cutem aliquando *maculis*, aliquando *nullis* fuiſſe interſtinctam, ut de *duplicatis* in quibuſdam perſpectis nil adducam. *Variolæ Coloniæ Ubiorum*, *Londini*, *Lutetiæ Pariſiorum*, *Verſaliis*, circa *Autricum Carnutum*, in *Lunæ Villa*, in *Hiſpania* regnantes, ſi morbos reliquos non exuperabant, numero tamen æquabant. Neque *peſtis* in *Podolia*, *Volhynia*, *Moldavia* decreſcebat, neque lues *pecora* occupans remittebat; ſed latius ſerpendo & eundo tantas acquiſivit vires, ut eorum quantitatem maximam in *Bohemia*, circa *Poſonium*, *Zamnoſcii*, in *Lithuania*, *Marchia Brandemburgica*, verſus Ducatum *Magdeburgicum*, aliiſque in locis *Saxoniæ* e medio ſuſtulerit, cui malo in poſtremis regionibus multum favebant miaſmata putredinoſa a *cicadis* relicta. Cæterum præter *paralyſes*, *apoplexias Romæ*, *Mediolani*, *Cernæ*, *Lutetiæ Pariſiorum*, *Hamburgi* ſeſe ſiſtentes, nil memoratu dignum mihi occurrit. Iiſdem menſibus Virgo quædam Viennenſis poſt V. S. ob menſes *parciores* in *pede* inſtitutam, *crocique eſſentiam* adhibitam, fluxum menſium *nimium* incurrit, quem *adſtringentibus* ab ordinario præſcriptis expugnare per vij. Septimanas, ſed fruſtra erat conata: hic ego ad repetitum *antorgaſticorum* uſum confugi, neque pœnitenda opera, quandiu enim iſta propinarentur, ſatis recte habuit, ſed cum his *moderaretur* tantum fluxus, non *tolleretur*, V. S. in *manu* ſuaſi; qua celebrata ſine *antorgaſticorum* præſidio omnino convaleſcebat. In aliis *rheumaticos* decubitus verſus *faciem*, in aliis *otalgiam*, in alia poſt *refrigerationem*, atque aliqualem *lachrymarum* ſuppreſſionem *odontalgiam* vidimus; in alio *puero* ob neglectam *diapnoen* diu *purpuram* perpeſſo ſeſe offerebat *cheilocace*, ſive labroſulcium, cum exulceratione labii ſuperioris oris gravius, ac quaſi *hæreditarium*, alii *coryza*, *angina*, *tuſſibus* laborabant; in aliis affectus *ſpaſtico-arthritici*, *digeſtivo-diapnoico-antiſpaſticis* ſublati invaleſcebant. Innumeræ quoque hinc inde ſpargebantur febres, *inflammatoriæ*, *malignæ*, *catarrhales*, *exanthematicæ*, *intermittentes*, *tertianæ*, aliæ: ſed præ omnibus *purpuræ albæ*. Invadebat enim non tantum *infantes*, maturius in febre *ſcarlatinæ* menſe *Junio* aeri liberiori commiſſos, ſed & *adultos*. Sequiorem *ſexum* duplo gravius afficiebat. Sic affectum *hyſterici*, *animi abjectio*, *ardor* atque *anxietas cordis*, *cephalalgia*, *vigiliæ*, *deliria* uſque ad XVI. diem continuantia in Juvene quadam Domina *purpuræ albæ* ſuperveniebant, quibus ſeſe excretio *critica* partim per *ſudorem* die vij. apparentem, partim per *hæmorrhagiam narium* largiorem XIV. obortam, ſequentibus XVI. etiam *menſibus*, adjunxit, ut & *exanthematum* eruptio XI. & XVIII. *ſecunda* vice cum levamine ſeſe prodens. Duæ ex *puerperis* hac febre laborantes meam implorarunt opem, quarum alteri *camphorata myrrhata*, ſimiliaque interne dederunt, alteri tincturas *ſpirituoſiores* præſcripſere Medici. Etſi vero *calidiora* utrique diſſuaſerim, atque ob vigilias & deliria, *temperatiora* laudaverim, tantum tamen abfuit, ut id ipſum in *priori* obſervatum fuerit, ut potius maſſam humorum *commoventia* repetierint, ſicque imperite tractata, nulla de *ſiti*, nullo de *dolore* conquerens, urina etiam *naturali* fere exiſtente, die XI. ſublata ſit. Poſterior, quæ non modo *ſpongioſioris* atque *plethorici* habitus erat, verum etiam ante annum cum ſub *initium* geſtationis menſes *continuos*, tum *medio* tempore *fluorem album*, tum vij. menſe *abortum* experta eſt, hoc gravius decumbebat, quod & in *abortum* denuo abſque cauſa *manifeſta* inciderit, *duabus* ſimul *molis* ſecedentibus, & ob violentiorem *ſecundinarum* diutius remanentium extractionem debilitates *ſyncopticas* ſenſerit, & die viij. *ſudore* præſentem aerem *liberiorem* admiſerit, & viij. *exanthematibus* jam prodeuntibus *enematis* injectio facta fuerit, & ob neglectam *diapnoen*, dum ſurgeret maturius, atque *purpura* ſub blando *udore* ſenſim evaneſcente, *rheumatiſmo* pedis ſumme dolorifico tentata ſit. Serio hinc imperavi, ut ſub continentia tranquilla regimen *diapnoicum* ſibi commendatum haberet. *Variolæ* copioſiores, *ordinariis* quidem *majores*, atque ſub initium *pellucidæ*; deinde tamen ad ambitum *inflammatæ*, juncta febre exquiſita, vigiliis, deliriis *ſuppuraſcentes* æque, ac die XIV. *exiccatæ*, decidenteſque cum ſolutione mali ſub blanda *diapnœæ*, urinæque *turbatione* viſebantur in filia jam adultiori, cujus in fratre mitiorem vim morbi animadverti. Nil dicam de *pleuritide* in Juvene vij. die ſudori cedente. Neque vel *cachexia* cum *nodis* atque *abſceſſu* mammæ in *puerpera* a *purgantibus* fortioribus, ſuaſu barbitonſoris aſſumptis aucta, *digeſtivo*, *diapnoico antiſpaſticis* autem a me ordinatis, ſub copioſiori *ſudore*, copioſiorique *urinæ* excretione ſucceſſive penitus diſparente, vel de aliis morbis *ſporadicis* quicquam adducam. Hoc ſaltim addam, *mortuorum* numerum, ſicuti *Londini* 26761. *Amſtelodami* 8911. *Brunſvici* 1233. *Licaoniæ* 400. *Berolini* 2691. *Wittembergæ* 260. *Dreſdæ* 1740. attigerat, ita *Viennæ* ad 8493. ſeſe extendiſſe. Sufficiat hæc de conſtitutione *epidemica* hujus *anni* fideliter, prout & in alieno, & in mea praxi occurrebant, annotaſſe.

Dn.

Dn. D. CAROLI RICHA,

Philoſ. & Med. Doct.

Conſtitutio Epidemica Taurinenſis Anni 1728.

I. HUmanum Corpus variis paſſim advenientibus impreſſionibus excipiendis aptum, variis idem malis affici notum eſt, quæ quidem modo ab occulta aeris diatheſi ortum habent, modo intime profecta a variis fermentationum generibus, vel etiam putrefactionibus humorum, ut ajunt, ſeu rectius ab alterato fluidarum cum ſolidis partibus æquilibrio ad cujus legem mechanicis præceptis illud idem comparatum eſt, ſubnaſcuntur. Hinc multiplex morborum cohors ab omni ævo terris incubuit, ſeu ab hac, vel illa peculiari corporum particularium anomalia, ſeu a cauſa magis generali producantur; Hoſce poſtremos proprie *Epidemicos* dicimus, vel indiſcriminatim, nulloque ſervato ordine homines invadant, vel continua quadam ſerie, ceu facto circulo ſe ſe invicem excipiant, ſtatiſque temporibus oriantur.

II. Si quibus autem in morbis *divinum* illud ab Hippocrate proditum elucet; id ſane in epidemicis cernere eſt, quorum cauſam rectiſſime venerandus idem ſenex in anni tempora rejicit, quæ prout conſtitutionem ſuam naturalem ſervaverint, vel ab ea receſſerint, ſanum, vel ægrotum corpus efficiunt, variaſque ægritudines producunt. Nihil ſane quicquam animum univerſæ, qua patet, Medicinæ pomœria perluſtranrem tanta admiratione percellit, quam diſcolor illa, & plane ſui diſſimilis iſtiuſmodi morborum facies, rum qua varias ejuſdem anni tempeſtates, tum qua diſcrepantes diverſorum ab invicem annorum conſtitutiones referunr, ab iiſque dependent; ut vere *divinum* quid dixeris ineſſe iis, qui immerito *divino* laudis honore celebrandos, qui occultam illam, atque inexplicabilem aeris influentiam, unaque ſimul deſævientes morbos ſcite norunt expendere, ac prænunciare.

III. Atque id quidem rite aſſequi res eſt multi otii, ac ſumme ardua; Opus utique vere magnum, cui fortaſſe unius Medici ætas non ſuffecerit. Diu namque, ut ut improbus, exantlandus labor eſt, antequam nos aliquid memoratu dignum in hocce fodiendo Iſthmo, inque tam multifaria horum morborum ſerie extricanda præſtitiſſe jure poſſimus gloriari. Neque is ego ſum, qui me in his, quæ jam trado, omnem abſolviſſe numerum credam: Novi enim *quo ex lute mihi finxerit præcordia Titan*; *Quamve ſit mihi curta ſupellex*. Saris erir ad laudem inchoaſſe telam quove pacto ſe res habuit nuper, quod ad hanc ſcilicet, in qua degimus, Urbem, ejuſdem agrum perrinet, enarrare.

IV. Quod ut ego felici calamo aſſequi pergam, ac dilucide, quantum fieri poteſt, quotannis proſequi, ac illuſtrare; conſentaneum duxi, quæ propria ac ſua ſit hujuſce Cœli natura, quidve in hoc, quem premimus, Agro laudandum, quid culpandum ſit, antequam ad alia progrediar, paucis exponere. Mea etenim, immo Hippocratis ſententia, id ſcitu maxime eſt neceſſarium, nemoque Cinicorum alicubi eſſe poteſt, vel mediocri fama celebratus, quin ante omnia locorum, in quibus ſe velit exercere, cum poſitiones, ac ventos, tum aquas, & cæteras aeris, & alimenrorum qualitates (quæ Urbium Cœlum conſtituere videntur) probe cognoverit.

V. Eaque quidem omnia ad commendationem Taurini agri concurrunt. Enim vero Taurinorum Auguſta, ſi modo ejuſdem poſitionem ſpectemus, mirabili certe vel caſu, vel conſilio haud longe ab Alpium radicibus in amœna planitie excitata fuit ad lævam Eridani Fluviorum Regis, *nulli amnium*, ut Plinius ait, *claritate inferioris*. Hinc lætiſſimi Colles, qua Orientem adſpicit, trans Padum nitidiſſimo proſpectu conſurgunt oppoſiram imminentibus Alpium ad occaſum Solis faſtigiis faciem præbentes; Hinc effuſiſſimus ager, qua Boream, ac Meridiem ſpectar, protenditur, quem *Taurinates campos* vocat Anonymus in Panegyrico ad Conſtantinum; *Taurinos* ego potius dixerim elegantiore vocabulo, quo quidem uſus eſt Prolomæus, Tacitus, Plinius, & alii quamplures. Sic etiam Taurini Populi dicti ſunt, qui antiqua Ligurum ſtirpe huc primi confluxere.

VI. Iſque eſt Urbis, rum Agri conſpectus, vere, ſi fas eſt ita loqui, *Eliſius*: Ecquis enim haud videt ex tot hiſce inter ſe non diverſis modo, ſed quaſi contrariis locis, Collibus nempe Alpiumque cervicibus haud longe ab Urbe impendentibus, ampliſſimaque interjecta planitie mixtam veluti quandam ex omnibus, ac libratam Atmoſphæram conſurgere; fluidumque aera, quem a Sole potiſſimum, Luna, ventiſque inæqualiter premirur, perenni motu agitatum, minimo illud negotio a finitimis Monribus in patentem planitiem, & vice verſa contendere, ſurſum illud prementibus, urgentibuſque partim domorum ignibus, partim æris campani pulſu, & diſcurrentium Civium miſcela.

VII. Sic vero præſertim comparata Urbs eſt, ut liberum habeat Soljs tum ortum, tum occaſum; qua nanque parte Orientem intuetur Solem, ita compoſiti ſunt interjecti Colles, ut ejus illa radiis nulla, vel exigua diei parte defraudetur; qua vero Occidentem adſpicit, diſſiræ Alpes, fere ſexto ab ipſa lapide, Occidui morientis Solis aſpectum nullimode inhibent; quinimmo radios quoquo modo reflectendo, ac declinando hilarem, lætiſſimumque veſpera incolis ferunt.

VIII. Inſuper præſtant modo dictæ Alpes, quod excelſis illis, quibus eminent, cervicibus, lenes, miteſque occidentales ventos, quos cærerum imperuoſos maxime, ac inſalubres potiſſimum Gallis occidentalibus novimus, lenes inquam, miteſque Subalpinis ferant, ea quidem ratione, quod uberrimam illam, ſi quid ego hic judico, vaporum aquoſorum copiam, quam hi ſecum ex Oceano Atlantico vehunt, magna ex parte per vaſtiſſimum totius Galliæ occidentalis tractum dimiſerunt, rum ſi quid adhuc retinent, antequam alpes pervadant, deponunt, quo ſcilicet dein lenes ii, ac temperati Subalpinas haſce Regiones benigno afflatu recreent.

IX. Quod vero orienrales ventos attinet, hoſce libere per univerſum Agrum Pedemontanum perflare ſinunt exarati Colles ad Orientalem Urbis plagam compoſiti: nec humiles nimis, nec elati; ita tamen diſpoſiti, ut nonniſi puriſſimum ætherem, leniterque retuſum, ac mitigatum ad nos prima luce appellere permittant, perque patentes campos diſcurrere.

X. Neque diffiteor haud adeo inſenſum nobis fore Boream, atque illi oppoſitum Auſtrum, ſi quid opportune illis opponeretur; quod medium veluti libramentum eorundem vim frangeret, ac temperarer. Cum vero libere hi tum a Septentrionali nivibus obſita, tum a Meridionali vaporibus aquoſis divite plaga, nullo interjecto obice diſcurrant; furenres inde, ac debacchantes ſæviſſimo plerumque flamine Incolas verberant, vel eo maxime, quod aſſurgentes utrinque montes, aperrum iis campum, ac quendam veluti alveum, quo mare ſæviant, præbenr. Longe vero Meridionali inferior Boreas eſt, quod ille inquinamenta, quæ ſecum vehit, medio quaſi in itinere, antequam in obviam illi planitiem illabatur, interjacentibus maritimis Alpibus, quæ a meridie imminent, ac Nicienſem ditionem a Pedemontio diſterminant, dimittere cogatur aliquando. Boreas vero e Montibus glacie, nivibuſque tectis ſponte ruens ſubjectos campos pervadit, libereque furens non modo aerem valde condenſatum, & compreſſum adducit, ſed & minuta corpora nitroſa non parum infenſa ſecum advehir, erodendi, irritandique facultare prædita, quod aperte quidem ipſamet oſtendunr ædificia, quæ cum maxime inveteraſcunt, adverſa Septentrioni facie, non leves corroſionis notas præ ſe ferunt. Equidem, ut rem omnem in pauca contraham, ex hiſce omnibus ventis, quibus Taurinus Ager perflatur, neminem agnoſcimus Orientalibus ſalubriorem, neminem inſuper infenſiorem Borea, atque Auſtro, infenſoſque denique minus, ac forte eriam ſalubres, cum maxime moderate flaverint, Occidentales didicimus.

XI. Plures vero fluentes aquæ uberi gurgite hoſce campos alluunt, haud exigua incolarum felicitate; Hinc rivulos pene innumeros cernere eſt per univerſum agrum longe, lateque eximia, nec unquam ſatis laudata Colonorum induſtria diſſeminatos, qui rurſus dein una omnes in unum, alterumque amnem, majoremque alveum excurrunt. Hoſce inter amnes aquis, tum munere præclariores ſunt Padus, ac Duria; Ille e gremio Veſuli montis celſiſſimum in cacumen elati, finibus Ligurum Vagiennorum, viſendo fonte profluens, condenſque ſe ſe cuniculo, mox in Forobivienſium agro iterum exoriens, placidiſſimo motu, qua præſertim aprici colles eminent, juxta Urbis mœnia præterlabitur; ultroque dein pergens mutato itinere Orientem verſus excurrit, quo randem aquis dives in Adriaticum mare tergeminis oſtiis ſeſe exoneret. Hæc ex Alpibus Cottiis præcipiti tramite decurrens altero ſui alveo Pado adfunditur, altero in rivos diviſo per Urbis ſemitas ſalubriter devolvitur, immunditiarum faciem, impurum ſpiritum, & cauſas gravioris Cœli ſecum una removens, auferenſque.

XII. Sunt enim Alpes ita diſpoſitæ, ac comparatæ, ut ſi quo in loco, hic ſane admirabilem luſum excelſis earundem cervicibus præbeant, uberesque effundant in ſubjectam planitiem aquarum larices ex intimo earumdem gremio proſilientium, perque tot anfractus, ac mœandros læto, gratoque murmure decurrentium. Hinc ſoli bonitas aliis longe telluribus, quæ clementiſſimo Cœlo gaudent, profecto non inferioris. Hinc frugum omnium, ac rerum proventus uberrimus, nullo non tempore, parvo etiam pretio copioſa tellure ſalutarem incolis, ac hoſpitibus victum largiter ſubminiſtrante. Hinc benigna aeris nativa indoles, quod caput eſt maximum, potiſſimum repetenda; Sicuti enim ſecundum Theophraſti (a) axioma, *talis aſt aqua, qualis eſt terra, per quam ipſa percolatur*. Ita quoque, me judice, plurimum una ſimul conſpirant, atque invicem juvantur, lædunturque, aer, & aqua; nihilque adeo magis, quem ſcilicet ceu immenſum quaſi ſpongiam minutiſſimorum corporum, quæ a terraqueo orbe, perenni tum externo molimine excitantur, concipimus, puritatem, bonitatemque, ac locorum proinde felicitatem, atque incolumitatem conducir, quam dulces, probatæque aquæ ſuos per alveos, & canales libere excurrentes.

XIII. Ecquis vero lymphas, tum quæ ex intimis Alpium anfractibus ſcaturiunt, tum quæ ſponte ubique in univerſo agro proſiliunr, tot inquam inſonres lymphas crimine, aut malitia culpaverit, quarum bonitatem certiſſimo argumento, præter ſpargiricam analyſin, longa diu experientia, probatuſque apud incolas uſus teſtarur? Quis limpidiſſimos ubique orientes fontes criminabitur, ad quorum quamplures, tanquam ad ſacras Thermas concurrere ægros novimus, eorumque auxilio diuturnis ipſos malis evadere? Quis puteales ipſas, quæ rum in Urbe, tum in finitimis Oppidis paſſim proſtant, aquas vitio redarguerir, quas, aut ſaltem pleraſque, longo uſu, optimas eſſe didicimus? Quod enim harum pleræque putidæ alicubi reperiantur, malum hoc acceptum referendum eſt non lympharum venulis, ſed modo corporibus facile putreſcentibus, quæ in pureos ipſos præcipitata ſunt, modo nimiæ quieti earundem putealium aquarum, modo randem, quod frequenter accidit, Architectorum imperitiæ, qui puteos cavant juxta latrinas, aut cloacas, quarum ſepulta lues inſontes aquas contemerat.

XIV. Scio quidem fluviales maxime, non omnino inſontes haberi, utpote quæ exoticis particulis, cum præſertim nives æſtivis menſibus liqueſcunt, inquinatæ ſunt. Atqui adventitia hæc labes hujuſmodi aquarum eſt, quam facili ego aliquando marte diluam peculiari quodam, quem mihi olim elaborandum conſtitui, tractatu, *de morbis endemiis*, *ſeu de Medicina domeſtica Subalpinorum*; In quo quidem rractatu tum nativas, rum adventitias hujuſce, in quo degimus, Cœli qualitates fuſius, ac elaboratius exponam, tum, quæ præcipua res erit, naturalem Pedemontani agri hiſtoriam a nemine, quod ſciam, tentaram adhuc, atque ab amicis diu expetitam, accurato, quantum fieri poterit, ſtylo perſequar. Hæc interim ſatis erunt impræſentiarum pro ea, quam modo aggredior, felicique omine proſequi in dies cogito exornanda Provincia. Manus iraque ad Tabulam.

XV. Utique ab ante acti anni 1719. exiru, Hippocratis more, incipiam. Fervidiſſimam, ac pulverulentam æſtatem ficciſſimi veris, ac hyemis ſobolem, pluvioſus, ac lutulentus Autumnus excepit. Nulla ſcilicet viſa dies ab autumnali æquinoctio ad hyemale ſolſtitium uſque nubibus expers, ac læto Cœlo. Nec diu quidem ſe ſe prodere diſtulit morboſa proles ſub febrium larva nullo fere typo ſuborienrium, quæve morbilloſarum, ac varioloſarum indolem præ ſe ferebant, deliteſcens. Et ſane morbilli, qui præcedentibus annis totam pene Pedemontanam Regionem, longe, lateque infeſtarunt, jam fatiſcentes dein, variolis locum ceſſere, quæ ineunte æſtate ſubortæ, autumno maxime debacchatæ ſunt, deploranda tenellæ præſertim ætatis clade. Curioſum ſane erat, quo hæ pacto ab uno ad alterum finitimum oppidum migrabant, ac ſe ſe invicem excipie-

(a) *De cauſ. plant. lib. 6. cap. 3.*

piebant, perpendere, eundem ſcilicet quo antea morbilli apparuerant, ordinem ſervantes, ac morem, ingeniumque. Alpina namque loca ab hiſce primo, mox univerſus denique Pedemontanus ager funeſtatus eſt. Diceres ab Alpibus illas ad Subalpinas Urbes tranſiiſſe: unde demum facto velut agmine, ac impetu a finitimis regionibus ad magis diſſitas, a Subalpinis ad Inſubriam, ab Inſubria ad Mutinenſem agrum, ab hoc ad Romanum, totamque dein extremam uſque Italiam propagatæ ſunt. Quodque mirum magis eſt, ac conſiderandum maxime; quod lethale eſſe ſolet hiſce erumpentibus, nigroque propemodum lapillo ſignandum; id fere proficuum extitit, ac ſalutare: motus nempe per alvum ſpontaneus ab ipſo variolarum erumpentium exordio ad uſque ſupremum earumdem ſtadium perdurans, cujus beneficio haud paucos memini, jam pene Orco proximos, ex inſperato ſervatos. In quo quidem id ego potiſſimum didici, variolas nempe, cum maxime ſymptomatice, ut ajunt, erumpunt, alio utique more curari, tum judicari, ac illas, quæ eſſentialiter ſe ſe produnt.

Variolarum Claſſi merito adnumerabantur putridæ febres, variolosæ, inflammatoriæ, ut ſubinnuimus, & hujuſmodi aliæ, quæ æſtivis menſibus ſuboriri cœperant, ac tum forte cudebantur, ſubſequenti poſtmodum Autumno, ac Hyeme erupturæ. Hiſce ſe ſe addidere comites Pleuritides ſpuriæ, Ophthalmiæ, Anginæ, Dyſenteriæ, Stranguriæ, atque hiſce affinium morborum prolixa Cohors, quorum una ſimul atque eadem omnium origo eſt; unum, idemque incrementum.

XVI. Atqui deſiit tandem, accedente hiberno ſolſtitio, pluvioſa Autumni conſtitutio, lætioremque temporum indolem prænunciare viſus eſt novus oriens Annus (1720.) ſereno, mitique adeo Cælo, ut medio fere Januario Veris exordia præludere jam tum cœperint, Occidentalibus ventis præmature ſpirantibus, quibus æquo pede identidem præter morem Auſtrales ſuccedebant. Quis ægrorum ſtatus in illa vere inſolenti conditione temporum fuerit? Quid inde ſubſequenti æquinoctio pertimeſcendum maxime, facile is conjicere poterit, qui quod Hippocrates ipſe in hujuſmodi (*a*) inordinatis temporum vicibus portendit, plane didicerit? Et ſane vix a pluvioſa ad ſicciſſimam rurſus vergere viſa eſt temporum conſtitutio; ut illico putridas febres in petechiales, ac male moratas illis affines, ac conſanguineas evadere adnotavimus, ſenſim evaneſcentibus variolis, nigramque facem exaratis petechialibus, ac mali moris febribus, quæ de die in diem invaleſcebant, tradentibus. In hac poſtrema variolarum ſcena adultos maxime correptos vidimus, ſecus ac cum primitus apparere illæ cœperant, primævos tunc flores tantum, tenelloſque infantes adortæ.

XVII. Quæ igitur ineunte Januario exoriri cœperant malignæ febres, eædem, appropinquante Vere, quam immaniſſime debacchabantur, ac velut rupto aggere torrens longe, lateque per univerſa quæque Subalpina Oppida crudeli more deſæviebant. Addiderant hiſce vim, atque robur ingens in illa ſiccitate temporum, in quam ex pluvioſo Autumno inauſpicato incidimus, hiſcentes ab Auſtralibus oris aſſidui flatus, inſeſti quantum! Præluſerant hiſce quoque denſo agmine morbilli, ac ſuccedentes variolæ, quæ ſuperioribus annis, ac præcipue exacta nuper æſtate, maximam infantium cladem edidere. Facile hinc conjicere erat iis potiſſimum vexatos iri labente anno Subalpinos Incolas, ni quæ impendebant mala averterent Superi, miſeraſque terras defenderent. Auditum tunc quoque eſt Romæ hujuſmodi febres, tum anginas, ac pleuritides deſævire, quæ multa hominum millia utriuſque ſexus, & omnis ætatis, ac dignitatis interfecere. Quod ego quidem non abſque ingenti animi dolore meminiſſe videor, cum præclariſſimum, & amiciſſimum virum *Joannem Mariam Lancifium*, Summi Pontificis nuper quoque dum hæc ego ſcriberem, in Cælum elati Archiatrum, & Cubicularium intimum, de re medica, ac litteraria optime meritum, cui ego plurimum debeo, in luctuoſiſſima illa rerum ſcena e vivis ſublatum, & adhuc lugeam, & mecum una lugeat univerſa Litteratorum Reſpublica. Mylis quoque in Sicilia, haud abſimiles morbos jam tum ſuperiori Æſtate, Autumnoque extuliſſe caput, inque dies ingraveſcere magis, ingenti millitum tum Hiſpanorum, cum Germanorum, ac Incolarum funere audivimus.

XVIII. Exaratis febribus ſpaſmodici pectoris affectus, ſub ipſum Æquinoctium, ac diu adhuc poſt ipſum conſociabantur; ſæviſſimoque inito fœdere, auctis veluti viribus, juniores maxime, ac robuſtiores auſi ſunt laceſſere, inque Libitinæ cenſum deducere. Hiſce quoque Comites aderant, ſubque iis merebantur Ignes ſacri, anginæ, arthritides, eryſipelata, & alia id genus mala, quæ quidem eo magis recrudeſcere, quo parcius ſæviebant exaratæ febres, ac ſpaſmodici pectoris affectus, fatiſcere rurſus, ac cedere, quo immaniter magis illis increbreſcebant, ac ita viciſſim reciprocantibus imperiis ludere pluries obſervavimus. Qui vero chronicis morbis, ac tabe potiſſimum, ne quidquid ad hiſtoricam morborum narrationem deſit, jam diu conflictabantur, hoſce initio Veris ex omni prorſus ſpe decidere, adque interitum properare celerius forte, quam par erat, adnotavimus; Quin inſuper multis de tabe in dubium venientibus, ipſa tunc eſt confirmata, atque haud ſcio ſi quis ex iis etiam modico tempore ſuperfuit.

XIX. Iſque fuit Auſtrinus hyemis ſtatus. Raro ſcilicet, aut numquam *Boreæ penetrabile frigus* perſenſimus, quin inſuper nivali vellere defraudata terra, ea ſaltem quantitate, quæ noſtro huic Cælo congrueret, metus aderat, ne parum inde frugifera futura meſſis evaderet. Solabatur tamen annorum antecedentium felix ubertas, ut venturis temporibus proviſa ſufficerent. Equidem exarati affectus, ſi modo Arthritides excipias, quæ quoque ſatis apte ad vernales morbos referri queunt, exarati inquam affectus Veris potius, quam Hyemis ingenium redolebant. Et revera non aliunde excitatas, ac pene dixerim expergefactas, nova veluti prole ſoboleſcere crediderim præfatas affectiones, quibus tunc obruebamur, niſi ab Auſtrinis ſævientibus flatibus, atque hinc præter morem ſerena, ac Veris ſpeciem referente Hyeme, cui pluvioſus Autumnus poſt ingentem illam temporum ſiccitatem prægreſſus fuerat. Hinc enim præludente, præmaturo afflatu, vere, ut vegetantia quæque in agris, ita & humani corporis liquida inteſtino motu fermenteſcere cœperunt magis, ac agitari.

XX. Cum vero impar incœpto abſolvendo muneri, ac minus congrua foret liquidorum maſſa, tum ob alternantium ventorum indolem, qui plerumque humidi, mox ſicci iterum perflantes, modo in motum data liquida ciere magis, modo illa cohibere, ac minus apta ſuſcepto muneri reddere videbantur, leviorem modo, mox graviorem aera, ac condenſatum magis adducendo; tum ob particularum ſanguinis ſpirituoſiorem præconceptam, ante acta potiſſimum æſtate, ac vere, Phlogoſim, cujus veluti proludia extiterant deſævientes morbilli, atque iis affines variolæ, impendentium jam tum malignarum febrium præſagia, ac incrementa; tum denique ob pluvioſam Autumni habitudinem, morborum parentis, omnium Medicorum ore feraciſſimi; evidens eſt ad minimum adauctum momentum motus, quod reliquum erat balſamici, ut mea fert opinio, oleoſi, aquoſi, ac dulcis plus juſto, diſſipatum iri, tum multigenos dein intra prædiſpoſita civium corpora collectos Sales acres; erodentis, abſque Autumni pluviis in fluorem evectos, ac recens ab Auſtro ulterius fuſos, accedente noviſſima quacumque cauſa, tum maxime exoticorum quorumdam miſcela principiorum, vincula quæque diſciſſuros obvia, hinc turbata ſolidarum partium reſiſtentia, univerſam humorum maſſam, forte minus, quam par erat, ſibi invicem hærentem, quam citiſſime fermentativarum particularum præſentia diſſolvi. Ea namque eſt unius fluidi ad alterum æquilibrii ratio, ut unum veluti ab altero pendeat, eaque viciſſim inter ſe una ſimul conſpirent, ac ludant. Ubi vero quid infenſum evenit, tamque pulchre inter ſe invicem comparatæ partes non eam amplius obſervant æquilibrii legem, tunc univerſam penitus maſſam inteſtino, ac pene dixerim, civili bello perfractam, ni quam primum periclitanti, ubi forte defecerit, naturæ opem præbeat ars, obeundis functionibus imparem evadere, ac tandem collabi penitus neneſſe eſt.

XXI. Quod quidem conceſſum tum exoticis, tum indigenis fermentativis particulis iraſcendi imperium, ingeniumque, evidenter, ac præclare ſatis, tum quæ potiſſimum graſſabatur febris, tum quæ paſſim ſub illius exortu, ac incremento ſeſe prodiderant phænomena, oſtendebant. Enim vero quotquot ægrotare cœperant, hoſce, pleroſque ſalrem, febris indefinenter fere, nulla quidem conſpicua, & peculiari acceſſione ſæviſſime divexabat, quouſque ſcilicet maculis purpureis conſperſa, ac fœdata cutis emergeret, aut quidquid aliud præludens præſentaneum interitum prænunciaret; afficiebantur autem potiſſimum Menynges, aut Septum tranſverſum, aut Hepar, iiſque finitimæ partes. Multis primo inſultu rigor, ac horror ſupervenit, quemadmodum in frebribus intermittentibus videre eſt; ſæpe etiam intermittentis typum mentiebatur, ſubque illius larva ad ſeptimum fere diem, non nunquam ad undecimum uſque nec ultra ludere viſa febris, mox in malignam evadebat, qualis ab ipſo initio revera aderat, eo quidem magis lethalis, ac periculoſior, quo diutius latens, non juniores tantum, ſed ſenes, ac ſapientiores forte feſellit. Nec tamen ſeſe, ita prorſus abſcondi noverat illa unquam, quin aliquam ſubeſſe fraudem ſuſpicio, aut metus foret, quidve mali moris, ac re ipſa divinum vel intermiſſionis, vel vexationis die appareret; alii namque de immani capitis dolore, alii de ingenti æſtu, ac totius corporis laſſitudine conquerebantur. Quidam ſiticuloſi aderant, ac diu vigiles. Haud paucos gravis adeo ſopor, ut vix excitari potuerint, occupaverat; atque horum neminem ſervatum memini.

XXII. Ubi denique conſpergi, ac fœdari maculis cutis, aut principes partes periclitari videbantur, tum miteſcere febris, frangi, conſternarique vires, ſqualleſcere viſa facies laborantis, ac pene jam deficientis naturæ præludia, quæ nullo amplius revocari poterat Cardiaco, aut Alexipharmaco, qualicumque. Hæ vero peticulæ, ut plurimum quarta die, & ſeptima erumpebant; primo quidem in dorſo, collo, & pectore conſpicuæ, mox ad extremos uſque pedum ungues ſeſe expandentes; Obſervatumque paucos evaſiſſe, quibus primis diebus illæ apparuerunt. Miles, cui tertio morbi die maculæ illæ ingenti agmine proruperant, ſexto celerrime periit. Puella decennis Olitoris filia vehementiſſima febri cum horrore, ac frigore correpta fuit; ſtatim per exordia ſitis multa aderat, & incontinens corporis jactatio. Poſtridie peticulis pene lenticularibus tota viſa conſpergi cutis. Tertio parum ſinceri ſanguinis e naribus ſtillavit. Urinæ craſſæ, mox tenues, poſtremo nigræ. Dejectiones alvi bilioſæ, ſpumantes. Quarto deliravit. Quinto ſincerus iterum ſanguis e naribus effluxit. Sexto rigor febrilis rediit, multa, nigra, fœtida vomuit; ſub Solis occaſum mortua eſt.

Puellam alteram meminiſſe non ſine lacrymis lubet Uxoris meæ ſororem, hujuſmodi febri prehenſam, cum illi fluerent de more muliebria; eaque ad quartum uſque diem perdurarunt. Quinto nauſeabunda aderat, inſomnis, toto corpore dolens. Multa vomuit bilioſa, ac virulenta. Sexto ad meridiem, novus ſubortus eſt rigor extemplo; urinæ per initia tenues, poſtmodum craſſæ, rubræ, quæ in matula depoſitæ non ſubſidebant. Poſtridie ejus diei, quo ceſſarunt menſtrua, ingentes maculæ purpureæ in dorſo, pectore, & collo conſpiciebantur, quæ dein novo exorto rigore febris, penitus evanuerunt. Septimo verba cum delirio; ex alvo dejectiones bilioſæ, graveolentes; nox laborioſa, lentor dentium. Octavo remiſſa ſunt omnia. Nono maculæ iliæ denſiore examine rediere: crebra ſpiratio, ad Veſperam multum deliravit. Decimo interciſa, & deficiens reſpiratio, aurium ſurditas; circa meridiem valde deliravit, confeſtimque rurſus ad mentem rediit. Ex quo alvo irritata nihil feceſſit. Paulo poſt oborto ſtertore celeriter expiravit. Ætas erat annorum fere ſeptendecim.

Nec, diverſo prorſus more, duo Chirurgiæ ſtudioſi, in Regio SS. Mauritii, & Lazari Noſocomio degentes, quorum alteri ingens macularum examen ſecundo die, alteri quarto, apparuerat, defuncti ſunt; Prior quidem decimo; alter vero decimo quarto. Neutri conturbata alvus; irritata eadem pauca demiſit tenuja, bilioſa, mordacia; uterque diebus paribus gravius habebat. Alterum memini haud abſimili fato demortuum, cui prodire modo, mox regredi viſæ peticulæ ſunt ad plures vices. Hæ autem ſtatim ab initio confeſtim eruperant. Robuſtus erat, ac ætate florens. Univerſa corporis laſſitudine, & fractione, ut ipſe ajebat, conquerebatur. Sitibundus valde; Secundum, tertium, ac quartum diem eodem more tranſegit. Quinto exaſperata ſunt omnia, pauca, bilioſa, tenuia ex alvo reddidit. Urinæ impenſe rubræ, oculi ſcintillantes, ac lucidi. Sexto evanuerunt maculæ; nihil ab alvo dejecit, deliravit. Septimo convulſiones. Octavo vox obſcure ſe prodebat, extrema, frigida, livida, ſtillæ ſanguinis e naſo. Nono ad intelligentiam rediit, pauca dejecit nigra, graveolentia. Undecimo convulſiones

(a) *Lib. de aere, locis, & aquis.*

nes iterum viſæ, totaque maculis denno fœdata cuti. Decimo tertio vox pene defecit, Veſpere obiit. Juriſconſultum juxta D. Pauli ædem decumbentem febris acuta continua cum dolore lateris corripuit. Sitibundus admodum aderat, & pervigil; urinas reddit multas, turbulentas, albas, quæ nec depoſitæ ſubſidebant. Alvus commode habebat. Quinto die vehemens æſtuatio, & ſtomachi faſtidium adfuit. Potum continere minime valebat. Urinæ eædem, indiſtinctis, ac pene inconſpicuis maculis fœdata cutis. Sexto deliravit. Sub veſperam mitius ſe habuit, commota ſponte alvus, dormivit. Septimo multa ex alvo ſeceſſerunt ſponte, probæ indolis; urinæ copioſæ, concoctæ, in quibus multum ſubſidebat, profluxere; ſitis deſiit. Octavo motus ad alvum intermiſit; mens emota. Undecimo conturbata iterum alvo, febre liberatus, atque omnino judicatione abſolutus. Huic cum primum conturbari viſa fuit alvus, multus ex utraque nare ſanguis erupit.

XXIII. Profecto quoquot ab hac febri, fati ope, vel Medici, evaſere (haud paucos autem evaſiſſe memini,) hoſce utique omnes ſponte oborta ventris turbatio, eaque critice ad perfectam uſque judicationem recurrens, integre abſolvit. Sane neminem, quod ſancte profiteor, e vivis ſublatum vidi, quotquot is ſponte evenit ad alvum motus, cui copioſa plerumque ſanguinis e naribus, quandoque etiam ab hæmorrhoidalium venarum oſculis effuſio præludebat. Sudores, tum cæteræ quæque evacuationes, vel per urinam, vel per alias vias, per quas natura criſes ſuas moliri ſolet, vel ſuppreſſæ penitus, vel irritæ plerumque aderant, ac nihil decernentes; ſaltem vix quidquam ſperandum ab iis, quodve mirere magis, ſub ipſam peticularum ernptionem, earumque per totum corporis habitum effuſionem, ſæpe oborto ad alvum motu, haud paucos, quos prolixum nimis foret referre, ex inſperato, velut ab Orco revocatos vidimus, ac reſtitutos; Quod jam tum antea dæſevientibus ſuperiori æſtate, Autumnoque variolis obſervare contigit haud exiguo ægrorum numero, aſſidua ſponte oborta diarrhœa, mox ab ipſo variolarum exortu, aut incremento præter ſpem ſervato.

XXIV. Noxia ut plurimum venæ ſectio aderat, tum cætera quæque inſtituta remedia, ſi modo illa excipias, quæ collabentibus tuendis viribus, ne-ve ſanguinis compages penitus diſſiliret, inque pejus rueret, opportune occurrebant, cardiaca nempe grata aciditate præſtantia, aut acidis conſociata. Neque calidiora quæque quidquam præſtabant, niſi forſan hoc pacto *camino oleum*, ut fertur, addere; Fræno nanque magis, quam ſtimulo egebant humores jam ad orgaſmum proni, ac neſcii ſtare loco. Cunctando potius reſtituenda erat res, quam velis, & remis occurrendo. Ad humorum impetum compeſcendum egregie etiam præſtitit Peruvianus Cortex opportune adhibitus. Ejus enim præſidio plures vel integre ſunt reſtituti, vel ſi forte nonnulli recidivas paſſi ſunt, paulo poſt convaluere. Cæterum æque ac V. S. minus proſpere ceſſere veſicantia, ut quæ ſanguini ad fluorem apto habenas potius mitterent, quam coercerent.

XXV. Quod ſi ante quartum diem materies turgeret, primæque viæ, ut ajunt, cruditatibus, ac inquinamentis ſcaterent, Emetico prudenter adminiſtrato, ut blanda purgatione tempeſtive inſtituta, neque non ſolum ullam unquam noxam exinde profectam memini, ſed felicius inde educta humorum ſaburra in ſtomacho contenta, exanthemata apparere, collapſas vires reſtitui, naturam denique iſam ad perficiendum opus ſuum pro maſſæ ſanguineæ a pravo miaſmate expurgatione aptiorem conſurgere, validioremque effici, ac veluti ab interitu revocari, obſervavi.

XXVI. Equidem cum primum ſuboriri cœperant hæ mali moris febres; purgationes paſſim per exordia, ut mos eſt, a Medicis adhibebantur; ipſeque ego ab hujuſmodi methodo minime abhorrebam, vel ob id maxime, quod ventriculum impuritatibus oneratum, in pleriſque noveram, minimeque cunctandum in iis caſibus eſſe ſapienter Medicos admoneat (*a*) Hippocrates in aphoriſmis. Ubi vero prodire maculæ, totaque illis fœdari cutis videbatur, ſacro quodam metu percelli mihi animum, commoveri, perturbari ſenſeram, maximeque extimeſcere, ne forte retractis ad interna humoribus, omnia in pejus quam celerrime ruerent. Cum autem nihil inde noxæ proficiſci, quinimmo mitiora quæque evadere animadverterim, turbatoque leniter pleriſque ventre haud paucos hoc more ſervatos obſervaverim, ſecus ac illos, quibus, aut in principio neglectum fuerat, aut parum ſalutare creditum hujuſmodi auxilium, cunctis dein, modo tempeſtive, ac bono fato accerſitus fuerim, blandam purgationem, aut etiam robuſtioribus leve emeticum præſcripſi, læto perſæpe eventu; Cardiacis namque remediis, quibus oppugnanda aderat febris, tum Pernviano Cortici, ſi forte hunc etiam in ſubſidium acciri opus erat, reſerabantur fores, licebatque iis ſanguineam maſſam minime deturpata facie ſubire.

XXVII. Atque ob hanc forte cauſam celebriores Practici ſuſpecta conclamant alexipharmaca per initia febrium malignarum, niſi exonerato ab impuritatibus ſtomacho, primiſque viis ab obſtructionibus expeditis. Neque is tamen ego ſum, qui indiſcriminatim purganda eſſe corpora ſtatim ab initio contendam. Fieri nanque poterit, ut id genus auxilii, quod modo haud paucos revocavit ad vitam, necem alio tempore ægris inferat; quod maxime obſervandum eſſe docebat memoratus Hippocrates lib. 1. de morb. n. 1. & 2. *quæ ſcilicet bono per fortuitum ſucceſſum Medici agrotos curantes faciant.* Sæpe viſum eſt in febribus alvi profluvia noxia fore, mortemque inferre, quæ aliquando ſalutaria extitiſſe novimus. Idque eſt Epidecorum hujuſmodi morborum ingenium, ut qua methodo currente anno ægrotos liberaveris, eadem ipſa anno jam vertente forſitan e medio tolles. Sponte oborta hæmorrhagia pleroſque ſervatos. refert (*b*) Diemerbroech in Peſte Neomagenſi; Secus hanc olim lethalem experti ſunt Toloſates, ac Lugdunenſes. Ita ſcilicet ludunt morbi; Ingens proinde adhibenda cautela eſt, omnibuſque animi nervis contendendum Medico, quo tandem inveſtigato, ac perſpecto morbi genio ad eundem perdomandum recto pede, & intrepidus procedat.

XXVIII. Cæterum novum minime eſt per hujuſmodi febrium initia purgationes adhiberi; Id quoque olim proficuum experti ſunt Bollonius *lib.* 1. *Epid.* Septalius *caut. med. l.* 5. *n.* 47. Manardus Ferrarienſis 5. *Epiſt.* 3. & 13. *Epiſt.* 1. Victor Trincavellius, Gentilis Fulginas, & plerique alii; Morboſam Conſtitutionem huic noſtræ ſere ſimilem deſcribit Galenus, in qua ii facile ſanati ſunt, quibus (*c*) *præexſiccatum*, ſic ille inquit, *præpurgatumque corpus fuerit; quippe quod*, ait ille, *evomuerint ex iis nonnulli, & omnibus venter profluxerit*; Atque hinc quidem didicimus ſæpe in primis viis latere hoſtem, qui niſi *protinus* (*d*) ejiciatur e ſede, evellaturque, *quod alienum a natura eſt*, fruſtra tentabit Medicus in fine propellere. Forte etiam Subalpinis ob lautiorem victum major iis neceſſitas adeſt purgandi corpora per acutarum initia ægritudinum, quæ omnes præ cæteris ortum potiſſimum habent a ſtomacho. Didicimus inſuper exanthemata, ac excretiones quaſcunque, quæ in principio, vel augmento accidunt, nullas fere eſſe criticas, vel ſymptomaticas, cujuſmodi hæ fuerunt, nihil ſane decernentes, tum periclitantis naturæ præludia, tum plerumque turgentis, morbumque facientis materiæ hinc inde latæ, ac ſtare neſciæ, certiſſimum argumentum. Ubi autem in acutis materiam turgere, ac putridorum, aut malorum humorum copiam (ſi fas eſt ita dicere, & antiquiſſima verba uſurpare) ſubeſſe animadvertimus, eadem die purgandum eſſe Hippocrates jubet 4. Aphoriſm. 10. Turgentem vero materiam ſubeſſe, virulentam, vagam, ac certam ſedem non habentem ex variis, ac vehementibus, quæ ſuboriuntur, ſymptomatibus facile colligi, ac dignoſci poteſt; cum ſcilicet natura a multa, aut prava qualitate affecta, concitata materia, tentat inter initia eam expellere, excretionibus per alvum, per vomitum, per ſudores, per urinas, per cutis efflorescentias, &c. Num id turgere materiam docet? Num evacuanda eadem quam citiſſime, ac ſtatim ab initio? Ne forte, ut (*e*) laudatus Septalius ait, *ad princeps aliquod membrum repat*, aut ad terminum eum ducantur humores, de quo locutus eſt Galenus libro adverſus Julianum.

XXIX. Nec me quidem latet paradoxam forte nonnullis videri hanc locutionem, qui omni labore exanthemata, ubi ſemel apparuerint, per fortiora cardiaca magis promovere, aut retrocedentia eadem expellere iterum ac provocare, omnibus nervis contendunt, rati ſcilicet ita ſalvari debere patientem, quem virus alias jugularet, quem tamen hæc ipſa nimis operoſa methodus promptius enecat. Aſt vulgaris hæc opinio eſt longe ab Hippocratica Schola recedens. Diſtinguendæ nanque ſunt quæcunque contingant, excretiones in acutis, num ſcilicet ſalutari quadam eveniant criſi, num erroneo potius, ac deleterio naturæ conamine, utque ſinere illas, intercipere haſce, aut ſaltem minime deterreri æquum eſt. Sic idem ipſe Galenus in famoſa Hiſtoria Simonis, in quo lata exanthemata erant, minime veritus eſt purgationem aliquando commendare. (*f*).

XXX. Cum vero invaluerit malum, aut primæ criſeos periodus præterlapſa, ſatius aderat ab omni remediorum genere abſtinere; exaſperari namque morbum, atque omnia celeriter magis in pejus rnere exinde vidimus, collapſis jam tum viribus, neque amplius vim remedii ſuſtinere apta laborante, ac pene jam deficiente natura: quod ſi minime amplius prodeſſe poſſe novimus, ne ſaltem remediis noceamus, conclamant omnes, quod & magno, & bono viro dignum inquit Celſus, ne quidquid præcipiamus, quod confirmatam artis auctoritatem malevolentiſſimorum hominum calumniæ ſubjicere queat. Neque autem adulto tantum morbo a remediis omnibus abſtinere ſatius fuit; quin id quoque ſalutare, ac proficuum maxime experti fuerimus, vel in ipſo hujuſmodi febrium exordio, quæ ſola plerumque purgatioue, ut ſubinnuimus, tempeſtive inſtituta, felicius ceſſere, quam repetitis phlebotomiis, purgationibus, aut mille alexipharmacis, quæ pleno gutture, tanquam Deorum munera, receptariorum Chorus adeo celebrat, adhibitis. Equidem ut rerum experientia, ita & remediorum delectu Græcorum Medicinam Arabum ſcholis longe præſtantiorem nemo non videt; ii namque a maſcula illa Græcorum medicina recedentes tantam adeo remediorum farraginem contulerunt, ut iis obrui potius quam diteſcere etiamnum videamur. Et vero ſi illud eſt, quod maxime cavendum Oratori, & prævidendum putat Antonius apud Marcum Tullium, quodque eum ſolicitare ſumme ſolet, non tam ut proſit cauſis elaborare ſolere, quam ut ne quid obſit: non quin enitendum ſit in utroque, ſed quod multo turpius eſt Oratori, nocuiſſe videri cauſæ, quam non profuiſſe: id profecto longe æquiſſimum in ſalutis cauſa, atque ubi præſertim de humano corio luditur, videri debet, in qua vel levis offenſio non ſine magno corporis diſpendio ſuſcipi poteſt.

XXXI. Atque his quidem artibus Sapienti Viro mihi amiciſſimo, juxta ſacram Divæ Virginis Conſolatricis ædem decumbenti, graviter hujuſce proſapiæ febri, exeunte Februario ægrotanti opem tuli. Is præſtanti corpore, atque animo, ac veluti ad Polycleti ſtatuam compoſitus, ſimplici tertiana paulo poſt æquinoctium autumnale ſuperioris anni ad aliquot dies laboraverat. Rediit illa hyeme, aut ſaltem illius indolem, ac genium primo intuitu referebat, quod horrore, ac frigore ſuas quaſque acceſſiones metiri conſueſceret; Atqui poſt ſeptimum diem ingraveſcens magis, atque ex ſimplici duplex continua evadens, quid revera infenſum, ac exitiale præludebat. Urinæ tenues aderant, conatus vomendi inanes, pulſus durus, intermittens, diffuſæ ubique maculæ, vixque conſpicuæ ad cutem, ſub Solis occaſum omnino deliteſcentes. Decimo quarto miteſcere viſa omnia; dejectiones ex alvo copioſæ, frequentes, ſpontaneæ, pulſus æquior, urinæ magis coloratæ. Decimo ſeptimo, ac decimo octavo recruduit iterum febris, intermiſſo ad alvum motu Præcordiorum contentio ad umbilicum utrinque promiſſa: ipſe animo vacillans, vix bene ſui compos, pervigil, ſub veſperam delirans. Decimo nono minus lugubris ſcena; multa ex alvo proba demiſit ſponte; dormivit. Vigeſimo quarto ingraveſcere iterum viſa febris; Genarum rubor, lingua exareſcens, reſpiratio difficilis, pulſus intermittentior, urinæ ſubrubræ, turbulentæ, quæ nec depoſitæ ſubſederunt. Abdomen inflatum, ac ſumme tenſum. Irritata clyſtere alvus nihil dejecit. Vigeſimo ſeptimo multa rurſus ab alvo ſeceſſerunt una cum concreto ſanguine, fæculento, nigro; mitius ſe habuit. Vigeſimo octavo, vigeſimo nono, trigeſimo primo idem obortus ad alvum motus,

(a) 4. *Aphor.* 10.
(b) *Lib.* 1. *de Peſte.*
(c) 5. *Mech. Med. cap.* 12.
(d) 4. *de tuenda valet.* 4.
(e) *Sept. Animadverſ. Medic. lib.* 5. *num.* 47.
(f) 2. *de morbis vulgaribus* 6.

tus, aſſidue perſeveravit ad quadrageſimum uſque, cui tandem perfecta judicatio ſucceſſit. Mirum ſane, ut tantam adeo concreti, ac nigerrimi ſanguinis quantitatem dejecerit, quæ ſingulis fere diebus ubi dejicere primum ex alvo ſanguinem cœpit, ad geminas fere circiter libras accedebat. Hæc illa erat turgens materia, quæ cum nondum ad excretionem comparata foret, ubique errans, ac impetum faciens ſæva illa ſymptomata induxit, quæ in toto hujuſce morbi decurſu illuxerunt. Hæc illa inquam eſt, quæ præpurgato ſtatim ab initio corpore, magnam in partem imminuta fuit; unde remiſſa ſemel impetus continuitate, recreandis viribus ſpatium dedit, quæ & pluribus præliis redintegratæ, & plurium dierum decretoriorum opportunitatibus, ceu firmiſſimis ſtationibus collocatis, auctæ, alioqui animoſum hoſtem matura cunctatione fregerunt. Ecquid autem agendum Medico erat, præterquam vires tueri, cum ſtrenue congredientem naturam paſſim erigere, quo tandem novo velut delectu habito par illa foret, conſtitutis, ac velut deſtinatis ad conflictum diebus, quidquid infenſum ſibi erat ſuis e finibus amovere, expellere, eliminare. Ex quibus omnibus efficitur, in inveteraſcentibus morbis excitata ad judicationem natura, intermiſſum eſſe, & quodammodo interruptum, minime quidem continuum ſolutionum impetum; id quod luculentiſſimis verbis docet toties laudatus Galenus *cap. 5. lib. 2. de dieb. decret.* Cæterum haud paucis in hac febrili incurſione una cum ſponte oborto ad alvum motu multum ſanguinis ex hæmorrhoidalibus vaſis profluxiſſe, jam fere inclinatis rebus, ac pene conclamatis adverti, atque eorum neminem interiiſſe.

XXXII. Nunc de veſicantibus, quorum applicatio minus proſpera comperta eſt, pauca manent attingenda. Sane in febribus malignis, ac peſtilentibus, in quibus ſanguis ad coagulationem contendit, nihil iis præſtantius, nihil aptius itidem, aut proficuum magis. Aſt ubi humores ad fluorem proni ſunt, ubi acriores iidem, ac effrænes, ubi ſufflaminandus potius quam ſtimulandus cruor eſt, nihil iis noxium magis, nihil magis pernicioſum. Id olim quoque in Epidemica ſui temporis conſtitutione recte adnotaverat P. a Caſtro, Vir inſignis; ego mehercle multos abſque iis perfecte liberatos vidi.

XXXIII. Ex adverſo egregiam ægrotantibus opem tulit Corticis Peruviani uſus debito tempore, ac arte inſtitutus. Is enim humorum maſſam coercere, excitatumque in ſanguine orgaſmum, mea, ac doctiſſimorum Virorum, inter quos clariſſimus Ramazzinus dignus utique eſt recenſeri, mea inquam, ac aliorum, quos ego ſummopere veneror, ſententia ſiſtere, ac cohibere par eſt, quod unum maxime expetebatur in illa rerum caligine. Equidem quidque de hoc exotico antifebrili, tum de cæteris celebrioribus ſpecificis, quæ huc uſque in uſum medicum advecta ſunt, ſcripſerint magni nominis Viri, præſtat adhuc plura admirari magis, quam intelligere; ſaltem de iis nihil hactenus perſpicuum, quodque animum veritatis avidum expleat, allatum eſt. Si quid vero unquam lucis ſperandum, totum lubet ab eventu ediſcere. Ab hoc juvat famoſi hujus apyretici, aut cujuſcunque ſpecifici naturam, ac vires expendere, metiri, decernere; Hoc dignum Philoſopho, hoc dignum Medico Viro inſtitutum; minime vero ratiunculas ad libidinem comparatas, & ipſius imaginationis ludibria effingere. Hinc culpari ab uno, laudari ab altero, modo probroſis titulis, modo magnificentiſſime vocari paſſim novimus celebre iſtud febrifugum. Neque enim tanta adeo opinionum inter ſe diſſenſio proficiſci aliunde poteſt, quam quod ſecus, ac revera attingi debent res, eædém plerumque expendantur, minus forte æqua ingenii ſtatice, aut mente præjudiciis occupatiſſima. Ego quidem hujuſce, quod adeo apud nos invaluit præſidii efficaciam utique veneror, ac ſi ſuperis placet, ad Aſtra feram. Aſt illud ceu Panaceam a Cælo delapſam omnibus remediis præferre, atque in omnibus febribus indiſcriminatim exhibere, haud parum tutam rem eſſe judico, nec medentibus decoram; æque ac ſi quis Opium, quod mirabile, ac magnum eſt ſedativum, ſine ullo forte delectu in omnibus morbis, ubi compeſcere opus eſt, adhiberet. Nec vero ſemper ubi fræno humores egent, Cortice coercendos puto; ſæpe enim plus periculi timendum eſt a ſubito, & intempeſtivo ſufflamine, quam non erat antea. Quamobrem in Corticis exhibitione reſpiciendum eſt ad id quod intus molitur natura; humorum ſtatus expendendus, num ad fixitatem ſcilicet, num ad fluorem contendant. Quid cavendum denique, quid experiundum; vivida mentis acie examinandum. Eſt quid *divinum* in remediorum uſu, ut quid (*a*) *divinum* etiam in morbis ineſſe prodidit Divinus ſenex. Atque id quidem ab eorum majori, vel minori efficacia, aut ab ſecreto, ac pene inexplicabili eorum quorundam agendi modo minime petendum eſt, ſed ab eorum adminiſtrationis more, quod caput eſt maximum, & adminiſtrationis tempore; ad quæ duo potiſſimum capita cautiones Medicæ referendæ ſunt. Sapienti pauca.

XXXIV. Ego ſane quidquid boni ab hoc præſidio in hac febrili ſcena ægrotantibus acceſſiſſe comperi; id totum illius, qua pollet, efficaciæ, figendi humores, eoſque aut a ſe invicem diſſilientes, aut cohærentes minus cogendi una ſimul, cohibendique tribuendum puto. Hinc ſane aliquando minus ex aſſe voto reſpondiſſe Corticem auditum eſt in quibuſdam febribus, quod forte humores minime ad liquationem vergerent, ejuſque diatheſis eſſent ii, quæ ſtimulari potius egeret, quam coerceri. Quinquinam autem poteſtatem fluida quæque in noſtris corporibus figendi, cogendique habere pro re certa ſuppono. I. Quod motum ſanguinis, & ſpirituum compeſcat, & alvum ipſam denſiorem, obſtipatioremque reddat; compertum nanque eſt iis, qui ad plures dies hoc remedio uſi fuerint, ventrem adſtringi, ut clyſteribus indigeant. II. Stiptica fere guſtu, ac moderate ſubaſtringens deprehenditur, ut patet. III. Si quas illa febres fugaverit, haſce ſpiritu ſalis armoniaci, qui ſumme potens eſt humores coactos laceſſere, & ad motum ciere prompte revocamus. Atque ob hac utique cauſam haud auſpicato ceſſiſſe nonnullis Peruvianum corticem olim ſcio, & funeſtos caſus memorari. Vratislavienſibus in conſtitutione quadam anni 1699. valde funeſtum illius uſum ferunt Acta Eruditorum anni 1701. (*b*) quod ſcilicet infarcta craſſis humoribus corpora, in frigida illa, & humida prægreſſa temporum habitudine, remedia expeterent, quæ ſegnius labentia fluida urgerent potius, quam figerent, aut ſaltem obortam febrim, quæ forte auſpicato contigerat, haud ita cito fugarent. Sæpe non modo utilis res febris eſt, ſed & hanc profuit accendere. Fortaſſe enim, ut Celſus ait, *curationi opportunior fiet*, ut *humidioribus agris ignis*.

Sive illis omne per ignem excoquitur vitium, atque exſudat inutilis humor.

Secus res tamen evenit aliquando; Noſque id ipſum ſalutare experti nuper ſumus, ac vere proficuum, quod noxam olim forte, ac detrimentum attulit. Juvat hinc adnotare quantum profutura medentibus ſit, quantum artis decori, ægris vero ſaluti, ac emolumento futura exacta temporum cognitio. Sicuti enim apud Agricolas, *annus eſt, non terra, quæ fructificat*, ita & nos perſæpe videmus, ac fere acu tangere fas eſt, non a particulari corporum diſpoſitione, ſed ab anni temporumve conſtitutionibus diverſos paſſim morbos exoriri, quos ſæpe prodeſt diverſo modo ſubigere.

XXXV. Cum vero ab eventu res nobis expendendæ ſint, præſtat nunc hujuſce corticis uſum, quem auſpicato nobis ceſſiſſe novimus, maxime commendare iis, quibus opus eſt, aut concitatum orgaſmum coercere, aut effrænem impetum ſiſtere, aut tendentes ad liquationem humores figere; quo ſaltem, aut remiſſa impetus continuitate, aut coercito orgaſmo, aut humoribus, ne a ſe invicem penitus deſilirent, interceptis, aut ſi qua forte excandeſceret nimis, mitigata febri, redintegrata, auctaque viribus natura vincere queat, ac ſuperare hoſtem. Neque exigua certe res eſt ſpecificum habere, (liceat mihi eo nomine exoticum iſtud febrifugum vocare) huic præſtando muneri aptum. Cæterum quidquid de hujus uſu in morbis aſſeri unquam poterit, aut excogitari, id lucis quidpiam utique, at parum certe, afferet, *Vincet enim ſemper latendi natura*, ut olim de Nili origine ajebat Lucanus.

XXXVI. Modo ſupereſt de ſanguinis miſſione pauca effari. Profecto nunquam non noxia in hujuſmodi febribus comperta hæc eſt; ab ea namque atteri magis, ac deficere vires, quod unum præ cæteris magis funeſtum, ac certiſſimum impendentis jacturæ præſagium obſervatum fuit, dejici animum, perfrigerari extrema; inque ſummum diſcrimen adduci ægros frequenti obſervatione adnotavimus. Quod mirari utique ſubeſt, tum maxime quod nullum aptius, nullum idem in hiſce Regionibus (quod ſancte teſtari poſſum) tutius expertum præſidium ſit, quam venæ ſectio, ſive ob Cæli hujuſce nativas qualitates, ſive ob Subalpinorum temperamenta huic climati, ac Cælo congrua. In hac autem Epidemica conſtitutione totum mutatum ab illo cruorem augurari licebat, & ad fluorem pronum magis, tum ob ferviditſimam temporum præcedentium indolem, tum ob exlegem, Auſtrinam, conſuetumque morem minime obſervantem hyemem; ac proinde nil mirum improſpere ceſſiſſe venæ ſectionem, quinimmo ab illa cane pejus, & angue abſtinendum, etiamſi, ut aurea Hippocratis affert ſententia, qui in haud abſimili anni conſtitutione ſanguinis miſſionem (*c*) valde quoque improbat, *morbus magnus ſit, vigenſque ætate homo*, nec ſcilicet major fibrarum cruoris dimotio contingeret, a qua non niſi extrema quæque diſcrimina expectanda ſunt.

XXXVII. Ne vero id gratis, aut dictatorie me pronunciaſſe quis credat, decet paulo altius hujuſce depravatæ ſanguinis diatheſis, ejuſque ad fluorem potius ad concretionem tendentiæ originem, ac cauſas inquirere, quæ & eadem hujuſmodi febrium, eiſque affinium affectionum, quæ per ea tempora deſæviebant, origo extitit, ac incrementum. Ac primo effingere lubet animo quidquid diſſolvere, aut coagulare par eſt, illud idem agens quoddam eſſe valde potens, quod prout vel ad acidum, vel ad acre magis accedit, coagulare, aut diſſolvere aptum eſt, poteſtatemque induit obvia quæque fluida, aut ad concretionem, aut ad colliquationem inducendi. Hæc duo inſuper diverſa principia perpetuo noſtris corporibus ineſſe fatemur, atqui ita ſimul æquilibrata, ac æqua invicem proportione inſtituta, ut quo uſque in mutua viciſſim actione permanent, nec ab externo quopiam agente alterutrum ad motum urgetur, nulla exinde incommoda corporibus inferant, quinimmo tutam, ac firmam ſervent cruoris maſſam, tum Veſtalis Ignis nativos lares, & focum. Ubi vero a principio quodam extrinſeco eorum alterum ſupra alterum efferri, ac dominatum acquirere contingit; tum obrutam penitus fluidorum maſſam cernere eſt, inſtitutas æquilibrii leges minime ſervari amplius, ad lentorem inde aut ad fluorem liquida vergere: prout acidum illud eſt, aut aere, quo prædominatur, & vim ſuam exerit, ſupra cætera principia elementaria evectum agens. Hinc patet quam diverſo telorum ictu, ac diverſis pene dixerim artibus occurrendum ſit, ubi ſcilicet aut unum, aut alterum horum præpollet ſanguinis diatheſin immutare aptum, ac diverſos proinde effectus inducere.

XXXVIII. Illud autem externum agens, quod intus latentem, ac veluti coercitum ignem laceſſere, ac excitare par eſt, ab iis, quæ nos ambiunt, aut nobis imminent rebus, petendum eſſe extra omnem controverſiæ aleam poſitum eſt; nec aliunde quidem profluere poſſe videbatur, quam ab aere nobis circumfluo, cui quandoque accedunt, atque ad excitandos populares morbos in unum conveniunt modo corruptæ, ac ſtagnantes aquæ, modo alimenta mali ſucci, & pleraque alia. Potiſſima vero, ut incolumitatis, ac ſalubritatis, ita morborum communis cauſa aer eſt, vel rarefactus nimis, vel condenſatus, tum particulis heterogeneis, extraneis, ac humanæ naturæ incongruis dives. Hæ nanque ſunt, quæ in rarefacto aere, magis, aut minus exaltatæ, inque vitæ hoſpitia exceptæ vitiatam in fluidis diatheſin inducere queunt, a qua diverſa morborum proles enaſcitur.

XXXIX. Neque autem de aere loquens, eum criminis reum eſſe contendo; At qui una cum illo miſcentur, extraneos, tum exoticos ſales, hoſce ego alterationum omnium, quæ ab aere profluunt, morborumque parentes agnoſco. Aer namque elementum incorruptibile eſt, ac reliqua elementa, tum aqua potiſſimum conſervandæ, ac tuendæ hominum incolumitati illo haud minus neceſſaria, ac opportuna. Si quam vero alterationem aer concipit aliquando, hanc utique ab extraneis corporibus, tum heterogeneis particulis, quæ una cum illo commiſcentur, excipit iiſque inſpicitur, ſatis aptus idem eaſdem a ſe removere, atque protrudere, cum nullum obvium ſibi obicem offendit, quo minus illas a ſe expellere po-

(a) 2. *Progn.*

(b) *pag.* 523. *menſis Novembris.*

(c) *l.* 4. *de rat. victus t.* 19.

potens ſit. Ut ſtagnantium, & putreſcentium lympharum in limpidum quempiam amnem irruptio fluminis aquas confundit, ac turbidas reddit, atqui hæ ad priſtinam iterum puritatem redeunt perenni aquarum gurgite uberi alveo aſſidue decurrentium: Sic aer quandoque ab exoticis ventorum afflatu elatis ſalibus inquinatus, novo irruente vento iiſdem liberatur, ac purus redit; neque enim etſi aliquando majori cum energia iidem agant, diu perdurare queunt, quin aut ſenſim fatiſcant, aut tandem integre abeant, ac diſſipentur.

XI. Quæ quidem ſatis ſuperque evincunt, cur infenſos nobis experiamur Boream, & Auſtrum, atque iis potiſſimum, quæ hiſce præter morem perflantibus, ſuboriuntur, ægritudinibus obnoxii ſint Subalpini Incolæ. Enim vero cum nitroſi, acidique exotici ſales a Boreali plaga, ſecus vero lixiviales, ac urinoſi ab Auſtralibus oris continuo profluant; atque hinc perflantes venti libere per univerſum Agrum Pedemontanum diſcurrant, nullo, ut innuimus, ſaltem exiguo, qua ſævit Auſter, interjecto obice, qui effrænem eorum motum, ac vim compeſcat; conjicere quiſquis poteſt, quam facili negotio irruentes venti extraneos hujuſmodi ſales ad nos vehant, iiſdemque corpora inficiantur, eo quidem magis, quo diutius perdurant ejuſmodi venti, aut alterius ſibi oppoſiti ſilentio, eos a ſe protrudere aer minime par eſt, ac removere. Si quis interim modum ſcire cupit, quo aer extraneis, atque humanæ naturæ infenſis particulis imbuitur, & quomodo is interdum per ventos huc, illucque transferatur; plene id habebit a Fr. de le Boe Sylvio.

XLI. Ut vero a nitroſis ſalibus, quos ſubacidos eſſe contendimus, morbos omnes oriri novimus ab humorum fixitate, ac lentore progeniios, utpote quod fluida quæque cogi ab acidorum præſentia, atque intercipi conſpicuum eſt; ita ab lixivialibus, ac urinoſis particulis, ab Auſtro delatis eas potiſſimum affectiones, ac funeſtas paſſim ægritudines enaſci experimur, quæ ab humorum colliquatione, ac fluore dependent. Ut enim figendi acida, ſic diſſolvendi facultatem acria, ac lixivialia præbent. Sic nunquam hiſcere audentibus aquilonaribus ventis tum ſuperiori anno, tum labente hyeme, qui Auſtralium aſſidue perflantium ventorum vim frangerent, aut eorum ſaltem ſævitiem compeſcerent; Nil mirum, ut hi acria corpuſcula ſumme infenſa vehentes ſecum, ſæviſſimas illas febres induxerint, quæ ſe ſe novo oriente anno prodiderunt.

XLII. Hinc enim e ſalibus acribus præter morem elatis, ſtimulique vicem agentibus commoveri ſanguinis maſſa, turbari illa, accendi febris, mox ſæva quæque ſymptomata ludere viſa ſunt, naturalis humorum textura diſſolvi, ejus vincula diſcindi, diffluere ſeroſæ moleculæ, rutilæ, ac gelatinoſæ, a ſe invicem ſecedere celerrimo, præcipitique tramite, ni quam primum, antequam totum illico ſanguinem pervadat, fermentum illud acre, irritans, hærens, evellatur, ejus vis, ac ſævities maxima infringatur, demulceantur ſpicula, imminens, aut jam ortus orgaſmus coerceatur, temperetur impetus, præbeaturque tantundem natura ſpatii, quo inire illa pugnam queat, animoſe congredi, materiam morbi ſubigere, ſolvere, movere, ſecernere, excernere, vere illa *morborum medicatrix*, utque Hippocrates ait, *docta ſine magiſtro*. (*a*)

XLIII. Quæ ſi quis omnia attente perſpiciet, conjiciet equidem, ac facili negotio concipiet, quæ fuerit horum malorum exordia: tum rationem, cur utilis extiterit acidorum uſus? cur temperantia, nimium horum impetum infringentia, modice figentia, ſtiptica opportune adhibita, utilia eadem, ac tuta? cur auſpicata minus, funeſta, nunquam non noxia venæ ſectio, ac veſicantia? cur turgente materia voto ex aſſe reſpondens purgatio primis diebus, ab initio ſtatim inſtituta: cur excretiones per alvum, per vomitum, per macularum diffuſionem ad habitum corporis in principio morbi lethales? cur exeunte ad judicationem morbo motus ad alvum, aut hæmorrhagia ſuperveniens bonum? cur proſtratæ initio vires, languidiores eædem, ac pene emortuæ? quæ ratio ſymptomatum omnium, quæ ſeſe exordio, incremento, ac ſtatu febris prodidere? Inſuetus, ac minus frequens Subalpinis, ſecus ac Boreas, Auſter eſt; neque enim ſæviſſimo adeo flamine illum deſæviſſe unquam, ut hiſce temporibus diu compertum eſt, hinc forte ea, quæ profuiſſe olim didicimus, nocuiſſe nuper, ac funeſta deprehendimus. In univerſum vero Auſtrum maxime, atqui illi affines ventos male paſſim audiri novimus, quinimmo, quod forte peculiari quarundam regionum temperamento tribuendum eſt, harum nonnullas is quam immaniſſime verberare ſolet.

XLIV. Cur autem nitroſæ ab Aquilone particulæ, lixiviales, ac ſumme acres ab Auſtro ferantur, nimis prolixa res foret attingere; Neque id ad inſtitutum noſtrum profecto attinet. Equidem nullum ventum per ſe ſingulari, & ſpecifica virtute, ac qualitate pollere, niſi quæ a loci, unde oritur, natura, nec non medii, per quod tranſit, indole derivanda ſit, pro re certa habeo. Ex quacumque enim parte nivibus obſita, ſive ad Auſtrum, ſive ad Septentrionem, Orientem, vel Occidentem poſita illa ſit, frigidos perflantes ventos experimur, ſecus ac illos, qui paludes, terraſque ſtagnantibus aquis perfuſas tranſeunt, aut qui per arenoſa deſerta, æſtu Solis aduſta loca perſpirant. Cum vero Boreas ex terris gelu conſtrictiſſimis, & a Sole remotis aſſiduo flamine ſpiret, & mare glaciale, ac altiſſimos montes perpetua glacie, nivibuſque obſitos pervadat; Tum ex adverſo Auſter ex percalidis, & arenoſis Africæ locis veniat, Zonamque torridam, nec non Mare Mediterraneum percurrat; Facile hinc addiſcere eſt, exoticas ab utroque, ac ſumme infenſas particulas ad nos advehi, nitroſas quidem ab Aquilone; volatiles, acrioreſque ab Auſtro. Norunt id plane, qui hiſce magis obnoxii ſunt, quam graves iis, ſævoſque morbos inferat tam frigoris Promocondus Aquilo, tum plumbeus Auſter. Quod enim juxta diverſas Epidemicorum morborum habitudines experimur, qui pro diverſa temporum conditione, diverſis telorum ictibus oppugnantur; præclarum id nobis documentum præbet, cur quæ Septentrionis magis ſubjecta loca ſunt, aut e contra, aut quæ Borealibus ventis magis infeſtantur, vel Auſtralibus, peculiaribus illa morbis, ac unicuique regioni propriis divexantur magis; quæve e. g. proſunt Anglis, eadem forte Romanis noceant remedia, ni forte toto mutato Cœlo, nova ingruat morborum proles novo, ac diverſo more oppugnanda; adeo verum eſt illud Celſi (*a*) *differre pro natura locorum;* addam ego & temporum, *genera medicinæ, & aliud opus eſſe Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Gallia;* aliud inſuper ſæviente Auſtro, aliud flante Borea, aliud Euro. Cur vero Auſtrina hujuſmodi conſtitutio diu adeo, ac præter conſuetudinem deſævierit, neque hiſcere unquam auſerint Aquilonares venti, qui eorundem ſævitiem infringerent, quæſita quidam mihi eſt ratio, num vero reperta fuerit, *mihi hæret aqua*, ut dici conſuevit.

XLV. Auſtrinos ergo flatus, ceu præcipuos in hac Tragœdia Auctores culpare licet, qui in maſſam ſanguineam tales invexerint diſpoſitiones, ut ad excitandam hanc malignam febrim ſatis virium habuerint, ſilentibus ut plurimum Borealibus ventis, qui nubila detergent, & aeris impuritates eo repellerent, unde deceſſerant, ad Auſtrales ſcilicet plagas, ex quibus omne malum ad nos profectum ſuſpicari fas eſt. Nihil magis ac pene momento temporis aeris ſtatum immutare poſſe, quam flantem Auſtrum, ut ex ponderoſo levior reddatur, jam dudum novimus, docente Barometro. Quod denique præcipua hujuſmodi mali moris febrium ratio ab Auſtrinis flatibus petenda ſit, hinc conjectari licet, quod ea ſalubriter degerent loca, ac veluti in portu aliorum ſpectarent naufragium quæ obverſo multorum collium dorſo protecta ſævientes flatus eludebant, dum in hac Urbe, ac toto fere circumjecto agro exaratæ febres graſſarentur, ac deſævirent.

XLVI. Sed quæ jam innuimus enucleatius repetamus, & clarius. Auſtrina hyems, quæ pluvioſo Autumno ſucceſſerat, exaratis febribus occaſionem præbuit, exoticis, acribus, ac heterogeneis particulis una cum inſpirato aere cruore admixtis, quarum præſentia, & miſcela, ceu totidem ſævientibus ſtimulis acriores moleculæ extricatæ magis, ſuique juris factæ totam invertere humoralis maſſæ texturam, ejuſque vincula tandem diſcindere auſæ ſunt. Equidem liquida ad fluorem potius, quam ad concretionem prona fuiſſe præter alia multa, quæ talem adfuiſſe ſanguineæ maſſæ diſpoſitionem atteſtabantur, id ipſum conjectari fas erat a manifeſtis notis, quas eductus e ſecta vena ſanguis præferebat, ſemper enim roſeus, ac purpureus, nihilque glutinoſi præferens mihi, aliiſque Profeſſoribus apparuit, ac toto Cœlo diverſus ab eo, qui ſolet educi in quibuſdam morbis, ut Pleuritide, Peripneumonia, aliiſque affectibus interdum popularibus, in quibus manifeſta lentoris veſtigia cernere eſt. Quod ad exanthemata attinet, hæc etſi plauſibilis quidem ratiocinio Villiſius, aliique coagulationis potius, quam fuſionis humorum præludia eſſe contendant ob fixiores ſanguinis particulas venarum extremitatibus hærentes; vero ſimiliter magis crediderim, a fibris illa ſanguinis diſſolutis, eque ſua ſtatione dimotis ob ſal acre illud, & volatile ſanguinem ad florem diſponens, ortum ducere, quo pacto ſimiliter effuſus ab arteriolarum oſculis cruor tenuiores ſui partes dimittit, quæ hinc inde diffugientes, ac profugæ ſui forte erroris moras in cute deſignant.

XLVII. Hæc per hyemem geſta. Veris initio Cœlum votis communibus reſpondit moderatis imbribus delapſis, quos novam lætamque faciem periclitantibus rebus allaturos augurari fas erat, ſi qui tota pene hyeme hiſcere nunquam auſerat, ſævus Aquilo, ſilentibus tandem per intervalla Auſtris, erumpere tunc minime viſus forer, inſuetumque frigus media inter primordia Veris inducere. Huic quandoque Occidentales Venti mitiore ſtatu adſpirantes ſuccedebant, recurrentibus mox Auſtris iterum, tanta adeo varietate rerum, ut ſæpe unius diei ſpatio, æſtatis, hyemis, veris, atque autumni vices contingerent, modo ſereno, pacatoque Cælo, modo turbido, nubilo, pluvioſo. Curioſum aderat Mercurii errores in Barometro adnotare, qui elatus modo, mox humilis, cen neſcius ſtare loco, incertas temporum, aeriſque vices prodebat. Numquam adeo tam infida, ac ſibi invicem adverſa diu viſa aderant tempora quæve tam longe ab inſtituto more deflecterent.

XLVIII. Nova hinc diræ indolis acutorum morborum proles ſporadice deſævientibus caput extulit, ac præcipue ſpaſmodicarum ægritudinum, quibus gliſcentibus diuturniores ejuſmodi aliæ ſe ſe prodere auſæ ſunt. Inter cæteros vero quam immaniſſime cruciabatur Podagricorum cohors, tum qui Nephriticis, Scorbuticis, aliiſque id genus affectionibus obnoxii paſſim aderant. Nec hyſtericæ quidem mulieres immunes viſæ; hæ ſiquidem ſpaſmodicis cruciatibus dirum in modum ac diu magis, quam unquam conſueverant, vexatæ ſunt. Apoplecticos quoque plures, quam unquam contigit, enumeravimus, conſpirantibus una ſimul hemicraniis, vertiginoſis affectibus, aliiſque hiſce affinibus, aut conſanguineis. Notatu dignum eſt, vix quempiam ab acuta ægritudine omnino evaſiſſe, quin in diuturniorem, ac inveteraſcentem morbum incideret, veſtalem novi in Monaſterio *del Crocifiſſo* degentem acuta febri paulo poſt æquinoctium ægrotantem, quæ ſuperata tandem febri pertinaciſſimo capitis dolore divexari cœpit, quo & adhuc (dum hæc ego ſcribo) iſta ſæviſſime plectitur. Ipſa ſuperiori ſolſtitio variolis correpta fuerat, quæ tunc temporis longe lateque ſæviebant.

XLIX. Hiſce vigentibus intercurrentibus morbis febrium malignarum ſævities remitti quidem, atqui hæ iterum, velut auctæ viribus ſtatim fere recrudeſcere viſæ, ac magis, magiſque debacchari, quibus plures per ea tempora fatis defuncti ſunt. Tum præcipue cum aut diuturnis illæ affectionibus ſuccedebant, aut gravioribus aliis ſtipatæ iraſcebantur, initio ſimul fœdere, quo truculentiores evaderent. Harum unum, atque alterum exemplum lubet recenſere. Pia mulier tertio febris inſultu, ſpaſmodico pectoris affectu correpta, quarto obiit. Sacerdos ſanioſis puſtulis toto corpore diu ſcatens, quæ ſtatis temporibus magis, aut minus deſæviebant, cum amico cuidam ſibi obvio occurreret, fallente pedum veſtigio, in terram incidit: mox obſcurari lumina, ſanguis ex utraque nare profluere, ipſe veluti oborto rigore contremiſcere viſus eſt. Poſtridie mitiora omnia evaſere. Nec ipſe lecto ſeſe affigi paſſus eſt, amicorum conſilia, ac preces eludens. Undecimo febris acuta ſupervenit caligantibus oculis, deficiente voce, vix mente compos. Latæ maculæ denſiſſimis examinibus totam cutim fœdabant; Urinæ rubræ, per initia tenues, nihil ſubſidentes. Decimo nono, ingenti oborto ſopore, expiravit. Secto cranio pia mater cum vaſis ſolito tumidioribus ſe nobis præbuit, tum ſiniſtri Hemiſpherii anfractus diloricati invicem, ac dimoti; Multum in utroque ventriculo ſerum: Sinus majores, choroidæus plexus, tum cætera quæque ſanguinea vaſa copioſo dilutoque ſanguine tumentia; Diffuſæ ad cutim maculæ latiores in cadavere apparebant. Dubium adeo, num a lapſu potius, num vero maligna oborta febri deceſſerit; an utroque, junctis una viribus, quo citius ægrum perimerent. Frequentiores iis temporibus ephemeras febres, quam intermittentes, obſervavi.

L. Lu-

(a) 5. *in* 6. *Epid.*
(b) *pag.* 3. *in Proœmio.*

L. Lubet hinc conjicere magis, ut quæ toties dicta ſunt, iterum, repetam, quæ fuerit Auſtri ſævientis indoles, quæve ſit Auſtrina vigente conſtitutione temporum, metuenda morborum proles? Quod ſi & ultro pergere quis velit, expiſcari fas quoque foret, & magnotum virorum more magnam rerum fiduciam habentium decernere, quid ex adverſa, ſi quæ contigerit forte, conſtitutione, annique habitudine prænunciandum? Profecto ſi rem paulo accuratius perpendamus, quilibet Annus ſemper aliquos affectus ſecum una infert, qui revera quid Epidemicum redolent, quos, etſi leves aliquando, ac tenuioris momenti, haud ita facile tamen curari cernimus, quin prius a vulgari methodo diſcedamus, eaque iis præſidia adhibeantur, quæ, expenſo ingruentium affectuum genio, profutura magis conjicimus. Lubet hinc etiam ediſcere morborum quorundam geneſin, qui ſporadice paſſim, nulloque non tempore, quo Epidemici ſæviunt, contingunt. Hoſce quidem felicius aliquando cedere novi, eadem methodo, ac iiſdem fere remediis, quorum olim eluſerant illi vim. Id mihi haud ita pridem adnotandum, cum forte fortuna quidpiam de epidemicorum affectuum indole, a quorum utique ſtudio, ac inquiſitione nullum confiteor ætatis meæ tempus abhorruiſſe, ab illo ſciſcitarer, ac expendendum maxime Author adfuit, ac Præceptor idem, Ornatiſſimus vir, de Medica omni, tum litteraria re meritiſſimus Joannes Fantonus, Regii Subalpinorum Principis a cubiculo Medicus, ac Primarius in Taurinenſi Archigymnaſio Theoricæ Medicinæ Anteceſſor. Recte ſcilicet perpendenda eſt annorum conſtitutio, aut ex illa, tanquam ex fonte, genuinum cujuſque morbi genium repetere, tum æquam illi curationem adhibere valeamus.

LI. Equidem ephemeras modo dictas febres, tum ſpaſmodicos affectus, qui ea tempeſtate percrudeſcebant, ad principem affectum reduci poſſe unaque omnes ab eodem amne ortum ducere ſatis dilucide innoteſcit. Atque id quidem recte norit, qui quotquot in ſanguine ex doctiſſimi Gulielmini calculo ſubeunt variæ, ac diverſæ combinationes, quas fere ſexcentas olim recenſuit Hippocrates, animo expenderit.

LII. Utque ab ephemeris febribus exordiar aliquando; Haſce quidem ab intermittentibus, nec genio tantum, ſed re, ac origine toto Cælo differre neminem latet, ſi quis utriuſque indolem, ac geneſin attente adnotaverit. Acidi mineram, quam nemo in ephemera febri culpaverit unquam, ſeu pituitam præter modum viſcidam, cui acidum fermentum magis, vel minus irretitum hæret, intermittenti febri præludere, vel ſtabulantem in ſtomacho, ut placet (*a*) Etmullero, vel ductus laterales Pancreatis obſtruentem, ut (*b*) ſtatuit Sylvius, communis Medicorum ſententia eſt. Quæ quidem pituita, ſeu materies, in venas effuſa, & partibus ſpirituoſis ſanguinis permixta potis eſt, tot excitare turbas, & febrilem, (*c*) ut ajebat Carteſius, *tempeſtatem ciere*. Quidquid ſcilicet ad acidam diſcraſiam humores diſponere par eſt, id intermittentibus febribus incunabula, ac focum præbet. Quod quam longe ab Ephemeræ genio, ac more diſcedat, conſpicuum eſt. Hæc namque continuarum ſimpliciſſima, quam habet accenſionis febrilis cauſam, hanc minime extra vaſa hoſpitantem habet, aſt intime in univerſa liquidorum maſſa ludentem. Simplex, ac leviſſima molecularum ſanguinis commotio ephemeram febrim inducere apta eſt, quæ brevi compeſcitur. Nec ineptum omnino proinde foret conjicere, quas Auſter diu ſæviens attulerat acriores, volatiliores que particulas, ſin minus univerſam humorum maſſam in robuſtioribus corporibus inficere, ſaltem turbare illam exoticorum ſalium miſcelam potuiſſe, obſtatque ephemeras febres inducere. Cur vero Peruvianus Cortex, quem ego ſuperius ſalutarem extitiſſe in iis febribus, quæ in hac exarata conſtitutione ſuboriebantur, adnotaveram, ob ſigendi illius, cogendique facultatem; cur idem ipſe cortex in intermittentibus, quarum quidem indolem ex prædominio acidæ mineræ deduximus, cujus vis eſt cogere quidquid, ac figere; cur inquam in intermittentibus idem proficuus experiatur, tutiſſimumque præſidium paſſim audiat, atque ajunt ſpecificum Antipyreticum magnis adeo laudibus decantatum? Res nimis operoſa foret decernere. Num ludere remedia, ut morbi, dixerim? Num me potius inanes conjecturas effingentem quis arguet?

LIII. Opus hic eſſet exotici hujus febrifugi naturam paulo fuſius, quam ſuperius attigimus, explicare; Forte, & magnificos titulos, magnaque illa elogia, quibus apud quamplures vocari illud etiamnum ſolet, excutere; quod tamen nec mei muneris eſſe ſcio; nec hujuſce utique Spartæ, quam exornandam ego, ac illuſtrandam ſuſcepi. De illius abuſu peculiarem, ac decies legi dignum tractatum edidit Celeberrimus Ramazzinus, minime veritus ſe quandoque, nec dum cum juvenis adhuc foret, ſed cum jam virili Toga incederet, illo familiariter uſum fateri, procedente vero ætate experientia edoctum a priori ſententia receſſiſſe; Ita ſcilicet ait Vir doctrina, tum animi candore dignus inter magnos Viros recenſeri. Forte alchali illud volatile, acerrimumque ab Auſtrinis flatibus delatis lixivialibus ſalibus, atque una cum aere inſpiratis, magis evectum, ſuque ſanguinea maſſa impetum faciens, quæ potiſſima fuit febrium, quæ in hacce conſtitutione deſævierunt, cauſa, alchali fixo Chinæ emendari, aut ſaltem cohiberi contigit. Nec forte etiam abs re erit ſuſpicari, quæ quoque Clariſſimi, atque amiciſſimi Viri A. M. Reina, Celebriorumque in hac Urbe Medicorum ſententia eſt, ex mixtione Chinæ Chinæ una cum acido prædominante in febribus intermittentibus, inque primis viis obvio, quid emergere febrilis fermenti (ſit verbo venia) crasin invertere aptum, ac excitatos motus compeſcere. Ex ſolutionis vitrioli permixtione cum ſolutione Chinæ Chinæ ſpeciem quandam atramenti idem laudatus Ramazzinus, & alii adnotarunt.

LIV. Nunc cæteros affectus, ſaltem præcipuos, quorum tam diſcolor, & ingens ſylva ab una radice ſuccreverat, lubet expendere. Horum vero plerique ab ipſo ſolido male affecto proficiſcebantur. Adeo facile eſt, inducto ſemel in liquidis vitio, aut iis ab inſtituto more deflectentibus, ſolida quoque crimine culpari, quæ una cum illis invicem comparata ſunt; Juxta namque id quod intime latet in ſanguine vitium, ſolida modo tendi, ac ſumme elaſtica fieri, modo laxa eadem, ac debilia prorſus, imminuta elaſticitate; obſervamus, utraque dein inveteraſcentium morborum, diuturniorumque incrementa ægritudinum. Equidem quos potiſſimum hac tempeſtate deſæviiſſe adverti ſpaſmodicos affectus, ab eodem illos genio, a quo acutæ febres prodierant, derivaſſe arbitror, ab illa ſcilicet acrimonia in fluidis inducta, cujus præſentia ſolida quæque diverſimode pungi, vellicari, ac irritari perſpicuum eſt. Quæ namque deſævierant diuturnæ ægritudines, hæ utique fibram admodum tenſam, criſpatam, rigidam nimis, oſtendebant, plerumque effrænem.

LV. Mulierem novi hyſtericis affectibus jam dudum olim per intervalla obnoxiam, iiſdem ſæviſſime, toto anno divexatam, ac tandem fato defunctam. Stupendum equidem erat tot, ac tam diverſas impetum facientis ſolidi incurſiones, ac pene dixerim, exploſiones cernere, ceu Protei in morem ludentis. Sæpe viſa ſpaſmis tota convelli, præcordiis valde tumentibus, multa evomens bilioſa, mordacia. Deſinente Vere iidem ſpaſmodici affectus aſſiduo more iraſcebantur, mox in ſupremo quoque ventre, haud abſimilem ſcenam ab illa, quæ in abdomine jam pridem egerant, ludere cœperant, quæ tandem in certam quandam amentiæ ſpeciem degeneravit, cujus miratus ſæpenumero ſum nullam ab Authoribus mentionem factam fuiſſe unquam, cum tamen haud raro diuturniores hyſtericos affectus illi proluſiſſe adnotaverim. Sæpe in riſum, & lacrymas effuſiſſimas ridicule erumpebat. Aliquando ditiorem quam revera foret, modo alteram e nobilioribus Reginæ aſſeclis ſeſe jactabat; Frons, oculi, vultus amentem fœminam redolebant. Accedente Autumno, ſuique compos magis facta, ſæviore more hyſtericis inſultibus vexata fuit, qui ab infimo ventre ad Thoracem propagabantur, ut fere ſuffocationis periculum impenderet. Raro viſa febris, quæ nec typum, nec genium prodidit unquam. Sub initium hyemis adſtringi ſibi adeo fauces perſenſerat, ut vix quidquam deglutire par foret. Atque tunc temporis ad ipſam vocatus fui, ad illum diem uſque ab Agyrta quodam inconſiderate, inclementerque curatam; Cumque facium affectio jam pene deſierit, nedum tamen ſpaſmorum cauſa deerat penitus; quin immo hi ferocius recrudeſcentes quandoque, tympanitidis in morem abdomen diſtendebant. Qua de re in conſilium quoque advocato Clariſſimo, Doctiſſimoque Viro Jacobo Cicognino Auguſtæ Regis Matris Medico Primario, & Conſil., ejus ſententia, & authoritate celebriora quæque antiſpaſmodica expertus ſum, eaque omnia, quæ promptiora compeſcendis, coercendiſque inſultibus, tum quod magni momenti aderat, emendandæ acrimoniæ humorum aptiora credebantur. Meliuſcule habuit; Atqui haud paucis patratis in victu erroribus, tum ob ſæva animi pathemata, hyſterici ſpaſmi priſtino iterum more ludere, ac frequentiores ſuboriri, tumere crura, venter, præcordia, ac denique atrocius ſævire omnia cœperant rurſus; Ipſaque tandem paulo poſt hyemale ſolſtitium defuncta eſt.

LVI. Nec longe ab eodem ſpaſmorum tramite abludebant, ab acrimonia illa ſcilicet Auſtrinis flatibus evecta, atque ad activiorem ſublimitatem elata, immanes, ſæviſſimique progeniti Podagrici, tum nephritici affectus, quorum ingens viſa ſoboles, ægrorumque cohors, quam acerbe ingemiſcentium ob ſævos, diroſque cruciatus, ac diuturnam, qua immaniter torquebantur, carnificinam, nullo pacto exorabilem. Valde affines inter ſe gemmas haſce ægritudines arbitror. Utrique harum obnoxii valde ſunt Subalpini, quod nativis forte Cæli qualitatibus, aut generoſioris vini potationi, lautioriique victui referri poteſt. Utramque vere ſpaſmodicam, abſque ſumme criſpato ſolido profectam, facile erat conjicere, tum ab enormi cruciatu, quo vexabantur ægri, tum a cæteris, quibus utraque comitabatur, Phænomenis. Cernere namque erat nullum in nodis artuum tumoris veſtigium, ut fieri ſolet, in quo tophacea materies plerumque reperitur iis, qui Podagra laborant, aut quidpiam aliud conſimile, præter intenſum nonnullis dolentis partis ruborem, aduren-tenique calorem. Nulla quoque in pleriſque nephritide detentis, renibus, aut qua alia cunque parte calculi impacti ſuſpicio, aut ejuſdem futuri proludia in urinis; nihil fere perſentientibus ægris aliud, quam tenſionem violentam, acerbiſſimoſque dolores fixos plerumque, ac prementes, ac ſi fibræ quæque nerveæ ſpaſmis rigerent, aut preſſuram quandam, & coarctationem, ut ita loquar, experirentur; Utrique parum profuerant remedia quæque adhiberi ſolita; Quæ ſolidum affectum demulcere, acrimoniam in fluidis elatam compeſcere, lixivialia ſpicula, acerrimoſque ſales coercere magis apta erant, multis profuere; Diluentia, anodyna, emollientia tum interne, tum externe adhibita utramque paginam, ut ajunt, implebant. Longe tamen in univerſum miſerior nephriticis Podagricorum proſapia eſt. Hiſce namque nec in hac modo conſtitutione, ſed fere ſemper, & olim adhuc minus efficacia, ac damnoſa ſæpe comperta ſunt univerſa, quæ paſſim deprædicantur, medicamenta tam externa, quam interna, quorum uberrimam ſegetem videre eſt apud Lucianum: Elegans eſt ac mire jucunda, quæ apud illum Podagræ allocutio legitur ad illos, qui ſecreta quædam remedia ſe habere jactitant, quibus elidere ejus potentiam queant. Hujus aliquot verſus e Græco ſic ipſe ego verteram olim.

Quis invictam me dominam dolorum
Ignorat Podagram in terra mortalium!
Quam neque Thuris vapor placat,
Neque effuſus ſanguis aras ad incenſas,
Non templum divitiarum undique
Suſpenſis ornatum donariis:
Quam neque Apollo Medicamentis expugnare valet,
Omnium Medicus in Cælo Deorum;
Non filius Apollinis Doctiſſimus Æſculapius, &c.

Ea ſcilicet natura Podagræ eſt, ut omnibus æque plorare illa imperet, eam vero irritantibus occurrere ſoleat multo iracundior, diriorque.

LVII. Ceterum qui calculo ſive renum, ſeu veſicæ jam diu laborabant, hi ſævius omnes, atrociuſque divexabantur; Haud pauci ex iis mortui ſunt; Libet hic rariſſimum ingentis calculi veſicæ exemplum narrare, quod mihi eo fere tempore adnotare contigit. Sacerdos quidam Gallus Romam contendens, acerbiſſimis cruciatibus veſicæ, ſæviſſimaque ſtranguria correptus, in Noſocomium SS. Mauritii, & Lazari menſe Julio ſe contulit. Fatebatur olim hujuſmodi doloribus vexatum fuiſſe Lutetiæ Pariſiorum, cum adoleſcens adhuc foret, iiſdemque liberatum celebris Lithotomi ope, exiguo feliciter extracto calculo. Adultior factus iiſdem per intervalla recurrentibus affligebatur, nunquam tamen dire adeo crudeliterque. Septimo dein die mille inter conamina, ejulatuſque expiravit. Secto cadavere, inſignis in veſica repertus eſt calculus, perpolitus undique, & lævigatus, ponderis tredecim unciarum cum dimidia, durus adeo, ac revera ſiliceus, ut vere quid lapideum quis diceret e marmore reſilien[s]. Renis dextri ſubſtantia pene exeſa aderat, alter præter morem gran-

dior,

(a) *De febrib. c.* 17.
(b) *Tr.* 10.
(c) *P.* 1. *Ep.* 51. *&* 88.

dior, nigerrimus, ac fere putridus, Veſica craſſa valde, ac fere carnea; Uterque ureter ſolito amplior. In horum altero qua in veſicam deſinit, ſex, vel ſeptem exigui calculi occurrebant taliter invicem impacti, & cuneati, ut præcluſa omnino via urinæ, enormiter expanſus canalis, alterius veluti idea veſicæ rudiores deluderet, quaſi re ipſa, foret veſica duplex. Ac forte in hunc craſſum, atque ſupinum errorem Medicos Caſauboni incidiſſe puto, dum viri tanti veſicam urinariam nobis geminam obtrudunt. In ſiniſtro uretere nullos quidem calculos, ac urinæ quantitatem ſumme olentis, ac fœtidiſſimæ comperi.

LVIII. Exaratis ſpaſmodicis ægritudinibus merito quoque accenſebantur quotquot cæteræ per ea tempora deſæviebant magis, ut hemecraniæ, vertigines, acutorum illæ morborum reliquæ, aut diuturniorum affectionum præludia. Unum ſcilicet harum omnium Parentem Auſtrum contendimus; Una omnium ſcena; Unus idem ludendi genius, ac mos, etſi pro diverſa ſolidorum reſidentia, magiſque aut minus adaucta elaſticitate eorundem diſpares adeo, ac diſcoloros affectus ſubluderent. Qui Spaſmorum doctrinam intime callet, vimque, & poteſtatem ſolidorum in corpore viventi ſedulo expendet unquam; Is Vates eſto. Revera quidem *id morborum genus*, ait Doctiſſimus Baglivius nulli in hac arena ſecundus (*a*) *ab ſpaſmodica fibrarum oſcillatione pendet, totiuſque curationis ſcopus dirigi debet in ea primo tollenda, aut ſaltem compeſcenda, deinde fluvio peccanti incumbendum*. Diuturna olim hemicrania laborantem ſenem Paralyſi dein & artuum contractura correptum memini. Mulierem hyſtericam novi, cui quoties inſultus eminebat, ſæviſſima illi profundebat hemicrania. Amicus meus diris nephriticis doloribus per intervalla vexatus, hoſce ſibi impendentes prævia vertigine, oculorum caligine, audituſque hebetudine didicit, eo atrocius ſævientes, quo dirior Auſter perſpirat. Novit id unum Magnus Senex, ac quantum ſolido infenſi ſint Auſtrini flatus, compertum Poſteris tullit, *illo* (*a*) inquiens, *auditum hebetari, caliginem viſui offundi, gravari caput, tarditatem, & languorem induci*. Nec quis putet Hippocr. niſi experientia prius edoctum tam grande effatum, tam fidenter, abſolute pronunciaſſe; In libris enim Epidemior. Conſtitution. habet Auſtrinam huic noſtræ haud abſimilem, cui magna etiam antecedentium temporum ſiccitas præceſſerat, unde poſtea conſimiles affectus hyeme, ac vere apparuerint. Equidem ſicuti Aquilonaris tempeſtas ſpiritalibus organis infeſta eſt, ob ſeroſam colluviem, quam parum perſpirantia corpora abunde cumulant, ita Auſtrinam capiti, quod Spaſmis ſedem præbet, ac incrementum, maxime infenſam didicimus. (*c*) *Ut vero in Imperiis, ſic in corporibus graviſſimum eſſe morbum qui a capite diffunditur*, ajebat Plinius.

LIX. Nec vero rarum adeo, ac incongruum forte quis credat ſpaſmodicas ægritudines ex aeris vitios obſervari? Quam facile ab aereo hocce, in quo degimus, Oceano, aut rectius ab exoticis particulis una cum illo exceptis, humani corporis liquida quæque inficiantur, fuſe ſuperius attigimus. Hiſce autem inquinatis ſemel, ſtimulique vicem agentibus, quam facile una invicem conſpirantia ſolida afficiantur, irritentur, convellanturque diuturniore, aut graviore ſcena juxta individuorum diverſitatem ipſo quoque fluido hujuſce turbationis cauſa ſummopere magis affecto, conſpicuum eſt? Inſolitum morbum ſpaſmodicum convulſivum variis in locis Electoratus Saxonici, & Marchionatus Luſatiæ ſuperioris nuper Epidemice graſſatum legimus apud Gelichium (*d*). Alterum huic haud abſimilem affectum deſcribit Sennertus ſub nomine ſpaſmi magni, & Epidemii cum febre, de quo An. 1596. Facultas Medica Academiæ Marpurgenſis conſulta conſilium Medicum impertita eſt a Gregorio Horſtio, in Operibus Medico-Practicis publicatum, & a Gregorio Leiſnero denuo excuſum. Simile quid etiam Pariſienſibus olim, dum nebuloſo exiſtente aere, qualis revera eſſe apud nos ſolet flante Auſtro, eveniſſe refert Eruditiſſimus Fantonus, (*e*). Id curioſorum ingenia dudum exercuit. Equidem pauci, ac forte vix ullus viſus eſt iis temporibus morbus, qui aliquid ſpaſmodici haud præ ſe ferret.

LX. Sed ab affectibus ſpaſmodicis divelli nequeo citra hiſtoriam unam, ac alteram. Veſtalem vidi e Monaſterio Cæleſtinarum Sanctiſſimæ Virginis Annunciationis, Scorbuto, Proteo illo ſcilicet plurimorum ſymptomatum ſindrome diu olim, tum quam acerbiſſime hoc anno divexatam, quæ ſanato derepente cruris ulcere, quo tota fere hyeme laboraverat, miro quodam ſpaſmo muſculorum capitis, & colli correpta, ut os minime aperire potuerit, trium dierum ſpatio velociter obiit. Altera Hiſtoria haud ita recens eſt, ſed Pæonio ſtylo notanda, ab Adverſariis b. m. Venerandi Senis, Avique mei, Archiatrorum Comitis, haud exiguo bonorum, ac doctorum hominum mœrore non ita pridem defuncti, excerpta. „ Vidi ego, ait, „ Mulierem ſtupendo convulſionis genere vexatam, in quo ſe ſe ne „ per momentum quidem quietam continere poterat, ſedens in le„ cto, & mentis omnino compos. Torquebatur ſe ſe mire ægrota, „ & membra cum capite in gyrum veluti contorquebat. Si quan„ do aquam peteret bibitura, neceſſe erat poculum ori prudenter ad„ movere, & ipſius motui circulari obſequi, poculum elevando cir„ cumducere, donec ſitis eſſet ſedata. Cum autem bibiſſet, fateba„ tur liquorem non recta deſcendere, ſed in circulum circumagi, „ & veluti par gradus, trochleæ, aut helicis in morem, deſcende„ re, uſque dum in ventriculum delaberetur. Feliciter tamen, quod ab illo audiiſſe memini, evaſit.

LXI. Reliquum eſt de ſcorbuto, tum ſubitaneis necibus pauca dicere. Quod ad illum attinet, veteribus minime præterviſum utique; Licet haud ita Subalpinis familiaris ſit, ac gelidiori ſub climate viventibus, ubi dire ſævit, illo tamen immunes omnino haud eſſe Italos, cæteroſque Meridionales Incolas jam dudum novimus. Neque enim illum ſemper ab humorum ſtaſi ortum ducere. vel ipſi Septentrionales Incolæ norunt. Quandoque ſcilicet ab cruoſi laticis fluore initium habet, ſæviuſque miſeros torquet. Hinc forte tolerabilior audit apud Danos, Norvegos, Batavos, ac toto diviſos Orbe Britannos, quod ibidem magis ille ab humorum lentore pendeat, ſecus ac apud calidiores oras, Auſtrinis flatibus magis obnoxias ſalibus cruori affuſis diſſolvere potius, quam cogere aptis. Utque raro apud Septentrionales cacochymia, ſeu Scorbutus, (idem nanque eſſe puto cacochymiam veterum, ac modernorum Scorbutum, ſaltem æqualia habere fata) ut, inquam, raro apud Septentrionales Scorbutus occurrit ab colliquatione humorum, ita apud nos ab eorundem lentore ortus. Id ego olim tum rerum uſu, tum longa apud Anglos, ac Bavatos mora didici, haud exiguo ægrorum meorum emolumento.

LXII. Atque hujus potiſſimum indolis, qui modo hoc anno ſæviit, Scorbutum fuiſſe, adverto, tum ob latices ad liquationem pronos, tum ob Auſtrinam totius Anni conſtitutionem eo diriorem, quo acriores ſales ob defectum humidi in tam ingenti ſiccitate temporum elati magis aderant, ac ſui juris. Profecto temperantia quæque, leniter refrigerantia, nitroſa, acida acrioribus cæteris fortioribus, abſtergentibus, colliquantibus, orgaſmum facile inducentibus, quorum tam magna ſeges, palmam præripuerunt. Ejus quippe genio, non nomini ſtudendum erat, quod ſi quo in morbo, in hoc præſertim accurate inveſtigandum, & diſtinguendum monet Clariſſimus Boerhaave. (*f*) Sedum vermiculare, cochlearia, trifolium fibrinum, ſempervivum minus acre, Zingiber, acerrima quæque apud Anglos commendata maxime ſcio; An hæc tuta æque, ac ejuſdem ſint efficaciæ apud illos, qui ſub calidiore climate vivunt, judicent docti? Mihi quidem methodum placidam, ſucceſſivam, continuam, quæ magis humores compeſcit, quam ſtimulat? Quæve *noſtris naſcuntur in hortis*, indigenas, plantas minus acri ſale præditas, Septentrionalium methodo, ac exoticis celebrioribus præferendas compettum eſt *exemplo monſtrante viam*. Notiſſima eſt obſervatio de memorato ſedo vermiculari Actis N. C. inſerta, quod ſcilicet in expeditione Danica multi per illud in formam decocti exhibitum, a Paralyſi ſcorbutica reſtituti ſint, evacuato per vomitum muco admodum viſcido; An id hiſce in oris proficuum æque, profecto ambigo. Forte etiam nuſquam viſus eſt Scorbutus alteri ſimilis, aut quorum eadem eſſent Phœnomena. Sæpe vidi huic hecticam febrim acceſſiſſe; Sæpe illum memini in Aſciten, mentiendo tympanitidem degeneraſſe; Utrique latæ maculæ rubræ ad cutim diffuſæ, aut icterus multiplex ſæpe proluſit.

LXIII. Exarata ſanguinis ad fluorem tendentia ſubitaneis forte etiam mortibus occaſionem dedit, quibus ab hyemali ſolſtitio ſuperioris anni ad æſtivum uſque, decem circiter intra Urbis mœnia ex tempore ſublatos audivimus, tum vitos, cum fœminas, pueroſque. Illi ſcilicet toties memorati exotici, acerrimique ſales ab pluvioſo Autumno, Auſtrinaque hyeme ulterius fuſi ac evecti, inque ſe ipſis magis exiſtentes, ut Hippocratis verbo utar, occurrente forte, aut prævio pravorum humorum apparatu paulatim collecto, aut peculiari alia quacunque diſpoſitione, promptiores aliquando, ac potentiores tum ad ſolida irritandum, ſciendendumque, tum ad fluida diſſolvendum redditi fuere, proindeque apti magis, præcipites adeo mortes inducere. Cæterum frequentiores hujuſmodi neces, cum maxime ſævit Auſter, ſatis quidem evincunt, earum pleraſque ab humorum fuſione ortum ducere; Quæ vero flante Borea perſæpe etiam contingunt, haſce ab humorum lentore potius, aut ab organico vitio pendere.

LXIV. Ver igitur egimus Auſtrinum inſolens. Sub initium Maii æſtuoſum præter morem extitit Cœlum, Sole in Occaſu flammeo apparente, non ſecus, ac Julio, aut Auguſto menſe. Huic immoderato calori proluſerant,

Ætheris impulſi fremitus, Cœlique fragores.

Remitti mox cœpit æſtus, quodve ſupererat Veris ſatis beate tranſegimus. Pulchrum erat Mercurii luſus in Barometro, cum magna forte impenderet tempeſtas, cernere; Is namque illico ad extremos fines momento temporis deſcendere, moxque iterum reſtituta ſerenitate ſurſum emergere videbatur. Cæterum cum Auſtrina exiterit totius fere Anni conſtitutio, nunquam viſus eſt in ſublimiora loca illa ſe recipere, haud auſus unquam ultra vigeſimam lineam evadere, quæ illius major excelſitas fuit. Præclare hinc; ac dilucide pleraque explicari queunt Phænomena, tum quæſita quare ad Auſtrinos flatus difficilis ſit reſpiratio, ut de quadam veluti ſuffocatione conquerantur omnes? Cur Urinatores quidam, homineſque, pene dixerim, amphibii ad plures horas ſub aquis degant? Cur, quod haud præter rationem, etſi paradoxum videatur, ſcripſit Th. Cornelius, aer craſſis vaporibus refertus ad vitalia munera obeunda aptior ſit, quam aer tenuior? Cur Phthyſi pulmonari, famoſæ, & magnæ Urbes magis commendentur, quam Villæ, aut Oppida, quæ aere claro, & perflato gaudent? Cur humidus, & minime perflatus aer nulli ſalubris quæ ſane omnia a majori, aut minori preſſione aeris rarefacti, aut condenſati magis, perflati, rari purioris, aut humidioris pendent, ut palam faciunt experimenta in machina pneumatica circa animalia facta; neque ob aliam cauſam in editiſſimis montibus gravem duci anhelitum credendum eſt, niſi quod inibi minor ſit aeris preſſio, quam in imis Vallibus. Sed e diverticulo in viam.

LXV. Exacto Vere Æſtas ſucceſſit mox ab ingreſſu turbata ventis lætior dein, amæniorque, blande adſpirantibus Ereſiis. Sæpe auditum circumfremere Cœlum, ingentes reſonare tonitrus, magno miſceri murmure Æther, quin vel minimum plueret unquam, *Sole dies referente ſiccos*. Poſt caniculares, varia aeris temperies; Zephyrique, & Auſtri alternatio; Illo autem circa Septembris initia prævalente, plurima pluvia, & horridiuſcula aura per aliquot dies infeſta. Æſtatis reliquum moderato ventorum flatu tranquille peractum, felicioribus auſpiciis arridente Æquinoctio.

LXVI. Fatiſcere enim ſenſim adulta æſtate exitiales febres, tum ſpaſmodicæ ægritudines obſervatæ ſunt, facemque tradere intermittentibus febribus, quæ Auguſto, & Septembri menſe illuceſcentes, ſubque ipſum dein Æquinoctium vulgares factæ magis, ſtativa caſtra ponere cœperant, palmamque illis eripere, aeris procul dubio æſtivo fervore in autumnale frigus degenerantis proludia. Scenam quoque ingredi viſæ continuæ quædam, aliæque ardentes paroxyſmis interpolatæ, catarrhales tuſſi, & aſthmate moleſtæ, quandoque, & angina, oculorum, ac tonſillarum inflammationibus, quæ dein in intermittentes migrabant. Media æſtate ob fructuum forte intemperantem ingluviem, & immoderatum aliorum illecebrarum gulæ uſum Diarrhœæ, ac dyſenteriæ comparuerunt, quæ difficillime medicamentis compeſcebantur. Verminoſa quoque ſpectata proles ludere, ſævaque ſymptomata producere in adultis æque, ac in teneriori ætate conſtitutis; Horum nonnulli etiamſi nulla dyſenteria, aut Diarrhœa eſſent correpti, aſſidua deſidendi cupiditate cum torminibus quibuſdam conjuncta vexabantur; Poſt fruſtra adhibita enemata

(a) *De fibra motrice ſpecimen pag. mihi* 231. (b) 3. *Aph.* 5.
(c) *Lib.* 4. *Epiſtol.* (d) *Exercit. Jubſe civ. Francof. T.* 2. *ſect.* 1.
(e) *Diſſertat. Anat.* 13. *de org. reſpir.* 317.
(f) *Aph. de cognoſc. & curand. morbis n.* 1253.

mata lenia, evacuantia, humorem acrem demulcentia, balnea, tandem cum ab Aſcaridibus malum foveri ſuſpicio foret, majori cum ſucceſſu authelmintica enematibus addita, perque os data fuerunt.

LXVII. Haud paucos etiam Colica dira corripuit; Nullum iis præſtantius auxilii genus, quam fotus ex lacte recenti, addita modica doſi Laudani liquidi. Mirum ſane ut concitatum dolorificum ſpaſmum, ſive is ab violenta abdominalium muſculorum contractione, quos ego Principem ludere in hiſce diuturnioribus affectibus ſcenam arbitror, ſive ut perperam viſum eſt, a convolutione inteſtinorum pendeat, unde decantatus ille oritur antiperiſtalticus motus; mirum inquam, ut illum præfatus illico fotus temporis momento compeſcat, contractaſque partes priſtino genio reſtituat, moremque ferat clyſteribus, aliiſque præſidiis opportune inſtitutis, convoluta, ſi quæ fuerint, inteſtina explicandi, aut verius in Thoracem illa ultro propulſa, forte in ſitum naturalem reducendo.

LXVIII. Ego quidem diu mecum animo expendens diros, acerrimoſque dolores, quos perſæpe advehit hujuſmodi affectus, quid altius ſubeſſe illi ſuſpicatus ſum aliquando; ſaltem non ſemper illum, aut ſæpius ſedem habere, ut vulgo ferunt, in Cælo. Idem olim a Carolo Piſone, doctiſſimo ſui temporis Medico excogitatum ſcio, qui forte in hac eadem arena Villiſio præluxit. Uterque haud multum a vero aberravit. Quid enim utrique viſum eſt, in nervoſo ſyſtemate latens, quod nemo unquam expenderat. Sane quidpiam minime vulgare in hoc affectu proludere compertum. Nec opus quidem antiperiſtalticum motum, aut convoluta inteſtina effingere. Hujuſmodi figmentum nuper (*a*) in Regia ſcientiarum Academia Lutetiæ Pariſiorum a præclariſſimo Viro ſtrenue exploſum eſt. Equidem ut chylus tot inter molimina, tum aſcenſus, ac deſcenſus momenta elaboretur, perficiaturque; Ut idem celeriore tramite lactearum oſcula ſubeat; Ut alvinæ fæces, qua data porta, ruant, excernanturque, fibras inteſtinorum ita compoſitas adverto, ut oſcillantes illæ, ac circumprementes invicem perenni ludant more, exaratis muneribus comparatæ. Iſque ille eſt periſtalticus ſeu circumpreſſorius motus, rectius forte vermicularis dictus Anatomicis; Qui vero, cum iiſdem abludentibus fibris ingeſta ſurſum egeruntur, perque os ejici contenta quæque in ventriculo, ac inteſtinis cernimus, ut in Colicis affectionibus contingit paſſim, id oppoſito motu fieri contendunt, quem *Antiperiſtalticum* vocant, aut fibrarum ſtructuram, ac leges minime norunt, aut feſtivis appellationibus oblectantur. Si quis Enterocelen expenderit unquam, hujuſque phænomena cum illis contulerit, quæ in Colica ſæpe ſubludunt, facile inveniet, quam affinis invicem affectus uterque ſit. Quo enim more prolapſa inteſtina, ni quamprimum docta manu reponantur, convolvulum ſæpe, ac mortem inferunt; ita & eadem in Thoracem a violento muſculorum abdominalium conatu adacta, perque ſeptum abrepta haud impari ludunt diſcrimine. Ecquis autem in hernia inteſtinorum, in qua ſæpe etiam Ægri fæces alvi evomunt, antiperiſtalticum motum effinxit unquam? Quod ſi atrociſſima quæque ſymptomata ab ſtrangulatione inteſtinorum ob muſculos abdominis valide meatum abſtringentes ſaris illa apte deduci queunt; Quidni & colici dolores ab eorundem inteſtinorum, quæ ultro in Thoracem adegit nitentium muſculorum ſpaſmus, ac vis, ſtrangulatione ob ſeptum tranſverſum meatum, per quod illa forte abreptu fuere, conſtringens, totam proinde tam ſævi, acerbique mali Theoriam, non a convolutione inteſtinorum, atqui ab violenta contractione muſculorum abdominis deducere ſas erit, quorum niſu per ſeptum tranſverſum abripiantur inteſtina, inque Thoracem adigantur, propellanturque? Eſt altera Herniæ ſpecies, quam cruralem vocant, cæteris longe ſævior, ſæpe colicam mentiens aliquando, in qua inteſtinorum portio intime infixa reperitur, qua cruralia vaſa eminent. In hac & diris cruciatibus affligi miſeros, & fæces per ſuperiora ejici, conſtipatam alvum, tendique ventrem cernimus, immane quantum! Num inteſtinum etiam aliquod, ſive tenue illud fuerit, aut craſſum, dilatato forte diaphragmate, obque ingentem contranitentium muſculorum tenſionem infixum ibidem, adactumque, qua potiſſimum nervi intercoſtales emergunt, tum ab eodem diaphragmate pene dixerim ſtrangulatum, eadem inducere haud poterit Phœnomena, nullo præludenti antiperiſtaltico motu, ut in utraque allata herniæ ſpecie contingit? Colicæ cujuſdam memini apud veteres Medicinæ Principes ſermonem haberi, in qua nedum inteſtina tantum una cum Omento, at pancreas, ipſum Meſenterium, Lienem per ſeptum tranſverſum, ſciſſis retinaculis abripi ferunt; Chordapſum hanc vocat Celſus, alii *Vulvulum*, aut *Miſerere*, cujus prolixam deſcriptionem, & expoſitionem egregie tradit Lindanus (*b*). Hinc inteſtinorum inflammatio eorundem ſpacælo præludens; hinc affinium viſcerum, ac diaphragmatis præſertim labes in velocem gangrænam deſinens, lethifero proludente ſingultu. Cæterum colicos hujuſmodi dolores, ſive illorum phænomena, ſive ſedem conſiderem, æſtate populariter ingruentes, iis accenſendos crediderim, qui vere potiſſimum ſub diverſa ſpaſmodicorum ſpecie ludebant, ab eadem ſcilicet vulgari, communique cauſa nervoſo generi ſumme infenſa productos, cujuſmodi exempla videre eſt apud Æginetam, Zacutum, Cratonem, Ballonium, & alios quamplures.

LXIX. Nec abs re futurum arbitror quædam innuere de Maſſilienſium Peſte, quæ æſtatis initio magnam in illa Urbe ſtragem edere nuntiatum eſt. Illius incrementa hæc fuiſſe ferunt: Navis oneraria ab Orientalibus Oris profecta, ubi dira Peſtis ſæviebat, Maſſiliam appulerat infectis Mercibus dives, quarum contactum mox quidam extemplo e viventium numero ſublati ſunt; hinc ſemel orta labes ad miſeros Cives propagata. Brevi temporis ſpatio illuſtris, copioſa, & florentiſſima Urbs, ac circumjectus ager ingenti clade deletus pene, ac vaſtatus magnum finitimis æque, ac diſſitis gentibus metum injecerat, ne fœdo afflatu diu, ac longe manaret lues, adque affines ultro pervaderet. Quas ideo præcautiones hiſce in caſibus humana ſolertia adhibere ſolet, eas provido conſilio præoccupavit Invictiſſimus REX NOSTER, Italiæ totius incolumitati, cujus jam dudum ipſe Patronus, ac Vindex eſt, dum ſuorum bono conſuleret, proſpiciens. Ubi enim primum de peſtilenti lue, quæ Maſſilienſes infeſtabat, rumor Taurinum pervaſit, totum illico ingentem Alpium tractum, quæ Galliam ab Italia diſterminant, numeroſo milite cuſtodiri juſſit, ne cuiquam permitteretur ingreſſus, ullaque aura peſtifera per eos, quos oppoſuit Natura Montes, ab infeſtis locis per aliquam ſecretam viam haſce Regiones adiret, inficeretque. Nec ſatis cautum exiſtimans, non multo poſt cum externis, atque etiam finitimis Civitatibus commercia intercepit non tanti faciens commoda, & beneficia, quæ ex libero Mercaturæ commercio omnibus Civitatibus proveniunt, quanti publicam Subditorum ſalutem. Inſtitutæ quoque ſunt eodem tempore publicæ preces, ad iram Supremi Numinis placandam, magno ad celebriora Urbis Templa Civium confluxu, ut nunquam alias tantus in unum populi conventus fuerit obſervatus, tantaque erga Superos Reverentia, ac Pietas; IPSO AUGUSTISSIMO REGE una cum Piiſſima Regina, ac Regio Principe magna ſuis pietatis exempla ferente, vere optimo, adque omnium noſtrum felicitatem cœlitus demiſſo REGE.

LXX. In dies interim magis percrebeſcere auditum peſtiferam luem, adque Aquas Sextias dein totius Provinciæ Caput, Taraſconem, Arelatum, Telonem Martium, ac finitima quæque Oppida longe lateque diffuſam. Multi nullo proludente ſigno, e veſtigio interibant. Nonnulli ut ab fide dignis hominibus accepimus, intra paucos dies, prævio vomitu, deliquiis animi, proſtratione virium, ſæviſſimoque dolore capitis e vivis migrabant. Haud paucis carbunculi, exanthemata, maculæ, fædaque ulcera apparuerunt, funeſta prorſus. Quoſdam ferunt, quibus Bubones rite proruperant, ex inſperato ſervatos. Infanda nimis, luctuoſaque res eſt ſingula quæque recenſere; Nec profecto abſque lacrymis legi poteſt ſincera malorum Hiſtoria accurate fideliterque a Doctiſſimis Viris Galliarum Regis mandato Maſſiliam miſſis, ut Medicam opem Civibus ferrent, inter mortes, ac funera exarata. Hanc recens in Italicum vertit, ac criticis notis erudito calamo illuſtravit Clariſſimus Muratorius Sereniſſimi Ducis Mutinæ a conſiliis, ac Bibliotheca. Quædam enim viſa ſunt Sapientiſſimo Viro, quod ad Peſtis naturam, ac ingenium ſpectat, parum veroſimilia, ſaltem congrua minus, nec ſatis apta, quibus vera, ac genuina Peſtis Theoria inniti queat, ac Vir ſuperioribus annis elaboratiſſimum Tractatum, *Del Governo della Peſte*, cum dira Viennæ orta lues, tota Auſtria ſerperet. Eundem diverſis in locis nuper, Mediolani, Brixiæ, ac Taurini quam elegantiſſimis Typis editum nunc iterum Mutinæ *apud Solianum* cudi audio a doctiſſimo Authore magnam in partem adauctum, & locupletatum.

LXXI. Hac autem ſerie fœda adeo lues ſeſe prodere viſa eſt. Principio multis lingua, oſque viſcido, lentoque humore oppletum aderat. Nonnullis obſtipata alvus; Haud pauci oborta Diarrhæa, aut effuſione ſanguinis celeriter defuncti ſunt. Vomitus, deliquia animi, ac ſævus capitis dolor in ſingulis fere præluſerant. Plures intra biduum, vel triduum alto ſopore, alii Phrenitide correpti e vita migrarunt. Sæpe obvia verminoſa ſoboles perniciosis ſymptomatibus ſtipata; Pleriſque nihil hujuſmodi proludebat. Cadaverum ſectionibus maxima intus viſa Phlogoſis, ac inteſtinorum ſphacæla. Dirius in pueros, ac fœminas ſævitum. Cæterum ab æſtivo ſolſtitio ad autumnale æquinoctium uſque, pluſquam quinquaginta hominum millia cujuſcunque ſexus, ac ætatis una in Maſſiliæ Urbe, ejuſque agro interiere.

LXXII. Hæc funeſtæ adeo luis indoles. Quæ vero præcipua illius cauſa extiterit, modeſte inquit, ſe illam minime penetrare auſum Clariſſ. Chicoineau, ex iis, qui Maſſiliam miſſi ſunt, Medicis alter, (*c*) ratus utique, ac ſcite conſcius nihil attingi poſſe veroſimile; quodve huc uſque quod cujuſcunque Peſtis geneſin, ac naturam proditum eſt, hypotheticum eſſe, nilque prorſus ad ægrorum curationem conferre. Quamobrem ſedulo idem admonet ad res magis evidentes advertendum. Quæ ſcilicet fuerint peſtis initia, quæ illius incunabula, quidve *originis principium*, ut Hippocratis verbo utar, animo, atque oculis expendendum. Utinam ſane Vir Doctiſſimus moderate adeo de hujuſce Peſtis propagatione, tum præcautionibus adhiberi ſolitis effatus foret. Ait enim Peſtilentiam ſeſe contactu minime diffundi, aſt vero miaſmatum, ſeu corpuſculorem ope ex infectis mercibus, Terræque abditis, aut e ſuperiori quopiam fonte exhalantium manare, quæ per æthera inane diſperſa dein, ac ſimul una cum potu, ac cibo ſuſcepta in ſanguine ludunt, eumque inficiunt, quo pronus ille magis, aut labem ſuſcipere aptus eſt, ſive ob congeſtorum humorum colluviem, ſive ob terrorem, aut metum animo injectum. Intrepide ideo ſeſe aſſerit ægris tuliſſe opem, nulla unquam contracta labe, omnia quæque remedia præſervationis, aut præcautionis jure celebrata hactenus noxia potius, quam proficua eſſe contendens.

LXXIII. Velim ego attentius ad tam fœdæ peſtis, quæ Maſſilienſes crudeli flamine etiamnum verberat, animum adhibuiſſet Vir Clariſſimus; nec profecto crediderim inſontem adeo contactum infectarum rerum ab illo celebrari. Equidem peſtifera quæque lues, ut de febribus malignis olim erudite ajebat Præclariſſimus Sydenhamius, non omnium morbus eſt, nec longe illa pergere poteſt, niſi alas, ac ut ita loquar, pennas illi præbuerint homines. Novimus in recenti luctuoſa Boum clade quam utile ſuerit rem in tuto ponere, cumque infectis ſtabulis commercia quæque intercipere. Idem quotquot de hominum Peſte ſcripſere, conſilium eſt; Idem Sapientiſſimorum Magiſtratuum inſtitutum; Idem acceptus ubique gentium uſus, ac mos. Neque aliud hactenus aptius ad hujuſmodi labem præcavendum documentum, aut præſidium ſcio, quam terra marique ad fines, & loca ſuſpecta idoneos viros mittere, qui ſolitis cautionibus ad rem tanti momenti aſſiduo invigilent, nullique, ſive exterorum, ſive Subditorum ſine datis ſanitatis vadibus, aut prævia, ubi opus fuerit in deſignato quopiam loco, conſtitutis diebus, mora, ingreſſum concedant. Hiſce artibus unius fere ſæculi ſpatio magna Italiæ pars, tum præſertim An. 1656. cum dira lues Romæ, Neapoli, ac Genuæ quam immaniſſime dæſeviret, ſervata eſt. Iiſdem nos tutos, ac Soſpites fore beneficentiſſimi REGIS cura, & ſtudio ſperamus, foreſque Peſti, atque omnem illi aditum ad haſce Regiones præcludere. Intrepidum quidem ſe ſe gerere ſumme laudo; Nihil in Peſtibus perniciosius unquam, quam injectus animis timor. Sola ſæpe metus, ac terroris imago abſque præſenria peſtis graves intulit ægritudines. Aſt cætera quæque præſidia, ceu noxia potius, contemnere, periculoſæ plena aleæ opinio eſt, abſurda prorſus, atque ipſa, prope dixerim, Peſte exitioſior; Utque ait laudatus Muratorius (*d*) *Da cacciarſi via colle pertiche, anche ſenza eſaminarla, non eſſendo ſaviezza, &c. E tanto più poi*, (*e*) inquit Vir Doctiſſ. *perchè non ſi ſa intendere, come mai venga ne pure in pen-*

(a) *Vide Reg. Scient. Acad. Acta Anni* 1713. *p.* 470. *edit. Amſtelod.*
(b) *Exercit. IV.*
(c) *Vide opuſculum inſcriptum*: Relation de la Peſte de Marſeille, &c.
(d) *Oſſervazioni intorno alla Relazione della Peſte di Marſiglia pag.* 24.
(e) *Ibidem.*

penſiero a perſone, che riflettano alquanto ai paſſi d'una Peſte, ch' ella non ſi comunichi per Contatto, o Contagio. Stet quidem ſuus invicto animo honos: Stet ſua illi gloria. Nec tamen æqua laudis pars auferenda eſt cautionibus cæteris ab Sapientibus Viris ſummopere commendatis, abſque diuturno rerum uſu probatis.

LXXIV. Quod vero ad Peſtis naturam attinet; Minime reticenda eſt Doctorum quorundam virorum hujuſce ætatis ſententia, qui veneficam luem conſiſtere ajunt in verminoſa quadam putredine tot tantaſque edere ſtrages, ſeque vel proxime per contactum, vel remote per fomitem de infectis in ſana corpora propagari apta. Ingenioſum utique excogitatum, ac forte etiam admodum probabile, neque a recentioribus tantum vindicatum illud, excitatumque Ath. Kircherio, Fabro Chymiatro, Langio, Cogroſſio, Valliſnerio, Gorte, (†) ac pluribus conjecturis aſſertum, ſed a priſcis etiam graviſſimis Authoribus diligenter ſcriptis commendatum; Et quidem huic ipſe opinioni lubens, ut fieri debet, Sententiam meam adjungerem, ſi quæ omnia occurrunt Phœnomena dilucide explicari, quidve certi de hujuſmodi argumento decerni poſſet. Atqui ut docte advertit Eruditiſſimus, ac amiciſſimus Peſtaloſſius, (*a*) Celeberrimus apud Lugdunenſes Medicinæ Profeſſor, ſuos hujuſmodi hypotheſis, graveſque patitur Manes, nec dum adhuc extra omnem dubitationis aleam poſita eſt. Enim vero, qui fiat ut in Urbe quapiam, aut Agro, ubi longo temporum ſpatio nulla ſæviit lues, eaque proinde infecta, aut peculiarium vermiculorum examina haud amplius aerem occuparunt diu, qui fiat inquam, ut horum progenies a remotiſſima plaga advecta ſemel tam facile illico multiplicari; Ut brevi dierum intervallo univerſam Atmoſphæram inficere, perque ora, nares, ac patentiores quaſque vias intus excepta, tam difficiles morbos efficere, ſeque ad affines agros, ac regiones propagari poſſit, anceps hæreo; Equidem ut propriis nondum illa oculis, ita & mente aſſequi haud poſſe unquam tot minuta animalia crediderim, queis progigni ſemel, ac longe lateque dein manare Peſtis queat, tamque ſæpe diverſo more proludere?

LXXV. Quod autem dicatur ab aliquibus in emiſſo ab affectis hominibus ſanguine, aut etiam microſcopio armatis oculis vermes inſpectos fuiſſe; Id minime ſatis eſſe ad hujuſmodi hypotheſin tuendam, vel ex eo deduci poteſt, quod nedum in affectis Peſte, at vel in ipſis etiam ſanis hominibus continuo hiſce ſcateat cruor. Dein vero hi ſoboles potius, quam Parentes, aut Peſtilentiarum Authores eſſe videntur; Neque enim illos adeo minutos repertos unquam memini, cujus revera exiguiſſimæ eſſe molis effingi debuerint, aut mente concipi. Cæterum ſi minuta hæc animalia in ſanguine, aut fluido quopiam, ceu in proprio elemento degunt; Ut vivere illa diu, ac latere queunt extra propriam ſedem? Ut ſeſe recens excitare dein, explicare illa, ac ſuopte ingenio e veſtigio multiplicari? Crediderim potius (eoque fidenter magis id ego ajo, quod ſolidioribus rationibus hæc mea ſententia innitatur, & Magnorum Virorum nedum inter exteros, ſed & inter noſtrates, quorum conſuetudine, ac judiciis uti in hac Civitate ſoleo, ac præſertim Illuſtriſſimi, Ampliſſimique Viri I. A. Manzini Regis Medici Ord. & Conſ., Clariſſim. Jo. Fantoni, Cicognini, ac Parentis quoque mei Ven., quem ſilentio præterire nefas foret, Medicorum Regis Primarii, & Conſiliarii, ſuffragio comprobari illam noverim:). Crediderim inquam veroſimiliter magis peſtiferam quamlibet eo nomine dictam luem, tum quæ præſertim Maſſilienſes tam dire adeo, crudeliterque exagitat, ortam eſſe a peculiari quodam veneno, cujus inanime perpetuum ſeminarium in vaſtis illis Aſiæ Regionibus effingere lubet, inque Europam advectum aliquando. Nec forte incongruum erit quandoque veneficam hujuſmodi luem hiſce ab oris repetere, noſtro illam ſub Cælo natam, adultamque concipere, quod medius fidius mirum neutiquam videri poterit reputanti, ut rem magis exemplis illuſtrem, tot paſſim morbos contagioſos intra nos ipſos ſæpe progenitos, unde poſtmodum obvia quæque corpora reterrimo afflatu inficiuntur. Neque vero novum eſt, ut olim de hydrophobia Cælius (*b*) Aurelianus tradidit, *in animalium corporibus peculiare venenum innaſci, quod poſtmodum cætera contagione corrumpat.* Quæ ab exotico hujuſmodi veneno, aut fermento (nam quo alio uſurpato a Medicis nomine clarius nunc referam imaginem peſtiferi illius principii, unde lethalis hæc labes exoritur, nequaquam invenio) producitur Peſtis, dirius ſævit, quam quæ ab nativo alio quopiam, ſeu indigena oritur.

LXXVI. Poſſem utrumque venenum illud, tum adventitium, tum nativum cum Arſenico, & Sublimato comparare, nam in ſolidis partibus revera pares erodentibus venenis invehit effectus; Ab inſtituenda tamen hujuſmodi comparatione me lubens cohibeo, minime ignarus innumeras & eſſe, & excogitari poſſe veneficorum miaſmatum conjunctiones, unde variæ, difficileſque prodeunt nocendi artes. Neque id eſt hujuſce loci exponere, cum præſertim id eos tantum ignorare accidat, qui hoſpites in chymica, & Anatomica arte non ſine ingenti piaculo diverſantur. Cur autem, quave actione fermentum illud, ſive adventitium, ſive nativum fuerit, ſeſe ſano in corpore inſinuare, excitatumque ſemel ſedem ibi figere, tum ſeſe in alios homines propagare momento temporis queat, pulveris Pyrii exemplo ſatis præclare explicatur. Atqui ſive animatum in ſanguine ſeminarium, vel inanime prorſus miaſma pro vera Peſtis cauſa ſtatuatur; Lugendum utique eſt, tum olim, tum nuper apud Maſſilienſes nondum inventum fuiſſe verum, certumque præſidii genus, quo tam fœda, ſævaque lues curari queat.

LXXVII. Ad Subalpinos redeo; Utque rem omnem in pauca contraham: Pluvioſus Autumnus extitit: Hyems Auſtrina; Ver inſolens: Lætior Æſtas, temperate, amœna. Bombycum ſoboles exigua. Tritici, ac frugum ubertas copioſa ſatis. Puteales aquæ multo cæno refertæ. Inops Flora. Mellis parca perceptio. Vini proventus ingens, quem nemo ſperare auſerit unquam initio Veris. Adeo forte quæ tritico, ac frugibus haud læta omnino tempeſtas eſt, ipſa vinetis, ac orientibus uvis, vitibuſque ſecunda magis eſt, ac felicior. Erucæ, & Bruchi hortos omnes medio Vere depopulati ſunt; Redierant hi Æſtatis initio, at lenis aura ab Orientalibus oris adſpirans cito in fugam illos convertit. Qui Hyeme, ac Vere proluſerant vulgares affectus, hoſce adulta Æſtate fatiſcere penitus, inque Scenam ſeſe prodere intermittentes febres adverteram. Sævire quoque deſierant Æſtate, ſaltem mitiore flamine perflare cœperant Auſtrini flatus. Nunquam amœnioris Autumni lætiora initia extiterant, aut felicioribus auſpiciis prope viſa ſplendeſcere Libra. Iis ego ſequentem protinus telam exordiar, cœptumque ſemel opus pro viribus perſequar, non exiguo quidem labore, nec tenui fortaſſis laude; Si quem Numina ſinunt,

Auditque vocatus Apollo.

Supplem. ad Sydenham.

(†) *In id etiam ſtrenue incumbit Eruditiſs. P. Saguens tot editis operibus celeberrimus, elaboratumque opus brevi ſe daturum luci, in quo cauſam peſtis ab præfatis animalculis deducere nititur; ipſe doctiſs. Author nuper pollicitus eſt in litteris ad Cl. P. Romam in Taurin. Archi-Gymnaſio experimentalis Philoſophiæ Anteceſſorem.*

(*a*) *Avis de précaution contre la Maladie contagieuſe de Marſeille pag. 31.*

(*b*) *Lib. 3. acut. morbor. cap. 9.*

Conſtitutio Epidemica Taurinenſis Anni 1721.

I. INſtituto meo inhærens prægreſſam Conſtitutionem, qualiſcumque ea fuerit, in fine cujusliber anni deſcribendi, eo libentius id exequor, quod exacti nuper Conſtitutio anni ab ea, quam ſuperiori experti ſuimus, toto pene cælo diverſa uberem explicet contemplationum ſegetem, quo nihil in re Medica tractanda utilius unquam, tum rectæ medendi methodo, (quod Venerandi olim Senis, ideinque Magni illius Angliæ Cancellarii votum fuit, conſiliumque,) appoſitum nil magis, aut accommodatum: Satque prolixam dicendi materiem ſuggerat, quod alterum quoque magnam profecto rebus lucem, ac perſpicuitatem afferre poterit aliquando. Deinde etiam animoſum me effecerant magis, majoreſque ad rem ſedulo, alacriterque gerendam, ac munus quod mihi perſolvendum quotannis conſtitui, rite, diligenterque perficiendum, addidetant vires, ac velut impulerant Eruditi quotquot in Italia, tuni extra Italiam degunt Clariſſimi Viri de re omni medica, ac litteraria optime meriti, ad quos prima hujuſce Telæ ſtamina, primaque ſtudiorum meorum incrementa pervenere.

II. Ut igitur, ubi ſuperiore anno deſiit Oratio mea, inde initium ducam, blandiores unquam, amœnioreſque Autumni dies haud illuxerant diu, hiſcentibus per intervalla ab Aquilonaribus Oris, tum ab iis, quæ ab gelida Arcto ad Orientem declinant, lætioribus ventis, qui temperato inducto frigore ſalubriorem temporum conditionem induxere, ſilentibus omnino dirorum morborum, quos paſſi ſumus, Parentibus Auſtris. Plurima namque pluvia Septembris initio delapſa, mox ſubſequens horridiuſcula aura, quæ ſuperiore Autumno, perque hyemem dein, ac ante actam æſtatem ſe ſe prodiderant, exitiales febres Variolarum, ac Morbillorum, quæ facem illis prætulerant, veſtigia inſequentes ac morem, heu infandum nimis, in fugam verterar; ortumque dederat intermittentibus febribus, quæ jam tum proludere cœperant, lætioremque, ſaltem funeſtam minus, Subalpinis futuram rerum ſcenam polliceri. Subiraſcebantur utique ac quandoque remigrare rurſus, pedemque referre, ac ſubludere videbantur nondum deletæ illæ penitus, atque harum aſſeclæ, comiteſque, immanes, immiteſque Colicæ, Nephritici, ac Podagrici affectus, tum Spaſmodicæ ægritudines cæteræ ſuperiore anno exaratæ. Earum tamen vis nec diu quidem, nec imperioſe adeo ſævire, nec præterquam ad paucos tantum, unum ſcilicet atque alterum extendi viſa; Quibus vel familiares jamdiu aderant illæ, vel recrudeſcentes potius reliquiæ, ac priorum morborum ſoboles; Ceu prope interitum, ac jam delinquens candelæ, aut ellychnii lumen per intervalla adhuc reviviſcens dein omnino deficit, extingniturque. Forte etiam ob uberrimum vini proventum liberiore pede ſibimet unicuique indulgendi conceſſa facultas, lætiſſimis Autumni diebus, ortum exaratis recrudeſcentibus ægritudinibus dedit, ſæviendique adhuc imperium. Strenuus Miles, cum veſpere cibo, ac recentis meri potationi nimis intemperanter indulſerit, dimidia nocte diris ventris cruciatibus angi cœpit, una cum vomitibus inanibus, ac irrito deſidendi conatu; Summo mane cum jam fere animam agere videretur, elato nimirum, ac tympani in morem protenſo ventre, ſotu, balneo, anodynis, ac oleoſis pleriſque opportune adhibitis, feliciter evaſit. Minus læta res obtigit Prænobili alteri, ac Præclaro Viro, qui cum una cum amicis ruri degeret, recentioris vini potu, etſi modum, ac ſobrietatis limites minime exceſſerit, Colicis doloribus, quibus obnoxius olim fuerat, extemplo correptus, celeri fato occubuit. Aperto cadavere abdominis muſculos, tum obliquos præſertim, tranſverſoſque intenſos admodum reperimus, atque adeo prærigidos, intentoſque, ut perquam acuto cultro difficile adhuc foret illos abſcindere: Ventriculus, ac Duodenum inteſtinum vacuum penitus occurrit, ſecus Jejunum, ac illi affine Ileum, quod utrumque flatu tumens, ac valde tenſum ſe ſe intuentibus obtulit, adeo ut obliteratæ fere vix conſpicerentur amplius in horum altero valvulæ, quas numeroſas plerumque cernere in illo eſt *conniventes* dictas Anatomicis, rectius forte *rugas*, aut *juga*: Rugarum enim hæ potius inſtar ſe habent ab pariete interno inteſtini efformatæ, ceu juga quædam præterlabenti liquido remoram modo, modo eidem per varios anfractus, ac orbes contendenti opem præbentia auxiliatricem. In externa porro Ilei facie ingens viſum diverticulum paulo infra illius exordium, duos tranſverſos digitos longum, ceu proceſſus alter vermiformis, eadem qua Ileum figura, latitudine, atque ſubſtantia, cumque ejuſdem inteſtini tubo, lato orificio, communicans. Sæpe ego hujuſmodi diverticula, ſeu proceſſus, ut illa vocat *Verheyenius*, in Ileo reperiſſe, olim memini in cadaveribus præcipue Virorum, quibus colicæ humorales, ut ajunt Practici, frequentes obtigerant. An id quidquam lucis allaturum magis in re medica; An & hinc potius ortus durat peculiaris affectus alter: de quo haud ita pridem meminerant (*c*) Viri Doctiſſimi in *Commentariis Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis*, cum nempe haud ipſe inteſtini tubus, ſed ea dumtaxat diverticula intra herniæ ſacculum coercentur, exercitatioribus Medicis decernendum relinquo. Plura quoque de hiſce Ilei, tum Recti diverticulis, herniiſque, in quibus illa intercipiuntur, verba facit, ubi ſuas itidem obſervationes addidit, Clariſſimus, ac toto Orbe Celeberrimus *Morgagnius*, (*d*) Anatomicorum hujuſce Ævi facile Princeps, cujus eruditioni, peritiæ, ac Doctrinæ levis nimis hæc eſt æqua laudis Præfatio. Optandum utique, quod *Bartholinus*, *Diemerbroechius*, *Verheyenius*, *tum* & *Riolanus* ipſe (*e*) audacior æquo criticus, rerum Anatomicarum, ac Medicarum ſcientia inſignis, qui laudatis viris facem tulit, idemque tria nonnunquam hujuſmodi diverticula, ſeu proceſſus adnotaſſe ait, morborum hiſtoriam ſincere nobis, fideliterque exaraſſent illorum, quorum in cadaveribus id obſervaverant; Forte enim

(*c*) *Vide Comment. Reg. Scient. Acad. Pariſ. ann.* 1700.

(*d*) *Adverſ. Anat. III. animadverſ. V. pag.* 8.

(*e*) *Anthrop. lib. 2. cap.* 14.

quidquam ex hoc dilucide, ac præclare magis nobis in hac re modo innoteſceret. Sed de his alias: Neque enim fas eſt in ipſo Orationis limine diutius extra orbitam divagari.

III. Prodigiorum vero, ut inſtitutam ſemel Anatomicam cadaveris ſectionem proſequar; Prodigiorum maximum, ac celeris necis cauſa penes Septum rranſverſum latens in conſpectum tandem ſeſe prodidit, quod dilatatum aderat, immane quantum! Ibi potiſſimum quo intercoſtalis nervus ad imi ventris viſcera abit. Per hunc namque ingentem hiatum, qua data porta viam ſibi ultro in Thoracem fecere Colon, Pancreas, tum Epiploi magna pars. Plurimum in ſiniſtro Thoracis clauſtro effuſi ſanguinis ab diſrupta Pancreatis vena conſpiciebatur, ac ſiniſter Pulmonis lobus totus pene ſub ſcaleno muſculo arte abſconditus, adactuſque. Quæ quidem omnia eo libentius a me adnotata ſunt, diligenterque exarata, quo vera Colici ſic dicti affectus Idea nobis eluceſcat magis, quæve tot ſæculorum ſpatio Arabum mentibus excogitata invaluit, diu Antiperiſtaltici motus doctrina, ceu fictitia, ac mechanicis legibus adverſa omnino, tandem aliquando obſoleſcat, aboleaturque, facem ferentibus laudatiſſimis, tum in Anglia, tum in Gallia viris, qui detegendo in dies vero unice, ac gnaviter jamdudum incumbunt. Ad vulgares febres, quæ ſub ipſum Æquinoctium, ac diu adhuc poſt ipſum toto Octobri, ac Novembri menſe exeuntis Anni 1720. caput extulerant, me confero.

IV. Hæ quidem utut intermittentium indolem, ac morem toto ſui decurſu quodammodo prætulerint, ingeniumque; Attamen quid inſolentis, quodve reipſa vulgare quidpiam, ac revera *Divinum* ineſſe iis ominabatur, præ ſe ferebant. Neque enim diuturniores adeo extitere, quas quiſque Medicorum jure merito ſuſpicabatur, quaſve futuras, vel ipſa quoque Anni temporis conditio ſuadere poterat. Dolor inſuper intenſus capitis, idemque aſſiduus febrilis paroxyſmi aſſecla, eique ſæpe proludens; Oculorum rubor; Pulſus parvi, humileſque; Ingens corporis jactatio, quid denique in ipſo ægrotantium vultu, ac urinis facile conſpicuum intuentibus, quid intime latens, aut ſuperioris forte ludentis adhuc conſtitutionis reſiduum, aut illi quæ jam prope impendebat, antecurrens, quid inquam ab conſueto intermittentium febrium genio, ac more diverſum ſubludere ſignificabat. Jam tum ſcilicet cudebantur mox eruptura mala, aut prope orientia eadem anteire cœperant, ac eluceſcere. Atque hæc quidem potiſſima eſſe debet ſolertis, ac diligentis Medici cura, ingruentium nempe morborum excurſus ſedulo adnotare, vel minutiſſimas circumſtantias, ac occaſiones caſtigatiſſimo examine expendere, atque uno verbo *primam*, ut ajebat *Hippocrates*, *malorum originem* detegere; Unde futuros rerum eventus magna ſui laude prædicere queat, iiſque occurrere.

V. Nec equidem omen fefellit exitus. Prope namque ingens illico, imminente ſolſtitio, Eryſipelatum numeroſa cohors, tum intra Urbis muros, tum longe, lateque per univerſum agrum, atque ad finitimas uſque regiones propagata eſt, ſilentibus tum temporis, aut ſaltem ferocitate depoſita parcius ſævientibus, præfatis intermittentibus ſic dictis febribus, diviſo velut inter alterutrum imperio, ac facultate ludendi. Raræ tunc, ac infenſæ minus ægritudines cæteræ quæ appetente hyeme ſolent potiſſimum in Subalpinam gentem ſe ſe immittere. Omne adeo imperium ſibi, poteſtatemque iraſcendi erogaverat præfata morborum progenies, infeſta initio multis, funeſta paucis.

VI. Ejus namque aderant moris, atque indolis, ut ludere magis quam ſævire, laceſſere potius, quam vincere velle viderentur. Favebat ludentibus læta hyems Auſtris perflata frequentibus, at qui mox ſubſequenti ſubſolano, aut altero quopiam e gelidioribus ventis terga dabant victoribus. Ludere ventos revera quiſpiam dixerit inter ſe invicem, ſeſe viciſſim excipientibus Auſtralibus modo, modo Orientalibus, immitique Borea, atque ita reciprocantibus imperiis altero alterius iram coercente, ſævitiemque. Præ cæteris vero Orientales maxime a medio circiter Januario ad finem uſque Februarii leniſſime perflarunt, tranquillo, amœno, & ſedato prorſus Cælo. Atque id quidem obſervare erat, quod cum primum hi ſpirare cœperant Septembri menſe, fugatis illico Auſtris, qui heu luctuoſe nimis ſævierant diu, exaratæ ſtatim febres intermittentes prodiere, quæ quidem rurſus hiſcentibus iterum Auſtralibus ventis imminui, aut ſaltem mitius ludere videbantur; Recrudeſcere hæ vero dein, cum ſilentibus illis prorſus, Orientales perflabant, aut gelidus Boreas, quorum utrique eadem ferme efficacia conceſſa eſt, quia eadem, ſimilique ratione condenſatum, ac frigidum aera ex vicinis montibus adferunt. Sæpe etiam memini medio Vere, aut impendente prope Æſtate in noſtris regionibus, iiſdem perflantibus, tum Orientalibus præcipue, frigus plerumque recrudeſcere magis; Quod evenire arbitror, cum nives in toto excelſo Alpium, quæ ad Boream imminent, tum abrupto Apennini tractu jacentes, altiori Sole facto liqueſcant, frigidaſque partes in noſtrum aerem vehunt. Quantum namque frigus immittat Atmoſpheræ nix, vel glacies ſoluta præclaro experimento inde demonſtrari poteſt, quod ſpiritus vini rectificatus nivi adfuſus tantum gelu efficiat, ut liquor aqueus in propinquo mox in glaciem convertatur.

VII. Hoſce inter ventorum, ac morborum luſus cernere erat modo Eryſipelata, modo exaratas febres intra ſuum ſe ſe alveum condere, ac prope extingui; Nullus vero præfatis febribus, etſi ingruente hyeme in fugam verti viderentur prorſus, nullus inquam iis negaverit unquam omnium, qui labente anno erupturi erant, morborum principatum, ac veluti prædominium. Quiſquis namque morborum circa æquinoctium autumnale maximopere furit, is totius anni conſtitutioni nomen impertit ſuum; quod a Doctiſſimis Viris jam diu adnotatum ſcio: atque ob id forte mos erat *Hippocrati* Conſtitutiones Epidemicas, quas ſermone eleganti adeo, atque ad rei naturam appoſito exaratas reliquit, ab Autumnali Æquinoctio inchoare, prope occidentibus Vergiliis. Nec inſolita quidem res eſt Epidemicorum Principem, qui ſub Æquinoctio Autumnali præ cæteris invaluit, initio hyemis mitius laceſſere aliquando, *cum ex adverſo*, ut recte advertit *Magni nominis Vir Sydenhamius*, (a) *Epidemici inferioris ordinis, qui ſub eo morentur, tunc temporis præſertim ingraveſcant, & rerum potiantur, donec dictus anni Princeps eorum vires frangat, & deleat nomen.* Hujuſmodi aderant memorata Eryſipelata, quæ ludentibus vix orta hyeme Auſtris caput extulerant. Cœperant quidem illa primo paucos tantum invadere; mox vero ceu *rupto aggere torrens* in apertum magis erumpere, hoſque atque illos nullo diſcrimine aggredi, nec Civibus modo, ſed & univerſis pene Subalpinis gentibus infenſa, atque illis præſertim, quæ iis in locis degebant, quæ ab Auſtralibus ventis verberari magis conſueverant. Quod vel ipſa intra Urbis mœnia advertere erat. Ea namque parte numeroſiore agmine ſævire illa viſa ſunt, quæ meridiem adſpicit, *nova Urbs* dicta ab Immortalis memoriæ Principe CAROLO EMMANUELE SECUNDO inchoata, aucta dein, perfectaque ad Piiſſima, atque ad Magnarum Principum, ac Reginarum exemplar nata MARIA JOANNA BAPTISTA, tum ab AUGUSTISSIMO REGE NOSTRO VICTORIO AMEDEO, præclara Domorum ſtructura, eleganti Viarum amplitudine, editiſque Templorum cervicibus nulli pulcherrimæ Urbium ſecunda. Ea ſcilicet ventorum indoles eſt, ut ſive leniter, mitique flamine ſpirent, ſive rupto ceu turbine, feraque miſcentes murmura præcipites ruant, quidquid in altum tollitur, ac inane per æthera fertur, ſecum una ferant per mille ad ipſum vias, ac itinera mille necem hominibus adferre potens. Uter vero in univerſum exitialis magis Boreas ne aut ſævus ab alto ruens Aquilo, an circa terram ſerpens illi oppoſitus Auſter? an qui ab ortu incumbunt, aut qui *veſpere ab atro* conſurgunt, decernere nemo auſus adhuc, cum lethiferos quiſque effectus induxerit ſæpe; tum maxime cum vel diu nimis, vel minime ſervata temporum lege dire, crudeliterque deſæviunt? Ediſcere id quidem, ac prænoſcere par ille unice erit, qui locorum poſitiones, remperiemque Cæli uniuſcujuſque Urbium propriam recte expenderit, tum plures una invicem obſervationes, Aſtronomorum more, ac exemplo, inſtituerit diu, aut rite contulerit inſtitutas.

VIII. Utque Eryſipelatum morem, quo ea ſcilicet pacto eruperant, fuſius, ac propius exponam; Pleriſque illa abſque ullo proludente ſigno in hac, aut illa corporis parte inopinato apparebant. Aliis vehementiſſima febris proditurus Eryſipelati facem tulerat, eratque jam prope erumpere impendentis Eryſipelatis indicium certiſſimum, ipſa remiſſa extemplo febris, deficienſque. Ejuſmodi aderant febres, quas revera eryſipelatoſas dicere fas eſt, quæ ſuperioribus annis, cum latiſſime ſævientes variolæ cumulatiſſimam edidere ſtragem, hiſce præire conſueverant, ac prope jam eminentes prænunciare. Eruperant autem in vultu potiſſimum; Nonnullis humeri, aut crura obſidebantur. Statim vero ac detumeſcere videbatur facies aut quælibet alia affecta pars; Conturbari hinc cœperat leniter alvus, atque hoc pacto intra pauciſſimos dies morbus integre abſolvebatur. Haud paucis hæmorrhagia primis periodis e naribus prorumpens felici ſidere reſtituit rem. Huic proludebant Hypochondria dura, tumida, dolorosa, aut intenſus capitis dolor, aut oculorum rubor, aut tinnitus aurium. Cæteræ quæque Criſes, quas ſæpe moliri Naturam novimus, iiſque morbo exitum dare, aut impares prorſus aderant, aut illas experiti malum. Totum quod erat artis opus, in eo innitebatur, ut ipſa Medicatrix Natura eo libenter contenderet, quo duci annuebat. Quod ſi oneri ferendo impar foret, haud deerant Medentibus Artes, quibus labentem erigerent, ac ſublevarent, quo læta dein criſis per eas, quas oſtenderat illa vias, ſuccederet.

IX. Et ſane haud paucos memini nullius Artis ope, ſola Medicatrice Natura ſanatos: Haud exigua ſaltem ſpes ſalutis erat, totum concredere opus Naturæ, aut ejus motibus per opportuna remedia obſequi. Equidem ut in morbis omnibus, ita in acutis potiſſimum, tum in Eryſipelate præſertim, ac morbo omni inflammatorio haud exigua Medico opus eſt doctrina, prudentia, & ſagaci cunctatione, imo religioſa naturæ motuum obſervatione, aliter pernicioſi naſcentur errores. Magna utique Sapientiæ pars eſt mentem a præjudiciis liberam ſervare, nec dirigentis Naturæ motus per intempeſtiva Medicamenta prævertere. Novit id unum Magnus *Hippocrates* Jatricæ facultatis Parens, atque ex illo celebri *Macrobii* elogio *fallere neſcius, & falli*, qui diverſis paſſim in locis, tum præcipue in libro de *veteri Medicina*, qua ſumma incumbendum ſit prudentia, & circumſpectione in re Sacra tractanda, ſic ille vocat medendi Artem, præclare admonet Medicos, quorum pleroſque jam tum temporis idem in ſe admittere noverat, quod imperiti Navigantes: *Etenim, qui in tranquillitate*, ait, *navim gubernantes delinquunt, manifeſti non fiunt; At ſi ventus magnus, ac tempeſtas ipſos deprehenderit, tunc conſpicui fiunt palam omnibus hominibus, quod ignorantiæ, & erroris ſui culpa navim perdiderint.* Pervenuſtam, pulcherrimamque de hoc argumento Orationem olim in Patavino Lyceo habuit Clariſſimus *Ramazzinus*, quam una cum cæteris ejuſdem celeberrimi Viri operibus Genevenſes Typographi ſuperioribus annis edidere.

X. Atque hic loci mihi de Eryſipelate, tum in univerſum, tum in ſpecie, ejus ſcilicet quod tota in Urbe, atque Agro tunc temporis ſæviebat maxime, verba facienti, in mentem ſubit Conſilium Medicum, quod Latino Carmine nunquam ſatis laudatus Vir exaravit ad præclariſſimum noſtri ſæculi Poetam diro hujuſmodi in cruribus Eryſipelate laborantem. Quam pulchre, quam eleganter, quam docte Divini Senis Oracula elegiacis verſibus expreſſit, ac prope dixerim illuſtravit! Hos ego haud abs re futurum duxi Orationi meæ adnectere, ceu gemmam, aut monile quodpiam eximii fulgoris.

Ad Illuſtr. & Rev. Dom. Abbatem

MICHAELEM CAPELLARIUM

Poetam Celeberrimum Eryſipelate laborantem Conſilium Medicum.

„ CRura Tibi, ut ſcribis, dirum Eryſipelas adurit,
Vir bone, nec reperis qui levet arte malum.
„ Plurima promittent Medici, namque id Medicorum eſt,
Sed Tu ne fidas, nam dare verba ſolent.
„ A pingui, atque oleo, veluti cane (b) & angue caveto,
Unguina ſuccenſo dant alimenta foco.
„ Pinguia quin faciunt partem (c) putrere peruſtam,
Naſceturque ulcus, quod cachoetes erit.
„ Nec minus herbarum ſuccos apponere tentes,
Crura nec ut mos eſt, lacte fovere velis.
„ Talia quippe nocent, coguntque recurrere morbum,
Qui ex imo ad ſummum proliciendus (d) erat.
„ Quid faciam ergo inquis? Tu ſuſtine, & abſtine, talis

De-

(a) *Morb. acut. ſect.* 1. *cap.* 2.

(b) *Hipp. de affect. n.* 57.
(c) *Hipp.* 7. *aph.* 20.
(d) *Id.* 6. *Aph.* 25.

Decubitus criſeos eſt, mihi crede, loco.
„ Interea in lecto recuba, & ſuffuſa rubore
Aere ab externo membra tuere precor.
„ Sic etenim poterit ſenſim expirare quod urit,
Hæc ſat nota Coi ſunt documenta Senis.
„ Tute ergo obſerva ac triſtes animo expue curas,
Sitque bene ut valeas unica cura Tibi.
„ Noli dum langues, Muſis, Phœboque videri
Tam charus, quin ſis charior ipſe Tibi.

Aureum itaque hoc maxime præceptum in mentem ſæpe revocandum, tum in Eryſipelate curando præſertim, quod idem amico Poetæ laboranti conſulebat Vir Doctiſſimus: *ſuſtine* nempe, *& abſtine*; Talis enim decubitus Naturæ victricis conamen eſt, ac criſeos loco, quam ſi alio avocare contendis, *putredo*, *ac ſuppuratio* expectanda illico, funeſta quantum!

XI. Totum ideo, ut quæ ſemel dicta ſunt, iterum repetam, concredendum aderat Naturæ opus, cum præſertim, quod moliebatur, conficiundo muneri par illa foret, nec adminiſtram Medici opem efflagitaret. Advocanda utique quandoque erat in auxilium Ars, quæ quidem copioſa celebrata ſemel, aut etiam repetita, ſi vires tulerint, Sanguinis miſſione e cubiti Vena, aut e Saphena, ubi opus adeſſet, hoc uno plerumque ſubſidio *utramque*, ut ajunt, *paginam* adimplebat, tum apparente nondum, aut prope jam eminente Eryſipelate, tum etiam ipſo jam adulto pene, nedum tamen remiſſa penitus febri, aut alio quopiam adhuc perſeverante, quod urgebat magis, fero, immitique Symptomate. Hæc una aderat potior ſolertis Medici cura; Quod reliquum erat fauſte id celeriterque abſolvebatur quiete, victu tenui, liquido, antiphlogiſtico, potu ſimili, medicamentis diluentibus, & refrigerantibus ſimul, vel ſingulari dote acri ſpecifico oppoſita præditis.

XII. Hoſtile namque acre illud Auſtrinis flatibus elatum, quod idem ſuperioribus annis diras pepererat ægritudines, id ipſum, ſi quid ego hic judico, nedum ſubactum penitus, diverſi tamen generis particulis commixtum, quas gelidus Boreas ſuperiore Autumno præmature attulerat, cruoris rubri arterioſi, inque minimis canalibus ſtagnantis attritum efficere par erat, atque hinc *phlogoſes* inducere, vel in finibus arterioſis, vel in vaſis lymphaticis arterioſis, dilatatis oſculis, admiſſos globulos rubros per fines transmittere non potentibus. Quidquid enim erodendo, criſpando, adurendo vaſorum extrema ita arctat in Conicis, Cylindriciſve, ut diameter aperturæ fiat diametro Sphæræ Sanguinis minor; Quidquid cruorem aut lympham cogit ut coeat, aut eidem violentum motum præbet, quorum utrumque ab acriorum corporum præſentia explicari ſat apte poteſt; quemcumque id inflammatorium morbum, Ignem, ut ajebat *Hippocrates*, aut *phlegmona*, qui omnes ob cauſæ, & effectuum ſimilitudinem ab Igne nomen habent, gignere ſatis eſt in minimis æque arteriis, ac Lymphæ ductibus. Ut enim in cruore rubra, ſic in lympha alia eſt forte pars craſſior reliquis.

XIII. Quoties vero inducta ſemel ſtagnatio liquidi in vaſis eſt, ſive acre illud ſpecificum, ſive aliud quodcumque ſit quod lympham aut cruorem cogat, fineſque vaſorum urat, erodat, aut diſtrahat; Acti adhuc ab ſuperſtite vita cruoris vis, eos ipſa effectus inducere par eſt, erupturi, aut prope jam erumpentis, aut erupti tandem Eryſipelatis, aut phlegmonis proludia, ac incrementa: Arteriæ namque primo minutæ, vixque viſibiles obſtructæ jam a Sanguine diſtendente augentur; Hinc tumor ruber, ſive prima Eryſipelatis Scena. Vaſa mox lymphatica arterioſa antea, pellucida, & inviſibilia eadem patiuntur; Unde augmentum rubedinis; Diſtenta dein vaſcula rupturæ propinquant in fibris minimis, ac valde invicem compinguntur liquida, & ſolida; Hinc dolor punctorius, durities, renixuſque partis adulto jam prope Eryſipelate, adauctoque. Cætera hinc repetenda Phænomena, rubedo ſplendens, calor, æſtus, debilitas, moleſtia, febris, ab attritu partium liquidi inter ſe in ſolidum, tum ſolidi in illas, ab rubro accumulato, ab irritatis fibris, ab celerius per aperta viarum acto ſanguine, Mechanicis hæc eadem omnia legibus præclariora, atque illuſtriora.

XIV. Exorientis hæc adultique Eryſipelatis proludia. Poſteriorem illius Scenam exegerat Natura, quod incœperat illa opus, abſolvens. Id vero reſolvendo potiſſimum aſſequebatur, qui idem lætiſſimus ac tutior modus eſt, quo morbi inflammatorii exire ſolent. Obque id præcipue Artis Magiſtri, ac Principes Viri ab oleoſis ac pinguibus, tum topicis, quæcumque ea ſint, refrigerantibus, anodynis cavere jubent; ne aut pinguior factus humor, ac ſpiſſior, effuſus idem, tum glutinoſus magis ſuppurationi præbeat facem, qui alter modus eſt quo terminatur inflammatio; aut retropulſo forte, inque parte affecta hærente adhuc atroque facto magis, *gangræna*, aut *Scirrhus* oriatur, tertius illa, hic quattus abeuntium inflammationum finis. Hinc ubi ſæpe occulta manent Eryſipelata, atque intima illa obſident delubra, in acutas, aut lentas ægritudines deſinunt; Velocis eadem aut lentæ mortis cauſa, cum ſcilicet, aut in ſphacelum, ſive ut ait *Duretus* Subalpinorum Medicinæ decus eximium, *in Syſtrophen phlegmonicam* abeunt inflammatæ partes ut in lypiria febri, ſeu, ut illam vocat *Baglivius*, *Eryſipelate* alvi; aut coacta eadem forte in glanduloſo tuberculo iners materies in Scirrhum tandem degenerat, qui ut Sphacelo, gangræna, carcinomati idem, ſeu cancro a ſimilitudine ſic dicto, præludit inevitabili fato, ut in diuturnis obſtructionibus glandularum contingere ſæpe videmus, poſt aſſiduas febres neglectas, aut male curatas, atque earum præſertim glandularum, quæ liquorem facilius inſpiſſandum obtinent, vel ratione loci ſtagnare plus cogunt.

XV. Mihi equidem numeroſam adeo tunc dierum latiſſime oberrantium Eryſipelatum cohortem vix ingruente hyeme extemplo editam adultamque animo reputanti, haud inanis utique metus ſubiit, ne forte appetente Vere acriora facta ſpicula, ſævientibus maxime atque una invicem aſſiduo more inter ſe confligentibus Auſtralibus, ac Borealibus ventis, dirioribus malis ortum præberent, ac incunabula, quibus jam tum proludere illa videbantur. Metuendum ſcilicet ne hujuſmodi *Syſtrophes phlegmonicæ* intra pulmones tandem, ceu in Principe Theatro ſubluderent aliquando; Statim atque hyberno exacto frigore, ac novo concitato tumultu in liquidis aptior foret præfatis, exoticis particulis aditus, quo intra eademmet liquida ea, qua pollebant diu, crudelitate ſævirent; Notum jam tum ſcilicet erat perſpectumque mihi, quam mala cubaret in præcordiis labes. Nec vanum utique, atque inanem prorſus metum effecerat ventorum una ludentium indoles; Utriuſque enim flatus ſæpenumero Subalpinis potiſſimum exitioſi extitere, tum maxime, cum ſe ſe viciſſim excipientes, atque alterno ludentes flamine varias, ac diſcrepantes inter ſe invicem alterationes aeris gignunt. Cum vero aereo hocce fluido nobis circumfluo, tum liquida, cum ſolida æquilibrii perennitatem illius acceptam ferant, quo vita ipſa cœpit ſemel, ac ſervatur diu; Sitque inter duo hæc noſtri corporis componentia, liquida nempe, & ſolida ipſe aer veluti libræ *canon*, atque *examen*, cui utraque parent, ac obſequuntur. Conſpicua res eſt alterato libræ *canone* ſervatura eadem haud amplius eſſe inſtituti æquilibrii legem, ac proinde tot inter diſcrimina rerum jure merito ſuſpicari fas eſſe imminente propius vere nova oritura mala, quibus nigram facem jam tum præbuerant ludentia paſſim Eryſipelata, tum pronus heu nimius hoc anno ad *Staſin* cruor, tum quæ *Epidemici primi Ordinis*, ſeu anni Principis Morbi dignitatem ſibi comparaverant exortæ paulo ante Arcturum febres, quas etſi intermittentium pleraſque morem ſervaſſe meminerim, quid tamen *Sacrum* ac re ipſa ingens ineſſe iis, ſolertibus Viris jam tum viſum aderat, perſpectumque.

XVI. Sane ut ab Eryſipelatum narratione ad exaratas febres gradum faciam, exercitationibus utique haud impoſuerant illæ, vel primo ſui initio, quippe eam, quam prætulerant primo adſpectu faciem, facile conjicere erat ſimulatam eſſe; ſubque ea larva, ac ſimulationis artificio magnum latere aliquid ſe ſe manifeſtius oſtenſurum aliquando. Enim vero cum nihil hujuſmodi unquam ſuperiore anno contigerit, eruere erat ſtatum liquidorum toto jam penitus Cælo diſcrepare ab eo, quem ipſamet liquida dudum obtinuerant: Ad *Staſin* ſcilicet magis illa vergere, eaque proinde præcavenda mala, quæ ab prono ad concretionem ſanguine ortum ducere novimus. Atque hanc quidem novam rerum Scenam induxerat nova anni Conſtitutio appetente Libra, ſtatim atque hiſcere cœperant ab gelido Aquilone Septembri menſe flatus, qui diatheſin Aeris extemplo prope immutarunt.

XVII. Memini quidem me plures tum temporis de iis quæ Subalpinis prope impendebant currentis decurſu anni, ægritudinibus, ſermonem habuiſſe cum celebrioribus Artis Magiſtris; quos eximiæ mihi laudi foret debita honoris præfatione ſingillatim recenſere, ſi prolixiorem me eſſe ſineret dicendarum rerum magna ſeges, ac dignitas. Edoctum fecerat anteacta ſuperioris anni Conſtitutio, quæ a ſanguinis fluore, quæ ex adverſo ab eodem ad fixitatem ac lentorem properante, quæ rurſus ab hac vel illa aeris craſi timenda magis, ac prævidenda ſunt. Ecquid autem perſpicuum magis, quam ab tendente ad concretionem Sanguine ea quidem prænoſcere, ac prænunciare, quæ a minus veloci tramite progredientibus liquidis, hinc ab conſueto eorundem more abludentibus ſolidis neceſſario ſubſequi, atque expectanda eſſe Mechanicæ nos leges docent, quibus tum liquida, tum ſolida inter ſe invicem eleganti ludunt ſpectaculo? Ut exacto anno prodierant mali ingenii febres, tum quæ ſub iis merebantur ſpaſmodicæ ægritudines cæteræ, illæ a ſanguinis fluore ortæ, hæ ab exoticarum particularum ſpiculis, quas una ſecum invexerant dire, ac diu ſævientes Auſtri; Nova modo rebus inducta facie a priori diverſa prorſus, nova quoque morborum proles caput extulit, quos anteire, ac ceu prima acies celeritate vincere viſæ fuerant recens enatæ Autumno febres. Tantum ſcilicet adhuc intra liquida res erat brevibus circumſcripta finibus, propagata nondum ad ſolidas partes labe. Et ſane ut parva ſæpe ſcintilla magnum excitavit incendium, novæ hinc, totque ortum duxerant ægritudines, quæ omnes quidem ab uno fonte progerminarunt, una omnes, ac eadem methodo profligandæ, etſi pro diverſa, quam induerant, larva inter ſe invicem differre quodammodo viderentur.

XVIII. Enim vero ſi præfatas febres attentius expenderit quiſpiam, ſi harum ortum, ac incunabula, morem, ingeniumque, otioſe ſingula, & conſiderate perpendimus, atque hæc omnia in animo vere cogitamus, nullam prorſus illas inter ac febres intermittentes, ita vulgo dictas, originis affinitatem comperimus. Sic quidem illas vocare lubet ab intervallo paroxyſmi interjecto, ut morem Practicis veteribus geram, quibus olim appellationes febrium, quibus dignoſcuntur, a qualibet ſanguinis alteratione, vel ſymptomate particulari deſumere ſatius viſum fuit, quæ diverſæ ſpeciei febribus pari jure poſſunt competere. Quidquam tamen ineſſe iis peculiare, arcanæ anni Conſtitutioni referendum, nilque penitus cum intermittentibus vulgo dictis commune, aut hiſce proprium tum ipſa febris indoles, tum quæ ſub illa ludebant per hyemen Eryſipelata, ad quorum aſpectum ſeſe illa toties abſcondere viſa eſt, tum quæ deinceps proximo Vere, ac æſtate ſeſe prodiderant ægritudines, aperte ſatis oſtenderant. Nec quidquam vetat *Eryſipelatoſas* nuncupare, aut ſi mavis dicere, *Igneas*, ab urente ſenſu caloris, inducta in liquidis ſtaſi; *Hemitritæos*, ſive *Semitertianas* dixere Veteres, de qua febre doctiſſimum vide *Duretum*, in Coac. & ſuum, quem ita bene commentatus eſt *Divinum Senem* 1. *Epid. com.* 3. *aph.* 5. Neque enim abs re erit haſce febres concipere, ceu accenſionem quandam eryſipelatoſam cruoris ad fixitatem vergentis, qui idem ſtatim ac perflantes Auſtri rarefactum magis aera effecere, ante acti lentoris veſtigia in hac, vel illa externa corporis parte depoſuit. Ubi vero denuo hiſcente Borea conſtrictus magis, condenſatus ac compreſſus aer evadebat, docente Barometro, eædem iterum redibant febres, intra ipſamet liquida rurſus ſeſe condente igne; Qui idem aut Phrenitides plerumque, aut funeſtas huc illuc *Syſtrophes* ludens pepererat.

XIX. Ac revera intervallum illud Paroxyſmi interjectum larva erat, ſeu ſimulationis integumentum, quo incautiores aliquando hujuſmodi febres feſellerant. Cernere erat in hoc apyrexiæ ſtatu, ſi modo ita dicere fas eſt, ægros, non ut mos eſt in cæteris febribus, pene omnino ſublevatos pleno inter duos quoque paroxyſmos intercedente intervallo, aſt potius vexatos pene dixerim magis, anxios, pervigiles, ſiticuloſos, ore, oculis, ac fronte turbatos; Pulſus aderat parvus, humilis; urina impenſe rubra; tenſivus capitis dolor, dirus, ac immitis prorſus, æque ac ſub ipſo febris ſtatu, ac incremento; Nullus quoque tum accenſionis initio vomendi conatus, aut ullum vel levioris nauſeæ veſtigium, quod hærentem in primis viis mali ſomitem oſtenderet, quam citiſſime removendum; tum declinante paroxyſmo emergens ſudor, quo apparente ſolent intermittentes febres per vices deſinere. Summa namque rerum, ac potiſſima morbi cauſa a Phlogiſtica liquidorum craſi, ac proinde turbato eorundem progreſſu repetenda erat. Quod quidem probe diſtinguere, tum probe noſcere

ſcere opus aderat, ut inde curativæ indicationes rite dirigerentur; Aliter exulcerabatut magis res, ſtupente Medico, ac morbi malignitatem petperam accuſante. Neque etiam, ne quis me immemorem prorſus credat, ac retum, quas ſub oculis habuimus nuper oblitum, eadem adetat ſingulis æqua rigoris acceſſio. Quidam enim exiguo horroris veſtigio, plerique valde ſenſibili rigore cortipiebantur. Nonnullis primo tanrum acceſſu, ac febris aditu, haud paucis ad ſingulas acceſſiones, ac vices idem rigot, ac horror ſupervenit. Horum plurimi toto apparentis Apytexiæ decurſu moleſto quodam frigoris ſenſu detinebantur, pulſu vix elato, ceu exquiſita tertiana laborantibus aliquot ante acceſſionem febris horis contingere ſolet. Quidam etiam properante ad exitum morbo, una cum judicatione majori horrore obriguere. Sæpe id latentis diu vomicæ inopinato diſruptæ præludium extitit; Autumno quidem, ac per hyemem omnino pauci: Vere, ac æſtate longe plurimi, Vix quenquam novi abſque ſanguinis e naribus, aut ab hæmorrhoidalibus venis profluvio ſanatum. Utrique horum conturbata ſæpe alvus proluſit, aut quod inchoaverat opus, abſolvit. Quibus nihil hujuſmodi obtigit. Phrenitide per hyemem, ac Veris initia correpti ſunt, quorum neminem ſervatum vidi. Orto autem Vere pleriſque læta pulmonum ſuppuratione, dummodo in docti, ac ſolettis Medici manus inciderent, incolumes evaſere. Quæ quidem ſequentibus ægrotum recenſionibus illuſtriora efficete pergam.

Æger Primus.

SUtoris Uxorem, ptopter Regias Archigymnaſii Ædes degentem, quas ſuperioribus annis vix confecto bello, magno ac Rege digno ſumptu e fundamentis erexit, atque hoc ipſo An. MDCCXX. XIII. Kal. Decembris feſtiſſima pompa, omnique lætitiæ apparatu, Muſis reſeravit INVICTISSIMUS REX, ignis, ut *Hippocratis* verbo utar, hoc eſt vehementiſſima febris cum rigore prehendit. Huic inter exordia intenſus capitis dolor conrigit, lumborumque, ac præcordiorum dextrorum, quæ quidem mox fluentibus menſibus allevata ſunt. Sexto die rurſus ſuborto rigote exaſperata ſunt omnia. Somnia non aderant, extrema frigida, pulſus parvus, ſitibunda erat, aduſta alvus pauca demittebat. Septimo pulſus elatior, urinas reddidit impenſe rubras, levius habuit. Octavo rediit rigor, capitis lumborumque dolores intenſi magis, lingua ſicca, urens, fuliginoſa. Nono quievit. Undecimo ſub noctem conturbata eſt alvus, multaque prodiere cum bilioſo affluxu. Decimo quarto perturbata iterum alvo perfecta judicatione abſoluta fuit.

Æger Secundus.

MUlierem quandam gemellas laborioſe enixam, cum non admodum partus purgamenta proceſſiſſent, primum quidem febris corripuit horroris ſenſu haud exiguo; Mox capitis, & cervicis gravitas non ſine dolore tenuit. Poſtridie moleſte habuit, non dormivit. Tertio die repetiit una cum rigore febris, pulſu parvo, humili ptorſus, abjecto, præcordiorum anxietate magna, ſiti multa, inordinate quidem, & inconſtanter perturbata, rurſuſque conſiſtente alvo. Septimo paulo elatior pulſus; ſub Veſperam febris rediit, exiguo præludente rigore. Octavo lochia repente fluere, atque uno, eodemque temporis momento latis puſtulis ſubrubris fœdari viſa cutis, ad tertiam uſque vicem ſeſe oſtenderant, condebantque viciſſim. Capitis mox, ac cervicis dolor remiſerat. Quievit. Undecimo copioſe adhuc fluentibus lochiis integre convaluit.

Æger Tertius.

PRæſul digniſſimus, qui juxta Dianæ Templum, nunc Sacram *Confraternitati Sancti Spiritus* ædem decumbebat, febri acuta correptus eſt cum rigore. Lingua reſiccata, erat ſiticuloſus, bile abundans, ſomnum non cœpit. Poſtridie vix horum veſtigium aderat. Tertio, quinto, ac ſeptimo per vices repetiit febris una cum intenſo dolore capitis, qui interjecto paroxyſmi intervallo augebatur magis, quin etiam vix elatus pulſus toto Apyrexiæ tempore percipiebatur. Nono in ſiniſtro femore ſplendens rubedo apparere viſa in Orbem veluti, ceu lata macula paulo ſupra femoris articulationem cum Tibia, quæ cito priorem deſerens locum in ſuperiori femoris parte ſeſe prodidit, mox in ejuſdem lateris Tibia haud longe a malleolo interno, Thaleri Imperialis magnitudinem haud multum ſuperans, *Eryſipelas volaticum* appellant. Decimo quarto copioſa e naribus hæmorrhagia ſuperveniens morbum feliciter abſolvit. Huic alvus ab initio continenter biliioſis liquidis multis diffluebat, aut ſi conſiſteret, fetvida, & cruda dejiciebat. Urinæ per totum morbi decurſum rubræ admodum ſublime quid in medio ſuſpenſum habentes.

Æger Quartus.

NObiliſſima Mulier, quæ prope Collegium Patrum *Societatis Jeſu* habitabat, ut filiam enixa eſt, nec purgationes irent, eam tertio die acuta febris cum hortore corripuit. Octavo deliravit, ſtatimque ad intelligentiam rediit. Undecimo pet intervalla ſoporis quadam ſpecie detinebatur. Sub noctem extrema paulum perfrixere, ſed mox recaluit: Mente nonnihil mota eſt media nocte. Duodecimo ſub tempus matutinum latenter obiit. Aperto cadavere plurimum grumoſi ſanguinis in cavo uteri repertum, tum vaſa quæque uteri ſanguinea diſtenta valde, ac fere varicoſa; Inteſtinorum extetna facies atro ſuffuſa colore; Hepar prægrande admodum. Potiſſima vero mortis cauſa in dextra uteri tuba ſeſe prodidit, ubi diſrupti recens tumoris veſtigium aderat, ac inundantis adhuc materiæ albæ, fœdæ, teterrimæ. Plura mihi quoad morbi hiſtoriam, tum anatomicam cadaveris adminiſtrationem ſcire haud licuit a Medicis, qui tum curationi, tum ſectioni intererant. Sane ejuſdem, ac reliquæ, quæ tum temporis ſæviebant febres, indolis hanc fuiſſe, qua nobiliſſima Mulier fato ceſſit, fidem fecerat indubia *Archigenis* conjectura, tum quæ in cadavere obviam venerat puris copia, diſruptus Tubæ abſceſſus, vaſorumque per uteri ſubſtantiam repentium varicoſa tenſio, a lenteſcente cruore, unde phlogiſtica primum labe, mox ſuppuratio ortum tulit.

Æger Quintus.

ADoleſcens tum illuſtri ſtemmate, tum morum candore, ac probitate præclarus, qui prope Templum *B. V. Angelorum*, decumbebat cum ejuſmodi Eryſipelate, cujus ſupra memini *ægroto tertio* per Autumnum labotaſſet, quo crura modo, modo pubes, ac finitimæ Scroto partes infeſtabantur; Mox auriginoſus extemplo factus, acuta dein febri, extrema hyeme, quæ cum exiguo rigore primum, mox abſque ullo rigore pet vices repetiit, correptus fuit; Pulſu vix elato, qui idem per totum morbum permanſerat, magna capitis gravitate, ſiti ingenti, aduſta alvo. Quod poſtremum quidem in omnibus fere hujuſmodi febribus ægrotantibus adnotare erat. Reliqua, quæ ad morbi decurſum pertinebant, cum ea diſtincte unquam ſcire mihi conceſſum haud fuerit, reticere magis lubet, quam exarare. Sexto ingenti oborto ſtertore celerrime periit, enata forte, ut ego ſuſpicor, ac propagata ad pulmones labe, quæ tum per hyemem ſimulate incedens ptoximo mox Vete larvam abjecit.

Æger Sextus.

JUriſconſultum juxta *Theatinorum domum*, qua ad ſotum itur Oſitorium, febris a cœna vehemens prehendit; Noctem laborioſam tranſegit. Poſtridie per totum pedem ad talum uſque tumor ſubruber, ac tenſus valde apparuit, cujus in centto atrum quid aderat, ac ſubnigrum. Inſania correptus eſt; Ex alvo mere bilioſa plurima proceſſete. Paulo poſt convulſionibus a capite ſubottis celeti fato interiit. Ingenii erat tetrici admodum, attoque vultu, abſque hominum conſottio omnino alienus, ceu *Myſanthropos* alter.

Æger Septimus.

PAri quoque etſi veloci minus fato ſublatus eſt piiſſimus Sacerdos *Congregationis Oratorii Divi Philippi Nerii*, mihi amiciſſimus; Is cum initio hyemis diro cruris Eryſipelate laboraſſet, paulo poſt, medio ſcilicet Januario deſipere leviter cœpit, mox in furorem repente agi una cum febri acuta ſtatis vicibus repente. Urinæ aderant pallidæ, decolores, tenues, atro quodam in iis ſuſpenſo, quod in acutis plerumque morbis Phrenitidem præſagire ſolet; Oculi protubetantes, truceſque; Facies tetra, vultuoſa, horrenda aſpectu; Lingua, pulſus durus, reſpiratio rara, & magna, fæces albæ, collectio floccorum. Præceſſerant hiſce ſomni turbulenti, Stillicidium narium, oblivio ſubitanea, alvus ſuppreſſa diu, ac mœror ingens tum prope imminentis, tum ptæſentis mali præludium idem, ac comes. Rogatus ego una cum Parente meo, ut ægrotanti opem præberem, ejus ſententia, & auctoritate nihil præſentaneum magis viſum fuit, quam ea citiſſime validiſſima remedia adhibere, quibus tolli poſſet inflammatio ad cerebri arterias otta; Miſſiones nempe ſanguinis repetitas, diluentia ex decoctis antiphlogiſticis, nitroſis affatim exhibita, pediluvia, Epiſpaſtica, Cucurbitas, clyſmata, & his ſimilia, quibus ex voto obtigit ferocitatem morbi compeſcere; apparente iterum ad crura Eryſipelate, cujus præſentia, ceu læto enitente ſidere exarata ſymptomata quæque mitius extemplo laceſſere, ac dein ſeſe ſubducere prorſus viſa ſunt. Hæc una namque ſalutis ſpes erat materiam morbificam, ut cum Practicis loquar, in parte Principe dire ludentem, quam vincere prorſus haud poterat Ars, ad crura revocare, quo illa primum erroris ſui notam reliquerat. Atqui evaneſcens brevi recens ortum Eryſipelas, omnemque deinde eludens Artis opem ſævioris mali omen tulit. Facta namque ad pectus indomiti humoris metaſtaſi, inque exili pulmonum membrana, ac tenelli vaſorum reticulis oborta phlogoſi, lethalis Peripneumonia impedito ſanguinis trajectu ſucceſſit, quæ nullum faciendæ amplius Medicinæ locum reliquit. Nil melius *bona criſi;* Nil pejus, & mortiferum magis, quam prava metaſtaſis, vel egreſſionis progreſſus ad peſſimam *Epigeneſin*. Mala enim orta malis graviſſima inferunt mala, quæ ſunt veluti ſoboles quædam tum *Phlegmones*, tum qualitatis malignæ, & partium oppreſſarum.

XX. Atque hæ ſunt ſelectiores Ægrorum hiſtotiæ ea, qua paſſim in adverſariis feſtinante calamo exaratæ fuerant, ſtyli perſpicuitate, ac brevitate, quod in hiſtorica narratione potiſſimum expetitur, conſcriptæ. Quæ quidem haud exiguam lucem affetent, tum iis quæ ſuperius attuleram, tum quæ adhuc dicenda manent plura, per Autumnum, ac hyemem geſta, perque totum dein currentis anni decurſum. Enim vero, ut de harum poſtrema tantum eloquar, quantum ab hac una lucis in morborum ſucceſſionibus dignoſcendis, præcavendiſque, quam ſibi illuſtrandam, exornandamque Spattam conſtituerat ſeriore, Libitina dignus illuſtris *Baglivius;* Quantum inquam lucis, claritatiſque eniteat nemo non videt. Equidem magna hæc eſt Sapientiæ laus morbotum converſiones, non leves illas utique, & parvi momenti, quæ frequentiſſime occurrunt, & ſuccedendi progreſſum, ac normam conſtantem ſervant, at quæ vel ſolertioribus ſæpe negotium faceſſunt Viris, futuras noſſe, ac velut e ſpecula prævidere; Sæpe hinc novum orientem, aut recens ortum morbum vel ipſa inter exordia reprimere contigit auſpicato.

XXI. Timendas morborum ſucceſſiones ſcite non minus, quam docte admonuit ex *Galeno Ballonius*, ac diu olim, qui utrique præluxit, Magnus Artis Dictator *Hippocrates;* Timendas utique, atque eo magis conſiderandas, quod haſce inter converſiones, ac tranſmutationes morborum multa paſſim ſymptomata contingant, quæ bonis, & eruditis Medicis ob ſimilitudinem, & fallaciam perſæpe imponunt, & novi morbi tanquam rediviva ſoboles, ex aliis ſubinde conſequantur, atque repullulent. In univerſum vero calamitoſior eſt morbus, qui alteri ſuccedit per metaſtaſim materiæ morbificæ in Partem Principem fractis jam viribus. Nemo namque dubitat, quod materia prioris morbi mitior ſit, quam ſecundi, per metaſtaſim nati.

XXII. Nec difficile erat conjicere tot inter nova orta mala imparem, ac prope effœtam Naturam haud poſſe amplius diu ludentis impetum eludere, illius vim fetitatemque compeſcere. Simile quid olim Panormi obtigiſſe memini Præclaro Equiti Triremium Præfecto, cui ad tertiam uſque vicem enotmem Tragœdiam dirum luſerat in crure Eryſipelas, totidemque illud vicibus gravior alter morbus exceperat, quo tandem, num auxiliatticis Artis ope, an Naturæ potius victricis auxilio incertum adhuc, utriuſque ſaltem beneficio, conturbata ſponte alvus, tum copioſa contingens ab hæmorrhoidalibus venis ſanguinis evacuatio, deſperatam jam pene rem opportune reſtituit. Nihil autem hujuſmodi, quidquid molita fuerit Ars, Piiſſimo Viro contigit; Errabunda namque materies vix etroris monumenta prodidit; Magnum ptofecto lentoris argumentum,

quo

quo ceu compede obſtricta liquida haud poterant amplius in libertatem adigi, ac certanti Naturæ obſequi. Neque enim Criſeos loco erat, aſt imparem potius Naturæ conatum oſtenderat recurrens ad crura Eryſipelas, quod lethali tandem Peripneumoniæ *lampada* præbuit; nil namque paulum eriticum unquam. Pro morbi vero magnitudine impar heu nimis aderat Eryſipelatis in crure veſtigium; Ira *Temeni Nepti* (*a*) apud Senem Magnum, in acuta, & magna febre metaſtaſis facta eſt ad digitum, & mortua eſt, *cum non ſufficeret ad ſuſcipiendum* exigua adeo pars quidquid expellere Natura tentaverat. Cœperat ipſa quidem, nec potis fuerat inchoatum motum abſolvere, infauſto prorſus judicio, exituque infelici: Ceu cum exhibitum olim venenum poſt multos annos, derepente exorto in parte aliqua externa dolore homines celeriter extinguit. Atque tunc ego quidem cum recurrere vidi Eryſipelas abſque ulla alia manifeſta criſi, dirioris mali omen adſtantibus haud ſine magna Artis laude prænunciavi (*b*) *Avicennæ* conſilio edoctus, cujus utique fraudis, & inemendabilis doli infinita prope exempla legere eſt apud *Hippocr. & Galenum*, alioſque Medicinæ Principes, atque Anteſignanos. (*c*)

XXIII. Dignaque fane quæ attentius expendatur, hæc ipſa aderat tot invicem morborum converſio, atque ſucceſſio. Eryſipelati namque, quod primum in re proluerat, Phrenitis ſucceſſit, huic altera vice Eryſipelas, atque huic poſtremo Peripneumonia, qua tandem vita defunctus eſt æger. Totidem malorum ſucceſſionibus totidem quoque cernere erat ludentis una tempeſtatis mutationes obſequi. Cum primo enim Eryſipelas præluxerat, Auſtrina Conſtitutio vigebat, quæ ad plures dies prope appetente Solſtitio perduravit. Succeſſerat hinc gelidus mox ab Aquilone flatus, ac tum quidem in Phrenitidem factus eſt tranſitus. Dein vero repetentibus Auſtris, Eryſipelatis iterum in crure veſtigia graviori morbo præluſere; Novo namque inducto repente frigore, Borealium ventorum afflatu, poſtremum Tragœdiæ actum abſolvit inopinato oborta lethalis ima intra præcordia *Syſtrophe*, qua tunc dierum plures celeriter e vita migrarunt, atque hos inter Senes potiſſimum, tum qui ſeroſa ad pectus colluvie conflictabantur diu. Tot ſcilicet malorum tranſmutationes a diverſa Aeris Diatheſi, quod *Divinum* illud eſt, ac revera Sacrum Mortalibus, proficiſcebantur, impendentium morborum proludia ac incrementa.

XXIV. Prope namque imminebat prævisa diu nova malorum Soboles, quorum præcipua Scena intra Thoracis delubra parabatur. Prodire quidem jam tum per hyemen cœperant exitiales pectoris ægritudines, at errantis potius in morem nedum auferant adhuc ſeſe palam, apertoque Marte prodere. Nondum enim larvam abjecerant penitus exortæ Autumno febres; Quinimo attollere hæ magis caput properante Vere viſæ ſunt, novo recens, atque acerbiſſimo oborto frigore, quod luctuoſam rerum faciem ipſa inter veris exordia reddiderat. Denſo hinc agmine viſæ foras erumpere Arthritides, Hemicraniæ, Anginæ, atque una cum toties exaratis febribus ultro, citroque ludere, quibus illæ ceu ingruente hyeme Eryſipelata, ac Epidemici inferioris ſubſellii famulabantur. Uno in Monialium Cœtu *Divæ Mariæ Magdalenæ* omnes fere Veſtales angina correptæ, extremos morituræ hyemis conatus dire pertulerant. Quidam quoque e Civibus, cum magis ingraveſceret frigus, repentina morte ſublati ſunt. Quoſdam etiam memini hoſce inter tumultus repente inſanientes, quibus nil tale unquam contigerat. Pleriſque ulcera per hyemem prodiere maxime in pueris, & præcipue pedibus, digitiſque eorum, nonnullis etiam in manibus. Rubor cum inflammatione mediocri aderat. Haud paucis puſtulæ oriebantur, dein exulceratio, Prurigo modica, dolor ingens; Multis humor exibat, ſed non admodum, qui referre, vel pus, vel ſaniem videbatur. Dira æque iis quoque extitit hyems quos diuturniores ægritudines dudum vexaverant; Plerique horum namque ad interitum juſto celerius forte properarunt, atque hi potiſſimum, qui Scorbuto, Phthyſi, aut Hydrope laborabant duduni. Hos inter Scorbuticis præcipue frequentiſſimæ obtigere hæmorrhagiæ lethales ex ipſa cute externa non apparente vulnere, quod, mirabile dictu, obſervatum fuit in Pictoris filio ſeptenni prope *Collegium Nobilium Patrum Jeſuitarum*. In Cauponis uxore ad *Forum Carolinum* jam quinquagenaria prope, tum in Quæſtoris famulo haud longe a Foro *Caſtri* dicto; Potiſſimum vero ex labiis, gingivis, ore, naribus, utero hujuſmodi excretiones obtigerunt. Memorandum Mulieris exemplum adhuc ſubit lethali hujuſmodi ex raninis venis hæmorrhagia brevi temporis intervallo peremptæ. Cœperat illa diu olim Scorbuto dire vexari innupta adhuc. Nupta dein ſævius per vices recurrere ſæpe malum conſueverat, quod quidem ingraveſcere magis, ac *vires acquirere eundo* oſtenderat difficilis magis, anheloſa, ad motus vel paucos fere deficiens reſpiratio; Dolores varii, ac vagi per omnes internas, externaſque corporis partes mira producentes tormina Colica, Hyſterica, Iliaca; Rubræ modo, modo flavæ, ac violaceæ maculæ in cute apparentes; Crurum tumor accedens, recedenſque; Oris fœtor, Gingivæ tumentes, adque minimam preſſionem evomentes cruorem; Dentium vacillatio, ac nigredo; Quodque funeſtiſſimum aderat, varicoſi annuli ad raninas venas, quibus inopinato reſeratis lethalis oborta eſt hæmorrhagia, cui obſiſtere nulla Ars potuit unquam. Huic Soror aderat, quæ atrocibus æque conflictata malis haud abſimili prorſus fato biennio ante vitam cum morte commutaverat. Utrique harum, cum tenella adhuc ætate forent, dira ſcabies, ac improba ulcera futuri incrementa mali præluſerant, quibus ſicca dein ac lenis Elephantiaſis ſucceſſit.

XXV. Horum alteri, quos tum temporis repente e vivis ſublatos memini, latæ admodum maculæ, ut a Chirurgi ore didici, qui inſpiciendo cadaveri accitus fuit, ut quæ celeris adeo, citæque necis cauſa fuerit ad eos, ad quos id ſpectat, renunciaret; latæ inquam admodum maculæ in univerſo corporis ambitu conſpiciebantur; colore violaceo, ac fere ſubnigro, tum quæ præſertim præcordia, crura que, ac totum vertebrarum tractum occupaverant. Magnæ id quidem inductæ in liquidis ſtagnationis monumentum. Id namque eſt exiguas inter, quas *exanthemata* Græci vocant, ac latas maculas diſcrimen, quod illæ fuſionis, (*d*) ut ſuperiore anno adnotavimus; hæ coagulationis potius, ut ajunt, præludia ſint, quod idem mihi aſſidua per ſexdecim fere annos apud Subalpinos praxis edocuit. Illæ febribus continuis, mali

Supplem. ad Sydenham.

(a) *Sect.* 1. *lib.* 2. *Epidem.* (b) 2. 4. *tract.* 1. *cap.* 29.
(c) *l.* 4. *Epid. tract.* 81.
Id. l. 3. *Epid. tract.* 2. *Id. l.* 1. *Prorrhetic. ſect.* 2. *com.* 17.
Petrus a Caſtro ſect. 4. §. 44. *& ſeq. Bagliv. Pract. Med. lib.* 1. *pag.* 51.
(d) *Conſtit. Epid.* 1720. *pag.* 64.

moris, exitialibus morem gerunt, hæ diuturnioribus paſſim malis, ac Scorbuto potiſſimum facem præferre viſæ, tum perſæpe etiam repentinam mortem proſequi, aut illi proludere, ut in repente denatorum Cadaveribus cernere eſt aliquando. Illæ rurſus rubræ magis occurrunt ob tenuiores quas effuſus ab arteriarum oculis cruor dimiſerat, profugas, ac diffugientes hinc inde partes; Hæ vero ſubnigræ, ac ſublividæ prorſus ob fixiores ſanguinis particulas venarum extremitatibus hærentes, ut air *Villiſius*. Illæ ſanguinis Phænomena coire amplius haud potentis, hæ futuri, ac prope imminentis lenioris exordia. Haſce inter poſtremas, quæ ſublividæ ſunt, prolixioribus illæ malis, quæ nigræ vero ſubito, aut celeri fato præludere ſolent. Nuper deſideratus omnibus, dum hæc ſcribo, celeriter obiit Amicus meus, qui ad novum Urbis ambitum *apud portam Secuſinam* habitabat, cui perquam latis hujuſmodi maculis ſummo quodam mane, cum alias ſaniſſime degeret, interſtincta illico cutis apparuit. Veſpere cum ad cœnam lætus accederet, e vivis repente exceſſit. Nuper etiam diuturno confectus morbo ad plures abiit Piiſſimus Vir prope Templum *Divi Franciſci de Paula*, cui biennio ante ſublividæ maculæ Veris initio, mox fœdus Ictерus nulla proludente febri inopinato obtigit, præduris diu, ac tenſis admodum Hypochondriis; Aperto Cadavere vel minimam bilis copiam in cyſtide, ac nigerrimam prorſus, atramenti ad inſtar obſervavi. Idem olim in mortuis derepente adnotavit *Fernelius*.

XXVI. Atque hoc quidem ſenſu ajebat *Duretus*, livores pejores eſſe quam nigredines, in Chronicis nempe affectibus, ubi illæ e malis veniunt per mala; ſucceſſione veluti, ac converſione unius morbi in alium, metuenda quantum. Secus utique in acutis, in quibus *palindromes*, *ac gangrænæ* prope jam factæ indicio nigredines ſunt. Sive vero ſublividæ, ſive nigræ ſint ad cutim maculæ; Utriſque diuturna jecoris ægritudo aut vehementiſſimus dolor præludere conſuevit. Hinc ſublividis potiſſimum Ictерus ſæpe, aut illæ Ictero fatali proluſere. In hac ego Icteri ſpecie a viſciditate, & ab amurcoſa bilis qualitate orta tartareis, veluti pro ſecreto, uti ſoleo, & aqua Nuceriana Sale admixto prunellæ, repetita per duas, vel tres vices purgatione alternis diebus ex Rhabarbaro, quod olim jure merito *Patrem Hepatis* ob ſpecificam ejuſdem ad pleroſque Hepatis effectus curandos virtutem dixere *Arabes*; Deinde ad Serum lactis veniendum cum marrubio bullitum, & ſingulo mane calide dandum; Quod ſi nimium fuerit amurcoſa bilis circa jecur impacta, aut magna ejuſdem viſcidæ, nigreque prorſus copia, addi poterit cum ſero in maceratione drachma una hellebori nigri præparati alternis diebus vel cochlear unum, aut alterum *Syrupi cachectici Fernelii* cum helleboro, qui ſyrupus magnarum eſt virium in Chronicis; Et demum omni bile hac methodo expurgata, (hic primus curationis ſcopus prudentis Medici eſſe debet) chalybeata, & roborantia uſurpanda, nunquam infelici ſucceſſu.

XXVII. Neque enim raræ omnes Icteri ſpecies tantum, quotquot recenſeantur a Practicis, tum hujuſmodi exarata modo, cui ſublividæ ſæpe maculæ anteire ſolent, ſed Chronici fere morbi omnes a male affecto Hepate ortum habent. *Tantæ* ſcilicet *molis* adeſt hæc una haud immerito Princeps pars inter cæteras, quas præclaro quodam munere in œconomia animali fungi novimus; Ut contabeſcant hæ ſenſim neceſſe ſit illa laborante, ac pereant tandem, ni ab imminenti exitio quam citiſſime tueatur, Hyſtericis, Calculoſis, Colicis, Scorbuticis, Lienoſis, Aſciticis, Tympaniticis, ac innumeris id genus aliis nunquam obſervatum incolume hepar, quinimo ab hoc uno malorum fomes, ac origo ſæpe repetenda, obſtructo ſcilicet, inflammato, aut ſcirrhoſo, quæ tria duritatis nomine vocat *Hippocrates*: (*a*) Quod autem horum aderit, ſtercoroſæ dejectiones oſtendent.

XXVIII. In hac perturbatione rerum, torque inter exaratas ægritudines diuturnas, quæ impendente Vere, aut ægros ad interitum celerius forte, quam par foret, ducere, aut exacerbari magis viſæ fuerant, obviam veniunt peculiares Virginum affectus, qui, ſi dire crudeliterque unquam, tum per hyemem maxime erga inſontes Puellas tyrannidem ſæviſſime exercuere, a copioſiore liquido iidem potius ſtagnante, ac preſſis nimium proinde vaſis orti, quam ab effœto eodem, pravo, ac vapido, ut etiamnum ferunt exercitatiſſimi Viri. Proderat hinc iis magis, quam celebriora quæque chalybeata uſurpari ſolita, iterata venæ ſectio in pede. Ipſa dein vaſa a plethora nimis debilitata adſtringentibus opportune roborando, ac confirmando. Quibus confeſtim ad Martialia properatum eſt, magna iis repente excitata Phlogoſis graviora intulit mala. Ars quippe erat iis conſuetam Artis opem haud adhibere, quod quidem ab Conſtitutione Anni ediſcere eſt, ejuſque Principis ingenio Morbi, cujus imaginem ſæpe etiam referunt diuturnæ quotquot eo tempore ſæviunt ægritudines cæteræ.

XXIX. Haud paucæ quoque Mulieres viſæ fluore albo per hyemem laborantes, tum ſubſequenti potiſſimum Vere, ac Æſtate; Atque illæ quidem præſertim, quæ hyſtericis olim inſultibus vexari conſueverant. Ars quoque iis erat non equidem effœto, pravoque cruori ſuæ reſtituendo indoli, non fermento ulli uterino emendando, aut exaltatæ bili demulcendæ incumbere, aut erodentibus ſalibus coercendis, inutili remediorum appararu. Aſt potius, ut ego arbitror, profectum ab univerſali cauſa malum, antequam radices ageret, aut adhæreſceret magis, elidere; Radicatum vero ſi quod foret, ac miſſis ſtirpibus firmatum proprio in ſolo, ac delubro reprimere. Utor ego frequentiſſime in hoc morbo, quo potiſſimum Noſtrates Mulieres laborare ſolent, ter quaterve purgato corpore (ſi hyſterica fuerit bis purgaſſe ſuffecerit) injectione alicujus liquoris appropriati.

XXX. Quod ad hujus fluoris ſcaturigines attinet, in obſcuro adhuc res latet. Nemo ſane, quod ſciam, acu illam tetigit hactenus. Crediderim ego haud aliunde petendas eſſe illas, quam ab iiſdemmet menſtruorum fontibus. Nec profecto ab veroſimili prorſus aliena hæc hypotheſis eſt. In quotquot enim, quæ hujuſmodi profluvio diu laborantes e vita migrarunt, nihil in utero compertum memini, præterquam ſeri aliquod in ejus fundo effuſi, quodve adhuc exigua copia premente digito ab hiantibus forte vaſorum orificiis guttatim profiliebat, ceu in iis quoque intueri eſt, quæ inchoante fluxu menſtruo, aut pene jam peracto, defunctæ ſunt. Quamobrem ut ſatis eſt ea foramina, per quæ uteri ſinus cum hujus cavea communicare Clariſs. Viri obſervarunt, prope imminente menſtruo fluxu a vi erumpentis ſanguinis tantummodo diduci, quo ſanguis ſubinde effluat periodo

(e) *Coac.* 30.

nulli ignota, deſinens idem fluere, mox ac imminuta vi, tum quantitate liquidi, quæ unica eſt periodici ejuſdem fluxus potiſſima cauſa, ſeſe contrahentibus circumjectis fibris, exarata foramina occluduntur, aut ſaltem tantum patent adhuc, quantum ſatis eſt exiguo ſero jugiter tranſmittendo, quo uteri cavea humecta ſervetur. Ita laxatis forte fibris, aut iiſdem a nimio ſanguinis affluentis impetu debilitatis ſeri fluxum contingere puto magis, aut minus diuturnum, quo major, aut minor eſt fibrarum laxitas, quove magis illæ aut minus ſeſe reſtituere queunt, inque proprios ſyſtalticos niſus conſurgere. Raro, ac vix raro quidem puellas, aut virgines hujuſmodi affectu correptas memini, ſæpe equidem nuptas, tum quas hyſterici inſultus frequentiſſime laceſſere conſuevere; Pleraſque etiam novi a difficili partu in hanc ægritudinem incidiſſe, nonnullas poſt aſſiduam uteri hæmorrhagiam; Neminem unquam quinquagenaria majorem, aut quibus menſes defecerint. Quam facile vero laxari vaſorum uteri fibræ, quam levi de cauſa ea foramina diducta ſemel haud occludi penitus dein, quam celeri tramite per tot implicatiſſimos uteri ſinus affluens liquidum, tum gravitate ſua, tum forte etiam copia, uteri vaſa diſtendere, villoſque divellere repetitis arietationibus, & gravitatibus queat, neminem latet! Obſcurior res eſt quænam illa ſint, quove more ſe habeant exarata foramina, per quæ ab erumpentis ſanguinis impetu diducta leviter, aut diducta ſemel, nondum penitus occluſa amplius, tum menſtrua evacuatione cruor, tum ſerum diuturno fluxu ſecedit. Num villi illa forte arteriarum uteri evaneſcentium ſeu venarum ejuſdem primo naſcentium, vel earum limites? Sed de his pro inſtituto ſatis. Ad Arthritides modo, Hemicranias, Anginas, quæ ruente ex alto Borea Veris initia præceſſerant, mea ſe ſe convertit Oratio; Ne quid per hyemem geſtum prætermittam. Neque enim tantum juvat delibare rem, ſed & amplius lubet excurrere, quove illa omine præluxerit, aut obtigerit, expendere.

XXXI. Una eademque aderat harum omnium ægritudinum curationis ratio, ſi modo ad Principem ludentem affectum mentis acies dirigebatur. Sive enim ad fauces, ſive ad artus, ſive ad involucra cerebri, ſive ad oculos, (Ophtalmiæ nanque plurimæ ſub id quoque tempus proluſerant,) præcipuam ageret Scenam Morbus; Unus idemque erat vincendus hoſtis, idem omnino curandi ſcopus in ſingulis, idem pariter, ſi ab hoc quiſpiam Medicorum tantiſper abluderet ſcopo, expectandum ægrotantibus fatum, *Oſtendit autem ſanatio*. Neque enim purgantia, neque anodyna, neque alia quæque hiſce olim conducentia auxiliorum genera, profuiſſe viſa, præter venæ ſectionem, quæ feliciter ſæpe reſtituit rem, tum ea una ſimul exhibita remedia, quæ aut præſenti Phlogiſtico affectui compeſcendo, aut impendenti liquidorum præcavendæ labi, ex qua hujus, vel alterius Partis Principis imminens aderat Sphacelus, *Natura monſtrante viam*, citius occurrerent. Princips namque ad Principis morbi vim reprimendam, coercendamque, cujus imaginem referebant exaratæ omnes ægritudines, Princeps inquam præſidii genus id erat, quod ſtagnationem, ac lentorem liquidi eluderet, hoc uno affecti crimine, nimia ſcilicet ſui copia, ac pondere, quo lenteſcere idem in vaſis opus erat, aut ſaltem ſi non omnino adhuc lenteſcere videretur, ad concretionem, ac fixitatem celeri gradu contenderat; Quodque idem ob prægreſſas Conſtitutiones annorum magna ex parte Auſtralium id amiſerat ſui, quod illud poterat perenni actum in Orbem more tueri, abque prope impendenti exitio, ac jactura vindicare.

XXXII. Agebatur ſiquidem de ſanguine, qui mole ſua ſibimetipſi erat noxæ, ac detrimenti; Nullus hic proinde cunctationi locus. Timendum enim, *ne dum Romæ conſuleretur, Saguntus expugnaretur*. Si qua in re periculum fecit mora, aut *Præceps* commonente (*a*) *Hippocrate*, viſa *occaſio* fuit: In hac equidem illa eluxit maxime. Ipſeque ego quod ſancte aſſero nulli ex iis, qui per ea tempora ægrotaverant, aut Arthritide, aut alio quopiam ex prænarratis affectibus, tum aliis pleriſque diuturnioribus inauſpicato ceſſiſſe hujuſmodi præſidium memini, dummodo opportune adminiſtratum, *dum præſens aderat indicans*, ut Practici ajunt. Ejus namque erant hujuſmodi omnes affectus indolis, ingeniique, ut liquido gravitate peccanti morem gererent, cui haud lætius unquam, ac feliciore ſidere occurrere Ars novit, quam venæ ſectione repetita, quouſque ita ad ſolidorum libellam ſeſe haberent fluida, ut reſtituta invicem præclara æquilibrii ac conſpirationis lege, ſarta, tectaque res foret, ſupremum heu ſubitura prope diſcrimen! Cur vero lentore peccans cruor meninges modo, modo fauces, oculoſque, ac artus laceſſat inermes, modo inſontes aliquando pulmones, quod ſæpiſſime obtigit, haud ita implicata res eſt, ut Dædali ingenio opus ſit ad id revelandum, demonſtrandumque? Excelſa profecto magis eadem, ac digna Philoſopho *originis principium* harum ægritudinum, quas præſens currentis anni Conſtitutio in Scenam tulit, tum earum genium, ac morem propius inquirere. Cur eædem Arthritides, quæ tam dire adeo crudeliterque ſuperiore anno ſub Principe ludente affectu militaverant diu, diverſum ab iis, quæ modo per hyemem potiſſimum extulerant ſigna, toto cælo præſidium expeterent? Cur illæ ſpaſmodicis cruciatibus moleſtæ magis, hæ nihil hujuſmodi prætulerant? Cur raræ hoc anno hyſtericæ mulierum affectiones extiterant, quæ olim paucis pepercerant? Cur nullæ prorſus, aut vix paucæ ephemeræ viſæ febres, aut diariæ, ut vocant, quartanæ, ac hujuſmodi aliæ ægritudines cæteræ, quæ nullo non tempore proludere ſolent, tum ultro citroque ire nullius in ſervitutem redactæ?

XXXIII. Cæterum ab lentore ſanguinis, tot omnes etſi diſcrepantes invicem ægritudines prodiiſſe ipſe extractus e vena cruor colore, habituque aperte ſatis manifeſtabat. Quidpiam namque inſtar pelliculæ, aut exilis membranæ in ejus ſuperficie conſpiciebatur, qua diſrupta, viſcoſus, ac nigerrimus ſanguis in fundo vaſis ſupererat. Sæpe altera, ac tertia vice opus extitit ſanguinem mittere, imperante morbo quantum demendum aderat cruoris, non equidem illius colore, aut habitu, ut adhuc plerique autumant *Celſi* (*b*) authoritate ſuffulti, qui ait, *cum ſanguis profluit, colorem habitumque ejus attendere opus eſt; nam ſi is craſſus, & niger eſt, vitioſus eſt, ideoque utiliter effunditur*: Quod quidem idem *Celſus* accepiſſe videtur ab *Hippocrate*, dum dixit in Pleuritide ſanguinem eſſe mittendum, donec melior, aut ex nigro ruber appareat. Sane hujuſmodi ſententia, utut improbanda omnino non ſit, reticere tamen haud poſſum hinc ſæpe decipi Medicos; eamque nullo unquam in morbo curando ſatis eſſe conſtantem, aut ſufficientem metam, & periculo non vacantem ſuperfluæ evacuationis, aut ſuſpicione diminutæ; Perinde ac vetuſtiſſimam alteram *Galeni* ævo percelebrem ad animi uſque deliquium. Habent id quę a Majoribus tradita nobis oracula ſunt cum cæteris rebus commune longa vetuſtate præclaris, ut illa frequentius in medium afferri ſoleant, quam recte intelligi, & convenienter uſurpari. Non enim quia purus, aut quia mutatio in meliorem non fit, ſemper continuanda eſt miſſio: Neque quia mittitur, ſupprimendus eſt: Sed donec aliqua utilitas appareat, aut confertim, aut per vices educendus eſt, maxime in acutis morbis, & ſuo initio, quo, (ſi particulares ſunt, ut Pleuritis, Phrenitis, Peripneumonia, Angina, & aliæ inflammationes internæ, quibus ſuppuratis neceſſario ut plurimum mors ſequitur, aut etiam non raro ſuppurationem præcedit) dempta in tempore morbi materia, quæ in venis eſt, mature etiam ceſſet diſcrimen a morbo. Quod ſimiliter in ardentibus febribus, & ſynochis faciendum eſt. Detrahendus ſcilicet ſanguis non ſumpta meta a colore, & ſubſtantia ejus, ſed a morbi magnitudine, ſtatu, & Patientis viribus. *Leonard. Bottallus de curat. per ſang. miſſion. c.* 27. Nihil ſane Artem Medicam æque conjecturalem facit, quam medicamentorum quantitas, *quæ*, ut habet *Galenus* (*a*), *neque dici, neque ſcribi, neque definiri omnino poteſt*.

XXXIV. Detrahendus vero ſtatim aderat ſanguis, ac febrilis Scena exordiebatur, aut præfatæ particulares ægritudines proludebant; Ut deſiſtendum illico, ac conjicere erat parem fore Naturam obeundo certamini. Hæc meta, is ſcopus erat mittendi ſanguinis, *ſervare vires*. Equidem raro ullus graviſſimus morbus, ut Cynanche, Peripneumonia, Phrenitis, Febris ardens, cujus forte genium prætulerant exortæ Autumno febres, ne quid de cæteris dicam, non citiſſime, & feliciſſime curantur, dummodo *opportune* convenienti remedio illis ſuccurratur. Atque hanc utique opportunitatem, ſeu *occaſionem*, aut tempus conveniens *albo ſignandum lapillo* iidemmet morborum motus indicabant, potiſſimum quidem per horum initia, ſæpe etiam ſub eorum decurſu, aut illis jam ad exitum properantibus. Nulla namque expectanda unquam remiſſio febris, quæ ſi obtigerat aliquando, haud læti ominis erat; Nullus hic advocandus dierum numerus, aut exoranda Criſis. Ejuſmodi quidem aderant exaratæ ægritudines, quas ipſe olim *Galenus* (*b*) tradiderat, in quibus nihil tale quidquam attendendum eſſe ajebat, *imo quocumque die mittendi ſanguinis ſcopum in laborante inveneris, in eo auxilium illud adhibendum*.

XXXV. At urget, ajunt hic loci quam plures, urget in hac parte *Celſi* ſententia dicentis (*c*) *quod ſi vehemens febris adeſt, in ipſo impetu ejus ſanguinem mittere, hominem jugulare eſt*. Fateor id ego quidem, nec quidquam Magni Viri laudi demptum velim unquam, quem ego tam præſtantem doctrina fuiſſe reor, ut paucos ei anteponendos Latium protuliſſe cenſeam: Atque is forte Magnorum Virorum inſtar multa maluit ſeris Nepotibus in obſcuro relinquere. De his proinde ſuſpicari fas eſt locutum eſſe febribus (*d*) *puriſſimum Scriptorem*, ac prope dixerim (*e*) *Medicorum Deum*, quæ certam obſervant intermiſſionem, aut ſaltem per vices impetum remittunt, etſi ſemper durent. *Intermittentes* illas dicimus, has *continuas remittentes*; Quamvis etiam tunc vel in ipſo impetu majore febris nocere nunquam, ſed potius juvare venæ ſectionem compertum ſit.

XXXVI. Secus equidem cenſendum de iis, quas *Cauſos*, ſeu *Ardentes* vocant, ob frequentiam, diſcrimen, ſanandique laborem funeſtas ſæpe: Cujuſmodi aderant, quę Autumno primum ſe ſe prodiderant, ac toto fere Anni decurſu ultro citroque oberrarunt. Et ſane aut *famulante Natura* brevi ſolvebantur copioſa narium hæmorrhagia, ut pleriſque eo tempore obtigit, aut eadem *Natura* Duce, opportune celebrata Phlebotomia quam citiſſime per initia, atque in ipſo earum impetu jugulabantur; Secus aut ultimam rebus jacturam celeri nece attulerant, aut in diuturnos affectus diros admodum, ac graves quanquam minus calamitoſos abiere. Quibus poſtremis quidem nihil præſentaneum magis, aut opportunius unquam, quam ſanguinis detractio; Atque hæc quidem per hyemem, Autumnumque. Orto autem jam Vere in Peripneumonias deſiere lethales prorſus. Hæ nanque ut mox addam, aut velox inducto Sphacelo fatum, aut lentam ægritudinem facta ſuppuratione tulere; Cui imminenti exitio, antequam ſcilicet ſive Sphacelus, ſive abſceſſus prope eſſet, nil præſtantius unquam docuit Ars, quam ſanguinem demere lato vulnere, ac repetitis vicibus, dum vires ferant. De febribus loquor, quæ ab *ſtaſi cruoris* proficiſcuntur, cujuſmodi potiſſimum aderant, quæ exarata Conſtitutione viguerant, iis fere conſimiles, quas tum olim *impetuoſas* vocaverat memoratus *Galenus* (*f*), quaſve idem prolixa ſanguinis miſſione ſæpiſſime, ſubque ipſo earundem impetu, exortu, ac incremento jugulaſſe fatetur. Hoſce inter, queis copioſa narium hæmorrhagia morbum abſolvit, pueros præſertim hac ope ſervatos vidi. Adulti vero, aut provectiores ætate Viri, quibus id copioſe minus contigit, haud pauci in Arthritides, ac Hemicramias incidere graves admodum.

XXXVII. Nec citra operis pretium fore puto, ſi quod accidit mihi vidiſſe, hic enarravero, quod ad exaratos affectus, qui una cum ardentibus febribus longe lateque ſævierant, præſertim attinet, atque Arthritides potiſſimum, tum Hemicranias. Anginæ enim, quę novo repente exorto frigore facem præbuerant cæteris, brevi conſtitutos ſibi fines perſolverant; Adque primos mitiore flamine adſpirantium ventorum flatus omnino deſierant. Utque ab Arthritide initium feram: Ejus hæ aderant moris ut Vertebrarum tractum, tum anteriorem Thoracis partem, ipſaſque adeo Coſtas, earumque interſtitia laceſſerent magis, quam Ilia, extremoſque Artus. Præcipuus namque hic ludebatur Tragœdiæ Actus, cum maxime haud convenienti tempore, aut vena remediorum farragine orientibus malis ſuccurrebatur. Plures fefellerat nempe conſuetus hujuſmodi ægritudinum mos; ſtupebantque admodum cum eludere illas cætera quæque uſurpari Practicis ſolita remedia videbant, ac contumaciores effici, delato mox ad univerſos Artus Malo, quod hanc primo, aut illam tantummodo partem occupaverat; quodque præcavere utique poterant præſtantis auxilii genere, quod ludentis morbi indoles initio ſuaſerat, ſuadebatque adhuc pari ſecuritate, ac fiducia.

XXXVIII. Hiſce artibus affini meo, cui dira Arthritis hos modo, ac illos artus crudeliter divexabat, opem attuli, ac incolumem illum citius forte, quam ipſe ſibi ſpem fecerat, reddidi. Huic ſub finem hye-

(a) 1. *Aph. ſect.* 1. (b) *Lib.* 2. *cap.* 10.

(a) *Meth. Med.* 7. (b) *Lib. de cur. rat. per ſang. miſſ.*
(c) *Lib.* 1. *cap.* 10.
(d) *Voſſius de Vit. ſermon.* 1. *cap.* 16
(e) *Caſaub. ep.* 29.
(f) *Meth. Med. cap.* 4.

hyemis febris occurrit, quæ tertio die mitius lacessere statim cœpit: Atqui ferus universam Spinam, imaque occupans præcordia, mox ad omnes fere artus delatus dolor acerbiorem intulit ægritudinem, cui frustra lenientibus, purgantibus, diureticis usque adhuc opitulatur. Rogatus ego, malorumque origine, ac successione sedulo explorata, jussi sanguinem detrahi ad uncias decem; Diætam quod attinet, jusculà hordeacea, avenacea, panatellam, atque ejusmodi alia de more præscripsi, tum ptisanam ex hordeo, ac rad. liquiritiæ, acetosæ in aqua fontana incoctis, pro potu, ac denique *Sydenhamii* consilio, ut æger per aliquot horas singulis diebus lecto sese abstineret, præceperam, cum calor jugi decubitu, ut citatus Author ait, morbum sæpe promoveat, intendatque. Die sequenti sanguinis tantundem detrahi jusseram, mox tertio dein, ac ultimo, uno alterove die interjecto. Plerisque memini quarto, ut plurimum, venæ sectionem hujusmodi affectu ægrotantibus nunquam infelici exitu adhibitam; Raro tamen obtigit ultra quartam vicem venam incidisse, nisi vel regimen justo calidius præcesserit, vel medicamina calidiora ægro præter necessitatem fuerint exhibita. Paregorica, sive *anodyna* quæque valere omnino jussi, ut ut sæviret dolor. Noveram enim illorum usu morbum magis figi, neque tam facile dein venæ sectioni cedere, quæ ideo ob hæc ipsa medicamenta officiose nimis exhibita sæpius quam par erat opus, celebranda fuerat aliquandiu. Neque enim arbitror eam illa, quam titulo pollicentur, *analgesiam* præstare. Mirum equidem, ut his rite peractis, mox potione cathartica e lenitivis exhibita ægri dolores imminuti fuere, quo tandem resarcita, quam fecerat sanguinis detractio, jactura virium. Veris beneficio quod opportune occurrerat, omnino evanuerunt.

XXXIX. Arthriticos alios quamplures novi per ea tempora diris cruciatibus divexatos, quibus ortum, ac incrementum præbuit prægressa febris contrario modo, ac postulabat, tractata, hoc ipso more feliciter sanatos. Nec atrociter minus sæviebant Hemicraniæ, quæ modo una cum febri comite, modo etiam absque febri subludere videbantur. Harum magna pars copiosa effusione sanguinis, sponte e naribus oborta ludere desiit extemplo. Huic prope eruptura, aut pleno erumpenti alveo præluSit sæpe hærens diu, qua Sagittalis Sutura per capitis longitudinem recta pergens supra coronalem ad angulos æquales incidit, ferus dolor, profiliente sanguine paulatim desinens. Pluries hinc mihi animo subit, num eligenda forte in hoc affectu curando peculiaris vena tum origine, tum vicinitate præclara, quæ opus feliciter magis absolveret; Occurrebant ejusmodi plures ad Tempora potissimum, media in fronte, secus Aures, ad Nasum, ac *Jugulares* præsertim, quæ iis omnibus ortum præbent; Atque ab hisce quidem tuto fuit auspicia desumere, sive quod pleniore fluento, quod unum expectabatur magis, exitus concedebatur cruori, sive quod ab Jugulari tum externa, cum interna, citior aderat expectanda *Derivatio*, quam tum Revulsio, ab reliquis memoratis venis, quæ illius propagines sunt. Evicit inquam præ cæteris Jugularium sectio, ac magnum fuit periclitantibus subsidium. Visus namque illico mitescere capitis dolor, ac fere penitus desinere; Nonnullis, quibus id præsidii experiri, horroris erat, etsi nihil omnino fuerit extimescendum, affixæ Temporibus hirudines haud imparem attulere opem, etsi modico velociter minus, ac ipso præsentis discriminis articulo opus aderat, quod unice sperari poterat ab apertis Jugularibus. Consultius erat huic sanguinis missionem præmittere e Brachii vena, aut si urgeret opus, e longinquiore altera in Pede. Hacque methodo haud paucis quos atroces hujusmodi Hemicraniæ diræ vexaverant diu, pene extemplo subventum est.

XL. Cæterum ne ultra supraque quam sit æquum in his moram faciam, meminisse lubet peculiaris cujusdam mirum in modum ludentis Hemicraniæ hisce artibus feliciter curatæ. Jurisconsultus, qui in ea Urbis parte habitabat, qua supremum Arcis Propugnaculum eminet ab *Emmanuele Philiberto* olim ad Regni tutelam, defensionemque excitatæ, ac novis subinde munitionibus, cuniculis, aggeribus, operibusque tum a Successoribus Ducibus, tum ab Invictissimo Rege VICTORIO AMEDEO instructæ, quibus obsidentium Gallorum superioribus annis impetum elusit ac vim. Is inquam cum summo quodam mane ad forensis Palæstræ negotia obeunda e lecto surgeret, gravi admodum capitis dolore vexari cœpit in sinistra parte ad Tempora usque. Quem quidem haudquaquam magni fore momenti gratus ad plures dies æquo animo adversam valetudinem invicte sustulit. Quo usque tandem cum mihi quadam die forte fortuna haud longe a foro occurrerit, auxilii a me quidquam rogavit jubens omnem mihi referens mali historiam oppido raram. Narraverat enim se hora circiter octava matutina alternis diebus hujusmodi dolore perquam acuto corripi, qui ad quartam usque Pomeridianam perdurabat, quo tempore collecto animo, ac re omni composita sese paulatim recipiebat, adque consueta sibi munera redibat, ceu nihil hujusmodi obtigerit unquam. In ipso autem aditu Paroxysmi, ut ita loquar, magna Capitis gravitas proludebat futuri prænuncia doloris, exeunte vero paroxysmo, quod præcipue etiam adnotandum subit, modico sudore perfusa. Tempora aderant, quo doloris Scena terminabatur. Addiderat, sibi ab Amico propositum Occipiti admovendum vesicatorium, tum ano Hirudines, quod utrumque præsidii genus experiri ait sibi vetitum hactenus a gravi, quo premebatur, rerum onere; Se tamen jam modo negotiis omnibus valedicturum prorsus, nec amplius perpeti diutius posse mali acerbitatem. Quamobrem omni cunctatione abjecta sanguinem detrahi jubeo e Brachio, mox altera vice intermissionis die lato vulnere e Jugulari sinistra, quibus ac balnei usu, fotus, diluentium, quiete, ac æquiore victus ratione, brevi convaluit. Idem Pistoris uxori contigit, juxta Sacram *Divi Dominici* Ædem, Bibliopolæ filio septenni, propter *Turrim publicam* excelso vertice præclaram, Mercatori ditissimo prope Templum *Divi Rochi*; Adolescenti Juris studioso in vico *Divi Thomæ*; ac plerisque aliis quibus recensendis haud immoror. Neque enim huic persolvendo muneri tempus suppetit.

XLI. Sanguinis ex Jugularibus mittendi mos est satis antiquus, utcumque inter paucos obtinuerit, de quo si perbrevis historia præmissa sit, haud illam puto legentibus fore injucundam omnino. Sunt, qui *Galenum* secuisse Jugulares tradunt; Ille tamen, ni fallor, non sectionem ipsam imperare videtur, sed si casu aliquo secentur, curationis modum præscribere. In *vivorum Anatome*, qui sane perridiculus liber est, & ab Arabe quodam, ut videtur, confictus, atque adeo perperam *Galeno* adscriptus, *Jugulares aperiri jubentur in principio Lepræ, & Anginæ, anguslique anhelitus, in Asthmate acuto, in raucedine vocis, in abscessu Pulmonis, in spirandi difficultate, & in Splenis, & laterum morbis*. Eadem prope memorat *Sorani Ephesii introductio:* Sed cum hoc itidem opusculum plane commentitium sit, cumque *Cælius Aurelianus*, qui se in omnibus fere *Soranum* sequi profitetur, de hac re omnino sileat; nihil hinc quod ejusmodi Medicinæ antiquitatem probat colligendum est. Sufficiet itaque has venas secandi originem (*a*) ab *Alexandri Tralliani* temporibus repetere, qui Jugulares a se sectas esse scribit, maximeque profuisse; Hanc ut quibusdam familiarem ævo suo curationem refert (*b*) *Actuarius*, quam itaque in Catoche, & Phrenitide deprædicat. Eam in omnibus morbis capitis adhiberi jubent Arabes, neque in iis solum, sed in Lepra, acutisque Thoracis affectibus: Unde forte consuetudo illa ad Ægyptios manavit, quem apud eos etiam tum, cum Alexandriæ esset, viguisse perhibet oculatus Testis *Alpinus*: Post Arabum tempora nisi in *Bertuccio*, & *Arnoldo Villanovano*, qui hoc ex iis ad verbum exprimunt, (uti fere ex Græcis Arabes) vix ulla est de hujusmodi sectione mentio, donec anno circiter 1500. Anatomes studium pene intermortuum revocavit *Jacobus Carpensis*, modumque incidendi Jugulares fuse descripsit. Quo quidem sæculo a pluribus pleno ore laudatur hoc curandi genus; Sed longe abfuit, ut in consuetudinem venerit; Quippe *Botallus*, qui circa ann. 1570. scripsit, diserte dicit, se neque hoc unquam a Medico præscriptum, neque Chirurgo tentatum vidisse, adeoque aut nunquam in usu fuisse, aut esse tum penitus exoletum: & quanquam ipse primus venæ sectionis usum in Galliam induxerit, venamque quamlibet in quocumque fere morbo secuerit, fatetur quod in jugularibus id experiri minime ausus sit, *reformidans* (*c*) *ne propter illius magnitudinem, & magni trunci vicinitatem non satis cito, neque tuto sanguis cohiberi possit*. Imo *Riolanus* Pater, qui recens a *Botalli* ætate fuit, de Apoplexia locutus in hæc verba prorumpit, *Jugulares ausi sunt quidam secare pro extremo remedio*. Etiam *Fabritius Hildanus*, qui Ophthalmiis, Hemicraniis, cerebrique inflammationibus hanc a se Medicinam cum efficacissimo subsidio sæpius adhibitam esse prædicat in Epistola, quam (*d*) ad Doringium 1614. exaravit, *perpaucos tamen Medicos, qui sectionem harum venarum approbarunt, sibi innotuisse* scribit, eamque *periculosam* agnoscit, *nisi expertus affuerit Chirurgus*. Quinimo in scriptis eodem anno editis *Julius Guastavinus* Professor Pisanus, has venas non sine periculo secari posse pronunciat. Ita pleroque ab hoc auxilii genere deterritos fuisse constat, sive quod Jugularium vulnera aliquando lethalia esse observaverint, perperamque sibi persuaserint idem ex earum sectione eventurum; Sive potius, quod ut sæpe fit, facta hæc a manu imperita sectio, parum feliciter cesserit, notamque infamiæ experimento inusserit. Hoc nimirum usu frequenter venit, ut quod remedii genus ignorantia semel notaverit unius inscitia, dignitati suæ vix restituere queat scientium universa consensio. Utcumque vero ea res se habuerit olim, nullum est in Historia Medica exemplum, ubi rite peracta sectio aliquid attulerit mali: Imo sæpissime usus ostendit morbis compluribus, atque iis præsertim, qui caput attingunt, nullo modo melius succurri.

XLII. Quod quidem, cui scilicet fundamento innitatur facta in capitis, ac cerebri potissimum morbis Jugularium sectio, tum hujusmodi venarum, tum arteriarum, quarum ope sanguis per cerebrum, ac caput ultro citroque commeat structuram, & distributionem penitius ex Anatomicis delibanti cuique facili Marte eluceScit. Enimvero Jugularis vena vel externa est, vel interna: Quarum hæc multo grandior uti eam post *Nicolaum Massam* (*e*) accuratissime descripsit *Falloppius* (*f*) licet in Brutis, a quibus harum venarum figuras apud *Vesalium* (*g*) expressas habemus, contrarium prorsus reperiatur. *Externæ* ramusculi extremi ab ore, a faucibus, a facie, ab oculorum tunicis, ab universa denique capitis cute atque musculis nascuntur. *Internæ*, quæ multo altius delitescit, quanquam aliquando partibus jam memoratis surculos aliquos impertiat, ad imum cranii recta assurgit; inque *duræ matris* sinus laterales immergitur. Ita ut jugularis externæ propagines extremæ, arteriæ Carotidis externæ ramis inserantur: Interna itidem Jugularis, ac Carotis interna vasculis duræ matris intervenientibus conjungantur, ac confluant. Sæpe etiam vidi utriusque venæ ramos aliquot opposito tramite, externæ scilicet ad ima cranii, internæ ad maxillæ glandulas, ad fauces, atque externas quasque partes deduci; Quod a nemine usque adhuc, præterquam a prælaudato *Falloppio* visum, compertumque ego quidem superioribus annis coram Chirurgis Taurinensibus in Theatro Anatomico, cum ibi jubente, ac annuente Rege Prælectiones Anatomicas, altera vice haberem, attentius hujusmodi venarum distributionem inquirens apertissime ostendi. Jam tum scilicet alte insederat animo hujusmodi auxilii genus ad praxim utiliter revocandum aliquando.

XLIII. Equidem Artis cum sit Naturæ ductum sequi; cumque sanguinis e naribus eruptio (ne extra oleas digredi videar) uti maxime naturale, ita præsentissimum nuper visum fuerit vitæ præsidium; Conspicuum erat in hujusmodi rerum angustiis nihil præsentaneum magis fore quam easdemmet venas, aut ex eodem derivatas alveo aperire. Quænam autem scalpello tam opportunæ aderant, quam ipsæ (unde cæteræ omnes per caput dispositæ exoriuntur) *Jugulares?* Sive revellendi, sive derivandi gratia incidi illas opus sit. Utrumque enim horum assequi earundem sectione fas est. Quod sane etsi Paradoxum videri queat nonnullis, docte tamen, ac scite admodum recens petsolvit Vir doctissimus (*h*) *in aureis de Febribus commentariis ad lib. 1. & 3. Epidem. Hippocratis*. Est namque ubi derivationis loco, ut ubi Revulsionis causa hasce aliquando obtingit secare venas. Quæ quidem vocabula, licet satis antiqua sint, tamen nemo unquam intelligere poterit, nec proinde secandi leges in alterutro genere recte statuere, nisi accesserit accurata de vasorum structura, motuque sanguinis cognitio. Hocque verissimum esse facile agnoscet, qui Scriptorem qualemcumque ante ostensam sanguinis circulationem, atque adeo *Harveii* ætate superiorem perlegerit. Neque alia ratione Saphenæ sectio modo Menses deducit, modo eadem inconsultius facta eosdem potenter supprimit: æque ac medicamenta discutientia, quæ tempestivius adhibita tumorem prorsus dissipant, serius admota excitant, atque attollunt, & in Pus demum resolvunt.

XLIV. Derivando equidem magis quam revellendo præstitam nuper

(a) *Lib.* 4. (b) *Lib.* 3. *cap.* 1. (c) *Curat. per V. S. cap.* 40.
(d) *Centur.* 4. 14. (e) *Introd. Anat.* 62. (f) *Observ. Anat.*
(g) *Lib.* 3. 7. (h) *Jo. Freind. pag.* 23. *comment.* 2.

per ab hiſce opem novimus. Uſus nanque, & ratio oſtenderat, prius tundendam fuiſſe in brachio, aut in alia quapiam parte venam quamlibet, quam Jugulares; Sic enim humorum impetu, atque ardore jam elangueſcente enata ad extrema vaſorum obſtructio revellentibus labefactata leviore tandem negotio derivantibus funditus tolli poterat; Eadem plane ratione ac tumoribus cum inflammatione ſubortis occurri Practicis mos eſt, præmiſſis ſcilicet ex alia parte longinquiore revellentibus, antequam derivantia adhibeantur. Hinc in illuſtri illa hiſtoria quam de gravi Oculi dextri inflammatione ad hunc modum ſanata narrat memoratus *Hildanus*, primo die vena in brachio dextro ſecta dicitur, proximo exhibitum Catharticum, tertio demum Jugularis aperta. Eodem fundamento nitirur conſuetudo illa, qua ingraveſcente Angina poſt revellentia feliciſſimo ſucceſſu Iugularem internam circa inferioris maxillæ angulum incidimus; Neque enim irriſione tam dignum eſt, quam *Cælio Aureliano* (*a*) videtur, quod de venis mammariis in eodem morbo ſecandi ſcribit *Hippocrates*; (*b*) Nam & iſtæ quemadmodum primus docuit *Fallopius* (*c*) originem aliquando a Jugularibus ducunt.

XLV. Sive autem Jugularis interna ſive externa ſit, ſive temporales, ſive aliæ quæpiam hiſce affines venæ, perinde eſt. Uſus quidem edocuit citius, ſecuriuſque rem abſolvi apertis Jugularibus, in quas tanquam in communem alveum omnes illæ venulæ exonerantur. Tutius forte etiam, ac citius temporalium arteriarum ſectio idem perſolveret, propter eum, quo ſanguis effunditur, impetum, ſi modo pleno flumine exiliat. Atqui hæc ſectio, ut feliciter cedat, non nihil difficultatis habet; Etiam aliquando cum periculo fit; Quare vix auſerim eam in medium afferre, niſi hujus olim *Galenum* meminiſſe noverim, ejuſque abſolvendæ modum tradere. Secuiſſe olim arterias, idque ſaris frequenter Veteres conſuevere; conſuetudinemque eam ita apud Ægyptios invaluiſſe ſcribit *Alpinus*, ut has illi haud rarius, quam venas ſcinderent. Nuperrime memini Præclaram Veſtalem, cui diuturna Ophthalmia laboranti pletaque paſſim adhibita fuerant præſidia, nullo aut vix exiguo prorſus levamine, aſſixis tandem ac jubente *Temporibus* hirundinibus mira celeritate reſtitutam. Harum quippe altera cum ſe ſe ita arteriæ Temporum forte fortuna agglutinaverit, ut vix inde auferri poſſet, plurimum effudit cruoris magno impetu proſilientis, quive ægre admodum cohiberi, nec abſque magno labore potuit. Huic revellentia quæque, tum cætera Artis ſubſidia, quorum prolixam ſeriem ferunt Practici, diu ante uſurpata poſtremo huic præſidio adhibendo illuxere. Nec longe quidem ab hujuſmodi auxilii genere abludunt inſtitutæ aliquando in vetuſtis hujuſmodi affectibus ſcarificationes juxta ima, atque ad eorundemmet oculorum latera, tum prope ſummitatem Naſi, qua ejuſdem vena ignoto pleriſque tramite pergit. Antiquiſſimum id erat præſidii genus, cujus ratio & modus unam habent univerſalem cauſam, nempe ut pars, cui infliguntur, exoneretur. Venulæ quippe plures vix conſpicuæ ſub univerſa cute feruntur, quæ hoc more ſectæ celerem aliquando opem præſtitere, quam vix ſperare erat ab alia quapiam majoris venæ ſectione; Sive quod illæ arteriarum finibus propiores ſint, ſive quod arteriolæ pariter, quibus ſumma inſtructa refertaque cutis eſt, una invicem ſcindantur, incidanturque; ſive quod ibidem, in exilibus nempe vaſorum meatibus, ac prope eorundem fines lenteſcere primo incipit cruor, diarum hinc ſæpe ægritudinum ortus, ac incunabula. Quoad adminiſtrandi modum, duplex is eſt apud *Oribaſium*; vel enim *Catà Phlighin* fit, ideſt verberatim, & punctim, vel *Catà Sirmon* h. e. pertractum, & cæſim, qui poſtremus modus magis in uſu *Italis* eſt. Atque hæc quidem ad Æquinoctiumſque geſta.

XLVI. Haud lætiora minus extiterant initia Veris. Orientales nanqüe, ac Boreales invicem diu ludentes venti ad aliquot dies adhuc dire perflarunt, ſilente tum temporis, ſuaque in claüſtra recepto Auſtro. Erupit is tandem leviter, perque totum deinde quod ſupererat Veris reliquum, ac Æſtatem mitiſſimo flamine perſpiravit, ruente viciſſim per intervalla Borea, cujus gelido afflatu ſæpe repente viſa recurrere media Æſtate hyems. Conſueto hinc nivali vellere defraudata tellus, inopes aquis fontes, infeſta præmaturæ rubiginis veſtigia, magna ubique ſicciras, ac perturbatio rerum. Rupicapras ipſas, quæ ſilveſtris, & montana Fera eſt ſumma Alvium faſtigia perpetuo inhabitans ſpecie ac mole vulgaris Capræ, ſed paulo celſior cruribus, quam eſſe ſolet caprinum genus, per ſubjectam planitiem excurrere aſſertum propter inopiam lympharum. In animalis hujus ventriculo reperiuntur ſæpenumero globuli quidam adeo cardiaci, & alexicaci, ut lapides Bezoardicos virtutibus longe antecellant, ſi credimus *Veſchio*, qui peculiarem de iis ſcripſit tractatum titulo de *Ægagropilis*. Sæpe quidem Aprili menſe exigua viſa pluvia, at quæ vix Colonorum votis ſufficeret; Quo uſque tandem Majo uberius pluit, novaque, ac lætiora rebus affulſit ſpes. Kalendis Junii hora quarta circiter pomeridiana, nitido exiſtente Cælo, Sol viſus exemplo coloris fere cuprei, quo uſque occiderit penitus; Sequenti die ater idem præluxit ad octavam uſque horam circiter; Mox fragores auditi protinus, ac horrendis tonitribus circumfremere, ceu diruptis imbibus Cælum. Æſtas hinc temperata ſucceſſit, ac lætiſſima prorſus ſi procellis commota minus extitiſſet, aut furentium ventorum immodicis flatibus. Nunquam enim majoribus grumis grandinare perſpectum, frequenterque adeo ab omni parte Cæli emicare repente fulgura, nunc intermittente luce, nunc condita. Sæpe etiam fulmina cecidiſſe viſa, hucque ac illuc ludendo prorumpere. Appetente Autumno Grues ingenti exercitu aera ad plures dies obumbrarunt. Ferri autem hæ videbantur magnis itineribus ab Oriente ad Occidentem, ſublime editeque admodum, ac cum ſilentio volantes, quod ſerenitatem præſagire ajunt, ſecus ac ſi obſtreperis vocibus frequentiores ſuſurros excitent. Pulchrum erat integras cohortes cernere modo in cornua diviſas, modo in unum collectas triangulum efficere circumeunte Duce, ceu exercitus præſide, ac Rectore. Viſa & Avis quædam Subalpinis ignota, ſubnigra roſtro, ſubrubra pectore, ſubflava alis, ſubviridis pede, mole Turturis inſtar, *Garrulus Bohemicus* dicta *Geſnero*, de quo mira ſcribunt, tam quoad internam viſcerum conſtitutionem, quam quoad ingenium; Rectius forte *Rubicella*, ſeu *Pyrrhula*, aut *Ampelides Aldrovandi*. Serius quam olim advenerant Hirundines, tum ſerius etiam diſceſſere. Inſecta quod attinet, horum numeroſam adeo extitiſſe progeniem haud meminimus unquam, ac eorum præſettim, quæ *Coleoptera*, ſeu *vaginapennia* nuncupantur, quod alas ſuas velut in vagina recondant. Hæc inter novum quoddam ſpectatum animalculum albis nigriſque maculis tam pulchre variegatum, ut Veſtem Damaſcenam Phrygia acu intertextam jurares. Medio Vere, cum floreſcere primum cœpit frumentum ſecundarium, (Secale vocant Noſtrates) ſummo illud mane exoriri perque aera vehi denſo examine viſum; Veſpere dein ſeſe ſuper ſpicea ſerta colligere, ac mori infeſto prorſus aculeo; Hæc nanque cernere ſequenti mane exuſta prorſus, ac fere abſumpta. Odore teterrimum aderat; Forte *Scarabæus minimus*, ſeu *Fullo Charletoni*, ſi molem, ac veſtem vario artificio effulgentem ſpectamus: *Ephemeri* vero ſpecies potius, ſi vitæ illius brevitatem reſpicimus. Erucarum ac Bruchorum magna ſoboles; velox interitus, ut & animalculi cujuſdam vitibus ſumme infenſi, Italis *Taliadizzo*, Græcis *Ips*, ab *Ipto*, i. e. *Blapto*, *Noceo*; Quia proprium ejus eſt in vitibus verſari eaſque erodere; Hinc vini proventus modicus, cui tamen tum aeris forte, tum ventorum ſævities, ac inclementia haud parum tulit. Vix paucæ per Æſtatem obſtrepere auditæ Cicadæ. Subdulce mel, & ſubaquoſum, Fœni exigua perceptio; Serici haud ingens; Copioſior Tritici. Hocce in horreis collecto ſoboleſcere viſa inſecta quædam non alata illius ſummitates diro ſpiculo depaſcentia inſtar Teredinis. Toto deliquit anno Mercurius, nec unquam viſus ultra 20. lineam aſcendere, ceu conſtitutam ſibi metam, ultre quam peragere vetitum.

XLVII. Ad Morbos venio, qui rcliquo hocce anni decurſu ſubluſerant. Hos inter Variolæ viſæ extemplo, adque primos Ventorum Meridionalium afflatus proludere, perque univerſum agrum errantis in morem hucilluc divagari, haudexiguo perculſis timore Civibus, eam nempe, quam hæ ſupetioribus annis ediderant cladem, adhuc dum animo expendentibus. Vix auferant illæ tamen Suburbia ipſa, nedum Urbem attingere. Citius etiam quam credebatur, ſe ſe ſubduxerant; Nec diræ adeo, atroceſque, cujuſmodi extiterant olim. Inſolentius quidem intra Urbis mœnia debacchabantur recens ortæ ægritudines, quæ ſane etſi diverſæ ab iis primo intuitu viderentur nonnullis, quæ exacta hyeme, ac Autumno ſævierunt, haud abſimile tamen ingenium, iraſcendique morem præbuere; Quod rem attentius conſideranti facile erat decernere. Enim vero vix mitior arriſerat Veris Conſtitutio; Vix leniores perflaverant Venti, ut illico erumpere viſæ foras pleno velut agmine Pleuritides, rectius forte *Peripneumoniæ*, atque una ſimul ruere iis comites aſſiduæ febres, ardenteſque. Sæpe etiam caput attollere videbantur Eriſipelata, hoſque ac illos indiſcriminatim laceſſere, at ludentis inſtar potius: Aut enim præludere hæc exaratis affectibus, aut iis obſequi magis, quam ſibi quidquam addicere, perſpicuum erat. Luſus illa revera aderant, quibus morbifica huc illuc pergens materies, aut jam forte vitalia clauſtra obſidens, etiamnum incautiores feſellerat. Præcipue enim hoſce inter rerum fluctus metuendum erat de vitali Theatro, ubi dein ceu ablato Sipario poſtremus plerumque ludebatur Tragœdiæ Actus. Id unum ſolerti prudentique Viro prævidendum erat, ac totis viribus enitendum maxime, ne *fracto aggere* ad pectus illaberetur errabunda materies, vel illabens illa, jam fortaſſe elapſa, quam cetiſſime illinc revocaretur. Hæ Medico erant artes, queis vindicanda, ac ſervanda erat res.

XLVIII. Et ſane de iis tuendis potiſſimum partibus agebatur, a quibus prima vitæ ſtamina proficiſcuntur. Huc tota Belli moles incubuerat; Huc pugnæ locus, huc prælii campus, huc denique rerum ſumma gerebatur, heu funeſto plerumque exitu. Numquam frequentiores obviæ vomicæ, ac dira pectoris mala. Quodve mirere magis, cernere erat haud paucis vomicam pene ex abrupto ſeſe prodere nulla preludente febri, aut alio quopiam ſigno, quod ſæpe latens intra præcordia quidpiam prænunciare ſolet. Nonnullis vix una, ac altera febris acceſſio præceſſit. Pleriſq; anxietas maxima, febris acuta, Tuſſis, ſæpe etiam dolor lateris punctorius, pulſus mollis, velox, ac inæqualis, præcalidus ſpiritus, ſeu ingens inſpirando fervor, ſputa per initia liquidiora, cruenta, fœtida, lingua urens, turbata alvus, ſanguinis ſtillæ e naribus, extremorum frigus. Hæc prior mali Scena, cui niſi initio ſtatim occurrebatur, inevitabile erat inducto velociter Sphacelo fatum; Sæpe hinc congeſto in parte aliqua pectoris pure, Vomica tandem in apertum ſuo tempore prodibat felici plerumque omine. Quamplures hac via per ætatem læta ſuppuratione evaſerunt.

XLIX. Atque hinc luce meridiana clarius patet, quam falſo Pleuritidis nomine id mali genus tum temporis indigitaretur. Siquidem nec *Tuſſis*, nec *ſputorum excreatio* inter ſigna, quibus ſecernitur Pleuritis, recenſenda minime veniunt, quæ potius ad alium morbum huicque in multis diſſimilem, *Peripneumoniam* nimirum pertinent. Mirabar ego Celebriores Viros in hunc errorem incidiſſe, hancque pectoris ægritudinem, quæ nihil commune habebat cum Pleuritico affectu, Pleuritidem nullo diſcrimine appellitari. Hinc tot auditæ per Urbem ſævire Pleuritides, quæ æquiore jure Peripneumoniæ dici debuerant. Aderat & perennis altera, ac conſtans harum nota, quæ nullo modo Pleuritidi unquam competit: *Magnus* ſcilicet *in ſpirando æſtus*, ob turbatiorem ac magis feſtinatam reſpirationem, oppreſſis magno onere Pulmonibus. Scio inventa Practicis vocabula quædam, quibus id ipſum explicant; Aſt ſi fas eſt, quid ipſe ſentiam, aperte dicere, aſyla hæc potius ſunt ignorantiæ Medicorum, atque eorum quidem, qui, ut recte olim ajebat *Verulamius*, *fingunt ſimul*, *creduntque*, *Neque unquam nobiliores animos evexere*. Quantum vero conferat in re Medica præſertim rem unam ab alia ſecernere; Quantum inde Artis laudis, ægris emolumenti accedat, nemo non videt. Legitur apud *Dodonæum* hiſtoria Peripneumoniæ popularis, quæ tunc temporis, annis nempe 1557. & 1565. graſſata eſt, huic noſtræ haud abſimilis: Atque is quidem ad extremum narratiuncujam ſuam ſic claudit, quod ſcilicet *morbum hunc non Pleuritidem*, *ſed Peripneumoniam fuiſſe mortuorum corporum diſſectiones coram oſtenderant*; & hoc utique innuere modeſte videtur Vir Doct. Medicorum ſui temporis errorem, qui forte eo tanquam de Pleuritico affectu judicium fecerant.

L. Nec difficile quidem erat conjicere, vel ab ipſo unice pulſu nihil hujuſmodi ægritudinem affine habere prorſus cum ea, quæ a Pleuræ inflammatione oritur, etſi Tuſſis adfuerit, ac dolor lateris punctorius. Nunquam enim aut ſaltem compertam paucis memini pulſuum duritiem, quod quidem ultimum inter proprietatis notas malim reponere, quæ Pleuritidi conveniunt, quam cum *Galeno* Tuſſim. Cujus ſane ſententiam uti ſæpius data opera aſpernari, & reſpuere hominis eſſet valde arrogantis, ita in omnibus ſequi velle, ſuperſtitio-

(a) *L.* 3. 4. (b) *De Morbis* 3. 11. (c) *Obſerv. Anat.*

ſitioſi eſt. Neque enim Authores in Medicina facienda, ſed rationis momenta quærenda ſunt. Confuſa hinc ac implicata, & a veteribus, & a recentioribus tradita huc uſque eſt utriuſque hujus morbi deſcriptio. Etenim ſi veterum ſcripta perlegimus, hi quidem eos inter ſe diſtingui ſcribunt, ſed eaſdem utrique notas aſſignant; Idque facile animadvertere licet, quod quæ apud illos de Pleuritidis charactere habentur, ad Peripneumoniam meliore jure referenda ſint. Recentiorum vero plerique vix ullum inter hos morbos diſcrimen ponunt, gradu tantum diſſimiles eſſe volunt. Nonnulli etiam Pleuritidem dari haud contendunt, quæ Peripneumoniam non habuerit conjunctam, ac viciſſim inflammari haud poſſe pulmones, inſonte Pleura; Quod tamen & ratio & hiſtoria Medica falſum oſtendunt. Multa namque Pleuriticorum cadavera facta ſunt, in quibus Pleura corrupta integro Pulmone reperta eſt; Secus quidem ſi una cum inflammatione Pleuræ vitium quoque in Pulmonibus, ſive quod idem redit, Peripneumonia adfuerit; cujus utique, ut quæ toties dicta ſunt, iterum repetam, cujus inquam propria, & minime eminentia ſigna ſunt una cum acuta febri *Pulmonum gravitas*, *Tuſſis*, *ſputorum excreatio*, *atque ingens in ſpirando fervor*; *Illius vero*, Pleuritidis nempe, *anhelitus difficilis*, *pulſuum durities* (Quod caput eſt maximum,) *Febris*, *pungenſque ac vehemens lateris aſſiduus dolor*. Equidem nedum magna, ſed omnis, ut ita loquar, Medicis lux ab Arte Anatomica petenda eſt, qua morborum plurimorum, & proprias ſedes eruere, & ſigna legitima ſecernere queant. Eam ob cauſam factum arbitror, ut *Celſus* elegantiſſimam illam humani corporis deſcriptionem curandi præceptis inſeruerit: Utque eadem veſtigia perſecutus breve quoddam de partium ſtructura commentariolum morborum Hiſtoriis præmiſerit *Aretæus*.

LI. Et ſane tota hinc, auſim dicere, pendet curandi Ars: Ut enim in Pleuritide liberior ſanguinis detractio ſola ſæpe abſque alio quopiam ſubſidio morbum abſolvit; & hæc quidem, at majori circumſpectione inſtituenda in inflammatione Pulmonum eſt, cui oleoſa omnia, quæve ad ſputa elicienda idonea habentur, ſuum & quoque calculum ferunt; potiore quidem titulo, ac æquiore jure, quam in Pleuritide vera. Exemplo eſt *Anaxion*, cui haud veritus eſt *Hippocrates* magna ſui laude octavo die ſanguinem mittere, de remediis, quæ ſputa extruderent, parum ſolicitus. Quamquam enim nomen morbi in hac memorabili Hiſtoria reticeatur, haud difficile tamen eſt illum pro germana Pleuritide agnoſcere. Eſt quidem utique revera *Divinum* in Peripneumonia, quod numquam, aut raro in Pleuritide occurrit. Etenim intra parietes Pleuræ arteriolæ multæ a ramo intercoſtali deductæ effunduntur, quæ levi ſæpe de cauſa nimium diſtentæ obſtrui ſolent, inflammationemque pariunt; Aſt Peripneumoniam quod attinet, hujus ſæpe numero parens extitit, qui idem

graves morbos mortalibus affert multimode.

LII. *Nec vana loquor*: Eadem namque, quæ ſuperiore Autumno, ac exacta nuper hyeme eas induxit ægritudines, quas ſuperius retuli, ipſa eadem adhuc dum vigens cauſa hujuſmodi Peripneumonias Vere ortas, perque Æſtatem dein late ſævientes intulit, quæ pleriſque in Vomicas haud inauſpicato deſiere. Is namque unicus aderat mali exitus, in quo nonnulla ſaltem poſita ſpes erat adhuc. Curioſum erat proceſſum omnem morbi in ſuppurationem abeuntis adnotare, cum ſcilicet inflammatoria materies ab ipſamet Natura reſolvi non potens, nec Arte emendari, blandior tamen, ſtagnans eadem, calens, pulſaque, coercentia latera extendendo, vel rodendo abſceſſum vomicamve formabat. Futurum id clariſſimo argumento declarabat ipſa morbi indoles ſatis quidem acris, nec tamen acerrimi, tum minime ſuperata adhuc fera ſymptomata, quodque potiſſimum aderat, ſputa liquidiora, nec criticis diebus evacuata per ordinem, qui ſanationem doceret. Fieri autem jam prope abſceſſum oſtendebant leves, vagæ, ſæpe repetentes, ſine manifeſta cauſa horripilationes, ſtillæ ſanguinis e naſo, genarum rubor, ſitis, pulſus debilis, ac mollis, febricula; Quibus, formato dein tumore, ſeu abſceſſu, Tuſſis una aderat comes pertinax, ſicca, ad paſtum, motumve aucta; reſpiratio difficilis, parva, anheloſa, ſtrepens; decubitus in affectum latus tolerabilis; ſudor nocturnus, maxime circa jugulum, & frontem; urina ſpumoſa; pallor, macies, debilitas ſumma. Proxime hinc impendebat tumoris diſruptio, cui aut imminenti prope, aut ſæpe etiam ſub ipſo diſruptionis, puncto, ac temporis articulo præludebant deliquia, turbationes alvi, ſtertor, hæmorrhagia narium, ſuppreſſa penitus ſputa, moxque uberiore eadem copia educta ſanie commixta, fœda, teterrima. Sæpe purulenta jam facta materies repente intra pulmonales venulas reſorpta, ac ſanguini permixta alio ferebatur, cen Præclaro Juveni contigit decumbenti ad *Portam Eridani*, quem ortus inopinato ad ſiniſtram autem abſceſſus extremo, quod prope aderat, eripuit fato. Quotquot in cava Thoracis, inque Mediaſtini dilatata vacua abiiſſe illam, aut ad hepar verri novimus, omnes periere.

LIII. Una ſcilicet ſpes ſalutis erat, ſi diſrupto abſceſſu ſputa bonis avibus eijciebantur, ſuaſque illa Phaſes, ac mutationes obibant *Practicis* notas. Haud paucos hac via ſervatos memini, quorum exempla aliquot hoc in loco præſcribere haud puto alienum.

Æger Primus.

COmes juxta Templum *Divi Franciſci de Paula*, temperamenti atro-ſanguinei, habitus ſtrigoſi, adque bilem generandam, ut ajebat *Hippocr.*, idoneus, medio Vere acuta febri corripitur cum dolore lateris punctorio, Tuſſi, *gravitate Pulmonum*, pulſu celeri, elato, valido. Idem ſuperiore hyeme diro in facie Eryſipelate laboraverat. Sæpe etiam olim Pleuritide vexari conſueverat, initio Veris. Poſtridie exacerbata ſunt omnia; ferus magis doloris ſenſus, intenſior febris, ſitis magna, pulſus duriuſculus. Quarto ſtillæ ſanguinis e naſo; turbata leviter alvus; Urinæ ſubrubræ, atque ſuſpenſum in iis quidpiam; Somnus nullus; Sputa liquida, pauca; Summa corporis per intervalla frigida. Hactenus ad quatuor vices ſecta in cubito vena. Quinto Clariſſimorum Virorum ſententia nova imperatur Sanguinis miſſio, ac dein lenis exhibita potio ex Manna. Veſpere calor vehementius excanduit; Parum adhuc Sanguinis e naſo profluxit. Spiratio magis difficilis, pulſus velocior. Iterum ex brachio miſſus eſt Sanguis ad uncias decem. Sexto lateris quidem dolor ceſſavit, ac fere ex toto evanuit, ac ſævior adfuit Tuſſis, magiſque corporis jactatio; Multa per alvum demiſit bilioſa. Septimo moleſte magis habuit, nam & intendi magis febris, & infeſtare Tuſſis, & ſpiratio ingraveſcere viſa. Conclamata prope res erat gravi præludente ſtertore; Tum quidem novus repente obortus horror, commotaque ſponte alvus, ac pene ſub idem tempus copioſus ex utraque nare effuſus ſanguis ſpem fecit lætius quidpiam hoſce inter tumultus rerum eluceſcere. Exhibita ſunt e veſtigio cardiaca, oleoſa, ſputum moventia, inter quæ ego floribus Belzoin palmam defero; Paulo poſt multa cœpit, & concocta expuere. Allevatus eſt. Undecimo Sputa faciliore conatu eliciebantur; lenior febris; Turbata adhuc dum alvus ter, quaterque per diem concreta pauca demittebat probæ indolis. Sæpe etiam per vices a diſrupto abſceſſu Sanguis viſus e naribus proſilire ad aliquot uncias. Victu tenui utebatur, potu melleo, *hydromeli* vocant Græci, quod liquoris genus eſt ex puriſſima aqua, & melle temperatum. Decimo quarto remiſſa penitus omnia; In urinis alba multa ſubſidebant; Sine ſiti erat; Bene ſpirans. Trigeſimo quarto abſoluta prorſus ſuppuratio eſt feliciſſime. Sæpe per id temporis accendi iterum viſa febris, ac excandeſcere magis Tuſſis, at cito id, aut uberiore urinæ profluvio, aut commota alvo, aut ſputo liberius elicito omnino evaneſcebat. Forte id etiam exigui alterius formati tumoris, aut alterius exiguæ vomicæ exemplo diſruptæ præludium aderat. Vix paucis obtigit ſeptimo die læto omine prodiiſſe vomicam, perque totum morbi decurſum aſſiduo luſu Sanguinem e naribus profluxiſſe, ac una ſimul turbari repente alvum; quæ quidem omnia ampliſſimam præbent contemplationum ſegetem, quo nihil Arti majoris compendii extitit unquam ac præſtantius idem.

Æger Secundus.

SAcerdos *Congregationis Oratorii Divi Phil. Nerii*, cui flaccidi diu pulmones, ac ſæpe morbis conflictati, tum prope imminens ſenectus, ex febri tertiana duplici appetente Æſtate decubuit. Comes huic aderant ſputa improba, pulmonum gravitas, pulſus intermittens, ac leves animi per intervalla defectiones. Opem illi initio tulerat Pater meus; Atqui cum ipſe paucis poſt diebus ab Urbe abeſſe coactus foret, gravioribus curis diſtractus; Ægri tutela mihi relicta eſt. Cumque omnia ſedulo, ac diligenter expenderim, erupturam prope diem vomicam ægrotanti, ac adſtantibus detuli. Die ſequenti cum ſummo mane ægrotantem inviſerem; diſrupti noctu abſceſſus notam prætulit ſputum ſanie permixtum, tetrum olens, copioſum. Ipſe media circiter nocte quid inſolens perſenſerat ſub imo pectore, ac pene animam agere viſus; Diu ante incerti doloris veſtigia in utroque Thoracis latere occurrerant, quibus una ſicca, ac fera admodum Tuſſis proluſerat. Selectioribus balſamicis, Traumaticis, Rhypticis in uſum adhibitis rite peracta res eſt, ac omnis reſciſſa penitus mali origo.

Æger Tertius.

REverendiſſimus Abbas *Congregationis Reformatæ Divi Bernardi*, gravi olim Orthopnæa diu detentus ex aliquot dierum itinere, cum ſævius quam unquam perflaret Boreas, in febrim acutam incidet una cum magna ſpirandi difficultate, Tuſſi, dolore lateris punctorio, pulſu languido, ac inæquali. Mox intenſius adaucta febris; Spiratio ingraveſcens magis; Facies, oculique, emortui hominis inſtar; Mens emota; Sputa liquidiora, viſcida modo, ac cruentis linteis interſtincta; Urinæ per initia tenues, nihil ſubſidentes, copioſæ. Brevi ad extremum redacta erat res. Decimo quarto ſubitæ defectiones animi, vacillans pulſus, frigida repente extrema, prope erupturæ Vomicæ præluſerant; Prodire mox viſa puris inſtar, graveolentia exiguo conatu, fœda. Septimo & vigeſimo obſtricta dudum alvus bilioſis multis perturbata eſt, nec pauco tempore talia multa proceſſere; In totum autem tum febris reliquerat, tum ſputorum excreatio lætiſſime deſiit. Cruenti quidpiam ab hæmorrhoidalibus venis ſub morbi decurſum effluxit. Secta bis initio in cubito vena, mox altera vice in pede; Hirudines quoque ano affixæ ſemel; Diſrupto tandem apoſtemate appropriatis remediis opitulatum.

Æger Quartus.

PIſtorem propter *Portam Urbis Victoriam*, an potius *Victorialem*? Per illam namque INVICTISSIMUS REX, una cum EUGENIO PRINCIPE, ac cæteris fœderati Exercitus Ducibus Urbem memoranda illa die ingreſſus eſt, qua fractis, & profligatis Hoſtibus obſeſſam trium menſium obſidione Civitatem ſolvit, Italiæ libertatem aſſeruit, Europæ ſecuritatem reſtituit; Piſtorem inquam febris acuta prehendit cum dolore lateris punctorio ad dextrum uſque Hypochondrium, ac Regionem umbilicalem propagato. Magna abdominis tenſio, ac totius corporis laſſitudo; Facies mox ab initio ſubfuſca fere, pulſus humilis, mœrentes oculi, reſpiratio gravis, anheloſa, difficilis. Quarto mitior dolor, pulſus intermittens; commota alvus; Urinæ flagrantes; Sputa pauca, ſubflava, improba; Nox laborioſa. Septimo delinquens per intervalla e veſtigio pulſus, vacillans idem, vix elatus; Paucus ſudor circa caput prodiit; Nihil ab alvo dejecit. Nono ſudore per totum corpus diffuſo læta ſputorum excreatio obtigit, quæ ad vigeſimum uſque diem proba expurgatione perdurarunt. Huic ob virium jacturam, cujus certiſſimus index erat pulſus humilis prope, deficienſque, ſemel tantum parca doſi miſſus fuit ſanguis e brachio. Utramque tutius paginam implere Cardiaca, Balſamici, Traumatica. Magnam præſtitit opem in principio Morbi Theriaca cum vino exhibita, tum quandoque etiam una cum aqua Scabioſæ, ac Syrupo de Papavere erratico; Hoc enim more cocta magis ſputa liberiore via ex pulmone prodierant; Valentior itidem pulſus, ac validiores vires rediere. Veſicantia quoque bina admota humeris, ſotus, moxque ab effracto apoſtemate Rhyptica, abluentia, conſolidantia feliciter uſurpata, inter quæ Terebinthinata quæque, ac balſamica cætera Principem locum obtinent.

Æger Quintus.

OLitoris Uxor juxta *Hortos Regios* decumbens fœda per hyemem ſcabie longo intervallo vexata, medio Vere febri acuta ex levi occaſione corripitur cum rigore, ac Dolore Capitis, anhelitu difficili, cui poſtridie ſeſe una comitem addidit Tuſſis, ſitis, ac dextro Pectoris latere per vices repetens. Tertio die febris rediit, mox dirior Tuſſis, abjectus omnino pulſus, ſputa atro colore prædita, panca eadem, ac ſumme viſcida. Veſpere ſincerus ex dextra nare exigua copia ſanguis effluxit; Alvus autem ſtercora probe demiſit. Quarto ri-

gor

gor repetiit, ſopore aliquantulum detinebatur; Biliosa, flava, multa vomitione rejecit, paulumque intermittens, virulenta; Pulſus debilior, ac inæqualis; Facies ab ipſo morbi exordio vultuoſa; Sputa liquida; Vires abjectæ prorſus. Refici hæ viſæ ſenſim, ac recreari, atque una ſimul erigi pulſus, ſputaque uberius ac probe elici, exhilarari vultus ab exhibita per vices Theriaca in aqua e toto Citro, aut Scabioſæ una cum modica doſi hircini ſanguinis. Gemina quoque admota Tibiis veſicantia. Undecimo febris reliquit penitus. Trigeſimo quarto exigua iterum proludente febri, ingenti oris ſalivatione correpta eſt, magna diu noctuque exundante ſeri copia, tenuis fœtidi, aceſcentis. Quod quidem poſtremum repurgato tempore, tum ſero lactis deſtillato ad aliquot dies præſcripto in totum deſiit. Huic Genitrix ſeptuagenario major, ac Soror aderat natu minor, occulto utraque cancro pectoris dudum vexata.

Æger Sextus.

ALteram ex abortivo fœtu circiter quintum menſem febris acuta corripuit cum exiguo horroris ſenſu, lumborum dolore, & gravitate capitis. Tertio inaugebantur magis dolores; Reſpiratio difficilis aderat, pulſus debilis, extremitates frigidæ, intus exæſtuans, jactabunda, urens. Quinto ſudor paucus circa caput, ac ſummum pectus dimanavit: Per vices viſa delirare, confeſtimque rurſus ad intelligentiam redire; Sputa ſublivida; Urinæ paucæ, tenues, nigreſcentes. Septimo ſub tempus matutinum e vivis migravit. Alvus huic per totum morbum recrementis multis, crudis, ac tenuibus fluxit.

Æger Septimus.

FAber Ferrarius Athletici habitus prope *Xenodochium Charitatis* ex febri aſſidua decubuit cum dolore lateris gravativo, Tuſſi, pulſu vix elato, inæquali. Sputa per initia liquida, cruenta, pauca; Reſpiratio laborioſa; Oculi micantes; Facies atro colore ſuffuſa; Siticuloſus; Inſomnis. Tertio extrema livida fere, & frigida; Præcordiorum contenſio ſubmollis utrinque; Pulſus prope deficiens. Quarto mens perturbata fuit, aliquantulum inſudavit. Multa per alvum dejecit improba. Quinto obiit. Aperto cadavere præduros pulmones Hepati ſubſtantia, ac colore conſimiles comperi, pleriſque intime albicantibus lineis interſtinctos, e quibus purulentus, aterque humor prodibat graveolens. Plures inſuper intra cordis delubra exigui Polypi occurrerant, atque horum alter prolixus admodum in pulmonali arteria, perque illius ramificationes, ac majores truncos eleganter diſpoſitus. Mirum ſane, (quodque idem maxime lenteſcentis liquidi, tum ſolidi haud amplius in proprios ſyſtalticos niſus conſurgere potentis argumentum extitit;) Ut tam exiguo tempore tanta pulmonibus labes acceſſerit, tam cito hi ſuppurari, atque hinc intra horum ſinum, ac profundiores receſſus tanta congeri potuerit, fœda, ac purulenta materies! Hujuſmodi exempla præter multa, quæ a nobis afferri poſſent, ſexto videlicet, ſeptimo, nono die denatorum, in quorum cadaveribus pulmones ſanie undique ſcatentes reperti ſunt, legere eſt apud *Bonetum Anat. Pract. l. 2. c. 4. Ballonium*, *Riolanum*, *Hollerium*, *Zacutum*, *&c.* Idem quoque in cadavere Illuſtris Viri Ludovici Gonzagæ ſexto morbi die defuncti obſervaſſe refert *Cardanus* (*a*), cui nempe omnia vaſa *pulmonis ex triplici genere magis tamen aſperæ arteriæ rami erant pleni ſanie ſimili lacti, adeo ut nullus adeſſet prorſus ſanguis*. Pleriſque horum, qui celeri adeo fato ſublati ſunt, nigroris una ſimul veſtigia conſpiciebantur, imminentis illa, aut forte jam facti Sphaceli proludia. Conjicere autem erat prope adeſſe id a doloris carentia, aut minus exquiſito illius ſenſu, quod quidem utrumque Sapientes nunquam fefellit.

LIV. Neque id ſane arduum conceptu eſt, ut una ſimul ſuppurationis, ac Sphaceli indicia accurrerint. Nec illa iis prorſus habenda fides, qui, ut id ipſum concipi queat, minime edocti, hujuſmodi nigroris, ſeu Sphaceli notas in pulmonibus obvias, cadaveris corruptelæ adſcribendas malunt. Cur nanque ejuſmodi nigroris veſtigia in omnibus paſſim haud reperiuntur? Cur in pulmonibus illa potius, quam in inteſtinis, quæ ob fæcum colluviem citius quam ulla alia pars corrumpi, ac in ſphacelum abire debuerint? Cur denique in uno tantum, aut altero pulmonis lobo, reliqua illius parte inſonte penitus, ac integra? Equidem mali hinc potius culpanda ſævities, & ſuppurationem, & Sphacelum inducere celeriter apti, ut præclare idem explicat laudatus *Ballonius Epid. & Ephem. lib. 2. p.* 165. Inclytæ Reginæ Joannæ exemplum afferens, quæ ſexto die defuncta eſt, inque illius cadavere pulmones una ſimul multa ſanie plenos, ac Sphacelo obſitos deprehendit.

LV. Iſque aderat omnis ſævientis morbi proceſſus, quem quidem dum mihi adhuc ob oculos pono, ac mecum tacita cogitatione perpendo, præclare video, tum luce meridiana perſpicuum magis elucet quam opportunum fuerit labentem hæc inter diſcrimina Naturam erigere, tueri, vindicare; Quam ex adverſo *periculoſæ plenum opus aleæ* diverſam ab hoc tramite viam inſiſtere. Nullus hic enim ſudorificis locus, aut catharticis, cum maxime in præcipiti res erat; Quinimo ipſamet caute adhibenda remedia, quæ recreandis, confirmandiſque viribus dirigebantur. Quot equidem recenſere ego poſſem e medio ſublatos, quos hiſce artibus, atque adminiculis ſervari poſſe evidens erat ac plane conſpicuum; ſi modo in doctum ac prudentem Medicum incidiſſent? Quot *Orco* dedit præceps unius hominis audacia, qui eo temeritatis evaſit, ut indiſcriminatim ſingulis decantatum quoddam ſudorificum in ejuſmodi pectoris ægritudinibus exhiberet, ceu Polychreſtum, ac Divinum prope auxilium? Oh quam perutile foret Reipublicæ hujuſmodi peſtiferam hominum ſobolem de humano Corio impune ludentium proſcribere! Oh quam miſeris ægrotantibus proficuum in ſolertis ac probi Viri manus devenire! Quantum vero expediat Medico, quæ exhibenda ſunt remedia, mature expendere, eaque pro morborum indole, atque ingenio Exploratoris inſtar ſecernere; Ipſe Peruvianus Cortex, ut de hoc uno loquar, oſtendit. Is nanque, qui ſuperiore anno voto feliciter reſpondit, *Cane* modo pejor, & *Angue*, fugiendus nedum in exaratis ſævientibus pectoris affectibus erat, ſed & in cæteris fere, tum potiſſimum in ipſis, quæ mox Autumno præluſerant, quæve dein toto decurſu anni ſævierant paſſim, febribus; Evidenti quidem indicio, ſtimulo magis, quam fræno opus eſſe, ſecus ac præterito anno, quo tota humoralis maſſa ad orgaſmum heu prona nimis, ac *neſcia ſtare loco*, coercenda erat potius, ac ceu injecto compede ſuos intra fines, ac limites, ne diffugeret illa prorſus, compeſcenda, quod quidem mire utique præſtare potens eſt memoratus Cortex, ut Doct. Viri adnotarunt. Eamdem ob cauſam pariter veſicantia, quæ ſuperiore Anno noxia valde extiterant, ac nefaſta prorſus, haud exiguam hoc labente anno ægrotantibus opem attulere; Ut & ſanguinis miſſio, quam prope dixerim princeps potiſſimumque extitiſſe in hac Conſtitutione præſidium, ut ſuperius oſtendi. Equidem ut apud Geometras *curvum* norma ſæpe eſt ac regula recti; fas eſt exinde decernere, quibus in morbis proficua ſit, quibus econtra noxia venæ ſectio, tum veſicantia, ac cætera quæque conſueta Artis præſidia. Profecto ſi ab *Hippocratis* ævo ad hæc uſque tempora hiſce veſtigiis inſtitiſſent Medici, optatæ perfectionis apicem jam dudum attigiſſet Ars, quæ conjecturis & adhuc jure merito fœta illis videtur, qui haud ſciunt errores non Artis eſſe, ſed Artificum.

LVI. Omne ſcilicet, ut ad exaratas pectoris ægritudines me conferam, intra Thoracis clauſtra intime latebat malum; Quod quidem, ſi Eryſipelatis morem, incrementa, exitum, quibus id ipſum ſeſe perſpicuum præbet aliquando, ac recens præbuit, attentius expendimus, ac utrumque horum invicem comparamus, nihil omnino diverſum, ac diſcrepans reperimus; Quinimo fateri opus eſt ejuſmodi exaratas pectoris ægritudines nil aliud revera eſſe, quam *Eryſipelata Pulmonum*, quæ in gangrænam dein, aut ſuppurationem, aut in utramque tendebant. Febrim quod attinet, ejuſdem hæc ipſa erat indolis, ingeniique, ac illa, quam jam tum comitem ſibi adſciverant Eryſipelata ſuperiore Autumno orta. *Crymodem* vocabat *Aetius*, ut eam ab *Thyphode*, ac *Lypiria* ſecerneret, quæ obſeſſo Eryſipelate hepate, aut ventriculo oritur. Ut autem ad pectus potius, quam ad aliam quamlibet partem præcipiti gradu rueret morbifica materies, ibidemque phlegmonis modo, modo Syſtrophes, aut abſceſſus more ſubluderet, torque diras adeo ægritudines gigneret, haud abſtruſa res eſt intellectu. Quandoquidem huc, qui per univerſum corpus perenni lege fertur cruor, totus pleno alveo pertranſit: Huc mirriplicatis generis vaſorum textura præclaro invicem ordine ludentium conſpicitur; Huc denique aeris alterationes quotquot effingere, aut cogitare animo quiſpiam poteſt, veſtigia ſui reliquunt. Hinc ſolidis, ac liquidis propagata labes: hinc Phlegmona, hinc Syſtrophes, hinc enati ad pectus abſceſſus, quarum omnium ægritudinum parentem cauſam lubet ab aere ipſo deducere.

LVII. Et ſane ut is *acrioribus moleculis* dives ſuperioribus annis, cum aſſidue adeo perflarent Auſtri, ad fluorem liquida coegit, ac dire admodum ſi quis unquam, adverſus ſolida ſe ſe præbuit, eadem criſpando, vellicando, erodendo, ut tot palam fecere ſpaſmodicæ affectiones, quæ tum temporis immaniter populabantur: Ut idem *ſubacidis*, *ac nitroſis Salibus* onuſtus, quas Boreas vehit, eadem ſæpe liquida ad fixitatem deducit; nec ſolidis parcens ea a proprio ſui elatere cogit recedere, inque ſyſtalticas reflexiones abripi haud ſinit amplius; Num viciſſim ruentibus Auſtro, ac Borea, cujuſmodi hæc ipſa extitit labentis anni Conſtitutio, *neutrum* quidpiam corrumpere aptum, ac figere abs re foret excogitare *ſalinum principium*; quod *in aere ludens* haſce intulerit ægritudines, tum a fixitate, ac *ſtaſi* liquidorum, tum a putrefactiva eorundem, ac ſolidorum una invicem conſpirantium labe pendentes? Quot enim ludere in mores ſalia novimus? Quot illa formas induere? In quot ſe ſe larvas effingere? Quis omnes horum ſpecies recenſuit unquam, *quot nec Proteus quidem luſit*, *nec coloratus ſpectatur Camæleon*? Quis intimiora hujuſmodi Naturæ abdita penetravit? Ut acidum, auſterum, acre, & ſexcenta alia in Sanguine latent inconſpicua, ita in aere innumera ludunt, quæ homines *multimode* afficiunt, ac tot diverſa inferunt mala. Equidem in ejuſmodi rerum trepidatione, totque inter ventorum oppoſitos flatus æquum erat internoſcere inſolitum aliquid *per æthera inane ferri*, quo ſemel affecta liquida, ac ſolida fixitatem illa, hæc labem, utraque necroſin, ac gangrænam ſuſciperent.

LVIII. Ejuſmodi itaque exoticis ſalibus imbutus aer obvium quidquid, ac ſuſcipiendæ labi aptum magis inficit, ac lædit. Quæ quidem ſalia cum diverſæ adeſſent naturæ, diverſas quoque affectiones induxerant, *Phlegmona* nempe, *Syſtrophes*, *Sphacelos*, *Apoſtemata*, prout figendo, & erodendo apta, aut horum alterum, aut utrumque ſæpe pepererant, Numquam autem Sphacelo obſita ulla viſa pars, quin huic inducta in liquidis ſtaſis proluſerit, ortumque dederit, ac incrementum. Num vero exitiales ejuſmodi moleculæ ob ſpirantium adverſo invicem flamine ventorum concurſu, num ab alia quapiam forte cauſa repetendæ ſint, decernere nemo auſus unquam, ac revelare? An Terræ motibus quidquam tribuendum, jure dubitat (*b*) Clar. *Gagliardus*, quod idem obſervationibus longa annorum, locorumque intercapedine diſſidentibus inſtitutis, ac collatis invicem comprobare nititur. Aſt & id ipſum gravibus adhuc laborat difficultatibus, quas quidem prævidit laudatus Author, haud tamen pro rei dignitate perſolvit.

LIX. Haſce inter lethiferas particulas liquidis, ac ſolidis æque infenſas, exitioſæ, ac pernicioſæ magis erant, quæ gangrænoſam labem inducendo pollebant magis. Hinc enim enato celeriter Sphacelo velox diſcrimen, ut ægroto *ſexto*, *ac ſeptimo* obtigit, aliiſque nonnullis, qui quarto plerumque, quinto, ac ſexto die defuncti ſunt. Noſſe erat hujuſmodi figentis veneni vim, (ſit verbo venia,) vel ab ipſo ore, vultu, oculiſque ægrotantium, perturbati inſtar hominis, attonitique, fero heu, trucique obtutu; Lingua iis urens, ingenſque in ſpirando fervor aderat, ac præcordiorum æſtus, ſitis Tantalea, dejectiones alvi nigreſcentes, extrema frigida, pulſus per totum morbi curſum vix elatus, ac pene delinquens idem deficienſque. Atque iis quidem magni ſubſidii extitit Theriaca recens una cum cardiacis aſſumpta, cujus beneficio haud pauci evaſere. Nec exiguam quoque opem attulere veſicantia initio admota, horum quippe auxilio ad loca remotiora protruſis lethiferis, exoticiſque ſalibus, ſeu, ut Practici ajunt, morbifica materie producta, atque ibidem exonerata, non omnes paſſim enecabantur, quam plurimi etiam ſuperſtites fiebant.

LX. Nec vero quis me forte putet inconſiderate adeo Theriacam in hujuſmodi Phlogiſticis, ac mali moris pectoris affectibus adhibuiſſe. Ecquid enim ex ingenti remediorum ſegete uſu præclarius, ubicumque internæ viſcerum corruptionis, ac Sphaceli metus eſt, quam Theriaca, quæ lethifera ſpicula eludat, putredinem arceat, cruorem ne effractis vinculis in fluorem totus abeat, coerceat, ac mobiliſſimas

(a) *De providentia ex anni Conſtit. pag.* 1052.

(b) *Relazione de' mali di petto dell' anno* 1720. *p.* 33.

ſimas illius partes retineat? Num in Peſtibus, quarum Natura in tenuiſſima celerrimaque putredine maxime verſari, vel ex eo clarum fit, quoniam nullus morbus illis æque eſt contagioſus, præſentiſſimum hæc ipſa auxilium eſt, cæteris longe præſtantius? Narrat (*a*) *Foreſtus pleroſque Hagæ Comitum anno* 1580. cum ejuſmodi ægritudines dire ibi crudeliterque ſævirent, *ſe ipſos tum alios abſque Medici præſentia curaſſe aſſumpta Theriaca*. Quod tamen auxilii genus, utpote vulgare, ac comparatu facile haud ipſe omnino probare videtur, ait namque idem, *præſtare magis ea omnia adhibere, quæ vera methodus curandi docet, quam uno calipodio, ut calcearii, aut uno medicamento omnes curare*. Nunquam enim forte noverat adhuc Vir eximius ſpecificorum uſum in Medicina, aut quod illius ævi mos erat, crediderat ipſe ſanari haud poſſe tuto ægritudines, niſi peregrina, ac pretioſa remedia comparentur, quæ

Lucis in ortu.
Indus, Arabs, Syrus, diveſque Sabæus
Vicino ſub ſole legit, quæ præbet Orontes,
Eximia ignoto mittit quæ Nilus ab ortu.

vanam ſcilicet ac futilem Medicinam eſſe, quæ remedia proponit, ut *Plinius* loquitur, parata vulgo, inventu facilia. Heu quam miſerabilis aderat illis temporibus Reipublicæ noſtræ facies, quotve nobiliſſimam Artem erroribus implicarunt ingenia Arabum?

LXI. Ubi vero inflammatoria materies in ſuppurationem abierat, perque illa ſputum expurgari cœperat, ſumma erat nitendum ope, ut rite id leniterque prodiret, tutaque dein, ac ſubita ulceroſi loci depuratio contingeret. Subit hic loci, atque in memoriam redit miræ in præclara Veſtali curationis exemplum, cui hujuſmodi abſceſſus in Pulmone diu latens erupit tandem, ipſaque una cum ſputo folliculum ipſum (mirabile dictu) quo purulenta materies includebatur, ejecit. Erat is cyſtidis inſtar efformatus, inque ejus fundo purulentus humor conſpiciebatur ejuſdem coloris, ac ſubſtantiæ, cujuſmodi aderant ſputa, quæ jam diu ante prodierant. Veſiculam adfuiſſe crediderim in hunc morem protenſam ex iis, quibus totus undique Pulmo eleganti artificio componitur, in qua ceu in folliculo, aut cyſtide pus continebatur, atque earum quidem, quæ majoribus Tracheæ ramis proximiores ſunt, quo facilius aſſiduis tuſſiendi conatibus omni, quo adnectebatur, ſoluta compede aereos tubulos, quorum ad fines exiguæ ejuſmodi veſiculæ appenduntur, ſubire potuerit, perque os dein protrudi. Equidem folliculatas, ut ajunt, Vomicas ſeu hujuſmodi Pulmonum abſceſſus, qui propriam ſibi Cyſtim comparant, nil aliud eſſe arbitror, niſi veſiculam quandam hoc pacto extenſam, purulenta in illam materie e finitimis vaſis ſecedente, atque ibidem collecta, quouſque tandem ob ſui copiam, aut nimiam acrimoniam effracto clauſtro in aſperam arteriam, aut in cava Thoracis effundatur, Anatomica Pulmonum adminiſtratio perſpicuiorem rem efficit: quippe ſanguifera vaſa, quæ per totum Pulmonem innumeris propaginibus diſſeminantur, quæve admirabilem ibidem contextum explicant, ad univerſas veſiculas pergunt, juxta quas illa variis amplexibus, ac gyris una ſinvicem ludunt, ac deſinunt. Ecquid autem conceptu obvium magis, quam tenellis deſinentibus arteriarum, aut venarum orientibus ramulis diſruptis, in veſicularum ſinus ſanguinem ſenſim effundi, ibidem colligi, ac dein in pus verum abire? Hinc enormes aliquando ejuſmodi Vomicæ, aut plures una ſimul eodem tempore, aut ſucceſſive erumpentes. Videmus in ſtatu præternaturali aneuriſmata paſſim, ac varices ab dilatatis arteriis, aut venis efformari, ac diverſas paſſim glandulas laxiores evadere, intumeſcere, inque magnam molem conſurgere. Num æqua ratione veſiculares pulmonum cellulæ extendi magis, ampliores effici, ac dilatari haud poterunt, ſubque folliculi imagine minus in Anatomicis peritos eludere? Num & eadem forte hæmophtiſeos incrementa, ac incunabula, totque dirarum pectoris ægritudinum?

LXII. Altera Vomicæ ſpecies recenſetur, quam tamen vix ego Vomicam dixerim: Quando ſcilicet in pulmonibus foveam unicam, aut forte binas efformari quandoque contingit, eaſque circum circa parietes calloſos obtinere, ita ut materies ibi collecta in maſſam ſanguineam minime transferatur, ſed quotidie tota, copia licet ingenti, expectoretur; Hi ſatis ſani degunt, bene reſpirant, comedunt, & dormiunt incolumes, aut ſaltem in modico corporis habitu perſtant, & non raro perſeneſcunt. Hinc nonnulli dicuntur Phtyſin per 30. aut 40. annos habuiſſe. Vivit apud nos Mercatoris Uxor quinquaginta quinque annos prætergreſſa, plurium liberorum mater, e quibus unus ante biennium Phtyſicus obiit: Illa habitu phtyſico ab annis pluſquam viginti mere purulenta expuit, ſceleton referens, & quanquam a catarrhis in pulmones crebro decumbentibus, præter frequentes ex liene ægritudines, fato ſæpe fuerit proxima, noſtraque cura liberata, periculo tamen ſemper defungitur, ut in illam quadrare queat, quod eam mulierem, de qua *Hippocrates*: *Quinquies mortua eſt*. Quemdam olim ſecui tabe extinctum, cujus dum pulmones inſpicerem binas utrinque cavernulas avellanæ capaces, non tamen exacte rotundas, aut æqualiter cavas reperi, ſed quaſi laceras, ac ſi a muſtela, vel a glire fruſtulatim portiuncula avulſa pulmones exeſi fuiſſent. In harum altera ulceris callo recens obducti veſtigia adhuc ſupererant. Sæpe is ſanguinem tuſſiendo expuerat, tum paucis ante obitum diebus magna copia ejecit atri, ſpumoſique.

LXIII. Utque rem in pauca contraham: Ut nullam abſque folliculo, ſeu cyſtide vomicam concipio; Ita harum quotquot occurrunt, ſedem, ac locum in veſicularibus pulmonum cellulis ſtatuendum autumo. Hinc purulenti, ac puris diſcrimen; Quæ namque ab effracto apoſtemate expuitur materies, verum illa ac genuinum pus eſt. Quæ vero purulenti inſtar ſe habet magis, hæc nullam prægreſſam, aut præſentem vomicam, aſt aut flaccidos natura pulmones, aut eoſdem nimio onere oppreſſos ſignificat. Quod ſane rite eſt ſecernendum, ne ſæpe quamlibet aliam pectoris ægritudinem pro vomica accipiamus. Utriuſque, purulenti videlicet ac puris diſtinctionem præclare aſſignat *Divinus Senex lib. de alim.*; Enim vero ut haud concipi unquam poteſt ullum fieri poſſe pus abſque ſuppuratione, quidquam ſane inter hoc, & purulentum intercedere opus eſt, quod nempe ad purulentum tantummodo ſufficiat ſanguinis vitium, ſecus ac in pure generando, cui & ſolida ſuum quoque calculum præbent. Adverſus *Hippocratem* ſtare videtur *Galenus* ex ſanguine pus fieri ratus, quod in phlegmone in abſceſſum abeunte ſanguis extra vaſa effuſus in pus vertatur. Atqui haud advertit ipſe ſuppurationem haud fieri unquam poſſe abſque carnis eroſione, quod ſane indicat ſinus poſt puris evacuationem ſæpe relictus; Sanguis enim fuſus, & calefactus, ut antiquiſſima Verba uſurpem in hac parte, humidam, & calidam carnem, quam attingit, corrumpit, ex qua carne, ſi Natura robuſta fuerit, verum pus naſcitur, cui non raro admiſcetur aliquid puriformis ex ſanguine, & humoribus extra vaſa effuſis. Ego quidem totum, quod adeſt inter pus, ac purulentum diſcriminis ab ipſis humoribus petendum exiſtimo: Vel enim ſanguis eſt, vel lympha quæ in pus abit. Utrumque enim horum per proprios ſibi demandatos ductus uberi gurgite excurrit. Utque ab illius vitio verum pus, ſic ab lympha pituitam illam putrem, ſeu purulentum illud, quod a vero pure ſecernitur, generari puto; Ad utriuſque vero generationem ſolida æque concurrunt; Diſcindi hæc namque, erodi, aut quocumque alio modo lædi opus eſt, ut inde a receptaculis ſuis, per quæ vehitur, ſanguis, aut lympha ſecedat, inque pus abeat, aut purulentum. Atque hinc e folliculatis vomicis verum pus, ſecus vero ab iis, quod foveas duntaxat, aut cavernulas in pulmonibus obtinent, exire cernimus; Quod illæ ab ſanguine per ima quotquot Delubra pulmonum diſcurrente, atque in veſiculas exundante enaſcantur. Hæ vero ut plurimum in extima pulmonum parte conſpiciuntur; Lymphatica namque vaſa ſuperficiem tantum pulmonis attinguut, perque illam aſſiduo luſu feruntur.

LXIV. Cæterum quodcunque illud ſit diſcrimen, quod inter purulentum, ac verum pus intercedit; Idem illud facere videtur, quod & alterum. Utrumque enim ſæpe inevitabili fato proluſit. Rurſus in hoc etiam differunt, quod pus malum ſit ut ſignum, & ut cauſa; Ut ſignum, quoniam abſceſſum, & inflammationem ſyſtrophicam præceſſiſſe declarat; Unde conſumptio partis pulmonis ſequitur: Ut cauſa, quia niſi exeat, febrem lentam fovet, rigores inæquales affert, & corrumpit partem, & in qua manet, & contagio vicinam. Pituita vero putris, ſeu purulentum, malum eſt ut cauſa tantum, quoniam afficit Pulmonem ipſum mora, niſi exitum habeat. Sic in tuſſibus aliquando cum piruita excernitur, & ſputum album, & ſemiputre, atque ut ajebat *Hippocrates*, ſimile puri. Quæ huic ſuccedit Phtyſis diuturnior, ac propagari aptior altera eſt, quæ ab vomica provenit.

LXV. *Verum illuc, unde cœpi;* Ejuſmodi pectoris ægritudines prope comitabantur anhelationes, quas Græci Aſthmata vocant, Tuſſes, raucedines, capitis dolores, ventris tormina; atque e chronicorum claſſe Hydropes, eæque pectoris potiſſimum, Tympanitides, Tabes, Arthritis, Scabies, poſtremaque hæc pueris præſertim, ac fœminis. Quædam eriam per æſtatem gliſcere viſæ febres mali ingenii, eoque illæ pejores, truculentioreſque, quo Canis inſtar rabidi hos, atque illos abſque latratu laceſſebant; Hiſce ſe ſe addiderant verminoſæ aliæ, haſque inter nonnullæ, quæ incerto plerumque circuitu, miti, placidoque vultu ludebant, quæve diriores, inclementioreſque evadebant, ſi quis illas conſueto more expugnare tentaverat. Obeſiores in univerſum, quibus

Pinguis aqualiculus propenſo ſeſqui pede extat,

ſævius, crudeliterque magis vexati; Tum qui antiqua in Cruribus, aut Tibiis ulcera, aut peculiarem quampiam ægritudinem diu fovebant. His namque inopinato areſcente ulcere, aut vetere ſanato malo, pectus illico afficiebatur infauſto ſucceſſu. Hoc pacto ſublatum initio veris Romanum Pontificem CLEMENTEM XI. audivimus, delatis mox Eccleſiæ clavibus Generis nobilitate, ac moribus Spectatiſſimo Viro *Michaeli Angelo* Cardinali *de Comitibus*, qui nomen ſibi aſſumpſit INNOCENTII XIII. maximo totius Chriſtiani Orbis gaudio, ac plauſu.

LXVI. Invaleſcente Æſtate frequentiores adhuc, quam unquam vomicæ extitere, quæ quidem, etſi pari felicitate abſolverentur, non eadem tamen initia, ac incrementa obſervabant, ac quæ anteacto Vere proluſerant. Plurimis namque leviſſima de cauſa vomica erupit, nullo ſæpe prævio veſtigio doloris, aut horum quopiam, quæ ſive futurum, ſive jam factum abſceſſum, ſive prope impendentem illius diſruptionem prænunciare conſueverant. Sæpe hos inter fluctus ventorum Variolæ, ac Eryſipelata ſeſe prodere conabantur, vix tamen quidquam memoratu dignum edidere. Quidam etiam media Æſtate ſubito fato tum in Urbe, tum in Agro erepti ſunt. Deſinere tandem, ſaltem haud ita frequentiores occurrere appetente Autumno cœperant memoratæ vomicæ, ac tum rurſus quidem, direque magis foris prodiere exaratæ febres, quarum tamen vix ullam cernere erat abſque comite Pectoris labe, ſive hæc illis præcurreret; ſive in hanc illæ exierint ſæpe. Vix pauci per Æſtatem Dyſenteria laborarunt.

LXVII. Primis Auguſti diebus magna caloris vis extitit, mox triduum tonitruoſum, pluvioſum, ac quandoque grandinoſum ſucceſſit. Immotus per id temporis Mercurius conſtitit diu; Viſus hic ima repente petere, ac veluti in Perigæo degere, cum prope impenderent tonitrus, *Cælique fragores*. Sæva hinc exarata alvi Tormina acceſſere, quæ etſi primo intuitu leniter laceſſere viderentur, in contumaciſſimas dein, periculoſas, ac pleriſque lethales ægritudines accedente Æquinoctio degenerarunt. Ingens quoque hic loci commemoranda ſubit Puerperarum clades, quarum plurimæ abortivos fœtus edidere. Forte id nedum liquido ad lentorem toties memoratum proclivi, quin, & ſolido quoque nimis debili, ac laxo maxime tribuendum; Utrumque ab arcana, ac inexplicabili aeris conſtitutione, unde & cæteri effectus prodierant, repetendum.

LXVIII. Equidem, ut verbo me expediam; Vereor namque ne in magnam nimium molem excreſcat Pagina; Si quotquot hoc anno regnarunt, ac longe lateque ſæviere, malorum indolem, ingeniumque, atque originis principium attente perſpicimus, nedum video lentoris crimine redarguenda liquida, quin & forte maximam vitii partem ſolidis tribuam nimia laxitate peccantibus. Ecquid enim tot vomicæ, ut unam inſtar omnium ægritudinem in exemplum afferam, ecquid inquam tot hoc anno vomicæ, quot nunquam auditæ olim? niſi ab ſolido in criſpaturas ſuas, ac proprios niſus deduci haud potente amplius, ac pene dixerim, deficiente? Anne forte quis adhuc, fruſtra declamante *Petronio* (*b*) in eo eſt, ut totum liquido opus, nihil in œconomia animali ſolido velit adſcribere, ignoratione potius pertinaci, atque inani ſectæ amore, quam ratione aut conſilio? Juvenem nuper ſecui ex febri acuta vigeſimo morbi die defunctum, cui omnes Peripneumoniæ notæ aderant; Huic univerſa Pulmonis ſubſtantia in ſtrumas veluti compoſita conſpiciebatur, quibus apertis ingens puris copia profiliebat. Quidam quoque diuturno affectu catarrhali vexatus, qui mox in aſcitem degenera-

(*a*) *Obſer. 3. de febr. cum morbo Epid. graſſant. p.* 152.

(*b*) *Satyr. pag.* 78.

nera vit, cum veſci amplius haud potuerit, inedia necatus periit. Aperto Cadavere ſumme flaccidos Pulmones, ac multa ſanie repletos, tum viſcera quæque imi ventris laxa admodum, ac ventriculum præſertim, comperi occluſo penitus Pyloro, ut nec Stylum quidem admitteret. Num id fluidis potius, an ſolidis adſcribendum? Num & ultro toti erimus in expendenda *liquidorum intemperie*, Principis illius intemperiei, quæ in ſolidis eſt, immemores prorſus, earum ignari rerum, *per quas vivimus*?

Conſtitutio Epidemica Taurinenſis Anni 1722.

ANni Hiſtoriam perſcribere aggredior a ſuperioribus duobus, qui hunc præceſſere, annis parum, ac vix, toto ſui decurſu, diſſimilis, ſive adſpirantium ventorum indolem ac morem ſpectamus, ſive ingruentium morborum ſobolem, ingeniumque. Venti namque, ut ab iis ordiar, *qui*, ut veriſſime ait *Argolus*, *in animantibus ſalubritatem unice ingenerant*, *ſuſcitantque*; totius anni curriculo, aſſiduo, nec unquam interrupto flamine diu perſpirarunt ab Hyperboreis modo plagis, modo ab Auſtralibus oris erumpentes. Varia hinc, ac incerta omnino tempora; Præmatura modo hyems, immitiſque; lenis eadem modo, ac Veris potius imaginem referens, ac vicem: Prout nempe aut ruens ab alto Boreas, ſævuſque Aquilo, aut turbidus Auſter perflabat. Recurrere ſæpe viſa media hyeme æſtas; Floraque ubique in agris ludere, lætaque prodere initia veris. Lubet autem altius ab autumnali æquinoctio, ubi ſuperiore anno deſii, initium ducere, antequam ad hyemem ac anni reliquum feſtinante calamo properet Oratio mea.

II. Autumnus itaque, quæ quidem anni tempeſtas Medico maxime diligenterque expendenda eſt, utpote quod ſub id ferme temporis nova plerumque ſoleat morborum cohors in ſcenam prodire, toto deinde anno longe lateque regnatura; Autumnus, inquam, ſtatim ab initio horridiuſculus ad plures dies præluxit, præcipiti ruente Borea. Atqui redire protinus, auctuſque velut viribus perſpirare iterum, ac ſævire magis viſus Octobri Auſter, quonſque dein validiore impetu erumpere denuo abeunte libra cœperunt ab Orientalibus primo, mox vero ab Aquilonaribus terris horrentes gelidique flatus obſcurato æthere, effuſiſque ſuper Alpium cacumina, perque ſubjectam Planitiem, finitimoſque agros, vix tertio ab Urbe lapide, ubertim nivibus præcocem heu, aſperamque hyemem portendentibus. Unius adeo menſis ſpatio urens modo æſtas, modo rigida hyems ſæviit, extremoſque utraque conatus edidit, pugnantibus invicem, ac velut de ſumma rerum, quis nempe horum prior terga daret victori, palmamque alteri victus cederet, certantibus inter ſe ventis. Vicit utique, vicit, diuque ludentium auſtralium iram, ſævitiemque tandem omnino fregit iis oppoſitus Aquilo; Novaque extemplo, etſi mitiore quidem imperio, morborum legio ſe ſe palam oſtendit, inque apertum prodiit, quorum veſtigia, ac pene dixerim, proludia noſſe erat appetente æquinoctio; cum primum ſcilicet horridiuſcula aura, ſilentibus ad aliquot dies, ſuaque in clauſtra illico receptis Auſtris, dire perflavit.

III. Cernere quidem erat recens ortas novæ indolis febres per id temporis ſubludere ab iis, quæ anteacta æſtate, ac ſuperioribus annis ultro citroque debacchabantur, primo aſpectu omnino diſcrepantes, intermittentes videlicet, aut intermittentibus analogas, uſque comites, ac pediſſequas veluti, ſtatim ac ruere Boreas cœpit, pleraſque paſſim ægritudines, Aſthmata, Lippitudines, Hæmoptoes, Paralyſes, Dolores vagos abdominis, Pancreatis, Mæſenterii, aliarumque per ima ventris latentium utriuſque glandularum Obſtructiones, contumaces quantum, ac conſueta hactenus Practicis Methodo invictas prorſus! Utque omnem morborum Iliadem, qui, ceu *a Trojano Equo* denſo agmine Milites, ab uno omnes fonte progerminarunt, brevi ſermone complectar; Dolores acerbiſſimos artuum, Nephritides, Apoplexias, quibus diuturnæ Hemicraniæ, aut ſuppreſſa conſueta quæpiam de more evacuatio præluſerat. Addere hiſce fas eſt lugendam, ac deplorandam adhuc *Puerperarum cladem*, earumque præſertim, quæ abortivos fœtus pepererant. Senes in univerſum, diuturniſque malis confecti poſtremum ſubiere fatum, quamve diu eluſerant mortis vim, hanc tandem obire, ac commune omnibus aleam experiri coacti ſunt. Phthiſici quoque omnes brevi tempore ſublati, ii ſcilicet, quibus aut hæreditaria labes pulmones obſederat dudum, aut adventitia eadem recens obtigerat poſt prægreſſam vomicam, aut aliud quidpiam in imo pectore latens, abditumque. Equidem invaleſcente hyeme, redeuntibus, demum in ſcenam Auſtris, ſe ſe condere hæc viſa prope; Ac tum quidem Variolæ, morbilli, acutæque febres, quæ ſub intermittentium larva primo, aut altero acceſſu deliteſcebant, moxque dein in ſubcontinuas mali moris celeri pede migrabant, torrentis in modum hos atque illos nullo diſcrimine aggrediebantur. Id tamen minime quidquam officit, quin totius anni imperium, poteſtatemque morborum exaratis intermittentibus febribus, aliiſque præfatis ægritudinibus, quæ ſub illis militare videbantur, dominatum inquam, præcipuamque iis ſedem tribuamus.

IV. Totius hinc decurſu anni præter modo dictas febres intermittentes, dolores potiſſimum abdominis, immanes iidem, ſævique admodum præ cæteris ſæviere; quodve peculiare aderat, ac notatu dignum, videre erat ſtatis plerumque horis exiguo præludere rigore, aut nullo quandoque etiam prævio horroris veſtigio ejuſmodi dolores recurrere, ſtatiſque pariter horis evaneſcere. Nonnullos quidem ſine ulla intermiſſione iis vexatos memini, atqui ceu in febribus ſubcontinuis obſervare eſt, quædam aderant novæ exacerbationis indicia, ac certa veluti proludia novi, ac dolorifici, ut ita loquar, repetentis paroxyſmi. Sed de hiſce in præſentiarum ſatis. Præſtat modo, quam exorſus ſum, tandem abſolvere, rectoque dein tramite, quo unuſquiſque memoratorum affectuum ſeſe prodiderit, vultum, quem ſervaverit, typum, quamve præ ſe tulerit, indolem ac genium explicare.

V. Medio circiter Octobris Orientalis aura uno alterove die læto flamine adſpiravit. Miteſcere hinc non nihil æſtus cœperat, quem reviviſcentes iterum Auſtrales flatus attollere, inſuetumque paulo poſt frigus erupit, gelido Aquilonis afflatu, cujus vim, feritatemque, nedum Incolis, Arboribuſque, ac plantis, ſed & ipſis etiam inſontibus aquis præmaturo gelu concretis, ceu ſub rigidiſſima hyeme, vix orto Autumno, infenſam adnotavimus. Quod quidem nulla hactenus hominum memoria Subalpinis unquam obtigerat. Obſcurum hinc ſæpe cælum, varium idem, incertumque; mox ſerenum, atque præclarum, prout Orientales modo, modo Aquilonares venti perflabant. Sæpe etiam viſum, ac diutina experientia compertum, obſcurum nubilumque autumno cælum reddi Orientalibus ventis ſpirantibus, ſerenum vero, nitidumque idem evadere inſtante Borea. Poſtremum Octobris diem impetuoſus in maxime, præcepſque ruens obſignavit.

VI. Felicioribus auſpiciis ſeſe prodidit ſubſequens Menſis. Lætior namque ab Occaſu adſpirans Africus ſin minime ſævi Aquilonis iram omnino retudit, illi ſaltem morem impoſuit, vinique, ac ſævitiem ejus maximam, magnam in partem coercuit. Saluberrimos utique, lætiſſimoſque Subalpinis occidentales ventos jam dudum novimus; quod quidem ego adnotare operæ pretium duxi; cum primum morborum quotannis apud Subalpinos ſævientium hiſtoriam, quotannis & illam, quandiu vitam mihi, ac vires huic oneri ferendo pares dederit Deus, perſolvendam conficiendamque daturus; Auguſtæ Urbis, quæ totius Regni caput eſt, Regumque inclyta ſedes, agrique ejus, ac univerſi Subalpini tractus, qui ad Alpium radices inſidet, conſpectum ac poſitionem, tum cæteras aeris & alimentorum qualitates, quæ Urbium cælum conſtituunt, deſcripſeram. Furere hinc denuo Boreas viſus ad aliquot dies, novo tum rigente gelu tellure, concretiſque ſuis in alveis indomito frigore aquis. Quod ſupererat menſis reliquum, tum Decembris initia Auſter iterum funeſtavit. Obſervatumque nunquam, ſive is, ſive alter quiſpiam ventorum perflaret, perſpirare illos cœpiſſe, quin obſcurari e veſtigio cælum videretur, ac inopinato prope tempeſtas impenderet. Ad Solſtitium hæc uſque geſta.

VII. Exordia hyemis tum modicus effuſus imber, tum uberi dein copia delapſæ cælo nives fœdarunt. Veris illa potius, quam hyemis primordia dixiſſes. Magna hinc temporum ſubſecuta tranquillitas, lætaque rerum conditio. Mite prorſus, placidumque cælum, lenibus per intervalla obſecundantibus ventis ob occaſu modo, modo a meridionali plaga proficiſcentibus. Haud minus læto omine Januarius illuxit, qui & idem ad poſtremum uſque diem permanſit, hujuſce felicitatis, lætitiæ, ac ſerenitatis Authoribus unice Occidentalibus ſtatibus aſſiduo, lenique flamine e propinquis, atque excelſis Alpium faſtigiis perſpirantibus, quæ illorum, ſi quid infenſum iis manebat adhuc, coercebant. Mirum utique nos iis plerumque ventis ſerenitatem debere, cum ex adverſo impetuoſi hi maxime ac inſalubres Galliæ occidentalis regionibus ſint. Atqui ſi vaſtiſſimum illum tractum mare inter Atlanticum, ac Alpes, quæ nobis ad occaſum imminent, animo metimur, ſi ſuprema Alpium faſtigia, ac præcelſos harum vertices intuemur, ita quidem compoſitos comparatoſque, ut infenſum quidpiam, magnoque impetu ruens compeſcere queant, ac inhibere; mirum haud videbitur amplius, ut lenes ii ac temperati dein Subalpinas haſce regiones benigno afflatu pervadant. Uberrimam namque vaporum aquoſorum copiam, quam hi ſecum ex Oceano adferunt, magna ex parte ſuo in itinere dimittunt, tum ſi quid adhuc retinent, antequam Alpes attingant, omnino deponunt. Norunt id quidem Allobroges, ac finitimi iis incolæ, qui trans Alpes degunt, quibus ſecus ac Subalpinis, nubilum ac pluvioſum aerem ejuſmodi venti adferre ſolent. Id ſcilicet beneficii Alpibus debemus acceptum, ſic una diſpoſitis, ac collocatis, ut non niſi placidos pacatoſque ventos ad nos appellere ab ea parte ſinant, perque patentes campos diſcurrere. Secunda Januarii die cum adveſperaſceret prope, primoribus nempe noctis tenebris, obſcurus quidam auditus cæli fragor, & paſſim cadentium ſulminum ſpecies viſa, violentiſſimo e Boreali clauſtro ruente turbine meridiem verſus contremiſcente veluti, ac commoto Sole: Citiſſime tamen id deſiit, nec ultra horæ quadrantem perduravit. Mane ſequenti ſerenum iterum, ac ſedatum cælum, idemque totius fere menſis ſpatio præluxit.

VIII. Priores Februarii dies fœdi admodum mœſtique extitere, obducto nubibus ſole, denſoque velut ſipario, ac caligine obvelato; Lætiores hiſce ſucceſſerunt ad æquinoctium uſque, occidentalibus iterum per intervalla hiſcentibus ventis, qui itidem ad auſtrum modo, modo ad Boream accedentes pulcherrimam modo, modo lætam minus rerum ſcenam effecere. Ediſcere erat, ac veluti prænoſcere ejuſmodi ventorum aeriſque viciſſitudines inſpecto Barometro; quandiu enim perſpirabat ab occaſu lenis aura, videbatur in media veluti ſtatione Mercurius detineri, unoque tantum alterove gradu ab illa diſcedere, humilis ille, aut elatus, prout ad Auſtrum modo, aut ad Boream venti declinabant. Prope appetente Æquinoctio varium iterum, incertumque cælum extitit furentibus Auſtris; Pluvioſum mox idem, nubilumque, quo uſque tandem nitidus ac lucens Sol in ipſo veris limine, e tenebris velut, quibus obvolutus aderat diu, emerſit lætus, beatiſſimoſque dies incolis tulit. Beatiſſimi utrique, lætiſſimique dies, quos præclariores inter, aureoque ſignandos lapillo, jure merito recenſere fas eſt, quippe qui Regiæ Celſitudinis CAROLI EMMANUELIS Pedemontium Principis Auguſtam Sponſam ANNAM CHRISTINAN LUDOVICAM, e Regio atque Imperatorio Comitum Palatinorum Rheni Sanguine ortam nobis dedere, magno civium, ac ſubditorum omnium, exterorumque plauſu, lætitiaque. Inſonant etiam num auribus meis publicæ voces hilaritatis obſtrepentium paſſim bombardarum tonitru exaggeratæ. Verſatur ob oculos feſtorum ignium ſplendor. Occurrit animo triumphalis ingreſſus Majeſtas, ingens omnium ordinum alacritas, confertiſſima populi multitudo: dubium ut eſſet, an hæc una in Pedemontio Civitas, an totum in hac Civitate Pedemontium contineretur. Proh Superi quam feſta, quam auguſta pompa gaudiorum! Nec exigua quidem laus eſt Medicos hoſce faſtos tam bene auſpicato, fortunatiſſimoque connubio ceu præclara quadam, feliciſſimaque Epocha obſignare. Annuat Deus populorum votis, ac precibus, Patrique, Avo, Proaviſque ſimillima conceſſa Prole, omnigena hoc uno collata nobis, quod idem maximum eſt, præcipuumque, beneficia compleat, æternetque.

IX. Mitem adeo placidamque hyemem, ut e diverticulis in viam redeam, ſecus ac protendere videbantur autumni initia, trauſegimus, vix una aut altera vice ſpirante Borea, ſæpe quidem Occidentalibus ventis, quibus auſtrales etiam aliquando, reciprocantibus invicem

cem Imperiis, obſequebantur. Die Martii vigeſima ſexta, cum Sol ad occaſum vergeret, horrendis tonitribus æther circumfremere auditum, abſque omni cæli parte emicare viſa fulgura, nunc intermittente luce, nunc condita, effuſa mox torrentis inſtar pluvia grandine commixta. Sæviſſimus hinc, qui diu ſiluerat, furens Boreas, adque plures dies perdurans luctuoſiſſimam rerum faciem, media inter gaudia, ac jucundiſſimi veris præludia, quæ amœniora haud extitere diu, reddiderat. Languere enim omnia illico vidimus, prataque, agros ac nemora ſidereo veluti afflatu uſtulata, quæ paulo ante virentia undique, lætiſque decorata floribus cernebantur. Luctuoſum utique ac deplorandum ſpectaculum omnium oculis erat canentia circumquaque atva intueri, glacialibus uſta pruinis, rigidoque horrida gelu.

X. Aprili menſe iidem aſſiduo, ac diro flamine perſpirarunt Boreales venti, obſcuro plerumque ac procelloſo aere, ſparſa quoque ſubinde pluvia nivibus mixta nimboſis, cum potiſſimum mitius rueret heu tot parens malorum Aquilo. Eadem Majo ac Junio ſcena ſi quoſdam tantum dies excipias verna ſerenitate, ac ſpirantibus quandoque eteſiis, quaſi æſtiva temperie, commendabiles. Sic veris ſpeciem hyems tota Auſtrina exhibuit, cui poſtmodum ver ſucceſſit hyemis naturam veluti mutatis vicibus referens. Eodem modo ſubſecuta æſtas eſt uſque ad caniculares dies, quo tempore ſatis curioſum fuit luſcinias audire pro cicadis arbuſla rumpentes.

XI. Neſaſtum ſane, & inſalubrem annum nemo non prævideRat, tum ob apparentia in mororum foliis ſigna uredinis, quæ ſterilitatis prodroma eſt, tum ob pertinaciſſimam ſiccitatem telluris, areſcentibus ob inopiam humidi plantis, oleribuſque. Illarum pleræque media fere æſtate honore frondium orbatæ, ceu appetente hyeme, videbantur. Etſi enim ver pluvioſum potius ſignare obtigerit, quam ſiccum; detrimenti id tamen magis agris fuit, quam utilitatis; Nocturno namque gelu madens adhuc tellus gelido velut rore inſperſa mane conſpiciebatur. Intemperatum adeo, ac exlegem omnino annum experti ſumus, nulla ex illius partibus legitimam ac propriam temperiem ſervante, ſed una alterius ſubeunte vices, funeſto prorſus diſcrimine. Æſtatis reliquum nunc lenes, placidique anniverſarii venti, nunc ſpirans ex alto Boreas lætum modo, placidumque; perfrigidum modo, ac procelloſum, tonitribus intermixtis, cælique fragoribus tulit.

XII. Antequam vero ad morborum hiſtoriam me conferam, lubet pauca delibare leviter, brevitetque percurrere, quæ quidem explicandæ illuſtrandæque morborum indoli, comparandoque eorundem genio accommodata eſſe videntur. Sic enim recto velut tramite una properamus ad metam, quæve inferius dicenda manent, conſpicua eadem magis evadunt, ac præclariora.

XIII. Quæ altera emiſerat folia Morus, (ut a Principe arborum exordiar, quæ haud exiguas incolis opes præbet,) exuſta, ac veluti abſumpta cernere erat, rubigine illa ne, an flavedine potius anceps hæreo. Flavedinis enim veſtigia ubique aderant, ſeu rubiginis minus intenſæ, atque ad flavum colorem vergentis. Cæteræ fere arbores, tum frugiferæ, ut Armeniaca Malus, Ceraſus, Ficus, Nux, Olea, Pirus; tum ſteriles, ac infelices, ceu Cornus, Fagus, Oleaſter, Salix, Tilia, Pinus, Abies, ipſa dein virgulta, arbuſtaque, fruges, ac hortenſis univerſa familia haud obſcura Epidemicæ hujuſce (ſit venia verbo) rubiginis indicia præbuere; Uvarum quoque proventus, qui vetis initio aureus ſperabatur, ob eandem cauſam nonniſi parciſſimus extitit.

XIV. Quoad *inſecta*, nunquam adeo exiguus ſpectatus horum numerus, tum eorum, quæ primo vere, tum quæ invaleſcente æſtate ludere quotannis cernimus, perque aera denſo agmine circumferri; *Noctilucas* præſertim, quæ veſpertinis horis quaſi tot Phoſphori æſtate potiſſimum erumpere ſolent, vix paucas omnino prælucere obſervatum. Nec dubium Borealibus id ventis tribuendum maxime, a quibus nitroſas particulas magna copia advehi compertum eſt. Et ſane quo in loco hujuſmodi inſecta advolant, hæc ipſa ſulphuris ibidem, quod aptiſſimum eorundem pabulum videtur, præſentiam comprobant, quod & inſuper fœtidi odores, quales ex ſulphure & ſale unitis percipiuntur, tum endemii iis in locis, aut per ea tempora morbi ultro confirmant, ac docent. Atque hinc quidem fit, quod in Ruſſiæ, & novæ Angliæ quibuſdam partibus, ubi tum hujuſmodi animalcula, tum Cantharides, Scarabæi, Locuſtæ, Formicæ, Scorpiones, ac Pediculi alati, tum alia pleraque hujuſce modi inſecta raro, aut nunquam viſuntur, eæ vix ægritudines ſæviant, quæ apud nos ſolent adulta perſæpe æſtate caput attollere, ac debacchari magis. Locuſtas inter nulla frequentior Subalpinis *Gryllo -- Talpa*, horrendo viſu Inſecto quadruplo maximam ſupetante cantharidem, præcipue ætate ſi fuerit provectiori. *Gryllum* hanc appellari puto, quia eundem forte cum *Grillo* ſtridorem nocte appetente facit; *Talpam* vero, quia terram continuo fodit. Eſt & altera ſpecies Locuſtæ, cujus præ cæteris magna viſa hoc anno ſoboles, *Italica*, ſeu *Mantis* dicta, vel quia ſuo adventu ver præſagit, ut *Anacreon* cecinit: vel famem prædicit, ut *Cælius* annotavit, vel quia anteriores pedes, veluti manus, ſupplices ſemper tenet, atque elatos, vatum more, qui eo geſtu orationes ad Deum fundere ſolebant. Tam Divina cenſetur beſtiola, inquit *Rondeletius*, ut puero interroganti de via, altero pede extenſo rectam monſtret, atque raro vel nunquam fallat. Pulcherrimæ aliæ locuſtarum ſpecies in Apulia, ac Sicilia reperiuntur, quarum altera Italicæ magnitudine, & forma ſimilis, alium tamen ex naturæ locive dono colorem accepit: Habet enim cornicula ſaturate lutea, hyacinthinum ocellum, alas ex luteo fatiſcentes, corpus reliquum amethiſtinum. Gracilis altera quinque uncias longa, cucullata, capite pyramidali, e cujus pene vertice duo cornicula latiuſcula unciam fere longa ſeſe erigunt, galerumque illum Turcicum biplumem, quali Janiſſarii utuntur, ſuperbientem repræſentat.

XV. Prolixa eſſet res ea omnia recenſere inſecta, quæ hiſce in oris ſoboleſcere quotannis ſolent, quorum quidem alia periiſſe brevi, alia vero ne in ſcenam quidem prodiiſſe hoc anno viſa; Hæc inter Erucæ potiſſimum enumerandæ occurrunt, quæ ceu nocendi artis oblitæ prorſus, ac veluti immemores, inertes paſſim per agros, ac fere emortuæ ludebant intactis frugibus. Exigua mole animalcula inſeſto plurimum aculeo, *Erucæ* ſic dictæ, vel ab erodendo quod erodant olera, & pampinos: vel ab hærendo, ut *Apulejo* placet, quod pertinaciter adhæreſcant: vel a rugis quibus ſe ſe viciſſim corrugant, erugantque. Diſtinguuntur a *Mouffeto* in Eterogeneas, ſive affines a Papilionibus, & aureliis ſatas, Autogeneas ſua ex tribu profectas; Utriuſque innumeræ ſunt ſpecies, ut innumera extant herbarum genera, quibus veſcuntur; quælibet namque herba peculiarem alit erucam ſui vaſtatricem.

XVI. Ab Erucis ad Bombyces, ac Apes progredior. Præclarum utraque inſecti genus, nec exigui incolis emolumenti. Aliquot illud hebdomadarum ſpatio albæ Mori frondea ſagina ſartum, idoneaque ad lanificium materia inſtructum edere deinceps deſinit, ramulumque ſibi objectum inſcendit, ubi ovata figura membranaceum effingat folliculum, circumque eum bombycia ſtamina ordiatur, factus *Bombilius*. Neque hic prodigiorum finis. Poſt exhauſtam lanificii materiam ejuſdem folliculi cavo ſe abdit, occluſa omni ad exitum via; pauloque poſt factus *Necydalus*, hoc eſt, cornutus, & alatus *Papilio*, niſi mature præfocatus fuerit, perfoſſa membrana, conſciſſoque ſtamine ſibi exitum molitur. Haud minus exquiſito artificio alterum *dulci diſtendit nectare cellas*, *Apis* ſic dictum, vel quod ſe pedibus invicem alligent apes: vel quod ſine pedibus naſci primo videatur. Pro priori ratione facere illud videtur *Virgilii*, 4. Georgicon.

Aut illæ pedibus connexæ ad limina pendent.

Pro poſteriori militat illud ejuſdem,

Trunca pedum primo, mox & ſtridentia pennis
Miſcentur.

Deplorandum utique utriuſque fatum! E bombycibus enim vix pauci *nitidum de pectore filum*, pretioſaque ſtamina edidere. Haud modica etiam pars imperfectum opus reliquit. Apes vero cernere erat incertis huc illuc erroribus ludere, favos veluti ſuos deſpicere, & *frigida tecta relinquere*, ſeram increpitantes æſtatem, *Zephyroſque morantes*.

XVII. Haud minus aquaticis quoque, ac terreſtribus inſectis infeſtus annus fuit; (ſua etenim aquis animalcula adſunt, ut terreſtria Solo) ſive id ab eadem univerſali, ac prope inexplicabili aeris conſtitutione repetendum ſit, ſive potius ab aquarum inopia, amnibus, fluminibuſque, ipſoque etiam Pado Fluviorum Rege, exhauſto fere aquis, vixque ea ſuperſtite quantitate lympharum, quæ ferendis navibus ſufficeret. Magna hinc piſcium egeſtas quorum penuriam lacuſtres affatim compenſarunt, tum e vicino advecti littore. Fluviatiles inter frequentiores extant Subalpinis Trotta, Mullus, Timallus, Lucius, Anguilla, Muſtella vulgo *Botta*, ſeu quod utri ſimilis ſit, ſeu quod capite ranas referat ut *Cardanus* deduxit; Lampetra a lambendis petris ſic dicta: Nobiliſſimus ſemper tum a veteribus, tum a modernis habitus Piſcis, & Apiciis eſui mire expetitus. E lacuſtribus principem ſibi vindicat locum *Umbla Allobrogum*, quaſi umbra, ſeu quod haud exiguam cum umbra piſce fluviatili ſimilitudinem habeat, ſeu quod tergus præ multo livore opacum, & veluti umbroſum appareat: *Rondeletio* Salmo lacus lemani, quod corporis ſpecie, pinnarum numero, ſituque, & partibus internis Salmonem referat. *Umble Chevalier* communiter dicitur, forte ob magnitudinem, præſtantiam, & robur.

XVIII. Fabuloſa non minus quam ridicula de Anguillarum ortu, ac propagatione nobis tradidere tum veteres, cum recentiores. Incertum diu ſaltem nec exploratum ſatis, an viviparæ forent viperarum ad inſtar, an revera, ut cæteri piſces oviparæ; quod poſtremum haud ita pridem feliciſſimo conatu detexit Doctiſſimus ac Præclariſſimus *Antonius Valliſnerius*. Comparatum id, ac proprium veluti eſt magnorum Virorum, cum verum retegere ſe haud poſſe norunt, fictitium aliquod in ſcenam promere ac fabuloſum. Sic Jovis haſce filias nonnulli olim credidere referente *Athenæo*, ut Deorum munera *fungos* alii, & *tubera* pronuntiarunt; Haud aliter quidem ac magnates, aut Reges, quibus vel brevi terminata ævo, vel incerta origo eſt conſecrare illam, adque Deos auctores, aut Heroum quempiam remotiſſimæ ætatis referre conſuevere. Abjecta ex adverſo quidam iis incunabula dedere, limoque ac cæno ortas putarunt; *Quid enim fœcundius illo?* Sed hæc, & his ſimilia, ut & ea quoque quæ hac in re ridicula prorſus appoſuit *Ariſtoteles*, ut ut antiquitatis laude præclara, haud in magno equidem ponam deſcrimine. Mirari id magis ſubit, ut eruditi alias, ac percelebres fama viri, vel nuperrimis hiſce temporibus viviparas illas adhuc decernere auſerint, ſuaque Poſteris figmenta commendare. Quodve mireris maxime, exiguam nobis veſicam in abdominis cavo locatam, in qua ſæpe vermes latent, quamve in omnibus fere piſcibus, avibuſque, imo & in canibus aliquando, ac pleriſque brutis videre eſt vermiculis confertam, hanc, inquam, veſicam pro utero Anguillarum, vermeſque ibidem latentes pro anguillarum fœtibus impoſuere. Atque hæc libenter etiam concedam; Nec etenim refutandis hiſce fabulis tempus ſuppetit. Danda hæc vitro venia, quod præjudiciis occupatas quorundam mentes, *Leeuvenoechio* Duce, ac anteceſſore, denſioribus patuit tenebris obvolvere, vel dum clarius, ac dilucide magis perſpici ab illis credebatur. Quod vero quidam aſſeruerint ſe in prægnantis anguillæ utero undecim anguillas exſecuiſſe ſingulas ſuis ſecundinis incluſas, ut *Charletonus* affirmat, ſive ut *Eſnerus* ait, in diverſis membranis involutas; id ego haud patiar unquam Poſteris impune tradi. Aut enim, quod ſibi affinxere animo, ceu viſum, ac perſpectum oculis nobis dederunt; aut ſi ejuſmodi revera anguillulas in abdominis cavo intueri eſt aliquando, vermiculos eas quidem fore ctediderim, minime vero unquam veros fœtus anguillarum. Quod vel ipſe quidem *Ariſtoteles* adnotavit, nec tamen unquam in mentem ſubit Viro, ſi illius ævi caliginem, barbariemque maximam perpendimus, vere doctiſſimo, præfatos vermes pro anguillis agnoſcere, quinimo adverſus illos, qui hoſce veros ac genuinos eſſe anguillarum fœtus contendebant, acriter admodum inſurrexerat; in quo ſane haud exiguam promeruiſſe laudem videtur. Id ipſum quoque eleganter non minus, quam docte adverterat Præclariſſimus *Redi* Hetruriæ ſuæ ſidus fulgentiſſimum in aureo tractatu: *Delle oſſervationi intorno agli animali viventi, che ſi trovano negli animali viventi.*

XIX. Adverterat ſane præfatus Author, atque e viviparorum claſſe rejiciendas anguillas contendit. Earum tamen ovaria nemo

ante prælaudatum *Valliſnerium* vidit unquam, aut revelavit. Manebat enim Sapientiſſimum Virum, ac naturæ arcanorum perſcrutatorem ſolertiſſimum, Philoſophos inter ac Medicos hujuſce ſæculi celeberrimum, ac jure merito Principem, honos ac laus, quæ ad hæc uſque tempora latuerant ovaria Anguillarum, in lucem vindicandi. Manebat, inquam, doctiſſimum Virum inventi gloria, eo præclarior illa; quo obſcuriora, ac cœnoſiora, ut ita loquar, adſunt earundem anguillarum primordia, ac incrementa. Cernere eſt hæc ipſa ovaria ſecus Spinam porrecta adipoſis ubique ſtriis circumtexta, tenuiſſimaque membrana obvelata, qua detracta ovula occurrunt, ceu totidem exiguiſſimi, ac lucidiſſimi Uniones, ſuo ſingula annexa pediculo, per quem nutritii roris vectigal ſuppeditatur. Præclarius id, ac illuſtriore modo ſpectatur in prægnanti anguilla. Quæ cum rariſſime occurrat, quod tum temporis, ut Cl. Vir obſervavit, ima petat aquarum; haud mirum hinc quod tot hactenus magnorum eluſerit ingenia virorum, obſcurumque id, abditumque magis obſcuritas ipſa originis fecerit. Laudaro utique *Valliſnerio* noſtro *Paulinus* præluxit, huic in eadem arena *Severinus*: Is genuinum anguillarum uterum primus vidit. Ille etſi ova haud inſpexerit unquam, ex iis tamen illas naſci, naturæ legibus edoctus, contendit: *Nos*, ſic ille ait, *ut omnia animalia ex ovis, ſeu ſeminiis ſuis, ſic etiam anguillas ex iis naſci dicimus*, licet *Plinius*, *Ariſtoteles*, *Jo. Voſſius*, *Scottus*, cum aliis pluribus ova, ſemenque denegent, clamantes ullam nunquam captam eſſe, quæ aut ſemen genitale habuerit, aut ova. Hactenus de Anguillis.

XX. Exacta vix hyeme advenerant Hirundines; citius quoque, quam olim conſueverant, eædem diſceſſere. Cæteræ fere aves, tum quæ ſtaris temporibus redire ſolent, tum quæ totius anni decurſu haſce inhabitant oras, raræ admodum extitere. Rarior præ reliquis viſa Ficedula, exigua avis, ficubus, ac uvis victitans, ut pulchre his verſibus teſtatur *Martialis*;

Cum me ficus alat, & paſcar dulcibus uvis:
Cur potius nomen non dedit Uva mihi?

Idem pariter canoris fatum avibus, iiſque præſertim, quas vocant *inſectivoras*. Secus coturnicibus obtigit, turturibuſque, quarum ingens omnino copia conſpiciebatur, ut & reliquarum fere avium, quæ plantis veſcuntur; Has inter poſtremas, ſi colorem, pulchritudinem ac elegantiam ſpectamus, merito ſuperbit *Pavo*; Si Apiciis credimus, Principem ſibi comparat locum, ac dignitatem *Urogallus*; ſeu *Phaſidis ales*, ſumpto forte a Colchidis amne nomine, ad cujus oſtia illos frequentes convenire a Græcis proditum eſt; unde mox citatus *Martialis* in Xeniis:

Argiva primum tum tranſportata carina,
Ante mihi notum nil niſi Phaſis erat.

Horum duas habemus ſpecies, quarum altera major vulgo dicitur, ac toto fere corpore nigricat; Minor altera nuncupatur, ac cinereis maximam partem plumis veſtitur. Majo menſe ſpectata huc illuc obvolare Avis, ignota prorſus incolis, mole Turturis majoris ad inſtar, fulgentibus plumis, ac prope ſubflavis. Viſa, & altera inviſa hactenus properante æſtate, roſtro contra omnium avium morem ab utraque parte recurvo: colore juxta collum ſubviridi, reliquo corpore, ſubobſcuro, brevi pede, aliiſque, ac cauda exigua: *Loxiam* crediderim *Geſneri*, ſeu, ut alii vocant, *Curviroſtram*. Ignotas ejuſmodi aves, unuſquiſque fere annus, ut morbos, producere ſolet, quæ ſtatim ac ſe ſe circumvolando produnt, citiſſime effugiunt, adque diſſitas longe oras emigrant.

XXI. Neve intactum quidquam præteream, quod ad illuſtrandam, exornandamque morborum hiſtoriam quoquomodo facere videtur; numeroſa hic ſubit haud reticenda Leporum, ac Cuniculorum ſpectata hoc anno progenies, Glirium itidem, Alpinorumque Murium, Talparumque; Ne ſcilicet defuiſſe forte videretur in omnibus Natura; aut quod, idque ego putarim magis, toto exiſtente anno magna ſui parte impluvio, dehiſcente præ ingenti ſiccitate ſolo, ejuſmodi animalibus, quæ alias cuniculos ſibi fodere in agris, ubi lateant tum æſtate, tum hyeme, ſolent, haud ita facile fuerit cubilia ſibi condere; proindeque excurrere illis pro lubitu neceſſum exrirerit, perque arva, *campoſque patentes* e propriis velut expulſa ſedibus ludere, ac oberrare. 5. Ventriculi janitor linea quadam tranſverſa veluti ligatus atque diſtinctus. 6. Larynx qualis in teſtudine terreſtri; Mutum enim animal. 8. Panniculus carnoſus totus, & mire commiſſus cuti. 9. Pro Optico nervo fibrilla, quæ ſecta guttam unam, atque alteram aquei humoris, ceu roris effudit; eaque inſuper, non e conſueto loco, quo exire ſolet Opricus nervus, ſed a perreptantibus per cerebri meatus vaſis, egrediebatur. Atque hæc quidem in *Talpa*. In *Marmota* vero, ſeu mure alpino ſequentia cernere eſt; Cæcum peramplum; interne aſperum, & reticulatum, in quo valvula inſignis introrſum externe; Hepar ſeptenis lobis diſtinctum; Teſtes aliquantulum ſuperiores; Splenem longum hirundinis majoris modo; Ureteres non recto ductu deſcendentes a renibus, ſed dorſo adhærentes, & exiguos. Verum de hiſce ſatis.

XXII. Neve diutius in iis, quam par eſt, recenſendis, immorer, utque omnia in unum recolligam, *velaque*, ut ajunt, *traham, & terris feſtinem advertere proram*; Læriſſima, ut adnotavimus, exordia Autumni extitere; lætiſſimus hinc quoque futurus annus, ſi quem, *rupto ceu aggere torrens*, ruens immiris, ac ſævus Aquilo vix orto Autumno haud funeſtaſſet. Præmatura hyems, ac extemporanea prorſus; Mitior eadem, ac Veris temperiem redolens, cum magis ſævire debuerat. Ver illi ſucceſſit imbriferum, perfrigidum, luctuoſum, quo dein furentibus præter morem, appetentem ſolſtitio æſtivo, nunc ab Auſtro, nunc ab Arcto ventis reliquum anni ad æquinoctium uſque, ingens, ac pertinaciſſima diu vigens ſiccitas memorando ac pene infauſto eventu perſolvir. Obſignare hinc licet, *nigroque cortice* adnotare annum præ nimia ſiccitate telluris, ventorumque ludentium idole exlegem penirus, præbente natura, quod exiguum nobis dedit, indignabunda veluti, ac ranquam dira noverca, quæ rerum olim ſedula Parens dici gaudebat. Quæ ſane haud arduum erit conjicere, ſi quæ allata hactenus ſunt, tum quæ adjiciam deinceps, ſcite diligenterque expendamus.

XXIII. Ad morbos me confero, quos vulgares appellare lubet, non equidem, quod in vulgus ſæviant, ac infimæ tantum ſortis, ac notæ homines laceſſant magis; ſed quia viciſſitudines temporum, ac diſcrepantes invicem annorum tempeſtates referant potius, ab iiſque procedant. Ac primo febres occurrunt, quæ omni depoſita ineunte Autumno larva, intermittentium revera typum, ac morem præ ſe ferebant. Luſerant nanque illæ diu ſuperiore anno ſub intermittentium perſonato vultu, quo tandem omni abjecto fuco ſeſe tales jam modo oſtenderant, quarum ingenium olim ſimulaverant. Quinimo pleroſque horum, quibus acutæ ægritudines in chronicas ſenſim fatiſcente æſtate deſierant, orta repente Autumno febris e tertianarum genere brevi reſtituit. Lætam hinc augurari fas erat Taurinenſibus rerum ſcenam, ſi hanc extemporaneis flatibus erumpens Boreas, aut huic per intervalla ſuccedens, ac ſæviſſime ludens Auſter haud immuraſſent.

XXIV. Et quidem vix hos, ac illos indiſcriminatim benignis intermittentibus exaratis febribus correptos adnotaveram, vix novam rebus faciem illuceſcere adverteram; Ut mutatam hanc iterum extemplo vidi, ac veteres primo aſpectu reviviſcere morbos, qui recens elapſo anno longe lateque regnarunt. Atque id ſane probe expendendum Medico eſt, antequam quid ſtatuat decernatque ad curationem morborum conducens; Num ſcilicet reviviſcens morbus, aut eandem fere cum iis, qui ſuperiore tempeſtate luſerant, referens imaginem, iiſdem vincendus ſit artibus, eodem ac qui præceſſere, ſubigendus more; Num vero quidam porius habendus reſpectus ſit ad id ægritudinum genus, quæ noviſſime in apertum prodierunt; quibuſve jure ac merito vulgarium totius anni morborum imperium debetur, ac dominatus. Sæpe ego in hac incertus arena extiti; ac tandem rationem habendam eſſe mecum ipſe decrevi ad novam, quæ in ſcenam emergit, morborum ſobolem, etſi hæc non omnino adhuc ſeſe revelaverit, ſuumque omni relicto ſimularionis artificio vultum haud explicaverit prorſus. Eo quidem conſilio, quod nempe nova orta tempeſtate, quam inter, ac ſuperiorem magnum ineſt diſcrimen, novus hinc quoque fluentibus per abditas corporis ſcaturigines, ac profundiſſimos receſſus liquidis; ſolidiſque una ludentibus invicem, novus inquam vigor acceſſerit *totus mutatus ab illo*. Ut proinde etſi redire quandoque, ac remeare gradum iidem videantur adoleſcente Autumno morbi qui exacta æſtate ſæviere, quid tamen latere intus æquum ſuſpicari ſit, quod doctiores ſæpiſſime fallit, ni ea omnia quæ mutatis invicem tempeſtatibus emergunt, attente expendantur. Quod quidem, quantum interſit Medico noſſe, & obſervare, jam ſuo tempore agnovit, graviterque inculcavir *Hippocrates*: dum ita librum ſuum de aere, aquis, & locis auſpicatur. *Quicunqae artem Medicam integre aſſequi velit, primum quidem temporum anni rationem habere debet, quantum potentia quodlibet eorum valeat. Non enim ſimile quidquam in illis exiſtit, verum differunt invicem propter varias, quæ in illis fiunt; mutationes.*

XXV. Sane ſi recta mentis lance ingruentium Autumno ægritudinum indolem perpendimus, facile erit conjicere, quænam harum toto vertente anno regnatura ſit, ad quam ſcilicet cæteræ omnes, quæ ſubinde vagantur, ſeſe referunt, ac illa quodammodo militare videntur, ceu ſtipendio conducti milites. Ejuſmodi aderant effectus ii omnes, qui tum per Autumnum, hyememque, tum vere, ac æſtate ſubluſerant, agmen ducentibus, ceu Epidemicis primi ordinis, quaſque ob id Epidemicarum hoc anno ægritudinum Principes merito ſalutare luber, intermittentibus febribus jam explicatis, tum fuſe modo, diligenterque explicandis. Ut enim ad eas cæteræ omnes, ceu initio inter ſe invicem pacto referebantur, facemque hæ tulerant reliquis; Sic haſce primo deſcribere æquum eſt, ac ſub oculos ponere, quo præclarius deinde reliquarum ingenium eluceſcat.

XXVI. Vix itaque Libram æquis itineribus ſubierat Sol; ut illico tuni qui per ante actam æſtatem ægrotaverant diu, tum qui ægrotabant adhuc, inſertiſque paſſim ac diuturnis morbis conflictabantur, quales ſuperiora tempora attulere, tum qui ægrotare tum cœperant primum, inque morbos incidere: hi omnes fere ejuſmodi indolis, ac familiæ febribus decubuere. Viſi nanque tum plures quidem inopinato e diurnis malis, hujuſmodi oborta auſpicato febri, convaleſcere, ceu cum Thaumantis, & Electræ filia pulcherrima Iris poſt diuturnos imbres, nimboſque perennes, præfulgere tandem nubes inter, atrumque cælum videtur, futuræ ſerenitatis prænuncia.

Mille trahens varios adverſo ſole colores.

XXVII. Sperare fas erat Iridis inſtar ejuſmodi febres poſt tot exaratas, quæ ſuperiore anno dire admodum, inſolenterque debacchabantur, ægritudines læto omine elucere tandem, pacemque, ac tranquillitatem rebus, ſedato malorum turbine, allaturas. Nec ſane vota omnino fefellit exitus. Etſi enim ſeſe abſcondere quandoque viderentur, ac prope extingui; Haud difficile tamen erat, cernere luſum id eſſe; jocumque, quo ſæpe ſolent vulgares hujuſmodi affectus, quibus incunabula præbet Autumnus, ac potiſſimum horum Princeps, Medicorum artes eludere, ut docte advertit *Sydenhamius* Anglorum Hippocrates: Videbantur ſiquidem modo Aſthmatis larvam præ ſe ferre, modo Arthritida ſimulare vultu, nunc etiam ſæpiſſime quæ ſub ficta doloris Colici imagine, dirum in modum ægrotantes divexare; Ut infiniras nocendi artes præteream, quibus hos atque illos nullo diſcrimine aggrediebantur. Ars hinc erat Medico occultum hoſtem, inſidiaſque ſtruentem, vel ima inter delubra, ſanctioreſque lares appetere, oppugnare, ſubigere, iis quidem telis, quibus præfatæ febres ſubigi conſueverunt. Quos nanique ſimulata illa, ac doloroſa mali facies pleroſque fefellerat, ægrorantes hi ſuos aut inevitabili fato dederunt, aut graviora iis diſcrimina attulerunt, celerrimamque jacturam. Adeo ſæpe *Delirant Reges, plectuntur Achivi.*

XXVIII. Si qua tamen ſub larva ſubludere haſce febres frequentius advertimus, dirioremque in moreni miſeros ægrotantes exercere, vagus ea quidam, ac incertus dolor abdominis aderat, ſævaque.

vaque tormina, quæ ſtatis ſæpe etiam horis, ceu ludere periodicas febres videmus, recurrebant, eundem prope typum ſervantia, ingeniumque, ac eadem fere tempora, quibus præfatæ febres circumſcribuntur. Ac quidem meminiſſe obiter juvat exarata ventris tormina, quæ dire modo, crudeliterque ſæviebant, jam tum *Julio*, & *Auguſto* (*ann.* 1721.) menſe per æſtatem prodiiſſe in lucem, quibus, tonitruoſus cæli ſtatus, procelloſus idem, ac ſæpe etiam grandinoſus, ſubfrigiduſque ad plures dies proluſerat, qualem deinde appetente *libra*, ac toto paſſim Autumno experti ſumus. Cudebantur ſcilicet jam tum illa, quæ poſtmodum ſeſe oſtenderant, mala, cœperantque foras erumpere, ceu impatiens moræ hoſtis præceps ruit ad pugnam, aut nulla vi coercitus torrens oppoſitas extemplo moles, tum obvia quæque repagula diſiicit, atque diſturbat. Pagina mihi deficeret, ſi quotquot ejuſmodi ventris cruciatibus divexatos memini, recenſere velim, quos tamen facile erat, ac prodigii inſtar, ab imminenti exitio vindicare, ea adhibendo præſidia, quæ comitem, aut latentem febrim reſpicerent, Practicis uſitata. Hujuſmodi ventris dolores hujuſce indolis febribus ſuccedentes, aut iiſdem complicatos jam pridem adnotaverat Vir Doctiſſimus *Carolus Piſo* pro Colicis habitos, quorum cauſam aeris conſtitutioni *calidæ* impenſe, & *ſiccæ*, qualis revera hæc ipſa noſtra, Autumno præſertim, ac hyeme, toto proinde anno, ſi modo ver excipimus, extitit, idem adſcribit.

XXIX. Equidem ſi prægreſſam tot annorum ſiccitatem adhuc dum vigentem, conſtantemque hactenus tum certantium invicem ventorum, qui tum ante acta æſtate, tum Autumno, ac toto deinceps anno aſpirarunt, vim feritatemque animo metimur; Conjicimus utique, ac dilucide nobis innoteſcit, quænam extiterit ejuſmodi febrium, ac ægritudinum, tum harum præſertim, quæ abdita imi ventris loca obſidebant, origo, ac incrementum; atque, ut rectius loquar, quodve ſedulo inquirendum, adnotandumque Medicis præcipit Magnus ſenex, *occaſionis initium*, a qua omnes hæ ægritudines profluxere; Ecquid enim ab inertibus liquidis, ſero utpote fere omni defraudatis, nec libere amplius in orbem agi potentibus, ſolidiſque hinc quoque pari modo labentibus expectandum erat, quam *internæ viſcerum Syſtrophes*, atque in iis potiſſimum locis, per quæ aut inertiora ſuæ indolis liquida excurrere ſolent, aut eadem magis ſeri præſtantiam efflagitant, quo facilius circulum ſuum, ac munus abſolvant? Genuina hæc, ac potiſſima febrium intermittentium, quæ toto hoc anno ultro citroque progrediebantur, cauſa, quæ & eadem quoque cæterorum morborum fuit, qui memoratis febribus præluxere, aut hæ illis lampada tradidere.

XXX. Et ſane uno omnes ore quotquot hactenus in hac arena inſudarunt, febrium periodicarum incunabula in Ventriculo, ac primis viis, Pancreate, Meſenterio, finitimiſque, ac per imos quoſque receſſus diſcurrentibus vaſis poſuerunt: Uno verbo minieram febrium intermittentium, ſedem, ac *Principem*, pene dixerim, *aram*, ut *Sylvio*, ut *Villiſio*, ut *Sacho*, ut univerſo fere Medicorum cœtui placitum eſt, ipſa eadem organa ſuppeditant, comparant, præbent, quæ conficiendo, ac diſtribuendo Chylo famulantur. Quandiu enim Ventriculus, Inteſtina, Hepar, Lien, Meſenterium, Prancreas conſtitutum ſibi quæque munus rite perſolvunt, ſive excoquendis illa, retinendiſque alimenti quo uſque in maſſam chymaceam abeant, & qua data porta ſecedant, exprimanturque, dicata ſint; ſive perficiendo ulterius perque revolutos anfractus, ac *itinera mille* ferendo, devehendoque chylo; ſive quoſdam peculiares ſuccos elaborando inſerviant, quorum effectus varii, ut varia horum indoles eſt, ac ingenium; Quandiu hæc omnia inquam rite peraguntur in corpore, *ſarta tectaque* res eſt, ac incolumis. Ubi vero, aut exarata organa idonea minus evadunt comparato ſibi abſolvendo muneri, aut emanantia, perennique alveo influentia in cavum Duodeni liquida, tum quæ ipſa intima ſuperficies inteſtinorum minutiſſimis undequaque glandulis obſita jugi fluore extillat, inertiora manent, ſpiſſiora eadem, aptaque minus ſeſe una cum præterlabente Chylo commiſcere, vias expedire, menſtrui adeo, ac vehiculi munere fungi, fibraſque motrices ſtimulare, acria ſalina obtundere, coagulata dividere, *fermenti*, ſit verbo venia, vicem gerere, cruda coctis aſſimilare; Quis quæſo erit aditus Chylo lactearum oſcula ſubeunti: quis illius per *galaxiam* iter: quæ ejuſdem ad *receptaculum Pecqueti*; adque Thoracicum ductum, ac ſubclaviam tot inter oppoſitos aggeres, atque obvia paſſim molimina profectio, excurſus, meta? *Chyli* inquam, *Chyli*, ſi enormem illam temporum ſiccitatem expendimus a nativa ſui qualitate degeneris prorſus, ea nempe orbati portione ſeri, qua ſine nec miſcibilis ipſe cruori, nec ire, ac remeare vias par eſt, per quas excurrere debet, ac pergere.

XXXI. Effingat ſibi quiſque magnum ante oculos amnem, e quo innumerabiles rivuli exoriantur, qui in alios ſubinde exiguos amnes, mox in unum tandem una omnes, ac majorem alveum coeant, exonerenturque. Ut pulchrum, ut jucundum viſu eſt, puriſſimos modo, ac limpidiſſimos latices cernere ingenti flumine præterfluere, ſuborientes hinc rivos circumjectam planitiem amœno ſpectaculo irrigare, variiſque flexibus, nullo interpoſito obice, illabi, quo in unum deinde amnem una omnes evadant, ubique fontibus ſuis ſimiles. Fac cænoſum quidpiam leniter labentibus aquis commiſceatur, aut aliud quodpiam ſolidioris naturæ, puta, trabet, ligna, ſaxa, quod placide manantium lympharum alveum turbet; Ut illico aut exundare aquas in oppoſitam ripam, aut eaſdem ad diverſa amnium divortia ſiſtere veluti gradum, ac ſtagnare videbis, exſurgente lacu, ubi antea tellus erat, ac viride Solum. Idem prope obtingit Chylo, ubi craſſioribus moleculis refertus, deficiente utpote ſero, quod craſſa diluat, eumque ſanguini miſcibilem reddat, ineptus, ac impurus idem obvia ſubit oſtiola, ac degener omnino factus Thoracico ductui ſeſe inſinuat. Quot enim concipere eſt futuras tot inter vaſorum plexus, ac anguſta viarum præterlabentis liquidi ſtaſes; quot res tam prolixo itineri remoras, obiceſque.

XXXII. Hæc una quidem, ac præcipua febrium intermittentium cauſa; Una hæc, ac genuina crudelium adeo ventris cruciatuum, totque paſſim ægritudinum, quarum ſub larva, ac ſimulato vultu ejuſmodi febres ludebant, incunabula, ac incrementa: Uno proinde iis omnibus eodem enſe, ac more ſubigendis, ac edomandis. Ut a probo, ingenuoque Chylo probus, ac ingenuus ſanguis efficitur; Sic ab improbo eodem improbus quoque cruor emergit, ineptus ſcilicet, cum perennando circulo, tum nutritioni partium, quæ ſumma ſane res eſt, ac reliqua inter œconomiæ animalis munera præclarum magis, & majoris momenti. *Tantæ* adeo *molis erat* tam ingentem inſtrumentorum apparatum effingere, quæ tanti poderis opus abſolverent! Non hic quippe advocandum ullum in ſcenam *acidum*, non *pituita* præter modum viſcida, non *fermentum* aliquod, aut *duumviratus* humorum, non *Achæus Helmontii* aut *Lemures* indignati *Delæi*; Quæ quidem pituita, ſeu materies in venas effuſa, & partibus ſpirituoſis ſanguinis permixta potis ſit tot excitare turbas, ac febrilem tempeſtatem inducere? Hæc & ſimilia aberrantis ingenii ſomnia *Ettmullero*, *Sylvio*, *Villiſio*, *Dolæo*, eorumque aſſeclis ſibi pro lubitu affingenda, ac excogitanda facile concedam, utpote qui ea tantum mihi retinenda dudum conſtitui, quæ in magno Naturæ libro ediſcere eſt; quæ rationi, & *experientiæ rerum magiſtræ* conſentanea video, minime vero ea, quæ vanæ hominum mentes ſomniarunt. Veram utique intermittentium febrium, multarumque hic ægritudinum, quæ aut illis præludere, aut iis obſequi advertimus aliquando, cauſam, ac genuinum fomitem in ventriculo, ac inteſtinis tenuibus colloco; tum cæteris, quæ iis prope adjacent, partibus magno Chylificationis negotio inſervientibus; Quin acidum, aut fermentum quodpiam mihi effingam ibidem hærens abditumque, decantatum adeo, inviſum hactenus. Tantum nimius ſectæ amor, condendorumque ſyſtematum inanis ambitio *potuit ſuadere malorum*!

XXXIII. Profecto ſi liquida expendimus in maxima ſiccitate temporum ſero orbata, æſtuantemque adhuc intra præcordia cruorem animo cogitamus; ſi memoria recolimus ante actas ſuperiorum annorum ægritudines a præfervido ſanguine ortas, ſi luctuoſam illam rerum faciem calidam impenſe, ac ſiccam nobis iterum ante oculos ponimus: Si alimenta denique, queis veſcebantur incolæ a terræ ſinu deprompta, olera, ac fruges, tum ipſas animalium carnes præ ariditate Soli exſuccas veluti, ac pene aridas in mentem revocamus: Liquido conſtat magnam jam tum impendere liquidis jacturam, majorem longe illam futuram ad primos inclementi Boreæ flatus, ſtatim ac obſtipata penetrabili Aquilonio frigore cute captiva intus fluida, adque *concretionem*, ac *ſtaſin* heu prona nimis, hyemis acerbitatem ſenſiſſent. Ni forte, quod ſecus evenit, adproperans Autumnus, madefacto lætis imbribus Solo, mitioreque reddita aeris temperie temperamentum quoddam periclitantibus rebus præbuiſſet, quominus occurrerent, quas timebamus, ſeri jam prope inertis, ac viſcidi congeſtiones in vaſis lymphaticis, venarumque extremitatibus; Nacta hinc libertatem liquida, ac ſoluta vinculis, cumque illis viciſſim conſentientia ſolida datas æquilibrii leges ad amuſſim obtinerent, ac obſervarent.

XXXIV. Secus tamen, ut dicebam, evenit prorſus; Autumnus namque ſucceſſit, nunc ingenti inopinato æſtu, qualis ne ſuperiore quidem æſtate ſævierat, præfervidus maxime, nunc repentino extemporaneo frigore pergelidus admodum, quanto heu fluentium per corporis abdita, *cæcoſque meatus* diſpendio liquorum! Quanto itidem ſolidorum una conſpirantium detrimento! Veſtros revocate animos Subalpini Medici ad præteriti nuper anni, tum præcedentium duorum annorum memoriam, quorum ego hiſtoriam ſin minus eleganter, ac docte, ſumma ſaltem fide, ac diligentia, quod in hiſtorica potiſſimum narratione expetitur, conſcripſi. Expendite cujuſnam indolis aderant tunc temporis liquida, quove eadem more ad Hyperboreas prænaturo flamine erumpentes auras ſeſe habitura forent: Conjiciet hinc nempe veſtrum quiſpiam, quæ aut tum cudebantur erupturæ brevi, aut ſævire jam tum cœperant per univerſum Subalpinarum tractum, ægritudines; Atque hinc etiam præſidia facile adinvenire erit, quæ proficua extitiſſe dein temporis eventu adnotavimus. *Sapiens eſt* afferre malis remedia; Futura prænoſcere, ac velut e ſpecula prævidere, *Divinum*.

XXXV. Æquum eſt modo ejuſmodi febrium expenſa intime, ac perluſtrata geneſi, earundem ulterius genium, ac typum delineare paucis, tum quibus uſi ſumus, auxiliorum genera ad illas profligandas, abigendaſque enarrare; Antequam ad cæterorum affectum hiſtoriam progrediar, quorum ut idem cum exatatis febribus ortus, eadem quoque aderant, ſaltem vix diſcrepantia, phænomena, quibus manifeſtabantur. Statim hæ igitur, ac prima fere acceſſione, intermittentium morem, ac vultum præ ſe ferebant, ſi poſtremum tantummodo ſtadium excipias, pro eædem ſolent, qualibet vice, ingenti oborto ſudore, judicari. Nonnullis de tertio in tertium diem; Pleriſque ad ſingulos dies febris recurrebat, plena tamen inter duos quoſque paroxyſmo intercedente apyrexia. Quamdoque etiam continuas æmulari videbantur ob longiores, & duplicatos paroxyſmos; Vix paucis per autumnum in acutas periculoſas deſiiſſe viſæ. Per hyemem vero, & reliquum anni multis, ac potiſſimum æſtate, Lingua omnibus fere alba; Urina turbida, & impenſe rubens; Dolor capitis ingens, atque aſſiduus cum inquietudine quadam totius corporis; Pulſus lenis ac obſequens, nec inchoante febri citatus nimis, nec properante ad ſtatum illa elatus magis; Vix exiguus ſub finem acceſſionis ſudor; Tormina quibuſdam abdominis ſæva admodum, dirioremque, ac ipſamet febris, tragœdiam ludentia, nec facile deſinentia eadem, quinimo exhibitis anodynis, oleoſis, purgantibus invicta magis, atque iracundiora. Nullus initio vomendi conatus, nullum vel leviſſimum nauſeæ veſtigium, nulla prorſus oris amarities, conſueta olim febrium proludia, earumque comites. Nonnunquam commutabantur invicem quotidiana intermittens, ac tertiana ſimplex ſic dicta, ſubludebantque viciſſim. Atque tum quidem cum hoc illæ pacto erraſſent dudum, in acutas demum Vere plerumque, ac æſtate degenerabant, celeri ægrorum fato, niſi in doctum, prudentemque Medicum bona ſorte patiens inciderit.

XXXVI. Sæpe hinc memini haſce, ut malignas, ſtatim, ac omnimodam continuitatem ſimulare videbantur, a pleriſque tractatas fuiſſe, cujus imaginariæ, & commentitiæ malignitatis de causa, innumera hi præſcribentes alexipharmaca, calida, volatilia, & mille id genus inter ſe pugnantia remedia, quod præcavere credide-

rant ; periculum advocabant. *Quot* heu *ſimiola hæc malignitatis*, ut verbis utar Clariſſimi *Baglivii*, jugulavit, quos facile erat ab interitu vendicare inſpecta mali origine, ad quam, tanquam ad Polum, ac Cæli verticem dirigi omnis debuerat Medentis cura! Naturæ ſcilicet oraculis, & *Magni ſenis* præceptis auſcultandum, quæ ſi attentius excolerent Medicorum filii, haud equidem eveniret unquam illos adeo turpiter hallucinari, naturæ morbi tribuendo tot gravia paſſim ſymptomata, quæ rectius ſoboles ſunt depravatæ methodi, tracto nimirum in conſortium necis, qui idem inſons etiamnum erat, ſanguine ptæpoſtero uſu remediorum.

XXXVII. Sane ſi earundem febrium tum maxime, cum intermittentes eſſe deſierant, inque acutas migrabant, indolem propius ſpectabamus, & morem; quidquam adhuc obſervare erat, quod etſi intime latens, occultumque prorſus, prioris morbi ingenium referebatur, ut fere idem adhuc oculatioribus videretur alterius larva ludens, cujus ille perſonam induebat. Videre erat ſin minus in oculis, ore, ac vultu ægrotantium, in ipſo ſaltem febris circuitu quidpiam, quod præſentem adhuc veterem febrem ſignificabat, eodem illam confodiendam gladio, quo hactenus ſubigi ejuſmodi febres ſolent. Quodve mirere magis; nedum exaratæ febres, tum quæ typum intermittentium toto ſui decurſu obſervarunt, tum quæ in acutas abiere, aut ejuſmodi ab initio extiterant, aliqualem adhuc tamen præfatis intermittentibus morem gerentes, iiſque quodammodo obſequentes, hac methodo feliciſſime tractabantur: Sed & ipſæ quoque, in quibus nulla fere intermiſſionis veſtigia unquam præluxere, hoc eodem more citiſſime, ac tuto jugulabantur. Citiſſime quidem; quævis nanque hac in re mora, aut dilatio periculoſa, quæ petnicioſos ſæpe effectus protulit.

XXXVIII. Poſtremæ hujuſce indolis aderant, quæ *Januario*, ac *Februario* menſe prodierant, deletis tum pene, ſaltem delitescentibus hactenus memoratis febribus, quæ anteacto Autumno ſubluſerant. Hiſce primo tantum, aut ſecundo acceſſu leviſſimus horror præceſſerat. Sæpe etiam nullo, ac exiguo quidem præludentes horrore iraſcebantur, atque ita decurrentes quaſdam tantummodo diebus imparibus exacerbationes ſuſtinebant, ut revera quid in iis tertianarium circuitum redolens ſuſpicari fas eſſet, etſi primo aſpectu nihil omnino hujuſmodi appareret. Nec difficile quidem erat harum originem explicare memoria recolenti, quæ foret liquidorum per Autumnum conditio; quis una invicem oſcillantium ſolidorum ſtatus? Nil inde mirum, ſi quæ vigente frigore intermiſſionis tantum ſigna protulerant, ſilente mox Borea, ac præmaturo æſtu excandeſcentibus, intus cohibitis diu, obque ingentem reſolutionem propriæ humiditatis, ut antiquiſſimo verbo utar in hac parte, exuſtis ſuccis, ac bile præſertim, quæ ſane in naturalis Œconomiæ Theatro Principem vicem obtinet; eædem ipſæmet febres in acutas dein abierint, aut tales ſeſe ab initio oſtenderint, ceu fieri paſſim videmus media æſtate,

Arida cum ſitiens exoquit arva Leo.

Obſervare erat ſubcontinuas haſce febres, (ſic illas vocare lubet ob continuitatem paroxyſmorum) etſi nullo plerumque horroris præeunte veſtigio ſubluderent, quidquam tamen præ ſe ferre moleſtum ægris, quod quidem citiſſime evaneſcebat, ingenti ſuccedente æſtu, qui idem & ſeſe celerrime expandere videbatur, & intimiores quotquot receſſus, atque ipſa adeo præcordia momento temporis pervadere; ceu pici, & reſinæ evenire novimus, dum ſuccenduntur, quæ licet craſſam habeant compagem, ocyſſime inflammantur.

XXXIX. Idem erat tum harum, tum quæ iis proluſerant, febrium ortus ideinque apparatus, etſi pro varia aeris temperatione intermittentium modo indolem æmularentur; modo intermiſſione paulatim deperdita ad acutas tenderent; modo omni relicta intermiſſionis effigie ſubcontinuarum morem præ ſe ferrent. Utque bievi me expediam; Exarata ſuccorum craſſities, ut focum, ac incunabula intermittentibus febribus, quæ primo in ſcenam prodierant, præbuit, eadem cæteris incrementa dedit, cum primum remitti frigus hyeme cœpit, veriſque hæc potius, quam hyemis ſpeciem referre. Totum adeo quod metuendum erat maxime, a craſſitie, ac inertia ſuccorum, ac *bilis* potiſſimum, ut hanc unam pro cunctis afferam, *vitellinæ* ut ajunt, *praſſinæ*, *æruginoſæ* pendebat, cujus haud obſcura veſtigia petere erat ab ipſis excretis jam tum quidem, cum coercita hæc adhuc ab ambientis frigore, nec iraſci potens, ac ſuopte ingenio excandeſcere, febres tantummodo intermittentes attulerat. Quantum vero ejuſmodi humorum excretio, ſive ſincera, ſive variegata ſit, Medicis faceſſat negotii, norunt Practici; Quotieſcunque enim apparuerit illa, dat ſemper anſam ſuſpicandi aliquam gravitatem ſubeſſe, quæ morbum reddit non contemptibilem, etſi alioqui mitem, quod & *Hippocrates* docuit.

XL. Mites utique aderant, quandiu intra intermittentium limites conſtitere, etſi minimè contemptibiles memoratæ febres facili tum Marte ſuperandæ. Ubi vero ſævientibus inopinato Auſtris in ſubcontinuas eædem degenerabant, aut ab ipſo ſtatim ſui exortu toto penitus cælo ab intermittentibus diſtare videbantur: Quibus hic quæſo artibus enitendum, quibus occurrendum præſidiis, vi quorum ægri ab imminenti exitio tuto poſſent evadere? Nullus hic induciis locus; Nulla hic *Fabio* ſpes, qua *cunctando* poſſit *reſtituere rem*. Talis ſiquidem adeſt ejuſmodi ſuccorum natura, & conditio, ut nullam ferant, advertente *Mercato* celeberrimo ſuorum temporum Viro, & duorum Hiſpaniæ Regum Philippi Secundi & Tertii Protomedico, in exhibendis auxiliis moram, *cum certum ſit nullum poſſe* beneficium, *gratiam*, *aut coctionem a natura recipere*, imo, ut inquit *Averroes 3. collect.* corrumpant *formam ſpecificam illius*. Magna cæterum remedia ex mente laudati Authoris, qui pernicioſarum hujuſmodi febrium a craſſis, aduſtiſque ſuccis originem ducentium deſcriptionem æque, ac curationem diſtinctam pro viribus illius ſæculi incomparabili ſedulitate complexus eſt, hic nullum fere locum habent; Etenim ſi de purgatione ſit ſermo: caute *id facies*, inquit Vir doctiſſimus, *ſive enim purges*, *ſive ſecus*, *periculo res non caret*; *Quippe ſcimus vel leviſſimis pharmacis graviſſimas accerſiri dyſenterias*, *quod ſi has effugias*, *contabeſcet laborans*. Quod utrumque nos in diverſis paſſim ægrotantibus nuper adnotavimus, ac ſpeciatim in nobiliſſimo Fratrum pari ejuſmodi ingenii febribus eodem tempore laborantium juxta templum *Divæ Mariæ Conſolatricis Patrum Reformatorum Sancti Bernardi*, quorum alter natu major exhibito pharmaco purgante, quod idem horrendas paucis ab illius exhibitione horis ſecum cataſtrophes tulit, in habitualem febrem incidit nullo deinceps auxiliorum genere exorabilem; decennis alter gravi ac diuturno alvi fluxu conflictatus eſt, una cum magnis, ſæviſſimiſque ventris cruciatibus, a quibus tandem variis adhibitis remediis, ac præſertim acidularum potu *Javeni* haud procul ab Alpibus limpidiſſimo fonte emanantium, ſummæ in hujuſmodi dyſentericis, cæteriſque alvi affectibus ægrotantibus utilitatis, ad quod etiam ipſa mutatio ſoli haud parum tulit, incolumis evaſit. *In his febribus* (ab hippochondriis ortis, ac Meſenterio) *Barbari etiam*, *qui cæteroqui facile purgantibus utuntur*, *a purgationibus abſtinent*. Matth. *Giorgi* Ration. Med. pag. 141. Idem prælaudatus *Piſo*, *Ballonius*, *Duretus*, aliique plures adverterant. Si vero de Sanguinis miſſione loquamur, *ægrotantes hujuſmodi* ſubdit ſupra memoratus *Mercatus*, *tale præſidium non innoxie ferunt*, *& plerumque a ſanguinis miſſione continua evadit febris*. Ego quidem hanc adeo noxiam minime expertus ſum in iis præſertim febribus, quæ continuarum morem magis æmulabantur, quinimo larga doſi, plenoque fluento emiſſus ſæpe initio ſanguis auſpicatiſſime ceſſit, nec quempiam, novi hoc remedii genere, opportune, cumque illud natura expoſceret, celebrato, ſublatum. Sæpe etenim parandus hac methodo erat aditus auxiliis cæteris, ac horum Principi, quod mox proferam, ſi qua anni conſtitutione, quoque in morbo expetitum magis, in hac ſane opportunum maxime, ejuſque indolis febribus accommodatum.

XLI. Equidem *uno Peruviano cortice* (Is ſcilicet erat præſtantius auxilii genus) tum quæ primo illuxerant, intermittentes febres, tum ab iis ortas, aut iis analogas cæteras, quæ caput paſſim extulerant, ſubigi penitus, nec reviviſcere amplius memini, congrua quidem doſi, tum debito more, adminiſtrato. Vere *aureus arbore ramus*, qui furente ſparſis quaquaverſum fluctibus torrente procellæ impetum ſiſteret, excandeſcentes ſuccos compeſceret, vimque morbi retunderet, ac cohiberet. Vere *Polychreſtum*, ac prope dixerim, *Divinum* remedium, cui utinam ſimile quidpiam ad alios morbos poſſideremus. Sed paucis demptis, ut ait Vir Clariſſimus, ac toto orbe celeberrimus *Franciſcus Torti*, Sereniſſimi Ducis Mutinæ Archiater meritiſſimus, quorum virtus certa eſt, & utilitas evidens, ars noſtra medicamentis ſuperfluis alioqui ditiſſima, bonis, certiſque, quæ innotuerint, caret, imo forſitan ob hoc ipſum eſt inops, quia inutilibus ſuperfluit.

XLII. Magnam ſane hiſce Paginis laudem, ac lucem Præclariſſimi Viri nomen impertit, cui & ego, quod peramanter me diligat, meaſque ab illo primitias ſtudiorum, quæ in lucem edidi, commendari plurimum ſciam, ac ſumma humanitate excipi; & omnis una mecum univerſa litteratorum Reſpublica multum debet. Atque eo quidem magis me illi obſtrictum profiteor, quod me minus olim docte ſentientem de hoc adimirabili febrifugo, imo forſan & injurioſe nimis de illo locutum, utpote qui *in verba Magiſtri* omnino jurabam, benigniſſimis litteris, tum muneribus ignotum ac immeritum hominem proſequi dignatus eſt, atque omnibus benevolentiæ officiis complecti; Quo tandem, tum propriis obſervationibus edoctus ipſe, tum ingenti rationum pondere convictus, quibus laudatus Vir Corticis innocentiam adverſus quoſdam meticuloſos, vel præjudiciis imbutos, quibus, pauci ſint licet, ſuſpectis etiamnum redditur chinæ chinæ uſus, tuetur; errorem ipſe meum agnoverim, ac ultro fatear modo: Incertus, cujus in laudem potiore jure effundi debeam, corticis ne, an illius Patroni, ſtrenuique propugnatoris. Quædam, ſcilicet laudis pars eſt, erraſſe aliquando, confiteri errorem, inque viam reduci magnorum virorum conſilio, ac doctrina.

XLIII. Ne vero quis me putet vana loqui, lubet methodum, qua cum ego, tum alii plures præſtantiſſimi hujuſce Civitatis Medici in hujuſmodi naturæ febribus curandis uſi ſumus, fuſius exponere, eamque nonnullis curationum hiſtoriis, ac practicis animadverſionibus illuſtrare. Utque ab iis ordiar, quæ ingruente hyeme pernicioſum characterem induerant, utpote quæ nedum ſecuritatem præſidii, ſed celeritatem expoſcere videbantur magis, quam cæteræ, quæ ſuperiore Autumno proluſerant: Conſultum iis erat, Corticem ab initio protinus exhibere; febrile hoc more fermentum, ut cum vulgo loquar, quodcunque illud ſit, vel exiguum prorſus, ac inconſpicuum, vix editum illud edomando ſtatim, ac ſubigendo penitus, ne elatum magis, evectumque nimis, ac furens ingentes deinde tumultus induceret, quibus compeſcendis nulla poſtmodum artis præſidia ſufficerent. *Quodcunque* ajo *fermentum illud ſit*, tum quove in angulo latens, occultumque. Non enim hic tot inanes conjecturas repetere ſubit, quas hac in re innumeras excogitatas ſcio, ac quotidie adhuc excogitari ab iis, qui artem ſuopte ingenio a vulgi ſtudiis abhorrentem incertis & plerumque falſis opinionibus fœdarunt. An *ſtagnans* aliquid, quod egeat moveri? Num *fixum* quidpiam, quod expetat exaltari? An quidquam *exaltatum*, quod exigat deprimi? Num quid intempeſtive *influens*, quod debeat inhiberi? An denique *obſtructum* quid, quod indicet reſerari? An *intra* ſanguinem rurſus conſtituendum illud ſit, vel *citra* ſanguinem, vel *ultra*? Nos hæc linquimus agitanda iis, qui lites amant, nubemque hinc ſæpe (Diſpereat hic quidem obtrectator ille, cui ea diſplicent, quæ politioris litteraturæ cultoribus arridenr magis) pro *Junone amplectuntur*.

XLIV. Illuſit mihi aliquando, cum Icario anſu febrium intermittentium cauſas exquirerem, illuſit inquam mihi Phantaſma quoddam (ſic ego voco ludentis ingenii aereos incertoſque volatus medio ſæpe in itinere collabeſcentes) quod quidem, utcumque ſomnium fortaſſe videbitur nounullis, referre haud piget hic loci. Num ſcilicet in toto potius *Meſenterii* ambitu, aut illius centro con-

conſtituenda foret hujuſmodi minera febrium, ubi tanquam in emporio quodam, proprioque delubro deliteſcant, ſtatis ſubinde horis erupturæ, magnas ſecum una afferentes turbas, *catervamque malorum*? Si Carteſio Immortali Viro, ejuſque aſſeclis placuit incorporeum, ac immateriale principium nobis Divino munere conceſſum, vere *Divinæ auram particulæ*, nullis illud obſtrictum corporum legibus carceri mancipare ſuo, captivum ducere, inque vincula conjicere; Æquiore ne jure haud licebit principium materiale illud, febrium authorem, atque parentem, uno verbo, focum, ac materiam febrilem eo in loco conſtituere, ac collocare, per quem omnis generis vaſa diſcurrunt, perreptantque, milleque effingunt gyros, *itinera mille*, viarumque flexus innumeros? Num aptior hæc febribus ſcena, quam alia quæpiam hactenus excogitata? aptior utique illa cæteris, ac convenientior; ſive intra ſanguinem cum *Williſio*, ſive extra illum cum *Sylvio*, ſive denique in nervoſo latice cum *Guil. Cole* earundem ſodina contineatur? Huc venæ, huc arteriæ, huc lymphæ ductus, huc lactea, huc inſperſæ ubique glandulæ, huc nervei funiculi, aut ſi mavis dicere, nervorum rivuli eleganti ludunt ſpectaculo. Num quod de *Pancreate* ſuo commentus olim eſt *Sylvius*, idem nobis comparatum de *Meſenterio* effari, longe profecto faciliore, & clariore hic, quam ibi, tum ſymptomatum omnium, etiam infrequentiorum, tum ipſorum quoque circuituum explicandorum ratione! Haud exiguam ſane hiſce lucem, ſi quid ego hic judico, præbere videntur memorata illa ventris tormina, quæ toto fere anno una cum exaratis febribus, quandoque etiam nulla comite febri, quodve mirandum magis, periodicarum febrium inſtar recurrentia, longe lateque ſævierunt, cunctis invicta telorum ictibus, præterquam uno *cortice Peruviano*.

XLV. Videmus ab ulcere, & abſceſſu *glandularum Meſenterii* febres lentas & continuas fieri, quæ prius glandulis iiſdem tumentibus tantum, & obſtructis intermittentes extiterant. Videmus ſuborto in pede tuberculo, & tumefacta ſubinde glandula in inguine diariam febrim exoriri, quæ dubio procul periodica fieret, ſi periodice recurreret ejuſdem glandulæ tumor. Quidni igitur per analogiſmum quendam haud licitum erit eruere, aliqua ex glandulis meſentericis inſignioribus ita viſcido infarcta glutine, ut omnem, vel fere omnem chylo, & lymphæ illac fluentibus ultra ſe ciſternam verſus progreſſum inhibeat, totum vas illud lacteum, quod ab inteſtinis ad glandulam illam protrahitur, chylo ſtagnante intumeſcere, pariterque lymphaticum inſerens integrum, quod in eandem inſeritur, ab exortu ſuo uſque ad eundem terminum, lympha ſic ſimiliter ſtagnante, utpote exitum non inveniente, repleri; Exoriri hinc febrim, ac ſtatas quaſque periodos, ceu ad regulam quandam, emetiri, prout nempe glutinoſæ hujuſmodi obſtructionis alterna recluſio, atque occluſio contingit, cujus mechanica ratio non eſt hic loci. Quantum vero viſciditatis, glutinis quantum perreptans, cum ubique per abdita corporis, tum in hac potiſſimum parte lympha, atque hinc cætera quæque fluida humani corporis hac tempeſtate contraxerint, obvium eſt animadvertere recogitanti cuipiam, ac recolenti animo, tum ſuperiorum annorum, tum labentis indolem, ingeniumque. Quam facile hinc per diſſita locorum, viaſque varios in gyros convolutas contendens influens quicunque humor, ſi aliquo lentore peccet, iiſdem in locis obſtructionem producere poteſt, lentoremque, ac ſtagnationem mutuam cæteris per eoſdem tramites decurrentibus liquidis impertiri? Quot quæſo naſcentibus morbis hujuſmodi glandularum meſentericarum infarctus proluſit, aut eoſdem diu latentes, occultoſque, idem fovit, condiditque ſinu, quo uſque, ceu disjecto aggere, foras eruperint, eo vividiore conatu, quo diutius iidem delituere? Num præcipua hæc ipſa ſedes hyſtericorum inſultuum, affectionum hypochondriacarum, Phthiſeos chyloſæ, cujus exemplum unum atque alterum obſervare mihi hoc ipſo anno contigit, Rachitidis, Scorbuti, Atrophiæ, ac ſexcentorum fere morborum; quorum fera Symptomata novimus, incunabula vero nos omnimode laterent adhuc, niſi hæc illuſtriora, ac præclariora in dies efficeret magiſter in morborum cauſis eruendis optimus culter Anatomicus? Nec Indorum morbus a Jac. Bontio deſcriptus, hicque familiaris omnino reticendus, eos ad atrophiam deducens, in quibus poſt ſectionem aliquando totum meſenterium occurrit abſumptum. Referenda & huc quoque fortaſſis eſt *tabes Anglorum* ab calidiorum, ac ſpirituoſorum nimio abuſu, quibus ſummopere rebus Natio illa toto diviſa orbe oblectatur, proficiſcens.

XLVI. Equidem, ſi harum febrium tum intermittentium, tum ſubcontinuarum minera, ut ajunt, in primis viis, ceu pleriſque videbatur, extitiſſet, haud video, cur repetitis illa catharticis haud obſequebatur, educta hinc purgante medicamento materia omni exotica, quæ febrim pepererat. Atqui a purgantium uſu contumaces haſce magis evaſiſſe compertum, quandoque etiam ex intermittentibus in acutas periculoſas migraſſe, quas dein aut diuturnus alvi fluxus cruentus, aut diarrhœa ſæpe chyloſa una cum totius corporis emaciatione ſubſequebatur, proludentibus paſſim diris ventris cruciatibus; Qui iidem ſi diutius perſeverabant, *Phthiſin* brevi inducebant, de qua ſuperiore paragrapho verba fecimus, præfatæ diarrhœæ, aut alvi fluxus filiam, quo in limine conclamatum erat: ut nos in duobus ægris adnotavimus, quorum alter juxta *novas ædes Fratrum Carmelitarum*, alter prope *forum olitorium* decumbebat, qua fornix viæ antiquiſſimus ſpectabatur, cui *rubri coloris* nomen, nuper in triumphali Nuptiarum Regiorum Pedemontii Principum apparatu, ne inter nocturnos feſtivos ignes Aulæ proſpectum Fori, Foro proſpectum aulæ invideret, ut in præclaro monumento legitur Poſteritati commendato, ab Providentiſſimis Patriæ curatoribus dirutus, ac ſolo æquatus. *Phthiſin* illam voco, quod ſi ægrotantium habitum, ac faciem inſpexeris, vix illos ab iis, qui vere *Phthiſici* exiſtunt, aut ne vix quidem diſtinguas: vera autem morbi cauſa, ac præcipua ſedes in *Meſenterio* potiſſimum deliteſcit, infarctis univerſis lentore glandulis, ac prope jam in ſtrumoſo ſtatu degentibus.

XLVII. Elucet hinc Solo meridiano præclarior ejuſmodi febrium tum præcipui illarum, quod idem ſæpe etiam iis abſentibus ſubludebat, ſymptomatis, dirorum nempe abdominis cruciatuum fomes primarius, ac prope dixerim, natalis locus. Harum olim meminerat *Ballonius* Vir doctiſſimus in morborum notis explicandis, *Supplem. ad Sydenham.* eorumque origine, ac *occaſionis initio* revelando nulli ſecundus, quæ in diros ventris cruciatus *colicos dolores mentientes* plerumque deſinebant; Nec diffitetur idem procul ab meſenterio quærendam haud eſſe illarum ſedem, ac fomitem. Sæpe adeo noſſe eſt prioris morbi indolem ab ſymptomatis natura ac ingenio, quod aut illi præludit, aut una cum illo ſævire videmus diviſo velut inter utrumque imperio, ac poteſtate iraſcendi. Neque inficior ſæpe etiam ab aliorum quoque viſcerum, Jecoris v. g. Pancreatis, Lienis, glandularumque omnium per imum ventrem, ac univerſum tractum inteſtinorum denſo agmine deliteſcentium infarctu intermittentes febres ortum ducere, haud tamen inſonte unquam *Meſenterio*, in quo ſcilicet tanquam in ampliore Theatro ludere ſuopte Marte queunt ejuſmodi febres, ac quam hæ cumque velint larvam induere. Conſpicuum id magis fiet, ſi quem illi uſum, ac munus tribuit Præclariſſimus, ac amiciſſimus *Morgagnius*, mente recolimus; videlicet, ut ſanguini per meſentericas venas ab inteſtinis ad hepar aſcendenti multas in tranſitu ex iis, quibus copioſe ornatur, adipoſis cellulis particulas oleoſas pro ſeparatione bilis admiſceat. Confirmant aſſertum cadaverum luſtrationes, in quibus plerumque bile atroflava turgida veſicula fellis occurrerat, defectu nempe illius olei, quod in ſtatu naturali una cum ſanguine per meſentericas, quæ ſeſe in portam exonerant, venas hepati ſuppeditatur; Nonnullis totam lapillis refertam invenimus intus foriſque ita nigricantibus, potius ut carbones, quam calculi eſſe viderentur. Hoſce quidam ex iis, qui præſentes aderant, aderant autem quam plures rerum Medicarum, ac Anatomicarum ſtudioſi, obſervationis confirmandæ percupidi, num hi ſcilicet igni admoti flammam conciperent, adque extremum uſque alerent, lucernæ admoverant, ſed leves quidem crepitus edidere, flammam autem non ſervavere, quod peculiari vitio ejus, in qua concreverant, bilis accidiſſe arbitror. Nos equidem id ipſum olim aliquoties experti ſumus, ac pene totos comburi advertimus, quorum plures etiamnum in Muſæo inter rariora mea conſervo, qui & flammam alunt, & omnia ac olim obſervanda adhuc poſt multos annos præbent. Subit hic hiſtoria ſatis curioſa viri cujuſdam Religioſi, qui præcedentibus acerbiſſimis ventris cruciatibus quatuor demum exiguos ejuſmodi calculos per alvum dejecit; qua de re, cum varii varia proferrent, quidve eſſent, & unde eſſent, haud facile intelligerent, ego illos e choledocho ductu in duodenum delapſos, atque hinc per alvum favente motu periſtaltico exturbatos contendi, quod igni admotos comburi illos adnotaverim, teſte *Bidloo*, tum aquis immerſi iiſdem innatarent, docente *Fernelio*, ſecus ac iis, qui de veſica urinaria extrahuntur, ceteriſque, qui paſſim variis in locis generantur, lapillis contingit. An autem Jecur primo affectum fuerit, an Meſenterium, ipſa morbi indoles, ac ingenium manifeſtabit; Qui namque morbus a Meſenterii vitio proficiſcitur, raro Catharticis cedit, ſæpe etiam, ut adnotavimus, exacerbatur magis, tum tormina ſecum una adfert, ac cruciatus ventris immanes, inque atrophiam tandem, ni caveatur, degenerat; Qui vero a jecore procedit, non niſi catharticis frequenter uſurpatis expugnatur, nullo fere, aut vix exiguo ventris cruciatu ſtipatur, inque colluviem plerumque ſeroſam, ſi diuturnior extiterit, deſinit. Sed tamen fortaſſe de hac re fuſius loqui continget aliquando. Nunc vero ad aliud caput tranſeat oratio, quæ perquam ſatis in hiſce immorata eſt.

XLVIII. Hos inter rerum fluctus præſtantius, ut retulimus ſupra, ſubſidii genus, ac ſacra, pene dixerim, anchora *cortex* erat, ſive intermittentis toto ſui decurſu typum febris retulerit, ſive in acutam migraverit illa, ſive eadem ſubcontinua ab ortu extiterit, ſæpeque hinc obſcura inter ſimulati velut circuitus veſtigia Medentes eluſerit; ſive denique nulla præſenti febri toties exarata alvi tormina tantummodo deſævierint. Nulla hic advocanda ſui generis materia, quæ catharticum ſuaderet, aut expectanda Medicorum ſcriptis celebrata adeo humorum coctio; ne forte, dum hiſce totus incumberet Medicus vota ferens *Naturæ*, evacuato purgantibus, quod adhuc reliquum aderat, ſero, aut datis inani cunctatione morbo induciis, altioribus actis radicibus malum ingraveſceret, ac, ut pleriſque obtigit, in lentam febrim, ac in maciem denique infauſto exitu tranſitum faceret; præcluſo nempe omni itinere chylo, aut ſi quis adhuc aditum ſibi per oppoſitos aggeres aperiret, viſcido eodem, lento, ac inerti prope ſanguini occurrente, nullo prorſus pacto miſceri apto cruori, inque nutritium rorem ſecedere. Duas ſcilicet ob cauſas extenuari ſenſim corpora videmus reſpectu ſucci nutritii, cum is nempe aut liquidus minus, quam par eſt, alendæ parti occurrit, aut exoticis moleculis refertus, quo fit, ut ineptus nutritioni, ſeu minime aſſimilabilis idem evadat; defraudatæ hinc æquo alimento partes emacientur ſenſim, ac contabeſcant. Etſi enim idem ipſe nutritius humor in *rorem*, *gluten*, ac *cambium*, ut veteres ajebant, faceſſat, opus ſit, totque adeo ſubeat *metamorphoſes*, antequam nutriendæ parti aſſimiletur: glutinoſus proinde evadat neceſſe ſit, ut firmiter magis adhæreſcat, ac ſolidi vim, ac robur obtineat; Si vero is minus jam natura fluxilis ad partem, cui comparatus eſt, accedat, conjicere eſt, non eum amplius acquiſiturum glutinoſitatis gradum, qui neceſſarius eſt ad hoc, ut parti ſimilis fiat.

XLIX. Quod ſi impar idem obvios ſuperare obices, perque infarctas lentore glandulas, obſtructaſque vias excurrere, regurgitare hinc, ac mutato itinere, revocare gradum coactus erit, perque eadem, quæ jam ſubierat oſtiola, ſe ſe in inteſtinorum cavo recipere, & qua data porta una cum alvinis fæcibus exire, unde diarrhœa pleriſque chyloſa, mox phthiſis inevitabili fato ſucceſſit. Huc ſcilicet tandem caſura morbi alea, ni periclitantibus rebus opportune cortex ſubveniret. Ut latens venenoſior in herba anguis, ita & majus in mora periculum.

Ægrotus Primus.

EXimius Juriſconſultus initio Autumni corripiebatur tertiana ſimplici, cum pauco tamen rigore invadente; declinante febri conatus mox ventris acerbiſſimi ſubludebant, toto demum Apyrexiæ intervallo perſeverantes. Exhibito medicamento purgante tertianæ duplicis typum, febris obtinuit, viſaque ventris tormina exaſperari magis, ac diriora eadem evadere. Fotus adhibiti ex lacte, clyſteres emollientes addita theriaca recenti, diluentia, paregorica mitiora, & his ſimilia. Monebam ipſe, ut ſtatim cortex præſcriberetur, quo fine magnam impendere ægrotanti viro jacturam prævidebam. Difficilem tamen aſſenſum præbebat Medicorum alter, qui ægrotationi præerat; Cum vero omnia in pejus ruere cerneret, ſponte tandem, cum forte illum ſub veſperam inviſeret, corticem ſemel, atque iterum exhibuit modica doſi. Mane eadem, qua conſueverat, hora febris repetiit, lenior, tamen, tum mitius ſævire cœperant alvi tormina, quo dein corticis uſu æger perfecte convaluit.

Ægrotus Secundus.

JUdæus poſt febrem primo validam, mox lentiorem, atque diuturnam, inſuper diarrhœam contraxit, quæ poſtmodum in dyſenteriam migravit, eadem durante febricula. Demum dyſenteria rurſus in diarrhœam converſa, cœpit ſimul febris typum manifeſtum acquirere tertianæ duplicis intenſioris. Hæc autem febris in invaſione ſua ſoporem ſimul adſcivit admodum profundum, quo circa declinationem acceſſionis evaneſcente ſtupidus, attonitus, & immemor ad plures horas æger remanebat. Quæ cum ego ſedulo animadvertiſſem, juſſi Medico curante annuente admoveri occipiti veſicatorium, ac mox corticem Peruvianum larga doſi exhiberi. Et ecce ſtatim imminuto paroxyſmo, oblationem validiuſculam corticis ſubſequente, alteroque prorſus inhibito, ſymptoma ipſum ſoporis ſimul evanuit, quare brevi a febre, a lethargo, & a diarrhœa liberatus eſt Æger.

Ægrotus Tertius.

SAcerdos jam proxime octogenarius febrem tertianam patiebatur adeo abſconditam, adeoque latentem, ut ea potius ex acerbiſſimo ventris cruciatu cum obſcura quadam extremorum frigiditate, quam ex ullo charactere magis proprio diſtingueretur. Diu ipſe incertus hæſi, an ſymptoma iſtud pro vero morbo haberem, eique occurrerem appropriatis remediis, nondum ſcilicet probe conſcius periodi tertianarii. Atqui ſuſpicans ſimul quicquam aliud latere ob inſignem pulſus inæqualitatem, inſuperque obſervans hujuſcemodi cruciatus nihil habere commune cum colicis ita dictis doloribus præter doloris ſenſum, facile deprehendi doloris originem aliam eſſe ab illa, quam mihi effinxeram. Qua de re ad corticem Peruvianum protinus confugiendum eſſe exiſtimavi, pro inhibendo dolorifico, ut ita loquar, prope imminente paroxyſmo, eo metuendo magis, quo debilis æger, ac ſenio velut confectus, par haud erat amplius mali ſævitiem ferre; Libentiſſime annuit, qui una mecum aderat Medicus, ac ſtatim propinato Cortice per ebullitionem in aqua Card. Bened. parato, brevi integram ægrotans valetudinem recuperavit. Huic quoddam ſurditatis, cum jam e morbo convaleſceret, veſtigium ſupervenit, quod idem una cum febri evanuit omnino.

Ægrotus Quartus.

PRimarii Regis Architecti famulus ejuſmodi ventris doloribus laborare cœpit, una cum febri ſubcontinua, diarrhœa, ſiti magna, urinis ſubrubris, ac velut igneis, pulſu celeri, æſtu, ac vigiliis intenſis. Contractum manu abdomen percipiebatur, quid*re* in profundo latens ægri relatu, quod ſedem ipſe mali vocabat, ac centrum doloris. Ad ſeptimum uſque ſubcontinuæ morem febris obtinuit, quæ nec repetitis ſanguinis miſſionibus cedens, nec diluentibus, fomentis, nec cortici ipſi poſtremo adminiſtrato, quinimo ad omnimodam continuitatem malignanter tendens delirium ſecum una attulerat, feroceſque artuum convulſiones, quarum haud obſcura quidem indicia in carpis obſervare erat poſt quartam acceſſionem, cum adhuc ſcilicet ſubcontinuæ genium febris ſervaret. Adſtricta poſt ſeptimam ſponte alvus, irritata eadem vix pauca demiſit, variegata, ſincera, improba; Urinæ pallidæ, turbatæ, pulſus intermittens. Dimiſſo Cortice Veſicantia humeris, ac Tibiis admota, diluentia iterum adhibita, camphorata, alexipharmaca, fotus, ſectaque iterum vena. Quibus nihil proficientibus medios inter acerbiſſimos ventris cruciatus, membrorumque ſubſultus, lecti fimbrias diducens, & floccos vellicans, ſæpe etiam per vices ſingultu correptus e vita deceſſit.

L. Pleroſque hujuſmodi caſus recenſere poſſem, quibus denegatus cortex, aut dimiſſus idem, cum adhuc largiore illum doſi exhibere opus erat, rem permiſit in deterius abire. Ut ut enim veſicantia, ac ſanguinis miſſio, quæ duo haud diffiteor tutiora extitiſſe hac conſtitutione poſt corticem præſidia, in iis potiſſimum febribus quæ acutarum indolem æmulabantur; viderentur recta adverſus morbi genium pugnare, nt & repetita diluentia, ac fotus, quorum eadem ferme ratio. Ea tamen nihil, aut vix parum quidem niſi una cortex adminiſtraretur, adverſus morbi cauſam profecerant, quæ id nanque præſidii efflagitabat, quo vegetior Chylus, vegetiore hinc quoque facto ſolido, impervia viarum facili marte pervadere, imoſque receſſus adire poſſet: uno verbo, properantia ad ſtaſin, ſeu ad concretionem liquida, deficientia hinc pariter ſolida, fluorem illa, hæc vim, ac robur amiſſum reciperent, ad ſtatas utraque æquilibrii leges redigerentur, vindicarentur ab inſarctu glandulæ, expedirentur ab obſtructionibus viæ, præcaveretur ſuprema, quæ imminebat, jactura; quod unum ſperandum erat a *Cortice*. Equus indomitus, & effrænis, liceat mihi allatum hic loci a præclariſſimo, nec unquam ſatis laudato Viro exemplum, tum ipſamet illius verba uſurpare, Equus indomitus, æquit, quandoque eſt febris. Ab eo hominis vita trahitur, velut currus, quo fata ſinunt. Medicus moderator eſt, Aurigæ inſtar, lora tenens. Si vulgari utatur hic methodo in curatione febris, id aget tantum, vel ſtudebit agere, ut medium furens Equus teneat iter, ne in foveas hinc inde paratas obliquus feratur, Currumque, vel Hominem perdat; non vero impediet, quin curſum ſuum Equus expleat, uſque quo illi ſuppetunt vires, & furor, non ſine gravi metu, quod dum

Fertur equis Auriga, nec audit currus habenas,

Offendat ille tandem ad obicem aliquem, ad quem alliſa, male conſiſtens facile frangatur machina. Quod ſi china china utatur Medicus, id aget, ac ſi retracto magiſtra manu convenienter fræno, Equum vi ſiſtat, aut retrogradum faciat, & hoc pacto totius incerti curſus declinet pericula.

LI. Pleroſque utique caſus recenſere poſſem ægrotantium, quibus male ceſſit res, ſive ludens adhuc tertianario circuitu febris derepente in acutam tranſierit, ſive haud deleto morbi fomite in lentam abierit, diuturniore quidem, at æque infelici exitu, quod utrumque diſcrimen eludere erat exhibito opportune Cortice. Dixi *haud deleto morbi fomite;* Quotquot enim hoc more lenta ægritudine occubuerunt, ſecto Cadavere, Meſenterium compertum eſt ſumme putridum, pleriſque etiam pene totum abſumptum; nonnullis ſordido ulcere, aut exiguis adhuc abſceſſibus ſcatens, ceu totidem latentibus Vomicis, quæ procul dubio diuturnam febrim, ac mortem tandem attulerant. Horum unum, atque alterum exemplum lubet commemorare.

Ægrotus Quintus.

MErcator quidam in *Vico D. Thomæ* florenti adhuc ætate, alvis torminibus exeunte hyeme vexari cœperat: inque dies magis, magiſque dolor vim capiebat: tantumque aberat, ut hujuſcemodi doloris abditæ cauſæ comprehendi poſſent, ut nunquam ullis remediis tolli, aut ſaltem levari hoc malum potuerit. Comes aderat febris, quæ intermittentis diu vultum retulerat, atque tandem amplius circuitus legem obſervabat, modo etiam crudelior reviviſcere videbatur; Quo urgente magis adhuc, quam ut tolerari poſſet, dolore, extenuato prope, ac macie confecto corpore e vita diſceſſit. Cadavere ſecto ſana omnia reperta viſcera, præterquam Meſenterium, quo præciſo, materia multa nigra, fœtenſque profluxit, encauſto ſutorio ſimilis.

Ægrotus Sextus.

HOneſta Virgo hoſpitalis Puellarum domus, vulgo *dell' albergo*, in dolores Colicis ſimiles, ac pro talibus habitos ſuprema hyeme incidit, contra quos cum nullum remedii genus valeret, miſella, febri quotidie cum rigore inſigni repente doloribus jam dictis aſſociata, paucos poſt menſes maraſmo conſumpta eſt. Diſſecto ventre ingens copia puris, quo totum meſenterium refertum, ac quaſi turgidum erat, erupit. Hoc Natura per renes evacuare fruſtra tentaverat, urinis valde purulentis profluentibus: Cum renes interim integri, omnique labe carentes conſpicerentur, quos nonnulli ulceratos ſuſpicabantur, idque non immerito, cum puris mictus diuturnus, teſte *Galeno* 4. Aph. 75. renum, aut veſicæ exulcerationem ſignificet. Verum doloris circa renum regionem abſentia ſuſpicioni huic non atteſtabatur.

LII. Cæterum nec in Meſenterio tantum, etſi præcipua ibi extiterit morbi ſcena, ſed & in finitimis huic quandoque partibus, hujuſcemodi infarctus occurrerant, quorum exempla recenſere haud vacat. Tentabat ſiquidem Natura per ejuſmodi abſceſſus in hac, aut illa parte erumpentes morbum ſolvere; At cum hi in abdito adeo loco, imoque delubro contingerent, ſequebatur hinc ab eorundem diſruptione totam una partem putreſcere, ac velut abſumi. Febris hinc intermittentis incunabula repetenda, nedum facto, aut tentato abſceſſu; Ejuſdem in acutam migrantis proludia, inchoato prope, ac confecto ipſo; lentæ itidem, ac una ſimul ſæviſſimorum alvi cruciatuum incrementa, diſrupto tandem, ac finitima quæque loca exundante. Primo in ſtadio facile erat propinato Cortice ulteriorem morbo progreſſum inhibere; Haud ita facile in altero, ni exiguus foret abſceſſus, aut glanduloſa pars, in qua is deliteſcebat, haud ita diffita ab inteſtinorum tramite, ut in eorundem cavo facili negotio poſſet exundans materies vaſorum famulatu exornari. Difficile omnino, ac pene impoſſibile in tertio, ac ſupremo morbi ſtatu; ſive hujuſmodi concretiones in Menſenterio, ut plerumque obtigit, ſive in Pancreate, aut Hepate, ſive quod in *Ægroto Sexto* ſuſpicari fas erat, in renibus occurrerint. Renes hoc pacto exulceratos, ac fere abſumptos omnino mihi in Viri Cadavere diuturna ægritudine confecti haud ita pridem offenderat ſolertiſſimus, ac ingenioſiſſimus adoleſcens *Octavius Calaſtrus* in majori Urbis Noſocomio aſſiſtentis Medici munus diligentiſſime perſolvens.

LIII. Morbos abſceſſu ſolvi ſatis vulgare eſt, qui frequentiſſime quidem febribus, & variolis ſupervenit, maxime circa aures, atque inguina; non nunquam & toto corpore diffuſa excreſcunt tubercula, quæ in pus aliquando reſolventur. Idem ubique Naturæ laborantis conatus; etſi impar illa ſæpe haud queat, quod tentaverat opus, abſolvere, ſæpe etiam ob partis longinquitatem, per quam nempe partem, ſeu emunctorium haud ita facile eſt congeſtam materiam evacuari, foras protudi. De abſceſſibus Hepatis feliciter peractis innumera monumenta habemus apud Scriptores, quod quidem per Choledochum ductum, amplum ſatis, ac per mille illum rivulos collectam in jecore materiam in Duodeni cavum deferre aptum, ſi præſertim congruo in loco abſceſſus fiat, facile is erumpere queat, ac totus exonerari. Præclarum Hepatici hujuſmodi abſceſſus hoc pacto feliciſſime curati exemplum Parenti olim meo obtigit in Sereniſſimo Principe N. N. a Sabaudia, cum illius ægrotationi præeſſet. Ejuſmodi ego alterum in Pancreate in nobiliſſima Muliere hoc more ſanatum vidi, diuturnis, diriſque hyſtericis inſultibus divexata, cujus adhuc veſtigia

ſtigia, eadem decem ferme poſt menſes defuncta, cum filiam peperiſſet, inſpexi, ac Medicis, qui una mecum curationi aderant, oſtendi. Noſſe erat abſceſſus ſedem, locum a doloris veſtigio, abque viſibili tumoris in eo ſitu, quo proprie Pancreas latet, præſentia, qui dein evacuato ſenſim per alvum pure imminuebatur.

LIV. At vero nullum adhuc curationis in Meſenterio abſceſſus, vix unum aut alterum latentis ejuſdem in renibus, aut veſica, perque urinæ meatus ſuppurati; cujuſmodi hiſtoria illa *Pithionis* ab *Hippocrate* in principio *tertii Epidemicorum* deſcripta. Mirum ſane, quantum in hujus explanatione hallucinentur interpretes, qui uno omnes ore, ac unanimi conſenſu morbi liberationem urinæ copioſius effuſæ tribuerunt; Neque enim ad urinæ quantitatem, ſed ad qualitatem potius, utpote quæ fuerit purulenta, referri ſanitas debet. Neque leve eſt, quod *Hippocrates* his in libris ſæpius obſervat, urinam quoties materia illa purulenta per veſicam abducta eſt, cum difficultate & dolore reddi conſueſſe, ita ut ſtranguria laboraverit ægrotus. Proferam hic, quod mihi olim adnotare contigit curioſum ſatis, huic *Hippocratis* exemplo plane reſpondens: ita tamen, ut hoc interſit; quod utcunque factus abſceſſus ſuppurationem obierit, æger tamen ſanitati minime reſtitutus ſit. Atque eo lubentius id proferam, quod ſub hac plerumque imagines juniores non modo, ſed ſenes aliquando decipiantur, ac ſi calculus revera adeſſet, qui tamen nullus poſtmodum reperitur.

LV. Sacerdos e Capuccinorum familia, & ingenio peracri, & ſtudio flagranti, & doctrina eximia, & memoria ſingulari excellens, anno ætatis ſexageſimo ſexto, circa Veris initium valetudinem amiſit. Urgebant viſcerum dolor, flatus, & quaſi quædam convulſio: langueſcebat admodum ſtomachus. Poſt autem aliquanto deſidendi aderat, mingendique cupiditas, ſtranguria, dolor juxta inguen, & glandem permoleſtus, præcipue poſt extremam mictionem graviſſimus; In Perinæo ad veſicæ cervicem pondus; atque hæc omnia, & nova, & repentina. Urina primum difficilis atque interciſa; deinde magno cum impetu, & ſonitu quodam, quaſi ventus aliquis erumperet, excreta: In qua quidem, color inerat naturalis, nihil tamen ſubſedit. Dolor aut reſupinato, aut inclinato, aut etiam cum diſtenderetur veſica, levior. Atque hæ inter mingendum moleſtiæ ad vitæ uſque finem perdurabant. Acceſſit interdum ſitis. Hoc fere modo ad medium Majum traxit: quo tempore dolores ſtatim exacerbeſcere ſenſit, ſiquid paulo calidius hauſerat. Per biduum omnia rejecit vomitu; Cruciari ſibi inteſtina, & abdomen vehementius tendi querebatur. Dolor hinc inter mejendum acerrimus; febris cum ſiti ſatis acuta: quæ tamen, die tertio elapſo, aliquantulum remiſerunt. Arenulæ aliquot aſperæ, quæ magnitudine caput aciculæ æquabant ejectæ. Color urinæ ſaturatior: in qua ſubſedit plurimum muci glutinoſi, & ſubflavi, ſanguine hinc inde, aliquando etiam carunculis, ramentiſve reſperſi. Paucis exinde diebus recruduit dolor; Obortus hinc quoque rigor, totumque horrore corpus intremuit. Pulſus celer & depreſſus; Lingua arida; Urina ſanguine plurimum tincta; quam quidem non niſi in lecto cubans excernere potuit. Poſtremo tandem requies, ſeu potius ſenſus obtuſior. Caput quippe tentari cœpit. Febris, ſingulis diebus veſperi ingraveſcere ſueta, tandem fere prorſus elanguit. Spiritus paulo difficilior: Urina mordax planeque mali odoris: pus ea largitate profluens, ut urinæ copiam prope exceſſerit. Huic malorum moli paulatim acceſſit ſenſuum ſtupor. Ita in hoc piiſſimo Viro ille animi motus, quo nihil celerius, aut acutius eſſe poterat, veterno tandem obtorpuit. Qui autem non jure beatum illum dixerit, vel quod vitam doloris expers tandiu produxit, vel quod, cum diutius haud ſine dolore vivendum eſſet, vivere deſiit? Aperto cadavere urinæ iter accuratius perveſtigatum eſt. Nam ad ſectionem in animo parati acceſſimus, quaſi calculum eſſemus inventuri. Sed neque in veſica, neque in renibus ipſis, ullum omnino ſabuli, nedum calculi apparuit veſtigium. Dum ulterius viſcera ſcrutamur, Colon ita pertinaciter veſicæ adhæreſcere animadverſum eſt, ut ne cultro quidem facili dividi poſſet. Quaque in parte adhæreſcebat: in conſpectum venit diametri quaſi ſeſquiuncialis ulcus rotundum, quod non modo Coli ipſius tunicas penitus abſumpſerat, ſed etiam veſicæ membranam extimam perederat. Hinc via per tunicam veſicæ mediam, ſive muſculoſam perforata eſt, quæ pennam anſerinam reciperet: Unde continuo pus ab ulcere intra veſicam defluxit; adituſque patuit, quo in urinæ ductum ab inteſtinis commigrarent flatus; de quibus quidem, dum viveret, ægrotum ſomniaſſe perperam credidimus.

LVI. Sed ut ad *Meſenterium* revertar, quod *ſcenam* conſtituo ſævientium hoc anno malorum; atque ut uno omnia claudam paragrapho: Ars medentis erat, præſidium, quod cedebatur præſtantius, *adhibere*, antequam enatæ hic loci paſſim concretiones ſeroſæ phlogoſin inducendo febrim efficerent intenſiorem, aut erumpente abſceſſu febris inde habitualis emergeret. Sive autem in ſubſtantia ad inſtar electuarii, ſive levi ebullitione in aqua appropriata paratus, atque una cum balſamicis commixtus Cortex exhiberetur, perinde erat; Quanquam & hic maxime quædam ſit Medico cura, ac vere dixerim prævidentia, quæ definiri non poteſt, multo minus edoceri. Equidem cum præcedentium annorum, tum quæ hoc anno ſæviebant, ægritudines, mihi ante oculos pono, lympham ubique in motu peccantem video; Ut nihil inde mirum videri debeat, quod pulmones modo, lenteſcens hæc paſſim, ac ſiſtrophes ubique inducere apta, pectuſque, ut ſuperiore anno adnotavimus, modo imi ventris viſcera, ac *meſenterium* præcipue occuparit. Quotieſcunque vero, in hac ſiccitate temporum, tot emortuas huc illuc plantas circumſpicio, defectu humidi terræ centralis, quod iis pabulum præbet; dilucide mihi occurrit febrium, ac cæterorum affectuum, qui una eruperant, ratio; curve hi potius in *Meſenterio*, quod ager eſt, campuſque patens, inſignibus glandulis, rivuliſque majoribus refertus, per quem vitalis ſuccus identidem percurrit, ac remeat, cruori aliquando miſcendus, quam in alia quacumque parte tentoria caſtra poſuerint.

LVII. Exacta hyeme, eædem viſæ febres proludere, novo tamen ſymptomatis genere diſtinctæ, ut in *Ægroto* 2. attulimus; ſopore ſcilicet gravi, ac profundo, imbrifero tum, ac ſumme perfrigido exiſtente cælo, nocturno etiam ſæpe gelu concretis ubique per circumjectam planitiem fluentibus aquis. Cernere novum hoc ſymptoma eaſdem, ac febris, phaſes obire, cum eadem ſcilicet creſcere, ſtatum atringere, ac demum illa declinante, declinare ſenſim, reſtitante, ut plurimum, aliqua in ſoporem propenſione, etiam tempore intermiſſionis, quæ affectum paulatim radicari, & ad Idiopathicum tendere præmonebat. Nonnullis quidem intermedia apyrexia nullum aderat ſoporis veſtigium, ejuſque loco cruciatus ventris prodierant, eo more recrudeſcentes, ac in intermittentibus autumnalibus, apyrexiæ tempore, iidem iraſci conſuevere, evaneſcentes hi dein, repente febri, quæ ſoporoſam affectionem ſe cum una comitem afferebat. Sæpe coævus febri ſopor, interdum illi poſterior, diarrhœa paſſim, dyſenteria, aut memoratis alvi cruciatibus proludentibus. Enim vero etſi in capite agi videbatur Tragœdia, morbi tamen fomes, ac incunabula adhuc in imo ventre delitescebant. Atque hinc quidem, cum acceſſerat ſopor, ex intermittenti tum ſæpe in acutam degenerabat febris, eadem protinus & ipſa methodo profliganda, antequam *Palladis Templum*, ſacramque aram intime magis morbus pervaderet. Ominoſum erat, propinato Cortice febrim intenſiorem adhuc evadere; Ut victoriæ ſignum certiſſimum eandem denuo in intermittentem deſinere, quouſque tandem continuato corticis uſu omnino profligaretur. Pleriſque memini loco ſoporis cardialgiam in principio acceſſionis ſuperveniſſe, pauca ut plurimum, vel inani vomiturition. Lethale heu prorſus ſymptoma, atque eo funeſtum magis, cum febris intermittens adhuc perſtiterit, ac vim illa eluſerit præſidii, ſerius forte etiam, quam par foret, adminiſtrati. Quæ cum ego memoria recolo, ac verſicolorem hujuſce imaginem febris Vere potiſſimum, ac æſtate ludentis adverto, animo ſubit Proteiſormis illa, cujus ingenium, ac morem accurato penicillo adumbravit *Mortonus*, vim una ſimul eximiam Peruviani Corticis pro ranto debellando hoſte ſumme commendans.

LVIII. Nunc ad intercurrentes affectus me confero, quibus curandis, ſanandiſque, etſi nihil prorſus cum vulgaribus morbis habere viderentur affinitatis, haud exiguam tamen lucem iidem præbuere. Adeo ſcilicet nedum, quæ ſub Epidemicarum Principe ludunt, ægritudines, haud impari, ac illam, methodo vincere tutum eſt, ſed & quæ ab ea toto penitus cælo diſcrepare videntur, nullumque omnino cum illis fœdus habent, atque conſortium. Has inter recenſenda primo loco *Aſthmata* veniunt, quæ ſi olim unquam, hoc potiſſimum anno, ac rum quidem, cum ſæviret ab alto Boreas, frequentiſſime proluſerunt; atque ejus præſertim generis, indoliſque, quæ *convulſiva* vocat *Williſius*, ſeu *ſicca*. Pleroſque horum memini ſolo Cortice Peruviano ſanatos, anodynis una commixto, quæ aliter per ſe ſola uſurpare, pernicioſa res erat. Proficua quampluribus venæ ſectio, ac quidem *Jugularis*, cujus beneficio haud pauci inopinato evaſere. Miræ curationis exemplum hujuſce ingenii Aſthmatis enarrare juvat, quod lucem fortaſſe Practicis hac in re feret, quo citius rutiuſque idem, ſive recens illud extiterit, ſive diuturnum, compeſcatur, evellaturque radicitus. Sartoris cujuſdam *Galli* (*de la Rue*) Filius, decennis circiter, in *vico novo*, qui recta ab ædibus Regiis ad Portam, quæ vulgo *nova* dicitur, ducit, diuturno hujuſmodi Aſthmate flatulento, ut ajunt, ſeu periodico laborabat. Rogatus ego, ut opem illi præberem, haud libenter, quod ingenue fateor, curam ſuſcepi; Nihil enim ſperabam mihi ex ea laudis acceſſurum, aut ægro emolumenti. Tentaverant ſiquidem id ipſum plerique alii, ſed fruſtra. Invitus denique, ac precibus Parentum indulgens, jubeo venam in cubito mane ſequenti ſecari, altero die potionem ex Manna obtuli, nullo, vel exiguo fere l vamine. Sæpe mihi in mentem venit Corticem exhibere, vel ex eo maxime, quod unum inter, ac alterum Paroxyſmum pleniſſima ſæpe intermiſſio ſuccederet. Quem ramen præſcribere diſtuli, mali diuturnitate perterritus, ne ſcilicet inſons alioqui remedium eventus ambiguitati, ac prope dixerim, forti ſubjicerem. Oxymel itaque Aſthmaticum *Floyeri*, Viri Doctiſſimi, ac qui multum gloriæ in hac Provincia ſibi comparavir, aureo tractatu de Aſthmate, in quo nihil fere deſiderandum reliquir, Oxymel inquam Aſthmaticum *Floyeri* præſcripſi, mane, & veſperi ſumendum. Leniri hinc malum viſum, ſaltem paroxyſmos haud adeo frequenter occurrere, ac repetere antea conſueverunt. Properante hyeme ingraveſcere illud, ac iraſci magis iterum cœpit. Jubeo ſanguinem e Jugulari lato vulnere emitti, ipſeque locum ſectioni aptum Chirurgo deſignavi. Totum namque recentibus ſcrophularum veſtigiis obſitum undequaque collum aderat, quibus vel ab incunabulis correptus æger fuerat. Eadem mox die, ac ſequenti bene ſe habuit Puer; Proxima huic nocte, cum Parentes ſomno placidiſſime tenerentur, ingenti exaudito ſtrepitu expergefacta Mater filium reperit humi proſtratum, ac pene animam efflantem. Me diris increpat, quod inauditam rem, ſic namque vocabat illa, recens factam in Jugulari ſectionem, in filiolo tentarim. Atqui vanas hujuſmodi Mulierculatum querelas parvipendit vir Prudens, Parochum extemplo advocat, qui morienti Puero ſuprema munera adminiſtraret. Dum hæc agerentur, ſedari viſæ ſenſim convulſiones, altuſque ſopor ingruere, qui perennem rebus ſecuritatem attulit; Ex eo nanque tempore pacata ſunt omnia, nec ullum vel leve mali veſtigium ſuperfuit. Incolumis brevi poſt Puer una cum Parente, donii pares mihi pro munere grates lætiſſime egit.

LIX. Sæpe ego ejuſmodi aſthmata in pueris ab obeſitate nimia, ſeu intumeſcentia Thymi ortum ducere haud inani conjectura ſuſpicatus ſum; Sive ejuſdemmet Thymi ſitum, munus, ac habitudinem vivida mentis acie perpenderim, ſive enata inde ſymptomata quæque diligenter ad trutinam revocarim. Pondus addiderat conjecturæ meæ demortuorum Puerorum ſectio, quibus frequens id mali genus extiterat. Cum enim quædam olim mecum ipſe meditabundus cogitarem noxa prope, ad Thymi uſum hactenus ignotum prorſus, conducentia, inque lucem edenda aliquando; Quotquot hinc fœtus, renellique infantes mihi occurrerant quopiam morbo denati, hoſce omnes curioſe perluſtrabam, ac Thymum potiſſimum, quem obeſum, ac inflatum magis, ac ætas poſtulaverat, in iis omnibus deprehendi, quibus quædam aderat ab ortu anhelitus anguſtia: Ad fœtus vero quod attinet, cum aer nondum bronchia repleverit, prægrandis utique Thymus in iis conſpicitur, qui demum in adultis ſenſim decreſcit, ut in Senibus fere idem vix inveniatur. Suſpicabar autem quod cum Thymus nutritium ſuccum, qui a ſanguine e magnis, ac proximis vaſis affluente, magna co-

pia ibidem derivat in ſœtu, non equidem, ut ſibi effinxit *Cl. Bellingerus* per excretorios ductus ad oris confinia juxta linguæ radicem deponat; At, ut ego propria obſervatione edidici, rorem illum nutritium in ipſius œſophagi cavo, exiguis oſculis, breviore itinere conferat, unde in ventriculum, ac inteſtina delabitur, vaſaque lactea percurrit, quin fœrus ore aſſumere alimentum cogatur, quod improprium, ac minime conveniens vel ipſe olim *Hippocrates* cenſuit: Suſpicabar, inquam, quod idem Thymus, edito jam in lucem fœtu, nimia oppletus ſucci quantitate, nec exonerare hanc potens in proximo infundibulo, obſtructis ab ampliato poſt nativitatem œſophago hiantibus in illum oſtiolis, eam tandiu in ſinu ſuo detineat, quandiu a propioribus vaſis abſorbeatur; abſorpta dein eadem, cum maxime delituerit diu, aut forte hæreditaria labe acorem contraxerit, tot una excitet turbas, totque illa parens ſit ægritudinum, quas pueris ſæpe contingere videmus, difficili Marte ſanandas. Atque ob id ſane pleriſque uſitatum eſt fonticulum in occipite puerulis utiliter inurere, aut ſetaceum derivationis gratia, cum maxime ea ætate pueri gravi ſoleant ſtertore premi, qui nullimode ab ullo pulmonum infarctu, at potius ab nimia Thymi obeſitate proficiſcitur.

LX. Ab eodem, ac memorata Aſthmata, fonte ortum una, ac incrementa ſuſceperant Paralyſes, Apoplexiæ, Hæmoptoes, improba Scabies, Podagra, Nephritis, Phthiſis, ac univerſi prope affectus, quos præſens conſtitutio anni in Scenam tulit, quibus & merito accenſendi occurrrunt fluores albi Mulierum, tum pallidi Virginum colores, affectus Hyſterici, in fandaque Puerperarum Clades; ab liquidis ſcilicet, aut præ nimia glutinoſitate coercitis, aut æqua ſeri portione defraudatis, quo egent, ut ſibi comparata munera obire queant, ac conſtitutas ſibi leges ſervare. Qui hæc omnia ſerio mente revolverit præterita, aut tum quidem revolvit, expenditque diligenter, cum impenderent prope; Is vates eſto, ac *Magnus Apollo*. Hæc inter peculiares nonnullas hiſtorias ſeligam, quæ Medicinam facientibus haud inutiles omnino erunt, aut injucundæ legentibus. 1. Præclara Veſtalis Octobris menſe, cum intenſo præter morem æſtui rigida hyems e veſtigio ſucceſſit; Paralyſi dextri lateris una cum inſultibus hyſtericis perculſa, dirum in modum ludentibus, laborioſam vitam tota hyeme duxit; Vere appropriatis remediis priſtinum valetudinis ſtatum integre recuperavit, quadam tantummodo ſuperſtite tarditate linguæ, per novilunium maxime. Autumno dein ſequenti eadem die, ac momento fere temporis, quo ſuperiore anno in Paralyſin incidit, pleuritico dolore correpta intra biduum deceſſit. 2. Veſtalis altera, cum, fluentibus menſtruis, in aquæ frigidæ balneo diu morata fuerat, internarum partium omnium paralyſi extemplo obruta & adhuc luget infelix amiſſum membrorum uſum; Atque hinc ſane explicari poſſet phænomenon illud gravitatis, ſeu ſpaſmi, quo in aqua diutius morantes plerique corripi ſolent, ac ſe ſe velut a Spectro quodam ad fundum trahi exiſtimant. 3. Mercatoris filia, cui prægrandis diu in abdomine enatus tumor, qua cæcum inteſtinum ad dextri renis confinia delitescit, Colicos ſæpe dolores, ac ſævos admodum inducere conſuevit, in paralyſin ſubinde ejuſdem lateris deſinentes, quæ citiſſime ſolvebatur; ab utroque jam modo affectu Thermarum beneficio immunis, atque incolumis degit, remanente antiqui tumoris in eadem parte veſtigio, qui malorum author extiterat. 4. Quidam ex hepatis, & veſicæ bilis obſtructione in tertianam notham, deinde in colicam paſſionem incidit; paulo poſt paralyticus redditus, ſex fere menſes inermis vixit, ad extremum delirio, ac epilepſia correptus occubuit. Paralyſis a principio occupavit brachiorum ſuperiores partes, ſenſim ad extremitates manuum, ultimo ad crura deſcendit: Æger atrophia contabeſcebat, deque ventriculi ardore, ſiti, appetitus edendi proſtratione, alvi difficultate, & dolore Ilii ſiniſtri tenſivo, gravique (ſentire enim ſeſe ajebat in illo loco pondus aliquod grave, tanquam plumbi maſſam) conquerebatur. Aperto cadavere Jecur reperimus pro corporis ratione nimis magnum, obſtructioneque minime vacans; Veſicam bilis craſſa, ac nigra bile turgidam; Ventriculum humore viridi plenum, atque extenſum; Colon inteſtinum male, ac præter naturam conformatum. Siquidem ubi Cœcum ſitum eſt, & ubi Colon ventriculo annexum erat, valde laxum aderat, flatibuſque expanſum, reliquis in locis ad rectum uſque, anguſtum, fœcibus craſſis, duriſque in globulos concretis infarctum: Eodem modo conformatum vidi Colon in multis. Reliqua viſcera tam naturalia, quam ſpiritualia erant illæſa, & integra. Ex cerebri ſubſtantia inter diſſecandum effluxit aqua tenuis, ac colore ſubrubicundo, quod vaſorum ſanguineorum inciſioni adſcribendum eſt; nam aqua, qua omnes ventriculi ſcatebant, fuit tum tenuiſſima: tum limpidiſſima, ac pura, nihil vero pituitæ in ventriculis cerebri vidi. Totum ſpatium, quod in Sacra fiſtula inter tenuem, & duram membranam eſt, & ubi nervorum funiculi nervos conſtricturi a ſpinali medulla recedunt, ſimili aqua plenum extitit. Ex qua quidem hiſtoria, & ſymptomatibus, quæ præcurrernnt, conjicere fas eſt omnium malorum ſcaturiginem ab Hepatis obſtructione podiiſſe ſ. Virum novi reſolutionem ex mœrore, multa ſolicitudine, & inedia expertum: deinde ſumpto Cathartico, adeo læſum, ut totus ipſe immobilis fieret, & propemodum interiret, niſi in contrarium mutatus fuiſſet, & humectantibus omnibus, tum potionibus, tum cibis, & aliis hujuſmodi uſus fuiſſet, maxime vero balneis, unctionibus, mutatione aeris temperati, & omni hilaritate. Etenim triſtis erat, & ad iram proclivis. 6. Miles ætatis 30. annorum, exeunte Januario, derepente inter prandendum cum ſuis Commilitonibus, mortem ſubit. Conſuevit longo antea tempore de dolore preſſorio in radice frontis, & de perpetua narium, ac faucium ſiccitate conqueri. In aperto poſt obitum corpore obſervata ſunt ſequentia: Pulmones utrinque cohærentes cum Pleura expanſi, & turgidi ſanguine, dexter tamen lobus minus ſiniſtro, abſque ulla ſubſtantiæ labe; Cor flaccidum, Hepar præmagnum. In capite autem propior hærebat hujus inopinati eventus cauſa; Proceſſui nempe ſalciformi, ubi intra radicem frontis cum oſſe Ethmoides firmius connectitur; accreverat conſpicua magna portio inſtar induratæ, ſcirrhoſæ, & conglomeratæ glandulæ, quæ fronti in iſto, quo hanc reſpicit, latere firmiter cohærebat, ut digito violenter ſeparari opus habuerit. Proxima Cerebri ſubſtantia erat ſiderata, putida, & eliquata; Reliqua illæſa. * Optandum ſane, ut exquiſitiorem hiſtoriam prægreſſi morbi, aut adverſæ ſaltem valetudinis hujus Viri habere potuiſſemus, aſt nemo aderat, qui talem ſubminiſtrare potuerit. Analogum huic caſum olim a Cl. *Terraneo*, nunc Beato, adnotatum memini in Viri cujuſdam capite ſubita morte interempti, in quo magna occurrerat fungoſo glanduloſa, ac fibris diſtincta portio, anteriora verſus uſque ad os frontis, a dextris ad os temporum, a ſiniſtris vero ad duplicaturam Menyngis uſque protenſa, tres libræ quartas pendens. 7. Juriſconſulti Uxor, prope Collegium Clericorum Regularium Divi Pauli, diro, ac diuturno capitis dolore vexata, appetente ſolſtitio æſtivo, oborta febri acuta, e vivis inter copioſiſſimos capitis ſudores exceſſit. In hujus capite ingenti ſeri copia ſubflavi, viſcidique, utrumque ventriculum anteriorem refertum comperimus, ac glandulam juxta pituitariam diſrupti recens abſceſſus veſtigia, pure adhuc exundante teterrimo, fœtentique. Tota Cerebri ſubſtantia corrupta veluti videbatur, ac coloris ſubnigri; Nihil e contra in Cerebello a naturali alienum. Biduo ante obitum facies, atque oculi intumuere; Ipſa vero vaporibus ſæpe ſub ſomno, obliviositate, lancinationibus per aures, plerumque etiam moleſta oculorum caligine, ſpaſmo cynico, ac involuntario ſaliva effluxu per intervalla diu ante mortem corripiebatur. 8. Vidua quædam conquerebatur de Cephalalgia ſingulis auroris tanta cum atrocitate invadente, ut futuræ capitis quaſi dehiſcerent. Hactenus præſidiis illuſit omnibus. Mutato demum conſilio ſuaſi pediluvium; Unde factum eſt, ut aura frigidiſſima, ſic illa ajebat, cum horrore totius corporis a capite ad pedes deſcenderet, ægraque bis vel ter idem adminiſtrando, plane convaleſceret. 9. Illuſtris Mulier recens connubio juncta ex Menſium ſuppreſſione, faſtidio ciborum, nauſeis crebris, & vomitibus, ventris elevatione, aliiſque ſimilibus indiciis cum ſe gravidam crederet, plaudebat ſibi ob felicem hanc conditionem. Quarto circiter menſe dolores invadunt parturientium doloribus ſimiles, ac paulo poſt corpus edidit informe prorſus, duorum pugnorum circiter magnitudinem adæquans, ac veſiculis conflatum, quatum maximæ ovum columbinum mole, ac figura exacte emulabantur, minimæ vero vix piſi magnitudinem ſuperabant. Aderant autem centum fere humore limpido, & ſeroſo repletæ, ac inter ſe invicem colligatæ, membranoſi cujuſdam involucri ope, ceu altero quodam peritonæo, involutæ.

LXI. Pleraſque alias recenſere ſubit, quæ aut abortivos fœtus, aut molares hujuſmodi conceptus edidere; Pleraſque etiam, quæ maturo edito feliciter partu, paucis poſt diebus, latenter occubuerunt. Cautum iis erat, appropriatis cardiacis laborantem naturam tueri, tum diluentia pleno poculo exhibere; quibus tum ſanguinis fervor quodammodo compeſceretur, tum fluxilis idem magis redditus per conſuetas inde vias faciliori negotio educeretur, obſequentibus ab repetito diluentium uſu factis fibris, quarum nimia ſæpe tenſio funeſtos pleriſque exitus tulit. Tota ſcilicet malorum ilias ab una, ac eadem univerſali cauſa pendebat, ab ea nempe ſiccitate temporum, ut quæ toties dicta ſunt, iterum repetam, qua & fervidior intus cruor, & cætera quæque liquida, ad ſtaſim heu prona nimis; Criſpata hinc, ac tenſa præter modum ſolida, ſæpe una Matrem, ac Fœtum inopinato ſuſtulerunt. Huc quoque enumerandi hyſterici inſultus, huc cæteræ quotquot referendæ ægritudines, quæ hoc potiſſimum anno ſequiorem ſexum dirum in morem exercuere.

LXII. Dum hæc intra Urbis mœnia agebantur, haud diſſimiles paſſim affectus Colonos infeſtabant. Variolæ præſertim, ac morbilli tota hyeme inclementer ſæviere, adultoſque hæ maxime adoriebantur, ac edita magis loca, quam puetos, ac humiliora oppida. Comites iis aderant crurum, ac pedum eryſipelata, ſæpe etiam internæ viſcerum Phlogoſes, Pleuræ, Pulmonum, Hepatis, Inteſtinorum, Menyngum, Oculorum, ac Faucium. Salaſſios, Canapicienſem Agrum, Vercellas, Lumellinam, Comitatum Alexandriæ, Univerſam pene Ligniam, ac Montisferratenſem ditionem pertinax alvi fluxus occupavit. Idem Nicienſem tractum, Provinciam, ac ſuperatis Alpibus, Delphinatum, Sabaudiam, Lugdunum uſque obtinuit, perque æſtatem potiſſimum ſæviit. Febres hinc viſæ e Phlogiſticarum cenſu memoratos affectus comitari, ac ultro citroque ire, ſuopte marte, ac ingenio. E Chronicis morbis Hydropes in univerſum, ac Tympanitis maxime, Arthritides, Phthiſes, tetraque ulcera Pagos, ac rura fœdarunt. *Alladii*, quod præclarum oppidum eſt *Comitum Sanmartinorum*, Febres Januario vagatæ ſunt mali moris, quarum hiſtoriam ab Cl. Viro exaratam hic ſubnectere æquum duxi, in ſpem veniens, incitamento id futurum ſubinde aliis, ut ſedulo hinc, diligenterque morborum, quotquot huc illuc per annum ſæviunt, ſeu popularium, ſive intercurrentium obſervationes deſcribant.

Illu-

* *Rariores ſunt hi caſus, ubi officina Mentis, & Rationis turbatur per talem prægrandem excreſcentiam. Placuit* Carolo Fracaſſato *in Diſſ. Epiſtol. ad* Alphonſum Borellum *tales excreſcentias, etiam hic locorum* Polypos medullares *appellare, quam appellationem etiam ſecutus eſt* Lanciſius *Tract. de mortibus ſubitaneis; ubi comparem ferme caſum recenſet lib.* 1. *cap.* 2. §. 6. *Quemadmodum enim* Polypi cordis *ſanguinis progreſſivum motum, & omne inde pendens vitæ intereſſe confundere, imo ſufflaminare ſolent: Ita* Cerebrini medullares *iſti* polypi, *quatenus liberum illud ventriculorum ſpatium, ac vacuum præternaturaliter explent, confundunt motus in hoc vacuo exiſtentes, repræſentativos, reflexivos, collectivos, & diſcretivos, ut maxima inde anomalia redundet quoque in motus vitales. Ita* Lanciſius *paralyticæ, & aphonæ mulieris repente mortuæ caput aperuit, & invenit ſub cerebello ad internum principium Spinalis medullæ*, Glandulam ſcirrhoſam, *de Mort. ſubit. l.* 1. *cap.* 11. §. 11.

Illustrissimo, Doctissimoque Viro

CAROLO RICHA,

Joannes Thomas Guidetius S. P.

QUod annales Morborum Vulgarium processus eruditissimis animadversionibus contextos, & graphico stylo feliciter exaratos, publico juri elargiris, Vir Amplissime, tibi plurimum debet Medicina nostra Subalpina. Hæc enim in te suum videt restauratorem, quæ a Majoribus tuis Archiatris meritissimis decus habet, & gloriam. Ad pertutilia isthæc indigenæ praxeos monumenta locupletanda uno corde, unoque pede contendere deberent omnes Medicinam facientes in nostra hac Pedemontana ditione, suas quisque appendens observationum schedas, ut olim tabulas in Æsculapii templo appendi usitatum. Hujus ego instituti, tuique consilii optime conscius silentio ulterius præteriri non patiar historiam ægritudinum nonnullarum Epidemicarum, quas ineunte Januario proxime elapso datum est observare in Alladiensi oppido una cum præclarissimis Viris D. D. *Bardesono* Patre, ejusque Filio doctissimo, illic in Patria gloriose Medicinam profitentibus, ac in tota Salassiorum Provincia de re Medica optime meritis. Esto itaque.

Cum Divini Verbi Præcones in præfato oppido prædicationi suæ optimum finem imploraturi sacram instituissent liturgiam, ea fuit hominum accurrentium turba, ut horum conventu inter Ecclesiæ Majoris angustias nedum exæstuaverint corpora, sese arcte soventia, sed & ipsi exudarint parietes præ halituum emanantium affluentia. Complures viros, atque mulieres sudore manantes frigidus aer excepit, hinc popularis morbus, haud multo dato intervallo, grassari visus est cum ægrotantium languore, febri, raucedine, nausea, lingua viscida, & amurcosa, pulsu tenui, mentis hebetatione, vaniloquiis &c. Mox accessere deliria, surditates, aphoniæ, gravesque sopores ad lethargum ducentes. Eructabant in aliquibus stillæ sanguinis, ceu levis hæmorrhagia e naribus, in quampluribus petechiæ exiguæ brevi evanescentes, in omnibus borborygmi, & lumbricorum excretiones per superiora, & inferiora cum sæcibus graveolentibus. Febriles exacerbationes, nocturnis horis catarrhalium more, absque intermissione, clanculum repetebant. Nullus præcedebat rigor, nullus succedebat æstus ingens, exigua sitis. Urinæ a naturalibus vix abludebant. Sanguis extractus in principio morbi coccineum servabat colorem, aptamque consistentiam, nullo ægrotantium levamine. Sæpe diarrhœa superveniens commodum tulit, ut & in aliquibus sudores. Interea plerique quinto, vel septimo morbi die non sine magno populi terrore migrabant ad plures.

Harum ægritudinum indole, causis, symptomatibus, atque inde eventibus serio consideratis, deduximus unanimes has esse in sua origine febres de genere lymphaticarum cum vermibus, acutas tamen, & male moratas ex coagulatione lymphæ primum, exinde sanguinis. Primariam coagulationem exhibebant raucedines, linguæ visciditates, membrorum torpor, nocturnæ periodi, aphoniæ, alvus pigra, intestinorum murmura, & inde excreti lumbrici. Posteriorem sideration elucidabant, reliqua enarrata symptomata perniciem accusantia. Totam denique complebat æthiologiam notitia morbosorum in lympha apparatuum a prægressis tempestatibus, quas tu nobis scite admodum diligenterque comparasti, repetenda; Ob id maxime, quod æstas anteacta, atque Autumnus mites fuerint, ac Borealibus ventis perflati, unde nulla, vel modica facta est sudorum effusio, alioqui nostro sub Cælo consentanea quot annis. Quod si iis addas pravam alimentorum conditionem, fructuum præcipue corruptelam, nec non aquarum putealium fæculentiam ab inclementia cæli contractas, erues profecto genuinam lymphatici lentoris, & cachochiliæ causam simul, ac genesin lumbricorum.

Cur autem a violenta adeo procatharsi febres hujusmodi, non vero pleuritides, peripneumon. anginæ, erysipelata interna, aliæve hujus farinæ ægritudines emerserint; ex hoc factum puto, quod scilicet hujus Brumæ Constitutio non satis rigida, catarrhales concretiones, stasesque in glandulari systemate, rivulisque lymphaticis congregare apta nata sit potius, quam systrophicas collectiones, ac phlogoses intimioribus viscerum flexibus. Veruntamen sufflaminata hoc pacto lymphæ lubricantis irrigatione, & intercepto illius ad sanguinem commercio, reliquum est, ut & cætera torpeant fluida in suo circulari motu, unde secretionum, excretionumque suppressio, progeniesque malorum. Et siquidem levioribus alias de causis inter hybernas vicissitudines visa sunt pectoris rheumata in acutas peripneumonias degenerare, ita nec mirum, si in datis prædispositionibus, & momentis, expositæ febres a catarrhali exordio in exitiales abierint. Ignotum haud est Medicis praxin excolentibus pernicioſas sæpe emergere febres, velut inopinato, a lymphæ lentore pedetentim collecto, ut probe advertit Doctissimus *Baglivius lib.* 1. *de febribus malignis & mesentericis*, §. 1.

Porro ex centenis ægrotis, quos bidui spatio invisimus, vix paucos evasuros fore sperandum erat, nisi opportunis extemplo adhibitis præsidiis fuisset opitulatum; Utque singulis indicationibus succesſive satisfieret: statuimus primum alvinas vias solemniter expiare, emeticis, clysteribus, aut catharticis, servato ægrorum delectu. Secundo lymphæ fluorem promovere, ductusque obstructos reserare diluentibus calide pitissatis, non omittendo anthelminthica cardiacis mixta, & vesicantia artubus applicita. Tertio viam sudoribus sternere, vel saltem adiapneustian delere frictionibus, & cucurbitulis, ut imposterum exhibitis diaphoreticis cutanei pori obsequerentur magis. Phlebotomias raro, nec nisi in Plethoricis celebrandas duximus, potius de saphena, quam de superioribus venis. Reliqua sub finem morbi adhibenda problematice sunt proposita, juxta opportunitatem, & exigentiam.

Nec nostra nos fefellit opinio, quandoquidem tali observato regimine vix unum, aut alterum ex præfato ægrotantium numero deinceps interiisse retulit per litteras ultimo datas laudatus Doctor, cognatione, & amore mihi devinctissimus, *Bardesonus* Junior.

Accipe itaque, Vir Præclarissime, breve hoc observantiæ meæ argumentum; Interea Spartam, quam suscepisti, exornare iterum, iterumque ne desinas; Meque tibi multis de nominibus obstrictum pergas amare. Non enim me præterit, quam multa jam tibi debeam ob munera, dulcemque consuetudinem, qua me humaniter excipere toties dignatus fuisti: Nec ulla unquam ætas conticescet, quæ a Majoribus tuis accepi, honores, ac beneficia. Taurini pridie Nonas Febr. 1722.

LXVIII. Sed ut aliquid de Chirurgia dicamus, in qua Magnos olim, ac percelebres Viros, & nunc adhuc Pedemontium, obtinet; Neve quidquam intactum hac quoque in parte relinquatur, aut imperfectum; Pauca manent de *tumoribus* potissimum explicanda, qui auxiliatricem Chirurgi dexteram efflagitabant; Hos inter Atheromata præ cæteris, Melicerides eminebant, quæ duo quidem tumorum genera vel in eo maxime conveniunt, quod in folliculo fluctuet humor. Descripsit ea omnium optime *Aetius*, atque e recentioribus *Severinus*: Atheroma tumor est figura oblongus, & sublatus, qui ad compressionem digitorum ob humoris crassitudinem tarde cedit, tardeque iis ablatis revertitur, a quo Meliceris differt, quod & rotundior sit, & humoris essentia tenuior, & hinc ad digitorum compressionem celerius cedat, & celerius etiam revertatur. Non autem hæc ita discerni posse videntur, ut certo omnia affirmare liceat, quin potius, quid intus habeant, ut conjectura præsagiri possit, sic ex toto cognosci, nisi cum ejecta sunt, non posse, *Celsus* monet, quod tamen non propter humorem, sed alia quædam simul ibi contenta ita fieri apparet: ait enim, in his, quæ renituntur, aut lapillis quædam similia, aut concretos consertosque pilos reperiri: Officulorum recens exemplum est legere in Ephemeridibus. Nec minus notabile, quod *Petrus Marchetus* in Meliceride se vidisse, ipse testis est: in ejus nempe folliculo alium ejusdem generis tumorem, sed minorem delituisse, sua & ipsum membrana inclusum. Ubi quis cum ranis Æsopi apud Phædrum exclamandum putaverit:

Quid futurum est, si crearit liberos?

Hujusmodi tumores articulos præcipue occuparunt, ac inferiores potissimum, eo diriores, quo impliciti magis, ac tendinibus musculorum, quorum ibi magna segetes, intricati. Nobilissimi Equitis jacturam universa Civitas defiet adhuc, qui, dum inter Chirurgos de secando crure lis ageretur, ob hærentem in rotula ejusmodi tumorem, omnem curationem, ac artis præsidia renuentem, febri lenta in dies ingravescente, macie confectus obiit: alte sepulta, adque totam liquidorum massam propagata labe.

LXIV. Multis etiam *Ganglia* hos, ac illos artus obsidebant: Durissimum tumorum genus, Nucis avellanæ magnitudinem haud superans, doloris expers, manuum junctiuras, & talos frequentius occupans, rarius cubitum, & caput. Quo pacto oriatur, non liquet: ex succo nutritio nervosarum partium fieri, *Klopton Havers*, nuperus Scriptor conjectat. Videri posset lymphaticus humor, qui partes nervosas alluit, nescio quo spiritu Gorgonico afflatus, congelari, nisi sensim excresceret; ex quo apparet per appositionem novi liquoris quotidie augeri, ubi sensim cœpit, & subtilioribus evaporatis, indurari. An vasculum lymphaticum supra modum expansum, ubi vel ictu, vel alia violentia illata urgetur humor, qui intus vehitur, non patet. Haud magni cæterum momenti tumor: hoc enim habet beneficium, quod rupta membrana evanescat. Ad hoc expedire *Helvetius* inter Batavos celebris, utebatur malleo ligneo, corio obducto, quo percutiebat tumorem. Hinc etiam forti manus allisione, ut oritur, sic & tollitur. Sive autem ab externa oriatur, potest emolliri primum, deinde vi dissipari externa, a Chirurgo compressus, quam elegantem rationem apud *Aetium* videre licet. In eo resolvendo quod Hydrargyrum valeat, *Jo. Lossius* mirabili eventu expertus est, ut libro de podagra perhibet, ubi emplastrum addit a *Zacuto Lusitano* sibi communicatum, quod nodos podagricos quoque dissolvat, de quibus, si quis sit solicitus (constant autem ex quibus Ganglia, & quasi rasæ cartilagini, ut cum *Celso* loquar, simile quid obtinent) is vel solus optime satisfecerit. Vidi quendam, cui uno, ac altero horum dissipato, unum, ac alterum e vestigio alio loco oriebatur, quo dein improba progenies, meo consilio, Mercurii ope omnino deleretur.

LXV. Ruricolæ, atque ex iis potissimum, qui ad Alpium radices degebant, strumis in universum laborarunt. Mulieres præsertim, ac pueri, eo curatu difficilioribus, quo non in collo, ubi hæ prodibant, sed altius forte in ipso Mesenterio earum fomes latebat. Neque novum est tam alte strumas exoriri, quod equidem post alios nuper *Cl. Bartholinus* nepos advertit, ex *Riolano* Sapiens, qui Scrophulas in corpore nunquam erumpere asserit, nisi Mesenterium strumosum fuerit: Hic vere ex *Guidone*, & *Ingrassia* id potest didicisse, qui idem tradidere. Quodve obstupescas magis; utque anni, ac morborum ingenium edisces una, adnotare erat, vix paucos *Broncocele* hoc anno obsignatos, familiari cæterum Subalpinis morbo, ut Polonis Plica, Britannis tabes. Tumor est Thyroidis glandulæ, mollis, ac pendulus, nec molestus modo, & aspectu fœdus, sed etiam si magnus, suffocationis periculum adferens. Vidi ego musculos sternothyroidæos plane emaciatos, membranaceos. Curatio illius haud facilis, nec tuta semper. Ut enim Endemius hic Incolis morbus, ita causas illius removere, a quibus originem habet, difficile prorsus. Laudantur plerisque tabellæ quædam ex alumine, ac spongia marina confectæ una cum radicibus pororum; aliis emplastrum de Galbano crocatum Mynsichti. Nonnullis cataplasma ex foliis, & radice cucumeris asinini cum stercore caprillo, quibus & interna jungi possunt, & quidem pulvis ex ossibus Sæpiæ, Mandibulis Lucii piscis, Lapidibus cancrorum, Pipere, Zingibere, Piretro, Testis ovorum, quorum alia exsiccando, alia dissipando agere credi possunt. Potior sane salutis spes, ac tum quidem, cum in scirrhum abiit, in sectione consistit, etsi metuenda hinc sit quædam deformitas, nec exiguum negotium præbeant vasa, quæ ex Carotidibus occurrunt: tum nervi etiam recurrentis viæ, ne accidat, quod narrat *Galenus* de imperito Chirurgo, qui cum eos una evelleret, mutum reddidit ægrum; Ob quod maxime hanc operationem omnium difficillimam puto. Multi *Scrophulas*, ac *Bronchocelen* idem esse putant; Alii, quos inter *Fabritius*, nescio, quod attulit vitium asperæ arteriæ peculiare quod eo nomine appellitat, ut

Bron-

Bronchocelen, exponat nemini Mortalium unquam viſam. *Celſus* inter cutem, & aſperam arteriam eam ponit. *Aetius* tumorem ſimpliciter hanc vocat in gutture enatum; Tumoris tamen genus, ac ſedem illius principem deſignare fas erat, quam nec ipſe *Severinus*, qui de omnis generis tumoribus diſſertiſſime ſcripſit, attigerat; Unus, quem reperiam, *Schelhammerus* agnovit, rectèque in Thyroidea glandula collocavit, viſam hanc utique, ſed non agnitam *Severino* oſtendens, adnotato ab eodem exemplo hominis cujuſdam, qui Bronchocelens prævaſtam multos annos cum angore paſſus, tandem ab ea ſtrangulatus oppetiit; Quo diſſecto grumos ingentes ſanguinis undique circum fuſos cum adnatis quibuſdam carunculis offendit. Equidem ſine dubio hæ carunculæ partes erant Thyroidis glandulæ præ ſanguinis copia diſtentæ, ac divulſæ in partes, aliis ſenſim & corruptis, & colliquatis in ſanguinem. Et hoc ipſum eſt, quod Doct. *Warthonus* dicit: *Si ſcrophulæ* (ſic namque vocat is *Bronchocelen*, quod norandum eſt) *rubeſcant*, *colorem floridiorem eſſe*, *minuſque lividum*, quam *ſtrumarum*.

LXVI. Inter glandularum ægritudines refero verrucas, ac nodos venereos, quibus, ſi acerbius unquam, hoc potiſſimum anno, fœdum in morem correpti ſunt improbæ Veneris milites, quoſve vix ipſe quidem magnæ famæ *Mercurius* ſolvere potis erat, aut decocta quæque lignorum. Vidi Militem univerſo corpore verrucoſum, avellanæ magnitudinem exuperantibus verrucis. Ficoſos hoſce proprie vocat *Levinus Lemnius* in opere de *naturæ miraculis*: ſuphilios alii, aut putide gallicoſos appellant. Aderant hi utique ſagacis Naturæ teterrimum hujuſmodi, ac viroſum fomitem abigentis ac profligantis laudandi conatus, ſi quæ per vaſa corporis, cæcoſque meatus effluebat lympha, craſſior illa, ac glutinoſa, quam par foret, magis, illi haud obſtitiſſet, verrucas hinc, tubera, ac fungos univerſo corpore excitans, horrendum viſu ſpectaculum! Ea namque mira eſt Naturæ providentia, ac ſummum ejuſdem, ut in omni fere, ita & in hoc præſertim morbo ſtudium, ut per quamprimum loca vitium venit, genitales inquam & his attiguas partes, per has eaſdem vias, quaſi facto recurſu, pellat; Ubi vero altius iraſci malum incœpit, & *ſe funditus abdens corpora depaſcit miſere*; tota conetur adhuc infeſtum virus, ſeu exulcerantem intro putrilaginem, per has, ac illas partes, quas in emiſſaria torquet, expromere; Rem quidem, quam ſerio advertere debent hi, qui Syphiliorum hæc ſymptomata curant. Ita ſuis opificiis ſatagit Natura parens; ita in adverſis proſpicit; ita nullam viam intentatam relinquit, ut ægrotantes adjuvet.

LXVII. Locus eſſet hujuſmodi eruptiones, tum in morbi inchoantis ſive interminati ſtatu, tum in abſoluti jam, & late graſſati altero fuſius deſcribendi; ejuſque varios, quos paſſim inducit, characteres,

Qui caſus rerum varii, quæ ſemina morbum
Inſuetum, nec longa ulli per ſecula viſum
Attulerint,

Enarrandi una, ac explicandi, ſi hæc omnia poſſent *brevi oratione* complecti. Satius igitur lepidiſſimi Poetæ *Fracaſtorii* ſit audire rapſodiam,

Ipſe ego Cænomanam memini, qua pinguia dives
Paſcua Sebina præterfluit Ollius unda:
Vidiſſe inſignem juvenem, quo clarior alter
Non fuit, Auſonia nec fortunatior omni.
Vix pubeſcentis florebat vere juventæ,
Divitiis, proaviſque potens, & corpore pulchro.
Cui ſtudia, aut pernicis equi compeſcere curſum,
Aut galeam induere, & pictis ſplendeſcere in armis,
Aut juvenile gravi corpus durare paleſtra;
Venatuque feras agere, & prævertere cervos.
Illum omnes Ollique Deæ, Eridanique puellæ,
Optarunt, nemorumque Deæ, ruriſque puellæ:
Omnes optatos ſuſpiravere Hymenæos.
Forſan & ultores ſuperos neglecta vocavit
Non nequicquam aliqua, & votis pia numina movit.
Nam nimium fidentem animis nec tanta timentem
Invaſit miſerum labes, qua ſævior uſquam
Nulla fuit; nulla unquam aliis ſpectabitur annis.
Paulatim ver id nitidum, flos ille juventæ
Diſperiit, vis illa animi: tum ſqualida tabes
Artus (horrendum) miſeros obduxit, & alte
Grandia turgebant fœdis abſceſſibus oſſa.
Ulcera (proh Divum pietatem) informia pulchros
Paſcebant oculos, & diæ lucis amorem,
Paſcebantque acri corroſas vulnere nares;
Quo tandem infelix fato poſt tempore parvo
Ætheris inviſas auras, lucemque reliquit.
Illum Alpes vicinæ, illum vaga flumina fleruntſ;
Illum omnes Ollique Deæ, Eridanique puellæ
Fleverunt, nemorumque Deæ, ruriſque puellæ;
Sebinuſque alto gemitum lacus edidit amne,

Hi blandæ ſcilicet voluptatis, hi tenerorum complexuum ſunt fructus, heu tragici tantum, & miſerabiles, quantum inter multiplices cruciatus amiſiſſe vitæ dulcedinem, & quantum ex humana ſpecie tranſmigraſſe in brutam.

LXVIII. Locus hic etiam eſſet pauca de altera tumorum ſpecie, qui ad Chirurgiam quoque ſpectant, proferendi, nempe de Aneuriſmatibus, occulti morbi genere, quo plures hoc anno miſere interemptos adnotavimus; Sed hæc & pleraque alia prætermittere intacta lubet, ne ingentem in molem pagina turgeſcat, alibi forte prolixius de hiſce acturis, novaque in dies meditantibus, quoad eorum originem, ac incrementa, revelanda aliquando. Exempla pariter, ac Schemata exhibebimus magnorum Aneuriſmatum, quæ nobis occurrerunt, aut ab Amicis communicata. Quæ quidem alio tempore reſervamus. Unum tantummodo, atque alterum ſupereſt commemorandum, quod nobis terminus hac vice, & extrema erit linea laboris. Primum eſt Caſtrationis hiſtoria in puero decenni, pro meliori vocis claritate, atque modulatione ab experientiſſimo Chirurgo *Andrea Verna* feliciſſime abſolutæ. Febris huic ſupervenit cum vomitu inani, abdominis inflatione, ac præcipue in regione tota hypogaſtrica. Alvus ad quartam uſque occluſa penitus; Urinæ etiam parca copia effundebantur. Poſt quartam reſerari ſponte alvus cœpit, tum urinæ pleno gurgite copioſius effluere, evaneſcente paulatim, ac omnino tandem deſinente febre, adeo ut undecimo die æger incolumis, adque omnia munera obeunda aptus videretur, uno relicto vulneris inflicti veſtigio, quod quidem, cicatrice obducta, breviſſimo tempore conſolidatum apparuit. Alterum eſt Mammæ, quam fœdus improbus Cancer occuparat diu, extirpatio a memorato *Andrea Verna* in Virgine quadam quadragenaria prope, feliciter peracta. Cœperat hæc de tumore in mamma dextra a viginti & ultro annis conqueri, cui cum varia paſſim Muliercularum, Agyrtarumque conſilio Medicamenta adhibuiſſet, incrementa præbuit majora. Augeſcens is nanque ſenſim, ac totam pene mammam obſidens, veniſque in orbem nigro ſanguine turgentibus circumfuſus, in ulceroſam demum pravitatem degeneraverat, ultimum poſtulans in ſectione præſidium. Mirum ut generoſa Virgo invicto animo, nova velut Amazon, pertulit exciſionis acerbitatem. Conſolidato vulnere, ruri abiit, confirmandæ valetudinis gratia, ubi brevi poſt tempore acuta febri prehenſa deceſſit. Tertio denique ac poſtremo recenſendus ſubit diuturnus Oculorum affectus ſcarificationibus ad ima Palpebræ inferioris confinia inſtitutis curatus, authoritate, & conſilio Cl. Viri *Petri Rohaultii* Chirurgi, & Anteceſſoris Regii. Affectui iſti initia, ac facem præbuit exterioris Oculorum membranæ inflammatio, cui cum imperitus quidam topica diu admoviſſet, nedum ingraveſcere hinc malum cœpit, ſed & una ſimul intumeſcere Palpebras viſum, ac ſenſim in ſchirroſam velut duritiem inferioris potiſſimum deſinere, quæ repetitis ſcarificationibus, ac topicis appropriatis, læto omine, ceſſit.

LXIX. Atque hæc ſunt, quæ brevi ſermone, accurata tamen Morborum temporumque indagatione exarata, pro tertia hacce Conſtitutione ſufficiunt. Haud diffiteor quidem multa iis deeſſe, ſaltem hæc ipſa politiore calamo delineari potuiſſe; Quod a me exigi omnino vetant, tum quibus obſtrictus, ac occupatus ſum praxeos negotia, tum exigua prorſus ingenii acies, ac *curta* admodum *ſupellex*. Juvat autem aliquid adhuc ſperare tum laudis, tum adjumenti: illius, quod primus Ego in Patria glaciem fregerim, omneſque in hoc animi nervos intenderim, ut ſi quo modo fieri poſſit, Morborum medela, poſt cineres meos, majori cum certitudine adminiſtretur: hujus vero, quod nullus dubitem futuros aliquando, ut nonnullos jam enumerare poſſem, quamplures, qui auxiliatricem mihi dexteram ferent; aut me defuncto fatis, tentatum a me opus feliciore Ævo perficient.

Finis Supplementi.